



REV. P. APOLLONII
HOLZMANN
THEOLOGIA MORALIS,
In Duos Tomos diſtributa.

THEOLOGIA
MORALIS

USITATO IN SCHOLIS ORDINE,
ac Methodo concinnata,

AB OPPOSITIS ARGUMENTIS VINDICATA,
& numerosis CONSCIENTIÆ CASIBUS, in forma
propositis, ac resolutis illustrata.

AUTHORE P. F.

APOLLONIO HOLZMANN,
ORDINIS FR. MIN. S. FRANCISCI RECOLLECTORUM,
ex Provincia Argentinæ, seu Germaniæ Superioris, Sacræ Theologiæ
Lectore Emerito.

TOMUS PRIMUS,

COMPLECTENS

TRACTATUS EXTRA-SACRAMENTALES.



BENEVENTI, MDCCXLIII.

Prostat
VENETIIS,
IN TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.




PRÆFATIO AUTHORIS
AD LECTOREM.



Heologia Moralis, quam, non tam meopte nutu, & ausu, quam aliorum hortatu, & postulatu (ne dicam mandato) concinnatam, Benevolo Lectori exhibeo, septem divisa in Partes est. In prima disserit *de Actuum Humanorum Regulis, ipsisque Actibus Humanis:* in secunda *de Virtutibus Theologicis, & Praeceptis Decalogi:* in tertia *de Praeceptis, & Pœnis Ecclesiæ; nempe de Praeceptis particularibus, certo Hominum Statui accommodatis:* in quarta *de Jure, & Justitia; Restitutione, & Contractibus:* in quinta *de Sacramentis in genere; Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Pœnitentia in specie:* in sexta *de Extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio:* in septima complectitur *generalem Indicem,* & veluti *Synopsin* omnium rerum, ac casuum prioribus sex Partibus contentorum. Quem ordinem, ac methodum Possessores hujus Facultatis in Scholis, & Authores, saltem plerique, in Libris observant: quorum proin vestigia & mihi legenda censui. Adduxi quoque passim argumenta opposita, eaque pro ingenii mei modulo diluere conatus sum, ut theoriæ Amatoribus deservirem. Subjunxi præterea post singulas disputationes casus conscientiæ, in forma propositos, ac resolutos, ut eorum etiam genio satisfactum irem, quorum palatui sola fere praxis arridet, & sapit. Cumque experientia condocefieri quisque possit, ac soleat, quod concinna rerum tractandarum discretio, ac series, memoriæ Lectoris ingens adjumentum afferat, ipsisque etiam rebus novum quodammodo colorem, ac nitorem, claritatis præsertim, aspergat, Tractatus in Disputationes, Disputationes in Capita, Capita in Articulos, & hos (ubi e re fore existimabam) in Paragraphos dispescui. Unum porro Benevolus Lector ignorare non debet, quod nempe jam pluribus ante annis quosdam Tractatus in forma Thesium produxerim; ut *de Legibus; de Jure, & Justitia; de Restitutione, & Contractibus:* iique (quemadmodum a Viris fide dignissimis mihi relatum est) in Scholis respective domesticis verbatim, vel junctis paulo aliter verbis, dictati, & traditi sint; imo nonnulla, ex illis antefato modo transumpta, in publicam quoque lucem (prout ipse legi, & maximopere miratus fui) emerserint, meo nomine studiose reticito. Hoc, inquam, ignorare non debet Benevolus Lector, ne, si forte, quacunque

demum occasione, in ejusmodi manuscripta, vel Lucubrationes incidat, turpem meo Operi notam, seu maculam affricet, dictitando, illud esse partum alienum, non proprium, sive meum. Quare sesquiorem isthanc censuram quo certius anteverterem, & amolirer, memoratos Tractatus in materiis, quas respective concernunt, & ubi doctrinam per illos evulgatam retinui, sæpius allegavi, speciatim præfixis in cujuslibet principio annis, quibus successive prodierunt. Ego nomina Authorum, quorum opera in elaborando Opere meo usus fui, fideliter retuli; partim ut suum cuique honorem tribuerem; partim quia mihi in animo non erat alienis plumis gloriari; cum hoc Scriptores, præsertim Religiosos, multum per omnem modum dedeceat; imo speciem furti præseferat: prout cum Jurisconsulto edisserit Navarrus *in Proœmio Manualis*. Utque jure Authorem me nominare possem, addidi complura ex mea, ut ut paupere, penu; quæ forte alibi non legeris: saltem ego reperire non potui in libris, qui mihi ad manum erant. Male enim, & injuste (fluit ex proxime dictis) nomen, & prærogativam Authoris sibi arrogat, atque usurpat, qui omnia, quæ Lucubrationibus suis Orbi literario exhibet, ex aliorum libris deprompsit, vel transcripsit, & nova duntaxat methodo donavit. Atque hæc pauca habui, quæ præfarer, Benevole Lector! Accipe illa æquo animo, & Opere meo (quale quale est) utere utiliter tibi, utiliter aliis.



FACUL-

F A C U L T A S

Reverendissimi P. Commissarii Generalis.

EGo F. Godefridus Stuve, SS. Theol. Lector Jubilatus, Almæ Provinciæ Saxoniæ S. Crucis Ord. FFr. Min. Strictioris Observantiæ Ex-Provincialis, ac Pater perpetuus, totius Ordinis S. P. N. Francisci Definitor, nec non super Provincias Germaniæ Superioris, ac Belgii, Hyberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, & annexas cum plenitudine potestatis in utroque foro Commissarius Generalis, typis excudi permitto, servatis alias de Jure servandis, Theologiam Moralem a V. P. Apollonio Holzmann, Provinciæ nostræ Argentinæ, sive Germaniæ Superioris, SS. Theol. Lectore Emerito elaboratam, & a deputatis ad id Censoribus Ordinis nostri Theologis examinatam, ac approbatam. In quarum fidem præsentes, manu propria, & Officii sigillo minori munitas dabam Monasterii VVestphal. 10. Septembr. 1733.

L. S.

Godefridus Stuve, qui supra mppr.

F A C U L T A S

A. R. P. Ministri Provincialis.

UT Tomus I. Theologiæ Moralis, Complectens *Tractatus Extra-Sacramentales*, a Venerando P. Apollonio Holzmann, Provinciæ nostræ Argenrinæ seu Superioris Alemanniæ SS. Theologiæ Lectore Emeriro, conscriptus, ac a Theologis ad id deputatis lectus, ac censüs, prælo dari possit, hisce, quantum in me est, facultatem facio. In cujus fidem has Officii mei sigillo munitas dedi in Conventu nostro Lenzfridano, die 7. Decembris 1735.

L. S.

Fr. Benjamin Elbel qui supra mppr.

Approbatio Theologica I.

EX commissione & mandato Admodum Reverendi in Christo Patris Benjamin Elbel Provinciæ nostræ Argentinæ Ministri Provincialis acure perlegi Tomum I. Theologiæ Moralis, a Ven. ac Religiosissimo P. F. Apollonio Holzmann in eadem Provincia SS. Theologiæ Lectori Emerito compositum, Tractatus Extra-Sacramentales continentem; in quo præter insignem claritatem, stylique gtavitatem, adeo profunde & subtiliter rheoriam cum praxi concatenatam reperi, ut nullus dubirem, quin omnium lecturorum inrellectus eruditione plurima, affectus vero plura legendi pungine sit replendus. Nihil insuper in eo reperiundum, quod vel sanæ & Catholicæ fidei, vel bonis moribus adversetur, sed omnia ad Dei Ecclesiæque leges ac doctrinas conformata conspiciuntur. Unde merito de hoc Opere præsagiendum æstimo, quod Religioni, ac bono publico magnæ utilitati, Authori vero promeritæ gloriæ sit futurum. Ita dabam in Conventu nostro Salisburgensi die 5. Octobris 1736.

F. Cherubinus Mayr SS. Theol. Lector Jubil. & SS. Canon. Actualis.

Approbatio Theologica II.

MAndato A. R. P. Benjamin Elbel Ord. FFr. Min. S. P. Francisci Recollectorum, SS. Theologiæ Lectoris Jubilari, & Provinciæ Argentinensis, seu Germaniæ Superioris, Ministri Provincialis, pro tenuitate mea delaturus, Theologiæ Moralis priores IV. Partes, *de Actuum Humanorum Regulis, ipsisque Actibus Humanis; de Virtutibus Theologicis, & Præceptis Decalogi; de Præceptis, & Pœnis Ecclesiæ, itemque de Præceptis particularibus, certo Hominum Statui accomodatis*; ac denique *de Jure, & Justitia, Restitutione, & Contractibus*, tractantes, a V. P. Apollonio Holzmann, ejusdem Ordinis, ac Provinciæ, SS. Theol. Lectore Emerito, compositas, atque in hoc I. Tomo comprehensas, attente, & diligenter perlegi, Authoremque nemini alteri æquius, aut aptius comparandum esse collegi, quam Evangelico illi *Patrifamilias, qui* (*Matth. c.* 13. *v.* 52.) *profert de Thesauro suo nova, & vetera. Vetera* quippe profert Author iste, dum doctrinam suam Theologico-Moralem in S. Scripturæ Testimoniis, in SS. Patrum Dogmatibus, SS. Pontificum Decretis, Conciliorum Canonibus, Theologorum probatorum Sensis, & Sententiis, optime fundatam Orbi Christiano exhibet, præcluso quocunque in rebus Fidei, aut Morum errandi periculo: servato etiam eo animi moderamine, ut in Materiis, inter ipsos Theologos controversis, Neminem Authorum, quantumvis suæ opinioni adversum, mordaciter imperat, sed vel modeste refutet, vel cum honore dimittat; habito tamen semper præcipuo, ut par est, respectu ad Doctrinam *veterem* Doctoris nostri Subtilis Joannis Duns-Scoti, probe gnarus, Ejus libros (teste Passerino) absque ullo erroris nævo usque modo in Oecumenicis Consiliis inviolatos permansisse. *Nova* quoque de Thesauro suo idem Author profert, dum in primis conclusiones suas non quidem tam agglomeratis variorum Authorum citationibus, quam rationibus ponderosis, & argumentis efficacibus firmat, suadet, & persuadet: dein difficultates, quas Alii hinc inde aut insinuant solum, aut superficietenus duntaxat dissolvunt, aut omnino transiliunt, ipse ex professo fusius enodat, enucleat, & extricat, reapse demonstrans, quod *nova* proferat. Quis insuper non suspicier in hujus Authoris Opere *novam* docendi claritatem, scribendi suavitatem, componendi concinnitatem, ac opinandi maturitatem? Perrara porro Methodus, qua Theologiæ Morali Scholasticam ancillari, Jus Humanum utrunque, Canonicum, & Civile, sua sæpe obsequia præstare facit, nil nisi *novum* spirat. Casus tandem practici, quos, non minus erudite, ac practice resolutos, ad cujuslibet Disputationis calcem utilissime subjungit, aut *veteres*, aut *novi* sunt. Quisquis igitur vetas Scientiæ Theologico-Moralis divitias concupiscit, queis aut se, aut alios (quotum curam suscepit, aut suscipere intendit, aut quos ad illam suscipiendam instruere, docere, vel examinare ex officio tenetur) ditare cupit, hunc ipsum adeat Patremfamilias, utpote qui de Thesauro suo *nova*, & *vetera* abunde profert. Dignissimus proin, ut omnibus, & singulis publico typo innotescat. Ita censet ex Campidona Ducali die 27. Novembris 1736.

F. Conradinus Riedterer ejusdem Ordinis, ac Provinciæ, SS. Theologiæ Lector Emeritus, Ducalisque Ecclesiæ Campidonensis p. t. Confessarius.

Approbatio Theologica III.

THeologia Moralis, ab admodum Reverendo P. Apollonio Holzmann, Ord. FF. Min. S. Francisci Recollectorum, ex Provincia Argentinæ, seu Germaniæ Superioris, SS. Theol. Lectore Emerito, concinnata, non solum nihil continet Orthodoxæ Fidei, sanæ doctrinæ, aut bonis moribus adversum; sed insuper explicat singularem in proponendis materiis claritatem, gratam in enodandis difficultatibus facilitatem, & suavem in resolvendis casibus conjunctam cum profunda soliditate dexteritatem. Quapropter jure meritissimo in lucem publicam prodibit, ceu Opus omnino præclarum, suo Authore dignum, & Lectoris maximam utilitatem allaturum. Ita censeo, ac testor ex Campidona Ducali die 14. Sept. 1735.

Joannes Baptista Hundtbiss, L. B. a VValtrambs, Ducalis Ecclesiæ Campidonensis, Capitularis, Bibliothecarius, Consiliarius Ecclesiasticus, & librorum Censor.

PRÆ-

PRÆFIGO OPERI MEO PROPOSITIONES,

A tribus Summis Pontificibus, Alexandro VII. Innoc. XI. & Alexandro VIII. confixas; quoniam plerasque illarum per decursum referam, vel etiam (ubi opus fuerit) breviter explicabo, & refutabo, ceu scopulos qua in cathedris, qua in confessionalibus cautissime, & extreme declinandos.

PROPOSITIONES

Ab Alexandro VII. per Decretum editum Feria V. die 24. Sept. anno 1665. confixa.

1. HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, ann. 1629. die 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem: etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra Justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

PROPOSITIONES ALIÆ

Ab eodem Pontifice per Decretum editum Feria V. die 18, *Martii an.* 1666. *confixa.*

29. IN die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

PROPOSITIONES

Ab Innocentio XI. per Decretum editum Feria V. die 2. Martii an. 1679. confixa.

1. NOn est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Via in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita via aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccatum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis momenti, sive gravis.

26. Siquis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa, Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, siquis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida, occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex Justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mol-

49. Mollities Jure naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES

Ab Alexandro VIII. per Decretum editum Feria V. die 24. Augusti an. 1690. confixa.

1. BOnitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum: ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

2. Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.

PROPOSITIONES ALIÆ

Ab eodem Pontifice per Decretum editum Feria V. die 7. Decembris an. 1690. confixa.

1. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato mortali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnia humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est, infidelem omni tempore peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non Politia, nec institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

22. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba Legis.

25. Dei Patris sedentis Simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *in nomine Patris &c.* prætermissis illis. *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

31. Ubi quis invenerit doctrinam, in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

E' EN.

ELENCHUS

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, CAPITUM, & aliorum Titulorum in hoc Tomo contentorum,

P A R S   P R I M A.

De Actuum Humanorum Regulis, ipsisque Actibus Humanis.

T R A C T A T U S I.

De Interna Actuum Humanorum Regula, seu Conscientia.

D I S P U T A T I O I.

De Conscientia in genere, & Recta, ac Erronea in specie.

D I S P U T A T I O II.

De Conscientia Scrupulosa, & Dubia.

D I S P U T A T I O III.

De Conscientia Probabili.

T R A C T A T U S II.

De Externa Actuum Humanorum Regula, seu Lege.

D I S P U T A T I O I.

De Lege in genere, & Naturali, ac Divina in Specie.

D I S P U T A T I O II.

De Lege Humana.

& a

DISPUTATIO III.

De Modis, quibus Leges respective cessare possunt, vel non possunt.

TRACTATUS III.

De ipsis Actibus Humanis.

DISPUTATIO I.

De Actibus Humanis in genere.

DISPUTATIO II.

De Actibus Humanis malis in specie, sive de Peccatis.

habeat

PARS SECUNDA,

De Virtutibus Theologicis, & Præceptis Decalogi.

TRACTATUS I.

De Virtutibus Theologicis.

DISPUTATIO I.

De Fide.

DISPUTATIO II.

De Spe.

DISPUTATIO III.

De Charitate.

TRACTATUS II.

De Præceptis Decalogi.

DISPUTATIO I.

De primo Præcepto Decalogi.

DISPUTATIO II.

De secundo Præcepto Decalogi,

DISPUTATIO III.

De tertio Præcepto Decalogi.

DISPUTATIO IV.

De quarto Præcepto Decalogi.

DISPUTATIO V.

De quinto Præcepto Decalogi.

DISPUTATIO VI.

De Octavo Præcepto Decalogi.

§. I. Quid

DISPUTATIO VII.

De sexto, & nono præcepto Decalogi.

DISPUTATIO VIII.

De septimo, & decimo Præcepto Decalogi.

PARS TERTIA.

De Præceptis, & Pœnis Ecclesiæ: itemque de Præceptis particularibus, certo Hominum statui accommodatis.

TRACTATUS I.

De Præceptis Ecclesiæ.

DISPUTATIO I.

De Præcepto Jejunii.

DISPUTATIO II.

De Præcepto annuæ Confessionis.

DISPUTATIO III.

De Præcepto annuæ Communionis.

TRACTATUS II.

De Pœnis Ecclesiæ; sive de Censuris, & Irregularitatibus.

DISPUTATIO I.

De Censuris in Genere.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Censuris in Specie: ubi etiam de Depositione, Degradatione, & Cessatione a Divinis.

DISPUTATIO III.

De Irregularitatibus.

TRACTATUS III.

De Præceptis particularibus, certo Hominum Statui accommodatis.

DISPUTATIO I.

De Statu Clericali.

DISPUTATIO II.

De Statu Regulari.

DISPUTATIO III.

De Statu Laicali.

PARS QUARTA.

De Jure, & Justitia; Restitutione, & Contractibus.

TRACTATUS I.

De Jure, & Justitia.

DISPUTATIO I.

De Natura, & Speciebus Juris.

DISPUTATIO II.

De Modis, quibus jus, vel dominium acquiri solet.

DISPUTATIO III.

De Subjecto Juris, seu Dominii.

§. I. Ex-

DISPUTATIO IV.

De Natura, Objecto, & Speciebus Justitiæ; nec non de Vitio huic Virtuti opposito.

TRACTATUS II.

De Restitutione.

DISPUTATIO I.

De Restitutione in genere.

DISPUTATIO II.

De Restitutione in specie.

TRACTATUS III.


De Contractibus.

DISPUTATIO I.

De Contractibus in genere.

DISPUTATIO II.

De Contractibus in specie.



PARS



PARS PRIMA.

DE ACTUUM HUMANORUM REGULIS, ipsisque Actibus Humanis.

TRACTATUS PRIMUS.

DE INTERNA ACTUUM HUMANORUM REGULA, sive CONSCIENTIA.



Uplex est actuum humanorum Regula, videlicet *in-* & *externa*. Interna est, quæ reperitur formaliter in ipso operatore, eumque formaliter dirigit in ordine ad operandum moraliter; & hæc est ipsissima *Conscientia*. Externa dicitur, quæ non est formaliter in operante, ne hunc formaliter, sed objective solum, & externe dirigit: atque istius nomine venit *Lex*. Porro Regula interna, sive Conscientia, alia ratione, & consideratione nuncupatur Regula *proxima*, eo quod immediate, & proxime; externa vero, seu Lex, *remota*, eo quod mediate solum, & remote, mediante nimirum dictamine conscientiæ, actiones humanas regulet. Attendendo posteriorem hanc appellationem non abs ratione procederem, si prius de Lege, quam Conscientia differerem: quandoquidem magis congruum est, ut ordine doctrinæ præponantur, quæ remotius, quam quæ proximius ad aliquem finem concurrunt; ut patet v. gr. in materiis Sacramentorum. Sed quoniam Theologi plerique omnes, insinuata ratione nihil moti, prius de Conscientia, quam Lege tractare solent, eorundem mori morem & ego gerere volens, in primo hoc Tractatu de illa, sive Conscientia, de ista vero, seu Lege, in Tractatu proxime secuturo sermonem instituam. Sit ergo

DISPUTATIO I.

De Conscientia in genere; & Recta, ac Erronea in specie.

CAPUT I.

De Conscientia in genere.

ARTICULUS I.

An Conscientia pertineat ad intellectum, vel voluntatem?

SUMMARIUM.

1. Conscientia quid nominis. 2. Asseritur pertinere ad intellectum. 3. & 4. Solvuntur duæ objectiones. 5. Prout Conscientia impræsentiarum accipitur, consistit in actu, non in habitu intellectus.

1. 

Onscientia spectando etymologiam nominis non omnibus est eadem. Nam aliquibus cum San. Bernardo idem sonat, quod *cordi scientia*, quatenus soli Deo, & homini, intra quem est, non item aliis patet: nonnullis cum S. Antonino idem, quod *concludens scientia*, eo quod consistat in conclusione ex principiis communibus deducta: aliis denique cum S. Thoma idem, quod *cum alio scientia*, eo quod scientiam universalem applicet, & conjungat cum actione in particulari. Et hæc de nomine. Ad rem ut veniamus, & quæstioni propositæ satisfaciamus,

2. Dico. Conscientia formaliter pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem. Communis.

Probatur. Nam *Eccl. 7.* dicitur: *Scit enim conscientia; quia & tu crebro maledixisti aliis:* & *Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Atqui scire, & testari pertinet formaliter ad intellectum; ergo &c.

Confirmatur ex etymologia nominis, vi cujus conscientia idem sonat, quod cordis scientia, concludens scientia, cum alio scientia; prout insinuavimus *num. præced.* sed scientia formaliter spectat ad intellectum; ergo &c.

3. Objicies primo. Conscientia dicitur bona, vel mala: sed bonum, & malum pertinent ad voluntatem; ergo &c.

Confirmatur. Proprium conscientiæ munus est extimulare, & instigare ad prosecutionem boni, & fugam mali: sed ita instigare itidem pertinet ad voluntatem; ergo &c.

Respondetur ad object. dist. maj. Conscientia dicitur bona, vel mala extrinsece, objective, vel directive, con. intrinsece, vel subjective, neg. maj. sed bonum, & malum pertinent ad voluntatem intrinsece, & subjective, quatenus bonitas, & malitia eidem, seu subjecto, insunt, con. extrinsece, objective, neg. min. & cons. Itaque conscientia dicitur bona, vel mala extrinsece tantum, objective, vel directive, quatenus nimirum regulat, seu dirigit operationem bonam, vel malam moraliter: in quo sensu bonum, & malum etiam pertinent ad intellectum practicum, juxta illud Psalmi 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Ad confirmat. dist. similiter maj. Proprium conscientiæ munus est instigare &c. directive, con. impulsive, neg. maj. sed instigare impulsive pertinet ad voluntatem, con. directive, neg. min. & cons.

4. Objicies secundo. Si scientia ad intellectum pertinet, sequitur, aliquem eo melioris conscientiæ fore, quo clariorem suorum gestorum, aut gerendorum intelligentiam habet, seu quo feliciore intellectu, & majore in moralibus scientia pollet: atqui sequela pugnat contra experientiam, qua constat, homines, in morali doctrina versatissimos, non raro esse pessimæ vitæ, & conscientiæ; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Sed ille est melioris conscientiæ, qui scientiam moralem ad operationem in particulari rectius applicat, & recto conscientiæ dicta-

mini conformius agit: quod sæpenumero non faciunt plus intelligentes: unde ipso facto Incidunt in illud Poetæ:

Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.

5. Quæres, an conscientia consistat in habitu, vel actu intellectus?

Respondetur, quod, prout est præsentis instituti, consistat in actu. Ratio est: quia conscientia, prout hic accipitur, debet esse immediata regula actus humani: atqui sola conscientia actualis, seu in actu sita, non autem habitualis, seu in habitu consistens, potest esse ejusmodi regula, ut patet; ergo &c. Quapropter, licet detur conscientia habitualis, seu potius habitus conscientialis, ex frequentatis actibus generatus, quemadmodum ostendit Mastrius in *Theol. Mor. disp. 1. q. 1. art. 1. n. 5.* is tamen non regulat immediate operationes humanas, esto ad easdem recte eliciendas inclinet: consequenter &c.

ARTICULUS II.

Adstruitur, & exponitur Conscientia definitio.

SUMMARIUM.

6. Conscientia late sumpta se porrigit ad actus præteritos, præsentes, & futuros. 7. Dictamina, seu judicia intellectus in materia morum alia sunt speculative practica, *alia* practice practica. *8. Statuitur, & exponitur definitio conscientiæ. 9. Proponitur, & solvitur objectio. 10. Dictamen conscientiæ debet esse discursivum. 11. Et certum saltem moraliter: 12. & seqq. Diluuntur argumenta contraria. 18. & 19. Assignatur differentia conscientiæ a* Synteresi, *&* Scientia Morali.

6. PRænotandum primo, conscientiam generatim, & late sumptam se porrigere ad actus præteritos, præsentes, & futuros, Relate ad primos est judicium approbativum, aut improbativum actuum (vel omissionem) jam positorum; unde conscientia hoc tali respectu dicitur *consequens*; estque mere speculativa. Relate ad secundos est judicium, dictans, actiones, quas homo actu ponit, esse licitas, vel illicitas: atque hoc modo propriissime dicitur quis obedire conscientiæ, vel contra eandem agere. Relate ad tertios est judicium, dictans, has, vel illas actiones, quas postea positurus sum, esse licitas, vel illicitas. Conscientia secundi generis vocatur *antecedens*, quia dirigit actionem, quæ ponitur; adeoque est practica; uti & conscientia tertii generis, quamvis hæc debeat, saltem in virtute a se relicta, existere, quando ponitur actio; alias nanque in eam influere non posset, De utraque hac conscientia antecedente potissimum hic nobis sermo est,

7. Prænotandam secundo, dictamen, seu judicium intellectus in materia morum aliud esse *improprie*, seu *specalative practicum*, & aliud *proprie*, seu *practice practicum*. Judicium primi generis est, quo judicatur, aliquid in genere, id est, abstrahendo a circumstantiis particularibus, saltem aliquibus, esse licitum, vel illicitum. Hujusmodi dictamina, seu judicia sunt, v. gr. *licitum est pingere die festo: ilicitum est non tribuere cuique suum jus:* item *illicitum est committere adulterium*. Itaque hoc tali judicio præcise judicatur, quid fieri, vel non fieri possit, aut debeat ex objecto, vel etiam ex circumstantiis aliquibus, non tamen omnibus simul acceptis. Judicium secundi generis est, quo quis judicat, aliquid In particulari, id est, consideratis omnibus circumstantiis particularibus simul sumptis, esse licitum, vel illicitum. Et talia dictamina, seu judicia sunt, v. gr. *licitum est hic, & nunc, seu hoc die festo pingere: illicitum est in istis, & istis circumstantiis jus suum proximo non tribuere &c.* Ex quibus conjicere licet, posse contingere, ut, quod præscribitur, vel permittitur ab uno judicio, idipsum vetetur ab altero, Sic quamvis judicium speculative practicum dictet, depositum v. gr. gladium esse reddendum, nihilominus practice practicum vetat reddi in casu, quo furiosus, recepto gladio sibi, vel alteri necem illaturus prævidetur, In dictamine secundi generis, seu practice practico (quod etiam *ultimum* appellatur in sensu infra exponendo) essentialiter, & formaliter consistit conscientia, prout est proxima, & immediata regula actuum humanorum in particulari. In qua proin acceptione,

8. Dico. Conscientia est *dictamen intellectus practice practicum, & ultimum, dictans, quid sit agendum tanquam honestum (aut saltem indifferens) vel non agendum tanquam inhonestum*. DD. reipsa communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *dictamen*: quia conscientia est quedam intimatio regulæ externæ, ac remotæ, videlicet legis,

Dicitur 2. *practice practicum*: partim ut designetur, quod finis conscientiæ sit actio moralis: partim ut insinuetur ejusdem objectum, videlicet humana operatio, prout hic, & nunc in individuo exercenda, adeoque omnibus circumstantiis vestita.

Dicitur 3, *& ultimum*. Nam licet respectu volitionis, quam proxime, & immediate, seu nullo alio dictamine mediante, dirigit, possit, ac debeat vocari dictamen proximum; est tamen, & vocari debet ultimum respectu actuum, seu dictaminum intellectus præcedentium, utpote quæ non nisi remote (interne tamen) ac inultimate dirigunt.

Dicitur 4. *Quid sit agendum, vel non agendum;* siquidem voluntas non solum in ordine ad agendum, sed etiam in ordine ad non agendum dirigi potest, ac debet.

Dicitur 5. *tanquam honestum, vel inhonestum*. Nam quando intellectus judicat aliquid agendum non secundum rationem superiorem (quæ attendit honestatem operis) sed tantum secundum rationem inferiorem (quæ præcise attendit delectabilitatem, vel utilitatem operis, præscindendo, an id honestum, aut inhonestum sit) illius judicium potius anti-conscientia, quam conscientia dici meretur; eo quod actionis humanæ sit magis corruptela, quam regula.

Dicitur denique 6. per parenthesin: *aut saltem indifferens*: ut innuatur, conscientiam etiam dictare, quid a lege permissum sit tanquam indifferens, seu non inhonestum, quamvis positive honestum non sit; siquidem & actio indifferens pertinet ad genus morum: prout patebit ex dicendis *tr. 3. disput.* 1.

9. Objicies. Conscientia *accusat, redarguit &c.* sed his actus sunt judicia speculativa; ergo conscientia est judicium, seu dictamen speculativum,

Respondetur, dist. maj. Conscientia consequens, con. antecedens, a nobis descripta, neg. maj. & concessa minore, dist. similiter cons. conscientia consequens est judicium speculativum, con. antecedens, neg. Revide dicta *n. 6.* Dici etiam potest, quod conscientia antecedens *accuset, redarguat &c.* ex munere suo quasi consequente, & secundario, quatenus memorati, aliique consimiles actus sunt veluti proprietates essentiam conscientiæ antecedentis consequentes: eo ipso enim, quod conscientia antecedens dictet, aut judicet, quid faciendum sit; si non fiat, sequitur, quod accuset, redarguat &c. sicut e converso, si fiat, sequitur, quod gaudeat, absolvat &c, Cum quo tamen stat, quod eadem conscientia ex conceptu, & munere suo primario dictet, & judicet, quid hic, & nunc agendum, vel omittendum sit; adeoque essentialiter consistat in dictamine practice practico,

10. Quæres primo, an dictamen conscientiæ sit discursivum?

Respondetur affirmative: idque vel formaliter, & explicite, vel saltem virtualiter, & implicite, Ratio est: quia conscientia, in tali dictamine sita, est *concludens scientia*, quatenus ex principiis, & præmissis communibus concludit in particulari, quid agendum, vel omittendum sit: sed hoc fieri nequit absque discursu saltem virtuali, ut patet; ergo &c.

11. Quæres secundo, an, & quomodo idem dictamen debeat esse certum?

Respondetur, Ut sit regula sufficiens ad licite, & honeste operandum, debet esse certum saltem moraliter. Ita Cardenas, Illsung, Terillus apud, & cum Claudio La Croix hic *n.* 47. contra quosdam alios, volentes, ad honeste operandum sufficere, quod dictamen conscientiæ, etiam ultimum, sit probabile, aut probabilius, Ratio nostræ responsionis est primo:

quia

quia omnis actus elicitus prudentiæ debet esse certus saltem moraliter: sed dictamen conscientiæ, ut sit regula sufficiens ad honeste operandum, debet esse actus elicitus prudentiæ; cum prudentia sit *recta ratio agibilium*, cui proprium est statuere, atque concludere, quid consideratis omnibus circumstantiis fieri possit, aut debeat; ergo &c. Major ostenditur: si quidem omnis actus elicitus prudentiæ est actus virtutis intellectualis: sed omnis actus virtutis intellectualis debet esse certus salte moraliter; quia virtus intellectualis est, *quia anima verum dicit affirmando, aut negando*, juxta Philosophum 6. *Ethic.* & consequenter exposcit actum, ac objectum verum, & certum saltem moraliter, cum exclusione rationabili formidinis de opposito, ne alias confundatur cum opinione, cujus quemadmodum objectum, ita & actus incerti sunt.

Ratio est secundo; nam qui se voluntarie exponit periculo peccandi formaliter, peccat formaliter; ut patet ex *Eccles.* 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*: atqui operans cum rationabili formidine de malitia formali suæ operationis, manifeste se exponit periculo peccandi formaliter; cum ita judicet, suam operationem hic, & nunc esse licitam, ut simul judicet, forte esse illicitam, & formaliter peccaminosam: hoc quippe importat judicium formidolosum, quo in operatione sua immediate dirigitur; ergo &c.

Confirmatur. Qui ex modo intrinseco se determinandi, seu ex judicio, quo se immediate determinat ad operandum, non habet securitatem saltem moralem, quod suæ operationi non insit formalis malitia, non magis censeri potest prudenter operari, quam qui sumit potum non habens securitatem moralem, quod non sit venenum: atqui hic imprudenter operatur, & peccat; ergo & ille.

Dix: *saltem moraliter*. Nam impossibile est, ut quis sibi comparet, & formet semper, atque de omnibus agibilibus dictamen metaphysice, aut physice certum: cum ergo Deus non præcipiat impossibilia, ad honeste operandum sufficiat, necesse est, dictamen conscientiæ moraliter certum. Accedit, quod ubi adest moralis certitudo, non sit locus prudenti dubio, vel etiam probabilitati de opposito; ergo cum dictamine conscientiæ moraliter certo vere quis operatur *ex fide*, adeoque non peccat. Sed

12. Dices contra respons. primo. Qui operatur ex judicio probabili, quod hic, & nunc liceat sibi operari, prudenter operatur; ergo non exponit se periculo peccandi formaliter, & consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Qui operatur remote ex judicio probabili speculative practico, ex illa probabilitate formans prudens, & certum judicium practice practicum, quo immediate dirigitur, modo mox explicando, prudenter operatur, con. qui operatur proxime ex judicio probabili, neg. ant. & cons. Nam operans hoc posteriore modo operatur cum formidine practica de licentia actionis suæ, & consequenter se exponit periculo peccandi formaliter.

13. Instabis. Judicium probabile est actus prudentiæ saltem imperatus, & mediatus; ergo qui ex illo operatur etiam proxime, operatur prudenter.

Respondetur, dist. ant. Judicium probabile secundum se, con. in iis circumstantiis, in quibus est periculum formaliter peccandi, prout contingit, dum quis operatur proxime ex judicio probabili, & formidoso, neg. ant. & cons. Non enim prudenter operatur, qui se exponit periculo formaliter peccandi.

Ut autem modo dicta penitus capiantur, expedit, & oportet nosse, quod in eo, qui cum conscientia, & sententia probabili licite operatur, coexistant duo dictamina, unum *directum*, alterum *reflexum*. Primum est probabile, & practice formidulosum; secundum vero certum, & practice securum. Declaro rem in exemplo. Deliberet pictor, *an liceat pingere in die festo?* is, si opinionem, quæ dicit, opus pingendi non esse servile, teneat ut vere probabilem, secum (implicite saltem, & virtualiter) ita discurit: *Omne opus non servile est licitum in die festo: sed pingere est opus non servile; ergo pingere est licitum in die festo*. In hoc syllogismo major quidem est certa; minor vero solum probabilis, & consequenter etiam conclusio, cum sequatur præmissam debiliorem, non potest esse nisi probabilis, & incerta; adeoque non potest esse immediata, & proxima regula actus in individuo exercendi. Hinc pictor cum reflexione tam ad probabilitatem opinionis, quam ad conclusionem ex principiis directis illatam assumens aliud principium reflexum ita ulterius discurrit: *Illud opus hic, & nunc est licitum in die festo, quod prudenter judico esse licitum: sed opus pingendi prudenter judico esse licitum in die festo; ergo opus pingendi, seu pingere hic, & nunc est licitum in die festo*. Ex hæc conclusio est dictamen conscientiæ reflexum, ultimum, ac certum, quo actio operantis proxime regulatur: deducitur enim ex præmissis practice certis, ac veris. Nam major est indubitata omnibus, terminos penetrantibus: quid enim licebit in moralibus, si non liceat id, quod quis universis consideratis prudenter judicat esse licitum? Minor est pariter certa; cum sit cognitio exprimentalis de cognitionibus directis in priori discursu elicitis, & de magnitudine motivi probabilis, quo pictor movetur, ut judicet, pingere non esse opus servile. Ita P. Babenstuber *Tract.* 1. *disp.* 4. *art.* 2. *n.* 2. & alii reipsa communissime. Sed de hoc iterum *disp.* 3.

14. Dices nunc secundo. Si ad honeste operandum prærequiritur dictamen conscientiæ certum de honestate operationis, sequitur, quod quis possit esse certus, se operando non peccare: sed sequela est falsa; ergo &c. Minor ostenditur: quia sic posset quis esse certus, quod sit in statu gratiæ: atqui nemo potest esse certus, quod sit in statu gratiæ; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. Ad hujus probationem, neg. maj. Siquidem formidare merito potest, se peccasse eliciendo alias operationes, ab hac, quam modo elicit, diversas, utpote quas forte elicuit cum conscientia practice dubia, vincibiliter erronea &c. Item si antea mortaliter peccavit, nequit esse certus de remissione peccati; eo quod nesciat, an de illo sufficienter doluerit, vel Sacramentum Pœnitentiæ debite susceperit: consequenter &c.

15. Dices tertio. Ad inhoneste operandum non requiritur dictamen certum de inhonestate operationis; ergo neque ad honeste operandum requiritur dictamen certum de honestate operationis.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia cum *bonum sit ex integra causa, & malum ex quolibet defectu*, plura requiritur ad honeste, quam inhoneste operandum.

Dixi: *transmisso antecedente*: posset enim fors negari; cum semper videatur præcedere dictamen certum obligationis ad aliter operandum, vel abstinendum sub reatu culpæ mortalis, aut venialis: prout recte advertit La Croix *n.* 65.

16. Dices quarto. Dictamen conscientiæ speculative practicum non debet esser necessario certum; ergo nec practice practicum. Ant. patet: quia alioquin non licet sequi sententiam probabiliorem de honestate operationis; imo nec probabilissimam: quod ultimum expresse damnatum est ab Alexandro VIII. proscribente hanc *propr. ord.* 3. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Cons. vero videtur tenere ob paritatem rationis.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est, quia dictamen conscientiæ speculative practicum non est proxima regula actionis humanæ, prout in individuo ponendæ, adeoque non est actus prudentiæ saltem elicitus: e diverso dictamen conscientiæ practice practicum proxime dirigit operationem humanam, prout hic, & nunc exercendam: consequenter est actus elicitus ab habitu prudentiæ, qui, ut ex dictis constat, non potest non esse certus saltem moraliter.

17. Dices quinto. Esto dictamen conscientiæ rectæ debeat esse certum, id tamen affirmari nequit de dictaminibus aliarum specierum conscientiæ; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Affirmari nequit de dictaminibus aliarum specierum conscientiæ, quæ non sunt, & quatenus non sunt regulæ sufficientes ad licite, & honeste operandum, con. quæ sunt, & quatenus sunt hujusmodi regulæ, neg. ant. Revide dicta *n.* 11. & *n.* 13. imo hoc totum patebit ex dicendis *n.* 26. & per decursum.

18. Quæres tertio, quomodo conſcientia differat cum a Syntereſi, tum a Scientia Morali?

Reſpondetur primo. A Syntereſi differt: quia Conſcientia, ut ſæpe dictum, dirigit proxime actionem humanam, prout hic, & nunc, ſeu in individuo exercendam: item admittit ignorantiam, errorem, dubium &c. ut patebit ex dicendis. E diverſo Syntereſis eſt habitus cognoſcitivus, ſeu notitia primorum principiorum practicorum, generatim dictans, quid faciendum, vel ommittendum ſit. Sicut enim intellectu noſtro, reſpectu cognoſcibilium, reperitur quidam habitus cognoſcitivus primorum principiorum ſpeculativorum, inclinans ad veritatem cognoſcendam, & diſcernendam a falſitate: cujuſmodi principia ſunt: *Omne totum eſt majus ſua parte: idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe &c.* ita in noſtro intellectu, reſpectu agibilium, ſeu actuum humanorum, datur aliquis habitus cognoſcitivus primorum principiorum moralium, ſeu practicorum, generatim inclinans ad bonum amandum, & malum fugiendum: cujuſmodi principia ſunt: *Bonum, & honeſtum eſt amplectendum; malum peccati deteſtandum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: cuique ſuum jus tribuendum &c.* quæ, & ſimilia principia practica ſunt univerſales, & per ſe notæ actionum humanarum regulæ, & *quaſi ſemina virtutum incommutabilia*; ut loquitur Sanctus Auguſtinus *liber. 2. de liber. arbitr. capit.* 10. Præterea Syntereſis nullam compatitur ignorantiam, errorem, dubium &c.

19. Reſpondetur ſecundo. A Scientia morali differt: quia hæc eſt habitus cognoſcitivus, ſeu notitia concluſionum univerſalium ex primis principiis moralibus deductarum; ſecus eſt de Conſcientia, prout relinquitur ex dictis. Sed ut hoc totum clarius ob oculos ponam, formo ſequentem diſcurſum, ſeu ſyllogiſmum: *Malum eſt fugiendum: ſed adulterium eſt malum; ergo adulterium eſt fugiendum; ergo mihi hic, & nunc cum hac conjugata non licet habere rem.* Majorem ſuppeditat Syntereſis: minorem ſubſumit ratio, ſeu lumen naturale, concluſionem primam, & univerſalem infert Scientia moralis; idque vel ex motivo naturali, & dicitur *Ethica*; vel ex motivo ſupernaturali, & vocatur *Theologia*: particularem vero, & ultimam Conſcientia, quæ eſt actus elicitus prudentiæ ex *n.* 11.

ARTICULUS III.

Conſcientiæ Diviſio.

SUMMARIUM.

20. *Conſcientia ex parte motivi eſt quintuplex, nimirum,* Recta, Erronea, Scrupuloſa, Dubia, & Probabilis. 21. *& ſeqq. Singula hæc membra explicantur.* 26. *Oſtenditur, quomodo eadem membra ſumi debeant, ut ſint, & dici poſſint ſpecies conſcientiæ.* 27. *Quare præmemoratæ Conſcientiæ deſcribantur, ut conſideratæ ſecundum ſe, formaliter, & directe?* 28. *Ex parte materiæ Conſcientia eſt triplex, nempe,* Obligans, Conſulens, & Permittens. 29. *Penes Diſpoſitionem ſubjecti vero quadruplex, videlilet,* Laxa, Phariſaica, Debilis, & Tenera.

20. DIco. Conſcientia ex parte motivi, ſeu medii, quo formatur, dividitur in quinque membra, videlicet, in *Rectam, Erroneam, Scrupuloſam, Dubiam,* & *Probabilem.*

Probatur, & explicatur concluſio. Nam conſcientia eſt quædam cognitio, ſive judicium practicum; ergo tot erunt membra dividentia, ſeu ſpecies conſcientiæ, quot poſſunt aſſignari motiva, ſpecie diverſa, practice aſſentiendi: & hinc quia aliud motivum ſic aſſentiendi eſt rectum; aliud erroneum; aliud leve, aut nullius momenti; aliud dubium; & aliud probabile, ſeu opinativum, dividitur conſcientia in *Rectam, Erroneam, Scrupuloſam, Dubiam,* & *Probabilem.*

21. Ceterum conſcientia recta eſt, quæ dictat eſſe licitum, quod a parte rei eſt licitum; & illicitum, quod a parte rei eſt illicitum. Vocatur hæc conſcientia ab aliis *vera*; quia involvit conformitatem cum objecto ſecundum ſe; vel *certa*; eo quod operantem nunquam fallat: ſed ſemper certitudinem derivet in actum a ſe regulatum. Ut autem dictamen iſtius conſcientiæ ſit certum, duo requiruntur. Primum eſt, ut principia, ex quibus concludit, ſint certa. Principia vero talia, ex quibus memoratum dictamen procedere debet, ſunt 1. dictamina legis naturalis. 2. Leges Divinæ, quæ per Sac. Script. aut infallibilem traditionem intellectui proponuntur. 3. Leges humanæ tam Eccleſiaſticæ, quam Civiles, quæ & ipſæ ex conformitate cum legibus Divinis infallibilem certitudinem habent. Secundum eſt, ut illa principia certa rite applicentur; hoc enim ſi non fiat, enaſcitur conſcientia erronea e. g. *Lex dictat, Superiori eſſe obediendum: ſed meus Superior hic, & nunc præcipit mentiri; ergo debeo mentiri.* Conſcientia ſic formata non eſt conſcientia recta, ſed erronea; quoniam ratio humana falſo applicat iſtud principium: *Superiori eſt obediendum:* ſubintelligere enim deberet: *in licitis*, vel, *legitime præcipienti.*

22. Conſcientia erronea eſt dictamen intellectus, ex principiis falſis, vel falſo applicatis (creditis tamen pro veris) deductum, quo nimirum abſque probabili fundamento repræſentatur, & falſo judicatur aliquid agendum tanquam bonum, aut licitum, vel omittendum tanquam malum, & illicitum, quod revera tale non eſt. Dixi: *abſque probabili fundamento*, ut conſcientiam erroneam magis ſecernerem a conſcientia probabili, utpote quæ & ipſa quandoque dictat, ſed ex principiis probabilibus, eſſe licitum, quod a parte rei licitum non eſt. Hinc conſcientia erronea eſt concluſio ſyllogiſmi falſi, ſeu Sophiſtici; probabilis vero concluſio ſyllogiſmi Topici, prout notat Maſtrius *diſp.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *n.* 10.

23. Conſcientia ſcrupuloſa (ſic nuncupata a ſcrupulis, id eſt minuſculis lapillis; ſicut enim hi, calceo incluſi, ambulantem non tam vulnerant, quam divexant; ita illa nonnunquam animum levibus, aut nullis de cauſis miſere diſcruciat) eſt inanis, ſeu ex nulla, vel levi dumtaxat ratione orta apprehenſio de malitia operis, conjunctum habens metum de eadem, & anxietatem in voluntate. Dicitur autem apprehenſio ex duplici cauſa. Una eſt, ut denotetur, conſcientiam ſcrupuloſam non eſſe in recto ipſam anxietatem animi, eſto cum hac conjuncta ſit. Altera eſt, ut inſinuetur, ſcrupulum pertinere ad primam mentis operationem, non vero ad ſecundam; prout nonnulli putant, volentes, illum vel eſſe judicium erroneum, nulla, aut levi ratione nixum, vel dubium, fors inde decepti, quod tam ex judicio erroneo, quam ex dubio idem quandoque oriatur effectus in voluntate, nimirum anxietas, & formido peccati; prout experientia conſtat. Sed in rigore nec unum, nec alterutrum bene dicitur: ſiquidem ſcrupulus de inhoneſtate operationis componitur in intellectu, & ſtat ſimul cum judicio de honeſtate operationis; non item judicium erroneum, aut dubitatio ſaltem proprie dicta, ſeu practice practica; prout patebit ex dicendis per decurſum. Conſonant modo dictis verba Sporeri hic *numer.* 102. ubi ait, quod ſcrupulus, ſeu conſcientia ſcrupuloſa proprie dicenda ſit, quando intellectus neque determinate judicat, aliquid eſſe peccatum, neque de hoc practice dubitat; ſed potius habito inſuper judicio, non eſſe peccatum, ſola apprehenſione mali, ex levi, & futili motivo titubat, fluctuat, anxie formidat, eſſe peccatum &c. Et hoc modo ſcrupulus communiter intelligitur, ac intelligi debet. Unde recte notat Laymannus a Sporero relatus, quod *judicium hominis vere ſcrupuloſi ſit, ſi contra ſapientium, imo & proprium judicium, tale quid agere peccatum non eſſe, nihilominus inquietus ſit,* ſola videlicet apprehenſione mali timens, & formidans, ne forte peccet.

24. Conſcientia dubia eſt, quæ formaliter nihil concludit, ſed ita fluctuat, ut in neutram contradictionis partem (puta, an operatio ſit licita, necne?) ſe determinet.

25. Conſcientia probabilis, ſeu opinativa eſt, quæ concludit ex principiis, quorum, ſaltem unum, eſt probabile tantum; adeoque non excludit formidinem de oppoſito. Differt a conſcientia dubia. 1. quod

dubitans

dubitans neutri parti contradictionis positive assentiatur; opinans vero alterutri parti assensum positivum præbeat, ob rationes probabiles, quæ intellectum inclinant, licet non ita fortiter, quin retineat formidinem partis oppositæ, 2. quod dubitans necessario formidinem æqualem habeat de utraque parte contradictionis; non item opinans: prout patebit ex dicendis *disp.* 2. *&* 3.

26. Colliges, quod conscientia, erronea, probabilis, dubia, & scrupulosa, ut possint audire species conscientiæ ut sic, *n.* 8. descriptæ, sumi non debeant secundum, se formaliter, & directe, prout impræsentiarum descriptæ sunt. Ratio est: quia conscientia, *cit. n.* descripta, debet esse dictamen, seu judicium certum &c. atqui nulla ex recensitis conscientiis est hujusmodi judicium; nam conscientia erronea, prefato modo accepta, est judicium erroneum, probabile vero, incertum; dubia, suspensio judicii, & scrupulosa, mera apprehensio; ergo &c. Sumi igitur præmemoratæ conscientiæ debent præsuppositive, originative, & reflexe, quatenus sunt judicia, ex conscientiis, erronea, probabili, dubia, & scrupulosa, directe consideratis, efformata; sic enim, & non aliter sunt dictamina, & judicia certa. Id quod de conscientia probabili relinquitur ex dictis *n.* 13. & iterum patebit ex dicendis *n.* 125. De conscientia invincibiliter erronea constabit ex dicendis *n.* 40. De conscientia vincibiliter erronea, dubia, & scrupulosa eruitur inde, quod errans, dubitans, & scrupulizans sumant ex iis, directe pensatis, ansam, errorem, dubium, & scrupulum deponendi, &c. formandique dictamen, seu judicium conscientiæ rectæ, & certæ; prout insinuat P. Mezger *tract.* 5. *disp.* 10. *art.* 2. *n.* 7. *&* 8. vel quod habeant, simul judicium, dictans, quid stante tali errore, dubio, aut scrupulo agendum sit, quid non: nemo enim (inquit P. Stoz *lib.* 1. *part.* 5. *n.* 6.) laborat ejusmodi errore, dubio, vel scrupulo circa objectum aliquod, qui non experiatur judicium quoddam practicum, dictans, utrum, stante errore, dubio, aut scrupulo, operandum sit, vel non.

27. Si petas, quare ergo antefatæ conscientiæ supra describantur, ut consideratæ secundum se directe &c.?

Respondetur, id fieri ex duplici causa. Una est: quia sic magis innotescunt modi ad formandum dictamen conscientiæ prærequisiti. Altera est, quod per decursum de illis ita consideratis præcipue sermocinaturi simus.

28. Dixi in conclus. *ex parte motivi*. Nam ex parte materiæ Conscientia triplex est, nimirum *Obligans*, *Consulens*, & *Permittens*. Prima est, quæ dictat, aliquid esse agendum tanquam præceptum, vel omittendum tanquam prohibitum. Secunda est, quæ præcise dictat, aliquid esse agendum, vel omittendum ad melius esse, seu tanquam magis conforme honestatis. Tertia est, quæ solum dictat, aliquid hic, & nunc esse licitum, seu non illicitum.

29. Porro si Conscientia attendatur *penes dispositionem subjecti*, alia est, *Laxa*, alia *Pharisaica*, alia *Debilis*, & alia *Tenera*. Laxa dicitur, quæ majora duntaxat mortalia curat: & hæc laxitas subinde oritur ex ignorantia, subinde ex inveterata impietate, cum quis in gravibus etiam delictis veluti ludit. Pharisaica nuncupatur, quæ peccata magna parvifacit, parva magni. Debilis invenitur in iis, qui vel ætatis, vel pusillanimitatis vitio facere verentur, quæ omnium, & quodammodo proprio ipsorum judicio licita sunt: siquidem reperire est nonnullos homines, qui ne agnellum quidem, aut gallinam ausint occidere; aut qui gravissima reputent, quæ sunt levicula. Tenera datur in illis, qui ex singulari perfectionis motivo, Deoque placendi studio, magni faciunt minima.

Denique in quo sensu Conscientia alia sit, & dicatur *Bona*, *alia Mala*, relinquitur ex dictis *n.* 3.

Accingimur nunc ad agendum sigillatim de quinque membris dividentibus Conscientiæ in conclusionem specificatis; nam de reliquis nihil occurrit, quod ex professo pertractari debeat. Et quidem de duobus in ista adhuc disputatione, de tribus vero posterioribus in duabus disputationibus *seqq.* differemus.

CAPUT II.

De Conscientia Recta.

ARTICULUS I.

Unde Rectitudo Conscientiæ desumatur?

SUMMARIUM.

30. *Rectitudo conscientiæ alia est* speculativa, *& alia* practica. 31. *Prior desumitur ex habitudine conformitatis ad objectum secundum se consideratum.* 32. *Posterior vero ex habitudine conformitatis ad objectum operabile, quatenus repræsentatum ab intellectu, ut conforme rectæ rationi, vel legi.* 33. *Fit, & dissolvitur objectio.* 34. *Declaratur, quare, & quomodo conscientia sit, & dicatur speculative simul, & practice vera, seu recta, ac vicissim speculative simul, & practice falsa, seu erronea: item practice tantum vera, speculative falsa; & econtra practice falsa, speculative vera.*

30. PRænotandum, rectitudinem conscientiæ esse duplicem, videlicet *speculativam*, seu *physicam*; & *practicam*, seu *ethicam*, vel potius *theologicam*. Priore modo conscientia recta dicitur, quando enunciat objectum, sicut a parte rei est. Posteriore modo recta censetur, quando enunciat objectum, ut est repræsentatum ab intellectu tanquam conforme rectæ rationi, & legi, sive dein a parte rei ita se habeat, sive non. Utraque hæc rectitudo reperitur in conscientia recta, prout hanc supra descripsimus: unde appellari solet conscientia *simpliciter recta*, ad distinctionem a conscientia invincibiliter erronea, quæ & ipsa potest dici *recta*, sed *secundum quid*, & practice tantum. Hoc prænotato quæritur, unde utraque rectitudo conscientiæ desumatur?

31. Dico primo. Rectitudo conscientiæ speculativa, & physica desumitur ex habitudine conformitatis ad objectum secundum se consideratum. Communis.

Probatur. Objectum secundum se consideratum est causa, atque mensura veritatis, & rectitudinis speculativæ, seu physicæ in conscientia repertæ; ergo veritas, & rectitudo speculativa, seu physica conscientiæ bene dicitur desumi ex habitudine conformitatis ad objectum secundum se consideratum, & prout se habet a parte rei. Cons. patet Ant. ostenditur ex Aristotele, qui *lib.* 1. *Periherm. c.* 8. ita pronunciat: *Ex eo, quod res est, vel non est, propositio redditur vera vel falsa*; ergo juxta Philosophum res, seu objectum secundum se consideratum causa, & mensura veritatis, ac rectitudinis speculativæ, seu physicæ in propositione repertæ. Atqui conscientia recta est propositio, sive judicium, videlicet illativum, aut (si malis dicere) illatum; ergo &c.

32. Dico secundo. Rectitudo conscientiæ practica, seu theologica desumitur ex habitudine conformitatis ad objectum operabile, quatenus repræsentatum ab intellectu, ut conforme rectæ rationi, & legi. Ita Nostrates passim, quibuscum facit Mezger *tract.* 5. *disp.* 11. *art.* 1. §. 3. *n.* 9. & alii.

Probatur. Omnis actus vitalis sumit speciem ex habitudine ad suum objectum; ut supponitur ex Animathica: sed conscientia recta, etiam quatenus practice talis, est actus vitalis; ergo speciem (practicæ nimirum rectitudinis) sumit ex habitudine ad suum objectum. Atqui non ex alia habitudine conformitatis, quam ad objectum operabile, quatenus repræsentatum ab intellectu, ut conforme rectæ rationi, & legi; ergo &c. subsumptum ostenditur. Tum quia hic versamur in linea operandi moraliter: tum quia conscientia recta secundum quid, qualis est invincibiliter erronea, speciem suæ rectitudinis sumit non ob objecto operabili secundum se spectato, ut patet; sed ex habitudine conformitatis ad illud, quatenus repræsentatum ab intellectu, ut conforme rectæ rationi, & legi: consequenter etiam conscientia simpliciter recta; cum in hoc passu eadem sit circa utranque ratio.

33. Objicies cum ex authoritate, cum ex ratione.

Ex authoritate quidem; nam Ariſtoteles 6. *Ethic. cap.* 2. inquit: *Activæ mentis veritas eſt conſentanea appetitui recto.* Ex ratione vero: quia conſcientia practice recta eſt actus elicitus prudentiæ; & conſequenter exigit veritatem, & certitudinem immobilem, qualem ab objectio trahere nequit, utpote quod exiſtit ſingulare, & mutabile ob varietatem circumſtantiarum. Ergo ſupereſt, ut dicatur, quod rectitudo conſcientiæ practica deſumatur ex habitudine conformitatis ad appetitum rectum &c.

Reſpondetur, neg. conſ. Ad textum Ariſtotelis ajo, quod activæ mentis veritas eatenus conſentanea ſit appetitui recto, quatenus hic fertur in bonum cujuſvis potentiæ; conſcientia autem, ſaltem practice recta, eſt bonum mentis activæ, ſeu intellectus practici. Ad rationem dico, quod objectum ſingulare ſpecificans conſcientiam habeat practicam, ac immobilem certitudinem, haud quidem, quatenus ſingulare eſt præciſe, ſed quatenus contentum in univerſali: omne enim hujuſmodi objectum, in eadem ſpecie, & in ſimilibus plane circumſtantiis conſtitutum, bonum eſt, & conſcientiæ rectæ ſpecificativum; alioquin haud poſſemus pro omnibus hominibus regulas bonæ conſcientiæ proponere. His bene perpenſis, liquet, argumentum nec ex authoritate, nec ex ratione aliquid evincere.

34. Colliges nunc, quare conſcientia interdum dicatur tam ſpeculative, quam practice vera, ſeu recta; & viciſſim tam ſpeculative, quam practice falſa, ſeu erronea: item practice vera, ſpeculative falſa; & econtra practice falſa, ſpeculative vera. Speculative, & practice vera eſt, quando objectum tam a parte rei, quam in intellectu operantis ita ſe habet, ſicut ipſa enunciat: ut dumquis judicat, eſſe honeſtum, & obligatorium die feſtivo audire Miſſam. Utraque hac veritate gaudet conſcientia ſimpliciter recta, de qua in præſenti cap. Speculative, & practice falſa eſt, quando objectum neque a parte rei, neque in intellectu operationis ita ſe habet, ſicut ipſa enunciat: veluti contingit, ſi quis errore vincibili ductus exiſtimat, mendacium in caſu neceſſitatis eſſe licitum. Practice vera, & ſpeculative falſa eſt, quando, omnibus rite penſatis, dictat, actum eſſe conformem rectæ rationi, ac legi, & interim tam actus, quam objectum a parte rei aliter ſe habent, quam ipſa enunciat: talis fuit conſcientia Jacobi accedentis ad Liam: dictavit namque Jacobo, eſſe licitum hic, & nunc accedere ad hanc feminam: at objectum non ita ſe habuit, ſicut enunciavit, cum Lia non fuerit vera uxor. Atque hæc veritas, eaque ſola, repetitur in conſcientia invincibiliter erronea, de qua in *cap. ſeq.* Speculative vera, & practice falſa eſt, quando objectum ita ſe habet a parte rei, ſed non in intellectu operantis, ſicut ipſa enunciat. Exemplum eſt in juvene ver. gr. ſi hominem, qui revera non eſt ipſius parens, prorſus temere judicet, non eſſe ſuum parentem, & idcirco eum honorare detrectet, taliter formando ſibi conſcientiam: *Non teneor honorare illum ut parentem, qui revera non eſt meus parens; atqui iſte homo revera non eſt meus parens; ergo non teneor eum honorare.* Hæc conſcientia eſt ſpeculative vera, cum omnes tres propoſitiones ſecundum ſe ſint conformes objecto; practice tamen eſt erronea, & falſa, eo quod ſit difformis objecto, quatenus per intellectum repreſentato; ſiquidem nemo poteſt ſubtrahere honorem illi, quem prudenter judicare debet eſſe ſuum parentem, licet forſan reipſa non ſit: ſed ejuſmodi juvenis prudenter judicare debet, hunc hominem eſſe ſuum parentem, cum ponatur oppoſitum prorſus temere judicare; ergo non poteſt eidem ſubtrahere honorem parenti debitum; ergo ſi ſubtrahat, non agit conformiter objecto, quatenus per intellectum repræſentato, practice errat, & peccat. Sporer hic *n.* 13. cum communi aliorum.

ARTICULUS II.

An, & quam ſtricta ſit obligatio ſequendi Conſcientiam Rectam?

SUMMARIUM.

35. *Conſcientia recta obligat poſitive, & ad ſui ſequelam, ſi aliquid dictet faciendum tanquam præceptum, vel omittendum tanquam prohibitum.* 36. *Hæc obligatio tam ſtricta eſt, ut nec Deus in illa diſpenſare poſſit.* 37. *Præcedens aſſertum utrumque non ſolum procedit de conſcientia ſimpliciter recta, ſed etiam de recta ſecundam quid.*

35. DIco primo. Si Conſcientia recta aliquid dictet faciendum tanquam præceptum, vel omittendum tanquam prohibitum, tenemur eam ſequi. Communis.

Probatur. Quia ſecundum omnes voluntas noſtra tenetur ſequi regulam proximam ſuæ actionis, aliquid præcipientem, vel prohibentem, ita, ut ſecus faciendo peccet graviter, vel leviter, juxta proportionem materiæ, vel præcepti obligantis: atqui conſcientia, præſertim ſimpliciter recta, eſt regula proxima actionis a noſtra voluntate procedentis; ergo &c.

Dixi: *Si aliquid dictet faciendum tanquam præceptum &c.* Nam ſi aliquid ſolum ſuadeat, aut diſſuadeat, utique non obligat ad ſui ſequelam.

Dico ſecundo. Obligatio conſcientiæ rectæ nec a Deo diſpenſabilis eſt. Maſtrius *diſp.* 1. *n.* 15.

36. Probatur. Deus in re intrinſece mala diſpenſare non poteſt: ſed agere contra conſcientiam rectam, aliquid præcipientem, aut prohibentem, eſt intrinſece malum; ergo in hoc Deus diſpenſare non poteſt. Maj. eſt certa. Min. probatur. Quia velle objectum ſub ratione mali, eſt intrinſece malum: ſed agere contra conſcientiam rectam, aliquid præcipientem, vel prohibentem, eſt velle objectum cognitum ſub ratione mali; ergo agere contra conſcientiam rectam, aliquid præcipientem, vel prohibentem, eſt intrinſece malum.

Confirmatur. Implicat, ut Deus hominem ſimul obliget, & obliget reſpectu ejuſdem operationis: ſed hoc fieret, ſi in noſtro caſu poſſibilis diſpenſatio foret; ergo &c. Min. prob. Nam inprimis obligaret, eo ipſo, quod ſtaret actuale dictamen conſcientiæ rectæ, aliquid præcipientis, vel prohibentis: quandiu enim hujuſmodi dictamen durat, tandiu Deus obligat; cum conſcientia recta, in eo dictamine ſita, ſit intimatio Legis Divinæ hic, & nunc obligantis. Deobligaret autem per diſpenſationem: quia virtute hujus relaxaret legem, & hominem ab ejus obligatione, ac rigore eximeret. Ergo &c.

37. Colliges, quæ in utraque concluſione aſſerta ſunt, non ſolum procedere de conſcientia ſimpliciter recta, ſed etiam de recta ſecundum quid, qualis eſt invincibiliter erronea: prout probationes penſanti perſpicuum fiet, ac inſuper patebit ex dicendis in *cap. ſeq.*

CAPUT III.

De Conſcientia Erronea.

ARTICULUS I.

An, & qualiter Conſcientia Erronea obliget?

SUMMARIUM.

38. *Conſcientia erronea eſt duplex, nimirum* vincibilis, & invincibilis. 39. *Utraque obligat negative, quando dictat aliquid ex præcepto faciendum, vel omittendum.* 40. *Invincibiliter erronea etiam obligat poſitive, & ad ſui ſequelam; non item erronea vincibiliter.* 41. *& ſeqq. Solvuntur objectiones.* 46. *Adſtruuntur differentiæ inter conſcientiam invincibiliter, & vincibiliter erroneam.*

38. PRænotandum, conſcientiam erroneam aliam eſſe *vincibilem*, aliam *invincibilem*. Vincibilis eſt, quando ignorantia, vel error, ex quo naſcitur, mo-

tur, morali diligentia, ad inquirendam veritatem adhibita, superari, ac tolli potest: invincibilis est, quando error præfato modo superari, ac tolli non potest. Posterior dicitur inculpabilis; eo quod error, ex quo descendit, nec in se, nec in suo effectu ad culpam imputetur: anterior vero e diverso culpabilis; eo quod & error, & effectus inde secutus culpam involvat. Hoc tamen solummodo verum est, quando error versatur circa rem cognitu necessariam, & quam operans scire tenetur; si enim versetur circa rem scitu liberam, & quam operans scire quidem potest, at non tenetur, conscientia dicitur mere vincibilis, non vero culpabilis. Ex quo liquet, non omnem conscientiam erroneam vincibilem esse simul culpabilem, quamvis ab Authoribus; de conscientia vincibili impræsentiarum sermonem instituentibus, intelligatur ea, quæ simul culpabilis est: quibuscum & nos faciemus. Hoc prænotato.

39. Dico primo. Conscientia erronea, sive vincibilis, sive invincibilis, quando dictat aliquid ex præcepto faciendum, vel omittendum, obligat negative, id est, ne operemur contra eam, quamdiu talis manet. Communis DD.

Probatur primo ex S. Script. in qua Apostolus Rom. 14. ait: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Quæ verba communiter exponunt SS. Patres hoc sensu (per Jus Canonicum mox citandum approbato) videlicet: quidquid fit contra, vel reclamante conscientia (quæ ab allegato Apostolo *fides* appellatur) male fit. Unde Innoc. III. *c. 13. de restit. spoliat.* inquit: *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*. Ergo agere contra conscientiam, sive vincibiliter, sive invincibiliter erroneam, est peccatum; quia adducti textus id absolute, & sine distinctione affirmant.

Probatur secundo ratione. Quia nunquam licet agere id, quod actu proponitur esse malum: sed conscientia erronea, etiam vincibilis, dictans, licet falso, aliquid esse agendum ut bonum debitum, v. g. *esse pejerandum pro salvanda vita proximi*, hoc ipso quoque dictat, ejus oppositum, videlicet *non pejerare*, esse malum contra virtutem Charitatis, & Misericordiæ, ergo conscientia erronea, etiam vincibilis, quamdiu durat, & dictat, obligat negative, seu ne contra eam operemur.

Confirmatur. Quamdiu stat judicium, licet etiam culpabiliter erroneum, dictans aliquid hic, & nunc esse malum, non potest id voluntas eligere ut honestum, & bonum, cum ut tale ab intellectu, a cujus directione voluntas, seu potentia omnino cæca, necessario dependet, non proponatur; ergo eo ipso, quod illud eligat, consentit in malitiam propositam, & apprehensam.

40. Dico secundo. Conscientia erronea invincibilis obligat (1.) etiam positive, seu ad sui sequelam, ita, ut juxta eam operari teneamur; secus (2.) conscientia erronea vincibilis. Est itidem communis DD.

Probatur prima pars. Voluntas tenetur sequi dictamen practice verum, dictans, aliquod opus esse præceptum, vel prohibitum: sed dictamen conscientiæ erroneæ invincibilis est practice verum; ergo si dictet, aliquod opus esse præceptum vel prohibitum, voluntas tenetur illud sequi. Maj. est certa. Min. probatur. Nam dictamen conscientiæ erroneæ invincibilis est actus elicitus prudentiæ; error quippe speculativus, si sit inculpabilis, non pugnat cum virtute prudentiæ: atqui omnis actus elicitus prudentiæ est practice verus; ergo dictamen conscientiæ erroneæ invincibilis est practice verum, licet sit formatum ex occasione principii speculative falsi. Min. hujus syllogismi inde ostenditur, quod prudentia sit virtus intellectus practici, prout relinquitur ex dictis *n.* 11. ergo omnis actus debet esse practice verus; sicut omnis actus virtutis moralis debet esse moraliter bonus.

Ut autem hæc probatio rite intelligatur, advertendum venit, operantem ex conscientia erronea invincibili duplex sibi formare dictamen, seu judicium, unum *directum*, & alterum *reflexum*. Primum format v. g. hoc modo: *Quando perjurio impediri potest homicidium innocentis, licitum, imo obligatorium est, pejerare: atqui ego hic, & nunc perjurio impedire possum homicidium innocentis; ergo mihi hic, & nunc licitum est, imo obligatorium, pejerare*. Hoc judicium falsum est, & erroneum: at inculpabiliter pejerans non operatur ex illo proxime, & immediate. Alterum ita instruit: *Quando invincibiliter judico, esse licitum, imo obligatorium, pejerare, non pecco, si pejerem, imo pejerare teneor: atqui ego hic, & nunc pejerans ad impediendum homicidium innocentis, invincibiliter judico, pejerare esse licitum, & obligatorium; ergo hic, & nunc pejerando ad impediendum homicidium innocentis non pecco, sed pejerare teneor*. Atque istud posterius judicium est practice verum, & certum, ac operationis, quam pejerans ponit, proxime, & immediate regulativum: ad quod prudenter efformandum occasionem præbet judicium præcedens, seu directum; quod proinde tametsi sit speculative, & physice erroneum, practice tamen, & ethice, seu theologice potest dici rectum, non quidem formaliter, & proxime, sed fundamentaliter, & remote.

Hoc ipsum tamen ut melius penetretur, observandum est, quod dictamen conscientiæ directum, quando dictat, objectum malum esse licitum, ideo sit speculative, & physice erroneum; quia dicit, objectum materialiter non esse malum; v. gr. non esse materialiter injustum, si Judex condemnet hominem, secundum allegata, & probata reum, a parte rei tamen innocentem. E diverso dictamen conscientiæ reflexum, quod Judicem proxime dirigit, non dicit, condemnationem ejusmodi hominis non esse materialiter injustam, sed non esse injustam formaliter, eo quod invincibiliter ignoretur illius innocentia, & juridice sit probatus nocens. Quod cum verum sit, hoc posterius dictamen practice, & theologice rectum est. Atque exinde patet, quod, & quomodo memorata duo dictamina non versentur circa idem objectum. Ita sagaciter, & præclare P. La Croix *n.* 21.

Confirmatur nunc eadem pars conclusionis in hunc modum. Si Cajus ver. grat. non sequatur hoc dictamen conscientiæ invincibiliter erroneæ: *Ego teneor pejerare ad liberandum a morte Titium hominem innocentem*, procedit absque prudenti dictamine; quia nec habet, nec habere potest simul dictamen oppositum, seu contradictorium: *non teneor pejerare*: sed qui procedit absque prudenti dictamine, imprudenter agit, & si fiat in materia morum, in qua hic versamur, peccat; ergo &c.

Ubi tamen advertendum est, resolutionem nostram supponere, quod cum conscientia erronea invincibili conservetur libertas, ita, ut actio, aut omissio actionis, ex illa procedens, sit libera. Unde siquis v. gr. in carcere, in quo nullum celebratur sacrum, detentus invincibiliter existimaret, se adstringi ad audiendum die festivo sacrum, non peccaret illud omittendo, eo quod destitueretur libertate audiendi, sine qua sicut omissio non esset voluntaria; ita nec imputari ad culpam posset.

Probatur etiam secunda pars conclusionis. Implicat dari obligationem ad actum formaliter malum: sed actus procedens ex conscientia erronea vincibili, & culpabili est formaliter malus; ergo implicat dari obligationem ad illum; consequenter &c. Major est certa. Min. ostenditur inde, quod ejusmodi actus sit saltem directe, & in sua causa, in errore scilicet vincibili, & culpabili, voluntarius, hunc enim, cum errans posset, ac (ut supponitur) deberet deponere, & non deponat, convincitur indirecte velle ipsam malitiam ejusmodi actui connexam.

Confirmatur. Dictamen conscientiæ erroneæ vincibilis, & culpabilis, est actus imprudentiæ; sicut e diverso dictamen conscientiæ erroneæ invincibilis, & inculpabilis est actus prudentiæ; ergo non est practice verum; & consequenter positive, atque ad sui sequelam obligare neminem potest.

41. Objicies primo contra primam partem. Nemo potest obligari ad malum: sed quod conscientia erronea, etiam invincibilis, dictat, est malum; ver. grat. *pejerare ad salvandam vitam proximi innocentis*; ergo &c.

Respondetur, distin. major. Ad malum formaliter tale, & quando voluntati proponitur sub ratione mali, conc. ad malum tantum materialiter tale, quando formaliter, & practice voluntati proponitur sub

ratione boni, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf.

42. Objicies secundo, Omnis actuum humanorum regula, positive, & ad sui sequelam obligans, derivatur suo modo a Lege Dei eterna; sed conscientia erronea, etiam invincibilis, nullo modo inde derivari potest; ergo non potest esse actuum humanorum regula, positive, & ad sui sequelam obligans. Min. ostenditur: quia implicat, judicium a parte rei erroneum derivari a lege per essentiam vera.

Respondetur, dist. min. Nullo modo inde derivatur reipsa, con. apparenter, neg. min. Ergo non potest esse actuum humanorum regula, per se, con. per accidens, & ex suppositione repræsentationis invincibiliter erroneæ, neg. conf. Unde ad rationem minoris ostensivam ajo, nullum quidem judicium a parte rei erroneum derivari reipsa posse a lege per essentiam vera, posse tamen hic, & nunc apparere operanti, & repræsentari ab intellectu ut inde derivatum; adeoque ut verum &c.

43. Objicies tertio, Præceptum Judicis inferioris non obligat positive, & ad sui sequelam, quando est difforme, & contrarium præcepto Judicis superioris; sed dictamen conscientiæ est præceptum Judicis inferioris, & si sit erroneum, etiam invincibiliter, præcepto Judicis superioris, nempe Dei, difforme, ac contrarium, ergo &c.

Respondetur primo, fere sicut prius, dist. maj. Præceptum Judicis inferioris non obligat &c. quando est contrarium præcepto Judicis superioris cognito, con. invincibiliter ignorato, neg. maj. Sed dictamen conscientiæ invincibiliter erroneæ est præceptum Judicis inferioris, & contrarium præcepto Judicis superioris cognito, neg. min. quoad secundam partem, invincibiliter ignorato, con. min. & neg. conf.

Respondetur secundo, neg. min. simpliciter quoad secundum membrum. Nam Lex æterna Dei, licet per se, & absolute spectata, & sine errore repræsentata, prohibeat, quidquid est intrinsece malum, per accidens tamen, & ex suppositione repræsentationis invincibiliter erroneæ non solum non prohibet, sed etiam præcipit id, quod est intrinsece malum, quando ab operante invincibiliter, & prudenter creditur esse bonum, & obligatorium; prout evenit in casu supra posita de perjurio. Unde dictamen conscientiæ, dictans, tunc licite, imo & obligatorie pejerandum esse, Legi æternæ Dei conforme est, non difforme, aut contrarium.

44. Objicies quarto contra secundam partem conclusionis, Si conscientia vincibiliter erronea non obliget positive, & ad sui sequelam, homo ea laborans erit perplexus, siva obligatus ad duo contradictoria: sed consequens est absurdum; ergo &c. Sequela majoris prob. Nam si in casu supra proposito pejeret, peccat violando præceptum non pejerandi; si vero non pejeret, itidem peccat agendo contra conscientiam; ergo erit obligatus ad duo contradictoria, ita, ut, quidquid ex illis elegerit, necessario peccet.

Respondetur, dist. seq. majoris, Erit perplexus &c. secundum quid, & ex suppositione ab ipsomet libere posita, culpabili videlicet ignorantia præcepti, quam potest, & tenetur deponere, con. simpliciter, & absolute, neg. seq. majoris, & distinctione applicata minori, conf. Ad probat. ajo, talem necessario peccare non necessitate antecedente, sed consequente, ipsique voluntaria, quæ libertatem non tollit. Hoc autem necessitatis genere aliquem necessitari ad peccandum posse, nihil novi, aut absurdi continet; prout ostenditur in exemplo: nam si Petrus v. gr. ex defectu examinis mortaliter culpabili obliviscatur in confessione peccati gravis, atque hunc suum defectum supplere, & corrigere nolit, utique mortaliter peccabit (idque necessario, necessitate scilicet consequente) sive accedat, sive non accedat ad S. Communionem tempore Paschali peragendam.

45. Objicies quinto. Qui obligatur ad non omittendum perjurium, obligatur ad pejerandum; sed is, cui conscientia, etiam vincibiliter erronea, dictat, esse pejerandum, obligatur ad non omittendum perjurium; ergo obligatur ad pejerandum: ergo conscientia, etiam vincibiliter erronea, obligat positive, & ad sui sequellam. Maj. videtur clara, & certa. Min. prob. Quia obligatur ad non agendum contra illam conscientiam; ergo obligatur ad non omittendum perjurium.

Respondetur, omissa majore, dist. min. Obligatur ad non omittendum perjurium, nisi sit obligatus ad deponendam conscientiam, quæ dictat, non esse omittendum perjurium, con. si sit obligatus ad deponendam ejusmodi conscientiam, neg. min. Ergo obligatur ad pejerandum, si non sit obligatus ad deponendam illam conscientiam, con. si sit obligatus, neg. conf. Ad prob. dist. ant. Obligatur ad non agendum contra conscientiam, & simul ad eam deponendam, con. secus, neg. ant. Ergo obligatur ad non omittendum perjurium, si non sit obligatus ad deponendam præfatam conscientiam, con. si sit obligatus, sicut revera est, neg. conf.

46. Colliges, quænam sint differentiæ inter conscientiam invincibiliter, & vincibiliter erroneam. Nam 1. conscientiæ invincibiliter errantis judicium speculativum quidem discordat a Lege Divina, non autem praticum; at conscientiæ vincibiliter errantis judicium tam speculativum, quam practicum a Lege Divina discordat. 2. Dictamen conscientiæ invincibiliter erroneæ est prudens, & practice verum; ideoque in virtute præcepti Divini, ad talem materiam prævio judicio speculativo sinistre applicati, per accidens obligat positive, & ad sui sequelam; dictamen vero conscientiæ vincibiliter erroneæ est imprudens, & pratice falsum; nec proinde, etiam per accidens, in virtute præcepti Divini positive, & ad sui sequelam obligare potest. 3. Respectu conscientiæ invincibiliter erroneæ non datur medium inter hæc duo: *operari juxta, & operari contra conscientiam*: adeoque eo ipso, quod quis obligetur non operari contra eam, tenetur operari juxta eam: at respectu conscientiæ vincibiliter erroneæ inter illa duo datur medium, videlicet obligatio deponendi conscientiam: quod si quis facere negligat, peccat, sive operetur contra, sive juxta eam.

ARTICULUS II.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

47. *Quale, & quantum sit peccatum agere contra conscientiam erroneam?* 48. *An agens contra conscientiam committat unum duntaxat peccatum, vel duo?* 49. *An plus obliget conscientia erronea, vel præceptum Superioris contrarium?* 50. *An actus, quo voluntas se conformat conscientiæ invincibiliter erranti, sit positive bonus?* 51. *An sit gravius peccatum agere contra, quam juxta conscientiam vincibiliter erroneam?* 52. *Quomodo conscientia erronea sit deponenda?* 53. *Qui se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem conscientia erronea laborantem.*

47. QUæres primo, quale, & quantum sit peccatum agere contra conscientiam erroneam?

Respondetur primo. Agens contra conscientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter erroneam, committit peccatum illius speciei, intra quam peccari ejusmodi conscientia dictat. Ita Sayrus in *clavi reg. lib. 1. c. 4. n. 19.* Thomas Sanchez *lib. 1. Decal. c. 11. n. 5.* & alii communiter. Ratio est: quia, ut ex dictis *artic. præd.* relinquitur, voluntas fertur in objectum, prout hoc ab intellectu proponitur; ergo vult, quantum in se est, tale comittere peccatum, quale, seu cujus speciei esse conscientia dictat; & consequenter etiam tale committit. Hic qui accedit ad suam uxorem, credens esse alienam, committit peccatum adulterii; qui omittit sacrum die non festivo, putans, sed ad illud audiendum obligari, delinquit contra virtutem Religionis: qui non pejerat ad liberandum a vitæ periculo proximum, arbitrans, se ad id obligari, peccat contra virtutem Misericordiæ.

Respondetur secundo. Agens contra conscientiam erroneam, peccat mortaliter, si illa dictat aliquid esse agendum, vel omittendum sub mortali, sive dein illud, quod agendum, vel omittendum dictat, sit in se bonum, sive indifferens, sive venialiter malum. Ita com communi San-Gallenses *tract. 3. sect. 4. quæst. 3. conclus. 2.*

conclus. 2. Ratio iterum est: quia voluntas fertur in objectum non absolute, & secundum se spectatum, sed prout ab intellectu repræsentatum; ergo tantam ex eo contrahit malitiam, quantam inesse intellectus repræsentat. Hinc si conscientia erronea dictet, esse graviter illicitum, credere existentiam purgatorii; exspuere in templo; proferre verba otiosa; credens, exspuens, proferens, mortaliter delinquit. Quod si contra conscientia præcipiat, vel prohibeat aliquid sub veniali, agere contra talem conscientiam, erit peccatum veniale: quod tamen solummodo verum est respectu conscientiæ invincibiliter erroneæ, non autem respectu conscientiæ vincibiliter erroneæ, si illud, quod hæc talis conscientia dictat esse veniale, in se sit mortale. Ratio disparitatis est: quia ignorantia invincibilis, ex qua nascitur conscientia invincibiliter erronea, tollit voluntarium, non item ignorantia vincibilis, ex qua oritur conscientia vincibiliter erronea; prout videbimus in *tr.* 3. ergo agenti contra conscientiam invincibiliter erroneam peccatum in ratione mortalis non est voluntarium; est autem ita voluntarium agenti contra conscientiam vincibiliter erroneam; prout relinquit ex dictis *art. præced.* consequenter &c.

48. Quæres secundo, an agens contra conscientiam aliquid præcipientem, aut vetantem committat duo peccata, unum peculiare contra præceptum non agendi contra conscientiam, & alterum contra præceptum virtutis, quod conscientia, sive vera, sive erronea, dictat esse observandum?

Respondetur negative. Ita Laymann *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 4. Sancti-Gallenses *loc. cit.* & alii passim. Ratio est: quia præceptum non agendi contra conscientiam est generale, & inclusum in quolibet alio præcepto; ergo non imponit peculiarem, & distinctam obligationem; adeoque nec ejus transgressio continet malitiam specialem, & distinctam a transgressione alterius virtutis.

Confirmatur. Non sunt plures speciei malitiæ in aliquo actu, nisi is sit contra plura præcepta formaliter distincta, aut plures numero, nisi idem actus interrumpatur: sed actus, difformis conscientiæ, nec est contra plura præcepta formaliter distincta, nec interrumpitur; ergo &c. Maj. supponitur ex iis, quæ *tr.* 3. *disp.* 2. de specifica, & numerica peccatorum distinctione dicturi sumus. Min. vero ostenditur: quia conscientia (sive sit vera, sive erronea) non obligat sub alio motivo, aut modo formaliter diverso, quam ipsa virtus, aut præceptum, cujus obligationem voluntati intimat: neque actus interrumpitur, cum supponatur esse unus; ergo &c.

49. Quæres tertio, an conscientia erronea plus obliget, quam præceptum Superioris, ita, ut abdictus, relicto mandato Prælati, teneatur parere conscientiæ contrarium præcipienti?

Respondetur primo. Conscientia erronea invincibilis plus obligat. Ratio est: quia obligatio Legis Divinæ propenderat obligationi præcepti, & Legis humanæ; *obedire enim Deo oportet magis, quam hominibus. Act.* 4. nec Legislator inferior derogare potest legi Superioris: sed obligatio conscientiæ est obligatio Legis Divinæ in sensu supra *n.* 46. insinuato; ergo &c.

Respondetur secundo. Etiam conscientia erronea vincibilis plus obligat (1.) intensive; non autem (2.) extensive. Ratio primi est: quia etiam hæc conscientia, quamdiu durat, obligat in virtute præcepti Divini, non quidem positive, & ad sui sequelam, sed negative, ne contra illam agamus; ergo prævalet, & magis stringit, quam præceptum humanum Superioris. Ratio secundi est: quia ejusmodi conscientia solum obligat ad unum, ne scilicet agatur contra ipsam: e diverso præceptum Superioris obstringit ad duo, nimirum ad deponendum errorem, & ad parendum (errore deposito) Superioris mandato. Ita Sanchez, & Bardi, quos refert, & sequitur Sporer hic *n.* 25.

50. Quæres quarto, an actus, quo voluntas se conformat conscientiæ invincibiliter erranti, sit positive honestus, & moraliter bonus?

Respondetur affirmative: & quidem illius honestatis, quam tribuere nata est virtus, ex cujus præcepto operans obligari se arbitratur. Ita La Croix *cit. n.* 14. *& seqq.* estque communis. Ratio est: quia, ut sæpe dictum, actus humanus, & moralis specificatur ab objecto, prout hoc ab intellectu proponitur; ergo si per dictamen conscientiæ invincibiliter errantis proponatur ut honestum, & voluntas illud ut tale amplectatur, ipsius actum reddet positive honestum, & bonum, eaque bonitate, quæ reperitur in operibus virtutis, ad quam pertinere existimatur.

Confirmatur. Tunc actus voluntatis censetur positive honestus, & moraliter bonus, quando appetit veram rationem honestatis: sed voluntas in tali casu appetit veram rationem honestatis, ab intellectu sibi propositam; ergo &c. Nec refert, quod intellectus illam rationem honestatis objecto inhabili, & absurdo applicet. Siquidem hæc applicatio male facta solum denotat errorem in intellectu, & quidem inculpabilem, non vero in voluntate.

Manet ergo, quod hujusmodi actus sit positive honestus, & moraliter bonus; imo & meritorius, etiam de condigno, dummodo ponatur ex motivo supernaturali, puta, quia Deus præcipit, ut sequamur ductum conscientiæ rectæ, qualis etiam est conscientia invincibiliter erronea (quod requiritur ad rationem meriti ut sic) & prodeat ab homine, in statu gratiæ existente (quod requiritur ad rationem meriti de condigno) quæ bene notanda sunt.

Dices. Non potest elici actus virtutis supernaturalis, & theologicæ, puta Fidei, Spei, aut Charitatis, circa objectum mere existimatum; ergo nec actus virtutis naturalis, & moralis.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod honestas, quæ est objectum formale virtutis naturalis, & moralis, attribui possit objecto materiali etiam existimatio tantum, prout relinquitur ex dictis; secus est de honestate virtutis supernaturalis, & theologicæ: ea quippe debet objecto, circa quod versatur actus supernaturalis, & theologicus, reipsa inexistere. Unde siquis, Lutheranus v. g. sibi firmiter persuadeat, Lutheranam Religionem esse veram, eidem credendo non elicit actum fidei Divinæ, ac supernaturalis quoad substantiam, & intrinsece, sed naturalis tantum. Ille ipse tamen actus evadit supernaturalis quoad modum, & extrinsece, adeoque moraliter bonus, & meritorius ratione piæ affectionis, quæ existit in voluntate credentis, illum referentis in ultimum finem, seu ideo elicientis, quia Deus præcipit, ut credamus illi Religioni, quam hic, & nunc invincibiliter, licet erronee, judicamus esse veram. Vide Platelium *part.* 3. *n.* 238. *& seq.* Item La Croix *n.* 31. *& seq.*

Argumenta alia, quæ hic proponi possent, jam anticipato soluta sunt *art. præced.*

51. Quæres quinto, an sit gravius peccatum agere contra, quam juxta conscientiam vincibiliter errantem?

Respondetur, ceteris paribus, esse gravius peccatum agere contra illam. Sporer *loc. cit. n.* 23. & alii ab ipso relati. Ratio est: quia, ceteris paribus, gravius peccatum est, quod fit ex scientia, quam quod fit ex ignorantia etiam culpabili, utpote voluntarium (saltem si non sit affectata) & consequenter etiam peccatum diminuentes sed quod fit contra conscientiam etiam vincibiliter errantem, fit ex scientia, seu dictamine actualiter dictante, id illicite fieri: quod vero fit juxta illam, fit ex ignorantia, licet culpabili; ergo &c.

Dixi: *ceteris paribus*. Quia vero in casibus particularibus raro cetera sunt paria; hinc tam Authores citati, quam alii, passim fatentur, hic statui regulam universalem non posse, sed dijudicandum esse ex qualitate rei faciendæ, aut omittendæ, & ipsius quoque culpabilis ignorantiæ, obligationis præcepti &c. sitne peccatum gravius agere contra, vel juxta conscientiam vincibiliter errantem? Nam si hujusmodi conscientia v. g. dictet homini necessarium esse leve mendacium ad servandam vitam proximi, qui a latrone invaditur, is gravius peccabit, si faciendo contra conscientiam non mentiatur, quam si faciendo juxta eam mentiatur: si enim mentiatur, peccat venialiter tantum, mortaliter vero, si non mentiatur. Rursus si eadem conscientia dictet homini fore veniale peccatum, nisi centum aureos furetur, ut largiri inde eleemosynam possit, tunc si furetur juxta conscientiam, peccat mortaliter; si non furetur contra conscientiam, venialiter tantum.

52. Quæ-

52. Quæres ſexto, quomodo conſcientia erronea ſit deponenda?

Reſpondetur. Si ſit formata ſine rationabili fundamento, poteſt deponi pro libitu, ſeu abſque ratione in contrarium. Ratio eſt: quia per quæ res naſcitur, per eadem diſſolvitur; ergo ſicut ejuſmodi conſcientia eſt orta ſine fundamento rationabili, ita diſſolvi, ac deponi poteſt, eſto nulla occurrat ratio; aut fundamentum in contrarium. Si vero talis conſcientia formata fuit dependenter a fundamento, quod formanti videbatur rationabile, deponi non poteſt ſine fundamento, & ratione, ſaltem probabili, in contrarium. Ratio eſt: quia aliter deponens temere, & imprudenter ageret; cum ſe exponeret periculo deponendi conſcientiam veram. Ita cum aliis a ſe relatis P. Babenſtuber *tr. 1. diſp. 2. art. 2. §. 2. n. 27.*

53. Quæres ſeptimo, quo ſe gerere debeat Confeſſarius erga pœnitentem conſcientia erronea laborantem?

Reſpondetur primo. Confeſſarius obligatur monere, & inſtruere pœnitentem, qui ex conſcientia, ſive vincibiliter, ſive invincibiliter errante, credit aliqua non eſſe abſolute neceſſaria ad ſalutem; quæ tamen ita neceſſaria ſunt: ut ſi credat, ſe poſſe juſtificari extra Sacramentum ſine amore Dei ſuper omnia, aut perfecta contritione; in Sacramento ſine dolore, & propoſito emendationis; ſine fide in Deum Unum, & Trinum &c. Ita P. Henno *in Theol. dogmat. tr. de Conſc. diſp. 1. q. 4. concl. 5.* Ratio eſt: quia licet hic non agatur de commiſſione peccati, quando conſcientia eſt invincibiliter erronea, agitur tamen de incurſione damnationis æternæ; cum ergo Confeſſarius teneatur, quantum in ſe eſt, curare ſalutem pœnitentis, tenetur ipſum ſuper prædictis informare, ne æternaliter pereat.

Reſpondetur ſecundo. Similiter tenetur Confeſſarius monere, & informare pœnitentem, quem advertit ex conſcientia, ſive vincibiliter, ſive invincibiliter errante, credere, aliquid eſſe peccatum, quod peccatum non eſt, aut eſſe mortale, quod non eſt, niſi veniale. Sporer *numer.* 27. Henno *loc. citat. concl.* 2. & alii paſſim. Ratio eſt: quia Confeſſarius, quantum in ſe eſt, tenetur pœnitentem præſervare a peccato: ſed qui putat, ſe peccare ſive venialiter, ſive mortaliter (etſi a parte rei, & per ſe loquendo non ſit peccatum, vel nonniſi veniale) ratione dictaminis erronei peccat vel venialiter, vel mortaliter: ergo Confeſſarius, quantum in ſe eſt, tenetur pœnitentem a tali peccato præſervare: quod ſola informatione fieri poteſt.

Reſpondetur tertio. Si Confeſſarius advertat, quod pœnitens laboret conſcientia erronea vincibili, & culpabili, debet eum monere, & urgere, ut eandem deponat. Ratio eſt: quia Confeſſarius, ſeu Medicus ſpiritualis, tenetur præcavere, & avertere quemcunque ſui pœnitentis lapſum in formale peccatum: ſed actus procedens ex conſcientia erronea vincibili, & culpabili importat lapſum in formale peccatum; prout liquet ex dictis *art. præced.* ergo &c. Idque maxime verum eſt, quando pœnitens laborat conſcientia erronea mortaliter culpabili: hanc quippe niſi deponat, & emendet, beneficio abſolutionis donari nequit ob defectum diſpoſitionis requiſitæ. Ita Authores *citt.*

Reſpondetur quarto. Si pœnitens deprehendatur laborare conſcientia erronea invincibili, ac inculpabili, tenetur quidem Confeſſarius (1.) errorem detegere per ſe loquendo; per accidens tamen (2.) puta, quando ex detectione nullus ſperatur fructus, ſed potius timetur grave aliquod malum, v. g. grave ſcandalum, lapſus pœnitentis in formale peccatum mortale &c. prudenter diſſimulare poteſt, ac debet: dummodo ex tali diſſimulatione non ſequatur nullitas alicujus Sacramenti, aut inde emergat grave aliquod nocumentum bono publico. Ita DD. communiter, & in ſpecie P. Henno *loc. cit. concl.* 2. Ratio primi eſt: quia Confeſſarius, ſeu ſpiritualis Doctor, & Medicus, tenetur ex officio ſuo inſtruere pœnitentem per ſe loquendo, ut peccata etiam materialia evitare poſſit. Ratio ſecundi eſt: quia univerſaliter non eſt adhibenda correctio, ubi prævidetur obfutura potius, quam profutura (modo ex diſſimulatione non ſequatur nullitas alicujus Sacramenti &c. prout exceptimus, & mox explicatum ibimus) ſed in hoc tali caſu correctio prævidetur potius obfutura, quam profutura; cum pœnitens ſi relinquatur in bona fide, non niſi materialiter, ſi vero errorem edoceatur, etiam formaliter peccaturus prævideatur: ergo &c. Sicut itaque corporalis Medicus tenetur non præſcribere medicinas de ſe quidem omnino ſalubres, hic, & nunc tamen, v. g. ob indiſpoſitionem infirmi illas non ſuſtinere valentis, potius nocivas, ita & Medicus ſpiritualis, ſive Confeſſarius, ſuperſedere debet inſtructione de ſe quidem ſalutari, hic, & nunc tamen a pœnitente moraliter infirmo, & indiſpoſito, in ſpiritualle animæ detrimentum detorquenda.

Addidi cum P. Henno ſupra citato: *dummodo ex tali diſſimulatione non ſequatur nullitas alicujus Sacramenti, aut inde emergat grave aliquod nocumentum bono publico.* Unde ſi quis v. g. invalide ordinatus cogitet SS. Euchariſtiam conficere, aut Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare: item ſiquis impedimento dirimente ligatus, intendat Matrimonium contrahere &c. Confeſſarius errorem, ut ut invincibilem, quo prior exiſtimat, ſe eſſe valide ordinatum, & poſterior, ſe eſſe ab impedimento liberum, diſſimulare non poteſt. Similiter ſi duo impedimento dirimente irretiti Matrimonium bona fide jam injerunt, eoque, durante eadem fide, utuntur, debent moneri, & edoceri nullitatem Matrimonii, quando ea eſt nota aliis, & idcirco illorum cohabitatio grave ſcandalum eret in populo: eſto ſecluſa hujuſmodi notorietate ſubinde relinqui in bona fide poſſint, ac debeant; prout patebit *cap. ſeq. ex reſolut. Caſuum.* Et hæc limitatio tenet, licet, de errore moniti, prævideantur inde plurimum turbandi, gravioris peccati occaſionem ſumpturi, infamiam ſubituri &c. quia dignitas Sacramenti, & bonum publicum præponderat bono privato, ſeu privati hominis.

CAPUT IV.

Proponuntur, & reſolvuntur Caſus ad hanc Diſputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

45. *Anaſtaſia, dum inter horrendas blaſphemiarum tentationes videtur ſibi ex una parte iis conſentire, ex altera vero eiſdem repugnare, judicanda eſt non peccare.* 55. *Anaſtaſius, ex conſcientia invincibiliter erronea putans, deſideria carnaliter peccandi eſſe licita, non peccat illa fovendo, & confitendo materiam ſufficientem pro abſolutione Sacramentali non ponit, niſi aliam addat.* 56. *Albina ob tertianam febrim, vel rei domeſtica cuſtodiam domi manens, & idcirco Miſſam die obligationis omittens, peccat mortaliter, dum erronee credit, ſe ad illam audiendam graviter obligari, prædictis cauſis non obſtantibus.* 57. *Albinus veluti conclusus inter duo extrema, quæ ob conſcientiam invincibiliter errantem apparent æqualiter illicita, non peccat, ſive unum, ſive alterum eligat.* 58. *Anatolius die feſto laborans &c. & in communi tantum apprehendens, id eſſe peccaminoſum, probabilius non peccat mortaliter.* 59. *Anatolinus, conceptam fundate conſcientiam peccati mortalis leviter abjiciens, peccat mortaliter.* 60. *Arnulphus, qui bona fide, ſed nulliter Matrimonium contraxit, non eſt monendus de nullitate, ſi prævideatur, errore cognito, ſuam conjugem putatitiam non derelicturus.* 61. *Attilius cum impedimento dirimente Matrimonium, quod erronee putat fore validum, inire cogitans, de errore informandus eſt, etſi prævideatur, accepta informatione, ad idem Matrimonium ineundum proceſſurus.* 62. *Anatolia Monialis, quæ ſemel ex culpabili negligentia preces omiſit, invincibiliter exiſtimans, ſe ad illas graviter obligari, cum tamen nonniſi leviter obligetur, monenda eſt, licet credatur illas idcirco facilius, ac frequentius poſthac omiſſura.*

CASUS I.

Anaſtaſia, illuſtris domicella, quoties oculos in imaginem Crucifixi conjicit, videtur ſibi ex una parte illam adverſari, velle conſpuere, flagris cædere, pedi-

bus calcare &c. atque hæc advertit, non solum in imaginatione hærere, sed ad ipsum quoque cor, animumque pertingere; ex altera vero parte sibi cupere omnia opposita, velle prædictis omnibus assensum negare, haud tamen posse. Unde ultra medium angitur, male metuens animæ suæ, utpote quam suspicatur, vel etiam judicat, inde gravissimorum scelerum ream effici. Proponit rem totam Confessario. Quid hic dicet suæ pœnitenti?

RESpondetur, Confessarius dicet, quod Anastasia in tali casu non peccet. Ita Baldellus, quem refert, & cum communi sequitur Burghaber *cent.* 1. *cas.* 47. Ratio est: quia ad peccandum requiritur libertas, quam in prædictis non habet Anastasia ob nimiam intensionem, & efficacitatem phantasmatum depravatorum, & ita importune se ingerentium, ut deliberationem intellectus, qui in hac vita a sensibus, & phantasmatibus pendet, omnino impediant; proindeque usum rationis tollant: quemadmodum inde colligitur, quod ipsa pœnitens fateatur, se non posse memoratas tentationes repellere, nec eisdem assensum denegare. Unde licet ad cor, animumque pertingant, tamen nec ipsæ, nec consensus in easdem ullum continent peccatum, ob defectum libertatis.

Neque refert, quod Anastasia suspicetur, aut judicet, se peccare: quia peccatum non consequitur ad judicium intellectus, quando deficit libertas voluntatis: atqui in Casu posito voluntas Anastasiæ non est libera, ut dictum: consequenter &c. Sicut igitur in carcere conclusus, ubi nullum potest audire sacrum, istud die festivo omittens non peccat defectu libertatis, tametsi existimet se peccare, adeoque contra conscientiam agat; ita ex eadem ratione nec peccat Anastasia, licet suspicetur, aut judicet se peccare, & sic contra conscientiam agat.

Porro qualiter Anastasia se gerere debeat, dum ejusmodi tentationes incidunt, habetur inferius de *Conscien. Scrupul.* in Casu fere simili *n.* 104. *respons.* 2. ubi a plerisque etiam Casus impræsentiarum ventilatus proponi solet: rectius tamen hic propositus, & discussus fuit, inspecta præcise ratione, quam ad eum reddidimus.

CASUS II.

55. *Anastasius adolescens, ruri, crassoque sub aere natus, peracta confessione, antequam accederet mensam communicantium, constituit audire, & reipsa audiit concionem: ex qua cum didicisset, desideria carnaliter peccandi, quæ innoxie concipi, ac foveri posse, ex conscientia invincibiliter erronea hactenus existimaverat, esse graviter peccaminosa, illico ad sedem confessionalem se recipit, de hujusmodi desideriis sæpe habitis, nunquam tamen in confessione expressis, se accusat, & iteratam absolutionem petit. Confessarius Anastasii petito annuens, eundem de novo absolvit. Quæritur, an recte?*

RESpondetur negative, si Anastasius nullam aliam materiam addat. Ita DD. communiter. Ratio est quia ignorantia invincibilis, quali laborasse in Casu ponitur Anastasius, excusat a peccato formali; prout omnes admittunt, & ostensum ibimus *tr.* 3. *disp.* 1. ergo Anastasius fovendo memorata desideria, ut utde se peccaminosa, formaliter non peccavit: consequenter ea duntaxat desideria confitendo non affert materiam sufficientem, supra quam cadere absolutio Sacramentalis possit; cum hujusmodi materia sint sola peccata formalia, non verò materialia, utpote quæ a Deo ad culpam non imputantur.

Nec refert, quod Anastasius, audita concione, & ex postfacto judicet se peccasse. Nam judicium subsequens actionem non est practicum, sed mere speculativum; cum illam non reguler ut ponendam, sed tantum versetur circa jam positam; quam proinde nullatenus immutat: atqui actio posita est absque peccato formali; ergo a peccato formali immunis manet, tametsi ex postfacto judicetur fuisse formaliter peccaminosa. Ita P. Sporer *n.* 33. & ex eo P. Claudius La Croix *n.* 44

CASUS III.

Albina, mulier rusticana, confitetur, quod diebus Dominicis, & festivis aliquoties omiserit sacrum tametsi optime nosset gravem obbligationem illud audiendi. Interrogata a Confessario causam omissionis, respondet, quod semel laboraverit tertiana febri; aliis vero vicibus domi se continuerit ad custodiendas res domesticas, vel avertendum a prolibus adhuc parvulis infortunium, alias forte eisdem obventurum. An peccasse censenda est?

RESpondetur, Albinam ex conscientia erronea graviter peccasse toties, quoties sacrum omisit. Bonac. *de pecatis q.* 4. *pun.* 6. *n.* 25. Dicastillo *de Juram. disp.* 2. *n.* 234. Babenstuber *n.* 16. Idem tanquam probabilius tenet La Croix *n.* 41. Ratio est: quia Albina ex una parte habeat absolute loquendo sufficientem libertatem audiendi sacrum, quamvis istud audire non potuisset absque dispendio sanitatis, aut periculo damni rebus domesticis, vel prolibus impendentis: ex altera verò parte judicabat, se graviter ad audiendum sacrum obligari; ergo non apparet, unde omissiones sacri in prædictis circumstantiis sint excusabiles, & non imputentur ad gravem culpam. Quapropter tametsi præfatæ causæ excusent per se loquendo ab auditione sacri, prout videbimus suo loco, per accidens tamen, seu ratione conscientiæ erroneæ, dictantis gravem esse obligationem audiendi sacrum etiam in illarum concursu, non excusant, cum tantæ non sint, ut libertatem simpliciter tollant.

Oppositum haud dubie dicendum foret, si Albina laborasset tali infirmitate, quæ simpliciter sustulisset libertatem audiendi sacrum, tunc quippe defectu libertatis non peccasset; sicut ob eandem rationem non peccat compactus in carcerem, ubi non celebratur sacrum, licet existimet, se peccare, dum die festo sacrum omittit.

CASUS IV.

57. *Albinus miles, in pugna gravissime sauciatus, Ammonium commilitonem suum per omnia chara rogat, ut ipsum interficere, sicque acerbissimis doloribus, quibuscum conflictabatur, imponere finem velit. Quid agat jam Ammonius, ut evitet peccatum? cum eidem ex una parte conscientia invincibiliter errans, dictet, Albinum sibi hic, & nunc esse occidendum, ne peccet contra virtutem Misericordiæ; & ex altera parte, non esse occidendum, ne peccet contra virtutem Justitiæ, quæ homicidium prohibet.*

RESpondetur. Quidquid ex ambobus extremis Ammonius elegerit, non peccabit, nisi forte unum videatur majus peccatum, quam alterum. Laym. *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 4. *n.* 4. Illsung. *tr.* 1. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 16. & alii communiter. Ratio est: quia Ammonius est simpliciter perplexus, nec habet sufficientem libertatem ad evitandum peccatum; cum ei ab intellectu non proponatur ut evitatu moraliter possibile: sive enim hoc, sive illud conetur eligere, videt, sibi malum utrobique imminere.

Dixi: *nisi forte unum videatur majus peccatum, quam alterum.* Tunc quippe, ut non peccet, tenetur eligere minus malum præ majori; cum ad hanc talem electionem sufficienti libertate præditus sit, & eligendo majus malum præ minori agat imprudenter contra illam regulam infrà exponendam: *inter duo mala minus est eligendum.*

CASUS V.

58. *Anatolius opifex die festo laboravit; in Deum juravit; creaturas execratus est; turpia, & impudica verba coram aliis effutiit &c. præcise existimans se peccare; non autem judicans, suspicans, vel dubitans, an mortaliter vel venialiter peccet? Quæritur, quomodo Anatolius peccasse censendus sit?*

ANtequam ad Casum respondeatur, advertendum est La Croix, in praxi raro contingere, ut operans, dum cognoscit aliquid esse malum, modo per Casum asserto abstrahat: quia licet signate, & reflexere non discernat, sitne mortale, vel veniale, quod agit, ipsius tamen conscientia ordinarie sic constituta

est,

est, ut illud facere vel multum refugiat, vel non ita refugiat, sed quasi quidpiam leve reputans pertranseat. Si primum; in actu exercito satis apprehenditur malitia gravis; levis verò, si secundum. Quare ante omnia expiscandum ex Anatolio erit, utro modo ipsius conscientia se habuerit; indeque dijudicandum, an mortaliter, vel venialiter solum deliquerit? Interrogari præterea debet (nisi ipsum exprimat) an non saltem in confuso suspicatus fuerit, subesse periculum aliquod peccati gravioris &c.? quo casu utique mortaliter peccasse censendus esset, secundum omnes. Sed sistendo in hypothesi utique possibili, quam Casus ponit,

Respondetur, Anatolium in prædictis actionibus non peccasse mortaliter. Ita Gobat in *Quin. tr.* 5. *c.* 9. *n.* 84. Burghaber *cent.* 1. *cas.* 20. La Croix *loc. cit. n.* 3. Augustinus Michiel *tom.* 1. *tr.* 3. *q.* 3. §. 2. *pun.* 4. *n.* 8. & alii ab ipsis relati. Ratio est; quia Anatolius, ut fert Casus, non præcognovit malitiam mortalem, neque ejus periculum, neque indifferentiam objecti ad malitiam mortalem, & venialem; ergo eadem voluisse censeri nequit; cum nihil possit esse volitum, quod non sit præcognitum: consequenter &c.

Dices primo. Qui statuit peccare in genere, non determinans materiam, circa quam vult peccare, is peccat mortaliter; ergo etiam sic peccasse in Casu censendus est Anatolius.

Respondetur, dist. ant. Si sit paratus ad committendum peccatum, qualecunque sit, sive mortale, sive veniale, con. secus, neg. ant. & conf. Siquidem Anatolius non supponitur fuisse paratus, seu positive indifferens ad utrunque peccatum, hoc ipso, quod indifferentiam objecti ad malitiam mortalem, & venialem non præcognoverit.

Dices secundo. Qui se exponit periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter: sed Anatolius se exposuit periculo peccandi mortaliter; ergo peccavit mortaliter.

Respondetur, dist. maj. Si illud periculum apprehendat, saltem confuse, con. secus, neg. maj. sed Anatolius se exposuit periculo peccandi mortaliter, & tale periculum apprehendit, neg. secus, con. min. & neg. conf.

Instabis, Anatolius fuit obligatus ad prævie inquirendum, num actiones illæ sint mortaliter, vel venialiter tantum peccaminosæ; ergo cum non inquisierit, libere se conjecit in periculum peccandi mortaliter: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Et eam obligationem advertit, neg. & non advertit, con. ant. & neg. utranque conf.

Venialiter tamen peccasse censendus est Anatolius; nam ad venialiter peccandum sufficit, quod quis cognoscat se peccare, & non cognoscat se peccare mortaliter: sic enim cognoscitur malitia in communi, abstracta, & imperfecta, quæ refunditur in actum, eumque venialiter malum efficit. E diverso ad mortaliter peccandum non sufficit, quod quis cognoscat se peccare, & non cognoscat se peccare venialiter: quia sic non cognoscitur malitia perfecta, seu gravis, quæ refundatur in actum, & hunc mortaliter peccaminosum reddat, ac denominet. Ita insinuat La Croix *loc. cit.*

CASUS VI.

59. *Anatolinus audiit a vicino suo, credidítque esse peccatum mortale vesci carnibus in pervigilio SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, eo quod sit jejunium, & tamen abiis se non abstinet, conscientia illa, absque fundamento in contrarium abjecta. Quæritur, utrum Anatolinus comedendo carnes peccet mortaliter?*

Respondetur affirmative. Ita Bonac. *de peccat. disp.* 2. *pun.* 6. *n.* 30. Palao *tr.* 1. *disp.* 1. *pun.* 6. *n.* 5. & sequitur ex dictis *n.* 25. Ratio est: quia Anatolinus illam conscientiam sibi formavit dependenter a rationabili fundamento, videlicet dependenter ab assertione viri fide digni, pro quali habuit vicinum suum; ut patet inde, quod eidem crediderit; ergo illam, absque fundamento in contrarium, abjiciens egit imprudenter, cum se exposuerit periculo deponendi conscientiam veram: sed qui in materia morum, eaque notabili imprudenter agit, peccat mortaliter; ergo &c.

Confirmatur. Nemo potest se pro libitu eximere legibus: sed conscientia Anatolini, cum ut vera apparuerit, habebat se instar legis; eratque proxima regula voluntatis in operando; ergo &c.

CASUS VII.

60. *Arnulphus puellam in gradu prohibito, ac dirimente, & quidem Juris Divini, sibi conjunctam, duxit in uxorem, impedimenti ignarus, eamque cognoscit ut suam, prolem ex illa suspicit, & omnia, quæ sunt Matrimonii, perficit. Deprehendit Confessarius errorem, & anxius est, quid agat? Agnoscit enim ex una parte Arnulphum, conscientia erronea invincibili laborantem, excusari a peccato, durante hac conscientiæ invincibilitate: ex altera vero parte, si illum ex officio informet, prout tenetur, providet, non derelicturum putatitiam conjugem, oritura multa scandala, angustias graves moralis alicujus impossibilitatis ratione prolium, bonorum &c. Quam in partem se vertat Confessarius? Num dissimulet, vel moneat Arnulphum de errore?*

Respondetur. Confessarius potest, & debet dissimulare errorem. Ita Petrus Marchant *tract.* 5. *tit.* 3. *q.* 7. *reg.* 1. Sporer *n.* 28. & alii passim. Ratio est: quia ex una parte non sequitur inde nullitas alicujus Sacramenti; cum hic non agatur de Sacramento conficiendo, sed de licito usu jam confecti licet invalide: nec infertur nocumentum bono publico; cum enim Matrimonii nullitas sit occulta non solum putatitiis conjugibus, sed etiam aliis, ut supponitur, nullum inde scandalum generatur in populo. Ex altera vero parte cessat finis correctionis; cum hæc non solum inutilis, & nihil profutura, verum etiam noxia, & obfutura prævideatur, utpote præbitura ansam peccatis formalibus, & aliis incommodis. Ergo tantum abest, ut Confessarius Arnulpho errorem detegere teneatur, quin potius possit, ac debeat eundem prudenter dissimulare, ac tacere. In hoc proinde casû valet communis illa regula: *inter duo mala minus est eligendum*, utpote quæ tunc procedit, quando utrunque non potest declinari, & alterutrum moraliter eligi debet; prout evenit in proposito. Nam Confessarius vel debet transgredi, seu non observare obligationem, quam habet ex officio, tollendi errorem, quo Arnulphum laborare animadvertit: vel ansam præbere, & occasionem peccatis formalibus, errore sublato, committendis, aliisque inde secuturis incommodis. Inter quæ haud dubie prius malum est minus, imo verius non est malum in istis circumstantiis, utpote in quibus, ut dictum, cessat finis correctionis, & consequenter etiam obligatio corrigendi; ergo prius eligendum est præ posteriori. Videatur P. Marchant *loc. cit.*

CASUS VIII.

61. *Attilius consanguineam in gradu prohibito, & dirimente intendit ducere in uxorem: quia erronee quidem, invincibiliter tamen, putat, id sibi licitum, & validum fore Matrimonium. Confessarius id advertit, sed una prævidet, quod si illum informet de errore, nihilominus sit processurus ad idem Matrimonium ineundum; & sic peccaturus ob conscientiæ erroneæ invincibilis, & victæ dictamen. Potestne Confessarius etiam in hoc casu errorem dissimulare?*

Respondetur. Absolute non potest: idque verum censeo, sive res adhuc sit integra, ita, ut Attilius de errore informatus, libere, & citra periculum infamiæ, aut alterius incommodi, a Matrimonio abstinere possit, vel illud differre, donec impetretur dispensatio, si impedimentum sit dispensabile: sive non amplius sit integra, & Matrimonium omitti, aut differri non possit absque periculo infamiæ. Ratio est: quia nunquam licet Confessario dissimulare errorem sui pœnitentis (dummodo illum detegere possit absque violatione sigilli Sacramentalis; prout hic posse supponitur) quando ex tali dissimulatione sequitur nullitas alicujus Sacramenti; prout diximus, & stabilivimus *n.* 53. *post. respons.* 4. sed in Casu posito sive res adhuc supponatur integra, sive non, ex dissimulatione erroris sequitur nullitas alicujus Sacramenti, videlicet Matrimonii, utpote cujus valor consistere cum impedimento dirimente non potest; ergo &c. Unde

Con-

Confessarius in hoc casu errorem dissimulando præpostere applicaret regulam supra allegatam: *inter duo mala minus est eligendum*; non enim sic eligeret minus, sed majus malum: quemadmodum enim dignitas Sacramenti præponderat bono privato cuicunque, ita, & nullitas illius (licet non sit conjuncta cum formali peccato) in ratione mali præponderat cuicunque malo homini v. g. cuicunque infamiæ &c. Porro si res adhuc sit integra, axioma illud ex alio præterea capite servire non potest; utpote quod solum tenet, quando utrumque malum non potest declinari, & alterutrum moraliter eligi debet; prout venit *in Cas. præced.* non autem in præsenti, si res supponatur adhuc integra, utpote in quo Attilius libere potest a Matrimonio desistere, & illustratus tenetur: quod si non faciat, sibimetipsi culpam imputare debet, cum sufficienti informatione fuerit præventus. Resolutioni nostræ, quando res adhuc est integra, adstipulantur Petrus Marchant. *loc. cit. reg.* 2. Sporer *n.* 29. & alii communiter. Si vero res non integra, oppositum sentit ex Sanchezio Sporer *n.* 30. quem lege, si placet. Unius, vel alterius argumenti, quod contra responsionem opponi posset, solutio colligitur ex illis, quæ habentur *n.* 642. in Casu simili. Legantur ergo, quæ ibi dicuntur. Hic autem contra responsionem,

Dices. Ideo Confessarius in casu præcedenti potest, & tenetur errorem dissimulare; quia ex ejus detectione nascerentur Arnulpho graves angustiæ, varia impenderent pericula formalium peccatorum, scandalorum &c. sed hæc omnia eveniunt in casu præsenti, quando res non est amplius integra; ut patebit consideranti; ergo saltem quando res non est amplius integra, etiam in casu præsenti potest, & debet Confessarius errorem dissimulare.

Respondetur, dist. maj. Ideo præcise, neg. ideo, & quia simul ex dissimulatione erroris ibi non sequitur nullitas Sacramenti, con. maj. & distinctione applicata minori, neg. cons. Dato, quod in utroque casu æquales angustiæ, & æqualia immineant pericula peccatorum, scandalorum &c. dispar tamen utrinque ratio est: quia in præcedenti casu non sequitur, in præsenti autem sequitur nullitas Sacramenti ex erroris dissimulatione: quæ nullitas cum sit majus malum, quam infamia Attilii, aut alia ejusdem incommoda, a Confessario præeligi non potest: consequenter &c.

CASUS IX.

62. *Anatolia Monialis semel certas preces ex culpabili negligentia omittit, erronee, invincibiliter tamen, putans, se sub peccato mortali ad illas persolvendas obligari; cum tamen non obligetur nisi sub veniali. Confessarius quidem errorem advertit, non tamen ab Anatolia removet, sed dissimulat, hoc argumento ductus: si dixero Anatoliæ, quod omittendo memoratas preces non nisi venialiter peccet, erit posthac negligentior, & illas crebrius omittet. Quæritur, an Confessarius recte faciat?*

Respondetur negative. Ita Petrus Marchant. *loc. cit. reg.* 5. Henno *conclus.* 2. & sequitur ex dictis *n.* 53. *respons.* 2. Ratio est: quia, ut *loc. cit.* dictum, Confessarius, quantum in se est, tenetur a suo pœnitente avertere occasiones peccandi præsertim mortaliter: sed conscientia erronea est Anatoliæ occasio peccandi, & quidem mortaliter, qualiter non peccaret, nisi illa conscientia laboraret; ergo &c.

Confirmatur. Imprudenter agit Confessarius dum pœnitentem relinquit in occasione, & periculo committendi majus malum, ut præscindat occasionem committendi minus: sed id facit Confessarius in Casu posito; ergo agit imprudenter. Maj. ex se patet. Min. similiter est certa: siquidem vel semel mortaliter peccare majus malum est, quam centies, imo millies, peccare venialiter; cum ex illo sequatur privatio gratiæ, & amicitiæ cum Deo, non autem ex isto. Vide Marchantium *loc. cit.* ubi in ejusmodi Confessarium acerrime invehitur.

DISPUTATIO II.

De Conscientia Scrupulosa, & Dubia.

Licet hæ duæ Species conscientiæ reipsa discrepent, prout ex dictis *n.* 23. *& seq.* liquet; magnam tamen inter se affinitatem habent. Unde congrua methodo utimur, dum de utraque in una, eademque disputatione tractamus.

CAPUT I.

De Conscientia Scrupulosa.

ARTICULUS I.

An sit licitum, consultum, vel etiam obligatorium agere contra Conscientiam Scrupulosam.

SUMMARIUM.

63. *Semper licitum est agere contra conscientiam scrupulosam.* 64. *Contra eandem agere plerumque est de consilio: imo* 65. *Nonnunquam de præcepto.*

Dico primo. Semper licitum est agere contra conscientiam scrupulosam, etiam nondum abjectam, sed vel maxime vigentem, & urgentem ad sui sequelam, dummodo judicetur esse talis, & contemnatur. Communis.

Probatur. Quia, ut quis licite agat, sufficit, quod prudenter judicet, id, quod agit, non esse illicitum: sed perseverante conscientia scrupulosa prudenter quis judicat, id, quod agit contra illam, non esse illicitum, vel etiam positive honestum, & bonum; ergo &c. Maj. est certa. Min. vero fluit ex *n.* 23. ubi diximus, conscientiam scrupulosam nullo, vel levi duntaxat fundamento niti; ergo non tollit judicium prudens de licentia, vel etiam honestate actionis, quam dictat esse illicitam, ac inhonestam.

Confirmatur. Si non liceret agere contra conscientiam scrupulosam, multis redderetur salus obtentu impossibilis, eo quod vix aliquid facere, vel omittere possint, nisi timentes, & trementes, ne forte sit illicitum: sequela autem est absurda; ergo &c.

Dixi: *dummodo judicetur esse talis, & contemnatur*: quod tamen judicium non necessario debet esse actuale, & formale, sed sufficit etiam habituale, vel virtuale, fundatum in experientia actuum præteritorum. Præterea non est necesse, ut dictum judicium semper fundetur in ratione aliqua intrinseca, sed etiam sufficit, si fundetur in extrinseca tantum. Unde si Confessarius, vel Vir probus, & doctus assereret, te laborare conscientia scrupulosa, tuto crederes, eamque ut talem judicares, & contemneres.

64. Dico secundo. Agere contra conscientiam scrupulosam plerumque est de consilio. Itidem communis.

Probatur. Quia illud est de consilio, quod est melius suo opposito: sed agere contra conscientiam scrupulosam plerumque est melius suo opposito, seu quam non agere contra illam; ergo &c. Min. ostenditur: tum quia scrupulis inhærendo tempus inutiliter teritur; illos autem contemnendo utiliter impendi potest Deo, & animæ saluti: tum quia vix datur expeditius remedium, quo quis ab hujusmodi inanibus, & frivolis apprehensionibus se liberare possit, quam agendo illis contrarium. Quare si conscientia scrupulosa tibi dictet, confessionem repetendam esse, eo quod timeas, eandem forsan non rite peractam, consulto repetitione supersedebis: si dictet, lapidem cruce insignitum calcare, esse illicitum, recte facies, illum calcando semel, bis, ter &c.

65. Dico tertio. Agere contra conscientiam scrupulosam quandoque etiam est de præcepto. Etiam hic qui contradicat, neminem Doctorum scio.

Probatur. Quia conscientia scrupulosa non solum perturbat veram animi pacem, lætitiamque spiritualem impedit, sed valetudinem quoque corporis quandoque in discrimen adducit; scrupulosum desperationis, blasphemiæ, infidelitatis, & aliorum peccatorum periculo exponit; ergo non solum de consilio, sed etiam quandoque de præcepto est, agere contra illam.

ARTI-

ARTICULUS II.

Quænam ſint Scrupulorum Radices, & Scrupuloſorum Judicia?

SUMMARIUM.

66. Recenſentur radices, ex quibus oriuntur ſcrupuli. 67. Aliæ ſunt intrinſecæ, aliæ extrinſecæ. 68. Adſtruuntur indicia, ex quibus dignoſcuntur ſcrupuloſi. 69. Scrupuloſitas alia eſt adæquata, alia inadæquata. 70. Non eſt dicendus ſcrupuloſus, qui tantum ſemel, aut bis ſcrupulo ceſſit.

66. DIco primo. Scrupulorum radices, ſeu cauſæ ſunt fere ſequentes.

Prima eſt naturalis complexio melancholica, tenacibus apprehenſionibus, & formidini obnoxia.

Secunda eſt inedia, & vacuitas ſtomachi, quæ auget ſcrupulos; quia cerebrum, ſpiritibus vitalibus deſtitutum, debilis eſt judicii: hinc quidam ante prandium ſunt ſcrupuloſi, non item poſt prandium.

Tertia eſt occulta quædam ſuperbia, qua fit, ut homo judicio ſuo tenacius æquo adhæreat, illudque alterius judicio, ac conſilio ſubmittere detrectet. Et hæc radix omnium periculoſiſſima eſt, difficilimeque curantur, qui ſcrupulis ex ea ortis diſcruciantur.

Quarta eſt nimius amor ſuipſius, quo quis movetur, ut cautela nimis immoderata fugiat quæcunque peccata metu pœnarum poſt hanc vitam ſubeundarum. Hinc maxima ſolicitudo, perturbatio, anxietas animi continua &c.

Quinta eſt ignorantia, qua quis neſcit diſcernere inter judicium practicum, & ſpeculativum, inter tentationem, & conſenſum, inter obligationem legis gravem, vel levem &c.

Sexta eſt converſatio, & familiaritas cum ſcrupuloſis: ſumuntur quippe a converſantibus mores ſive boni, ſive mali.

Septima eſt lectio librorum, in quibus præcepta Dei, & Eccleſiæ cum nimio rigore, & ubique in partem ſeveriorem exponuntur, ſine ulla epickeia, ſine ullis limitationibus, aut exceptionibus. Huc pertinet uſus Confeſſarii, ac Directoris plus æquo rigidi.

Octava eſt Diabolus Sophiſta, qui ſub ſpecie timoris Domini non raro conſcientias hominum ita coarctat, ut eoſdem ad maniam, vel diſperationem adigat, ad Divina obſequia ineptos, vel tardos reddat &c.

Nona denique eſt permiſſio Dei, qui vel in pœnam peccatorum, etiam venialium, vel in humiliationem hominis ejuſmodi vexationes permittit, eundem quaſi *tradens Angelo ad colaphizandum, ne magnitudine revelationum extollatur. 2. Cor. 2. v. 11.*

67. Colliges, radices ſcrupulorum alias eſſe *intrinſecas*, & alias *extrinſecas*. Intrinſecæ dicuntur, quæ ſe tenent ex parte ipſiuſmet hominis ſcrupuloſi: ejuſmodi ex recenſitis ſunt quinque priores, quarum prima, & ſecunda defectum in corpore; tertia vero, quarta, & quinta defectum in anima denotant. Extrinſecæ vocantur, quæ ſcrupuloſo aliunde inſeminantur: quales ſunt quatuor poſteriores.

68 Dico ſecundo. Indicia, ſeu ſigna, ex quibus ſcrupuloſi dignoſcuntur, ſunt potiſſimum ſequentia.

Primum eſt pertinacia judicii, qua fit, ut doctorum conſiliis non acquieſcant: unde varios conſulunt, & fatigant, & tandem nullius judicio ſtant niſi ſuo.

Secundum eſt ex levi, vel mere apparenti fundamento frequens judiciorum mutatio: quia experientia conſtat, quod in Horis recitandis v. g. ſexies, vel ſæpius mutent judicium de recitato, vel non recitato Pſalmo.

Tertium eſt, ſi agant perturbate, inconſtanter, & cæco quodam modo in externis actionibus verſentur, eaſque modo intermittant, modo reſumant. Et hoc ortum trahit ex ſecundo.

Quartum eſt, ſi extraordinaria cautela, modis, motibus, geſtibus ridiculis peccata, & quaſvis leves imperfectiones fugiant, v. g. concutiendo caput, ſuſpirando, in cælum ſuſpiciendo, frontem cruce ſignando &c.

Quintum eſt, ſi illa, quæ antea non habebant pro peccatis, modo habere incipiant.

Sextum eſt, ſi peccata, quæ jam ſemel rite confeſſa ſunt, identidem in confeſſione repetant, ex timore, quod forte illa nondum ſatis explicaverint, nondum ſufficientem de iis dolorem elicuerint, propoſitum habuerint &c.

Septimum denique eſt, ſi in una, vel pluribus materiis crebro abſque rationabili cauſa formident, ne forte peccent, vel peccaverint, ubi tamen nullum ſubeſt peccatum.

69. Colliges primo, ſcrupuloſitatem aliam eſſe *adæquatam*, aliam *inadæquatam*. Priore laborant, qui in omni; poſteriore vero, qui in certa duntaxat materia ſcrupulizant: quales haud dubie reperiuntur; nam experientia conſtat, dari aliquos, qui quaſi in omnibus, in quibus nullum ſubeſt peccatum, peccatum timent; alios e diverſo, qui libere, & ſine frœno in peccata ruunt, eadem tamen ſumma cum anxietate confitentur: adeoque in ſola confeſſione facienda ſcrupuloſe procedunt.

70. Colliges ſecundo, eum, qui una duntaxat, alterave vice ſcrupulo ceſſit, non illico dicendum eſſe Scrupuloſum. Ratio eſt: quia nomen *ſcrupuloſus* denotat frequentiam actuum, ſicut nomina *ebrioſus*, *luxurioſus &c.* unde ſicut non recte diceretur ebrioſus, vel luxurioſus, qui tantum ſemel, aut iterum, ſe inebriavit, vel turpem actum exercuit, ita nec recte ſcrupuloſus dicitur, qui ſemel tantum, aut iterum ſcrupulo ceſſit.

ARTICULUS III.

De Remediis, & Confeſſario Scrupuloſorum.

SUMMARIUM.

71. Aſſignantur remedia Scrupuloſorum. 72. Oſtenditur, quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat erga ſcrupuloſos, ut ipſis medeatur?

71. DIco primo. Remedia ſcrupuloſorum aſſignantur communiter ſequentia. *Primum*, & omnium præſentiſſimum, imo maxime neceſſarium eſt, ut ſcrupuloſus inſtar pueri ſequatur in omnibus conſilium Confeſſarii, vel Directoris probi, & docti, ac non ſcrupuloſi, ejuſdemque directioni ſe plene committat. Cum enim ſcrupuloſus non ſit idoneus judex, ſaltem in propria cauſa, ab alio dirigatur, neceſſe eſt. Non tamen in ſingulis caſibus ad illum recurret; ſed, quod in uno caſu reſponſum eſt, ad alios caſus ſimiles applicabit, & ſeipſum reſolvere aſſueſcet. Multo minus adibit alios Confeſſarios, aut Directores, eoſque conſulet ſuper reſponſis a ſuo Confeſſario datis: hoc enim procedendi modo ſe intricabit potius, quam extricabit. Neque exiſtimet, quod ſe exponat periculo peccandi, dum ſe conformat judicio, & conſilio Confeſſarii, aut alterius Viri docti, & probi: iſtorum quippe judicium, & conſilium reſpectu ſcrupuloſi conſtituit ſententiam probabilem, imo probabiliorem, & ſecuriorem (vel potius moraliter certam ſaltem certitudine reſpectiva ut patebit *diſp. ſeq.*) ob pericula, & damna ex ſcrupulis oriri nata; quam proinde ſcrupuloſus citra periculum formaliter peccandi ſequi poterit, & debebit, tametſi forte conſilium ſuggeſtum ſit reipſa erroneum.

Secundum eſt, ſcrupulum initio ſtatim, atque advertitur, inſtar malignæ ſuggeſtionis rejicere, animo ad alia objecta converſo: quo diutius enim ei inhærebis, eo plus implicaberis, & perplexior evadas: unde fiet, ut illum deinceps difficilius vincas, & expellas. Quod ſi eundem excutere nequeas, contra audentior ito directe, & poſitive: id enim non modo licitum, ſed etiam conſultum, imo nonnunquam obligatorium eſſe, relinquitur ex dictis *n. 63. & ſeq.*

Tertium eſt, ut ſcrupuloſus aliorum hominum proborum vitam, agendique conſuetudinem ſibi proponat tanquam regulam, juxta quam & ipſe ſuam vivendi, ac agendi rationem inſtruere, & inſtituere licite poſſit. Quod ſi ſcrupuloſus ſit vir doctus, cogitet, quid aliis, in eodem hoſpitali laborantibus, eo caſu, circa quem angitur, conſuleret; & idemmet conſilium, quod illis ſuggereret, ſibimetipſi accomodet,

& am-

& amplectatur: quod enim aliis ſuadere poteſt, ipſos quoque, ſaltem per ſe loquendo, ſequi non prohibetur.

Quartum eſt, ut ſcrupuloſus, quando dubitat, ſitne id, quo angitur, ſcrupulus, vel verum dubium? reputet eſſe merum ſcrupulum, eumque ut talem abjiciat, vel contemnat: ita enim rationabiliter præſumere, & judicare poteſt vel ex eo, quod noverit, ſe de numero ſcrupuloſorum eſſe.

Quintum eſt, ut excutiat cogitationes de extremo judicio, de inferno, & aliis, quæ terrorem incutere, metumve ingerere poſſunt. Sentiat ergo de Domino in bonitate, neque exiſtimet, eundem eſſe Legiſlatorem tam durum, ut homini bonæ voluntatis peccata imputet, pœnam decernat, ſuiſque præceptis redigere ad ſtultitiam, vel deſperationem velit.

Sextum eſt, ut ſe humiliet coram Deo, & orationibus, ac obſecrationibus inſtet, donec illuminari, & a ſcrupuloſitatis miſeria liberari mereatur. Quod ſi propriis precibus diffidat, aliena quoque ſuffragia imploret.

Septimum denique eſt, tollere cauſam, ex qua ſcrupuloſitas orta eſt: ſublata quippe cauſa tollitur & effectus, Unde ſi ſcrupuloſitatis malum originem traxerit ex cauſa naturali, v. gr. ex complexione melancholica, aut abundantia humorum, adhibeat ſcrupuloſus pharmaca, ad diminuendam, vel expellendam melancholiam, aut humorum abundantiam ordinata; utatur honeſtis recreationibus, & conſortio hilarium amicorum &c. Si originem traxerit ex converſatione cum ſcrupuloſis, vel lectione Authorum rigidorum, illorum ſocietatem, & iſtorum uſum declinet &c.

72. Dico ſecundo. Confeſſarius, ut ſcrupuloſo medeatur, ſe gerere debet, prout ſequitur.

Primo ante omnia allaborare debet, ut veniat in notitiam, an, & in quibus ſuus pœnitens ſit ſcrupuloſus. Nam ſicut prima corporalis Medici cura eſt noſſe & morbum, & ſtatum morbi in phyſice infirmo, incumbit Medico ſpirituali, qualis eſt Confeſſarius, id ipſum inquirere, & cognoſcere in ſuo pœnitente, ſeu moraliter infirmo. Ad quod præſtandum ſervient indicia *n.* 69. recenſita.

Secundo exigat a ſcrupuloſo promiſſionem, quod conſiliis ſuggerendis ſtare, & plene acquieſcere velit: ſecus æthiopem lavabit, oleumque, & operam perdet.

Tertio eidem inculcet obligationem nitendi contra ſcrupuloſos, eoſque pro viribus extirpandi. Quod ut cum fructu præſtitum ire poſſit, remedia *numer. praeced.* in hunc finem præſcripta arripiat, & applicet, neceſſe eſt.

Quarto audacter in ſe ſuſcipiat periculum, quod ſcrupuloſus ex actionibus contra conſcientiam ſcrupuloſam exercitis, aut exercendis, ſibi impendere putat, ſpondeatque, ſe rationem deſuper redditurum in die judicii.

Quinto gerat ſe inſtar Oraculi Delphici, authoritative, reſolute, ac ſine ulla hæſitatione ad interogata, vel propoſita reſpondendo: alioquin etiam ſcrupuloſus, fluctuationem Confeſſarii animadvertens, in parendo hæſitabit. Nec reſponſionis ſuæ ullam probationem, aut rationem afferat, ſaltem regulariter: experientia quippe conſtat, ſcrupuloſos inde magis intricari, & perplexos reddi, eo quod conentur rationem datam examinare, quam tamen ob capitis perturbationem, vel aliam cauſam non poſſunt rite penetrare.

Sexto non permittat ejuſmodi pœnitenti confeſſionem generalem inſtituere, niſi id forte exigat neceſſitas: eidemque præcipiat, ut a peccatorum præteritorum recordatione, perinde ac a maligna Dæmonis ſuggeſtione abhorreat: ſiquidem hæc talis peccatorum repetitio, aut recordatio non remedium, ſed ſeminarium ſcrupuloſorum eſt. Cognitiones turpes, tentationes infidelitatis, blaſphemiæ &c. ſi ſemel, aut iterum audire velit, judicans, id ad curationem, & conſolationem pœnitentis conferre, faciat in nomine Domini; ſed una illi perſuadeat, ſe id potius permittere conſolationis, quia neceſſitatis gratia, ſi non ſint peccata certa. Interdum etiam juvabit, pœnitentem ſcrupuloſum, ſi præter ſcrupulos nullam aliam materiam neceſſariam confeſſionis afferat, ſine abſolutione ad ſumendam S. Synaxin dimittere.

Septimo dubia interpretetur in partem benigniorem, & ſcrupuloſo favorabiliorem; nam dubia, quæ in non ſcrupuloſo forte peccata, in ſcrupuloſo peccata eſſe non præſumuntur. Unde conetur eidem perſuadere, ut nihil habeat pro peccato gravi, niſi certiſſime ſciat, vel etiam jurare poſſit, quod ſit tale, illudque commiſerit.

Octavo caute expiſcetur mores, & qualitates pœnitentium ſcrupuloſorum: inde enim fiet, ut quoſdam oporteat reprehendere, exterrere, & repellere: alios e diverſo conſolari, & exhortari, ne animo concidant, ne puſillanimes fiant, ſed infinita Dei bonitate confiſi ſuam operentur ſalutem. Quod ſi nactus ſit pœnitentem ſcrupuloſum laxæ conſcientiæ, eum ad timorem Dei, ad crebras item confeſſiones, & communiones peragendas inducat. Caveat tamen, ne ipſum plus æquo ſevere tractet: alias enim facile partim propter moleſtiam, quam etiam talis ſcrupuloſus in ſui correctione experitur; partim propter laxitatem conſcientiæ, qua laborare ſupponitur, omnem Confeſſarii curationem reſpuet, & in barathrum deſperationis præcipiatus æternaliter peribit.

CAPUT II.

De Conſcientia Dubia.

ARTICULUS I.

Præmittuntur nonnullæ Quæſtiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

73. *Dubium in prima ſui diviſione eſt duplex, videlicet* objectivum, & formale. 74. *Formale ſubdividitur in varia membra.* 75. *Conſcientia dubia dividitur eodem modo, quo dubium formale, unde ſuam appellationem ſumit.*

73. QUæres primo, quotuplex ſit dubium in genere, ſeu in prima ſui diviſione?

Reſpondetur eſſe duplex, videlicet *objectivum*, & *formale*. Primum eſt quælibet res, de qua dubitamus, vel dubitare poſſumus. Ubi advertendum, denominationem hujus dubii non eſſe rebus intrinſecam, ſed mere extrinſecam; nam quælibet res in ſe eſt certa, & determinata; quia quodlibet eſt, vel non eſt, veluti lumine naturæ notum. Provenit ergo illa denominatio a noſtra dubitatione vel actuali, vel habituali, quatenus nempe de rebus vel actu, vel habitu, & potentia dubitamus. Secundum eſt ſuſpenſio intellectus, quaſi in æquilibrio hærentis inter duo contradictoria ſibi propoſita, quorum neutri aſſenſum, vel diſſenſum præbet. Atque hoc dubium præſentis eſt inſtituti, utpote a quo conſcientia dubia, de qua hic agimus, ſuam appellationem ſumit. Ceterum, ut ex primum data definitione eruitur, tria ad conceptum eſſentialem dubii poſteriore modo conſiderati neceſſaria ſunt, eaque collective ſumpta, ita, ut, ſi vel unum deficiat, conceptus ejuſmodi dubii ſubſiſtere non valeat. *Primum* eſt cogitatio de utraque parte contradictionis: dubitatio quippe dicit ordinem ad veritatem utriuslibet per modum ſolicitæ inquiſitionis, & velut interrogationis, utra ſit vera? *Secundum* eſt ſuſpenſio judicii inter ambo extrema contradictionis; nam ſi intellectus ad alterutrum ſe determinet, vel inclinet, tollitur æquilibrium; atque adeo non amplius dubitat, ſed vel opinatur, vel ſuſpicatur. *Tertium* eſt, ut ſuſpenſio judicis fiat ex defectu motivi *actualiter* determinantis ad aſſenſum, vel diſſenſum, ſi enim fiat ex alia cauſa, v. gr. ex diſtractione intellectus circa alia objecta occupati, non ſufficit ad conſtituendum dubium proprie dictum. Tunc igitur intellectus proprie dubitat, quando propoſita utraque contradictionis parte ideo præciſe neutri aſſenſum, vel diſſenſum præbet; quia caret ſufficienti motivo, quo ad ferendum judicium *actualiter* determinetur; & quia vel explicite, vel ſaltem implicite, virtualiter reputat rem eſſe incertam. Quod bene notandum eſt: ſiquidem inde colligitur, quare is, qui circa aliquod fidei myſterium tentationes patitur, aliquando committat pec-

tat peccatum infidelitatis, & aliquandn non. Committit enim hujusmodi peccatum, si in ea dispositione animi argumenta mysterio fidei adversantia ruminet, ac si, etiam comparata cum argumentis pro veritate, & certitudine mysterii stantibus, essent alicujus momenti: tunc enim proprie dubitat, & dubitando peccat contra fidem; quia motiva fidei affective minoris æstimat, quam ut in illa feratur tanquam summe digna assensu, propterque ea contemnat argumenta contraria. Nec refert, quod ita dubitans non eliciat dissensum positivum contra mysterium fidei, circa quod tentatur: sufficit enim, quod erronee judicet, saltem virtualiter, de ejus infallibilitate, utpote quæ & ipsa de fide est. Non autem committit peccatum infidelitatis, quando argumenta mysterio fidei adversantia (esto appareant ipsi difficilia) vel expresse contemnit, vel non tanti æstimat, ut propter ea mysterium fidei reputet incertum, nec prudenti assensu dignum: qui enim ita tentatur, non dubitat; cum non suspendat assensum, quasi judicet, sive formaliter, sive virtualiter, se destitui motivis ad illum sufficienter determinativis; sed quod existimet v. g. præceptum de eliciendo assensu fidei hic, & nunc non urgere &c. Ita P. Babenstuber *disp.* 3. *art.* 1. §. 1. *n.* 2. & 3.

74. Quæres secundo, quotuplex sit dubium formale?

Respondetur illud varie dividi: Et quidem 1. in *positivum*, & *negativum*. Positivum est suspensio judicii proveniens ex æqualitate mediorum, seu motivorum pari pondere in utranque contradictionis partem inclinantium. Exemplum est, quando proposita quæstione, *sitne licitum pingere die festo, an non?* offerunt se argumenta utrinque probabilia, &, quantum est ex se, ad prudentem assensum, aut dissensum sufficientia, ita tamen æqualia, & se mutuo elidentia, ut intellectus vi illorum non magis impellatur ad affirmandum, vel negandum unum, quam alterum, esto per actum reflexum judicare possit, illa ipsa motiva sufficere, ut, accedente imperio voluntatis, huic, vel illi contradictionis parti assensum, vel dissensum præbeat; adeoque opinionem, & conscientiam probabilem formet; prout patebit ex dicendis *disp. seq.* Dubium negativum in moralibus est suspensio judicii proveniens ex defectu mediorum, seu motivorum sufficienter inclinantium ad præbendum assensum, vel dissensum huic, aut illi parti contradictionis. Exemplum est, si Clerico examinanti conscientiam, *an heri recitaverit Completorium, nec ne?* occurrant quidem rationes etiam positivæ, non tamen adeo momentosæ, ut intellectum ad prudentem, ac probabilem sive assensum, sive dissensum determinare possint. Dixi: *in moralibus*; nam in physicis, sive metaphysicis etiam dubitare negative dicitur, qui circa utramlibet contradictionis partem, v. g. *an stellæ pares sint, nec ne?* judicium suspendit ob defectum omnis motivi ad assensum, vel dissensum impellentis. At in moralibus dubium negativum hujus generis, cum sit irrationabile, & indiscretum, locum non habet, nec meretur nomen dubii, sed potius nescientiæ, seu ignorantiæ. Neque dicas: si in moralibus dubium negativum oriatur ex aliqua ratione positiva, appellandum erit positivum, non negativum. Contra enim est, quod hanc suam denominationem, qua negativum appellatur, non sortiatur a carentia omnis rationis positivæ, sed a carentia sufficientiæ ad formandum judicium, quæ reperitur in ratione positiva: prout recte notat P. Babenstuber *loc. cit. n.* 5.

Dividitur dubium formale 2. in *dubium Juris*, & *dubium facti*. Dubium Juris est, quo dubitatur de lege, ejusve obligatione; vel de valore, aut licentia actus &c. e. g. an lex sit lata, vel præceptum impositum Clericis recitandi Horas Canonicas? an ad eas dicendas obligetur Subdiaconus recens ordinatus? an testamentum, debita solemnitate destitutum, in foro interno valeat? an licita sit in die jejunii secunda refectio itinerantibus? Dubium facti est, quo dubitatur de existentia actus, vel circumstantiæ alicujus: e. g. an votum emiseris? Vesperas recitaveris? tui compos extiteris &c.? Sæpius tamen quæstio, ac dubium facti post se trahit, ac infert dubium Juris, & vicissim: ut si dubites, an votum feceris? quod est dubium facti, nasci inde potest dubium Juris, an ad votum explendum sis obligatus? si dubites, an lex obliget? quod est dubium Juris, emergere inde potest dubium facti, an sit promulgata &c. prout recte notat P. Paulus Mezger *tr.* 5. *disp.* 12. *art.* 1. *n.* 3.

Dividitur 3. dubium formale, (sed Juris tantum) in dubium *speculative practicum*, & *practice practicum*. Primum (quod etiam *generale* nuncupant) versatur circa actionem aliquam (vel omissionem) secundum se, & quasi in genere spectatam, abstrahendo a circumstantiis particularibus, saltem aliquibus, quibuscum hic, & nunc sit exercenda. Alterum (quod etiam *particulare* vocant) versatur circa operationem affectam omnibus circumstantiis, & in praxi exercendam: seu (quod in idem recidit) versatur circa rem, prout me hic, & nunc operantem respicit. Priore modo dubiat, qui dubitat absolute, an *e. g.* liceat die festo iter agere? die jejunii comedere ova, & lacticinia? Posteriore modo dubitat, qui dubitat, an sibi isto die festo, in isto negotio, in ista occasione licitum sit itinerari? isto die jejunii, in ista provincia, in ista occasione &c. ovis, & lacticiniis vesci &c.? Dubium speculative practicum Authores speculativum, & practice practicum appellare practicum sine addito solent: quibuscum & nos faciemus, tametsi reipsa utrunque suo modo (primum videlicet imperfecte, alterum vero perfecte) practicum sit.

Dixi per parenthesin: *sed Juris tantum*: nam dubium facti, cum versetur circa actum præteritum, mere speculativum est; & consequenter præfato modo dividi non potest: prout patebit consideranti regulas divisionis.

Tandem dubium omnibus prædictis modis acceptum vel est *vincibile*, quod adhibita diligenti veritatis inquisitione deponi potest; vel *invincibile*, quod post diligentem inquisitionem deponi non potest.

75. Quæres tertio, quomodo conscientia dubia dividatur?

Respondetur, eam dividi eodem modo, quo hucusque divisimus dubium formale, a quo suam appellationem sumit. Nam alia est dubia *positive*, alia *negative*, alia dubia dubio *Juris*, alia dubio *facti*: alia *speculative*, alia *practice*: alia denique *vincibiliter*, alia *invincibiliter* talis: quamvis, ut omnium harum divisionum capax sit, sumi debet late, & prout se extendit non solum ad actus præsentes, & futuros, sed etiam præteritos. Rede dicta *disp.* 1. *c.* 1. *art.* 2. & cum regulis divisionis confer.

ARTICULUS II.

An liceat operari cum Conscientia Dubia?

SUMMARIUM.

76. Licet operari cum conscientia speculative dubia, quando dubium speculativum adhibita morali diligentia deponi non potest, eique subnectitur judicium practice certum de honestate operationis. 77. Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia. 78. & seq. Solvuntur objectiones. 81. Operans cum conscientia practice dubia tale peccatum committit, quale esse dubitat.

67. DIco primo. Licet operari cum conscientia speculative dubia, quando dubium speculativum adhibita morali diligentia deponi non potest, neque subnectitur judicium practice certum de honestate operationis. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 30. q. 1. & alii DD. communissime.

Probatur. Qui prudenter, & practice certo judicat, se licite, & honeste operari, is licite & honeste operatur: sed contingit, ut speculative dubitans prudenter, & practice certo judicet, se licite, & honeste operari; ergo &c. Min. ostenditur in exemplo. Nam speculative dubitans, an liceat die festo pingere? potest prudenter, & practice certo judicare, id sibi licere ob magnam necessitatem; ergo cum dubio speculativo stare potest judicium prudens, & practice certum de licentia, & honestate operationis.

Confirmatur. Cum judicio speculativo de inhonestate operationis componi potest judicium prudens, & practice certum de licentia, & honestate illius, eaque licite exerceri; ergo etiam, & a fortiori, cum dubio speculativo. Cons. patet. Ant. ostenditur: quia ex alio prin-

principio pendet judicium ſpeculativum, puta ex objecto ſecundum ſe ſpectato, & ex alio practicum, videlicet ex objecto prout ſubſtante certis circumſtantiis, quæ in moralibus objectum omnino variant; ergo haud apparet, cur componi, & ſimul ſtare non poſſint. Unde licet Judæi 1. *Mach. c.* 2. ſpeculative cognoverint, præliari die Sabbati eſſe illicitum, quippe Lege Moſaica vetitum, practice tamen judicarunt, ad illicitum non eſſe advertendum periculum excidii integræ Nationi impendentis.

Dixi in concl. *quando dubium ſpeculativum adhibita morali diligentia deponi non poteſt, eique ſubneſtitur &c.* Horum quippe alterutrum ſi deficiat, peccat, qui cum conſcientia ſpeculative dubia operatur. Nam ſi deficiat primum, ſeu ſi non ſit adhibita moralis diligentia in inquiſitione veritatis ad vincendum, & deponendum dubium ſpeculativum, adeſt vincibilis, & culpabilis ignorantia, quæ actionem dubitantis inficit, & peccaminoſam efficit. Si deficiat ſecundum, ideſt regula proxime directiva actionis, qualis eſt judicium, ſeu conſcientia practice certa de honeſtate operationis, ſine qua quisquis operatur, cæce, & imprudenter operatur, adeoque peccat; cum operatio imprudens in materia morum culpa vacare nequeat. Ad formandum autem hujuſmodi judicium practice certum requiritur aliquod principium, ex cujus influxu reſolutio practica procedat: prout explicate dicemus *art. ſeq.*

77. Dico ſecundo. Nunquam licet operari (ſubintellige, contra legem) cum conſcientia practice dubia. Ita denuo Scotus *q.* 2. *Prologi in fin.* & alii paſſim.

Probatur primo. Quiſquis operatur in genere moris imprudenter, peccat: ſed operans cum conſcientia practice dubia operatur in genere moris imprudenter; ergo non licet operari cum conſcientia practice dubia. Maj. eſt certa, & conſtat ex proxime dictis. Min. vero oſtenditur, & declaratur. Nam in primis modo præd. operans deſtituitur proxima regula prudentiali, operationis directiva, cum non operetur ex dictamine conſcientiæ, quo judicet, ſe hic, & nunc licite operari. Deinde amat periculum peccati, & quidem proximum, quippe cui libere ſeſe exponit eligendo actionem, de qua non habet majus fundamentum credendi, quod ſit licita, quam illicita. Sed hoc eſt operari in genere moris imprudenter, prout nemo non videt; ergo &c.

Probatur ſecundo. Ille operando peccat, cui malitia operis eſt interpretative voluntaria: ſed operandi cum conſcientia practice dubia de honeſtate operationis malitia operis eſt interpretative voluntaria; ergo &c. Maj. ſupponitur ex dicendis *tr.* 3. *diſp.* 2. *de peccatis*, ubi cum communi trademus, ad rationem peccati ſufficere voluntarium interpretativum. Min. autem hic oſtenditur, & declaratur. Nam operans cum conſcientia practice dubia abſolute vult rem, & operationem, ſive ea ſit prohibita, ſive non; ſive placeat Deo, ſive diſpliceat; ergo convincitur velle ipſam quoque malitiam, quæ operationem concomitatur, ſeu conſequitur; & conſequenter malitia operis ipſi eſt voluntaria interpretative, ſicut ægroto interpretative voluntarium eſt incrementum infirmitatis, profectum eſt medicina, quam ſumpſit, dubitans, num obeſſet potius, quam prodeſſet.

78. Objicies primo. Licet operari cum conſcientia ſpeculative dubia; ergo etiam cum practice dubia.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas eſt: quia cum conſcientia ſpeculative dubia conſiſtere poteſt judicium practice certum de licentia, & honeſtate actionis, prout relinquitur ex dictis: non item cum conſcientia practice dubia: implicat enim ſtare ſimul judicium, & ſuſpenſionem judicii de eodem prorſus objecto: cum ergo judicium practice certum de honeſtate operationis, & ſuſpenſio ejuſdem judicii, in qua dubium practicum conſiſtit, reſpiciant idem prorſus objectum, id eſt, iiſdem in individuo circumſtantiis veſtitum, ſimul ſtare non poſſunt.

79. Objices ſecundo. Non peccat, qui eligit operationem minus probabiliter licitam; ergo nec peccat, qui eligit operationem dubie licitam.

Reſpond. neg. conſ. ſi intelligatur de dubio practico. Diſparitas eſt: quia operatio, quæ vi judicii directi apparet minus probabiliter licita, vi judicii reflexi, in directo fundati, apparet certo licita: & conſequenter illam exercens non peccat peccandi ſaltem formaliter, hoc ipſo, quod in operando cum ſe non exponat periculo ſequatur judicium prudens, & practice rectum de licentia, & honeſtate operationis, quale eſt judicium illud reflexum, a quo operatio ſuam moralitatem deſumit. Secus eſt de operatione, quæ ponitur cum dubio practico: hoc quippe quandiu perſeverat, non comparitur, nec fundat judicium aliquod rectum, & certum de honeſtate operationis (imo nec probabile, eſto ad iſtud ultimum formandum, ſi dubium ſit utrinq; poſitivum, motiva de ſe ſufficientia præbeat) adeoque cum illo operans exponit ſe periculo proximo formaliter peccandi, & reipſa peccat; cum non habeat regulam prudentialem, qua operatio, quam exercet, dirigatur, ſuamque honeſtatem derivet.

80. Objicies tertio. Ut quis operando peccet, debet cognoſcere, objectum, circa quod operatio verſatur, eſſe malum: ſed operans cum conſcientia practice dubia non cognoſcit objectum, circa quod operatio verſatur, eſſe malum; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. maj. Debet id cognoſcere vel certe, vel dubie, con. ſemper certe, neg. maj. & diſtinctione applicata minori, conſ. Ut quis peccet, ſatis eſt, quod dubie cognoſcat malitiam objecti, in quod tendit: quia hujuſmodi dubia cognitio trahit poſt ſe judicium certum ex Synteresi deductum, quod dictat, illicitum eſſe, ingerere ſe periculo proximo Deum offendendi.

81. Colliges, operantem cum conſcientia practice dubia peccare tali peccato, quale eſſe dubitat. Ratio eſt: quia tali, ac tanto peccato quis peccat, qualis & quanti periculo ſe exponit: ſed operans cum conſcientia practice dubia exponit ſe periculo perpetrandi talia, ac tanta peccata, qualia, & quanta eſſe dubitat; ergo &c. Hinc qui practice dubitat, an peccatum, a ſe committendum, ſit furtum, ſacrilegium, vel adulterium? committit furtum, ſacrilegium, vel adulterium, ſi operetur. Rurſus, qui dubitat, an actio, quam vult exercere, ſit peccatum mortale? peccat mortaliter, ſi eam exerceat, venialiter autem, ſi dubitet, an ſit veniale, vel omnino nullum? quod ideo addo: quia ſi dubitet, an ſit veniale, vel mortale? non veniale, ſed mortale committit: tum quia in ejuſmodi dubio ſubeſt periculum peccandi mortaliter: tum quia peccati gravitas ſequitur deteriorem, & graviorem partem dubii, idque ob periculum, cui operans ſe objicit: prout notant Sanct-Gallenſes *loc. cit. q.* 4. *concl.* 4. Quod ſi dubitet in genere, tenendum proportionaliter, quod dictum eſt in ſimili ſupra *n.* 58.

ARTICULUS III.

De Principiis, quibus dubitans, nec peccet, ſe conformare debet.

SUMMARIUM.

82. *Recenſentur principia, dependenter a quibus dubitans, ne peccet, ſe reſolvere debet.* 83. & 84. *Tam intra, quam extra materiam Juſtitiæ in dubio melior eſt conditio poſſidentis.* 85. *Oſtenditur, quomodo prædictum axioma dubitanti ſervire poſſit ad formandam conſcientiam practice certam de honeſtate operationis.* 86. *Undenam extra materiam Juſtitiæ deſcerni valeas, ſtetne poſſeſſio pro lege, vel libertate?* 87. & 88. *Exponitur, & applicatur hæc regula:* Cum ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potius, quam Actori. 89. *Quomodo intelligenda, & dubitanti applicanda ſit iſta regula?* In dubiis præferenda ſunt benigniora: 90. *Quando, & qualiter applicari poſſit hæc regula:* Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facere licitum? 91. *Quis ſit ſenſus, & applicatio hujus axiomatis:* Inter duo mala minus eſt eligendum? 92. *Explicantur, & applicantur quædam alia principia.* 93. *Quomodo intelligenda, & in praxim deducenda ſit ſequens regula:* In dubiis tutior pars eſt eligenda?

82. OMnis de honeſtate, & inhoneſtate operationis, quam intendit exercere, dubitans ſive ſpeculative tantum, ſive etiam practice tenetur, ad evadendum peccatum, ſibi formare conſcientiam practice certam de honeſtate illius operationis, prout relinquitur ex ſæpe dictis. Aliter tamen hujuſmodi conſcientiam formare poteſt dubitans ſpeculative, & aliter dubitans practice: prior enim id præſtare poteſt, etiam retinendo dubium, quando hoc poſt debitam veritatis inquiſitionem deponere nequit; at poſterior non niſi expellendo dubium: dubium nanque ſpeculativum, ſi ſit invincibile, poteſt; practicum vero non poteſt cum conſcientia practice certa de eadem re, & operatione conſiſtere; veluti patet ex *art. præced.*

Hoc ſuppoſito, oportet adducere principia, quæ ad formandam ejuſmodi conſcientiam ſervire poſſunt. Revocantur ea ad duo quaſi genera: alia quippe ſunt, & dicuntur *intrinſeca, ac directa*, alia *extrinſeca, ac indirecta*, & veluti *reflexa*. Intrinſeca ſunt, quæ ex ipſo proprio ſtatu quæſtionis propoſitæ eruuntur. Et hæc, ſi certa ſint, ac rite penetrentur, videntur expellere dubium etiam ſpeculativum proprie dictum; prout bene advertunt Sanct-Gallenſes *tract.* 3. *ſection.* 4. *quaſt.* 4. ſecus, ſi ſolum ſint probabilia. Extrinſeca dicuntur, quæ aliunde, ſeu ab ex-

trinseco petuntur: qualia sunt fere sequentes regulæ, & axiomata: *In dubio melior est conditio possidentis: Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori: In dubiis præferenda sunt benigniora: Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: Inter duo mala minus est eligendum &c.* Item *Authoritas prudentum; Exemplum bonorum: Tolerantia Legislatoris: Consuetudo universalis Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum Tribunalium praxis &c.* Ad hæc, & similia principia extrinseca dubitanti recurrendum est, & ex iis, vel aliquo eorum formanda conscientia practice certa de honestate operationis, quam ponere intendit, si idem præstare nequeat ex principiis intrinsecis, sed ex his anceps maneat. Quod si neque ex principiis intrinsecis, neque extrinsecis practice se resolvere, & certitudinem de honestate operationis sibi comparare valeat, nulla alia eidem suppetit via, vel modus evitandi peccatum, quam ut ab operatione, de cujus honestate dubius est, abstineat, conformando se celebratissimæ illi regulæ: *In dubiis tutior pars est eligenda.* De principiis intrinsecis, si certa sint, nulla est controversia; bene vero, si sint tantum probabilia: sed hanc speciali Disputationi, proxime secuturæ, reservamus. Unde impræsentiarum, seu in hoc articulo solum de principiis extrinsecis scitu necessaria declaratum ibimus.

83. Quæres jam primo, in quibusnam materiis valeat illud axioma: *In dubio melior est conditio possidentis?* & qualiter dubitans formare ex eo possit conscientiam practice certam de honestate operationis?

Respondetur primo. Valet juxta communissimam in materia justitiæ. Ratio est: quia *in pari delicto, & causa melior est conditio possidentis*, ait *regula 65. J. in 6.* sed possidens v. g. fundum, & dubitans, an sit suus, vel alterius? & non possidens fundum, dubitans tamen, an non sit suus? versantur in pari causa, dubii videlicet juris, quod (ut hic supponitur) non magis uni favet, quam alteri; ergo melior est conditio possidentis fundum, quam non possidentis. Atqui non esset melior, si teneretur fundo, quem possidet, cedere, vel eum dividere; ergo salva conscientia illum retinet, nec restituere, aut dividere tenetur.

Confirmatur. Ille est melioris conditionis præ altero, qui simpliciter habet jus majus ad rem illam, de cujus dominio dubitatur: atqui possessor habet simpliciter jus majus, quam non possessor: quia ille præter jus dubium proprietatis, quod habet æquale cum isto, habet insuper titulum, & jus certum possessionis; ergo possessor est melioris conditionis præ non possessore: idque non solum in foro externo, ubi præsumitur esse rei dominus, sed etiam interno, utpote cujus judicium non debet esse aliud a judicio fori externi, quandiu non constat præsumptionem, cui hoc innititur, esse falsam.

84. Respondetur secundo. Prædictum axioma locum quoque habet in materiis aliarum virtutum a Justitia diversarum, puta Religionis, Obedientiæ, Temperantiæ &c. saltem per se loquendo, & seclusa lege positiva, quæ expresse aliud in aliquo casu statuat. Ita DD. communius, maxime Theologi, cum Sanchez *lib. 1. Decal. c. 10, n. 11.* Palao *tr. 1. disp. 8. pun. 6. n. 1.* Herincx *disp. 4. q. 4.*

Antequam vero nostra responsio ratione firmetur, sciendum, etiam dari possessionem rerum ad Justitiam non pertinentium. Sic quilibet possidet sua libertatem, vi cujus licite potest operari, vel non operari, quando nec operatio, nec operationis omissio prohibita est. Sic legitimus Superior possidet potestatem præcipiendi suis subditis &c. Nam licet olim possessio per Juris Civilis Interpretes agnita non fuerit, nisi in rebus corporeis, postmodum tamen usus obtinuit, ut juribus quoque incorporeis accomodaretur, idque ob paritatem, imo identitatem rationis. Unde si quis Petrum v. g. per vim, vel fraudem impediret ab elargitione eleemosynæ, non solum delinqueret contra Misericordiam, quatenus esset causa, nec opus illius virtutis exerceretur, sed etiam contra Justitiam; quia læderet jus, quod habet, & possidet Petrus, ne a quopiam per vim, vel fraudem in exercitio suæ libertatis, boni operis &c. impediatur, cujus juris possessio est debita titulo Justitiæ, tametsi id, quod possidetur, non sit objectum Justitiæ. Ita P. Babenstuber *loc. cit. art. 2, n. 12.* Hoc supposito,

Ratio responsionis est: quia illud ipsum motivum, ob quod intra materiam Justitiæ in dubio melior est conditio possidentis, etiam urget extra materiam Justitiæ; ergo &c. Ant. prob. Ideo enim intra materiam Justitiæ melior est conditio possidentis, quia possessor præter jus dubium, quod habet æquale cum non possessore, habet insuper titulum, & jus certum possessionis: sed etiam possessor extra materiam Justitiæ præter jus dubium habet jus certum possessionis; ergo &c. Min. ostenditur, & declaratur. Dubitet v. g. Cajus adolescens (post sufficientem veritatis inquisitionem) an expleverit annum ætatis vigesimum primum (quod est dubium facti) teneaturque jejunare (quod est dubium Juris) in hac hypothesi Cajus plene possidet suam libertatem, vi cujus licite potest jejunare, vel non jejunare sicut eandem possederat ante exortum dubium: quia enim lex jejunandi respectu Caii dubia, non habet vim obligandi, prævalere non potest adversus libertatem hucusque ab ipso possessam; ergo Cajus præter jus dubium exemptionis a lege jejunii, habet insuper jus certum possessionis suæ libertatis, vi cujus proinde ipsius conditio est melior, quam legis de jejunando suam obligationem non possidentis.

Dixi in respons. *per se loquendo, & seclusa lege positiva, quæ expresse aliunde in aliquo casu statuat:* uti fit in dubio homicidii, ubi per *c. 12. & c. 16. de homicid.* constituitur, ut dubitans, non obstante possessione innocentiæ, se gerat tanquam irregularem (idque propter reverentiam SS. Ordinum, & ministerii altaris) quando nimirum constat de corpore delicti, seu homicidii facti, & solum dubitatur, an ipse actione sua in illud efficaciter influxerit. Quæ tamen specialis constitutio, cum sit odiosa, utpote restrictiva libertatis, non debet extendi ad alios casus, ibidem non expressos; in quibus proinde omnibus semper obtinet præmemorata regula: *In dubio melior est conditio possidentis.*

85. Respondetur itaque tertio. Eadem regula, sive axioma dubitanti apprime servit in- & extra materiam Justitiæ ad formandam conscientiam practice certam de honestate operationis. In materia Justitiæ a possessore fundi v. g. si post diligentem veritatis inquisitionem adhuc dubitet, præfata conscientia sic formari poterit: *Illam rem licite retineo, eaque juste utor, cujus præsumor esse dominus, & in cujus dubio jure melior sum conditionis, quam omnis alius competens; sed ego ob legitimam possessionem præsumor esse dominus hujus fundi, & sum melioris conditionis, quam omnis alius competens; ergo hunc fundum licite retineo, eoque juste utor.* Hoc, inquam, modo possessor fundi recte format conscientiam practice certam de licentia illum retinendi, deposito dubio practico, tametsi perseveret speculativum, quod ipsum tamen variatur per accessum practicæ resolutionis. Extra materiam Justitiæ Cajus v. g. in casu posito supra ita dubium practicum deponet, formabitque conscientiam certam, quod jejunare non teneatur: *Illam legem non teneor observare, contra cujus obligationem prævaleat mea libertas: sed contra obligationem legis de observando jejunio, utpote dubiam, prævalet mea libertas, quippe in cujus certa possessione hucusque fui, & adhuc sum; ergo non teneor observare legem jejunii; ergo non teneor hic; & nunc jejunare.*

86. At istis positis remanet adhuc dubium, unde extra materiam Justitiæ discerni valeat, stetne possessio pro lege, vel pro libertate? pro delicto vel pro innocentia?

Ad hoc dubium eximendum P. Mezger. *tr. 5. disp. 12. art. 3. n. 13.* duas assignat regulas, quarum una præcipue deservit in dubio Juris, & altera in dubio facti. *Prima* est; In dubio Juris oportet attendere, num id, quod potest inducere obligationem, & arctare libertatem, existat atque sit positum, antequam dubium oriebatur, vel non? Si constet, esse positum ante dubium exortum, lex, ejusque obligatio est in possessione. Si id non constet, possessio stat pro libertate. E. G. si dubites de impletione voti, quod scis te emisisse, votum possidet: quia ipsius existentia tuo dubio præsupponitur; unde, non obstante ejusmodi dubio, ad impletionem voti obstringeris. E diverso si dubites, num votum emiseris, tua libertas, utpote quæ dubium antecedit, est in possessione; ut proinde non obligeris ad solutionem voti. *Secunda* regula est: in dubio facti videndum, pro quanam parte stare præsumptio Juris, & fori externi; nam pro illa quoque stabit possessio. Ratio est: quia Jus nihil temere, & absque rationabili causa præsumit; ergo dum præsumit in favorem unius partis, recte judicatur, possessionem, de qua est dubium, stare ab hac parte, utpote quæ nititur conjectura tam verosimili, ut habeatur pro veritate ipsa, quandiu nulla probatio efficacior in contrarium affertur. Unde si cui imputetur delictum, is tandiu manet in pos-

fessione

sessione suæ innocentiæ, quandiu delictum non probatur: quia præsumptio stat a parte innocentiæ, & non delicti; quippe quod *non præsumitur, sed demonstrari debet, & affirmanti incumbit probatio, l. 2. de probat.* Pariter si quis versetur in dubio editi voti, vel conditi testamenti, non est censendus vovisse, aut testamentum condidisse; utpote quæ, cum sint quid facti, probari debent, non præsumi juxta celebre axioma juridicum: *Factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet.* Quod tamen intellige de ipso facto principali, non autem de accessoriis ad illud: hæc quippe præsumuntur, si de facto principali constet. Unde si quis sciat se vovisse, dubitet vero, an cum sufficienti deliberatione voverit, tenetur voto, juxta hoc axioma: *Factum in dubio præsumitur, si illud de Jure faciendum erat, aut communiter fieri solet, aut ex natura inest.* Atqui ex natura, & communi hominum modo operandi inest, ut quis in gravi negotio, & oneris susceptione, cujusmodi est votum, cum sufficienti deliberatione procedat; ergo in dubio sufficiens deliberatio præsumitur, quando de voti emissione constat. Idem tenendum de aliis actibus internis: hi namque semper præsumuntur intervenisse, quando constat de externis: v. g. scis, te esse confessum, præsumere potes contra dubium, quod elicueris debitum dolorem, & propositum emendationis: atque ita de ceteris. Sporer n. 78. Stoz lib. 1. p. 5. n. 130. La Croix n. 91. & alii passim.

At quid, si dubitetur, utrinam partium faveat præsumptio Juris?

Respondetur, explorandum tunc esse, quænam illarum onus probandi transferat in adversariam. Hoc invento, præsumptio Juris pro illa parte stare censenda est, quæ transfert prædictum onus. Bardi *discept. 5. c. 5.* alii.

87. Quæres secundo, quomodo intelligenda, & huc applicanda veniat ista Juris Regula: *Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori?*

Respondetur primo, id, quod in hac regula continetur, posse dupliciter contingere. 1. quia actor nihil probavit. 2. quia utrinque probationes sunt æquales. Ad priorem modum pertinet illa Juris sententia: *Actore non probante reus absolvitur, etiamsi nihil præstiterit; cap. fin. §. fin. de jurejur. l. 4. Cod. de edendo*: id est: tametsi reus nullum in re jus habeat, solaque possessione se tueatur, *l. fin. Cod. de rei vindicat.* Posteriorem modum quod attinet, ubi æqualis est utrinque probatio, decisio debet fieri secundum illud, quod traditur, *c. 3. v. quod si amborum de probat.* ibi: *Promptiora sunt Jura ad absolvendum, quam condemnandum.* Ubi tamen excipiendum: si de re favorabili sit controversia: tunc enim actori magis favetur; ut puta si agatur pro libertate, pro dote, pro testamento, pro matrimonio; aut sit præsumptio pro actore *cap. fin. & §. fin. cit. de jurejur.*

88. Respondetur secundo, memoratam regulam posse reduci ad præcedentem, & applicari ad ampliorem illius confirmationem; veluti patet in hoc discursu, quem possessor fundi supra sic instituere potest: *quando jura partium sunt obscura, reo potius est favendum, quam actori: atqui jura partium in dubio sunt obscura; ergo in dubio reo potius est favendum, quam actori. Sed ego possidens sum reus, & non possidens actor; ergo mihi ceu possidenti potius est favendum, quam non possidenti. Atqui non faveretur mihi, si fundum, quem possideo, tenerer cedere non possidenti; ergo cedere non teneor; ergo juste retineo.* Quare & ista regula locum habet in utroque foro, sicut præcedens, & ob eandem rationem.

89. Quæres tertio, quis sit sensus, & quænam ad præsens institutum applicatio sequentis Regulæ: *In dubiis præferenda sunt benigniora.*

Respondetur. Si hæc regula intelligatur de legibus, & caussis pœnalibus (in quibus præcipue locum habet) simillima est istis: *In pœnis benignior est interpretatio facienda*: &: *Odia restringi, & favores convenit ampliori.* Quæ regulæ itidem procedunt non solum in foro fori, sed etiam conscientiæ: si enim Judex in foro fori aliquem punire non debet, quando delictum, ob quod pœna a Jure decreta est, non est satis liquidum; multo minus tenebitur aliquis seipsum condemnare, & pœnam in seipso exequi. Quare si dubites, utrum lex censuram v. g. alicui delicto annexuerit (quod est dubium Juris) vel utrum illud delictum commiseris (quod est dubium facti) adhibitaque sufficienti veritatis inquisitione, rescire, sive unum, sive alterum; nequeas; præfer id, quod benignius est, & judica, censuram non esse annexam, vel delictum commissum. Rursus, si dubites, an peccatum aliquod sit reservatum, existima, non esse reservatum: quia in legibus odiosis verba stricte accipienda sunt, & delictum certum, ac consummatum. Item si susceperis Ordines incertus de ætate completa, esto suscipiendo peccaveris, non tamen incurristi pœnam suspensionis latam in eos, qui ante legitimam ætatem ordinantur: cum enim conveniat odia restringi, Canones, suspensionem infligentes, intelligendi sunt relate ad illos, qui cum scientia incompletæ ætatis, non autem cum dubio tantum, Ordines suscipiunt. Abstinendum tibi nihilominus erit ab usu Ordinum susceptorum, donec constet de ætate completa: sicut enim non poteras, nisi deposito dubio, licite Ordines suscipere, ita nec licite potes in susceptis ministrare. Augustinus Michel *tr. 3. q. 1. §. 3. pun. 2. num. 32.* Denique quando dubium est, quæ pœna sit statuta, vel in verbis legis sit ambiguitas, aut lex delictum prosequatur variis pœnis, semper mitior pœna amplectenda est, nec, etiam ex similitudine rationis, ad casus non comprehensos extendenda. Excipe, quod sub nomine excommunicationis simpliciter prolato intelligatur major excommunicatio: & hoc ideo; quia illa aptior est ad continendos homines in officio Christiani hominis, quam excommunicatio minor.

90. Quæres quarto, quando & qualiter applicari possit ista Regula: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum?*

Respondetur, istam regulam non esse applicabilem in illis, quæ Jure naturali sunt illicita, & ideo prohibita, quia mala; ut sunt perjurium, hæresis, adulterium &c. hæc enim, & his similia nullo unquam casu possunt licite fieri: sed solum in iis, quæ sunt illicita ex lege positiva, sive Divina, sive humana. Unde David 1. *Reg.* 21. licite comedit panes propositionis ob extremam necessitatem famis, tametsi eorum comestio vi Legis antiquæ laico fuerit prohibita. Ex eadem regula se resolvere potest ægrotus die jejunii per præceptum Ecclesiæ indicti, quod non teneatur jejunare propter infirmitatem, qua detinetur.

91. Quæres quinto, quo sensu accipiendum, & applicandum sit hoc axioma: *Inter duo mala minus est eligendum?*

Respondetur, accipiendum esse hoc sensu: quando voluntas inter duo, quorum utrunque repugnat legi, necessario amplecti debet alterutrum, tenetur præeligere illud, quod ipsi repræsentatur ut minus malum, relicto altero, quod repræsentatur ut magis malum. Exempla aliqua attulimus *disp. præced. cap. 4.* & hic superaddimus unum. Titius die festo inservit ægroto, eumque prævidet probabiliter moriturum tempore, quo audienda esset Missa. Quid jam agat? si relinquat moribundum, existimat, se peccare contra præceptum virtutis Misericordiæ: si omittat Missam, contra præceptum Ecclesiæ. Nulla, perseverante hoc dubio, superest alia via peccatum evadendi, quam eligere illud, quod repræsentatur ut minus malum. Ratio est: quia cum Titius destituatur libertate sufficienti ad evitandum utrunque, cessat obligatio legis prohibentis id, quod est minus malum, solaque manet obligatio vitandi alterum, quod est magis malum, utpote ad quod vitandum Titio suppetit libertas sufficiens. Ita Mezger *loc. cit. art. 4. n. 8.* Bibenstuber *n. 25.*

92. Quæres sexto, quomodo explicentur, & applicentur hæc principia: *Authoritas prudentum: Exemplum bonorum hominum: Tolerantia Legislatoris: Consuetudo universalis Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum Tribunalium praxis?*

Respondetur, explicari, & applicari posse tali modo. Si dubitas, an actio, quam ponere intendis, sit tibi licita, recte judicas esse licitam, quando id asserunt Viri prudentes, & docti: cum utique prudenter judicet, & agat, qui judicat, & agit juxta judicium prudentum, utpote quod non solet esse, saltem communiter, erroneum. Imo si quis illiteratus, vel scrupulosus sit, tuto sequitur judicium unius Viri prudentis, & docti; nam qui hujusmodi est, sibimetipsi non sufficit quoad dirigendos actus suos in genere moris, maxime quando materia est paulo abstrusior, & intricatior; adeoque prudenter se gerit, si acquiescat judicio alterius, Viri scilicet prudentis, & docti;

Similiter quis actionem, de cujus licentia dubitat, prudenter judicat esse licitam, quando scit, eam passim tanquam licitam practicari ab hominibus bonis, & timoratis; nam praxim hujuscemodi hominum Deus non sinit esse, saltem communiter, errori obnoxiam, P. Henno *loc. supra cit. q. 4. concl. 2.*

Ut *Tolerantia Legislatoris* sit sufficiens titulus deponendi conscientiam practice dubiam, & formandi certam, debet esse rationabilis; veluti per se patet. Hoc supposito, dum vides, quod Legislator, v. g. Episcopus, permittat, ut lex sua in talibus circumstantiis, in talibus casibus, respectu talium personarum &c. non obliget, potes prudenter credere, neque te ad illam hic, & nunc obligari, quando eædem occurrunt rationes, & circumstantiæ, ob quas legis non observantia in aliis dissimulatur; cum tunc non sis pejoris conditionis, quam alii. Ita rursus P. Henno *loc. cit. concl.* 1. ubi tamen recte addit, id, quod modo diximus, solum procedere in legibus humanis, non autem in Divinis.

Similis quoque titulus esse potest *universalis Ecclesiæ consuetudo; & Ecclesiasticorum Tribunalium praxis*: hæc quippe est optima Legum interpres, vel etiam dispensatrix in iis, quæ ex Jure Ecclesiastico descendunt: prout per decursum Theologiæ nostræ in pluribus occasionibus amplius dicemus, & applicabimus. Nunc

93. Quæres septimo, quomodo intelligenda, & in praxim deducenda sit hæc Regula: *In dubiis tutior pars est eligenda?*

Respondetur, quod ly *tutior* possit sumi dupliciter, nimirum *comparative*, & *adversative*. Si sumatur priore modo, tunc illa pars dicitur tutior, in qua nullum periculum transgressionis, sive formalis, sive materialis, timetur; illa vero minus tuta, in qua quidem timetur periculum transgressionis, sed materialis tantum, adeoque inculpabilis; & sic tutius non opponitur ei, quod est practice periculosum, seu peccatum, sed ei, quod est simpliciter tutum; sicut comparativus opponitur suo positivo. Quare si quis dubius hæret speculative inter partem tutiorem, & minus tutam hoc sensu, is non tenetur eligere partem tutiorem: nam eligendo minus tutam, tutam tamen, non exponit se periculo transgressionis formalis, sed materialis tantum, & inculpabilis. Unde *cit.* Regula, hoc sensu intellecta, consilium duntaxat continet, non præceptum.

Si vero *tutior* sumatur posteriore modo, seu adversative, tunc illa pars dicitur tutior, in qua nullum timetur periculum peccati, seu formalis transgressionis; illa vero minus tuta, in qua timetur periculum peccati, seu formalis transgressionis: adeoque sic tutius non opponitur ei, quod est simpliciter tutum, aut sicut comparativus suo positivo; sed ei, quod est practice periculosum, seu non tutum; & consequenter ei, quod est formaliter peccatum. Regula, hoc sensu accepta, semper continet præceptum: quia fundatur in illo principio: *qui amat periculum, peribit in eo*: virtute cujus quilibet tenetur vitare periculum peccandi: quod fieri non potest, nisi eligendo partem adversative tutiorem. Quam proinde eligere dubitans tenetur. 1. In dubio practico: quia in hoc una pars semper habet annexum periculum peccati formalis, quæ idcirco relinqui debet, & eligi altera. 2. Etiam in dubio speculativo, quando ad illud vincendum adhibita nondum fuit sufficiens diligentia. 3. Cum non occurrit sufficiens ratio conscientiam dubiam prudenter, & practice deponendi: quia & tunc partem minus tutam sequens conjiceret se in periculum peccati. 4. Quando electio partis tutioris expresse præcipitur a Jure; ut in *c. 2. de homicid.* Revide dicta superius *n.* 84. 5. denique (ut aliqui addunt) quando agitur de valore actus; & generatim, quando nostra opinio, bona fides, & ignorantia, etsi invincibilis, non potest amoliri nullitatem actus (utpote cujus valor non dependet a nostro judicio, quantumvis prudente, sed ab ipsa rei natura, vel a voluntate, & institutione alterius) neque amovere periculum damni, sive spiritualis, sive temporalis, nobis, aut proximo ex operatione minus tuta impendentis. Sed hoc jam involvitur, & continetur, saltem implicite, in tertio; eo quod in istis, & similibus casibus non possit occurrere sufficiens ratio conscientiam dubiam reducendi in certam; prout videbimus *disp. seq.*

ARTICULUS IV.

Deducuntur ex hucusque dictis varia Corollaria.

SUMMARIUM.

94. *Quando, & quomodo legitimus possessor in dubio rem possessam licite retinere possit?* 95. *Ad quid teneatur possessor in principio possessionis dubitans, vel in ejus progressu non sufficienter diligens in inquirendo dominum?* 96. *Certus, quod lex sit lata, hac tenetur, etsi dubitet, an sit usu recepta, vel abrogata, vel in ea dispensatum? vel an ei satisfecerit?* 97. *Dubius econtra, an lex sit lata, vel promulgata, ea non obstringitur.* 98. *Quid dicendum in dubio ætatis requisitæ, ut obliget, vel non obliget lex, sive præceptum?* 99. *Quid in dubio, an effluxerit, vel inceperit tempus finiendi, vel inchoandi observationem legis?* 100. *Quid in dubio, an legis obligatio sit gravis, vel levis?* 101. *Quid in dubio, an vovens, aut promittens habuerit sufficientem usum rationis?* 102. *Quomodo procedendum in dubio legitimitatis?*

94. COlliges primo, quod is, qui rem aliquam legitime possidere cœpit, postea vero in continuatione possessionis dubitat, sitne sua, vel alterius? teneatur sufficienti diligentia inquirere certum dominum, & durante tali inquisitione abstinere ab usu, & alienatione rei; nam interea se habet adinstar depositarii, cui non est concessus rei depositæ usus. Excipes; nisi forte sit paratus solvere domino comparenti pretium illius usus, deductis expensis; hoc quippe pacto non videtur dominus rationabiliter esse invitus. Quod si dominum invenire non possit, dubiumque maneat invincibile, rem possessam licite retinet, usurpat, alienat, vel absumit: nec tenetur domino postea comparenti quidpiam aliud restituere, quam quod adhuc extat, aut quantum inde factus est ditior. Molina, Layman, & alii, quos refert, & sequitur P. Sporer *n.* 74. Ratio hujus est; quia tunc ob titulum legitimæ possessionis præsumitur esse dominus rei, quæ præsumptio habetur pro veritate ipsa (idque in foro in- & externo secundum dicta *art. præced.*) quandiu alius dominus non comparet; ergo sicut verus dominus potest cum sua re pro libitu disponere, illam alienando, absumendo &c. ita & possessor cum re possessa, seu dominus ejusdem præsumptus. Atque hinc sequitur, quod si non possidens suapte authoritate rem auferat legitimo possessori, damnosam huic injuriam inferat, integra rei ablatæ restitutione reparandam.

Ceterum, an doctrina Corollarii etiam procedat in casu, quo possessor magis inclinat ad judicandum; imo speculative probabilius judicat, rem, quam possidet, esse alienam, dicetur *disp. seq.*

95. Colliges secundo, Si quis in principio possessionis speculative dubitet, num res sit sua? sive, dubio, in continuatione possessionis exorto, omittat debitam diligentiam inquirendi veritatem, & hac tali negligentia causam ponat, ut deinceps in veritatis notitiam venire non possit, tenetur rem restituere, vel illi, ad quem eandem pertinere dubio putat, vel, eo ignoto, pauperibus, juxta proportionem dubii, aut spei, quam ante habebat, inveniendi dominum. Sanchez, Molina, Layman, & alii apud Sporer *loc. cit.* Ratio est: quia propter ejusmodi dubium in principio, & talem negligentiam illud vincendi in continuatione possessionis, constituitur possessor malæ fidei.

96. Colliges tertio, eum, qui certus est de lege lata, sed dubitat, an ab illa exemptus sit? teneri tali lege. Ratio est: quia tunc lex, ejusque obligatio, est in certa possessione, & exemptio ab illa est dubia. Unde melior est conditio legis, quam libertatis; & alleganti exemptionem incumbit onus probandi, se esse exemptum. Quando itaque certus es, hodie esse, & hactenus fuisse jejunium, dubitas autem, an ab hac lege sis exceptus, v. g. propter defatigationem corporis, quam ex itinere peracto sentis, dubiumque non potes vincere, teneris jejunare. Idem sentiendum in dubio, an lex sit usu recepta? (supposito, quod valor legum non dependeat ab acceptatione populi) an sit abrogata? an in ea dispensatum? an eidem satisfeceris? &c. quia & hic possessio, atque præsumptio non stant pro libertate, sed pro lege; nam onus probandi legem non esse receptam, esse abrogatam &c. illi incumbit, qui id affirmat; ergo dum id non probat, lex

manet

manet in possessione obligationis. Vide P. Babenstuber *loc. cit. art.* 3. *n.* 2. Atque hoc verum est, non solum quando dubitas negative, seu quando non habes grave motivum, & prudentem rationem judicandi, quod satisfeceris &c. sed etiam quando dubitas positive, & habes motivum de se grave, ac rationem prudentem judicandi, quod satisfeceris: siquidem ex tali quoque dubio non potest hic formari probabilitas practica (adeoque nec conscientia practice probabilis) sed speculativa tantum, quæ compatitur cum certitudine antecedente obligationis, eamque nullatenus elidit: sicut si Cajus legitime possideat agrum, superveniens probabilitas juris pro Titio non practica, sed solum speculativa est, neque potest quidquam tollere de certitudine juris, ob legitimam possessionem Cajo competentis. Quo animadverso corruit fundamentum sententiæ oppositæ, quam in casu dubii positivi ut probabilem sustinet La Croix *de leg. n.* 600. Et ideo inquisita sufficienter veritate adhuc dubitans, an recitaveris Horas Canonicas? an persolveris pœnitentiam injunctam a Confessario? an mortale, quod certo scis, te commisisse, confessus sis? teneris recitare, persolvere, confiteri.

97. Colliges quarto. Quando invincibiliter dubitas, an aliqua lex (idem semper cogita de præcepto) sit lata, vel promulgata, non obstringeris tali lege. Sanchez, Palao, Tamburinus apud Babenstuber *loc. cit. n.* 1. Ratio est: quia hic dubitatur de existentia legis, vel actuali obligatione ejusdem. De existentia dubitatur, quando dubitatur, an sit lata? de actuali obligatione vero, quando dubitatur, an sit promulgata? nam lex dubie promulgata, non est sufficienter promulgata; adeoque non obligat actualiter. Quare si dubitas, an in hac Vigilia sit jejunium, dubiumque deponere nequis, non teneris jejunare; & sic de aliis.

98. Colliges quinto, quod senex dubitans, an compleverit annum ætatis sexagesimum? teneatur; contra adolescens dubitans, an compleverit annum vigesimum primum? non teneatur jejunare. Ratio est: quia in priore casu lex jejunii, utpote exorto dubio anterior, & hactenus semper obligans, est in possessione; in posteriore vero libertas adolescentis. Revide dicta *art. præced. n.* 86. Item dubitans, an habeas requisitam ætatem ad suscipiendos Ordines, ab horum susceptione abstinere debes; quia lex, eorum susceptionem ante annos præscriptos prohibens, est certa, & in possessione; expletio autem legitimæ ætatis dubia, cum sit aliquid facti, non præsumitur, sed probari debet. Rursus, si moriatur Canonicus, aliusve Beneficiatus ultima nocte mensis Episcopalis, in dubio, an ante, vel post medium noctis decesserit, provisio Beneficii spectabit ad Episcopum: quia possidet mensis Episcopalis; secus, si moreretur ultima nocte mensis Papalis; quia tunc pro mense Papali staret possessio, & consequenter provisio spectaret ad Papam. Sporer *loc. cit. n.* 87. Mezger, Babenstuber, & alii apud ipsos.

99. Colliges sexto. Dubitans, an elapsa sit dies, Jovis, & sonuerit hora duodecima noctis, licite pergit comedere carnes: dubitans autem, an sonuerit duodecima in nocte Sabbati, tenetur abstinere, donec certior fiat. Ratio est: quia in priore casu possessio stat pro libertate, cum certum sit, liberum esse homini tota illa die usque ad initium sequentis carnibus vesci; in posteriore vero possessio stat ex parte legis, cum certum sit, quod hæc obliget tota die usque ad horam noctis duodecimam inclusive. Laymann. *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 36. Sporer *loc. cit.* Sanct-Gallens *tr.* 1. *sect.* 4. *q.* 4. & alii passim. Quod si in loco, ubi dubitans existit, plura existent horologia reguraliter sonantia, saltem ut plurimum, poterit sequi, quodcunque libuerit: adeoque non peccabit pergendo comedere carnes die Jovis post auditam duodecimam noctis in uno, vel altero horologio, dummodo comestionem finiat, antequam audiatur in ultimo. Bonacina *de Restitut. disput.* 1. *q.* 2. *pun.* 2. Sporer *loc. cit.* Babenstuber *n.* 8. Ratio est: quia hujusmodi diversa horologia, prædicto modo sonantia, habent se adinstar sententiarum probabilium, ex quibus licet amplecti quamlibet, quando agitur de sola licentia, & honestate actionis; prout videbimus *disp. seq.* Secus haud dubie foret, si ultimum horologium ut plurimum sonaret irreguraliter: tunc enim sententiam probabilem inter, & hujusmodi horologium nulla posset institui comparatio: consequenter &c.

100. Colliges septimo. Quando dubitas, an lex obliget sub peccato mortali, vel veniali? judicare potes, obligare solum sub veniali. Ratio est: quia, præterquam quod lex in tali dubio non possideat obligationem sub mortali, adeoque prævaleat jus libertatis, leges in materia odiosa, in quali versamur, dum de obligatione quærimus stricte accipiendæ sunt, & intelligendæ de eo, quod minus est, atque benignius, per R. J. in 6. cit. & expositam *art. præc.* Sanchez *lib.* 6. *in Decal. c.* 4. *n.* 66. Tamburinus, & alii. At si constet, quod lex non obliget sub mortali, solumque dubitetur, an obliget sub veniali, censenda est obligare sub veniali, nisi forte ex verbis, quibus concepta, & prolata est, vel aliunde colligatur, quod sit mere penalis. Ratio est: quia in tali dubio lex est in possessione obligationis sub veniali; cum enim de ratione legis sit inducere aliquam obligationem, & hanc non inducat, sive sub culpa gravi, sive pœna, reliquum est, ut dicatur, quod illam inducat sub culpa levi. Sanchez *loc. cit.*

101. Colliges octavo. Qui invincibiliter dubitat, an votum, vel aliud promissum fecerit in amentia, vel cum esset sui compos & sanæ mentis, aliquando tenetur aliquando non tenetur voto, aut promisso. Tenetur, quando diligenter inquisita veritate compertum non est, fueritne amentia correptus, antequam vovit vel promisit. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. c.* 1. *n.* 15. & alii communiter. Ratio est: quia qualitas, quæ naturaliter inest, præsumitur inesse, donec probetur non inesse: sed sanitas mentis est qualitas, quæ homini naturaliter inest, cum natura generet homines sanæ mentis; ergo præsumitur inesse, & consequenter &c. Non tenetur, quando compertum est, quod, antequam votum, vel promissum faceret, fuerit in amentia, solumque dubitatur, num tempore, quo vovit, vel promisit, habuerit lucida intervalla. Ratio est: quia ex una parte amentia suapte natura est morbus perpetuus; & consequenter durare præsumitur, donec sublata probetur: ex altera vero parte lucida intervalla, cum in amente sint aliquid per accidens, non præsumuntur, sed probari debent. Porro quando quis vovit, vel promisit in subita passione, puta in iracundia, vel alia perturbatione animi, & postea dubitat, an sufficienti rationis usu præditus fuerit, præsumptio, & possessio stant pro voto. Ratio est: quia ejusmodi passio, cum ordinarie non tollat usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, nec præsumitur illum abstulisse ad valide vovendum, vel promittendum, donec abstulisse probetur. Sanct-Gallenses *loc. supra cit.*

Alia, quæ de Voto, Juramento, Promisso: item circa materiam Obedientiæ, Sacramenti Pœnitentiæ, Matrimonii &c. hic proponi a nonnullis solent, commodius proponentur, & decidentur in locis propriis, ubi ex professo agetur de Voto, Juramento, Promissione, Statu Religioso, Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonii &c. In præsenti autem.

102. Colliges adhuc nono. In dubio, an quis sit filius legitimus, vel non? habendus est pro legitimo. Ita Palao *disp.* 3. *pun.* 5. *n.* 3. *& seqq.* cum communi aliorum. Ratio est: quia ejusmodi filius est in possessione sui honoris; ergo tandiu censendus est legitimus, quandiu non probatur illegitimus. An autem consequenter possit prætendere partem hæreditatis paternæ? distinguendum est. Vel enim alii filii legitimi hæreditatem jam adivere, vel non? Si non; una cum ipsis illam adire, & percipere potest, quin probet suam legitimitatem; cum ipse tunc sit in possessione sui honoris, ut dictum, & onus probandi contrarium incumbat ceteris fratribus, seu actoribus contra dubie legitimum tanquam Reum. Si vero hæreditatem jam adivere, ipsi sunt in certa possessione, in quam illum admittere non tenentur, donec legitimitatem, seu fundamentum suæ intentionis, probaverit: siquidem hoc casu prætendens se constituit actorem, ceteri autem sunt Rei: quare his potius, quam illi in dubio favendum est, per *Reg. art. præced. expositam*. Ita P. Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 3. *art.* 3. *n.* 40. *& alii apud ipsum*.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes,

SUMMARIUM.

103. *Berengarius, homo scrupulosus, & anxius de confessionibus præteritis, non est permittendus, regulariter loquendo, illas repetere, vel generalem instituere, nisi certo sciat, se omisisse materiam necessariam confessionis.* 104. *Beren-*

garia, scrupulosa, attamen timorata conscientia femina, dum angitur ex dubitatione, an tentationibus blasphemiæ, infidelitatis, impudicitiæ &c. consenserit, non censenda est deliquisse saltem graviter. Porro monenda est, ne positive luctetur contra ejusmodi tentationes, aut se, dum fervent, examinet, an consenserit? 105. Bonitius Sacerdos pius, & doctus, at in recitando Breviario, & celebranda Missa scrupulosus, dum timet, ne forte careat debita intentione, attentione &c. jubendus est 1. nihil repetere. 2. verba consecrationis non altius proferre, quam reliqua, quæ secrete proferuntur, & sine timore, ac irreverentia. 3. pergere contemnendo tentationes factæ intentioni contrarias 4. resolvere, quod prima fronte melius apparet, & in facta semel resolutione firmiter persistere. 106. Bonitia, remedium suæ scrupulositatis a Confessario petens, sed conditiones ab eo præscriptas acceptare renuens, recte dimittitur tanquam immedicabilis. 107. Ronenius, qui Boloniam muneratis decem aureis ad copulam induxit, non potest jure repetere illos aureos, tanquam datos ob turpem causam. 108. Bonosus, qui obtinuit beneficium a S. Pontifice, non potest præferri Bonacuræ, qui idem beneficium, ab Episcopo diœcesano eodem tempore obtentum, jam possidere cœpit. 109. Bonagratia Sacerdos sacrificare potest, tametsi dubitet, num ultra mediam noctem cœnando processerit? vel mane os eluendo, aut quidpiam dentibus masticando, aliquid deglutiverit? 110. Romaldus, infans expositus, reputandus est pro legitime nato; potestque sine dispensatione ad SS. Ordines promoveri, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, nec alio quopiam impedimento gravatum se noverit. 111. Benigno Novitio de cujus idoneitate dubitatur, an ad professionem mitti possit, vota nec absolute negari, nec dari a Suffragatoribus possunt.

CASUS I.

De Conscientia Scrupulosa.

103. *Berengarius molestissime vexatur propter confessiones præteritas, putatque, se nunquam recte, atque integre fuisse confessum, eo quod numerum, aut circumstantias peccatorum, maxime in juventute commissorum, non satis explicaverit, vel non sufficienter de peccatis doluerit, nec efficax emendationis propositum elicuerit. Hinc cogitat omnes illas confessiones repetere, novamque generalem de tota instituere. Consulit tamen prævie Confessarium. Quid hic Berengario dicet?*

REspondetur. Confessarius dicet Berengario (si hunc vere scrupulosum esse noverit) ut præteritas confessiones nullo modo repetat, aut generalem instituat; sed certo sibi persuadeat, quod recte, & integre fuerit confessus, quando ad id præstandum mediocrem adhibuit diligentiam, & non est certus, quod peccatum quodpiam mortale vel nunquam, vel non recte confessus sit. Ratio est; quia juxta communem DD. scrupulosus non tenetur quidpiam repetere in confessione (nec, si repetat, consulto facit) nisi certus sit (imo jurare audeat, si valde scrupulosus sit) quod illud commiserit, sitque materia necessaria confessionis, antea clavibus nunquam subjecta: atqui Berengarius non est ita certus, cum tantum scrupulizet, vel ad summum dubitet; ergo &c. Nec refert, quod forte aliqua, quæ per se loquendo directam absolutionem exposcerent, confiteri oblitus sit: quia non est obligatio cum tanto incommodo, quantum scrupuloso ex novo, maxime universali, anteactæ vitæ examine impendere solet, præterita scrutandi; cum non minus a præcepto confessionis excuset manifestum periculum magni mali, vel grave incommodum alioquin obligatos, quam ab aliis preceptis. Unde sufficit, quod hujusmodi peccata per absolutiones præcedentes, vel aliquam illarum indirecte remissa sint. Quod si Berengarius omnino certus sit, se quædam mortalia, certo commissa, nondum, aut non rite confessum esse, illa addat in confessione ordinaria; nam generalem idcirco instituere permittendus non est saltem regulariter, ob rationem datam. Palao, Tamburinus. Illsung. *tr. 1. disp. 1. art. 5. n. 3.*

CASUS II.

104. *Berengaria, timorata juxta, ac scrupulosa conscientia femina, plurimum angitur ex dubitatione, an tentationibus blasphemia, infidelitatis, impudicitia &c. consenserit, atque adeo mortaliter peccaverit? Accedit proinde Confessarium, ei tentationes habitas exponit fideliter, & rogat 1. num. propterea graviter deliquerit? 2. quomodo illius posthac resistere possit, ac debeat? Qualiter Confessarius bonam Berengariam instruet, & juvabit?*

REspondetur primo. Confessarius dicet Berengariæ, quod non deliquerit saltem graviter. Communis DD. Ratio est: quia peccata mortalia sunt seipsis tam manifesta timoratis conscientiis, ut ea primo statim aspectu deprehendant: sed conscientia Berengariæ est timorata, ut ponitur in Casu, & non deprehendit, nec certo novit, se deliquisse graviter; cum de hoc dubitet, aut scrupulizet; ergo signum est, quod non deliquerit graviter. Inculcet proin Berengariæ, tentationem non esse peccatum, si non accedat consensus: ut si interne suggerat dæmon: *fac hoc: visne facere? nunquid vis facere?* mera tentatio est absque peccato, antequam voluntas libere consentiat.

Respondetur secundo. Confessarius Berengariam moneat, ne positive luctetur posthac contra ejusmodi tentationes, v. g. eliciendo actus oppositos, gestibus, vel verbis se defendendo, puta agitando caput, aut dicendo: *nolo consentire: non faciam: recede diabole &c.* hæc enim non sunt remedia, sed majores vexationes scrupulosorum, absque necessitate, & fructu assumptæ. Itaque se habeat quiete, mere contemnat, agat, quod agit; vel si nihil habeat, quod agat, divertat cogitationes ad illud objectum, quod primo occurrit: v. g. si fenestram videat, numeret, quot vitris constet; & sic facilius triumphabit. Quod si tentatio nihilominus pergat infestare, nihil refert; quia nihil nocet, si deliberata voluntas non accedat per consensum, cujus periculum non est, nec præsumi debet in persona adeo timoratæ conscientiæ, qualis est nostra Berengaria. Moneat præterea Confessarius suam pœnitentem, ne in æstu tentationis, qualiscunque ea sit, se examinet an consenserit, nec ne? sed potius rejiciat examen in aliud tempus, quo deferbuerit tentatio, ipsaque tentata quietem animi recuperarit: antea enim apta non erit ad instituendum idoneum examen. Nec obstat, quod forte postea obliviscatur, aut non amplius reminiscatur, qualiter se in æstu tentationis habuerit: quia præstat admittere periculum oblivionis, quam se ita graviter sine fructu vexare, aut etiam exponere periculo reipsa consentiendi.

CASUS III.

105. *Bonitius Sacerdos pius æque, ac doctus; at tam in recitatione Breviarii, quam in celebratione Missæ ultra modum scrupulosus, illud identidem de novo recitat, & in ista nunc verba consecrationis, nunc alia repetit; eo quod existimet, se debita intentione, vel attentione caruisse; aut verba non pronunciasse, vel non pronunciasse in sensu legitimo. Hinc nullus apud eum finis de novo recitandi, & pronunciandi. Cumque bene advertat, se in propria causa cæcutire, dirigi petit a Confessario. Quomodo hic cum Bonitio procedet?*

REspondetur. Confessarius Bonitio dicet, vix esse possibile, ut recitanti Breviarium, Missamque celebranti desit sufficiens intentio; eo quod hæc non debeat necessario esse signata, & explicita, sed sufficiat exercita, & implicita, quam quis habet, dum Breviarium in manus accipit, & recitare incepturus cruce se signat; dum formam consecrationis super panem profert, sciens inde confici corpus Christi &c. ita dispositus, ut, si interrogaretur, quid hic, & nunc agere velit, responderet, se velle recitare Horas, conficere corpus Christi &c. Attentionem quod attinet, Bonitio persuadeat, distractiones, attentioni adversas, non obesse graviter, nisi cum plena advertentia, dataque opera mentem ad alia diverterit. Quod si fuerit involuntarie distractus, & postea dubitet, an non forte quidpiam omiserit? vel non recordetur, an hunc, vel illum Psalmum recitaverit, formam consecrationis protulerit &c. non debet inde turbari. *Non enim* (ait D. Thomas 3. *p. q. 83. art. 6. ad 5.*) *qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit.* Unde DD. recte monent, ut scrupulosus, sive recitans Breviarium, sive celebrans Missam, pergat, & supponat, se debite omnia dixisse, & fecisse: cum enim alias similia dicere, & facere soleat absque errore, id ipsum præsumere potest in aliquo casu particulari, in quo angitur; quia ex communiter contingentibus formari potest prudens præsumptio.

Porro circa celebrationem Missæ Confessarius specialiter suggeret Bonitio sequentia. 1. ut assuescat verba consecrationis non altius proferre, quam reliqua, quæ secrete proferuntur: & quamvis ob strepitum, vel perturbatio-

nem

tem haud audiat seipsum hujusmodi verba proferentem, non ideo quidquam reperat; satis quippe est, quod imoveat linguam, & organa vocis; adeoque loquatur audibiliter in actu primo, esto in actu secundo forte nec a seipso, nec ab aliis (quod posterius fieri non debet) percipiatur. 2. ut verba consecrationis proferat sine timore, & irreverentia, v. g. halando super hostiam, vel in calicem, uti & sine motione capitis: quia præterquam quod iste proferendi modus absurditate non careat, involvit etiam nimiam solicitudinem, quæ solet esse causa sinistræ prolationis. 3. ut caveat, ne in forma consecrationis ullum verbum repetat, tametsi timeat, ne illud forte non rite expresserit: quia id faciendo peccaret mortaliter, vel saltem venialiter, prout patet ex verbis P. Gobat *Teolog. experim. tr. 3. n. 94.* ubi inquit: *Qui ita unum verbum bis, terve repetunt, per se loquendo peccant graviter; quia inducunt novum ritum circa actionem dignissimam, mutant formam Sacramentalem, repræsentant nobis Christum ridicule loquentem. Credo tamen* (ait idem Author) *tales coram Deo non peccare graviter; quia scrupuli eos adigunt ad hanc parvam stultitiam.* 4. Si incidat apprehensio, quasi per ly *meum* v. g. significetur, aut significatum fuerit proprium proferentis, sive Sacerdotis corpus, idque in consecrationis actu, vel postea vivaciter sibi imaginetur, contemnat, & pergat, nec sit solitus de formanda intentione, aut persuasione contraria: certum quippe est, quod velit, aut voluerit proferre verba in sensu, quem præseferunt ex institutione Christi; adeoque non in sensu illo imaginario, maxime cum hoc fieri sine peccato nequeat. 5. denique si circa aliquid fiat quasi perplexus, & nesciat, an hoc aut illud facere debeat, non hæsitet, sed illico faciat, quod primo ipsi melius apparet. Si quid autem semel resolvit, in eo persistat, & pergat, nec de novo discutiat, an bene resolverit?

CASUS IV.

106. *Bonitia, innumeris agitata scrupulis, accedit Confessarium, ejusdemque consilium juxta, ac auxilium implorat, quo tantis anxietatibus imponere finem possit. Confessarius lubens (Vir quippe Zelosus) suam Bonitiæ operam addicit, & virilem directionem spondet, ea tamen adjecta conditione, ut Bonitia vicissim promittat, ad confessionem iterum peccata non deferre, si ipse non deferenda judicet; ad S. communionem accedere, si ipse præcipiat; & consiliis a se suggerendis prompte, & per omnia acquiescere. Quoniam vero misera mulier hanc conditionem acceptare renuit, Confessarius illam ut immedicabilem dimittit. Quæritur, an recte?*

Respondetur affirmative. Ita Thomas Tamburinus *in Decal. lib. 1. c. 3. §. 8. n. 4.* ubi testatur, hujusmodi feminam tam a se, quam ab aliis prudentissimis Patribus fuisse dimissam tanquam incurabilem. Ratio esse potest: quia Medicus corporalis recte deserit ægrotum, qui respuit medicinam ad sui curationem unice necessariam; ergo etiam Medicus spiritualis, sive Confessarius recte deserit Bonitiam, utpote quæ & ipsa respuit medicinam sui curationem unice necessariam, qualis est conditio ab illo præscripta. Deinde hæc talis dimissio forte proderit Bonitiæ ad hoc, ut resipiscat, deposita sua pertinacia posthac se submittat, dum a Confessariis derelicta advertit, se quotidie magis, magisque intricari, atque torqueri. Quod si tamen dimissio ejusmodi fructum in Bonitia non fuerit operata, eaque nihilominus pro faciendis confessionibus postliminio revertatur ad Confessarium, utique (ex Charitate saltem) patienter audienda erit, non ut curetur, seu liberetur a malo scrupolositatis, cum talis effectus amplius sperari moraliter non possit; sed ut percipiat beneficium absolutionis, si eo aliunde indigna non sit.

CASUS V.

De Conscientia Dubia.

107. *Bononius, ut Bononiam raræ pulchritudinis puellam, quam diu jam insano amore deperierat, ad faciendam sibi copiam corporis induceret, promisit eidem, actuque dedit decem aureos. At, turpi suo desiderio expleto, factus pœnitens, datos aureos sibi restitui petit, tanquam acceptos ob turpem causam. Quæritur, an Bononia illos teneatur restituere?*

Respondetur negative, per textum in *l. 3. ff. de condict. ob turp. caus.* Ratio est: quia in pari delicto,

seu quando utraque pars deliquit, melior est conditio possidentis, dum dubitatur, sitne reddendum, nec ne, quod acceptum est? per *Reg. 65. de R. I. in 6.* insinuatam supra *n. 83.* sed in Casu posito par est delictum, seu turpitudo, quatenus utraque pars, tam dans aureos, quam accipiens, deliquit, & dubitatur, sitne reddendum, nec ne, quod acceptum est? prout suo loco videbimus; ergo melior est conditio possidentis, videlicet Bononiæ: consequenter &c.

Confirmatur hac paritate. Si quis habens injustam causam corrupit Judicem pecuniis, obtinuitque, ut pro se sententiam ferret, per textum in *can. 15. caus. 14. q. 5.* Judex non tenetur repetenti pecunias restituere, licet acceptas ob turpem causam: quia cum ambo versentur in pari delicto, & dubitetur, an sit, vel non sit facienda restitutio? melior est conditio possidentis, nimirum Judicis; ergo idem dicendum in nostro Casu. Videatur Augustinus Michel *tr. 3. q. 1. §. 3. pun. 2. n. 1. & 2.*

CASUS VI.

108. *Bonosus, Romæ existens, supplicat S. Pontifici pro collatione beneficii, quod per litteras intellexerat vacare in aliqua Diœcesi Germaniæ, votoque potitur suo. Ast eodem omnino tempore idem beneficium ab Episcopo Diœcesano confertur Bonacuræ; qui, cum nullam habeat notitiam de collatione alteri facta, beneficii sibi collati possessionem capit. Quæritur, uter sit præferendus?*

Respondetur, præferendum esse Bonacuram. Ita Glossa in *reg.* proxime allegatam. Ratio est: quia possessio bona fide cœpta stat pro Bonacura, & prævalet contra jus a Bonoso acquisitum. Neque huic suffragatur prærogativa Collatoris; utpote quod solum fieret in casu, quo neuter adhuc beneficii possessionem cepisset. Consentit Augustinus Michel *loc. cit. n. 3.*

CASUS VII.

109. *Bonagratia Presbyter subinde dubius hæret, an ultra mediam noctem cœnando processerit? subinde vero, an mane os eluendo, aut quidpiam dentibus masticando, aliquid deglutiverit? Quæritur, an, non obstante hoc tali dubio, eo die sacrificare possit?*

Respondetur affirmative. Layman *lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36.* Bardi *de Consciem. discept. 6. c. 11. p. 3. n. 2.* Dicastillo *tom. 1. de Sacram. tr. 4. a n. 284.* Cardenas in *1. Crif. Theolog. tr. 2. de leg. disp. 26. c. 6. n. 87.* vocans hanc sententiam opposita probabiliorem. Ratio fundamentalis est, quod impedimentum dubium non possit tollere jus certum, aliquid faciendi: sed impedimentum sacrificandi est dubium, jus vero id faciendi est certum, certoque a Bonagratia, antequam dubium oriebatur, possessum; ergo illud non potest istud tollere: consequenter Bonagratia dependenter ab illo axiomate: *In dubio melior est conditio possidentis*, se practice resolvere, & libere, etiam ex sola devotione; sacrificare potest. Accedit, quod lex præcipiens, ut Sacerdos celebret (vel alius communicet) jejunus, sit Ecclesiastica; adeoque non censeatur in dubio (maxime facti, quod aliunde non præsumitur) tam arcte velle constingere conscientias, ubi agitur de sola licentia aliquid faciendi; prout evenit in proposito.

Dices. Unusquisque probare debet fundamentum suæ exigentiæ; alioquin succumbet. *l. 2. ff. de probat.* sed fundamentum Bonagratiæ, exigentis celebrationem, est jejunium; ergo dum Bonagratia id non probat (prout non probat, nec probare potest in Casu) immerito exigit celebrationem: consequenter &c.

Confirmatur. Volens suscipere SS. Ordines, probare debet, se implevisse legitimam ætatem; ergo etiam volens sacrificare, probare debet, se esse jejunum.

Respondetur ad argumentum, explicando, & dist. maj. Si illud fundamentum consistat in qualitate positiva, transf. si in negativa, ut dum quæritur, an non adsit impedimentum, neg. maj. vel subdist. debet probare negative, ita, ut post diligentem inquisitionem, & examen non constet, nec ab aliquo probari possit impedimentum, compositive, neg. maj. & concessa minore, dist. cons. Dum Bonagratia id non probat tam negative, quam positive, immerito exigit celebrationem, con. dum non probat positive, probat tamen negative, neg. cons.

Ad confirmat. neg. cons. & parit. Disparitas est: quia

positiva, qualis est *atas* legitima. Unde nisi hanc probet, etiam positive, lex Canonica, eandem præscribens, manet in possessione; secus est in nostro Casu; ut patet ex immediate dictis.

CASUS VIII.

110. Bonaldus, sex dierum infans, exponitur nocturno tempore ante fores orphanotrophii cum testimonio collati Baptismatis; atque intra illud assumptus, christiane, ac pie una cum aliis orphanis educatur. Adolescentiam ingressus, literis addiscendis applicari rogat, impetratque. Et quoniam non solum in humanioribus, sed etiam in severioribus disciplinis insignem facit progressum, in animum inducit Clericalem Statum assumere. Quæritur, an Bonaldus sit habendus pro legitime nato; adeoque sine dispensatione Sacris initiari valeat?

RESpondetur affirmative. Palao *tr.* 13. *d.* 4. *p.* 1. §. 1. *n.* 9. Gonzalez in *cap.* 1. *qui filii sint legitimi n.* 8. Reiffenstuel ibidem *n.* 12. Schimier *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 6. *sett.* 1. *n.* 24. & alii plurimi. Ratio est primo: quia esse illegitimum est quædam infamia facti, eaque haud levis, non modo in prolem, sed etiam in parentes redondans: atqui talis infamia, cum præsupponat delictum, non præsumitur, sed probari debet; ergo &c. Confirmatur. In dubio præferenda est præsumptio, quæ excludit peccatum, *arg. c.* 2. *de R. J.* ergo non debet præsumi, infantes expositos, de quorum classe est Bonaldus, esse natos ex concubitu peccamminoso, sed matrimoniali.

Ratio est secundo: quia in dubio præsumptio, & interpretatio facienda est in favorem prolis, *arg. c.* 14. *qui filii sint legitimi*, & *l.* 15. *C. de natur. liber.* ergo Bonaldus, de cujus legitimitate dubitatur, potius accensendus est filiis legitimis, quam illegitimis; nam prius in ipsius favorem cedit, non item posterius. Accedit, quod in dubio semper benigniora sint præferenda, *l.* 56. *ff. de R. J.*

Ratio est tertio. SS. Canones, ut infantibus expositis specialiter faveant, ipsos a patria potestate liberant, *c. un. de infant. & languid. expos.* ergo præsumunt legitime natos; alias enim eo liberationis favore non indigerent, cum patria potestas locum non habeat in illegitime natis. §. *ult. Instit. de Nuptiis.*

Dices primo. In *c.* 14. *de purgat. can.* habetur, quod is, qui Sacris initiari cupit, probare debeat, se esse legitime natum: atqui Bonaldus id probare non potest; ergo &c.

Confirmatur. Qui certum patrem demonstrare non potest, dicitur spurius *l.* 23. *ff. de Stat. hom.* sed Bonaldus non potest demonstrare certum patrem; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. In casu, quo rumor est, & fama publica, quod sacris initiandus sit illegitimus, con. secus, neg. maj. Responsio colligitur ex Summario, quod ita habet: *Infamatus super defectu natalium non debet promoveri, nisi prius se purget.*

Ad confirmat. ajo, majorem non procedere in expositis, pro quibus stant fortiores præsumptiones, & favor Jurium.

Dices secundo. Longe plures illegitimi exponuntur, quam legitimi: sed a communiter contingentibus præsumptio fit, & argumentum ad omnes, *arg. l.* 114. *de R. J.* ergo &c.

Respondetur, minorem non tenere, quando in oppositum militat una, aut altera præsumptio fortior: sed præsumptio pia in favorem prolis; item quæ excludit delictum parentum, est fortior illa, quæ fundatur in communiter contingentibus: consequenter &c.

Dices tertio. Legitimi natales dependent ex justis nuptiis: hæ autem consistunt in facto, quod in dubio non præsumitur, sed probari debet; ergo &c.

Respondetur. Etiam fornicatio, & illicitus concubitus consistunt in facto; ergo similiter non præsumi, sed probari debent: per quod fit argumenti retorsio. Verum, ut directe respondeam, nego, hanc quæstionem, an Bonaldus si ex justis nuptiis procreatus? probari debere, quamvis sit facti. Ratio negandi est: quia cum in dubio quisque præsumatur esse talis, qualis de Jure esse debuit, Bonaldus recte præsumitur legitimo thoro ortus: hæc etenim qualitas communiter inest omnibus; adeoque prudenter præsumitur etiam inesse Bonaldo, dum de ejus legitimitate vertitur quæstio, & dubium.

Dices quarto. Bonaldus non reputatur capax Officiorum, Dignitatum, Canonicatuum &c. ergo neque SS. Ordinum.

Respondetur, dist. ant. ob defectum legitimitatis, neg. ob defectum nobilitatis, aut alterius qualitatis a Fundatoribus specialiter requisitæ, con. ant. & nego cons. ac parit. quia ad licitam susceptionem Ordinum nulla talis specialis qualitas prææxigitur, quæ utique non præsumitur, cum communiter non insit; præsumitur autem legitimitas, utpote quæ communiter inesse solet.

CASUS IX.

111. Benignus, Philosophiæ studiosus, postquam ultra biennium pro admissione ad Ordinem Seraphicum supplicaverat, tandem exauditus, votique sui compos effectus, una cum aliis Candidatis sacro Habitu donatur. Sed quoniam in progressu Novitiatus a fervore, quem in principio præseferebat, paulatim deficere advertitur, prudens suffragia laturis injicitur dubium, an illa ferre approbativa, aut reprobativa possint, ac debeant? Quæritur, quid suffragaturis attendum sit?

REspondetur. Suffragatores mortaliter peccant, sive ferant suffragia positive reprobativa, sive positive approbativa. Ita Bardi *discept* 6. *c.* 9. §. 38. Babenstuber *de Conscien. disp.* 3. *art.* 3. *d.* 4. *n.* 46. & alii passim. Ratio est quia, sive unum, sive alterum faciant, mentiuntur perniciose in materia gravi: atqui ita mentiri est peccatum mortale; ergo &c. Min. est certa, & patens. Maj. ostenditur, & declaratur: siquidem nemo Suffragatorum habet in mente sive hoc judicium: *Benignus est indignus, ut ad professionem admittatur*: sive istud: *Benignus est dignus &c.* ergo sive unum, sive alterum per suffragia testentur, mentiuntur; idque perniciose, & in materia gravi; cum Benignum graviter damnificent, si eum reprobando a professione repellant; si autem approbando ad illam promoveant, Religionem exponant periculo acquirendi, & alendi subjectum inhabile &c.

Dices primo. Major est obbligatio Suffragatorum erga sua Religionem, quam erga Benignum; ergo bonum suæ Religionis tenentur præferre bono Benigni; consequenter istum non solum possunt, sed etiam tenentur per suffragia reprobativa a professione excludere.

Respondetur, ant. esse verum, ceteris paribus, & quando res est integra: falsum vero, si cetera non sint paria; prout evenit in nostro Casu. Nam Benignus hoc ipso, quod fuerit admissus ad annum probationis, eumque peregerit, jus acquisivit faciendi professionem, quo spoliari non potest propter exceptiones dubias de sua habilitate. Ex quo consequitur, quod Religio non habeat jus illum dimittendi, nisi defectum quempiam, qui professionem impediat, allegare, & probare possit.

Dices secundo. Prælatus, qui ad Novitiatum non suscipit, vel repellit Candidatum, de quo dubitat, an sit dignus, nec ne? non peccat; ergo neque peccant Suffragatores, a qua professione repellunt Benignum Novitium, de quo dubitant, sitne dignus, nec ne?

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia Candidato nullum competit jus, ut ad Religionem recipiatur maxime si de illius idoneitate dubietur: e diverso Benignus Novitius habet jus, ne ex Religione expellatur, donec probetur laborare defectu, professionis impeditivo.

Ne igitur Suffragatores in ejusmodi dubio de Benigni idoneitate errent, tenentur, antequam suffragia ferant, sedulo inquirere in qualitates illius, indeque dijudicare, an sit, vel non sit dignus, ut ad professionem admittatur. Qua adhibita inquisitione, si dubium nihilominus perseveret, maneatque invincibile, neque judicium prudens de idoneitate, vel inidoneitate Benigni formari possit, tamen suffragia ferenda sint, alius peccatum evadendi modus, aut via non restat, quam ut sua sensa Superiori communicent, sive dein id scripto, sive voce viva facere malint.

At vero, quæ hucusque dicta sunt, intelligenda existimo, dum procedendum est ad primum, vel etiam secundum adhuc scrutinium; non autem, dum procedendum est ad tertium, sive ultimum; nam si Benignus etiam tunc adhuc appareat dubie idoneus, suffragia eidem dari absolute reprobativa poterunt, non quidem fundata in dubiis exceptionibus, quas Suffragatores contra eundem habent (hoc quippe secundum dicta fieri absque mendacio nequit) sed in certa præsumptione, quod Benignus, cum

toto

toto Novitiatus anno se non probaverit idoneum Religioni, etiam posthac, sive post professionem permansurus sit *Joannes in eodem*, vel adhuc evasurus deterior. Quapropter, ceu favore professionis indignus, citra mendacium, aut injuriam a Suffragatoribus reprobari, & a Superiore remitti ad seculum potest.

DISPUTATIO III.
De Conscientia Probabili.

APprime norunt, quotquot suam Theologiæ morali operam locarunt, quam ardum juxta, ac necessarium sit istam de Conscientia Probabili controversiam pro merito versare, atque discutere. Unde negari a nemine potest, optime de Republica litteraria meritos esse, qui præsens argumentum præclare, copioseque lucubrationibus suis excolendum sumpserunt. Nos in eo pertractando nec longi, nec omnino breves erimus; sed veluti medio ituri afferemus illa, quæ Theologo morali, ac Confessario scitu necessaria, & sufficientia judicaverimus.

CAPUT I.
Præmittuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

112. *Definitur sententia probabilis*. 113. *Asseritur esse multiplex*. 114. & 115. *Potest aliqua opinio, sive sententia esse speculative probabilis, quin sit probabilis practice. Discrimen opinionis a conscientia*. 116. *Non omnis opinio probabilis quoad se, est probabilis quoad nos, & vicissim*. 117. *Differentia opinionis, seu sententia probabilissima a moraliter certa*. 118. *Opinio probabilior non semper est tutior*. 119. *Unicus Author, omni exceptione major, potest facere sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem opposita*. 120. *Homo rudis, cui Vir probus, prudens, & doctus dicit, aliquam opinionem esse vere probabilem, tam prò tali habere, & sequi potest*. 121. *Duæ opiniones oppositæ circa eandem rem possunt eidem intellectui simul, & semel apparere probabiles*. 122. *Probabilitas unius opinionis non necessario infert probabilitatem oppositæ*. 123. *Sententia probabilis potest fieri improbabilis, & vicissim*. 124. *Recensentur genera censurarum, quibus Romani Pontifices afficere possunt, & solent propositiones, sive sententias, dum easdem improbabiles reddunt*.

112. QUæres primo, quid sit Sententia, seu opinio probabilis?

Respondetur. Sententia, seu opinio vere, & theologice probabilis est *judicium, quod citra certitudinem nititur motivo positivo, eoque, tam absolute, quam comparative gravi*. DD. communiter. Dicitur 1. *judicium*, ut distinguatur a dubio, quod est suspensio judicii. Dicitur 2. *citra certitudinem*; adeoque cum formidine vel actuali, vel saltem aptitudinali de opposito: per quod differt ab actibus scientificis, & fidei Divinæ. Dicitur 3. *nititur motivo positivo*: quia ad constituendam opinionem vere, & theologice probabilem non sufficit negatio fundamenti in oppositum, cum hæc non possit generare prudentem assensum; nemo quippe prudenter assentietur objecto hujus propositionis: *Turca dormit*, tametsi non occurat fundamentum in oppositum, seu ad præbendum dissensum. Dicitur 4. *motivo gravi*: per quod opinio vere probabilis discernitur tum ab improbabili, quæ nititur motivo simpliciter indigno assensus: tum a tenuiter probabili, quæ nititur motivo levi, itidem non merente assensum Viri prudentis: tum denique a dubie, uti & probabiliter probabili, cujus motivum non est certo grave; adeoque nec potens movere intellectum ad prudentem assensum. Dicitur 5. *tam absolute, quam comparative*: quia non sufficit, quod motivum, quo opinio nititur, sit momentosum, seu magis absolute, & secundum se tantum, sed debet tale esse etiam comparative ad motiva partis oppositæ, ita, ut ab his non enervetur illius efficacia, & vis trahendi ad assensum. Hinc fit, ut fundamenta cujuslibet hæreseos insufficientia sint ad constituendam opinionem probabilem; nam licet, secundum se considerata, videantur momentosa, comparata tamen cum fundamentis fidei Catholicæ, penitus enervantur, & convincuntur falsitatis. Fit præterea, ut opinio, quæ adversatur S. Scripturæ, aut traditionibus, aut communi SS. Patrum sensui, aut rationi, aut certitudini de veritate oppositi, non sit vere probabilis; quia per talia motivum illius infringitur, & enervatur.

113. Quæres secundo, quotuplex sit Opinio probabilis?

Respondetur. Opinio, modo definita, est multiplex. Dividitur enim primo in *probabilem intrinsece*, & *probabilem extrinsece*. Opinio intrinsece probabilis est, quæ nititur gravi motivo independenter ab authoritate loquentis. Opinio extrinsece probabilis est, quæ pro suo motivo habet authoritatem loquentis. Hæc tamen probabilitas, ut opinionem vere, & theologice probabilem constituat, debet referri ad præcedentem, seu intrinsecam; nam se sola illud præstare nequit. Ratio est: quia nulla opinio potest censeri vere probabilis, nisi appareat conformis rectæ rationi, vel legi, præsertim Divinæ: sed ex sola authoritate DD. non obtinet ejusmodi conformitatem; ergo eam sortiatur, necesse est, aliunde, videlicet a probabilitate intrinseca, quacum prudenter præsumitur connexa, quando scitur, quod DD. periti, & graves aliquam sententiam teneant tanquam vere probabilem: secus, si etiam teneant Authores non graves, nec satis periti. Vide Sporer *numer*. 38.

Dividitur Opinio probabilis secundo in *probabilem speculative*, & *probabilem practice*. Opinio speculative probabilis est, quæ nititur motivo speculative probabili, id est, tali, quod attenta objecti substantia, & non consideratis circumstantiis, saltem omnibus, vel particulari exercitio operationis, habet apparentiam veri, estque aptum movere (cum formidine tamen de opposito) ad assensum. Opinio practice probabilis est, quæ nititur motivo practice probabili, sive tali, quod hic, & nunc, consideratis omnibus circumstantiis, apparet verum, aptumque movere (itidem cum formidine de opposito) ad assensum.

114. Ex quo patet, quod aliqua opinio possit esse speculative probabilis, quin sit probabilis practice. Nam (ut alia exempla omittam) speculative probabile est, quod ad Baptismum sufficiat hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati*, eo quod habeat æquivalenter eandem significationem, quam habet forma, communi Ecclesiæ usu recepta; non tamen est probabile practice, propter circumstantiam legis administrationem Baptismi cum ista forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, præcipientis.

115. Eruitur præterea discrimen opinionis a conscientia: siquidem hæc non est ipsa opinio, sed opinionis ad operationem in particulari applicatio: veluti liquet ex dictis *numer*. 13. Unde licet operari contra opinionem, etiam propriam, non autem contra conscientiam proprie, & reflexe sumptam: prout patebit ex dicendis infra *num*. 179.

Dividitur Opinio probabilis tertio in *probabilem quoad se*, & *probabilem quoad nos*. Prior est, quæ vere, & a parte rei nititur motivo gravi, licet forte ejus gravitas a nobis non cognoscatur. Posterior est, quæ invincibiliter a nobis putatur inniti motivo gravi, quamvis reipsa grave non sit.

116. Ex quo conficitur, dari opiniones probabiles *quoad se*, quæ sæpe non sunt probabiles *quoad nos*. Nam sæpe dantur revera motiva gravia, & ad fundandum prudentem assensum de se sufficientia, quæ tamen, ut talia, nobis, saltem omnibus, non innotescunt: consequenter dantur opiniones probabiles quoad se, tametsi non sint probabiles quoad nos, id est, quoad illos, quos memorata motiva latent. Similiter dantur opiniones probabiles quoad nos, quæ non sunt probabiles quoad se. Patet hoc in hæreticis materialibus; nam isti ob authoritatem, & rationes hæresi faventes, quas solas acceperunt a suis Majoribus, prudenter, & inculpate credunt, vera esse dogmata sibi tradita; & consequenter quoad illos sunt probabilia, licet reipsa sint errores improbabilissimi, quorum motiva, cum motivis fidei Catholicæ collata, omni veritatis apparentia mox exuuntur.

Dividi-

Dividitur Opinio probabilis quarto in *minus*, *æque*, & *magis probabilem*, ac *probabiliſſimam*. Opinio minus probabilis eſt, cujus motiva ſunt quidem gravia, minus tamen, quam motiva opinionis oppoſitæ. Opinio æque probabilis eſt, quæ habet motiva æqualis ponderis cum motivis opinionis oppoſitæ. Opinio probabilior eſt, quæ nititur motivis fortioribus, quam oppoſitæ. Ex quo fit, ut illa opinio ſit ſua oppoſita intrinſece probabilior, pro qua militant meliores rationes, ſeu motiva intrinſeca: illa vero probabilior extrinſece, pro qua ſtant majora motiva extrinſeca, ſeu major authoritas Doctorum, non ab horum numero, ſed peritia, ſapientia, prudentia &c. menſuranda. Quod ſi una opinio nitatur motivis intrinſecis firmioribus; altera vero, ſeu oppoſita, majori authoritate Doctorum, illa huic præferenda eſt, & cenſenda ſimpliciter probabilior: quia rationes authoritati prævalent; eo quod hæc in illis fundetur, ſuumque inde robur, & pondus accipiat.

117. Opinio probabiliſſima eſt, cujus motiva intra limites probabiliſmi ſupremum gradum attingunt. Differt ab opinione moraliter certa; quia certitudo moralis unius opinionis non poteſt componi cum probabilitate, ſaltem practica, alterius opinionis oppoſitæ; bene vero probabiliſmus, licet maximus. La Croix *numer.* 180.

Dixi proxime: *ſaltem practica*. Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, certitudinem moralem alicujus opinionis oriri vel ex principiis intrinſecis, & directis; vel ex principiis extrinſecis, indirectis, & veluti reflexis: prout inſinuavimus *numer.* 82. Si oriatur ex principiis primi generis, videtur impedire probabilitatem etiam ſpeculativam alterius partis, ſeu opinionis, proprie talem; veluti ſupra *eodem numer.* 82. dictum relate ad dubium ſpeculativum. Si vero oriatur ex principiis ſecundi generis, compatitur probabilitatem ſpeculativam alterius partis: ut patet in caſu, quo Petrus v. gr. bona fide cœpit poſſidere prædium, & Paulus deprehendit, prædium illud probabiliter eſſe ſuum; nam hæc Pauli probabilitas ſpeculativa ſtare, & permanere poteſt cum certitudine morali, quam Petrus vi legitimæ poſſeſſionis habet de licita prædii retentione. Porro eadem principia extrinſeca, quæ *loc. citat.* recenſuimus, & diximus ſufficere ad deponendum dubium practicum, & formandam conſcientiam practice certam, etiam ſufficiunt, & inſerviunt hic, ut conſcientia probabilis reduci poſſit in practice, & moraliter certam.

118. Dividitur opinio probabilis quinto in *tutiorem*, & *minus tutam*. Prior eſt, quæ partem tutiorem, & poſterior, quæ partem minus tutam affirmat eſſe licitam: vel (quod in idem recidit) illa eſt, quæ ſtat pro lege contra libertatem; & iſta, quæ ſtat pro favore libertatis contra legem. Porro quid intelligatur nomine partis tutioris, & minus tutæ, diximus *numer.* 93. Id tamen in præſenti notandum, ſententiam probabiliorem non ſemper eſſe tutiorem, nec viciſſim. Exempla ſunt obvia. Unicum adduco. Probabilior eſt ſententia negans, hominem in mortale lapſum ſtatim obligari ad confeſſionem, non tamen eſt tutior id affirmante. Ratio quoque ſuffragatur: quia ex alio capite provenit probabilioritas, videlicet ex veriſimiliori fundamento, quo ſententia nititur; & ex alio tutioritas nimirum ex majori receſſu a periculo peccati, aut alterius mali incurrendi.

Ceterum juxta diviſionem ſententiæ probabilis fere etiam dividitur Conſcientia probabilis, ita, ut alia ſit *ſpeculative*, alia *practice*; alia *intrinſece*, alia *extrinſece*; alia item *magis*, alia *minus*; alia *æque probabilis*, alia *probabiliſſima*; alia *tutior*, alia *minus tuta &c.* ſicut *n.* 75. diximus, Conſcientiam dubiam dividi juxta diviſionem dubii formalis.

119. Quæres tertio, an unicus Author docens contra communem aliorum poſſit reddere ſententiam vere probabilem, aut etiam probabiliorem oppoſita, ita, ut illam ſequi etiam doctis liceat?

Reſpondetur affirmative, ſi ſit Author omni exceptione major, ſeu contra cujus authoritatem nulla fieri poteſt exceptio. Ad quam prærogativam requiruntur hæ conditiones. 1. ut ſit Vir conſcientiæ timoratæ; hæc enim ſi deſit, doctrina ipſius merito *ſal infatuatum* dicitur. 2. ut ad eam opinionem tendendam non moveatur impetu prurientis ingenii, aut ſtudio inveniendi nova, vel etiam paradoxa, ad oſtentationem ſuæ doctrinæ; ſed ſtudio, & amore veritatis. Unde oportet ſeponere omnem affectum, & paſſionem; nam nihil boni pingit ratio, quando penicillum ducit paſſio; hæc enim corrumpit judicium, & dictamen prudentiæ: quapropter Sanctus Thomas *quæſt.* 5. *de Virt. art.* 2. ait: *Taliter quiſque judicat, qualiter affectus eſt.* 3. ut in ea materia ſit verſatus. 4 ut rem ex profeſſo diſcutiat, & rationes, ac fundamenta utriuſque partis accurate expendat. 5. ut pro ſua ſententia rationem momentoſam afferat. Hæ, in quam, conditiones, ſi omnes ſimul concurrant, reddunt opinionem unici Doctoris vere, id eſt, tam inquam extrinſece probabilem, aut etiam probabiliorem, ſi ſcilicet ratio, ſive fundamentum, quo ſuam ſententiam firmat, præponderet fundamento ſententiæ oppoſitæ. Ita Suarez, Vaſquez, Azorius, & alii apud Sporer *numer.* 41. Oſtenditur primo argumento *canon.* 11. *diſtinct.* 31. ubi perhibetur in Oecumenica Synodo Nicæna unicum Abbatem Paphnucium ſingulari ſua ſententia omnibus reliquis prævaluiſſe, effeciſſeque, ne ferretur lex de ſeparandis Clericis, poſt ſuſceptos majores Ordines, ab uxoribus ſuis antea ductis.

Oſtenditur ſecundo hac ratione. Illa opinio eſt vere probabilis, quæ nititur ratione, ſeu motivo tam abſolute, quam comparative magno: ſed opinio unici Authoris nititur tali motivo, ut ſupponitur; ergo &c. Confirmatur. Si tres, aut quatuor Authores pii, & docti, fundamento momentoſo nixi, aliquam ſententiam teneant, reddunt eam vere probabilem; ergo etiam unus, ſi & ipſe ſimili fundamento nitatur: quia pluralitas Authorum ſecundum ſe ſpectata ad ſententiæ alicujus veram probabilitatem parum, imo nihil confert formaliter; cum non docentium copia, ſed rationis, ſeu fundamenti efficacia triumphet.

Dices primo. Philoſophus 1. *top. cap.* 1. inquit: *Probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his maxime notis*; ergo juxta Philoſophum, quod uni tantum videtur, non eſt probabile.

Reſpondetur, Philoſophum ideo dixiſſe in plurali *aut ſapientibus &c.* quia etiam probabilia in plurali definivit; eo fere modo, quo quis homines in plurali definiens diceret, eſſe *animalia rationalia*. Deinde Philoſophus non definivit probabilitatem definitione eſſentiali, ſed deſcriptiva tantum, data per id, quod accidit communiter: communiter autem accidit, ut quod eſt probabile, pluribus videatur eſſe tale.

Dices ſecundo. Alexander VII. proſcripſit hanc propoſitionem *ord.* 21. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*; ergo unici Authoris opinio non poteſt cenſeri probabilis.

Reſpondetur, diſt. conſ. Si is non ſit omni exceptione major, con. ſi ſit omni exceptione major, neg. conſ. Propoſitio damnata loquitur abſolute de quocunque Authore, ſive is ſit, ſive non ſit omni exceptione major, eumque vult ſufficere ad tribuendam opinioni probabilitatem. At noſtra reſponſio ſolum procedit de Authore, qui eſt omni exceptione major: conſequenter &c.

120. Quæres quarto, an homo rudis, cui Vir probus, prudens, & doctus dicit (eſto id non probet) aliquam opinionem eſſe vere probabilem, eam pro tali habere, & ſequi poſſit?

Reſpondetur affirmative, ſi nemo illi dicat, nec ipſe agnoſcat contrarium. Ita cum communi P. Sporer *loc. cit.* Ratio eſt: quia ejuſmodi homo rem examinare, aut diſcutere ipſe non poteſt; ergo ſe ſubmittat, & accommodet, neceſſe eſt, judicio alterius, contra cujus probitatem, prudentiam, & ſcientiam nulla occurrit exceptio: qualis eſt v. gr. Parochus, Confeſſarius, Theologus &c. qui communiter reputatur ſufficiens ſuo muneri obeundo. Unde S. Antoninus apud Eſparzam in *append. art.* 161. pro regula doctis dabat illud *Proverb.* 27. *v.* 7. *Stude ſapientia, fili mi:* indoctis autem illud *Deut.* 32. *v.* 7. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.*

121. Quæres quinto, an duæ opiniones oppoſitæ circa eandem rem poſſint eidem intellectui ſimul, & ſemel apparere probabiles?

Reſpondetur affirmative. Maſtrius in 2. *Sent. diſp.*

5. *de*

5. de Actib. hum. quæst. 2. art. 2. n. 49. Sporer *n.* 42. & alii communiter, Ratio est: quia hujusmodi opiniones non opponuntur contradictorie; ergo non apparet, unde oriatur earum incompossibilitas simultanea in eodem intellectu. Ant. ostenditur in hoc exemplo: *Probabile est censum Germanicum esse licitum: probabile est, censum Germanicum non esse licitum*: in quo ambæ propositiones sunt affirmativæ; nam particula *non* posteriori incerta haud afficit totam propositionem modalem, id est, modum, & dictum simul, ut loquuntur Dialectici, sed dictum tantum; ergo eam non efficit negativam; ergo vel ex hoc statim capite non opponuntur contradictorie; cum contradictio sit affirmatio, & negatio &c. Deinde innituntur diversis motivis; nam ideo census Germanicus asseritur esse licitus: quia explicari potest per modum census, & a gravibus Authoribus approbatur: contra ideo asseritur illicitus: quia usuram sapit, & a Doctoribus iisdem gravibus reprobatur; ergo etiam ex isto capite præfatæ propositiones nequeunt esse contradictoriæ; cum contradictio sit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundum idem, id est, secundum eandem rationem, & motivum.

122. Quæres sexto, an quando una opinio est probabilis, necessario etiam sit probabilis ejusdem opposita?

Respondetur negative. La Croix *num.* 175. Babenstuber, & alii passim. Ratio est: quia exinde, quod una opinio nitatur gravi motivo, non infertur, etiam oppositam niti gravi motivo; ergo neque infertur, hanc quoque esse probabilem. Cons. fluit. Ant. ostenditur & declaratur. Sicut enim nulla est connexio inter esse, & non esse ejusdem rei, ita nulla est connexio inter motivum suadens rem esse, cui innititur una opinio, & inter motivum suadens rem non esse, cui innititur altera, nimirum opposita; ergo sicut non sequitur *res est; ergo non est*; ita non sequitur: *datur motivum suadens rem esse; ergo etiam datur motivum suadens rem non esse*. Dilucidari id exemplo potest. Nam siquis dubitet, an peccaverit, eique occurrat gravis ratio, quod non peccaverit; nulla vero, vel non nisi levis, quod peccaverit, habet opinionem probabilem, quod non peccaverit, & non habet opinionem probabilem, quod peccaverit; ergo dabilis est opinio probabilis, quin sit probabilis ejusdem opposita. Fatendum tamen, illiusmodi opinionem non esse in simili casu præcise, seu mere probabilem, sed potius moraliter certam, respective nimirum, & equivalenter; ut patebit infra *numer.* 289.

Quæres septimo, an sententia semel probabilis possit reddi improbabilis?

123. Respondetur affirmative. DD. communissime. Sic olim erat probabile, quod liceat Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. gr. potest, & solet contingere in die solemnis alicujus festivitatis, aut plenariæ indulgentiæ: nunc autem improbabile est, & damnatum ab Innoc. XI. Similiter olim probabile erat, absolutionem Sacramentalem collatam absenti, & validam esse, & quandoque licitam: at modo post declarationem Clementis VIII. ea opinio omni probabilitate caret. Atque ita constat de multis aliis opinionibus, quæ quondam in scholis ut probabiles propugnabantur, nunc autem per novas Conciliorum, atque Pontificum declarationes, aut argumenta de novo inventa, suam probabilitatem amisere. Vicissim ob motiva magni momenti, quæ ante latebant, a Viris doctis detecta, opinio prius improbabilis evadere potest probabilis. Eadem ratione per motiva nova, prioribus superaddita, opinio minus probabilis redditur probabilior, & ob unum, vel alterum motivum, de falsitate convictum, probabilior fit minus probabilis.

124. Quæres octavo, quænam sint genera censurarum, quibus Romani Pontifices afficere possunt, & solent opiniones, seu propositiones, dum easdem improbabiles reddunt?

Respondetur esse sequentia, seu propositiones notari, censurari, & appellari sequentibus modis. Prima dicitur *Hæretica*, quæ aperte opponitur veritati a Deo revelatæ, & per Ecclesiam definitæ; v. g. *Christus non est Deus*. Secunda vocatur *Eronea*, vel *Heresi proxima*, quæ opponitur vel doctrinæ, juxta unanimem SS. PP. Ecclesiæ Doctorum revelatæ, sed nondum per Ecclesiam definitæ; vel doctrinæ, quæ ex revelatis per discursum a Theologis infertur: vet. gr. *Christus non est visibilis*. Tertia appellatur *Errori proxima*, quæ opponitur doctrinæ, quam plures, sed non omnes Theologi tenent esse conclusionem theologicam. Quarta nominatur *Sapiens heresin*, estque illa, que licet aliquando possit habere bonum sensum, tamen ex quibusdam circumstantiis vel asserentis, vel textus præcedentis, aut consequentis, parit suspicionem hæresis: v. g. si Arianus dicit: *Pater major me est*; & Lutheranus: *Fides justificat &c.* Quinta nuncupatur *Sapiens errorem*, quæ scilicet ex circumstantiis loquentis, loci, temporis &c. gravem generat suspicionem erroris. Sexta audit *Temeraria*, quæ sine solido fundamento impugnat in re gravi communem Theologorum sententiam: v. gr. *B. Virgo non est in cœlo quoad corpus*. Septima, *Scandalosa*, quæ immediate, & de se præbet aliis occasionem ruinæ spiritualis circa doctrinam fidei, & morum: v. gr. *ex Sacramentali confessione, jejuniis, &c. multa sequuntur incommoda*. Octava, *Schismatica*, quæ fideles ab unitate, & pace Ecclesiæ, vel ab obedientia S. Pontificis retrahit: v. gr. *Papa moribus non satis integro, parendum non est*. Nona, *Male sonans*, quæ potest quidem sensum habere catholicum, passim tamen, prout jacet propositio, usurpari solet ab hæreticis, & in sensu hæretico: v. gr. *Christus est ubique*. Decima, *Offensiva piarum aurium*, quæ non solum male sonat, sed etiam aliquid indignum in materia Religionis præsefert, ex quo animus pietati, & veræ fidei doctrinæ deditus offenditur. Undecima, *Injuriosa, Blasphema, & Impia*, quæ Deo, vel sanctis Hominibus, vel rebus habentibus ad Deum habitudinem, est contumeliosa, ac dehonestativa: v. gr. *Magdalena meretrix ora pro nobis*. Duodecima *Seditiosa*, quæ divisionem inducit in populo: v. g. *malo Prælato, vel Principi non est obediendum*. Decima tertia, *Simplicium seductiva*, quæ sub specie pietatis, vel prætextu boni errorem tegens apta est simplicium mentes seducere; quales multæ sunt propositiones *Molinos*, *Quesnelli &c.* Decima quarta, *Insana, Fabulosa, Mendosa*, quæ nec ratione, nec authoritate, neque aliqua verisimilitudine nititur. Decima quinta, *Antiquata*, quæ olim probabilis, hodie damnata est. Decima sexta, *Apocrypha*, cujus Author incognitus, aut incertus est; vel de qua non constat, an sit Divina, aut Canonica &c. Decima septima: *Judaica, Pagana, Athea &c.* quæ cum Judæis, Paganis, Atheis &c. sentit. Ita Suarez *disp. 19. de fide sect. 2.* Viva *q. prodrom. de falsit. Thesium confix.*

CAPUT II.

De Conscientiæ, & Sententiæ Probabilis usu.

ANtequam hoc Caput in suos Articulos dividamus, oportet nosse, opinionum oppositarum alias præcise versari circa licentiam, & honestatem actionis; alias vero circa actionis valorem, & efficaciam, aut evitationem damni. Illæ sunt, quæ probabiliter disputant, an aliqua actio sit præcepta, vel prohibita? licita, vel illicita? v. g. *sitne licitum, vel illicitum die festo pingere?* Istæ, quæ disputant, utrum a parte rei aliqua actio sit valida, aut efficax, nec ne? utrum ex tali opere sequatur tale damnum, nec ne? v. gr. *an Baptismus cum hac forma: Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, Spirati, valeat, nec ne? an hac medicina patienti sit obfutura, nec ne?* Inter objecta memoratarum propositionum magnum intercedit discrimen: siquidem rectitudo, & honestas actionis non tam desumitur ex eo, quod est a parte rei, quam ab eo, quod apparet inculpabiliter operanti: unde potest quandoque contractus, v. g. in se usurarius, esse licitus propter bonam fidem, & invincibilem ignorantiam operantis. E diverso valor Sacramenti, & veritas alicujus periculi, vel damni non desumitur ab eo, quod ita, vel aliter appareat operanti; sed quia a parte rei ita se habet: & ideo Confessarius, tametsi inculpabiliter existimet, pœnitentem esse satis dispositum, ac beneficio absolutionis dignum, nullum tamen Sacramentum conficit, quando pœnitens a parte rei non est dispositus; eo quod valor Sacramenti non pendeat ab opinione Ministri, sed ab institutione Christi. Hoc discrimine animad-

animadverso, præsens Caput in tres Articulos divisum ibimus. In primo disquiremus, an licitus sit Conscientiæ, & Sententiæ probabilis usus, quando vertitur quæstio de sola licentia, & honestate actionis? In secundo, an etiam sit licitus, quando vertitur quæstio de actionis valore, aut efficacia, vel de evitatione alicujus damni? In tertio deducemus corollaria ex iis, quæ fuerint dicta in duobus Articulis præcedentibus,

ARTICULUS I.

De Conscientiæ, & Sententiæ Probabilis usu simpliciter licito.

SUMMARIUM.

125. *Dictamen conscientiæ ultimum, seu practice practicum, quod est proxima regula honestæ operationis, debet esse moraliter certum de honestate ejusmodi operationis. Unde dum quæritur, an conscientia, aut sententia probabilis possit esse secura actus humani regula, quæstio intelligenda est de regula remota tantum.* 126. *Nec sententia tenuiter, aut dubie probabilis, nec probabiliter probabilis, fundare potest dictamen conscientiæ moraliter certum: unde extra casum necessitatis nec unam, nec alteram sequi licet.* 127. *Laudabiliter agit, qui sequitur sententiam tutiorem, etsi minus probabilem.* 128. *Quando agitur de sola honestate operationis, licet sequi sententiam probabilissimam.* 129. *Etiam probabiliorem, aut æque probabilem.* 130. *Solvitur objectio,* 131. *Similiter tunc licet sequi sententiam minus probabilem, & minus tutam; prout eodem N. ostenditur ex S. Script. & SS. Patribus.* 132. *& seq. Adducuntur rationes pro stabilienda nostra conclusione.* 137. *& seq. Diluuntur objectiones ab authoritate petitæ.* 141. *& seq. Satisfit argumentis a ratione depromptis.*

125. PRænotandum primo, & supponendum ex dictis *disp.1. a num.11.* ultimum, seu practice practicum dictamen conscientiæ, quod statuitur pro proxima, & immediata regula honestæ operationis, debere esse moraliter certum de honestate ejusdem operationis; hoc ipso, quod, ut *loc. cit.* ostendimus, sit actus elicitus prudentiæ, cui repugnat esse formaliter incertum, fallibilem, & formidolosum. Unde, dum infra dicemus, quod liceat sequi conscientiam, & sententiam probabilem, id accipiendum non erit in hoc sensu, quasi ejusmodi conscientia, & sententia possit esse regula proxima, & immediata licitæ, & honestæ operationis; sed quod possit esse principium remotum, ad formandam conscientiam moraliter certam præsuppositum; prout *loc. cit.* exposuimus, & exemplificavimus. Ex quo fit, ut hæc propositio: *Qui operatur ex conscientia probabili, honeste operatur*, intelligenda non veniat de conscientia ut formaliter, & subjective probabili, sive sumpta pro conclusione ex præmissis probabilibus proxime deducta, adeoque pro assensu secundum formalem rationem suam fallibili, ac formidoloso; nam intellecta hoc modo non est vera: sed de conscientia probabili, sive opinativa præsuppositive, & originative; hoc est, illa, quæ reflexe formatur ex conscientia, & opinione probabili; estque in se, & formaliter certa, atque infallibiliter prudens citra omnem ex sua parte formidinem de opposito, id est, citra formidinem practicam, esto remaneat formido speculativa, relicta a judicio subjective, & formaliter probabili præsupposito, memorato conscientiæ dictamini extrinseca. Revide dicta *loc. cit.*

126. Prænotandum secundo, non posse formari dictamen conscientiæ moraliter certum ex opinione solum probabiliter probabili; & consequenter talis opinionis usum, & electionem non esse licitam, per se loquendo, & extra casum necessitatis. Mezger *tract.5. disp.14. art.2. §.3. n.13.* post Terillum, & alios ibidem relatos. Ratio est: quia, ut ostendimus *disput.1. n.13.* ad dictamen conscientiæ moraliter certum, ex opinione probabili formandum, præsupponi debet judicium certum, & experimentale de probabilitate illius opinionis: atqui tale judicium non præsupponitur, quando opinio est solum probabiliter probabilis; eo ipso, quod illius probabilitas nobis solum innotescat probabiliter: ideoque incertum sit, an nitatur motivis assensu dignis; ergo &c. Quod dictum de sententia probabiliter probabili, a fortiori procedit de sententia tenuiter, aut dubie probabili. Patet id ex propositione *ord.3.* inter proscriptas ab Innoc. XI. quæ ita sonat: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Accedit ratio: quia motivum tenue, aut dubium non est dignum assensu Viri prudentis; neque sufficit ad tollendum dubium practicum; ergo neque sufficit ad formandam conscientiam moraliter certam.

Dixi: *per se loquendo &c.* Nam per accidens, & in casu necessitatis, quo melior opinio ad praxim reduci nequit, utique eligi potest, & debet opinio probabiliter, tenuiter, aut dubie probabilis non quidem in sensu composito, ita, ut censeatur retinere incertam, tenuem, aut dubiam probabilitatem; sed in sensu diviso, ut illam perdat, & evadat ob casum necessitatis certo, ac vere probabilis, Viva super *propos.* proxime relatam, *num.13.*

127. Prænotandum tertio, indubitatum esse apud omnes, quod non solum licite, sed & laudabiliter agat, qui in operando, vel non operando sequitur sententiam tutiorem relicta minus tuta, licet probabiliori, vel etiam probabilissima. Ratio est: quia sequens sententiam tutiorem magis cavet periculum peccati etiam materialis: quod utique non modo licitum, verum & laudabile est. Quapropter esto sententia, negans peccatorem post mortale perpetratum mox obligari ad confessionem, sit probabilior (vel etiam probabilissima) sententia affirmante ejusmodi obligationem; quia tamen ista est tutior, recte, & laudabiliter facit, quisquis in mortale lapsus, illico secundum post naufragium tabulam apprehendit. Et sic de aliis.

His prænotatis, tota controversia, in hoc articulo dirimenda, eo devolvitur, an liceat sequi sententiam certo, & vere probabilem (in quocunque demum probabilitatis gradu) quæ sit minus tuta, ac eidem opposita, quando agitur de sola licentia, & honestate operationis? Ad quod ut distincte respondeam,

Dico primo. Quando agitur de sola licentia, & honestate alicujus operationis, licitum est, per se loquendo, sequi conscientiam, sive sententiam (1.) probabilissimam; aut (2.) probabiliorem; aut (3.) æque probabilem, ac est opposita. Ita DD. communissime, maxime quoad duas priores partes.

128. Probatur prima pars ex propos. *ord.3.* ab Alexandro VIII. damnata, quæ sic habet: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*; ergo vera est ista propositio damnatæ: *Licet sequi opinionem probabilissimam* (esto sit minus tuta) quando videlicet agitur de sola licentia, & honestate operationis.

129. Probatur etiam secunda, & tertia pars. Illam opinionem, & conscientiam licet sequi, ex qua potest formari conscientia practice certa: atqui ex opinione, & conscientia probabiliori, vel æque probabili, licet minus tuta, potest formari conscientia practice certa; ergo licet sequi opinionem, & conscientiam probabiliorem, vel æque probabilem, etsi minus tutam. Maj. est certa. Min. ostenditur. Qui prudenter deponere potest formidinem practicam, formare potest conscientiam practice certam; haud minus, ac qui prudenter deponere potest dubium practicum: sed operaturus ex opinione, & conscientia probabiliori, vel æque probabili, licet minus tuta, potest prudenter deponere formidinem practicam, quando agitur de sola licentia & honestate operationis; ergo &c. Major est certa. Min. probatur, & declaratur in exemplo, quo usi sumus *disp.1. num.13.* in quo deliberat pictor v. g. an liceat pingere die festo? Hic enim ita discurrere potest: *Omne opus non servile est licitum in die festo: sed pingere est opus non servile; ergo pingere est licitum in die festo.* Ubi minor opinionem, conclusio autem conscientiam magis, vel æque probabilem, minus tamen tutam, importat. Nunc pictor cum reflexione ad utriusque probabilitatem potest assumere aliud principium reflexum Synteresis, & ulterius in hunc modum ratiocinari: *Illud opus hic, & nunc est licitum in die festo, quod prudenter judico esse licitum in die festo: sed opus pingendi prudenter judico esse licitum in die festo; ergo opus pingendi, seu pingere hic, & nunc est licitum in die festo.* Hæc conclusio est ultimum dictamen conscientiæ practice certum, immediate, & proxime illatum ex præmissis certis, & infallibilibus, quales sunt positæ in

posi-

poſteriore ſyllogiſmo; mediate vero, & remote ex opinione, & conſcientia probabiliori, vel æque probabili, in ſyllogiſmo anteriore importatis. Revide dicta *loco citato*.

Ulterioribus probationibus hic ſuperſedeo; maxime quia rationes, quas pro ſtabilienda concluſione *ſeq.* aſferemus, a fortiori militant pro concluſione præcedenti, & hucuſque dicta confirmant.

130. Objicies contra tertiam partem ſtatutæ concluſionis. Intellectus inter motiva æqualiter moventia conſtitutus ſe habet inſtar bilancis æqualiter libratæ, ſive cui impoſita ſunt pondera æqualia; ergo ſicut bilanx tunc præponderare in neutram partem poteſt, ita nec intellectus; & conſequenter hic non poteſt unam præ altera eligere.

Confirmatur. Æqualitas motivorum conſtituit dubium objectivum, cui in mente correſpondet dubium formale; ergo quando motiva pro utraque contradictionis parte ſunt æqualia, intellectus neutri parti aſſenſum præbere; & conſequenter neutram ſequi poteſt.

Reſpondetur ad object. tranſmiſſo antecedente (utpote quod ſolum tenet, quando illa motiva ſunt extrinſeca, ſeſeque mutuo elidunt; prout patebit infra *numer.* 142.) diſt. primum conſ. Intellectus id non poteſt, ſi ſibi ſoli relinquatur, con. ſi accedat impulſus, & imperium voluntatis, neg. hanc, & alteram conſ. Unde ſicut bilanx (ut paritatem aſſumptam nobis accommodemus) tandiu ſolum in æquilibrio manet, quandiu nullus accedit impulſus ab extrinſeco, v. gr. a manu hominum; ita & intellectus manet ſuſpenſus, ac dubius, quoadusque accedat impulſus voluntatis: hoc autem accedente poteſt præponderare in hanc, vel alteram partem, eamque eligere juxta imperium voluntatis.

Itaque ad confirmat. diſt. ſimiliter conſ. Intellectus ſibi relictus, con. ut imperio voluntatis ſubſtratus, neg. utranque conſ.

Inſtabis. Voluntas non poteſt in intellectum exercere hoc imperium: *quamvis nulla ratio tibi ſuppetat affirmandi potius, quam negandi, contractum. A. eſſe uſurarium: nihilominus volo, ut affirmes potius, quam neges*; ergo, ſtante æqualitate motivorum, & opinionum, intellectus manet ſuſpenſus in æquilibrio, & non poteſt per imperium voluntatis flecti in alterutram partem. Ant. prob. Voluntas non poteſt imperare intellectui, ut hic judicet verum, quod apparet falſum: quia hujuſmodi imperium eſt contra rationem intellectus non potentis aſſentiri objecto, niſi ſub ratione veri, ſeu quia apparet verum; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. Ad cujus probat. diſt. ant. Non poteſt voluntas imperare intellectui, ut hic judicet certo, vel etiam probaliter verum, quod apparet evidenter falſum, con. ut judicet probabiliter verum, quod apparet probabiliter falſum, neg. ant. & conſ. In hoc quippe nulla deprehenditur repugnantia. Ad rationem antecedentis probativam ajo, intellectum poſſe aſſentiri objecto non ſolum realiter, ſed etiam apparenter vero; ſicut voluntas poteſt appetere objectum non ſolum realiter, ſed etiam apparenter duntaxat bonum.

Urgebis. Saltem talis aſſenſus non erit prudens.

Reſpondetur, neg. illatum. Nam ſubjectio intellectus ad voluntatem, prout conjuncta cum motivo gravi, per oppoſitum non eliſo, quo nititur opinio, cui præſtatur aſſenſus, hunc omnino rationabilem, & prudentem efficit.

Dico ſecundo. Etiam licet, per ſe loquendo, ſequi conſcientiam, & ſententiam minus probabilem, quantumvis minus tutam, ac eſt oppoſita, quando agitur de ſola licentia, & honeſtate actionis. Eſt communiſſima, & receptiſſima DD. in omni Schola; veluti teſtatur Maſtrius *in* 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 1. *num.* 45. contra Mercorum, Comitolum, Gonzalez, Gonet, & quoſdam alios, quibus noviſime ſubſcripſit P. Henno.

131. Probatur primo authoritate Sac. Script. Nam Matthæi 11. Chriſtus dicit: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: atqui jugum Chriſti non eſſet ſuave, neque onus ejuſdem leve, ſi teneremur ſemper probabiliora ſequi; imo multum per omnem modum inde aggravaretur, & redderetur moraliter importabile; ergo &c.

Confirmatur authoritate SS. PP. Ambroſii, & Bonaventuræ, quorum prior in *Pſalm.* 118. *ſermone* 5. ita habet; *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere. Timor in eo eſt: quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere; ſed inſcitia in eo eſt: quia non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem.* Poſterior autem in *Compendio Theologiæ lib.* 2. *capit.* 52. ait: *Cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta: nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem*; Ergo ſecundum hos SS. PP. incedendum eſt via media, non nimis laxando, nec nimis arctando conſcientias. Atqui hac via nos incedimus, rejiciendo ſententiam tenuiter, aut dubie, imo & probabiliter duntaxat probabilem, admittendo autem ſententiam vere, licet minus probabilem, minuſque tutam, ceu rectam actuum humanorum regulam; ergo &c.

132. Probatur ſecundo ratione. Qui prudenter operatur, non peccat; implicat enim in terminis operationem, juxta regulas prudentiæ elicitam, eſſe illicitam, & peccaminoſam; ſed qui, relicta ſententia probabiliori, ſequitur minus, vere tamen probabilem, prudenter operatur; cum ſe accommodet opinioni momentoſo fundamento nixæ, aſſenſuque Viri prudentis dignæ; ergo non peccat: conſequenter &c.

Nec dicas. Licet ſententia minus probabilis ſit, & maneat vere probabilis, ac Viri prudentis aſſenſu digna, quando inſpicitur abſolute, & ſecundum ſe; extrahitur tamen a ratione ſententiæ vere, & ſolide probabilis, quando ſpectatur comparative, ſeu relate ad fundamenta ſententiæ oppoſitæ probabilioris.

Contra enim eſt primo. Major bonitas unius actus moralis v. gr. virginitatis non deſtruit minorem bonitatem alterius actus, ver. gr. conjugalis, nec obſtat, quin iſte ſit, & maneat bonus, ac meritorius: imo etiam in phyſicis majus non deſtruit minus; nam album ut octo non impedit, quin album ut ſex ſit, ac dicatur vere, & ſimpliciter album; ergo nec major probabilitas unius ſententiæ enervat minorem probabilitatem alterius oppoſitæ.

Contra eſt ſecundo. Vera opinionis probabilitas non deſtruitur niſi per contrarium principium certum: ſed opinio probabilior, ac oppoſita, non innititur principio certo; alias egrederetur limites opinionis probabilis, eſſetque certa, contra ſuppoſitum; ergo illius major probabilitas non deſtruit iſtius probabilitatem minorem.

133. Probatur tertio. Qui operatur ex ignorantia invincibili, ac inculpabili, non peccat, cum ejuſmodi ignorantia a peccato excuſet; prout videbimus in *tract.* 3. *diſp.* 1. *hujus part.* ſed operans ex opinione vere, licet minus probabili, operatur ex ignorantia invincibili inhoneſtatis, & malitiæ; ergo non peccat: conſequenter &c. Min. oſtenditur. Ille ignorat quid invincibiliter, ac inculpabiliter, cui poſt adhibitam diligentiam, quam adhibere tenebatur, veritas non innotuit: ſed operanti juxta ſententiam minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, poſt adhibitam diligentiam, quam adhibere tenebatur, veritas inhoneſtatis, & malitiæ non innotuit, ut ſupponimus; imo moraliter loquendo nec innoteſcere potuit; cum humano modo ſit impoſſibile de objectis operationum moralium deprehendere certitudinem; ergo &c.

Nec refert, quod forte certitudinem aliquis aſſequeretur, ſi in ea inveſtiganda extraordinariam diligentiam adhiberet. Non, inquam, refert: ſiquidem nemo, maxime ubi quæſtio de ſola licentia, & honeſtate actionis vertitur, ad diligentiam extraordinariam impendendam obſtringitur; ſed ſecundum omnes ſufficit diligentia moralis, humana, & ordinaria. Deinde adhibita etiam diligentia extraordinaria veritas rariſſime deprehenditur: de rariſſime autem contingentibus, quorum moralis poſſibilitas non præſumitur, imponere obligationem nimis durum eſt, & conditioni humanæ fragilitatis omnino improportionatum; ergo &c.

Probatur quarto. Si eſſet obligatio ſequendi ſemper opinionem probabiliorem, finis illius obligationis foret evitatio frequentium tranſgreſſionum materialium: ſed hæc ratio non urget; ergo &c. Maj. eſt Adverſariorum. Min. prob. Lex ſemper ſequendi opinionem probabiliorem non ſolum non ſerviret ad cavendam frequentiam materialium tranſgreſſionum, ſed inſuper

eſſet

esset moraliter certa occasio frequentissimorum peccatorum formalium; ergo esset magis nociva, quam proficua: consequenter perniciosa, contra naturam legis. Ant. ostenditur; quia homines plerumque vel non investigarent opinionem probabiliorem; vel ob ejus durities eandem non sequerentur; vel plurimi redderentur perplexi, & impedirentur ab operationibus, hic, & nunc valde necessariis, aut opportunis; eo quod non haberent, unde discernerent probabiliora a minus probabilibus; ergo &c.

Confirmatur. Si ob periculum peccati materialis non liceret sequi sententiam minus probabilem, relicta probabiliore, ex eadem ratione non liceret sequi sententiam majis probabilem, quando est minus tuta; siquidem & hujusmodi usus operantem exponit periculo peccati materialis, cum possit reipsa esse falsa, æque, ac minus probabilis; sæpe enim falsa apparent probabiliora veris: sed sequela est nimis dura, & neque ipsis Adversariis probatur; ergo &c.

135. Probatur quinto. Lex non sufficienter promulgata non obligat: sed lex semper sequendi probabiliora, etiam quando precise de licentia, & honestate operationis agitur, non est sufficienter promulgata; ergo sequi possumus minus probabilia. Major est omnium. Min. prob. Illa lex non est sufficienter promulgata, cujus existentia, & obligatio est incerta: sed existentia, & obligatio legis semper probabiliora sequendi est incerta; ergo &c. Major constat: quia ut lex censeatur sufficienter promulgata, ejus existentia, & obligatio ita liquido subditis debet innotescere, ut magnam eorum partem latere non possit, nisi culpabiliter ignorare velint. Min. vero ostenditur: quoniam impossibile est, ut stet certitudo de lege cum probabilitate de non existentia, vel non obligatione legis; cum ex duabus contradictoriis, quando una est probabilis, opposita non possit esse certa; prout in confesso est apud omnes: atqui est probabile, imo probabilius (vel etiam, ut infra videbimus, moraliter certum) non dari existentiam, & obligationem legis semper probabiliora sequendi, utpote quam longe plures negant, ac affirment, & solidiora extant fundamenta negantium, ac affirmantium; ergo &c.

136. Probatur denique sexto argumento, quo supra num. 129. usi fuimus. Sententia vere, licet minus probabilis, potest fundare conscientiam reflexe, & practice certam; ergo licite illam sequimur. Conf. constat: ideo enim licite sequimur sententiam probabiliorem, aut æque probabilem. Ant. ostenditur. Ponamus enim, quod hæc opinio: *pingere est opus non servile*, sit minus probabilis, ac opposita, potest nihilominus pictor sic ratiocinari: *Illud opus hic, & nunc est licitum in die festo, quod prudenter judico esse licitum in die festo: sed opus pingendi prudenter judico esse licitum in die festo; ergo opus pingendi, seu pingere hic, & nunc est licitum in die festo*. Ecce conclusionem, quæ est conscientia reflexe, & practice certa, formata ex sententia minus (juxta hypothesin) probabili. Revide dicta *n. cit.*

Dixi in utraque conclusione: *per se loquendo*. Nam per accidens fieri potest, ut non liceat sequi sententiam minus, imo & æque, vel magis probabilem, ac minus tutam. Obstare enim potest inprimis proprius error; ut siquis opinionem vere quidem in se probabilem, apud se tamen omnino improbabilem, & falsam judicet, eam utique sequi licet non poterit. Obstare etiam potest periculum peccati, opinioni per se probabili, & tutæ per accidens adjunctum: exem. grat. probabilis est opinio, licere cuilibet juxta morem patriæ osculo salutare feminam, præsertim cognatam, etiamsi quis sentiat levem aliquem naturæ motum, ex attactu faciei naturaliter resultantem: contingit autem, ut aliquis inde graves, & periculosas tentationes carnis experiatur: talis memoratæ sententiæ, ut ut de se probabili, accommodare se amplius non potest. Ratio utriusque est: quia tam in priore, quam in posteriore casu sententia, de se probabilis, respectu talium non manet practice probabilis: prout bene advertit noster P. Petrus Marchantius *tract. 5. tit. 5. quæst. 7. conclus. 1.*

Objicies primo. S. Script. docet, nos debere, quantumcunque scimus, & possumus, obedientiam præstare Deo in observantia mandatorum ejus: veluti patet ex illo *Deut. 26. Hodie Dominus Deus præcepit, ut facias mandata hæc, atque judicia; ut custodias, & impleas ex toto corde tuo, & tota anima tua*, id est, (ait Gonetus) quantum scis, & potes; prout Interpretes communiter exponunt. Unde inquit Psalmista *Psal. 110. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est, valde, & quantum quisque scit, & potest: sed operans juxta opinionem minus probabilem, minusque tutam, stantem contra præceptum, in concursu probabilioris, & tutioris, stantis pro præcepto, in custodiendo Dei mandato non facit, quantum scit, & potest; scit enim ad illius observantiam magis conducere usum sententiæ probabilioris, & tutioris, potestque hanc amplecti; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. maj. ac textus in ea adductos. Quantum scimus, & possumus extensive, ita ut nullum Dei mandatum transgrediamur, con. intensive, ita ut mandata Dei observemus modo, quo absolute fieri potest, perfectissimo, neg. maj. Hoc enim consilii est, non præcepti. Porro per allatos textus non jubemur, mandata dubia, & quæ nescimus, implere ex toto corde, & custodire nimis; sed quæ scimus, & in quantum scimus; prout ipsimet Adversarii interpretantur.

138. Objicies secundo. In S. Script. nonnunquam reprehenduntur, qui secuti sunt sententiam minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori, & tutiori; ergo illius sequela non est licita. Ant. prob. tum ex 3. *Reg. c.* 12. ubi culpabilis pronunciatur Roboam, quod relicto consilio Sapientum, & seniorum probabiliori, & tutiori, amplexus sit consilium Juniorum minus probabile, minusque tutum. Tum ex Matthæo 15. ubi Judæi appellantur *cæci, & duces cæcorum*; eo quod obsecundaverint interpretationibus Scribarum, & Pharisæorum de non subveniendo parentibus &c. quæ utique propter authoritatem dicentium videbantur illis probabiles; ergo &c.

Confirmatur ex tragica Historia apud Thomam Cantipratanum *lib. 1. de apib. capit.* 19. ubi testatur, quod Philippus Cancellarius Parisiensis, post mortem apparens, inter alias suæ damnationis causas allegaverit sequelam sententiæ minus probabilis, minusque tutæ de beneficiorum pluralitate; ergo sententiam minus probabilem, minusque tutam sequi non licet. Quod autem illa sententia fuerit eo tempore probabilis, esto opposita fuerit probabilior, colligitur ex Doctore Angelico, tunc vivente, qui *Quodlib. 9. art.* 15. ubi versat quæstionem, *an liceat habere plures prebendas?* dictam sententiam non rejicit, sed de illa loquitur, sicut loqui solet de opinionibus probabilibus.

Respondetur ad argument. neg. ant. Ad probat. ajo, consilium Juniorum, quod secutus est Roboam, non fuisse prudens, & probabile, sed omnino imprudens, datum ab inexpertis, & ad adulationem compositis Juvenibus. Similiter interpretationes Scribarum, & Pharisæorum erant omnino falsæ, nec nitebantur ratione aliqua, aut motivo intrinseco gravi, sed mera dicentium authoritate, quæ non illico Judæis, saltem doctioribus, debebat, aut poterat esse regula operationis. Si qui tamen invincibiliter existimarunt, illas interpretationes esse legitimas, utique easdem in operando secuti, a formali peccato excusari poterant, & debebant.

Ad confirmat. ajo cum P. Babenstuber hic *num.* 20. Cancellarium illum graviter peccasse ideo, quia ex dubio speculativo de probabilitate memoratæ opinionis, quod ex nimio affectu avaritiæ vincere obstinate noluit, prolapsus est in dubium practicum de licita retentione plurium beneficiorum; in quo casu debuisset eligere partem tutiorem: cumque hoc non fecerit, exposuit se periculo peccandi, peccavit, & in peccato periit.

139. Objicies tertio. San. Augustinus *lib. 6. de util. cred. cap.* 11. inquit: *Tria sunt velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari, quæ si per seipsa considerantur, primum sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio*. Item in *Psalm* 35. ait: *Aliud est, quando quis conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest; aliud autem, quando perniciosius agit adversus seipsum cor humanum, ut, quod posset intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat*. Et in *Psalm. 39. Voluntas Dei nostra regula est; illa autem integra manet; regula enim est incommutabilis*: sed per hoc rejicitur probabilitas, utpote mutabilis; ergo &c.

Respon-

Respondetur. San. Augustinum in nullo ex *cit. locis* nostræ conclusioni adversum esse. In primo namque loco illud duntaxat *opinari* asserit non vacare vitio, quod conjunctum est cum prava animi dispositione, qua quis scire se existimat, quod non scit, & objecto fallibiliter apparenti ex temerario voluntatis affectu firmum præbet assensum. Alter locus exaudiendus venit de ignorantia crassa, vel affectata; prout patet ex ipsomet *Psal. cit.* ubi dicitur: *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Unde subdit alte factus Doctor ibidem: *Hoc autem multi dolose agunt, ut non inveniant iniquitatem suam*. Tertius locus, si accipiatur, ut jacet, etiam militat contra sequelam sententiæ probabilioris, utpote quæ & ipsa mutabilis est. Quare tam Probabilioristis (sic nuncupantur docentes, semper sectanda esse probabiliora) quam Probabilistis (qui id negant) explicatione, & distinctione opus est, atque dicendum, quod voluntas Dei, ceu remota actuum humanorum regula, sit quidem immutabilis in se, & a parte rei; mutabilis vero, in quantum proponitur a dictamine humani intellectus, quod est proxima eorundemmet actuum norma, & regula,

Instabis. San. Augustinus *lib. 3. contra Academicos capit. 16.* hoc commune illorum axioma, & dogma; *Cum agit quisquis; quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat*, impugnat, improbat, & rejicit, dicens, *Hæc maxima semel probata, omnia posse honestari, & probari omnia*: atqui idem dogma videtur esse Probabilistarum, utpote sic discurrentium: *Probabile, seu verisimile est, hoc non esse peccatum, sive esse licitum; ergo est licitum*: consequenter S. Augustinus est nostræ doctrinæ contrarius,

Respondetur, neg. min. Multum enim per omnem modum inter se discrepant probabilitas in sensu Academicorum, & probabilitas in sensu Theologorum, de qua posteriore impræsentiarum nobis sermo est, siquidem, ut notat Esparza *art. 72. & seqq.* academica probabilitas censetur inesse opinioni sive prudenti, sive imprudenti; prout ipse S. Augustinus *lib. 2. contra Academicos c. 11*, indicat, dicens: *Id probabile, vel verisimile Academici vocant, quod ad agendum sine assensione potest invitare*: id est, licet assensum (prudentem) non mereatur. E diverso probabilitas Theologica non reperitur, nisi in opinione prudenti, quæ nititur motivo gravi; meretúrque assensum rationabilem.

140. Objicies quarto. Scotus in 3. *dist.* 25. *q.* 1, *n.* 8, ait: *In moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primo est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat, quod licet, tutius est non procedere sic, vel sic, sed expectare, quousque pateat aliunde; si enim ita esset; quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret; & alius, quod peccaret, si sic faceret, tunc rusticus foret perplexus: ideo bene videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur*, En! Scotus dicit (subinfert Gonzalez *dissert.* 13. §. 7. *n.* 55.) in moralibus, antequam aliquis asserat, aliquid esse licitum, rem esse attente inspiciendam, quando DD. inter se opponuntur: at Probabilistæ dicunt, posse unumquenque sequi, quod voluerit; ergo tenent viam, & modum discurrendi Scoto contrarium.

Respondetur, authoritate Scoti nullum prorsus conciliari patrocinium Probabilioristis. Nam in primis Doctor Subtilis solum loquitur de majori cautela, non vero de obligatione; dicit enim *tutius esse &c.* Deinde dato, non concesso, quod loquatur de obligatione, commode explicari potest, imo debet de casu, quo opinio aliqua non attingit sufficientem probabilitatis gradum: id quod inde colligere licet; quia alte factus Doctor discurrit de altercatione duorum Doctorum, quorum neuter sua authoritate sententiam satis probabilem constituit communiter loquendo; prout animadversum *cap. præcid.* Denique idem Doctor non loquitur universaliter, seu de quocunque homine, sed de homine imperito, & rudi tantum, qui rationum momenta ponderare nescit, & ab alio (ut supponitur) de vera sententiæ probabilitate, & tuta ejusdem sequela non informatur. Unde respectu hujusmodi hominis sententia minus probabilis (idem cogita de magis probabili, si & hujus motiva penetrare nesciat) non maneret practice probabilis: esto talis maneret respectu aliorum, qui rationum momenta librare, & penetrare norunt. Ex quo fit, ut sequela sententiæ minus probabilis, minusque tutæ per accidens possit esse illicita, esto sit licita per se loquendo; prout in ipsa conclusione expressimus, & explicavimus supra post *n.* 136.

141. Objicies quinto ex ratione. Implicat, ut is, qui judicat colorem *A.* esse similiorem albo, quam nigro, judicet colorem *A.* esse nigrum; ergo pariter implicat, ut is, qui judicat extremum *A.* esse similius vero; quam falso, judicet idem extremum esse falsum. Atqui sequens opinionem minus probabilem in conspectu probabilioris, ita judicaret; quoniam assentiri alicui extremo contradictionis est illud censere verum, & oppositum censere falsum; ergo &c.

Respondetur concesso antecedente neg. cons. Disparitas est: quia judicans colorem *A.* esse similiorem albo, quam nigro, non est incertus de albedine coloris *A.* cum nitatur experientia oculorum, At judicans extremum *A.* esse similius vero, quam falso, est incertus de veritate extremi *A.* quia motiva, quibus innititur ejus judicium, sunt mere fallibilia, & potest tam esse falsum extremum *A.* quam ejus oppositum. Hinc nulla dantur motiva, quæ suadeant colorem *A.* esse nigrum, quando apparet similior albo: at dantur motiva suadentia, extremum *A.* esse falsum, quando apparet similius vero. Deinde dist. cons. Implicat, ut is, qui judicat extremum *A.* esse similius vero, quam falso, judicet idem extremum esse falsum certo, & absolute, con. apparenter, & probabiliter, quantum scilicet est ex vi motivi suadentis oppositum, neg. cons. Et hoc posteriore modo judicat assentiens opinioni minus probabili, eamque sequens, probabiliore relicta; censet enim opinionem minus probabilem esse veram, & probabiliorem falsam, non certo, & absolute, sed apparenter, & probabiliter. Revide *n.* 121.

142. Objicies sexto. Motiva opinionis minus probabilis, cum sint minora, eliduntur a motivis oppositis sententiæ probabilioris, utpote majoribus; ergo illa in concursu istius non manet vere probabilis, consequenter &c. Ant. prob. Testimonium unius eliditur a testimonio plurium, qui tenentur oppositum; ut patet, si Petrus v. gr. testetur, se Paulum vidisse domi: Cajus e diverso, & Titius asserant, se eundem Paulum eodem tempore vidisse alibi; ergo etiam motiva minora alicujus sententiæ probabilis eliduntur a majoribus alterius oppositæ.

Respondetur, dist. ant. Motiva homogenea, & similia, transeat, heterogenea, & dissimilia, qualia præcipue sunt momenta rationum, sententiam in ratione vere probabilis constituentium, neg. ant. & cons. Ad probat. concesso antecedente, neg. cons. quia motiva alicujus sententiæ vere probabilis, saltem intrinseca, sunt heterogenea, & dissimilia, non autem homogenea, & similia, qualia sunt testimonia in antecedente, & exemplo illata. Cur autem motiva homogenea minora elidantur a majoribus, vel etiam, si sint æqualia, se mutuo elidant, non item heterogenea, inde est; quia priora habent virtutes movendi similes, & invicem directe oppositas: unde virtus minorum vincitur, & enervatur a virtute majorum; vel, si æqualia sint, se mutuo impediunt in movendo intellectum, ut hic neutri, etiam accedente imperio voluntatis, possit præbere assensum prudentem, esto possit imprudentem. E diverso posteriora habent virtutes movendi dissimiles, quarum una alteri directe non opponitur, adeoque eandem positive non aggreditur, nec enervat; sed quælibet veluti disparate, etiam in conflictu alterius, intellectum movere ad prudentem assensum potest, P. Viva super *prop.* 3. ab Alexandro VIII. damnatam *n.* 13.

143. Objicies septimo. Operans absque judicio determinato de honestate objecti, circa quod versatur operatio, illicite operatur: sed sequens opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, operatur absque tali judicio determinato; ergo illicite operatur. Major videtur certa. Min. prob. Qui judicat id, quod agit, esse potius inhonestum, quam honestum, non habet judicium determinatum de honestate objecti: atqui sequens opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, judicat id, quod agit, esse potius inhonestum, quam honestum; ergo &c.

Respondetur, concedendo, vel claritatis gratia, dist. major. Operans absque judicio determinato de honestate objecti formali, illicite operatur, con. absque

judicio

neſtate objecti formali, illicite operatur, con. abſque judicio determinato de honeſtate objecti materiali, neg. maj. Sed ſequens opinionem minus probabilem, operatur abſque judicio determinato de honeſtate objecti materiali, con. de honeſtate objecti formali, neg. min. & conſ. Unde ad prob. ſimiliter diſt. maj. Qui judicat, id, quod agit, eſſe potius inhoneſtum, quam honeſtum, tam formaliter, quam materialiter, non habet judicium determinatum de honeſtate objecti, con. qui judicat, id, quod agit, eſſe potius inhoneſtum, quam honeſtum, materialiter tantum, ſubdiſt. non habet judicium determinatum de honeſtate objecti materiali, con. de honeſtate formali, neg. maj. & diſtinctione applicata minori, conſ. Formaliter enim honeſtum eſt, & tale judicatur, quod per opinionem etiam minus probabilem eligitur.

Inſtabis. Qui dubitat, an actio, quam exercere intendit, ſit licita, vel illicita? non habet judicium determinatum etiam de honeſtate formali illius: ſed ſequens opinionem minus probabilem in conſpectu probabilioris dubitat, an actio, quam exercere intendit, ſit licita, vel illicita? imo judicat, probabilius eſſe illicitam; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. maj. Qui dubitat practice, con. ſpeculative tantum, neg. maj. & diſtinctione applicata minori, conſ. Etiam ſequens opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris, ſolum dubitat ſpeculative, an actio, quam exercere intendit, licita ſit, vel illicita? ſiquidem ſibi formas (ut ſupponitur) conſcientiam practice veram, & certam de honeſtate illius actionis; adeoque dubium practicum de inhoneſtate deponit: prout relinquitur ex dictis ſupra.

144. Objicies octavo. Hæ propoſitiones: *quiſquis agit prudenter, non peccat: qui ſequitur ſententiam minus probabilem, in concurſu probabilioris, agit prudenter*, non ſunt ambæ moraliter certæ; ergo neque concluſio ex illis illata, quæ eſt hæc: *qui ſequitur ſententiam minus probabilem, in concurſu probabilioris, non peccat*, poteſt eſſe moraliter certa. Prob. ant. Nam iſta, propoſitioni ſecundæ contradictorie oppoſita: *qui ſequitur ſententiam minus probabilem in concurſu probabilioris, non agit prudenter*, eſt probabilis; ergo propoſitio ſecunda, ſupra poſita, non poteſt eſſe moraliter certa; conſequenter &c.

Reſpondetur primo, neg. ant. Non enim prima duntaxat, ſed ſecunda quoque propoſitio, in qua conſiſtit noſtra ſententia, eſt moraliter certa, tum ob ſummam authoritatem, & conſenſum, ac praxim fere univerſalem omnium DD. tum ob ſummam difficultatem oppoſitæ ſententiæ, a toto genere hominum moraliter inſuperabilem. Nec obſtat certitudini morali noſtræ ſententiæ, quod aliqui contra ſentiant; quia ad certitudinem moralem alicujus opinionis non requiritur, ut nulli omnino Authores opinionem oppoſitam doceant, aut eam docentes omni plane ratione deſtituantur; alioquin vix ulla ſententia exiſteret moraliter certa; cum fere ſemper pro oppoſita ſtent aliqui Authores, rationibus ſaltem levibus nixi: prout recte advertit La Croix *n.* 180. & Viva *loc. ſupra cit. n.* 11. confirmat id exemplo: ſicut enim (inquit) opinio de ſufficientia attritionis in Sacramento pœnitentiæ dicitur moraliter certa, quamvis adverſus illam nonnulli ſentiant; ita & in propoſito noſtra ſententia ob rationes jam datas cenſenda eſt moraliter certa, tametſi nonnulli ſecus opinentur. Per quod patet ad probat. Negatur enim, quod illa propoſitio Probabilioſtarum ſit vere probabilis, ſi accipiatur in ſenſu legitimo, ſeu noſtræ propoſitioni ſecundæ contradictorio. Videatur Babenſtuber hic *n.* 18.

Reſpondetur ſecundo, permittendo totum diſcurſum; quia in eo nihil continetur, quod doctrinam Probabiliſtarum labefactare poſſit. Demus enim, quod ſecunda propoſitio, cujus ſupra meminimus, non ſit moraliter certa (adeoque nec tertia) eſt tamen æque probabilis, imo probabilior (& quidni probabiliſſima?) quam oppoſita: quæ probabilitas ſufficit ad fundandum dictamen conſcientiæ moraliter certum (juxta ſenſum, quem recenſuimus *n.* 129.) quod ſit proxima regula operationis humanæ. Videri ſuper hoc poteſt La Croix *n.* 344.

Objices nono. Nos inde inferimus, omnibus eſſe licitum ſequi ſententiam minus probabilem; quia ejus motiva viſa ſunt aliquibus magna, & momentoſa, etiam relate ad motiva ſententiæ probabilioris: ſed hæc cauſalis involvit vitium arguendi a particulari ad univerſale; ergo &c.

Reſpondetur, explicando, & diſt. cauſalem majoris: quia viſa ſunt aliquibus &c. & hæc apparentia ſimul apprehenditur ut motivum ſufficiens, ob quod motiva ſententiæ minus probabilis poſſint videri magna, & momentoſa omnibus, con. quia præciſe aliquibus talia viſa ſunt, neg. maj. & min. nam cauſalis ſic intellecta non involvit modum arguendi a particulari ad univerſale. Sicut enim, dum dico: *aliqui homines viderunt Petrum exiſtentem in templo, & illi homines Petrum bene noverunt; ergo homines, qui hoc ſciunt, habent ſufficiens motivum judicandi, Petrum exſtitiſſe in templo*, non argumentor a particulari ad univerſale; ita neque ſi dico: *aliqui homines docti, & probi judicarunt, motiva ſententiæ minus probabilis eſſe momentoſa, etiam relate ad motiva ſententiæ probabilioris oppoſita; ergo omnes homines, qui hoc ſciunt, habent ſufficiens motivum id ipſum judicandi*, Videatur P. Babenſtuber *cit. n.* 19.

146. Objicies decimo. Qui ſe exponit periculo peccandi, peccat: ſed qui operatur ex conſcientia minus probabili, & minus tuta, exponit ſe periculo peccandi: quia exercet actionem, de qua non eſt certus, an ſit licita, vel illicita? ergo &c.

Reſpondetur, quod etiam ſequens conſcientiam magis probabilem, minus tamen tutam, ſit incertus, an actio, quam exercet, licita ſit, vel illicita? adeoque & talis ſe exponat periculo peccandi. Deinde diſt. maj. Qui ſe exponit periculo peccandi formaliter, peccat, con. periculo peccandi materialiter, neg. maj. Sed operans ex conſcientia minus probabili exponit ſe periculo peccandi formaliter, neg. materialiter tantum, quatenus fieri poteſt, ut objectum, quod prudenter, & inculpate apparet licitum, ſit reipſa illicitum; veluti contingit, dum quis operatur ex conſcientia invincibiliter erronea, con. min. & neg. conſ.

Dices. Qui operatur ex conſcientia minus probabili, ſi a veritate aberret, non poterit ſe excuſare per ignorantiam invincibilem, ſicuti qui operatur ex conſcientia probabiliori; ergo noſtra retorſio, & reſponſio nulla eſt. Ant. prob. Nam poſterior in caſu, quo ſibi comparare certitudinem non potuit, fecit tamen id, quod in ſe erat, dum elegit, quod veritati conformius apparebat; ſecus prior; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. Ad prob. neg. ſecundum membrum antecedentis. Nam etiam prior fecit, quod facere potuit diligentia humana, & ordinaria; ad extraordinariam vero non obligabatur. Itaque omnis ille ſe poteſt excuſare per ignorantiam invincibilem, ſi errat, qui humano modo non potuit, aut non debuit inveſtigare certitudinem: talis autem eſt operans ex conſcientia minus probabili; prout relinquitur ex dictis in *probat.* 3. & patet in hoc exemplo. Ponamus aliquem, qui præterita die Dominica non interfuit in ſua Parochia Divinis, attamen ex ſuo Vicino, Viro fide digno, & quem Divinis interfuiſſe novit, ſciſcitatur, num pro certa hebdomadis die denunciatum ſit ex cathedra jejunium? ſi interrogatus reſpondeat negative, utique interrogans ſe excuſare poterit per ignorantiam invincibilem, dum non obſervat jejunium reipſa denunciatum; quia cautelam, & diligentiam ordinariam in inveſtigando veritatem jam adhibuit: neque obligatus fuit ad extraordinariam, puta, ut interrogaret adhuc plures, vel ipſum etiam Parochum. Idem dic, & applica ad præſens inſtitutum.

Ut una, alterave inſtantia, quæ contra reſponſionem ad argumentum redditam fieri poſſet, præcludatur, notandum eſt, periculum materialiter peccandi in operante juxta ſententiam minus probabilem, & minus tutam, eſſe certum, hoc ipſo, quod ignoret, utra pars contradictionis ſit a parte rei falſa, & inhoneſta; periculum tamen formaliter peccandi nullum ſubeſſe. Ratio hujus eſt: quia, cum intellectus operantis non ſciat, nec ſcire poſſit moraliter loquendo, cuinam contradictionis parti determinate inſit realis falſitas, & inhoneſtas, utraque illi apparet probabiliter vera, & formaliter honeſta: conſequenter &c. Hoc, inquam, notato, una, alterave inſtantia præcluſa manet.

147. Objices undecimo. Qui, poſthabitis motivis magis momentoſis, ſuadentibus, actionem, quam exer-

cere intendit, fore proximi offensivam, istam non omitteret, ductus motivis minus momentosis, suadentibus oppositum, infringeret legem amicitiæ erga proximum; ergo similiter infringeret legem amicitiæ erga Deum, qui relictis motivis magis momentosis, suadentibus, actionem, quam exercere intendit, fore offensivam Dei, istam non omittere, ductus motivis minus momentosis, suadentibus oppositum. Sed ita se gerit sequens sententiam minus probabilem, minusve tutam, probabiliorem, & tutiore posthabita; ergo &c.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia Deus non offenditur materiali transgressione legis, sed formali duntaxat; prout ipsimet Adversarii fateri debent. Ast homo etiam materiali violatione charitatis sibi debitæ offendi solet, vel certe periculum semper est, ne offendatur: quia enim uni homini non patet cor, & intentio alterius, mere judicat de operatione externa: si ergo hæc sit reipsa charitatis violativa, licet inculpabiliter, sive materialiter tantum, homo offenditur, nisi forte certior reddatur de errore invincibili. Accedit, quod violationi materiali charitatis erga proximum ordinariæ annexum sit aliquod damnum saltem spirituale ejusdem proximi: quo casu non licet sequi sententiam minus, imo nec magis probabilem, si sit minus tuta; prout dicemus *art. seq.*

148. Objicies duodecimo. Imprudenter quis comederet fructum, quem probabilius judicat veneno infectum: imprudenter viator viam eligeret, quam probabilius credit leonibus, aut latronibus infestam; ergo etiam imprudenter agit, qui sequitur opinionem probabilius conjunctam cum periculo peccati.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. intellectam de periculo solius peccati materialis. Disparitas est quia in allatis ibi exemplis est periculum gravis damni, quod evitare præcipit certa lex charitatis; ubi proin sequela opinionis minus tutæ, ut ut secundum se, & speculative probabilis, non esset prudens, nec licita: prout amplius patebit ex dicendis in *art. seq.* At in nostro casu, ubi agitur de sola licentia, & honestate operationis, non est periculum alicujus damni, sive temporalis, ut per se patet; sive spiritualis, cum materialis transgressio legis, si forte interveniat, non contaminet, aut gratia spoliet animam operantis; transgressio autem formalis, quæ sola Deum offenderet, & operanti spirituale damnum consciscceret, metuenda non sit; prout constat ex sæpe dictis: si enim hæc quoque timenda foret, utique totum enthymema concedi posset, & deberet. Sed qui probant Adversarii periculum alicujus transgressionis formalis, aut obligationem evitandi transgressionem materialem legis? certe id hactenus non præstiterunt, nec præstabunt imposterum.

ARTICULUS II.

De Conscientiæ, & Sententiæ Probabilis usu partim illicito, partim licito.

VErsavimus in *art. præced.* quæstionem, an liceat sequi sententiam, & conscientiam probabilem minus tutam, tutiore relicta, quando agitur de sola licentia, & honestate operationis? nunc alteri accingimur quæstioni, & inquirimus, qualemnam sequi sententiam possimus, ac debeamus, dum agitur de valore, & efficacia actionis, aut evitatione damni ab inhonestate operationis distincti. Ut autem clare, & distincte procedamus, juvabit hunc *artic.* in plures §§. subdividere. In primo quæstionem decidemus veluti generatim, dicemusque, eligere sententiam probabilem minus tutam, posthabita tutiori, tunc esse illicitum. In reliquis eandem doctrinam particularibus materiis adaptabimus.

§. I.

Quando generatim oporteat sequi Sententiam, vel Conscientiam tutiorem, aut certam, relicta probabili minus tuta?

SUMMARIUM.

149. *Ostenditur, quandonam generatim oporteat sequi sententiam tutiorem, vel certam.* 150. *Quando agitur de valore Sacramenti, evitatione damni &c. non licet amplecti sententiam minus tutam, tametsi probabilissima sit.* 151. *Refellitur doctrina P. Viva oppositum sustinentis.* 152. *Adstruitur intelligentia propositionis damnatæ:* Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. 153. *Advertitur differentia probabilitatis, de qua hic, a probabilitate, de qua in articulo præcedenti actum est.*

DIco. Quando vertitur quæstio de valore, aut efficacia actionis, vel de evitatione damni sive temporalis, sive spiritualis, ab inhonestate operationis distincti, operanti, sive alteri impendentis, & adest speciale præceptum Charitatis, Justitiæ, vel Religionis, nullitatem, aut inefficaciam actionis, vel illationem damni prohibens, oportet eligere sententiam, sive conscientiam tutiorem, vel certam, relicta minus tuta, in quocunque demum gradu isthæc probabilis sit. Ita DD. reipsa communiter.

149. Probatur hac ratione fundamentali. Nam in memoratis casibus sententia minus tuta non est practice probabilis; ergo oportet sequi tutiorem, vel certam. Conf. patet. Ant. prob. Illa sententia non est practice probabilis, ex qua non potest deponi practica formido de inhonestate, & formari ultimum dictamen conscientiæ practice certum de honestate operationis: atqui impræsentiarum id fieri non potest ex sententia minus tuta; ergo &c. Maj. liquet ex sæpe dictis. Min. ostenditur. Practica formido in prædictis casibus oritur ex prosimo periculo invalidandi Sacramentum v. gr. vel inferendi damnum; ergo quandiu operans non est certus, ne sua operatione Sacramentum exponat periculo nullitatis, vel sibi, aut alteri damnum inferat, tandiu non potest deponere formidinem practicam de inhonestate operationis, nec formare ultimum dictamen conscientiæ practice certum de illius honestate. Atqui operans ex sententia minus tuta non potest præfato modo esse certus; quia eventus realis invaliditatis, vel realis damni non dependet ab ipsius judicio, sive directo, sive reflexo; sed a positione, vel non positione causarum, & requisitorum a parte rei.

Confirmatur præceptum Religionis, Charitatis, & Justitiæ est certum, & in certa possessione obligationis; dubium vero, an sequens sententiam solum probabilem, & minus tutam, ejusmodi obligationi faciat satis; ergo melior est conditio præcepti, quam libertatis; ergo non suppetit fundamentum deponendi formidinem practicam de inhonestate operationis, & formandi conscientiam certam de illius honestate: consequenter &c.

150. Dixi in conclus. *in quocunque demum gradu isthæc* (sententia minus tuta) *probabilis sit*, id est, sive sit minus, sive æque, sive magis probabilis opposita, vel etiam probabilissima. Ratio patet ex dictis: quia de ratione opinionis probabilis (quemcunque demum probabilitatis gradum attingat) est incertitudo, & formido de opposito; ergo si sit minus tuta, non est practice probabilis in casibus supra commemoratis, ob causam proxime allegatam.

Neque dicas cum P. Viva post *n. 2. super proposit.* 3. ab Alexandro VIII. damnatam, quod opinio probabilissima compatiatur solum levem quandam formidinem, ad instar scrupuli contemnendam; prout repetit idem Author *n. 5.* Unde *n. 9.* infert, non esse illicitum in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilissimam de valore eorum, tutiore relicta.

151. Contra enim est primo. Opinio probabilissima non egreditur fines opinionis probabilis; ergo compatitur prudentem formidinem de opposito; hæc enim est de ratione cujuscunque opinionis probabilis: unde opinio probabilissima non elidit probabilitatem oppositæ.

Contra est secundo, quod etiam certitudo moralis compatiatur formidinem levem de opposito, ut patet in sententia docente, ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere attritionem, quæ secundum communem, & ipsius P. Viva sensum est moraliter certa; ergo si etiam sententia probabilissima levem duntaxat formidinem de opposito compatiatur, confundetur cum moraliter certa: quod absurdum est.

Contra est tertio, impugnando illatum Authoris *cit.* Ideo juxta ipsum *num.* 14. non licet sequi sententiam probabilem, vel etiam probabilissimam, omissa tutiore, ver. grat. circa iter periculosum arripiendum, vel pharmacum sumendum: quia non pendet a prudenti consilio, quod iter sit felix, quod pharmacum sanet; ergo

neque licebit ſequi ſententiam tametſi probabiliſſimam circa valorem Sacramenti, omiſſa tutiore; quia valor Sacramenti non dependet a noſtro prudenti judicio, ſed aliunde, videlicet ex inſtitutione Chriſti; prout mox iterum dicemus §. *ſeq.* adeoque etiam tunc ſententiam probabiliſſimam minus tutam ſequens exponeret Sacramentum periculo fruſtrationis.

152. Nec refert, quod ab Alexandro VIII. damnanata ſit hæc propoſitio: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Nam alteſatus Pontifex per damnationem dictæ propoſitionis ſolum intendit retundere Tutioriſtas, ſeu Rigidioriſtas, qui uſum probabilitatum univerſaliter, etiam ubi agitur de ſola licentia, & honeſtate operationis, impugnavere, tanquam illum, ex quo prudens conſcientia formari non poſſit: quales fuerunt Antonius Merenda in *tractat. de Conſcien.* Liberatus Fromondus, Mercorus, Sinnichius &c. quorum poſtremus in ſuo opere, cui titulus: *Saul Ex-Rex lib. 1. c. 78.* inter alias propoſitiones de Probabiliſmo verbatim ponit, & propugnat, propoſitionem damnatam, quam modo retulimus. Itaque S. Pontifex eam propoſitionem damnando decidit, licitum eſſe uſum opinionis probabiliſſimæ, quando agitur de ſola actionis licentia, & periculo peccati materialis: quæ deciſio, ut patet, non adverſatur doctrinæ hic traditæ, ubi movetur quæſtio de valore, aut efficacia actus, de evitatione damni &c. Videri poteſt La Croix *lib. 6. par. 1. num. 106.*

153. Colliges diſcrimen inter probabilitatem valoris actus &c. de qua hic agimus, & probabilitatem licentiæ, de qua egimus *art. praeced.* Non enim hoc ipſo, quod ſit probabile, valere operationem, v. g. collationem Baptiſmi in cereviſia, etiam eſt probabile, eam licere extra caſum extremæ neceſſitatis: neque hoc ipſo, quod una pars litigantium habeat jus probabile, aut medicina ſit probabiliter utilis ad pellendum morbum, etiam probabile eſt, licere pro illa ſententiam ferre, aut medicinam præſcribere, neglecta altera parte habente probabilius jus, aut omiſſa medicina efficaciore, ac certiore; prout patebit ex dicendis in §§. *ſeqq.*

§ II.

Quam Sententiam ſequi teneantur Miniſtrans, & Recipiens Sacramentum.

S U M M A R I U M.

154. *Quando agitur de aliquo requiſito ad valorem Sacramenti, Miniſter tenetur ſequi ſententiam tutiorem, vel certam, per ſe loquendo.* 155. *Per accidens tamen poteſt, & debet ſequi minus tutam.* 156. *Proponuntur 3. regulæ Scoti facientes ad propoſitum.* 157 *Proponitur, & ſolvitur objectio.* 158. *Etiam Recipiens Sacramentum, ſi agatur de hujus valore, obligatur ad ſequelam ſententiæ tutioris, vel certæ.* 159. *& ſeqq. Diluuntur argumenta contraria.*

154. Dico primo veluti illative ex dotrina in ſuperiori §. tradita. Quando agitur de requiſitis ad valorem Sacramenti, puta de materia, forma, intentione, & juriſdictione, non poteſt Miniſter ſequi ſententiam quantumcunque probabilem minus rutam, tutiore relicta; adeoque tenetur ſequi tutiorem, vel certam, per ſe loquendo. Ita hodie DD. communiſſime, quamvis aliquo modo diſcrepent circa quartum requiſitum, quod eſt juriſdictio; prout infra patebit. Interim

Probatur concluſio in hunc modum. Innoc. XI. proſcripſit hanc prop. *n. 1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore &c.* ergo ejus contradictoria, quod ſit illicitum &c. eſt vera.

Cofirmatur. Nunquam licet ſequi ſententiam, quæ non eſt practice probabilis; prout omnes fatentur: ſed ſententia probabilis minus tuta verſans circa valorem Sacramenti, non eſt practice probabilis; ergo non licet eam ſequi; ergo oportet ſequi tutiorem, vel certam. Min. oſtenditur, & declaratur. Nam in primis e diametro adverſatur decreto Pontificis Innoc. XI. ut vidimus. Deinde repugnat certo præcepto tum Religionis, quo Miniſter jubetur Sacramentum non exponere periculo nullitatis: tum Charitatis, quo tenetur vitare damnum, etiam ſpirituale, proximi: tum Juſtitiæ (ſaltem ſi ſit Miniſter ex officio, v. grat. Parochus) quo obligatur ſuſcipientem non defraudare ſuo jure, quod habet, & vi cujus vult, ut ſibi Sacramentum adminiſtretur abſque periculo fruſtrationis; cum ad illud ſic ſuſcipiendum ſeſe ſubmittat. Atqui ſententia, decreto Pontificio vel certo præcepto contraria, non eſt practice probabilis; prout inſinuatum eſt *n. 123.* ergo &c.

155. Dixi: *per ſe loquendo*. Nam per accidens, v. gr. in caſu extremæ neceſſitatis, quando ſententia tutior, aut certa practicari nequit, Miniſter licite ſequi poteſt, & debet ſententiam probabilem minus tutam, vel, in hujus defectu, etiam dubiam: unde dum infanti nondum baptizato impendet periculo mortis, & aqua naturalis præſto non eſt, adeſt vero roſacea, baptizandus eſt infans in aqua roſacea ſub conditione, v. g. *ſi hæc materia ſit valida baptizo te &c.* Ita DD. communiſſime. Ratio eſt: tum quia ſalus animæ, quæ eſt finis Sacramenti, ceu medii, præferri tunc debet iſtius valori; nam finis eſt principalior, quam media: tum quia reverentiæ Sacramento debitæ ſufficienter conſulitur per appoſitionem conditionis. Itaque caſum neceſſitatis, ſaltem extremæ, decretum Pontificium, quod propoſitionem ſupra relatam confixit, non comprehendit. Id quod inde patet: quia Miniſter vi illius ſolum jubetur circa valorem Sacramenti non relinquere ſententiam tutiorem: ſed in caſu extremæ neceſſitatis illam non relinquit; cum non dicamur relinquere, quod non poſſumus habere, ſicut Miniſter in tali caſu habere, ſive amplecti non poteſt ſententiam tutiorem, ut patet; ergo &c.

156. Quapropter oportet hic ob oculos ponere tres illas regulas, quas Doctor Subtilis in 4. *diſt.* 3. *q.* 2. §. *Tertio de forma v. circa iſtum*, adducit. Prima eſt: *ſi poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt eligenda*. Secunda: *ſi non adeſt poſſibilitas, via tutiſſima proxima eſt tenenda.* Tertia: *ceſſante impoſſibilitate caute eſt ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat*. Prima, & ſecunda confirmant doctrinam in concluſione, & exceptione traditam; tertia vero innuit, quod Baptiſmus, modo in exceptione dicto collatus, ſub conditione reiterandus ſit: id quod etiam præcipitur in Jure Canonico *c. 2. de Baptiſmo &c.* Nunc contra concluſionem

157. Objicies. Sacerdos probabiliter exiſtimans, ſe habere juriſdictionem abſolvendi, licite abſolvit; ergo non ſemper eſt illicitum ſequi ſententiam probabilem minus tutam, quando agitur de requiſitis ad valorem Sacramenti.

Reſpondetur, diſt. ant. Si concurrat aliqua cauſa, quæ hujuſmodi juriſdictionem reddat practice certam, con. ſecus neg. ant. & conſ. Talis cauſa eſt ſuppletio Eccleſiæ v. g. in caſu, quo Sacerdos habet titulum coloratum, a legitimo Superiore collatum, ob quem errore communi creditur habere reipſa juriſdictionem: tunc nanque certum eſt, quod Eccleſia ſuppleat defectum juriſdictionis, quam Sacerdos ſe habere probabiliter exiſtimat, & reipſa non habet, adeoque eam reddit practice certam. Unde talis Sacerdos non abſolvit ex opinione ſolum probabili de juriſdictione, & valore, ac honeſtate abſolutionis; ſed ex ſententia, & conſcientia practice certa, quam hoc modo formare poteſt: *opinio vere probabilis, qua modo exiſtimo, me habere juriſdictionem, vel eſt a parte rei vera, vel falſa? ſi vera, valide abſolvo, nec expono Sacramentum periculo nullitatis: ſi falſa, tunc Eccleſia ob titulum coloratum, cum errore communi conjunctum, certo ſupplet, & dat juriſdictionem* (veluti tradunt communiter DD. apud Joannem de Cardenas *in 2. eriſi differt. 2. c. 6. art. propoſ. 1. n. 160. & ſeqq.* qui unanimi ſuo conſenſu in quæſtione facti faciunt certitudinem moralem, juxta Authorem proxime nominatum) *ergo certum eſt, me habere juriſdictionem; & conſequenter certum eſt, me ex hoc capite licite, & valide abſolvere.*

An autem Eccleſia etiam ſuppleat defectum juriſdictionis, quando hæc ſolum probabilis eſt, nec titulus coloratus intervenit &c.? non eſt adeo certum, cum permulti Authores id negent. Sed de hoc alibi, nempe in *part. 5. tr. 4. de Sacram. pœnit.*

Impræſentiarum vero id advertere juvat, Authores illos, qui concluſionem a nobis ſtatutam reſtringunt ad ſola requiſita ad valorem Sacramenti ex inſtitutione Chriſti, reipſa nobiſcum convenire: ſiquidem & ipſi

dicunt,

dicunt, quod, ut Confessario cum jurisdictione probabili pœnitentem absolvere liceat, ea debeat per suppletionem Ecclesiæ reddi moraliter certa: prout colligitur ex iis, quæ habet P. Sporer *n.* 56. Attamen modus conclusionem defendendi, quos nos usi sumus, videtur præferendus; eo quod sit uniformior, & decreto Pontificis supra relato conformior.

158. Dico secundo. Quando agitur de requisitis ad valorem Sacramenti, etiam Recipiens Sacramentum tenetur sequi sententiam tutiorem, vel certam, relicta probabili minus tuta. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. disputat.* 27. *section.* 6. quem sequuntur Cardenas *loc. cit. capit.* 4. *numer.* 28. Viva *numer.* 9. Babenstuber *art.* 3. *numer.* 18. & alii de facto communiter contra Sporer *n.* 57. & quosdam alios.

Probatur. Ministrans Sacramentum tenetur sequi sententiam tutiorem, vel certam, relicta probabili minus tuta, quando agitur de requisitis ad valorem Sacramenti, prout relinquitur ex dictis, & ipsimet etiam Adversarii concedunt; ergo idem sentiendum de Recipiente. Conf. prob. Ideo namque Ministrans Sacramentum tenetur tunc sequi sententiam tutiorem, vel certam; quia sequendo probabilem minus tutam, illud exponeret periculo frustrationis: sed etiam Recipiens Sacramentum, illud exponeret simili periculo, si sequeretur sententiam minus tutam, relicta tutiore, vel certa; ergo &c.

159. Objicies cum P. Sporer primo. Pœnitens licite accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, etiam cognita ut tali: item licite in confessione reticet circumstantias aggravantes peccatum intra eandem speciem; ergo Recipiens Sacramentum potest licite sequi sententiam probabilem minus tutam, relicta tutiore, vel certa, etiamsi agatur de valore Sacramenti.

Respondetur, concesso antecedente quoad utranque partem, neg. conf. Ratio negandi est: quia argumentum laborat duplici supposito falso. Supponit enim 1. quod sententia concedens, attritionem sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ tam licite, quam valide suscipiendum, sit solummodo probabilis, cum tamen sit moraliter certa, prout docent Authores communiter, & nos jam supra *n.* 151. insinuavimus, iterumque dicemus in *tract. de Pœnit.* Supponit 2. quod quæstio, an teneamus confiteri circumstantias aggravantes? vertatur de aliquo requisito ad valorem Sacramenti: quod tamen falsum esse, facile ostenditur: siquidem ejusmodi circumstantiis bona fide (pura ob probabilitatem sententiæ asserentis, non esse obligationem illas confitendi) reticitis, adhuc fit confessio formaliter, & moraliter integra, quæ sufficit ad valorem, & effectum Sacramenti; haud minus, ac in casu, quo quis inculpabiliter obliviscitur illas confiteri: quod verum non foret, si dictarum circumstantiarum expressio esset unum ex requisitis ad valorem Sacramenti. Quare præfata quæstio solum versatur circa obligationem illas confitendi; seu (quod in idem recidit) præcise in eo sita est, an detur præceptum eas confitendi? ubi usui sententiæ probabilis minus tutæ locus esse potest, secundum dicta *art. praced.* Ex quibus ulterius fit, neutram ex sententiis in antecedente allatis esse minus tutam adversative, sed comparative solum; adeoque ambas esse simpliciter tutas, & secure practicabiles. Revide dicta *n.* 93.

160. Objicies secundo. Ministrans Sacramentum strictius obligatur ad procurandum illius valorem, quam Recipiens; ergo non est par utrinque ratio, prout contendit nostra probatio.

Confirmatur ex P. Sporer *cit.* Ministrans Sacramentum in ponendis ex parte sua requisitis ad valorem illius, non habet difficultatem, saltem tantam, quantam Recipiens in ponendis requisitis ex parte sua, v. g. in eliciendo dolorem, & propositum, in se debite explicando &c. ergo licet ille adstringatur ad sequelam sententiæ tutioris, vel certæ, non sequitur, quod etiam iste sit adstringendus.

Respondetur, omisso antecedente, dist. conf. Non est par ratio quoad obligationem comparative spectatam, trans. quoad obligationem absolute spectatam, neg. conf. Uterque, tam Ministrans, quam Recipiens Sacramentum, tenetur sub reatu gravis culpæ procurare illius valorem, & cavere, ne exponatur periculo nullitatis, quod tamen sequendo sententiam probabilem minus tutam neuter faceret; unde uterque mortaliter peccaret: quod unice evincere intendit nostra probatio, abstrahendo, utrius peccatum mortale gravius foret.

Ad confirmat. itidem transmittitur ant. neg. conf. Nam etiam unus homo minorem sentit difficultatem, ver. gr. in servanda castitate, in servando jejunio &c. quam alter, & tamen uterque tenetur se continere, jejunare &c. ergo similiter &c. Quare difficultas, quam forte experitur Recipiens Sacramentum in practicanda sententia tutiore, aut certa, vel non est tanta, ut eum a tali praxi excuset; vel non est circa requisita ad valorem Sacramenti, vel non est major illa, quæ non raro subeunda est Ministro ex parte sua.

161. Objicies tertio. Sequeretur ex nostra probatione & hucusque dictis, sententiam contrariam contineri sub damnatione propositionis *n.* 154. recitatæ: sed sequela non videtur admittenda; ergo &c.

Respondetur cum P. Joanne de Cardenas *loc. cit. n.* 38. dist. maj. Sequeretur, eam contineri sub damnatione &c. explicite, & formaliter, neg. implicite, & virtualiter, con. maj. Et sequela, in isto posteriore sensu intellecta, videtur necessario admittenda: quia licet sententia nostræ contraria non sit damnata in terminis, & formaliter, cum decretum Pontificis conceptum, atque prolatum sit adversus Ministrantem Sacramentum, illius tamen falsitas legitime (ob paritatem rationis inter Ministrantem, & Recipientem Sacramentum) infertur ex propositione formaliter damnata; quod est esse damnatam virtualiter.

Instabis. Damnatio sæpe dictæ propositionis (sicut & aliarum) est odiosa; ergo cum secundum terminos, queis damnans utitur, feriat solum Ministrantem Sacramentum, non est extendenda ad Recipientem.

Respondetur, neg. ant. Quia enim est declaratio erroris, omnibus, & singulis noxii, potius proficua, & favorabilis est, quam odiosa. Deinde dato, non concesso, quod damnatio sit odiosa, & sententia nostræ opposita, ne quidem virtualiter damnata censeri possit, eam tamen esse practice improbabilem, omnino mihi persuasum habeo; eo quod per ejusdem sequelam Sacramentum certo exponatur periculo frustrationis. Videatur La Croix *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 105.

§. III.

Quam sententiam sequi teneantur Medicus, & Chirurgus?

SUMMARIUM.

162. *Medicus (idem semper cogita de Chirurgo) tenetur, quando potest, ægroto applicare medicinam certam.* 163. *In defectu certa probabilem.* 164. *In defectu probabilis dubiam.* 165. *Declaratur, qualem medicinam probabilem, aut dubiam, in defectu certa liceat applicare.* 166. *Inter plura pharmaca, quorum alia minus, alia magis probabiliter judicantur profutura, applicari debent probabiliora, & tutiora.* 167. *Inter æque probabilia applicari potest utrumlibet.* 168. *Proponitur, & solvitur objectio.*

161. DIco primo. Medicus (idem semper cogita de Chirurgo) tenetur, dum potest, ægroto applicare medicinam certam (id est, talem, quæ creditur sanitatem certo allatura) relicta probabili, & dubia. Laymann *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 3. *n.* 15. Bardi *discept.* 4. *c.* 30. Sporer *n.* 58. & alii communiter.

Probatur. Nam id exposcit tam lex Charitatis, quam Justitiæ: illa quidem; quia obligat Medicum (& quemcunque alium hominem) ut proximo graviter indigenti ferat opem securam: ista vero; quia inter Medicum, & ægrotum intercedit tacitum pactum, vi cujus ille tenetur modo meliori, quo potest, istius salutem procurare; sub hac namque conditione censetur ægrotus se Medico committere; ergo &c.

163. Dico secundo. Quando nullum præsto est, aut haberi potest medicamentum certum, tenetur Medicus adhibere probabile, seu tale, quod videtur probabiliter profuturum. Authores *cit.* & alii passim.

Probatur. Quia relinquere ægrotum absque omni remedio repugnat Charitati, & officio Medici; ergo cum præsto non sit, nec applicari possit remedium certum (ut supponitur) possit vero probabile, hoc posterius saltem applicandum erit.

164. Quod si nullum adsit remedium probabile, tenebitur Medicus adhibere dubium, sive tale, de quo rationabiliter dubitat, an sit salutiferum, nec ne?

165. Ubi tamen nota, remedium *probabile* (idem cum proportione sentiendum est de remedio *dubio*) veluti contradictorie accipiendum esse non contrarie, ita, ut sensus sit; *hoc remedium probabiliter proderit: hoc remedium probabileter non proderit*; non vero, ut sensus sit: *hoc remedium probabiliter proderit; hoc remedium probabiliter oberit*. Nam remedium probabile posteriori modo acceptum (idem rursus judicandum de dubio) adhibere non licet, nisi forte salus ægroti jam sit penitus conclamata. Ratio est; quia Medicus talem medicinam adhibendo se exponeret periculo positive accelerandi mortem ægroti; quod periculum ipsi fieret indirecte voluntarium, videlicet in causa libere posita. Ex quo fit, ut graviter peccet Medicus, qui præbet ægroto pharmacum experiundi causa, sitne salubre, an noxium? tum ob rationem proxime datam, tum quia non licet sibi comparare scientiam cum alterius pernicie, aut hujus periculo.

Dixi: *nisi forte salus proximi jam sit conclamata*. Hoc quippe casu distinctionem faciunt Authores inter medicinam, de qua dubium est, an sit profutura, vel obfutura infirmo? & inter medicinam, quæ judicatur probabiliter profutura, & probabiliter obfutura. Medicinam prioris generis volunt illicite applicari ægroto, etiam desperatæ salutis; licite vero medicinam posterioris generis, Sed de hoc infra *c.* 3. *Cas.* 8.

166. Dico tertio. Inter plura pharmaca, quorum alia minus, alia magis probabiliter judicantur profutura, Medicus tenetur applicare probabiliora, & tutiora, relictis minus probabilibus, minusve tutis. Laymann *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 3. *n.* 15. Illsung *tr.* 1. *disp.* 1. *art.* 7. §. 2. *n.* 79. & alii communiter.

Probatur. Quia Medicus tum generali lege Charitatis, tum vi taciti pacti cum ægroto initi obligatur, ut omni meliore, & securiore via ejus saluti consulat, prout *numer.* 162. animadversum est; atqui hoc non præstat, nisi applicando pharmaca probabiliora, & tutiora, si præsto sint, aut commode comparari possint; ergo hæc obligatur præferre, & applicare relictis minus probabilibus, & minus tutis.

167. Quod si pharmaca, quæ præsto sunt, aut haberi possunt, sint æqualiter probabilia, Medicus potest adhibere utrumlibet; cum hac ratione saluti patientis prospiciat modo meliore, quod hic, & tunc potest.

168. Objicies, Medicus spiritualis, seu Confessarius in curatione spirituali sui pœnitentis licite utitur sententiis minus probabilibus, & minus tutis, saltem quando est periculum solius peccati materialis; prout constat ex dictis *art. præced.* ergo etiam Medicus corporalis in curatione corporali sui patientis licite applicat medicamenta minus probabilia, & minus tuta.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est; quia Medicus spiritualis sequendo sententias minus probabiles, & minus tutas, ubi agitur de solo periculo peccati materialis, nec se; nec suum pœnitentem exponit periculo alicujus damni; velut constat ex dictis *art. præcedenti*. At Medicus corporalis adhibendo medicinas minus probabiles, minusque tutas exponit suum patientem periculo majoris ægritudinis, & mortis, quod non potest amoliri judicium de probabili spe curationis. Hanc disparitatem perspicue ob oculos ponit Henriquez in *proœm. Summæ* hisce verbis: *Errare cum Platone, aut insigni Theologo, dum latet ignota veritas speculativa, non nocet in praxi: in quo Theologus differt a Medico, qui, si morbi vim, quamvis sine culpa, ignoret, necis occasio esse solet: sed qui sapientum, & prudentum sententiæ probabili acquiescit, nullum patitur periculum conscientiæ; Deus enim ita nobis ignorantibus indulget, ut eam sententiam confirmet ad salutem, ut per Medicum spiritualem sanet etiam vulnera, quæ inculpabili ignorantia ignota sunt*. Ita prælaudatus Author in rem nostram appositissime.

§. IV.

Quam sententiam sequi possit, & debeat Judex?

SUMMARIUM.

169. *Præmittitur, & explicatur, quid sit quæstio facti, & quæstio Juris: item quænam causæ dicantur criminales, & quænam civiles.* 170. *In causis criminalibus Judex potest, & debet amplecti opinionem minus probabilem, quando hæc est Reo favorabilis.* 171. *In causis civilibus, sive quæstio sit de facto, sive de Jure, Judex tenetur (1.) judicare secundum sententiam probabiliorem: quod si pro utroque litigante æqualis stet probabilitas (2.) neutri potest favere magis, nec pro libitu causam adjudicare uni, neglecto altero.* 172. *Ostenditur, quid in posteriore casu Judici agendum cum re controversa.*

169. PRænotandum, difficultatem hanc procedere in *causis criminalibus*, & *civilibus*: item in *quæstionibus* tam *facti*, quam *Juris*. Causæ criminales sunt, in quibus agitur super crimine criminaliter, seu in ordine ad vindictam publicam; civiles vero, in quibus agitur ad interesse proprium Actoris. Quæstio facti est, quando quæritur de existentia rei, vel actionis, in qua fundatur jus, ver. grat. petis tibi adjudicari dominium alicujus rei titulo emptionis, donationis, hæreditatis, legationis, &c. quæstio facti institui potest, an emptio, donatio, institutio hæredis, vel legatio vere existerit? Quæstio Juris est, qua quæritur, an, etiam supposito titulo, sive facto, majus jus habeas, quam alius, legesque magis tibi faveant? ver. grat. an ad te potius, quam ad alium pertineat hæreditas &c.?

170. Dico jam primo. In causis criminalibus Judex amplecti potest, & debet opinionem minus probabilem, quando hæc est Reo favorabilis. Ita Joannes de Cardenas *in* 2. *Crisi differt.* 3. *c.* 3. *n.* 26. Sporer *n.* 61. & alii communiter.

Probatur ex *l. fin. Cod. de probat.* ubi ad pœnam, ordinariam saltem, reo infligendam, requiruntur *probationes luce meridiana clariores; cum satius sit impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare: l. 5. ff. de pœnis*, atqui hujusmodi probationes non adsunt, quando causa rei adhuc existit probabilis; ergo &c. Quare Judex in hoc tali casu reum absolvere debet; non quidem pronunciando, eundem esse innocentem, sed crimen, de quo accusatus fuit, non esse debite probatum.

Nec obstat, quod Innocentius XI. confixerit hanc propositionem *ordin.* 2. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Non enim Pontifex censendus est comprehendere sententiam minus probabilem faventem reo in criminalibus; cum incredibile sit, quod velit, ut quis ad certam pœnam, capitis, exilii &c. condemnetur ob crimen incertum, & de quo non est debite convictus.

171. Dico secundo. In causis civilibus, sive quæstio sit de facto, sive de Jure, Judex tenetur (1.) judicare secundum sententiam, quæ, omnibus inspectis, est probabilior, Jurique conformior, quod si pro utroque litigante æqualis stet probabilitas (2.) neutri potest favere magis, nec pro libitu causam adjudicare uni, neglecto altero, saltem ceteris paribus, Laymann *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 16. Tamburinus 1. *in Decal. c.* 3. §. 4. *n.* 5. & 9. alii communiter.

Probatur prima pars tum authoritate Innocent. XI. qui oppositam doctrinam prohibuit, dum proscripsit hanc propositionem proxime relatam, qua quis dicit: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Tum ratione; quia Judex non est dominus rei controversæ, sed virtute sui officii a Republica constitutus, ut inter partes litigantes procuret æqualitatem, statque sententiam secundum merita causarum; ergo tenetur judicare, & sententiam ferre in favorem illius partis, pro qua stant argumenta probabiliora, & majora merita causæ.

Confirmatur. Nullus hominum est, qui velit causam committere alterius judicio, eidem permittendo, ut

do, ut

do, ut sententiam ferat pro parte opposita, minus probabile jus habente; ergo homines, prout constituunt integram communitatem, non censendi sunt transtulisse ejusmodi potestatem in Judices, a se constitutos: consequenter &c.

Nec dicas, etiam non esse credibile, quod homines Judici dederint potestatem, & voluerint, ut is rem controversam totam adjudicet parti jus magis probabile habenti; sed potius, ut illam (ejusve pretium) dividat, tribuendo pro rata alteri parti jus minus probabile habenti.

Contra enim est: siquidem, cum res, de qua controvertitur, vere ad unam litigantium partem pertineat, æquum omnino fuit, ut homines consentirent, darentque Judici potestatem cum obligatione rem totam addicendi uni, pro quo prævalerent merita causæ. Unde etiam leges, in illa æquitate fundatæ, id ipsum disposuere. La Croix *lib. 4. n.* 1483.

Probatur nunc etiam secunda pars. Judex tantum potest, & tenetur rem illi tribuere, cui majus, & probabilius ad eam jus competit, prout modo ostensum est; ergo si pensatis causarum meritis, deprehendat, neutri litigantium majus, seu probabilius jus competere, sed æqualem esse probabilitatem pro utraque parte, neutri potest rem totam adjudicare sine injusta personarum acceptione.

Confirmatur primo. Æquitas postulat, ut Judex nullam inducat inæqualitatem, dum jura litigantium sunt æqualia: sed induceret inæqualitatem, si rem totam adjudicaret uni, excluso altero, æquale jus habente; ergo &c.

Confirmatur secundo ex P. Sporer *num.* 61. Si Judex in casu conclusionis posset causam adjudicare parti, cui maluerit, posset accipere pecuniam pro eo favore exhibito uni præ alio: sed hoc est illicitum, & damnatum ab Alexandro VII. qui proscripsit hanc propositionem *ord. 26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio*; ergo &c. Seq. majoris ostenditur, & declaratur: quia licet Judex ex Justitia teneatur ferre sententiam justam, atque pro ea ferenda tanquam pro re alias debita nihil accipere possit, certe tamen in nostro casu non teneretur sententiam ferre pro uno potius, quam pro altero litigante; ergo relinqueretur locus favori indebito, pro quo accipi pecunia posset.

172. Debet ergo Judex cuique jus suum tribuere; ac proinde vel inducere partes ad transactionem, vel ad compromittendum in arbitros, si res sit indivisibilis; vel, si ea, ejusve pretium divisibile sit, cuilibet partem æqualem dare, nisi ipsæ partes velint rem committere sorti.

Dixi in conclus. *saltem cæteris paribus*: Si enim alterutra pars esset in possessione, vel haberet causam de Jure favorabilem, uti est causa dotis, matrimonii, & quoties agitur de valore actus, pro quo de Jure stat præsumptio, pronuntiandum foret pro possidente, vel causam favorabilem habente, licet alias utrinque sit æqualis probabilitas (vel etiam major respectu non possidentis &c.) & dubium facti æquale, per *Reg. 65. de R. J. in 6.* & *cap. fin. de sent. & re judic.*

§. V.

Quam sententiam sequi possit Advocatus?

S U M M A R I U M.

173. *Advocatus licite patrocinatur causæ minus probabili.* 174. *Adduntur limitationes assertionis.* 175. *& seqq. Solvuntur argumenta contraria.*

173. DIco: Advocatus licite patrocinatur causæ minus probabili, relicta probabiliore, saltem quando non agitur de vita Rei, & affulget prudens spes victoriæ. Sporer *numer.* 63. & alii communiter.

Probatur tum ex *Authent. Hodie jurant. §. Patroni. Cod. de Judiciis*, ubi Advocatis solum prohibetur præstare patrocinium in causa *improba, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita*: sed causæ vere, licet minus probabilis, non est hujusmodi; imo nonnunquam inter litigandum evadit probabilior & melior opposita; ergo &c. Tum ex officio Advocati, qui in hunc præcise finem conducitur a Republica, ut pro suo Cliente repræsentet Judici rationes, ex quibus is cognoscat, quid secundum Jura, & æquitatem definire possit, ac debeat: huic autem muneri Advocatus satisfacit, tametsi causæ minus probabilis patrocinetur; ergo &c.

Confirmatur. Actor, cui assistit Advocatus, potest in judicio licite tueri suam causam minus probabilem per se ipsum; ergo etiam per suum Advocatum; nam juxta *regul. Juris 68. in 6. Potest quis per alium, quod potest per seipsum facere*: consequenter &c. Tenetur tamen Advocatus monere Clientem de minori probabilitate, ne deceptus faciat magnas expensas, forte non litigatur, si causæ suæ statum edoctus fuisset.

174. Dixi in conclus. primo: *saltem quando non agitur de vita Rei*; vel de iis (prout merito addunt, qui nobiscum conclusionem hoc modo limitant) sine quibus vita vel omnino non conservari, vel cum quibus non nisi ægre conservari potest: cujusmodi sunt amissio omnium bonorum, lethalia vulnera &c. hoc quippe casu doctrina modo tradita non videtur habere locum, dum pro reo stant rationes probabiliores a supplicio capitis liberantes. Ratio hujus limitationis est: quia tunc patrocinari causæ minus probabili contra reum videtur esse adversum Charitati proximo debitæ, utpote quæ præcipit, ut eum, videlicet proximum, adjuvemus, quantum commode possumus, vel saltem eidem non noceamus, maxime in causa tanti momenti. Hic ergo tam Cliens ipse, quam Advocatus agerent contra Charitatem, reo debitam, producendo, & prosequendo adversus eundem causam minus probabilem, esto neuter delinqueret contra Justitiam. Ita post Sotum, Arriagam, & alios P. Sporer *n. 64.* quibus adstipulatur Babenstuber *loc. citat. num.* 27. quem vide.

Dixi secundo: *& affulget prudens spes victoriæ*. Si enim non esset similis spes, Advocatus per accidens non posset suscipere causam minus probabilem, etiam monito prius Cliente de periculo, & volente nihilominus causam defendi; prout deducam *cap. seq. in resolutione ultimi Casus*. Sic si Advocatus sciat, in suo Dicasterio constanter practicari sententiam suo Clienti adversantem, vel alterum litigantem esse in possessione rei litigiosæ, & probationes contra justam ejus possessionem, vel dominium sufficientes afferri non posse &c. illicite suscipit causam. Nunc

175. Objicies contra conclus. primo. Judex in ferenda sententia non potest favere causæ minus probabili; ergo neque Advocatus in patrocinando.

Respondetur, neg. conf. Disparitas petitur ex natura officii, quod uterque gerit. Nam officium Judicis est, ut inter partes litigantes procuret æqualitatem, & ferat sententiam secundum merita causarum: quod non observaret, si causæ minus probabili faveret. E diverso officium Advocati solummodo est, uni litigantium assistere, & præsentare jura, ac rationes sui Clientis, ut, iis inspectis, Judex videat, quid secundum æquitatem sit decernendum; quod Advocatus præstare potest, tametsi causæ minus probabili patrocinium ferat.

176. Objicies secundo. Nemo potest licite alteri suadere, quod hic non potest licite facere: sed Advocatus patrocinans causæ minus probabili, suadet Judici, ut pro tali causa decidat, quod hic licite facere non potest; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam Advocatus non intendit Judicem inducere ad sententiam pro sua causa ut minus probabili ferendam (alioqui transcenderet limites sui officii, quod non est præsumendum) sed solum illi proponit momenta causæ sibi concreditæ, ut examinet, & videat, an pro ea ferre sententiam possit: sæpe enim contingit, ut probationes, & argumenta, quæ Advocato videntur minus probabilia, a Judice, rem accuratius ponderante, censeantur esse probabiliora, & validiora.

177. Objicies tertio. Princeps non potest illi inferre bellum, pro quo stat major probabilitas; ergo nec Advocatus movere litem illi, pro quo stat major probabilitas.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia Princeps bellum gesturus simul, &

judex est, & pars litigans; Judex autem tenetur sequi probabiliora: Advocatus vero non est simul Judex, sed solum assistit Parti, cui integrum est vel per se, vel per alium sua jura tueri.

ARTICULUS III.

Deducuntur ex dictis in duobus superioribus articulis Corollaria.

SUMMARIUM.

178. *Declaratur, quo sensu ex duabus sententiis probabilibus circa honestatem operationis una dicatur tutior altera.* 179. *Cuilibet licet sequi, vel etiam alteri consulere opinionem alienam vere probabilem.* 180. *Quando non agitur de valore Sacramenti, sed solum de modo illud administrandi, vel suscipiendi, non est obligatio sequendi sententiam tutiorem.* 181. *Non potest parere Judex inferior superiori præcipienti, ut jus dicat secundum sententiam, quam certo constat esse minus probabilem.* 182. *Etiam Consiliarii in dandis consiliis publicis tenentur sequi sententias certas, aut probabiliores.*

178. COlliges primo, ex duabus sententiis probabilibus, circa solam honestatem operationis versantibus, unam dici tutiorem altera in primis in ordine ad effugiendum peccatum materiale. Ratio est: quia operans juxta opinionem faventem legi non peccat materialiter; operans vero juxta opinionem faventem libertati, si ea reipsa sit falsa, peccat materialiter, cum aliquid agat, quod a parte rei prohibitum est. Deinde licet DD. satis communiter negent, unam opinionem dici posse tutiorem altera in ordine ad effugiendum peccatum formale, quando agitur de sola honestate operationis; eo quod utraque interventu dictaminis ultimi conscientiæ certo liberet a peccato formali: nihilominus quia hæc certitudo suos gradus habet, & major est respectu operantis juxta opinionem faventem legi, quam respectu operantis juxta opinionem faventem libertati, potest una opinio etiam dici tutior altera in ordine ad effugiendum peccatum formale; cum ab isto una liberet certius, quam altera. Videatur la Croix *n.* 471.

179. Colliges secundo, cuilibet licitum esse in praxi contra propriam opinionem (1.) sequi, vel etiam (2.) consulere alteri oppositam, si hanc judicet vere probabilem. Palao de *Conscient. opinat. disp.* 2. *pun.* 2. *n.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *pun.* 9. *n.* 4. Sporer *n.* 44. & alii communiter. Ratio primi est: quia sequens opinionem, suæ quidem oppositam, vere tamen probabilem, prudenter se gerit, haud minus, ac illi, qui eandem sequuntur ut propriam; potest enim æque ac illi prudenter judicare, motiva ejusmodi opinionis esse digna rationabili assensu, indeque formare certum dictamen conscientiæ, ut mox ostendam. Ratio secundi est: quia quilibet alteri licite suadet (per se loquendo) quod ipsemet licite sequitur; cum nemini incumbat major obligatio alienam conscientiam curandi, quam propriam: sed consultus ipsemet licite sequitur ejusmodi opinionem, ut constat ex proxime dictis; ergo ejusdem sequelam etiam alteri licite suadet. Potest itaque hujusmodi opinionem sequens, eamve alteri suadens, sic formare dictamen conscientiæ practice certum de formali honestate operationis: *secundum illam sententiam licite operor, eamque alteri licite suadeo, quæ est digna prudenti assensu: sed hæc sententia aliena, mea opposita, est digna prudenti assensu ob rationabilia motiva, quibus innititur; ergo secundum illam licite operor, eamque alteri licite suadeo.*

Secundum tamen Corollarii membrum intelligendum venit, quando consultans præcise interogat, quid liceat? vel utrum ad aliquid obligetur? v. g. an liceat inire talem contractum? an teneatur restituere? &c. Nam siquid aliud exprimat, v. g. si expresse interroget, quid consultus ipsemet sentiat? vel quid tutius, & probabilius sit? debet vel a responsione penitus abstinere, vel respondere secundum propriam, & probabiliorem, tutioremque sententiam: alias quippe interrogantem decipiendo peccaret contra veracitatem, & fidelitatem: prout recte notat P. Mezger *tract.* 5. *disput.* 14. *artic.* 9. §. 2. *numer.* 4.

Dices. Sequens opinionem aliorum, propriæ oppositam, agit contra suam conscientiam, & illam alteri suadens loquitur contra mentem; ergo utroque modo peccat.

Respondetur, neg. ant. quoad utranquem partem. Nam in primis licet sequens opinionem alienam agat contra opinionem propriam, quam speculative tenet; non tamen agit contra suam conscientiam; contra hanc enim agere, est aliquid facere, quod per ultimum dictamen conscientiæ judicatur esse illicitum; ipse autem aliquid facit, quod per ultimum dictamen conscientiæ, ex opinione aliena modo, supra ostenso, formatum, judicat non esse illicitum; adeoque non contra, sed juxta conscientiam agit. Deinde neque opinionem alienam alteri suadens loquitur contra suam mentem: quia potest assensum de probabilitate suæ sententiæ omnino suspendere, vel cum dissensu speculativo de licita sequela alienæ sententiæ habere assensum practicum de liceitate ejusdem, atque secundum hunc eam alteri suadere: quod non est loqui contra mentem.

180. Colligies tertio. Quando non agitur de valore Sacramenti, sed solum de modo illud administrandi, vel suscipiendi, ut dum quæritur, qualis requiratur in administrante, vel suscipiente dispositio, & reverentia, non est obligatio sequendi sententiam tutiorem. Unde si probabiliter existimes, te non esse in statu disgratiæ, & non indigere confessione, licite celebras, etsi tutius foret confiteri; si probabiliter credas, te esse jejunum, licite accedis ad S. Synaxin, etsi tutius esset abstinere &c. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 2. Cardenas *dissert.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. & alii communiter. Ratio est: quia hoc ipso, quod tunc non agatur de valore Sacramenti, sed solum de licentia, & honestate operationis, quam Ministrans, vel Suscipiens Sacramentum exercet, satis est, quod quis prudenter sibi persuadeat, operationem cum tali, vel tali dispositione licite poni: sed habens pro se sententiam probabilem prudenter id sibi persuadere potest; ergo &c. Debes tamen prius conteri, ne, si forte sis in statu disgratiæ, Sacramentum suo effectu frustres.

181. Colliges quarto, non posse parere Judicem inferiorem Judici superiori præcipienti, ut jus dicat secundum opinionem, quam certo constat esse minus probabilem. Ratio est: quia non licet parere mandato iniquo: sed mandatum Judicis superioris in dicto casu est iniquum; ergo &c.

Dixi tamen: *quam certo constat &c.* Si enim Judex inferior cum formidine tantum, & veluti subdubitando censeat, opinionem oppositam alterius Partis esse probabiliorem opinione Partis, in cujus favorem sententiam pronunciare jubetur, ille se accomodare tenetur, & mandatum exequi: quia in hoc casu præferendum est judicium Judicis superioris.

182. Colliges quinto, etiam Consiliarios Principum, qui sunt Assessores Curiarum Judicialium, ubi agitantur causæ sive inter Principem, ejusque fiscum, ac subditos, sive inter ipsosmet subditos, obligari ad sequendas sententias, quantum fieri potest, certas, vel probabiliores. Ita cum aliis a se relatis P. Sporer *n.* 62. Ratio est, quia ejusmodi Consiliarii sunt veri Judices causarum, quæ inter Principem, & subditos, vel inter ipsosmet subditos mutuo agitantur; ergo eadem illis incumbit obligatio certiora, vel probabiliora sequendi, quæ aliis Judicibus.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

183. *Camerus neque in articulo mortis tenetur confiteri circumstantias peccatorum intra eandem speciem, ut ut notabiliter, aggravantes.* 184. *Caprasius circa auditionem Missæ male variat opiniones probabiles.* 185. *Castellus Confessarius mortaliter peccat, dum pænitenti, artem pictoriam diebus festivis exercere volenti, absolutionem denegat.* 186. *Camisius hæreticus, cui dogmata fidei catholicæ videntur probabiliora, nondum habet obligationem immediatam creden-*

credendi. 187. Cajetanus, cui legatum ob testamentum, legali solemnitate destitutum, denegatur ab heredibus, non potest uti occulta compensatione. 188. Cassianus, peccati mortalis oblitus, & idcirco confessionem e vestigio repetens, ut licite iterum absolvatur, novo indiget dolore, & proposito. 189. Cappus Confessarius potest, & tenetur absolvere pœnitentem probabiliter dispositum, si nullum appareat motivum in oppositum; secus, si tale appareat. 190. Cosmas Medicus non potest Castulo, etsi hic sit desperata salutis, licite applicare medicinam positive incertam in defectu certæ. 191. Calixtus Judex, quando non potest discernere, uter litigantium habeat pro se probationes efficaciores, nequit pro libitu rem litigiosam applicare, cui maluerit. 192. Cleophas Advocatus non potest prosequi causam sui Clientis, etiam volentis, quam advertit esse minus probabilem, & non videt, unde æque, vel magis probabilis evadere queat.

CASUS I.

183. Canutus a suo Professore, ex cujus ore Theologiam moralem exceperat edoctus, nullam esse obligationem confitendi circumstantias peccatorum intra eandem speciem, etsi notabiliter aggravantes, annis non paucis huic se doctrinæ conformavit, dum in confessionibus sola peccata secundum numerum, & speciem, reticitis eorum circumstantiis aggravantibus, explicavit. Nunc ad extremum mortis articulum devolutus, itidemque novis peccatis ita circumstantionatis gravatus, anxius hæret, an non saltem in tali rerum discrimine, unde æterna salus pendet, teneatur tutiora sequi, & non solum peccata, sed eorundem quoque circumstantias aggravantes in confessione aperire? Quid Canuto dicendum?

Respondetur, dicendum Canuto, quod neque in articulo mortis memoratas circumstantias teneatur confiteri. Ita Cardinalis de Lugo, Antonius a Spiritu S. & alii, quos refert, & sequitur Sporer *n.* 50. Ratio est: quia Canutus reliquo vitæ tempore licite in confessionibus omisit ejusmodi circumstantias, cum sit secutus sententiam vere probabilem in puncto non concernente valorem Sacramenti; prout relinquitur ex dictis *n.* 159. ergo illas etiam licite omittit in articulo mortis. Conf. prob. quia articulus mortis non facit, ut id, quod est semel licitum, sit illicitum; ergo &c.

Confirmatur, ac declaratur responsio, & ratio allegata. Vel sententia, docens, non esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes, caret periculo formaliter peccandi, vel non caret? Si secundum; ergo Canutus etiam reliquo vitæ tempore sine peccato eam sequi non poterat; quod ex dictis falsum est. Si primum; egro sicut eam secutus anteriori tempore, non peccavit, ita neque peccat secundum illam operando in articulo mortis.

CASUS II.

184. Caprasius, Theologiæ moralis Studiosus actualis, legit in quodam Authore, esse probabile, satisfieri præcepto audiendi sacrum, si quis veniat ad Offertorium, & reliqua audiat, simulque probabile esse oppositum. Hinc favore opinionis affirmativæ usurus ingreditur die quodam festo locum Missæ post finitum primum Evangelium: cumque per aliquot Pater, & Ave ibi mansisset, ipsi in memoriam redit, se probabiliter non amplius posse, adeoque nec teneri, audire sacrum, utpote cujus audiendi præceptum juxta sententiam negativam jam violatum sit, & observatu impossibile redditum. Unde se e templo proripit, & recipit domum. Quæritur, an Caprasius sententias illas probabiles recte in praxim deduxerit?

Respondetur negative. Ita P. Gobat in *Theol. Experim. tr.* 3. *n.* 209. & alii ab ipso relati. Ratio est: quia non licet variare opiniones probabiles, quando res non manet integra, sed ex variatione necessario sequitur violatio alicujus legis, vel præcepti: hoc autem contingit in Casu, utpote in quo ex variatione illarum opinionum necessario sequitur violatio legis, sive præcepti ad audiendum sacrum adstringentis; ergo &c.

Confirmatur. Ecclesia (& quilibet Legislator) ita censetur obligare ad sua præcepta, ut hæc non eludantur: in Casu autem posito Caprasius reipsa eluderet præceptum audiendi sacrum; ergo &c. Alia porro ratio, ob quam Caprasius tenetur in templo persistere, & reliquum Missæ audire, adducetur in *tract. seq. disp.* 1. *Cas.* 8.

Dixi: *quando res non manet integra &c.* Si enim res integra maneat, neque sequatur ex variatione opinionum violatio alicujus legis, vel præcepti, non est illicitum opiniones variare modo hanc, modo alteram sequendo. Exemplum affert P. Sporer *n.* 35. ubi inquit: Sint rationes utrinque probabiles, aliquod vectigal esse justum, & esse injustum. Potest quis sequendo sententiam probabilem, esse injustum, illud defraudare, maxime cum juvetur a possessione rei suæ: postea autem mutata opinione, esse justum, illud tributum emere, & ipsemet exigere: quia adhuc manet ei integrum, ut, si demonstretur, tributum fuisse justum, ipse antea defraudatum restituere possit. Ita *citat.* Authot verbatim.

CASUS III.

185. Castellus Sacerdos, & Confessarius, licet non ignoret, exercitium artis pictoriæ diebus festivis probabiliter esse licitum, ipse tamen adhæret sententiæ rigidiori, contendenti, esse illicitum. Fit autem, ut nanciscatur pœnitentem, memoratæ artis peritum, eamque dictis diebus ex permissione alterius Confessarii crebrius exercere solitum. Id non ferens Castellus severe jubet, ut pœnitens tali exercitio posthac supersedeat; & quoniam iste obtemperare renuit, eidem beneficium absolutionis denegat. Quæritur, an, & quomodo Castellus peccet?

Respondetur. Castellus (1.) peccat; & quidem (2.) mortaliter, nisi pœnitens in denegationem absolutionis facile consentiat. Prima pars est communis. Quoad alteram dissident DD. nam Sayrus, Vasquez, & Salas apud Illsung hic *num.* 71. volunt, Castellum peccare quidem mortaliter, si pœnitens confessus sit mortalia; at venialiter tantum, si venialia duntaxat attulerit. E diverso Ferdinandus Palao, quem refert, & sequitur Babenstuber *tract.* 1. *disp.* 4. *art.* 3. §. 1. *num.* 8. docet, Castellum peccare mortaliter, sive confessio fuerit de mortalibus, sive de venialibus tantum. In quam sententiam etiam ego propendeo, & probabiliorem judico, supposito, quod pœnitens urgeat executionem juris, ad obtinendam absolutionem sibi competentis.

Ratio jam primæ partis est: quia Confessarius tenetur impertiri absolutionem pœnitenti rite disposito: Sed in Casu posito, quo pœnitens attulit omnia requisita (prout supponitur) & tantum non acquiescit sententiæ Castelli Confessarii propter opinionem oppositam (quam tamen probabilem esse ipsus quoque Castellus non ignorat) est rite dispositus; nam sequela contrariæ opinionis probabilis, cum sit licita, non impedit debitam dispositionem; ergo &c.

Nec dicas. Confessarius est Superior respectu pœnitentis; ergo pœnitens tanquam subditus tenetur sequi opinionem Confessarii.

Contra enim est, dist. ant. Confessarius est Superior respectu pœnitentis simpliciter, & absolute, neg. limitate, seu quoad illa tantum, ad quæ se extendit potestas clavium, transf. ant. Atqui ad actionem, quæ probabiliter licita videtur pœnitenti potestas clavium se non extendit: consequenter &c.

Ratio secundæ partis est; nam ideo Castellus peccaret graviter, denegando absolutionem pœnitenti mortalibus gravato: quia ipsum privaret magno beneficio Sacramenti, ad quod jus habet, & simul injuste imponeret grave onus reiterandi confessionem: sed utrunque etiam fieret in casu, quo pœnitens supponitur attulisse sola venialia; ergo Castellus etiam tunc mortaliter peccaret. Majorem ponit P. Illsung num. 71. & alii, qui volunt, Castellum pecare mortaliter, si in Casu deneget absolutionem pœnitenti mortalibus onerato. Min. vero ostenditur: siquidem in primis privaret pœnitentem magno beneficio Sacramenti. Nec refert, quod ejusmodi damnum a pœnitente facile possit reparari confessionem venialium repetendo apud alium Confessarium. Nam, ut recte notat P. Babenstuber *loc. cit.* in metienda gravitate damni non debet attendi,

qua ratione id reparari possit (hoc enim respectu damnificantis mere per accidens est) sed inspici ipsa natura illius : atqui damnum , quod in Casu pœnitenti irrogatetur per injustam denegationem absolutionis, secundum se , & inspecta ejusdem natura , est grave; cum sit privatio magni beneficii , ut patet; ergo &c. Deinde Castellus imponeret pœnitenti grave onus reiterandi confessionem: quod sic probo . Si onus reiterandi confessionem etiam venialium tantum, non esset grave, sequeretur, quod non posset esse materia voti, sub mortali obligantis; cum nemo ejusmodi votum edere possit in materia levi , prout suo loco videbimus : sed sequelam nemo facile admiserit; ergo &c. Nec refert , quod pœnitens libere possit confessionem venialium intermittere. Licet enim id verum sit absolute loquendo , falsum tamen est ex suppositione, quod fructum Sacramenti percipere, atque ita damnum a Castello sibi illatum reparare velit.

C A S U S IV.

186. *Camisius hæreticus ob argumenta Catholicam Religionem suadentia dubitare , ac formidare incipit , ne forte secta , quam hactenus tenuit , sit erronea? adhibitoque veritatis studio eo deducitur, ut ipsi mysteria nostra Fidei appareant , non quidem evidenter credibilia , attamen magis credibilia , seu probabilia , quam secta sua dogmata , quæ ei adhuc , licet minus , videntur probabilia. Quæritur, an Camisius sit obligatus ad sectam suam deserendam , Fidemque nostram , quæ apparet ipsi probabilior , amplectendam?*

REspondetur negative, loquendo de obligatione immediata . Ita Palao , & Cardenas , quos refert, & sequitur Babenstuber *tract.* 1. *disp.* 4. *art.* 2. §. 2. *n.* 27. Ratio est: quia infideles non tenentur suam sectam deserere , Fidemque Catholicam amplecti , antequam ista appareat ipsis evidenter credibilis, & illa evidenter incredibilis , ac improbabilis : sed Camisio Fides Catholica nondum apparet evidenter credibilis , nec sua secta evidenter incredibilis, ac improbabilis ; ergo &c. Major ostenditur, tum ex decreto Innoc. XI. prohibentis hanc propositionem *ordin.* 21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidat , ne non sit locutus Deus.* Tum ex D. Thoma 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. ubi inquit: *Ea, quæ sunt fidei , licet in se non sint visa , videntur tamen in ratione credibilitatis ab eo , qui credit .* Et deinde addit hæc verba: *Non enim crederet , nisi videret , ea esse credenda , vel propter signorum evidentiam , vel propter aliquid hujusmodi.* Min. similiter probatur; imo patet intuenti terminos in Casu adhibitos : quod enim est tantum credibilius , aut probabilius , non est evidenter credibile; sicut e diverso nec est evidenter incredibile, quod adhuc , licet minus, apparet credibile , & probabile : sed Camisio Fides Catholica solum videtur credibilior , seu probabilior , & sua secta adhuc , licet minus , credibilis , & probabilis; ergo &c.

Dixi: *loquendo de obligatione immediata*, ut innuerem , quid Camisio agendum sit. Obligatur itaque ad procurandam sibi certitudinem, studiosius investigando (si tempus, & occasio suppetat) veritatem Fidei; quam etiam propter ejus signa, atque indicia manifestissima, quæ cunctis obvia sunt in Ecclesia Dei , deprehendet infallibiliter. Si vero tempus, vel occasio id non permittat , vet. gr. si Camisius sit in periculo , vel articulo mortis constitutus, tenetur a Deo petere illustrationem intellectus, & certam notitiam veritatis, quam haud dubie obtinebit: facit enim tunc, quod in se est; facienti autem, quod in se est ex viribus gratiæ , Deus non denegat gratiam , ut fert axioma decantatum apud Theologos. Quod si Camisius hanc talem obligationem non observet , a peccato infidelitatis non excusabitur; veluti patet ex propos. *ord.* 4. ab eodem Pontifice damnata : *Ab infidelitate excusabitur infidelis , non credens , ductus opinione minus probabili* , cujus explicationem dabimus *part.* 2. *tract.* 1. *disp.* 1.

Dices contra nostram respons. primo . Lumen naturale dictat , eam Religionem esse amplectendam , quæ apparet verisimilior ceteris : sed Camisio Religio Catholica apparet verisimilior ceteris; ergo &c.

Respondetur dist. maj. Lumen naturale dictat &c. intimando obligationem immediatam , neg. mediatam, & veluti hypotheticam , con. maj. Immediata obligatio credendi fide supernaturali mysteria Catholicæ Religionis , antequam hæc sufficienter proponantur , est impossibilis , ut patet ex propos. damnata *ordin.* 21. quam supra adduximus : sed hujusmodi mysteria non censetur sufficienter proposita , antequam proponantur evidenter credibilia , qualiter nondum sunt proposita Camisio , cum eidem solum appareant credibiliora, seu probabiliora : consequenter &c. Quare obligatio immediata, quam lumen naturale in Casu intimat, non est obligatio suscipiendi Catholicam Fidem, sed obligatio diligentius investigandi veritatem , ut hac inventa Camisius mysteriis nostræ Religionis supernaturalem præbere assensum queat ; tunc ergo primum tenebitur suam sectam deserere , & orthodoxæ Religioni accedere, non antea.

Dices secundo . In medio ad salutem tam necessario , ut est fides , eligi debet pars tutior , maxime in articulo mortis; ergo Camisius tenebitur nostram Religionem eligere, & amplecti, saltem si supponatur esse propinquus morti.

Respondetur, hoc argumentum laborare duplici supposito falso . Supponit enim 1. quod Camisius possit immediate credere fide supernaturali mysteria Religionis nostræ , cujus tamen oppositum constat ex dictis. Supponit 2. immediate amplecti Religionem Catholicam in Casu posito esse eligere partem tutiorem, quod itidem falsum est; nam sive Camisius suam sectam deserat, & nostram Religionem amplectatur, sive in sua secta persistat, semper se exponit periculo errandi, hoc ipso, quod de neutrius veritate sit certus; adeoque utraque pars adhuc periculosa est, & neutra tuta; quomodo ergo una poterit esse tutior altera? Quare Camisio in eligenda parte , quæ videtur tutior (licet sic appellari proprie non possit) sistendum haud est, sed tenendum ulterius ad certitudinem, quam comparare sibi potest, & tenetur vel per discussionem fundamentorum pro utraque parte stantium; vel, si id facere eidem non sit integrum v. gr. ex defectu temporis , per precationem Divini luminis; ut dictum. Videri potest La Croix *lib.* 2. *n.* 45. & Babenstuber *loc. cit. n.* 18. ubi etiam posterior recte concludit , nullam hic posse esse praxim sententiæ probabilis, vel probabilioris, quia ignorantia veritatis , quæ in præsenti intervenit , est vincibilis, qualis non est in opinionibus circa alias materias morales.

C A S U S V.

187. *Cajetanus , cujusdam Oppidi civis , Cornelium Consulem suum, diuturno morbo laborantem, crebro invisere solet . Hac humanitate , & charitate permotus Cornelius in sua testamento legat Cajetano quinquaginta florenos ; idque ante mortem suam eidem asseveranter manifestat . Sublato e vivis Cornelio , Cajetanus suum legatum prætendit ; & quoniam hæredes necessarii dare renuunt ob testamentum legali solemnitate destitutum, cogitat illud occulte surripere , & compensare . Quæritur , an bona conscientia possit?*

RElspondetur negative. Ita Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *num.* 173. & alii passim contra Molinam, & Lessium, quos citat, & rejicit Author præfatus. Ratio est: quia ad licite utendum ejusmodi compensatione requiritur præter alias conditiones, ut debitum sit certum saltem moraliter : atqui legatum , quod Cajetanus prætendit, non est ei certo debitum ; ergo illud non licite compensat. Maj. communiter traditur ab Authoribus , etiam hic adversantibus . Min. autem facile ostenditur: siquidem testamentum , legali solemnitate destitutum, valere in foro conscientiæ, solum est probabile, prout suo loco videbimus, & fatentur DD. communiter; ergo etiam solum est probabile , quod Cajetano legatario jus aliquod competat in sibi legatos quinquaginta florenos; cum hujuscemodi jus non aliunde proficisci, & in Cajetanum resultare possit , quam ex valore testamenti; consequenter &c.

Confirmatur. *In pari causa melior est conditio possidentis :* sed Cajetanus legatarius, & hæredes necessarii versantur in pari causa; juris videlicet probabilis; ergo

melior

melior eſt conditio Hæredum, utpote legatum (ut ſupponitur) poſſidentium: his enim præter jus probabile proprietatis, quod habent æquale cum Cajetano, competit etiam jus certum poſſeſſionis, quod prævalet, & jus probabile Cajetani (imo & probabilius, ſi tale ſupponatur habere) omnino elidit.

Dices, Si Hæredes in Caſu poſito ſolviſſent Cajetano illos quiquaginta florenos, mori ex eo, quod eoſdem probabiliter deberent, non poſſent ſolutos jure repetere, aut compenſare; ergo nec poſſunt jure denegare, & retinere nondum ſolutos; ergo ſi Cajetano petenti denegent, uti is poterit beneficio occultæ compenſationis.

Reſpondetur, conceſſo antecedente, neg. conſ. Diſparitas eſt: quia ante ſolutionem Hæredes ſunt in legitima poſſeſſione; poſſeſſor autem legitimus rem, quam poſſidet, retinere poteſt, nec alius ipſum ea re ſpoliare ob meras rationes probabiles, quod res illa ad ſe pertineat. E diverſo, ſolutione ſemel ſacta, jure poſſeſſionis ſe exuerunt, illudque tranſtulerunt in Cajetanum, cujus proinde conditio nunc melior evaſit, ut tam parum re poſſeſſa ſpoliari jam poſſit, quam parum poterant Hæredes ante ſolutionem.

Sed quid ſi Cajetanus imploret officium Judicis? poteſtne hic illi ſuum legatum adjudicare?

Reſpondetur. Non poteſt: idque verum eſt, tametſi ſupponatur, teſtamentum Cornelii in foro conſcientiæ probabilius valere, La Croix *lib.4.n.1485.* & nos jam inſinuavimus ſupra *n.171.* Ratio eſt: quia licet Judex vi dominii alti poſſit & teneatur rem adjudicare parti, probabilius jus habenti, præterita parte, habente jus minus probabile, quando neutra illarum eſt in poſſeſſione; prout advertimus *loc. cit.* id tamen non poteſt in caſu, quo alterutra pars poſſidet; prout evenit in propoſito: tunc enim Jura ſtant pro poſſidente, quibus contravenire poſitum non eſt in arbitrio, & poteſtate Judicis: adeoque ad hunc talem caſum ipſius dominium altum ſe porrigere non poteſt.

C A S U S VI.

188. *Caſſianus, confeſſionem Sacramentalem peracturus, ſedulo quidem ad eam ſe præparat, ſubinde tamen poſt acceptam jam abſolutionem recordatur alicujus peccati gravis ex oblivione omiſſi, illudque adhuc in confeſſionali exiſtens, vel ſtatim ad hoc rediens, aperit abſque novo, ut apparet, dolore, quamvis non ſine moleſtia Confeſſarii inde perplexi, quid faciat. Quæritur, utrum Caſſianus abſolvi abſque novo dolore poſſit?*

Reſpondetur negative. La Croix *lib.6. p.1. a n.707.* Herzig in *Manuali Confeſſar. part.2. n.62.* & alii plures. Ratio eſt: quia in conferendis, & ſuſcipiendis Sacramentis, quando agitur de eorum valore, non licet ſequi ſententiam, quantumcunque probabilem, minus tutam, relicta tutiori: ſed ſententia docens, eundem dolorem ſe extendere poſſe, & ſufficere ad duas abſolutiones (in caſu ſcilicet, quo cum altera quoque abſolutione moraliter connexus cenſeri poteſt, prout evenit in propoſito) ſolum eſt probabilis (nam ad certitudinem moralem non pertingit, veluti videbimus *in Tract. de Pœnitent.*) eſtque minus tuta, ac oppoſita, & agitur de valore Sacramenti, ut patet; ergo eandem ſequi non licet; cum tota ejus probabilitas, quantacunque demum ſit, ſolum ſpeculativa ſit, & inſufficiens ad fundandam conſcientiam practice certam de honeſtate operationis, prout liquet ex dictis *n. 149.*

Ex quo fluit, quod Caſſianus inducendus ſit ad eliciendum novum dolorem (uti & emendationis propoſitum); ne alioqui ſecunda abſolutio, & conſequenter Sacramentum Pœnitentiæ exponatur periculo nullitatis.

C A S U S VII.

189. *Cappus Confeſſarius pœnitentem, de ſufficientia propoſiti ſuſpectum nactus, omnem quidem movet lapidem, ut languentem erigat, & ad cavendos impoſterum relapſus extimulet. Aſt omnibus tentatis, non deprehendit niſi probabiliter diſpoſitum. Poteſtne nihilominus eidem beneficium abſolutionis impertiri.*

Reſpondetur primo. Poteſt, quando pœnitens appareт ita probabiliter diſpoſitus, ut non occurrat motivum in oppoſitum, ſeu quando probabilitas de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis non ſupponit probabilitatem poſitivam de illius indiſpoſitione. Ita P. Viva ſuper *prop.1.* ex damnatis ab Innoc. XI. *n.23.* Illſung. *tr.1. diſp.1. n.77.* La Croix *lib.6. part.1. n.119.* Babenſtuber *tr.1. diſput.4. art.3. num.16.* & alii paſſim, quamvis omnes (excepto primo) videantur loqui indiſcriminatim de pœnitente probabiliter diſpoſito, ſive occurrat, ſive non occurrat motivum in oppoſitum. Ratio autem noſtræ reſponſionis ita modificatæ eſt: quia probabilitas, modo in reſponſione dicto accepta, relate ad Cappum æquivalet certitudini morali, ſeu (quod in idem recidit) eſt certitudo moralis reſpectiva de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis; prout habent P. Viva *loc. cit.* & P. La Croix ubi ſupra *num.* 108. ſed Confeſſarius habens ejuſmodi certitudinem, poteſt, & tenetur pœnitenti impendere beneficium abſolutionis; ergo &c. Min. patet: partim quia Confeſſarius prudenter credit, Sacramentum tunc non expoſitum iri periculo fruſtrationis; veluti notat La Croix *loc. cit.* partim quia pœnitens ſuppoſita confeſſione, & tali diſpoſitione obtinet jus ad abſolutionem percipiendam; prout advertit *eod. loc.* idem Author. Major vero oſtenditur a P. Viva in hoc exemplo, & paritate. Ruſticus v. g. cui a Parocho proponitur Incarnatio D. Verbi, dicitur habere notitiam moraliter certam revelationis; alioquin fide ſupernaturali dictum myſterium credere non poſſet, cum ad ſic credendum requiratur moralis certitudo de exiſtentia revelationis; veluti dictum ſupra *ad Caſum 4.* & iterum dicetur *par.2.tr.1. diſp.1.* ergo etiam Cappus in Caſu recte dicitur habere notitiam moraliter certam de diſpoſitione ſui pœnitentis. Conſ. prob. Ideo notitia revelationis ſuggeſta a Parocho, reſpectu Ruſtici dicitur ferre certitudinem moralem: quia Ruſtico nullum occurrit motivum judicandi ſuum Parochum eſſe inſcium, aut mendacem: atqui etiam Cappo etiam in Caſu poſito nullum occurrit, ſeu ſuppetit motivum judicandi ſuum pœnitentem eſſe indiſpoſitum (quemadmodum ſupponitur) ergo &c. Et ſane in praxi ſæpiſſime judicamus, nos eſſe moraliter certos de honeſtate operationis noſtræ, quando non occurrit poſitiva ratio judicandi, ejuſmodi operationem eſſe inhoneſtam; ergo probabilitas pro una parte, nullam ſupponens probabilitatem poſitivam pro oppoſita, æquivalere poteſt, & ſolet certitudini morali. Videatur La Croix *loc. cit. n.108.*

Ratio eſt ſecundo, Si Cappus non poſſet, nec teneretur ſuum pœnitentem abſolvere, ſequeretur, quod pœnitentes vix unquam extra caſum neceſſitatis abſolvendi forent: atqui ſequela eſt abſurda, & communi Confeſſariorum praxi adverſa; ergo &c. Maj. oſtenditur inde, quod Confeſſarii ut plurimum aſſequi non poſſint de diſpoſitione ſuorum pœnitentium majorem notitiam, quam probabilem in ſenſu expoſito; cum illam ſolummodo haurire debeant ex aſſeveratione ipſorummet pœnitentium, & aliis ſignis externis fallibilibus: conſequenter &c.

Remanet ergo, quod Cappus ſuo pœnitenti poſſit, & teneatur beneficium abſolutionis impendere, idque abſolute, & ſine adjecta conditione: tum quia alioquin pœnitentes vix unquam abſolute abſolvendi eſſent; cum Confeſſarii vix unquam poſſint eſſe certi (certitudine abſoluta, etiam morali tantum) de ſufficienti eorum diſpoſitione, ut dictum. Tum quia Cappus habet probabilem notitiam de diſpoſitione ſui pœnitentis, quæ, ob defectum motivi in oppoſitum, æquivalet moraliter certæ, utique ad abſolute abſolvendum ſufficienti, prout patet a pari; nam ſi pater v. g. teſtetur, prolem ſuam necdum eſſe baptizatam, & nemo afferat oppoſitum, nec adſint conjecturæ in oppoſitum, proles abſolute baptizanda eſt, prout nemo facile negaverit; quia teſtimonium patris, licet de ſe probabile tantum, & fallibile, ob defectum teſtimonii, & motivi in oppoſitum, æquivalet certitudini morali; ergo ſimiliter &c.

Dices. Quando Confeſſarius probabilem duntaxat notitiam habet de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis, in extrema neceſſitate verſantis, eum abſolvere non poteſt niſi ſub conditione, uti fluit ex dictis ſupra *num.* 155. ergo etiam extra caſum neceſſitatis hoc modo

illum

lium absolvere debet, supposito, quod absolvere possit.

Respondetur, dist. ant. Quando habet notitiam probabilem mere talem, & non æquivalentem notitiæ moraliter certæ, de quali *loc. cit.* nobis sermo erat, con. quando habet notitiam probabilem non mere talem, sed, ob defectum motivi in oppositum, æquivalentem notitiæ moraliter certæ, prout in Casu hucusque ventilato, neg. ant. & conf. Nam hanc talem notitiam si habeat Confessarius, pœnitentem poterit, & debebit absolute absolvere in & extra casum necessitatis.

Respondetur ad Casum secundo. Si Cappus in Casu posito habeat motivum in oppositum, seu rationem probabilem positivam etiam de indispositione pœnitentis, non potest eundem absolvere, saltem per se loquendo. Ita insinuat, vel potius supponit P. Viva *loc. cit.* Ratio est: quia extra casum necessitatis, & per se loquendo, nullus licite sequitur sententiam mere probabilem minus tutam, quando agitur de aliquo requisito ad valorem Sacramenti: sed Cappus in Casu sic proposito sequeretur sententiam mere probabilem minus tutam, ubi agitur de aliquo requisito ad valorem Sacramenti, ut patet; ergo &c.

Confirmatur. Si Cappus positive, & prudenter dubitaret de sufficienti dispositione pœnitentis, non posset eum licite (sive absolute, sive sub conditione) absolvere; ergo neque si probabiliter judicet illum esse indispositum. Ant. est certum extra casum necessitatis, extra quem hic versamur, & traditur in specie a P. La Croix *lib.6. par.* a. *n.* 1765. Conf. vero prob. Quando agitur de aliquo requisito ad valorem Sacramenti, dubium positivum, & mera probabilitas sententiæ minus tutæ quoad effectum æquiparantur; ergo &c. Ant. ostenditur: quia æque unius, ac alterius praxis, seu usus Sacramentum exponit periculo frustrationis; cum hoc amoliri probabilitas tam parum possit, quam dubietas; consequenter &c.

Nec dicas. Etiam certitudo moralis, maxime respectiva, Sacramenti invalidandi periculum non removet, & tamen licet sequi sententiam moraliter certam, tutiore relicta; ergo &c.

Contra enim est, dist. ant. Non removet periculum improbabilem, & remotum, quod est vitatu moraliter impossibile, con. probabile, & proximum, quod est vitatu possibile; ideoque vitandum per se loquendo, neg. ant. & conf. Hoc ipso, quod aliqua sententia sit moraliter certa, non relinquit prudentem, & probabilem metum de frustratione Sacramenti: relinquit vero consimilem metum, si solum sit probabilis, aut dubia.

Tenetur ergo Cappus in Casu, posteriori modo intellecto, eligere partem tutiorem, & pœnitentem, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis, sine absolutione dimittere, ut inde territus saniora capiat consilia, seseque dignum reddat beneficio absolutionis alia vice obtinendo.

Dixi tamen: *Saltem per se loquendo*. Nam per accidens, etiam extra Casum absolutæ necessitatis, videtur pœnitens, ita probabiliter dispositus, absolvi posse (sub conditione tamen) quando prudenter creditur non facile inducendus ad renovandam operationem, vel instituendam aliam confessionem, prout insinuat La Croix loc. supra *cit. n.* 110. Sed de hoc iterum *p.5. tr.4.*

C A S U S VIII.

190. *Cosmas Medicus, ad Castulum infirmum periculosissime decumbentem vocatus, nullam reperit in loco, nec comparare valet, medicinam, nisi positive incertam, seu talem, quæ obesse æque, ac prodesse queat. Quæritur, utrum istam in extremo vitæ discrimine patienti, sua licite applicare possit?*

Respondetur negative. Ita Palao, quem refert, & sequitur Augustinus Michel *tr.3. q.1. pun.6. de Medico n.3.* Ratio est: quia Cosmas applicando ejusmodi medicinam exponeret se periculo positive accelerandi mortem patientis; poneret enim causam per se conjunctam cum tali periculo: quod utique est illicitum.

Confirmatur. Ideo juxta Adversarios Medicus non potest licite applicare ægroto, licet sit desperatæ salutis, pharmacum, de quo dubitat, etiam positive, sitne salubre, an noxium? quia per ejus applicationem exponeret se periculo accelerandi mortem ægroti: atqui idem fieret in Casu posito; nam probabilis opinio, quod pharmacum sit salubre, præfatum periculum tam parum amolitur, quam dubitatio, an idem pharmacum sit salubre, vel noxium? prout fluit ex dictis *n. præced.* ergo &c.

Dices. Probabilis spes vitæ præferenda est morti moraliter certæ, quæ non adhibito tali remedio supponitur; ergo &c.

Respondetur primo, retorquendo argumentum: siquidem etiam dubia spes vitæ præferenda est morti moraliter certæ? & tamen Adversarii (ac in specie P. Babenstuber, cujus est hoc argumentum) negant, licite applicari remedium dubium.

Respondetur secundo, dist. ant. Probabilis spes vitæ &c. per se sejuncta a periculo accelerandi mortem ægrotantis, con. per se conjuncta cum tali periculo, neg. ant. & conf. Probabilis spes vitæ censetur per se sejuncta a periculo accelerandi mortem infirmi, quando applicatur remedium probabile quasi contradictorie sumptum, seu tale, quod judicatur probabiliter profuturum, & probabiliter non profuturum, quin tamen judicetur probabiliter obfuturum. Et remedium hoc modo incertum, seu probabile Medicus potest, & tenetur, in defectu certi, applicari ægroto, spem probabilem vitæ prudenter præferendo mori moraliter certæ, prout jam supra *n.163.* animadvertimus. E diverso probabilis spes vitæ per se conjuncta censetur cum periculo accelerandi mortem infirmi, quando applicatur remedium probabile quasi contrarie sumptum, seu tale, quod judicatur probabiliter profuturum, & probabiliter obfuturum. Atque remedium hoc modo incertum, seu probabile Medicus non potest applicare infirmo (ob periculum accelerandi mortem, ut diximus) etiam in casu extremæ necessitatis; secus faciendo, & præferendo hic spem probabilem vitæ morti moraliter certæ agit imprudenter, & peccat: quod contendit nostra ad Casum responsio.

C A S U S IX.

191. *Calixtus Judex, dum cogitat liti jam satis diu agitatæ finem imponere, causamque decidere, non potest discernere, quænam pars litigantium pro se rationes, & probationes efficaciores habeat; eo quod modo ista, modo illa appareant ipsi probabiliores, ita, ut litigantes se probabiliter mutuo vincant. Quæritur, an possit pro suo libitu rem controversam adjudicare parti, cui maluerit?*

Respondetur negative. Ita Coninck, Suarez, Palao, quos refert, & sequitur Babenstuber *tr. 1. disp. 4. art. 3. n. 33.* Ratio est: quia non est integrum Judici adjudicare rem litigiosam parti, cui maluerit, quando jura partium sunt æqualia, uti fit, dum constat, rationes utrinque esse æqualiter probabiles; quemadmodum cum communi ostensum ivimus *n.171.* atqui etiam in Casu posito jura partium sunt æqualia moraliter loquendo, hoc ipso, quod discerni nequeat, utrius probationes prævaleant; ergo &c.

Confirmatur ex iis, quæ attulimus *n. cit.* Revide, & applica. Unde Judex etiam hic tenetur inducere partes ad transactionem, aliove modo ex recensitis *n.172.* utrique satisfacere.

C A S U S X.

192. *Cleophas Advocatus certo cognoscit, causam Conradi Clientis sui, quam initio litis cœptæ æque, vel magis probabilem judicaverat, esse minus probabilem, ac causam partis collitigantis. Et quoniam non videt, unde æque, vel magis probabilis evadere, aut apparere amplius possit, monet desuper Conradum, eumque de statu suæ causæ fideliter, uti debet, informat. Verum Conradus inde nihil motus postulat, ut causam prosequatur, & urgeat, obsequitur Cleophas. Quæritur, an licite?*

Respondetur negative; sed uterque contra Justitiam peccat. Ita Silvester, Valentia, Arriagia, quos refert, & sequitur Burghaber *Centur. 3. cas. 65.* Ratio est: quia nemo citra peccatum injustitiæ potest sua actione co conniti, ut alter aliquid committat contra Justitiam: sed in Casu posito tam Conradus jubendo

causam

causam urgeri, quam Cleophas ejusmodi sussiognm exequendo, eo constituuntur, ut alter aliquid committat contra Justitiam; quia nituntur adigere Judicem ad ferendam sententiam injustam, videlicet in favorem causæ minus probabilis cum præjudicio, & injuria damnosa partis collitigantis, probabiliorem causam habentis (non enim apparet, ob quam aliam finem ille expensas faciat, & iste suam operam locet) ergo &c. Accedit, quod sic compellant partem adversariam ad faciendos sumptus pro re, sibi alias jam debita, recuperanda: quod itidem injustum est.

Dices primo. Advocatus prudenter agit, dum sententia probabili ductus patrocinatur; ergo non peccat.

Respondetur, dist. ant. Quando affulget prudens spes victoriæ, uti evenit, dum rationabiliter credit, causam sui Clientis adhuc posse evadere probabiliorem, vel saltem æque probabilem, con. quando talis spes non affulget, prout contingit in Casu posito, neg. ant. & conf.

Dices secundo. Cleophas præcise intendit obire munus Advocati, quod est proponere fundamenta Clientis, & Judici examinanda relinquere; ergo saltem ipse non peccat.

Respondetur, quod ex hoc argumento sequeretur, Advocatum etiam posse licite suscipere, vel prosequi causam injustam; cum similiter se excusare, & dicere posset, quod præcise intendat præstare officium suum &c. Mentitur ergo & hic iniquitas sibi; nam Cleophas reipsa convincitur (vel certe præsumitur) velle victoriam reportare; quod cum fieri non possit, nisi inducendo Judicem ad injuste decidendum, transgreditur limites sui officii, & sic non juste, sed contra hoc agit.

Ex quo fit, ut Cleophas, si apud Judicem causam sui Clientis injuste evincat, teneatur una cum isto parti læsæ non solum restituere litem principalem, vel æstimationem litis, sed etiam expensas a tempore novæ instantiæ factas. Clienti tamen suo, cum eidem statum causæ sincere aperuerit, & is nihilominus litem urgeri jusserit, adeoque ultronee in expensas consenserit, ad nihil tenetur; quia scienti, & volenti non fit injuria.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE EXTERNA ACTUUM HUMANORUM REGULA, seu LEGE.



Ihil hac Regula, seu Lege ad humanæ vitæ officia instituenda utilius, magisque necessarium cogitari, dicique potest; cum ea (ut voluit Tullius) instar nervorum, & sanguinis per membra effusi, Rempublicam, universumque rerum omnium seriem conservet. Inter hujus vitæ fluctus seu in prora sedeas, seu temonem regas, seu remum trahas, male ibis per turbida, nisi ista præfulgeat Cynosura. Hæc dabit inter contaminatos cum integritate vivere, malorum imperiis nihil concedet in virtutem, inter parvos usus, & exempla obluctari docebit, afflatum quandoque invidia, nunquam vitio. Hac auspice non metues æmulos, non falleris amicis, non terrebit reddenda ratio, aliena iniquitas premere subinde poterit, non opprimere &c. Tanta hujus materiæ, & tractatus utilitas, ac necessitas diversarum Facultatum Interpretes diversa in studia distrahit, efficitque, ut legem in ordine ad diversos fines obtinendos considerent, atque pertractent. Theologi (ut ab aliis præscindam) illam præcipue considerant, quatenus est regula hominis directiva ad internam animæ sanctitatem in hac vita comparandam, vel conservandam, atque ad Deum ut ultimum finem supernaturalem in altera vita consequendum. Et ista Legis consideratio nobis quoque impræsentiarum potior esto, sicut & erat in Thesibus anno 1717. editis, & ob rationem in Proœmio redditam identidem allegandis. Sit ergo

DISPUTATIO I.

De Lege in genere, & Naturali, ac Divina in specie.

QUoniam disputatio hæc, si de sola Lege in genere institueretur, nimis parva foret; Legem Naturalem quoque, ac divinam in specie adjungimus; sicut in *tr. præced. disp.* 1. ob eandem rationem Conscientiæ in genere addidimus Conscientiam Rectam, & Erroneam.

CAPUT I.

De Lege in genere.

ARTICULUS I.

Utrum Lex essentialiter consistat in actu intellectus, vel voluntatis?

SUMMARIUM.

193. *Lex unde dicta.* 194. *Lex positiva, tam Divina, quam Humana consistit essentialiter & adæquate in actu voluntatis.* 195. *Præsupponit tamen actum intellectus.* 196. *& seq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 199. *Etiam essentia Legis Naturalis in solo sita est actu voluntatis.* 200. *&* 201. *Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 202. *Illustratur secunda conclusio, & præcluduntur nonnullæ instantiæ, quæ contra illam fieri possent.*

193. LEx dicitur vel *a legendo*, eo quod homines in ipsa legant, quid agendum, aut omittendum; vel *ab eligendo*, quia est regula eligendorum; vel rectius (ut loquuntur cum Scoto *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. §. *Hic sunt quatuor*) *a ligando*, quatenus homines ligat, seu abstringit ad aliquid præstandum, aut omittendum. Solet etiam nuncupari *Jus*; quia ostendit, unicuique relinquendum, vel tribuendum esse, quod suum est: *Statutum*; quia debet esse stabilis, & firma: *Constitutio*, quatenus est quasi communis *statutio*. Hæc autem nomina in eo differunt, quod Leges supremi Principis vocentur *Jura*; Pontificum vero Decreta appellentur *Constitutiones*; & Decreta inferiorum Principum, Civitatum, & Populorum *Statuta* dicantur, quamvis non raro soleant confundi, & sumi promiscue, prout in decursu etiam fiet a nobis.

Præmissa Legis notitia quoad quid nominis, quisque varia illius acceptione quoad quid rei, utpote a nostro instituto aliena, eam impræsentiarum sumimus proprie, & stricte, seu pro Regula, & Mensura actuum humanorum, atque inquirimus, in quo, sic considerata, essentialiter consistat?

194. Dico igitur primo. Lex positiva, tam Divina, quam Humana, essentialiter, & adæquate consistit in actu voluntatis. Scotus in 1. *dist.* 44. *q. unic. num.* 2. & Scotistæ communiter contra Thomistas eam constituentes in actu intellectus.

Probatur tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem; nam in *Psal.* 102. dicitur: *Notas fecit* (DEUS) *vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas*; *id est, leges, & præcepta*: & *l.* 1. *ff. de Constit. Princip.* habe-

habetur: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*. Ratione vero: quia essentialis, & adæquatus conceptus legis, maxime positivæ, situs est in imperio activo, obligativo Communitatis &c. prout ipsimet Adversarii tenent: sed imperium activum est actus voluntatis, non intellectus; siquidem voluntas intellectui imperat, non intellectus voluntati; ergo &c.

Confirmatur. Lex obtinet vim authoritative, & imperative dirigendi, & obligandi; per hoc enim distinguitur à *Consilio*, quod mere dirigit ostensive, solumque suadet id, quod melius apparet: atqui Lex positiva, sive Divina, sive humana, vim præfato modo dirigendi, & obligandi sortitur non ab intellectu; sed à voluntate; atque sola; nam hæc duntaxat potentia, supposita jurisdictione, authoritative, ac imperative subditos dirigere, & obligare potest; ergo &c.

195. Dixi in conclus. legem *essentialiter* consistere in solo actu voluntatis: siquidem ad eam condendam etiam requiri, & necessario præsupponi actum intellectus, quo Legislator judicet, materiam Legis esse capacem obligationis, nemo est, qui inficias eat: quia enim voluntas suapte natura est potentia cæca, indiget prævio actu intellectus, quo illuminetur, & objectum, in quod fertur, cognoscat, cum ferri in incognitum nequeat. Ex quo tamen non sequitur, quod lex debeat constitui ex æquo in utroque actu intellectus, & voluntatis; siquidem vis directiva, & obligativa subditorum adæquate salvatur in solo actu voluntatis, & consequenter etiam essentia legis, prout jam dictum, & declarabitur amplius in responsionibus ad argumenta adversariorum.

196. Objicies nunc primo. Lex debet illuminare, seu dirigere subditum ad finem à Legislatore intentum, juxta illud *Psal.* 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos &c.* sed id non potest, nisi essentialiter sita sit in actu intellectus; ergo &c.

Confirmatur. Legis est ordinare subditum ad finem a Legislatore intentum: atqui ordinatio est actus prudentiæ intellectualis; ergo &c.

Respondetur ad argumentum dist. maj. Lex debet subditum dirigere objective, con. formaliter, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons. Ad salvandam rationem, & essentiam legis requiritur, & sufficit, quod dirigat objective, quatenus cognita, & per dictamen conscientiæ, seu regulæ formalis, & intrinsecæ, applicata, authoritative, & imperative ostendit, quid faciendum, quidve omittendum sit; quæ directio objectiva vel maxime propria est actui voluntatis; cum etiam Divina voluntas in hoc sensu passim audiat regula, & mensura actionum nostrarum; uti præter alios docet S. Anselmus *lib.* 1. *de volunt. Dei cap.* 4. ubi inquit: *Voluntas Dei est magistra humanæ voluntatis*. Quod si forte non satis capias, quid sit objective dirigere concipe manum in via figuratam, quæ tibi monstret iter, teque euntem dirigat, ne a recto tramite deflectas. In isto exemplo manus dirigit objective, quatenus prius cognita, seu visa te ducit in notitiam, quo sit eundum. Hoc si debite apprehenderis, facile intelliges, quid sit objective dirigere; idque ad propositum, servata proportione, applicabis.

Ad confirmat. dist. similiter maj. Legis est ordinare subditum &c. objective, & per modum exemplaris, seu ideæ, con. formaliter, neg. maj. Sed ordinatio est actus prudentiæ intellectualis, si intelligatur priore modo, neg. si posteriore, con. min. & neg. cons.

197. Objicies secundo. Legem oportet esse rationabilem: sed nequit esse rationabilis, nisi sit opus rationis seu intellectus; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, dist. min. Nequit esse rationabilis, nisi sit opus rationis præsuppositive, con. formaliter, seu essentialiter, neg. min. Explicatio responsionis patet ex dictis.

Objicies tertio. Quando Legislator vult obligare Communitatem, mox eidem impositurus legem, Communitas nondum obligatur; ergo lex subsequitur actum voluntatis; ergo in eo nequit essentialiter constitui.

Respondetur, concesso antecedente, dist. primum cons. Ergo lex subsequitur actum voluntatis: quo Legislator statuit, seu proponit primum concedere legem, con. quo actualiter, & reipsa, sub interminatione reatus, imperat aliquid universaliter fieri, aut omitti a subditis ob bonum commune, neg. hanc cons. Dist. etiam alterum cons. Ergo lex nequit essentialiter constitui in actu voluntatis juxta primam acceptionem, con. juxta secundam acceptionem, nego cons. Unde argumentum laborat in supposito; nam Scotistæ non reponunt essentiam legis in actu voluntatis juxta primam, sed juxta secundam acceptionem, & qui judicium intellectus de convenientia, & utilitate legis condendæ subsequitur.

199. Dico secundo. Etiam essentia legis Naturalis in solo actu voluntatis sita est. Scotus *in* 4. *dist.* 50. *quæst.* 1. §. *de secundo*, tenenturque a Mastrio *disp.* 2. *de LL. q.* 2. *art.* 1. *&* 2.

Probatur tum ex iis, quæ pro stabilienda conclusione præcedenti allata sunt, etiam hic, servata proportione, valituris: tum refutando aliorum sententias. Vel enim lex naturalis consisteret in ipsa natura rationali, vel in convenientia, & disconvenientia, quam habent aliquæ actiones ad naturam rationalem independenter ab una lege positiva; vel in ipso lumine rationis quoad actum primum, seu quatenus est vis discernendi honesta, & turpia, licita, & illicita; vel denique in actu rationis, prout hic est signum divinæ voluntatis præcipientis, aut prohibentis: sed nullum dici potest; ergo &c. Prob. min. Non primum: quia natura rationalis subjicitur legi naturali, ab eaque dirigitur; ergo non est ipsa lex naturalis; alioquin idem subjiceretur sibi ipsi, & a seipso dirigeretur. Non secundum: siquidem lex, ejusdemque materia confundi, seu identificari non possunt: sed convenientia, & disconvenientia illa operationum humanarum ad naturam rationalem est materia, sive tenet se ex parte materiæ legis naturalis; ergo non est ipsa lex naturalis. Nec denique tertium, aut quartum quia quælibet lex, adeoque & naturalis, est quædam jussio, aut prohibitio legitimi Superioris, ad subditum directa: atqui nec lumen, nec actus rationis potest dici ejusmodi jussio, aut prohibitio, prout relinquitur ex supra dictis; ergo &c. Remanet ergo, adæquatam legis naturalis essentiam sitam esse in actu voluntatis, utique non alterius, quam divinæ, sive Dei, qui, ut Author naturæ, illius Conditor est, & Promulgator; prout patebit ex dicendis *art. seq.*

200. Objicies primo. Lex naturalis in Scriptura, & Patribus dicitur passim *indita*, *inscripta*, *seu impressa cordibus nostris*: atqui actus divinæ voluntatis non potest dici inditus, inscriptus, seu impressus; ergo non potest esse lex naturalis.

Respondetur, explic. & dist. maj. Lex naturalis dicitur indita, inscripta &c. improprie, metaphorice, & objective, quatenus mens, seu intellectus noster est legis naturalis ostensivus, con. proprie, & formaliter, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons. Sicut lex positiva scribi solet in tabulis, ita per quandam metaphoram lex naturalis dicitur inscripta cordibus nostris, quod utique de actu divinæ voluntatis potest verificari: proprie vero, & formaliter quælibet lex inest voluntati Legislatoris.

201. Objicies secundo. Illud non est lex naturalis, quo secluso adhuc aliqua operatio habet, quod sit debita, & intrinsece bona, vel indebita, & intrinsece mala: atqui secluso quocunque actu divinæ voluntatis præcipiente, aut prohibente, adhuc esset debitum, aut intrinsece bonum, v. g. Deo obedire, ipsum amare, ac revereri; & indebitum, atque intrinsece malum illi non obedire, illumque odisse; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, dist. min. Memorati actus forent adhuc intrinsece boni, vel mali philosophice, fundamentaliter, & in genere naturæ, con. theologice, formaliter, & in genere moris, neg. min. Ad hoc posterius enim requiritur lex formaliter talis, a qua tamen facta hypothesis præscindit.

202. Ut solvantur argumenta cetera, totaque conclusio amplius illustretur, adverte I. Deum, supposito decreto de creanda creatura rationali qua tali, non posse non præcipere, aut prohibere materiam legis naturalis: eo ipso enim, quod velit creaturam rationalem gubernare, non potest non velle præcipere, vel prohibere, quæ essentialiter bona, vel mala sunt; cum per has leges creatura rationalis gubernari, & ad finem, ad quem creata est, dirigi debeat. Sicut igitur repugnat creaturam existere, & non subdi dominio

proprie-

proprietatis Dei; sic repugnat creaturam rationalem qua talem operari, & non gubernari a divino dominio Jurisdictionis: & sicut implicat, creaturam rationalem creari, & eam non subdi regulis morum; sic implicat illam creare, & nolle gubernare, seu ei imprimere legem naturalem. 2. Quamvis legis naturalis materia sit, quod lumine naturali cognoscitur, seu bonum necessarinm, Deum nihilominus posse, per se loquendo, nullam legem ferre, sive naturalem, sive positivam, nempe si nollet creare creaturam rationalem; attamen ex hypothesi, quod eandem libere creare velit, nequit non prohibere blasphemias v. g. aliasve actiones intrinsece, & ex natura sua malas, atque alias præcipere, quæ ex natura sua bonæ, ac honestæ, & necessario cum fine creaturæ rationalis connexæ sunt. Unde lex naturalis est necessaria consequenter, & supposito decreto de creanda creatura rationali; non antecedenter, & absolute. 3. Deum prius ordine naturæ, seu rationis judicantem, blasphemiam v. g. esse malam in genere naturæ, illam necessario prohibere, ne fiat: e contrario; quia esus carnium feria sexta v. g. non est malus in genere naturæ, nec adversatur naturæ rationali qua tali, ideo etiam data hypothesi de existentia creaturæ rationalis, posse Deum dictum esum carnium libere prohibere, vel non prohibere. Hinc licet tam lex naturalis, quam divina, sita sit in imperio voluntatis Dei, ea tamen est inter utranque differentia, quod illa sita sit in imperio voluntatis divinæ necessario adstrictæ ad legem ferendam; ista e diverso sita sit in imperio ejusdem voluntatis non necessario adstrictæ ad legem ferendam. Quibus probe perceptis, residua argumenta dissolvi possunt.

Atque ita quæstionem istam quasi verbatim deduxi in Thesibus meis, supra ante hanc *disp.* commemoratis, *pag.* 3. *& seqq.*

ARTICULUS II.

Adstruitur, & explicatur Definitio Legis.

SUMMARIUM.

203. *Exponitur Legis definitio.* 204. *Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 205. *Lex, ut valeat, debet esse honesta, justa, observatu possibilis, & necessaria, vel saltem utilis.* 206. *Ut actu obliget, requiritur promulgatio per modum conditionis simpliciter, & indispensabiliter necessaria.* 207. *Affertur quadruplex differentia Legis a Præcepto.*

Dico. Lex est *rationabile decretum legitimi Superioris, subjectam sibi Communitatem stabiliter obligantis ad aliquid faciendum, vel omittendum communis boni gratia.* Ita reipsa omnes, quamvis quoad verba formalia vix unus alteri consonet.

203. Explicatur. Dicitur 1. *rationabile decretum*: quia lex est actus voluntatis, ab intellectu, seu recta ratione directus: prout liquet ex dictis *art. præced.*

Dicitur 2. *legitimi Superioris*, id est, Superioris legitima potestate præditi, quæ potestas debet esse politica, & jurisdictionalis, eaque suprema, seu in suo ordine independens, soletque vocari *jurisdictio sublimis, & merum imperium*. Quare ad legem ferendam non sufficit potestas jurisdictionalis subordinata, seu dependens: siquidem omnis Judex tam ordinarius, quam delegatus obtinet similem jurisdictionem, & tamen neuter condere legem valet, nisi per potestatem acceptam ab eo, qui jurisdictione suprema, seu sublimi pollet. Multo minus sufficit potestas mere dominativa, aut œconomica, qualem habet pater in filium, maritus in uxorem, dominus in famulum, &c.

Dicitur 3. *subjectam sibi Communitatem*: ubi per Communitatem non intelligitur quælibet hominum multitudo, sed moraliter unita sub uno Capite, eam gubernante cum potestate politica jurisdictionis, & communium bonorum participatione; hæc enim sola est, & vocatur Communitas *perfecta*: quia sibi ipsi sufficit ad comparandam felicitatem humanam, & sortitur nomen, ac rationem Reipublicæ. Unde præceptum datum alicui familiæ domesticæ, etsi hæc centum, vel pluribus etiam membris constet, non obtinet veram rationem legis, tametsi feratur ab habente alioquin potestatem legislativam, quia ejusmodi familia solum constituit Communitatem imperfectam, quæ regitur potestate mere dominativa, & œconomica, omniaque illius membra diriguntur ad bonum privatum Patrisfamilias, non ad bonum commune omnium. Ubi tamen advertit Herincx *disp.* 1. *de Leg.* q. 1. *n.* 3. quod nomine Communitatis perfectæ non veniat necessario integra collectio hominum in Regno, Provincia, aut Civitate commorantium; sed possit etiam lex ferri pro certo tantum genere hominum alicujus Regni, Provinciæ, aut Civitatis, v.g. pro mercatoribus, militibus, Personis Ecclesiasticis &c.

Dicitur 4. *stabiliter*, seu perpetuo perpetuitate importante durationem indefinitam, non quidem positivam, quæ haberetur, si lex, semel lata, etiam mutatis circumstantiis, mutari, aut abrogari non posset (cujus tamen contrarium deprehenditur in Lege veteri) sed negativam, quæ competit legi, quatenus a Legislatore non limitatur ad certum tempus, & terminum in ipsa ejus factione, & promulgatione definitum. Hinc si Pontifex imperaret Personis Ecclesiasticis, ut Imperatori pro bono publico quotannis certam pecuniæ summam ex reditibus Ecclesiarum tandiu contribuerent, quandiu contra Turcas bellum gesserit, non conderet legem proprie dictam: quia ejus valorem, & obligationem ad certum tempus restringeret. Platelius *de Leg. n.*385. Henricx *obligantis ad aliquid faciendum*, & alii satis communiter.

Dicitur 5. *obligantis ad aliquid faciendum, vel omittendum*: tum ut denotetur tam actus, qualis est obligatio activa, quam effectus legis, qualis est obligatio passiva: tum ut judicetur, legem duplici modo obligare, videlicet præcipiendo, aut prohibendo actum; ut proinde alia sit *affirmativa*, alia *negativa*; prout *art. seq.* explicatum ibimus.

Dicitur denique 6. *communis boni gratia*: quia finis primarius legis non est commodum privatum Legislatoris, aut alterius, sed commune Reipublicæ: id quod docet Philosophus *lib.*8. *Ethic. cap.* 10. ubi hoc Tyrannum inter, & Regem discrimen adstruit, quod ille suam, iste vero subditorum utilitatem quærat: & 4. *Politic. cap.* 1. dum inquit: *Leges ad communem populi utilitatem sunt accomodandæ.* Unde potestas legislativa Principibus in ordine ad bonum commune promovendum, aut conservandum concessa legitur *Sap.* 6. & *Rom.* 13. quibus in locis appellantur Ministri Dei, & Communitatis: consequenter & ipsa lex, a tali potestate emanans, ad similem finem ordinanda est.

204. Objicies contra hucusque dicta primo. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. pro legibus ferendis duplicem potestatem agnoscit, *paternam* scilicet, & *politicam*; ergo non necessario conduntur sola authoritate politica &c.

Respondetur, neg. cons. de legibus proprie dictis, & prout a præceptis contradistinguuntur, intellectam. Ad authoritatem Scoti ajo, quod loquatur de potestate ferendi leges tam proprie, quam improprie dictas; velitque illas condi potestate politica, & ordinari in bonum publicum; has vero ferri potestate dominativa, & referri in bonum privatum: lex enim sæpenumero accipitur improprie, & prout confunditur cum præcepto, ut 1. *Cor. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*: & *Proverb.* 1. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimitteas legem matris tuæ.*

Objicies secundo. Secundum Canones alia lex est *publica*, alia *privata*: illa imponitur Communitati, ista personis privatis; ergo lex non necessario fertur pro Communitate, sed vel pro Communitate, & erit publica, vel pro personis privatis, & erit privata.

Respondetur breviter, Canones per legem privatam intelligere votum ex speciali inspiratione Spiritus S. nuncupatum, quatenus hoc ad rei promissæ impletionem obligat instar legis; aut ipsammet inspirationem, quæ dicitur lex improprie, & metaphorice, eo quod quasi scribatur in corde, impellatque, & obliget ad modum legis. Unde neg. cons.

Objicies tertio. Non sola Communitas, sed & singuli homines indigent legibus, seu regulis operationum moralium; ergo leges etiam pro singulis hominibus ferendæ sunt: & consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Etiam singuli homines, prout

prout sunt membra Communitatis, ejusdemque bonum promovere debent, indigent legibus, con. prout sunt personæ privatæ, & assequendo bono privato intentæ, neg. ant. Ergo leges etiam ferendæ sunt pro singulis hominibus, priore modo consideratis, con. posteriore modo consideratis, neg. conf. Sic enim sufficienter diriguntur per præcepta.

Pro responsionis planiori intelligentia advertendum est, quod conclusio nostra non velit, leges debere ferri pro Communitate abstracte accepta, & prout supponit simpliciter, sed prout supponit absolute, id est, tam pro se, quam pro membris sui constitutivis qua talibus, ita, ut lex secundum præscriptum, & designationem immediate respiciat Communitatem; secundum executionem vero singula Communitatis membra qua talia, utpote ad quæ spectat legem executioni mandare; cum id Communitas abstracte sumpta per seipsam præstare non valeat. Ita P. Frassen *disp.*1. *q.*2. *n.*6. & ego verbatim in Thesibus *pag.*21. *&* 22.

Objicies quarto. Leges de tuenda propria vita, de danda eleemosyna, de pendendis tributis, & aliæ hujusmodi plures respiciunt bonum privatum; ergo non omnis lex necessario respicit bonum commune.

Respondetur ex Thesibus *pag.*23. dist. ant. Respiciunt bonum privatum, seu finem secundarium, & inultimatum, con. seu finem primarium, & ultimatum, neg. ant. Itaque lex naturalis de tuenda propria vita respicit quidem bonum privatum personæ particularis, seu finem secundarium, & inultimatum, pro fine tamen primario, & ultimato habet bonum Communitatis: cum enim quilibet homo sit pars naturæ humanæ, & pars per se ordinetur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum, fit, ut bonum cujuslibet hominis in particulari per se ordinetur ad bonum totius naturæ humanæ. Item lex de danda eleemosyna pariter respicit privatum bonum particularis personæ, ut finem inultimatum; ultimate tamen refertur, & ordinatur in bonum commune, ad quod pertinet, ut alantur pauperes, ne grassentur furta, & pestes. Tandem leges exigentes tributa etiam respiciunt privatam Regis commoditatem, seu finem inultimatum; ultimate tamen & ipsæ in bonum commune ordinantur; feruntur enim, ut Respublica in bello defendi, & in pace conversari valeat: quod præstari a Rege non posset, nisi per vectigalia thesaurum congregaret.

205. Colliges primo, legem, ut valeat, debere esse honestam, justam, observatu possibilem, & necessariam, vel saltem utilem. Honesta esse debet, id est, non debet inducere ad aliquid inhonestum, & repugnans rectæ rationi, ac Divinæ legi. Justa esse debet, idest, debet servare æqualitatem proportionis inter subditos, spectatis horum viribus, & facultatibus. Unde si lex taxaret pretium frumenti observandum v. g. ab una parte, & non ab altera, injusta foret, nisi gravis forte causa ejusmodi discrimen postularet. Idem dicendum, si imponeret tributum æquale respectu divitum, & pauperum. Debet esse observatu possibilis, non tantum physice, sed etiam moraliter, ita, ut attentis naturis, ac moribus hominum, consuetudine patriæ, qualitate loci, & temporis, sit subditis accommodata, atque conveniens. Unde observatu moraliter impossibilis esset lex, qua sibi Papa reservaret omnia peccata, aut præcipere jejunium quadragesimale in solo pane, & aqua transigendum. Quando tamen urget gravis necessitas boni communis, tenemur ob ejus conservationem leges etiam difficillimas, adeoque observatu moraliter impossibiles, observare, puta propriam exponere vitam pro pace, & concordia patriæ vel conservanda, vel restauranda. Sed de hac conditione iterum, & explicatius *tr.*3. *seq. disput.*1. *cap.*3. *art.*4. Debet denique esse necessaria, vel saltem utilis: alias absque rationabili causa libertas, hominibus a natura concessa, restringeretur. Atque hæ conditiones ita sunt necessariæ ad valorem legis, ut, si vel unica earum desit, lex nulla obtineat vim obligandi in conscientia.

206. Colliges secundo, legem non obligare actu, nisi sit promulgata. Ratio est: quia lex est regula, & mensura actuum humanorum, quam homines in operando sequi tenentur: sed id præstare nequeunt, nisi illa ipsis innotuerit per promulgationem; cum non detur obligatio ad incognitum, & impossibile; ergo si lex non sit promulgata, non obligat actu; prout mox amplius declarabitur.

Interim advertendum, promulgationem legis non contingere æqualiter in omnibus legibus, sed diversimode juxta singularum naturam. Siquidem lex naturalis promulgatur per quandam impressionum Divini luminis in intellectu hominis, juxta illud *Psalmi* 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Lex Divina aliquando promulgatur sola interna revelatione, ut multis Prophetarum contigit; aliquando per solam externam propositionem factam a Deo sine aliqua solemnitate, ut Lex Evangelica fuit promulgata Apostolis; aliquando externe cum aliqua solemnitate, qualiter Lex Mosaica in monte Sinai, & Evangelica in die Pentecostes promulgatæ sunt. Lex porro humana scripta (secus respective de non scripta; prout videbimus *disp.*3.) semper promulgari debet per signa externa, & solemniter: quod una cum aliis, de eadem solemni promulgatione dicendis, in disputationem secundam, seu locum proprium, consulto rejicimus.

Si petas, an promulgatio sit de essentia legis, aut formalis ratio illius, vel tantum conditio exacta ad hoc, ut lex actu obliget?

Respondetur, quod solum sit conditio, simpliciter, & indispensabiliter necessaria, ut lex vim obligandi actu exerat, & exerceat in subditos. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst.*4. *art.*1. & omnes Scotistæ contra plerosque Thomistas, & Recentiores. Ratio est: quia lex, in pectore Legislatoris recondita nondum tamen promulgata jam obtinet vim directivam, & obligativam subditorum, quæ adæquatam legis essentiam constituit, & ad quam actualis obligatio primum consequitur; ergo promulgatio non est de essentia legis. Conf. patet. Ant. prob. Siquidem vis directiva, & obligativa unice habetur a voluntate Legislatoris, quæ promulgationem legis antecedit; ergo &c.

Confirmatur, vel potius declaratur res tota in exemplo. Sicut in igne duo considerare possumus, nempe, quod sit calefactivus, & actu calefaciat: primum illi convenit essentialiter, & ante actualem applicationem ad objectum, vel potius subjectum; alterum vero extraessentialiter, & nonnisi post applicationem: ita etiam in lege duo consideranda veniunt, nempe, quod sit obligativa, & quod actualiter obliget: primum ei convenit essentialiter, & ante actualem promulgationem subditis factam; secundum vero extraessentialiter tantum, & post promulgationem. Quemadmodum igitur applicatio non est ratio formalis, imo neque conditio, ut ignis sit calefactivus, sed solum conditio, ut actu calefaciat: ita promulgatio non est ratio formalis, neque conditio, ut lex sit obligativa, sed solum conditio, ut actualiter obliget.

Dixi in respons. promulgationem esse conditionem *simpliciter, & indispensabiliter necessariam &c.* Ratio est: quia promulgatio requiritur per modum propositionis objecti voluntatis, quæ, cum sit appetitus rationalis, id est, sequens ductum rationis, & cognitionem intellectus, ne quidem per absolutam Dei potentiam ferri in incognitum potest; & consequenter &c. Secus est de approximatione agentis ad passum, quippe quæ est conditio non simpliciter, & indispensabiliter necessaria, sed a Deo supplebilis; esto ceteroqui inter utranque sit paritas, in quantum scilicet ea facit ad confirmationem responsionis nostræ.

Dices contra respons. primo. Gratianus *can.*3.*dist.*4. inquit, leges institui, quando promulgantur.

Respondetur, Gratianum aliud non velle, quam leges non obligare actu, nisi sint promulgatæ.

Dices secundo. Lex essentialiter constituitur per actum secundum, ad quem utique intrinsece pertinet promulgatio: sicut enim universaliter actus liberi, & vitales essentialiter important actum secundum, ita & lex, cujus essentia in actu vitali, scilicet imperio, sita est; ut dictum *art. præced.*

Respondetur ex Thesibus *pag.*31. negando, legem essentialiter includere actum secundum. Et ad rationem probativam oppositi ajo, imperium quidem, adeoque & legem, esse actum secundum relate ad potentiam, a qua procedit, & cujus est exercitium; non vero relate ad obligationem, quam fundat; sic enim

habet

habet rationem actus primi, & nihil aliud importat, quam vim obligativam, seu radicem, ex qua deinde primum actualis obligatio, mediante promulgatione, resultat. Sicut ergo non est de ratione mensuræ actualiter mensurare; nec de ratione termini actualiter terminare: ita nec est de ratione legis actualiter obligare; & consequenter nec promulgatio illius essentiam ingreditur, utpote quæ solum requitur, ut lex actualiter obliget.

207. Colliges tertio, legem differre a præcepto quadrupliciter. Nam 1. lex ferri nequit nisi a Superiore jurisdictionem sublimem habente; præceptum vero imponi potest a quocunque Superiore. 2. Lex præscribitur Communitati, ejusque bonum necessario respicit; præceptum vero præscribi potest personis singularibus, & in privatum earundem bonum ordinari. 3. Lex immediate afficit locum, seu territorium Legislatoris; præceptum contra adhæret personis ipsis. 4. Lex ex se est stabilis, & perpetua, neque expirat per mortem Legislatoris; præceptum autem communiter extinguitur per mortem præcipientis. *Communiter*, inquam: non enim extinguitur 1. si concernat causas pias; ut si quis præceperit eleemosynam dari. 2. Si cedat in favorem dotis matrimonialis, aut alicujus Scholastici. 3. Si injunxerit aliquid post mortem injungentis executioni mandandum. 4. Si res non amplius sit integra, id est, si executio præcepti jam sit inchoata: quod habet locum in judiciis, & extenditur ad donationes, & promulgationes nomine alterius faciendas. 5. Quando res quidem adhuc est integra, executio tamen certæ cujusdam gratiæ in alicujus favorem mandatario imposita est, & non relicta ipsius arbitrio. Ita P. La-Croix *num.*566.

ARTICULUS III.

Legis Divisio.

SUMMARIUM.

208. *Afferuntur variæ divisiones legis.* 209. & 210. *Lex Dei æterna, uti & permissiva, merito non numerantur inter membra dividentia legis.* 211. & 212. *Ostenditur multiplex differentia Juris Gentium a Lege tam naturali, quam civili.*

208. Dico. Lex varie dividitur. Nam in primis generaliter, & immediate dividitur in *Divinam*, & *Humanam*. Prior est, quæ a Dei authoritate immediate vim habet; posterior, quæ fertur authoritate hominis.

Lex divina subdividitur in *Naturalem*, & *Positivam*. Illa est, quæ a Deo fertur necessario, & imprimitur intellectui hominis; ista vero, quæ a Deo fertur libere, & aliquo ex modis supra *n.*206. recensitis promulgatur. Ast licet hæc divisio reipsa propria, & omnino vera sit, ordinarie tamen lex naturalis non solet appellari divina, sed nomine legis divinæ venit sola positiva, & a Deo libere condita: id quod etiam nos posthac observabimus.

Lex divina, modo immediate dicto accepta duplex est, *Vetus* scilicet, & *Nova*. Vetus est, quam Deus dedit Moysi per ministerium Angelorum in monte Sinai, & per Moysen populo Israelitico: qua de causa etiam a Moyse, seu sui Promulgatore, denominata est Moysaica. Nova, seu Evangelica est, quam tulit Christus novi Testamenti Author, & partim per seipsum, partim per Apostolos promulgavit.

Lex humana subdividitur in *Ecclesiasticam*, *Civilem*, & *Jus Gentium*. Lex Ecclesiastica, sive Canonica est, quæ fertur a Legislatore Ecclesiastico, puta a Pontifice, Concilio &c. in bonum spirituale subditorum. Lex civilis est, quæ fertur a Legislatore seculari, v.g. ab Imperatore, Rege &c. in bonum temporale subditorum. Jus Gentium *proprie dictum*, seu *preceptivum* (adeoque quatenus constituit membrum dividens legis humanæ, a Jure civili distinctum) est Jus ab hominibus pro commodo humani commercii inventum, & cum mutua obligatione observandum. Exempla hujus sunt 1. *Jus legationum*, vi cujus admittuntur Legati, & dimittuntur incolumes. 2. *Jus belli* (prius tamen debite denunciandi) ad vindicandam injuriam, vel damnum ab alio populo illatum. 3. *Fœdera pacis*, & *induciarum*, dum rationabiliter petuntur. 4. *Jus commercii questuosi*, apud exteras, & non hostiles rationes exercendi. 5. *Jus sepulturæ*, vi cujus cadavera terræ mandari debent.

Dixi: Jus Gentium *proprie dictum*, seu *preceptivum*. Nam Jus Gentium *improprie dictum*, seu *permissivum*, est Jus receptum inter Gentes (omnes, vel saltem complures) citra obligationem mutuam: cujusmodi sunt 1. *usus panis pro cibo.* 2. *constructio ædium.* 3. *munitio civitatum.* 4. *rerum divisio, seu dominiorum distinctio.* 5. *contractus* non pauci; ut emptio, venditio, locatio, conductio &c. ac plerique modi acquirendi. Ideo autem Jus Gentium, posteriore hoc modo acceptum, non est proprie tale; quia cum pro fine non habeat communem plurium nationum felicitatem, mutuam inter illas obligationem non inducit. Potius ergo est Jus civile; quia obligationem solum parit inter membra particularium Communitatum. P. Pichler *in Proleg. ad Jus Can. n.*18.

Dividitur præterea Lex in *affirmativam*, quæ directe (nimirum ex fine, quem immediate respicit) præcipit positionem actus, & *negativam*, quæ directe intendit alicujus actus omissionem. Prior obligat quidem *semper*, non tamen *pro semper*; posterior vero obligat *semper*, & *pro semper*. Ita semper quidem datur lex cum sua virtute obligandi, qua Deum super omnia diligere jubemur, non tamen semper actum amoris elicere obligamur, cum assiduo certi actus exercitio occupari haud valeamus: e diverso a blasphemiis, furtis, injuriis abstinere semper, & pro semper tenemur; neque enim ita operosæ, aut moraliter impossibiles sunt ejusmodi perpetuæ omissiones.

Ubi advertendum, harum legum distinctionem in praxi male colligi ex vocabulis, quibus proferuntur; recte vero ex fine, seu objecto, in quod Legislator directe fertur. Unde licet lex affirmativa etiam prohibeat, quidquid est impossibile cum actu, quem intendit, consequenter ejus omissionem petat; id tamen solum exigit indirecte, quatenus directe quærit positionem actus. Quamvis ergo in rigore quælibet lex vere, & proprie aliquid imperet, nimirum vel positionem, vel omissionem actus, hoc ipsum tamen imperium ex fine directe quæsito aliud est affirmativum, si directe intendat alicujus actus humani exercitium; aliud negativum, si ejus omissionem. Quapropter Lex ista, seu præceptum, *die festo non omittes sacrum*, licet efferatur verbis, seu propositione negativa, est affirmativum; quia finis ejus, directe intentus, est positio alicujus actus, qualis est auditio sacri: & hoc, *abstinebis a mendacio, blasphemia &c.* est negativum, esto efferatur propositione affirmativa; quia finis ejus, directe quæsitus, est omissio mendacii, blasphemiæ &c. Ita per omnia meæ Theses *pag.*35. & 36.

Dividitur denique lex in *favorabilem*, & *odiosam*. Favorabilis est, quæ principaliter fertur in alicujus favorem (intellige distinctum a bono Communitatis; istud enim quælibet lex respicere debet) licet in alterius quoque odium redundet. Odiosa est, quæ principaliter fertur in alicujus odium, vel onus (intellige distinctum ab obligatione servandi legem; alioquin omnis lex odiosa dici deberet) quamvis etiam cedat in alterius favorem. De quibus est *Reg.*15. *in* 6. quod *leges favorabiles amplam; odiosæ vero strictam patiantur interpretationem.*

Residuas legis divisiones insinuabimus per decursum. Hic autem

209. Colliges ex dictis primo, legem Dei æternam merito non numerari inter membra dividentia legis. Ratio est, quia proprie accepta, & ut obtinet veram rationem legis, a lege naturali, vel divina non distinguitur; cum sic accepta & ipsa sit actus divinæ voluntatis, quo præcipiuntur bona, & mala prohibentur, sive necessario, sive libere: quo in sensu præcipuus illius Assertor est S. Augustinus *lib.*22. *contra Faustum c.*27. dum peccatum definit, quod sit *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*. Nuncupatur autem *æterna* distincto vocabulo, quatenus spectatur, ut ab æterno concepta est, & non ut jam impressa hominis intellectui, quemadmodum lex naturalis; neque ut manifestata per revelationem, aut externam promulgationem, quemadmodum lex divina: quod summe im

me im

me importat illius ab istis distinctionem rationis, vel connotativam, non vero realem terminativam, quali tamen distinctione distinguuntur lex naturalis, & divina; quæ proinde vera divisionis membra constituunt; secus lex æterna.

Quod si lex æterna sumatur pro ipsa Dei Sapientia, & Providentia, prout scilicet dirigit actus, & motiones creaturarum quarumcunque in suos fines, quo sensu dicitur Deus *legem posuisse aquis, ne transirent fines suos*, *Proverb.8.* in censum legum proprie dictarum venire nequit; cum in ea acceptione etiam extendatur ad creaturas inanimatas, quibus tamen lex proprie dicta imponi non potest, sicut nec brutis ob defectum libertatis in operando: unde eam & hoc posteriore modo acceptam, in legum, de quibus hic, divisione merito præterivimus. Ita meæ Theses *pag.87.& 88.*

210. Colliges secundo, etiam legem *permissivam* merito non numerari inter membra dividentia legis. Ratio est: quia lex permissiva, *ut permissiva*, proprie legis nomen, rationem, & effectum non sortitur; quatenus enim aliquid permittit, certe non obligat: quod tamen ad rationem legis proprie dictæ requiritur. Et licet nanciscatur vim legis, quatenus obligat tum subditos, ne quempiam, actum lege permissum exercere volentem, impediant; tum Judices, ne in similem dictatione pœnæ animadvertant, tamen hac ratione, & consideratione reducitur, & pertinet ad legem *prohibitivam*, seu *negativam*: consequenter &c.

211. Colliges tertio, Jus Gentium a lege naturali differre in sequentibus. 1. Lex naturalis immediate conditur ab ipso Authore naturæ humanæ: Jus vero Gentium descendit ex arbitrio, consuetudine, & mutuo consensu Gentium. 2. Materia legis naturalis sunt actus intrinsece boni, vel mali; non item Juris Gentium. 3. Lex naturalis suam obligationem propagat in omnes Gentes; Jus Gentium vero in illas tantum, apud quas vel expressa voluntate receptum est, vel usu, & consuetudine invaluit. 4. Lex naturalis promulgatur per impressionem divini luminis in intellectu hominis; Jus Gentium vero per usum, & praxim, saltem ordinario. 5. Lex naturalis proprie, & directe mutari non potest; ut videbimus *disp.3.* potest vero Jus Gentium, dummodo Gentes, quas obligabat, unanimiter ad ejusmodi mutationem concurrant. Videatur P. Pichler *in Proleg. n.20.*

Ubi adverte, Superiorem, cujus authoritate Jus Gentium, vim obligativam obtinuit, esse ipsummet Deum, non quidem tanquam Authorem naturæ (sic enim respicitur a Jure naturali) neque ut Authorem supernaturalem (sic quippe condidit Jus divinum) sed ut Authorem humanæ Societatis, seu supremum Politiarum, & Rerumpublicarum Principem.

Nemo obstat, quod diximus, Jus Gentium descendere ex arbitrio, consuetudine, & mutuo consensu Gentium. Per illud quippe tantum insinuare intendimus, quod Gentes per frequentatos actus introduxerint consuetudinem; cui deinde Deus sua authoritate primum indidit spiritum, ac vim obligativam legis. Ex quo tamen inferre non licet, Jus Gentium esse Jus divinum, & non humanum: quia, ut Jus aliquod nuncupetur, & sit divinum, debet a Deo immediate, & sine prærequisito hominum consensu fuisse sancitum; quod affirmari non potest de Jure Gentium; cum hoc non a Deo immediate, sed mediante Gentium per diuturnos mores declarato consensu approbatum, & conditum sit. Ex quo patet, quod Jus Gentium sit species Juris non scripti, seu consuetudinarii, de quo *in disp.3.* Ita meæ Theses *pag.76. & 77.*

212. Colliges quarto, Jus Gentium etiam differre a lege civili, idque tripliciter. 1. Quia Jus Gentium ex suo fine primario ordinatur ad pacem, & utilitatem Gentium qua talium; adeoque in bonum plurium Communitatum, & Populorum: Lex vero civilis, cujusdam Gentis, seu Reipublicæ particularis utilitatem spectat. 2. Jus Gentium plerumque moribus tantum, & usu introducitur; lex autem civilis explicite verbis, aut scripto fertur. 3. Jus Gentium est vicinius Juri naturali, quam lex civilis; adeoque minus mutationi obnoxium, quam ista: quia illud proximius fundatur in convenientia naturali. Ita P. Pichler *in Proleg. n.22.*

CAPUT II.

De Lege Naturali.

Opportune *in c. præced. art.1. conclus.2.* explanata est ratio formalis, & quidditativa legis, juxtaque insinuata illius differentia a Lege divina. Hic porro nonnulla alia, quæ circa illam restant decidenda, proponere, atque decidere oportet.

ARTICULUS I.

Quænam præcepta pertineant ad Legem Naturalem?

SUMMARIUM.

213. *Exstant principia morum universalissima, secundum omnes ad legem naturalem pertinentia. Unde quæstio hic solum est de aliis præceptis, quæ ex præfatis principiis sive immediate, sive mediate deducuntur.* 214. *Omnia præcepta Decalogi (excepto tertio de sanctificatione Sabbati quoad determinationem temporis) spectant ad legem naturalem; sicut & alia præcepta, quæ ex illis, vel primis morum principiis, necessario, licet mediate tantum, inferuntur.* 215. *Lex naturalis partim est una, partim multiplex.*

213. PRænotandum, extare quædam universalissima morum principia; ut *bonum est faciendum: malum fugiendum* Item: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* Atque hujusmodi principia, & præcepta pertinere ad legem naturalem, fatentur omnes. Unde difficultas solum est de aliis præceptis, quæ ex præfatis principiis deducuntur: suntque in duplici differentia. Quædam enim ex illis immediate, & citra operosam investigationem facillimo discursu colliguntur: cujusmodi sunt ea, quæ exprimuntur in Decalogo. Alia ita se habent, ut ex primis principiis, vel Decalogi præceptis, non nisi mediate, & remote, per diligens studium, atque difficilem discursum inferantur: talia sunt: *simplex fornicatio est fugienda: injuria tibi illata non est propria authoritate vindicanda &c.* Quo ex Thesibus *pag.65.* præmisso.

214. Dico. Omnia præcepta Decalogi (excepto tertio de sanctificatione Sabbati quoad determinationem temporis) pertinent ad legem naturalem; sicut & alia præcepta, quæ ex illis, vel primis morum principiis necessario, licet mediate tantum, inferuntur. Ita Scotus *in 3. dist.37. n.5.* & alii communiter.

Probatur. Id omne pertinet ad legem naturalem, quod ab intrinseco habet necessariam convenientiam, vel disconvenientiam cum natura rationali qua tali: sed utriusque generis præcepta, ratione materiæ, quam præcipiunt, vel prohibent, habent hujusmodi necessariam convenientiam, vel disconvenientiam: cum eam non habeant dependenter ab opinione hominum, aut ab aliqua positiva institutione; ergo &c.

Dixi per parenthesin: *excepto tertio de sanctificatione Sabbati quoad determinationem temporis*. Quia licet & hoc præceptum quoad substantiam, & quatenus præcipit cultum Deo exhibendum propter supremam ejusdem excellentiam, collataque in nos beneficia, de Jure naturæ sit; quoad determinationem tamen temporis solum obligaverat olim ex Jure Divino; & nunc, postquam Ecclesia obligationem de sanctificatione Sabbati mutavit, & transtulit in obligationem sanctificandi Dominicam, ex Jure Ecclesiastico. Ita verbatim meæ Theses *pag.67.*

215. Colliges ex dictis cum hic, tum in *c. præced. art.1.* legem naturalem partim esse unam, partim multiplicem. Una est tum unitate actus, quatenus importat unum simplicissimum actum Divinæ voluntatis: tum unitate principii universalissimi, ad quod cetera præcepta reducuntur, quale principium est: *bonum est amandum, & malum fugiendum*: tum unitate finis, qui est bonum naturæ rationalis. Multiplex est pluralitate præceptorum particularium ad diversas virtutes spectantium: alia enim est lex naturalis Justitiæ, alia Castitatis &c. Ita denuo meæ Theses *pag.69. & seq.*

ARTICULUS II.

An Lex naturalis obliget in conscientia, & quos?

SUMMARIUM.

216. *Lex naturalis obligat in conscientia.* 217. *Porrigit se ad omnes homines, non autem ad bruta.* 218. *Deus non est proprie subjectus legi naturali.*

216. DIco primo. Lex naturalis ad observanda sua præcepta obligat in conscientia. Communis.

Probatur tum ex Apost. *ad Rom.* 2. ubi ait: *Quicunque sine lege* (scilicet scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt*; ergo dantur peccata contra legem naturalem: & consequenter hæc obligat in conscientia. Tum ex ratione: quia lex naturalis est imperium Dei, ut Authoris naturæ, cui tanquam legitimo Superiori parendum est: sed omne Dei imperium obligat in conscientia; ergo &c.

217. Dico secundo. Lex naturalis obligat (1.) omnes homines; non autem (2.) bruta. Est itidem communis.

Probatur prima pars. Illos omnes lex naturalis obligat, ad quos dirigitur: sed dirigitur ad omnes homines; ergo obligat omnes homines. Min. patet ex eo, quod omnium hominum cordibus inscribatur juxta illud *ad Rom.* 2. 14. *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, & ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis:* consequenter &c.

Neque obstant illa Apostoli verba 1. *ad Timoth.* 1. & *ad Galat.* 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Nam aliud non denotant, quam Justos non esse sub lege formidine pœnæ, & veluti invitos: quia justi, & spirituales Viri per charitatem, quam Spiritus S. eorum cordibus infundit, voluntarie id, quod legis est, implent.

Probatur etiam secunda pars. Lex naturalis obligat sub peccato, sive in conscientia, ut primum diximus: atqui bruta tali obligatione affici nequeunt, utpotéquæ non possunt cognoscere, ac amare bonum, & aversari malum; ergo &c.

218. Quæres, an Deus legi naturali subjectus dici possit?

Respondetur negative. Ratio est: quia etiam lex naturalis non potest stringere nisi subditum: sed implicat Deum esse subditum: cum nec intra, nec extra se habeat Superiorem se; ergo &c.

ARTICULUS III.

An Lex naturalis possit invincibiliter ignorari?

SUMMARIUM.

219. *Ignorantia dividitur in* invincibilem, *&* vincibilem: *posterior subdividitur in* affectatam, & simplicem. 220. *Lex positiva, tam Divina, quam humana invincibiliter ignorari potest.* 221. *Præcepta legis naturalis sunt in triplici differentia: alia quippe sunt prima, & universalissima morum principia: alia conclusiones ex illis principiis facile, & alia, difficulter deducibiles.* 222. *Prima legis naturalis principia ab adulto rationis compote non possunt invincibiliter ignorari.* 223. *Præcepta naturalia secundi generis, qualia sunt, quæ exprimuntur in Decalogo, absolute considerata, nequeunt longo tempore ignorari.* 224. *Possunt tamen ita ignorari, si spectentur ut affecta certis quibusdam circumstantiis.* 225. *Præcepta naturalia tertii generis sæpe invincibiliter ignorantur.* 226. *& seq. Proponuntur, & resolvuntur objectiones.*

219. PRænotandum primo, ignorantiam re, & nomine nihil aliud esse, quam carentiam notitiæ alicujus rei. Dividitur in *invincilem*, & *vincibilem*. Prior est, quæ adhibita morali diligentia ad inquirendam veritatem superari, ac tolli non potest: posterior, quæ morali diligentiâ superari, ac tolli potest; prout advertimus *n.* 38. Hæc alia dicitur *affectata*, quæ directe est voluntaria, & quæsita: ut si e templo emaneas, ne audias promulgari jejunium: alia *simplex*, quam quis directe non quærit, sed solum negligit sufficientem adhibere diligentiam, ut veritatem comperiat; & ideo indirecte tantum est voluntaria: diciturque *supina*, vel *crassa*, quando negligentia est magna.

220. Prænotandum secundo, & supponendum tanquam certum, legem (1.) Divinam, & (2.) humanam posse invincibiliter ignorari. Ratio primæ partis est: quia juxta communem dantur infideles *negativi*, id est, tales, quibus infidelitas non imputatur ad culpam: sed isti laborant ignorantia invincibili legis Divinæ; quippe qui inter infideles nati, ac educati ob defectum prædicationis nihil unquam audierunt de Lege Evangelica, nec aliquid de fidei nostræ mysteriis percipere potuerunt; ergo &c. Ratio secundæ partis desumitur ab experientia, qua constat; legem humanam a multis invincibiliter ignorari saltem quoad aliqua præcepta, utpote de quibus nihil unquam audierunt, neque illis incidit obligatio in ea inquirendi. Restat ergo solum quæstio de præceptis legis naturalis: pro cujus decisione,

221. Prænotandum tertio, & recolendum ex dictis *art.* 1. hujus capitis, præcepta legis naturalis esse in triplici differentia. Alia quippe sunt prima, & universalissima morum principia: alia, conclusiones ex illis principiis facile: & alia, difficulter deducibiles; prout loc. cit. expositum, & exemplificatum est.

222. Dico jam primo. Prima legis naturalis principia ab adulto rationis compote non possunt invincibiliter ignorari. Ita DD. communiter.

Probatur. Quia prima principia morum non minus per se, & ex sola terminorum apprehensione sunt evidentia, quam prima principia metaphysica: sed hæc a nemine rationis compote ignorari possunt; ergo nec illa. Unde passim SS. PP. dicunt, legem naturalem scriptam esse in cordibus hominum, nec a quoquam ignorari posse: quod maxime procedit de lege naturali, ut complectente prima principia morum.

223. Dico secundo. Præcepta naturalia secundi generis, qualia sunt, quæ exprimuntur in Decalogo, absolute considerata, nequeunt longo tempore invincibiliter ignorari. Ita denuo communis DD.

Probatur. Nam licet hujusmodi præcepta non sint prima, & immediata legis naturalis principia, sunt tamen conclusiones ex illis tam immediate, tamque evidenter inferibiles, ut vel levissima diligentia, quam quilibet adhibere tenetur, ad earum illationem sufficiat; ergo a nemine rationis compote invincibiliter ignorari possunt saltem ad longum tempus. Con. patet ant. declaratur. Siquidem ex his præmissis lumine naturæ notis: *Summum bonum est amandum: sed Deus est summum bonum*, evidenter, & quasi sponte natura sequuntur hæ conclusiones; ergo *Deus est amandus*; ergo *nulla blasphemia offendendus*; ergo *certo tempore colendus*: quæ sunt præcepta primæ tabulæ. Pariter ex istis præmissis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: atqui non vis, ut quis te occidat, tibi furetur &c.* per evidentem illationem concluditur; ergo *nec tu debes alterum occidere, ei furari &c.* quæ sunt præcepta secundæ tabulæ. Consequenter &c.

224. Dixi in conclus. *absolute considerata &c.* Si enim ejusmodi præcepta spectentur ut affecta certis quibusdam circumstantiis, utique possunt invincibiliter ignorari etiam ad longum tempus. Patet id in præceptis non mentiendi, non furandi, non occidendi &c. Nam licet clarum sit, mentiri esse illicitum; non tamen ita clarum est, id esse illicitum in necessitate ad propriam, bonive amici vitam conservandam: item quamvis clarum sit, furtum repugnare Justitiæ, & rectæ rationi non tamen ita liquidum est, esse vetitum furari malis divitibus ad largiendam eleemosynam bonis pauperibus: denique tametsi sit clarum, esse rem pessimam, occidere seipsum, vel alterum innocentem; non tamen est omnibus evidens, sibi, vel alteri ad evitanda gravissima tormenta mortem consciscere, esse facinus culpabile. Et sic de aliis. Consequenter &c.

225. Dico tertio. Præcepta naturalia tertii generis sæpe invincibiliter ignorantur. Est etiam hæc communis DD. sententia.

Probatur, qui non studuit, nec instructus est, ille invincibiliter aliquas conclusiones legis naturalis ignorat, vel saltem ignorare prudenter censeri, atque præsumi potest: sed dantur multi, qui nec studuerunt, nec instructi sunt; ergo &c. Min. patet. Maj. prob. Quia multæ

conclusiones spectantes ad Jus naturale debent ex primis principiis practicis deduci per studium, & (ut loquitur Sanctus Bonaventura *in 2. distinct.* 39. *artic.* 1. *quæst.* 2.) *per instructionem superadditam*; ergo qui nec studuit, nec instructus est, illas invincibiliter ignoret, necesse est.

Confirmatur. Qui non studuit, nec instructus est; imo est qui studuerunt, atque instructi sunt, sæpenumero errant in faciendis illationibus ex primis principiis metaphysicis: quia nempe non omnes conclusiones speculativæ sunt æqualiter vicinæ suis principiis, ut ex his statim suapte natura sequantur, vel per facilem discursum inferantur; ergo tales etiam errare possunt in faciendis illationibus ex primis principiis practicis; idque eo magis, quo intellectus in hoc statu naturæ lapsæ ad cognitionem veritatum moralium, quam speculativarum est invalidior.

226. Objicies primo. *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*; ut habet axioma Theologicum; ergo solicite, & sincere, prout oportet, inquirenti veritatem quamcunque circa Jus naturale, ejusdemque manifestationem a Deo petenti, is infallibiliter eam manifestabit; ergo si non manifestet, signum est, quod quis non satis ardenter, &, ut tenebatur, petierit: consequenter talis ignorantia non erit invincibilis.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Illudque est verum in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, con. etiam in aliis, quæ non sunt necessaria ad salutem, neg. ant. Jam autem non omnis notitia cujuslibet veritatis, ad Jus naturale pertinentis, est necessaria ad salutem: consequenter immerito asseritur, facienti, quod in se est, ad inveniendam quamcunque veritatem in iis, quæ circa Jus naturæ sunt inter DD. controversa, Deum illam revelaturum, ne erret in operando; alias etiam Deus facienti, quod in se est, in ordine ad inveniendam quamcunque veritatem in pertinentibus ad Jus positivum eandem manifestare teneretur: quod nemo dixerit.

Instabis. Omnis ignorantia Juris naturalis vinci potest, saltem per lumen gratiæ, quam Deus non denegat; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Per lumen gratiæ ordinariæ, neg. extraordinariæ, con. ant. & neg. conf. Deus nemini denegat gratiam ordinariam; per quam tamen non omnis ignorantia vinci potest: & licet vinci possit per gratiam extraordinariam, Deus tamen illam dare nemini tenetur. Unde nec ignorantia Juris naturæ idcirco desinit esse invincibilis; alias nec Jus positivum invincibiliter ignorari posset: quia etiam hujus ignorantia per auxilium gratiæ extraordinariæ posset superari.

227. Objicies secundo. Quilibet homo tenetur observare omnia omnino præcepta naturalia ad se pertinentia; ergo omnium eorum potest, & tenetur habere notitiam; ergo si aliquod eorum ignoret, vincibiliter ignorat.

Respondetur primo, argumentum etiam militare contra ignorantiam Juris positivi; ut consideranti patet.

Respondetur secundo, dist. ant. Supposita eorum cognitione, con. secus, neg. ant. Talem autem cognitionem Deus non semper dat, nec dare tenetur; & consequenter nec homo eam semper potest, aut tenetur habere; adeoque nec semper, quando aliquam veritatem ad Jus naturale pertinentem ignorat, eam vincibiliter ignorare convincitur.

228. Objicies tertio. Qui agit contra præceptum particulare legis naturæ, etiam agit contra universale, in quo particulare continetur; ergo sicut non potest invincibiliter ignorare universale, ita nec particulare.

Respondetur primo, retorque rursus argumentum in lege positiva; nam etiam qui agit contra qualecunque præceptum particulare humanum v. g. agit quoque contra hoc universale: *parendum est precepto legitimi Superioris*; & tamen potest dari ignorantia invincibilis peculiaris præcepti humani, esto sciatur præceptum universale.

Respondetur secundo, neg. conf. Quia licet aliquis sciat præceptum universale, potest tamen hallucinari in illius applicatione ad aliquod operabile particulare. Patet id in milite v. g. quem commilito ob accepta in prœlio gravissima, & lethalia vulnera cum morte luctans, per omnia chara rogat, ut ipsum interficiat. Siquidem ille, esto probe noverit hoc principium: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; tamen in casu posito facile contingere poterit, ut illud erronee, adhuc tamen inculpabiliter, applicet, sic discurrendo: *si ego in eo statu versarer, in quo meus commilito, mallem mihi accelerari mortem, quam diutius conflictari cum tantis doloribus, & serius mori; ergo etiam si ego ei accelero mortem, benefacio: quia commilitoni facio id, quod mihimetipsi fieri vellem &c.*

Atque ita hanc quæstionem quasi verbatim deduxi in meis Thesibus *pag.* 291. *& seqq.*

CAPUT III.

De Lege Divina.

ARTICULUS I.

De Lege Divina veteris Testamenti.

§. I.

Quotuplicia fuerint præcepta in Lege veteri?

SUMMARIUM.

229. *Lex vetus, prout contenta in libris Moysis, ab Exod. usque ad Deuteronomium inclusive, ipsius Dei authoritate immediate lata est, & Moysi tradita per Angelos in monte Sinai, ab eoque ibidem promulgata.* 230. *Solvitur instantia in contrarium adducta.* 231. *In lege veteri triplicia fuere præcepta, videlicet* moralia, ceremonialia, & judicialia. 232. *Omnia præcepta moralia veteris Testamenti contenta erant in Decalogo saltem implicite, & virtualiter.* 233. *Resolvitur quæstio, quomodo præcepta moralia pertineant ad legem veteris Testamenti.*

229. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, legem veterem, prout contentam in libris Moysis, ab Exodo usque ad Deuteronomium inclusive, non hominum, sed Dei ipsius authoritate immediate conditam esse: id quod aperte colligitur ex Scrip. nam Christus Matth. 15. vocat illam *mandatum Dei*, dicens: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Dixi: *prout contenta in libris Moysis*: non enim nego, alias quasdam observationes, & leges fuisse postea humana authoritate additas, v. g. de celebrando quotannis festo Phurim, *Ester* 9. & festo scenopegiæ, 2. *Machab.* 1. ac similibus.

Porro Lex Divina vetus tradita est Moysi per Angelos in monte Sinai, ab eoque ibidem promulgata; ut pariter patet ex Script. siquidem S. Stephanus *act.* 7. de Moyse sic ait: *Hic, qui fuit in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Unde & *Moysaica* dicitur, non quasi a Moyse sit condita; sed quia ab eo promulgata.

230. Unum tamen videtur hisce obstare dictis, quod præfata lex sæpius in S. Scriptura asseratur data in monte Horeb; ut *Deuteron. cap.* 1. 4. *&* 5. item *lib.* 3. *Reg. c.* 8. Verum huic difficultati occurrit D. Hieronymus in locis Hebraicis verbo *Horeb*, dicens, eundem montem duplici nomine fuisse nuncupatum, & nunc Sina, nunc Horeb appellatum. Addunt aliqui, verisimile esse, nomen Sinai fuisse nomen quasi appellativum illius montis a vicino deserto, quod vocabatur solitudo Sinai; nomen autem Horeb, fuisse proprium & præcipuum, magisque excelsam partem illius significasse, a qua mons totus vocatus sit mons *Horeb*, & mons *Dei*. Nunc ad quæstionem *in* §. propositam respondeo, &

231. Dico. Præcepta in lege veteri fuerunt triplicia, videlicet *moralia, ceremonialia*, & *judicialia*. Ita colligitur ex illo *Deuteronom.* 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque judicia.*

Probatur præterea ratione. Quia finis legis veteris erat dirigere populum Judaicum, & convenienter ordinare tum in iis, quæ spectant ad rectitudinem naturalem rationis humanæ; tum etiam in iis, quæ ad

cultum

cultum Divinum, & ad justam politiam pertinent, Ad primum data erant præcepta moralia; ad secundum ceremonialia; ad tertium judicialia; ergo &c. Et per hæc tria simul sumpta homo coovenienter ordinabatur circa seipsum, circa Deum, & circa proximum; ac per ea, si rite observata fuissent, Respoblica Judæorum in felici, & florenti statu permansisset; quemadmodum Deus illis promiserat *Deuteron.* 28.

Quare præcepta moralia sunt præcepta legis naturalis, Decalogo comprehensa. Ceremonialia sunt præcepta, quibus populus Istaeliticus speciali modo dirigebatur ad cultum Divinum per Sacramenta, Sacrificia, victimas, & holocausta; per sacra, seu res, instrumenta, & vasa divino cultui deputata; per observantias particulares, festa, jejunia, abstinentiam a certo genere ciborum &c. Et hujusmodi præcepta a moralibus distingui, patet: quia etsi cultus divinus per legem naturalem, & præcepta moralia præscribatur; modus tamen Deo debitum cultum exhibendi, v. g. per Sacramenta, Sacrificia &c. a præceptis ceremonialibus superadditur: quæ proinde sunt legis oaturalis, & præceptorum moralium determinationes. Sicut ergo determinationes legis naturæ, quæ fiuot per legem humanam, a lege naturæ distinguuntur, & ad Jus positivum pertinent; ita quoque determinatiooes legis naturæ, quæ fiunt per legem Divinam, a præceptis moralibus legis naturæ distant. Judicialia sunt illa præcepta, quibus populus Israeliticus ordinabatur ad bonam, tum œconomicam, tum politicam gubernationem. Differunt pariter a præceptis moralibus: quia & ipsa sunt determinationes legis naturæ, & præceptorum moralium, per legem Divinam factæ.

Horum præceptorum subdivisionem, & copiam videre potes apud P. Frassen *disp.* 3. *art.* 2. *q.* 3. ubi de iis per extensum tractat.

232. Quæres primo, an omnia præcepta moralia veteris Testamenti contenta fuerint in Decalogo?

232. Respondetur, omnia fuisse contenta, saltem implicite, & virtualiter. Sic præceptum de diligendo Deo, & proximo, licet non fuerit in Decalogo formaliter expressum, continetur tamen in illo virtualiter, eo quod omnis lex in Dei, & proximi dilectione, ceu radice, fundetur: veluti patet ex D. Gregorio *hom.* 27. *in Evangel.* ubi ait: *Præcepta Divina sunt quidem multa per diversitatem operis, sunt tamen unum in radice charitatis.* Alia porro præcepta moralia magis particularia, ut quæ spectant ad virtutem Religionis, Temperantiæ, Justitiæ &c. ideo virtualiter continentur in Decalogo; quia includuntur in Decalogi præceptis, tanquam conclusiones in suis principiis.

Quæres secundo, quomodo præcepta ceremonialia pertineant ad legem veteris Testamenti, cum potius videantur præcise pertinere ad lege naturalem?

232. Respondetur, quod ad illam eatenus etiam pertineant, quatenus per ea intentum, & ordinatum fuit, ut populus Judaicus, *cui eloquia Dei sunt credita. Rom.* 3. per eorundem observantiam majori puritate disponeretur ad adventum Christi, ex Judaica progenie nasciturì: sub hac enim consideratione non erant legis naturalis, sed Divinæ, & veteris Testamenti.

§. II.

An Lex vetus obligaverit in conscientia, & quos?

S U M M A R I U M.

234. *Lex vetus obligavit in conscientia.* 235. *Proponitur, & solvitur objectio.* 236. *Eadem lex obligavit in conscientia etiam graviter.* 237. *Per se loquendo illius subjectum erant soli Judæi.* 238. *Fit objectio, & diluitur.*

234. Dico primo. Lex vetus obligavit in conscientia ad servaodum præcepta non solum moralia, & ceremonialia, sed etiam judicialia. Ita DD. communiter.

Probatur. Lex vetus lata est sub terminis præceptivis, & in materia capaci obligationis conscientiam stringentis; idque a Deo, cui maxime competit ejusmodi obligationem inducere; ergo lex vetus censenda est obligasse in conscientia; cum contrarium neque Deus ipse, neque Moyses expresserit: & quidem ad servandum omnia sua præcepta, etiam judicialia, quippe quæ sub eodem verborum tenore imposita sunt, sub quo ceremonialia; veluti patet ex *Deuteron.* 6. eorumque observatio æqualiter, & sub iisdem comminationibus exacta *Deuteron.* 4. & 28. Sed contra

235. Objicies cum Gersone *tr. de vita spirit. lect.* 2. & 7. Præcepta judicialia solum imposita sunt sub comminatione pœnæ temporalis; ergo non obligarunt in conscientia.

Confirmatur. Finis illorum erat politicus; ergo &c.

Respondetur ad argumentum ex Scoto *in* 3. *dist.* 40. *n.* 2. neg. ant. Licet enim comminata sint pœnam temporalem; nihilominus tamen etiam pœnam æternam intentarunt, & consequenter sub incurrendo reatu talis pœnæ in conscientia obligarunt: prout patet in aliis quoque legibus, prohibentibus v. g. adulterium, furtum, sodomiam &c. sub pœna temporali, & æterna simul. Imo ex gravitate pœnæ temporalis, per legem statutæ, colliguntur potius intentatio pœnæ etiam æternæ, & obligatio in coosciemtia; prout notat Herincx *hic n.* 11.

Ad confirmat. dist. ant. Finis inultimatus præceptorum judicialium erat politicus, conc. finis ultimatus, neg. ant. Nam finis ultimatus erat beatitudo supernaturalis, quam Judæi debita illorum observatione promereri, & consequi poterant.

236. Colliges, legem veterem obligasse in conscientia etiam graviter. Ratio est: quia in materia capaci gravis obligationis censetur Legislator obligare graviter: atqui matèria legis veteris erat capax gravis obligationis; cum Deus regulariter de relevi legem positivam ferre non soleat; ergo &c. Quod totum confirmatur ex gravitate pœnarum, pro prædictæ legis transgressoribus taxatarum. Interim sicut in lege naturali supra admisimus parvitatem materiæ a mortali excusantem, ita nec in Lege Divina eam inficiari intendimus.

237. Dico secundo. Lex vetus, per se loquendo, obligavit solos Judæos. Ita Herincx *cit. n.* 15. & alii communiter.

Probatur. Lex non obligat, nisi eos, quibus promulgatur: sed lex vetus fuit promulgata solis Judæis; ergo hos solos obligavit. Maj. est certa. Min. pariter constat ex *Exodi 19. & sequentib.* ubi in memoratæ legis promulgatione sermo dirigitur ad Hebræos tantum: & ex *Deuteronom.* 4. *vers.* 8. ibi: *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, justaque judicia, & universalem legem.*

Confirmatur. Si lex vetus obligasset alios præter Judæos, obligasset Gentiles: sed hos non obligavit; ergo &c. Min. probatur inde, quod Gentiles sine observatione legis veteris salvari potuerint; prout tradit Scotus *in* 2. *dist.* 28. *n.* 8. per hæc verba: *Gentiles non observantes legem Moysaicam potuerunt salvari sola observantia legis naturalis, supposito auxilio divinæ gratiæ*, & multi ex illis actu ita salvati sunt; veluti testatur D. Dionys. *lib.* 9. *de cæl. Hierarch.* ergo lex vetus non obligavit Gentiles: conf. &c.

Dixi in conclus. *per se loquendo*: quia cuilibet Gentilium dabatur optio a pura lege naturæ recedendi, & legem Moysaicam recipiendi, seseque adjungendi populo electo per Circumcisionem, quæ erat janua veteris legis, sicut Baptismus novæ: quemadmodum colligitur ex c. 12. *Exodi*, ubi hæc verba leguntur: *Siquis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ*: adeoqoe tenebitur legibus illius terræ, juxta illud Apostoli ad *Galat.* 5. *Testificor homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Sicut ergo in lege nova liberum est secularibus ad Clericalem, & Clericis ad Regularem Statum ascendere, seque assumpti Status legibus submittere; ita olim Gentilibus licuerat transire ad Judaismum, ejusdemque leges amplecti. Unde & factum est, ut multi Gentilium ad Hebræos confluerent, eorumque legibus se subderent; veluti constat ex *Ester* 4. Sed contra conclusionem

238. Obiicies. Lex vetus continebat præcepta moralia, quæ erant Juris naturalis; ergo saltem quoad illa non obligabat solos Judæos.

Respondetur, dist. conf. Ergo quoad illa, ut præcisa

erant Juris naturalis, non obligabat solos Judæos, con. prout erat Juris positivi veteris, seu per positivam Dei jussionem Judæis appropriata, neg. cons. Præcepta moralia veteris Testamenti, prout erant Juris naturalis, utique etiam obligavere Gentiles, cum & ipsis impressa, & promulgata fuerint: prout vero erant Juris positivi, & divini, solis Judæis erant propria, cum iis solis sint promulgata. Quare Judæi duplici titulo ad servanda præcepta moralia adstringebantur, nempe titulo cum Gentilibus communi, quatenus illa præcepta erant Juris naturalis; & titulo speciali, quatenus erant Juris positivi, ac divini.

§. III.

An, quando, & quomodo Lex vetus obligare desierit?

S U M M A R I U M.

239. *Lex vetus desiit obligare.* 240. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 243. *Lex vetus de facto exspiravit tota.* 244. *Obligare desiit ipso Pentecostes die, quo facta fuit solemnis promulgatio legis novæ.* 245. *Adducitur, & refellitur responsio Adversariorum.* 246. *& seq. Proponuntur, & dissolvuntur objectiones.* 250. *Lex vetus non ita desiit in die Pentecostes, ut quoad omnia sua præcepta statim fuerit mortifera.* 251. *Aliud est, præcepta legis esse mortua, & aliud, esse mortifera.* 252. *& seq. Afferuntur, & enervantur argumenta contraria.* 255. *Præcepta legis veteris tam ceremonialia, quam judicialia, de facto ab Ecclesia restaurari, aut usurpari non possunt formaliter; possunt autem materialiter.* 256. *Quo tempore lex Mosaica cœperit esse mortifera, incertum est.*

239. Dico primo. Lex vetus desiit obligare. Ita definitum est ab Apostolis in Conc. Jerosolomytano.

Probatur præterea ex S. Paulo, qui *Rom.* 6. ait: *Non estis sub lege, sed sub gratia:* quod *c.* 7. declarat exemplo uxoris post mortem mariti liberæ a lege conjugii; ergo &c.

240. Objicies primo. Si lex vetus desiisset obligare, fuisset abrogata per Christum: sed hoc affirmari nequit: cum Christus ipse dixerit: *Non veni solvere legem, sed adimplere;* ergo &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. Et ad textum ejus probativum ajo, quod *ly solvere* ibi non sonet idem, ac abrogare, sed idem, ac non observare. Licet ergo Christus non venerit legem veterem solvere, id est, non observare, venit tamen eam per novæ subrogationem abrogare.

241. Objicies secundo. S. Paulus *Rom.* 3. ait: *Nunquid legem destruimus per fidem? absit; sed legem statuimus:* ubi sermo est de lege Mosaica. Porro SS. PP. quando præceptorum moralium observantiam inculcant, allegant authoritatem veteris Testamenti; ergo lex vetus necdum desiit obligare.

242. Respondetur ad primum cum nostro Lyrano, Apostolum aliud haud velle, quam præcepta moralia, quæ in Decalogo continentur, per Christum esse confirmata, & adhuc obligare, non quidem vi legis Moysaicæ, sed vi legis Evangelicæ. Unde pariter ad alterum ajo, SS. PP. dum allegant authoritatem veteris Testamenti, solum innuere, præcepta moralia etiamnum stringere, prout sunt Juris naturalis, & in novo Testamento per Christum confirmata.

243. Colliges, legem veterem de facto exspirasse totam, seu quoad omnia præcepta etiam moralia, quatenus erant positiva, & veteri Testamento propria. Ratio est: quia lex vetus, qua positiva, fuit promulgata solis Judæis, neque obligavit alios extra Synagogam existentes; ergo neque modo obligat existentes extra illam: sed Christiani existunt extra illam; ergo &c. Nec refert, quod materia præceptorum moralium adhuc obliget: quia non obligat ut materia legis veteris positivæ, sed ut materia legis naturalis, ac insuper positivæ per Christum de novo superadditæ.

144. Dico secundo. Lex vetus obligare desiit ipso die Pentecostes, quo lex nova fuit solemniter promulgata. Scotus *in* 4. *dist.* 3. *q.* 4. *n.* 11. Mastrius, Herincx, & Scotistæ passim contra Thomistas, existimantes, eam exspirasse in ipsa Christi morte; & quosdam alios, volentes, extinctam esse ante mortem Christi in ipsa institutione Baptismi.

Probatur. Lex vetus non prius desiit, quam nova cœperit obligare; cum generatio istius fuerit corruptio illius, juxta illud Apostoli ad *Ephes.* 2. *Legem mandatorum decretis evacuans,* id est, legem Mosaicam decretis Evangelicis excludens, ut exponunt Chrysostomus, Theophilactus, & alii: atqui lex nova non cœpit obligare ante diem Pentecostes; ergo ante illum diem lex vetus obligare non desiit. Maj. conceditur ab Aversariis, tum ob authoritatem proxime allegatam; tum etiam quia alias extitisset status medius absque ulla lege positiva actualiter obligante: quod absurdum esse ipsimet testantur. Min. quam negant, sic prob. Lex ante sui promulgationem non obligat: cum promulgatio vel sit de essentia legis, prout volunt Thomistæ; vel saltem conditio exacta ad hoc, ut actu obliget, prout docent Scotistæ: sed lex nova non fuit promulgata ante diem Pentecostes; cum Apostolis antea publice prædicare permissum non fuerit; ut habetur *Luc.* 24. *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto;* ergo &c.

245. Respondent Thomistæ, duplicem esse legis promulgationem; unam *essentialem*, & legi sufficientem, quæ fit, quando Princeps, ut Persona publica, illam proponit, & intimat suis subditis in curia existentibus; alteram *accidentalem*, & solemnem, quæ ad tollendam subditorum ignorantiam ordinatur, & fit, cum lex a præcone per singulas provincias, aut per omnes præcipuas civitates publicatur. Quamvis ergo lex Evangelica hoc secundo genere promulgationis solum in die Pentecostes promulgata fuerit ab Apostolis ut Christi Præconibus; ipso tamen die Resurrectionis fuit ab ipsomet Christo proposita, & intimata Discipulis per hæc verba: *Euntes docete omnes gentes &c.* Unde statim a die Resurrectionis cœpit habere vim legis ex se obligantis, licet hæc promulgatio non suffecerit ad tollendam ignorantiam illius, nec proinde ad reddendum homines inexcusabiles ab ejus transgressione.

Contra est ex Thesibus meis *pag.* 91. quod hæc responsio probet, Legem Evangelicam jam obligasse ante mortem Christi; cum Christus jam tunc illam intimaverit, & promulgaverit Apostolis primo promulgationis genere: quod tamen Thomistæ negant. Unde licet Christus potuisset per præviam illam promulgationem, a se factam, inducere obligationem legis, id tamen noluit, prout colligitur ex illo *Matth.* 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta:* ubi publicam, & solemnem promulgationem novæ legis demandavit Apostolis; quæ proinde non solum ordinabatur ad tollendam subditorum ignorantiam, sed etiam requirebatur ad constituendam legem in ratione proxime, & actualiter obligantis; quia ab ipsomet Legislatore imperata fuit.

246. Objicies primo cum Thomistis. Christus moriturus dixit: *consummatum est, Joan.* 19. ergo tunc lex vetus amisit vim obligandi.

Respondetur primo, neg. cons. Et ad ant. dico, *cit.* textum non officere conclusioni nostræ, utpote qui aliud non innuit, quam consummata esse, quæ ad implendum opus Redemptionis pertinuerant, & per Prophetas prædicta fuerant; ut colligitur ex illo *Luc.* 18. *Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt de Filio Hominis:* unde non videtur facere ad propositum.

Respondetur secundo, textum, si etiam exaudiatur de consummatione legis veteris, adhuc nihil tradere, & convincere contra nos: potest enim intelligi de consummatione legis veteris in causa, seu quod tunc lex vetus desierit causaliter, & radicaliter, non vero formaliter, & actualiter; prout recte advertunt, & distinguunt S. Bonavent. Scotus, Suarez, & alii. Ratio quoque est: quia, ut supra probatum, lex vetus non prius formaliter, & actualiter fuit abrogata, quam nova cœperit actualiter obligare: atqui hæc non cœpit actualiter obligare in morte, & Resurrectione Christi, sed primum in die Pentecostes, ubi fuit solemniter promulgata; habuit enim se ut testamentum, quod non operatur actu, & immediate post mortem testatoris, sed solum quando aperitur, & promulgatur; ergo &c.

Qua

Qua responsione etiam satisfit aliis textibus: quod in morte Christi *velum templi scissum sit: translatum Sacerdotium &c.*

247. Objicies secundo Præcepta ceremonialia fuerunt umbræ, & signa præfigurativa mortis Christi futuræ; ergo morte adveniente debuerunt cessare; dum enim adest veritas, non potest amplius esse locus umbris, & figuris.

Respondetur, dist. ant. Fuerunt umbræ, & signa &c. secundum id, quod importabant secundario con. secundum id, quod importabant primario, neg. ant. Ergo adveniente morte debuerunt cessare sub priori ratione, trans. sub posteriori ratione, neg. cons. Primario importabant, & præscribebant specialem modum Deum colendi, ut supra dictum, & explicatum est: atque sub hac saltem ratione, & consideratione perduravere usque ad promulgationem Legis Evangelicæ.

248. Objicies tertio cum Authoribus, volentibus, legem veterem exspirasse ante mortem Christi, *Matth.* 11. dicitur: *Omnes Prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt*; ergo lex vetus cessavit, quando Joannes prædicare cœpit.

Respondetur, neg. cons. Sensus enim illorum verborum est, quod lex, & Prophetæ usque ad Joannem prædixerint, Christum esse venturum; ille autem jam venisse ostenderit: vel quod lex, & Prophetæ usque ad Joannem promissiones bonorum temporalium prædicaverint; exinde vero cœperint evangelizari promissiones bonorum spiritualium, & Regni cælestis.

249. Objicies quarto. Baptismum, qui est primum novæ legis Sacramentum, Christus instituit ante suam mortem; ut docet Scotus *in 4. dist. 3. q. 4. n. 2.* ergo præceptum Baptismi cœpit obligare ante mortem Christi; adeoque præceptum Circumcisionis jam tunc obligare desiit. Quod consequenter etiam sentiendum est de aliis præceptis legis antiquæ.

Respondetur. neg. cons. Licet enim Baptismus fuerit a Christo institutus ante mortem, non tamen ibi statim fuit sub præcepto, ut tenet Doctor *cit.* Itaque instituto semel Baptismo Circumcisio non fuit quidem amplius necessaria necessitate medii, cum ad delendum peccatum originale illa non amplius esset unicum medium, sed ad id sufficeret etiam Baptismus; fuit tamen necessaria necessitate præcepti: nam ita erat legi antiquæ inserta, ut signum esset fidelium, qui legem illam profitebantur; adeoque ex præcepto divino necessaria erat, quandiu lex antiqua durabat.

250. Dico tertio. Lex vetus non ita desiit in die Pentecostes, ut illius observatio statim quoad omnia præcepta fuerit mortifera, sed aliquanto tempore licitum erat (non tamen necessarium per se loquendo) præcepta ceremonialia observare. Ita Scotus *in 4. dist. 3. q. 4. n. 13.* cum communi.

251. Antequam conclusio probetur, præsciendum est, quod aliud sit, præcepta veteris legis esse *mortua*, & aliud, esse *mortifera*. Mortua ex eo dicuntur, quod careant efficacia obligandi ad sui observantiam; mortifera vero, quod sine gravi peccato observari non possint; adeoque sui observatoribus mortem animæ afferant. Præcepta legis veteris, qua positiva, statim fuisse mortua in die Pentecostes, ostensum est *conclusion. præced.* at non fuisse omnia statim mortifera, modo assertum, &

Probatur primo. Quia ipsimet Apostoli usurparunt, ceremonialia iis in locis, ubi lex nova jam cœperat, & vetus desierat obligare; veluti patet ex *Actor.* 16. ubi Paulus Timotheum, ex patre Gentili, & matre Judæa natum, circumcidit; & *c.* 18. ubi more Nazaræorum totondit caput in Cenchris, ac *c.* 21. ubi de consilio Apostoli Jacobi, & Seniorum usus est legali purificatione cum Judæis, & purificatus cum illis templum ingressus est, ad sibi conciliandos eorundem animos. Ergo &c.

Probatur secundo ratione congruentiæ. Quia sicut homines mortui solent aliquandiu ante sepulturam servari, ut cum honore sepulturæ inferantur; ita decuit legalia, postquam erant mortua, per aliquod tempus servari, ut mortua Mater Synagoga sepeliretur cum honore; si enim statim rejecta fuisset, præbita fuisset hominibus ansa existimandi, legem veterem fuisse malam; ergo &c.

252. Objicies primo. Ad *Galat.* 5. dicitur: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; ergo lex vetus post solemnem promulgationem novæ statim fuit mortifera: & hac ratione motus S. Paulus noluit Titum circumcidere; ut refertur ad *Galat.* 2.

Respondetur, neg. cons. Et ad textum in ant. adductum ajo cum S. Augustino *lib. de mendacio c. 5.* & *in expositione c. 5. epist. 2. ad Galat.* Apostolum intelligendum esse de Circumcisione cum opinione necessitatis suscepta, quasi scilicet vi legis veteris esset observatu necessaria ad justificationem, & salutem consequendam; quod utique fuisset erroneum, & malum: non vero de Circumcisione suscepta cum opinione liceitatis, & sufficientiæ, ex qua altefactus Apostolus Timotheum circumcidit. Quod vero noluerit circumcidere Titum, inde erat: quia Titus Gentilis erat, cui proinde usus legalium non ita licuit, quemadmodum Judæi: siquidem usus legalium aliquandiu Judæis permittebatur, ut mortuam Matrem suam Synagogam cum honore sepelirent, daturi alioquin occasionem opinandi, legalia, & alia antiquæ legis præcepta fuisse mala, & illicita. Secus erat de Gentilibus, utpote qui de gremio prædictæ Matris non erant &c.

253. Objicies secundo. Si licitum erat post abrogationem legis veteris aliquandiu servare legalia, non potuit rationabiliter Paulus *ad Galat.* 2. reprehendere Petrum, eo quod illa usurparet, se a Gentilibus Antiochenis recens conversis segregando, & vivendo Judaice cum Judæis, qui Jerosolymis a Jacobo advenerant: atqui Paulus jure reprehendit Petrum, utpote qui vere reprehensibilis erat; quemadmodum habetur ad *Galat.* 2. ergo post abrogationem legis veteris non fuit licitum servare legalia.

Respondetur, neg. seq. majoris. Petrus enim rationabiliter fuit reprehensus a Paulo, non quod simpliciter uteretur ceremoniis Judaicis post abrogationem legis veteris (hoc enim fecerat & ipse Paulus, ut supra dictum) sed quod uteretur cum aliqua imprudentia, & scandalo infirmorum (& ob hoc peccavit, sive dein materialiter tantum, sive etiam formaliter, non tamen plus, quam venialiter, adeoque jure a Paulo reprehendi potuit, non quidem authoritative, sed charitative, qualiter etiam superior reprehendi ab inferiore potest) adeo, ut Christiani ex ejus facto inducerentur ad existimandum, observationem legalium esse adhuc necessariam, & ita quodammodo cogerentur judicare; prout significant verba illa Pauli ad Petrum, quæ habentur ad *Galat. c. 2. Si tu Judæus cum sis, gentiliter vivis, & non Judaice, quomodo cogis Gentes judaicare?* ac si diceret: quomodo fieri potest, ut tuæ conversationis exemplo Gentes convertas?

Objicies tertio. Si post abrogationem legis veteris licuisset aliquandiu servare legalia, liceret etiamnum: hoc admitti nequit; ergo nec illud, ex quo sequitur.

254. Respondetur, neg. seq. majoris. Quia (ut testantur Acta Apostolorum) usus legalium aliquandiu permissus fuerat gratia Evangelii necdum sufficienter promulgati: item ut Synagoga cum honore sepeliretur: quæ cum modo facta jam sint, nulla amplius suppetit ratio servandi legalia: & consequenter &c.

255. Ex dictis colligitur, ceremonias legis veteris de facto ab Ecclesia restaurari, aut usurpari non posse, saltem formaliter, id est, ex vi memoratæ legis, & cum intentione per eas, qua significantes mysteria Christi ut futura, colendi Deum. Hoc ipso enim, quod hujusmodi mysteria ut futura repræsentare amplius non possint, cultum falsum, & illicitum continent. Dixi: *formaliter*, & cum memorata præpostera Intentione: hac quippe seclusa, & materialiter solum, puta ob alium finem, verb. grat. recuperandæ sanitatis causa se lavando, illas observare non est prohibitum.

Porro præcepta judicialia, materialiter spectata, pariter reassumi possunt, & a Regibus de novo præcipi: quia ex natura sua non ad cultum, & significationem Christi venturi, sed potius ad servandam in politico regimine æquitatem ordinata erant. Idem dicendum de quibusdam ceremoniis minotioribus, materialiter consideratis; nam & ipsæ ob moralem Ecclesiæ utilitatem præceptæ, sive permissæ sunt: sic Ecclesia Ministris suis ad congruam eorum sustentationem solvi jubet decimas; & puerperis permittit (non præcipit) ut certo

tempore ab ingressu Ecclesiæ abstineant, ex quadam decentia velori negativa.

256. Quæres, quo tempore Lex vetus cœperit esse mortifera?

Respondetur, id esse dubium. & incertum. Non pauci Theologorum existimant, illam primum cœpisse esse mortiferam quadragesimo circiter post Christi mortem anno, postquam Evangelium sufficienter jam toto orbe Judæis promulgatum fuit per Apostolos, templumque Jerosolymitanum una cum statu Reipublicæ Judaicæ a Romanis Imperatoribus eversum: tunc enim non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogæ jam extinctæ, aut condescendere Judæis, tandiu Divinæ vocationi pertinaciter resistentibus. Alii contra autumant, Legem veterem jam ante cœpisse esse mortiferam, nimirum viventibus adhuc Apostolorum Principibus Petro, & Paulo, qui suam vitam non protogarunt ad 40. annos post Christi ascensionem, sed solum ad 35. vel 36. Rationem dant: quia jam tunc Evangelium sufficienter erat promulgatum; prout testatur Apostolus *Rom. 8. Sed dico: nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Atque hæc, quæ toto hoc §. dicta sunt, pleraque, & quasi verbatim transumpsit ex meis Thesibus *pag. 87. & seq.*

ARTICULUS II.

De Lege Divina novi Testamenti.

§. I.

Quotuplicia sint præcepta in Lege nova?

SUMMARIUM.

257. *Lex Divina novi Testamenti a Christo condita est.* 258. *Solvitur instantia in contrarium adducta.* 259. *Lex nova continet triplicia præcepta, nempe moralia, Sacramentalia, sive ceremonialia, & Fidei, sive theologalia.* 260. *Exponitur axioma Theologorum, dicentium, in Lege Evangelica nulla esse præcepta, nisi Fidei, & Sacramentorum.* 261. *Lex nova præter præcepta moralia, & ceremonialia, non continet alia, puta judicialia.*

257. PRænotandum, & supponendum, Legem Divinam novi Testamenti esse a Christo latam: ita enim sacræ testantur paginæ; ut 1. *Cor. 9.* ubi Apostolus ait: *Illis, qui sine lege erant, factus sum, tanquam si sine lege essem, cum sine Dei lege non essem, sed in lege essem Christi:* & *Joan.* 14. ubi Christus loquens de sua lege inquit: *Mandata mea servate.*

258. Neque obstat illud *Joan.* 1. *lex per Moysen data est; gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est.* Siquidem non ideo gratia per Christum dicitur facta, & lex per Moysen data, quasi Christus nullam legem tulerit; sed quia Moyses dedit Judæis legem nudam sine gratia, id est, legem præcipientem, sed non juvantem: Christus vero dedit nobis legem cum gratia, id est, legem præcipientem, & juvantem simul: unde ab Apostolo vocatur *Lex Spiritus*; & a Christo *jugum suave, & onus leve.* Atque hanc legem novi Testamenti ab Apostolis in die Pentecostes solemniter promulgatam esse constat ex dictis *art. præced.* §. 3. Nunc ad propositam quæstionem.

259. Dico. Lex nova, seu Evangelica continet triplicia præcepta nempe *moralia*, *Sacramentalia*, sive ceremonialia, & *Fidei*, sive theologalia. Ita DD. communiter.

Probatur ex S. Script. nam de præceptis moralibus Christus dicit *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: per quæ juxta communem Interpretum intelligit præcepta Decalogi. De Sacramentalibus *Joan.* 3. ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest intrare in regnum Dei.* Item *Joan.* 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, non habebitis vitam in vobis:* & *Luc.* 12. *Hoc facite in meam commemorationem.* De præceptis vero Fidei inquit *Marci* 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*; ergo &c.

Porro præcepta moralia pertinent ad mores: Sacramentalia, seu ceremonialia ad Sacramenta, Sacrificium Missæ, Sacerdotium, jurisdictionem Ecclesiasticam, cultumque Dei externum, spectant: præcepta Fidei, seu theologica ordinantur ad fidem aut suscipiendam, aut retinendam, aut profitendam; & versantur circa virtutes theologicas.

260. Quæres primo, quomodo ergo intelligendum sit antiquum axioma Theologorum, dicentium in Evangelica lege nulla esse præcepta, nisi Fidei, & Sacramentorum?

Respondetur, sensum axiomatis non esse, quod lex Evangelica nulla habeat præcepta moralia; sed solum, quod hæc non sint nova, & peculiaria legi Evangelicæ, cum jam extiterint in lege Moysaica, & in Evangelica tantummodo confirmata sint, eique sic veluti inserta, & appropriata. At præcepta Sacramentorum, & Fidei, alia, atque alia peculiari ratione in lege Evangelica continentur; illa quidem, quatenus posita sunt loco præceptorum versantium circa Sacramenta legis veteris, quæ modo sunt abrogata; ista vero, quatenus vi eorundem quædam mysteria, puta de SS. Trinitate, Incarnatione &c. quæ Judæi solum tenebantur credere implicite, in lege Evangelica etiam explicite credenda sunt.

261. Quæres secundo, an lex Evangelica, præter præcepta moralia, & ceremonialia, etiam contineat judicialia?

Respondetur negative. Ratio est: quia Christus non assumpsit sibi regnum temporale, juxta illud *Joan.* 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*: neque voluit Judicem temporalem agere; ut constat ex *Luc.* 12. *Quis me constituit Judicem super vos?* Quare licet ad gubernandam debite Ecclesiam aliqua præcepta judicialia necessaria sint, supposita hominum infirmitate: quia tamen Christus optavit, ut ejusmodi infirmitatem superare niteremur, similia præcepta non posuit; sed ea ponendi potestatem Ecclesiæ reliquit; prout videretur pro occurrentibus occasionibus, locis, & temporibus opportunum, aut necessarium: qualia præcepta & modo statuta sunt a Jure Canonico.

§. II.

An Lex nova obliget in conscientia, & quos? item quomodo differat a veteri?

SUMMARIUM.

262. *Lex nova obligat in conscientia.* 263. *Regulariter sub culpa gravi.* 264. *Omnes omnino homines.* 265. *Recensentur differentiæ legis novæ a veteri.*

262. DIco primo. Lex nova quoad sua præcepta obligat in conscientia. Ita omnes Catholici.

Probatur. Illa lex obligat in conscientia, quæ obligat sub reatu pœnæ æternæ incurrendæ; cum hæc necessario supponat obligationem habitam in conscientia, & culpam contra talem obligationem contractam: sed lex nova obligat sub reatu pœnæ æternæ incurrendæ; ergo obligat in conscientia. Min. prob. ex illo *Marci* 16. supra: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur:* & *Joan.* 8. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro*; ergo &c.

263. Colliges, legem novam regulariter obligare sub culpa gravi, ob easdem rationes, ob quas supra *n.* 236. diximus, ita obligasse legem veterem. Potest tamen & hic dari parvitas materiæ a mortali excusans; ut in confesso est.

264. Dico secundo. Lex nova obligat omnes homines. Est de fide.

Probatur ex *Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes &c.* & *Marci ult. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ:* ubi nomine omnis creaturæ venit homo; prout pulchre declarat S. Gregorius *homil. 29. in Evang.* ergo &c. Accedit etiam ratio: quia enim Christus omnium hominum Redemptor fuit, oportuit, ut institueret legem pro omnibus, per cujus directionem ad sanctitatem, & salutem pertingerent.

Dico tertio. Lex nova multifariam, multisque modis a veteri differt.

265. Ex-

265. Explicatur. Nam 1. Lex nova est lex libertatis, & condita pro filiis: vetus vero lex servitutis, & faocita pro servis. 2. Nova ad sui observantiam trahit amore, & consideratione bonorum æternorum; unde *lex amoris* dicitur: vetus partim bonorum temporalium pollicitatione, partim pœnarum comminatione: unde *lex timoris* appellatur. 3. Nova veterem in perfectione excedit. 4. Nova ob abundantiam gratiarum, quæ in ea conferuntur, est observatu facilior. Difficultatem, quam aliqui Christianorum sentiunt in confitendo, alleviat cum confessionis sigillum, tum utilitas, quam pœnitens ex confessione percipit. Plures differentias inter utramque legem qui desiderat, vel allegatarum dilucidationem, adeat. P. Frassen *disp.* 3. *art.* 2. §. 3.

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

266. *Darius Princeps validum condit statutum, si hoc ex se ordinetur in bonum commune subditorum, esto ex prava illius intentione detorqueatur in istorum gravamen, & perniciem.* 267. *Damascenus, a suo parente domi manere jussus, castitatis servandæ causa, peccat contra obedientiam, & castitatem, si domo egrediatur.* 268. *Daresius satisfacit præcepto Ecclesiæ per auditionem sacri extrinsece vitiatam.* 269. *Daresia tempore Paschali confitens, & communicans, implet utrunque præceptum, tametsi implere non intendat.* 270. *E diverso non implet præceptum de audiendo Missam Davinus, dum die festo interest Missæ absque intentione eam audiendi.* 271. *Dominicus Subdiaconus duplici præcepto satisfacit, dum die festo inter Missarum solemnia suum pensum Canonicum persolvit.* 272. *Donatus, dum interrogatur, quare fideles satisfaciant audiendo unum duntaxat sacrum diebus Dominicis, in quos incidunt Festa? respondebit: quia potest quis eodem actu duabus obligationibus satisfacere, nisi vel ambæ sint in materia Justitiæ, vel oppositum colligatur ex mente illas imponentis.* 273. *Diomedes die festo veniens ad Missam, cœpta jam præfatione, tenetur reliquum audire, si nullam aliam Missam audire possit.* 274. *Dioscorus Sacerdos, ob defectum luminis excusatus a dicendis Horis Minoribus, & Vesperis, quas non scit memoriter, tenetur recitare Completorium, quod scit memoriter.* 275. *Dionysius, cui die jejunii ob certam causam licita est bina refectio, etiam jentare potest.* 276. *Dagobertus Studiosus die Sabbati post finitam lectionem pomeridianam licite venatum exit, etsi prævideat fore, ut die Dominico sacrum audire nequeat.* 277. *Dometius non incurrit excommunicationem, in exercentes superstitionem ab Episcopo fulminatam, si invincibiliter ignoraverit tam prohibitionem Episcopi, quam pœnam, vel etiam solam pœnam; secus, si ignorantia Dometii fuerit vincibilis, & mortaliter culpabilis.*

CASUS I.

266. *Darius Princeps, ira preceps, a suis subditis (nescio qua de causa) irritatus, vindictæ sumendæ ergo statutum condidit, quo eorum jugum, alias jam satis grave, amplius aggravaret. Ast subditi, qui humeros quidem submittere cogebantur, in executione talis statuti potius suavitatem, quam gravitatem, imo boni communis incrementum, non detrimentum sensere, contra voluntatem Darii. Quæritur, an memoratum statutum fuerit validum?*

Respondetur cum communi DD. affirmative. Ratio est: siquidem ideo memoratum statutum deberet pronunciari invalidum: quia non fuerat a Legislatore ordinatum in bonum commune subditorum: atqui hæc ratio nulla est; ergo &c. Maj. est certa; cum aliam rationem nemo facile assignaverit. Min. ostenditur, & declaratur; quia in promotione boni communis magis spectatur intentio operis, quam operantis; cum ergo intentio operis, seu opus ipsum, id est, statutum, a Dario sancitum, cesserit in bonum commune subditorum, veluti probavit experientia, non obfuit contraria; & prava intentio Legislatoris, illud in alium, & diversum, imo oppositum finem detorquentis. Unde sicut sinistra intentio Judicis non destruit valorem sententiæ, si ista ceteroquin æquitati conformis sit; ita nec sinistra intentio Legislatoris destruit valorem legis, si hæc ex se bonum commune promoveat.

CASUS II.

267. *Damasus. Vir pius, ac timens Deum, filium tamen degenerem, Veneri quippe perdite deditum, nomine Damascenum, nactus, quo paternæ sollicitudinis partes ad amussim expleat, serio, & severe præcipit Damasceno, ut posthac se domi contineat, ædes suspectas, & feminarum consortia vitet. Damascenus, solitaria vita minime assuetus, aliquot post diebus in patris absentia occasionem se divertendi captat, ex ædibus paternis prosilit, per agros, & virentia prata exspatiatur, non libidinis ergo, sed animi, per plures jam dies tristitia obnubilati, exhilarandi gratia. Quæritur, an, & quomodo Damascenus peccet?*

Respondetur, Damascenum peccare, & quidem dupliciter, videlicet contra virtutem obedientiæ, & castitatis, supposito, quod Damasus eidem præceperit, ut domi maneat, ex motivo castitatis posthac servandæ, & hanc suam intentionem sufficienter expresserit, prout in Casu posito factum videtur. Ita cum communi La Croix hic *n.* 626. Ratio est: quia præceptum, vel potius actio præcepta relate ad castitatem se habet, sicut medium ad finem; ergo sicut medium specificatur a fine, etiam extrinseco, suamque ab eo bonitatem, vel malitiam desumit, ita de illa actione, vel ejus omissione relate ad castitatem discurrendum est.

Confirmatur. Præceptum Damasi per omissionem exitus e domo a se præceptam intendit, & pro fine respicit non tam honestatem obedientiæ, quam honestatem castitatis a Damasceno imposterum servandæ; ergo omissionem exitus constituit medium honestatem castitatis conciliandi, & inhonestatem oppositam removendi; ergo efficit, ut omissio exitus pertineat ad virtutem castitatis, ob quam in Damasceno posthac conservandam præcepta supponitur.

Dices. Finis (extrinsecus) præcepti non cadit sub præceptum; ergo licet Damasus in Casu posito præcipiat Damasceno, ut domi maneat ex fine, & motivo servandi castitatem, non tamen illa mansio spectabit ad virtutem, & præceptum castitatis: consequenter &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Quia nos non probavimus responsionem nostram ex eo, quasi finis extrinsecus præcepti cadat sub præceptum; hoc namque ipsimet infra negabimus; sed inde, quod præceptum specificetur etiam a tali fine: quæ multum diversa sunt, & neutiquam confundenda.

Colliges, ad hoc, ut responsio ad Casum reddita subsistat, tria requiri. 1. Ut omissio exitus aliquo modo conducat ad finem a præcipiente intentum; alioqui non participaret rationem medii, ut patet. 2. Ut Damasus ex motivo castitatis exitum prohibeat, ejusque omissionem constituat materiam necessariam illius virtutis; alias in Damasceno non resultabit specialis obligatio servandi castitatem. 3. Ut Damasceno manifestet, se ex memorato motivo obligare; nam præceptum non præsumitur imponi, nisi ex motivo intrinseco: consequenter si imponatur etiam ex extrinseco, id exprimi debet.

Hæc tria cum in Casu concurrere supponantur, manet, Damascenum duo perpetrare peccata, specie distincta, quorum unum contra obedientiam, & alterum contra castitatem militat. Nec dicas, exitum Damasceni nullam habere oppositionem cum castitate; adeoque non apparere, quomodo sit contra castitatem. Nam esto non habeat ejusmodi oppositionem per se, & ex objecto, habet tamen illam per accidens, & ex patris præcepto; quod sufficit, ut constituat peccatum contra castitatem, diversum tamen ab iis, quæ castitati per se, & ex objecto opponuntur, ac ideo prohibita sunt, quia mala. Videatur La Croix *loc. cit.*

CASUS III.

268. Daresius diebus saltem Dominicis, & Festivis diligenter templum adit, sicut alii, Missæ interest, sicut alii, ut hominibus appareat æque devotus, ac alii; imaque (quod pejus est) ut amasiam, quam in eodem templo ex condicto comparituram novit, coram videat, ab eaque vicissim videatur, non sine mutuo libidinis æstu. Quæritur, an nihilominus præcepto audiendi Missam satisfacere censendus sit?

REspondetur affirmative, dummodo etiam attendat ad partes Missæ, ut alii, oret, ut alii &c. Ita Laymann *lib. 1. tr. 4. c. 4. n. 6.* Mastrius in *Theol. mor. disp. 2. q. 5. n. 169*, & alii passim. Ratio est: quia Daresius sic interessendo Missæ, ponit actionem, ex objecto, & fine suo intrinseco honestam, quam solam præceptum injungit, nisi aliter exprimat, id est, nisi exprimat & modum, quo illa similiter honeste fiat absque alio peccato in sui exercitio ex circumstantiis contracto: quale nihil exprimit præceptum audiendi Missam; consequenter &c.

Dices. Lex, cum debeat esse honesta, non potest obligare ad actum peccaminosum; ergo non potest satisfieri ejus obligationi per actum peccaminosum, cum obligationi legis affirmativæ satisfieri haud possit, nisi ponendo actum, ad quem obligat.

Respondetur, dist. ant. Lex non potest obligare ad actum intrinsece, id est, ex objecto, & per se peccaminosum, vel ad actum peccaminosum formaliter, & reduplicative, con. ad actum extrinsece, id est, ex circumstantiis, & per accidens peccaminosum, & quidem non ut formaliter, ac reduplicative, sed materialiter solum, & specificative talem, neg. ant. Potest itaque lex obligare ad aliquem actum certæ virtutis ab intrinseco bonum, & honestum, qui tamen in sui exercitio ex aliqua circumstantia extrinsece, etiam mortaliter mala, vitietur, & evadat malus, per quem nihilominus satisfiat obligationi legis: quia dum ponitur talis actus, ponitur in substantia verus, & specificus actus lege præceptus, licet modo indebito, & aliunde prohibito.

Instabis. Qui audit Missam sine devotione, vel facit confessionem sine interno dolore, neutri præcepto satisfacit; ergo ad implendam obligationem præcepti, saltem affirmativi, non sufficit, quod ponatur substantia operis impositi, sed etiam requiritur, ut superaddatur modus.

Respondetur, concesso antecedente, dist. cons. Si modus ille sit necessarius ad bonitatem moralem, etiam specificam operis, ideoque lege præceptus, prout evenit in exemplis adductis, con. secus, & prout evenit in Casu nostro, neg. cons. Ex quo ulterius fit, ut possit negari suppositum consequentis, quod in illis exemplis ponatur substantia operis præcepti, cum ad hanc, moraliter spectatam, etiam dictus modus sit necessarius, puta ad substantiam auditionis Missæ devotio, & ad substantiam confessionis dolor internus: esto non sit necessarius ille alius modus, de quo supra in ratione responsionis probativa.

Hoc tamen fatendum est, auditionem Missæ, quæ fit a Daresio, non esse meritoriam: quia ad hoc requiritur, ut actio sit in individuo formaliter bona; adeoque etiam ex circumstantiis, prout videbimus *tr. 3. hujus partis.*

CASUS IV.

269. Daresia, Virgo Deo devota, singulis fere per annum Ecclesiasticum septimanis conscientiam suam dolorosa confessione purgare, sacroque epulo reficere, ac confortare solita, etiam prima mox hebdomade temporis Paschalis, pro peragendis memoratis actibus ab Ordinario Diœcesano designati, id ipsum præstat, nulla tamen præhabita intentione obligationi, quam cum aliis Christianis pro tempore Paschali communem gerit, iis actibus satisfaciendi; imo illius obligationis vinculo primum se in Dominica Resurrectionis exsolvere proponit. Ast morbo obruta, & præventa decidit in lectum, eique ultra temporis Paschalis lapsum, quamvis citra periculum moriendi, affixa hæret. Quæritur, an jam antea, seu per illos actus antea positos præcepto confessionis, & communionis Paschalis satisfecerit?

REspondetur affirmative: idque verum est, sive Daresia (1.) supponatur se habuisse modo mere negativo, id est, nec volendo, nec nolendo per illos actus satisfacere; sive (2.) modo positivo, & contrarie, nolendo scilicet satisfacere, ut ponitur in Casu. Ita Palao *tr. 3. disp. 1. pun. 17. n. 8. & 12.* Thomas Sanchez *lib. 1. Decal. c. 13. n. 9. & 13.* aliique communiter, maxime quoad primum membrum. Ratio autem primi membri est: quia lex confessionis, & communionis (idem cogita de quacunque alia lege, & præcepto) solum præcipit liberam operis executionem, non autem, ut peculiari actu quis velit, vel intendat eidem satisfacere: sive, quemadmodum alii loquuntur, non obligat, ad obedientiam formalem, hoc est, ut opus peragatur, quia præcipitur; sed tantum ad materialem, seu ut opus fiat, quod præcipitur: atqui Daresia libere utrunque opus præceptum executa est, quamvis caruerit intentione præcepto satisfaciendi; ergo satisfecisse censenda est.

Ratio secundi membri est: quia cum lex confessionis, & communionis (idem rursus cogita de aliis legibus, regulariter loquendo) obliget solum ad substantiam operis præcepti, dum Daresia libere, & humano modo eam posuit, non fuit in ipsius potestate impedire, quo minus satisfaceret: consequenter &c.

Dices primo. Actus non operatur ultra intentionem agentis: sed Daresia non habuit intentionem præcepto confessionis, & communionis satisfaciendi; imo habuit positivam voluntatem pro tunc non satisfaciendi; ergo &c.

Respondetur, majorem solummodo veram esse, quando actus, & effectus est in potestate agentis: quod non evenit in Casu; nam Daresia, dum opus præceptum executa est, necessario (necessitate videlicet consequente) etiam legem implevit, licet eam non voluerit, vel etiam noluerit implere; cum protestatio contraria facto nullam vim, aut robur habeat; prout relinquitur ex proxime dictis.

Dices secundo. Qui recitat rosarium, quod ex voto recitare tenetur, animo positivo tunc non implendi votum, votum non implet: sicut & qui debito pecuniario obstrictus, creditori suo dat pecuniam significans, se pro nunc nolle solvere debitum, sed gratis dare debitum non expungit; ergo idem a simili dicendum in nostro Casu.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod obligationes, de quibus in antecedente, proficiscantur ex voluntate promittentis, & obligati, qui, sicut ab initio debitorem se libere constituit, ita in debito libere permanere poterit: ast obligatio parendi legi provenit ex voluntate Legislatoris, cui proinde commensurari debet; cum ergo Legislator solum intendat, & præcipiat substantiam operis, qui hanc ponit, satisfacit, tametsi satisfacere non intendat.

Sed quid si poneretur Daresia, quod nec per illam confessionem, & communionem præcedentem, nec per aliam subsequentem voluerit suæ obligationi satisfacere?

Ad hoc respondetur, quod nihilominus executive, seu effective utrique præcepto satisfecerit; intentive vero, seu affective peccaverit vel contra præceptum Ecclesiæ (ut mihi videtur probabilius) vel certe contra præceptum Divinum, & naturale, obligans omnes, & singulos, ut justis legibus positive, & per voluntatem contrariam se non opponant; quia *qui potestati resistit, Dei voluntati resistit. Rom. 13.*

CASUS V.

270. Davinus, adolescens admodum pius, die quodam Dominico duabus ante sacrum solemne horis templum ingreditur, pro parente sua nuperrime defuncta rosarium, aliasque preces persoluturus. Contingit autem, postquam Davinus precandi initium fecerat, adesse Sacerdotem quendam peregrinum Missæ legendæ causa. Davinus in suis precibus pergit, haud secus, ac si nulla ibidem Missa celebraretur, quippe volens in templo persistere usque ad sacrum solemne, & huic ad satisfaciendum suæ obligationi interesse. Quæritur, an Davinus Missam illam privatam vere audivisse, suaque obligationi jam satisfecisse censendus sit?

REspondetur negative, nisi inter orandum advertens, a Sacerdote inchoari Missam, suam intentionem,

& de-

& devotionem ad eandem direxerit, & applicaverit. Ita Herincx *de Leg. disp.* 1. *num.* 36. Babenstuber *tract.* 3. *disp.* 3. *art.* 2. §. 1. *n.* 6. & alii. Ratio est: quia præceptum audiendi Missam est affirmativum, ad sui impletionem, etiam materialem tantum; exigens actionem humanam, saltem ab intrinseco, & ex objecto honestam, puta humanam applicationem mentis ad opus injunctum; prout in confesso est apud omnes: sed si desit intentio audiendi Missam, uti deesse ponitur in Davino, non exercetur actio humana, seu non fit humana applicatio mentis ad opus injunctum, sive ad Missam audiendam, quemadmodum per se patet; ergo &c. Ex quo liquet disparitas inter hunc, & præcedentem Casum; nam in præcedente adhuc salvatur ratio actus humani per intentionem faciendi id, quod præceptum est, absque intentione satisfaciendi præcepto; secus in præsente, ubi etiam intentio faciendi opus præceptum deest, sine qua consistere actus humani essentia nequit: quod utrunque ex hic, & *n. præced.* dictis constat.

Dices, Præcepta negativa impleri, saltem materialiter, possunt sine intentione omittendi opus, quod prohibent: imo & quædam, affirmativa sine intentione ponendi opus, quod præcipiunt; ergo idem videtur dicendum de præcepto audiendi Missam. Ant. ostenditur in exemplis. Nam præceptum v. g. abstinendi a carnibus, præceptum non furandi &c. implentur sola non comestione carnium, sola non ablatione rei alienæ &c. Similiter præcepta dandi Parocho decimas, pendendi Principi tributum &c. implentur sine intentione dandi, aut pendendi, ut patet in casu, quo quis ad dandum, aut pendendum violentatur; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est; nam in primis præcepta negativa non habent pro objecto actum humanum, & moralem, sed solam operis prohibiti omissionem; quæ proinde si adsit, adest substantia rei prohibitæ, & consequenter impletur præceptum quoad substantiam, & materialiter, esto non impleatur etiam quoad modum, & formaliter, id est, cum laude, & merito, cum ad hoc concurrere actus humanus debeat, videlicet intentio omittendi cum prævia cognitione, & deliberatione. Deinde præcepta affirmativa dandi decimas, pendendi tributum &c. & ipsa nullum exigunt actum humanum ad substantiam rei præceptæ ponendam, finemque obtinendum, cum præcise requirant, ut detur, quod debetur (in qua sita est rei præceptæ substantia) & fiat adæquatio inter jus activum unius, & passivum alterius (quæ est finis intrinsecus Justitiæ) tametsi actus humanus non concurrat, utpote qui solum necessarius est ad modum solvendi, seu ut solutio sit formaliter bona, & meritoria. Secus omnino est de præcepto audiendi Missam (& aliis hujusmodi) quippe quod pro objecto habet actum humanum, & moralem, sine quo proin ne quidem quoad substantiam, & materialiter impleri potest: prout ex dictis relinquitur. Quapropter ante omnia inspici debet natura præcepti, & discerni, an negativum, vel affirmativum sit? Si deprehendatur esse negativum, sola omissione rei prohibitæ, sine interventu actus humani, impleri potest saltem materialiter. Si cognoscatur esse affirmativum; ulterius dispiciendum est, quibus terminis conceptum, & prolatum sit? indeque dignosci, an ad ponendam rei præceptæ substantiam actum humanum requirat, ne ne? Si secundum, materialiter, & quoad substantiam impleri sine actu humano potest: si primum, non potest. Videri potest La Croix hic n. 695.

Dixi in respons. *nisi inter orandum &c.* Id enim si Davinus præstiterit, censendus est habuisse sufficientem intentionem audiendi sacrum, videlicet implicitam; explicita enim necessaria non est, prout alibi videbimus.

CASUS VI.

271. *Dominicus, sacro Subdiaconatus Ordine insignitus, diebus non solum ferialibus, sed etiam festivis, & Dominicis solet inter Missarum solemnia pensum suum Canonicum persolvere. Quæritur, an utrique obligationi, videlicet recitandi Breviarium, & audiendi sacrum, faciat satis?*

RESpondetur cum communi DD. affirmative. Ratio est: quia potest quis eodem tempore per diversos actus pluribus præceptis satisfacere, quando unus actus non impedit alterum: sed persolutio pensi Canonici non impedit auditionem sacri; ergo &c. Min. patet consideranti. Maj. vero probatur: siquidem ille implet legem, qui præstat opus præceptum: sed potest quis eodem tempore per diversos actus, dum unus non impedit alterum, præstare opera pluribus legibus, seu præceptis imperata; ergo potest eodem tempore per diversos actus plures leges, sive præcepta implere. Min. hujus syllogismi inde ostenditur, quod in legibus quoad executionem nullibi præscribatur diversitas temporum.

CASUS VII.

272. *Donatus Sacerdos, dum ex Theologia morali, antequam pro excipiendis confessionibus exponatur, pro more examinatur, interrogatur præter alia, cur fideles præcepto Ecclesiastico satisfaciunt, quando unum duntaxat sacrum audiunt diebus Dominicis, in quos festa indicere solent. Quam interroganti rationem dabit?*

RESpondetur. Donatus sequentem interroganti rationem dabit: quia potest quis eodem actu duabus, vel pluribus obligationibus satisfacere, nisi vel ambæ sint materia Justitiæ, vel oppositum colligatur ex mente illas imponentis; eo quod non implicet, rem debitam uno titulo, puta Justitiæ, deberi præterea alio, v. g. ex voto, ex præcepto pœnitentiæ, &c. nam obligatio voti, pœnitentiæ, vel alterius præcepti positivi pendet ex intentione Legislatoris, quæ rebus, alio jam titulo obligatis, affigi potest; ergo si Legislator non intendat plures actus, sed concedat, vel permittat (quemadmodum in proposito) ut uno actu pluribus obligationibus satisfiat, ambigendi locus non relinquitur, quin ita satisfieri possit. *Mastrius disp.* 2. *q.* 5. *n.* 170. & ego in *Thesibus pag.* 58. *& seqq.*

Dixi tamen 1. *nisi ambæ sint in materia Justitiæ*. Ratio hujus exceptionis sumitur a contrario: quia implicat, rem, uno titulo Justitiæ debitam, alio insuper titulo Justitiæ deberi; cum super eandem rem duo tituli Justitiæ cadere non possint: veluti patet exinde, quod nemo nisi de suo possit alteri per translationem juris se obligare; neque sit in cujusquam potestate, rem, quæ jam ante est alterius, titulo donationis, vel alio quocunque in dominium, aut jus tertii transferre. Unde si Titio v. g. debeas centum florenos ex promissione, & iterum centum ex injusta damnificatione, non satisfacis utrique obligationi dando semel centum, sed teneris dare ducentos: quia in debitis realibus Justitiæ attenditur æqualitas rei ad rem; centum autem cum ducentis non habent ejusmodi æqualitatem. Secus est de debitis legalibus, ubi spectatur intentio Legislatoris, qua is unum, idemque opus pro pluribus obligationibus implendis acceptare & potest, & sæpe solet: prout relinquitur ex immediate dictis.

Dixi 2. *vel oppositum colligatur &c.* Ad quod discernendum attendendæ sunt circumstantiæ, quæ si denotent, Legislatorem exigere actum non debitum, teneberis illum præstare, nec poteris actu alias debito satisfacere. Unde si tibi a Confessario in pœnitentiam esset injuncta recitatio rosarii, unaque fores obstrictus voto quotidie rosarium recitandi, non satisfaceres præcepto Confessarii recitatione debita ex voto: quia Confessarius, nisi oppositum exprimat, vel colligi possit (quorum in tali casu neutrum fieri supponitur) ad rem non debitam te obligare intendit: veluti eruitur, imo facile deprehenditur ex eo statim, quod illa obligatio, a Confessario imposita, non sit affixa diei, sed possis, quando tibi placuerit, eidem satisfacere. E diverso si circumstantiæ denotent, Legislatorem contentum esse actu alias debito, satisfacis illo utrique obligationi, videlicet præcedenti, & de novo superaddita per mensem diebus audias sacrum, ex benigna interpretatione censetur diebus festivis contentus esse Missa ex præcepto Ecclesiæ debita: neque enim censendus est obligare ad duas Missas illis diebus audiendas; cum hoc esset grave onus, quod si voluisset imponere, expressisset. Ita quasi verbatim meæ *Thes. pag.* 59.

CASUS VIII.

273. *Diomedes, somno supra modum deditus, raro ante horam octavam e lecto surgit. Hinc contingit semel, iterumque, ut die festo ad Missam, quæ ea in loco unica celebratur, veniat, cœpta jam præfatione. Quæritur, an reliquum Missæ audire teneatur?*

Antequam

ANnequam ad hunc, & sequentes Casus respondeatur, nosse oportet 1. legem, vel præceptum posse versari circa rem *individuam*, aut *dividuam*. Res individua dicitur, quæ commode dividi non potest, vel solet; nec ejus parte salvatur substantia præcepti: dividua vero, quæ commode potest, ac solet dividi, ratioque, seu substantia præcepti etiam in ejus parte salvatur; nec una pars ab altera pendet. Oportet nosse 2. quædam in materia præcepti se habere substantialiter, quibus ablatis tollitur; & quædam accidentaliter, quibus ablatis non tollitur substantia rei præceptæ. His prævie, & breviter insinuatis,

Respondetur ad Casum affirmative. Ita Thomas Sanchez 1. *Decal. sc.* 19. *n.* 6. Layman. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 19. *num.* 5. Balenstuber *tract.* 3. *disput.* 3. *artic.* 3. *num.* 5. Ratio est: quia qui non potest in re præcepta servare id, quod est accidentale, & accessorium, tenetur nihilominus servare, quod est substantiale, & principale, si possit; cum principale non trahatur ab accessorio; ergo licet Diomedes non amplius possit servare præceptum de audienda Missa quoad accidentalia, uti sunt, quæ consecrationem antecedunt, tenetur nihilominus illud servare quoad substantialia, uti sunt, quæ a consecratione usque ad communionem inclusive in Sacrificio Missæ peraguntur.

Dices. Præceptum audiendi Missam est individuum; ergo cum a Diomede non amplius possit servari quoad totam rem præceptam, omnino cessat obligatio illud servandi, utpote servatu jam impossibile.

Respondetur, dist. ant. Est individuum relate ad substantialia materiæ præceptæ præcise considerata, trans. relate ad substantialia, & accidentalia simul considerata, neg. ant. & cons. Esto præceptum de audienda Missa sub priori consideratione forte sit individuum, proindeque una parte substantiali, v. g. consecratione, servatu impossibili non detur obligatio ad reliquas; prout perspicuum fiet ex dicendis ad Casum decimum: est tamen dividuum sub posteriori consideratione; quia partes substantiales ita possunt ab accidentalibus separari, ut istis servatu impossibilibus, ratio, & substantia præcepti maneat moraliter integra quoad illas: consequenter &c.

Instabis. Ex modo data responsione videtur sequi, eum, qui data opera venit ad Missam cœpta jam præfatione; & audit Missæ reliquum, non peccaturum mortaliter; quia servaret, & salvaret substantiam præcepti moraliter integram.

Respondetur, neg. seq. & ad rationem probativam ajo, quod talis solum salvaret substantiam præcepti moraliter in parte rei præceptæ, & quasi intensive, non vero in toto, & extensive, prout tamen requirit Ecclesia, utpote quæ obligat, & quidem graviter, ad auditionem totius Missæ, ita, ut mortaliter peccet, qui notabilem illius partem (qualis utique est illa, cujus instantia meminit, esto cæteroquin, relate ad Sacrificium Missæ, non sit substantialis) voluntarie omittit: consequenter &c.

CASUS IX.

174. *Dioscorus, Sacerdos peregrinus, dum iter facit, a via recta aberrat; & postquam diu per avia & devia cucurrerat, cogitur tandem, præcisa spe pertingendi ad hospitium, pernoctare in campo sub quadam arbore. Antequam vero lassatum corpus quieti dedat, examen conscientiæ instituit, in eoque deprehendit, se necdum pro illo die recitasse Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, de quibus tamen nihil memoriter scit, præterquam Completorium. Quæritur, an, dum a dicendis duabus Horis, & Vesperis ob defectum luminis excusatur, censeatur etiam excusatus a recitando Completorio?*

REspondetur negative. Ita Authores cit. & alii communiter. Ratio est: quia dum præceptum est circa rem dividuam, tunc ille, qui non potest servare unam partem rei præceptæ, tenetur servare alteram, quam potest; quia in tali casu cum impotentia servandi unam partem stat potentia servandi præceptum quoad substantiam, quippe cujus ratio adhuc salvatur in altera parte, prout notavimus in *n. preced.* sed præceptum persolvendi pensum Canonicum est circa rem dividuam; cum una Hora non dependeat ab altera, & Dioscorus alteram Breviarii residui partem, videlicet Completorium, persolvere possit, ut supponitur; ergo &c.

Dices. Pars major trahit ad se minorem, ut sonat commune principium; ergo cum Dioscorus propter impotentiam excusetur a recitanda majori parte Breviarii, etiam excusabitur a minori consequenter &c.

Respondetur, principium, in antecedente adductum, solummodo procedere de majori parte personarum, in aliquo communi consensu conspirantium, juxta *l.* 19. *ad Municipalem, & c.* 1. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*: non autem, saltem universaliter, de majori parte objectorum; siquidem non tenet, quando materia, sive objectum alicujus obligationis est dividuum, ita, ut in quavis ejusdem parte seorsim finis per obligationem intentus obtineri possit partialiter saltem, isque sic ab eadem exigatur; prout luculenter patet cum ex propositione *n.* 54. ab Innoc. XI. proscripta, quæ illo principio nitebatur, & ita sonat: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit minorem*. Tum in materia Justitiæ: siquidem qui debet centum aureos, & non potest solvere nisi triginta, tenetur hos solvere, ut omnes fatentur, tametsi non possit præstare partem majorem debiti.

CASUS X.

175. *Dionysius, tempore Quadragesimæ iter unius diei suscepturus, prævidet, eo die necessariam sibi fore binam refectionem; de cujus proin licentia non dubitat: ambiguus tamen hæret, an eodem die jentaculum quoque sumere, & in itinere extra tempus refectionis panem, vel aliud quidpiam obsonii, comedere, & adhibere liceat? Quæritur, an Dionysius hæc licite possit facere?*

REspondetur affirmative. Ita præter Authores in *respons. ad Casum* 8. allagatos Bonacin. *disp.* 2. *q.* 8. *pun.* 1. *n.* 6. aliique communiter. Ratio est: quia dum præceptum versatur circa rem individuam, tunc excusatus a parte illius substantiali, etiam excusatur a servando toto: sed præceptum jejunandi relate ad eundem diem versatur circa rem, seu materiam individuam, & Dionysius excusatur a parte illius substantiali; ergo etiam excusatur a servando toto: consequenter &c. Min. constat quoad utrunque membrum; nam inprimis memoratum præceptum, prout respicit eundem diem, versatur circa rem individuam; si enim partem aliquam substantialem de illius materia auferas, prout fit, dum secundam refectionem sumis, tota jejunii substantia perit. Deinde Dionysius propter iter excusatur, seu non tenetur abstinere a secunda refectione, ut supponitur. Major vero ostenditur, & declaratur: quia impletio præcepti de re individua respicit indivisibiliter totum; adeoque præstari non potest nisi in toto: sed cum aliquis excusatur a parte substantiali, impletio præcepti non amplius præstari potest in toto; ergo nullo modo præstari potest: consequenter cessat obligatio illam præstandi.

Ex quo sequitur, quod etiam ille, qui absque justa causa, adeoque culpabiliter, uno, eodemque die se bis refecit, v. g. mane comedendo ad satietatem, iterumque in meridie, jejunare amplius non teneatur eo die: quia substantiam jejunii secundum eam præcepti partem, quæ hibet abstinentiam a duplici refectione, jam pessumdedit, & observatu impossibilem reddidit. Tenetur tamen adhuc abstinere a carnibus; cum hæc abstinentia sit dividua; adeoque etiamnum servari possit.

Dices Qui, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, anticipavit cœnam, tenetur nihilominus jejunare per reliquum diem, si possit. Idem dicendum de illo, qui mane frustillum panis, vel modicum quid offæ comedit. Ergo etiam in Casu &c.

Respondetur, concesso antecedente quoad utrunque membrum, neg. cons. Disparitas est: quia in utroque casu antecedentis præceptum jejunii quoad substantiam adhuc impleri potest, & consequenter debet. Nam in primis determinatio temporis quo ad sumendam cœnam circa meridiem solum est accidentale quoddam, & secundarium requisitum ad formam jejunii: quo proinde ablato non aufertur potentia implendi præceptum quoad substantiam. Deinde sumptio cibi in modica quantitate (quando scilicet non repetitur, ut perveniatur ad quantitatem notabilem) substantiam jejunii similiter non destruit: veluti patet exinde statim, quod eam culpabiliter destruens peccet mortaliter; sumens autem, etsi culpabiliter, modicum cibi non peccet, nisi venialiter: unde nihil obstat, quin talis adhuc possit, & consequenter teneatur

neatur implere præceptum jejunii, utpote quoad substantiam adhuc integrum, & impletu possibile. Aliter res se habet in nostro Casu, in quo præceptum quoad substantiam jam est pessundatum, & per consequens impletu impossibile redditum: prout relinquitur ex dictis in ratione responsionis probativa.

CASUS XI.

276. *Digobertus, Studiosus, & Adolescens nobilis una cum aliis paris nobilitatis Adolescentibus, non raro diebus Sabbatinis post finitam lectionem pomeridianam venatum exit in nemus ad urbe remotum, ubi (quemadmodum prescit) opportunitas audiendi die Dominico sacrum non suppetet. Quæritur, an licite?*

Respondetur affirmative, modo absit intentio defraudandi legem: quod addo propter dicenda *disp. seq. ad Cas. XV.* præsertim *in Corollar.* 2. Ita Gobat in *Theol. experiment. tr. 5. n.* 453. & alii ab ipso relati, quibus subscribit La Croix *lib. 1. n.* 793. Ratio est; quia ex una parte diebus Sabbatinis non urget præceptum audiendi Missam, & diebus Dominicis adest excusatio illam audiendi ob remotam a loco, in quo Missa celebratur, distantiam; ergo non apparet ratio, propter quam Digobertus nequeat uti sua libertate diebus Sabbatinis post meridiem egrediendi, quo libuerit.

Confirmatur. Si Digoberto in Casu non esset liberum diebus Sabbatinis venatum exire, neque simili die concedendum esset voluntario peregrino, posse iter prosequi, aut suscipere; neque mercatori diviti, posse navem conscendere, & a portu solvere; nec dominis, nulla necessitate pressis, ad sua prædia se conferre: atqui sequela, utpote nimis rigorosa, & dura, communiter negatur; ergo &c.

Dices. Non licet Digoberto venatum proficisci circa horam decimam, vel undecimam noctis, diem festum vel Dominicum præcedentis, si prævideat, se repositum iri in statu impotentiæ ad audiendum sacrum; ergo neque circa horam tertiam, vel quartam pomeridianam Sabbati, aut Vigiliæ &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia in casu antecedentis ob distantiam nimis modicam diei ferialis a festivo, aut Sabbatini a Dominico, censetur moraliter jam adesse dies festivus, vel Dominicus, & urgere præceptum de audiendo sacro. Secus est in nostro Casu, utpote in quo ponitur sufficiens distantia dierum. Id quod desumitur a judicio prudentum, existimantium, in nostro Casu adesse, in altero non adesse sufficientem distantiam. Videatur Gobat, *loc. cit.* a *n.* 451.

Quod si petas, quandonam ergo liceat se impotentem reddere ad legem implendam, v. g. non adhibendo media, ad illius observationem necessaria, non removendo, vel etiam ponendo impedimenta &c.? communis est responsio DD. asserentium, id generali regula definiri haud posse. Ut autem hæc quæstio dirimatur eo modo, quo dirimi potest, distinguere oportet inter leges naturales, & positivas. In legibus naturalibus, quippe versantibus circa materiam necessariam, id est, necessario præceptam, includitur etiam obligatio non apponendi, vel removendi impedimenta, & procurandi media ad legem implendam necessaria, nisi quis ex justa causa ab executione rei præceptæ excusetur, & a lege pro certis circumstantiis eximatur. In legibus vero positivis attendenda est 1. mens Legislatoris: juxta hanc enim aliquæ leges strictius, aliquæ remissius obligant, & finem magis vel minus efficaciter intendunt. 2. Finis ipsarum legum, quæ quandoque facilius quandoque difficilius patiuntur apponi impedimentum: quod discere oportet ex usu proborum, & judicio prudentum. Sic lex jejunii permittit assumi laborem honestum, etiam non necessarium, quocum perferre jejunium non poteris; non item lex Missæ, vel Horarum Canonicarum. 3. Propinquitas temporis, pro quo obligant: quando enim ob illius distantiam obligatio legis nondum est moraliter præsens, illicitum non est, observationi legis impedimentum apponere; secus, si sit moraliter presens. Id quod patet ex resolutione Casus, & responsione ad argumentum reddita. Sic per omnia P. Illsung. *tract. 1. disp. 3. art. 2. n. 37. & seq.* Huc vel maxime conferunt quæ habentur *disp. seq. n.* 440.

CASUS XII.

277. *Damianus Episcopus, ut frequenti superstitionum malo medeatur, illud sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibet. Dometius, Damiani subditus Diœcesanus, rei ignarus, post præfatam prohibitionem adhuc semel, bis, ter, superstitione utitur. Quæritur, utrum memoratam pœnam incurrat?*

Respondetur primo. Si Dometius tam prohibitionem superstitionis, quam ipsam pœnam invincibiliter ignoraverit, hanc non incurrit. Communis. Ratio in promptu est: quia pœna non decernitur nisi propter culpam; ergo cessante culpa nullus est locus pœnæ. Atqui supposita ignorantia invincibili legis (sive naturalis, sive Divinæ, sive humanæ) cessat culpa; prout cum communi ostensum ibimus *tr. seq. disp. 1. c. 1. art.* 3.

Respondetur secundo. Tametsi Dometius invincibiliter ignoraverit solam pœnam, sciverit vero prohibitionem superstitionis, etiam ab Episcopo factam, adhuc manet immunis a pœna. Iterum communis. Ratio est: quia pœnæ Ecclesiasticæ proprie dictæ, de quarum classe est excommunicatio, ab Ecclesia imponuntur tanquam admonitiones, & medicinæ ad præcavendas culpas; ergo debent posse præcognosci ante culpas, ut sic timore sui ab istis committendis deterreant. Sed ab invincibiliter ignorante non possunt ita præcognosci, ut patet; ergo &c. Deinde ad incurrendam censuram requiritur in delinquente contumacia: nullus autem potest censeri vere contumax contra legem Ecclesiasticam, cum comminatione tantæ pœnæ aliquid præcipientem, vel prohibentem delinquens, quando ipsam pœnam invincibiler ignorat: consequenter &c.

Dices primo. Quæ publica sunt, omnes scire censentur, & jure præsumuntur; sed lex Episcopalis, superstitionem sub excommunicatione prohibens, per promulgationem, uti supponitur, facta est publica; ergo &c.

Respondetur, majorem solum procedere in foro externo: imo & in hoc foro præsumptionem scientiæ elidere Dometius posset, si ignorantiam suam juramento testaretur.

Dices secundo. Irregularitas, etiam ex delicto, incurritur ab invincibiliter ignorante; uti & pœna Civilis, seu Jure civili statuta; ergo idem dicendum de pœna Ecclesiastica, cujusmodi est excommunicatio, aliæque censuræ.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia in primis irregularitas, etiam ex delicto, etsi ortum trahat ex Jure Ecclesiastico, non tamen est pœna medicinalis; imo ex sua ratione primaria non est pœna, sed inhabilitas quædam ex dispositione præfati Juris removens a ministerio altaris; neque imponitur ob contumaciam. Secus per omnia se habet excommunicatio, aliæque censuræ Ecclesiasticæ; prout ex dictis relinquitur. Neque opponas verba *cap. 2. de Constit. in 6.* inferius recitanda, quæ non censurarum duntaxat meminere, sed generaliter *de sententiis per statuta Ordinariorum prolatis* loquuntur. Siquidem tum ratio, tum communis interpretatio, tum verba sequentia textus probant, solummodo censuras intelligi; præsertim cum locorum Ordinarii irregularitates, aut alias inhabilitates, vel non possint, vel non soleant inducere; ideoque tanto minus de his sermo ibi fuerit. Porro pœna civilis (ut ad alterum argumenti membrum respondeam) itidem non est medicinalis, sed vindicativa, saltem ex ratione sua primaria; neque infligitur ob contumaciam: unde qui vult culpam, convincitur etiam consentire in hujusmodi pœnam, quæ ordinarie consequitur ad talem culpam, eique est proportionata: consequenter illam, etsi ignoratam, incurrit. Aliter denuo res se habet quoad excommunicationem, & alias censuras Ecclesiasticas: prout similiter ex dictis constat.

Dixi, quod, qui vult culpam, convincatur etiam consentire in pœnam *civilem*, quæ *ordinarie* consequitur ad talem culpam, eique est *proportionata*: ut insinuarem 1. id non procedere in pœnis Ecclesiasticis proprie dictis, ut sunt censuræ, quæ ex ratione sua primaria sunt medicinales. 2. Neque in pœnis civilibus, quæ sunt extraordinariæ, exorbitantes, & delictis absolute spectatis improportionatæ: in hujusmodi quippe pœnas invincibiliter ignorans non præsumitur, ne quidem in foro externo, consentire, esto velit culpam, propter

quam

quam taxatæ sunt. Unde si peregrinus transeat per Regionem, in qua sub pœna mortis, aliave gravissima, prohibita est venatio ferarum, non erit tanta afficiendus pœna, si legem notam quidem violet, nesciat autem gravitatem pœnæ, contra ejusmodi legis violatores constitutæ. Sporer *tr. proœm. c. 2. n. 39.*

Respondetur nunc ad Casum tertio. Si Dometius eandem pœnam ignoraverit ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, illam incurrit, saltem si Episcopus eam inferens, locutus sit *simpliciter*, & *absolute*. Ita Scotus *in 4. dist. 6. q. 8. n. 1.* ubi ait, quod ignorantia Canonis (loquitur de ignorantia mortaliter culpabili, ut exponit Hugo Cavellus) non excuset a censura. Idque satis clare deducitur ex *cit. cap. 2. de Constit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ita determinat: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dummodo tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Quæ verba tale nobis argumentum suppeditant. Nulla ignorantia crassa, aut supina excusat a censura; ut audivimus: sed omnis ignorantia mortaliter culpabilis, si non omnino sit affectata, saltem est crassa, aut supina; ergo &c. Min. prob. Omnis ignorantia mortaliter culpabilis, quæ indirecte solum est voluntaria (quod addo ad secludendam hic ignorantiam affectatam, quæ secundum dicta *n. 219.* est directe voluntaria) vel oritur ex pura negligentia, & desidia, vel ex nimia, & superflua occupatione circa alia negotia, quibus homo abstrahitur ab addiscendis iis, quæ tenetur scire: si ignorantia oriatur ex priori capite, erit crassa; si ex posteriori, supina; ergo &c. Unde non videntur bene, & consequenter loqui, qui docent, censuram quidem incurri ab ignorante, si ignorantia sit crassa, vel supina; non vero, si solum sit mortaliter culpabilis, quin tamen sit crassa, vel supina. Negatur enim suppositum, quod detur ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non sit crassa, vel supina, vel omnino affectata.

Dixi in respons. *Saltem si Episcopus locutus sit simpliciter, & absolute*, puta, hoc, vel simili modo: *Qui actum superstitionis exercuerit, sit ipso facto excommunicatus.* Si enim censuram imposuisset his verbis: *Qui præsumpserit, qui scienter, qui consulto, qui temere actum superstitionis commiserit, sit excommunicatus &c.* videtur dicendum, eam non incurri ab ignorante, etiamsi ignorantia fuisset crassa, supina, vel etiam affectata. Ratio est: quia operans ex ignorantia, quantumcunque mortaliter culpabili, non operatur scienter &c. stricte loquendo, cum ignorantia, & scientia sibi invicem sint oppositæ; ergo non incurrit censuram fulminatam contra facientes aliquid scienter; quoniam verba pœnalia, seu pœnam imponentia, stricte sumenda sunt. Nec refert, quod ignorantia affectata, & directe voluntaria, passim dicatur æquipollere scientiæ. Hoc enim summe verum est quoad culpam, & censuras illas, ad quarum incursionem non prærequiritur scientia formalis.

Dices jam contra tertiam Respons. primo. Ad ignorantiam crassam, aut supinam requiritur certi gradus, quorum si aliquis deficiat, emergit ignorantia, quæ nec crassa sit, nec supina, adhuc tamen mortaliter peccaminosam: consequenter &c.

Respondetur, hoc dicere omnino vanum esse. Qui enim vates ille (ait P. Stephanus Erhart, Lector Jubilatus, & Vir insignis literaturæ, in suis Thesibus *de Censur. dist. 2. q. 1. assert. 3.*) qui in particulari semper possit discernere, an adsint gradus sufficientes ad unam, vel alteram ignorantiam constituendam? Hoc ergo dicendi modo magis confunduntur, & implicantur conscientiæ, ac leges, quam declarentur. Porro falsitas assumpti colligitur ex dictis in ratione responsionis probativa.

Dices secundo. Ubi non est contumacia, ibi nec est censura: sed in delinquente ex ignorantia, licet mortaliter culpabili, non est contumacia; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Quia talis agnoscit (ut supponitur) obligationem inquirendi, sitne hoc, vel illud ab Ecclesia, aut Prælato Ecclesiastico vetitum sub censura, nec ne? cumque id facere intermittat, convincitur nihil aut parum curare de mandatis Ecclesiæ, suive Prælati Ecclesiastici: itaque merito redarguitur contumaciæ saltem virtualis, & indirectæ, quæ sufficit ad incurrendam censuram, *simpliciter*, & *absolute* statutam,

DISPUTATIO II.

De Lege Humana.

Expeditis moderata brevitate iis, quæ ad Legem in genere, & Naturalem, ac Divinam in specie attinent, de Lege Humana tractandum est; idque liberabiliore calamo, cum hic amplior difficultatum copia sese offerat, atque obtrudat.

CAPUT I.

De Causa Effectiva Legis Humanæ.

Cum genus humanum non solum indigeat directione in ordine ad bonum honestum, contentum intra limites rationis naturalis, vel ad externam, & temporalem felicitatem; sed etiam ad bonum honestum ordinis supernaturalis, ad spiritualem animæ salutem, æternamque fecilitatem comparandam, ideo lex, eique correspondens potestas legislativa, alia est *Ecclesiastica*, alia *Politica*, sive *Civilis*; prout insinuatum est *n. 208.* Prior primario, & directe intendit spiritualem, & æternam subditorum felicitatem; posterior vero temporalem. Nunc sit

ARTICULUS I.

De potestate ferendi Leges Ecclesiasticas.

SUMMARIUM

278. *Potestas ordinaria ferendi Leges Ecclesiasticas residet in S. Pontifice illimitate, & respectu omnium Christianorum; & in aliis Ecclesiæ Prælatis limitate, ac respectu sibi subditorum tantum.* 279. *Specificantur subjecta. in quibus post S. Pontificem potestas condendi Leges Ecclesiasticas, & quidem ordinaria, residet.* 280. *Abbatissa, aliæque Monialium Præfecta non pollent prædicta potestate.* 281. *Neque Collegium Cardinalium, Sede vacante, respectu totius Ecclesiæ.* 282. *Potestas ordinaria ferendi Leges Ecclesiasticas competit S. Pontifici immediate Jure Divino; aliis autem Prælatis inferioribus non nisi Jure Pontificio.* 283. *& seqq. Solvuntur argumenta contra.* 290. *Pontifex, canonice electus, ante confirmationem, imo etiam ante consecrationem, jam præfulget authoritate regendi universalem Ecclesiam: alii autem Prælati inferiores ante confirmationem nullo gaudent jure (in re) administrandi &c.*

Dico primo. Potestas ordinaria ferendi Leges Ecclesiasticas (1.) residet in S. Pontifice primario, & illimitate respectu omnium Christianorum, cujuscunque gradus, vel conditionis existant; & in aliis Ecclesiæ Prælatis limitate, ac respectu sibi subditorum tantum. Communis.

Probatur prima pars. Datur in Ecclesia Christi potestas ferendi Leges Ecclesiasticas, ut habetur *Joan. 20. & 21.* atqui ea in nullo alio subjecto potiori ratione existere debet, quam in S. Pontifice, qui vi officii totum Christianum orbem in spiritualibus gubernat; ergo eidem competit potestas ordinaria ferendi Leges Ecclesiasticas pro omnibus Christianis.

Probatur secunda pars. S. Pontifex se solo non potest attendere, & invigilare immediate universo populo Christiano; ergo necessarios habet subsidiarios, seu alios Prælatos inferiores, veluti sunt Archi-Episcopi, Episcopi &c. ergo & istis competit potestas ferendi Leges Ecclesiasticas; eaque ordinaria, utpote annexa officio, & dignitati Ecclesiasticæ, licet adhuc arctata in comparatione ad potestatem Papalem: tali enim potestate destituti Ecclesias sibi commissas salutariter regere, & gubernare haud possent.

279. Ex quo infertur, potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas, & quidem ordinariam, ac juxta officii exigentiam, post S. Pontificem in variis residere. Et quidem 1. in *Concilio Generali* (quod & *Oecumenicum* appellatur, estque illud, ad quod omnes Episcopi totius orbis convocantur, & comparere debent, nisi Canonico impedimento sint præpediti) utpote quod repræsen-

tat to-

tat totum Corpus Ecclesiæ, haberque influxum authoritatis a præsidentia Romani Pontificis tanquam Capitis; adeoque condere leges pro tota Ecclesia potest, dummodo authoritate Pontificia sit congregatum, & insuper confirmatum; alias enim erit acephalum, ejusdemve acta nullum robur obtinebunt. Reiffenstuel *ad Tit. de Constit. n. 63.*

2. In *Conciliis particularibus*. Nimirum in *Concilio Nationali* (in quo omnes Archi-Episcopi, & Episcopi certæ nationis sub uno Primate, vel Patriarcha conveniunt) pro sola, & tota Natione: in *Concilio Metropolitico, seu Provinciali* (quod congregatur ex Episcopis Suffraganeis certæ Provinciæ, authoritate Archi-Episcopi, seu Metropolitani) pro sola, & tota Provincia: atque in Concilio Episcopali (quod etiam nuncupatur Synodus Diœcesana, & congregatur ex Prælatis, Pastoribus, Rectoribus Ecclesiarum, & Superioribus Regularium, authoritate Episcopi Diœcesani) pro sola, & tota Diœcesi. Patet ex *can. 56. dist.* 18, & continua praxi Ecclesiæ.

3. In *Legato, & Nuncio Apostolico* pro provinciæ suæ Legationis *cap. fin. de Offic. Legat.*

4. In *Cardinalibus* respectu suarum Ecclesiarum, *c. 11. de Majorit.*

5. In *Patriarchis, Archi-Episcopis, & Episcopis* intra terminos suarum respective Ecclesiarum, & Diœcesium. *c. 2. de Majorit.* Excipe Episcopos mere titulares, & qui proprias oves non habent: hi enim potestate legislativa non gaudent, utpote quæ consequitur officium pastorale, non consecrationem. Hinc etiam Archi-Episcopi, Episcopi &c. illam statim exercere possunt post confirmationem, antequam consecrentur; quia statim per confirmationem confertur ipsis jurisdictio, & consequenter potestas legislativa, ceu præcipua jurisdictionis portio. Patriarchæ tamen, Primates, & Archi-Episcopi nequeunt condere leges, obligantes totum Patriarchatum, Primatum, aut Archi-Episcopatum nisi in Concilio Nationali, vel Provinciali de consensu Coepiscoporum, & Comprovincialium. *can. 4. seqq. caus. 9. q. 3.*

6. In *Capitulo Cathedrali*, Sede vacante *c. un. de Majorit. & obed. in. 6.* qui Episcopo in jurisdictione tam voluntaria, quam contentiosa succedit, exceptis casibus in Jure prohibitis. Sede autem plena, seu non vacante, nihil potest in Diœcesanos Capitulum.

7. In *Prelatis exemptis*, jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, respectu suarum quasi Diœcesium; cujusmodi sunt Superiores Ordinum Religiosorum, Abbates, Generales, & Provinciales: utpote qui existunt veri, & ordinarii Pastores, ac Rectores suarum Ecclesiarum; in quos proinde jurisdictio Episcopalis translata est. Sumitur ex *c. 6. & 7. de Statu Monach.*

Ubi tamen advertendum venit, potestatem legislativam in Prælatis nostri *Ordinis* Seraphici (& forte etiam in Prælatis quorundam aliorum Ordinum) restrictam esse, ut statuta vim legis habentia, totumque Ordinem, vel Provinciam obstringentia, condere non valeant, nisi cum Capitulo Generali, vel Provinciali respective. In Congregationibus intermediis, vel etiam extra illas possunt quidem facere quasdam ordinationes ad bonum regimen Ordinis, vel Provinciæ pertinentes, suoque tempore duraturas, non tamen statuta vim legis obtinentia, & in perpetuum duratura. Reiffenst. *ad Tit. de Constit. n. 98.*

Dixi: *in Prelatis exemptis*: Nam Prælati non exempti a jurisdictione Episcoporum, sine horum concessione condere leges non possunt. Augustinus Michel *de Leg. q. 2. pun. 4. n. 4.*

280. Quæres primo, an potestas ordinaria ferendi leges Ecclesiasticas etiam competat Abbatissis, aliisque Monialium Præfectis?

Respondetur negative. Ratio est: quia feminæ jure ordinario non sunt capaces jurisdictionis spiritualis proprie dictæ, qualis est potestas ferendi leges Ecclesiasticas: siquidem hujusmodi jurisdictio ex ordinatione Christi ordinarie respicit subjectum capax Ordinis, cujusmodi est masculus, non femina. Itaque tales Præfectæ solum obtinent potestatem dominativam, œconomicam, & maternam, vi cujus possunt suis Monialibus præcipere, delinquentes corrigere, officia dividere, bona temporalia administrare, & alia agere, quæ possunt Matresfamilias. P. Paulus Mezger *de Leg. disp. 34. art. 1. n. 22.* Obtinent præterea jurisdictionem spiritualem improprie dictam in ordine ad præcipiendum ea, quæ ad salutem animæ, & regularum observationem pertinent: quia hujusmodi potestatem requirit utilitas tum temporalis, tum spiritualis, ac salutare regimen Monialium. P. Pichler *lib. 1. Decretal. Tit. 31. n. 22.*

281. Quæres secundo, an Collegium Cardinalium, Sede vacante, polleat potestate legislativa respectu totius Ecclesiæ?

Respondetur negative. Ita cum communi P. Suarez. *lib. 4. c. 6. n. 5.* & sumitur ex *c. 3. de Elect. in 6.* & *c. 2. eod in Clement.* ubi Cardinalibus, Sede vacante, solum conceditur potestas statuendi ea, quæ pro electione S. Pontificis, pro defensione Ecclesiæ, & occurrentium periculorum aversione fuerint necessaria, vel proficua; unaque cavetur, ne in alio negotio se intromittant, & quidquid secus fecerit, irritum decernitur, & inane.

Dices. Capitulum Cathedrale, vacante Sede Episcopali, pollet potestate condendi leges obligantes totam Diœcesin; ergo etiam Collegium Cardinalium, vacante Sede Papali, pollebit potestate ferendi leges obligantes totam Ecclesiam.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod Collegium Cardinalium non succedat Papæ in jurisdictione, quippe quæ est Juris Divini; sicut Capitulum Cathedrale succedit Episcopo, utpote cujus jurisdictio est Juris humani tantum; prout confestim dicemus. Deinde minus expediret, si Cœtus Cardinalium, Sede vacante, posset exercere jurisdictionem Papalem; id enim præberet ansam, electionem Romani Pontificis justo diutius differendi. Secus est de Capitulo Cathedrali, vacante Sede Episcopali; hoc nanque adstringitur ad eligendum in Episcopatu Successorem intra spatium trium mensium; prout Jure definitum est. Reiffenst. *loc. cit. n. 91.*

282. Dico secundo. Potestas ordinaria ferendi leges Ecclesiasticas (1.) competit S. Pontifici immediate Jure Divino; aliis autem Prælatis inferioribus (2.) non nisi Jure Pontificio. Prima pars est certa. Secunda tenent Suarez *lib. 4. c. 4.* Herincx *disp. 3. q. 4.* Laym. Mastrius, Reiffenstuel, Mezger, Krimer, & alii plurimi contra Vasquez, & quosdam alios.

Probatur prima pars: quia S. Pontifex suam jurisdictionem, & consequenter potestatem ferendi leges Ecclesiasticas nequit accipere ab ullo homine; cum neminem in terris Superiorem agnoscat; ergo illam immediate a Deo derivet, necesse est.

Confirmatur. Pontifex suam jurisdictionem neque accipit a S. R. E. Cardinalibus, neque ab ipsa Ecclesia secundum se spectata, & prout hæc præscindit a Christo, nihilque importat, quam Cœtum fidelium; ergo immediate accipit a Christo. Ant. prob. Non enim a Cardinalibus, utpote qui ipsimet, etiam ut congregati, & in Corpore spectati, eam jurisdictionem non habent; cum, secundum proxime dicta, non succedant Papæ in jurisdictione. Neque ab Ecclesia: nam eo modo hodie accipit Pontifex jurisdictionem, quo olim illam acceperat S. Petrus: atqui S. Petrus illam non acceperat ab Ecclesia, sed immediate a Christo; ergo &c.

Procedit autem hæc doctrina de jurisdictione spirituali tantum, de hac enim sola loquitur illa infallibilis promissio æternæ Veritatis, *Matth. 16. Et tibi dabo claves Regni cælorum &c.* non autem de temporali quæ Romano Pontifici competit in ditiones temporales, quas ex donatione Constantini Magni quarto die suscepti Baptismatis, B. Silvestro, ejusque legitimis Successoribus facta, obtinet, *can. 14. dist. 96.* hanc enim jurisdictionem in Papa residere jure humano solum, ultro fatemur.

Probatur secunda pars primo. Prælati Ecclesiæ quicunque, S. Pontifice inferiores, totam suam jurisdictionem spiritualem obtinent a S. Pontifice; ergo & potestatem ferendi leges Ecclesiasticas; cum hæc sit portio jurisdictionis spiritualis. Prob. ant. In Regimine Monarchico omnia membra diriguntur, & gubernatur ab uno Capite: sed Regimen Ecclesiæ est Monarchicum, ergo in illo dirigi, & gubernari convenit omnia membra ab uno Capite, a quo proinde omnem jurisdictionem, & potestatem recipient: alias non servaretur debita subordinatio inter Pontificem ceu Caput Ecclesiæ, & Prælatos inferiores ceu membra.

Confirmatur. Juxta D. Cyprianum *can. 18. caus. 2. q. 1.* particulares Ecclesiæ ad Romanam comparantur, sicut radii ad solem, rivuli ad fontem, rami ad radi-

cem;

ctem; ergo sicut radii a sole, rivuli a fonte, rami a radice, recipiunt totam virtutem, ita Ecclesiæ particulares totum suum vigorem mutuant a Romana; & consequenter &c.

Probatur eadem pars secundo. Quia jurisdictio Episcopalis, cujus pars, ut diximus, est potestas legislativa, per S. Pontificem sæpe limitatur, ampliatur, aufertur, non habentibus Ordinem Episcopalem confertur, ab Episcopis non consecratis, & solum confirmatis exercetur: sed ista fieri non possent, si jurisdictio Episcoporum proveniret a solo Deo, seu Christo; cum Pontifex tollere nequeat potestatem, alicui Jure Divino inexistentem, veluti liquet de potestate Ordinis; ergo &c.

283. Objicies primo contra secundam partem concl. illud *Act.* 20. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, ubi potestas regendi in Episcopis immediate refertur in solum Deum.

Respondetur, textum plus non innuere, quam Episcopos fuisse positos a Spiritu S. quatenus Hic inspiravit, & providit, ut a Pontifice ponerentur, ab eoque jurisdictionem reciperent.

284. Objicies secundo. Episcopi succedunt Apostolis; ergo sicut hi omnes immediate a solo Christo accepere potestatem legislativam, ita & illi eandem accipere dicendi sunt.

Respondetur, dist. ant. Episcopi succedunt Apostolis quoad consecrationem, & Ordinem sacrum Episcopalem, con. etiam quoad jurisdictionem, & modum illam acquirendi, sicut Petro succedit Papa, neg. ant. & cons. Apostoli accepere jurisdictionem in universum mundum; idque immediate a Christo, quippe qui tunc per seipsum, & immediate regebat Ecclesiam: & quoniam id nunc præstat per S. Pontificem, ceu Vicarium suum, hic immediate jurisdictionem conferre Episcopis censendus est (limitatam tamen ad Diœceses) ut (quod omnino conveniens est) pro nunc, & pro tunc idem servetur ordo, & modus regendi in Ecclesia Christi.

285. Objicies tertio. Ipsum munus Episcopale est Juris Divini; ergo etiam potestas legislativa, tali muneri annexa.

Respondetur, dist. ant. Est Juris Divini quoad potestatem Ordinis, con. quoad potestatem jurisdictionis, neg. ant. & cons. Nam potestas legislativa non sequitur potestatem Ordinis, sed jurisdictionis, hujusque portio est, non illius.

286. Objices quarto. Sequeretur ex nostra sententia, S. Pontificem, absolute loquendo, posse omnes Episcopos ab Ecclesia tollere, totumque Ordinem Hierarchicum illius interimere: atqui sequelam concedere non possumus; ergo &c. Prob. autem sequela. Quæ a voluntate S. Pontificis pendet, illa potest tollere: sed secundum nos institutio, & jurisdictio Episcoporum pendet a voluntate S. Pontificis; ergo potest eam Episcopis auferre, omnesque tollere ab Ecclesia.

Respondetur, neg. seq. maj. Ad prob. omissa majore, dist. min. Institutio, & jurisdictio Episcoporum pendet e voluntate S. Pontificis, quatenus potest eam conferre huic, vel illi, con. quatenus potest eam conferre omnino nulli, neg. min. Christus ipse Ordinem Episcopalem immediate instituit juxta Trident. *Sess.* 23 *n.* 4. voluitque, ut instituantur Episcopi, & Pastores etiam Ecclesiarum particularium; cui proinde voluntati, seu præcepto, utpote Divini, Pontifex contravenire, Episcoposque ab Ecclesia tollere nequit; maxime quia a Christo non accepit aliam potestatem, quam ministerialem, qua uti non potest pro suo libitu, sed conformiter ad voluntatem Christi. Unde licet potestas jurisdictionis in Episcopis formaliter, & in particulari, quatenus illis confertur potestas in determinatam partem populi Christiani, sit Juris Pontificii, quod præcise nostra intendit, & asserit sententia; radicaliter tamen, & in genere, quatenus est divinum præceptum, ut instituantur Pastores particularium Ecclesiarum, est Juris Divini: adeoque dispositio circa illam non subjacet mero Pontificis arbitrio &c.

287. Objicies quinto. Defuncto Pontifice perseverat jurisdictio in Episcopis, ergo non dependet a Pontifice.

Respondetur, dist. cons. Non dependet a Pontifice in fieri, neg. in facto esse, seu conservari, omitto cons.

Instabis. Sublato Capite emarcescit vigor membrorum; ergo sublato Pontifice tolleretur jurisdictio Episcoporum si eam ab illo, ceu membra a Capite, obtinerent.

Respondetur, dist. ant. Sublato Capite physico emarcescit vigor membrorum physicorum, con. Sublato Capite mystico emarcescit vigor membrorum mysticorum, neg. ant. & cons. Membra Capitis mystici aliquando saltem tempore conservari possunt sine Capite, etsi sine Capite, ejusque influxu nequeant primo fieri.

288. Objices sexto. Omnis effectus positivus est immediate a Deo, ut soppono ex Philosophia: sed collatio jurisdictionis Episcopalis est effectus positivus; ergo est immediate a Deo.

Respondetur, esse immediate a Deo, ceu causa ordinis superioris, simulque immediate a Pontifice, ceu causa ordinis inferioris, & subordinata: in quo nihil absurdi, aut implicantiæ intervenit; cum ex Philosophia constet, plures causas totales subordinatas ad eundem effectum simul concurrere posse. Quare jurisdictio Episcopalis est a Deo non solum radicaliter, remote, & mediate, in sensu supra *n.* 286. exposito; sed etiam proxime, & immediate, quatenus in illius collationem immediate influit ut causa increata, & Author gratiæ. Quia tamen effectus consuevit appropriari causæ creatæ, & inferioris ordinis; hinc absolute dicere solemus, jurisdictionem Episcopalem esse immediate a S. Pontifice; adeoque Juris humani, non Divini. Et hoc reducitur ad modum loquendi: nam realis controversia solum in eo sita erat, utrum jurisdictio Episcopalis sit a solo Deo? & decisa est negative; atque ostensum, eam etiam vere, & authoritative conferri a Pontifice.

289. Objicies septimo. Episcopi habent potestatem ordinariam leges ferendi; ergo eam non accipiunt a Pontifice.

Respondetur, argumentum posse retorqueri: nam Parochi habent potestatem ordinariam jurisdictionis, v. g. in ordine ad absolvendos suos Parochianos sibi confessos; ergo eam non accipiunt ab Episcopis: quod est contra omnes. Licet ergo Episcopi jurisdictionem suam accipiant a Pontifice, ea tamen adhuc ordinaria dicitur, & est; quia conceditur ratione officii, & cum potestate delegandi.

290. Colliges ex dictis, quod Pontifex peracta Canonica electione, ante confirmationem, imo ante consecrationem, jam præfulgat authoritate regendi universalem Ecclesiam, *can.* 1. *dist.* 23. Alii autem Prælati inferiores, ante confirmationem, nullo gaudent jure (in re; nam jus ad rem acquisierunt per electionem) administrandi &c. *c.* 11. *&* *c.* 17. *de elect.* Ratio disparitatis patula est: nam Pontifex, canonice electus, omnem suam potestatem, sive jurisdictionem accipit abipsomet Deo, cum nullum in terris Superiorem agnoscat, a quo confirmetur, licet inthronizationem, seu coronationem admittat. Secus est de Prælatis inferioribus, qui in terris Superiorem habent, nempe Pontificem, a quo proin confirmari, suamque jurisdictionem accipere debent. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 55.

Atque hæc omnia, quæ in præsenti art. dicta sunt, quasi verbatim habentur in meis Thesibus *pag.* 110. *& seqq.*

ARTICULUS II.

De potestate ferendi Leges Civiles.

SUMMARIUM.

291. *Imperator leges civiles universales pro toto Imperio Romano, Reges, Principes supremi, & Respublica perfecta, pro suis Regnis, Principatibus, & Provinciis, concedere possunt.* 292. *Potestas legislativa residet etiam in Regina, si ea sit heres regni.* 293. *Leges civiles particulares, seu Statuta localia, etiam Juri communi contraria, ferre pro suis territoriis possunt Principes, & Status Imperii tam Ecclesiastici, quam seculares, uti Electores, Principes alii inferiores, Civitates Imperii liberæ &c.* 294. *Proponitur, & solvitur objectio.* 295. *Etiam Pontifex pro suo territorio temporali leges civiles condere valet, non autem pro aliis territoriis.* 296. *Diluitur argumentum in contrarium.*

291. Dico primo. Leges civiles universales, & totum Imperium Romanum obligantes, ferre potest Imperator vel solus, ut olim, vel cum consensu Statuum, ut hodie. Prior pars constat ex *l.* 1. *& ult. C. de LL.* Posterior ex variis *Imperii Recessibus*, &

Impe-

Imperatorum *Capitulationibus*, ut vocant. Non tamen ea potestas se extendit ad totum mundum: quoniam Imperatori non omnia regna, & territoria mundi subjecta sunt. Unde si quandoque Imperatoriæ Leges etiam extra Imperium observentur, id non fit ex absoluta necessitate, sed ex spontanea receptione Provinciarum, aut Locorum, in quibus observantur. Eandem potestatem ferendi leges universales pro omnibus suis Provinciis obtinent Reges, ac alii Principes supremi, seu superiorem non agnoscentes, vel sine, vel cum consensu Procerum Regni, aut Parlamenti; prout cujuslibet Regni consuetudo, vel Capitulationes habent. Idem dicendum de qualibet Republica perfecta, quæ videlicet suprema jurisdictione effulgens Superiorem non recognoscit, per *l. 9. ff. de J. & J.* P. Pichler ad *Tit. de Constit. n.* 31.

292. Quæres, an potestas legislativa respectu Regni resideat etiam in Regina?

Respondetur affirmative, si ea sit hæres, & moderatrix Regni. Ita ex *c. 4. de arbit.* communis DD. Ratio est: quia potestas legislativa annexa est regiæ jurisdictioni: cum ergo Reginæ competat regia jurisdictio titulo hæreditariæ successionis, consequens est, eidem etiam competere potestatem legislativam.

293. Dico secundo. Leges civiles particulares, seu statuta localia, pro suis territoriis condere possunt Principes, & Status Imperii tam Ecclesiastici, quam Seculares, uti Electores, Principes alii inferiores, Civitates Imperii liberæ &c. Et quidem leges Juri communi contrarias, dummodo ceteroquin sint justæ, & neque Imperatori, neque aliis Principibus, seu Populis præjudicium afferant, simulque salva maneant illa, quæ supremo Principi, sive Imperatori, cui, ut supponitur, immediate subsunt, specialiter riservata noscuntur, per *cit. l. 9. ff. de J. & J.* Sed contra hoc.

294. Objicies. Episcopi non possunt in suis Diœcesibus leges Ecclesiasticas, Juri Canonico communi contrarias, condere, per *c. 1. 2. de Relig. & Clem. 2. de Elect.* ergo neque Principes Imperii leges civiles, Juri Cæsareo communi contrarias.

Respondetur, neg. cons. Quia Jus Canonicum aufert hanc potestatem Episcopis, aliisque Prælatis Pontifici subordinatis: Jus civile vero, ut a Doctoribus, & consuetudine explicatum, eam Principibus Imperii indulget. Cujus utriusque fundamentum est: quia in posteriore casu solummodo bonum temporale (quod est præcipuus Legis Cæsareæ finis, aliquod præjudicium subiret, si contingeret, aliquem Principem inferiorem facere statutum, ejusmodi bono adversum: quod tamen præjudicium forte illatum, aut inferendum, tantum non foret, quin pluries resarciretur, vel compensaretur per utilissima statuta ab inferioribus Principibus condita, qualia ab Imperatore tam facile non potuissent sanciri, quippe qui naturam, & mores particularium Nationum tam accurate non potest nosse, quam proprii illarum Principes. Ast in priore casu periclitatur æterna salus (ad cujus promotionem, & consecutionem Canones ordinantur) si Episcopi ex aliqua præsumptione, inconsideratione, aut diabolica fraude circumventi, quidpiam, ultimo fini contrarium, statuerent.

295. Quæres, an etiam Pontifex condere leges civiles possit?

Respondetur primo. Certum est, quod ejusmodi leges condere possit pro terris sibi subjectis etiam quoad dominium temporale. Ratio est: quia jurisdictio spiritualis temporalem non excludit. *Extravag. unam sanctam de majorit.* & Reges, ac Principes, dum ejusmodi terras donarunt Pontifici, in hunc iisdem transtulerunt potestatem gubernativam; ergo & legislativam, quæ gubernativæ necessario est conjuncta.

Respondetur secundo. Extra terras sibi temporaliter subjectas Pontifex condere leges civiles non potest. Molina *tr. 2. de J. & J. d. 29. n.* 19. Palao *tr. 3. d. 1. p.* 22. §. 1. *n.* 1. & alii communiter. Ratio est: quia Christus solum spiritualem jurisdictionem contulit Petro, ejusque Successoribus; prout colligitur ex verbis: *Tibi dabo claves regni cælorum &c.* ut ergo temporalem quoque jurisdictionem haberet, debuisset illam accepisse a Principibus, de quo tamen nullum extat vestigium, aut fundamentum: consequenter &c.

296. Dices. Bonifacius VIII. *Extrav. cit.* S. Pontificem duobus gladiis, spirituali scilicet, ac temporali, a Christo munitum, ostendens, *Oportet*, inquit, *gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subjici potestati*; ergo &c.

Respondetur, quod Pontifex, quidem gerat duplicem gladium, seu duplicem potestatem jurisdictionis habeat, hoc tamen discrimine, ut una, videlicet temporalis, extra proprium ejus territorium, solummodo dici possit, & sit indirecta, ac alteri seu spirituali, subordinata, qua proinde uti non valeat, nisi quantum exigit finis supernaturalis, scilicet Ecclesiæ, veræque fidei, ac Religionis Catholicæ conservatio, & communis salus spiritualis alicujus Regni, vel Provinciæ. Virtute hujus potestatis Leo Papa Romanum Imperium a Græcis ad Germanos transtulit. *Clement. unic. de Jurejur.* cum ad Ecclesiæ defensionem, conservationemque id necessarium esset: leges præscriptionem cum mala fide permittentes, aliasque similes ab Imperatoribus conditas, alii SS. Pontifices Canonicis sanctionibus correxerunt: & eodem modo declarata potestate contractus, aliosque actus, tanquam Juri naturali, aut Divino contrarios, prohibuerunt, aut, ceu inhonestos, prohibitos declaraverunt. Unde etiam hæc potestas non mere temporalis, sed ex parte, nimirum ratione finis, spiritualis est.

CAPUT II.

De Materia Legis Humanæ.

ARTICULUS I.

Quænam generatim sit materia Legis Humanæ?

SUMMARIUM.

297. *Materia legis humanæ generatim sunt actiones, vel omissiones humanæ, quæ præcipi, vel prohiberi, permitti, vel puniri possunt.* 298. *Proponitur, & solvitur objectio.* 299. *Quatuor communiter recensentur actus legis, nimirum* præcipere, prohibere, permittere, *&* punire 300. *Fit, & diluitur instantia.* 301. *Recensiti actus sunt actus Legislatoris, & legis, dispari tamen ratione.* 302. Permittere *in rigore latius patet, quam* concedere, *tametsi prædicta duo vocabula non raro idem sonent.*

497. Dico. Materia Legis humanæ generatim sunt actiones, vel omissiones humanæ, quæ præcipi, prohiberi, permitti, vel puniri possunt. Ita DD. communissime.

Probatur, & declaratur Actiones humanas bonas imperat lex *præceptiva*: malas, & noxias vetat lex *prohibitiva*: indifferentes indulget lex *permissiva*, imo & quandoque inhonestas, non quidem eas approbando, sed præcise non plectendo, ob evitationem majoris mali: legum violativas persequitur lex *punitiva*. Quod totum colligitur ex *l. 7. ff. de LL.* ibi: *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire*, utique actiones, vel omissiones humanas; ergo &c.

390. Objicies. Lex debet tendere in bonum Communitatis; ergo non potest versari circa actiones indifferentes: cum enim istæ nec bonæ, nec malæ sint, bono communi nec prodesse, nec obesse queant.

Respondetur, dist. cons. Non potest versari circa actiones indifferentes qua indifferentes, con. qua servientes ad finem honestum, neg. cons. Legislator, sive præcipiat, sive prohibeat, sive permittat, sive puniat actiones indifferentes, semper eas considerat ut utiles, vel necessarias ad finem honestum, & conservationem, promotionem, vel reparationem boni communis. Sic gestatio armorum v. g. quæ ex se indifferens est, præcipi potest civibus, ut assuescant armis, eaque in casu necessariæ defensionis contra hostes dextre tractare sciant. Eadem gestatio armorum prohiberi potest, etiam sub pœna, rusticis, ne ebrii se mutuo lædant; & permitti studiosis tempore vacationum ad conciliandam sibi auctoritatem. Ubi ut vides, semper intenditur honestus finis. P. Pichler *loc. cit. n.* 7.

299. Colliges primo, quatuor præcipue esse actus legis, nimirum *præcipere, prohibere, permittere*, & *punire*, per *l. 7. cit.* Ratio quoque suffragatur; & quidem quoad tres primos actus ista: quia actus legis versantur circa actus humanos, ut dictum; ergo tot erunt actus legis, quot sunt differentiæ actuum humanorum: sed hujusmodi differentiæ sunt tres, nimirum bonitas, malitia, & indifferentia; ergo etiam tres erunt actus legis, relate

ad præ-

ad prædictas differentias; nam præcipiuntur actus boni, prohibentur mali, & permittuntur indifferentes. Ratio quoad quartum actum est: quia lex efficaciter actus bonos præcipere, malosque prohibere non posset, nisi subditos formidine pœnæ, saltem æternæ, vel etiam temporalis respective, posset inducere ad bonum, & retrahere a malo: consequenter &c. Sed

300. Dices. Præmiate non est actus legis, licet homines per præmia incitentur ad bonum, & retrahantur a malo; ergo neque punire &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia præmiare ad quemlibet pertinere potest, atque adeo non necessario est actus Superioris, & consequenter nec potest esse actus legis; punitio autem non potest pertinere, nisi ad Ministrum legis, cujus authoritate pœna infligitur; unde est actus Superioris, & legis.

Manet ergo, quod præcipue sint quatuor actus legis, supra nominati, ad quos alii, cujusmodi sunt inhabilitare, irritare, taxare pretia rerum &c. facile reducuntur.

Interim cum *n.* 210. ostenderimus, legem permissivam, *ut permissivam*, non sortiri rationem legis proprie dictæ; ita consequenter fatendum hic nobis est, permissionem non esse actum legis proprie talem. Nam permissio (inquit Pufendorf *de Jure Nat. & Gent. lib.* 1. *cap.* 6. §. 15.) proprie non est actio legis, sed actionis negatio; siquidem quæ lex permittit, illa neque præcipit, neque vetat, adeoque circa eadem nihil agit, sed cujusvis arbitrio relinquit; suntque non aliter permissa, aut licita, quam si lex nullam eorum mentionem fecisset. Recensetur tamen inter actus legis, quod permissioni juncta sit prohibitio, vi cujus aliis inhibetur, ne quempiam actum, lege permissum, exercere volentem impediant; sine qua prohibitione permissio esset vana, & inutilis, cum nihil proficeret, alicui quidquam indulgere, si ab aliis posset impediri: & hoc sensu dicitur in *l.* 7. *cit.* virtutem legis etiam esse *permittere*, nempe cum efficacia, vi annexæ, atque concomitantis prohibitionis.

301. Colliges secundo, recensitos actus active sumptos (nam passive sumpti sunt effectus legis, ut patet) esse actus Legislatoris, & legis; dispari tamen ratione: nam respectu Legislatoris sunt actus eliciti, non autem respectu legis: quoniam enim lex non est habitus, nec potentia, actos elicitos habere non potest. Sunt ergo tantum actus legis quasi integraliter quia lex illis integratur, non quod omnes quatuor in qualibet lege particulari concurrant; sed quia ad legem in communi pertinent; prout annotavi in *meis Thesibus pag.* 42.

302. Colliges tertio, *permittere* quidem non raro idem sonare, ac *concedere*, nihilominus in rigore latius patere: nam non omne, quod est permissum, etiam concessum censetur; siquidem concessum in moribus dicitur, quod opponitur prohibito, ac idem valet, atque licitum: & hoc modo permittuntur, ac conceduntur actus indifferentes. At vero permissum subinde compatitur cum prohibito, puta quando permittitur aliquid illicitum, ut vitetur id, quod est magis malum, & illicitum: sic permittuntur meretrices ad evitanda majora mala, quæ tamen non conceduntur; cum utique accessus ad eas sit Jure naturali prohibitus; & ad culpam imputetur, esto non plectatur pœna temporali a Jure humano statuta, aut ab homine infligenda. P. Krimer ad *Tit. de Constit. n.* 310.

ARTICULUS II.

An, & quomodo actus interni sint materia Legis Humanæ?

Hæc quæstio magni momenti est, & una ex celebrioribus, quas Theologi morales excitare solent. Unde pro condigna sui pertractatione dexteram paulo largiorem sibi vendicare videtur, qualem etiam eidem libenter impensum ibimus, singulari utilitate, quæ ex accurata illius discussione resultare in praxi noscitur, facile permoti. Dividemus autem præsentem articulum in duos §§. in quorum priore quæstionem quoad actus internos externis conjunctos, in posteriore vero quoad actus internos solitarie spectatos, decidemus.

§. I.

An, & quomodo actus interni externis conjuncti sint materia Legis Humanæ?

SUMMARIUM.

303. *Actus internus alius est mere talis, alius non mere talis, sed cum externo conjunctus; idque vel per se, vel per accidens.* 304. *Explicatur, quid sit actum aliquem præcipi* directe tantum, indirecte tantum, *& directe, ac* indirecte simul. 305. *Lex humana spectari potest quoad vim directivam ac coactivam, & hanc vel internam tantum, vel etiam externam.* 306. *Actus interni externis per se conjuncti sunt materia Legis humanæ, saltem indirecte: imo etiam* 307. *directe, si, tanquam compartes actuum externorum, essentialiter constituant actus mixtos.* 308. *Proponitur, & solvitur objectio.* 309. *Non solum actus interni externis per se conjuncti, & actuum mixtorum essentialiter constitutivi sed ipsi quoque actus externi præcipiunt, aut prohibentur, vel saltem præcipi, aut prohiberi Lege humana possunt indirecte, & directe simul.* 310. *Legislator humanus prædictos actus præcipere, aut prohibere potest etiam per leges externe coactivas.* 311. *Lex humana Civilis nullo modo potest, Ecclesiastica vero potest præcipere, vel prohibere, tam directe, quam indirecte actus internos cum externis per accidens conjunctos.*

PRænotandum primo, actum internum alium esse mere talem, alium non mere talem. Actus internus non mere talis, est, quando, sive per se, sive per accidens, conjungitur cum actu externo. Per se conjungitur, quando ad ejus substantiam vel physicam, vel moralem necessarius est. Ad substantiam physicam necessarius est, quando actum externum facit libere, & humano modo existere in esse substantiali physico: ita se habet volitio efficax furandi relate ad furtum externum, utpote quod sine illa libere nequit fieri, etiam physice. Ad substantiam moralem necessarius dicitur, quando actum externum facit existere in esse substantiali morali: ita se habet dolor in ordine ad confessionem Sacramentalem, & intentio Ministri relate ad administrationem Sacramenti: siquidem nec fit vera confessio Sacramentalis, quæ non procedit ex dolore interno; nec vera administratio Sacramenti, quæ non sequitur ex intentione Ministri, licet utraque actio externa physice fieri sine illis actibus internis possit. Quare inter actus internos prioris, & posterioris generis, ea est advertenda differentia, quod illi infallibiliter inferantur, & manifestentur per actus externos (quis enim non videat, volitionem furandi manifestari per furtum externum &c.?) isti vero præsumptive tantum, quatenus positis actibus externis, prudenter præsumitur (nisi circumstantiæ oppositum persuadeant) adfuisse etiam internos, licet absolute potuerint abfuisse. Actus internus cum externo per accidens tantum conjungitur, quando neque ad ejus esse physicum, neque morale substantiale necessarius est, sed ad utrunque habet se disparate, mereque per accidens: quomodo se habet intentio orandi, communicandi &c. in satisfactionem pro peccatis, vel ad captandam vanam gloriam. Actus denique mere internus est, qui neque per se, neque per accidens cum externo conjungitur: cujusmodi est oratio mentalis.

Dices. Ergo ad substantiam actus moralis externi duo actus interni concurrant, necesse est, unus, qui faciat illum subsistere in esse physico, & alter, qui faciat eundem subsistere in esse morali, cui entitas physica substernitur.

Respondetur, ita omnino esse. Capi id in exemplo potest. Præcipiat lex humana aliquem contractum externum: hunc talem licet quis ineat sine animo vere contrahendi, elicit nihilominus volitionem, contractioni externæ necessario præsuppositam, ejusdemque quoad esse physicum, & materiale constitutivam; cum, uti supponο, non violentetur ad contrahendum. Quod si insuper contractum ineat animo vere contrahendi, ponit alterum actum internum, quo vere velit contrahere, & qui sit constitutivus contractionis externæ quoad esse morale. An autem memorati actus interni sint gemini formaliter, & entitative, vel virtualiter, & terminative tantum, Philosophis disputandum relinquo.

304. Prænotandum secundo, actum aliquem posse præcipi *directe tantum*, *indirecte tantum*, vel *directe*, *& indirecte simul*. Directe tantum præcipitur, quando præcise ratione sui præcipitur. Sic præcipitur, dum præcipitur solitarie, & citra connexionem cum alio actu; ut patet in oratione mentali. Indirecte tantum præcipitur, quando præcise ratione alterius actus præcipitur. Hoc modo præcipitur, dum neque præcipitur solitarie, neque est pars objecti, quod præcipitur, sed necessaria solum ejusdem conditio; ut patet in intentione audiendi Missam, quæ est conditio, sine qua auditio præcepta non potest fieri. Directe, & indirecte simul præcipitur, quando præcipitur tam ratione sui, quam ratione alterius actus. Tali modo præcipitur, dum est compars alterius actus, in constitutione objecti, quod præcipitur; ut patet in actu devotionis, qui, ceu compars cum externa auditione Missæ, constituit auditionem Missæ ab Ecclesia præceptam, id est, auditionem devotam.

305. Prænotandum tertio, Legem humanam spectari posse *quoad vim directivam*, & *coactivam*. Priore modo spectatur, quatenus obligat sub reatu solius culpæ in conscientia incurrendæ, non autem sub reatu alicujus pœnæ a Jure statutæ, vel ab homine infligendæ. Posteriore modo spectatur, dum obligat & sub culpa, & sub pœna. Potest autem obligare vel sub pœna ipso facto incurrenda; & spectatur quoad vim coactivam internam: vel sub pœna inferenda per sententiam Judicis; & spectatur quoad vim coactivam externam. His propter dicenda cum in hoc, tum in *seq.* §. necessario præmissis.

306. Dico primo. Actus interni cum externis per se conjuncti, lege humana non tantum Ecclesiastica, sed & Civili præcipi, vel prohiberi possunt, saltem indirecte. Ita DD. communissime.

Probatur. Quia ad humanam gubernationem, sive politicam, sive Ecclesiasticam, pertinet præcipere, vel prohibere actus externos; ergo etiam internos, sine quibus externi non possunt subsistere in suo esse, sive physico, sive morali: sed hujusmodi sunt actus interni externis per se conjuncti; ergo ad Legem humanam utranque pertinet illos posse præcipere, vel prohibere, saltem indirecte, seu quatenus ad externorum positionem sunt necessarii.

307. Dico secundo. Memorati actus interni utraque Lege humana præcipi, aut prohiberi possunt, ac solent, etiam directe, si tanquam compartes actuum externorum, essentialiter constituant actus mixtos. Ita Authores mox citandi, saltem quoad Legem Ecclesiasticam: universaliter vero, & quoad Legem etiam Civilem nobiscum sentit P. Eleutherius Stainhart in *suis Thes. pag.* 76.

Probatur primo. Lex Ecclesiastica potest præcipere confessionem validam, id est, tam in esse physico, quam morali subsistentem; prout cum Joanne de Cardenas per certam illationem deducit La Croix *n.* 647. ex hac propositione inter damnatas ab Alexandro VII. *ord.* 3. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Lex porro Civilis potest præcipere contractum validum; prout liquet ex *l.* 4. *C. de obligat. & action.* atqui præcipiendo confessionem, & contractum validum, directe præcipiunt non solum actus externos, sed etiam internos, externorum in esse physico, & morali constitutivos; ergo &c. Min. ostenditur inde, quod hujusmodi actus interni cum externis essentialiter constituant actus mixtos, in quos, seu objecta, leges memoratæ tendunt; ergo non apparet, cur actus externi dicantur directe præcipi, & non etiam interni &c.

Probatur secundo specialiter quoad actus internos, externorum, & consequenter cum istis, seu compartibus, mixtorum in esse morali constitutivos. Posset Legislator Ecclesiasticus uno præcepto præcipere actum externum, v. g. orationem vocalem, & post aliquod tempus superaddere aliud præceptum de attentione interna; atque Legislator Civilis prius præcipere contractionem externam, & postea distincto præcepto obligare ad volitionem vere contrahendi: atqui tali casu utrunque actum, internum scilicet, & externum, præciperet directe; ergo tali casu potest utrunque præcipere directe; ergo idipsum, eodemque modo præstare per unum præceptum potest. Majorem cum aliis Adversariis concedit P. Pichler *loc. cit. n.* 40. negat vero minorem quoad actum internum, quam proinde in hunc modum probo. Quodlibet præceptum, quando fertur, præcipit (vel prohibet) aliquid directe; prout prudenter negari a nemine potest; ergo etiam præceptum adjectum de attentione interna, & volitione vere contrahendi. Atqui non potest assignari aliquid aliud, quod in facta hypothesi directe præciperet, nisi attentio interna, & volitio vere contrahendi; ergo eas directe præciperet. Subsumptum ostenditur: quia illud aliud foret oratio vocalis, & contractio externa: sed hoc est contra suppositum; cum isti duo actus non supponantur iterum præcipi, sed jam antecedenter præcepti distincto præcepto; ergo &c.

Dixi in conclus. *si tanquam compartes &c.* Nam si solum se habeant ut conditiones ad constitutionem actuum mixtorum necessario prærequisitæ, indirecte tantum præcipiuntur, aut prohibentur; hoc ipso, quod non sint pars objecti, in quod Lex tendit. Revide dicta *num.* 304.

Objicies. Actus interni, etiam per se externis conjuncti, nihil conferunt ad finem, a Legislatore humano intentum; ergo non possunt ab isto præcipi, saltem directe.

308. Respondetur, neg. ant. Nam in primis ad finem, a Legislatore Ecclesiastico intentum, qui est consecutio æternæ salutis, plus conferunt affectus, & actus interni, utpote qui principaliter meritorii, ac spirituales sunt, quam operationes externæ, quæ solum ab illis esse meritorium participant. Nullus certe dubitandi locus relinquitur, quin Pontifex dum in *c.* 9. *de celebr. Miss.* Clericis præcipit devotam Officii Divini recitationem, haud minus, imo magis principaliter intendat devotionem, quam externam verborum prolationem. Faciunt præterea ad finem, a Legislatore Civili intentum, qui est externa, & politica Reipublicæ tranquillitas: ad hanc quippe conservandam plurimum interest, ut cives non ficte, sed recto animo, fideque negotientur. Accedit (& præcipue in præsenti notandum est) quod actus interni, externis per se conjuncti, per istos evadant sensibiles, & externe manifestentur sive infallibiliter, sive præsumptive; prout expositum est *n.* 303. ergo nihil deest, quin a Legislatore Civili per se, & directe intendantur; cum sic intendantur actus mixti, qui ex in- & externis seu partibus constantur, atque in suo esse constituuntur.

Nec dicas. Attentio interna, & volitio vere contrahendi etiam in tali casu præciperentur ratione actuum externorum, videlicet ratione orationis vocalis, & contractionis externæ, ad quorum moralem substantiam sunt essentialiter necessarii: consequenter præciperentur tantum indirecte; cum præciperentur ratione alterius.

Contra enim est, quod memorati actus interni præciperentur quidem etiam in casu posito ratione actuum externorum, & indirecte, non tamen præcise ratione illorum, sed etiam ratione sui, & directe; secus præcepta, quibus præciperentur, non haberent objectum, in quod tenderent, seu quod directe præciperent; prout constat ex proxime dictis.

Quæres, an non solum actus interni, sed etiam externi præcipi, aut prohiberi possint directe, & indirecte simul? Ratio dubitandi est: quia actus externi non videntur posse a Legislatore ordinari ad internos tanquam finem, qualiter tamen interni ad externos ordinari possunt: & consequenter, licet actus externi possint præcipi, aut prohiberi directe, non tamen poterunt præcipi, aut prohiberi etiam indirecte, sicut actus interni possunt, quemadmodum ex dictis liquet.

309. Respondetur. Actus externi possunt a Legislatore ordinari ad internos tanquam finem; & consequenter etiam indirecte præcipi, aut prohiberi. Ita Cardenas in 1. *crisi disp.* 25. *c.* 2. *& seqq.* La Croix *n.* 646. & alii contra Caramuelem. Ratio est: quia licet actus externi, dum a Legislatore ordinantur ad internos tanquam finem, ab istis specificentur, manent nihilominus essentialiter externi, cum inde nullum acquirant prædicatum formaliter constitutivum actibus internis proprium; ergo haud apparet, cur non possint ordinari ad internos tanquam finem; & consequenter etiam indirecte, nimirum ratione internorum, præcipi, aut prohiberi. Id quod evinci ex Tridentino potest; nam *Sess.* 22. *c.* 5. præcipit ritus Missæ, ut mentes ad meditationem rerum divina-

divinarum eleventur: præcipit præterea catecheses, & prohibet libros hæreticos, ut fides interna retineatur &c. Vide Authores citt.

310. Dico tertio. Legislator humanus, sive Ecclesiasticus, sive Civilis actus internos, cum externis per se conjunctos, præcipere, vel prohibere potest per leges directivas, & coactivas, etiam externas. La Croix *n.*654.

Probatur. Quia actus interni, per se cum externis conjuncti, per istos sufficienter, puta vel infallibiliter, & evidenter, vel saltem præsumptive, & moraliter, produntur, & sensibiles fiunt; prout advertimus *n.*303. ergo nihil obstat, quo minus Legislator humanus, sive Ecclesiasticus, sive Civilis, illos possit cognoscere in forma judicii; & consequenter præcipere, vel prohibere per leges etiam externe coactivas.

311. Dico quarto. Lex Civilis nullo modo potest; Ecclesiastica vero, in quantum directiva, & interne coactiva est (secus, in quantum externe coactiva est) potest præcipere, vel prohibere, tam directe, quam indirecte, actus internos cum externis per accidens conjunctos. Ita Authores, pro conclusionibus in §. *seqq.* statuendis, citandi.

Probatur conclusio ex iis, quæ *seq.* §. de actibus mere internis allaturi sumus: par enim inter hos, & actus internos, per accidens solum externis conjunctos, ratio est, maxime quod isti per talem conjunctionem tam parum fiant sensibiles, quam sint sensibiles actus mere interni. Unum tamen discrimen inter memoratos actus, relate ad Legem Ecclesiasticam, advertere est, quod ea actus mere internos *directe tantum*; actus vero internos, cum externis per accidens conjunctos, *directe, & indirecte simul* præcipere, aut prohibere valeat. Ratio discriminis est; quia illi non habent; isti autem habent aliquam conjunctionem cum actibus externis, iisdemque esse quoddam extrinsecum contribuunt; & consequenter ratione eorum, adeoque etiam indirecte, præcipi, vel prohiberi possunt.

§. II.

An, & quomodo actus mere interni sint materia Legis Humanæ?

S U M M A R I U M.

312. *Lex naturalis, & Divina etiam ad actus mere internos se porrigunt; prout in confesso est.* 313. *Lex Civilis nullo modo potest præcipere, aut prohibere actus mere internos.* 314. *Lex Ecclesiastica, in quantum externe coactiva (1.) non potest præcipere, aut prohibere actus mere internos; potest vero (2.) in quantum est directiva, & coactiva interne.* 315. *& seqq. Solvuntur argumenta contraria.* 319. *Ecclesia etiam de facto aliquos actus mere internos præcepit, aut prohibuit; quamvis ordinarie solos actus mixtos præcipere, aut prohibere soleat.*

312. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, quod Lex naturalis ad actus etiam mere internos se porrigat, cum resideat in ipsa mente, ideoque a S. Paulo ad *Rom.* 7. *v.*22. appelletur *lex mentis*; atque præcipuum in hac lege mandatum esse dilectionem Dei *ex tota corde, & in tota anima*; secundum vero dilectionem proximi, constat ex *Matth.* 22. Cumque hominis natura maxime a mentis, & rationis operationibus sit æstimanda, certe has cumprimis Jus naturæ dirigat, necesse est. Idem de Jure Divino sentiendum, utpote quod ad finem, ac beatitudinem supernaturalem, actibus meritoriis obtinendam, fideles disponit. Hoc prænotato, & supposito.

313. Dico primo. Lex Civilis nullo modo potest præcipere, aut prohibere actus mere internos. Communis DD.

Probatur. Nam lex civilis non procedit a potestate spirituali, nec intendit, saltem per se, & proxime, bonum spirituale hominis, nec eum dirigit ad finem supernaturalem, sed tantum versatur circa politicam, & externam gubernationem Reipublicæ; ergo non extat ullum fundamentum asserendi, quod Legislator civilis valeat præcipere, aut prohibere actus mere internos, utpote propter suam insensibilitatem, & incognoscibilitatem externæ gubernationi nec prodesse, nec obesse potentes.

Confirmatur. Ad finem naturalem tantum conducunt media naturalia, saltem directe, & per se loquendo: sed finis Legislatoris civilis est naturalis, videlicet politica, & externa gubernatio Reipublicæ; ergo ad eum tantum conducunt media naturalia: qualia sunt actus visibiles, & sensibiles, non autem mere interni, & insensibiles: consequenter &c.

314. Dico secundo. Lex Ecclesiastica, in quantum est externe coactiva (1.) non potest præcipere, aut prohibere actus mere internos, potest autem (2.) in quantum est directiva, & coactiva interne. Prima pars est omnium. Secundam tenent Sbogar *tr.*71. Cardenas in 1. *crisi tr.*3. *disp.*25. *c.*7. iterumque in 2. *differt.*24. Gormaz de *Pœnit. p.*2. *n.*67. La Croix *n.*652. *& seqq.* Henno de *Leg. disp.*3. *q.*3. *conclus.* 2. Franciscus Schmier *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 1. *sect.* 2. §. 2. Benedictus Schmier in *tr. de Romano Pontifice part.* 2. *differt.* 1. *q.* 3. Placidus Bockn *lib.* 1. *Decret. in forma Thesium producto ad Tit. de Constit. n.*19. & alii, hodie satis frequenter.

Probatur prima pars. Quia etiam Legislator Ecclesiasticus non potest *in forma judicii* cognoscere actus mere internos; ergo neque præcipere, vel prohibere per leges externe coactivas; cum ad hoc requiratur, ut possit transgressores convincere, & punire per sententiam post delictum ferendam.

Probatur secunda pars primo. Christus contulit Petro, & in hoc cuivis ejus Successori potestatem absolutam præcipiendi suis subditis; ut patet ex illo *Matth.* 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis &c.* quam non scimus esse limitatam ad actus tantum externos, vel mixtos; ergo cum concessio Christi sit favorabilis, restringi non debet, sed potius extendi etiam ad actus mere internos.

Confirmatur. Christus contulit Petro prædictam potestatem in ordine ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis consequendæ; sed ad hunc finem multo magis conducunt actus interni, quam externi; externi enim non sunt meritorii per seipsos (id est, independenter ab internis) beatitudinis supernaturalis; ergo credendum est, quod Christus multo magis contulerit potestatem Petro præcipiendi, aut prohibendi actus internos, quam externos.

Probatur eadem pars secundo. Innocentius XI. in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet, ne quis propositiones ab ipso damnatas deducat ad praxim: sed inter illas aliquæ versantur circa actus mere internos, uti 5. 6. 7. de interna dilectione Dei; & 10. de dilectione proximi, ita sonans: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*: hæc autem omissio amoris interni, quæ prohibetur, est aliquid mere internum, ergo &c.

Respondent aliqui ex Adversariis, ibi tantum prohiberi, ne doceantur illæ sententiæ.

Sed contra est, quod doctrina paulo ante prohibeatur sub excommunicatione latæ sententiæ; ergo quod additur de praxi, non potest intelligi de doctrina, sed de ipso illius usu.

Respondent alii, praxim illarum propositionum jam aliunde prohibitam fuisse, videlicet Jure naturali, & Divino; proindeque Ecclesiam illam non prohibere, sed solum declarare prohibitam.

Contra tamen est. Quando Legislator aliquid prohibet *in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii*, non tantum declarat illud esse prohibitum, sed & ipse prohibet: atqui Innocentius XI. in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii omnibus Christi fidelibus prohibet, ne prædictas propositiones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant; ergo non solum declarat earum praxim esse prohibitam (Lege scilicet naturali, & Divina) sed & ipse prohibet. Majorem admittunt, vel certe admittere debent Adversarii. Videatur P. Pichler (qui est unus de numero sic respondentium) ad *Tit. de Constit. n.*12. ubi illam expresse tradit. Min. constat ex adjuncta Bulla. Consequentia fluit. Deinde Pontifex æque adhibet modum prohibendi, dum proscribit praxim illarum propositionum, ac dum proscribit earum doctrinam (utrobique enim utitur verbo prohibendi) sed dum proscribit doctrinam, non solum declarat, eam Jure naturali, & Divino jam esse prohibitam, verum etiam ipse prohibet; ergo pariter dum proscribit praxim &c. Itaque Pontifex & ipse vetat doctrinam, & praxim illarum propositionum, superaddendo obligationi, ex Jure naturali, & Divino resultanti, obligationem novam, seu distinctam

absti-

abstinendi ab illarum doctrina, & praxi: in quo nullum est inconveniens; cum nihil obstet, quo minus unus, idemque actus diversis Juribus prohibeatur.

315. Objicies primo contra secundam partem conclusionis. *Cap.33. in fine, & cap. seq. de Simonia* Pontifex ingenue fatetur, sibi non *de occultis, sed de manifestis tantummodo judicare*, datum esse. Ubi per actus occultos non intelligit actus externos in abscondito gestos, seu *per accidens occultos*, sed actus internos, qui *per se occulti* sunt; loquitur enim de Simonia mentali. Ergo ex propria Pontificis confessione non existit in Ecclesia potestas præcipiendi, vel prohibendi actus mere internos.

Confirmatur. *Can.14. de Pænit. dist.1.* dicitur: *Nemo patitur cogitationis pœnam*; ergo neque culpa cogitationum datur in foro humano; ergo nec lex humana obligans præcise, & directe ad certas cogitationes, seu actus internos.

Respondetur ad argumentum, in *citt. cc.* nihil contineri, quod Adversariis faveat: cum in utroque sit sermo de actu mixto. Nam in priore casus concernit veram Simoniam externam, qua alii pro electo ignorante, ac protestante, ut confirmationem obtineret, Superiori pecunias dederunt; ibi: *illos autem, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt &c.* In *cap.* autem posteriore casus quidem est de Simonia mentali; sed negatur suppositum, quod Simonia mentalis sit actus mere internus: siquidem non ideo *mentalis* appellatur, quasi præcise intra mentis latebras consistat, seu sola voluntate, aut proposito committendi Simoniam constet; sed quod nullum pactum externum includat, esto involvat dationem rei temporalis, ea intentione factam, ut alter fictum hoc donum pactionis instar accipiat, atque in compensationem beneficium, aut aliqoid aliud spirituale retribuat: prout suo loco, ubi de Simonia acturi sumus, amplius patebit. Ex quibus liquet, *citt. cc.* objicientibus nihil suffragari, imo refragari potius, cum ipsimet admittant, posse ab Ecclesia legem ferri circa actus mixtos, de quibus, ut vidimus, *citt. cc.* loquuntur. Ceterum (ut directe respondeamus, *citt.cc.* solum innuunt, Pontificem de internis, licet exterior actus accedat, si tamen maligna intentio haud satis appareat, non posse *judicare*, seu disponere *in forma judicii*, prout aperte colligitur ex verbis *cap.* 13. ibi: *quod si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus (quæ non judicat de occultis) pœna essent Canonica ferendi*: qui textus clarissime loquitur de pœna per sententiam Judicis inferenda. Cum quo tamen stat, quod Pontifex de internis, etiam mere talibus, aliquid statuere valeat *in forma legis*; prout infra explicabitur.

Ad confirmat. ajo, textum illum, cum sit ex Jure civili transumptus, pro foro externo, & contentioso exaudiendum esse; non autem pro foro interno, & conscientiæ: in hoc quippe Ecclesia etiam cogitationes, seu actus mere internos aliqua pœna distringere posset, licet, ceu discretissima Mater, id facere non soleat.

316. Objicies secundo. Potestas Legislativa debet esse conjuncta cum potestate punitiva, etiam externa, ut habet Aristoteles 10. *Ethic. cap.5.* sed Ecclesia non potest exterius punire actus mere internos, hoc ipso, quod non possit illos cognoscere, & judicare; ergo non potest circa illos exercere potestatem legislativam: & consequenter &c. Ita cum aliis Adversariis argumentatur P. Schmalzgrueber ad *Tit. de Constit. n.21.*

Respondetur primo, argumentum retorquendo. Potestas legislativa debet esse conjuncta cum potestate punitiva, etiam externa: sed Prælati Regulares non possunt exterius punire actus mere internos: quia non possunt illos cognoscere, & judicare; ergo non possunt circa illos exercere potestatem legislativam; consequenter non possunt suis Religiosis præcipere, vel prohibere actus mere internos: quod est contra ipsosmet Adversarios, saltem plerosque.

Respondetur secundo, argumentum iterum retorquendo in actibus externis occultis; nam neque hos Ecclesia exterius punire potest; cum eosdem nequeat cognoscere, & judicare. Nec refert, quod solum per accidens illos non possit cognoscere. Nam contra urget Caramuel in *Theologia morali fundam. num. 476. & seqq.* Quod per accidens non potest cognosci, per accidens non potest præcipi, prohiberi, & puniri: adeoque Ecclesia actus occultos, quos per accidens non potest cognoscere, etiam per accidens non potest præcipere, prohibere, atque punire: quod, ut reor, nemo admiserit.

Vim hujus secundæ retorsionis nititur infringere, ac enervare P. Babenstuber *tr.3. disp.2. art.3. num.14.* hisce verbis: *id* (inquit) *quod est per accidens, non tollit id, quod est per se, & consequenter actus occulti, quamvis per accidens sint incognoscibiles, manent per se cognoscibiles, adeoque directe præceptibiles, ita, ut neque per accidens reddantur impræceptibiles.*

Verum contra est, hanc responsionem laborare in supposito; nam retorsio non eo tendit, quasi id, quod est per accidens, tollat id, quod est per se; cum non velit actus occultos esse impræceptibiles remote, & in actu primo, ex eo, quod per accidens non possint cognosci in actu secundo; sed quod per accidens non possint præcipi proxime, & in actu secundo, quia per accidens non possunt cognosci in actu secundo; ita, ut defectus actualis cognitionis inducat defectum, seu impotentiam actualis præceptionis; ubi vides, id, quod est per accidens, tollere, seu impedire id, quod itidem est per accidens, non vero id, quod est per se: consequenter &c.

Respondetur denique tertio directe, explicando, & dist. maj. Potestas legislativa debet esse conjuncta cum potestate punitiva externa, ut possit punire pœna infligenda per sententiam a Judice post commissum crimen primum ferendam, con. ut possit aliquid prohibere sub culpa, & punire pœna taxata per legem, seu sententiam ante commissum crimen jam latam, & incurrenda ipso facto, neg. maj. & concessa minore, distinct. conf. Ergo Ecclesia circa actus mere internos non potest exercere potestatem legislativam, illos puniendo per sententiam a Judice post commissum crimen primum ferendam, con. illos prohibendo sub culpa, & puniendo pœna ante crimen commissum jam taxata per legem, sive sententiam latam, neg. conf. Neque ad hoc requiritur, ut Ecclesia actus mere internos cognoscat in *forma judicii*, quod testibus, & Instrumentis perficitur; sed satis est, quod illos cognoscat (ut ita dicam) *forma legis*, seu *constitutionis*, per legem generalem ordinando, ut quicunque in mente hæresim v. g. pertinaciter fovere ausus fuerit, excommunicationi latæ sententiæ se noverit obnoxium: ut enim lex judicet, ac puniat, sufficit conscientia delinquentis, quæ sceleris commissi vindicem, & pœnæ commeritæ judicem sustinet.

Replicabis. Non potest dari lex humana pure directiva, vel coactiva coactione interna tantum; ergo &c. Ant. probatur: quia talis lex esset inutilis, ac inefficax.

Respondetur, neg. ant. cujus falsitas, præterquam quod jam pateat ex gemina retorsione argumenti, amplius inde ostenditur, quod lex naturalis sit pure directiva, id est, nullius pœnæ temporalis illativa; quidni ergo etiam lex humana talis esse possit? Nemo, ni fallor, inficias ibit: S. Pontificem posse Episcopo v.g. concedere jurisdictionem statuendi certas quasdam leges pure directivas, privative sibi reservata potestate illarum transgressores puniendi pœna temporali; ergo & Christus potuit suo in terris Vicario, S. Pontifici, concedere jurisdictionem faciendi certas quasdam constitutiones, quarum violatores plecterentur in altera vita supplicio sempiterno. Quod autem hujusmodi jurisdictionem etiam de facto contulerit, nostræ probationes evincunt, præsertim secunda, utpote cujus vim elidere nemo Adversariorum hucusque potuit. Recte proin sentit Cardenas in 1. *crisi loc. cit. num.53.* ubi inquit: *nulla est connexio inter potestatem directivam, & coactivam; optime enim potest intelligi potestas præceptiva sine punitiva, præcipue in ordine ad finem supernaturalem, in ordine ad quem magis operatur conscientia delicti, quam supplicium, & homines desiderantes finem supernaturalem beatitudinis, magis timent conscientiam delicti, quam temporale supplicium.* Porro posse sanciri legem, quæ sit coactiva coactione interna tantum, tam certum est, quam certum est, posse sanciri legem, quæ stringat sub pœna, v.g. excommunicationis, ipso facto ante sententiam Judicis incurrenda, & non sub pœna primum infligenda per sententiam Judicis (hæc enim est lex coactiva coactione interna, ut supra præmissum) atqui istud certum est ab experientia; ergo & illud. Ad rationem probativam respondeo, neg. seq. vel dist. Esset inefficax, id est,

non posset exterius cogere ad sui observationem infligendo pœnam per sententiam a Judice primum ferendam, con. Esset inefficax, id est, non posset interius cogere ad sui observationem sub reatu culpæ, & pœnæ in altera vita luendæ, si sit pure directiva; vel etiam pœnæ in hac vita ipso facto incurrendæ, si sit coactiva coactione interna, neg. Id quod totum liquet ex dictis,

317. Objicies tertio, Potestas humana, qualis est potestas S. Pontificis, debet exerceri modo humano: sed si tenderet in actus mere internos, non exerceretur modo humano; ergo &c.

Confirmatur, Potestas legislativa S. Pontificis respicit sensibilem, & externum statum fidelium, cui actus mere interni nec prodesse, nec obesse queunt; ergo ad istos se non extendit,

Respondetur ad argumentum primum, illud retorquendo; nam etiam potestas Prælati Regularis est humana, atque modo humano exerceri debet; & tamen potest tendere in actus mere internos. Nec refert, si dicas, Prælatos Regulares ideo pollere potestate præcipiendi, vel prohibendi actus mere internos: quia Religiosi per votum obedientiæ, a se emissum, ultro illis cessere jus in tales actus. Non, inquam, refert; nam per hoc potestas illa non extrahitur a ratione potestatis humanæ (neque enim idcirco Divina, vel Angelica dici potest) ergo modo humano exerceri debet; consequenter instantia, & retorsio a nobis facta obtinet suum robur adversus propositum argumentum, illudque enervat. Idem argumentum etiam retorqueri potest, sicut secundum supra retortum est, in actibus externis occultis, qui relate ad cognitione actualem, & castigationem externam Legislatoris humani cum actibus mere internis omnino æquiparantur; ut relinquitur ex supra dictis,

Respondetur secundo directe, neg. min. Quia, licet potestas humana ferens legem, quæ concernit conscientiam, tendat ad actus mere internos (adhuc exercetur modo humano, non sistendo quidem in fine humano, seu naturali, sed juvando, & quasi elevando hominem supra se, eo quod illum dirigat ad bona æterna, & supernaturalia: in quo nihil est inconvenientiæ, inquit La Croix *cit. n.655.*

Ad conf. dist. ant. Potestas legislativa S. Pontificis respicit externum statum fidelium, tanquam finem inadæquatum, & secundarium, con. tanquam finem adæquatum, vel primarium, neg. ant. & conf. Finis primarius illius potestatis est salus, & felicitas interna, quamvis externus status fidelium sit finis secundarius.

Dices, Christus, ut nostro agendi modo se componeret, Sacramenta in rebus, & signis externis constituit; ergo simili ratione Ecclesiam moderari debebit Pontifex, nempe per externa,

Respondetur, etiam nos posse uti exemplo Christi sic arguendo, Christus præcipere potuit, actuque præcepit actus mere internos; ergo & suo in terris Vicario similem potestatem contulisse censendus est. Deinde (ut directe, & breviter respondeamus) ex hoc argumento solum probatur, quod Pontifex non possit circa actus mere internos legem ferre nisi modo sensibili, & humano, eandem nempe fidelibus per promulgationem externe manifestando: id quod ultro fatemur,

Instabis. Agere de mere Internis ad Deum, & creaturas spirituales, non item ad homines pertinet; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Agere de mere internis modo insensibili, non pertinet ad homines, con. modo sensibili, neg. ant. & conf. Quando Legislator humanus Ecclesiasticus actus mere internos præcipit, vel prohibet, procedit modo sensibili, & humano, quatenus legem de illis latam exterius manifestat, & promulgat: uti proxime insinuatum,

318. Objicies quarto. Ideo Legislator humanus Ecclesiasticus potest præcipere, vel prohibere actus internos cum externis per se connexos: quia ii sic aliquo modo sub sensum cadunt; ergo a contrario non potest præcipere, vel prohibere actus mere internos: quia hi nullo modo sub sensu cadunt,

Respondetur, neg. causalem antecedentis; vel dist. distinctione supra tacta. Ideo &c. potest Legislator humanus Ecclesiasticus actus internos, cum externis per se connexos, præcipere, vel prohibere per leges coactivas coactione externa, con. per leges directivas, vel coactivas coactione interna, neg. causalem ant. Ideo enim hoc posteriore modo Legislator humanus Ecclesiasticus actus internos, cum externis per se connexos, præcipere, vel prohibere potest: quia a Christo accepit potestatem indefinitam, & universalem, nullibi ad actus externos restrictam. Ob quam eandemmet causam etiam actus mere internos modo primum dicto præcipere, vel prohibere potest, licet nequeant sub sensum cadere,

Instabis. Illa causalis antecedentis tenet respectu Legislatoris Civilis; ergo etiam respectu Ecclesiastici.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est; quia potestas Legislatoris civilis solum occupatur circa politicam, & externam gubernationem Reipublicæ: unde merito limitatur ad solos actus sensibiles, quales cum non sint actus interni, nisi quatenus per externos manifesti fiunt, recte infertur, ideo illos posse præcipi, vel prohiberi a Legislatore civili, quatenus per externos manifestantur, & aliquo modo sub sensum cadunt. E diverso potestas Legislatoris Ecclesiastici non sistit in gubernatione externa hominis Christiani, sed etiam, & quidem præcipue, ad internam tendit; unde non est, cur talis potestas restringatur ad actus externos tantum; sed debet se vel maxime etiam ad actus internos protendere, ut hominem possit dirigere non solum in ordine ad proximum, verum etiam in ordine ad Deum, & seipsum: consequenter Legislator Ecclesiasticus non ideo potest actus internos, cum externis per se connexos, modo supra dicto præcipere, vel prohibere, quia sic evadunt sensibiles; sed quia accepit potestatem legislativam illimitatam, etiam ad actus internos, utpote ad finem, a tali Legislatore intentum principaliter, & directe conducentes, se extendentem.

319. Colliges, Ecclesiam etiam de facto præcepisse, & prohibuisse aliquos actus mere internos. Patet id tum ex probatione secunda conclusionis, & partis secundæ; tum ex Authoribus, nostræ sententiæ Patronis, qui plura exempla id probantia adducunt. Videantur Henno, & uterque Schmier *loc. cit.* Porro P. Cardenas in 2. *crisi loc. cit. num.* 17. refert octodecim Doctores (quibus subscribit P. Henno) affirmantes, hæresim mere internam prohiberi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Nec abs re: quia hæresis consistit, & completur in intellectu, per signa vero externa non solum significatur; adeoque antecedenter ad signa externa jam adest completum hæresis peccatum, quod excommunicatione feritur ab Ecclesia. Cur autem Ecclesia actus mere internos rarius præcipiat, vel prohibeat, inde est, quod ejus bono, regulariter loquendo, satis prospiciatur, si præcipiat, vel prohibeat actus mixtos, utpote qui apertiori, & fortiori marte, quam mere interni, militant adversus pacem, & disciplinam Ecclesiasticam,

---

CAPUT III.

De Forma Legis Humanæ.

FOrma Legis humanæ alia est *intrinseca*, alia *extrinseca*. Prior consistit, sive desumitur a requisitis ad essentiam talis Legis, de quibus actum est *n.*203. & 205. Posterior consistit in publica, seu solemni promulgatione, & acceptatione prædictæ Legis, ad actualem ejus efficaciam modo mox declarando exactis. Atque de hac posteriore forma impræsentiarum nobis agendum. Ut ergo controversias, quæ præsens negotium stipant, dirimamus, sit

ARTICULUS I.

De Promulgatione Legis Humanæ.

QUod ad proximam, & actualem obligationem legis non solum Humanæ, sed etiam Naturalis, & Divinæ, necessaria sit aliqua promulgatio per modum conditionis sine qua non, relinquitur ex dictis *n.*206. Unde hic solummodo decidendum restat, qualis ea promulgatio esse debeat? idque respectu Legis Humanæ tantum; nam qualis promulgatio requiratur, & suf-

ut sufficiat ad obligationem Legis Naturalis, & Divinæ, itidem constat ex dictis *n.cit.*

§. I.

Quomodo Lex Humana, ut actu obliget, promulgari debeat?

SUMMARIUM.

320. *Ut Lex humana actualiter obliget, requiritur publica, & solemnis ejusdem promulgatio.* 321. *Proponitur, & solvitur objectio.* 322. *Lex publice promulgata de se statim obligat omnes subditos, ad quos notitia illius per se potuit pervenire, esto eam ex ignorantia invincibili transgredientes in foro conscientiæ a culpa, & pœna per accidens excusentur.*

320. Dico. Ut Lex humana actualiter obliget, requiritur publica ejusdem promulgatio, mediante qua toti Communitati, ad quam dirigitur, innotescere queat. Communissima DD.

Probatur. Quia Lex est regula operationum non unius, vel alterius duntaxat hominis, sed omnium, qui in Communitate degunt; ergo ita publicari debet, ut in notitiam omnium illorum venire possit. Hinc *l.9.C. de LL.* dicitur: *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Deinde Legislator humanus gerit duplicem personam, publicam scilicet, & privatam; ergo legem suis subditis ita proponere debet, ut ex modo proponendi innotescat, quod legem ferendo non agat ut persona privata, sed ut persona publica.

321. Objicies *c.1. de postulat. Prælat.* ubi dicitur, legem obligare, quando *solemniter editur, aut publice promulgatur*; ergo promulgatio publica tantum requiritur disjunctive, & sufficit etiam constitutio Legis cum solemnitate in Consistorio Principis.

Respondetur cum Suarezio *lib.3. de Leg. c.16. n.1.* Pichlero *cit. n.18.* & aliis, ly *aut* in adducto textu accipi (sicut & alias accipi non raro solet) expositive pro *id est*, vel pro *seu*, ita, ut *solemnis editio*, & *publica promulgatio*, quando lex editur coram populo, idem sonent.

322. Colliges, legem solemniter, & publice, id est, modo quodam publico, voce scilicet Præconis, vel affixo programmate, promulgatam, de se statim obligare omnes subditos, ad quos ipsius notitia per se loquendo potuit pervenire, nec opus esse, ut alia intimatio quasi juridica fiat singulis, *c.1.* proxime *cit.* cum id moraliter sit impossibile. Illam tamen ex invincibili ignorantia transgredientes in foro conscientiæ a culpa, & pœna per accidens excusantur: in foro autem externo ejusmodi ignorantiam, ut ipsis patrocinetur, efficaciter, & positive probare debent; cum Juris Communis, & debite promulgati notitiam habere quilibet præsumatur. Pichler *cit. n.17.* Porro dum diximus, legem publice promulgatam *statim* obligare, intelligendum est 1. nisi Legislator determinatum tempus illius obligationi præfixerit. 2. Ut ly *statim* non accipiatur pro exclusione omnis moræ, sed cum temporis latitudine, moraliter, seu prudentum judicio requisita, tametsi Legislator tempus obligationis non definiverit: id quod utrunque explicatius dicetur §. *seq.*

§. II.

Ubinam Lex Humana promulgari debeat, & a quo tempore post promulgationem obliget?

SUMMARIUM.

323. *Lex Imperatoria promulgari debet in singulis Provinciis Imperio subjectis; nec obligat, nisi post elapsos duos menses a die promulgationis in illis facta. Idem est de Lege cujuscunque inferioris Principis, Cæsari subjecti, si ea se porrigat ad plures Provincias.* 324. *Solvitur argumentum in contrarium.* 325. *Lex lata a Principe Cæsari non subjecto, statim obligat post promulgationem solemnem in loco celebri factam, tametsi se protendat ad plures Provincias. Idem cogitandum de Lege lata a Principe, Cæsari subjecto, si unam duntaxat Provinciam concernat.* 326. *Non peccat, qui ante elapsum bimestre agit contra Legem, sive ab Imperatore, sive a Principe inferiore, Imperatori subjecto, conditam, & ad plures Provincias porrectam, quamvis sciat, eam in Curia Imperatoris, vel Metropoli esse solemniter promulgatam.* 327. *Posset Imperator, si vellet, jubere, ut Lex a se lata, & solemniter promulgata, statim obligaret.* 328. *Lex Pontificia ut obliget, non exigit, per se, & regulariter loquendo, lapsum certi temporis; nec alium promulgationem, nisi Romanam. Idem a potiori sentiendum de Lege Episcopali &c.* 329. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 334. *Assertio etiam extenditur ad Leges irritantes, inhabilitantes, suspendentes, annullantes, revocantes, punientes &c.* 335. *Proponitur, & solvitur instantia in contrarium.* 336. *Subditus Legem Ecclesiasticam intra spatium duorum mensium post publicationem Romæ factam scienter non observans peccat.* 337. *Bulla Pontificia, quibus aliquæ sententiæ Authorum damnantur, ut scandalosa, temeraria &c. & practicari prohibentur, Romæ promulgatæ statim obligant omnes, quibus sufficienter innotescunt, quamvis non publicentur in Diœcesibus.*

323. Dico primo. Lex Imperatoria (1.) promulgari debet in singulis Provinciis Imperio subjectis; nec (2.) obligat, nisi post elapsos duos menses a die promulgationis in illis factæ. Idem cogita de Lege cujuscunque Principis inferioris, Cæsari subjecti, si ea se porrigat ad plures Provincias. Ita quoad utrunque membrum ordinatur in *Novell. 66.* quæ quamvis præcise mentionem faciat de causa particulari testamentorum, communiter tamen extenditur ad omnes alias leges, partim propter rationem generalem, quam Imperator in *Præfat.* ibidem innuit, dum inquit: *quia licet factæ sint leges, tamen non sunt cognitæ provincialibus, aut etiam hic nondum propositæ, nullique manifestæ*: partim propter Rubricam præfixam, sic sonantem: *ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant*, quæ verba, ut vides, itidem generalia sunt: consequenter &c. Sed

324. Dices. Rubrum ex nigro, seu ipso textu subjecto interpretationem recipit; textus autem specialis est, & tantum loquitur de constitutionibus testamentariis; ut patet ex verbis ejus, ibi: *Sancimus igitur, ex illo nostras constitutiones, quæ pro testamentis sunt, valere &c.* ergo &c.

Confirmatur. Rubrica non disponit tanquam lex, sed est index legis, & demonstrat ea, quæ in textu habentur; ergo, licet illa generalis sit, non obligabit generaliter, si textus sit specialis.

Verum contra utrunque est, quod Rubrica sensum perfectum faciat, & authoritatem saltem interpretativam subjectæ legis obtineat. Neque obstat specialitas textus, utpote qui tantum exempli causa, non autem ad limitandam Rubricam, appositus est.

325. Colliges primo. Novellam *cit.* ejusque Rubricam solum procedere de legibus latis ab Imperatore, vel aliis, qui legibus Imperatoris subjecti sunt. Siquidem lex lata ab aliis Legislatoribus, Imperatori non subjectis, tametsi ad plures Provincias se extendat, statim obligat (nisi Legislator ipse exprimat contrarium) quando sufficienter promulgata est, & in notitiam Communitatis devenit, aut devenire moraliter potuit. Porro si lex sit lata (sive Legislator sit subjectus Imperatori, sive non) pro una duntaxat Provincia, sufficit promulgatio facta in præcipua illius Civitate; prout in confesso est.

326. Colliges secundo, illum non peccare, qui ante elapsum bimestre agit contra legem, sive ab Imperatore, sive a Principe inferiore, Imperatori subjecto, conditam, & ad plures Provincias porrectam, quamvis sciat, eam esse solemniter promulgatam. Ratio fluit ex dictis: quia spatium bimestris a Legislatore præfigitur ad suspendendam obligationem talis legis, ita ut non stringat, ne quidem in foro conscientiæ, antequam bimestre effluxerit.

327. Colliges tertio. Si Imperator legem ferret cum expressa voluntate, ut obligaret vel citius, quam elabatur bimestre, vel tardius, utique illius obligatio inciperet vel ante, vel primum post illud bimestre die a Legislatore præfixo. Ratio patens est: quia Imperator, cum sit supremus Princeps, Juri communi derogare potest, & in posito casu reipsa derogaret.

328. Dico secundo. Lex Pontificia, ut obliget (1.) non exigit, per se, & regulariter loquendo, lapsum

certi, seu determinati temporis; nec (2.) aliam promulgationem, nisi Romanam, si lex sit universalis, & ad totum Christianum orbem directa. Idem a potiori sentiendum de Lege Episcopali, ita, ut post promulgationem, in Ecclesia Matrice factam, mox exerat, & exerceat in subditos vim obligandi, quin requirat vel spatium alicujus determinati temporis, vel ulteriorem aliquam promulgationem v. g. in Parochiis. Ita Suarez *de Leg. lib.4. c.15. n.3.* Azorius *tom.1. lib.5. c.3. q.3.* Palao *tr.3. disp.1. pun.12. n.2.* Krimer *ad Tit. de Constit. n.139.* Mezger, VVlestner, Schmalzgruebet, & alii quam plurimi contra Sotum, Medinam, Navarrum, Henno, Engel, Franciscum Schmier &c.

Probatur primo utraque pars conclusionis simul. Nam si exigeretur bimestre, aut alia promulgatio, id vel esset ex natura rei, vel ex Jure aliquo positivo, v. g. Canonico: atqui ex neutro est; ergo &c. Min. prob. Non enim ex natura rei: siquidem natura legis non exigit ampliorem publicationem, neque majorem obligationis differendæ moram, quam quæ sufficit, ut voluntas Legislatoris integræ alicui Communitati, vel saltem majori ejusdem parti innotescere possit. Neque ex Jure Canonico: quia istud in primis nullibi præscribit tempus determinatum, sed indeterminatum duntaxat, intra quod lex innotescere queat, indulget in *cap. de concess. prebend. in 6.* ibi: *Lex, seu constitutio, & mandatum nullos adstringat, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi tempus, intra quod ignorare minime debuissent.* Porro textus *cap. 1. de postulat. Prælat.* mox allegandus diserte enunciat, ad obligationem Pontificiæ Legis *id solum sufficere, ut qui noverit, eam solemniter editam &c.* Itaque ex sola notitia (modo ea sit publica) jam quilibet ejusmodi lege obstringitur, nec ulterior mora, aut induciæ conceduntur. Deinde idem Jus neque præscribit aliquam promulgationem præter Romanam, imo nullam aliam exigi aperte habetur in *cit. c.1. de postulat. Prælat.* ubi rejecta fuit excusatio Episcopi Antissidorensis, qui legem interdicti a Pontifice pro tota Gallia latam, & ab ejus Legato in uno loco, nempe Viennæ in Gallia, promulgatam observare neglexerit eo prætextu, quod ad suam Diœcesim non pervenerint speciales literæ, ac mandatum: respondit enim Pontifex, necessarium id non esse, sed, si aliqua constitutio publicata sit, *sufficere, ut ad ejusdem observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam*; ergo Lex Pontificia, ut actu obliget, non requirit nisi unam promulgationem publicam, & solemnem, quæ fiat in loco celebri alicujus Regni, si ad hoc duntaxat dirigatur, vel totius Orbis Christiani, si ad istum porrigatur.

Probatur conclusio secundo præcipue quoad secundam partem. Potestas legislativa S. Pontificis est immediate a Christo; ut supra *n.282.* dictum; ergo non subest dispositioni hominum, uti potestas Superiorum civilium; ergo si Pontifex velit, legem Romæ promulgatam obligare, hoc ipso obligabit omnes Ecclesiæ subjectos: atqui S. Pontifex regulariter ita vult; ergo &c. Min. subsumpta prob. Si Pontifex non vellet regulariter legem Romæ promulgatam obligare, frustra quandoque specialiter exprimeret suam voluntatem, qua vult aliquam legem non obligare, nisi in Episcopatibus, Parochiis &c. promulgatam: atqui quandoque specialiter exprimit, ut dicetur infra; ergo &c.

Probatur conclusio tertio quoad eandem partem. Nam Alexander VII. in *propositione octava, nona, & trigesima septima*, damnata refert se ad decreta non promulgata in singulis Provinciis, & tamen satis declarat, peccare eos, qui illis contraveniunt; ergo decreta Pontificia obligant, licet non sint promulgata alibi nisi Romæ: prout etiam patet de Bulla Cœnæ, & aliis Bullario contentis. Accedit, quod causæ Ecclesiasticæ, ex toto terrarum Orbe Romam devolutæ, expediantur, & decidantur secundum constitutiones ibi promulgatas; ergo hæ obligant.

Respondent aliqui, ex hoc tantum probari stylum Curiæ Romanæ, non vero quod ejusmodi constitutionum obligatio extra Romam protendatur.

Sed contra est, quod altefata Curia injuste judicaret, si memoratæ constitutiones non obligarent in diœcesibus, in quibus non fuerunt promulgatæ: sicut enim quando Jus aliquod Cæsareum in quodam loco non est receptum, aut ob consuetudinem, vel legitimum statutum contrarium, non servatur, non potest secundum illud judicari in Camera, quando partes sunt de ejusmodi loco, *Ordinat. Cam. de anno 1555. part.1. tit.57. Recess. Imp. de anno 1654. §. 105.* ita & hic in causis exterorum inique judicaret Curia Romana secundum leges tantum Romæ promulgatas, si earundem obligatio se non porrigeret ad loca, in quibus promulgatæ non sunt.

Dixi in conclus. *per se, & regulariter loquendo*: id est, nisi Pontifex aliter disponat, prout disposuit circa legem irritantem Matrimonium clandestinum, latam in Trid. *sess.24. in decreto de reform. c.1.* hæc enim non obtinet vim proximam obligandi, nisi post triginta dies a promulgatione facta in Parochia. Item constitutio concernens Medicos *c.13. de Pœnit. & Remiss.* ubi sub pœna ingressus in Ecclesiam prohibentur infirmos accedere, nisi ante, ut sacra exomologesi animæ morbis medeantur, eos inducant, prius non stringit, quam in singulis Provinciis fuerit promulgata. Prætendunt præterea Galli, & Hispani apud P. Paulum Mezger hic *n.12.* Regibus suis concessum esse privilegium, ut Diplomata Pontificia in earum ditionibus regulariter non obligent, antequam ibi, accedente Regio consensu, solemniter publicata sint. Quod ipsum tamen, esto verum sit, per accidens est, nihilque nostræ conclusioni officit, ut patet.

329. Objicies primo contra utranque partem conclusionis. Ubi Jus Canonicum nihil disponit, servandum est Jus Civile, si bonis moribus non repugnet, juxta *cap.1. de novi operis nunciatione*, ubi dicitur: *sicut Leges non dedignantur sacros Canones imitari; ita sacrorum Canonum statuta constitutionibus Principum adjuvantur*; ergo cum Canones nihil determinent circa promulgationem Legum Ecclesiasticarum, determinet vero Jus Civile, juxta superius dicta, circa promulgationem Legum Civilium, hujus determinationi standum erit: & consequenter &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Servandum est Jus Civile &c. in causis decidendis, con. in modo ferendi Leges, neg. ant. Itaque Ecclesia acceptat, & servat Jus Civile, quando hoc rationi non repugnat, & deficit Jus Canonicum, in decidendis causis: idque merito; cum causæ decidendæ aliqua regula decidi debeant, qua nulla videtur aptior Lege Civili, si Canonica deficiat. Similis ratio, aut necessitas non occurrit, ob quam Ecclesia in ferendis suis Legibus servare debeat modum præscriptum pro ferendis Legibus Civilibus. Deinde major est in Ecclesia circa mores, & Ecclesiasticas observantias conformitas, quam sit in diversis Provinciis Romano Imperio subjectis; ergo non est tanta ratio promulgandi Leges Pontificias in singulis Episcopatibus, quanta est promulgandi Leges Imperiales in singulis Provinciis. Porro perfectior debetur obedientia Christi Vicario, quam cuicunque Superiori profano. Denique ob amplitudinem Christiani Orbis, & multitudinem Diœcesium, atque Episcopatuum omnino foret incommodum pro singulis singula Decreta expedire. Quam postremam rationem etiam agnovit, & adduxit Gregorius XV. in sua Bulla, *Inscrutabili*, edita anno 1622. nonis Februarii, in cujus fine sic statuit: *Ceterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula loca deferri, ut ea tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque Cancellaria Apostolica, & in acie campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti &c.*

Dices. Omnes nullo excepto dispositionem *l.3. ff. de offic. Prætoris* circa servum vulgo existimatum liberum, & sic fungentem officio Prætoris applicant ad Confessarium, qui communi errore creditur habere jurisdictionem, quam revera non habet, & tamen hæc non est causa judicialis; ergo illimitate tenendum circa omne negotium, sive judiciale, sive extrajudiciale, servandam esse dispositionem Juris Civilis, quando deficit Canonicum.

Respondetur, neg. cons. & ad ant. ajo, dispositionem Juris Civilis in *præced. L.* ab Ecclesia canonizatam esse, seu instar indubitati Canonis receptam, ut patet ex *can.1. causa 3. q.7.* Unde non potest idoneum inde duci argumentum, & consequentia ad alios casus, & causas, ubi Ecclesia dispositionem Juris Civilis non recepit, quemadmodum non recepit in negotio præsenti: prout demonstrat praxis, & consuetudo contraria, secundum superius dicta.

330. Ob-

330. Objicies secundo præcipue contra secundam partem conclusionis. *In c.* 13. *de Pœnit. & Remiss. supra relato* expresse statuitur, Medicos non teneri lege, qua jubentur infirmos ante omnia monere, & inducere ad accersendos Sacerdotes, antequam eadem per Prælatos locorum fuerit publicata; ergo Jus Canonicum promulgationem legum in singulis Provinciis exigit.

Respondetur, neg. conf. Quia ex casu particulari, quo ex specialibus causis partim propter pœnam ibi appositam, partim ne in re summe necessaria prætendi probabilis ignorantia possit, publicatio in Provinciis decreta est, legitime sane tanquam a particulari lege in eo, quod non habet a natura, universim ad omnem legem non valet argumentum, præsertim cum nec similes rationes urgeant, nec simile statutum vigeat; alias eodem jure ex lege irritante Matrimonia clandestina, quæ in qualibet Parochia debet promulgari juxta *Trid. supra cit. sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* argumentari licebit ad omnes leges Pontificias, quæ irritant contractus, quod debeant pariter in singulis Parochiis promulgari: atqui hoc nemo hactenus somniavit; ergo &c.

Dices. Quamvis *Novell.* 66. *supra cit.* sit particularis, causas scilicet testamentarias tantum concernens, extenditur nihilominus ad omnes alias leges Civiles; idque ob paritatem rationis; ergo etiam *c.* 13. *de Pœnit. & Remiss.* esto sit particulare, & solos concernens Medicos, ob rationis paritatem extendendum erit ad alias quoque leges Ecclesiasticas.

Respondetur in primis, neg. suppositum consequentis, quod si paritas rationis; contrarium quippe ex dictis liquet. Deinde Novella illa extenditur ad alias leges civiles non tam ob paritatem rationis, quam ob verba Rubricæ, quæ, cum generalia sint, etiam in textum generabilitatem refundunt, ejusque authoritatem obtinent; prout relinquitur ex dictis *n.* 323. Nil tale invenitur circa *cap.* 13. *de Pœnit. & Remiss.* consequenter &c.

331. Objicies tertio: Æquitati naturali consentaneum est, ut Leges, cum sint jussiones quædam, & allocutiones publicæ ad totam Communitatem directæ, non prius obligent, quam debite veniant in notitiam subditorum, ne ignorantes peccati arguantur, & periculum animarum causetur, *arg. c.* 13. *de Pœnit. & Remiss.* sed Leges, Romæ publicatæ, non possunt moraliter venire in notitiam remotarum, & ultramontanarum Regionum, ac Provinciarum sine speciali promulgatione; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam Catholicorum Principum, & Metropolitanorum Legati, & Agentes, qui Romæ resident, cuncta, quæ ibi emanant, suis Principalibus communicant: unde & hi postmodum suis subditis eadem communicare possunt, ac debent: & consequenter &c.

332. Objicies quarto. Bullæ, Romæ promulgatæ, etiam postea solemniter promulgantur in Episcopatibus; ergo sola promulgatio Romana non sufficit ad earum obligationem inducendam; alias illa promulgatio solemnis in Episcopatibus non esset necessaria.

Respondetur, dist. ant. Promulgantur solemniter in Episcopatibus ex libero arbitrio Episcoporum, trans. ex mandato Pontificis, neg. ant. & cons. Ad hujus autem rationem probativam ajo, utique illam promulgationem in Episcopatibus non esse absolute necessariam, hoc ipso, quod non fiat ex præcepto Legislatoris, seu Pontificis; haud tamen suo fine carere; cum magis, quam intimatio non solemnis, ad removendam a subditis ignorantiam Constitutionum Pontificiarum inserviat. Tunc ergo promulgatio solemnis Legum Canonicarum in Episcopatibus est necessaria, quando eam imperat Pontifex; secus, quando non imperat.

333. Objicies quinto cum P. Henno. Noluit Christus, ut Lex nova obligaret omnes Nationes virtute promulgationis factæ Jerosolymis in die Pentecostes, sed voluit, ut ab Apostolis, tanquam authenticis Dei Præconibus, ubique terrarum promulgaretur; veluti docet Scotus in 4. *dist.* 3. *q.* 4. & colligitur ex illo *Matth.* 28. *Euntes docete omnes Gentes, servare omnia, quæcunque mandavi vobis:* atqui credibile non est, quod Christi Vicarius velit aliter ad suas Leges obligare, quam Christus ipse; ergo &c.

Respondetur, a pluribus negari, quod promulgationes Legis novæ post Jerosolymitanam ab Apostolis factæ, fuerint in rigore solemnes. Nec refert, quod iidem Apostoli in disseminando Divino verbo egerint authenticos Dei Præcones; quia inde plus non evincitur, quam illos jussu Christi prædicasse Evangelium, sicut alii Viri Apostolici jussu S. Pontificis prædicavere, quin tamen illud dicantur solemniter promulgasse eo promulgationis genere, de quo hic controvertitur. Deinde dato, prædictas promulgationes extitisse in rigore solemnes, adeoque majorem esse veram, dist. min. Non est credibile &c. si eædem nunc concurrerent circumstantiæ, quæ tunc concurrerant, con. secus, neg. min. In principio Ecclesiæ Fides Catholica primum disseminari cœpta est; adeoque tunc congruum erat, ut ejusdem Disseminatores, sive Apostoli munirentur, & præfulgerent authoritate, illam ubique terrarum publice, & solemniter promulgandi: tunc autem Ecclesia, Fideque Catholica per totum terrarum orbem propagata, congruentius est, si Leges Pontificiæ, regulariter loquendo, in Urbe solum tanquam totius Reipublicæ Christianæ Metropoli, solemniter promulgentur, & statim incipiant de se obligare in exteris quoque Provinciis; secus enim magna, & contra Ecclesiæ morem, ac stylum induceretur difformitas, si scilicet Legibus Pontificiis regulariter, & ordinarie obligarentur primo soli Romani Itali. Porro ejusmodi Leges ex natura sua non postulant plures promulgationes solemnes, quam unam; neque extat præceptum aliquod Divinum, Pontifici relictum, curandi, ut in singulis Provinciis promulgentur; ergo in ipsius arbitrio positum est, velitne illas obligare statim, ac in Urbe sunt publice promulgatæ, vel primum, postquam fuerint etiam in Provinciis solemniter publicatæ: quod autem S. Pontifex priorem obligandi modum elegerit, constat ex praxi, fundata in congruentiis, quarum unam proxime, & alias supra *num.* 329. retulimus. Denique plura alia in principio Ecclesiæ practicata fuere, quæ nunc, ob mutatas circumstantias, non amplius, vel saltem non eodem modo fieri solent.

334. Colliges primo, Leges Pontificias, Romæ promulgatas, statim quidem obligare universum Christianum Orbem, ita tamen, ut ly *statim* non sumatur pro seclusione omnis moræ post affixionem, vel evulgationem earum, sed cum temporis latitudine, moraliter, seu prudentum judicio requisita, ut singulis Provinciis, & Episcopatibus innotescere possint: prout supra notatum. In quo sensu intellecta assertio nostra non solum procedit de Legibus Canonicis, in quantum sunt *præcipientes*, vel *prohibentes*, sed etiam in quantum sunt *irritantes*, *inhabilitantes*, *suspendentes*, *annullantes*, *revocantes*, *punientes &c.* ob rationes supra allatas. Verum contra hoc

335. Dices. Vel Leges secundi generis obligant ignorantes, vel non? Si secundum; ergo per solam promulgationem, Romæ factam, vim proxime obligativam non acquisiverunt: si primum; multa matrimonia erunt putatitia; multæ Sacramentorum administrationes invalidæ; contractus quoque naturaliter obligantes, adveniente Legis notitia, declarabuntur nulli: quæ omnia manifestam nata sunt in Remp. inducere confusionem.

Respondetur ad propositum dilemma, ejusmodi Leges, Romæ solemniter publicatas, non obligare in aliis Provinciis ante latitudinem temporis requisiti, ut hæ habeant, aut habere queant moralem certitudinem de illarum promulgatione facta Romæ. Unde dist. cons. Ergo per promulgationem factam Romæ non acquisiverunt vim proxime obligativam in aliis Provinciis, ante latitudinem temporis requisiti, con. post latitudinem temporis requisiti, neg. cons. Et sic respondendo caventur omnia incommoda, quæ in argumento commemorata sunt. Nam qui moraliter certus est, aut esse potuit de lege a legitimo Superiore condita, & promulgata, vi cujus aliquis contractus v. g. (idem est de aliis actibus) sine forma, per talem legem præscripta, nulliter celebratur, & tamen eam formam non adhibet, sibi nullitatem imputare debet, non defectui sufficientis promulgationis &c. Videatur P. Krimer *cit. n.* 152. *& seq.* Item *n.* 129.

336. Colliges secundo, quod subditus Legem Ecclesiasticam intra elapsum bimestre a die solemnis promulgationis scienter non observans peccet, esto per dicta *n.* 326. a culpa immunis sit subditus intra illud

tempus non observans Legem Imperatoriam. Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. Bonacina, Babenstuber &c. Ratio disparitatis ex dictis liquet: quia Lex Ecclesiastica, solemniter promulgata, mox exerit vim proxime obligandi omnes subditos, sufficientem de ejusdem promulgatione notitiam habentes: e diverso Lex Imperatoria obligationem intra prædictum tempus suspendit.

337. Colliges tertio, Bullas Pontificias, quibus aliquæ sententiæ Authorum damnantur tanquam scandalosæ, temerariæ &c. & practicari prohibentur, Romæ promulgatas, statim obligare omnes, quibus sufficienter innotescunt, quamvis non publicentur in Diœcesibus. Mezger de *Leg. disp.* 34. *art.* 3. *num.* 15. Babenstuber *disput.* 1. *art.* 4. *num.* 24. & alii. Ratio est: quia dum S. Pontifex aliquid ex cathedra definit, ac declarat, fideles statim, ac de eo sufficientem notitiam obtinent, tenentur illius judicio se submittere, & conformare: atqui Pontifex, dum damnat sententias ut scandalosas, temerarias &c. id præstat ex cathedra; ergo &c. Confirmatur. Quando S. Pontifex Romæ aliquem solemniter adscribit fastis Sanctorum, fideles statim, atque id resciunt, & antequam in Provinciis promulgetur, tenentur illum habere pro Sancto; ergo etiam, dum idem Pontifex Romæ ex cathedra definit, ac declarat, aliquam propositionem esse scandalosam, temerariam, &c. fideles, post acquisitam desuper notitiam, statim obligantur eam habere pro tali, licet in Provinciis nulla sit facta ejusmodi definitionis, ac declarationis promulgatio.

ARTICULUS II.

De Acceptatione Legis Humanæ.

SUMMARIUM.

338. *Acceptatio sumitur in triplici sensu.* 339. *Ad valorem Legum Divinarum, & naturalium, earumque vim obligandi nulla requiritur acceptatio.* 340. *In Statu Democratico acceptatio populi, & in Statu Aristocratico acceptatio, seu consensus Optimatum ad condendam legem requiritur.* 341. *Acceptatio, seu consensus populi extra Statum Democraticum non requiritur ad Legem in suo esse constituendam.* 342. *Neque acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi in se obligationem legis, vel actualem illius observationem, est necessaria, ut lex actu, & proxime obliget.* 343. *Proponitur, & solvitur objectio.* 344. *Requiritur tamen acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi legem, & quatenus est actualis ejusdem observantia, ad stabilitatem, & firmitatem legis.*

338. PRænotandum primo, in præsenti articulo discutiendum esse, an, & quomodo lex dependeat ab acceptatione populi, seu subditorum. Potest autem acceptatio tripliciter sumi. 1. pro consensu subditorum ad condendam legem. 2. pro consensu eorundem in observationem legis jam conditæ, seu pro voluntate legem conditam recipiendi. 3. pro actuali observatione legis.

339. Prænotandum secundo, & supponendum tanquam certum, nullam ex prædictis acceptationibus esse necessariam ad valorem Legum Divinarum, & naturalium, earumque vim obligandi: cum enim Deus habeat supremum, absolutum, ac illimitatum dominium in creaturas rationales; hoc vero consistat in jubendo, & disponendo de illis secundum placitum, consequens est, nullam acceptationem hominum, ut jussa Dei valeant, & firma consistant, requiri. Unde quæstio de sola Lege Humana procedit. Ubi ulterius.

340. Prænotandum tertio, & itidem supponendum tanquam certum, acceptationem primo modo sumptam, sive pro consensu populi ad condendam legem, in Statu Democratico esse necessariam, ut lex in suo esse constituatur: quia in illo Statu potestas ferendi leges residet penes ipsummet populum. In Statu præterea Aristocratico requiritur acceptatio, seu consensus Optimatum: quia in isto Statu regimen, & consequenter potestas legislativa a populo traslata est in Optimates. Quibus præmissis, ut claritati melius consulatur, tres conclusiones statuere juvabit. Itaque

341. Dico primo. Acceptatio, & consensus populi, seu subditorum (extra Statum Democraticum) non requiritur ad legem, sive (1.) Ecclesiasticam, sive (2.) Civilem, in suo esse constituendam. Ita Theologi communiter contra aliquos Juristas quoad secundam partem.

Probatur prima pars. Nam Lex Ecclesiastica vel sancitur a S. Pontifice, vel ab alio Prælato Ecclesiastico, S. Pontifice inferiore, eique subordinato: atqui neuter in exercitio potestatis legislativæ dependet ab acceptatione, & consensu populi; cum neuter a populo illam obtinuerit, sed a Christo vel immediate, ut S. Pontifex, vel mediate, ut quicunque alius Prælatus inferior, Pontifici subordinatus; quemadmodum relinquitur ex dictis *n.* 282. ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Si populus in Principem, vel Optimates transtulit potestatem absolutam gubernandi, & leges ferendi (loquimur de Statu Monarchico, & Aristocratico) tunc etiam se abdicavit illa potestate: sed ita transtulit, *l.* 1. *de constitut. Princip.* ergo se abdicavit &c. consequenter &c. Unde de facto penes populum amplius non est acceptare, aut rejicere Legem a Principe, vel Optimatibus latam; sed si justa, & rationabilis sit, atque debite promulgata, eam absolute acceptare, & observare tenetur.

Nec dicas. Legislator Civilis accepit potestatem legislativam a Republica; ergo dependenter ab illius consensu leges fert; proindeque leges Civiles sub hac tacita conditione feruntur, ut vim habeant, si a subditis fuerint acceptatæ, & usu receptæ.

Contra enim est, neg. conf. Siquidem, ut proxime dictum, potestate legislativa a populo semel translata in Principem (vel Optimates) penes hunc tantum est leges condere, iisque populum obligare, independenter ab ejusdem consensu, & acceptatione. Nec ullum fundamentum est asserendi, populum sub hac conditione, ut leges vim habeant, si fuerint acceptatæ, & usu receptæ, suam potestatem legislativam in Principem transtulisse (nisi forte constet, in uno, alterove loco ita practicatum esse; de quo casu assertio nostra non procedit) præsertim cum talis conditio valde debilitaret obedientiam, & subordinationem subditorum erga Superiorem, quæ tamen ad rectam gubernationem maxime necessaria est.

342. Dico secundo. Neque acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi in se obligationem legis, a supremo Principe, vel Magistratu jam conditæ, ac promulgatæ, & actualem illius observationem, est necessaria per modum conditionis, ut lex, sive ea (1.) sit Ecclesiastica, sive (2.) Civilis, proxime obliget. Ita denuo Theologi communiter, uti & moderni Juristæ.

Probatur conclusio quoad utranque partem simul. Si lex, jam condita, & promulgata, non obligaret proxime ante acceptationem, alterutro modo intellectam, populus legem non recipiendo, vel transgrediendo nullam incurreret culpam: seq. est falsa; ergo &c. Maj. constat: quia omnis culpa est contra legem proxime obligantem: prout negari a nemine potest. Min. ostenditur tum ex decreto Alexandri VII. damnantis hanc propos. *ord.* 28. *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Tum quia Legislatores etiam primos statim suarum legum rite promulgatarum transgressores pœnis animadvertere solent: quod citra injustitiæ labem facere haud possent, si prædicti legum transgressores a culpa immunes forent; cum nemo sine culpa sit puniendus. *Reg. J.* 23. *in* 6.

343. Objicies contra hanc, & præcedentem conclusionem textum in *l.* 32. §. *un. ff. de LL.* ibi: *Cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sint, merito & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes.* Qui textus videtur obsistere utrique conclusioni.

Respondent Authores passim, textum velle, quod leges teneant judicio populi *in conservari*, quatenus per receptionem, & observationem populi acquirunt firmitatem, & durant, cum e diverso per non receptionem, & non observationem redderentur infirmæ, & obligare desinerent; prout innuere videtur verbum *teneant*, quo denotatur legum *conservatio*: non vero quod *in fieri*, & quoad institutionem ex judicio populi vim obligandi obtineant, seu non incipiant obligare, priusquam a populo fuerint approbatæ, & servatæ.

Hæc

Hæc allegati textus expositio, ac responsio olim & mihi placuit, eamque amplexus sum in sæpe *cit. Thes. pag.* 172. Sed quoniam eandem solide refutatam reperio a P. Placido Bockn supra *cit. num.* 114. libenter ab ea recedo. Quod autem allata expositio genuina, & responsio sufficiens non sit, elicit prælaudatus Author ex argumento, quo Jurisconsultus Julianus ibidem utitur, dum probat, quod populus sine scripto solis moribus possit jus inducere, nempe consuetudinarium; eo quod ipsæ leges scriptæ ejus voluntate constent, & hinc perinde sit, num aperto suffragio, num rebus ipsis, & factis voluntatem suam indicet, ibi: *nam quid interest, suffragio populus suam voluntatem manifestet, an rebus ipsis, & factis?* Ecce enim in consequenti Julianus loquitur de consuetudine *in fieri*, seu de ipsa introductione consuetudinis; ergo etiam in antecedenti loqui debet de lege *in fieri*, seu de ipsa ejus institutione, nisi admittere malis (quod vel cogitare nefas est) Julianum ignorasse regulas illationis. Quare omissa illa responsione

Respondetur aliter cum Sanct. Gallensibus *de Leg. tract.* 1. *sect.* 1. *q.* 7. Reiffenstuel *ad Tit. de Constit. num.* 142. & Authore proxime memorato, allegatum textum esse exaudiendum de populo Romano pro tempore antiquo, quo utebatur Regimine Democratico, & potestas legislativa residebat proxime in ipsomet populo; non vero pro tempore, quo viget Regimen Monarchicum. Id quod inde patet: quia textus evincit, populum non factis tantum, sed etiam expresso *suffragio* in condendis legibus suam voluntatem declarare; imo potestatem legislativam penes solum populum esse, *nulla aliena ex causa &c.* quod cum Regimine Monarchico (uti & Aristocratico) pugnat. Sed

Dices cum Augustino Michel *de Leg. q.* 4. §. 2. *num.* 9. Julianus vixit in Regime Monarchico sub Adriano, & Antonino Pio, prout eruitur ex *l.* 2. *in fin. ff. de orig. Juris*; ergo non est verisimile, quod scripserit de tempore antiquo, quo viguit Regimen Democraticum.

Respondetur, neg. cons. Nam contrarium ex dictis liquet. Nec refert, quod Julianus non vixerit, quando Regimen Democraticum viguit. Siquidem non Historici duntaxat, sed & Jurisperiti frequenter quædam de veteri statu commemorant verbis præsentis temporis: sic hodierni Doctores referunt leges jam antiquitas, puta de servitute (quæ apud Christianos jam dudum abolita est) de adoptionibus, emancipationibus &c. Imo ipsius quoque Imperator *in* §. 5. *Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ.* ait: *Senatus-Consultum est quod Senatus jubet, atque constituit:* quamvis ipsius tempore nulla fuerit Senatus-Consulto authoritas.

344. Dico tertio. Acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi legem, & quatenus est actualis ejusdem observaotia, necessaria est, ut lex, sive Ecclesiastica, sive Civilis, duret, suamque vim obligandi, quam a voluntate Legislatoris sortita est, de Jure possidet, retineat, & conservet. Ita DD. quoad rem ipsam communiter, & in terminis P. Piehler *cit. num.* 24. Atque in hoc sensu verum est illud: *Lex non acceptata* (id est, usu non recepta) *non obligat*, uti contingit multis Bullis Pontificiis cum in Germania, tum alibi.

Probatur tum authoritate, tum ratione. Authoritate: quia *can.* 3. *dist.* 4. dicitur: *Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur*. Ratione, quia consuetudo potest tollere legem, usu jam receptam, & firmatam; prout videbimus *disp. seq.* ergo, & multo magis desuetudo, seu prima non observantia per actus contrarios, potest tollere legem, usu nondum receptam, & firmatam.

C A P U T IV.

De Effectu, seu Obligatione Legis Humanæ.

PRoprius, & præcipuus Legis effectus est obligatio passiva, quæ in subditis, legi adstrictis, resultat; prout insinuatum est supra *n.* 301. Inquiritur autem impræsentiarum 1. an, & quomodo Lex Humana in conscientia obliget? 2. quanta sit, aut esse possit illius obligatio?

A R T I C U L U S I.

An, & quomodo Lex humana obliget in conscientia?

§. I.

An, & quomodo Lex pœnalis obliget in conscientia?

S U M M A R I U M.

345. *Lex impræsentiarum dividitur in* mere præceptivam, aut prohibitivam, *&* pœnalem: *hæc vero in* pure talem, & mixtam: *mixta porro sumitur vel* copulative, *vel* disjunctive. 346. *Pœnæ aliæ sunt* spirituales: *aliæ* temporales: *aliæ* positivæ, *aliæ* privativæ, *aliæ* negativæ: *aliæ rursus* ferendæ, *aliæ* latæ sententiæ. 347. *Lex mere pœnalis obligat in conscientia ad solam pœnam; copulative mixta ad actum, & pœnam: disjunctive mixta ad actum, vel pœnam.* 348. *Proponitur, & solvitur objectio.* 349. *Legislator censendus est semper obligare in conscientia etiam ad actum, vel ejus omissionem, quando utitur verbis præceptivis, aut prohibitivis, nisi contrarium colligatur ex consuetudine.* 350. *Quando Lex statuit pœnam ferendæ sententia, nunquam obligat ad illam subeundam ante sententiam condemnatoriam.* 351. *Quando Lex statuit pœnam temporalem latæ sententia, & hæc est positiva, vel privativa, regulariter ad eam subeundam non obligat, nisi post sententiam declaratoriam criminis.* 352. *Afferuntur nonnulla limitationes.* 353. *Proponitur, & solvitur objectio.* 354. *Quando Lex statuit pœnam latæ sententia, & hæc est spiritualis, vel negativa, obligat ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis.* 355. *&* 356. *Diluuntur argumenta contraria.* 357. *Adstruitur, quænam sit differentia, quando pœna infertur per Judicis sententiam condemnatoriam, & quando per declaratoriam.* 358. *Leges tributorum, & vectigalium, si verbis præceptivis conceptæ sint, obligant in conscientia non solum ad pœnam, sed etiam ad actum; secus, si sint conceptæ verbis indiferentibus.*

345. PRænotandum primo, legem (quantum ad præsens institutum attinet) dividi in *mere præceptivam, aut prohibitivam*, & *pœnalem*. Prior est, quæ aliquid præcipit, aut prohibet simpliciter, seu absque adjectione pœnæ: ut *qui die Veneris carnes comedet, peccabit*. Posterior est, quæ in transgressores pœnam statuit: & si faciat præcise mentionem pœnæ, quin aliquid præcipiat, vel prohibeat, dicitur *mere pœnalis*; ut si Legislator dicat: *quisquis venatus fuerit, viginti aureorum mulctam solvet*: si vero non solius pœnæ memminerit, sed insuper aliquid præcipiat, vel prohibeat, vocatur *pœnalis mixta*: quæ iterum duplex est, nimirum *copulative mixta*, quæ determinate obligat, & ad actum, ejusve omissionem, & ad pœnam; ut *nemo venetur, & qui venatus fuerit, viginti aureos pro mulcta numerabit*: ac *disjunctive mixta*, quæ indeterminate obliget vel ad actum, ejusve omissionem, vel ad pœnam, v. gr. *aut nemo venetur, aut viginti auris mulctabitur*.

346. Prænotandum secundo, pœnas alias esse *spirituales*, alias *temporales*. Spirituales sunt, quas reus in bonis, ac juribus spiritualibus; & temporales, quas in bonis, ac juribus temporalibus subit. Porro aliæ pœnæ sunt *positivæ*, aliæ *privativæ*, aliæ *negativæ*. Positivas (cum P. Bockn loco supra *cit. numer.* 37.) appellamus, quæ externo facto, Rei afflictivo, perficiuntur; uti sunt fustigatio, mutilatio &c. Privativas vocamus, quibus reus privatur bonis vel juribus jam habitis; quales sunt confiscatio bonorum, privatio beneficii &c. Negativas dicimus, quibus impeditur acquisitio bonorum, aut jurium, vel mera inhabilitas inducitur. Tandem pœnæ quandoque sunt *latæ*, quandoque *ferendæ sententiæ*. Illæ ipso facto, & criminis admissione incurruntur absque ulteriori Judicis sententia saltem condemnatoria: istæ vero sunt tantum comminatoriæ: nec incurruntur ipso facto, sed primum post Judicis sententiam condemnatoriam. Ad dignoscendum autem, sitne pœna latæ, vel ferendæ sententiæ, attendi debet, quibus verbis fuerit usus Legislator; nam si apposuerit *ipso facto, vel Jure*, aut similes particulas, vel excluserit actionem, & sententiam Judicis, erit pœna latæ sententiæ; ferendæ vero, quando usus est terminis, inflictionem pœnæ ut ponendam de futuro si-

gnificantibus: vel etiam dubiis; quia *in pœnis benignior interpretatio est facienda*, juxta *Reg. J.* 49.

347. Dico jam primo. Lex mere pœnalis (1.) obligat in conscientia ad pœnam temporalem, non autem ad ipsum actum, quem lex per impositionem pœnæ Intendit: Lex vero pœnalis copulative mixta (2.) ad actum, & pœnam; & disjunctive mixta ad actum, vel pœnam. Ita DD. communiter.

Probatur conclusio quoad omnes tres partes simul: quia obligatio legis commensuratur intentioni Legislatoris, supposita capacitate materiæ, circa quam lex versatur; potest autem Legislator habere intentionem obligandi vel ad solam pœnam, uti facere censendus est, quando non utitur verbis præcipientibus, aut prohibentibus, sed meram pœnam irrogantibus: vel etiam ad actum, quando præter verba minitantia pœnam adhibet verba præcipientia, aut prohibentia. Exempla dedimus in *prænot.* 1.

Dixi in conclus. per parenthesin: *temporalem*, ut innuerem, dari quidem posse leges mere pœnales relate ad pœnas temporales, non item relate ad pœnas spirituales. Ratio est: quia pœnæ spirituales, cum ligent immediate animam, præexigunt culpam theologicam, contra leges, quibus sancitæ sunt, penetratam; ergo necesse est, ut hujusmodi leges obligent in conscientia ad positionem actus imperati, si sint affirmativæ, vel ad omissionem, si sint negativæ. Quod tamen intelligendum præcipue est de pœnis spiritualibus *proprie dictis*, cujusmodi sunt censuræ Ecclesiasticæ: nam loquendo de pœnis spiritualibus improprie dictis, ut sunt irregularitates, doctrina immediate tradita non tenet universaliter: siquidem irregularitates bigamiæ, & occisionis justæ v. g. incurruntur absque culpa theologica: consequenter leges, quibus feruntur, mere pœnales sunt.

348. Objicies contra primam partem. Omnis pœna supponit culpam: cum sit punitio, & vindicta culpæ; ergo dari nequit obligatio ad pœnam, nisi actus, ob quem pœna statuta est, antea fuerit præceptus, vel prohibitus.

Confirmatur. Legislator propterea incutit pœnam, quia ipsum actum, ejusve omissionem quærit; ergo etiam ad illum, vel istam obligare præsumitur.

Respondetur ad object. dist. ant. Supponit culpam vel theologicam, quæ est deviatio a regulis morum, & offensa Dei, vel juridicam, quæ est deviatio a regulis bonæ politiæ, con. semper culpam theologicam, neg. ant. Itaque ad incurrendam pœnam temporalem sufficere quoque potest culpa juridica; prout colligitur ex *Reg.* 23. *J. in* 6. ibi. *sine culpa* (theologica) *nisi subsit causa, non est aliquis puniendus:* ergo si subsit causa, puniri potest: atqui subest causa puniendi contravenientem legi pœnali, videlicet culpa juridica, seu violatio illius legis latæ pro bono publico politico; ergo &c.

Ad confirmat. dist. conf. Præsumitur obligare &c. sub culpa juridica, con. theologica, neg. conf.

349. Quæres, an Legislator censendus sit semper obligare in conscientia etiam ad actum, ejusve omissionem, quoties utitur verbis præceptivis, aut prohibitivis?

Respondetur affirmative. Id quod colligitur ex huc usque dictis. Excipiendum tamen est: nisi consuetudo, & praxis, quæ optima legum interpres est, contrarium persuadeat. Pro hujus exemplo poni solet, si prohibeatur, ne quis noctu sine lumine ambulet, aut certum vestimenti genus portet: ne quis vel unicam feram jaculetur &c. Hæ quippe, aliæve hujusmodi leges haberi pro mere pœnalibus solent, tametsi verbis imperativis conceptæ, & prolatæ sint.

350. Dico secundo. Quando Lex statuit pœnam (sive temporalem, sive spiritualem, sive positivam, sive privativam, sive negativam) ferendæ sententiæ, non obligat ad illam subeundam ante sententiam condemnatoriam. Ita P. Franciscus Schimier *loc. supra cit. n.* 243. P. Henno *de Leg. disp.* 3. *q.* 16. *art.* 1. *conclus.* 1. & alii communiter.

Probatur: quia ea est voluntatis Legislatoris, sua lege imponentis pœnam ferendæ sententiæ, cum se reflectat ad sententiam condemnatoriam ferendam a Judice, utpote quem, & non ipsam legem, pro executore supplicii designat; ergo lex pœnalis ferendæ sententiæ non obligat ante sententiam condemnatoriam; siquidem non solum substantia, sed etiam modus obligationis legalis a voluntate Legislatoris desumi debet.

351. Dico tertio. Quando Lex statuit pœnam temporalem latæ sententiæ, eaque est (1.) positiva (si tamen talis detur) vel (2.) privativa, non obligat ad illam subeundam ante sententiam declaratoriam criminis, saltem regulariter, & nisi Legislator addat hanc, vel similem clausulam: *nulla alia declaratione secuta*. Ita P. Henno *loc. cit. conclus.* 3. P. VViestner *ad Tit. de Pœnis n.* 18. P. Picler *ad eund. Tit. n.* 9.

Probatur prima pars: quia lex humana debet esse possibilis secundum naturam, & consuetudinem patriæ, id est, tolerabilis, & accommodata humanæ conditioni: atqui non esset talis regulariter loquendo, si obstringeret ad pœnam positivam, saltem gravem, subeundam ante sententiam declaratoriam criminis; prout testatur ipsa inclinatio naturalis, quæ hoc abhorret, & refugit; ergo &c. Id quod etiam praxis, & consuetudo habet: sic enim nemo se censet obligatum, ut eat ad triremes, ut fustigationem, vel incarcerationem petat, aut ipse exequatur in se, vel abeat in exilium ante omnem Judicis sententiam, licet Jura tale quid statuant.

Probatur etiam secunda pars ex *c.* 19. *de heret. in* 6. ubi confiscatio bonorum, quæ secundum descriptionem a nobis supra præmissam est pœna privativa, ipso Jure & facto statuitur in hæreticos, & tamen non tenentur bona tradere ante sententiam declaratoriam criminis; ergo idem censendum de aliis legibus, pœnas temporales privativas simili modo imponentibus. Accedit, quod pariter nimis durum, & asperum foret, si reus adigeretur ad exequendas in seipso pœnas privativas, saltem graviores, v. g. ad exuendum seipsum bonis, ac juribus suis, ante declarationem criminis.

352. Dixi in conclus. 1. ante sententiam criminis *declaratoriam*, non *condemnatoriam*; nam hanc Lex jam tulit, dum reum ad certam pœnam condemnavit.

Dixi 2. *regulariter*, ad innuendum, quod interdum leges humanæ obligare possint subditos ad exequendam in seipsis pœnam per propriam actionem ante omnem Judicis sententiam, maxime si ea pœna levis sit, vel gravis quidem, non tamen nimis ardua. Nam in aliquibus Religionibus præcipitur recitatio alicujus orationis, aut levis aliqua castigatio, illis, qui legem aliquam, seu constitutionem violant, absque eo, quod opus sit aliqua sententia Prælati. Quod etiam gravis, non tamen nimis ardua, pœna imponi possit, a delinquente ante omnem Judicis sententiam executioni mandanda, patebit ex jamjam dicendis.

Dixi 3. *Et nisi Legislator addat hanc, vel similem clausulam: nulla alia declaratione secuta.* Quamvis enim P. Pichler *loc. cit.* & alii permulti, existiment, dictam clausulam exponi posse de sententia *declaratoria pœnæ*, quod nempe nulla amplius requiratur declaratio pœnæ, non vero de *declaratoria criminis*; hæc tamen expositio nimium torta est, nec sustineri valet: siquidem illa verba, *alia declaratione non secuta*, comprehendunt, seu excludunt omnem declarationem, videlicet tam *criminis*, quam *pœnæ*: quomodo enim alias verificari poterit, non requiri aliam declarationem, si aliqua adhuc, nempe *criminis*, est necessaria? &, si recte res perpendantur, mera est subtilitas, dum inter declarationem *criminis*, & *pœnæ* hic distinguitur; quid enim refert, an Judex solius *criminis*, an simul *pœnæ* (quod paucis verbis constat) mentionem faciat; imo non solet Judex in similibus tantum *de facto* pronunciare, seu mere dicere: *Titius hoc, illudve crimen commisit*, sed insuper pœnam Jure constitutam exprimere; quis ergo præsumat, Jura circa has expressiones adeo argutari, & sub verbis illis generalibus unam duntaxat comprehendere, seu excludere, alteram vero adhuc exigere voluisse? inquit P. Bockn *cit. n.* 40.

Nec dicas, quod usus ipse prædictam expositionem confirmet: imo necessitas extorqueat; cum alioquin consimilis lex nimis ardua foret, veluti contendit nostra probatio.

Nam contra primum est, quod oporteat experientia condocefieri, an vere talis usus, & num passim ita vigeat? Nec refert, quod forte Judex in uno, alterove casu declarationem tam *criminis*, quam *pœnæ* per sententiam fecerit, eamque ipse executus sit: potuit enim id fuisse factum vel ex superabundanti, ne reus

multum

multum cunctari posset, vel certe ex eo, quod delinquens ultro legi non fuerit obsecutus; quin isti remissa sit obligatio tali legi etiam ante ullam Judicis sententiam obtemperandi.

Contra alterum est, quod nostra probatio sit intelligenda *regulariter*, veluti signanter addidimus; nam absolute loquendo potest Legislator obligare delinquentes, ut pœnas a Jure latas, non solum privativas, sed etiam positivas, in seipsis exequantur ante omnem Judicis sententiam, dummodo illæ non sint nimis acerbæ, ut mors, mutilatio, ac aliæ hujusmodi, quarum executio ab ipsis delinquentibus facienda sperari non posset; & concurrat causa proportionata talem obligationem imponendi, qualem causam suppetiisse Legislatori præsumendum est, si apposuerit in lege supra allegatas particulas: *nulla alia declaratione secuta*. In concursu nanque similis causæ lex, quæ de se nimitum dura foret, neque conditioni humanæ contemperata, ob gravitatem causæ proportionata, & contemperata evaderet. Vide, & cum grano salis huc applica, quæ dicemus *tract. seq. c. 1. art. 3.* ubi ostendemus, legem humanam regulariter quidem non stringere cum periculo vitæ; sic tamen stringere quandoque, dum scilicet causa sufficienter gravis id exposcit.

Dixi 4. per parenthesin: *si tamen talis detur*, pœna nimirum positiva latæ sententiæ; nam P. Bockn *citat. num.* 38. putat, nullam de facto existere pœnam positivam, quæ sit latæ sententiæ, sed omnes esse sententiæ ferendæ; eo quod nimis ab humana conditione alienum foret, si quis ad pœnam ultro sibi accersendam teneretur: idque de pœnis, saltem gravioribus, omnino verum existimo.

353. Objicies. Si hujusmodi leges, de quibus conclusio, non obligarent ante sententiam declaratoriam criminis, frustra adhiberent Legislatores illas particulas *ipso facto, vel ipso Jure*: sed hoc dici nequit; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. quia illæ particulæ adhuc inducunt aliquem effectum, nempe assignationem pœnæ ipso facto, ita, ut non requiratur sententia condemnatoria Judicis ad illam actu assignandam pro tali delicto, sicut requiritur in aliis legibus continentibus pœnam ferendam; sed sufficiat sententia declaratoria criminis.

354. Dico quarto, Quando Lex statuit pœnam latæ sententiæ, eaque est (1.) spiritualis, vel (2.) negativa, obligat ad illam subeundam ante omnem sententiam, etiam declaratoriam seu criminis seu pœnæ. P. Schimer *loc. cit. n.* 275. *& seq.* P. Cockn. *n.* 41. & alii communiter

Probatur prima pars: quia ex una parte Legislator vult, pœnas spirituales, censuras nempe, & Irregularitates, incurri ipso facto, ut supponit conclusio; ex altera vero parte præfatæ pœnæ vel sunt medicinales, ad spiritualem subditorum profectum ordinatæ, vel saltem facto, aut executione externa non indigent; proindeque non excedunt suavitatem, & æquitatem humanam; ergo Legislator illas imponendo potest velle, & censendus est velle, ad earum executionem nullam sententiam sive condemnatoriam, sive declaratoriam criminis, aut pœnæ, esse necessariam. Id quod confirmat praxis Ecclesiæ, occultas etiam transgressiones pœnis spiritualibus coercentis.

Probatur secunda pars: quia Legislator acquirendis bonis, quæ ab ipso distribuenda sunt, potest conditionem ponere, ut hac non servata, subditis transgredientibus, tanquam indignis, ad illa, independenter ab ulteriori declaratione, non sit accessus. Hinc *cap. 35. de elect. in 6.* promotus ad beneficium curatum, eo privatur, *nulla etiam monitione præmissa*, si intra annum non fuerit ordinatus Præsbyter. Porro *cap. 32. de prebend. in 6.* qui secundum beneficium cum primo incompatibile obtinuit, eodem spoliatur ipso Jure. Denique *cap. 3. de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adulter.* ubi in pœnam conjugicidij, & adulterii, complices criminis ipso facto contrahunt impedimentum dirimens Matrimonii.

355. Objicies primo. Juri naturæ repugnat, ut quis damnetur, antequam audiatur; ergo etiam Juri naturæ repugnat, ut quis ad pœnam, etiam spiritualem, aut negativam obligetur ante omnem Judicis sententiam.

Confirmatur. Nemo potest in propria causa sibi esse Judex; ergo nemo tenetur ante Judicis sententiam subire pœnam, quæcunque demum illa sit.

Respondetur ad argum. ant. tenere de damnatione, quæ fit per Judicis sententiam; non autem de illa, quæ fit per legem: quia cum fit per Judicis sententiam, debet omni meliori modo delicti causa a Judice discuti; ac proinde oportet illam non solum ex testium judicio, sed etiam ex ipsiusmet delinquentis confessione examinare: cum autem fit per legem, relinquitur judicio, & conscientiæ ipsius delinquentis: qui melius, quam quivis alius, potest de suo delicto judicare, an pœnam lege taxatam meruerit, nec ne?

Unde ad confirmat. ajo, nihil absurdi esse, quod quis sit Judex sibi ipsi in propria causa, quando lex hoc ita ordinat; veluti facit, dum excommunicationem, vel alias pœnas, humanæ conditioni contemperatas, ipso facto incurrendas constituit.

356. Objicies secundo. Ex eo, quod Legislator in legibus imponentibus pœnas temporales, positivas, vel privativas addat particulas *ipso facto*, vel *Jure*, non censetur excludere sententiam declaratoriam criminis, earum executioni præmittendam; ut patet ex dictis pro *conclusione* 3. ergo neque dum illas particulas apponit in legibus imponentibus pœnas spirituales, aut negativas: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas liquet ex dictis; nam executio pœnarum prioris generis esset nimis aspera, nimisque reo difficilia: consequenter Legislator recte præsumitur nolle illam imponere ante sententiam declaratoriam criminis, esto utatur particulis *ipso facto*, vel *Jure*. Secus est de executione pœnarum posterioris generis.

357. Quæres primo pro meliori hactenus dictorum intelligentia, quænam ergo in effectu sit differentia, num pœna inferatur per Judicis sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam?

Respondetur cum P. Engel *ad Tit. de Constit. num.* 43. hanc esse differentiam, quod pœna illata per Judicis sententiam condemnatoriam debeatur primum a die sententiæ; pœna autem illata a Jure, & postea per sententiam declarata debeatur non tantum a die declarationis, sed retro die commissi criminis, ipso Jure pœnam annexam habentis.

Nec dicas. Ergo frustraneum est illud jus retinendi interea, v. g. fructus beneficiales, ipso Jure amissos, in conscientia, si post sententiam declaratoriam, etiam retro percepti, restitui debeant.

Contra enim est cum *cit.* Authore, neg. illatum: quia adhuc illud jus aliquid operatur, ne videlicet illi fructus, interim consumpti, restitui debeant, etiam in æquivalenti, saltem si exinde possessor tempore declarationis ditior non evaserit.

358. Quæres secundo, an Leges tributorum, & vectigalium, quæ a Dominis territoriorum imponuntur, sint pure pœnales, vel mixtæ?

Respondetur primo. Si ejusmodi leges sint conceptæ verbis præceptivis, immediate directis ad tributorum, & vectigalium solutionem, sunt copulative mixtæ, obligantes in conscientia non solum ad pœnam transgressori constitutam, sed etiam ad actum ab illis directe ordinatum. P. Engel *loc. cit. n.* 46. P. Krimer *num.* 272. P. Pichler *num.* 65. & alii satis communiter. Deducitur ex sententia Christi de tributo a Judæis interrogati *Mattheo* 22. ubi respondit: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Item ex verbis Apostoli *Rom.* 13. ibi: *Necessitate subditi estote etiam propter conscientiam: ideo enim* (nota connexionem cum eo, quod dixit de conscientia) *& tributa præstatis &c. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal &c.* Ratio quoque suffragatur: quia verba præceptiva significant, quod præcipiens (nisi aliter exprimat, vel legitima consuetudo obtineat contrarium) intendat eum obligare, cui præcipit, ad illud præstandum, ad quod immediate dirigitur præceptum; ergo si immediate dirigatur ad ipsum actum directe ordinatum a lege, significat, quod præcipiens intendat eum obligare, cui præcipit, ad actum directe ordinatum a lege. Confirmatur: quia illæ leges, modo præfato conditæ, & promulgatæ, fundantur in Justitia cum legali, tum commutativa: in legali, qua tenetur membrum juxta proportionem suarum virium concurrere ad sublevandas communes necessitates: in commutativa, qua subditi debent Principi,

cipi, vel Magistratui sustentationem, & reditus congruos propter onera, & curam boni publici; ergo si de cetero debitas conditiones habeant, ut sunt legitima authoritas in imponente, finis debitus, conservatio Principis, justum bellum, conservatio viarum &c. non excessiva, sed recta quantitas, & proportio moderata &c. obligabunt in conscientia non solum ad pœnam, sed etiam ad actum. Unde subditi tenentur in conscientia vectigalia solvere, & non soluta, seu defraudata, restituere.

Ubi tamen ad alleviandos pœnitentes, ipsosque etiam Confessarios in praxi aliquo modo juvandos, duo præcipue observanda veniunt. Primum est, quod, si constet, vectigal, vel tributum, sub prætextu sustentationis congruæ, vel alterius necessitatis impositum, ad nutriendam pompam superfluam, vel avaritiam impendi, non oritur in conscientia obligatio illud pendendi, vel defraudatum restituendi: juste enim negatur, quod injuste petitur. Alterum est, quod multi Authores excusent subditos pauperes a solvendis gabellis, quæ sunt impositæ rebus importatis vel exportatis, ad victum necessariis; item illos, qui tantum subinde defraudant, ut magnum inde damnum Communitati non emergat: eo quod præsumi possit de benignitate Principum, non tanto rigore ab his personis eas exigentium. Præterea excusant illos, qui absque fraude, vel mendacio dissimulant, & non indicant merces; eo quod consuetudo forte obtinuerit, pro illis rebus nihil solvendum esse in conscientia, pro quibus nihil petitur, quamvis per se esset obligatio eas sponte indicandi. Ita testatur, & habet Pichlerus *loco citato*, quem vide.

Respondetur secundo. Si leges vectigalium, & tributorum verbis solum indifferentibus conceptæ, & promulgatæ sint, non obligant in conscientia ad actum. Est contra aliquos, qui volunt, illas etiam sic esse copulative mixtas, & obstringere ad actum simul, & pœnam, non quidem virtute propria, sed virtute legis naturalis, per eas determinatæ; nam jure naturali (inquiunt) tenentur subditi ad Principis sustentationem concurrere. Verum

Contra est (simulque adstruitur ratio probativa responsionis nostræ) quod etsi subditi jure naturæ obligentur ad Principis sustentationem concurrere eo modo, quo ipse ordinaverit: quia tamen potest hoc ipsum ordinare dupliciter 1. ut sine ulteriori culpa conscientiæ in omissione solutionis, subeant pœnam confiscationis, ubi non solverint; atque adeo obligando in conscientia ad solam pœnam, non ad actum. 2. obligando in conscientia ad utrunque; hinc ex lege naturali neutrum determinate concluditur, sed solum alterutrum, prout scilicet Legislator determinaverit tanquam expediens communi bono. Atqui dum in ferendis ejusmodi legibus utitur terminis, seu verbis indifferentibus, non recte judicatur velle ad utrunque, actum scilicet, & pœnam, obstringere; ergo &c.

§. II.

An, & quomodo Lex irritans obliget in conscientia?

SUMMARIUM.

359. *Ex hoc præcise, quod lex aliquem actum fieri prohibeat, is non debet idcirco statim censeri irritus, & nullus.* 360. *Inter leges irritantes alia est pœnalis, & alia pure irritans.* 361. *Lex actum aliquem irritare potest, & solet dupliciter, nimirum* per seipsam, *seu* ipso Jure, *&* per sententiam Judicis. 362. *&* 363. *Si lex irritans actum, illum simul prohibeat, obligat in conscientia ad omissionem actus: si vero illum non simul prohibeat, non obligat ad omissionem actus; obligat tamen ad non percipiendos fructus, vel effectus, alias ex tali actu, si valide ponaretur, resultare natos.* 364. *Lex irritans est proprie dicta lex, non quidem, in quantum est irritans reduplicative; sed in quantum est prohibens.*

359. PRænotandum primo, ex hoc præcise, quod lex aliquem actum fieri prohibeat, eum non debere censeri statim irritum, & nullum. Ratio est: quia fieri actum illicite, & adhuc valide, simul stare possunt ex natura rei; ergo præcisa ratio illiciti, seu prohibitio non infert nullitatem ex natura rei; sed nec infert ex Juris dispositione: quia, ut habetur in *capit. 16. de Regular.* ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem*. Unde matrimonium, cum simplici voto castitatis initum, est illicitum, attamen validum: & olim matrimonia clandestina erant valida, quamvis illicita; ut constat ex Trid. *Sess. 24. de reform. matr. c. 1.*

360. Prænotandum secundo, inter leges irritantes aliam esse *pœnalem*, & aliam *pure irritantem*. Prior est, quando irritatio statuitur in odium transgressoris: hujusmodi sunt leges irritantes collationem beneficii ob commissam simoniam, & matrimonium ob patratum uxoricidium, vel adulterium cum promissione futuri matrimonii. Posterior est, quando irritatio non statuitur in odium transgressoris, seu ob aliquam culpam, sed potius in favorem boni communis: tales sunt leges irritantes professionem Religiosam ante annum decimum sextum emissam, & testamenta sine certa solemnitate condita &c. De lege irritante pœnali discurrendum est eodem modo, quo §. *præcedent.* de lege pœnali in genere discurrebamus. Unde solum de lege pure irritante hic nobis negotium erit. Circa quam

361. Prænotandum tertio, quod lex actum irritare possit, & soleat dupliciter, nimirum 1. *per seipsam*, sive *ipso Jure*; & 2. *per sententiam Judicis*. Si irritet posteriore modo, patet, quod non obliget ante sententiam, quemadmodum de lege pœnali ferendæ sentententiæ §. *præced.* conclusum extat. Quid sentiendum de illa, si irritet priore modo, nunc decidendum est.

362. Dico itaque primo. Si lex irritans actum, illum simul prohibeat sive expresse, sive tacite, obligat in conscientia ad omissionem actus. Ita Suarez *lib. 5. c. 20.* & alii communiter.

Probatur breviter: quia omnis lex prohibens actum obligat in conscientia ad omissionem actus; ergo etiam lex irritans actum, si simul illum prohibeat. Hinc peccat, qui, impedimento dirimente ligatus, matrimonium contrahit: qui legitimam ætatem nondum adeptus, professionem Religiosam emittit: qui non adhibita forma canonica, electionem attentat.

Dixi in conclus. Si lex irritans actum, illum simul prohibeat sive *expresse*, sive *tacite*. Priore modo prohibet, quando prohibitionem exprimit verbis, ut si prohibeat actum, & simul addat, quod, si fiat, nullus sit. Posteriore modo prohibet, quando actus, quem irritat, est ex suo objecto talis, ut, supposita irritatione, secum trahat aliquam turpitudinem: quemadmodum patet de electione, contra formam Juris Canonici instituta; quæ ratione violatæ Justitiæ, ex qua Electores eam formam adhibere, sicque electionem validam adornare tenebantur, turpitudinem involvit.

363. Dico secundo. Si lex irritans actum, non simul illum prohibeat (1.) in conscientia ad omissionem actus non obligat; obligat tamen (2.) ad non percipiendos fructus, vel effectus, alias ex tali actu, si valide poneretur, resultare natos. Ita denuo Suarez *cit.* & alii communiter.

Probatur prima pars: quia obligatio legalis commensuratur voluntati, & intentioni Legislatoris; ergo si hic aliquem actum ita irritet, ut illum neque expresse, neque tacite prohibeat, nulla erit obligatio conscientiæ ad omissionem ejus. Unde qui conderet testamentum sine præscripta solemnitate substantiali, adeoque invalidum, reatum culpæ in conscientia nullum incurreret: quia ageret contra legem mere irritantem &c.

Probatur etiam secunda pars. Qua ratione lex irritans actum invalidat, eadem obligat in conscientia, ne quis utatur illo actu tanquam valido; ergo obligat in conscientia, ne quis percipiat fructus, ex illo actu, si valide fieret, resultare natos; talis enim sic uteretur actu tanquam valido: consequentet &c. Unde alienatio rerum Ecclesiasticarum, absque canonica solemnitate suscepta, non tribuit accipienti potestatem, illas res retinendi etiam in foro conscientiæ.

364. Colliges, legem irritantem esse proprie dictam legem non quidem (1.) in quantum est irritans reduplicative, sed in quantum (2.) est prohibens, vel actum, prout de ea loquitur prima conclusio; vel saltem perceptionem fructuum ex actu irritato, prout accipitur in conclusione secunda. Ratio, & signum primi est: quia, in quantum lex est irritans reduplicative,

se etiam

se etiam extendit ad actus præteritos, quod est contra rationem legis proprie dictæ. Signum secundi est: quia, in quantum est prohibens, ad solos actus futuros se protendit; estque vere obligativa alterutro ex præfatis modis: unde illi, sic consideratæ, nihil deficit, ad rationem legis proprie dictæ requisitum.

§. III.

An, & quomodo Lex, in præsumptione fundata, obliget in conscientia?

S U M M A R I U M.

365. *Quid, & quotuplex sit lex in præsumptione fundata?* 366. *Lex fundata in præsumptione periculi generalis incommodorum, fraudum &c. obligat in conscientia, etiamsi in casu particulari præsumptio fallat.* 367. *E diverso lex fundata in præsumptione particularis facti, delicti, vel casus non obligat in conscientia, quando fallit præsumptio.*

365. Prænotandum, legem *in præsumptione* fundatam dici, quando præsumit, vel supponit aliquid, nimirum vel periculum aliquod universale, vel factum aliquod particulare, v. gr. lex requirens præsentiam Parochi, & duorum testium ad matrimonium, præsumit, & supponit adesse grave periculum variorum incommodorum, & fraudum; & lex præcipiens, ut obediatur sententiæ Judicis, præsumit, & supponit, eam esse justam. Quod suppositum si reipsa non subsistat, lex fundatur *in præsumptione falsa*. Unde lex potest fundari vel in præsumptione *periculi generalis*, vel in præsumptione *particularis facti, delicti, aut casus*. Priore modo in præsumptione fundatur, quando prohibet actum, de se periculis, fraudibus, ac incommodis obnoxium. Posteriore modo in præsumptione fundatur, quando ex conjectura determinatæ, & particularis cujusdam circumstantiæ, aut qualitatis, pro hoc, vel illo casu aliquid præcipit, vel prohibet.

366. Dico jam primo. Lex fundata in præsumptione generalis periculi, obligat in conscientia, etiamsi in casu particulari præsumptio fallat. Ita P. Paulus Mezger *de Leg. disp.* 35. *art.* 3. §. 3. P. Pichler *loc. cit. n.* 39. P. Bockn *n.* 45. & alii DD. communissime.

Probatur. Quandiu subsistit finis, & motivum Legislatoris, si non adæquatum, saltem inadæquatum principale, tandiu perseverat obligatio legis: sed quando lex est fundata in præsumptione generalis periculi, subsistit motivum Legislatoris, si non adæquatum, saltem inadæquatum, idque principale, esto in casu particulari præsumptio fallat; ergo &c. Major est certa ex illo quasi principio philosophico, quod manente motivo, seu fine principali, & primario non cesset actio; & consequenter &c. Min. pariter constat; nam adhuc subsistit periculum generale moraliter saltem certum, quod a Republica lex principaliter avertere intendit. Ubi proin oportet graviter discernere inter periculum damni, & ipsum damnum: licet enim damnum ipsum non semper sequatur, si suscipiatur negotium, fraudi, ac damno obnoxium, semper tamen a periculo fraudis, damnique cavendum: sicut licet non semper cadat, qui in præcipiti pendet, nihilominus præcipitium semper declinandum est. Unde lex Tridentini, irritans matrimonia clandestina, quæ fundatur in præsumptione fallaciarum, in ejusmodi matrimoniis intercedere nata, suo robore non destituitur, quando in casu particulari nulla intervenit fallacia. Pariter lex irritans professionem Religiosam ante completum annum decimum sextum, quæ innititur præsumptioni de defectu sufficientis judicii, & prudentiæ ante illum annum, adhuc tenet, etiamsi in casu particulari malitia, id est, prudentia suppleat ætatem &c.

367. Dico secundo, Lex, in præsumptione facti fundata, non obligat in conscientia, quando fallit præsumptio, seu quando deficit circumstantia &c. cujus præsumptionis lex innititur. Est itidem communissima DD. tum relatorum pro conclusione præcedenti, tum aliorum.

Probatur. Quando deficit motivum Legislatoris adæquatum, cessat obligatio legis per *cap.* 16. *de appellat.* sed quando lex fundatur in præsumptione facti, deficiente circumstantia, cujus præsumptioni innititur, deficit motivum adæquatum Legislatoris; ergo tunc cessat obligatio legis. Min. prob. In lege conditionata, deficiente conditione, deficit motivum adæquatum Legislatoris: sed lex, fundata in præsumptione facti, est, saltem tacite, conditionata, si nimirum veritas facti ita se habeat, sicut præsumitur; ergo, hac conditione deficiente, deficit motivum adæquatum Legislatoris: & consequenter &c.

Confirmatur. Lex non obligat ultra intentionem Legislatoris; prout decantatum est: sed Legislator, ferens legem fundatam in præsumptione facti, tandiu solum per eam obligare intendit, quandiu conditio præsumpta subest; ergo si hæc non amplius subsit, Legislator non amplius intendit obligare: consequenter &c.

Ubi adverte, præsumptionem fallere vel quia lex præsumit, aliquem actum esse licitum, qui tamen Jure naturali, vel Divino est illicitus; vel quia lex præcipit aliquem actum licitum, sed tamen propter præsumptum aliquod factum, quod a parte rei non subsistit. Si priore modo fallat, per se constat legem humanam non obligare in conscientia, cum non detur obligatio ad peccandum. Sit Exemplum. Bertha contraxit matrimonium cum Titio; sed invalide ob occultum impedimentum dirimens. Petit igitur a Judice Ecclesiastico divortium, Judex urget impedimenti probationem, quam cum Bertha (licet impedimentum certo noverit) afferre nequeat, jubetur manere cum Titio, & reddere debitum. Hoc tali casu debet Bertha potius censuras sustinere, quam sententiæ parere, quippe adstringenti ad peccatum perpetrandum contra Jus naturale, cui, ceu vinculo fortiori, quæcunque lex humana cedere debet. Si fallat præsumptio posteriore modo, similiter nulla est legis obligatio; hæc quippe non protendiur ultra intentionem Legislatoris, prout proxime dictum; Legislator autem non intendit obligare, quando fallit præsumptio, cum veritas contra hanc prævaleat, eamque superet, ac enervet. *Esdræ lib.* 3. *cap.* 3. ideoque in foro externo contra præsumptionem admittitur probatio. Sic lex præcipit, ut, siquis in persona citari non potuerit, ideoque per edictum fuerit citatus, eo intra peremptorium terminum non comparente Judex in contumaciam possit procedere, imo & examinatis causæ meritis, si pars altera id voluerit, litem definire. Cum vero hæc lex profecto sit ex præsumptione facti, ac circumstantiæ particularis, quod nimirum citatio ipsi innotuerit, neque impeditus fuerit, quo minus se sisteret; hinc eidem adhuc integrum est, modis legitimis absentiam purgare, ac contrariam veritatem demonstrare, sic ut omnia adversus ipsum acta tunc sint revocanda, *cap.* 18. *de sent. & re judic.*

Ad dicta in hoc §. clarius percipienda vel maxime faciunt, quæ habentur infra *n.* 441. *& seqq.*

§. IV.

An ergo omnis Lex, & quomodo obliget in conscientia?

S U M M A R I U M.

368. *Concluditur veluti illative, omnem omnino legem proprie dictam obligare in conscientia ad aliquid.* 369. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur argumenta contraria.*

Quæ de Legibus pœnalibus, irritantibus, & in præsumptione fundatis, negotium hic nobis facere possent, in §§. præcedentibus expedita sunt. Unde jam facilis solutionis est præsens quæstio. Ad quam proinde.

368. Dico veluti illative. Qualibet lex humana, si sit vera lex, obligat in conscientia, sive ad actum, ejusve omissionem, ut mere præceptiva, aut prohibitiva; sive ad pœnam tantum, ut mere pœnalis; sive ad utrunque simul, ut copulative mixta; sive ad alterutrum, ut disjunctive mixta; sive ad non percipiendos fructus ex actu invalido, ut irritans &c. Ita DD. in §§. præcedentibus citt.

Probatur; quia lex essentialiter differt a consilio, quod illa inducat necessitatem parendi, non vero istud; ergo qualibet lex debet obligare in conscientia.

Confirmatur. Omnis Legislator humanus, sive Ecclesiasticus, sive Civilis, præfulget authoritate, & potestate ferendi leges in conscientia; prout habetur *Rom.* 13. &

13. & *Act.* 15. ergo potest ejusmodi leges ferre. Quod autem eas etiam actu ferat, ex publica earundem promulgatione liquet.

369. Objicies primo. Christus per passionem, & mortem suam nos vindicavit in libertatem; ergo non amplius legibus, saltem humanis, subjici possumus.

Respondetur, neg. cons. Siquidem Christiana libertas non in eo sita est, quod debeamus esse liberi ab observatione legum etiam humanarum: sed in his tribus præcipue consistit, nimirum 1. quod simus immunes a servitute peccati. 2. quod simus exempti a jugo legis ceremonialis, & judicialis, quod Judæi in Lege Moysaica graviter premebantur. 3. quod non ducamur spiritu timoris servilis, quo ducebantur Judæi.

370. Objicies secundo. Judex inferior nihil potest in foro Judicis superioris: sed forum conscientiæ est forum Judicis superioris, & Legislator humanus est Judex inferior; cum illud ad Deum pertineat, qua de causa etiam nuncupari consuevit *forum poli*; ergo &c.

Respondetur dist. maj. Judex inferior nihil potest in foro Judicis superioris, si ab hoc non acceperit potestatem, con. si acceperit potestatem, quemadmodum Legislatores humani eam acceperunt a Deo, neg. maj.

Dices. Ex data responsione sequitur, totam vim obligandi oriri a Deo, seu a lege Divina; ergo lex humana qua talis non obligat in conscientia.

Respondetur, neg. seq. Quamvis enim vis obligandi in conscientia legum humanarum oriatur a Deo, & lege Divina, tanquam a causa universali, & remota; oritur nihilominus etiam a lege humana, tanquam a causa particulari, & proxima, cui proinde etiam attribuitur: sicut in physicis effectus refunditur in causam particularem, & proximam.

371. Objicies tertio. Legislator humanus non potest infligere pœnam mortis æternæ; ergo neque sub ejus incursu quidquam præcipere, aut prohibere; & consequenter &c. Cons. prob. quia nemo potest obligare sub pœna, quam non potest infligere.

Respondetur, neg. cons. una cum prob. & oppositum patet in Principe inferiori, qui ex potestate sibi commissa potest ferre legem sub pœna mortis temporalis, licet potestas eam inferendi penes Principem superiorem remaneat. Satis ergo est, quod pœna mortis æternæ infligi possit a Deo supremo, & justo Judice.

372. Objicies quarto. Potestas Legislatoris civilis est mere temporalis, & politica; ergo non potest inducere obligationem in conscientia.

Respondetur, dist. ant. Ratione objecti, con. ratione obligationis, neg. ant. Dicitur politica ratione objecti, quatenus secundum se est tota de personis, rebus, & actionibus temporalibus, quas per se primo respicit. Nihilominus ratione obligationis potest etiam dici spiritualis, quatenus eam in foro conscientiæ imponit cum subordinatione ad potestatem divinam, & in virtute illius potentis obligare in foro conscientiæ quantum ad culpam, & pœnam æternam.

373. Objicies quinto. Statuta nostri Ordinis sunt veræ leges; sed illa non obligant in conscientia; ergo &c.

Respondent plerique, neg. maj. Verum melius conceditur: quia præmemorata Statuta conduntur, & promulgantur verbis præceptivis; ergo obligant in conscientia, non quidem ad actum immediate intentum, sed ad pœnam, supposita transgressione: quod sufficit ad salvandam in illis rationem legis. Unde dist. min. Sed præfata Statuta non obligant in conscientia ad actum, con. ad pœnam, neg. min.

ARTICULUS II.

Quanta sit, aut esse possit obligatio Legis humanæ?

QUod quæcunque lex humana, si sit vera lex, inducat obligationem in conscientia, *art.* & §§. præcedentibus ostensum ivimus. Quanta autem ea obligatio sit, vel esse possit, in hoc *art.* decidere oportet: quod per duos §§. præstituri sumus. Sit igitur

§. I.

Quanta sit ordinarie loquendo Legis humanæ obligatio?

SUMMARIUM.

374. *Lex humana ordinarie in materia gravi obligat graviter, & in levi leviter.* 375. *Resolvitur quæstio, unde colligi possit gravitas, & levitas materiæ, sub legem humanam cadentis?*

374. DIco. Lex humana ordinarie in materia gravi obligat graviter: & in levi leviter. Omnes.

Probatur: quia ad eum fere modum, quo obligatio dicitur esse fundamentum pœnæ, materia est fundamentum, & radix obligationis; ergo sicut inter obligationem, & pœnam intercedat, oportet, proportio, ita etiam inter materiam, & obligationem; ergo sicut obligatio, & gravis ejusdem violatio ordinarie post se trahit pœnam gravem, & levis levem; sic materia gravis ordinarie parit obligationem gravem, & levis levem. Sed

375. Quæres, unde colligi possit gravitas materiæ, sub legem humanam cadentis?

Respondetur primo, quod ad hoc dignoscendum materia debeat spectari absolute, & non tantum respective ad totum: id est, debet considerari, an in se, etiam attentis circumstantiis, sit, vel non sit aliquid notabile. Declaratur in sequenti exemplo; nam communis fert opinio, quod ad peccandum graviter in materia Missæ die festo, requiratur omissio tertiæ partis circiter; attamen etiam attendendum est ad partes secundum se: quanto enim eæ sunt nobiliores, tanto minus ad declinandam lethalem culpam omittendum. Ex quo fit, ut qui tempore utriusque consecrationis a Missa abesset, vel voluntarie ad eandem nullo modo attenderet, Missam non audiret, adeoque mortaliter delinqueret, quamvis illa pars Missæ, a qua abesset, aut ad quam non attenderet, spectato tempore, ne quidem sit pars vigesima. Ita Herincx *disp. 7. de peccat. n. 48.* La Croix de Lege n. 665. & alii ab ipso relati.

Dices. Supposito, materiam gravem respectu promissionis acceptatæ esse ducatum, si quis non det unicum ducatum, quem promisit, peccat mortaliter: si promiserit trecentos, & unum subtrahat, non peccat mortaliter, uti nec tum si promiserit mille, & subtrahat duos; & sic quo majora sunt tota, eo majorem potest partem subtrahere, quin mortaliter peccet; ergo materia gravis non spectanda est absolute, sed respective, sive in ordine ad totum, cujus est pars.

Respondetur, neg. cons. Nam non negamus, considerandas esse circumstantias personarum, ac rerum; sic enim utique facilius peccat mortaliter, qui furatur pauperi, quam quis furatur diviti: sed tantum asserimus, quod suppositis circumstantiis, sæpe proportionem unius partis ad alteram, vel etiam ad totum involventibus, materia attendenda sit etiam secundum se, & censenda gravis, quando secundum se est aliquid notabile, & levis, quando secundum se non est aliquid notabile, sive dein sit pars media, sive tertia, sive vigesima totius. Ita sibi objicit, & quasi in terminis respondet La Croix *loc. cit.*

Respondetur secundo, quod gravitas, vel levitas materiæ, sub legem humanam cadentis, colligi præterea possit, ac debeat ex his præcipue signis. 1. Ex verbis Legislatoris, exprimentibus obligationem gravem, eamque insinuantibus per adjectionem gravis pœnæ transgressoribus constitutæ: ut si Legislator utatur his, vel aliis similibus verbis: *prohibeo sub interminatione Divini judicii, sub indignatione Dei, & Sanctorum in virtute S. Obedientiæ &c. ne &c.* 2. Ex fine a Legislatore intento: si enim hic sit magni momenti, & materia aliqua ad illum multum conducat, erit materia gravis, levis vero, si parum conducat, aut finis ipse parvi momenti sit: cum enim materia non cadat sub legem, nisi prout substat fini, quem Legislator intendit, non recipit obligationem gravem, vel levem, nisi hæc ad finem Legislatoris multum, vel parum conducere judicetur. E. g. Licet commixtio aquæ modicissimæ cum vino, intra sphæram mixtionis considerata, sit materia levis; quatenus tamen in Sacrificio Missæ præcepta, deservit ad repræsentandum mysterium tremendi Sacrificii, & Sacramenti Altaris, constituitur materia gravis. Un-

vis. Unde materia ex ſe materialiter gravis, vel levis, ex ſubordinatione ad finem formaliter gravis, aut levis evadit. 3. Ex conſuetudine: hæc enim ſicut legis, ita & obligationis legalis eſt ſinceriſſima, & certiſſima interpres.

§. II.

Utrum Lex humana poſſit obligare graviter in materia levi, & leviter in gravi?

S U M M A R I U M.

376. *Lex humana non poteſt obligare graviter in materia ſimpliciter, id eſt, tam materialiter, ſeu ſecundum ſe, quam formaliter, ſeu relate ad finem Legislatoris, levi; poteſt vero in materia ſecundum quid, id eſt, materialiter ſolum levi.* 377. *Lex tamen eadem poteſt e diverſo, ſaltem valide, non ſolum in materia materialiter, ſed etiam formaliter gravi, obligare leviter, ſi Legislator ſic obligare velit.* 378. *Proponuntur, & diluuntur argumenta contraria.*

376. DIco primo. Lex humana non poteſt obligare graviter (1.) in materia ſimpliciter, id eſt, tam materialiter, ſeu ſecundum ſe, quam formaliter, ſeu relate ad finem Legislatoris, levi; poteſt vero (2.) in materia materialiter ſolum levi, ſi Legislator ita velit. DD. communiter.

Probatur prima pars: quia obligatio gravis non poteſt fundari, niſi in materia talis obligationis capaci: ſed materia ſimpliciter levis non eſt capax obligationis gravis, hoc ipſo quod aut honeſtati, aut fini a Legislatore intento, graviter non repugnare ſupponatur; ergo &c.

Probatur etiam ſecunda pars: quia materia materialiter levis poteſt ex circumſtantiis, & præcipue ex ſubordinatione ad finem a Legislatore intentum evadere gravis, ergo ut ſic poteſt eſſe fundamentum, & radix obligationis gravis, ſi Legislator talem imponere velit. Exemplum dedimus in §. *praced.* de commixtione aquæ cum vino in Sacrificio Miſſæ, quæ juxta omnes cadit ſupra præceptum graviter obligatorium.

377. Dico 2. E diverſo lex humana poteſt, ſaltem valide, non ſolum (1.) in materia materialiter, ſed etiam (2.) formaliter gravi, obligare leviter, ſi Legislator ſic obligare velit. Ita denuo DD. ſatis communiter contra Vaſquezium, Maſtrium, & quoſdam alios.

Probatur utraque pars concluſionis ſimul: quia materia legis poſitivæ, maxime humanæ, prout contradiſtinctæ a lege naturali, quomodocunque gravis exiſtat, indifferens eſt, ut poſſit præcipi, vel non præcipi; ergo etiam indifferens eſt, ut poſſit præcipi graviter, vel leviter tantum, prout Legislator voluerit, utpote in cujus poteſtate, & arbitrio poſitum eſt, velitne totam materiæ ſic indiffererentis capacitatem explere imponendo obligationem gravem, vel non explere obligationem attemperando, & imponendo levem.

Dixi in concluſ. *ſaltem valide*. Nam ſi Legislator videat, Reipublicæ ſalutem expoſcere, ut materia gravis præcipiatur ſub mortali, eandem ſic præcipere ex Juſtitia legali obligatur; conſequenter ſi ſub levi tantum præcipiat, illicite agit, quamvis adhuc valide; prout infra in ſolutione objectionis tertiæ perſpicuum fiet.

378. Objicies primo contra primam partem concluſionis ſecundæ. Lex naturalis in materia gravi non poteſt obligare leviter; ergo nec lex humana.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas eſt, quod obligatio legis naturalis ſequatur exigentiam materiæ ſubjectæ, quæ intrinſece eſt talis, ut de ſe, ſi ſit gravis, ſemper graviter naturæ rationali, & conſequenter legi naturali repugnet. Oppoſitum eveni: in materia indifferenti, qualis eſt materia legis humanæ, cujus obligatio contingenter pendet a libera voluntate Legislatoris humani, qui proinde poteſt attendere, vel non attendere gravitatem materiæ; atque adeo imponere obligationem gravem, vel levem, vel omnino nullam.

Inſtabis. Eſto ferre vel non ferre legem in materia indifferenti, pendeat ex voluntate præcipientis, tamen ſemel ſuppoſito præcepto, vis obligandi naſcitur ex jure naturæ; jus enim naturæ dictat, parendum eſſe Superioribus præcipientibus: atqui jus naturæ in materia gravi obligat graviter; ergo in materia gravi, etiam ſuppoſita contraria voluntate præcipientis, non poteſt eſſe, niſi obligatio gravis.

Reſpondetur, diſt. maj. Vis obligandi &c. naſcitur ex jure naturæ, juxta intentionem Legislatoris, con. contra intentionem Legislatoris, neg. maj. Sed jus naturæ in materia gravi obligat graviter, quando ipſum ſolum obligationem imponit; ut contingit circa ea, quæ involvunt bonitatem, vel malitiam intrinſecam, con. quando non ipſum ſolum obligationem imponit, ut evenit circa illa, quæ ex ſe nec bona, nec mala ſunt, ſubdiſt. obligat graviter, ſi etiam Legislator humanus ſic obliget, con. ſecus, neg. min. & conſ.

Objicies ſecundo contra eandem partem. Non poteſt Legislator in materia omnino levi imponere obligationem gravem; ergo neque in materia gravi obligationem levem.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas eſt, quod materia omnino levis, hoc ipſo, quod talis ſit, improportionata exiſtat, & incapax obligationis gravis, e diverſo materia gravis Legis humanæ ſit capax obligationis ſive gravis, ſive levis; cujus proinde obligationis quantitas, & menſura deſumenda eſt a voluntate Legislatoris, qui vel poteſt explere capacitatem materiæ imponendo obligationem gravem, vel non explere imponendo obligationem levem; prout viderit expedire. Ita hanc, & præcedentem objectionem quaſi in terminis propoſui, & ad utranque reſpondi in *meis Theſ. pag.* 207. *& ſeq.*

Objicies tertio contra ſecundam partem, ut lex valeat, debet cedere in emolumentum boni communis: ſed lex præcipiens ſub culpa levi materiam gravem, ſeu talem, qualem ſalus Reipublicæ præcipi poſtulat ſub culpa gravi, non cederet in emolumentum boni communis; ergo &c.

Reſpondetur, neg. min. Quia ejuſmodi lex adhuc cederet in emolumentum boni communis; cum ex natura ſua apta nata eſſet commune bonum promovere; eſto redderetur aptior, ſi eo in caſu ſub mortali obſtringeret: per quod tamen plus non infertur, quam Legislatorem peccaturum contra Juſtitiam legalem, vi cujus modo meliori, quo poteſt, incrementum boni communis procurare tenetur.

Ex allatis hucuſque fundamentis plurimæ quæſtiones in materiis particularibus reſolvi poſſunt, quarum tamen reſolutione hic conſultius ſuperſedeo, Lectorem ad propria loca, in quibus pertractantur, remittens, & exiſtimans, præſenti me inſtituto feciſſe ſatis, quod fundamenta, ex quibus illarum reſolutio fieri poteſt, & debet, in medium adducta ſtabiliverim.

Solet hic etiam a permultis ventilari quæſtio, num Lex humana poſſit obligare cum periculo mortis, aut alterius gravis damni, vel mali incurrendi? ſed eidem comodius ſatisfactum iri dijudico in *tr. 3. ſeq. diſp. 1. cap. 1. art. 3.*

C A P U T V.

De ſubiecto Legis Humanæ.

A R T I C U L U S I.

An Legislator humanus teneatur ſuis Legibus?

S U M M A R I U M.

379. *Legislator humanus ſimpliciter obligatur illis legibus, quæ continent Jus naturale, vel Divinum.* 380. *Si lex contineat materiam ſubditis propriam, cujus obſervatio dedecet dignitatem, & ſtatum Legislatoris, hic ſua lege nullatenus ſtringitur.* 381. *Quando Legislator eſt Communitas, aut alias non Monarchicus, legibus a ſe latis & ipſe ligatur.* 382. *Vis legis duplex eſt, videlicet* directiva, & coactiva: *prior ſubdividitur in* directam, & indirectam. 383. *Legislator humanus, ſive Eccleſiaſticus, ſive Civilis, non tenetur ſuis legibus quoad vim coactivam, neque quoad directivam directe. Hinc* 384. *Papa exemptus eſt ab omnibus pœnis Canonicis Jure humano introductis; uti & Epiſcopus a pœnis per ſe, ſuive Anteceſſores conſtitutis.* 385. *Tenetur tamen Legislator ſuis legibus quoad vim directivam indirecte.* 386. *Solvitur objectio.* 387. *Legislator non ſemper peccat mortaliter, ſuas leges tranſgrediendo, quando ſic peccant ſubditi.*

379. PRænotandum primo, certum eſſe, Legislatorem humanum ſimpliciter obligari illis legibus, quæ continent Jus naturale, vel Divinum: quia

hæc Ju-

hæc Jura, cum procedant ab Authore Deo, sunt supra Legislatorem humanum, quamvis ab eodem populo proposita, & declarata. Unde quin suo contractui, vel pacto stare debeat, non eximitur per plenitudinem potestatis suæ propter consensum præstitum, qui Jure naturæ servandus est, *l. 1. ff. de Pactis*.

380. Prænotandum secundo, certum præterea esse, quod si lex contineat materiam subditis propriam, cujus observatio dedecet dignitatem, & statum Legislatoris, hunc sua lege nullatenus obstringi. Unde licet lex præcipiat, ut solvantur tributa, Legislator illa solvere non tenetur. Neque obligatur incedere sine gladio, aut veste holoserica, quando lex prohibet, ne quis gladium, aut vestem holosericam portet.

381. Prænotandum tertio, propositum dubium non procedere de Legislalore, quando is est Communitas, v. g. Capitulum generale: quia Legibus a tali latis singula ejus membra, ac proinde etiam eum, qui illos condidit, obligari, & ad observantiam compelli posse, patet, & ex *c. 6. de Constitut.* desumi potest. Ex quo sequitur, quod Generalis nostri Ordinis v. g. obstringatur Statutis, in generali Congregatione editis; & Episcopus, editis in Synodo Provinciali, aut Nationali; idque non solum quoad vim directivam, sed etiam coactivam: siquidem ille tota Religione, & iste tota Synodo simul sumpta inferior est. Idem dicendum de Optimatibus in Statu Aristocratico, & populo in Statu Democratico: quia quilibet ex Optimatibus, & popularibus est verus subditus respectu totius Cœtus, tum Optimatum in Statu Aristocratico, tum populi in Statu Democratico; & consequenter &c. Quare tota quæstio devolvitur ad Legislatorem humanum Monarchicum respectu suarum legum qua talium, seu quatenus ipsius sunt. Pro qua clarius resolvenda, ulterius

382. Prænotandum quarto, vim legis esse duplicem, nimirum *coactivam*, & *directivam*; prout explicuimus supra *n.* 305. Porro vis directiva alia dicitur *directa*, alia *indirecta*. Prior exercetur, si causa obligandi sit ipsa lex, & voluntas Legislatoris: posterior, si lex, & voluntas Legislatoris sit tantum occasio, ut obligatio aliunde resultet: sic subditi directe obligantur lege territorii; quia ipsa voluntas Legislatoris, utpote cujus jurisdictioni subsunt, talem obligationem in illis causat: econtra non subditi, jurantes, se servaturos leges territorii, obligantur indirecte: quia leges sunt illis tantum occasio, ut ligentur juramento. Nunc

383. Dico primo. Legislator humanus, sive Ecclesiasticus, sive Civilis, non tenetur suis legibus (1.) quoad vim coactivam, seu coercitivam; neque (2.) quoad vim directam directe. Ita Mastrius in *Theolog. moral. disp. 2. q. 4. art. 4.* Reiffenstuel *ad Tit. de Constit. num.* 268. Herincx, Frassen, Engel, & alii satis communiter.

Probatur prima pars: quia Legislator non potest cogi, vel puniri pœna inductiva ad legis observantiam, cum nullum agnoscat Superiorem, a quo cogatur, & nemo proprie a seipso cogi possit; siquidem hoc contra ordinem naturæ pugnat; ergo Legislator non tenetur suis legibus quoad vim coactivam; sed ab eis, quantum ad obligationem pœnæ subeundæ, liber, atque immunis est, juxta *l. 3. ff. de legib.* ibi: *Princeps legibus solutus est*.

Probatur etiam secunda pars eadem fere ratione, qua prima; nam omnis obligatio directa etiam directiva, supponit in imponente superioritatem, & in faciente subjectionem; prout consideranti, quid sit vis directiva directa legis, pervium est; ergo cum Legislator respectu sui ipsius non sit Superior, nec sit subditus, suis Legibus non tenebitur directe etiam quoad vim directivam. Unde in *l. penult. ff. de recept. arbitris* dicitur: *Nemo imperare sibi, aut seipsum prohibere quisquam potest*.

384. Colliges, Papam exemptum esse ab omnibus pœnis Canonicis Jure humano introductis; uti & Episcopum a pœnis per se, suosve Antecessores constitutis: quia hujusmodi pœnæ proficiscuntur a vi coactiva legum Pontificiarum, & Episcopalium, quibus, ut sic consideratis, Pontifex, & Episcopus non adstringuntur.

Dico secundo. Legislator humanus tenetur suis legibus quoad vim directivam indirecte. Authores pro conclus. prima relati.

385. Probatur: quia Legislatorem sic teneri suis legibus aliud haud est, quam ipsum directe obligari a lege naturali ad se conformandum suis subditis in observantia suarum legum, ex suppositione, quod illas tulerit: sed ita obligatur; ergo &c. Min. prob. Nam lex naturalis obligat Legislatorem ad procurationem boni communis: atqui procuratio boni communis maxime pendet a bono exemplo Principis, dum is docet idem exemplo, quod prædicat verbo, & conformitate omnium membrorum; nam, ut habet S. August. *lib. 3. Confess. c. 8. turpis est omnis pars, suo universo non congruens*; ergo ex suppositione, quod suas leges tulerit, a lege naturali ad illarum observantiam adstringitur.

386. Objicies. Sequeretur, Legislatorem non posse secum ipso dispensare in suis legibus, sicut potest cum subditis; cum lex naturalis, vi cujus ipse ad suarum legum observantiam adstringitur, omnem dispensationem, saltem humanam, respuat.

Respondetur, neg. seq. Rationem vero probativam dist. Lex naturalis respuit omnem dispensationem directam, con. indirectam, neg. Quando Legislator secum ipso dispensat in suis legibus, dispensatio directe cadit supra tales leges, & indirecte solum in legem naturalem, quatenus, illis per dispensationem sublatis, ex consequenti cessat & ista, atque Legislatorem obstringere desinit.

387. Quæres, an Legislator semper graviter peccet suas leges transgrediendo, quando graviter peccant subditi?

Respondetur cum distinctione. Vel enim observantia illarum legum est graviter necessaria ad finem directe quæsitum a lege naturali, vel non est graviter necessaria? Si primum; utique & ipse graviter peccat, prout in confesso est; & patet, quando ex eo, quod non observet suas leges, sequitur perturbatio, scandalum, aut grave inconveniens in Communitate: item quando contingit injustitia, v. g. dum merces suas majori pretio vendit, quam quod per legem taxativam a se statutum est &c. Si secundum; probabilius videtur, eum graviter non peccare, esto graviter peccent subditi. Ratio disparitatis est: quia Legislator ad materiam præceptam obstringitur alio Jure, & fine, quam subditi. Sic lex v. g. jejunii subditos obligat propter temperantiam; Jus autem naturale obstringens Legislatorem ad eandem legem servandam, intendit Principis conformitatem cum subditis: ad quem finem probabilius non est graviter necessarium, ut Legislator in quovis omnino actu se subditis conformet: consequenter ex hoc præcise non arguetur in Legislatore Juris naturalis transgressio gravis, quod transgressio legis positivæ in subditis sit gravis; cum graviter necessarium ad finem Juris positivi, possit esse necessarium solum leviter ad finem Juris naturalis. Sic ad justas, & validas nuptias Jure positivo graviter necessarius est defectus impedimenti nascentis ex Jure solum positivo; Jure autem naturali, nullatenus. P. Krimer *n.* 555.

Atque hanc quæstionem in art. propositam ita deduxi verbatim in meis Thesibus *pag.* 209. *& seq.*

ARTICULUS II.

An Clerici, & Regulares teneantur Legibus Civilibus?

SUMMARIUM.

388. *Immunitas Ecclesiastica est jus, vi cujus Ecclesia, personæ Ecclesiasticæ, ac earum bona eximuntur a præstandis oneribus, vel etiam subeundis officiis secularibus, & subjectione, relate ad Superiorem laicum: estque triplex, videlicet* localis, realis, & personalis. 389. *Clerici, & Regulares nullatenus obstringuntur legibus civilibus, quæ de personis, locis, & rebus expresse, vel nominatim disponunt; vel versantur circa objectum Statum Ecclesiasticum, aut Religiosum dedecens, eorumve privilegiis adversum.* 390. *&* 391. *Imo neque legibus civilibus circa Ecclesias, earumque res, vel personas, generaliter, disponentibus; nihilque continentibus Ecclesiasticæ, aut Religiosæ libertati, Statui, vel privilegio contrarium, aut dedecens, obstringuntur directe sive quoad vim coactivam, sive quoad vim directivam; sed quoad hanc posteriorem indirecte tantum.* 392. *Proponitur, & solvitur objectio.* 393. *Dispositiones legum civilium per se nihil possunt in Ecclesias, Cœmeteria, vasa sacra &c.* 394. *Religiosi non*

exempti

exempti a jurisdictione Episcopi ligantur legibus Episcopalibus; non item exempti, per se loquendo, & regulariter.

388. PRænotandum primo, immunitatem Ecclesiasticam (per quam intelligitur jus, vi cujus Ecclesiæ, personæ Ecclesiasticæ, ac earum bona eximuntur a præstandis oneribus, vel etiam subeundis officiis secularibus, & subjectione, relate ad Superiorem Laicum) esse triplicem; nempe *localem*, quæ Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis; *realem*, quæ rebus, seu bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus; & *personalem*, quæ ipsis personis Ecclesiasticis concessa est.

389. Prænotandum secundo, Clericos, & Regulares nullatenus obstringi legibus civilibus, quæ de personis, locis, & rebus Ecclesiasticis, specifice, hoc est, expresse, vel nominatim disponunt, sive præcipiendo, sive prohibendo: similes enim leges etiam quando Clericorum, & Regularium commodum, vel favorem non purum concernunt, omnino sunt irritæ per *cap.* 10 *de Constit.* Multo minus ligantur legibus civilibus versantibus circa materiam, & objectum Statum Ecclesiasticum, & Religiosum dedecens, eorumve privilegiis adversum: tunc quippe valori legum tam quoad Clericos, quam quoad Regulares resistit & Jus Divinum, & Canonicum, quod Ecclesiasticum, & Regularem Statum supra laicalem evexit. Unde quæstio solum remanet decidenda de legibus civilibus circa Ecclesias, earum res, vel personas, generaliter disponentibus; quæque nihil continent, quod sit Ecclesiasticæ, aut Religiosæ libertati, Statui, vel privilegio contrarium, aut dedecens, cujusmodi sunt illæ, quæ ad communem Reipublicæ pacem, & felicitatem ordinantur, v. g. quæ justa rerum venalium pretia taxant; vel quæ prohibent arma deferri noctu; vetant merces extrahi; præscribunt formam contractibus &c. His præmissis, & prænotatis,

390. Dico primo. Clerici, & Regulares non tenentur ejusmodi legibus directe, sive (1.) quoad vim coactivam: sive (2.) quoad vim directivam. Mastrius in *Theolog. mor. disp.* 2. *q.* 4. *art.* 4. Krimer *num.* 616. *& seqq.* Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. de constitut. n.* 301. & alii communiter.

Probatur utraque pars simul: quia nemo potest directe sive quoad vim coactivam, sive quoad vim directivam, ligari legibus alicujus Legislatoris, nisi subsit ejus jurisdisdictioni, & potestati quoad illam materiam, circa quam leges versantur: sed Clerici, & Regulares nulli jurisdictioni, & potestati, Legislatoris civilis subditi sunt, quoad personas, suas Ecclesias, ac harum, & sua etiam bona; ergo illius legibus directe ligari non possunt sive quoad vim coactivam, sive quoad vim directivam. Min. constat ex *cit. cap.* 10. *de constit.* ubi dicitur, quod *Laicis super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi &c.*

391. Dico secundo. Clerici, & Regulares tenentur præfatis legibus quoad vim directivam indirecte. Authores *citt.*

Probatur: quia Clerici, & Regulares sunt veri cives, & membra Reipublicæ; ergo tenentur concurrere ad communem Reipublicæ felicitatem: atqui hoc fieri nequit nisi se accomodent aliis membris Reipublicæ in observandis legibus totam Communitatem concernentibus; ergo isti obligantur, non quidem quoad vim coactivam, aut directivam directe, ut proxime ostensum; sed quoad vim directivam indirecte, puta ex æquitate naturali (fere sicut ex eadem in simili materia obligatur Legislator) & aliquando etiam ex præcepto Ecclesiastico, quo Superior Ecclesiasticus, naturali hac æquitate motus, ejusmodi leges a Clericis, a Religiosis sibi subjectis observari mandat.

392. Objicies. Legislator civilis obtinet potestatem directam in omnia membra Reipublicæ: sed Clerici, & Regulares sunt membra Reipublicæ, ut primum fassi sumus, ergo obtinet in illos potestatem directam: consequenter &c.

Respondetur, dist. maj. Obtinet potestatem directam in membra Reipublicæ non privilegiata, con. privilegiata, neg. maj. Sed Clerici, & Regulares sunt membra Reipublicæ non privilegiata, neg. privilegiata, con. min. & neg. conf.

Ex dictis infertur, dispositiones legum civilium per se nihil posse sive in Ecclesias ipsas, cœmeteria, vasa sacra, sive in vestes, & consimiles ornatus, ac instrumenta Divini cultus non tantum pro publicis templis, sed & privatis oratorii deputata; nam semel Deo dicata temporalem utilitatem non habent, nec in æstimationem venire possunt.

394. Quæres, an Religiosi ligentur legibus Episcopalibus?

Respondetur primo. Religiosi non exempti a jurisdictione Episcopi stringuntur ejusmodi legibus; nam leges ferre, & his subjectos jurisdictioni suæ obstringere, primus actus jurisdictionis est.

Respondetur secundo. Religiosi exempti per se, & regulariter, nullo modo, est, neque directe, neque indirecte, legibus Episcopalibus obligantur. Ratio est. Vel enim obligarentur titulo obedientiæ, vel titulo obligationis naturalis; alius enim titulus non videtur assignabilis: atqui non tenentur titulo obedientiæ, hoc ipso, quod a jurisdictione Episcopali sint exempti: neque titulo obligationis naturalis, resultantis ex debita conformitate cum ceteris membris; quia ratione sui status sunt partes heterogeneæ, & dissimiles, seu difformes reliquis partibus, sub eodem Capite, scilicet Episcopo, contentis; & alias per suas Regulas, ac Statuta sufficienter ad bonum commune diriguntur; ergo per se, & regulariter nullo modo obligantur legibus Episcopalibus. Confirmatur: quia ejusmodi Regulares sufficientem excusationem habent, ne Clero seculari in his conformare se debeant, quippe qui alias obligationes habent ratione Status sui Religiosi, quas non habet Clerus secularis, ut adeo cogendi non sint alia subire onera, & ejusmodi legibus parere.

Dixi 1. *per se*: quod enim teneantur per accidens ratione scandali, vel quando bonum publicum ita exigit, fatentur omnes.

Dixi 2. *regulariter*: tenentur enim in complutibus casibus Jure expressis, quorum catalogus videri potest apud Barbosam *part.* 3. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 105. Reiffenstuel in *lib.* 1. *Decret.* 31. *n.* 111. *& seqq.* Pichler *eod lib. & tit. n.* 19. Atque etiam ista, quæ in hoc *art.* dicta sunt, verbatim habentur in *meis Thesib. pag.* 215. *& seqq.*

ARTICULUS III.

An infideles teneantur Legibus Ecclesiasticis?

SUMMARIUM.

395. Infideles alii sunt baptizati, alii non baptizati. Cujuscunque generis sint, stringuntur legibus naturalibus, & Divinis. 396. Si sint prioris generis, etiam legibus Ecclesiasticis obligantur. 397. Solvitur objectio. 398. Si sint posterioris generis, prædictis legibus non obstringuntur. 399. Proponitur, & diluitur argumentum.

395. PRænotandum, infideles alios esse baptizatos, alios non baptizatos. Prioris generis sunt Lutherani, Calvinistæ, Zvvingliani &c. qui speciali vocabulo *Hæretici* nuncupantur. Posterioris generis sunt Judæi, Ethnici, Machometani &c. Et quidem hos omnes obstringi legibus naturalibus, & Divinis, est indubitabile; cum ipsi haud minus, ac Catholici Deo, a quo præfatæ leges emanant, subjecti sint. Unde solum de legibus humanis, iisque Ecclesiasticis, controversia præsens procedit. Pro cujus decisione.

396. Dico primo. Infideles baptizati, seu hæretici ab obligatione legum Ecclesiasticarum non sunt exempti. Ita Cardinalis de Lugo *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 15. *sect.* 7. *num.* 147. Engel ad *Tit. de constit. num.* 16. & alii communiter.

Probatur: quia hæretici per Baptismum jam sunt ingressi Ecclesiam, ejusque membra effecti; ergo subsunt jurisdictioni Ecclesiasticæ: & consequenter &c. Nec obstat, quod Ecclesiæ, & ipsius constitutionibus resistant: hoc enim illos neutiquam eximit a potestate, & a jurisdictione Ecclesiastica; alias ex sua iniquitate, & perfidia lucrum reportarent. Et certe si hæretici non obligarentur constitutionibus Ecclesiasticis, frustra tot leges pœnales in Jure Canonico *toto Tit. de hæret.* & alibi contra illos fulminatæ fuissent.

397. Objicies. Apostolus 1. *Cor.* 5. inquit: *quid*

mihi de iis, qui foris sunt, judicare? sed hæretici sunt foris, id est, extra Ecclesiam, eo quod sint excommunicati, & ab Ecclesia separati; ergo Ecclesia de illis non judicat: & consequenter &c.

Respondetur, textum Apostoli exaudiendum esse de illis infidelibus, qui sunt simpliciter extra Ecclesiam, seu qui hanc per Baptismum nunquam ingressi sunt: non autem de aliis, qui sunt extra Ecclesiam secundum quid tantum (puta quatenus non communicant in favoribus, & suffragiis Ecclesiæ, saltem omnibus) quales sunt hæretici: hi enim ratione characteris Baptismalis, utpote indelebilis, semper manent membra Ecclesiæ: & consequenter &c.

Dices. Membra corporis naturalis non possunt esse extra corpus, seu a corpore separata secundum quid; ergo nec membra corporis mystici, sive Ecclesiæ.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod membra corporis naturalis habeant unionem naturalem ad corpus, quam ex natura rei implicat esse partialem: at vero membra corporis mystici non uniuntur suo corpori unione naturali, sed voluntaria, & libera: ideoque S. Pontifex potest liberrime membra a suo corpore mystico separare secundum quid, seu quoad aliqua tantum.

398. Dico secundo. Infideles non baptizati legibus Ecclesiasticis non subjiciuntur. Palao *part. 1. tractat. 3. disp. 1. pun. 24.* Herincx *disp. 3. de leg. q. 11. n. 127.* & alii communissime.

Probatur: nam Christus dedit Petro potestatem in oves ingressas ovile, cujusmodi non sunt infideles non baptizati; hinc Trid. *Sess. 14. c. 2.* dicit, Ecclesiam non posse in illos exercere judicium, juxta illud Apostoli supra: *quid mihi de illis, qui foris sunt, judicare?* ergo nec potest eos punire: & consequenter &c.

399. Objicies. Potest defendi jus innocentis, & vindicari injuria ipsi facta; ergo etiam potest Ecclesia defendere jus, quod habet Deus, ne offendatur, & vindicare injuriam per peccatum ipsi irrogatam; consequenter &c.

Respondetur, quod tunc tantum possit defendi jus, & vindicari injuria innocentis, quando innocens hoc vult; Deus autem potens ipsemet defendere, & vindicare, id passim non permittit hominibus, ne dentur occasiones perpetuorum bellorum, & confusionum.

ARTICULUS IV.

An Legibus humanis teneantur infantes, amentes, ebrii?

SUMMARIUM.

400. *Infantes etiam necdum septennes, uti & amentes quicunque, ac ebrii tenentur lege naturali.* 401. *Infantes etiam obligantur lege Divina, postquam usum rationis adepti sunt, tametsi septennium nondum attigerint.* 402. *Pueri, & puellæ* nondum septennes, *saltem si necdum polleant usu rationis, non obstringuntur legibus humanis; uti nec perpetuo amentes.* 403. *Imo probabilius est, pueros, & puellas iisdem legibus non obstringi, licet usum rationis habeant, dummodo necdum septennes sint.* 404. *Pueri, & puellæ, septennio majores, nondum tamen puberes, an, & qualibus censuris ligentur?* 405. *Amentes non perpetui obstringuntur legibus humanis, uti & ebrii.* 406. *Solvitur objectio.* 407. *Deducitur corollarium pro praxi.*

400. Prænotandum primo, & supponendum tanquam certum, infantes, amentes & ebrios obligari lege naturali. Ratio est: quia lex naturalis radicatur in natura intellectuali de se rationis capaci, qualis etiam præfatis inest; ergo & ipsi sub tali lege comprehenduntur, & consequenter contra illam delinquere possunt saltem materialiter, imo infantes etiam formaliter, si sint usu rationis præditi, tametsi septennium nondum attigerint.

401. Prænotandum secundo, pueros, & puellas etiam obstringi lege Divina, si usum rationis consecuti sint, quamvis necdum sint septennes, & idcirco ab obligatione legum humanarum (secundum dicenda) adhuc liberi. Ratio est: quia lex Divina procedit immediate ab ipso Deo ut Authore gratiæ, & versatur circa magis necessaria ad salutem, quam leges humanæ; ergo censenda est strictius, & citius obligare: consequenter &c.

402. Dico primo, Infantes, seu pueri nondum septennes, saltem si necdum polleant usu rationis (1.) non tenentur humanis legibus; uti nec (2.) perpetuo amentes. Palao 3. *disp. 1. pun. 24. §. 2.* & alii communiter.

Probatur utraque pars simul: quia lex est rationalis regula humanorum actuum; ergo ubi absolute non est capacitas rationis, & humanorum actuum, ibi non est subjectum legis. Atqui ea capacitas neque adest in pueris (vel saltem non præsumitur adesse) ante septennium, neque in perpetuo amentibus; ergo &c.

403. Dixi 1. *Saltem si necdum polleant usu rationis.* Nam controversia est inter DD. quid sentiendum, si in pueris usus rationis irradiet ante septennium, & malitia (prout loquuntur Scholastici) suppleat ætatem? Ubi censeo cum Palao cit. Illsung. & aliis, probabilius esse, quod neque tunc dictis legibus obstringantur. Ratio est: quia Legislator humanus in obligando procedit modo humano, ideoque neminem obligat, nisi usu rationis pollentem, quem non præsumit ante completum septennium, cum solum attendat ad ea, quæ communiter contingunt: atqui non contingit communiter, usum rationis irradiare in pueris ante completum septennium; ergo &c.

Dixi 2. *Pueri necdum septennes.* Si enim septennium compleverint, & usum rationis, qui tunc præsumitur, adepti sint, obligantur omnibus Ecclesiæ præceptis, quorum materia ipsorum ætati est conveniens. Ratio est: quia pueri, eam ætatem assecuti, sunt capaces obligationis legum Ecclesiasticarum; ergo illa tenentur. Ex quo fit, ut peccent parentes, si suos liberos ad legum Ecclesiasticarum observantiam non adstringant. Addidi tamen: *quorum materia ipsorum ætati est conveniens.* Nam præcepto v. g. communionis Paschalis, & jejunii, prout hoc importat abstinentiam a secunda refectione non obligantur; quia hæc eorundem ætati non congruunt: de quo alibi. Et hucusque de obligatione sub peccato. Nunc veniendo ad obligationem sub pœna,

404. Quæres, an pueri septennio majores, sed adhuc impuberes (quales sunt masculi usque ad annum 14. & puellæ usque ad annum 12. absolutum) ligentur censuris Ecclesiasticis?

Respondetur primo, certum esse, quod incurrant excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur monasteria Monialium; Tridentinum enim *Sess. 25. c. 5. de Regular.* expresse addit: *cujuscunque ætatis fuerint.* Incurrunt præterea excommunicationem latam in percussores Clericorum, per *c. 58. de sen. excommicat.* uti & irregularitatem ortam ex homicidio, per *Clement. unic. de homicid.*

Respondentur secundo. Incurrunt etiam alias censuras (1.) a Jure, vel homine latas; non autem (2.) ab homine ferendas. Ratio primi membri est: quia de se sunt capaces hujusmodi censurarum, & nullo Jure probantur exempti; nam ex textibus, quos adducunt Adversarii, plus non colligitur, quam quod non teneantur recurrere ad Papam, uti nec senes, vel mulieres, quæ tamen censuras incurrunt. Neque est ratio illos eximendi, si culpam, ob quam censura infligitur, vere commiserint. Suarez *de censur. d. 5. s. 1. num. 9.* Azorius, Dicastillo, & alii plurimi, quamvis permulti non improbabiliter doceant oppositum. Ratio secundi membri est: quia pro ferenda tali censura debent moneri, & citari; ætas autem illa non est sufficiens ad intelligendum ordinem judiciarum, ideo de Jure citari non possunt; neque admittuntur ad agendum, vel defendendum se judicio, *cap. fin. de judiciis in 6.* Neque in tali materia tenentur comparere per Procuratorem, cum sit res concernens interna, & conscientiam ipsorum. Atque de his pœnis, & censuris, videlicet ab homine ferendis, non vero a Jure, aut homine latis, intelligendum est *cap. 1. & 2. de delictis puerorum*; ubi decernitur, non debere delicta impuberum pœna ordinaria adultorum, sed mitius puniri.

405. Dico secundo. Amentes non perpetui, sed delirantes per intervalla tantum (1.) ligantur legibus humanis, uti & (2.) ebrii. Ita Herincx *disp. 3. de leg. qq. 11. num. 130.* & alii communiter.

Probatur iterum utraque pars simul: quia tales absolute pollent usu rationis, ergo a legibus etiam humanis non eximuntur; sed solum tempore delirii, & ebrietatis per accidens excusantur ab imputabili earum transgressione;

gressione;

gressione; cum careant tunc usu rationis ad liberum voluntatis exercitium morale, & actuum humanum necessario.

406. Objicies. Qui caret usu rationis, non comprehenditur sub lege: sed delirantes etiam per intervalla tantum, uti & ebrii, carent usu rationis; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Qui carent usu rationis vel carentia stabili, uti perpetuo amentes, vel inducta per impedimentum naturale, ac toti hominum generi congenitum, quemadmodum pueri necdum septennes, con. carentia temporanea, prout delirantes per intervalla, vel inducta per accidens, seu per impedimentum extrinsecum, & violentum, ut ebrii, neg. maj. &c.

407. Colliges, hæc duo: *non obligari lege & excusari ab observatione legis*, inter se notabiliter differre. Ratio est: quia qui non obligatur lege, seu non est subjectum legis, hanc neque materialiter, neque formaliter violare potest, ut infans, & perpetuo amens: e diverso qui obbligatur lege, seu est subjectum legis, excusatur tamen per accidens ab observatione illius, potest eandem materialiter violare, licet non formaliter: prout gnaviter advertit P. Pichler *de constit. num.* 30. indeque *num. sequent.* infert, licitum esse cooperari ad transgressionem alicujus legis vel ad talem transgressionem inducere illum, qui non est subjectum legi, seu sub lege non comprehenditur; non vero illum, qui sub lege comprehensus, excusatur hic, & nunc per accidens ab observatione ejusdem. Quo fit, ut puero nondum septenni, perpetuo amenti, & infideli non baptizato, licite præbeantur in die jejunii carnes; non item ebrio, per intervalla disipienti, vel ignoranti, esse diem jejuni.

Verum (pace tanti Viri dixisse velim) hæc illatio, sic illimitate, & universaliter intellecta, subsistere nequit, esto allata exempla non improbem. Ratio est: quia inde sequeretur, formaliter peccaturum, qui ebrium, aut per intervalla delirantem, durante hoc tali statu, impediret die festo ab auditione Missæ, quam tamen sequelam nemo, uti reor, admiserit, ob rationem infra afferendam: Fluit autem memorata sequela ex dictis: siquidem ebrius, & per intervalla duntaxat delirans comprehenditur sub lege audiendi die festivo Missam, solumque per accidens, in eo statu constituti, excusantur ab observatione illius; consequenter cooperans, aut inducens ad omissionem Missæ, formaliter peccaret, si nunquam liceret cooperari, vel inducere illum ad materialem transgressionem alicujus legis, qui sub hac comprehenditur, & per accidens tantum ab ejus observatione excusatur.

Quaptopter aliam adhuc distinctionem superaddendam censeo, atque dicendum, quod tunc solum non liceat cooperari cum aliquo, sub lege comprehenso, ad materialem legis transgressionem, quando lex ad substantialem sui impletionem non requirit actum humanum; uti non requirunt leges, & præcepta negativa, puta abstinendi a carnibus die jejunii, ab operibus servilibus die Dominico, vel festivo &c. Item nonulla præcepta affirmativa, ut præcepta restituendi rem ablatam, Parocho pendendi decimas, Principi tributum &c. Hinc recte infertur, quod deliranti per intervalla, uti & ebrio, non liceat die jejunii apponere carnes, neque illos die festo adigere ad opera servilia; aut impedire a restitutione rei alienæ; a solutione decimarum, vel tributi &c. Ratio est: quia hæc talia præcepta ab illis, etiam in statu delirii, & ebrietatis, quoad substantiam impleri possunt, saltem materialiter; ergo si non impleant, peccant, non quidem formaliter ob defectum usus rationis, sed materialiter; cooperans vero etiam formaliter, cum causa excusans a formali peccato, videlicet defectus usus rationis, non supponatur ipsi inexistere. Nec dicas. Illis, quibuscum in lege jejunii dispensatum est, licite apponuntur carnes die jejunii; ergo etiam ebriis &c. Nam contra est, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia per dispensationem obligatio legis, respectu dispensatorum in ea, relaxatur; non item per ebrietatem respectu ebriorum &c. Licet e diverso quandoque cooperari cum aliquo, sub lege comprehenso, ad materialem transgressionem legis, quando lex ad substantialem sui impletionem requirit actum humanum; veluti requirunt præcepta audiendi Missam, recitandi Horas Canonicas &c. Unde licitum est delirantem per intervalla, uti & ebrium, durante statu delirii, & ebrietatis, die festo impedire ab auditione Missæ, a recitatione Horarum Canonicarum &c. Ratio est: quia memorata præcepta ne quidem quoad substantiam, & materialiter implere possunt, eo quod non possint exhibere præsentiam humanam ex intentione colendi Deum; nec devotionem maxime internam, ad substantialem ejusmodi præceptorum impletionem necessario exactas. Pro pleniori, & clariori hujus doctrinæ intelligentia revideri debent, quæ diximus *n.* 270. *ad Cas.* 5.

Dixi: *quandoque &c.* Tunc scilicet, quando, lege comprehensus, versatur in eo statu impotentiæ ad legem implendam, ex quo hic, & nunc erui non possit: cujusmodi est ebrius tempore ebrietatis, & per intervalla delirans tempore delirii. Cum his itaque licet cooperari ad materialem transgressionem legis, pro substantiali sui impletione actum humanum necessario exigentis. Econtra cooperari non licet ad materialem transgressionem ejuscemodi legis cum aliis, versantibus in statu ignorantiæ seu impotentiæ ad illam implendam, ex quo erui possit: unde cum ignorante esse diem festum, vel dormiente &c. non possum citra peccatum cooperari ad omissionem sacri; sed teneor utrunque ex tali statu eripere, priorem videlicet de die festo informare, & posteriorem a somno excitare, ut sic restituti in statum potentiæ ad audiendum sacrum, præcepto Ecclesiastico faciant satis.

ARTICULUS V.

An, & quomodo Legibus humanis obligentur peregrini, & vagi?

SUMMARIUM.

408. *Adstruitur differentia peregrinos inter, & vagos.* 409. *Peregrini possunt existere extra suum territorium vel physice tantum, vel physice, & moraliter simul.* 410. *Si peregrini in aliquo loco nacti sint domicilium, vel quasi domicilium, adstringuntur legibus illius loci.* 411. *Peregrini tam physice, quam moraliter existentes extra suum territorium, non tenentur legibus sui territorii.* 412. *Secus, si solum physice extra illud existant.* 413. *Doctrinæ immediate traditæ limitatio.* 414. *& seqq. Solvuntur argumenta contraria.* 417. *Dicta de peregrinis, seu subditis existentibus extra proprium territorium etiam procedunt de subditis existentibus intra suum territorium in loco exempto,* 418. *Peregrini regulariter,* & per se loquendo, *nec obligantur legibus particularibus locorum, ubi transeunt, vel morantur.* 419. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 424. *Peregrini, qui post commissum in suo territorio delictum, transfugiunt ad alienum, in hoc puniri nequeunt.* 425. *Vagi* probabilius *tenentur legibus particularibus locorum, in quibus existunt.*

408. PRænotandum primo, peregrinos dici, qui in aliquo loco, seu territorio domicilium habent, sed ex illo abeunt in alium locum, seu territorium, ubi domicilium non habent, non animo ibidem manendi, sed tantum subsistendi per aliquot dies, vel certe non nisi per minorem anni partem: vagos vero dici, qui nullibi domicilium habent, sed modo in hoc, modo in alio territorio existunt, absque animi ibi permanendi, sed tantum subsistendi per aliquot dies, aut partem anni minorem.

409. Prænotandum secundo, peregrinos posse existere extra suum territorium vel physice tantum, id est, præcise quoad personam; vel physice, & moraliter simul, ita ut & ipsi quoad personam, & res, circa quam operantur, & ipsa operatio, quam exercent, sint extra illud.

410. Prænotandum tertio, & supponendum tanquam certum, quod si peregrini nacti sint domicilium in aliquo loco, illico adstringantur legibus illius loci: quia ibi fiunt subditi, per *l. 7. C. de incol.* Nanciscuntur autem domicilium in aliquo loco, dum in eo habitare incipiunt, animo ibidem semper permanendi. Similiter iisdem legibus tenentur, quando acquirunt quasi domicilium; siquidem & tunc fiunt respective subditi, possuntque recipere, omnia Sacramenta præter Ordines. Acquirunt autem quasi domicilium, si habitare incipiant animo permanendi saltem per majorem anni partem; uti faciunt Studiosi, servi, ancillæ. Hoc tamen extendi non debet ad leges, quæ imponunt onera, absolute

dictam subjectionem supponentia; tunc quippe non tenerant, nisi subditos absolute tales, cujusmodi non sunt, qui solum habent quasi domicilium: unde non tenentur suscipere tutelas, aliaque Reipublicæ onera subire, per *l. 2. & C. 3. de incol.* P. Mezger *de leg. disp. 35. art. 5. n. 30.*

411. Dico primo. Peregrini, tam physice, quam moraliter extra proprium territorium existentes, non tenentur legibus sui territorii. Ita post Suarez, Palao, Lessium, & alios P. Herinex *de leg. disputat. 3. quæst. 11. num. 131.* P. Mezger *loc. cit. num. 34.* Babenstuber, Pichler &c.

Probatur ex *l. ult. ff. de jurisdict.* ibi: *extra territorium jus dicenti non paretur impune*; ergo Legislator suam jurisdictionem extra proprium territorium protendere non potest; & consequenter neque subditos extra illud existentes aliqua lege ligare: quia leges non feruntur in personas absolute, sed dependenter a territorio, *l. omnes populi. ff. de Just. & Jure.* atque insinuatum est *n. 207.*

Confirmatur. Agentia physica non possunt vim agendi extendere ultra sphæram activitatis suæ, ut norunt Philosophici; ergo neque agentia moralia, cujusmodi est Legislator; qui proinde limites sui territorii transilire non potest: & consequenter &c.

412. Dixi in conclus. *Peregrini tam physice, quam moraliter extra proprium territorium existentes &c.* Si enim physice quidem, & quoad personam a proprio territorio absentes sint, sint vero præsentes moraliter, seu quoad rem, circa quam operantur, vel quoad actionem malam, quam exercent, legibus proprii territorii subjacebunt; prout cum communi tenet Suarez *lib. 3. de leg. c. 32.* Alias enim si vel delinquentes, vel delictum etiam quoad effectum, vel res, circa quam delinquunt, sint in territorio, & Judex hujus loci punire non posset, non haberet plenam potestatem præcavendi sibi noxia. Hinc Parochus extra Diœcesim vagans, si omittat agere, quæ ipsi ex officio parochiali incumbunt, peccabit contra leges diœcesanas, poteritque ab Episcopo puniri: quia fictione Juris intra diœcesim delinquit; siquis enim non facit, quod facere tenetur, peccare dicitur, ubi facere tenebitur *l. qui non facit ff. de diversis Regis Juris.* Eadem de causa puniri potest subditus Augustanus v. g. a suo Episcopo, si post commissum ibi delictum, Salisburgum aufugerit.

413. Hoc tamen limitandum est, & dicendum, talem subditum posse puniri ea duntaxat pœna, quæ infligitur per vim coactivam internam; non autem quæ infligitur per vim coactivam externam. Ratio disparitatis est: quia prior puniendi modus potest, posterior non potest sine perturbatione pacis, & sine tumultu, ac strepitu inter populos exerceri in subditum extra proprium territorium.

414. Objicies primo. Peregrini, extra proprium territorium existentes, manent subditi sui Legislatoris; ergo &c.

Respondetur dist. ant. Manent subditi ad obediendum intra proprium territorium, con. extra illud, neg. ant. & cons. Vel (quod in idem recidit) manent subditi quasi habitualiter, con. actualiter, neg. ant.

415. Objicies secundo. Peregrini extra proprium territorium obligantur præcepto sui Superioris; ergo etiam lege.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod præceptum afficiat personas secundum se, & independenter a loco, adeoque illa liget, ubicunque existant; est enim constitutio, quæ fit a potestate dominationis, & dirigitur primario ad personas singulares. Lex e diverso est constitutio, quæ prodit a potestate jurisdictionis, & primario dirigitur ad Communitatem, ligatque dependenter a loco, seu territorio, ut supra.

Dices. Potest Episcopus v. g. subditum extra Diœcesim existentem ligare censura excommunicationis per sententiam saltem generalem; ergo etiam per legem: & consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. Nam etiam sententia progreditur a potestate jurisdictionis, licet non necessario suprema. Unde sicut Episcopus subditum extra suam Diœcesim existentem nequit punire censura per legem, ita nec per sententiam, ob defectum jurisdictionis, quæ in utroque casu arctatur ad locum: quidquid disparitatis afferre conentur Laymann, Kritner, & alii.

416. Objicies tertio. Superioris Regularis, si polleat potestate ferendi leges, potest iis obstringere suos subditos, ubicunque existant; ergo etiam Episcopus, & alii Legislatores.

Respondetur, neg. cons. Ratio discriminis est, quod Superior Regularis immediate in personas Religiosorum jurisdictionem obtineat, & non ratione loci; cum dicta jurisdictio radicetur in voto obedientiæ personali: unde Religiosos sibi subjectos tenet, ubicunque terrarum existant; nec ejus jurisdictio ad aliquod certum territorium, utpote a quo est independens, restringi potest. Aliud est de Episcopo, cui jurisdictio immediate competit in territorium, & ratione hujus tantum in personas: unde hæ non sunt illi subjectæ immediate, & per se, sed tantum ratione domicilii, beneficii, vel officii, quod in ejus diœcesi habent. Id quod vel inde patet; quia possunt illa, etiam invito Episcopo, deserere, & ad aliam diœcesim migrare, ubi statim desinent esse subditi suo priori Episcopo.

417. Colliges, ea, quæ diximus de peregrinis, sive subditis existentibus extra suum territorium; etiam procedere de subditis existentibus intra territorium in loco exempto. Nam juxta *c. 7. de offic. Ordin. in 6.* c. 1. *de privileg. in 6.* & *Clement. ult. eod.* locus exemptus intra territorium, aut diœcesim, loco existendi extra illam æquiparatur quantum ad usum jurisdictionis. Unde si Episcopus sub pœna excommunicationis prohibeat Clericis lusum alearum, ea prohibitione non obligantur Clerici ludentes in loco exempto a jurisdictione Episcopi. Ita Laymann. *lib. 1. tr. 4. c. 11. n. 5.* Herinex *loc. cit. n. 132.* & alii passim. Ceterum loca exempta quoad dictum effectum sunt Parochiæ quædam, aut Oppida, quæ a jurisdictione Episcopi omnino exempta sunt: item Monasteria Mendicantium, licet quoad hæc contradicat Suarez *tom. 5. disp. 5. sect. 4. n. 6.* Herincx *loc. cit.* & alii plures, ex ratione, quod ea non sint exempta per se, & ratione sui, sed tantum ratione personarum inhabitantium. Verum ita contradicentibus obviam itur per authoritatem Concilii Trid. *sess. 24. c. 5. de Reform.* ubi tam loca Regularium, quam personas exemptas appellat. Nobiscum sentit Laymann. *loc. cit.* & alii plures.

418. Dico secundo. Peregrini regulariter, & per se loquendo, nec obligantur legibus particularibus locorum, ubi transeunt, vel morantur. Ita Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 38.* Haunoldus *tractat. 1. disput. 1. de Just. cap. 2. controvers. 6.* Illsung. *tractat. 1. disput. 1. artic. 2. num. 2.* Mezger Babenstuber, Pichler, & alii contra alios non paucos.

Probatur: quia lex per se non obligat, nisi subditos, & membra Communitatis, cui fertur: atqui prædicti peregrini moraliter non censentur subditi, vel membra Communitatis, per cujus territorium duntaxat transeunt; cum brevis mora habeatur pro nulla *arg. c. 3. de verb. signif.*

Confirmatur ex c. 21. *de sent. excom.* ubi interrogatus Pontifex, an peregrini comprehenderentur in excommunicatione lata ab Episcopo pro futuris delictis? respondit, solos subditos comprehendi; ergo peregrini non stringuntur legibus Episcopalibus: & consequenter &c.

Respondent Adversarii, hoc solum procedere, quando Episcopus statuit excommunicationem per præceptum, non autem quando per legem; nam illud afficit immediate personas ratione sui, & independenter a territorio; secus ista.

Contra est primo. Si peregrini possunt a supremo Domino alicujus loci ligari illius localibus statutis, sive legibus, poterunt etiam præceptis: utrique enim casui communis est ratio, quam Adversarii pro se adducunt; estque in eo sita, quod commune bonum talia loci specialiter exigat, ut etiam peregrini se conforment ceteris membris de Republica. Ex quo patet, hanc responsionem potius esse contra Adversarios, quam pro ipsis.

Contra est secundo, negando, quod responsum Pontificis in *cit. c. 21.* procedat solum de præceptis, & non de legibus: fuit enim redditum indefinite; adeoque non solum de præceptis, sed etiam de legibus, & statutis intelligendum venit. Videatur P. Krimer *de constit. a n. 576.*

Dixi

Dixi in concluf. primo *regulariter*, *& per se loquendo*. Nam excipi communiter solent casus sequentes. 1. Peregrini obligantur legibus particularibus alieni territorii, *specialiter* latis ob bonum commune talis territorii (& non tantum generaliter, quomodo omnis lex spectare debet bonum commune) uti sunt, quæ prohibent, ne certæ merces ex oppido, vel provincia evehantur; ne peregrini ultra certos dies ibi commorentur; ne certum genus armorum ferant &c. Ratio est: quia alias inquilini non haberent justam, & sibi debitam defensionem. Unde æqoitas naturalis exigit, ut peregrini ejusmodi legibus subiiciantur: sub qua proinde conditione, & onere merito censetur Præsides locorum illis indulgere transitum, & non aliter: veluti recte advertit P. Krimer *n.* 570.

2. Obligantur peregrini servare leges, quibus certæ solemnitates, & conditiones pro celebrandis contractibus, aliisve hujuscemodi actibus præscribuntur in alieno territorio, ubi contrahunt, vel similes actus gerunt. Ratio est: quia ex titulo contractus, vel quasi contractus ibi forum sortiuntur. per *c. fin. de foro complet.*

3. Obligantur legibus, juxta quas in alieno territorio ubi delinquunt contra Jus naturale, vel commune, delicta puniuntur. Ratio est: quia etiam ex titulo delicti ibi forum sortiuntur, & Magistratui talis loci subjiciuntur, juxta *c. fin. cit.*

4. Denique peregrini tenentur legibus locorum particularibus, quando ex earum non observatione orietur scandalum. Ratio est: quia tunc Jus naturale, quo scandalum vetatur, jubet, ut peregrini, & advenæ incolis sese conforment. Orietur autem scandalum, si peregrinus quispiam v. g. in festo locali palam ligna cæderet, die jejunii publice carnes comederet &c. Quapropter ejusmodi non observantiæ legum vel privatim practicandæ sunt, vel incolis causæ explicandæ, cur liceant, dicendo, se esse peregrinum, ideoque legibus loci non adstrictum. Augustinus Michel *de leg. q. 5. pun. 5. n.* 11.

Dixi in concluf. 2. *legibus particularibus*. Nam peregrini tenentur legibus communibus in loco, ubi vigent, esto in loco sui domicilii non sint in vigore ob consuetudinem contrariam, vel privilegium: Ratio est: quia consuetudo contraria, vel privilegium illis solum favet favore locali, scilicet sui oppidi, vel civitatis, dum inde non egrediuntur; ergo quando egrediuntur, favere desinit: consequenter &c. P. Pichler *n.* 54. & alii communiter.

419. Objicies nunc contra concluf. primo illud tritum: *si fueris Romæ, Romano vivito more*; ergo si moreris in territorio alieno, ejusdem legibus te conformes, necesse est.

Respondetur, axioma (si tamen præceptum contineat, & non potius consilium) intelligendum esse de commoratione in alieno territorio per notabilem anni partem; vel de casu, quo observationem legis exigit ratio scandali, aut boni publici. Quæ responsio etiam adhibenda est ad authoritates SS. Ambrosii, & Augustini, quæ huc opponi solent.

420. Objicies secundo. *Cap. fin. de feriis*, & *cap. 2. de observation. jejun.* dicitur, in festivitatibus, & abstinentiis servandam esse consuetudinem Regionis, non distinguendo inter viatores, & incolas; ergo illi æque, ac isti obligantur.

Respondetur, *citt. cc.* exaudienda esse de incolis: ita enim suadet ratio, esto id textus ipsi non satis clare exprimant.

421. Objicies tertio. Peregrini eximuntur legibus particularibus suæ patriæ, dum degunt in territorio alieno; ergo æquum est, ut obligentur legibus illius territorii; alias forent omnino exleges.

Confirmatur. Qui sentit commodum, etiam onere premi debet, juxta *Reg. 55. J. in 6.* ergo dum peregrini sentiunt commodum, seu exemptionem a legibus proprii territorii, etiam sentiant onus, seu teneantur legibus territorii alieni, conveniens est, & necessarium.

Respondetur ad argument. neg. conf. ob rationem pro conclusione allatam. Nec sequitur, peregrinos fore exleges; quia adhuc obstringuntur legibus communibus, uti & quibusdam particularibus, quas exceprimus supra.

Ad conf. ajo, illam regulam Juris tunc solum teneri, quando commodum, & onus ex propria institutione connexa sunt; uti contingit in beneficiis Ecclesiasticis, in institutione hæredum &c. ubi tam onera, quam commoda ad Beneficiatos, & hæredes transeunt; non autem quando commodum, & onus sunt disparata; prout evenit in proposito.

422. Objicies quarto. Leges, quæ vetant frumentum, arma, merces alias evehi, obligant etiam peregrinos; quia ita specialiter exigit bonum commune illius loci, in quo existunt, ut supra diximus: atqui bonum commune illius loci, videlicet pax, & tranquillitas, etiam specialiter exigit, ut peregrini se conforment aliis legibus; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Quod si tamen commune bonum id specialiter in aliquo casu exigeret, utique peregrini obligarentur se conformare incolis, non tamen virtute legum territorialium, utpote quibus se non subjiciunt, nec subjicere tenentur; sed virtute legis naturalis scandala, & nocumenta vetantis: id quod relinquitur ex dictis supra.

423. Objicies quinto. Peregrinus Sacerdos, si veniat ad locum interdictum, non potest ibidem celebrare, aut mortuus sepeliri; ergo leges loci etiam obligant peregrinos.

Respondetur, dist. ant. Et hoc provenit ex directa obligatione interdicti respectu peregrinorum, neg. ex incapacitate ipsius loci, qui tali interdicto directe affectus est (qua de causa ne quidem infantes, interdicti, & censuræ incapaces, in loco interdicto sepeliri possunt) con. ant. & neg. conf.

424. Colliges ex dictis, peregrinos, qui post commissum in suo territorio delictum, transfugiunt ad alienum, non posse in hoc puniri ob defectum jurisdictionis requisitæ ad illos puniendos. Imo idem tenendum in sententia contraria: quia, etiam hac admissa, solum sequitur, peregrinos subjici Judici loci, qua transeunt, in iis, quæ ad rectam Reipublicæ gubernationem pertinent; ad quod nihil confert punitio delicti alibi perpetrati. Quod si tamen delinquant intra alienum territorium contra Jus naturale, aut commune, utique in eo puniri possunt, etiam secundum nos: nam ratione talis delicti ibidem commissi sortiuntur forum; prout supra animadversum est.

Pleraque, de peregrinis hucusque ventilata, verbatim continentur *in meis Thesib. pag.* 229. *& seqq.* Nunc

425. Dico tertio. Vagi probabilius obligantur legibus, & consuetudinibus particularibus locorum, in quibus existunt. Ita Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 14. n.* 20. Reginaldus *lib. 13. n. 172. ad fin.* Mezger, Augustinus Michel, Babenstuber &c.

Probatur. Consuetudo dat jurisdictionem per *c. 4. de arbitr.* sed praxis, & generalis consuetudo habet, ut vagi puniantur, si transgrediantur particularia statuta locorum, in quibus existunt, etiamsi talis transgressio non sint conjuncta cum speciali scandalo, aut perturbatione Reipublicæ; imo puniri solent ob delicta in alio territorio perpetrata, saltem si Judex loci, in quo deliquerunt, non petat illos sibi remitti (aliter quoad omnia res se habet relate ad peregrinos) ergo signum est, quod subsint jurisdictioni Superiorum, in quorum territoriis existunt; & consequenter eorum legibus, per textum in *l. 9. ff. de Judiciis.*

CAPUT VI.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

426. *Eusebius ab Eunomio recte informatur, dum ab hoc illi dicitur, Capitulum cathedrale, Sede vacante, posse quidem condere leges diœcesanas; non autem posse conferre beneficia, quarum collatio privative spectat ad Episcopum, aut concedere dimissorias, nisi arctatis ratione beneficii recepti, vel recipiendi; aut Clerico dare licentiam transeundi ab una Ecclesia ad aliam; aut solemniter excommunicare.* 427. *Eulogius, Episcopi Vicarius Generalis, causam Ecclesiasticam, licet jam captam, sublato per mortem Episcopo, prosequi, & absolvere non potest.* 428. *Eustachius non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, dum*

ne, dum formalem in mente heresim fovet; incurrit vero, si eam exterius prodat, esto a nemine advertatur. 429. *Eutropius Consul, postquam una cum reliquo Senatu statutum tulit de tritico posthac vilius vedendo, nendum tamsu solemniter publicari fecis, haud peccat, si suum triticum pretio, seu cariore distrahat.* 430. *Edmundus Canonicus post elapsum primum bimestre professionem fidei emittere negligens, tenetur in conscientia ante omnem Judicis sententiam fructus, post prædictum bimestre perceptos, expendere in pauperes, vel Ecclesiæ fabricam.* 431. *Evagrius, Confessarius Regularis, cui in pœnam juxta ac remedium inpatientiæ Superior præcipit, ut ab excipiendis confessionibus abstineat, v. g. per annum, sibi confitentes illicite absolvit, non autem invalide.* 432. *Ebilbertus, qui per Judicis sententiam condemnatur ad solvendas Engelbardo pecunias, & scit, sententiam ex instrumentis, & testibus falsis processisse, non tenetur in foro conscientiæ tali sententiæ obedire; & si in foro externo ad obediendum compellatur, debebit quidem se accommodare, poterit tamen postmodum uti occulta compensatione.* 433. *Eugenius, Superior Regularis, Emmerano, Subdito suo, scandaloso nimii potus amatori, sub mortali culpa prohibere potest, ne vel unicum amplius haustum vini faciat in domibus secularium.* 434. *Eventianus Princeps, licet severe prohibeat omnibus, & singulis in suo principatu commorantibus, ne frumentum inde exportent, non tamen Erico Parocho, certam frumenti quantitatem evehenti, per se suosve ministros frumentum auferre potest. Porro Ericus frumentum sic evehendo non illico censendus est graviter peccare.* 435. *Emmanuel, Regularis exemptus, non peccat, secluso scandalo, si vescatur carnibus in die, quo diœcesani ex ordinatione sui Episcopi jejunare tenentur.* 436. *Emericus graviter peccat, dum suum famulum, licet perpetuo amentem, incitat ad actus lege naturali prohibitos, & intrinsece malos; secus, si incitet ad actus sola lege positiva vetitos.* 437. *Elisaus licite facit, dum tempore Quadragesimæ egreditur e suo loco, in quo obligatio jejunandi per dispensationem non est sublata, ad alium, ubi est sublata, carnes ibidem comedendi causa.* 438. *Engelbertus e diverso illicite facit, si e suo oppido, ubi super jejunio dispensatum est, exeat, & transeat ad aliud, ubi dispensatum non est, & ibi carnibus vescatur.* 439. *Eligius non tenetur jejunare, quando hospitatur in loco, ubi est particulare jejunium, quale similiter est in ipsius patria.* 440. *Equitius tempore matutino cogitans exire e suo territorio, in quo est dies festivus, & digredi ad aliud, in quo non est dies festivus, tenetur quidem illo mane, quo in suo territorio persistit, supersedere labore servili, non autem audire Missam, dummodo prævideat, se matutino tempore, quo Missæ celebrari solent, futurum in loco, ubi non est dies festivus.*

CASUS I.

426. *Eusebius, Reverendissimi alicujus Cathedralis Capituli Decanus. primo post Episcopi obitum die, antequam Capitulares ad Capitulum convocet, accersit Eunomium, solida literatura Virum, eumque interrogat, an Capitulum Cathedrale, Sede vacante, possit condere leges diœcesanas; conferre beneficia; concedere dimissorias; Clerico dare licentiam transeundi ab una Ecclesia ad aliam; excommunicare &c. Quid dicet Eunomius?*

Respondetur, Eunomius dicet, Capitulum posse (1.) condere leges; in reliquis vero, quæ proposita sunt, potestatem Capituli (2.) esse limitatam. Prima pars responsionis est communis, & docetur a Suarez *lib. 4. de leg. c. 18. n. 14.* Bonacina *disp. 1. q. 1. pun. 3. n. 29.* Palao *tr. 3. disp. 1. pun. 23. n. 22.* sumiturque ex *c. un. de Majorit. & c. in 6.* ubi dicitur, jurisdictionem Episcopi, hoc defuncto, devolvi ad Capitulum; sub jurisdictione autem Episcopi comprehenditur potestas legislativa, nisi specialiter excipiatur; cujus tamen exceptionis nullum extat vestigium.

Dices *Cap. 1. & 2. ne Sede vacant.* vetatur, ne Capitulum, Sede vacante aliquid innovet; innovaret autem aliquid, si novas leges feret; ergo &c.

Respondetur, in *cit. cc.* solum vetari, ne, Sede vacante, aliquid de juribus, & bonis pertinentibus ad Ecclesiam, & dignitatem Episcopalem innovetur; non vero, ne aliquid innovetur circa leges: prout notat Augustinus Michel *de leg. q. 2. pun. 5. n. 3.*

Secunda pars responsionis est itidem communis, & sumitur ex Juribus mox allegandis, in quibus jurisdictio Capituli quoad puncta superius recensita reperitur limitata, & restricta. Itaque

1. Capitulum, Sede vacante, non potest conferre beneficia, quorum collatio privative spectat ad Episcopum *n. un. ne Sede vacant. in 6.* Ratio traditur a Glossa *in c. 14. de Majorit. &c. in verb. Capitulo*: quia fructus, & jura Episcopatus debent fideliter custodiri, & riservari futuro Successori, *c. 37. caus. 12. q. 2. & c. 4. de Offic. Judic. ordin.* sed jus conferendi beneficia est jus Episcopale; ergo debet fideliter custodiri, & reservari futuro Succesori: quod non fieret, si Capitulum illud sibi arrogaret, & usurparet conferendo beneficia, quorum collatio privative competit Episcopo; cum id vergeret in magnum Episcopi Successoris præjudicium. Unde si aliquod similium beneficiorum tempore interregni vacare contigerit, Capitulum constituet idoneum Provisorem, qui interea curam animarum gerat, ceterasque beneficii functiones obeat, donec aut hic ipse, aut alius a novo Episcopo in tali beneficio instituatur, aut præsentetur. Augustinus Michel *loc. cit. n. 5.*

2. Capitulum, Sede vacante, infra annum a die vacationis concedere non potest dimissorias, nisi arctatis ratione beneficii recepti, vel recipiendi, per Trid. *sess. 7. c. 10.* Nec dare licentiam Clerico transeundi ab una Ecclesia ad aliam *c. 5. dist. 24.* & *c. 2. ne Sede vacante.* Ratio utriusque itidem traditur a Glossa *loc. cit.* quia dare dimissorias, aut licentiam transeundi ad aliam Ecclesiam est species quædam alienationis personarum; cum igitur alienatio personarum major sit, quam alienatio rerum, & hæc, Sede vacante, interdicta sit. *can. 24. caus. 12. q. 1.* conveniens omnino fuit, ut & illa prohiberetur. Augustinus Michel *loc. cit. n. 7.*

3. Capitulum, Sede vacante, non potest excommunicare eo modo, quo Episcopus, id est solemniter, seu cum illa solemnitate, quæ perhibetur in *can. 166. caus. 12. q. 3.* ut videlicet duodecim Sacerdotes Episcopum circumstent, & lucernas ardentes in manibus teneant, ad finem actus in terram projiciendas &c.

Dixi: *solemniter*: quod enim Capitulum, Sede vacante, possit judicare, suspendere, excommunicare (subintellige solemniter) uti & absolvere, nemo est, qui inficias eat; cum id expresse constet ex textu in *c. un. de Majorit. & obed. in 6.* Author *cit. n. 8.* & apud ipsum Fagnanus.

Quænam præterea Capitulum, Sede vacante, possit, vel non possit, tradunt Reiffenstuel, Pichler, & alii SS. Canonum Interpretes in *lib. 3. Decret. tit. 9.*

CASUS II.

427. *Eulogius, Episcopi Vicarius Generalis, certam quandam causam, ad forum Ecclesiasticum pertinentem, in eoque decidendam, suscipit mense Januario. Mense immediate sequenti, sive Februario, & citantur Partes & fit contestatio litis: at quoniam argumenta a colliitigantibus afferuntur, causam utrinque dubiam, & perplexam reddentia, decisio litis protelatur usque ad mensem Martium. Hoc mense, quo memorata decisio speranda fuisset, contingit Episcopum ex hac vita migrare. Dubitatur jam, an Eulogius cum Consiliariis Ecclesiasticis causam modo præfato cœptam prosequi, & absolvere possit?*

Respondetur negative. Ita Laymann. in *Theol. mor. de leg. c. 7. n. 19.* & apud ipsum Sanchez, Molina, Covarruvias. Item Pichler *ad Tit. de Offic. Vicarii n. 9.* Ratio est; quia potestas, & tribunal Vicarii Generalis est idem cum potestate, & tribunali Episcopi; ergo impossibile est, pereunte uno, durare alterum: atqui per mortem Episcopi perit potestas, & tribunal Episcopi; ergo impossibile est, ut duret potestas, & tribunal Vicarii Generalis: consequenter &c. Jurisdictio proinde tunc, seu, Sede Episcopali vacante, devolvitur ad Capitulum, cui incumbit (ex obligatione per Trid. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* imposita) novum constituere Vicarium, vel confirmare antiquum, qui fuit Sede plena; idque (ut evitetur confusio, & negotia non nimium protelentur) intra octo dies vacationis sibi notificatæ.

Dices. Potestas Judicis delegati non expirat morte delegantis, quando res non amplius est integra, sed nego-

negotium jam cœptum absolvere potest *c. 19. & 20. de Officio deleg.* ergo nec potestas Vicarii expirat morte Episcopi.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est, quod potestas, & tribunal Judicis delegati sit distinctum a tribunali delegantis; non item potestas, & tribunal Vicarii a tribunali Episcopi: unde & a Judice delegato ad delegantem datur appellatio, non autem a Vicario ad Episcopum *c. 2. de consuet. in 6.*

Hic secundus Casus, uti & primus (quoad potiorem partem) non pertinent huc directe; reduci tamen huc solent a permultis Authoribus, Laymanno, Michel, & aliis, ex ratione, quod potestas ferendi leges sit quædam species jurisdictionis, ad quam directe spectant. Quorum proinde Virorum authoritas, & ratio me quoque permoverunt, ut illos hic proponerem, atque deciderem.

C A S U S III.

248. *Eustachius formalem in mente hæresim fovet, dum huic propositioni:* Christus non est in S. Eucharistia, *semel, bis, ter deliberatum assensum prabet, quin tamen istum verbis, aliove signo externo prodat. Imo tandem eo dementiæ progreditur, ut sua sensa etiam ore proferat, licet nemo hominum præsto sit, qui illa percipiat. Quæritur, an Eustachius incurrat excommunicationem in Bulla Cœnæ latam contra Hæreticos?*

REspondetur, quod illam non incurrat (1.) hæresim præcise in mente fovendo; incurrat vero (2.) eandem externe proferendo, licet a nemine audiatur. Ita DD. satis communiter contra P. Henno supra *n.* 319. citatum, & quosdam alios. Prima pars responsionis ostenditur tum ex communi sensu DD. qui dum audiunt, incendiarios, simoniacos, usurarios, abortus procuratores, similesque malefactores censuris subiici, passim id accipiunt de illis, qui talia opere externo, & non mere mentaliter perpetrare ausi fuerint: tum ex ratione; quia, sicut Ecclesia militans est visibilis, & sensibilis, ita saltem regulariter ipsius bono, & tranquillitati sat provisum est, si caveat, ne crimina externa grassentur, quæ fortiori marte, quam sola interna, militant adversus pacem, & disciplinam Ecclesiasticam; prout advertimus supra *n.* 319. esto Superior Ecclesiasticus non excederet limites suæ potestatis, si quandoque etiam in mentaliter, seu interne peccantes censuris animadverteret; cum enim præcipere actus mere internos possit (sicut potest secundum dicta *n. 314. & seqq.*) quid ni & possit interne peccantibus proportionatam infligere pœnam?

Confirmatur. Constitutio Bullæ est pœnalis, & odiosa; ergo intelligenda venit cum restrictione ad hæreticum hæreseos simpliciter, id est, tam in-quam externe completæ reum, non vero cum ampliatione ad hæreticum, mere mentalem, & internum.

Nec dicas. Constitutio Bullæ, qua hæretici excommunicantur, est favorabilis fidei; ergo non est restringenda, sed potius amplianda ad hæreticum internum, idque maxime, quia tota hæresis malitia consistit, & completur in mente.

Contra enim est, neg. conf. ad ant. ajo, illam Constitutionem cedere quidem in favorem fidei, & hoc respectu esse favorabilem, vergere tamen in odium libertatis humanæ, atque respectu istius absolute esse, & dici odiosam; adeoque stricte interpretandam intra rigorem verborum, & accipiendam relate ad hæreticos, hæresi simpliciter completa, qualis non est mere interna, imbutos. Unde ad rationem consequentiæ probativam dico, hæresim compleri in mente, quoad reatum malitiæ, seu culpæ, non autem quod reatum pœnæ incurrendæ.

Secunda pars inde ostenditur, quod Bulla excommunicatione feriat quoscunque hæreticos, hæresi simpliciter completa infectos; ut proxime dictum: sed Eustachius, dum hæresim, quam in mente fovet, etiam ore profert, fit talis, ut patet; ergo &c. Nec refert, quod nemo proferentem audiat: quia hoc Eustachio solum suffragatur, ne tanquam hæreticus accusari, judicari, condemnari, vel excommunicari possit excommunicatione per sententiam Judicis ferendam; utpote ad quod prærequiritur cognitio, & testificatio delicti, qualis tamen in Casu deficit. Cum quo tamen stat, quod

possit excommunicari excommunicatione per legem, seu sententiam generaliter latam, atque actu sic excommunicari, nostra ratio convincit, & communis DD. sensus. ac praxis confirmat.

C A S U S IV.

429. *Eutropius Consul, postquam una cum reliquo Senatu statutum tulit de tritico posthac vilius vedendo, antequam illud solemniter publicari faceret, privata notitia utens, omne suum triticum, cujus copiam sat magnam habet, distrahit adhuc currente, id est, cariore pretio. Quæritur, an peccet?*

R̲Espondetur, Eutropium non peccare, saltem contra Justitiam. Burghaber *centur. 1. cas. 6.* Pihcler *ad tit. de constit. n.* 8. & alii passim. Ratio est: quia distrahens suum triticum pretio justo non peccat contra Justitiam: sed pretium carius, quo Eutropius suum triticum distrahit, est adhuc justum; ergo &c. Major patet ex terminis. Min. vero probatur. Pretium illud erat justum, antequam statutum de tritico vilius vedendo condebatur, ut supponitur; ergo etiam est justum, postquam statutum est conditum, nondum tamen publice promulgatum. Conf. prob. Statutum, seu lex humana ante publicam sui promulgationem non parit obligationem actualem juxta dicta *n.* 320. ergo nondum actu prohibet triticum vendi pretio cariore, quo antea vendi poterat; consequenter sicut tale pretium erat justum ante factionem memorati statuti, ita & postea justum manet.

Confirmatur. Qui utitur jure suo, non peccat contra Justitiam: sed Eutropius, dum triticum carius vendit, utitur jure suo, quod possidebat ante factionem statuti, & adhuc possidet ante publicam illius promulgationem, vi cujus juris potuit, & etiamnum potest suum triticum distrahere currente pretio; ergo &c.

Dices. Eutropius, cum sit Senator, imo Superior Senatorum, Senatusque Caput obligatur ex Justitia bonum civium conservare: sed hoc non facit, dum triticum, & quidem in magna copia, cariore pretio, brevi post diminuendo, distrahit; sic enim magnum emptoribus damnum creat; ergo non observat obligationem sibi incumbentem ex Justitia; & consequenter peccat contra Justitiam, esto non sic peccaret alius, qui non est de numero Senatorum, si suum triticum cariore pretio distraheret, utens notitia privata, per accidens, vel casualiter acquisita.

Respondetur, dist. maj. Eutropius obligatur ex Justitia conservare, & promovere bonum civium, suggerendo salubria consilia, aliisque consimilibus modis, ad quos adstringitur vi officii, quo fungitur, con. observando legem necdum debite promulgatam, neg. maj. Ad hoc enim virtute sui officii, & dignitatis senatoriæ nullatenus obstringitur; secus in eo passu deterioris esset conditionis, quam aliquis civis.

Dixi, Eutropium non peccare *saltem contra Justitiam*. Videtur quippe nonnullis peccare contra Charitatem. Sed præplacet sententia Palao *tr. 32. disp. 5. pun. 15. n. 8.* Schmalzgrueber ad *tit. de emptione-vendit n.* 127. & aliorum, docentium, Eutropium ne quidem peccare contra Charitatem, nisi emptori existat causa tanti damni (nam minus, ut ut de se notabile, non sufficeret) ob quod is in extremam, aut gravem necessitatem devolvatur. Ratio est: quia Eutropius, præterquam quod utatur jure suo, ponit actum de se licitum, & honestum, sibique utilem, quamvis prævideat, exinde per accidens secuturum proximi damnum: in quo nullum intervenit vitium etiam contra Charitatem, dummodo damnum non intendatur.

Colliges hic veluti occasionaliter, aliud esse legem *promulgari*, aliud *divulgari*. Primum fit per publicam propositionem, quæ est conditio necessaria, ut lex omnes, & singulos, ad quos directa est, actualiter obliget. Secundum fit per applicationem memoratæ propositionis ad aures, vel oculos subditorum, qui propter absentiam aut legere, aut audire non potuerunt: quæ non est conditio necessaria ad hoc, ut omnes, & singuli lege obligentur; esto sit causa excusans invincibiliter ignorantes, ne eam transgredientes peccent.

C A S U S V.

430. *Edmundus, cujusdam Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, licet non ignoret, intra spatium duorum mensium a die pacificæ admissionis ad participationem massæ Capitularis emittendam sibi esse professionem fidei, si percipere fructus velit, eam nihilominus differt per integrum fere annum. Quæritur jam, an fructus, post elapsum primum bimestre perceptos, teneatur in conscientia, & ante sententiam Judicis expendere in pauperes, vel fabricam Ecclesiæ?*

ANtequam ad Casum respondeatur, tria tanquam certa supponenda sunt. Primum est, quod Provisi de Canonicatu in Ecclesia Cathedrali intra duos menses a die pacificæ admissionis ad participationem massæ Capitularis coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, & Capitulo teneantur juxta formulam, a Trid. Conc. & Pio IV. præscriptam, publicam fidei professionem emittere. Ita mandat Trident. *cit. sess.* 24. *c.* 12. & *sess.* 25. *c.* 2. *de Reform.* & Pius IV. *in Constit. injunctum.* Secundum est, quod Edmundus fructus, quos intra duos primos menses percepit, fecerit suos, nec illis privari possit; quia Trid. *loc. cit.* & iterum citando liberaliter indulget hoc tempus ad emittandam professionem, & pro illo non privat fructibus. Tertium est, quod etsi Edmundus post unius fere anni spatium professionem fidei ediderit, fructus tamen, post elapsum primum bimestre perceptos, non fecerit suos, eosdemque teneatur erogare in pauperes, aut Ecclesiæ fabricam, non minus, quam qui non resident. Trid. *sess.* 24. 12. *cit.*

Unde remanet solum in Casu quæstio de modo restituendi fructus, post elapsum primum bimestre perceptos; an scilicet Edmundus teneatur illos restituere in conscientia, & ante sententiam Judicis? Ad hanc igitur quæstionem

Respondetur, quod Edmundus ejusmodi fructus teneatur restituere in conscientia, & ante omnem sententia Judicis etiam declaratoriam seu criminis, seu pœnæ. Ita Azorius *p.* 2. *lib.* 7. *c.* 2. Konig. *ad tit. de summa Trinit.* &c. *n.* 10. Schmalzgruber ibidem *n.* 10. Pichler. *n.* 9. Bockn *n.* 7. & alii ab his relati contra Sanchez, VViestner, Reiffenstuel &c. Ratio est primo: quia res aliena debet restitui ante omnem sententiam, ut nemo negaverit: sed fructus, quos Edmundus post elapsum primum bimestre, antequam professionem fidei ederet, percepit, sunt res aliena; ergo &c. Min. facile ostenditur; nam Trid. non vult provisum de Canonicatu fructus facere *suos*, nisi sub conditione prius emissæ professionis: dicit enim: *alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Cum ergo Edmundus eam conditionem non impleverit, seu professionem tempore præscripto non emiserit, nunquam illorum fructuum acquisivit dominium, etiam revocabile tantum; adeoque manent res alienæ.

Ratio est secundo. Ideo Edmundus non teneretur fructus restituere in conscientia, & ante omnem sententiam Judicis; quia lex Tridentini illis privans est pœnalis, quæ non obligat ante sententiam, saltem declaratoriam, *arg. c.* 19. *de Hæret. in* 6. sed causalis liberrime negati potest; siquidem illa lex non pœnalis, sed potius conventionalis dicenda est, qua fructus conceduntur sub conditione emissæ intra bimestre professionis, ut adeo, deficiente conditione, nullum jus ad fructus acquiratur: fere sicut contrahentes subinde adjiciunt suis conventionibus certas conditiones, sub quibus, & non aliter, velint transferre dominium rei in alterum. Deinde dato, legem illam esse pœnalem, pœna tamen, quam irrogat, non est positiva, aut privativa: utique enim verba illa, *fructus non faciant suos*, aperte innuunt, quod ipsa prima fructuum perceptio irritetur; adeoque restitutio eorum, utpote quorum nullum est acquisitum dominium, sit pœna mere negativa, non vero positiva, aut privativa. Quapropter errant Adversarii, dum legem pœnalem, quæ simpliciter imponit restitutionem fructuum, confundunt cum lege, quæ ita imponit restitutionem fructuum, ut etiam horum impediat perceptionem. Prior quippe infligit pœnam privativam (permulti positivam nominant) in quibus terminis si Concilium loqueretur, & solum restitutionem præciperet, ultro fateremur, fructus (quando Canonicus eosdem jam fecisset suos) non esse restituendos ante sententiam declaratoriam, supposito, quod lex Tridentini sit pœnalis. Sed aliis versamur in terminis. Verum contra hoc ultimum

Dices. Æque non est suum, quod desiit esse suum, quam quod quis non fecit suum; ergo distinctio a nobis proxime data non subsistit.

Respondetur, neg. ant. saltem in pœnalibus. Siquidem *non facere suum* est mera negatio; econtra per pœnam *desinere esse suum* fit per ablationem proprietatis a reo, ac translationem in fiscum; quæ proinde pœna non est mere negativa, sed privativa, vel (ut iterum alii volunt) positiva. Hinc licet ista non debeatur ante omnem sententiam, debetur tamen illa, haud secus, ac pœna Beneficiatorum non residentium, aut omittentium Breviarium, per Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* Nec refert, quod circa istorum obligationem Concil. faciat majorem expressionem, quando interserit hæc verba: *alia declaratione non secuta.* Siquidem per id plus non intendit, quam abundanter, & veluti superrogatorie explicare, quod alias continetur in istis verbis: *fructus non faciant suos*: nempe quod hoc ipso tales fructus, tanquam injuste percepti (cum juste percipi non possit, quod quis facere suum nequit) sint restituendi. Ita fere in terminis ingeniose juxta, ac solide P. Bockn *cit.* 8. Revideri etiam possunt dicta superius *n.* 354.

C A S U S VI.

431. *Evagrius, Confessarius Regularis, doctus quidem, sed ultra modum impatiens, impœnitentes peccatis grandioribus oneratos, acerrime invehitur, etiam antequam isti suas confessiones finiant, itaque prabet ansam multis confessionibus sacrilegis. Re ad Superiorem delata, præcipit is Evagrio, ut ab excipiendis confessionibus abstineat per annum, in pœnam simul, & remedium impatientiæ. Paret initio Evagrius: at postmodum, oblata occasione, excipit confessionem Emerici, Viri secularis, antea sibi confiteri soliti. Quæritur, an Evagrius licite, vel saltem valide absolvat?*

REspondetur, Evagrium (1.) illicite, non autem (2.) invalide absolvere. Ratio primi membri est: quia ille illicite agit, & delinquit contra virtutem Obedientiæ, qui transgreditur mandatum a legitimo Superiore sibi juste impositum; atqui hoc facit in Casu Evagrius, ut patet; ergo &c. Puto tamen (salvo meliori judicio) tale delictum non esse nisi veniale; ob parvitatem scilicet materiæ, seu quia Evagrius non nisi semel, & unam duntaxat personam absolvendo contra Superioris prohibitionem agere ponitur. Ratio secundi membri est: quia licet Superior prohibeat Evagrio, ne confessiones excipiat, & pœnitentes absolvat, non tamen censetur irritare actus contra suam prohibitionem gestos; hoc quippe si intenderet, exprimere deberet, ut per se patet; ergo &c. Juvat hic audire P. Gobat *Theol. Esperim. tractat.* 7. *Cas.* 2. *num.* 634. cujus verba sic sonant: Quod si Superior dedit cuipiam facultatem confessiones audiendi, non censetur eam vel generatim, vel in particulari revocare, quando præcise dicit: *prohibeo tibi, ne audias hodie, ne audias amplius confessiones*; sicut enim lex prohibens non est hoc ipso irritativa actus, ita neque mandatum inhibitorium &c. Aliud est, quando Superior quempiam ferit suspensione, excommunicatione, aut declarat ineptum ad munus Confessarii. Ita prælaudatus Author referens Suarezium, & Tannerum.

C A S U S VII.

432. *Edilbertus accusatur apud Judicem ab Engelbardo tanquam centum florenorum debitor. Accusatus citatur, & comparet: at solvere jussus, negat, & pernegat (idque cum veritate) se Engelhardo quidquam debere. Engelhardus adducit testes, contra quos cum nulla posset fieri exceptio, Judex Edilbertum condemnat ad solvendum. Quæritur 1. an Edilbertus teneatur in conscientia prætensum debitum solvere? 2. An, supposito, quod illud solvere a Judice coactus sit, occulta compensatione uti possit?*

REspondetur, quod Edilbertus (1.) in conscientia non teneatur prætensum debitum solvere; & si in foro externo ad illud solvendum fuerit compulsus, debet quidem se accomodare scandali vitandi causa, cum in hoc foro sententia Judicis præsumatur justa, potest

tamen

tamen (2.) postmodum uti occulta compensatione. Ita DD. communissime, & ego in *meis Thes. pag.* 197. Ratio primi membri est: quia sicut lex fundata in præsumptione facti particularis non obligat in conscientia, si tale factum revera non subsit, ita neque in eodem conscientiæ foro stringit sententia, simili facto mere existimato innixa: atqui sententia Judicis, in Casu contra Edilbertum lata, est hujusmodi; ergo &c. Major tenet a paritate rationis; nam ideo tunc lex cessat, seu non obligat in conscientia: quia fundamentum, ratio, & finis adæquatus illius cessat: consequenter si cesset etiam fundamentum, ratio, & finis adæquatus sententiæ, neque hæc in conscientia stringit. Minor ostenditur, & declaratur: quia sententia Judicis nititur præsumptione hujus facti, *quod Edilbertus revera sit debitor centum florenorum*; qualis tamen non est, ut supponitur: consequenter fundatur in præsumptione facti particularis, quod revera non subest; proindeque injusta est, saltem materialiter, nec ligare conscientiam potest.

Ratio secundi membri est: quia occulta compensatio, debitis conditionibus vestita, fit licite; prout videbimus *part.* 4. *tr.* 2. atqui compensatio, qua utitur Edilbertus, debitis conditionibus vestitur; ergo &c. Min. ostenditur, & declaratur: quia illi centum floreni Edilberto sunt certo debiti, eosque Engelhardus ipse in conscientia tenetur restituere; nec possunt alia via, quam via occultæ compensationis (ut supponitur) recuperari: his, inquam, & aliis in *tr. proxime cit.* recensendis conditionibus vestitur compensatio: qua Edilbertus utitur; ergo ea utitur licite, clam surripiendo illos centum florenos, quos per sententiam, falsæ præsumptioni innixam, solvere Engelhardo coactus fuit.

CASUS VIII.

433. *Eugenius, Superior Regularis, Emmerano subdito suo, scandalose nimis potus amatori, se vere, & gravi sub culpa prohibet, ne posthac vel unicum amplius haustum vini faciat in domibus secularium. Quæritur, an hæc prohibitio excedat, vel non excedat capacitatem materiæ prohibitæ; adeoque an sit, vel non sit invalida?*

Respondetur, quod ista prohibitio capacitatem materiæ prohibitæ non excedat, adeoque non sit invalida. Ita DD. communiter, & sequitur ex dictis supra *n.* 376. Ratio est: quia licet materia, supra quam dicta prohibitio cadit, sit secundum se, & materialiter levis, adeoque ut sic incapax obligationis gravis; est tamen gravis attentis circumstantiis, & formaliter, sub qua proin ratione, & consideratione valide, & licite prohiberi sub gravi culpa potest.

CASUS IX.

434. *Eventianus Princeps ob annonæ caritatem mandat in toto principatu, graviterque obligat singulos, ne quis frumentum exportet. Ericus Parochus, hujus legis non ignarus, majori tamen pretio, quo frumentum extra limites principatus venditur, illectus, evehit illud in copia satis magna, sed deprehensum a ministris Eventiani aufertur. Quæritur 1. an Ericus evehendo frumentum peccet? & 2. an istud a ministris Eventiani citra injustitiam auferatur?*

Respondetur primo, Ericum quidem (1.) peccare, sed venialiter tantum. Ita Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 6. *n.* 53. Burghaber *cent.* 2. *cas.* 53. Salas, Caspensis &c. Ratio primi membri est: quia Ericus lege Principis in Casu obligatur quoad vim directivam indirecte; prout *n.* 391. ostensum, & explicatum ivimus; ergo, cum materiam ea lege præceptam non observat, peccat. Ratio secundi membri est: quia Ericus est membrum Reipublicæ privilegiatum, nec tenetur legem Principis observare nisi propter conformitatem cum aliis Reipublicæ membris secundum dicta *n. cit. & seq.* quæ conformitas est finis directe quæsitus a lege naturali; ergo licet membrum non privilegiatum, si idem faceret, quod in Casu Ericus, peccaret mortaliter, non tamen ita peccare censendus est Ericus. Conf. ostenditur: quia membra non privilegiata tenentur lege sui Principis quoad vim coactivam, & directivam directe, cum subsint ejusdem jurisdictioni, & potestati circa materiam præceptam, vel prohibitam; adeoque peccant contra Obedientiam Principi debitam, & quidem graviter, si Princeps sit graviter invitus, qualiter invitus esse creditur, si aliquis suorum subditorum tantam frumenti copiam contra expressam prohibitionem extra Principatum eveheret. E diverso membra privilegiata, de quorum classe est Ericus, non tenentur ad eandem legem servandam nisi quoad vim directivam indirecte; idque alio Jure, & fine, videlicet Jure naturali, & propter conformitatem cum reliquis Reipublicæ membris, quæ obligatio, ejusque transgressio in Casu videtur esse levis, esto transgressio legis positivæ, a Principe sancitæ, in subditis relate ad eandem materiam præceptam foret gravis. Revideantur dicta *n.* 387. &, servata proportione, huc applicentur.

Respondetur secundo, frumentum ab Eventiano, ejusdemve ministris citra injustitiam auferri Erico non posse. Ita cum communi DD. Burghaber *loc. cit.* Ratio est: quia auferendo violant immunitatem Ecclesiasticam realem, vi cujus bona Clericorum exempta sunt a potestate Principis, & Judicis secularis; imo & personalem, cum ablatio bonorum sit pœnalis, & exerceatur contra personam Clerici.

CASUS X.

435. *Emmanuel, Religiosus exemptus, in quadam Vigilia B. Virginis, ubi subditi Diœcesani, quibus ipse in eodem territorio commoratur, virtute legis Episcopalis ad jejunium obstringuntur, absumit reliquias carnium pridie appositarum. Quæritur, an peccet?*

Respondetur negative, si scandalum absit. Est communis DD. Ratio est: quia Religiosi exempti legibus Episcopalibus, qualis est lex jejunandi in Casu posito, nulla ratione, id est, nec directe, nec indirecte, obligantur, nisi in casibus Jure expressis; prout dictum, & stabilitum est supra *n.* 394. atqui inter eos casus non venit observatio jejuniorum a solo Episcopo præceptorum; ergo &c.

Sed quid si secularis quispiam in simili Vigilia accederet Monasterium exemptum, intra talem diœcesim situm, ibique carnes comederet?

Respondetur, eum similiter, secluso scandalo, non peccaturum. Ita Bassæus *V. lex* 3. *n.* 4. *in fine*, Corbinianus Khamm *de cens. in gen. pag.* 63. & sequitur ex dictis supra *n.* 417. Ratio est: quia locus, seu monasterium exemptum, intra diœcesim situm, æquiparatur loco extra diœcesim sito; ergo sicut secularis ille, si egrederetur in locum extra diœcesim situm, licite ibidem carnes comederet, ita & si accederet locum, seu monasterium exemptum, intra diœcesim situm. Quare hujusmodi monasterium censetur solum esse de territorio Episcopi quoad situm, seu materialiter, non vero quoad jurisdictionem, seu formaliter.

CASUS XI.

436. *Emericus inter suos famulos numerat unum perpetuo amentem, quem ad actus illicitos non raro incitat, puta ad blasphemias, ad impudicos mulierum tactus, ad comedendas carnes diebus ab Ecclesia interdictis. Quæritur, an, & quomodo* Emericus *peccet?*

Respondetur, Emericum peccare graviter (1.) famulum suum incitando ad blasphemias, mulierum tactus, aliosque consimiles actus intrinsece malos; non autem peccare (2.) eundem incitando ad comedendas carnes. Ita DD. communissime. Ratio primi membri est: quia etiam perpetuo amentes obligantur lege naturali; ergo contra eam agendo peccant, non quidem formaliter ob defectum usus rationis, sed materialiter; ergo non licet illos inducere ad actus lege naturali prohibitos, quales sunt actus blasphemiæ, & luxuriæ, aliique consimiles intrinsece mali. Ant. ostenditur: quia lex naturalis omnium hominum de se rationis capacium cordibus inscripta est, & (ut utar verbis Palao *tr.* 3. *disp.* 1. *pun.* 22. *n.* 3.) cum ipsis loquitur. Conf. prima per se patet. Secunda inde probatur: quia licet perpetuo amens non peccet formaliter ob defectum usus rationis, ut dictum; ita tamen peccare censendus est Emericus in Casu, utpote respectu cujus non adest causa (nimirum defectus usus rationis, aliave) a peccato formali excusans: consequenter Emerico tanquam causæ morali, famulo suo ceu instrumento utenti, factum imputatur ad culpam,

culpam, & formale peccatum. Revideantur, quæ diximus n. 407. Porro peccatum Emerici esse grave, patet: quia in peccato blasphemiæ, & luxuriæ non datur parvitas materiæ, quæ a mortali excuset, prout videbimus *tr. seq.* & imperfectio actus non supponitur intervenire.

Ratio secundi membri est: siquidem perpetuo amens non comprehenditur sub lege humana; cum hæc non obliget nisi habentes usum rationis saltem transeunter; prout relinquitur ex dictis *n.* 402. (imo nec omnes usu rationis præditos stringit; contrarium enim evenit in pueris, in quibus usus rationis septennium prævenit; prout constat ex dictis *n.* 403.) atqui lex certis diebus jejunandi, seu abstinendi carnibus est solum humana; ergo perpetuo amens sub ea non comprehenditur: & consequenter licet contra eandem agat, non peccat, ne materialiter quidem: adeoque non apparet, unde cooperatio ad illius transgressionem sit, & dicatur illicita. Revideantur dicta *n.* 407.

CASUS XII.

437. *Elisæus, Studiosus Augustanus, tempore Quadragesimæ una cum quibusdam sociis, & familiaribus ex Urbe, in qua obligatio jejunandi ab Ordinario non est relaxata, Oberhusium, ubi est relaxata, quodam die recreationis egreditur, non tam ut liberam auram capiet, quam ut in memorato loco se esu carnium oblectet. Quæritur, an licite ibidem carnes comedere possit?*

RESpondetur affirmative. Ita Suarez *lib.* 2. *de Festis c.* 13. *n.* 6. Illsung *tr.* 1. *disp.* 2. *art.* 2. *n.* 23. & alii communius. Ratio est: quia Elisæus utitur jure suo, quod habet, egrediendi ex suo territorio, & accedendi aliud; neque enim hoc ei lege prohibetur, eo quod ista non obliget, ut quis persistat in suo territorio, sed tantum, ut eam observet, quandiu ibi perstiterit. Ex quo fit, ut Elisæus non possit dici agere in fraudem legis: siquidem *nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur*, juxta *Reg.* 55. *ff. de R. J.*

Dices. Qui habet casus in propria diœcesi reservatos, non potest in aliam diœcesim, ubi illi casus non sunt reservati, se conferre, hac intentione, ut ibidem confiteatur, & Sacramentalem absolutionem percipiat. Similiter non potest quis e loco, ubi Trid. in puncto Matrimonii est receptum, egredi in locum, ubi non est receptum, animo præcise ibi contrahendi matrimonium clandestinum, eoque contracto revertendi in patriam; ergo neque potest quis e loco, ubi est jejunium, exire in locum, ubi non est jejunium, animo præcise ibidem comedendi carnes, & postea remeandi ad locum, unde egressus est.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia duo illi casus in antecedente adducti, sunt specialiter excepti; prior quidem a Clemente X. prout videbimus in *tr. de Pœnit.* posterior autem ab Urbano VIII. prout videbimus in *tr. de Matrim.* Unde tunc egredientes censerentur agere in fraudem legis; veluti declarabimus infra *n.* 440. *in coroll.* 2. Secus est in nostro Casu, in quo egressus nulla lege prohibetur; veluti relinquitur ex dictis: proindeque egrediens utitur jure suo, neque in fraudem legis agere dicendus est.

CASUS XIII.

438. *Engelbertus, incola Oberhusianus, Oberhusio, ubi, ut Casu priore dictum super jejunio dispensatum est, Augustam, ubi dispensatum non est, certi cujusdam negotii perficiendi causa se confert; utque, eo perfecto, habeat, quod manducet, prius accedit cauponam, jubetque sibi praeparari, & apponi in prandio carnes. Caupo paret, carnes desideratas parat, paratas advenanti Engelberto exhibet, quibus & iste vescitur. Quæritur, an licite?*

RESpondetur negative. Ita Laymann *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 12. *n.* 3. Babenstuber *tr.* 3. *disp.* 2. *art.* 4. *n.* 34. Pichler *loc. cit. n.* 54. & alii communiter. Ratio est: quia peregrini tenentur legibus communibus, quando hæ stringunt in loco peregrinationis suæ, esto in loco sui domicilii per privilegium, dispensationem, vel contrariam consuetudinem sublatæ sint, sive non vigeant; prout notavimus supra *n.* 418. sed lex jejunandi per tempus Quadragesimæ est lex communis, quippe a S. Pontifice condita, & ad universam Ecclesiam directa, atque Augustæ stringit; ergo Engelbertus, dum ibi peregrinus, & hospes est, illa obstringitur, licet in loco sui domicilii relaxata sit per dispensationem; hæc enim localis est, non personalis, adeoque non egreditur e loco cum persona Engelberti, nec huic favet existenti Augustæ, sed existenti Oberhusii tantum: consequenter &c.

CASUS XIV.

439. *Eligius die, quo in proprio ipsius loco peculiare est jejunium, hospitatur in loco alieno, ubi similiter particulare est jejunium. Quæritur, an teneatur jejunare? In idem recidit, si ponatur in utroque loco celebrari particulare festum, an scilicet Eligius tunc teneatur audire Missam, & ab operibus servilibus abstinere?*

RESpondetur negative. Ita Tamburinus in *Decal. lib.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 23. Burghaber *cent.* 1. *cas.* 16. & alii satis communiter contra Joannem Sanchez, & quosdam alios. Ratio est: quia Eligius nec tenetur jejunare vi legis, pro loco proprio latæ, nec vi legis pro loco alieno, in quo hospitatur, sancitæ; ergo non apparet, unde ad jejunium obligetur. Conf. patet. Ant. ostenditur: siquidem In primis lex illa domestica, cum sit specialis, intra locum, pro quo lata est, se continet, ita, ut non stringat subditos extra illum existentes, secundum dicta *n.* 411. Deinde lex alieni teritorii solum obstringit subditos, & membra talis teritorii; quales subditi, & membra moraliter loquendo non censentur esse, qui in eo transeunter tantum existunt; ut noster Eligius: consequenter &c. Itaque Eligius potest per se loquendo, id est, secluso scandalo, binam refectionem sumere, uti & carnes comedere: vel (si ponatur in utroque loco esse speciale festum) Missam omittere, & opera servilia exercere. Qualiter autem idem Eligius se in prædictis gerere possit, ac debeat, si forte eo die ad suum territorium revertatur, patet partim ex dictis *n.* 275. partim ex dicendis *n. seq.* liquebit.

CASUS XV.

440. *Equitius tempore matutino cogitat exire e suo territorio, in quo est dies festivus, & digredi ad aliud territorium, in quo non est dies festivus. Quæritur 1. an illo mane, antequam exeat, possit serviliter laborare? & 2. an prius teneatur in proprio territorio audire sacrum?*

RESpondetur primo ad primum quæsit. Equitius tenetur illo mane, quo in suo territorio persistit, supersedere labore servili. Ita P. Mezger *tr.* 8. *disp.* 35. *art.* 5. §. 4. *n.* 28. & alii communiter. Ratio est: quia præceptum non serviliter laborandi die festivo urget divisibiliter pro qualibet parte notabili totius diei; ergo observari debet pro qualibet ejusmodi parte: consequenter &c.

Respondetur secundo ad secundum quæsit. Equitius, si prævideat, se matutino tempore, quo alias Missæ dici solent, perventurum ad locum, ubi non est dies festivus, haud tenetur in loco, unde digreditur, occasionem audiendi sacrum expectare, nec oblata uti, sive plures in eo loco, unde discedit, Missæ successive legantur, sive una tantum. Ita Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. & 1. *mor. c.* 12. Busenbaum de *leg. c.* 2. *dub.* 2. *n.* 6. Illsung. *tr.* 1. *disp.* 1. *art.* 2. §. 3. *n.* 26. Augustinus Michel *tr.* 4. *q.* 5. *pun.* 5. *n.* 14. & alii plures. Ratio est: quia præceptum audiendi Missam pro nulla determinata parte temporis matutini obligat absolute, sed pro qualibet conditionate, si nec ante, nec post suæ obligationi quis satisfaciat, vel ab eadem eximatur: sed Equitius prævidet (ut supponitur) se tempore matutino ab obligatione præcepti Missæ exemptum iri per ingressum alieni territorii; ergo &c.

Confirmatur. Si Equitius prævideret, se tempore matutino exemptum iri ab obligatione audiendi sacrum per dispensationem, non teneretur occasionem audiendi sacrum expectare, nec oblata uti, sive dein plura successive legantur, sive unum duntaxat; prout etiam Adversarii vix inficias ibunt; ergo nec tenetur &c. quando prævidet, se ab eadem obligatione exemptum iri per ingressum alieni territorii, ubi non est dies festivus.

Dices. Qui prævidet impedimentum implendi aliquod præceptum, tenetur illud prævenire implendo præceptum: sed Equitius prævidet ejusmodi impedimentum, & quidem a seipso libere ponendum; ergo &c.

Confir-

Coofirmatur. Qui tempore matutioo diei festi, v. g. hora septima, cogitat venatum egredi, ubi non suppetet occasio illo die audiendi Missam, tenetur prævenire audiendo prævie Missam, quæ ante memoratam horam in loco, unde vult egredi, celebratur, imo si ante illam horam oulla celebretur, tenetur exspectare, & audire postea legendam, v. g. hora nona, decima, vel undecima; prout ipsimet fassi sumus *n.* 275. ergo idem sentiendum in præsenti Casu.

Respondetur ad argumentum, dist. maj. Qui prævidet impedimentum &c. mere excusans ab obligatione præceptum, transeat, qui prævidet impedimentum omnino liberans ab obligatione præcepti, neg. maj. Quæ responsio, & distinctio ut clarius percipiatur, advertendum est, impedimenta adimplendi præcepta esse duplicis generis. Alia quippe solum excusant ab obligatione præcepti, cujusmodi sunt infirmitas, ignorantia, impotentia, oblivio, & similia; atque hæc nemini licet procurare, saltem eum intentione, ut ab obligatione præcepti eximatur; sed si prævideantur, per executionem operis præcepti præveniri debent. Alia penitus liberant ab obligatione præcepti, qualia sunt dispensatio, egressus e loco, ubi præceptum obligat &c. Et talia non tenetur quis prævenire, vel auferre, tametsi possit. Unde si prævideas, tibi tempore antemeridiano, quo Missæ celebrari solent, impertitum iri dispensationem super obligatione audiendi Missam, non teneris adventum dispensationis prævenire, audiendo antea Missam; prout supra advertimus. Idem contendimus in præsenti Casu, in quo Equitius ponitur prævidere, se tempore antemeridiaoo, Missis legendis destinato, futurum in territorio, ubi non est dies festus; volumusque, quod non teneatur prævenire egressum, audiendo prævie sacrum, sed possit licite e suo territorio, nullo prius audito sacro, egredi, etiam animo se eximendi ab obligatione præcepti, cum inde egrediendi jus habeat, per dicta *n.* 437. Ex quibus patet, quomodo in forma ad cetera respondendum sit.

Dixi in respons. *transeat major.* quia etiam de impedimento mere excusante intellecta solummodo tenet, quando obligatio præcepti jam actu existit saltem moraliter: si enim nondum ita existat, licite quis ponit impedimentum excusans ab illa, dummodo id non faciat animo se a præcepto eximendi, adeoque absit intentio defraudandi præceptum. Relegantur dicta *citat. numero* 275.

Ad confirmat. conc. ant. & neg. cons. Disparitas est; quia io casu antecedentis intervenit impedimentum mere excusans ab obligatione præcepti, videlicet impotentia audiendi Missam (supposito, quod locus, ad quem venandi causa egressus intenditur, situs sit in territorio, ubi est dies festus; alias casus coincideret cum nostro, & negandum foret antecedens) adeoque per impletionem operis præcepti præveniri debet. At in Casu, io quo versamur cum Equitio, intervenit impedimentum penitus liberans ab obligatione præcepti; quod proinde citra culpam, & licite non prævenitur; prout ex dictis relinquitur.

Instabis. Si ponamus, quod in loco, ex quo discedere cogitat Equitius, post ipsius discessum nulla amplius Missa legenda sit, obligatio audiendi Missam, ob defectum subsequentis occasionis, determinatur ad tempus præcedens discessum ex loco; ergo saltem tali casu tenetur prævenire, & audire Missam, antequam discedat, Ita P. La Croix de *leg. n.* 684. & alii plures. Sed

Respondetur, neg. ant. supposito, quod Equitius prævideat, se tempore antemeridiano, Missis dicendis destinato, futurum in loco, ubi non est dies festus; veluti in Casu nostro expressum est. Itaque ut obligatio audiendi Missam ad tempus præcedens discessum ex loco determinetur, necesse est, ut intra tempus, quo celebrari Missæ solent, neque occasio satisfaciendi, neque exemptio prævideatur futura. Hinc si Equitius ex suo loco egredi cogitaret in alium, ubi idem dies ex præcepto communi (& non particulari, vel locali tantum) festivus est, qui in loco ipsius proprio, ibique nullam fore occasionem audiendi sacrum præsciret, teneretur prævenire, & audire sacrum in proprio loco, Idem esto judicium, si Equitius prævideret, se tempore antemeridiano non perventurum ad locum, ubi non est dies festivus, atque ita per egressum e suo territorio se exemptum non iri ab auditione sacri. In hoc proin gemino casu Equitius utique teneretur (per se loquendo, & si nulla causa excusans adest) in proprio territorio, antequam ex eo discederet, audire sacrum, sive dein hoc celebrandum esset ante tempus, quo abire intenderet, sive post illud: id quod evincit instantia. Secus in nostro Casu; prout ex dictis relinquitur.

Atque hæc in favorem Equitii probabiliter dicta sunto. Sanchez, Palao, Mezger, La Croix, Babenstuber, & alii Casum ita distinguunt. 1. Si, antequam Equitius discedat ex suo territorio, nullum ibidem sacrum celebratur, non tenetur expectare, usquedum aliquod celebretur, sed potest vadere vias suas, & auditionem sacri intermittere. 2. Si, antequam discedat, celebratur unum tantummodo sacrum, tenetur ei interesse: quia illo die in isto loco ad sacrum audiendum adstringitur; cum ergo hoc unicum audire possit, audire tenetur (sed hæc ratio ex supra dictis soluta manet.) 3. Si, antequam discedat, celebratur sacrum, &, postquam discessit, adhuc unum celebrandum est, non obligatur audire primum: quia si mansisset, potuisset satisfacere præcepto per auditionem secundi; ergo cum ante tempus istius sit deobligandus a præcepto, eo quod sit futurus in alio territorio, ubi illud non stringit, etiam non obligabitur prævenire &c.

Colliges primo ex dictis *ad 1. quæsit.* Equitium, si eo die ad suum territorium reversus fuerit, teneri abstinere a labore servili, Ratio est illa ipsa, ob quam eo mane, antequam ex suo territorio abeat, serviliter se occupare nequit: quia videlicet præceptum non laborandi serviliter in die festo stringit divisibiliter pro qualibet parte talis diei &c.

Colliges secundo ex dictis *ad 2. quæsit.* quando quis censendus sit agere in fraudem legis, & quando non. In fraudem legis agere convincitur, qui ponit impedimentum *mere excusans* observationi legis, cujus obligatio jam actu existit saltem moraliter: v. g. qui obligatus ad Horas Canonicas recitandas Breviarium in mare projicit, vel nullum sibi comparat, cum posset: qui mane v. g. hora septima diei festi venatum exit, antequam sacrum audiat, in nemus, ubi nullum audire potest. Imo similiter in fraudem legis agere probatur, qui ponit impedimentum *mere excusans* observationi legis, cujus obligatio actu nondum existit, ea intentione, ut a tali lege, quando actu stringet, se eximat. Hinc si quis in pervilegio alicujus festi venatum egreditur, eo animo, ne postero die debeat audire sacrum, in fraudem legis agere recte dicitur, E diverso in fraudem legis non agit, qui ponit impedimentum *penitus liberans* observationi legis, ea etiam intentione, ut se ab obligatione legis eximat: dummodo illud ponere non prohibeatur alia, & distincta lege, vel præcepto, Unde in fraudem legis non agit, qui ex loco, ubi est jejunium, egreditur in locum, ubi non est jejunium, carnibus vescendi causa. Ratio disparitatis est: quia impedimentum *excusans* solum per accidens, & non per se ab observatione legis deobligat; unde dum quis illud ponit, dici non potest uti jure suo. At vero impedimentum *liberans* per se deobligat ab observatione legis; proindeque illud ponens, recte dicitur uti jure suo; utens autem jure suo nullam committit fraudem. Revideantur dicta *numer.* 437. Excepi tamen: *dummodo illud ponere non prohibeatur &c.* Si enim præter legem, cujus observationi impedimentum *liberans* apponit, extet alia lex specialis, vi cujus simile etiam impedimentum apponere prohibetur, illud apponendo agit in fraudem hujusmodi legis prohibentis; adeoque exercet actionem illicitam, vel etiam invalidam, quando scilicet memorata lex non solum prohibens, sed & irritans est. Exemplum habes supra *numer.* 437. de illo, qui egreditur in locum, ubi Trident. non est receptum, eo præcise animo, ut ibi matrimonium clandestine contrahat, & postea in pariam revertatur: talis enim agit in fraudem legis, sive constitutionis, ab Urbano VIII. editæ, ejusmodi egressum vetantis, imo & matrimonium, præfato modo contractum, annullantis.

DIS-

DISPUTATIO III.

De modis, quibus Leges respective cessare possunt, vel non possunt.

HActenus vigorem Legis inspeximus, nunc modos, quibus cessare, aut temperari valeat, inquirimus. Potest autem cessare dupliciter. 1. universaliter respectu omnium, ita ut neminem amplius liget. 2. particulariter respectu alicujus personæ, vel certi status hominum. Universaliter cessat, quando abrogatur, aut cessat ex toto ratio, propter quam condita est. Particulariter cessat per dispensationem, per privilegium, & (improprie tamen) per interpretationem, ac epikejam.

CAPUT I.

De cessatione Legis per cessationem causæ finalis.

SUMMARIUM.

441. *Finis legis alius est* intrinsecus, *alius* extrinsecus. 442. *&* 443. *Uterque cessare potest vel* positive, *vel* negative: *item vel* adæquate, *vel* inadæquate. 444. *Quando finis intrinsecus & extrinsecus in lege conjuncti sunt, non cessat lex, etiamsi cesset finis extrinsecus.* 445. *Si finis adæquatus legis cesset universaliter sive negative, sive positive, etiam cessat lex.* 446. *Quando finis legis, præsumptione periculi nixæ, in casu particulari cessat solum negative, non cessat obligatio legis; secus, si ille cesset positive.* 447. *Quando lex nititur præsumptione facti, hoc deficiente sive negative, sive positive in casu, & persona particulari, cessat quoque lex in tali casu, & persona.* 448. *&* 449. *Proponuntur, & solvuntur duæ objectiones.*

441. PRænotandum primo, duplicem finem in lege attendi posse, unum *intrinsecum*, & alterum *extrinsecum*. Intrinsecus est honestas ipsius materiæ præceptæ: extrinsecus est honestas a Legislatore intenta, & distincta ab honestate materiæ præceptæ. Sic cum lex præcipit eleemosynam, Legislatore intendente, ut subditi satisfaciant pro peccatis, finis legis intrinsecus est honestas, quæ reperitur in largitione eleemosynæ; & extrinsecus, quæ reperitur in satisfactione pro peccatis. Hæc posterior honestas a priori, ut vides, est distincta, ac separabilis; & consequenter finis extrinsecus ab intrinseco; atque vicissim. Hinc fit, ut aliquando conjungantur, aliquando non. Conjunguntur, quando materia legis de se honesta, ac expetibilis est, & expresse constat, Legislatorem etiam præcipere honestatem extrinsecam. Quando autem hoc non constat, vel materia legis de se est indifferens, non conjunguntur.

442. Prænotandum secundo, finem legis posse cessare vel *contrarie*, & *positive*; vel *negative* tantum. Contrarie cessare dicitur, quando redditur illicitus, aut impossibilis, v. g. lex præcipit jejonium corporis macerandi causa; si tamen mulier gravida per illam macerationem exponeret fœtum periculo mortis, finis legis cessaret contrarie: uti &, si lex præcipeter contributionem propter ædificationem pontis, & pons propter difficultatem subortam non posset ædificari: quia in priori casu maceratio illicita; & in posteriori ædificatio pontis impossibilis esset. Negative tantum finis legis cessare dicitur, dum, esto sit licitus, atque possibilis, tamen ad bonum commune, nec utilis amplius, nec necessarius est.

443. Prænotandum tertio, finem legis posse cessare *adæquate*, vel *inadæquate*: idque vel ex parte motivi, vel ex parte subjecti. Ex parte motivi cessat adæquate, quando cessat tota ratio, ob quam lex condita est; & inadæquate, quando cessat ratio partialis. Ex parte subjecti finis legis cessat adæquate, quando ratio cessat pro tota Communitate; & inadæquate, quando cessat ratio pro una, vel altera Communitatis parte in particulari.

444. Prænotandum quarto, quando finis intrinsecus, & extrinsecus in lege conjuncti sunt, non cessare legem, etiamsi cesset finis extrinsecus. Suarez *de leg. lib. 6. cap. 9. numer. 9.* Ratio est: quia alias homines, qui carnem suam habent debite subjectam spiritui, non tenerentur v. g. ad jejunium; cum in illis cesset finis extrinsecus talis legis, videlicet motivum se macerandi in carne: quod tamen nemo dixerit. Unde adhuc obligantur jejunare ob finem intrinsecum jejunii, id est, ob honestatem temperantiæ: quia legis existentia essentialiter pendet a fine intrinseco legis, sic, ut, eo stante, stet; eo cessante, cesset lex. His præmissis

445. Dico primo. Quando finis legis adæquatus universaliter cessat sive negative, sive contrarie, cessat etiam lex, ejusque obligatio. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 4. Suarez, Mastrius, Mezger, & alii communiter.

Probatur. Lex suapte natura ordinatur in bonum commune; ergo ubi materia, sub lege directe posita, perdit conducentiam, vel necessitatem relate ad bonum commune, nequit amplius esse directe ordinata (ordinatione rationabili) in bonum commune. Sed quando sive negative, sive contrarie cessat finis legis adæquatus, tam ex parte motivi, quam ex parte subjecti, materia, sub lege directe posita, perdit conducentiam, & necessitatem relate ad bonum commune, ut patet; ergo tunc lex, ejusque obligatio cessat.

Confirmatur tum ex communi Juris axiomate: quod cessante legis ratione cesset quoque ejus dispositio *l. in omni. ff. de adoption.* & alibi. Tum a paritate voti, quod similiter obligare desinit, quando causa ejus adæquata cessat. Ergo &c.

Colliges, legem tunc cessare, sive cesset causa finalis adæquata extrinseca, quando nimirum ea sola a Legislatore in ferenda lege præfigebatur (sic enim solum obtinet rationem finis adæquati) ut contingit, dum præcipitur materia de se indifferens; sive cesset causa finalis intrinseca, ob mutatas circumstantias: de utroque enim nostra ratio, & confirmatio concludunt. Videatur P. Mezger hic post *n. 5.*

446. Dico secundo. Si finis legis, præsumptione periculi nixæ, in casu particulari (1.) cesset negative solum, non cessat obligatio legis; secus (2.) si ille cesset contrarie. D. Thomas 2. 2. q. 134. *art.* 2. *&* 3. Suarez *lib. 6. de leg. cap. 9. n. 6.* Amicus, Aversa, Caspensis, Mastrius, Herincx, & alii satis communiter.

Probatur prima pars. Quando non tollitur ratio adæquata, nec inadæquata primaria legis, lex non desinit obligare; sed quando ratio legis non militat pro aliquo casu particulari tantum, non tollitur ratio adæquata, nec inadæquata primaria legis: ergo tunc lex non desinit obligare. Majorem credo ab Adversariis concessum iri. Min. prob. quia adhuc remanet finis inadæquatus, & quidem primarius legis, qui est directio Communitatis, uniformitas operandi in illa materia, præsumptio periculi &c. Unde si lex prohibeat gestationem armorum ad vitandas rixas, etiam Titius v. g. qui est homo plane pacificus, & in quo nec umbra pericoli rixarum, ea lege tenetur: quia, esto respectu ipsius periculum cesset, non tamen idcirco cessat periculum commune &c. prout recte advertit P. Krimer *de constitut. n.* 1088. & consequenter &c.

447. Dixi: *si finis legis, præsumptione periculi nixæ* &c. quando enim lex fundatur in præsumptione facti, hoc deficiente sive negative, sive contrarie in casu, & persona particulari, cessat quoque lex in tali casu, & persona: prout patet ex dictis *n.* 367.

Probatur secunda pars: quia ad illicitum, & impossibile non potest dari obligatio: sed quando finis legis cessat contrarie, & positive, objectum legis propter mutationem circumstantiarum fit illicitum, aut impossibile; ergo &c.

448. Obicies primo contra primam partem. Si conderetur lex obligans totum Episcopatum Augustanum, & finis legis Augustæ cessaret, etiam cessaret obligatio legis; ergo etiam si lex obliget omnes subditos, & ejus finis cesset in uno, in hoc cessabit obligatio.

Respondetur, dato antecedente, neg. cons. Ratio discriminis est, quod lex in priori casu esset virtualiter multiplex respiciens plures Communitates perfectas: unde si cessaret finis respectu hujus Communitatis, cessaret finis adæquatus illius legis, in quantum respiceret hanc Communitatem. At in casu posteriori lex nequit

dici

dici virtualiter multiplex: quia relate ad personam privatam non obtinet rationem legis, utpote quæ necessario Communitatem respicit: consequenter &c.

449. Objicies secundo. Si lex Superioris prohiberet Religiosis, ne e fenestra prospicerent in plateam ob Castitatem illibate custodiendam, qui tempore nocturno, seu in tenebris prospiceret, non delinqueret contra illam legem: quia in hoc casu particulari cessat finis legis; ergo idem ferendum est judicium in aliis similibus.

Respondetur, neg. suppositum antecedentis, quod illa lex prospectum in tenebris prohiberet; alioquin irrationabilis, & de re inutili foret. Solum ergo prospectum prohiberet, ubi hic secundum se periculo obnoxius esset, esto forte per accidens respectu unius, vel alterius Religiosi periculum cessaret: consequenter &c.

Atque hæc, quæ in isto Capite deducta sunt, verbatim reperiri possunt in *meis Thesibus pag.* 244. *& seqq.*

CAPUT II.

De cessatione Legis per abrogationem.

LEgis abrogatio fit vel a Principe, vel a contraria consuetudine modo infra explicando: idque dupliciter. 1. per aliam legem, qua inducatur obligatio ad actum contrarium, vel contradictorium. 2. sine alia lege præcise auferendo obligationem legis impositam. Nunc ut distincte procedamus, sit

ARTICULUS I.

De abrogatione Legis, quæ fit a Principe.

SUMMARIUM.

450. *Recensentur conditiones ad legis abrogationem exacta.* 451. *& seqq. Enumerantur legem abrogare potentes.* 453. *Episcopus potest abrogare constitutiones a se factas in Synodo diœcesana,* 454. *uti & Patriarchæ, Primates, ac Archiepiscopi leges pro propriis diœcesibus latas; non item illas, quas sanxere in Concilio Nationali, aut Provinciali, pro tota Natione, aut Provincia.*

450. PRænotandum, ad legis abrogationem exigi 1. *potestatem sufficientem:* solum nanque per legitimam potestatem leges abrogari possunt. 2. *justam causam:* sine hac quippe abrogatio erit quidem valida, attamen illicita: valida; quia legis obligatio tam in fieri, quam in conservari dependet a voluntate Legislatoris: illicita autem; quia sine rationabili causa legem Reipublicæ utilem abrogare, militat contra bonum publicum, ad cujus promotionem Princeps specialiter est obligatus. 3. *Publicationem*, seu *solemnem promulgationem abrogationis*, siquidem hæc fiat per impositionem novæ legis; secus, si fiat sine impositione novæ legis. Ratio est: quia solum ad legem de novo conditam (si hæc humana sit) requiritur solemnis promulgatio: atqui in priori casu conditur nova lex, & non in posteriori: ergo in priori casu requiritur solemnis promulgatio, & non in posteriori; in hoc enim satis est, quod voluntas Legislatoris abrogantis aliter manifestetur. Hoc præmisso, & supposito quæritur, quinam legem abrogare possint, & quando?

451. Dico igitur primo. Legem (subintellige positivam, & præcipue humanam) abrogare potest 1. ipse Legislator: *quia omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur c. 1. de Reg. J.* 2. *Ejus Successor:* quia parem cum Prædecessore jurisdictionem obtinet: 3. *Superior istorum:* quia habet jurisdictionem universaliorem. Et præter hos nemo alius, nisi forte ex delegatione, privilegio, aut consuetudine potestatem abrogandi acceperit.

453. Dico secundo. Episcopus abrogare potest constitutiones a se factas in Synodo diœcesana.

453. Probatur: quia Clerici, in tali Synodo congregati, ad condendam legem aliter non concurrunt, quam consultive, suggerendo nimirum salubria consilia, quibus auditis Episcopus in facienda constitutione prudentius, & cautius procedat; unde lex a solo Episcopo vim obligativam obtinet; & consequenter etiam per ipsum solum sine consensu Clericorum eam perdere, & abrogari potest.

Nec dicas. Episcopus non est superior sua Synodo; ergo &c. Ant. prob. quia est pars illius.

Contra enim est, neg. ant. Probatio disting. Est tantum pars illius, neg. est pars, & simul Legislator, con. Episcopus non est tantum pars, sicut alii in Synodo diœcesana congregati: quia ille simul potestate legislativa instructus est; non autem hi, quippe non habentes votum decisivum, sed consultivum duntaxat; prout colligitur ex eo, quod solus Episcopus factis constitutionibus subscribat, absque ulla mentione Clericorum: unde horum consensus quidem expostulatur, non tamen ex necessitate, quasi consentiendo statuenti legem aliquid contribuerent; sed ex utilitate, & convenientia, ut supra: consequenter &c.

454. Idem ob identitatem rationis tenendum est de Patriarchis, Primatibus, & Archi-Episcopis quoad abrogationem legum, quas pro propriis quisque diœcesibus tulerunt. Oppositum vero quoad abrogationem legum, quas in Concilio Nationali, aut Provinciali, pro tota Natione, vel Provincia sanxerunt, sicut enim in illarum latione, ita & in earundem abrogatione consensus Comprovincialium, & Coepiscoporum, utpote votum decisivum habentium, de necessitate requiritur, juxta *c. 7. caus. 9. q. 3.*

ARTICULUS II.

De abrogatione Legis, quæ fit per contrariam consuetudinem.

§. I.

Quid & quotuplex sit Consuetudo?

SUMMARIUM.

455. *Consuetudo accipi potest* materialiter *seu* causaliter, *&* formaliter. 456. *Alia dicitur consuetudo* juxta legem, *alia* præter legem, *& alia* contra legem. 457. *Asseritur, & explicatur definitio consuetudinis.* 458. *Differentia ejusdem a lege, & præscriptione.* 459. *Consuetudinis divisio.*

455. PRænotandum primo, consuetudinem dupliciter accipi posse. 1. *materialiter*, seu *causaliter* pro diuturno usu, & actibus longo tempore frequentatis a Communitate, vel majore ejusdem parte; & tunc dicitur *consuetudo facti*, de qua sermo est *can. 5. dist.* 1. ibi: *vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu.* 2. *formaliter* pro jure, quod ex diuturno uso, & continuatione hujusmodi actuum resultat; appellaturque *consuetudo juris*: & de hac potissimum in præsenti nobis agendum est.

456. Prænotandum secundo, aliam dici consuetudinem *juxta legem*, quæ est observantia, vel etiam interpretatio legis præexistentis; adeoque non inducit novum jus, sed legem prius latam actuali executione confirmat, & declarat: unde dum *c. 3. dist.* 4. dicitur: *Leges firmantur, cum moribus utentium comprobantur;* & *cap. 8. de consuet. Consuetudo est optima legum interpres*, de consuetudine *juxta legem* intelligitur. Ex quibus patet, hanc consuetudinem rectius vocari *observantiam*, vel *interpretationem* legis, quam consuetudinem; quia non constituit jus, seu legem non scriptam. Solet tamen ab Authoribus nuncupari *consuetudo facti*, quem loquendi usum nolim impugnare. Alia est consuetudo *præter legem*, quæ inducit novum jus in illa materia, de qua lex scripta nihil disponit: & hæc *can. 5. dist.* 1. describitur, quod sit *quodam jus moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Alia denique est consuetudo *contra legem*, per quam jus antea existens tollitur vel simpliciter, vel ex parte; aut etiam novum introducitur. Si consideretur sub priori ratione, seu in quantum præcise legem præexistentem tollit, vocatur *desuetudo*, aut jus duntaxat *permissivum*; si sub posteriori, *consuetudo*, seu jus *positivum*, & proprie dictum: veluti insinuat P. Pichler *ad Tit. de consuet. n.* 3.

His prænotatis, quæstio gemina, in §. proposita, resolvi debet relate ad *consuetudinem juris*, & in quantum hæc est genus, seu aliquid commune ad consuetudinem *præter*, & *contra legem:* nam de *consuetudine facti*, & *juxta legem* nullum amplius nobis negotium erit.

457. Di-

457. Dico igitur primo. Consuetudo, modo proxime dicto accepta, *est jus non scriptum, diuturnis populi moribus, & cum aliquo Legislatoris consensu introductum*. Hæc definitio est conformis definitioni, quæ habetur *l. 32. ff. de leg.* ubi consuetudo dicitur esse *jus non scriptum. tacitis utentium moribus introductum*; & traditus in terminis a P. Pichler *loc. cit. n. 5.*

Explicatur breviter quoad singulas particulas. Dicitur 1. *jus non scriptum*, haud quasi omne aliud jus in scripturam necessario redigatur, sed quia omne aliud jus legale Principis, aut Magistratus, potestatem legislativam habentis, expressa sanctione statuitur. Dicitur 2. *diuturnis moribus*, id est, actibus longo tempore frequentatis. Dicitur 3. *populi*, id est, Communitati perfectæ, vel majoris saltem partis, eam repræsentantis. Dicitur 4. *cum aliquo Legislatoris consensu*. Qualis autem hic consensus esse debeat, exponemus §. 3. ubi etiam ceteras conditiones, ad consuetudinem, modo definitam exactas, amplius declaratum ibimus.

458. Colliges, consuetudinem differre cum a *lege*, seu jure scripto, tum a præscriptione. A priore differt dupliciter, nimirum ratione consensus Legislatoris, qui debet esse expressus, dum conditur lex, non vero, dum introducitur consuetudo, velut infra dicemus: & ratione modi promulgandi, & introducendi; quia lex vim obligandi sortitur a voluntate Legislatoris, quin prærequirantur actus quidam subditorum, eamque ut actu exserat, & exerceat in subdito, necessario (si sit humana) promulgari debet voce Præconis, aliove modo solemni; consuetudo autem ad sui introductionem prærequirit actus frequentatos a populo, velut iterum infra dicemus, & usu, moribusque hominum invalescit, & actu obligat, quin specialiter promulgetur. A posteriore, seu præscriptione consuetudo differt multipliciter. Nam 1. consuetudo respicit Communitatem qua talem; præscriptio autem personas privatas, vel Communitatem, quatenus spectatur ut persona privata. 2. Ad consuetudinem requiritur consensus Superioris, cujus legi per illam derogatur; ad præscriptionem necessarius non est consensus ejus, contra quem præscribitur. 3. Præscriptio habet locum in rebus corporalibus, & incorporalibus; consuetudo autem tantum in incorporalibus, ut in jurisdictione, electione, servitutibus. 4. Præscriptio minuit dominium, aut jus alterius; non consuetudo. 5. Illa requirit bonam fidem; ista etiam mala fide induci potest &c.

459. Dico secundo. Quoniam consuetudo obtinet rationem legis, fere easdem patitur divisiones, quas ipsa lex. Præcipue autem dividitur 1. in *Canonicam*, quæ versatur circa materiam mere temporalem, & politicam. 2. in *generalissimam*, quæ viget apud omnes, vel saltem plerasque Nationes, cujusmodi est Jus Gentium: in *generalem*, seu *communem*, qua observatur in toto Imperio, Regno, Natione, vel Provincia; ut consuetudines feudales: in *specialem*, quæ obtinet in una civitate, oppido, pago: & in *specialissimam*, quæ recepta est in minima parte populi, e. g. in una Ecclesia, Monasterio, Collegio &c.

§. II.

An Consuetudo possit legem veterem abrogare, novamque inducere?

S U M M A R I U M.

460. *Consuetudo contra legem, debitis conditionibus affecta, potest abrogare legem humanam tam Ecclesiasticam, quam Civilem.* 461. & 462. *Proponuntur. & solvuntur objectiones.* 463. *Tam consuetudo contra, quam præter legem potest inducere novam legem.*

460. Dico primo. Consuetudo contra legem, si sit legitima, seu debitis conditionibus affecta, potest abrogare legem humanam tam (1.) Ecclesiasticam, quam (2.) Civilem. Ita Theologi, & Jurisperti communissime.

Probatur utraque pars simul ex *c. fin. de consuetud.* & *l. 32. ff. de leg.* ubi ea vis legitimæ consuetudini indefinite tribuitur.

Confirmatur: quia eadem est vis consuetudinis, quæ legis; ergo sicut lex posterior potest abrogare priorem, ita & consuetudo, si sit legitima, & aliunde nihil obstet, prout nihil obstat in abrogatione legis humanæ sive Ecclesiasticæ, sive Civilis.

Dixi *humanam*. Nam legem naturalem, aut Divinam abrogare consuetudo non potest. Non priorem; eo quod sit immutabilis, prout in *seq. cap.* videbimus: neque posteriorem; quia consuetudo est jus mere humanum, utpote introductum moribus populi, & consensu Principis; potestas autem humana prævalere nequit contra potestatem, & legem Divinam, utpote longe superiorem. Accedit, quod Deus jus consuetudinativum contra suam legem nunquam approbasse noscatur.

461. Objicies primo contra primam partem. In *c. 7. de consuetud.* dicitur, quod *non tam consuetudo, quam corruptela sit censenda, quæ sacris est canonibus inimica*; ergo nulla consuetudo tantarum est virium, ut valeat legem Ecclesiasticam abrogare; cum omnis consuetudo, SS. Canonibus inimica, reprobetur velut corruptela.

Respondetur, præcitatum, aliosque consimiles textus intelligendos esse de consuetudine debitis conditionibus destituta; prout clare exprimitur in *c. fin. cit.*

462. Objicies secundo. In *l. 2. C. quæ sit longa consuet.* diserte negatur consuetudini vis, qua *aut rationem vincat, aut legem*; ergo nec de Jure Civili potest prævalere contra legem Civilem, eamque abrogare.

Respondetur, etiam ad hanc legem reponi posse, quod proxime dictum, eam scilicet exaudiendam esse de consuetudine requisitis conditionibus carente. Deinde dici potest, quod illa nihil aliud velit, quam per consuetudinem particularem alicujus loci non tolli legem generalem, & pro omni loco: id quod verissimum esse ultro fatemur. Videatur *gl. ibidem*.

Ex dictis fluit, quod consuetudo contra legem humanam jam prius existentem, eandem tollat vel ex parte, v. g. quoad pœnam tantum, aut quoad obligationem in conscientia duntaxat, vel quoad utramque simul, & ex toto: quia id ratio conclusionis adducta evincit.

463. Dico secundo. Tam consuetudo (1.) contra, quam (2.) præter legem, potest inducere novam legem. Est itidem communissima DD.

463. Probatur iterum utraque pars simul tum ex dictis pro conclusione præcedenti; tum ex hac ratione: quia in consuetudine legitima reperiuntur omnia, quæ ad legem introducendam desiderantur, videlicet 1. materia honesta, possibilis, & bono communi utilis. 2. potestas introducendi, si accedat consensus Principis. 3. voluntas se obligandi. 4. manifestatio talis voluntatis, non quidem verbis, sed factis; aliæque conditiones, in §. jamjam statuendo explicandæ; ergo non apparet, cur consuetudini sit deneganda vis introducendi novam legem.

§. III.

Quasnam conditiones requirat Consuetudo, ut legitima sit, & legem præexistentem abrogare, novamque inducere possit?

S U M M A R I U M.

464. *Consuetudo tam contra, quam præter legem debet esse rationabilis.* 465. *Diluuntur argumentum, & instantia in contrarium.* 466. *Ad consuetudinem requiritur actuum, vel omissionum frequentia, & qualitas.* 467. *Temporis ad consuetudinem exacti longitudo relinquitur arbitrio prudentis Judicis; modo illud sit continuum, & non interruptum.* 468. *& seq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 470. *Ad introducendam consuetudinem requiritur consensus Legislatoris, non tamen alius, quam legalis, & juridicus.* 471. *Satisfit argumento contrario.*

CONditiones, ad legitimam consuetudinem exactæ, aliæ sunt *generales*, aliæ *speciales*. Generales sunt, quas exigit, in quantum consideratur præcise in ratione legis, & quasi generice; ut quod debeat esse rationabilis, communitati utilis, profecta ab eo, qui curam Communitatis habet, seu a Legislatore &c. Speciales sunt, quas exigit, in quantum spectatur in ratione juris, seu legis non scriptæ, adeoque quasi specifice; cujusmodi sunt actuum, vel omissionum frequentia, & qualitas: temporis, quo ejusmodi actus, vel omissiones a populo fiant, quantitas, & continuatio. De utriusque generis conditionibus hic agendum est, ita tamen, ut ex generalibus illas duntaxat commemoremus,

& dis-

& discutiamus, quæ difficultatem, supra *n.* 203. non tactam, præseferunt.

464. Dico jam primo. Tam consuetudo contra, quam præter legem necessario debet esse rationabilis. Est communissima DD.

Probatur: quia consuetudo utraque vim legis a potestate legislativa accipit; prout insinuatum §. *præced.* & explicatius dicetur infra; ergo sicut potestas legislativa ad actum ferendi leges prudens, & rationabile judicium supponit, ita & consuetudo &c. Id quod clare habetur *cap. fin. de consuet.* & *l.* 1. *C. quæ sit longa consuet.* Unde nihil roboris, adeoque nec vim legis obtinet consuetudo adversa rectæ rationi, legi naturali, Divinæ, vel humanæ (qua scilicet specialiter reprobata sit) bonis moribus &c.

465. Objicies. Quod est contra aliquid rationabile, id nequit esse rationabile, cum sic rationi repugnet: sed consuetudo contra legem est contra aliquid rationabile, cum omnis lex necessario sit rationabilis; ergo consuetudo contra legem nequit esse rationabilis.

Respondetur primo indirecte per retorsionem: nam etiam lex posterior contraria priori, eamque abrogans, est contra aliquid rationabile; ergo nec ipsa posset esse aliquid rationabile, & consequenter nec habere rationem legis.

Respondetur secundo directe, dist. maj. Quod est contra aliquid rationabile tam *in facto esse*, quam *in fieri*, id nequit esse rationabile, con. quod solum est contra aliquid rationabile *in fieri*, non item *in facto esse*, neg. maj. Sed consuetudo contra legem est contra aliquid rationabile *in fieri*, con. *in facto esse*, neg. min. & cons. vel dist. cons. Nequit esse rationabilis *in fieri*, con. *in facto esse*, neg. cons. *In fieri* consuetudo hujusmodi nequit esse rationabilis hoc ipso, quod militer contra aliquid rationabile, seu introducatur contra legem, & per actus illi contrarios, qui cum scienter, & voluntarie exerceantur, non possunt non esse irrationabiles, & peccaminosi, quamdiu lex durat. At lege post frequentatos a populo actus contrarios per consensum Legislatoris sublata, consuetudo incipit esse rationabilis, & sortitur rationem regulæ actuum humanorum directivæ. Sed contra hoc

Instabis. Ex actibus formaliter malis non potest consurgere consuetudo, quæ sit rationabilis, & legitima regula actuum humanorum; ergo &c.

Confirmatur. Consuetudo debet esse *legitime præscripta*, per *c. fin. cit.* ergo debet introduci cum bona fide, qualem omnis præscriptio exigit: atqui bona fides non potest consistere cum actibus formaliter malis; ergo &c.

Respondetur ad instantiam dist. ant. Si illi actus sint causa consuetudinis, trans. si sint tantum conditio, qua posita Legislator in legis præexistentis abrogationem consentit, ipsamque consuetudinem jubet pro lege suscipi, neg. ant. Consuetudo vim abrogandi legem præexistentem, & introducendi novam, habet ex consensu Legislatoris tanquam a causa adæquata, quatenus ille post frequentationem actuum legi contrariorum, debito tempore continuatam (quæ continuatio non est nisi prævia conditio &c.) consentit in legis præexistentis abrogationem, vultque consuetudinem, requisitis conditionibus instructam, vim legis obtinere.

Ad confirmat. ajo, consuetudinem debere quidem esse juxta *cit. c. fin. legitime præscriptam*, at non præscriptione proprie dicta, quæ exigit bonam fidem, & alias plures conditiones, a conditionibus ad consuetudinem exactis, diversas, & recensitas supra *n.* 458. sed hoc præcipue sensu, quod debeat habere, seu præsupponere actus diuturno tempore a majori parte Communitatis, & sine interruptione frequentatos: quæ etiam requiruntur ad præscriptionem. Pichler *loc. n.* 8.

466. Dico secundo. Ad consuetudinem introducendam requiritur actuum, vel omissionum frequentia, eorumque qualitas. DD. communiter.

Probatur, & explicatur conclusio. Et quidem de *frequentia* patet ex *l.* 1. *C. quæ sit longa consuet.* & *c.* 5. *dist.* 1. ibi: *vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu*: id quod intelligendum de consuetudine *materialiter*, seu *causaliter* accepta, id est, pro diuturno usu, & actibus, quibus consuetudo formaliter talis intro[d]ucitur, a Communitate longo tempore frequentatis; veluti advertimus supra *n.* 455. Confirmatur: quia unus, duo, tres actus non probant communem usum; ergo debent esse plures, & frequentati. Quot autem requirantur, arbitrio Judicis relinquitur: quia Jura nihil certi statuerunt, imo nec statuere potuerunt; eo quod pro diversitate materiæ, & circumstantiarum exigantur plures, vel pauciores actus adhoc, ut conjiciatur firmus populi consensus. Porro *qualitates* actuum sunt sequentes. 1. Actus debent esse *publici*: nam Jus consuetudinarium, cum alia promulgatione non indigeat, per actus notorios publicæ, & communis regulæ, actualiter obligantis, rationem sortiri debet. Sufficit tamen, quod sint notorietate facti, nec opus, ut sint notorii notorietate Juris, id est, publicari in judicio contradictorio per sententiam Judicis; cum talis necessitas ex nullo Jure ostendi possit. 2. *liberi*: quia communem, & tacitum populi consensum indicant. Quo fit, ut non introducatur consuetudo per actus factos ex ignorantia, vel errore versante circa ea, quæ ad illius substantiam pertinent; uti nec per actus vi, vel gravi metu extortos. Unde si populus per multos annos observaret aliquod festum, vel jejunium, per errorem judicans illud esse sub præcepto, non induceret consuetudinem Juris, & obligatoriam; nec abrogatoriam legis, si per multos annos ignarus legis eam materialiter transgrederetur. Nec refert, quod metus, ut ut gravis, non tollat voluntarium, & liberum simpliciter: quia cum hoc stat, quod tollat intentionem introducendi consuetudinem, quæ sit abrogatoria legis antiquæ, & inductoria novæ: qualis tamen intentio ad ejusmodi effectum necessario requiritur; prout mox infra dicemus. 3. *uniformes*, & *non interrupti*: quia firmum, & stabilem populi consensum significare debent. 4. *exerciti a Communitate tota, vel saltem majore illius parte*: quia consuetudo introduci debet tacito consensu populi; in id autem consentire censetur universus populus, quod exercetur a majore ejusdem parte, *argum. cap.* 1. *de iis, quæ fiunt a majori parte Capituli*. 5. *frequentati animo abrogandi legem veterem*, si sit consuetudo contra legem, *aut simul inducendi novam*; vel *istam inducendi tantum*, si sit consuetudo præter legem: quia *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum c. fin. de præbend.* & *l.* 19. *ff. de reb. cred.* Unde multi actus publice frequentantur, qui nullam legis necessitatem inducunt (& idcirco vocantur actus *meræ facultatis*) quia a populo absque animo se obligandi, & ex mera devotione peraguntur: ut salutatio Angelica ad ternum campanæ pulsum, sumptio SS. cinerum ad initium Quadragesimæ, aspersio aquæ benedictæ ad ingressum templi &c.

467. Dico tertio. Temporis, ad consuetudinem requisiti, longitudo relinquitur arbitrio prudentis Judicis; modo illud sit continuum, & non interruptum. Ita post Menochium, Lauterbachium, & alios P. Pichler *cit. n.* 10.

Probatur: quia Jus nullibi determinat certum tempus; veluti patebit infra in solutione objectionis. 2. sed cum Jus nullum tempus certum determinat, innuit determinationem temporis esse in potestate, & arbitrio Judicis *l.* 1. *C. quæ sit longa consuet.* ergo &c. Quapropter Judex metietur ex circumstantiis, an consuetudo duret tanto tempore, ut ex ejus lapsu rationabiliter possit præsumi sufficiens populi consensus in consuetudinem.

Disi: *modo illud sit continuum &c.* quando enim Jus præscribit aliquod tempus, solet, & censetur præscribere continuum, ut patet in tempore Præscriptionis, in anno Novitiatus ante Professionem Religiosam &c. Ratio quoque suffragatur: quia alias actus, a populo exerciti, non significarent firmum illius consensum, ut supra *n.* 466. notavimus; adeoque non sufficerent ad introducendam consuetudinem, cum hujus introductioni prædictus consensus necessario præsupponatur.

468. Objicies primo. Consuetudo legalis debet esse legitime præscripta *c. fin. cit.* ergo requirit tempus determinatum, sicut præscriptio.

Respondetur ex dictis supra *n.* 465. ant. non esse verum de præscriptione proprie dicta, sed solum tenere hoc sensu, quod ad consuetudinem requiratur tempus continuum, sicut ad præscriptionem. Unde neg. cons.

469. Objicies secundo. Jura ad introductionem consuetudinis requirunt longum tempus: sed eadem Jura continuatum decennium reputant longum tempus *leg. ult. Cod. de præscription.* §. 1. *institut. de usu*

cap.

cap. ergo illud ad consuetudinem requiritur: consequenter &c.

Respondetur, concessa majore, explicando, & dist. min. Jura decennium reputant longum tempus etiam, con. tantum, neg. min. Ergo illud ad consuetudinem requiritur, ac etiam semper sufficit, neg. requiritur, sed non semper sufficit, con. hanc, & neg. alteram cons. Hoc ipso, quod Jura ad consuetudinem requirant longum tempus, censentur exigere saltem decennium, cum tempus decennio inferius non reputent longum; ex quo tamen male infertur illud semper, & pro omni consuetudine esse sufficiens: partim quia a Juribus non determinatur tanquam sufficiens ad omnem consuetudinem; partim quia ratio dictat, plus temporis requiri ad consuetudinem in rebus magni momenti, vel præjudicii, quam in levioribus. Ita Pichler *cit.*

Dico quarto. Ad introducendam consuetudinem requiritur quidem (1.) consensus Legislatoris, non tamen (2.) alius, nisi generalis, seu legalis, & juridicus. Prima pars est communissima. Alteram cum permultis aliis tradit P. Pichler *loc. cit. n.* 11. contra alios, quorum fundamentum infra refellemus.

Probatur prima pars: quia nemo potest statuere legem (vel statutum abrogare) nisi sit instructus potestate legislativa; ergo ad inducendam consuetudinem, quæ habeat vim legis, requiritur consensus Legislatoris; nam populus (nisi sit Communitas Democratica) non est præditus potestate legislativa, cum hanc transtulerit in Principem, vel Magistratum, adeoque authoritatem legalem tribuere consuetudini nequit: consequenter eandem tribuat Legislatoris consensus, necesse est.

Antequam probetur altera pars conclusionis, notandum est, consensum Legislatoris alium esse *personalem*, alium *legalem*. Consensus personalis, sive specialis est, quo Legislator actus, & mores populi immediate, per se, & personaliter approbat, vel expresse, vel saltem tacite, dum populi actibus, quos tamen scit, non contradicit, licet posset. Legalis, sive generalis, & juridicus est, qui habetur per leges, & canones, generaliter omnem consuetudinem approbantes, quæ debitis conditionibus est affecta, *c. fin. de consuet.* & *l.* 32. *ff. de leg.* nam & ipsa generalis approbatio consuetudinis, in Jure scripto contenta, originaliter est a Legislatore competente.

Probatur nunc secunda pars conclusionis: quia quilibet Legislator potest sua lege statuere, ut, quoties populus aliquam consuetudinem per sufficiens temporis spatium continuaverit, ea suscipiatur pro lege; prout & factum esse noscitur utroque Jure: Canonico quidem *c. fin. de consuet.* Civili autem *l.* 32. *ff. de leg.*

Confirmatur. Neque Jura proxime allegata, neque alia faciunt aliquam mentionem de consensu personali Legislatoris, neque ejus necessitatem persuadet ratio, veluti patebit ex solutione argumenti Adversariorum; ergo &c.

471. Objicies. Jura damnant, & rejiciunt aliquas consuetudines; ergo Legislator scire debet, quæ, & qualis sit consuetudo a populo introducta, antequam ei vim legis indat: sed si scire debet, aliter vim legis indere nequit, quam mediante consensu personali vel expresso, vel saltem tacito; ergo &c.

Respondetur primo, dist. ant. Jura damnant aliquas consuetudines requisitis conditionibus destitutas, con. requisitis conditionibus instructas, neg. ant. & cons. Postquam enim Jura generalibus statutis approbavere omnes consuetudines, debitis conditionibus affectas, non est necesse, ut Legislator illas denuo approbet in particulari, seu consensu personali, & speciali; adeoque nec ut sciat &c.

Respondetur secundo, dissimulato antecedente, dist. reliqua, quæ subjunguntur; sunt enim vera loquendo de consuetudine, quæ introducitur *per viam conniventiæ*; falsa vero loquendo de consuetudine, quæ introducitur *per viam præscriptionis*, vel *quasi præscriptionis*. Introducitur autem consuetudo *per viam conniventiæ*, si Legislator populi mores, quibus consuetudo perficitur, scit, & dissimulat, atque ita legem, contra quam actus a populo frequentati militant, tacite revocat. Et de hac consuetudine nobis hic sermo non est: neque dici potest consuetudo proprie talis; ut patet vel inde statim, quod ad eam introducendam non requiratur longum tempus, quale tamen Jura requirunt ad introductionem consuetudinis proprie dictæ; nam si Legislator infra longum tempus, v. g. infra decennium sciat transgressiones legis frequentes, & taceat; desinit lex ante completum decennium, non quidem vi consuetudinis, sed vi consensus personalis Legislatoris, legem tacite revocantis. Consuetudo *per viam præscriptionis*; vel potius *quasi præscriptionis* (quod addo: quia etiam hæc consuetudo non est *præscriptiva præscriptione proprie dicta*; prout relinquitur ex dictis supra) introducitur, quando mores, & actus subditorum, a Legislatore ignorati, debito modo, & tempore continuantur. Atque de ista consuetudine nobis hucusque sermo erat, & est in præsenti, diciturque consuetudo *præscriptiva*, ad cujus introductionem non requiritur scientia, & consensus personalis, sed potius ignorantia Legislatoris; prout hucusque contendimus, & evincere conati sumus.

CAPUT III.

De cessatione Legis per dispensationem.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Dispensatio?

SUMMARIUM.

472. *Affertur, & explicatur definitio dispensationis.* 473. *Dispensationis differentia ab aliis.* 474. *Dispensationis divisio.* 475. *Ad tacitam dispensationem non sufficit voluntas Legislatoris mere præsumpta.* 476. *Superior censetur tacite dispensare, quando videt subditum aliquid agere lege prohibitum, & non contradicit, licet facile possit.*

472. Dico primo. Dispensatio est *relaxatio legis pro aliqua, vel pluribus personis, aut casibus, facta ab habente legitimam potestatem, manente vigore legis ex parte materiæ.* Ita in terminis P. Paulus Mezger *tr.* 8. *disp.* 34. *art.* 4. *n.* 1. & alii reipsa communiter: quidquid sine solido fundamento reclamet P. Babenstuber *loc.* infra citando *n.* 5.

Explicatur. Dicitur 1. *relaxatio legis:* quia per dispensationem respectu dispensati, vel dispensatorum remittitur vinculum, seu obligatio legis; secus, per permissionem, seu si Legislator tantummodo aliquid permittat, aut conniveat dissimulando executionem pœnæ; nam sic permissus adhuc peccat, si contra legem agat; non item dispensatus. Dicitur 2. *pro aliqua, vel pluribus personis, aut casibus:* quia si obligatio legis remitteretur pro omni casu, & persona, non esset dispensatio, sed abrogatio legis. Dicitur 3. *ab habente legitimam potestatem*, quia dispensatio est actus jurisdictionis in dispensante residentis. Dicitur 4. *manente vigore legis ex parte materiæ:* hoc quippe sublato, & mutata materia, legis obligatio non amplius ad illum casum extenditur, vel per epickejam se non extendere declaratur: ubi proinde dispensatio (proprie dicta, & qualem hic definivimus) non amplius necessaria est, imo neque possibilis.

473. Colliges, dispensationem differre 1. *ab abrogatione:* quia hæc est ablatio, seu cassatio legis; idque vel ex toto, & dicitur abrogatio totalis, aut rectius abrogatio simpliciter; vel ex parte, & dicitur abrogatio partialis, aut rectius derogatio: dispensatio autem est solum legis relaxatio, per quam proinde vinculum, seu obligatio legis in actu primo non tollitur, sed tantum in actu secundo respectu dispensati. Differt dispensatio 2. *ab absolutione a peccatis, & censuris*; item *ab indulgentia Ecclesiastica*: quia absolutio, & indulgentia non sunt contra, sed secundum jus; adeoque nullum jus per illas relaxatur, esto relaxetur aliquod vinculum, puta peccatorum, & censurarum, vel pœnarum, alias in altera vita luendarum. Alia adhuc differentia dispensationis ab absolutione afferetur infra *n.* 496.

474. Dico secundo. Dispensatio præcipue dividitur in *totalem*, & *partialem*: in *expressam*, & *tacitam*.

Explicatur. Dispensatio totalis est, quando relaxatur tota legis obligatio, videlicet tam quoad culpam, quam quoad pœnam, Partialis est, quando legis obligatio relaxatur solum ex parte, puta quoad pœnam, & non quoad culpam, vel vicissim quoad culpam, & non quoad pœnam.

nam; Expressa est, quæ exhibetur signis evidentibus; cujusmodi sunt verba voluntatem dispensantis sufficienter manifestantia. Tacita est, quæ colligitur ex signis obscurioribus, seu voluntatem dispensantis non ita clare significantibus; qualia sunt certæ actiones, quas dispensandi potestate præditus exercet. Hujus dispensationis posterioris, seu tacitæ exemplum est, si Superior potestatem dispensandi super irregularitate habens, subditum, quem scit irregularem esse, compellat ad suscipiendos SS. Ordines; tunc enim, quia præsumendus non est velle, ut subditus suscipiendo Ordines peccet, merito censetur eum ipso super irregularitate tacite dispensare. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 4. *n.* 2. Palao, Laymano, & alii.

475. Quæres primo, an ad tacitam dispensationem sufficiat voluntas præsumpta, vel ratihabitio Superioris de futuro?

Respondetur negative. Mezger *loc. cit. n.* 4. Babenstuber *n.* 8. & alii communiter. Ratio est: quia voluntas Superioris per dispensationem a lege quenquam eximentis est præsens, seu antecedens actum, & non solum talis quæ erit, vel esset, cujusmodi est voluntas præsumpta; quæ proinde ad tacitam dispensationem tam parum sufficere potest, quam parum jurisdictio præsumpta ad absolvendum a peccatis.

Nec dicas. Ne Religiosus peccet contra votum paupertatis in usu rei temporalis, sufficit voluntas, seu licentia Superioris præsumpta, prout suo loco videbimus; ergo etiam, ut quis per tacitam dispensationem eximatur a lege sufficiet voluntas præsumpta Legislatoris.

Contra enim est, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia ne subditus peccet contra votum paupertatis non requiritur, ut subditus habeat specialem potestatem ad agendum, sed satis est, quod censeatur agere Superiore non invito, adeoque nomine alieno, non proprio: id quod etiam salvatur per respectum, & subordinationem ad voluntatem Superioris præsumptam. At vero in dispensando, absolvendo, aliove consimili actu requiritur specialis potestas ad agendum, qualis est sola jurisdictio de præsenti, quæ non habetur per hoc, quod Superior eam daret, si peteretur, sed quod eam hic, & nunc, seu actu det. Sed de hoc iterum *part.* 3. *tract.* 3. *disp.* 2.

476. Quæres secundo, an tacite dispensare censeatur Superior, quando videt, subditum aliquid agere, quod lege vetitum est, & non contradicit, cum facile posset.

Respondetur affirmative. Suarez *lib.* 6. *de leg. cap.* 13. *n.* 21. Palao *disp.* 6. *pun.* 12. *n.* 3. Babenstuber *loc. cit. n.* 9. Ratio est: tum quia juxta *regulam* 43. *in* 6. *qui tacet, consentire videtur*, si scilicet ex officio teneatur contradicere, & non contradicat: tum quia Superiori incumbit, quando commode, & fructuose potest, impedire peccatum subditi: quod tamen in præsenti non facit, nisi dispensando; ergo &c.

ARTICULUS II.

In qua lege fieri dispensatio possit, & a quo?

§. I.

An dispensatio possit in lege Naturali?

SUMMARIUM.

477. *Neque a Deo, neque ab alio quocunque proprie, & directe dispensari potest in lege naturali præceptiva, vel prohibitiva.* 478. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 481. *Quando materia Juris naturalis pendeat a certa conditione, quæ auferri possit, & sic mutata materia Jus naturale mutari?*

477. Dico: Neque a Deo, neque ab alio, vices ipsius gerente, proprie, formaliter, & directe dispensari potest in lege naturali præceptiva, vel prohibitiva. Ita DD. communiter.

Probatur; nam ea, quæ lege naturali præcepta sunt, habent conformitatem; & quæ prohibita, difformitatem necessariam cum recta ratione; ergo in illis circumstantiis, in quibus sunt sub lege naturali, id, quod præceptum est, nequit fieri non præceptum; & quod prohibitum, fieri non prohibitum: atqui hoc evenire deberet, si cadere sub propriam dispensationem possent: consequenter &c.

Dixi in conclus. *proprie, formaliter, & directe*: siquidem indirecte potest tam Deus, quam homo in quibusdam præceptis naturalibus dispensare. Certum quippe est, præceptum naturale, mutata materia, non obligare, haud quidem quasi illud, vel illius obligatio immutetur, sed quia non invenit objectum, circa quod suam obligationem exerceat: atqui potest tam Deus, quam homo aliquorum præceptorum naturalium materias mutare: ut patet, si Deus, tanquam absolutus vitæ, mortisque Dominus, expressa revelatione, & præcepto potestate homini tradat seipsum occidendi; & si creditor faciat donationem mutui, in utroque casu mutatur materia; fitque in priore licita sui ipsius occisio, & in posteriore cessat naturalis obligatio mutuum restituendi. Ad hoc ipsum tamen requiritur (& jam insinuatum est) ut materiæ, & objecti mutatio potestati Divinæ, vel humanæ subsit: Unde nec Deus, etiam indirecte, dispensare potest in illis præceptis naturalibus, quorum materia ab eo immutari nequit, exinde, quod habeat absolutam repugnantiam cum perfectionibus Divinis: cujusmodi sunt præcepta non mentiendi, non blasphemandi &c. Nec homo potest dispensare in omnibus iis, in quibus potest Deus; cum multarum materiarum mutatio subsit potestati Divinæ, quæ non subest humanæ.

Dixi 2. *in lege naturali præceptiva, vel prohibitiva*: certum quippe est, etiam ab hominibus mutari posse pro circumstantiis occurrentibus ea, quæ sunt de lege, seu jure naturali permissivo tantum: sic enim licet per jus naturæ omnia sint communia, jure gentium introducta est rerum divisio: item licet homo sit a natura liber, libertas tamen hæc captivis in bello auferri potest &c.

478. Objicies nunc contra conclusionem primo. Constat Deum dispensasse in lege naturali, nimirum in præcepto non occidendi cum Abraham *Genes.* 82. non fornicandi cum Osea *Os.* 2. non furandi, dum Israelitis permisit spoliationem Ægypti *Exod.* 12. ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Constat Deum dispensasse in lege naturali improprie, materialiter, & indirecte, con. proprie, formaliter, & directe, neg. ant. & cons. In allatis exemplis Deus solum dispensavit immutando materiam, seu ponendo conditionem, qua posita nunquam jus naturale negavit occisionem, commixtionem corporum, aut spoliationem: quod est dispensare improprie tantum, materialiter, & indirecte, non autem proprie, formaliter, & directe: Quæ responsio etiam applicanda est ad authoritatem Scoti, si opponatur.

479. Objicies secundo. Legislator dispensare potest proprie, formaliter, & directe in lege sua: atqui lex naturalis est lex Dei, & ab ipso sancita; ergo &c.

Respondetur, majorem solummodo veram esse relate ad legem positivam; non item relate ad legem naturalem. Ratio, & disparitas est: quia lex positiva vim obligandi obtinet a sola voluntate Legislatoris, quam proinde relaxare potest: at lex naturalis ex parte objecti fundamentalem aliquam obligationem supponit; quæ cum sit objecto essentialis, a Deo destrui non potest; cum & ipse nequeat rerum essentias immutare.

480. Objicies tertio. Pontifex dispensat in votis, & juramentis, in matrimonio rato, & similibus pluribus, quorum obligatio ex jure naturæ oritur; ergo &c.

Respondetur, Pontificem dispensando in voto (idem est de juramento) relaxare promissionem Deo factam, quo peracto obligatio voti per seipsam corruit; nam votum non obligat absolute, sed conditionate, si nimirum, & quandiu Superior voventem voluerit esse obligatum. Hoc autem non est proprie, formaliter, & directe dispensare in voto, & obligatione naturali ipsius; sed solum improprie, materialiter, & indirecte prout liquet ex responsione reddita ad objectionem primam. Idem dicendum de dispensatione in matrimonio rato, & hujusmodi.

Atque ita habent per omnia meæ Theses *pagin.* 265. *& seqq.*

481. Colliges, jus naturale *absolutum*, seu a conditione, quæ poni, vel auferri possit, independens, sub nullam prorsus dispensationem cadere posse; jus vero naturale *conditionatum*, sive a simili conditione dependens cadere posse sub dispensationem improprie, ma-

terialiter, & indirecte talem: id quod satis constat ex hucusque dictis. Si petas, quandonam jus naturale sit prædicto modo conditionatum, seu dependens a conditione, quæ poni, vel auferri possit, & qua posita, vel ablata mutetur illius materia, ut, hac mutata, jus ipsum dispensationem indirectam subeat? Respondeo, tunc maxime, quando materia dependet a dominio, & potestate Dei, vel hominis. A supremo Dei dominio pendet vita, & res hominum; atque ideo potest dare licentiam & illam, & istas etiam innocentibus auferendi; ac proin jus naturale tantum obligat sub hac conditione, *nisi Deus dederit licentiam*: si itaque det licentiam, jus naturale non obligat, imo, posita hac conditione, nunquam obligavit, & sic nunquam extitit. In dominio autem, & potestate Dei non est permittere idololatriam, blasphemiam, mendacium &c. & ideo materia horum actuum nunquam potest ullis circumstantiis, & conditionibus ita vestiri, ut fiat objective bona, vel saltem non mala; consequenter jus naturale istos actus, utpote essentialiter, & semper malos, prohibens mutari, aut dispensari nequit. A potestate hominis pendent conversationes, pacta, contractus, res fortunæ &c. quamvis enim conventionum obligatio sit juris naturalis, & istud prohibeat retinere rem alienam, possunt nihilominus homines mutare materiam talis juris, vel remittendo obligationem, vel nunquam obligare incipiendo. Sic Magistratus humanus facere potest, ut minor non obligetur contractu; ut contractus matrimonialis clandestinus nullam pariat obligationem; ut bona fide possidens rem alienam, post certum tempus evadat illius dominus; imo & privati homines possunt remittere debitum, injuriam &c. atque sic auferre obligationem naturalem, tollendo nempe ejus materiam, dum cedunt jure suo. Hanc regulam, & subjuncta exempla quasi in terminis tradit P. Pichler. *in Prolegom. n.* 13.

§. II.

An, & a quo possit dispensari in lege Divina?

S U M M A R I U M.

482. *In lege Divina dispensare potest Deus, & præter ipsum nemo alius.* 483. *&* 484. *Proponuntur, & solvuntur objectiones.*

482. Dico In lege Divina dispensare potest (1.) Legislator, nempe Deus, & præter Ipsum (2.) nemo alius. DD. communissime.

Probatur prima pars: quia obligatio legis Divinæ dependet a sola voluntate Divini Legislatoris, sive Dei; ergo sicut ex ejus voluntate vim obligativam obtinet respectu omnium, ita etiam respectu alicujus, vel aliquorum eandem amittere, vel potius in actu secundo non exercere poterit, accedente dispensationis beneficio; siquidem per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur. Neque hic aliqua implicantia ex parte legis intervenit; sicut intervenit ex parte legis naturalis secundum dicta §. *preced. n.* 479.

Probatur secunda pars inductione. Nam ea potestas dispensandi non competit (1.) Regibus, & aliis secularibus; cum potestas, istis concessa, sit mere temporalis: neque (2.) Prælatis Ecclesiasticis Pontifice inferioribus; quia ejusmodi potestatis usus debet esse rarissimus; unde si penes aliquem esset, esset penes S. Pontificem, & non penes alios: at neque (3.) est penes S. Pontificem. Ratio hujus tertii membri est: quia nulla censetur Pontifici concessa potestas, quæ cedat, vel cedere possit in destructionem Ecclesiæ: sed potestas disponendi in lege Divina, si resideret in S. Pontifice, cederet, vel cedere posset in destructionem Ecclesiæ; cum enim in lege Evangelica nulla alia præcepta Divina extent præter illa, quæ pertinent ad fidem, Sacramenta, & Sacrificia, si ea per dispensationem Pontificiam mutari possent, timendum profecto foret (siquidem non constat, quod Deus in hoc puncto suam infallibilem assistentiam Pontifici promiserit) ne corrueret unitas, seu uniformitas Ecclesiæ; ergo &c. Hinc nequit Pontifex, etiam pro casu necessitatis, dispensare in materia, forma, & ministro Sacramentorum; nam quod pro Ministro extra-ordinario Confirmationis v. gr. in necessitate assumi possit simplex Sacerdos, ex institutione Christi provenit. Item nequit Pontifex mutare ea, quæ ad essentiam, & integritatem Sacrificii spectant; neque matrimonium consummatum dissolvere, cujus indissolubilitatem ad perpetuam Christi cum Ecclesia conjunctionem immutabiliter constitutam esse, colligitur ex illis Christi verbis *Matth.* 19. *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

483. Objicies contra hanc partem, & hoc membrum primo. S. Petro est a Christo concessa potestas generalis solvendi vi illorum verborum: *quodcunque solveris super terram &c.* ergo potuit solvere, etiam quod jure Divino ligatum erat; & consequenter idipsum poterit Pontifex, utpote qui reputatur eadem persona cum S. Petro, & in eandem potestatem succedit.

Respondetur, illam concessionem intelligendam esse de iis vinculis, & obligationibus, quarum solutio non concernit unitatem Ecclesiæ, & dissolutionem institutionis Christi; sicut quando dicitur, Prælatum Regularem relaxare posse omnia vota suorum Religiosorum, semper excipiuntur vota substantialia Religionis.

484. Objicies secundo. S. Pontifex dispensare potest in solemni Religiosorum professione; item in Sacrificio Missæ, ut ob urgentem necessitatem fieri possit sub una duntaxat specie; ergo &c.

Respondetur ad 1. solemnitatem professionis Religiosæ, indeque ortam insolubilitatem, non jure Divino, sed Ecclesiastico duntaxat introductam esse; prout DD. satis communiter tenent, quibus & nos suo loco subscribemus. Ad 2. nego Pontificem id posse. Quod autem aliqui velint, S. Pontificem etiam de facto in Sacrificio Missæ modo præfato dispensasse, authenticum non est. Et si authentice, id factum esse, constaret, dicendum foret, eum non proprie dispensasse, sed tantum doctrinaliter declarasse, quod in illo casu præceptum Divinum de integritate Sacrificii non obligarit.

§. III.

An, & a quo possit dispensari in lege Humana?

S U M M A R I U M.

485. *Potestas dispensandi alia est* ordinaria, *alia delegata.* 486. *Recensentur, qui in lege humana dispensare possunt.* 487. *Prælatus inferior in lege Superioris, quamvis ab hoc non expresse prohibeatur, aut reservetur dispensatio, jure ordinario dispensare non potest, exceptis quibusdam casibus.* 488. *& seqq. Diluuntur argumenta contraria.* 491. *Archiepiscopus non potest dispensare in lege Concilii Provincialis pro tota Provincia.* 492. *Specificantur casus excepti, in quibus Episcopi, vel alii jurisdictione quasi Episcopali gaudentes, possunt* dispensare *in lege Pontificia.*

485. Prænotandum, potestatem dispensandi esse duplicem, videlicet *ordinariam*, & *delegatam*. Prior est, quæ alicui competit ratione officii, quo fungitur. Posterior est, quæ alicui non competit ratione officii, sed ex legitima concessione alterius tantum. Qui habet potestatem ordinariam potest eam delegare: qui vero potestatem mere delegatam obtinet, eam subdelegare alteri non potest. Ratio disparitatis est, quia ille talem potestatem possidet quasi dominus, & principalis, iste vero ut minister, & executor duntaxat.

486. Dico nunc primo. In lege humana dispensare potest (1.) Legislator ipse (2.) ejus Successor, & (3.) Superior. Ita DD. communissime.

Probatur, & explicatur quoad singula membra. Nam 1. sicut obligatio legis humanæ tota ortum trahit a voluntate Legislatoris, ita per hanc tolli vel ex toto, vel ex parte potest; cum res per eadem, per quæ fit, dissolvi possit. 2. Successor reputatur eadem persona cum Legislatore, & huic in omni potestate succedit. 3. Superior obtinet potestatem majorem, cui potestas Legislatoris, seu inferioris, subordinatur. Ex quo fit, ut S. Pontifex dispensare possit in omni lege Ecclesiastica, sive a se, sive a suis Prædecessoribus, sive a Concilio generali lata; quia Prædecessoribus potestate par est, & Concilio superior. Fit præterea, ut Episcopus (vel Archiepiscopus) possit dispensare per se loquendo in statutis Synodi diœcesanæ: utpote respectu quorum est Legislator independens a Clericis; cum hi non votum decisivum, sed solummodo consultivum habeant: prout notatum supra *n.* 453.

487. Dico secundo. Episcopus, vel alius Prælatus inferior dispensare non potest potestate ordinaria in lege Pontificis, sive alterius Superioris, quamvis ab hoc non expresse prohibeatur, aut relevetur dispensatio: exceptis quibusdam casibus, quos infra referemus. Ita communis DD. contra Sotum, & quosdam alios.

Probatur breviter ex *c. 16. de major. & obed.* & *Clement. c. 2. de elect. & electi potest.* ubi deciditur, quod inferior non possit mutare jura Superioris: sed posset mutare, si in ejusdem lege posset dispensare; ergo &c.

488. Objicies primo. Quidquid Papa potest in tota Ecclesia, id potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi per SS. Canones, vel ab ipso Papa prohibeatur: sed non prohibetur sive per SS. Canones, sive ab ipso Papa dispensare in lege Pontificia, ut ponitur in conclusione; ergo &c.

Respondetur illud axioma non tenere universaliter, ac præsertim hic loci male applicari: sensus quippe ejus legitimus solum est, quod in illis, quæ spectant ad commune regimen, & non sunt juris communis, ac majoris momenti, id possit Episcopus in sua diœcesi, quod Papa in tota Ecclesia. Accedit, quod hoc ipso Episcopus a Pontifice prohibeatur, dum ab isto constituta est aliqua lex: siquidem vi ejusdem limitata est jurisdictio inferioris, ut non possit circa illam se intromittere, etsi non extet specialis prohibitio, ne se intromittat.

489. Objicies secundo. *c. 29. de sent. excom.* refertur Innoc. III. ad Uratislaviensem Episcopum rescripsisse, quod conditor Canonis, seu legis Ecclesiasticæ hoc ipso censeatur facultatem absolvendi ab excommunicatione concessisse; quia eam specialiter non reservavit; ergo idem dicendum de legibus, si dispensationem illarum sibi non reservavit Pontifex.

Respondetur, neg. cons. & paritatem: quia potestas absolvendi a casibus non reservatis conceditur absolute, cum absolutio talis non sit contra sed juxta jus, utpote quod præcipit, ut rite dispositus absolvatur, dispensatio e diverso semper est contra jus, illudque violat; neque bono animæ tam necessaria est, quam necessaria est absolutio a peccatis.

490. Objicies tertio. Ergo frustra in aliquibus legibus Pontifex expresse sibi reservat potestatem dispensandi.

Respondetur, neg. illatum: quia hoc facit, partim, ut inferior eo minus præsumat in illis legibus dispensare: partim, ut voluntatis suæ efficaciam magis declaret: partim, ut hujusmodi leges ex potestate generali, quam forsan aliquibus concessit, speciali reservatione iterum extrahat.

491. Colliges, Archiepiscopum non posse dispensare in statutis Concilii Provincialis, Sanchez Palao, & Salmanticenses apud, & cum P. Babenstuber *tr. 3. disp. 3. art. 4. num.* 18. Ratio est: quia Archiepiscopus illa statuta non solus sancivit, sed una cum aliis votum decisivum habentibus: unde sunt statuta totius Concilii, quod est supra Archiepiscopum, cum ab hoc ad illud detur appellatio. Quare licet Archiepiscopus sit Caput Concilii Provincialis quoad jus illud congregandi, in eoque præsidendi, non tamen est Caput quoad jurisdictionem, &, siquod ibi conditum sit statutum: ejusdem vi non solum directiva, sed etiam coactiva tenetur, haud minus, ac ceteri: prout relinquitur ex dictis *n.* 381.

492. Dixi in conclus. *exceptis quibusdam casibus;* qui sunt præcipue sequentes. 1. Si lex versetur circa materiam levem, aut frequenter occurentem (quod posterius tamen non est intelligendum universaliter) unde Episcopi dispensare possunt in votis, & juramentis Pontifici non reservatis; in festorum, ac jejuniorum observatione, & similibus præceptis Ecclesiasticis, eo quod pro iis, uti & pro rebus minimis recurrere Romam Episcopis, eorumque subditis nimis onerosum, ipsique etiam Papæ molestum foret. 2. quando urget moræ impatiens necessitas, nec supremus Legislator facile conveniri potest; tunc enim recte censetur a Legislatore superiori commissa inferiori facultas dispensandi, eo quod id exigat suave regimen Ecclesiæ. Hoc tamen Laymann *tract. 4. cap. 22. n. 4.* & alii negant procedere in legibus matrimonium dirimentibus nondum in facie Ecclesiæ contractum, sed pimum contrahendum: affirmant autem post Thomam Sanchez, Vasquez, Salas, Paolo, Basilium Pontium, P. Cardenas *in 1. crisi part. 1. disput. 57. capit. 3. artic. 1.* & P. Illsung *tract. 1. disp. 2. art. 4. numer.* 47. Atque horum opinio videtur præferenda; eo quod ratio superius adducta etiam in casu matrimonii primum contrahendi militare possit, si scilicet proporionata necessitas (quæ utique major esse debet, quam dum agitur causa matrimonii jam contracti) concurrat, & urgeat. 3. quando dubium est, an casus egeat dispensatione; nam tunc melior est conditio libertatis; neque aliquis censeri debet lege ligatus, de qua ipsi moraliter non constat: unde licet detur (nam sæpenumero sola declaratione opus est) quod in tali casu necessaria sit dispensatio, ea tamen fieri poterit ab Episcopo. 4. quando Episcopi, aliive Prælati obtinent potestatem dispensandi in lege Pontificis, seu Superioris ex consuetudine legitime præscripta: hæc nanque jurisdictionem conferri juxta *cap. 13. de for. compet.* 5. denique, quoties cunque in lege impersonaliter, & indefinite dicitur, eam dispensari posse: ne enim hujusmodi verba inutiliter, & sine effectu ponantur, non in Legislatorem, utpote cui alias absque tali concessione potestas dispensandi competit, sed in inferiorem eo referenda sunt. Ceterum potestas in recensitis casibus dispensandi, Prælatis inferioribus concessa, non est mere delegata, sed potius ordinaria, vel (ut loquitur P. Sporer) trahitur in ordinariam, aut (si malis uti verbis Laymanni supra citati) æquiparatur ordinariæ; cum sit annexa dignitati, & officio; atque ideo transeat in Successores, & aliis delegari possit: prout præter Authores proxime nominatos bene advertit P. Mezger *tr. 8. disp. 36. art. 4. n.* 10.

ARTICULUS III.

Circa quo dispensatio exerceri possit?

SUMMARIUM.

493. *Dispensatio exercetur circa subditum.* 494. *Legislator etiam secum ipso dispensare potest.* 495. *& sequentibus. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 498. *& sequent. Qualis sit dispensatio, quam Legislator exercet circa se ipsum in lege sua.* 500. *Legislator etiam in votis, & juramentis, in quibus potest dispensare cum subditis, potest dispensare secum ipso.* 501. *Ordinarius loci obtinet potestatem dispensandi in legibus cum vagis, & peregrinis quasi domicilium in illo habentibus; non autem cum peregrinis solum transeunter ibidem existentibus.* 502. *Eandem dispensandi potestatem habet in votis, juramentis, impedimentis, & irregularitatibus relate ad vagos, non item relate ad peregrinos, qualescunque demum hi sint;* 503. *&* 504. *Nec Archiepiscopus cum subditis suorum Suffraganeorum; nec Episcopus cum Religiosis exemptis dispensare regulariter loquendo.*

493. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, dispensationem exerceri circa subditum. Nam dispensare, seu eximere ab obligatione legis non minus est actus jurisdictionis, quam concedere legem, & obligationem lege inductam imponere; eo ipso autem importat in ferente legem, vel dispensante Superioritatem, & in obligando, vel dispensando subjectionem. Unde S. Pontifex potest dispensare cum omnibus Christianis in Legibus Ecclesiasticis: Legati Apostolici in legibus Pontificiis (ex permissione Pontificis) cum habitantibus in sua Provincia: Episcopi cum suis Diœcesanis in legibus Episcopalibus: Prælati Regulares cum suis Religiosis (saltem si exempti sint) in constitutionibus Ordinum &c. Hoc supposito, resolvendæ veniunt aliquot quæstiones? 1. An Prælatus etiam secum ipso dispensare possit? 2. An cum vagis, & peregrinis? 3. An Archiepiscopus possit dispensare cum subditis suorum Suffraganeorum? 4. Et Episcopus cum Religiosis exemptis?

494. Dico primo. Omnis Prælatus, qui habet potestatem dispensandi cum suis subditis, etiam secum ipso dispensare potest tam (1.) in lege sua, quam (2.) in lege Superioris super iis, super quibus potest cum subditis ex potestate sibi a Superiore commissa. Suarez *lib. 6. de leg. cap. 12. n. 8.* Babenstuber *loc. cit. n.* 26. & apud ipsum Sanct. Antoninus, Silvester, Cajetanus, Reding &c.

Probatur prima pars: quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, non contentiosæ, vel coactivæ: sed ad actum jurisdictionis voluntariæ non requiritur, saltem semper, & ex natura rei, distinctio personarum, dantis videlicet, & accipientis; ut patet in largiente indulgentias, quas ipse quoque largiens lucrari potest; ergo &c.

Probatur secunda pars: quia eam potestatem Superior major minori, seu subordinato non tantum quoad suos subditos, sed etiam quoad suam personam concedere potest, & (nisi oppositum exprimat) solet; prout inde suadetur, quod Superiores non debeant esse deterioris conditionis, quam subditi; ergo &c.

495. Objicies primo contra utramque partem simul, *C. fin. de institut.* dicitur, eum, qui beneficium conferre potest, non posse seipsum instituere: & ratio subditur, quod *inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis.* Item *l. 1. ff. de Auth. & consensu Tutor.* regula Juris ait: *in rem suam Tutorem Authorem fieri non posse.* Ergo &c.

Respondetur ad 1. rationem, in *cit.* c. datam, non esse generaliter accipiendam, sed tantum in ea materia beneficiorum; cum non sit conveniens, ut Prælatus beneficiorum distributor, sibi ipsi beneficium conferat; tum ad cavendam terreni lucri cupiditatem; tum beneficiorum in una persona pluralitatem. Sic etiam nullus se præsentare potest ad personatum alicujus Ecclesiæ, quantumcunque idoneus sit, juxta c. 26. *de Jure Patronat.* ad avertendam ambitionem, & immodicum appetitum honoris, potestatis, & dignitatis. Ex quibus plus non sequitur, quam ad exercitium jurisdictionis voluntariæ tunc necessariam esse realem distinctionem personarum, dantis, & accipientis, quando eam Ecclesia ex justa causa requirit; secus, quando non requirit; prout evenit in proposito. Ad 2. negatur paritas: quia ibi est periculum damni in bonis pupilli, quale non est in dispensatione.

496. Objicies secundo, Superior non potest seipsum absolvere a censuris; ergo nec secum ipso dispensare.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod absolutio sit quædam sententia, & actus jurisdictionis contentiosæ, quam nemo in seipsum exercere potest; cum nemo a seipso cogi, sententiari, absolvi, aut condemnari possit. Dispensatio autem est actus jurisdictionis voluntariæ, non necessario, ut dictum, requirentis distinctionem personarum. Sufficit proinde, quod una, eademque persona, sive idem Prælatus, dum secum dispensat, consideretur ut Superior, quatenus dat beneficium dispensationis, & ut inferior, sive subditus, quatenus accipit.

497. Objicies tertio. Nemo potest secum ipso dispensare in irregularitate, etiamsi in ea possit dispensare cum suis subditis; ergo neque in lege.

Respondetur, dist. ant. In irregularitate incursa ipso Jure, neg. incursa per sententiam Judicis, con. ant. Irregularitas, quæ statuta est per legem, sive sententiam generalem, atque ideo incurritur ipso Jure, dum super illa dispensatur, colligitur per potestatem directivam, & jurisdictionem voluntariam, esto suam originem traxerit a potestate, & jurisdictione coactiva: e diverso irregularitas inflicta per sententiam Judicis particularem, tollitur per sententiam absolutoriam, procedentem a Judicis potestate coactiva. Unde dispensatio super irregularitate primi generis est dispensatio proprie dicta; non item dispensatio super irregularitate secundi generis; hæc enim potius obtinet rationem absolutionis, ejusque naturam, & indolem imitatur; atque ideo inter dispensantem, seu absolventem ex una, & dispensandum, seu absolvendum ex altera parte requirit distinctionem personalem; secus, ac illa: prout insinuat P. Babenstuber *loc. cit. n.* 28. Unde neg. cons.

498. Colliges primo. Legislatorem in præfatis legibus posse secum ipso dispensare tam (1.) immediate, id est, per seipsum, quam (2.) mediate, id est, per alium, cui potestatem secum dispensandi committit. Ratio primi est: quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, quam quis exercere erga seipsum potest, præterquam in casibus ab Ecclesia prohibitis. Ratio secundi est: quia talem potestatem ita secum dispensandi in lege propria potest alteri delegare ex se, & in lege Superioris, ex hujus concessione; ne, ut dictum, ipse sit deterioris conditionis, quam subditi. Excipe: modo facultas dispensandi in lege Superioris non sit concessa Prælato, vel legislatori cum restrictione ad certas personas, sub quibus ipse non comprehenditur. Nam facultas dispensandi non excedit terminos a Superiore præscriptos, cum ab ipso dependeat.

499. Colliges secundo, dispensationem, qua Legislator secum ipso sive immediate, sive mediate dispensat, esse directam, & indirectam simul, si fiat (1.) in lege propria; si vero fiat (2.) in lege Superioris, directam tantum. Ratio utriusque ostensiva, & declarativa est: quia prior dispensatio relaxat duas leges, propriam nempe, quæ directe dispensabilis est, & naturalem, quæ indirecte tantum: posterior vero non relaxat, nisi unam legem, eamque directe dispensabilem; nempe Superioris, utpote qua sola Legislator obstringitur, sicut alii subditi. Et hæc quidem relinquuntur ex dictis. Sed

Dices. Legislator sua lege solum tenetur indirecte; ergo dum in ea secum dispensat, non exercet dispensationem directam.

Respondetur, neg. cons. Nam illa dispensatio est directa, quæ per se primo relaxat obligationem legis (sive ea obligatio directa, sive indirecta sit) & indirecta, quæ relaxat obligationem legis (etsi directam) consecutive solum, sive ad sublationem alterius, quod per se primo tollit: atqui Legislator, dum secum in sua lege dispensat, obligationem talis legis per se primo relaxat, ut patet; ergo exercet dispensationem directam. Quare circa ullam implicantiæ, aut contradictionis umbram componi hæc duo possunt: *Legislator sua lege indirecte obligatur, & in ea directe secum dispensat*: sicut a contrario componi possunt ista: *Legislator ad observantiam suæ legis obligatur directe a lege naturali, & in hac secum indirecte dispensat.*

500. Colliges tertio, Prælatum non modo in legibus, sed etiam in votis, & juramentis secum dispensare posse, si possit cum subditis. Babenstuber *loc. cit.* Ratio est: quia ex una parte dispensatio etiam in votis, & juramentis est actus jurisdictionis voluntariæ, non requirens distinctionem personalem dispensantis, & dispensandi; ex altera vero Prælatus non debet esse deterioris conditionis, quam subditi; prout tamen esset, si de alio, qui secum dispensaret, deberet sibi prospicere.

501. Dico secundo. Ordinarius loci dispensare in legibus potest (1.) cum vagis; uti & (2.) cum peregrinis in ejus territorio quasi domicilium habentibus; non item (3.) cum peregrinis brevi duntaxat tempore, & solum transeunter ibi existentibus. Primam partem tenent Lessius *de Justit. liber.* 2. *capit.* 40. *dub.* 18. *num.* 121. Sanchez *lib.* 4. *Summa capit.* 37. *num.* 31. La Croix *lib.* 1. *numer.* 799. Secundam tradunt Suarez *lib.* 2. *de diebus festis capit.* 14. *a num.* 6. Lessius *loc. citat.* Augustinus Michel *de Leg. q.* 7. 6. 5. *pun.* 2. *n.* 15. Tertiam docent idem Michel *n.* 14. Babenstuber *loc.* supra *cit. n.* 29. & alii.

Probatur prima pars: quia vagi in loco, in quo existunt, ratione præsentaneæ habitationis sortiuntur forum non conscientiæ duntaxat, sed etiam externum; prout ostensum manet *n.* 425. ergo subduntur Superiori talis loci: & consequenter hic cum illis dispensare poterit.

Probatur secunda pars: quia hujusmodi peregrini ratione diuturnæ habitationis, & quasi domicilii fiunt respective subditi, & subjiciuntur legibus Ordinarii; ergo conveniens est, ut huic subjectionis oneri correspondeat commodum, & beneficium dispensationis.

Nec refert, quod per c. 3. *de temp. Ordin. in* 6. Ordinario sit adempta facultas tales peregrinos ordinandi. Siquidem ea constitutio specialis est, neque trahi debet ad casus non expressos; alias Ordinario etiam vetitum esset, prædictis peregrinis administrare reliqua Sacramenta: quod tamen falsum esse, ipse fatebere.

Probatur tertia pars: quia dispensatio ex parte dispensantis requirit jurisdictionem, & ex parte dispensandi subjectionem: sed id genus peregrini non subjiciuntur Ordinario loci, per quem transeunt (præterquam in casibus supra *n.* 418. commemoratis) ergo &c.

Nec dicas cum P. Pichler *cit. n.* 79. quod in ordine ad hunc actum jurisdictionis, seu ad dispensationem impetrandam possint sese subjicere. Nam contra est, quod id cederet in præjudicium proprii Episcopi, utpote cujus jus eo procedendi modo violaretur: prout liquidus fiet infra in simili de Religiosis exemptis.

502. Quæ-

502. Quæres, an Ordinarius loci cum vagis, & peregrinis, quibus cum dispensare in legibus potest, possit etiam dispensare io votis, juramentis, impedimentis, & irregularitatibus?

Respondetur, posse (1.) cum vagis; non autem (2.) cum peregrinis. Ita quoad primum membrum Lessius, Sanchez, La Croix supra *cit.* quoad secundum Palao tr. 3. disp. 6. pun. 7. §. 2. Babenstuber *loc. cit. n.* 30. Pichler *n.* 79. Ratio disparitatis est: quia licet peregrini, quibuscum in legibus dispensare potest Ordinarius loci, in quo per diuturnum tempus commorantur, fiant subditi in ordine ad prædictum jurisdictionis actum circa se exercendum, sicut vagi; extant tamen declarationes Cardinalium, a Garzia *de benef. part.* 2. *cap.* 10. *n.* 139. relatæ, vi quarum Ordinario est restricta potestas dispensandi in votis, juramentis, impedimentis, & irregularitatibus circa peregrinos, quoscunque etiam quasi domicilium habentes, non item circa vagos.

503. Dico tertio. Archiepiscopus non potest dispensare cum subditis suorum Suffraganeorum, nisi in casu ad se per appellationem devoluto, si in eodem dispensare possit cum suis subditis. Palao *loc. cit.* §. 3. cum communi.

Probatur: quia Archiepiscopus nullam obtinet jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum, nisi in certis casibus a Jure concessis; quemadmodum habetur *in c.* 11. *de Offic. Jud. ord.* & *c.* 1. *de for. compet. in* 6. ergo extra hos casus nullum jurisdictionis actum exercere valet: consequenter &c.

Dixi: nisi in casu ad se per appellationem devoluto: in hoc quippe casu dispensare cum prædictis subditis potest, cum illo sit eorum ordinarius Superior, & Judex juxta *c.* 1. *de Offic. Legat.* Porro dum visitat Provinciam, potest quidem subditos suorum Suffraganeorum absolvere a peccatis; ut habetur *c. fin. de censib. in* 6. non tamen cum eisdem dispensare, saltem jure ordinario: quia in *cit. cap.* nulla fit mentio de facultate dispensandi. Quapropter licet tunc sit Superior in ordine ad absolvendum; non tamen est Superior in ordine ad dispensandum.

504. Dico quarto. Episcopus non potest dispensare cum Religiosis exemptis, regulariter loquendo. Ita Suarez, Sanchez, Navarrus, Palao, Reding, quos refert, & sequitur Babenstuber *loc. cit. n.* 32.

Probatur: quia potestas dispensandi cum mentionatis Religiosis per exemptionem Episcopis subtracta est, & translata in Superiores Regulares, puta in Generales, Provinciales, & alios in eodem Monasterio Superiorem non recognoscentes, cujusmodi sunt Priores, Rectores, Guardiani &c. ergo &c. Quo fit, ut non possit Religiosus exemptus, præteritis sui Ordinis Prælatis, dispensandi potestate præditis, recurrere ad Episcopum pro dispensatione impetranda; prout cum communi tenet Molina *de Justit. tom.* 4. *disp.* 61. *n.* 4. Ratio est: quia id vergeret in præjudicium exemptionis, & ordinem Religionis, ac tranqoillitatem perturbaret; ut euivis consideranti patebit: imo dispensatio invalida foret.

Dixi tamen: *regulariter loquendo*. Nam si Superiores Regulares non possint in aliquo impedimento, aut lege dispensare, v. gr. in irregularitate, Religiosus adire Episcopum pro impetranda dispensatione potest: dummodo (quod requiritur, ne exemptioni, & tranquillitati Religionis, vel Monasterii præjudicium creet) præviam id faciendi licentiam petat. Quod si Superiores petitam licentiam irrationabiliter negent, potest Religiosus licite, & valide, illis ut ut invitis, ad Episcopum pro dispensatione obtinenda recurrere: quia nimis durum foret, & Religioni neutiquam proficuum, si Religiosus, injuste negata licentia, cogeretur pro dispensatione acquirenda evagari, & Pontificem accedere. In his ergo duobus casibus Religiosus, ex tacito Papæ, & totius Ordinis consensu, potest suæ exemptioni renunciare, seseque Episcopo subjicere: idque citra præjudicium, saltem vitiosum, sive exemptionis, sive tranquilitatis Religiosæ; cum illud tollat, vel saltem cohonestet causa necessitatis, juxta octam Regulam Juris: *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Ita Augustinus Michel *loc. cit. num.* 10. *& seqq.* aliique apud ipsum.

ARTICULUS IV.

De causa dispensationis.

Duos hic §§. statuemus. In primo discutiemus, an, & quomodo ad dispensationem requiratur justa, & legitima causa? In secundo proponentur, & resolventur nonnullæ quæstiones huc pertinentes.

§. I.

An, & quomodo ad dispensationem requiratur justa causa?

SUMMARIUM.

505. *Legislator in lege propria valide, non autem licite dispensat sine justa causa.* 506. *& seqq. diluuntur argumenta contraria.* 509. *Legislator in sua lege sine causa dispensans committit peccatum mortale. ex genere suo.* 510. *Legislator in lege Superioris sine causa non solum illicite, sed & invalide dispensat.* 511. *peccatque mortaliter, si dispensare attentet in lege graviter obligante.* 512. *Recensentur justa causa dispensandi.*

505. Dico primo. Legislator (idem cogita de ejus Superiore, & Successore) sine justa causa, quam scit noo adesse, dispensat in sua lege (1.) valide; oon aotem (2.) licite, sed peccat & ipse, & qui talem dispensationem petit. Ita DD. communiter.

Probatur prima pars: quia Legislator sine causa potest valide legem omnino tollere per abrogationem, utpote in conservari totaliter, & unice dependentem a sua voluntate; ergo a fortiori per dispensationem respectu unius, vel aliquorum illam relaxare.

Probatur secunda pars: quia Legislator hoc procedendi modo imprudenter abutitur sua potestate, committit acceptionem personarum, & præbet ansam querelis, dum in pari causa opera, & obligationes inæqualiter distribuit; ergo &c.

Dixi: *si hanc non adesse sciat*. Nam si ignoret, oon adesse justam causam, male informatus a petente dispensationem, utpote qui vel falsum narravit, vel verum reticuit, dispensat subinde invalide, prout patebit *art. seq.* Porro quod Legislator, defectum justæ causæ inculpabiliter ignorans, non peccet formaliter (sive dein dispensatio valida sit, sive invalida) per se planum est. Nunc

506. Objicies primo contra primam partem conclusionis. Ad legem statuendam non sufficit voluntas Legislatoris, sed requiritur etiam causa rationabilis, Communitati utilis; ergo etiam ad eam abolendam; vel relaxandam.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia, universim loquendo, ut effectus ponatur, requiritur causa una cum conditionibus ad agendum necessario exactis, qualis præter alias, *n.* 205. recensitas, & explicatas, respectu legis ferendæ, est causa rationabilis, seu utilitas Communitatis. E diverso ut tollatur effectus, sufficit, quod sola causa, a qua ille in conservari necessario pendet, deficiat, vel tollatur: consequenter &c. Ut autem hæc responsio adhuc planior reddatur, & una, alterave instantia præcludatur, notandum est, legem dependere quidem a voluntate Legislatoris tam in fieri, quam in conservari, aliter tamen, atque aliter. Nam dependentia legis in fieri est respective totalis, & non est totalis. Totalis est, quatenus Legislator legem potest absolute non ferre quin ad id coexigat aliquam conditionem, esto illam non ferendo peccet, quando lex ad bonum Communitatis necessaria est. Non totalis est, quatenus Legislator non potest legem ferre, etiam valide tantum, nisi observet certas conditiones, ad ponendam legis existentiam simpliciter necessarias. E diverso dependentia legis in conservari semper totalis est, ita, ut Legislator vim obligativam illius tollere, vel relaxare se solo possit, quamvis, si id faciat absque justa causa, imprudenter procedat, & peccet.

507. Objicies secundo contra secundam partem. Princeps potest tributa debita debitori remittere sine causa, quin peccet; ergo etiam Legislator obligationem legis.

Respondetur, negan. cons. Disparitas est, quod in priori casu Princeps agat ut persona privata; & in posteriori Legislator ut persona publica, cui specialiter in-

cumbit, commune bonum conservare, & promovere: quod non faceret, si sine justa causa aliquem, vel aliquos a lege deobligaret, aliis manentibus obstrictis.

508. Objicies tertio. Petuntur sæpe a Pontifice dispensationes in gradibus consanguinitatis, & affinitatis prohibitis sine ulla addita causa; ergo ad licite dispensandum non semper requiritur causa; cum utique S. Pontifex super prædictis impedimentis non dispenset illicite.

Respondetur, omisso antecedente, dist. cons. Non requiritur semper causa assignata a dispensando, trans. assumpta a dispensante, neg. cons. Esto, quod dispensandus in casu non assignet causam, talem tamen assumit, & sibi præfigit Pontifex dispensans, puta eleemosynam in pios, aut publicos usus impendendam, quam dispensatus donabit, aut donaturus creditur.

509. Quæres, an Legislator, si in sua lege sine causa dispenset, committat peccatum mortale, vel veniale tantum?

Respondetur, eum committere peccatum mortale ex genere suo, ita cum multis aliis Suarez *lib.* 6. *c.* 18. *n.* 9. Et consequenter eodem modo peccat, Legislatorem ad sic dispensandum inducens. Ratio est: quia Legislator ita dispensans agit contra Justitiam tum legalem, tum distributivam. Contra primam; quia ejusmodi dispensatio communi bono, ad quod leges ordinantur multum officere apta nata est: contra secundam vero, quatenus alios sine justa causa ab onere legis eximit, & alios sub illo relinquit, per quod committitur acceptio personarum. Atqui peccatum contra Justitiam est mortale ex genere suo; ergo &c. Confirmatur authoritate Trid. quod *sess.* 24. *c.* 5. *de Reform.* graviter prohibet, ne dispensatio impertiatur sine causa.

Dixi: *ex genere suo*, ut denotarem, peccatum dispensantis (& consequenter etiam peccatum ad dispensandum inducentis) posse extenuari, & veniale evadere ob parvitatem materiæ: prout contingeret, si abesset scandalum, & nocumentum grave cum Communitatis, tum membrorum ejus. Exemplum esto, si Legislator, v. g. S. Pontifex, sine causa unum, vel alterum a lege jejunii Quadragesimalis eximeret, aliis manentibus ad jejunandum obstrictis: hoc quippe casu, aliisque similibus non videtur illico grave scandalum oriri in populo, aut gravis irrogari injuria, vel damnum non dispensatis, aut communi eorum bono.

510. Dico secundo. Inferior sine justa causa, quam scit non adesse, nec (1.) valide, nec (2.) licite dispensat in lege Superioris; adeoque peccat & ipse, & petens dispensationem. Ita denuo DD. communiter. Itaque intelligendum censeo, tametsi inferior dispenset in lege Superioris jure ordinario, v. g. Episcopus in lege jejunii Qadragesimalis.

Probatur prima pars: quia dispensans in lege Superioris sine justa causa absolute transgreditur limites potestatis sibi concessæ; cum credibile non sit, quod Superior dederit potestatem dispensandi nisi rationabiliter, adeoque sub conditione, si adsit justa, & rationabilis causa: sed qui absolute transgreditur limites suæ potestatis, agit invalide per *c.* 22. *de Rescript.* & *l.* 5. *ff. mandati*; ergo &c.

Probatur secunda pars: tum quia inferior tunc sibi usurpat jurisdictionem non concessam, ut proxime insinuatum: tum quia subdito, quocum dispensat, præbet occasionem transgrediendi legem, qua tenetur; ergo &c.

Dixi in conclus. *quam scit non adesse*. Nam utrum invalida etiam sit dispensatio, quæ quidem fit cum justa causa a parte rei existente, non tamen a dispensante cognita, dissident Authores. Adstipulor Suarezio, Sanchezio, & Laymanno affirmantibus eam valere: quia omnia ad valorem dispensationis requisita concurrunt, videlicet potestas Legislatoris, ejusdemque voluntas, & justa causa, cui potestas innititur, & quam necessario præsupponit. Porro si dispensans ex errore probabili putet, adesse causam sufficientem, quæ tamen reipsa non adest, censent plerique cum *cit.* Sanchezio, dispensationem valere: quia hæc rationabiliter concedi potuit, & concessa est; cum dispensans eam rationabiliter concedendi potestatem acceperit. Quod tamen intellige, nisi ille error dispensanti fuerit sugestus a dispensando: tunc enim aliter sentiendum: ut infra patebit *n.* 514.

511. Quæres primo, qualiter peccet Legislator, si in lege Superioris sine justa causa, adeoque tam invalide, quam illicite dispenset.

Respondetur, eum peccare mortaliter, saltem si dispenset in lege graviter obligante, tametsi ex tali dispensatione non oriatur scandalum, aut grave detrimentum respectu non dispensatorum. Ita Laymann *loc. cit.* *n.* 12. Babenstuber *n.* 23. Pichler *n.* 85. Ratio est: tum quia in puncto gravi usurpat sibi jurisdictionem inconcessam; quod sine mortali culpa fieri non potest: tum quia subdito, quocum dispensat, præbet occasionem transgrediendi legem, qua tenetur; & quidem sub peccato mortali; consequenter respectu istius committit grave peccatum scandali, esto ponatur tale non committere respectu aliorum non dispensatorum. Ex quo fit, ut etiam subditus mortaliter peccet, quando sciens non adesse justam causam dispensandi, instanter postulat dispensationem in lege graviter obligante; quia cooperatur peccato mortali dispensantis: idque verum est, tametsi dispensans ipse non agat invalide, nec peccet formaliter, eo quod ex errore invincibili existimet, adesse causam dispensandi; siquidem ad materiale quoque peccatum cooperari, aut inducere aliquem, ex parte cooperantis, & inducentis (si hoc scienter faciat) formalem culpam importat, eamque mortalem in materia gravi. Babenstuber *cit. n.* 24. & apud ipsum Salmanticenses.

512. Quæres secundo, quænam sint justæ causæ dispensandi?

Respondetur, eas juxta Conc. Trident. *sess.* 25. *c.* 18. *de Reform.* esse generatim tres, nempe *necessitatem*, *pietatem*, & *utilitatem*: ad quas revocantur *Gratitudo* ob merita in Ecclesiam, Rempublicam &c. ac *Misericordia* ad succurendum humanæ fragilitati, ut siquis parum considerate vovisset, aut difficulter servaret, quod promisit. Si adsint plures causæ, quarum nulla seorsim sufficiat, possunt sufficere omnes simul; quæ enim singula non valent: multa prosunt, *arg. capit.* 13. *de probat.* Non tamen requiritur causa urgens, quæ ostendat, legem esse in hoc casu iniquam, aut impossibilem, aut a Legislatore ad eundem non extensam: tunc enim non dispensatio, sed epickeja necessaria foret. In dubio, an adsit sufficiens causa dispensandi, Superior debet inclinare in partem benigniorem, depositoque dubio practice se resolvere, quod hic, & nunc dispensare possit; ita enim exigit suave regimen Ecclesiæ; cum alioquin multis scrupulis, & anxietatibus esset expositum, si potestas dispensandi ad solas causas certas se porrigeret. Id quod etiam obtinet post dispensationem impetratam, quando dubitatur, an causa dispensandi fuerit sufficiens, & rite exposita; præsumendum enim id, quod melius est, & standum pro valore actus. Nec refert, quod impedimentum videatur esse in possessione, cum sit certum; dispensatio autem dubia: siquidem contra illam possessionem prævalet dispositio Juris, virtute cujus in dubio potius pro valore, quam nullitate actus judicium ferendum est, per *l.* 12. *ff. de rebus dub.* & *c.* 25. *de verb. signif.* Similiter si dubitetur, an aliquis casus indigeat dispensatione, censendus est non indigere; quia possessio stat a parte libertatis: idque etiam procedit in casu, quo quis non vere dubitat, sed magis propendet in partem affirmativam, seu quod dispensatione opus sit; cum lex non obliget, nisi sit moraliter certa. Si vero certum sit, quod casus indigeat dispensatione; & solum dubites, an eam obtinueris, non potes te gerere ut dispensatum: quia certa indigentia per dubiam dispensationis opem non sublevatur. De causis dispensandi particularibus mentio fiet in singularibus dispensationum materiis.

§. II.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

Occurrunt hic nonnulla adhuc puncta generalia, seu scitu necessaria circa omnem dispensationem, quæ proin, breviter tamen, expediemus, quin simus digressuri ad particularia, quippe commodius pertractanda in propriis locis, seu materiis dispensationum singularibus (uti proxime insinuavimus) quales sunt vota, juramenta, irregularitates, beneficia, impedimenta Matrimonii &c.

SUM-

SUMMARIUM,

513. *Quid sit dispensatio* subreptitia, *&* obreptitia? *& num utraque sit invalida?* 514. *Quando dispensatio censeatur subreptitia ob suppressionem veri & obreptitia ob expressionem falsi?* 515. *An in petitione dispensationis debeat fieri mentio, quod fuerit jam semel petita, & negata, si forte petita, & negata fuit?* 516. *An, cessante causa dispensationis, cesset ipsa quoque dispensatio?*

513. QUæres primo, quid sit dispensatio *subreptitia*, & quid *obreptitia*: item an utraque sit invalida?

Respondetur, dispensationem dici subrepitiam (stricte loquendo, & juxta usitatam Theologis, & Jurisperitis acceptionem) in cujus petitione reticetur veritas necessario exprimenda: obreptitiam vero, in cujus petitione exprimitur falsitas, qua cognita dispensatio negaretur. Ex quo liquet, has dispensationes reipsa discrepare, quamvis usus obtinuerit, ut frequenter confundantur, & sumantur promiscue. Quod autem utraque, prædicto modo accepta, sit invalida, constat tum ex communi DD. consensu: tum ex *c. 8. & c. 19. de Rescript.*

Dixi: *stricte loquendo &c.* Nam late loquendo dispensatio *subreptitia* vocari etiam potest, in cujus petitione reticetur veritas, cujus expressio ad illius concessionem impetrandam non est simpliciter necessaria: & *obreptitia*, in cujus petitione exprimitur falsitas, qua cognita adhuc dispensaretur, vel saltem dispensari rationabiliter posset, aut etiam deberet. Et hoc modo accepta, utraque dispensatio valet, si sit obtenta; ut coosideranti patebit. Verum insistendo priori, & usitatæ acceptiooi.

514. Quæres secundo, quando dispensatio censeatur subreptitia ob suppressionem veri, & obreptitia ob expressionem falsi; adeoque invalida?

Respondetur primo. Tunc, quando suppressio veri aut expressio falsi fuit causa finalis concessæ dispensationis, tametsi petens dispensationem processerit sine dolo, & malitia, sed ex simplicitate, aut ignorantia. Laymann *lib. 1. tract. 4. cap. 22. n. 22. &* alii communiter. Ratio est: quia valor dispensationis depeodet a voluntate concedentis; hæc autem aberat, quando suppressio veri, aut expressio falsi causa finalis concessæ dispensationis, id est, talis causa, ob quam dispensatum est; ergo &c. Ex quo fluit, subreptitiam respective, vel obreptitiam, adeoque invalidam, censendam esse dispensationem, quando petens suppressit, vel expressit qualitatem, aut circumstantiam, cujus suppressio, vel expressio intrinsece ad rem pertinet, & qua non suppressa, vel expressa dispensatum non fuisset. Neque hic refert, quod petens dispensationem processerit sine dolo, & malitia: quia inde solum infertur, quod a culpa immunis sit, non autem, quod dispensatio concessa valeat: siquidem, dum ominitur, licet inculpabiliter, forma, vel conditio sine qua non, actus corruat, necesse est. Oppositum judicari debet, quando petens suppressit, vel expressit qualitatem, aut circuostantiam, quæ in ordine ad obtinendam dispensationis gratiam se habet extrinsece; ut quando in literis supplicibus se fioxit Patriotam, aut Cognatum Superioris, quem pro impetranda dispensaoone imploravit: hoc quippe casu, si ceteroquin causam veram, & sufficentem una allegaverit, dispensatio non erit obreptitia (stricte loquendo) adeoque nec invalida: quia similis qualitatis allegatio summe censeri potest fuisse causa impulsiva ad impertiendam dispensationem; cum Superior eam adhuc concessisset ob alteram causam, licet forsitan non tam prompte, & facile.

Si petas, unde colligi possit, an id, quod a petenre fuit expressum, exstiterit causa finalis, vel solum impulsiva dispensandi?

Ajo, generatim colligi vel ex Stylo Curiæ, aut Principis, vel ex judicio prudentis Viri, maxime Judicis: speciatim vero, ut sequitur. Itaque 1. si una duntaxat causa a petente fuit expressa, censenda est extitisse finalis: unde quando fuit falsa, dispensatio erat nulla; cum voluntas dispensandi, utpote veræ causæ innixa, tunc defecerit. 2. Si duæ causæ in supplicatione fuerunt adductæ, quarum una sufficiens, & altera insufficiens erat ad dispensationem obtinendam, prior itidem censenda est extitisse finalis; & consequenter si oon substiterit, esto substiterit posterior, dispensatio corruebat. 3. Si duæ causæ fuerunt allegatæ, quarum utraque seorsim fuisset sufficiens ad dispensationem impetrandam, & una extitit vera, altera vero falsa, vera existimanda est fuisse finalis, falsa vero impulsiva tantum; & consequenter dispensatio reputanda valida: quia in æquali dubio standum est potius pro valore actus, quam pro nullitate. P. Pichler *ad Tit. de Rescriptis n. 15.* cum aliis a se relatis.

Respondetur nunc ad principale Quæsit. secundo. Si petens dispensationem processit ex dolo, & malitia, dispensatio censetur subreptitia, vel obreptiria, adeoque invalida, etiamsi suppressio veri, vel expressio falsi non fuerit causa finalis concessæ dispensationis, modo pertineat ad substantiam rei petitæ, Sumitur ex *c. 15. de Rescript.* ubi sic deciditur: *mendax precator penitus careat impetratis; quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent.* Et ex *c. 20. eod.* ubi habetur: *qui per fraudem, vel malitiam falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in sua perversitatis pœnam nullum ex illis literis commodum consequantur.* Nec refert si dicas, *citt. cc.* loqui de Rescriptis justitiæ, non autem de Rescriptis gratiæ, quale est dispensatio. Nam licet loquatur de Rescriptis primi generis, ex communi tamen DD. calculo etiam extendnntur ad Rescripta secundi generis; idque merito, & ex ratione a fortiori: qnia Rescripta gratiæ sunt magis odiosa, cum siot relaxatiooes Juris Communis, adeoque contra, vel saltem non juxta illud. Porro responsioni nostræ insistimus, non tantum, quando partes, sive objecta dispensationis sunt connexa, & ad eundem finem ordinata, ut siquis roget secum dispensari v. g. in voto castitatis, & vinculo consanguineitatis in ordine ad contrahendum matrimonium; sed etiam quando sunt disparata, & non ordinata ad eundem finem; ut siquis in eadem supplicatione proponat votum castitatis, & votum peregrinationis Jerosolymitanæ, atque dispensationem super utroque petat. Rationem suppeditant verba supra allegatis textibus inserta: *penitus careat: nullum commodum &c.* hæc quippe cum universaliter sonent, & totalem rescriptis, sive dispensationis nullitatem exprimant, non verificarentur, si rescriptum, aut dispensatio valeret aliquando secundum partem, sive secundum unum objectum ex propositis; quia tunc mendax precator non penitus careret impetratis, nec posset dici nullum ex literis commodum consequi. Neque obstat *c. 37. de R. J. in 6.* ibi: *utile per inutile non debet vitiari.* Quia hæc Regula non procedit, quando lex invalidat totum actum, quemadmodum facit per relatos textus, idque *in pœnam perversitatis*, sive doli, quo utitur dispensationem, aliamve gratiam petens.

Dixi in respons. *etiamsi suppressio veri, aut expressio falsi non fuerint causa finalis concessa dispensationis.* Nam *citt.* textus non distinguunt, an dolus habuerit rationem causæ finalis, vel impulsivæ, ubi agunt de dolosa impetratione; distinguit tamen expresse *c. 20. cit.* illa sui parte, in qua agit de impetratione non dolosa. Unde & nos in prima respoosione distinximus, & non distinximus io secunda, utrinque secuti doctrinam Pichleri *loc. cit. n. 14. & 16.* Francisci Schmier *lib. 1. tract. 1. cap. 8. sect. 1. §. 7. a num. 97.* & aliorum apud ipsos.

Quæres tertio, an in petitione dispensationis debeat exprimi, quod fuerit jam semel petita, & negata, si forte petita, & negata fuit?

Respondetur negative. Ita Suarez *de leg. lib. 6. capit. 22. n. 1.* Palao *tract. 3. disp. 6. punct. 16. §. 4.* & alii communiter. Ratio est: quia necessitas id exprimendi nec ex Jure nec ex stylo Curiæ, nec aliuode ostendi potest. Neque refert, quod forte Superior non dispensasset, si scivisset, dispensationem a se, suove Antecessore esse jam semel denegatam. Nam hæc ratio, seu quod jam semel denegata sit dispensatio, est omnino extrinseca dispensationi, pro cujus concessione modo supplicatum est: unde illius suppressio istam, de facto, & actu concessam, non viriat, dummodo aliunde non defecerit sufficiens causa dispensandi. Et hanc doctrinam cum *citt.* Authoribus procedere judico eriam in casu, quo dispensatin primo petita, & denegata fuit a majori Superiore, v. g. a Pontifice, ac postmodum petitur a minori, ver. gr. Episcopo: quia ex negatione majoris Superioris non censetur sublata, aut restricta

potestas minori Superiori, si hic alias eadem, sive ordinaria, sive delegata, polleat.

516. Quæres quarto, an cessante causa dispensationis, cesset ipsa quoque dispensatio?

Antequam ad hoc Quæsit. respondeatur, notandum, dispensationem in duplici præcipue statu, seu tempore spectari posse. 1. Quando indultum dispensandi jam quidem concessum est, sed dispensatio nondum collata. 2. Quando dispensatio jam est collata, ejus tamen effectus, & utilitas nondum executioni mandata. Hoc notato,

Respondetur primo. Commissarius, seu delegatus ad dispensandum, non potest valide dispensare, quando post indultum, & mandatum acceptum causa finalis dispensandi ita cessat, ut ante tempus impertiendæ dispensationis non reviviscat. Suarez *lib. 6. de leg. c.* 20, *n.* 13. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 30. *num.* 12. Laymann *lib.* 1. *tract.* 4. *capit.* 22. *num.* 14. & alii passim, Ratio est: quia mandatum dispensandi datur sub hac conditione, *si preces veritate nitantur*; ergo quando talis conditio deficit (sicut deficit, dum causa finalis dispensandi cessat) mandatum expirat: consequenter Commissarius illud exequi non potest. Unde si Caja pauper suscepit prolem ex locuplete consanguineo, & allegato dotis defectu, ac susceptione prolis. Pontificem imploravit pro dispensatione super impedimento consanguinitatis, Pontifex autem commisit Ordinario, ejusve Officiali, ut examinata precum veritate, cum Cajo, ejusque consangineo dispenset, dispensare non poterit, si proles, antequam dispenset, ex hac vita discedat, & Caja ab extraneo hæres instituatur: quia tunc cessat causa finalis, eaque tota, dispensandi.

Dixi 1. *quando causa finalis cessat*. Secus enim est, si cesset causa impulsiva tantum.

Dixi 2. *ita, ut non reviviscat*. Si enim in tali aliquo casu causa cesset per aliquot tempus, & postea reviviscat, tunc poterit Commissarius, redeunte causa, ad dispensationem impertiendam procedere: cum ex una parte causa supponatur extitisse, quando facultas dispensandi data est (alioquin esset nulliter data, ut colligetur ex posthac dicendis) & ex altera parte eadem facultas per temporalem causæ cessationem suspensa duntaxat fuerit, non sublata. Authores *citt.*

Petes hic veluti occasionaliter, & incidenter, an quis possit dispensatione ceu valida uti, quam petiit, & obtinuit subticito in supplicatione impedimento, quod tempore datæ, seu expeditæ dispensationis suberat, tempore vero executionis literarum Apostolicarum, cessavit? v. g. Sempronius supplicavit pro beneficio curato, cum nondum ejus esset ætatis, ut intra annum posset fieri Presbyter; quam tamen ætatem jam attigit dum literæ executioni mandantur, & de beneficio providetur.

Respondetur negative. Ita Haunoldus *tom.* 1. *de Just. tr.* 2. *c. ult.* §. 3. *n.* 341. & Augustinus Michel *de leg. q.* 7. *pun.* 3. *n.* 5. Ratio est: quia dispensatio ob suppressionem impedimenti tunc existentis fuit subreptitia, & invalida: nec postmodum reconvalescere potuit; siquidem, juxta notam Juris Regulam, *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*: consequenter &c. Aliud tamen foret, si beneficium, ejusque petitio præscinderet a beneficio curato, & non curato, ver. gr. si Sempronius supplicasset pro beneficio proxime vacaturo: hoc enim casu si tempore concessæ dispensationis Sempronius fuisset saltem capax beneficii non curati, & ante executionem dispensationis evaderet insuper capax beneficii curati, atque hoc tale proxime vacaret, eidem conferri posset: quia tunc dispensatio ab initio valeret; neque enim necessarium erat exprimere defectum ætatis requisitæ ad beneficium curatum; eo quod pro tali determinate non supplicaverit. Authores *cit.*

Respondetur nunc ad principale Quæsit. secundo. Dispensatio semel absolute collata, non cessat, tametsi ejusdem effectus, & utilitas nondum sit executioni mandata, antequam causa finalis cesset. Suarez *loc. cit. n.* 25. Salas *disp.* 20. *sect.* 7. *n.* 67. Augustinus Michel *loc. cit. pun.* 5. *n.* 9. & alii plures contra Sanchez, Babenstuber &c. Ratio est 1. *quia factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari*, juxta *Reg.* 73. *de Reg. Jur. in* 6. atqui dispensatio fuit legitime facta, ut supponitur; ergo &c. Ratio est 2. quia legitime, & absolute dispensatus ita eximitur ab obligatione legis, ut ista respectu ipsius non stringat, nisi reproducatur per aliquam causam moraliter efficientem: qualis in proposito casu nulla assignari potest: consequenter &c. Confirmatur a paritate. Si Princeps debitum sibi tributum hodie tibi absolute remittat ob inopiam, qua premeris, remissio non corruit, si cras, invento præter opinionem thesauro, ex Codro Croesus fias; ergo nec corruit dispensatio v. g. duobus consanguineis super impedimento consanguinitatis in ordine ad contrahendum matrimonium legitime, & absolute concessa ob legitimationem prolis, etsi hæc præter opinionem moriatur, antequam ad contrahendum matrimonium procedatur.

Dixi: *dispensatio absolute collata*, puta ex causa, quæ videbatur dispensanti tandiu duratura, donec dispensatio suum effectum, & quidem ultimum, ac totalem sortita esset. Si enim dispensaretur veluti conditionate, *donec, vel nisi causa dispensationis cesset*, per se clarum est, dispensationem, causa cessante, corruere. Similis tamen conditio, quando non exprimitur, aut colligitur ex circumstantiis, præsumi non debet fuisse adjecta. Declaro rem in exemplis. Ponamus enim 1. quod Cajus voto castitatis ligatus, & acerrimos carnis stimulos diuturno jam tempore passus, obtinuerit dispensationem super voto, ut contrahere matrimonium possit. 2. quod Titius gravi, eoque prolixo morbo laborans, impetret dispensationem in jejunio quadragesimali currentis anni. In utroque hoc casu dispensatio (nisi dispensans expressserit oppositum) censetur absolute concessa, & suffragatur Cajo in ordine ad ineundum matrimonium, ac Titio ad non servandum jejunium, licet causa finalis dispensandi post concessam dispensationem utrinque cesset. Ratio est: quia dispensanti nullum rationabile dubium de cessatione causæ poterat suboriri; ergo censeri non potest voluisse dispensationem alligare cessationi causæ; cum nihil sit volitum, quod non præcognitum. Atque in hoc casu, & sensu responsio a nobis data procedit. Secus haud dubie foret, si vel dispensans conditionem expresse apponeret, ver. gr. dispenso cum Cajo, nisi, antequam matrimonium ineat, stimuli carnis mitigentur, aut cessent; cum Titio, donec convalescat, viresque corporis recuperet: vel similis mens dispensantis colligeretur ex circumstantiis, uti fieret, si dispensationem super jejunio impertiret Titio, cui ex Medici Judicio, vel aliunde crederet sanitatem, & vires brevi redditum iri. Tunc quippe ultro fatemur, cessante causa, etiam cessare dispensationem: quia, ut supra insinuatum, dispensatio conditionata corruit, quando conditio, cui alligabatur, deficit. Sed de hoc casu nobis sermo non erat. Nihilominus adhuc contra nostram responsionem

Dices cum P. Babenstuber, Superior non præsumitur ab obligatione legis quenquam eximere non subsistente justa causa; cum recta ratio dictet, tunc partem debere se toti quoad observationem legis conformare; ergo &c.

Confirmatur cum eodem Authore. Ut valeat dispensatio impertita per delegatum, non sufficit, quod causa subsistat tempore, quo Papa dat indultum, aut mandatum ad dispensandum, sed requiritur, ut etiam subsistat tempore, quo delegatus dispensando exequitur mandatum; ergo præterea requiritur, ut causa subsistat etiam tempore, quo dispensatio jam impertita sortiri debet suum effectum.

Respondetur ad argument. dist. ant. Si non subsistat causa, dum Superior dispensationem concedit, con. sic enim ageret saltem illicite, quod non est præsumendum. Si non subsistat causa, postquam dispensatio legitime, & absolute concessa jam est, neg. ant. Et similiter dist. rationem antecedentis probativam. Recta ratio dictat, partem non dispensatam se debere conformare toti, con. partem dispensatam, neg.

Ad confirmat. con. ant. & neg. conf. ac parit. Disparitas est: quia si tempore, quo delegatus dispensando exequitur mandatum, causa non subsisteret, dispensatio esset illicita (imo & invalida) adeoque eam impertiendo peccaret: quod, ut dixi, præsumendum non est. E diverso si dispensationem semel bona fide, seu ob causam, quam rationabiliter credidit perseveraturam, concesserit, recte (nisi oppositum expresserit) censetur eam concessisse absolute; cum sic concedendo egerit

valide,

valide, & licite: siquidem juxta communem DD. ad valorem, & licentiam dispensationis sufficit, quod causa tempore concessionis probabiliter, & rationabiliter habita fuerit pro sufficiente, etsi reipsa non sufficerit: hoc nanque modo non mere, sed rationabiliter dispensatur; & alioquin semper formidandum esset, ne forte causa non sufficiat, & postmodum deprehenso errore multa acta in valore dispensationis fundata rescindi deberent cum magno publico, aut privato incommodo.

Ex quibus fluit, Titium supra non solum permanere deobligatum a jejunio, quando dispensationis beneficio jam frui cœpit, per aliquot dies quadragesimæ comedendo carnes; sed etiam quando nondum frui cœpit; ut contingeret, si diebus jejunium præcedentibus sanitatem, & vires præter omnem spem, atque repente recuperaret; nam rationes responsionis nostræ militant pro utroque casu.

Et hæc de dispensatione in communi dicta hic satis sunto. Instructionem practicam petendi disputationes dabo alibi, præcipue *in part.6.* ubi de dispensatione super impedimentis matrimonii acturus sum.

CAPUT IV.

De Cessatione Legis per Privilegium.

ARTICULUS I.

De Natura, & Varietate Privilegii.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Privilegium?

SUMMARIUM.

517. *Unde nomen* privilegium *derivetur?* 518. *Adstruitur, & explicatur definitio privilegii; ejusdemque* 519. *differentia a lege, & dispensatione.* 520. *Privilegium varie dividitur.*

517. PRænotandum, nomen *privilegium* derivari a vocibus *privata, & lex*, ut idem sonet, ac *privata lex*, seu *privatum legium*; prout colligetur ex dicendis. Unde & definiri communiter solet, quod sit *lex privata, speciale beneficium concedens*. Ut tamen paulo clarius, & accuratius definiatur.

518. Dico primo. Privilegium est *concessio alicujus juris specialis, a legitimo Superiore facta subdito, vel saltem inferiori contra, vel præter* legem. Ita in re communis DD.

Explicatur. Dicitur 1. *concessio alicujus juris specialis*. Nam privilegio debet concedi jus, seu facultas, & licentia alicujus agendi, vel omittendi præter, vel contra legem. Porro illud jus debet esse quid speciale: si enim privilegio nihil speciale conferretur, sed quod alias lege jam concessum esset, inutile, & frustraneum foret privilegium.

Dicitur 2. *a legitimo Superiore facta*, id est, a Superiore, qui legitima potestate concedendi privilegium pollet.

Dicitur 3. *subdito, vel saltem inferiori*. Nam licet materia privilegii, nimirum jus, quod privilegio confertur, debeat semper esse sub jurisdictione privilegiantis, non tamen is, cui privilegium conceditur, necessario semper debet esse subjectus concedenti.

Dicitur 4. *contra, vel præter, seu ultra legem*, ut denotetur, privilegium concedi posse, ut vel deroget, vel non deroget legi. Priore modo conceditur, quando (ut ex terminis patet) legi (sive universali, sive particulari, & municipali) adversatur; quemadmodum facultas laborandi die festo, comedendi carnes die prohibito &c. Posteriore modo conceditur, quando nulli legi adversatur; ut potestas dispensandi, indulgentias largiendi &c.

Atque hæc omnia magis dilucidabuntur per dicenda partim in isto adhuc §. partim in §. proxime secuturo.

519. Colliges, privilegium differre tum *a lege*, tum *a dispensatione*. A lege differt multipliciter. 1. Quia privilegium non obligat privilegiatum (si in ipsius favorem præcise concessum sit) ad sui usum; lex vero obstringit subditos ad sui observationem. Et licet privilegium quoque obliget tum alios, ne privilegiatum impediant in usu privilegii, vel impediri sinant; tum (si favorem Communitatis, cujus privilegiatus est membrum directe respiciat) ipsum privilegiatum, ut illo utatur; talis tamen obligatio non oritur directe ex privilegio, utpote cujus objectum est favor privilegiato concessus; sed ex ipso Jure naturæ quemlibet obligante, ne alium in jure quæsito impediat, aut impediri permittat, vel præjudicium creet 2. Qualibet lex necessario bonum commune directe respicit: at privilegium sic respicere quoque potest bonum particulare privilegiati. 3. Lex ad sui valorem requirit justam causam; non item privilegium, quippe quod solum ad licitam sui concessionem simili causa opus habet; ut §. *seq.* videbimus. 4. Lex debet esse perpetua, perpetuitate scilicet negativa, exposita *n.*203. non item privilegium, utpote quod ad certum tempus restringi potest; ut patet, si alicui concedatur privilegium non solvendi decimas v.g. pro uno duntaxat anno. 5. Lex, ut actu stringat, exigit solemnem sui promulgationem; privilegium vero, ut vires suas exerat actu, indiget sola insinuatione facienda tum ipsi privilegiato, maxime si sit privilegium motu proprio concessum; tum aliis, quibus incumbit privilegiatum in usu privilegii non impedire, vel etiam manutenere; ut iisdem sic innotescat sua obligatio.

A dispensatione privilegium præcipue differt, quod istud non sit semper contra legem; bene vero illa: quæ proinde a S. Augustino in *can.*24. *caus.*23. *q.*4. nominatur *vulnus contra integritatem severitatis*. Quo fit, ut dispensatio regulariter sit strictæ interpretationis, utpote a Jure exorbitans, & odiosa; non item privilegium, veluti patebit ex *n. seq.* Ipsa tamen facultas dispensandi, præsertim ordinaria, & universaliter delegata, amplæ interpretationis est, utpote favorabilis; quia ex una parte non repugnat Juri, ex altera vero communi bono necessaria est, P. Pichler *ad Titul. de Constit, n.*87.

520. Dico secundo. Privilegium multifariam, multisque modis dividitur.

Explicatur. Nam dividitur primo in *reale*, & *personale*. Reale dicitur, quod directe, & principaliter conceditur intuitu rei, puta loci, muneris, dignitatis, vel alterius qualitatis communis: in consequentiam vero personis, quibus illa res annectitur: cujusmodi sunt privilegium asyli Ecclesiis concessum; privilegium venandi certo castro annexum; privilegia Religiosis Ordinibus, Civitatibus, Statibus, Clericorum, Studiosorum, filiorumfamilias &c. indulta: item privilegia data Episcopis, Præpositis, certis Officialibus qua talibus &c. Personale dicitur, quod directe, & principaliter conceditur certæ personæ singulari qua tali, & in favorem ipsius, absque contemplatione rei, aut qualitatis communis: cujusmodi est privilegium, quo Cajo v. g. confertur facultas dispensandi, Horas Canonicas omittendi, duos Canonicatus retinendi &c.

Ubi duo tenaciter advertenda sunt. Primum est, quod privilegium reale transeat ad quoscunque successores, & possessores rei; personale vero extinguatur cum persona *cap.*7. *de R. J. in* 6. & *l.*7. *pr. ff. de publican. & vectig.* Alterum est, quod si dubitetur, sitne privilegium reale, & personale? ante omnia attendi debeat forma verborum, quibus concedens utitur, an videlicet ea principaliter in rem, aut conditionem, vel potius in personam dirigantur? Si prius, erit reale; si posterius, personale. Censentur autem concedentis verba principaliter dirigi in rem, aut conditionem, quando conferatur privilegium non exposito, vel saltem postposito proprio nomine privilegiati. E diverso censentur dirigi principaliter in personam, quando privilegium confertur reticito, vel saltem postposito nomine rei, aut conditionis; vel si exprimitur quidem conditio, sed additur ratio specialis excellentiæ in tali personæ repertæ, v.g. doctrinæ, zeli, meritorum &c. Considerandа insuper est natura privilegii, an sit tale, quod ordinarie etiam successoribus concedi soleat, nec ne? si sic, reale; si non, personale erit. Quod si ex omnibus prædictis nondum satis appareat, & discerni valeat privilegii qualitas, inspiciendum est, an sit contra legem aut jus alicujus tertii, vel non? Si primum, censebitur regulariter personale; si secundum, reale *c.*15. & *c.*28. *de R. J. in* 6. item *l. fin. ff. de Constit. Princ.*

Dices. Immunitas Clericalis comitatur personam Clerici, quocunque ierit; ergo est privilegium personale,

nale, non reale, quale tamen esse asseritur a nobis supra.

Respondetur, neg. conf. Nam licet memoratum privilegium comitetur personam, & hæc illo uti valeat, ubicunque extiterit, non tamen personæ qua tali, & intuitu ipsius, sed quatenus ea est membrum Status Clericalis, & ob qualitatem communem directe, & principaliter conceditur. Idem ferto judicium de aliis id genus privilegiis.

Dividitur privilegium in *perpetuum*, & *temporale*. Perpetuum est, quod sine præfinitione temporis conceditur, vel rei de se perpetuæ adhæret. Temporale est, quod ad certum tempus restringitur: idque fieri tripliciter potest. 1. Si concedatur sub tali conditione, quæ tractu temporis finitur, aut suapte natura perpetuo durare nequit. 2. Si detur soli personæ, cum qua exspirat. 3. Si ipses privilegians illud alliget certo temporis lapsui.

Dividitur 3. in *scriptum*, & *non scriptum*. Prius est, quod per scripturam conceditur; posterius vero, quod oretenus confertur (diciturque *privilegium vivæ vocis oraculo concessum*) vel introducitur per consuetudinem, aut præscriptionem; habetque (si postremo modo conferatur) id speciale, quod non censetur revocari, quando revocantur privilegia a Principe per scripturam, aut oretenus concessa; ut notant Suarez *de leg. lib.8. c.7. n.15.* Bonacina *disp.1. q.3. pun.1. num.3.* Salas *disp. 17. sect.2. n.22.* Ratio est: quia in materia odiosa, qualis est revocatio privilegii, nomen privilegii strictissime accipiendum est, adeoque non extendendum ad privilegium consuetudinarium, aut præscriptum, sed restringendum ad privilegium a Principe per scripturam, vel oretenus concessum, utpote quod solum rationem privilegii strictissime sumpti participat.

Dividitur 4. in *concessum motu proprio*, & *concessum ad instantiam*. Concessum motu proprio dicitur, quod Princeps a se solo motus concessit independenter a qualibet petitione, licet forte aliqua præcesserit. Ubi tamen clausula *motu proprio* (maxime si petitio antecesserit) debet exprimi: quia concessio privilegii, quæ ita fit, continet in se exclusionem, & negationem omnis alterius motivi, qualis non nisi ex terminis illam exprimentibus constare potest. Concessum ad instantiam appellatur, quod pro suo motivo habuit petitionem, seu instantiam privilegiati, vel alterius, ipsius partes gerentis, alias non concedendum.

Dividitur 5. in *clausum Corpore Juris*, & *speciali concessione indultum*. Primum est, quod in Corpore Juris communis sedem obtinuit; ut privilegium Canonis, & Fori, aliaque Personis Ecclesiasticis, aut Ecclesiis concessa. Secundum est, quod per speciale rescriptum, diploma, literas, vel etiam oretenus collatum est.

Dividitur 6. in *commune*, & *privatum*. Commune nuncupatur, quod per se, directe, & immediate respicit bonum Communitatis, tametsi mediate cedat in bonum singulorum, qui sunt membra illius Communitatis: cujusmodi est memoratum privilegium Canonis, & Fori. Privatum, seu singulare nominatur, quod per se, directe, & immediate respicit bonum personarum particularium, ut privilegium S. C. Vellejani, Macedoniani, ac Restitutionis in integrum; licet & ipsum per accidens, indirecte, ac mediate redundet in bonum Communitatis.

Dividitur 7. in *affirmativum*, & *negativum*. Affirmativum est, vi cujus aliquid licet facere, v. g. venari in alterius districtu, dare suffragium in aliena Ecclesia &c. Negativum est, vi cujus aliquid, alias non permissum, omittere licet; ut patet in privilegio non solvendi decimas, tributa &c. Affirmativum potest ex se esse contra, vel præter legem; ut patet in privilegio comedendi die vetito carnes, quod est contra, & in privilegio eligendi Confessarium, quod est præter legem. At vero negativum semper est contra legem, saltem dubiam: quia alias per illud nihil concederetur; cum quilibet possit omittere, quod agere non tenetur.

Dividitur 8. in *favorabile*, & *odiosum*. Primum est, quod ita favet privilegiato, ut nec deroget, nec redundet in gravamen, aut præjudicium tertii; uti facultas dispensandi, dandi indulgentias &c. Alterum est, quod præter favorem privilegiati continet præjudicium sive legis, quale est omne privilegium contra legem, sive tertii, nimirum hominis, ut privilegium non solvendi decimas, tributa &c. Unde hoc tale privilegium licet sit favorabile, quatenus respicit privilegiatum; censetur tamen simpliciter odiosum, quatenus cedit in præjudicium legis, vel hominis. Privilegium favorabile est late interpretandum, licet ejusmodi interpretatio forte cedat in præjudicium concedentis: modo non fiat extensio ultra omnem sensum verborum, etiam largissime acceptum, *c.15. de R. J. in 6.* ibi: *odia restringi, & favores convenit ampliari c.22. de privilegiis &c.* item, & præcipue *cap.16. de V. S.* ibi: *cum beneficia Principum sint interpretanda largissime.* E diverso privilegium odiosum stricte interpretandum est, quantum patitur proprietas verborum, *c.15. cit.* Quod tamen intelligendum *regulariter loquendo*. Excipitur enim 1. nisi privilegium contineat favorem Religionis, vel causæ piæ; ut si Regulares eximantur a Jurisdictione Episcoporum; vel filiis legitimis aliquid concedatur in causa pia; si quidem id etiam intelligendum venit de filiis legitimatis, *arg. l.43. fin. ff. de Religiosis, & sumpt. funer.* 2. Nisi cedat in bonum commune Reipublicæ. 3. Nisi concessum sit motu proprio, & ex certa scientia: aut 4. nisi insertum Corpori Juris communis &c. Videantur Augustinus Michel *tr.4. q.7. pun.4.* Pichler *ad Tit. de privileg. n.16.*

Dividitur 9. in *mere gratuitum*, & *remuneratorium*. Mere gratuitum, sive gratiosum est, quod ex pura Principis benevolentia, ac liberalitate proficiscitur, & confertur sine intentione remunerandi merita præcedentia privilegiati, vel aliorum ad ipsum attinentium, puta parentum, consanguineorum &c. talia plerumque sunt privilegia studiosorum, mulierum, minorum &c. Remuneratorium est, quod confertur in compensationem præcedentium meritorum, seu per modum præmii, & satisfactionis pro præstitis obsequiis, sive meritis: cujusmodi fere sunt privilegia Religiosorum, Belliducum, Militum &c.

Dividitur 10. in *purum*, & *onerosum*. Purum dicitur, quod continet favorem sine annexo onere: onerosum vero, seu conventionale appellatur, quod conceditur sub certa quadam obligatione, & onere. Sic facultas legendi libros hæreticos quandoque datur sine onere, quandoque cum onere, seu obligatione annotandi, & Episcopo exhibendi, quæ inter legendum notatu digna occurrerint. Priore casu privilegium censetur purum; posteriore onerosum.

Dividitur 11. in privilegium *primo per se*, & *ad instar concessum*. Illud est, quod alicui specialiter, & sine respectu, ac ordine ad privilegium prius alteri datum, confertur. Istud est, quod alicui confertur cum in modum, quo jam alteri collatum est. Et hoc fieri dupliciter potest. 1. ita, ut conferens nihil exprimat de punctis contentis in privilegio prius alteri dato, v. g. dicendo: *confero tibi privilegium, quod contuli Petro.* 2. ut in privilegio exprimat favorem, quem confert dicendo: *confero tibi licentiam tempore Quadragesimæ comedendi carnes, sicuti contuli Petro.* Si privilegium conferatur priore modo, ad ejus valorem requiritur, ut privilegium Petro collatum ab initio valuerit; non item, si posteriore. Ratio disparitatis est: quia particula ad similitudinem in priore casu apponitur veluti conditio; at in posteriore tantum exempli gratia. Dixi: *ut privilegium Petro collatum ab initio valuerit.* Nam si primum postea reddatur invalidum, non oberit valori privilegii tibi ad instar illius concessi: siquidem, dum hoc tibi indulgebatur, validum tunc erat privilegium Petri: consequenter & tuum; neque istud irritatur, quando irritatur illud. Ratio est: quia tuum privilegium, licet generaliter, & absque expressione materiæ concessum, dependet a privilegio Petri solum in fieri, non autem in conservari. Quo fit, ut, si qua Religio extingueretur, non idcirco exspirarent privilegia, quæ ad instar illius, & per communicationem alteri Religioni fuissent indulta. Suarez, Palao, & Salmanticenses, quos refert, ac sequitur Paulus Mezger *tr.8. disp.37. art.2. §.3. n.16.* Sed de hoc iterum, & accuratius *art. seq.* Hic autem ut pergamus.

Dividitur privilegium 12. in *privilegium pro foro interno*, & *externo*. Prius est, quod privilegiatum liberat in foro conscientiæ tantum, non item in foro contentioso: unde taliter privilegiatus in posteriore foro se gerere debet, ac si nullo privilegio gauderet, v. g. ex-

commu-

communicatus, sacramentaliter tantum absolutus, non potest se gerere tanquam ab excommunicatione liberum, si fuerit excommunicatio notoria, & absolutio ignota; secus, si utraque occulta, vel utraque nota: prout cum aliis advertit Layman *lib.1. tr.1. cap.7. n.6.* Posterius est, quod privilegiatum liberat pro foro contentioso. Et hoc privilegium, licet detur pro foro externo, ac contentioso, prodest nihilominus pro foro quoque interno, ac conscientiæ: quia sententia fori externi valet etiam in foro interno, nisi falsa præsumptione nitatur. Suarez *lib.8. de leg. c.6. n.11.* Quod si privilegium absolute concedatur sine restrictione ad forum internum censetur pro utroque foro concessum: quia favores sunt ampliandi, nisi circumstantiæ aliud suadeant, Layman *loc. cit.* Porro restrictio privilegii ad forum internum, sive conscientiæ, illud non semper coarctat ad confessionem, sive forum Pœnitentiæ Sacramentalis: siquidem prius forum latius patet, ac posterius; cum conscientia non solum a vinculo culpæ per absolutionem Sacramentalem, sed ab aliis quoque vinculis, puta censurarum, votorum, juramentorum &c. per absolutionem extra-Sacramentalem liberari queat. Unde gnaviter in rem præsentem advertit Herincx *de leg. disp.4. q.5. n.67.* aliud esse *forum Pœnitentiæ*, & aliud *forum Pœnitentiæ Sacramentalis*; nam judicium pœnitentiale etiam exercetur, quando aliquis extra confessionem pro foro conscientiæ absolvitur a censura cum injunctione salutaris pœnitentiæ. Ex quo fluit, quod, licet in privilegio exprimatur forum Pœnitentiæ, vel jubeatur injungi pœnitentia, non requiratur determinate confessio, nisi agatur de peccatis: siquidem absolutio ab aliis vinculis, & injunctio pœnitentiæ etiam extra confessionem legitime fieri possunt. Imo licet fiat mentio confessionis, & plures termini præcesserint, quorum aliqui exposcunt confessionem, alii non, tunc clausula illa *audita confessione* non refertur ad omnes terminos, sive objecta, sed tantum ad peccata; ut habet Thomas Sanchez *lib.4. mor. c.54. n.16.* Unde potestas concessa Religiosis absolvendi a peccatis, & censuris, ac vota commutandi *audita diligenter confessione*, poterit etiam extra confessionem quoad censuras, & vota exerceri. Similiter non refert, si fiat mentio Confessarii; quia nomen *Confessarius* potius denotat officium, quam actum; ut notat idem Sanchez *lib.8. de matrim. disp.34. n.19.*

§. II.

Expediuntur breviter nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

521. Deciditur, quis possit concedere privilegium, & in qua materia? Item 522. Cui possit? 523. Non requiritur justa causa ad validam, bene tamen ad licitam concessionem privilegii.

521. Quæres primo, quis possit concedere privilegium, & in qua materia?

Respondetur primo, Privilegium contra legem concedere potest (1.) solus Legislator (vel ejus Successor, aut Superior) privilegium vero præter legem (2.) etiam alius, potestate legislativa destitutus, modo aliqua alia superioritate in certo quodam genere præditus sit. Primam partem docent Azorius, Salas, Palao, Layman, & alii communiter. Alteram insinuat P. Pichler *loc. cit. n.10.* & adhuc apertius *n.22.* licet *n.5.* in definitione privilegii habeat contrarium. Ratio autem primæ partis est: quia privilegium contra legem vel est ipsa dispensatio (prout tradit P. Babenstuber *tr.3. disp.3. art. n.2.*) vel saltem (ut volunt alii) dispensationem necessario includit: atqui solus Legislator potest in sua lege dispensare; ergo &c. Ratio secundæ partis est: quia privilegium præter legem nec dispensationem, nec aliquem alium actum jurisdictionis proprie dictæ involvit; ergo non apparet, ex quo capite ad sui concessionem necessario requirat in concedente potestatem legislativam. Nec dicas cum Paulo Mezger *loc. cit. art.5. n.1.* Ut quis concedere privilegium possit, debet habere subditos, quos obliget, ne privilegiatum in usu privilegii impediant: atqui hoc præstare nequit, qui non præfulget potestate legislativa; ergo &c. Contra enim est 1. quod privilegium, maxime præter legem, prosit privilegiato etiam extra territorium concedentis, & ubi hic nullos habet subditos, quos obstringat, ne illum in usu privilegii turbent: prout dicemus infra *art.3.* & ipsus P. Mezger admittit *loc. cit. num.5.* Imo privilegium præter legem concedi potest etiam non subditis, respectu quorum potestas legislativa exerceri non potest; prout ostendemus *num. seq.* Contra est 2. quod obligatio non impediendi privilegiatum in usu privilegii non oriatur directe ex privilegio, sed ex jure naturæ: prout advertimus supra *n. 519.* & iterum tradit P. Mezger *art.1. num.2.* Contra est 3. quod privilegians in sibi subjectos possit exercere potestatem dominativam (etsi legislativa careat) quia illis vetet, ne privilegiato in usu privilegii præjudicium creent &c. His probe perpensis non videtur esse absoluta necessitas potestatis legislativæ in concedente privilegium præter legem. Nunc ad quæstionem.

Respondetur secundo. Res, seu materia privilegii debet concedenti esse subjecta. Ita cum communi aliorum Augustinus Michel *loc. cit. pun.2. n.1.* Ratio patens est: quia nemo potest quidquam disponere, vel remittere de rebus, aut juribus alienis; præsertim ad potestatem superiorem pertinentibus: consequenter &c.

522. Quæres secundo, cuinam concedi privilegium possit?

Respondetur: Si privilegium sit contra legem (1.) non potest concedi alteri, quam subditos; secus (2.) si sit præter legem. Palao *tr.3. disp.4. pun.4. n.2.* Mezger *loc. cit. art.5. n.2.* & alii communiter. Ratio primæ partis est: quia privilegium contra legem involvit dispensationem, quæ est actus jurisdictionis, & exerceri non potest, nisi in subditum, ac lege obstrictum. Ratio secundæ partis desumitur a contrario: siquidem concessio privilegii præter legem non includit actum jurisdictionis, sed est actus meræ, & liberæ facultatis, sicut donatio, nec obligat privilegiatum saltem per se, & directe, sed tantum aliquid eidem permittit. Sufficit ergo, quod is, qui accipit privilegium, & quatenus accipit, sit inferior privilegiante, licet sub alia ratione, & consideratione non sit eo inferior, imo major. Unde fit, ut 1. Princeps, Rege minor, possit huic conferre privilegium venandi in territorio sibi privative subjecto. 2. Ut Clerici, Principibus laicis non subditi, obtinere ab iis valeant aliquod privilegium, v. g. transeundi per illorum terras &c.

523. Quæres tertio, an ad concedendum privilegium requiratur justa causa?

Respondetur. Ad illud (1.) valide concedendum nulla requiritur; bene tamen (2.) ad concedendum licite. Communis. Ratio primæ partis est; nam si privilegium sit contra legem, sicut Legislator absque causa potest legem suam tollere respectu omnium, ita potest unum, vel aliquos per privilegium ab illius obligatione eximere. Si vero privilegium sit præter legem, ejusdem concessio est actus meræ, & liberæ facultatis, similis donationi; donatio autem sine justa causa, & prodige facta valet, saltem per se loquendo, & regulariter. Ratio secundæ partis est: quia concessio privilegii contra legem, quando nulla causa rationabili nititur, militat adversus Justitiam cum legalem, enervando disciplinam, & æmulationes, ac invidias suscitando; tum distributivam, alios levando, alios sub onere relinquendo: concessio autem privilegii præter legem, & in nullius præjudicium cedens, militat adversus virtutem liberalitatis, seu prodiga quædam donatio.

Dices contra respons. ad primam partem. Indulgentiæ concessio non valet absque justa causa; ergo nec concessio privilegii.

Respondetur cum P. Reiffenstuel ad *Tit. de privilegiis &c. n.37.* concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia Papa indulgentiam concedit non tanquam Dominus, sed præcise ut Dispensator meritorum Christi, & Sanctorum, in cujus proin potestate non est illa citra rationabilem causam dispensare, & veluti dissipare. E diverso concedens privilegium (sive is sit Legislator, sive alia ratione Superior) agit ut Dominus, cum materia, sive jus, quod privilegio confertur, sit sub ipsius jurisdictione, & libera dispositione: prout relinquitur ex dictis *n.521.*

ARTICULUS II.

De Acquisitione Privilegii.

SUMMARIUM.

524. *Privilegium acquiritur tribus modis.*

HOc unicum in præsenti articulo breviter decidendum venit, quot, & quibus modis privilegium acquiratur. Itaque ut quæstioni satisfaciam,

524. Dico. Privilegium acquiritur tribus præcipue modis.

Explicatur. Acquiritur quippe 1. *per actualem legitimi Superioris concessionem*: ad quam tamen, ut valeat, nulla est necessaria scriptura, sed etiam oretenus facta subsistit regulariter loquendo; prout habet communis DD. Ratio est: quia valor privilegii dependet a voluntate concedentis, quæ non minus viva voce, quam scripto potest innotescere. Inservit tamen scriptura ad hoc, ut facilius, & plenius de tenore privilegii constare queat.

Dixi: *regulariter loquendo*. Nam Jus quandoque ad valorem privilegii (vel aliarum gratiarum) specialiter exigit scripturam: ut si concedatur facultas non residendi in beneficiis curatis. Trid. *sess.23.c.1.de Reform.* vel ingrediendi monasterium Monialium &c. Trident. *sess.25.c.5.de Regular.*

Dices. Quando a Sede Apostolica emanat aliqua gratia, privilegium, dispensatio &c. ea dicitur informis ante expeditionem literarum Apostolicarum; ut habetur *in Reg. Cancellar.*25. ergo non valet absque scriptura.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, gratiam a S. Pontifice concessam, dici ante expeditas literas informem relate ad judicium, & forum externum, non vero relate ad internum; in isto quippe privilegium jam censetur formatum, & perfectum per solam signaturam, eoque, si de concessione sufficienter constet, uti licitum est. Videatur P. Engel *ad Tit. de privileg. &c.* §.2. Porro per allatum argumentum haud probatur, concedi non posse privilegium viva voce.

Acquiritur privilegium 2. *per communicationem*, seu participationem, qua Superior privilegium, jam prius uni, vel pluribus concessum, extendit ad aliud, vel alios: quod fit vel *absolute*, & *pariformiter*, quando scilicet privilegium sine respectu ad illos, quibus jam antea concessum erat, communicatur, & porrigitur ad alios; vel *ad instar*, & *relative* ad eosdem. Et hic posterior modus communicandi iterum duplex est. Unus est, quando privilegium communicatur ad instar directe, per se, & æque principaliter: atque tunc non augetur, vel minuitur privilegium respectu illorum, quibus sic communicatur, quando augetur, vel minuitur, aut amittitur respectu aliorum, qui eodem antea insigniti fuere. Talem privilegiorum communicationem, eamque mutuam, saltem generalem, habent Regulares Ordinum Mendicantium inter se, imo etiam, sed non mutuam, cum Religiosis Ordinum non-Mendicantium: prout videbimus *part.3. tr.3. disp.2.* Alter est, quando privilegium communicatur non directe, per se, & æque principaliter, sed tantum indirecte, accessorie, & propter connexionem, quæ datur cum aliis jam privilegiatis: & tunc augetur, vel minuitur, vel amittitur cum prius concesso. Hoc communicationis modo privilegia Religiosorum communicantur nonnunquam eorum Familiaribus, Benefactoribus &c.

Acquiritur privilegium 3. *per præscriptionem*, vel *consuetudinem*, non modo immemorialem, sed etiam minoris temporis, dummodo conditiones ad præscriptionem, vel consuetudinem requisitæ adsint. Engel *loc. cit. num.*1.

ARTICULUS III.

De Usu Privilegii.

SUMMARIUM.

525. *Nemo tenetur uti suo privilegio, præterquam in uno, alterove casu.* 526. *Usus privilegii non incipit a tempore concessionis, sed acceptationis.* 527. *Proponitur, & solvitur objectio.* 528. *Deducitur utile corollarium pro praxi.* 529. *Usus privilegii personalis, absolute, & sine restrictione concessi, regulariter licitus; & validus est etiam extra territorium concedentis.*

525. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, quod nemo teneatur uti suo privilegio, præterquam in uno, alterove casu. Ratio est: quia *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, juxta *c.61. de R. J. in 6.* Excipitur autem omnium consensu casus, quo privilegium concessum est alicui Statui, vel Communitati, sine cujus præjudicio privilegii usus declinari, & prætermitti non potest; veluti contingeret, si Clericus citaretur ad tribunal seculare; hoc quippe casu teneretur uti privilegio exemptionis a tali foro, & comparere non posset citra præjudicium Status Clericalis, cujus ipse est membrum. Alter casus a Bonacina *disp.1. q.3. pun.4. §.1. n.3.* Sanchezio *lib.9. de matrim. disp.6. n.15.* affertur, & est, quando concurrit aliqua lex, præcipiens actum, sine usu privilegii non exercibilem; ut si die festo audiendum est sacrum, quod tempore interdicti audire non licet, nisi quis utatur privilegio. Diana tamen *tr. de Horis Canonicis resolut.* 43. & alii (forte probabilius) oppositum sustinent, docentque, posse tunc omitti sacrum; atque ita nec in hoc, nec in alio simili casu (primum vero, ut diximus, omnes excipiunt) ullam legem obstringere ad usum privilegii. Hoc supposito, In quæstionem venit 1. Quando incipiat usus privilegii? An privilegio uti liceat extra territorium concedentis?

526. Dico primo. Usus privilegii non incipit a tempore concessionis, sed acceptationis, sive formalis, & explicitæ, sive æquivalentis, & implicitæ: vel (quod in idem recidit) privilegium non statim a die concessionis, sed acceptationis habet suum effectum, ita, ut privilegiatus nec valide, nec licite antea illo uti possit. Suarez *lib.8.c.25.n.15.* Azorius *lib.5.c.3.q.7.* Salas, Bonacina, & alii.

Probatur tum ex *c.17. de Preb. in 6.* ubi statuitur, non acquiri jus in beneficio, quod confertur absenti, donec is ratam habuerit collationem; ergo etiam alia Principis beneficia non acquiruntur nisi acceptata. Tum quia privilegium est quædam donatio; hæc autem non est perfecta, nec operatur suum effectum, nisi compleatur acceptatione donatarii, *l.35. C. de donat.* Hinc fit, ut privilegium a concedente ante acceptationem libere revocetur; partim quia par debet esse conditio concedentis, & cui conceditur, ut quemadmodum hic libere potest acceptare, vel non, ita ille interim libere possit revocare, vel non; partim quia etiam donatio a donante revocari potest, antequam a donatario acceptetur, *l.19. §. non potest ff. de donat.* Quod tamen intelligendum esse monet Bonacina *cit.* de beneficio, seu privilegio, quod est meræ liberalitatis ex parte utriusque tam concedentis, quam illius, cui conceditur: si enim ex parte concedentis non sit meræ liberalitatis, sed cujusdam necessitatis ex demandato eidem officio, revocari non potest *argum. cit. c.17. de Preb. in 6.* ubi decernitur, jus in beneficium ab Episcopo collatum absenti non acquiri quidem, donec acceptetur, interim tamen collationem demandatam, & executioni mandatam revocari non posse.

Dixi in conclus. *acceptationis formalis, & explicitæ, vel æquivalentis, & implicitæ*, pro diversitate scilicet privilegii. Nam si Princeps concedat privilegium motu proprio, requiritur acceptatio formalis; alioquin interveniret omnino nulla: si vero privilegium concedat ad instantiam petentis, acceptatio formalis non requiritur; eo quod in ipsa petitione involvatur quædam acceptatio anticipata, & conditionata, si Princeps consenserit, quam acceptationem *æquivalentem* nuncupamus, seu *implicitam*, & judicamus sufficientem ad concessionem privilegii petiti in ratione perfectæ donationis constituendam.

527. Objicies. Privilegium potest conferri, absolute loquendo, ignoranti; ergo nulla illius acceptatio est necessaria. Cons. patet, ant. prob. Concedens tibi privilegium contra legem, v. g. vi concessionis vult te exemptum a lege; ergo exemptus es etiam ignorans; cum ignorantia sit per accidens, & obligatio legis in conservari unice dependeat a voluntate Legislatoris.

Respondetur, dist. ant. Privilegium potest conferri ignoranti, acceptatione collationis facta per procuratorem,

torem, vel epistolam petitoriam privilegii, con, sine tali acceptatione, subdist. ita, . nt collatio valeat in tatione donationis imperfectæ, con. in ratione donationis perfectæ, vi cujus privilegiato competat jus exercendi actus per privilegium concessos, neg. ant, & cons, Ad prob. dist. itidem ant. Concedens tibi privilegium contra legem, vi concessionis te vult exemptum a lege, supposita exemptionis acceptatione, con. hac non supposita, neg. ant, Ergo es exemptus, etiam ignorans, supposita acceptatione, quæ facta sit per procuratorem, aut anticipato per epistolam, cons, secus, neg. cons, Voluntas concedentis tibi privilegium suapte natura imbibitam habet hanc conditionem, si acceptes, videlicet vel personaliter, vel aliter. Ad rationem cons. pnbativam ajo, ignorantiam se habere per accidens respectu privilegiati, quando acceptatio collationis fit per procuratorem, aut epistolam, non autem, quando fit ab ipsomet privilegiato personaliter; tunc enim notitia collationis per se requiritur, cum nequeat acceptati posteriori acceptationis genere, quod ignoratur. Porro licet tota legis obligatio in conservari dependeat a voluntate Legislatoris, eam tamen non aufert respectu privilegiati, nisi hic consentiat, & obligatinnem acceptet. Et quamvis nnn implicet absolute, quin etiam nnlentem deobliget; talis tamen deobligatio nnn est privilegii collatio, seu donatio perfecta, tribuens privilegiato jus exercendi actus per privilegium concessos, cum sine injuria deobligati possit revocari pro libitu.

528, Colliges ex dictis in responsione ad object. in ptaxi multum interesse, quod dispensatin, vel privilegium incipiat a tempnre concessinnis, & acceptationis per procuratorem factæ, licet a privilegiato ignoratæ. Ratio est: quia actus, ad quos privilegium se extendit, ab illo tempore exerciti valent. Sic qui misit Romam pro dispensatione super impedimento affinitatis, & eandem obtinuit, si spe obtentæ dispensationis, quamvis nondum de ea certus, contrahat matrimonium cum affine, valide contrahit. Item validum erit matrimonium initum coram illo Sacerdote, qui per nuncium, aut procuratorem a cnntrahentium Episcopo, vel Parocho obtinuit licentiam assistendi matrimonio, quamvis de ea nondum fuerit certinratus. Idem dicendum de privilegio audiendi confessiones &c. Quamvis dispensatus, licentiatus, & privilegiatus in prædictis casibus agant illicite, propter dispensationis, licentiæ, & privilegii ignnrantiam.

529. Dico secundo, Usus privilegii, absolute, & sine restrictione concessi, regulariter licitus, & validus est etiam extra territorium concedentis. Suarez *lib.* 8. *de leg. a n.*10. & alii communiter.

Probatur. Quia concessio privilegii vel nnn est actus jurisdictionis proprie dictæ, sed alicujus duntaxat superioritatis (quando scilicet conceditur privilegium præter legem) vel est quidem actus jurisdictionis proprie dictæ (quando conceditur privilegium contra legem) sed voluntariæ tantum: atqui exercitium jurisdictionis voluntariæ, cum fiat sine strepitu, licitum, & validum est in alieno territorio; ergn &c. Quo fit, ut, si ab Ordinario Augustano v. g. cujus jurisdictioni subjicieris, dispenseris super jejunio quadragesimali, per se loquendo, & secluso scandalo, gerere te possis tanquam dispensatum, quocunque ieris.

Dixi 1. *absolute*, *& sine restrictione &c.* Si enim privilegium sit concessum limitate, seu cum restrictioctione ad certum locum, vel certam causam, quæ non datur in alio loco, in hoc tali loco cessat. Hinc si tibi concessa sit facultas comedendi tempore interdicto carnes v. g. ob palustrem, & insalubrem loci situm, illa uti amplius non poteris, ubi domicilium in locum siccum, & salubrem transtuleris.

Dixi 2. *regulariter*. Nam si actus, tibi per privilegium indultus, in alieno territorin sit interdictus lege aliqua speciali, qua etiam ut peregrinus obstringeris, velut sunt leges præscribentes certam formam contractibus, vetantes exportationem frumenti &c. privilegium in eo territorio tibi nihil suffragatur. Idem evenit, quando usus privilegii indiget speciali permissione, & consensu Superioris alieni territnrii, veluti indiget actus excipiendi confessiones, vel concionandi, ad cujus exercitium necessaria est licentia Episcopi, Parochi &c.

ARTICULUS IV.

De Amissione Privilegii,

CUm dentur modi sat multi, quibus privilegium amitti contingit; hinc ut exoptatæ consulamus claritati, præsentem articulum in plures §§. dispescemus. Sit igitur

§. I.

An, & quomodo Privilegium amittatur, sive cesset per revocationem privilegiantis, & renunciationem privilegiati?

SUMMARIUM.

530. *Privilegium cessat per legitimam revocationem, expressam, vel tacitam, concedentis, privilegiato intimatam.* 531. *Privilegium etiam cessat per renunciationem liberam privilegiati, expressam, vel tacitam, dummodo renunciatio non cedat in præjudicium alterius, & accedat consensus privilegiantis, ac in quibusdam acceptatio illius, cujus interest.*

53n. DIco primo. Privilegium cessat per legitimam revocationem, expressam, vel tacitam, concedentis (vel Successnris, aut Superinris) privilegiato intimatam. DD. communiter.

Pnbatur. Quia privilegium a concedente dependet tam in fieri, quam in conservari, (quo posteriore modo etiam dependet ab ejus Successore, & Superiore) ergo cessat, quandn ab illn legitime revocatur.

Dixi 1. *per legitimam revocationem*, id est, saltem validam, licet forte ob defectum justæ causæ sit illicita.

Dixi 2. *expressam*, vel *tacitam*. Expressa revocatio fit per verba sufficienter exprimentia cassationem privilegiorum in specie, vel in genere, v. g. *non obstante tali, vel tali privilegio*, aut *non obstantibus quibuscunque privilegiis*. Quæ tamen posterior, seu generalis clausula, multis legibus apponi solita, semper intelligenda venit cum tacita exceptione illorum privilegiorum, quorum adeo specialis est ratio, ut non sit credibile illis in specie cogitatis Legislatorem, sive Superiorem derogaturum fuisse. Talia sunt privilegia Corpori Juris inserta, in Conciliis Generalibus cnntenta, secunda vice data, seu confirmata ex certa scientia, Reipublicæ valde utilia, vel personis admodum charis concessa, v. g. Regibus, Principibus, Viris literatis de Ecclesia bene meritis &c. item privilegia præmunita contra derngationem speciali clausula, v. g. tali: *non censeantur revocata, nisi in revocatoriis de verbo ad verbum referantur*. Ad derogandum itaque modo recensitis, aliisque id genus privilegiis non sufficit prædicta clausula generalis, sed requiritur alia, nempe talis, qualem ad derogandum requirit clausula priori privilegin apposita, v. g. hujusmodi: *non obstantibus privilegiis sub quacunque verborum forma concessis*; vel *non obstantibus privilegiis tali clausula derogatoria munitis, ut eis derogari non possit, nisi per expressam, & de verbo ad verbum factam mentionem*. Revocatio tacita fit per actum Principis directe contrarium privilegio, mndo Princeps ex circumstantiis nnn præsumatur privilegium ignorasse. Unde si Princeps ferat legem universalem, privilegio, quod continetur in Jure communi, contrariam, censetur revocare privilegium, licet huic non deroget expresse. Ratio est: quia Princeps non præsumitur ignorare privilegia in Jure communi contenta, per textum in *c.*1. *de constit. in* 6. ergo si legem condat universalem, simili privilegio contrariam, istud abrogare censendus est, tametsi expressam de ejusdem abrogatinne mentionem nnn faciat. E diverso si Princeps ferat novum Privilegium, vel ferat legem contrariam anteriori privilegio, in Jure communi non contento, istud abrogare censendus non est, nisi expresse intendat abrogare, & hanc suam intentionem exprimat. Ratin sumitur a contrario: quia Princeps privilegia in Jure communi non contenta, præsumitur ignntare: consequenter &c.

Dixi 3. *privilegiato intimatam*, intimatione scilicet per se tali, & ad privilegiatum directa sive generaliter, & per promulgationem generalem, ut fit, dum privilegium revocatur per legem generalem; sive particula-

ticulariter, & per specialem insinnationem privilegiato factam, quando privilegio aliter, ac per legem generalem, derogatur.

Quænam privilegia Regularium, ipsis antea concessa, sint revocata a Tridentino, dicemus per decursum, præsertim *part.3. tr.3. disp.2.* Hic autem

531. Dico secundo. Privilegium etiam cessat per renunciationem liberam privilegiati, expressam, vel tacitam, dummodo renunciatio non cedat in præjudicium alterius, & accedat consensus privilegiantis, ac in quibusdam acceptatio illius, cujus interest.

Probatur: quia quilibet potest renunciare suo juri, & favori pro se principaliter introducto, *c.6. de Privileg. & l.29.C. de Pactis*.

Antequam vero particulas in conclusione positas explicemus, oportet nosse, sermonem hic nobis esse de privilegiis tractum, sive usum successivum habentibus, quibus nimirum conceditur facultas ad aliquid sæpius agendum, vel omittendum; non vero de privilegiis usum momentaneum habentibus, seu quorum usus unico actu consummatur. Unde si Petrus v. g. obtinuerit dispensationem (quæ vel est privilegium contra legem, vel saltem tale privilegium involvit) super impedimento consanguinitatis in ordine ad contrahendum matrimonium, vel super impedimento irregularitatis in finem suscipiendi Ordines, non potest ejusmodi dispensationi, seu privilegio renunciare, seseque inhabilem reddere ad prædictos actus, siquidem Inhabilitas dependebat a voluntate Legislatoris, per quam ablata supponitur, & per voluntatem Petri reproduci nequit: imo nec per voluntatem Legislatoris reproduci eadem potest, esto induci possit nova. Bonacina *disp.1. q.3. pun.7. §.4. n.4.* Palao *tr.3. disp.4. pun.17. n.3.* Nunc exponenda veniunt verba conclusionis.

Dixi proin 1. *per renunciationem liberam*, id est, non dolo, aut metu extortam: talis nanque si foret, a Principe non acceptaretur; & consequenter voluntas privilegiantis, ipsumque privilegium in pristino valore, & vigore persisteret. Quod tamen intelligendum de metu injuste incusso; nam metus juste incussus non obstat, quin privilegiatus valide suo jure, & privilegio cedat, illudque resignet; sicut non obstat, quin aliquis resignet Prælaturam, aut dignitatem, qua præfulget.

Dixi 2. *expressam, vel tacitam*. Prior fit verbis, iisque expressis: posterior non usu, seu usu contrario, de quo in §.3.

Dixi 3. *dummodo non cedat in præjudicium tertii*; uti contingeret, si privilegium primario in favorem alicujus Communitatis, vel etiam alterius privati hominis concessum esset. Unde nec Clerici absque consensu S. Pontificis, nec Religiosi sine consensu suæ Religionis, privilegiis renunciare valent; cum renunciatio aliter facta vergeret in præjudicium Status Clericalis, & Ordinis Religiosi, *cap.1. de arbitris*, & *cap.12. de for. compet.*

Dixi 4. *& accedat consensus concedentis*, seu acceptatio renunciationis: quia privilegium est concessio juris dependens a voluntate concedentis: hæc vero non revocatur, donec concedentis consensus, & acceptatio renunciationis accedat; consequenter ante acceptationem privilegium adhuc durat, eodemque ad libitum, mutata voluntate, utitur privilegiatus; sicut electus, qui in electionem consentire renuerat, potest, mutata voluntate, eandem adhuc acceptare, si electores in pristina voluntate persistant. Suarez *lib.8. c.33. n.18.* Bonacina *loc. cit. n.3.* Palao *n.8.*

Dixi 5. *ac in quibusdam acceptatio illius, cujus interest*, sive illorum, in quorum utilitatem renunciatio cedit; nam respectu horum renunciatio induit naturam donationis; donatio autem tandiu revocabilis est, quandiu non fuit a donatario acceptata. Unde si quis privilegio exigendi decimas renunciet, & hæc renunciatio cedat in favorem tertii, debet ab isto acceptari; alioqui inefficax est, nec impedit, quo minus renuncians, mutata voluntate, in usu privilegii pergere, & decimas, ut ante, exigere valeat.

§. II.

An, & quomodo Privilegium amittatur per mortem privilegiantis, & privilegiati?

SUMMARIUM.

532. Privilegium, seu gratia distinguitur in factam, & faciendam: item in eam, quæ concernit illum solum, cui confertur; & in eam, quæ etiam concernit tertium, in cujus favorem confertur. 533. Privilegium, & gratia jam facta illimitate non expirat morte concedentis; expirat vero gratia facienda, si res sit integra. 534. Privilegium limitate concessum cum hac clausula ad beneplacitum meum, *vel* quandiu voluero, *expirat morte concedentis. 535. Privilegium amittitur per interitum subjecti, cui inhæret.*

532. PRænotandum, Privilegium, seu gratiam distingui in *factam*, hoc est, completam; & *faciendam*, hoc est, inchoatam, sed nondum completam. Item aliam esse gratiam, quæ concernit illum solum, cui confertur; & hæc, cum tota consistat in prima concessione, censetur facta, ut dispensatio alicui data super jejunio, voto, eligendo Confessario &c. aliam esse, quæ etiam concernit tertium, in cujus favorem confertur, cujusmodi est concessio facultatis ad alium dispensandum, absolvendum &c. eaque conferri duplici modo potest, nimirum vel sine designatione, vel cum designatione personæ, in cujus favorem confertur. Si conferatur priore modo, fit primario ipsi delegato, & censetur gratia facta, potestque exerceri pro arbitrio, & libitu in hanc, vel illam personam: si vero conferatur posteriore modo, primario fit personæ designatæ, respectu cujus in actum reduci debet, & censetur gratia facienda. Paulus Mezger *loc.* statim citando *n.1. & seqq.*

533. Dico jam primo. Privilegium, & gratia jam facta illimitate, & absolute (1.) non expirat morte concedentis: expirat vero (2.) gratia facienda, si res sit integra. Suarez, Haunoldus, Pettschacher, quos refert, ac sequitur Mezger *tr.8. disp.38. art.2. num.5.* & sumitur utraque pars ex *c.36. de Præb. in 6.* Unde si tibi sit concessa facultas eligendi Confessarium, qui te absolvat a peccatis reservatis, vel tecum dispenset, non expirat morte concedentis; quia gratia jam est plene facta, & a te acquisita ante concedentis obitum. Idem sentiendum, si tibi sit concessa facultas absolvendi alium, vel alios, aut dispensandi cum iis &c. absque designatione personarum: siquidem & hoc casu gratia censetur facta ante mortem concedentis. Nec refert, quod forte sive in uno, sive in altero casu gratia non sit acceptata ante mortem concedentis. Nam acceptari potest etiam post mortem; cum illius concessio se habeat per modum donationis, quæ morte donanti non abrumpitur, sed perseverat, & acceptari etiam postea valet, si non fuerit antea revocata: prout habet communis cum Suarez *cit.* E diverso si tibi sit concessa facultas Petrum v. g. absolvendi, cum eo dispensandi &c. illa per mortem concedentis expirat, si res adhuc integra existat: quia tunc gratia non censetur facta, sed facienda. Ubi tamen excipiendum: nisi concedens tibi imposuerit obligationem Petrum absolvendi, cum eo dispensandi &c. & id non reliquerit tuo arbitrio: tunc quippe Petro fuit jus quæsitum, & gratiam jam censetur facta, tuque es merus executor, *c.9. de Offic. deleg. in 6.* & *c.35. de Præb. in 6.*

Dixi autem in conclus. 1. *Privilegium, & gratia*. Nam aliud est de Rescripto Justitiæ, utpote quod juxta *c.20.* & *c.30. de Offic. deleg.* vires amittit, quando delegans moritur, re adhuc integra.

Dixi 2. *facta illimitate*, & absolute. Si enim concessa sit cum restrictione ad determinatum tempus, vel sub certa conditione, finitur non quidem ob mortem concedentis, sed ob lapsum temporis præfixi, vel ob non impletionem conditionis: prout sumitur ex *cap. 4. de Offic. deleg.* & inde patet, quod ultra voluntatem concedentis nulla vis sit privilegio, vel gratiæ: atqui voluntas concedentis tunc non est, ut privilegium, vel gratia duret, nisi donec certum tempus fluat, aut conditio impleatur; ergo &c.

Dixi 3. *morte concedentis*, non solum naturali, sed etiam civili, quæ contingit, dum concedens suo officio,

ficio, five per amiffionem, five per refignationem, defungitur.

534. Quæres, an privilegium conceffum cum hac claufula *ad beneplacitum meum*, vel *quamdiu voluero*, expiret morte concedentis?

Respondetur, quod expiret. Ita communior fententia cum Paulo Mezger *loc. cit. n.9.* & Auguftino Michel *tr.4. q.7. pun.5. n.46.* Ratio eft: quia per mortem definit voluntas, & beneplacitum, cum poft eam nihil placere efficaciter, & juridice poffit, *cap.5. de Refcript. in 6.* ergo etiam definit privilegium, præfato modo conceffum, & ad voluntatem, ac beneplacitum concedentis reftrictum. Unde fi alicui ad Epifcopatum promoto indulgeatur retentio beneficiorum prius habitorum *ufque ad* beneplacitum *Papæ*, hoc mortuo, indultum extinguitur, per *cit. cap. 1. de Refcript.* Secus foret, fi retentio indulgeretur *ufque ad beneplacitum Sedis Apoftolicæ*, tunc enim, cum Sedes non moriatur, indultum perpetuo duraret.

535. Dico fecundo. Privilegium extinguitur per interitum fubjecti, cui inhæret, puta per interitum perfonæ, fi privilegium fit perfonale *c. 7. de Reg. Jur. in 6.* vel interitum rei, fi privilegium fit reale, *c. 25. de V. S. in fin.* Veruntamen non indiftincte per interitum rei privilegiatæ interit etiam privilegium reale, fed tunc demum, quando vel authoritate Superioris, vel aliunde res privilegiata penitus, & fine fpe refectionis, deftruitur, per *cit. c.25.* Si vero non penitus deftruatur, fed tantum de loco in locum transferatur, privilegium perfeverat, & transfertur una cum illa, *can.48. cauf.16. q.1. & c.2. de Relig. dom.* vel deftruatur quidem penitus, fed cum fpe refectionis, v. g. domus privilegiata cum fpe reædificationis: fiquidem & hoc cafu privilegium non extinguitur, fed fufpenditur tantum, & re refecta, feu domo reædificata revivifcit, *l.93. ff. de contrahenda emptione*, imo ne quidem fufpenditur, fed in fuo actuali vigore manet, quando immediate conceffum eft ipfi loco, vel folo, ita, ut non refpiciat directe ædificium ibi pofitum, dummodo locus, vel folum, fecundum fe, & folitarie fumptum, capax fit privilegii, vel gratiæ: hinc fi locus quifpiam ex privilegio fit potius extra commercium humanum, actus talis perfeverat, tametfi domus ibi collocata per ruinam, bellum, incendium, aliove modo intereat: fiquidem fubjectum privilegii immediatum manet. Dixi tamen: *dummodo locus, vel folum, fecundum fe, & folitarie fumptum, fit capax privilegii*, vel gratiæ: fi enim ita capax non fit, fed ædificium per modum conditionis, vel gratia, deftructo ædificio non perfeverat actu, fed tantum potentia, feu (quod idem eft) fufpenditur, quamdiu fpes reædificationis affulget, &, ædificio reædificato, veluti refurgit, actualemque recuperat vigorem. Exemplum eft, fi pro aliquo loco, vel folo concedantur indulgentiæ vifitantibus Ecclefiam in eo fitam; nam licet talis gratia ponatur immediate, & directe refpicere locum, five folum, quia tamen obtineri non poteft fine vifitatione illius Ecclefiæ, hac deftructa fufpenditur, donec nova fubftituatur, *cit. l.93. ff. de contrahend. emption.* & *l.36. ff. de Religion. & fumpt. fun.*

§. III.

An, & quomodo Privilegium amittatur per non ufum, vel ufum contrarium?

S U M M A R I U M.

536. *Non ufus privilegii alius eft* negativus, *alius* privativus. 537. *Quædam privilegia conceduntur cum reftrictione ad ufum.* 538. *Nullum privilegium amittitur per non ufum negativum; bene vero per non ufum privativum, fi illud cum reftrictione ad ufum fit conceffum, vel cedat in præjudicium tertii.* 539. *Privilegium, quod redundat in gravamen, aut præjudicium tertii, etiam amittitur per abufum, five ufum contrarium.* 540. *Unicus actus privilegio contrarius fufficere ad ejus amiffionem poteft.*

536. PRænotandum primo, non ufum privilegii alium effe *negativum*, alium *privativum*. Negativus eft, dum quis non utitur privilegio, quia uti non poteft. Privativus eft (PP. Schmier, & Pichler *omiffivum* nuncupant) dum quis non utitur privilegio, quando uti poteft. Ceterum non ufus adverfatur privilegio affirmativo, ficut e diverfo ufus contrarius five abufus adverfatur privilegio negativo; ut confideranti patet.

537. Prænotandum fecundo, quædam privilegia concedi cum reftrictione ad ufum, ita, ut concedens, lex, aut ftatutum, durare non velit privilegium, nifi privilegiatus eo utatur data occafione, & tempore; fere ficut leges volunt extingui fervitutem rufticam, fi quis ea non utatur 10. annis, *l. penult. C. de fervitut.* His præmiffis

538. Dico primo. Nullum privilegium amittitur (1.) per non ufum negativum; bene tamen per non ufum privativum, fi illud (2.) cum reftrictione ad ufum fit conceffum, vel (3.) redundet in gravamen, aut præjudicium tertii. Suarez *de leg. lib.8. cap.34.* Schmier *lib.1. tr.1. c.8. a n.263.* Pichler *ad Tit. de Privileg. n.32.* & alii ab his relati.

Probatur prima pars. Quia ex non ufu negativo, prout *in prænot.* 1. a nobis fuit defcriptus, nec oritur tacita renunciatio privilegii, nec præfcriptio; fed alterutra requiritur, ut privilegium per non ufum amittatur; ergo &c. Unde fi Civitas aliqua habeat jus gladii, illudque compluribus annis non exercet, quia nullus comprehenditur malefactor, haud perdit jus præfatum, *arg. l.35. ff. de Servitut. præd. ruftic.* ubi ftatuitur fervitutem aquæ ducendæ non amitti per non ufum, fi privilegiatus ideo non duxerit, quia fons exaruit. Idem erit, fi non ufus proveniat ex pacto, vi cujus privilegiatus tenetur abftinere ab ufu privilegii, feu ifto licite uti non poteft: quia *non poffe, & non licite poffe* in Jure æquiparantur.

Probatur fecunda pars. Quia privilegium, certo tempori, & conditioni alligatum, expirat, fi tempus finiatur, & conditio non impleatur, *c.4. de Offic. deleg.* fed privilegium conceffum cum reftrictione ad ufum, eft hujufmodi; ut patet *ex prænot.2.* ergo &c. Sic privilegium nundinarum, quia ad ufum reftringitur, per non ufum privativum deperditur, *l. un. ff. de Nund.* ibi, *Nundinis impetratis a Principe, non utendo qui meruit, decennii tempore ufum amittit.*

Probatur etiam tertia pars. Nam jus privilegio, in præjudicium tertii redundante, acquifitum, præfcribi poteft, *arg. contrario l. 2. ff. de via publica*; ergo fi omnia ad legitimam præfcriptionem requifita adfint (ficut adeffe poffunt) non eft ratio dicendi, illud via præfcriptionis haud perimi. Deinde etiam extinguitur via tacitæ renunciationis: quia ex diuturno non ufu privativo privilegii, tertio onerofi, arguitur tacita renunciatio. Nec dicas. Renunciatio privilegii expreffa non tenet, nifi accedat acceptatio ejus, cujus intereft, & confenfus præcedentis; prout relinquitur ex dictis *n.531.* ergo nec tacita. Contra enim eft, neg. parit. quia hic, feu in non ufu privativo privilegii, tertio præjudiciofi, Jura fupplent acceptationem illius, cujus intereft, & præfumunt confenfum concedentis.

Quod fi privilegium non redundet in præjudicium alicujus tertii, ut facultas audiendi confeffiones, anticipandi Officium Divinum &c. folo non ufu ut ut diuturno non extinguitur, five per viam præfcriptionis, cum fit res meræ facultatis, quæ præfcribi nequit *cit. l. 2. ff. de via publica*; five per viam tacitæ renunciationis, quia folus non ufus hujufcemodi privilegii non eft fignum renunciationis, cum poffint effe aliæ caufæ non utendi; neque fimilis non ufus interpretatione Juris habetur pro tacita renunciatione, ficut habetur non ufus privilegii, tertio onerofi.

539. Dico fecundo. Privilegium, quod cedit in præjudicium tertii, amittitur etiam per abufum, five ufum contrarium, *c.7. dift.74. cap.24. de Privileg.* & *cap.45. de fentent. excommunicat.* Idque rurfus contingit vel per viam legitimæ præfcriptionis, vel per viam tacitæ renunciationis; ut dictum de amiffione ejufdem privilegii per non ufum. Sed

Quæres, quot requirantur actus contrarii, ut privilegium hoc modo amittatur.

540. Respondetur, poffe fufficere unicum, fi nulla ratione fit revocatus. Ita Suarez *loc. cit. n.20.* Haunoldus *de J. & J. tr.1. n.255.* Schmier *loc. cit. n.278. & feq.* Exemplum eft, fi quis privilegiatus femel folvit gabellam, etiamfi deinceps non folvat, non ex ufu privilegii, fed quia non amplius occurrit occafio, & ita fine

retra-

retractatione istius solutionis permanet tempore ad præscriptionem (vel tacitam renunciationem) requisito, præscribitur contra ipsum privilegium exemptionis; cum a tempore ejusmodi actus, privilegio contrarii, detur possessio contra privilegiatum; & consequenter compleatur præscriptio (vel præsumatur renunciatio) tempore elapso; uti in servitutibus prædiorum urbanorum statuerunt Jura.

Dixi tamen: *si nulla ratione sit revocatus*. Nam si privilegiatus aut ab initio statim, dum primum actum, privilegio contrarium, exercuit, protestationem interposuerit; aut post unum, alterumve actum exercitum, alterius possessionem abruperit, v. g. exigenti gabellam negando, nequit subsistere præscriptio (vel præsumi renunciatio) veluti patebit ex dicendis *part.4. tract.1. de Præscript.*

§. IV.

An, & quando Privilegium amittatur, dum causa finalis cessat?

S U M M A R I U M.

541. *Privilegium, absolute concessum, non amittitur, quando ejus causa finalis cessat negative tantum; amittitur vero privilegium, limitate concessum.* 542. *Adducitur, & diluitur objectio.*

541. DIco Privilegium (1.) absolute concessum, non amittitur, quando ejus causa finalis cessat negative tantum; amittitur vero privilegium (2.) limitate concessum. Assertio quoad utranque partem probata manet ex iis, quæ attulimus supra *num.* 516. de dispensatione.

Dixi autem: *quando ejus causa finalis cessat negative tantum*, id est, præcise non amplius existit. Si enim cesset contrarie, ita, ut usus privilegii postmodum mutata materia, vel circumstantiis evadat illicitus, aut vergere incipiat in præjudicium alterius, a præjudicio legis, vel tertii, quod in ipsa ejusdem concessione forte involvebatur, diversum, utique amittitur privilegium: cum nullum existere jus possit ad id, quod est illicitum &c. Unde si Clericus v. g. obtinuerit privilegium (idem cogita de dispensatione) non residendi, & Ecclesia ex absentia illius incipiat subire damnum in ministeriis sacris ob defectum Ministrorum, privilegium in nihilum revertitur.

542. Objicies contra primam partem conclus. Lex cessat, etiam causa illius finalis (totalis tamen) cesset solum negative; ergo & privilegium.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia lex per cessationem causæ finalis adæquatæ fit inutilis; privilegium vero, etiam post cessationem talis causæ, potest manere utile privilegiato.

Et hæc de Privilegio in communi. De Privilegiis Clericorum, & Regularium in particulari agetur *part. 3. tract. 3.*

C A P U T V.

De Cessatione Legis per Interpretationem, & Epikejam.

CEssat denique Lex per Interpretationem, & Epikejam, sed improprie tantum; eo quod per easdem nulla illius obligatio, sive quoad actum primum, sive quoad actum secundum, auferatur, sed solum existere, vel non existere declaretur; prout ex dicendis perspicuum fiet.

A R T I C U L U S I.

Quid, & quotuplex sit Interpretatio Legis? item quid sit Epikeja?

S U M M A R I U M.

543. *Definitur, & dividitur Interpretatio.* 544. *Definitur etiam Epikeja.*

543. DIco primo. Interpretatio Legis est *declaratio, an lex ad hunc, vel illum casum se porrigat, nec ne?* estque actus doctrinæ, vel etiam jurisdictionis, quando potestas legislativa de novo influit. Dividitur in *Authenticam, Usualem, & Doctrinalem*: Interpretatio authentica est, quæ fit per aliam legem prioris declarativam, & obtinet eandem authoritatem, ac ipsa lex, quam declarat, modo solemniter publicetur. Nec refert, quod declarationes legum communiter dicantur nullam exigere promulgationem. Siquidem id præcise intelligendum venit de declarationibus legum pure talibus, cujusmodi sunt doctrinales, quæ vim legis non obtinent, sed solummodo aperiunt sensum legibus jam in existentem. Et hæc interpretatio fieri potest a Legislatore, ejus Successore, vel Superiore. Interpretatio usualis est, quæ per usum, & consuetudinem introducitur; nam optima legum interpres est consuetudo: imo & ipsa, si legitime præscripta sit, vim legis habet; prout relinquitur ex dictis, *c.2. hujus disp. art.2.* Interpretatio doctrinalis est, quæ fit vel a Judicibus Legislatore inferioribus, vel a Doctoribus, ac prudentibus Viris: & si quidem omnes DD. conspirent, faciunt moralem certitudinem, si vero discrepent, probabilitatem duntaxat, eamque majorem, vel minorem pro diversa multitudine Authorum, & pondere rationum. Impræsentiarum nobis sermo erit de sola Interpretatione doctrinali, & Epikeja, circa quam posteriorem.

544. Dico secundo. Epikeja est *benigna interpretatio, & restrictio legis secundum æquum, & bonum*: hinc etiam *benignitas, & æquitas* nuncupari solet. Quæ interpretatio, vel potius interpres ipse spectat magis mentem, quam verba Legislatoris, judicatque, verisimile non esse, quod Legislator in his circumstantiis obligare velit, tametsi casus alioquin in verbis Legis comprehendatur.

A R T I C U L U S II.

An lex ob identitatem, vel similitudinem rationis per Interpretationem extendenda sit ad casus similes, sub forma verbali legis non comprehensos?

S U M M A R I U M.

545. *Assignatur differentia inter identitatem, & similitudinem rationis.* 546. *Qualiter, & quænam lex per Interpretationem extendenda sit ad casus similes propter rationis identitatem, &* 547. *similitudinem.*

545. PRænotandum, *identitatem rationis* graviter distinguendam esse *a similitudine rationis*. Nam prior importat omnimodam paritatem rationis absque formali discrimine in uno, ac altero; posterior e diverso solum dicit paritatem secundum quid, seu ex una parte, cum formali discrimine secundum quid, seu ex alia parte: prout bene notat Augustinus Michel *tr.4. de Leg. q.6. §.3. n.6.* Hoc prænotato.

546. Dico primo. Per Interpretationem extendenda est lex (saltem si non sit pœnalis) ad casus similes (vel graviores) sub forma verbali legis non comprehensos, quando in iis reperitur identitas rationis. Et hæc assertio intelligenda venit non solum de Judicibus, sed etiam de privatis hominibus, ita, ut liceat, vel incumbat respective cuilibet, identidem rationis penetranti, prædictam legis extensionem facere. Suarez *lib.6. cap.3. num.16.* Layman *lib.1. tr.4. cap.16. n.9.* Augustinus Michel *loc.cit.* & alii reipsa communiter.

Probatur ex isto axiomate: *ubi est eadem ratio, ibi debet esse eadem Juris dispositio*: quod DD. deduxere ex *l.9. §.2. ff. de Edendo*, & *l.32. ff. ad l. Aquil.* Unde dum *Clement.1. de Elect.* statuitur, ne in Abbatem alicujus Ecclesiæ Regularis eligatur Religiosus alterius Religionis, vel Habitus, ea constitutio extendi debet etiam ad monasteria Monialium, & Abbatissas inibi eligendas, non quod de his in illa mentio fiat, sed quia utrinque eadem omnino ratio militat: quæ est (& in ipsa constitutione exprimitur) *cum rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in iisdem monasteriis socientur*. Sic Glossa *ibidem*. Palao *tr.3. disp.5. pun.3. §.4. n.1.* Augustinus Michel *loc.cit.* & alii passim.

547. Dico secundo. Per Interpretationem quidem possunt, & debent (1.) Judices in judicando extendere legem (nisi hæc sit pœnalis) ad casus similes, in quibus reperitur similitudo rationis; id tamen (2.) privatis hominibus regulariter non licet. Palao *loc. cit. §.4. in fin.* Augustinus Michel *n.6.* Pichler *ad Tit. de Constit. num.75.*

Proba-

Probatur prima pars ex *l.12.ff. de Leg.* ibi: *Non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi; sed cum in aliqua causa sententia horum manifesta est, is, qui jurisdictione praeest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.* Idem habetur *in l. immediate seq.* Ergo &c.

Probatur secunda pars: quia relate ad privatos homines non est tanta necessitas legem extendendi ad casus similes ob rationis similitudinem, quanta est relate ad Judices, utpote quibus incumbit omnes casus, & causas decidere; ergo illi, seu privati homines debent insistere verbis, quibus Legislator in ferendo legem usus est, cum is potuerit disponere de uno, quin disponeret de altero casu; nec *ratio legis est lex*, ut habet commune pronunciatum.

Dixi 1. per parenthesin tam in prima, quam in secunda conclus. *Si lex non sit pœnalis.* Talis quippe si sit, ob identitatem, vel similitudinem rationis, ordinarie extendi nec debet, nec potest etiam e Judicibus: quia *pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt potius, quam exasperandæ*, ut habetur *l.42.ff. de pœnis.* Quam, aliasque plures id genus dispositiones Juris invertere non est in arbitrio, aut potestate Judicum, multo minus hominum privatorum. Hinc licet in Jure æquiparentur consulentes, mandantes, facientes; ea tamen æquiparatio solum accipienda est quoad culpam, non vero quoad pœnam, v.g. excommunicationem; si enim hæc statuta sit adversus facientes, non incurritur a consulentibus, aut mandantibus. Item Irregularitas lata contra rebaptizantes non incurritur ab iterantibus Sacramentum Ordinis, aut Confirmationis; quamvis nulla appareat diversitas rationis. Layman *loc. cit. cap.18. n.9.* & ego *in Thesibus pag.288.* Itaque in pœnalibus, etiam propter identitatem, aut majoritatem rationis, ad casus non expressos ordinarie non est facienda extensio legis, sed subinde tantum, seu in aliquibus, puta in correlativis, vel connexis, vel quando ex non extensione sequeretur absurdum, aut iniquitas in lege: prout statim dilucidabitur exemplis.

Dixi 2. in secunda parte concl. secundæ: *regulariter*. Nam aliquando, seu in aliquibus etiam privati homines extendere legem possunt ad casus similes ob rationis similitudinem. Ut 1. *in correlativis*; ubi dispositum de uno, dispositum quoque censetur de altero: ita si maritus eximitur ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, etiam uxor deobligatur respectu mariti. 2. *In connexis*, tali connexione, ut unum subordinetur alteri, & in isto contineatur tanquam pars in toto, aut imperfectum in imperfecto; in his enim, *cui licet, quod est plus, etiam licet, quod est minus*, juxta *Reg.53. J. in 6.* Hinc cui lex concedit facere testamentum, etiam concedit facere codicillum; cui prohibet codicillum, a fortiori prohibet testamentum. 3. Quando alias sequeretur absurdum, vel iniquitas in lege, aut hæc, nisi extenderetur, redderetur inutilis, & sine effectu: sic extendenda est lex, quæ vetat usurariis condere testamentum, etiam ad perfectionem codicilli, & ad donationem mortis causa, licet alias in odiosis non veniant nomine testamenti. Atque in tribus hisce casibus extensio legis etiam pœnalis, & odiosæ facienda est, saltem ut plurimum. 4. *In iis, quæ Jure æquiparantur, quoad illa, in quibus æquiparantur.* Unde si excommunicatio lata sit contra surripientem centum florenos, eandem incurrit, qui surripit torquem ejusdem pretii. Ita denuo Layman *loc. cit. cap.18. n.10.* & ego *in Thesib. 227. & seq.*

ARTICULUS III.

An omnis lex restringi per Epikejam possit?

SUMMARIUM.

548. Omnis fere lex licite per Epikejam restringitur. 549. Corollarium, in quo innuitur, penes quem sit prædictam restrictionem facere.

548. DIco. Omnis fere lex licite per Epikejam restringitur, modo prudenter credi possit, eandem a Legislatore non esse ad hunc, vel illum casum porrectam. Communis.

Probatur tum ex Jure, tum ex ratione. Ex Jure quidem: quia *l.8. C. de Judic.* habetur: *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam strictæ*

juris rationem. Et *Reg.90. ff. de R. J.* ibi: *In omnibus quidem, maxime tamen in Jure, æquitas spectanda est.* Ex ratione vero: quia a cujuslibet fere legis universalitate plures casus singulares ob variationem circumstantiarum deficere possunt; ergo æquum est, ut ejusmodi casus relinquantur judicio prudentum, quorum sit arbitrari, num Legislator sub harum, vel illarum circumstantiarum interventu obligare intendat, nec ne? Datur itaque Epikeja 1. in lege naturali; nam hæc vetat occisionem hominis v.g. & tamen eum, qui injuste mihi mortem intentat, licite possum occidere: item præcipit restitutionem depositi, & tamen licite non restituo v.g. gladium depositum, si depositarius eo abuti cogitet ad necandum innocentem. 2. In lege Divina: hinc David per Epikejam, urgente famis necessitate, judicavit sibi licitum esse comedere panes propositionis; & Machabæi, licitum esse die Sabbati resistere hosti; quanquam alioqui utrunque lege Divina vetitum erat. 3. In lege humana, sic enim recte interpretator, legem jejunii me non obstringere in casu gravis infirmitatis, esto is in lege non excipiatur &c.

Dixi in conclus. *Omnis fere lex.* Excipiendæ enim sunt 1. leges naturales vetantes actus ita intrinsece malos, ut per nullam circumstantiam a malitia deputari possint; cujusmodi sunt mendacium, blasphemia &c. Hæ enim, aliæque id genus leges Epikejam non recipiunt; cum ab earum universalitate nullus casus particularis valeat deficere. 2. Excipienda secundum plerosque est lex Divina de integritate Sacrificii Missæ (idem de illa cogita relate ad quasdam alias materias) ita ne in eo puncto omnem Epikejam respuat, nec nullus sit dabilis, aut excogitabilis casus, quo alterutrum Mysterium sub una duntaxat specie conficere, ac peragere liceat. 3. Excipiendæ sunt leges humanæ irritantes, & quæ formas substantiales actibus præscribunt. Unde non obstante quacunque necessitate irritum est matrimonium sine Parocho, & testibus contractum, juxta plurimos Authores (de quo tamen videbimus in propria materia) irrita sunt testamenta, contractus, & actus sine forma præscripta celebrati, extra casus specialiter exceptos. Ratio hujus ultimæ exceptionis est, quod leges irritantes non attendant ad casus, & rationes particulares, sed præcise ad rationem communem, & pariformitatem actuum, nisi contraria mens Legislatoris colligi aliunde possit. Ita habent *mea Theses pag. 289. & seq.* estque communis Authorum sensus.

549. Colliges, quod non tantum Judices, sed etiam homines privati, debito judicio & prudentia prædit, restringere legem per Epikejam possint: cum hæc talis facultas nullibi legatur ad solos coarctata Judices, sicut ad eos coarctata est (secundum dicta) facultas legem extendendi similitudinem rationis ad casus similes. Ubi tamen requiritur (quemadmodum in ipsa conclus. expressum est) prudens persuasio, quod lex ex mente Conditoris hunc, vel illum casum non comprehendat. Quod si de hoc dubitetur, ad Legislatorem recurrendum erit, juxta *l.1. C. de Leg.* ubi Imperator ait: *Inter æquitatem, ejusque interpositam interpretationem, nobis solis & oportet, & licet inspicere.* Layman *loc. cit. c.19. num.3. & 4.*

CAPUT VI.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

550. Fabiani Principis statutum, quo prohibuit exportationem frumenti ex patria ob timorem imminentis belli, cessat, quando timor belli evanescit. 551. Faustinus, & Faustinianus, Canonici Cathedrales, non amittunt fructus annuos suarum præbendarum, dum ultra tres menses a sua Ecclesia absunt, ut Episcopo absenti inserviant. 552. Firminus a Vicario Generali appellare ad Episcopum non potest vi consuetudinis, quam per alios introductam prætendit. 553. Fidentius, duplicis homicidii reus, non impetrat valide dispensationem super irregularitate in finem suscipiendi Ordines, si in Supplica nullam inseras mentionem de dualitate homicidii. 554. Fabricius, & Fabricia vi dispensationis, super voto castitatis Roma obtentæ, possunt etiam ad secundas nuptias, alterutro mortuo, transire, si dispensatio in Rescripto non sit

limitata ad primas. 555. *Florianus, privilegium omittendi Horas Canonicas, & diebus vetitis comedendi carnes, ob perficienda certa negotia adeptus, his expeditis, non potest amplius illo frui*, 556. *Faventiani privilegium statim post meridiem recitandi matutinum diei sequentis, & celebrandi Missam tempore interdicti, se extendit etiam ad socium in recitatione matutini, & ministrum in celebratione Missæ adhibendos*, 557. *Ferreolus, dum tertiana febri laborat, per rationabilem epikejam se censere potest exemptum ab obligatione diebus festis audiendi Missam*.

CASUS I.

550. *Fabianus Princeps prohibet exportationem frumenti ex patria ob timorem imminentis belli. Ast contra opinionem, & spem Fabiani abolentur causa belli, ac renovantur fœdera pacis: quamvis hoc nondum resciatur nisi a paucis. Quæritur jam, an id rescientes prohibitione legis adhuc stare teneantur, vel vero frumentum licite exportare valeant?*

RESpondetur, quod per se loquendo, & secluso scandalo, frumentum licite exportare valeant. Palao *tr.3. de Leg. disp.5. pun.1, n.8.* Augustinus Michel *tr.4.q.7. §.1, n.8.* & alii. Ratio est: quia causa finalis, eaque totalis, & adæquata, legis prohibentis in Casu cessat; consequenter qui id sciunt, prudens sibi dictamen formant, se illa jam non amplius obstringi, ideoque non peccare frumentum evehendo.

Dices. Si lex aliqua condatur, idque ab aliquibus tantum sciatur, non obligat, sed prius integræ Communitati, ad quam lex dirigitur, vel saltem majori ejusdem parti (& quidem per solemnem promulgationem) innotescere debet; ergo nec deobligat, nisi ejusdem cessatio sic innotescat.

Respondetur, neg. conf. Quia sicut universaliter plura requiruntur ad rem ponendam, quam destruendam; ita in præsenti plures necessariæ sunt conditiones ad legis factionem, & obligationem, quam ad ejus cessationem, & deobligationem. Hic Princeps non potest, etiam valide tantum, imponere legem absque justa causa necessitatis, vel utilitatis; potest vero impositam absque omni causa valide revocare: atque ita de alijs. Unde ut lex non amplius obliget, sufficit, quod causa (adæquata tamen, & totalis) reipsa cesset, esto id integræ Communitati, vel potiori ejusdem parti, nec per promulgationem, nec aliter innotescat: & consequenter si de ejusmodi cessatione causæ malis aliquibus constet, ii recte judicabunt, ipsam quoque legem cessare; adeoque se non peccare contra illam agendo: quia tunc non deobligantur a lege ex eo, quod Communitas cognoscat, rationem legis cessare; sed ex eo, quod de facto reipsa cesset.

CASUS II.

551. *Faustinus, & Faustinianus, ambo Canonici Cathedrales, ab Ecclesia sua ultra tres menses absuere, ut Episcopo absenti inservirent, & in gubernanda Diœcesi collaborarent. Quæritur, an egerint contra Decretum Tridentini* sess.24. de Reform. c.12. *quo illis nonnisi trium mensium absentia indulgetur? & consequenter amiserint suarum præbendarum fructus?*

RESpondetur primo ad primam quæst. negative. Ratio est: quia per memoratum decretum non tollitur antiqua specialis permissio *c.7. & 15. de Cleric. non resident.* in prædictum finem illis facta, vi cujus ab Ecclesia sua diutius abesse possunt: cum lex generalis non tollat priorem specialem, seu minus late patentem, nisi ejus meminerit; non enim speciei per genus, sed generi per speciem derogatur, *c.34. de R. J. in 6.*

Respondetur secundo ad secundam quæst. itidem negative, loquendo de fructibus grossis, sive annuis. Ratio est: quia relate ad horum perceptionem habentur pro residentibus *cc.7. & 15. cit.* eo quod censeantur abesse in causa Ecclesiæ; cum *Ecclesia in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia sit*, *can.7. caus.7. q.1.* Distributiones tamen quotidianas non percipiunt, *cc.7. & 15. citt.* & *ibi Gloss.* P. Engel *ad Tit. de Cleric. non resident. n.28.* P. Pichler, *ad eund. a n.13.*

CASUS III.

552. *Firminus causam quandam Ecclesiasticam ad Vicarium Generalem defert, ejusdemque decisionem petit. Annuitur petito, causa deciditur, decisa intimatur Firmino. Sed quoniam huic decisio non arridet, nec æquitati consona videtur, arripit remedium appellationis, eamque ad ipsummet devolvit Episcopum, imitatus morem, & consuetudinem aliorum, quos idipsum factitasse dictitat. Occasione hujus Casus quæritur, an valida sit consuetudo appellandi a Vicario Generali ad Episcopum?*

RESpondetur, ejusmodi consuetudinem, etiam Immemorialem, non valere. Ita cum communi P. Reiffenstuel *ad Tit. de Consuetud. n.75.* Responsio patet tum ex *c.2. de consuetud. in 6.* ubi ejusmodi consuetudo pronunciatur irrationabilis; tum ex ratione: quia appellatio judicialis (de qua hic sermo) est essentialiter provocatio a Judice inferiori ad superiorem, *l.1. §. siquis ff. de Appell.* ergo consuetudo appellandi a Vicario Generali ad Episcopum pugnat contra substantiam actus, sive appellationis; consequenter valere nequit. Prior conf. facile ostenditur: quia similis appellatio non est provocatio a Judice inferiori ad superiorem, sed a pari ad parem, sive ab eodem ad eundem; cum utriusque (Vicarii nempe Generalis, & Episcopi) sit unum, idemque tribunal, & jurisdictio. Eapropter remedium prædictæ appellationis consuetudinariæ Firmino suffragari nihil potest. Poterit tamen eidem suffragari remedium supplicationis, quam propter gravamen, quod a Vicario Generali sibi illatum autumat, interponere coram Episcopo non prohibetur, *l.5.* juncta *Auth. seq. C. de Precib. Imperat. offerend.* Neque hic obstat, quod sit idem utriusque tribunal, eademque jurisdictio. Nam licet hoc verum sit substantialiter, ac repræsentative; adhuc tamen accidentaliter differt jurisdictio Vicarii a jurisdictione Episcopi, cum illa ab hac dependeat, arctarique valeat, ejusdem exercitio in certa causa prohibito. Author *cit. n.77. & seqq.*

CASUS IV.

553. *Fidentius, Theologiæ Studiosus jamdudum emeritus, cupit ad SS. Ordines promoveri: sed quoniam laborat impedimento irregularitatis, ex duplici homicidio notorio contracta, Romæ petendam esse dispensationem haud nescius, confugit ad Confessarium, eumque rogat, ut beneficium dispensationis in prædictum finem sibi necessaria implorare, & impetrare a Sede Apostolica velit. Obsequitur Confessarius; sed in Supplica meminit simpliciter irregularitatis ex homicidio ortæ, dualitatem actus, seu homicidii non exprimendo. Quæritur, an dispensatio obtenta possit nihilominus censeri valida?*

RESpondetur, in hoc Casu implicite, & virtualiter involvi duas quæstiones, licet non nisi una explicite ponatur. Prima est, an Fidentius una duntaxat irregulariter ligatus sit, vel duabus? Altera, an dispensatio, juxta tenorem Casus obtenta, reputari possit valida?

Quæstioni primæ ut satisfaciam, assero cum P. Sporer *tr.5. in 5. præcept. Decal. n.211.* P. La Croix *lib.7. n.463.* & aliis, quod Fidentius ob duplex homicidium patratum duplici irregularitate innodatus sit. Ratio est: quia multiplicatis causis multiplicantur effectus; ergo cum Fidentius duplicem posuerit causam, id est, bis violaverit præceptum, *non occides*, cujus violationi Jus humanum annexuit irregularitatem, censendus est etiam geminasse effectum, seu contraxisse geminam irregularitatem. Confirmatur. Qui percutit duos Clericos, duas incurrit excommunicationes ob duplicatam transgressionem legis sub reatu excommunicationis prohibitam; ergo etiam qui duos occidit homines (prout occidisse ponitur Fidentius) incurrit duas Irregularitates ob duplicatam transgressionem legis sub reatu irregularitatis prohibitam.

Nunc ad alteram quæstionem (cujus decisio magnam a decisione præcedentis dependentiam habet) ajo, dispensationem, pro Fidentio obtentam, esse subreptitiam, & nullam. Ita Authores *citt.* Ratio est: quia illa dispensatio censenda est subreptitia, & nulla, in cujus petitione non fuit expressum totum vinculum,

seu

ſeu difficultas diſpenſandi ad rem intrinſece pertinens; prout relinquitur ex dictis *num.* 514. atqui in petitione diſpenſationis pro Fidentio non fuit expreſſum totum vinculum, ſeu difficultas diſpenſandi ad rem intrinſece pertinens; cum non fuerit expreſſa dualitas irregularitatis, & utriuſque concurrentia in eadem perſona, ac ſubjecto; ergo &c.

CASUS V.

554. Fabricius, & Fabricia caſtitatis voto ſeſe obſtringunt. Sed quoniam ambo, continuo incontinentiæ periculo expoſiti, in crebriora carnis peccata prolabuntur, magis expedire judicant, ſi remedium concupiſcentiæ in matrimonio quærant. Quapropter allegando prædictum incontinentiæ periculum diſpenſationem ſuper voto petunt, eaque impetrata matrimonialiter copulantur. Aſt vix dimidius elabitur annus, Fabricia ex hac vita migrat maximo luctu Fabricii, non ſolum prematurum chariſſima conjugis obitum, ſed & proprium viduitatis ſtatum, in quo ſibi ob reviviſcentiam voti perſiſtendum autumnat, amariſſime deplorantis. Quæritur, an Fabricius teneatur vi voti in ſtatu viduitatis permanere, vel vero valeat virtute diſpenſationis deſuper obtentæ ad ſecundas nuptias tranſire?

RESpondetur, quod libere valeat tranſire ad ſecundas nuptias, ſi diſpenſatio non fuerit reſtricta ad primas. Ita Suarez *lib.*8. *de Leg. c.*29. *n.*8. Sanchez *lib.*8. *de matrim. diſp.* 31. *n.*8. Salas, Bonacina, & alii plures. Ratio eſt: quia ſi mens Pontificis ſit, ut diſpenſatio, quæ conceditur ex cauſa finali pluribus actibus communi, finiatur unico actu, poni in Reſcripto ſolet: *diſpenſamus tecum pro hac tantum vice, in ordine ad unum duntaxat matrimonium contrahendum &c.* ergo ſi ſimilis reſtrictio omittatur, dicaturque abſolute: *diſpenſamus tecum, ut contrahere matrimonium poſſis;* & cauſa finalis diſpenſandi pluribus actibus communis ſit (quæ ambo in caſu concurrere ſupponuntur) ſignum eſt, mentem Pontificis non eſſe, ut diſpenſatio finiatur unico actu, ſed ut porrigatur ad plures.

Dixi in ratione probativa: *quæ conceditur ex cauſa finali pluribus actibus communi.* Si enim diſpenſatio concedatur ex cauſa finali uni duntaxat materiæ, & actui accommodata, v. g. ſi dicatur: *diſpenſamus tecum, ut ducere in matrimonium poſſis Annam, ne alias (utpote a te deflorata) famæ jacturam patiatur,* non erit extendenda, ſed finietur unico actu, tametſi in Reſcripto non addatur expreſſe aliqua reſtrictio; talis quippe in ſimili diſpenſatione ſufficienter colligitur ex cauſa finali conceſſionis, utpote particulari, & uni duntaxat actui propria. Bonacina *diſp.*1. *q.*3. *pun.*8. §.2. *n.* 2.

Dices nunc contra reſponſ. primo. Diſpenſatio, cum ſit contra Jus, non ample, ſed ſtricte interpretanda venit; ergo non erit extendenda (licet motivum conceſſionis ſit commune &c.) ad plures actus, ſed potius reſtringenda ad unum.

Reſpondetur, diſpenſationem eſſe ſtricte interpretandam, non tamen infra proprietatem verborum, & ſubjectam materiam; prout recte notat Palao *tr.*3. *diſp.*4. *pun.*14. *n.*7. jam vero, ſi verba in Reſcripto abſolute ponantur, eaque ſecundum communem ſignificationem poſſit ſignificare plures actus, & reſtringantur ad unum, ſit reſtrictio infra illorum proprietatem: & conſequenter nimia.

Dices ſecundo. Saltem ſi ponatur in Fabricio ceſſaſſe periculum incontinentiæ, quod erat cauſa diſpenſandi, diſpenſatio non ſuffragabitur in ordine ad alterum matrimonium ineundum.

Reſpondetur cum Auguſtino Michel *a.*6. *de Privileg. pun.*5. *n.*7. neg. aſſumptum. Ratio negandi eſt: quia ex cauſa, tempore diſpenſationis integre, & abſolute exiſtente, abſolute ſublatum eſt vinculum voti, nec redire poteſt per hoc, quod cauſa tollendi ceſſet, utpote cujus exiſtentia ſolum ad conceſſionem, non vero conſervationem diſpenſationis eſt neceſſaria.

CASUS VI.

555. Florianus, S. R. E. Cardinalis, ex cauſa, quod arduis negotiis, in utilitatem communis Boni pertractandis, diſtendatur, obtinet a S. Pontifice Privilegium omittendi Horas Canonicas, uti & comedendi carnes diebus Veneris, ac Sabbati, aliiſque ab Eccleſia interdictis. Quæritur, an hoc privilegium, expeditis, & finitis negotiis expiret?

RESpondetur affirmative. Ita Sanchez *de matrim. diſp.*3. *n.*14. Palao *tr.*3. *diſp.*4. *pun.*15. *n.*5. Auguſtinus Michel §.6. *de Privileg. pun.*5. *n.*8. Ratio eſt: quia, juxta communiter receptam DD. ſententiam, privilegium, quod habet tractum ſucceſſivum, ita ut & motivum, ex quo conceditur, & obligatio, quam tollit, ſint annexa tempori futuro (adeoque neutrum integre exiſtat pro tempore, quo conceditur privilegium) cum eoque fluant, ac mutentur, non cenſetur aliter concedi, niſi quantum cum futuro tempore durabit etiam motivum pro tollenda obligatione illius temporis, vel ſaltem (quod bene nota) duraturum rationabiliter exiſtimatur: ſed privilegium Floriani habet ejuſmodi tractum ſucceſſivum, cum & motivum (negotia videlicet pertractanda) ex quo conceditur, & obligatio, quam tollit, futuris ſint affixa diebus, ut perſpicuum eſt; ergo &c.

Dices. Fabricius in Caſu præcedente procedere ad ſecundas nuptias poteſt, tametſi ceſſet cauſa diſpenſationis; item Titius, gravi, & prolixo morbo affectus, & idcirco ſuper jejunio quadragesimali ſine reſtrictione diſpenſatus, poteſt toto tempore Quadrageſimæ comedere carnes, licet ſanitatem, & vires ſubito recuperet ante medium, vel etiam initium Quadrageſimæ; prout admiſimus ſupra *n.* 516. ergo & Florianus ſuo adhuc uti poterit privilegio, poſtquam cauſa conceſſionis ceſſavit.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas eſt; nam in primis in Caſu Fabricii cauſa diſpenſationis reipſa, & integre exiſtit, quando diſpenſatio conceſſa fuit: quapropter diſpenſans cenſetur vinculum voti abſolute ſuſtuliſſe; quod proinde ob ceſſationem cauſæ redire non poteſt. Deinde in Caſu Titii ſimiliter cauſa diſpenſationis tempore conceſſionis exiſtit tota, non quidem in re, ſed in ſpe, ſeu opinione diſpenſantis, quatenus rationabiliter credidit (prout *cit. n.* annotavimus) infirmitatem ſaltem tempore Quadrageſimæ duraturam. At in Caſu Floriani res per omnia e diverſo ſe habet, utpote in quo cauſa diſpenſationis, ſive privilegii tempore conceſſionis nec tota extitit in re, ut oſtenſum; nec in ſpe, ſeu opinione privilegiantis, ut ſupponitur.

CASUS VII.

556. Faventianus, Vir Religioſus, de Republica literaria optime meritus, a Sede Apoſtolica duo obtinet privilegia, unum ſtatim poſt meridiem recitandi matutinum diei proxime ſecuturi; alterum celebrandi Miſſam tempore interdicti. Quæritur jam, an dicta privilegia etiam extendi poſſint ad ſocium in recitatione matutini, & miniſtrum in celebratione Miſſæ adhibendos?

RESpondetur affirmative. Suarez *lib.*8. *de Leg. c.*11. *n.*7. Bonacina *diſp.*1. *q.*3. *pun.*7. §.2. *n.*6. & alii paſſim. Ratio eſt: quia indirecte, & per rationabilem conſequentiam illi fiunt participes alieni privilegii, quorum opera eſt neceſſaria privilegiato ad commodum uſum privilegii; nam qui concedit facultatem, implicite concedit omnia ad commodum ejus uſum neceſſaria, in quantum poteſt concedere, *arg. c.* 5. & *c.* 21. *de offic. & poteſt. deleg.* ſed Faventiano ad commodum uſum ſui privilegii neceſſaria eſt opera ſocii in recitatione Breviarii, & miniſtri in celebratione Miſſæ; ergo &c. Accedit, quod ſit receptus in Eccleſia uſus, ut Officium Divinum perſolvatur cum ſocio, & Miſſa celebretur cum miniſtro: cui uſui, & praxi privilegians non eſt cenſendus voluiſſe contravenire.

Confirmatur a pari. Si Vir nobilis tempore interdicti habeat privilegium audiendi Miſſam, poſſunt illum comitari famuli, ſine quibus non ſolet prodire, *per c.* 11. *de Privileg. in* 6. ergo & Faventiano ſocius in recitatione Breviarii, & miniſter in celebratione Miſſæ ſuam locare operam poſſunt.

Dices. Tota privilegii efficacia pendet ex intentione concedentis, quæ intentio verbis manifeſtatur; ut adeo verum ſit, quod privilegium valeat tantum, quantum ſonat; ergo prodeſt ſoli privilegiato, non item aliis verborum tenore non comprehenſis.

Reſpondetur, totum poſſe, & debere concedi di-

recte loquendo; negari vero indirecte loquendo: hoc nanque posteriori modo privilegium etiam aliis prodesse potest; ut ostensum.

Plures Casus de Privilegiis, & dispensationibus alibi formatum, & decisum ibimus.

CASUS VIII.

577. *Ferreolus, dum tertiana febri laborat, angitur, an diebus Dominicis, & festivis teneatur audire sacrum, vel vero a tali obligatione se censere exemptum possit, donec ingratus ille hospes emaneat: utque ab hac anxietate expediatur, sciscitatur ex Ferdinando Cognato suo, Theologia Moralis Studioso, utram eligere partem possit, ac debeat? Quid Ferdinandus Ferreolo dicet?*

RESpondetur, Ferdinandus Ferreolo dicet, quod possit prædictis diebus se continere domi, neque ad audiendum sacrum adstringatur. Ratio est: quia hic locum obtinet rationabilis Epikeja, vi cujus judicetur, verisimile non esse, quod Ecclesia, seu benignissima Mater, ad suorum observantiam præceptorum obstringat suos filios cum dispendio sanitatis, quale Ferreolus propter ingressum Ecclesiæ pateretur (vel saltem patiendi periculo exponeretur) ex communi Medicorum, imo & aliorum experimentali judicio.

TRACTATUS TERTIUS.

DE IPSIS ACTIBUS HUMANIS.



Actenus de Actuum Humanorum Regulis: nunc de Ipsis Actibus Humanis agendum venit; idque recto doctrinæ ordine; nam sicut Regula suum regulatum antecedit, ita priorem in sui consideratione, & pertractatione locum sibi vendicat. Complectetur autem hic Tractatus duas duntaxat disputationes, quarum prior de Actibus Humanis in genere; posterior vero de Actibus Humanis malis in specie, sive de peccatis, scitu necessaria pandet. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Actibus Humanis in genere.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Actus Humanus?

SUMMARIUM.

558. *Actus humanus, late spectatus, triplici modo accipi potest, & solet.* 559. *Simpliciter dictus est* operatio ab homine procedens ex prævia cognitione, & deliberatione intellectus, ac libera electione voluntatis. 560. *Proponitur, & solvitur objectio.* 561. *Actus* humanus, moralis, & liber *reipsa coincidunt.* 562. *Non tantum actus voluntatis, sed etiam intellectus, & potentiarum externarum possunt esse humani.* 563. *Amor beatificus in Sanctis non obtinet rationem actus humani a nobis descripti.* 564. *Actus humanus dividitur in* bonum, malum, & indifferentem.

558. PRænotandum, quod actus humanus, late spectatus, triplici modo accipi possit. 1. in quantum procedit ab homine secundum gradum genericum considerato: quo sensu competit quidem omni homini, sed non soli; ut *edere, bibere, progredi* &c. quæ sunt operationes homini, ceterisque animalibus communes: & vocantur *actus hominis*, quando ab homine fiunt. 2. in quantum procedit ab homine secundum gradum specificum, & differentialem considerato, non tamen rationis, & libertatis hic, & nunc compote: quo sensu competit omni, & soli homini: cujusmodi sunt motus voluntatis primo primi, fletus risus &c. vocanturque ab aliquibus *actus hominis*, ab aliis *actus humani secundum substantiam*. 3. in quantum procedit ab homine, non solum secundum gradum specificum considerato, sed etiam hic, & nunc rationis, ac libertatis compote: atque in hac postrema acceptione appellatur *actus humanus simpliciter*, idest, non solum *quoad substantiam*, sed etiam *quoad modum operandi* homini proprius: estque ille, de quo nobis impræsentiarum sermo erit.

559. Dico nunc primo. Actus humanus simpliciter talis est *operatio procedens ab homine ex prævia cognitione, & deliberatione intellectus, ac libera electione voluntatis.*

Probatur bonitas definitionis, reipsa ab Authoribus communiter admissæ, & tradi solitæ. Nam constat genere, quod est *operatio*; cum in ea actus humanus simpliter talis conveniat cum actibus humanis non simpliciter talibus, quorum meminimus in *prænot at.* Constat insuper differentia, quæ circumscribitur per reliquas particulas in ea positas, & *cap. seq.* expendendas.

560. Objicies. In data definitione non comprehenditur omissio actionis humanæ, quæ utique & ipsa pertinet ad genus moris.

Respondetur, dist. assumptum. Non comprehenditur formaliter, & explicite, con. implicite, & æquivalenter, neg. assumptum. Explicatio hujus distinctionis dabitur in simili infra, ubi adstruetur definitio peccati.

561. Colliges primo, actum *humanum, moralem*, & *liberum* reipsa coincidere, solaque ratione, & consideratione differre. Idem quippe actus dicitur humanus, quatenus hominis tam quoad substantiam, quam quoad modum operandi proprius est: prout ex dictis liquet. Dicitur moralis, quatenus procedit a principio morali, seu dirigibili per regulas morum, quale est homo, usu rationis, & libertate indifferentiæ præditus. Dicitur liber, quatenus procedit a principio operandi libero, seu indifferenti ad agendum, vel non agendum, quale itidem est homo. Sporer *tr. proœm. c. 2. n. 2.*

562. Colliges secundo, non tantum actus voluntatis, sed etiam intellectus, puta actum fidei, actum attentionis &c. Imo & actus externarum potentiarum, v. g. ambulationem, comestionem, risum &c. posse esse actus humanos, in superius data definitione comprehensos. Ratio est: quia licet hi tales actus non procedant elicitive a potentia volitiva, sicut ab ea proficiscuntur actus proprii, procedunt tamen ab illa imperative, quatenus ex imperio voluntatis a propriis potentiis eliciuntur; & consequenter per libertatem, a voluntate participatam, humani, & morales evadunt. Babenstuber *tr. 2. disp. 1. art. 1. n. 2.*

563. Colliges tertio, amorem beatificum in Sanctis non esse actum vere humanum, qualem nos ante descripsimus; & consequenter non comprehendi in definitione tradita. Ratio est: quia (ut in confesso est) voluntates Sanctorum determinatæ sunt ad amandum Deum, ita ut Hunc non ament libere, seu cum indifferentia ad amandum, aut odio habendum; prout ad exercitium actus humani supra descripti requiritur.

564. Dico secundo. Actus humanus est triplex, videlicet *bonus, malus, & indifferens*. S. Bonaventura in 2. *dist. 41. art. 1. q. 3.* Scotus similiter in 2. *dist. 41.* & Scotistæ communiter.

Probatur, & declaratur. Totuplex est actus humanus, quotuplex est modus, quo actus, qui ab homine ex prævia cognitione, & libera electione elicitur, respicit regulam rationis: sed hanc respicit triplici modo; ergo &c. Major est certa. Minor ostenditur. Nam aliquando actus, qui ab homine ex prævia cognitione, & libera electione elicitur, ita respicit regulam rationis, ut sit eidem positive conformis; aliquando, ut sit difformis; aliquando, ut nec positive conformis, nec difformis sit: si illam respiciat primo modo, est bonus; si secundo, malus; si tertio, indifferens; ergo &c. Priora duo mem-

membra certissima sunt apud omnes. Tertium vero, seu an præter actum bonum, & malum detur actus indifferens maxime quoad individuum, controversum est, infra c.4. decidendum.

CAPUT II.

De Requisitis ad Actum Humanum.

ARTICULUS I.

De iis, quæ ad Actum Humanum requiruntur ex parte intellectus.

SUMMARIUM.

565. *Ad actum humanum requiritur aliqua advertentia, seu cognitio prævia non solum ipsius actus, sed & omnium, quæ ad illum qua talem concurrunt.* 566. *Ad eundem actum etiam requiritur prævia aliqua deliberatio.*

CUm ex actus humani definitione, in *cap. præced.* data, patescat, ad eum ex parte intellectus prærequiriri tum *cognitionem*, tum *deliberationem* (subintellige: seu conditiones sine quibus non) videndum in præsenti, qualis utraque esse debeat, ut in prædictum finem sufficere queat?

565. Dico igitur primo. Ad actum humanum requiritur aliqua advertentia, seu cognitio prævia non solum ipsius actus, sed & omnium, quæ ad illum qua talem concurrunt. Sporer *loc. cit. a n.9.* & aliique communiter.

Probatur. Quia actus humanus qua talis debet ab homine poni libere: sed non potest sic poni, nisi & ipse, & alia omnia, quæ ad ipsum concurrunt, sint præcognita; ergo &c. Major liquet definitione actus humani. Minor similiter constat: quia actus humanus qua talis non potest libere poni, nisi & ipse, & omnia, quæ ad ipsum concurrunt, sint volita; ergo neque ita poni potest, nisi sint præcognita; cum nihil possit esse volitum, quod non sit præcognitum.

566. Dico secundo. Ad actum humanum etiam requiritur prævia aliqua deliberatio, id est, consultatio, seu discursus intellectus, perpendentis, num res agenda, vel omittenda sit, rationibus in utranque partem discussis. Ita denuo cum communi Author *cit. n. 11.*

Probatur. Siquidem ad omnem actum humanum requiritur dictamen conscientiæ practicum de actu hic, & nunc ponendo, vel omittendo: hujusmodi autem dictamen formari non potest, nisi præcedat aliqua deliberatio intellectus; cum qualitas objecti, circa quod actus humanus versatur, seu ponendus, vel omittendus est, non innotescat seipsa clare, & distincte sine admixtione qualitatis oppositæ; ergo &c.

Quæ tamen deliberatio non necessario debet esse formalis, seu formaliter discursiva, sed sufficere etiam potest virtualis, seu virtualiter discursiva; sicut sufficere potest dictamen conscientiæ virtualiter discursivum, ex dictis *tr.1. c.1.*

ARTICULUS II.

De iis, quæ ad Actum Humanum requiruntur ex parte voluntatis.

SImiliter duo ex parte voluntatis ad actum humanum requiruntur (prout iidem ex ejus definitione eruitur) in præsenti articulo exponenda; *liberum* nempe hominis *arbitrium*, quod est actus humani principium effectivum; & *voluntarium*, quod est ejusdem actus principium formale, & constitutivum. Sit jam

§. I.

De Libero Arbitrio.

SUMMARIUM.

567. *Fide certum est, dari in homine liberum arbitrium, formaliter consistens.* 568. *In ipsa voluntate.* 569. *Libertas est duplex, videlicet* exercitii, *&* specificationis. 570. *Arbitrium, seu voluntas hominis viatoris est principium effectivum actus humani, in quantum est libera, seu indifferens ad agendum, vel non agendum, vel etiam oppositum agendum.* 571. *Deducitur corollarium, & precluduntur argumenta contraria.*

567. PRænotandum, & supponendum tanquam de fide certum, dari in homine liberum arbitrium. Ita enim definivere plura Concilia. Sufficiat nobis adduxisse Trident. quod *sess.6. de Justificat. can.* 5. sic habet: *Siquis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.* Idem persuadet ratio a posteriori: si enim homo careret libero arbitrio, frustra eidem imponerentur leges, & præcepta, suggererentur consilia, darentur monita &c. cum frustra alicui præcipiatur, aut consulatur, ut faciat, quod facere non est in ipsius potestate; vel prohibeatur, ne faciat, quod facit necessario, ita ut non possit non facere: & consequenter nulla forent hominis merita, vel demerita; cum nemo sit laude aut præmio dignus ob actum, quem non possit omittere; vel vituperio, aut pœna ob actum, quem non possit non ponere. Quæ sequelæ procul dubio absurdissimæ sunt, & contra sensum totius humani generis. Hoc supposito, inquirendum restat. 1. in quo consistat liberum hominis arbitrium? 2. qualiter ad actum humanum concurrat?

568. Dico jam primo. Liberum arbitrium hominis est formaliter ipsa ejusdem voluntas. Ita cum communi DD. Scotus in 2. *dist.25.* & alibi.

Probatur ex definitione liberi arbitrii, quam dat S. August. *lib.2. de Peccatorum meritis*, ubi ait, quod illud sit *facultas innata animæ rationali, qua homo potest eligere unum præ alio, vel unum, idemque acceptare, aut non acceptare*: sive (ut alii loquuntur) quod sit *intellectualis substantiæ potestas, positis omnibus ad agendum requisitis, aliquid agendi, vel non agendi, vel oppositum agendi*. Atqui talis facultas, seu potestas est formaliter ipsissima hominis voluntas, ut patet; & iterum clarissime exprimit idem S. Aug. *lib. de Eccl. dogm.c.2.* dum inquit: *Liberum arbitrium est voluntas rationalis*; ergo &c.

569. Quæres, quotuplex sit libertas arbitrii, seu voluntatis humanæ?

Respondetur, esse duplicem, *exercitii* videlicet, ac *specificationis*. Libertas exercitii, seu *contradictionis* est indifferentia ad agendum, & non agendum circa idem objectum, v.g. ad amandum, & non amandum Deum. Libertas specificationis, seu *contrarietatis* est indifferentia aliquid agendi, & contrarium agendi circa idem objectum, v. g. circa Deum eliciendi amorem, & odium; circa mysterium quodpiam supernaturale assensum, & dissensum: qui sunt actus contrarii, & specie diversi. Libertatem exercitii habent homines viatores circa omnia prorsus objecta: quia nullum omnino objectum ita proponitur voluntati exercite prosequendum in hac vita, quin etiam omissio prosecutionis aliquam bonitatem præseferat; nam ipsam quoque beatitudinem non semper actu appetimus; imo nec sic appetere expediret. Libertatem vero specificationis habent homines viatores circa omnia objecta bona, & mala particularia: quia nullum datur objectum particulare, in quo intellectus viatoris non possit reperire, & proponere voluntati aliquam rationem mali, sive inconvenientiæ; siquidem & ipsum Deum potest quis apprehendere ut sibi malum, puta ut vindicem suorum scelerum; atque ex hoc capite odisse. Sicut e diverso nullum existit objectum, in quo intellectus viatoris non possit reperire, & proponere voluntati aliquam rationem boni, seu convenientiæ; quin ipsa quoque privatio boni particularis, v.g. mors propria, vel aliena, sub certa ratione, & consideratione, puta, quia majori malo apprehenso liberat, aut inimicum tollit, judicari appetibilis, & actualiter appeti potest. At vero circa bonum, & malum in communi, atque abstracte sumptum homines non sunt liberi libertate specificationis, esto secundum dicta sint liberi libertate exercitii: quoniam in bono sic considerato nihil potest apparere mali, ratione cujus sit odibile; nec in malo quidquam boni, ratione cujus sit prosequibile; consequenter voluntas non potest illud odisse, & hoc amare, esto possit illud amare, vel non amare, & hoc odisse, vel non odisse. Sporer *loc. cit. n.7. & seq.*

570. Dico secundo. Arbitrium, sive voluntas hominis

minis viatoris est principium effectivum actus humani, in quantum est libera, seu indifferens ad agendum, vel non agendum, aut etiam oppositum agendum, positis omnibus ad agendum requisitis. Communis Catholicorum.

Probatur primo ex Concil. Trid. quod *sess.6. de Justificat. can.4.* definit liberum hominis arbitrium Deo excitanti posse assentiendo cooperari, vel dissentiendo non cooperari: atqui adhoc requiritur libertas, seu indifferentia ad agendum, vel non agendum, aut oppositum agendum; ut patet agendum consideranti dicta *a n.565.* ergo &c.

Confirmatur. Clemens X. damnavit hanc propositionem: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*; ergo requiritur libertas etiam a necessitate. Atqui & hæc libertas, est libertas, seu indifferentia ad agendum, vel non agendum, vel oppositum agendum; ergo &c.

Probatur secundo ratione. Omnis actus humanus, qui ab homine viatore elicitur, dignus est præmio, vel supplicio (si indifferentem excipias) atqui hoc dici non potest, nisi procedat a voluntate ut libera, seu indifferenti ad utrumlibet, prout itidem relinquitur ex dictis *a n.565*, ergo &c.

Confirmatur ex ipso nomine, & notione actus humani, qui omium consensu ita debet ab homine poni, ut possit etiam non poni, sive omitti: sed ad hoc denuo requiritur libertas, seu indifferentia ad utrumlibet, veluti per se; ergo &c.

571. Colliges, actum amoris, quo Deus necessario amat suam essentiam, esse quidem bonum, sed bonitate longe altioris ordinis (idem cum proportione cogita de actu amoris, quo Beati Deum amant in patria) non vero simili bonitate morali, qua gaudent actus viatorum, & de qua nobis hic sermo est. Porro Christus Dominus absque libertate indifferentiæ meruit adimplendo obedientiam Patris, & moriendo pro hominibus: sed hoc ex speciali privilegio (nobis non concesso) quo fuit Comprehensor, & Viator simul; ut docetur in *tr. de Incarnat.* Unde nostra assertio intelligenda venit de libero arbitrio hominum pure viatorum &c. Quo bene percepto, argumenta contraria præclusa, & dissoluta manent.

§. II.

De Voluntario.

S U M M A R I U M.

572. *Voluntarium generaliter sumptum aliud est, & dicitur* objectivum, *aliud* formale. *Formale definitur, & dividitur in* necessarium, *ac* liberum. 573. *Solum voluntarium liberum est principium formale, ac constitutivum actus humani; &* 574. *Dividitur in varia membra.*

572. PRænotandum, voluntarium, generaliter sumptum, aliud dici, & esse *objectivum*, aliud *formale*. Nomine prioris venit ipsum objectum volitum; nomine vero posterioris ipse actus, quo objectum est volitum. De voluntario objectivo (quod rectius vocatur *volitum*) non agemus in præsenti, sed de solo voluntario formali, quod definiri potest *actus procedens e principio intrinseco cum cognitione objecti, finis, & aliarum circumstantiarum, de se sufficiente ad genus moris.* Ubi vides, ad hoc voluntarium duo requiri. 1. ut procedat a principio intrinseco cum exclusione omnis vis, seu coactionis externæ. 2. ut procedat cum cognitione, ad genus moris de se sufficiente, objecti, finis, & aliarum circumstantiarum, quibus operatio sic voluntaria afficitur, ita, ut secundum qualitatem cognitionis sit qualitas voluntarii in operatione reperti. Quo fit, ut actus amoris, & fruitionis beatificæ hoc voluntareitatis genere voluntarius dici queat; quia procedit a principio intrinseco, & cum cognitione objecti &c. de se sufficiente ad genus moris. Quod tamen cum limitatione intelligendum; nam licet illa cognitio de se sufficiat ad genus moris, quatenus respicit libertatem exercitii (dato, quod ea in Sanctis reperiretur) cum mediante hac tali libertate actus amoris beatifici posset suspendi, & Deus non amari; haud tamen sufficit ad genus moris, quatenus respicit libertatem specificationis (esto hæc daretur in Sanctis) eo quod, utpote perfectissima, voluntati repræsentet Deum sub ratione purissimi boni, sub qua non potest esse objectum odii: consequenter &c. Revide, & applica, quod diximus *n.569.* Fit præterea, ut e diverso motus voluntatis primo primi prædicto genere voluntareitatis non sint voluntarii: quia licet procedant a principio intrinseco, non tamen procedunt cum cognitione objecti, de se sufficiente ad genus moris. Cape rem in exemplo, & pone aliquem præoccupari passione iræ adeo vehementi, ut ipsius intellectus voluntati præcise repræsentet bonum delectabile vindictæ v. g. absque ulla advertentia ad malitiam moralem cum executione vindictæ conjunctam. In tali casu volitio vindictæ proficiscitur quidem a principio intrinseco, nimirum voluntate, non tamen cum cognitione objecti de se sufficiente ad genus moris, propter defectum advertentiæ ad inhonestatem, & moralem malitiam vindictæ. Non ignoro, voluntarium ab aliis definiri, quod sit *actus procedens a principio intrinseco cum perfecta cognitione objecti &c.* Hæc tamen definitio ut salvari possit, perfecta cognitio accipi debet in eo duntaxat sensu, quo præter bonitatem delectabilem objecti v. g. etiam repræsentat voluntati malitiam illi annexam, esto hanc imperfecte repræsentet: id quod facile evincitur; nam motus voluntatis secundo primi v. g. utique sunt voluntarii (cum alias non possent esset peccaminosi) & tamen non procedunt a voluntate cum perfecta cognitione malitiæ moralis in objecto repertæ. Quare ad declinandam æquivocationem, in vocabulo *perfecta* involutam, rectius in definitione voluntarii ponitur, & loco cognitionis *perfectæ* exigitur cognitio *de se sufficiens ad genus moris.* Porro voluntarium formale sic definitum dividitur in *necessarium*, & *liberum*. Necessarium est, quod procedit a voluntate ut determinata ad unum; quomodo procedit actus amoris beatifici in patria. Liberum est, quod procedit a voluntate ut indifferenti ad utrumlibet; quomodo procedunt, saltem regulariter, & ut plurimum, actus hominum viatorum.

His præmissis, duo in quæstionem veniunt. Primum est, qualenam voluntarium sit principium formaliter, & essentialiter constitutivum actus humani? Secundum est, quotuplex sit voluntarium, actus humani præfato modo constitutivum?

573. Dico jam primo. Solum voluntarium liberum est principium formaliter, & essentialiter constitutivum actus humani. Hæc assertio probata manet ex dictis *num.570.* ubi ostensum, quod principium effectivum actus humani sit arbitrium, seu voluntas hominis, in quantum libera. Sicut enim ad principium actus humani effectivum, ita & ad principium ejusdem constitutivum libertas necessaria est, quamvis aliter, & aliter; nam ad illud necessaria est libertas suo modo activa, & pertinens ad actum primum, utpote ejusdem in ratione principii effectivi complectiva (sive dein id præstet per modum conditionis sine qua non, ut cum communi Scotistarum docet Mastrius in *Theolog. Scholast. de act. human. n.286.* sive aliter, ut tenent alii) ad istud vero libertas, vel potius liberum passivum, pertinens ad actum secundum; ut consideranti patet.

574. Dico secundo. Voluntarium liberum (quod ex modo dictis est principium actus humani formaliter constitutivum, & de quo solo posthac nobis negotium erit) subdividitur in *formale*, *virtuale*, & *habituale*; in *elicitum*, & *imperatum*: in *expressum*, & *tacitum*: in *directum*, & *indirectum*.

Explicantur singula membra divisionis. Voluntarium formale est, quod exercite elicitur, vel imperatur a voluntate; ut si quis dicat ore, vel mente: *nunc volo celebrare, baptizare &c.* Voluntarium virtuale est, quod pendet ab actu voluntatis non retractato, qui tamen virtualiter duret, id est, in aliquo suo effectu, vel determinatione permaneat. Ubi proin requiritur 1. ut actus semel sit positus, & non retractatus. 2. ut sit præteritus. 3. ut virtualiter duret, seu reliquerit aliquem effectum, sive determinationem in operante. 4. ut operans maneat in ea dispositione animi, in qua talis operatio sub liberum ejus arbitrium cadere possit. Sit exemplum communiter afferri solitum. Sacerdos domi facit intentionem celebrandi Missam: postea ex ædibus egreditur, sed mox varie distrahitur; itaque distractus pergit ad Sacristiam: induit paramenta: inchoat, & perficit Sacrificium. Hoc casu celebratio Sacerdoti est

volun-

voluntaria virtualiter: quia intentio celebrandi semel actu habita physice præteriit ob intervenientes distractiones; non tamen rettacta fuit; & reliquit aliquem effectum, scilicet progressionem in templum, sumptionem paramentorum &c. ipseque Sacerdos mansit usu rationis, & libertatis præditus; ut supponitur; nam oppositum dicendum foret, si post intentionem factam, tempore celebrationis, vel ante, usu rationis (quacunque demum ex causa) privatus fuisset. Voluntarium habituale est, quod pendet ab actu præterito, & non retractato, qui tamen non amplius virtualiter duret, seu permaneat in aliquo suo effectu, vel determinatione: ut si heri constituisti audire hodie sacrum, hodieque accedis templum, audis sacrum, sed præcise ex laudabili consuetudine v. g. ita, ut ab hesterno proposito nihil penitus moveare, auditio sacri, relate ad intentionem heri elicitam, erit tibi voluntaria habitualiter.

Voluntarium elicitum est omnis actus voluntatis, ab ipsa cum sufficienti cognitione objecti &c. productus, eique seu subjecto immanens, ac inhærens; ut volitio, nolitio, amor, odium &c. Voluntarium imperatum est omnis actus alterius potentiæ, v. g. intellectivæ, locomotivæ &c. ab ipsa cum prædicta cognitione productus; ut assensus, ambulatio &c.

Voluntarium expressum est, quod verbis, vel aliis signis ex instituto significatur; ut si Superior suo subdito expresse verbis præcipiat auditionem sacri, vel prohibeat egressum e monasterio. Voluntarium tacitum (solet etiam appellari *interpretativum*) est, quod absque verbis, vel aliis signis propter factum aliquod, vel omissionem facti, fictione Juris, vel prudentum judicio censetur a voluntate procedere: quomodo peccatum subditi est voluntarium Superiori, quando illud, cum posset, & teneretur impedire, non impedit.

Voluntarium directum (quod etiam appellatur voluntarium *in se*) est, quidquid per se intenditur, elicitur, imperatur, vel admittitur a voluntate. Ex tali voluntario operaris, si deliberate odisti inimicum; si vis occidere; si occidi imperas; si occidere volenti consentis &c. Voluntarium indirectum (sive voluntarium *in alio, & in causa*) est illud, quod quidem per se non intenditur, elicitur, vel imperatur a voluntate, ex aliquo tamen per se, & directe intento, tanquam ex causa consecutorum prævidetur; ideoque ponenti similem causam, vel eam non amoventi censetur moraliter voluntarium, & ad culpam imputatur. Ut autem hoc voluntarium sit culpabile, duo requiruntur. Primum est prævisio effectus ex causa posita, aut non oblata certo, vel saltem probabiliter secuturi; nam quod nullo modo est cognitum, nullo modo est volitum; adeoque nec voluntarium. Unde si mendicus stipe data laqueum emat, eoque se suspendat, suspendium eleemosynario nullatenus erit voluntarium, nec ad culpam imputari poterit, quippe ab ipso ne quidem probabiliter prævisum. Secundum est obligatio impediendi, vel non ponendi causam, aut jam positam auferendi ob prævisum ejusmodi effectum: non enim sufficit, quod possis impedire causam, ex qua prævides effectum, de se malum, ortum iri, sed etiam requiritur, ut impedire tenearis: alias effectus, esto adhuc sic indirecte voluntarius physice, non tamen erit ita voluntarius moraliter, nec ad culpam imputabilis. Unde Confessario audienti confessiones feminarum, & prævidenti periculum libidinosæ delectationis, vel pollutionis in somno secuturæ, hujusmodi turpitudines sunt quidem indirecte voluntariæ physice, non autem moraliter, neque ad culpam imputabiles: quia sequuntur ex actione honesta, quam Confessarius non solum non tenetur intermittere, sed etiam ratione officii exercere est obligatus. Secus tamen dicendum foret, si illi effectus directe, & per se intenderentur: tunc quippe citra dubium moraliter voluntarii essent, & ad culpam imputarentur. Ita cum communi aliorum P. Sporer *loc. cit. n. 24.*

CAPUT III.

De Impedientibus Actum Humanum.

QUatuor, de quibus vertitur quæstio, an, & quomodo actum humanum impediat? communiter recensentur, nimirum *Ignorantia, Concupiscentia, Violentia, Metus.* Quatenus enim ille ex prævia cognitione, ignorantiam, & non raro concupiscentiam, quatenus vero a principio intrinseco procedere debet, violentiam, & metum pro suis hostibus habet.

ARTICULUS I.

An, & quando Ignorantia impediat Actum Humanum?

SUMMARIUM.

575. Ignorantia est multiplex. 576. Ignorantia invincibilis, Juris, vel facti, non solum antecedens, sed etiam concomitans, simpliciter impediat actum humanum. 577. Ignorantia invincibilis, si sit antecedens, impedit actum humanum causando involuntarium positivum; si vero sit concomitans, causando involuntarium negativum, sive non voluntarium. 578. Utraque, sive versetur circa legem naturalem, sive circa Divinam, aut humanam, excusat a peccato formali: vel 579. a certa specie peccati. 580. Ignorantia vincibilis non impedit actum humanum simpliciter; impedit tamen secundum quid, saltem si non sit affectata: imo probabilius, etiamsi sit affectata. 581. Solvitur argumentum in contrarium.

575. PRænotandum, ignorantiam esse carentiam scientiæ, sive notitiæ alicujus rei, & varie dividi. Nam alia est ignorantia *puræ negationis*, alia *privationis*, alia *pravæ dispositionis*. Prima est carentia in subjecto ad sciendum non apto; vel simpliciter, ut in lapide v. g. vel pro certo tempore, & statu, ut in infante, amente &c. Secunda est carentia scientiæ in subjecto ad sciendum apto; ut in homine adulto, & rationis compote, dum res illas, quas scire potest ignorat. Tertia est deceptio, & error positivus judicantis, rem aliter esse, ac est: ut si quis nesciens Christum esse simul Deum, & hominem, judicet esse purum hominem. Ex quo patet differentia hujus tertiæ ignorantiæ a secunda; nam secunda consistit in sola carentia scientiæ, quam quis potuit, aut etiam debuit habere; tertia vero, præter carentiam scientiæ, importat errorem rei, sive veritati scibili contrarium.

2. Alia est ignorantia *Juris*, alia *facti*. Prior est, qua ignoratur lex, ejusve obligatio: ut siquis nesciat, abstinentiam a carnibus die veneris esse præceptam, vel lectionem libri hæretici prohibitam. Posterior est, qua ignoratur ipsa res præcepta, vel prohibita, ejusve conditio, ex qua actio moralis quoad suam bonitatem, vel malitiam dependet: ut siquis sciat, abstinentiam a carnibus die Veneris esse præceptum, vel lectionem libri hæretici prohibitam; nesciat tamen, cibum, quem comedit, esse carnem, aut librum, quem legit, esse hæreticum.

3. Alia est ignorantia *invincibilis*, alia *vincibilis*. Invincibilis dicitur, quæ non potest; & vincibilis, quæ potest adhibita morali diligentia ad inquirendam veritatem superari, ac tolli. Illa vocatur etiam *inculpabilis*; ista vero *culpabilis*, supposito, quod versetur circa rem scitu necessariam, & quam operans scire non solum potest, sed etiam tenetur. Revide dicta *tr. 1. n. 36.*

4. Ignorantia invincibilis subdividitur in *antecedentem*, & *concomitantem*. Antecedens est, quæ omnem voluntatis consensum prævenit: soletque nuncupari *causa operis*, quatenus, si abesset, opus sive actus non fieret: ut si trajicias hominem, quem existimas esse feram, neutiquam trajecturus, si scires esse hominem. Concomitans est, quæ cum consensu voluntatis coincidit: soletque nominari *non causa operis*, quatenus hoc non fit *ex*-sed solum *cum* illa (ut loquuntur DD.) & adhuc fieret, etiamsi ipsa abesset: ut si inimicum, ad necem quæsitum, occidas, existimans esse feram, non ex-sed cum ignorantia occidis; licet enim non ignorares; nihilominus occideres. Ignorantia autem vincibilis subdividitur in *directe volitam*, & *indirecte volitam*, sive *voluntariam*. Prior est, quam quis studio, & data opera quærit, aut retinet; diciturque *affectata*; ut siquis e templo emaneat, ne audiat promulgari jejunium. Posterior est, quam quis studio non quærit, sed solum negligit sufficientem adhibere diligentiam, ut veritatem comperiat; diciturque *simplex*: & est gravis (nomine specifico *crassa*, vel *supina*) quando negligentia inquirendi veritatem est magna; levis vero, quando negligentia est parva. His præmissis,

576. Dico primo. Ignorantia invincibilis, Juris, vel facti, non solum antecedens, sed etiam concomitans,

simpliciter impediat actum humanum. Ita DD. communiter.

Probatur. Ad rationem actus humani requiritur prævia cognitio intellectus, & libera electio voluntatis: sed neutra stare potest cum ignorantia invincibili sive antecedente, sive concomitante; ergo nec ratio actus humani: consequenter &c. Maj. liquet ex definitione actus humani allata *n.*539. Min. ostenditur, & declaratur; nam utraque hæc ignorantia vere, & invincibiliter objectum operationis reddit incognitum, & consequenter involuntarium; ut perspicuum fiet perpendenti dicta in *prænot.* ergo nec cognitio prævia intellectus, nec libera electio voluntatis, sive cum una, sive cum altera, stare potest.

Neque refert, quod laborans ignorantia concomitante ita animo comparatus sit, ut inimicum suum verb.gr. adhuc occideret, etiamsi eundem cognosceret. Nam cum hoc componitur, quod de facto, seu actu invincibiliter ignoret esse suum inimicum; adeoque istum non occidat voluntarie, & libere; cum voluntarium, & liberum esse non possit (consequenter nec peccaminosum) quod non est præcognitum. Neque illa animi dispositio, seu voluntas habitualis conditionata ad peccatum actuale homicidii sufficere potest; cum ob defectum præviæ cognitionis moraliter influere non possit in occisionem hominis, sed solum in occisionem feræ. Quod si ponatur actu ita affectus, ut adhuc occideret, tametsi esse hominem inimicum nosset, peccat peccato homicidii interni tantum, non autem externi: quia actus homicidii externi sicut de facto invincibiliter est incognitus, ita & involuntarius; consequenter sub tali ratione ad nullam culpam imputabilis. Sporer *loc. cit. n.*35.

577. Colliges primo, quod ignorantia invincibilis, si sit antecedens, impediat actum humanum causando involuntarium positivum; si vero sit comitans, causando involuntarium negativum, sive non voluntarium. Ratio est: quia prior ignorantia causat aliquid inclinationi voluntatis repugnans; non item posterior: prout relinquitur ex dictis in *prænot.* & videri potest apud Babenstuber *tr.*2. *disp.*1. *art.*3. *n.*10. & 12.

578. Colliges secundo, ignorantiam invincibilem non solum legis humanæ, & Divinæ, sed etiam naturalis, a formali peccato excusare. Communis. Ratio est; nam quod tollit voluntarium, excusat a peccato; ut liquet ex propositione Michaelis Baji *ord.* 46. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet ratio voluntarii &c.* a tribus Pontificibus, S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. confixa: sed omnis ignorantia invincibilis tollit voluntarium, utpote quod necessario præsupponit cognitionem; ergo omnis ignorantia invincibilis excusat a peccato. Porro Alexander VIII. inter propositiones triginta unam damnavit hanc *ord.*2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*; ergo vera est ejusdem contradictoria: *ignorantia invincibilis Juris naturæ excusat a peccato formali*: & consequenter, ac a fortiori, etiam ignorantia invincibilis Juris Divini, & humani.

Argumenta tum ex ratione, tum ab authoritate deprompta solide refellit La Croix *lib.*1. *a n.*737. Quem vide, si placet: quia nobis rei tam certæ non vacat diutius immorari.

579. Colliges tertio, posse in homine dari ignorantiam invincibilem operis mali quoad certam quandam speciem, esto is sciat ipsum opus esse malum: quo proinde casu si operetur, excusari non poterit a peccato simpliciter, sed solum a certa specie peccati, sub qua hoc illi invincibiliter incognitum, & consequenter involuntarium est. D. Thomas 1. 2. *qu.*76. *art.*3. & alii passim. Ratio patens est: quia in simili casu nihil intervenit, quod tollat voluntarium relate ad peccatum simpliciter; bene vero relate ad certam peccati speciem. Unde si interimas hominem, quem invincibiliter nescis esse Sacerdotem; si carnaliter commiscearis cum muliere, quam invincibiliter ignoras esse conjugatam; reus es homicidii, & fornicationis, non autem sacrilegii, & adulterii.

580. Dico secundo. Ignorantia vincibilis non impedit actum humanum (1.) simpliciter; impedit tamen (2.) secundum quid, saltem si non sit affectata. Est itidem communis DD. sententia.

Probatur prima pars. Quod relinquit voluntarium simpliciter, non impedit actum humanum simpliciter, ut patet: sed ignorantia vincibilis relinquit voluntarium simpliciter, videlicet in causa, & indirectum; ergo ignorantia vincibilis non impedit actum humanum simpliciter. Min. ostenditur, & declaratur. Nam quidquid procedit a principio intrinseco cum cognitione, & deliberatione, est simpliciter voluntarium: sed quod procedit ex ignorantia vincibili, procedit a principio intrinseco cum cognitione, & deliberatione saltem virtuali, & interpretativa, in quantum ignorans, licet actu non habeat scientiam, & notitiam, eam tamen potuit, ac debuit habere; vel forte etiamnum posset habere, si vellet; ergo est simpliciter voluntarium; ergo hæc talis ignorantia relinquit simpliciter volutarium: consequenter &c.

Confirmatur. Cui simpliciter voluntarium est antecedens, simpliciter quoque voluntarium est consequens natum est illo sequi: sed laboranti ignorantia vincibili simpliciter voluntaria est hæc talis ignorantia (saltem indirecte) tanquam antecedens; ergo illi etiam simpliciter voluntarium est consequens inde sequi natum, videlicet actus humanus, puta peccatum.

Quod tamen intellige: nisi ignorantia vincibilis evadat invincibilis; uti contingeret v. g. si quis ignorantiam, libere, ac culpabiliter contractam, serio retractaret, & effectum ex ea sequi natum impedire amplius non posset: tunc quippe antecedens esset quidem adhuc causa physica consequentis, non autem moralis; eo quod propter retractationem censeretur moraliter non amplius existere; adeoque nec amplius posset influere in actum moralem, inde consequi natum.

Probatur etiam secunda pars. Quidquid minuit voluntarium (intellige semper voluntarium liberum) impedit actum humanum secundum quid, quatenus eundem reddit minus voluntarium: sed ignorantia vincibilis (saltem si non sit affectata) minuit voluntarium; ergo impedit actum humanum secundum quid. Maj. est certa. Min. facile ostenditur: quia voluntarium indirectum est minus voluntarium, quam voluntarium directum; cum illud non intendatur per se, sicut istud: sed ignorantia vincibilis causat voluntarium indirectum, prout ex dictis liquet; ergo minuit voluntarium, seu causat minus voluntarium.

Dixi: *saltem si non sit affectata*. Hæc enim ignorantia, ex magna propensione voluntatis ad male agendum profecta, videtur voluntarium, & consequenter actum humanum, puta peccatum, potius augere, quam minuere: quia taliter ignorans ita censetur se addicere peccato, ut etiam ab omni impedimento, ac remora illud consciscendi studeat esse expeditus, ipsumque adeo frœnum rationis, hoc est, cognitionem obligationis, & conscientiæ remorsum, quo Deus hominem, ne in peccata prolabatur, cohibet, malitiose excutere, quasi dicens cum illis impiis apud S. Job *c.*21. *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Ita communior sententia cum S. Thoma, Navarro, Sanchez, Layman relatis a P. Sporer *loc. cit. n.*37. Verum opposita sententia, quam tenent S. Bonaventura, Corduba, Azorius, Filiucius apud eundem Sporer, videtur æque probabilis, imo probabilior. Ratio est: quia voluntas tanto minus voluntarie (voluntario libero) vult, quanto magis ab objecto trahitur ad unam partem; cum per hoc illius indifferentia, & libertas minuatur: sed ignorantia, etiam affectata, eo ipso, quod occultet malitiam objecti, v. g. adulterii, facit voluntatem magis trahi a tali objecto, quam scientia, malitiam objecti ostendens; cum enim voluntas naturaliter refugiat malum, ab objecto, cujus malitiam cognovit, amplectendo retrahitur, & retardatur; ergo &c. Unde licet ignorantia affectata augeat propensionem, & inclinationem voluntatis, seu voluntarium qua spontaneum; non tamen auget, sed minuit ipsius indifferentiam, & libertatem, seu voluntarium qua liberum, utpote quod eo minus est, quo major est propensio voluntatis ad unam partem.

581. Dices. Quod fit ex ignorantia affectata, est directe voluntarium; ergo non est minus voluntarium, quam quod fit ex cognitione: consequenter &c.

Respondetur primo, transmisso antecedente, neg. cons. Nam etiam inter illa, quæ directe voluntaria sunt, unum potest esse minus voluntarium, ac alterum, quatenus unum potest procedere a minori indifferentia

volun-

voluntaris (uti procedit , quod procedit ex ignorantia affectata) & alterum a majori (uti procedit, quod fit ex cognitione, seu scientia) consequenter &c.

Respondetur secundo cum P. Sporer *cit.* neg. ant. Siquidem quod proficiseitur ex ignorantia etiam affectata , solum iodirecte voluntarium est ; eo quod de facto non sit eognitum, licet voluotarie ignoratum. Sed contra hoc

Instabis. Quando causa est ditecte voluntaria , etiam effectus, ex illa procedens, censetur directe voluntarius: sed causa, nempe ignorantia affectata, est directe voluntaria, prout ipsimet supra admisimus; ergo & effectus, sive actus ex illa proceedeos, cencetur directe voluntarius.

Respondetut , neg. maj. nisi & ipse effectus per se, & directe intendatur, qualiter non intenditur, qui, & quatenus profiscitur ex ignorantia affectata qua tali. Patet res in exemplo; nam potest quis quærere, & fovere v. g. delectationes libidinosas, ex quibus culpabiliter nescit (vel etiam scit) secututam in somoo pollutionem, quam tamen directe non iotendat : huic enim causa pollutionis (nempe delectationes libidinosæ) est directe voluntaria ; ipse vero effectus (scilicet pollutio) solum indirecte, prout ab omnibus concessum iri existimo: consequenter &c.

Remanet ergo , nullam igoorantiam vincibilem excusare a peccato; quamlibet vero, utut gravem, illud dimiouere. An autem, & quando eadem ignorantia excuset , vel noo excuset ab incursione pœnæ, decisum est *tr. 2. n. 277.*

A R T I C U L U S II.

An, & quomodo Concupiscentia impediat Actum Humanum?

S U M M A R I U M.

582. *Nomine concupiscentiæ intelligitur passio , seu motus appetitus sensitivi &c. estque duplex , antecedens scilicet, & consequens.* 583. *Concupiscientia antecedens aliquando actum humanum impedit simpliciter, aliquando secundum quid.* 534. *Proponitur , & solvitur objectio ,* 585. *Motus primo primi , ex passione concitati, non sunt peccaminosi, quandiu illos ratio non advertit.* 586. *Peccata , ex passione facta , sunt leviora aliis.* 587. *Concupiscentia consequens qua talis nullo modo impedit actum humanum.*

582. PRænotandum, nomine coocupiscentiæ hic designari passionem, seu motum appetitus sensitivi, bonum aliquod delectabile prosequentis, aut malum oppositum fugientis. Et dividitur in *antecedentem*, ac *consequentem*. Antecedens dicitur, quæ ex apprehensione objecti delectabilis, vel contrarii , citra deliberationem intellectus, vel consensum voluntatis existit in parte sensitiva. Consequens vocatur , quam voluntas deliberate, & ex proposito excitat, ac imperat, vel prævie excitatam admittit, & acceptat. Sic e.g. ira repentina est concupiscentia aotecedens: quia deliberatiooem intellectus , & conseosum voluntatis prævenit: ira vero præmediata est concupiscentia consequens: quia præviam deliberationem intellectus, & consensum voluntatis subsequitur. Hoc prænotato,

583. Dico primo. Concopiscentia antecedens aliquando actum humanum impedit (1.) simpliciter; aliquando , & sepius (2.) secundum quid duntaxat. Doctor Subtilis in 4. *dist.* 29. aliique communiter.

Probatur prima pars. Quia aliquando contingit, ut concopiscientia antecedens simpliciter impediat deliberationem intellectus , ac liberum exercitium voluntatis; ergo aliquando contingit, ut concupiscentia antecedens simpliciter impediat actum humanam. Cons. patet: quia actus humanus sine deliberatione intellectus; & libero exercitio voluntatis consistere nequit. Ant. ostenditur, & declaratur . Siquidem exurgere aliquaodo solet in homine tam vehemens passio concupiscieotiæ v. g. ira, ut penitus obscuret , atqur obnubilet lumen rationis, eaque duntaxat motiva proponere sinat intellectum, quæ illud suadent , in quod ipsa fertur : atqui in tali casu simpliciter impeditur deliberatio intellectus, & liberum exercitium voluntatis; cum tunc objectum non proponatur ab intellectu sub ratione honesti, & inhonesti; nec voluntas agat cum indifferentia ad utrunlibet, sed cum determinatiooe ad unum ; ut pate; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars . Quia aliquando contingit, ut coocupiscentia antecedens minuat deliberationem intellectus, & liberum exercitium voluntatis; ergo aliquando cootingit , ut coocupiscentia antecedens impediat actum humanum secundum quid . Cons. iterum constat : quia tuoc impeditur actus humanus secundum quid , quando minuuntur , sive impediuntur secundum quid, ea, a quibus ille gradualem suam perfectionem desumit: qualia sunt deliberatio intellectus, & liberum exercitium voluntatis . Ant. vero rursus ostenditur, & declaratur. Nam contingere quaodoque, imo persæpe solet, ut passio exorta intellectum turbet, nec eundem sinat sufficienter considerare omnes circumstantias, & motiva occurrentia pro utralibet parte; sed rapiat ad ea magis pensanda , quæ favent parti , ad quam ipsa inclinat : atqui hoc casu minuitur deliberatio intellectus, & indifferentia, adeoque liberum exercitium voluntatis, ut patet; ergo &c.

584. Objicies cootra secundam partem conclusionis . Quo intensior est actus voluntatis circa aliquod objectum, eo magis est voluotarius: sed actus voluntatis operantis ex impulsu alicujus passionis est intensior , quam operantis sine tali impulsu; ergo est magis voluntarius: & consequenter similis passio non minuit voluotarium , imo auget illud; adeoque nec impedit actum humanum secundum quid.

Respondetur , dist. totum Syllogismum . Et quæ in eo dicitur , procedunt de voluntario qua spontaneo, con. de voluntatio qua libero , neg. & dist. similiter primum subjunctum cons. Ergo similis passio non minuit, imo auget voluntarium, qua spontaneum , con. qua liberum, neg. hanc, & ultimam cons. Nam gradualis perfectio actus humani immediate , & proxime metienda est non a priore, sed a posteriore voluntario: quod quia ob concupiscentiæ interventum minuitur (ut ostensum) etiam actus humani perfectio minuatur, necesse est: & consequenter &c.

585. Colligies primo, motus vitiosos voluntatis primo primos , ex passione concitatos , tandiu non esse peccaminosos , quandiu illos ratio non advertit . Ratio est : quia tandiu non sunt liberi . Evadunt vero peccaminosi, quamprimum illos ratio advertit , & non illico contradicit. Ratio est: quia tuoc jam adest libertas : imo passio ipsa ex antecedente transit in consequentem , fitque voluntaria, saltem interpretative, prout recte notat P. Mezger *tr. 4. disp. 7. art. 3. n. 6.*

586. Colliges secundo , peccata , quæ ex passione fiunt , esse leviora (ceteris paribus) quam peccata, quæ fiunt ex mera malitia. Ratio est: quia illa cum minori deliberatione, & liberate fiunt , quam ista. Juramenta item & vota , ex impulsu alicujus passionis edita, esto regulariter valeant , facilius tamen relaxantur. Ratio primi est: quia simpliciter sunt voluntaria & libera . Ratio secundi est: quia suot minus libera , ac essent, si absque passione emissa essent. Augustinus Michael *tr. 1. q. 1. §. 5. n. 5.* Babenstuber *tr. 2. disp. 1. art. 3. n. 6. & 7.* aliique ab ipsis relati.

587. Dico secundo . Concupiscientia consequens, qua talis, nullo modo , idest , nec simpliciter , ne secundum quid, impedit actum humanum. Communis.

Probatur. Quia effectus, ut effectus, nihil potest in suam causam: sed concupiscentia consequens , qua talis, est effectus voluntarii , utpote imperata , vel excitata ab actu libero voluntatis ; ergo in voluntarium nihil potest : & consequenter nec ipsum , nec actum humanum valet ullo modo impedire.

Dixi : *concupiscentia consequens , qua talis .* Contingere nanque potest , ut concupiscentia, quæ relate ad actum voluntatis præcedentem est consequens , evadat antecedens, si nimirum referatur ad alios actus subsequentes , non a prævia voluntate , sed a seipsa causatos : quo proinde casu de illa discurendum , sicut discurebamus supra de concupiscientia antecedente.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Violentia impediat Actum Humanum?

SUMMARIUM.

588. *Violenti definitio, & differentia a* coacto, necessario, *&* involuntario. 589. *Voluntas non potest pati violentiam in suis actibus elicitis; bene vero in actibus imperatis potentiarum externarum.* 590. *Violentia impedit actum humanum simpliciter.* 591. *Quæ per violentiam fiunt, non possunt cadere sub meritum, nec sub demeritum, sive peccatum.* 592. *Non est immunis a culpa, qui violentiam sibi illatam non repellit illis viribus, ac modis, quibus hic, & nunc potest, ac tenetur impedire actum ab aggressore attentatum.*

588. PRænotandum primo, violentum ex Aristotele 3. *Ethic. cap.* 1. esse id, *cujus principium est extra, passo non conferente vim*. Ubi ultimæ particulæ juxta Scoti in 2. *dist.* 18. *q. unic. num.* 6. & aliorum communem interpretationem, non sunt intelligendæ solum negative: ita, ut passum præcise non cooperetur, sed etiam positive, ita, ut passum renitatur, ac resistat actioni illius principii extrinseci: alioquin illuminatio aeris v. g. esset ei violenta: quod nemo dixerit. Differt violentum 1. a *coacto*. Nam illud datur in rebus tam cognoscentibus, quam non cognoscentibus; istud vero in solis cognoscentibus. Unde si homo per vim rapiatur de loco in locum, recte dicitur non solum pati violentiam: sed etiam cogi; lapis e diverso, si sursum jactetur, non dicitur cogi, esto dicatur pati violentiam. 2. a *necessario*. Quia hoc reperitur in quolibet actu determinato ad unum, esto is sit a principio intrinseco, & quam maxime voluntarius: veluti patet in amore beatifico. 3. ab *involuntario*. Siquidem istud causari etiam potest ab ignorantia, nec petit procedere a principio extrinseco.

589. Prænotandum secundo, & supponendum cum communi Theologorum, quod voluntas non possit pati violentiam (1.) in suis actibus elicitis; bene vero (2.) in actibus imperatis potentiarum externarum. Ratio primi est: quia omnis actus elicitus voluntatis est vel actualis, & exercita inclinatio ipsius in objectum (si sit actus prosecutionis) ab eadem tanquam a principio conjuncto, & intrinseco proveniens; vel oritur ex inclinatione voluntatis (si sit actus fugæ) sed neutro modo potest esse violentus; siquidem violentia requirit principium mere extrinsecum, & simul resistentiam passi; ergo &c. Ratio secundi est: quia potentiæ externæ per vim extrinsecus illatam cogi possunt ad actus inclinationi voluntatis contrarios; vel impediri, ne exerceant actus a voluntate imperatos; ut si cui per vim aperiantur oculi ad videndum turpia; vel ligentur pedes, ne ad locum concupitum progredi valeat: sed hoc est voluntatem pati violentiam in actibus imperatis; ergo &c. Unde proposita quæstio solum procedit de violentia relate ad actus imperatos, non vero elicitos voluntatis.

590. Dico jam. Violentia impedit actum humanum simpliciter. Communis.

Probatur. Nam quod simpliciter impedit voluntarium, simpliciter impedit actum humanum: sed violentia simpliciter impedit voluntarium, imo causat simpliciter involuntarium; ergo simpliciter impedit actum humanum. Maj. liquet ex sæpe dictis: quia sine voluntario consistere actus humanus nequit. Min. ostenditur. Siquidem, quod fit a principio pure extrinseco contra inclinationem voluntatis non modo nihil cooperantis, sed etiam pro viribus renitentis, simpliciter est non voluntarium, imo simpliciter, & positive involuntarium; ut patet: atqui quod fit per violentiam, ita fit a principio extrinseco; ergo &c.

591. Colliges primo, ea, quæ per violentiam fiunt, nec posse cadere sub meritum, nec sub demeritum, sive peccatum. Ratio patet ex proxime dictis: quia deest voluntarium, sine quo nec ratio meriti, nec demeriti subsistere potest. Unde siquis cogeretur ad exhibendum cultum Deo vero, vel falso, nec per priorem actum mereretur, nec per posteriorem demereretur.

592. Colliges secundo, non esse immunem a culpa, qui volentiam sibi illatam non repellit illis viribus, ac modis, quibus hic, & nunc potest, ac tenetur impedire actum ab aggressore intentatum. Sayrus in *Clavi lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 4. Sporer *loc. cit. n.* 44. & alii passim. Ratio est: quia talis non patitur vere, & simpliciter violentiam, sed censetur interpretative consentire in effectum ex causa, vel omissione quapiam sequentem; ut patet. Unde si puellæ inferatur stuprum, & ipsa exterius non resistat, puta corporis conatu, atque connisu, dum tamen utiliter potest, & rationabiliter debet, stuprum censetur illi interpretative, & indirecte voluntarium, atque ad culpam imputatur, esto interius non consentiat, sed constanter retineat voluntatem contrariam. Idem cogita de eo, qui violenter adigitur ad thus idolo adolendum, & exterius non resistit &c.

Ut autem discerni valeat, quanta sit adhibenda resistentia ad impediendum aliquem actum illicitum violenter intentatum, Martinez, Cornejo, Reding, Mezger, Babenstuber, & alii recte monent, præcipue attendi debere, an quis ad illum impediendum obligetur præcepto affirmativo, vel negativo. Si affirmativo, non tenetur adhibere omnem resistentiam possibilem, sed solum convenientem, attenta ratione damni, & materiæ; secus, si negativo. Unde puella, cui vis adversus pudicitiam infertur, tenetur quidem conatu corporis, quantum potest, aggressorem repellere; non tamen tenetur ei repugnare cum jactura vitæ, vel famæ, si prudenter existimet, se non consensuram; bene vero, si existimet oppositum, sive se consensuram. Nam in priore casu tenetur tantum præcepto affirmativo custodiendi suam integritatem, quod non obligat cum periculo vitæ, vel famæ: in posteriore autem præcepto negativo non fornicandi, quod obligat cum præfato periculo. Id quod utrunque magis perspicuum fit ex dicendis infra *n.* 60.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo Metus impediat Actum Humanum?

SUMMARIUM.

593. 594. & 595. *Quid, & quotuplex sit metus?* 596. *Metus quicunque (nisi rationem perturbet, & auferat) actum humanum non impedit simpliciter; impedit tamen plerunque secundum quid.* 597. & 598. 599. *Solvuntur tres objectiones.* 600. *Quænam leges obligent, vel non obligent in circumstantiis, in quibus ex illarum observatione metuitur grave malum, vel damnum?*

593. PRænotandum primo, per metum intelligi trepidationem mentis, ex periculo instante, vel futuro ortam, *l.* 1. *ff. de eo, quod metus causa*. Unde metu fieri dicitur, quod quis facit mali alicujus declinandi causa; alioquin non facturus. Differt a *violentia*, quod ista physice, & effective impellat ad actum voluntatis inclinationi contrarium; ille vero moveat objective, & moraliter, objiciendo videlicet aliquod malum, cujus declinandi gratia operatio (vel ejus omissio) exercetur, alioquin non exercenda.

594. Prænotandum secundo, metum posse provenire vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Ab intrinseco provenire dicitur, quando ab intrinseca complexione, vel aliis causis naturalibus, puta, morbo, tempestate, feris &c. proficiscuntur: ut si metu naufragii merces in mare projicias: peregrinationem voveas &c. Ab extrinseco provenit, quando ab homine tanquam causa libera incutitur. Idque fieri potest vel juste, vel injuste: item vel ad extorquendum aliquem certum actum, vel ob alium finem. Juste incutitur, dum incutitur a persona, quæ habet jus, vel etiam obligationem incutiendi: ut si Magistratus Ecclesiasticus Cajum v. g. ab initis cum Caja sponsalibus sine legitima causa resilire volentem, intentata excommunicatione compellat ad contrahendum cum ea matrimonium. Injuste incutitur a persona, quæ nullum habet jus, vel potestatem incutiendi: ut si latro tibi minetur mortem, nisi des, vel promittas peccuniam. Ad extorquendum aliquem actum incutitur, quando incutiens ejusmodi actum intendit, & quærit: ut fit ambobus exemplis immediate adductis, in quorum priore Magistratus contractionem matrimonii, & in posteriore latro dationem pecuniæ quærit. Ob alium finem incutitur, quando incutiens non intendit, aut quærit actum, qui ex incussione

metus

metus conſequitur, ſed quidquam aliud ab eo actu diverſum: ut ſi cogites alterum interficere, & illatam tibi injuriam ulciſci, nihil dicens de datione pecuniæ; alter vero ad tuum furorem mitigandum, ſeſeque ſervandum incolumem, promittat, aut numeret tibi pecuniam.

595. Prænotandum tertio, metum dividi in *gravem*, & *levem*. Gravis eſt, qui vehementer conturbat, nec facile ſuperari poteſt. Levis eſt, qui non multum conturbat, facileque repelli poteſt. Metus gravis alius eſt *abſolute talis*, alius *reſpective talis*. Metus abſolute gravis eſt, dum intentatur malum cadens in virum (vel feminam) alias conſtantem, id eſt, malum merito formidandum etiam perſonæ conſtanti, & cordatæ: cujuſmodi eſt metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, exilii, ſervitutis, amiſſionis ſtatus honorifici, ſtupri, infamiæ, injuſtæ excomunicationis, & aliorum hujuſmodi malorum, & damnorum, ſive a teipſo, ſive a perſonis tibi conjunctis, liberis, uxore, parentibus &c. ſubeundorum. Metus reſpective gravis eſt, qui aliquas, non autem omnes perſonas, prudenter movere poteſt; prout regulariter ſe habet metus relate ad feminas, & quandoque etiam relate ad mares, præſertim ſi ſint juvenes, vel alias ex natura ſua meticuloſiores. Item metus reverentialis in filio reſpectu parentis, in pupillo reſpectu tutoris, in ſubdito reſpectu Principis, in Clerico reſpectu Epiſcopi, in Religioſo reſpectu Prælati &c. ſi habeat conjunctum periculum diuturnæ offenſionis, indignationis, malæ tractationis &c. nam hæc, & ſimilia adminicula niſi accedant, reverentia ſola non ſufficit ad inducendum metum gravem. Pro cujus ampliori dilucidatione ſciendum eſt, metum reverentialem dupliciter ſpectari poſſe. 1. ſecundum ſe, & prout importat illum pudorem, verecundiam, & erubeſcentiam, quam pati ſolet filius, ſubditus &c. dum a patre, vel Superiore increpatur, v. g. ob denegatam obedientiam. 2. prout conjungitur cum rationabili prævisione aſperioris tractationis, diuturnæ indignationis, continuæ exprobrationis, aut diminutionis notabilis in diſtributione bonorum &c. In hac poſteriore acceptione metus cenſetur gravis; in priori vero levis. Ratio primi eſt: quia ejuſmodi auſteritas, indignatio &c. filium, ſubditum &c. vehementer conturbare, affligere, atque terrere poſſunt, ac ſolent. Ratio ſecundi eſt: quia pudor, & verecundia illa, quæ cito tranſit, non eſt malum tanti momenti, ut filium, ſubditum &c. vehementer conturbare valeat, aut ſoleat. Tamburinus 1. *Decal. c.* 2. §. 5. *n.* 8. Sporer *loc. cit. n.* 48. & apud ipſum Petrus Marchant. Atque ſic bene conciliantur leges, quarum aliquæ metum reverentialem pro gravi; aliæ vero pro levi reputant.

Porro ad metum gravem requiri præcipue tria, ex dictis eruitur. Primum eſt, ut malum, quod intentatur, ſit grave in ſe (abſolute, vel reſpective) & non præciſe in improdenti apprehenſione hominis meticuloſi. Secundum, ut malum prudenter, & non ſolum vane, ac leviter credatur imminere. Tertium, ut malum non facile declinari poſſit alio modo, v. g. per implorationem auxilii. Nunc ad propoſitam in *artic.* quæſtionem.

596. Dico. Metus quicunque (niſi rationem perturbet) actum humanum non impedit *(1.)* ſimpliciter; impedit tamen plerumque (2.) ſecundum quid. Communis DD.

Probatur prima pars. Quia, quod fit ex metu, quocunque demum, procedit a voluntate cum previa cognitione objecti, & finis, aliarumque circumſtantiarum, ac libera electione; ergo non obſtante metu, omnia ad actum humanum requiſita concurrunt; ergo metus non impedit actum humanum ſimpliciter. Utraque conſ. patet. Ant. oſtenditur, & declaratur in projectione mercium ex metu naufragii: mercator quippe ſciens, & volens eligit potius perdere merces, quam vitam; ideoque illas projicit, ut iſtam ſervet. Unde metus voluntatem mercatoris quidem impellit ad projectionem mercium, non autem neceſſitat: & conſequenter libertatem projicientis non tollit; ut notat Herincx *tract.* 2. *de liber. Arbit. & Actib. hum. diſp.* 1. *q.* 3. *n.* 20.

Dixi tamen in concluſ. *niſi rationem perturbet*: ſi enim metus ita vehemens incutiatur, ut is rationis uſum omnino perturbet, nullamque deliberandi moram relinquat, voluntarium penitus tollit: & conſequenter actum humanum ſimpliciter impedit.

Probatur etiam ſecunda pars. Quia, quod fit ex metu, plerumque fit cum inefficaci ſaltem reniſu, & reluctantia voluntatis, ut patet in exemplo proxime allato; nam mercator non ſine averſione, & nolleitate merces projicit; ergo licet actus, ex metu geſti, ſint ſimpliciter voluntarii, & liberi, quatenus abſolute poſſent non fieri; ſunt tamen involuntarii ſecundum quid: & conſequonter metus impedit actum humanum ſecundum quid.

Dixi tamen iterum in concluſ. *plerumque*. Non enim metus ſemper cauſat involuntarium ſecundum quid; adeoque nec actum humanum ſemper impedit ſecundum quid. Tunc ergo, quæ ex metu geruntur, habent adjunctam nolleitatem, & ſunt in voluntaria ſecundum quid, quando malum, ex cujus metu quis operatur, non cauſatur ab ipſo affecto, & voluntate operantis; ut patet in exemplo mercatoris projicientis merces ex metu perdendi vitam. E diverſo non habent adjunctam ejuſmodi nolleitatem, adeoque non ſunt involuntaria ſecundum quid, quando malum, ex cujus metu quis operatur, ab ipſo affectu, & voluntate operantis cauſatur; tunc enim repugnat, ut quis ex metu talis mali operetur efficaciter, & non ſimul deponat affectum, ejuſdem mali cauſativum. Unde implicat, ut quis ex metu gehennæ efficaciter deteſtetur peccata, & ſimul retineat affectum permanendi in peccatis, ſi pœna non eſſet; cum hic ipſe affectus, utpote peccaminoſus, ſit ejuſdem pœnæ cauſativus. Unde dolor pœnitentis, ut ſit ſalutaris, non debet eſſe involuntarius ſecundum quid; prout in proprio loco videbimus. Herinex *loc. cit. n.* 22.

Ex quibus ſuapte natura fluit, quod metus (niſi rationem perturbet) a peccato non excuſet, eſto illud diminuat. Ratio jam data eſt, quia nimirum non ſimpliciter impedit voluntarium, & liberum; ſed ſolummodo ſecundum quid. Nunc contra primam concluſionis partem.

597. Objicies primo. Ariſtoteles 3. *Ethic. cap.* 1. loquens de projectione mercium in mare in caſu exortæ tempeſtatis, expreſſe docet, ejuſmodi projectionem non eſſe voluntariam; ergo metus tollit voluntarium, ſeu impedit ſimpliciter: & conſequenter &c. Prob. ant. Ait enim ibi Philoſophus: *Simpliciter nemo fortunas ſuas projicit ſponte*; ergo juxta Philoſophum talis projectio non eſt ſpontanea, & voluntaria ſimpliciter: conſequenter &c.

Reſpondetur neg. ant. Ad cujus probat. explico, & diſt. ant. Simpliciter nemo fortunas ſuas projicit ſponte, nulla facta ſuppoſitione alicujus mali imminentis, con. facta tali ſuppoſitione, neg. ant. & conſ. Hanc autem eſſe mentem Philoſophi, colligitur ex Verbis, quæ in *loc. cit.* ſubdit: *ſed omnes propter ſuam ſalutem ejiciunt merces, modo ſint ſanæ mentis. Tales igitur actus mixti quidem ſunt; iis autem* NB. *magis ſimiles, quos homines ſponte agunt*.

598. Objicicies ſecundo. Dantur plures actus humani, qui, ſi ex metu ad illos extorquendos injuſte incuſſo gerantur, ſunt invalidi; ut promiſſio, vel ſolutio dotis; abſolutio a cenſuris; matrimonium &c. ergo aliquis metus, ſaltem quandoque, impedit actum humanum ſimpliciter.

Reſpondetur, diſt. ant. Sunt invalidi ex defectu voluntarii ſimpliciter, neg. ex diſpoſitione Juris, in defectu voluntarii ſecundum quid, aliiſque motivis congruis fundata, con. ant. & neg. conſ. Sed de hoc iterum alibi.

599. Objicies tertio. Metus, vel etiam minoris mali ſæpenumero excuſat a peccato; ergo tollit voluntarium, & impedit actum humanum ſimpliciter. Conſ. patet: quia excuſatio a peccato non videtur aliunde oriri, quam ex defectu voluntarii, per metum inducto. Ant. oſtenditur in exemplis. Sic David, 1. *Reg. c.* 21. manducando panes propoſitionis, Laicis Lege Divina vetitos, non commiſit peccatum: quia neceſſitate famis, & metu mortis ad illos manducandos adigebatur. Similiter a peccato immunis manet infirmus, qui comedit carnes diebus Lege Eccleſiaſtica interdictis, quando ex ciborum eſurialium comeſtione prævidet, malum morbi notabiliter aggravatum iri &c. ergo &c.

Reſpondetur, conceſſo antecedente, neg. conſ. & id quod per modum probationis ſubjungitur. Nam excuſatio a peccato in allatis, aliiſque id genus exemplis

ſimili-

similiter non provenit ex defectu voluntarii; sed ex ipsa natura, & indole legum, quæ ob circumstantiam gravis metus non obligant; & consequenter earum transgressiones, ut ut sint voluntariæ, nullo modo (id est, nec formaliter, nec materialiter) peccaminosæ existere possint. Hoc ut magis dilucidetur,

600. Quæres, quænam leges obligent, vel non obligent in iis circumstantiis, in quibus ex illarum observatione imminet periculum mortis, aut alterius gravis mali?

Respondetur primo. Lex naturalis negativa (1.) aliquando obligat (2.) aliquando non obligat cum periculo, & metu mortis: affirmativa similiter (3.) cum tali periculo aliquando non obligat. Quoad priores duas partes conveniunt reipsa DD. Tertiam tradunt Merger *tr.* 4. *disp.* 7. *art.* 2. *num.* 15. Babenstuber *tract.* 2. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 40. & alii plures. Ratio primæ, & secundæ partis est: quia aliquæ actiones, lege naturali vetitæ, sunt intrincese malæ absolute, ut nullo unquam casu cohonestari possint: sic se habent mendacium, blasphemia, odium Dei, pollutio voluntaria &c. aliæ vero sunt intrinsece malæ conditionate: idque dupliciter 1. ita ut cohonestari nulla ratione possint, nisi in lege eas prohibente dispensetur modo exposito *tr. praced. n.* 481. 2. ut etiam absque dispensatione ob solam aliquam circumstantiam gravis damni, vel mali, quod ex illarum positione metuitur, cohonestentur. Prioris generis sunt fornicatio, quam exercere licite non potes, etiamsi prævideas ex ejus omissione gravissimum malum, imo mortem ipsam tibi impendere: item homicidium extra casum injustæ invasionis: furtum extra casum extremæ necessitatis &c. Posterioris generis sunt itidem homicidium relate ad casum injustæ invasionis; & furtum relate ad casum extremæ necessitatis, sive defectus in necessariis ad supervivendum &c. Lex naturalis vetans actiones intrinsece malas absolute, obligat semper & pro semper: omnemque prorsus respuit dispensationem, & causam sui quomodocunque relaxativam, aut restrictivam: vetans vero actiones intrinsece malas conditionate prioris generis obligat rursus semper, & pro semper, nisi forte in ea dispensetur: vetans denique actiones intrinsece malas conditionate posterioris generis non obligat, imo nunquam obligavit, in casu extremæ necessitatis, etiam absque interventu alicujus dispensationis. Ergo Lex naturalis negativa aliquando obligat cum periculo, & metu mortis; atque ita verificatur prima pars responsionis: aliquando non obligat cum tali periculo; & sic salvatur etiam altera pars responsionis. Ratio porro tertiæ partis est: quia lex naturalis affirmativa non prohibet actiones intrinsece malas, sed præcipit actiones intrinsece bonas, & secundum moralem honestatem necessaria; ergo fieri potest, ut ejusdem transgressio ob circumstantiam mortis, alioquin violenter subeundæ, non imputetur ad culpam. Unde puella a peccato excusanda videtur, quæ citra periculum proximum consensus negative permittit sui deflorationem, quam sine vitæ suæ discrimine impedire non posset: quia ista propriæ defensionis omissio adversatur solum præcepto affirmativo, quo tenetur suam pudicitiam adversus invasorem tueri: prout advertimus supra *n.* 592.

Dices contra secundam partem responsionis. Omnis lex negativa obligat semper, & pro semper; ergo non potest dici aliquando non obligare, tametsi ex ejus observatione mors ipsa timenda foret.

Respondetur explic., & dist. ant. Relate ad casus, quos comprehendit, con. relate ad casus, quos non comprehendit, neg. ant. & cons. Lex naturalis negativa non comprehendit casus supra specificatos de occasione injusti invasoris & ablatione rei alienæ ad vitam conservandam necessariæ &c. quia nunquam a Legislatore ad illos porrecta fuit.

Respondetur secundo. Etiam Leges Divinæ, & humanæ, sive negativæ, sive affirmativæ (1.) aliquando obligant (2.) aliquando non obligant cum periculo, & metus mortis, vel alterius gravis mali. Authores supra citati. Obligant, quando illarum observatio est moraliter necessaria ad bonum publicum conservandum; vel violatio cedit in scandalum, in contemptum Fidei Catholicæ, aut potestatis legislativæ &c. cujusmodi sunt leges de sigillo confessionis non violando: de consecratione facienda sub utraque specie: de legitima administratione Sacramentorum: de agendis vigiliis tempore belli: de non comedendis carnibus tempore Quadragesimæ cum videntium scandalo, aut appositis in contemptum Fidei, aut Ecclesiæ Romanæ &c. In his ergo, & aliis id genus exemplis memoratæ leges servandæ sunt, tametsi servanti immineat grande malum; imo mors ipsa. Ratio est, quod bonum commune præponderet bono privato; ut proinde intuitu hujus non possit illud negligi. E diverso non obligant saltem ut plurimum extra dictos casus: cujusmodi erant in veteri Testamento leges prohibentes laicis comedere panes propositionis, præliari diebus Sabbatinis &c. & in novo leges præcipientes confessionem materialiter integram; adstringentes ad confessionem præmittendam sumptioni Eucharistiæ; vetantes tempore Quadragesimæ comestionem carnium, & binam uno, eodemque die refectionem; laborem servilem diebus festis &c. In istis igitur, & consimilibus exemplis ab observantia legum Divinarum, & præcipue humanarum excusat metus mortis, & interdum alterius gravis mali, aut incommodi. Ratio est: quia Deus, cujus jugum suave est, & onus leve, non censetur (esto posset) tanto cum rigore in puncto non vergente in detrimentum boni communis ad suarum legum observantiam obstringere; consequenter nec Ecclesia, vel Respublica, utpote quæ in ferendis suis legibus supremo Legislatori se conformare debent, per easdem scilicet non imponendo strictiorem obligationem, quam soleat imponere Deus per suas leges: imo Legislator humanus non posset tunc obligare, esto posset Divinus; nam hic est absolutus Dominus vitæ, ac bonorum omnium cujuscunque creaturæ; secus ille.

CAPUT IV.

De Bonitate, & malitia Actus Humani.

ARTICULUS I.

Unde actus humanus suam bonitatem, & malitiam desumat?

SUMMARIUM.

601. *In quo bonitas, & malitia moralis actus humani intrinsece, & formaliter consistat.* 602. *Quid hic intelligatur nomine objecti, & quid nomine circumstantiarum?* 603. *Actus humanus suam bonitatem, & malitiam essentialem, ac specificam extrinsece, & causaliter desumit ab objecto ut practice cognito.* 604. *Proponitur, & solvitur objectio.* 605. *Actus humanus etiam a circumstantiis aliquam bonitatem, & malitiam, puta accidentalem, desumere potest, & solet.* 606. *Satisfit argumento contrario.* 607. *Ut objectum, & circumstantia in actum humanum formalem bonitatem transfundant, debent esse directe volita; ut vero transfundant malitiam, indirecte solum.* 608. *Septem sunt circumstantiæ, ex quibus aliquæ mutant speciem; aliæ tantum aggravant, vel minuunt bonitatem, vel malitiam. Porro aliæ appellantur* formales, *aliæ* objectivæ. 609. *& seqq. Declarantur singulæ circumstantiæ.* 616. *Cur circumstantia loci, non item temporis sacri tribuat novam speciem?*

601. PRænotandum primo, bonitatem moralem actus humani, juxta omnes, intrinsece, & formaliter sitam esse in conformitate; malitiam e diverso in difformitate ad rectam rationem, sive ad regolas morum, quales sunt Lex, & Conscientia, de quibus *tr.* 1. & 2. actum est. Hoc supposito, quæritur in præsenti, unde actus humanus dictam bonitatem, seu conformitatem, & malitiam, seu difformitatem desumat? sive (quod in idem recidit) unde utraque causetur, & in actum humanum refundatur?

602. Prænotandum secundo, propositam in articulo quæstionem procedere de bonitate, & malitia actus humani relate ad objectum, & circumstantias. Objectum in præsenti est, ad quod actus humanus per se, & suapte natura ordinatur. Ita sublevatio pauperis est objectum actus Misericordiæ, quo quis largitur eleemosynam; cum largitio eleemosynæ per se, & suapte natura,

tuta, five ex proprio tendendi modo ordinetur ad sublevationem pauperis; quam proinde respicit seu objectum, sive (quod in idem recidit) seu finem intrinsecum (qui etiam vocatur *finis operis*) esto præterea ordinati ab operante valeat ad alios fines extrinsecos (qui dicuntur *fines operantis*) sive bonos, sive malos. Circumstantiæ sunt particulares actus humani conditiones, sive accidentales affectiones, sic nuncupatæ, quod actum humanum, operantem, & objectum accidentaliter afficiant, & quasi *circumstent*.

603. Dico nunc primo. Actus humanus suam bonitatem, & malitiam essentialem, ac specificam extrinsece, & causaliter desumit ab objecto, ut practice cognito. Ita Doctor Subtilis *Quodlib. 8. art. 1.* & alii communissime.

Probatur. Actus in genere naturæ suam speciem essentialem naturalem extrinsece, & causaliter desumit ab objecto, ut est in se a parte rei (id quod supponitur ex Philosophia) ergo etiam actus in genere moris, sive actus humanus suam speciem essentialem moralem desumit ab objecto, ut practice cognito. Unde *Osea* 9. dicitur de peccatoribus: *facti sunt abnominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.*

Dixi in conclus. *ab objecto, ut practice cognito*, volens indigitare, quod objectum (idem cogita de circumstantiis) non tribuat actui speciem in genere moris, prout est in se a parte rei, sed prout substat cognitioni, & repræsentationi practicæ intellectus, ita ut illi tribuat speciem bonitatis, quatenus est cognitum tanquam conforme, & malitiæ, quatenus est cognitum tanquam difforme regulis morum. Patet id in adoratione Hostiæ non consecratæ, v. g. quam adorans invincibiliter existimat esse consecratam: ubi actus adorationis suam speciem moralem, sive honestatem religiositatis non potest derivare ab adorabilitate, ut existit in se a parte rei (sic enim est nulla) sed ut existit in invincibili, & prudenti existimatione, seu practico judicio intellectus.

604. Objicies. Actus internus non accipit bonitatem, & malitiam ab actu externo, licet hic sit illius objectum; ergo non est verum, saltem universaliter, quod actus suam bonitatem, & malitiam accipiat ab objecto. Conf. patet. Ant. facile ostenditur; nam actus internus tribuit actui externo bonitatem, & malitiam; ergo ab isto non accipit.

Respondetur, actum externum, v. g. dationem eleemosynæ, vel furtum, dupliciter considerari posse. 1. in intentione; & sic est objectum actus interni. 2. in executione; & sic est effectus actus interni. Si primo modo consideretur, habet bonitatem, vel malitiam objectivam priorem bonitate, & malitia formali actus interni; ideo enim velle dare eleemosynam est bonum, quia ipsum dare est bonum conveniens rectæ rationi; & ideo velle furari est malum, quia ipsum furari est malum disconveniens rectæ rationi. Atque sub hac consideratione actus externus in internum, cujus est objectum, bonitatem, vel malitiam formalem refundit. Si secundo modo consideretur, accipit ab actu interno, cujus est effectus, bonitatem, vel malitiam formalem; cum ideo fiat, sive ponatur, quia voluntas actu interno efficaciter vult, vel imperat, ut ponatur. Quibus rite perpensis, argumento satisfieri, facile potest, dicendo, quod actus internus accipiat bonitatem, vel malitiam ab actu externo, quatenus hic est illius objectum; secus, quatenus est ejusdem effectus: & consequenter verum manet, quod actus humanus suam bonitatem, vel malitiam etiam hic accipiat ab objecto.

Instabis. Esto actus externus, prout est objectum interni, præhabeat bonitatem, vel malitiam objectivam; non tamen præhabet formalem (idem cognita de quocunque alio objecto actus humani) ergo talem in actum internum refundere nequit.

Respondetur, dist. ant. Bonitatem, vel malitiam formalem non præhabet formaliter, con. fundamentaliter, & causaliter, neg. ant. & cons. Fere sicut objecta intellectus veritatem, vel falsitatem formalem in actus intellectus refundunt, esto neutram formaliter, sed fundamentaliter tantum contineant; ac præhabeant; ita objecta voluntatis, & aliarum potentiarum voluntati subditarum bonitatem, vel malitiam formalem in actus humanos refundere valent, esto neutram præhabeant formaliter, sed solum fundamentaliter, & causaliter, quatenus practice voluntati præsentantur ut objective honesta, vel inhonesta. Vide Sporer hic *n.* 8.

605. Dico secundo. Actus humanus etiam a circumstantiis aliquam bonitatem, vel malitiam (videlicet accidentalem, a bonitate, & malitia essentiali, quam accipit ab objecto, diversam) trahere potest, & solet. Communissima.

Probatur, & declaratur. Nam qui largitur eleemosynam, ut satisfaciat pro suis peccatis, exercet actum duplici bonitate præditum, quarum unam, & essentialem derivat ex objecto, seu fine intrinseco, qui est sublevatio pauperis; alteram vero, & accidentalem ex circumstantia, seu fine extrinseco, qui est satisfactio pro peccatis: vi prioris bonitatis largitio eleemosynæ est actus Misericordiæ, vi posterioris vero actus Pœnitentiæ. Similiter qui voto Castitatis ligatus, fornicatur, duplicis malitiæ, sive peccati se reum constituit, quorum unum militat adversus virtutem Castitatis, & alterum adversus virtutem Religionis, tenetur que in confessione utrunque explicare: ut definit Trid. *sess.* 14. *can.* 7. Ergo &c.

606. Objicies. Qui facit iter voti persolvendi gratia, exercet actum sola bonitate Religionis; & qui dat eleemosynam pauperi puellæ ad obtinendam ab ea copiam corporis, exercet actum sola malitia incontinentiæ affectum; quæ bonitas, & malitia, cum aliam non præsupponat, utique primaria est, & essentialis; ergo actus humanus potest trahere, saltem a circumstantia finis, bonitatem, ac malitiam essentialem, & non accidentalem tantum &c.

Respondetur, concesso antecedente, dist. conf. A circumstantia finis specificative tali, con. reduplicative tali, neg. conf. Circumstantia finis in exemplis posita non retinet proprietatem circumstantiæ, sed, ea amissa, induit in genere moris rationem objecti, & ut tale tribuit actibus prænominatis bonitatem, & malitiam essentialem. Quod non pugnat contra nostram conclusionem, utpote statutam, & intelligendam de circumstantiis qua talibus reduplicative.

607. Quæres primo, qualiter objectum, & circumstantiæ, ut in actum humanum bonitatem, vel malitiam formalem refundant, debeant esse volita?

Respondetur. Ut refundant bonitatem (1.) debent esse volita directe, in quantum objective honesta sunt; ut vero refundant malitiam (2.) indirecte tantum, in quantum objective inhonesta sunt. Responsio quoad utranque partem in terminis, in quibus proponitur, communis est inter Authores. Ratio ejusdem quoad primam partem est: quia omnis bonitas objectiva, movens, & specificans actum voluntatis, directe movet voluntatem ad sui amorem; ut patet de bonitate objectiva delectabilitatis relate ad actum dilectionis, & de bonitate objectiva utilitatis, ac eligibilitatis relate ad actum electionis; ergo etiam bonitas objectiva honestatis, sive objectum honestum (idem esto judicium de circumstantia objectiva) qua honestum. Atqui hoc est directe amari; ergo &c. Confirmatur. Bonum qua tale, adeoque omne bonum, essentialiter est objectum prosecutionis; ergo directe movet, & terminat actum prosecutionis. Sed bonum honestum est aliquod bonum, cum bonum in communi dividatur in honestum, delectabile, & utile; ergo &c. Quo fit, ut voluntas, dum exercet aliquem actum, ex objecto, vel circumstantiis honestum, nulla prorsus habita ratione ipsius honestatis objective, sed præcise propter ejus utilitatem, vel delectationem, non faciat actum honestum; cum tunc honestas objectiva, quippe directe non quæsita, & amata, honestatem formalem refundere in actum nequeat. Ratio responsionis quoad secundam partem desumitur a contrario: siquidem malum qua tale nullo modo est objectum motivum voluntatis, & prosecutionis (quia *nemo intendens ad malum operatur*) sed ex natura sua tantum est idoneum, ut terminet actum fugæ. Unde actus malus voluntatis accipit malitiam ab inhonestate objecti indirecte volita, quatenus voluntas directe fertur in aliquod objectum delectabile vel utile, cui inhonestas conjuncta est, & per practicam cognitionem voluntati proponitur; sic enim indirecte convincitur velle ipsam malitiam, & turpitudinem peccati.

Quæres secundo, quotuplicis generis sint circumstantiæ, a quibus actus humanus suam bonitatem, vel malitiam desumere solet?

608. Ref.

608. Respondetur, esse septem, sequenti versiculo comprehensas:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quas singillatim hic juvat, imo oportet explicare. Antequam vero id præstitum eamus, sciendum est, aliquas illarum esse, quæ bonitatem, vel malitiam actionis intra eandem speciem augent, vel minuunt (quamobrem dici solent *aggravantes*, vel *minuentes*) cujus modi sunt actionis vehementia, vel remissio; more longa, aut brevis &c. siquidem (ceteris paribus) melior est dolor de peccatis v. g. intensus, quam remissus; vel durans per horam, quam per quadrantem horæ: alias vero esse, quæ actioni novam bonitatis, vel malitiæ speciem afferunt propter specialem conformitatem, vel difformitatem, quam gerunt ad regulas motum (ideoque vocantur *speciem mutantem*) ut siquis furetur rem sacram; vel fornicetur in loco sacro &c. Et hæ rursus subdividuntur. Nam aliæ sunt, quæ novam bonitatis, vel malitiæ speciem afferunt actioni retinenti propriam speciem, quam habet essentialem ex objecto: veluti si des eleemosynam, Deo satisfaciendi causa pro peccatis, datio eleemosynæ erit in duplici specie virtutis, Misericordiæ scilicet, & Pœnitentiæ; in priori quidem ratione objecti, sive finis intrinseci, in posteriori autem propter circumstantiam *cur*, sive finis extrinseci; ut vidimus supra *n.* 602. Aliæ vero sunt, quæ mutant speciem actionis moralis, propriam ipsius bonitatem, quam ex objecto habet, destruendo, & ad speciem malitiæ transferendo; veluti si des eleemosynam vanæ gloriæ causa; mutas enim opus virtuosum Misericordiæ, perdita bonitate, in opus vitiosum inanis gloriæ. Porro circumstantiæ (sive peccati speciem moveant, sive illud duntaxat intra eandem speciem augeant, vel minuant) appellantur *formales*, si se teneant ex parte actus; & *objectivæ*, si se teneant ex parte objecti. Nunc ad prænominatas circumstantias, possibili brevitate, & claritate sigillatim juxta ordinem exponendas, accedimus. Itaque

609. Circumstantia *Quis* significat non ipsam personam operantem secundum se (hæc quippe est de substantia, & non circumstantia actus) sed conditionem, sive qualitatem personæ operantis, ver. grat. an sit soluta, vel ligata, profana, vel sacra &c. Hæc circumstantia actui bono, vel malo aliquando novam bonitatis, vel malitiæ speciem confert; aliquando illum intra eandem speciem auget. Exempla prioris sunt, si Parochus ex officio populum sibi commissum erudiat, Sacramenta administret &c. ubi similes functiones præter speciem bonitatis, quam trahunt ex objecto, contrahunt insuper speciem bonitatis ex virtute Justitiæ: item si voto obstrictus continentiam, vel jejunium servet; siquidem & talis observantia duplici bonitate præfulget, quarum unam ex virtute Castitatis, & Abstinentiæ, & alteram ex virtute Religionis derivat. E diverso si persona ligata peccet carnaliter, non solum contra Castitatem, sed etiam contra justitiam peccat peccato adulterii: si voto Continentiæ obstricta, contra Castitatem simul, & Religionem, peccato incontinentiæ, & sacrilegii &c. Exempla posterioris sunt, si Vir magnæ dignitatis, vel excellentis doctrinæ aliis ob humilitatem se postponat, vel subjiciat, si pauper eleemosynam largiatur &c. ubi uterque, prior quidem bonitatem, ex virtute Humilitatis, posterior vero bonitatem ex virtute Misericordiæ tractam, auget, magisque meritoriam reddit, ac facerent homines vilis conditionis, aut magnarum divitiarum. Et e diverso si peccet fidelis, doctus, Clericus, Religiosus, Episcopus &c. plus peccat (ceteris paribus) quam si peccet infidelis, indoctus, laicus, secularis, subditus &c.

610. Circumstantia *Quid* iterum non significat simpliciter ipsum objectum actus (hoc nanque similiter pertinet ad substantiam actus) sed conditionem, qualitatem, vel quantitatem objecti, seu materiæ, circa quam actio versatur. Pariter & hæc circumstantia actui bono, vel malo subinde novam bonitatis, vel malitiæ speciem affert; subinde illum intra eandem auget. Exempla prioris sunt, si pauperi Sacerdoti intuitu Sacerdotii largiaris eleemosynam: ubi non solum opus Misericordiæ, sed etiam Religionis exerces. E diverso si pecces cum aliena uxore, non solum contra Castitatem, sed etiam contra Justitiam delinquis: si cum persona sacra, contra virtutem Castitatis, & Religionis &c. Exempla posterioris sunt, si viduis, pupilis, peregrinis, humanitatis, ac liberalitatis officia exhibeas: si pauperi loco crucigeri des florenum. Vel e diverso si injuria afficias hominem innocentem, aut sanctum: si loco decem florenorum clepas triginta &c.

611. Circumstantia *Ubi* significat qualitatem loci, videlicet sacri, profani, publici, privati &c. in quo operatio exercetur. Hæc enim circumstantia actui malo novam malitiæ speciem persæpe tribuit: quandoque autem idem peccatum intra eandem speciem solum aggravat. Exempla prioris sunt, si quis perpetret homicidium in templo, vel inibi fornicetur; nam præter peccatum Injustitiæ in primo, & peccatum incontinentiæ in secundo casu contrahit malitiam sacrilegii: siquis in loco publico, & coram aliis blasphemet, loquatur turpia &c. præter malitiam ex objecto ordinarie sibi consciscit malitiam scandali &c. Exempla posterioris sunt, siquis in templo alteri detrahat, aspectus lascivos exerceat &c. ubi peccata detractionis, & impudicitiæ ex circumstantia loci sacri, in quo fiunt, aliquod augmentum sumunt. Idem cogita, & proportionaliter applica de actibus bonis.

612. Circumstantia *Quibus auxiliis* significat media, & instrumenta peccandi (vel etiam bene operandi, de quo nulla difficultas) eaque aut inanimata, ut si armis, speciali lege prohibitis, proximum vulneres; si res sacras ad magiam exercendam adhibeas &c. aut animata, uti sunt alii homines, jussu, consilio, pecuniis &c. in sceleris societatem tracti, & idcirco scandalizati. Quibus in casibus prædicta circumstantia specialem actui malitiam addit; ut consideranti patet. Aliquando tamen solummodo augmentum affert; ut si armata manu prædatus es, si odio ultra modum intenso inimicum invasisti &c. Huc revocari solent occasiones voluntariæ peccandi, utpote quæ & ipsæ peccati malitiam aggravant; prout fit toties, quoties quis ex efficaci proposito peccandi exponit se periculo peccandi, & statim peccat: talis quippe unum, idemque numero peccatum, attamen aggravatum, committit. Secus esset, si se exponeret periculo peccandi, absque efficaci proposito reipsa peccandi, & primum post aliquod temporis intervallum periculo superatus, ex nova intentione peccaret: hoc quippe casu duo numero distincta peccata perpetraret: prout recte notant Sanchez *lib.* 1. *Moral. c.* 8. Sporer hic *n.* 29. Babenstuber, & alii.

613. Circumstantia *Cur* denotat finem non intrinsecum, sive operis (hic enim coincidit cum objecto) sed extrinsecum, & operantis; prout explicitum est supra *n.* 602. Porro modi, quibus operatio humana ad finem extrinsecum referri potest, & solet, octo enumerantur. Primus est, dum quis actum ex objecto bonum refert ad finem bonum: ut si per largitionem eleemosynæ intendat satisfacere pro peccatis. Et talis actus duplici saltem bonitate gaudet; una tracta ex objecto, & altera derivata ex circumstantia finis: imo gaudere pluribus potest, si ad plures fines bonos ordinetur. Secundus est, si quis actum ex objecto bonum referat ad finem malum: ut si per largitionem eleemosynæ aucupetur inanem gloriam. Et similis actus amissa bonitate objecti, evadit simpliciter malus ob malam circumstantiam finis, quæ tamen hic non retinet rationem circumstantiæ, sed obtinet rationem objecti, tribuitque unicam, & essentialem speciem malitiæ. Tertius est, siquis actum ex objecto bonum referat ad finem differentem; ut si jejunet precise sumptibus parcendi gratia. Ubi actus ob indifferentiam finis indifferens est. Quartus est, siquis actum ex objecto indifferentem referat ad finem bonum: ut si faciat iter voti persolvendi causa. Quo casu circumstantia finis itidem exuit proprietatem circumstantiæ, & induit naturam objecti; adeoque tribuit primam, unicam, & essentialem speciem bonitatis. Quintus est, si quis actum ex objecto indifferentem referat ad finem malum: ut si iter arripiat fornicandi; ergo &c. Ubi pariter circumstantia finis transit in objectum, & confert primam, unicam, & essentialem speciem malitiæ. Sextus est, siquis actum ex objecto malum referat ad finem bonum: ut si furetur, unde eleemosynam dare queat. Qui actus manet simpliciter malus, ita ut nihil bonitatis recipiat ex circumstantia finis præfixi, utut de se boni: *quia bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu*, inquit S. Dionysius *c.* 4. *de Divin. Nominib.* id est, ut actio aliqua sit

qua sit

qua sit moraliter bona, omnia, quæ ad illam concurrunt (puta objectum, finis aliæque circumstantiæ) bona sint, necesse est: alioquin, sive quando vel unicum a bonitate deficit, moraliter mala evadit. Septimus est, siquis actum ex objecto malum referat ad finem malum: ut si furetur peccunias, quibus puellam ad scortandum pelliciat. In quo actu involvuntur duæ malitiæ, quarum una contra Justitiam, & altera contra castitatem militat. Octavus denique est, si quis actum ex objecto indifferentem referat ad finem indiferentem: ut si ambulet solius recreationis gratia. Qui actus non extrahitur ex statu indifferentiæ, sed manet totus indifferens saltem quoad speciem, imo etiam quoad individuum; prout videbimus infra *art.* 3. Vide super his omnibus fuse discurrentem P. Sporer *an.* 14.

614. Circumstantia *Quomodo* significat modum, quo operatio exercetur. Tales modi sunt major, vel minor intensio actus, majus, vel minus voluntarium, ac liberum &c. Hæc circumstantia in actibus bonis bonitatem, in malis malitiam plerumque tantum auget, vel minuit intra eandem speciem. Sic magis Deo placet, & plus meretur, qui intensiorem de peccatis dolorem elicit, quam qui remissiorem: sic porro gravius peccat, qui delinquit cum majori intentione, deliberatione &c. quam qui delinquit cum minori intentione, deliberatione &c. Subinde tamen actui malo affert novam speciem malitiæ. Unde in furto violento præter speciem injustitiæ involvitur malitia rapinæ, contracta ex modo, quo illud exercetur: & in peccato, quod ex formali legis contemptu perpetratur, præter malitiam ex objecto derivatam malitia inobedientiæ &c.

615. Circumstantia *Quando* accipi potest vel pro mora temporis, quo actio durat, vel pro qualitate temporis, puta sacri, vel non sacri. Si accipiatur priore modo bonitatem, vel malitiam actus accidentaliter auget, vel minuit: unde dolor, de peccatis conceptus, præstantior est (ceteris paribus) & delectatio libidinosa deterior, si continuentur per horam, quam si per semihoram. At si accipiatur posteriore modo, ad actionem moralem se habet impertinenter, nec ad ejus bonitatem, vel malitiam aliquid addit, vel demit per se loquendo. Unde si largiaris eleemosynam die festo, non exerces opus duplici, vel majori bonitate præditum, quam si idipsum facias die feriali: sicut nec dupliciter, vel plus delinquis, si te inebries die festo, quam si die feriali. Dixi autem: *per se loquendo*; nam siquis ex directa intentione honorandi, vel inhorandi tempus sacrum operetur, novam suæ operationi speciem bonitatis intra, vel malitiæ contra virtutem Religionis consciscit. Laymann *loc. cit. n.* 9.

616. Dices Circumstantia *Ubi*, puta loci sacri nata est tribuere actui morali augmentum, vel novam speciem bonitatis, aut malitiæ etiam per se loquendo, prout relinquitur ex dictis supra; ergo etiam circumstantia *Quando*, seu temporis sacri.

Respondetur cum Laymanno *cit.* neg. cons. & paritatem. Disparitas est: quia locus, cum sit res permanens, consecrationis, & sanctitatis moralis per se capax est; cui proinde operationis bonæ, vel malæ exercitium secundum rectam rationem convenit, vel repugnat: e diverso tempus, cum sit res transiens, non est per se capax consecrationis, & sanctitatis moralis; sed dicitur solumodo sacrum, sive sanctum per accidens ratione sacrorum mysteriorum, ac sanctarum operationum, quæ in eo recoli, ac fieri solent.

ARTICULUS II.

An actus externus superaddat actui interno distinctam bonitatem, vel malitiam in ordine ad essentiale præmium, vel pœnam?

SUMMARIUM.

617. *Quid hic intelligatur nomine actus externi?* 618. *Actus externus potest considerari dupliciter, videlicet in intentione, & executione.* 619. *Superaddit interno aliquam bonitatem, vel malitiam in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem imo etiam* 620. *in ordine ad præmium, vel pœnam essentialem.* 621. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 624. 625. 626. *Deducuntur corollaria.*

617. PRænotandum primo, nomine actus externi impræsentiarum venire omnem actum a voluntate imperatum, prout ab actibus ab eadem voluntate elicitis contradistinctum; sive dein is proprius sit alicui potentiæ externæ, sive internæ, v. g. intellectivæ: & consequenter nomine actus interni omnis, & solus actus, ab ipsamet voluntate elicitus, intelligi debet.

618. Prænotandum secundo, actum externum, præfato modo intellectum, dupliciter considerari posse. 1. in intentione, & tanquam objectum actus interni: atque ita consideratus habet bonitatem, vel malitiam objectivam, vi cujus in actum internum bonitatem, vel malitiam formalem refundere valet. 2. in executione, & tanquam effectum actus interni: atque ita consideratus ab actu interno, cujus est effectus, accipit bonitatem, vel malitiam formalem: prout notatum, & explicatum est *num.* 604. De actu externo non in priori, sed in posteriori consideratione hæc quæstio procedit.

619. Prænotandum tertio, & supponendum tanquam certum, quod actus externus interno superaddat aliquam bonitatem, vel malitiam in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem. Ita enim fatentur ipsimet Adversarii, & patet in Martyrio, ubi laureola, quæ est præmium ipsius accidentale, non tribuitur propter effectum, licet efficacissimum, oppetendi mortem, seu propter Martyrium in voto, sed propter Martyrium in re, seu effective exantlatum.

His præmissis, & suppositis status quæstionis est, an actus externus habeat bonitatem, vel malitiam a bonitate, & malitia actus interni efficacis (nam de inefficaci quæstio, & dubium non est) distinctam, sibique propriam, vi cujus valeat denominari intrinsece bonus, vel malus, in ordine ad promerendum essentialem præmium, vel pœnam?

620. Dico. Actus externus, si libere ponatur, ejusmodi bonitatem, vel malitiam habet, & interno superaddit. Ita S. Bonaventura in 2. *dist.* 40. *art.* 2. *quæst.* 2. *& dist.* 42. *art.* 1. *q.* 2. Scotus in 2. *dist.* 42. *q.* 4. *& Quodlib.* 18. *art.* 3. Mastrius in *Theolog. Scholast. de Actib. hum. disp.* 5. *n.* 261. Joannes Pontius, Sannig, & alii Scotistæ contra Thomistas, & Recentiores passim.

Probatur primo authoritate S. Augustini, qui *lib.* 13. *de Trinit. c.* 5. ait: *Mala voluntate sola quilibet miser efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Quæ San. Patris verba, cum nequeant intelligi de miseria pœnæ (nam cupiens implece, nec tamen potens implere pravum desiderium, potius plus patitur pœnæ, quam potens implere; prout recte advertit Mastrius *loc. cit.*) intelligi debent de miseria culpæ; ergo juxta S. Augustinum actus malus externus (idem ob identitatem rationis esto judicium de actu externo bono) actui interno superaddit aliquam malitiam novam, seu non præhabitam, ratione cujus implens pravum desiderium fit miserior, quam ille, qui non potest implere.

Probatur secundo ratione. Actus in- & externus prohibentur distinctis præceptis; nam in Decalogo prohibetur alio præcepto concupiscentia, v. g. alienæ uxoris, & alio ipsum opus externum adulterii; ergo signum est, iisdem actibus distinctas malitias (idem rursus cogita de bonitatibus) convenire. Unde Glossa in *c.* 20. *Exodi v. non mœchaberis* inquit: *Qui ergo opus adjicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.*

Confirmatur. Ubi reperitur distincta conformitas, vel difformitas ad rectam rationem, ibi reperitur distincta bonitas, vel malitia: sed in actibus in- & externo reperitur distincta conformitas, vel difformitas ad rectam rationem; ergo &c. Maj. est certa: quia bonitas, vel malitia in simili conformitate, vel difformitate essentialiter consistunt; prout animadversum est *n.* 601. Min. ostenditur: quia non solum velle, sed etiam ipso facto orare, ver. gr. eleemosynam dare, Martyrium perpeti &c. rectæ rationi conforme: sicut e diverso non solum velle, sed etiam reipsa furari, ver. gr. occidere, moechari &c. rectæ rationi difforme est; prout videtur innegabile; ergo non solum in actu interno, sive affectu orandi &c. reperitur conformitas ad rectam rationem, sed etiam in actu externo orationis &c. ac e diverso non solum in actu interno, & affectu furandi &c. difformitas, sed etiam in actu externo furti &c. Unde & confessarii majorem imponere pœnitentiam

solent

solent confessis peccata consummata, ac confessis non sic consummata, utique non aliam ob causam, quam quod in ipso opere agnoscant difformitatem, & malitiam, a difformitate, & malitia affectus, sive desiderii diversam.

Responder cum aliis P. Babenstuber ad nostram probationem, neg. cons. Non enim (ait) actus in-& externus prohibentur distinctis præceptis propter indistinctas, & peculiares malitias; sed quia homines facilius, ac crebrius labuntur in peccata etiam interna.

Sed contra est primo, quod Glossa *cit.* non: solum in affectu mœchandi, sed etiam in ipso opere mœchiæ iniquitatem, sive malitiam reperiri asserat; ergo actus in & externus mœchiæ prohibentur distinctis præceptis propter distinctas, & peculiares malitias, quarum una adversatur præcepto Decalogi sexto: *non mœchaberis*; & altera nono: *non concupisces uxorem proximi tui*.

Contra est secundo, ita respondentes non percipere vim probationis nostræ, quippe in eo sitam, quod impositio præcepti de evitando actu externo arguat in ipso distinctam, & peculiarem malitiam; sicut impositio præcepti de evitando actu interno arguit in isto distinctam, & peculiarem malitiam. Porro non petitur ratio, quare impositum sit præceptum adversus actum in- sed externum. Nam actui interno peculiarem inesse malitiam, in difformitate ad præceptum eidem proprium consistentem, nemo est, qui inficias eat: unde propalulum est, cur ejusmodi actus distincto præcepto veretur, At non apparet, cur distincto, sibique proprio præcepto inhibeatur actus externus, si nulla in ipso malitia existat; prout Adversarii contendunt. Unde ex impositione proprii, & peculiaris præcepti (ne hoc frustraneum sit) recte arguimus propriam, & peculiarem malitiam in actu externo, quo illud violatur. Quibus rite perpensis liquet, datam Adversariorum responsionem in meris consistere verbis, nihilque soliditatis obtinere; imo ne quidem punctum difficultatis tangere.

Probatur tertio. Si actus externus non adderet interno distinctam malitiam, satisfaceret pœnitens in confessione exprimendo actum internum, reticito externo, v. g. dicendo, *volui occidere hominem*, tametsi reipsa occidisset: sequelam nemo admiserit; ergo actus externus Interno addit distinctam malitiam. Idem semper esto judicium de actu bono. Sequela majoris probatus. Quia in confessione non tenetur pœnitens exprimere (per se loquendo, & vi præcepti confessionis) nisi peccata formaliter talia; ergo si actus externus non sit formaliter peccaminosus, sive malus (malitia sibi propria, & peculiari) non erit necessario exprimendus.

Respondent aliqui, ideo debere in confessione exprimi actum externum; quia per hujus sequelam Confessario magis innotescit intensio, & efficacia actus interni. Sed

Contra est primo, quærendo, an pœnitens satisfaceret in confessione, nec ne, si diceret: *ego efficaciter, vel etiam efficacissime* (prout effectus magis, minusve intensus erat) *volui occidere hominem*, quem reipsa occidit? Si afferatur satisfacere; nostrum argumentum inconcussum manet, pœnitentem scilicet haud obligatum iri ad confitendum actum externum, nisi importet malitiam sibi propriam, & a malitia actus interni distinctam. Si negetur satisfacere, Adversariorum responsio, & inserta eidem causalis (dum ajunt, ideo actum externum in confessione exprimendum esse; quia per illius expressionem efficacia actus interni innotescit) patenter corruit: siquidem modo præfato confitens, sufficientem de sui actus interni intensione, & efficacia notitiam ingereret Confessario.

Contra est secundo. Pœnitens non tenetur in confessione exprimere intentionem actus interni, sed satis est, si exprimat ipsum actum internum; ergo si actus externus non afficiatur peculiari malitia, non necessario exprimendus est, in eum nempe finem, ut intensio, & efficacia actus interni Confessario magis innotescat. Cons. patet. Ant. ostenditur: siquidem illa intensio nec est circumstantia peccati speciem mutans, nec circumstantia objectiva illud intra eandem speciem aggravans, sed solum circumstantia formalis se tenens ex parte actus: atqui circumstantias formales (quid quid sit de objectivis, de quibus in *tr. de Pœnit.*) ut ut notabiliter peccatum intra eandem speciem aggravantes non tenetur pœnitens confiteri, prout ultro fatentur ipsimet Adversarii, saltem plerique; ergo &c.

Respondent alii, confessionem actus externi præcise necessariam esse: quia Christus, & Ecclesia illam præcipiunt. Verum

Contra est ex jam dictis, quod Christus, & Ecclesia non præcipiant confessionem nisi peccatorum formalium, saltem per se loquendo; ergo cum Christus, & Ecclesia per se præcipiant confessionem actus externi (prout itidem fatentur Adversarii) consequens est, in eo reperiri formalem, & peculiarem malitiam: alioquin nulla esset assignabilis ratio sive congruentiæ, sive necessitatis, ob quam illius confessio per se præciperetur.

Dixi in conclus. *si libere ponatur*. Oppositum quippe si accidat, per se patet, nullam in illo bonitatem, vel malitiam formalem, utpote in libertate fundatam, reperiri posse.

621. Objicies primo. S. Augustinus *lib. 1. de liber. arbit. c. 3.* ita habet: *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potest, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.* Item in *Epist.* 29. scribit: *Non, quid afferatur a nobis ad colendum Deum, sed qua mente afferatur, attendit Deus. Affectus est, qui pretium rebus imponit.* Ergo juxta S. Augustinum non minus malitiæ, vel bonitatis moralis inest actui voluntatis efficaci interno, quam si accedat etiam externus.

Respondetur, explicando, ac dist. ant. Et S. Pater in utroque textu loquitur de malitia, & bonitate, indeque consequentibus pœna, & præmio, absolute sumptis, con. sumptis comparative quoad quantitatem, neg. ant. Sensus ergo antecedentis est, quod homo solo actu interno efficaci, quando non potest exire in actum externum, æque mereatur præmium, aut pœnam æternam, ac si illum ipso opere complesset; non autem quod mereatur tantundem præmii, aut pœnæ. Unde neg. cons. Eodem modo aliæ quoque authoritates SS. Patrum exponendæ sunt.

622. Objicies secundo. Ubi non est distincta libertas, non potest esse distincta bonitas, vel malitia: sed in actu externo non est distincta libertas; cum per unam, eandemque libertatem, qua actus internus, liber sit; ergo in actu externo non potest esse distincta bonitas, vel malitia. Hoc argumentum est Adversariorum Achilles, qui tamen, ut statim patebit, facilime prosternitur. Unde

Respondetur primo, retorq; argument. Ubi non est distincta libertas, non potest esse distincta bonitas (vel malitia) sed in actu externo Martyrii non est distincta libertas; ergo in actu externo Martyrii non potest esse distincta bonitas; ergo actus externus Martyrii non potest esse prometitorius laureolæ, contra Adversarios. Nec refert, quod ea bonitas solum sit bonitas secundum quid (ut vocant) & in ordine ad præmium accidentale. Siquidem quæcunque bonitas moralis, sive ea sit bonitas secundum quid talis, & in ordine ad præmium accidentale, sive simpliciter talis, & in ordine ad præmium essentiale, radicatur in libertate: consequenter argumentum Adversariorum impetit utranque.

Respondetur secundo directe, dist. maj. Ubi non est distincta libertas passiva, ibi non potest esse distincta bonitas, vel malitia, con. ubi non est distincta libertas activa, neg. maj. Sed in actu externo non est distincta libertas activa, con. passiva, neg. min. & cons. Libertas activa, cum se teneat ex parte principii effectivi, sive ex parte potentiæ, qua actus moralis (bonus, vel malus) efficitur, tam parum geminari debet ad geminationem actus boni, vel mali, in-& externi, quam parum geminatur, aut geminari debet ad geminationem actuum internorum, seu ab ipsa voluntate elicitorum; imo tam parum, quam parum geminatur ipsa voluntas, vel alia potentia, cujus libertas activa est comprincipium, vel verius conditio, sine qua nec voluntas, nec alia potentia elicere actum humanum posset. At vero libertas passiva se tenet ex parte actus moralis (boni, vel mali) imo coincidit cum ipsa moralitate, seu genere, in quo actus humanus bonus, & malus inter se conveniunt: unde quot sunt moralitates in actibus (sive in & externis, sive internis tantum) tot in iisdem debent esse libertates passivæ; ut per se patet.

Instabis primo. Esto libertas activa non debeat geminari, vel multiplicari ad multiplicationem actuum bonorum, vel malorum, deberet tamen multiplicari in

poten-

potentiis illorum productivis, ita ut alia esset libertas potentiæ volitivæ, alia intellectivæ, loco motivæ &c. ergo argumentum manet.

Respondetur, neg. ant. vel dist. Deberet multiplicari æquivalenter, & virtualiter, con. entitative, & formaliter, neg. ant. & conf. Libertas activa potentiæ volitivæ, formaliter, & entitative eadem, sufficit, ut aliæ quoque potentiæ, illi subordinatæ, sint, & dicantur (liberæ libertate scilicet participata) vi cujus earum actus evadant passive liberi, humani, & morales, boni, vel mali. Si enim eadem bonitas, ut participative existens in proximo, sit causa sufficienter motiva ad eliciendum quoque actum dilectionis erga proximum; quidni & eadem libertas potentiæ volitivæ, participative existens in potentiis externis, possit esse con causa (vel conditio) sufficienter effectiva (vel quasi effectiva) actuum liberorum, bonorum, vel malorum, ab ejusmodi potentiis elicitorum, sive elici natorum.

Instabis secundo. Libertas activa potentiis externis non est intrinseca; ergo nec libertas passiva est intrinseca earum actibus; ergo hi non sunt intrinsece liberi: & consequenter nec intrinsece boni, vel mali.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. vel dist. Libertas passiva non est intrinseca actibus potentiarum externarum, physice, & in genere naturæ spectatis, con. spectatis in genere moris, neg. ant. & eodem modo distinguenda sunt, quæ ex antecedente inferuntur. Libertas activa, cum se teneat ex parte principii actuum humanorum effectivi, non debet huic necessario esse intrinseca, ut ex dictis relinquitur. E diverso libertas, vel potius liberum passivum est principium formaliter constitutivum actus humani, & moralis qua talis; prout vidimus *n.* 573. Unde huic qua tali debet necessario esse intrinseca, esto eidem (tametsi ab ipsamet voluntate elicitus supponatur) in genere naturæ spectato, sit solum extrinseca.

623. Objicies tertio cum P. Babenstuber. Supposita Scotistarum sententia sequeretur, posse aliquem invitum spoliari præmio essentiali: sed consequens est absurdum; cum dona gratiæ non sint subjecta exteroæ violentiæ, aut notibus alieni arbitrii; ergo &c. Sequela vero prob. Nam utique potest quis sæpe impediri violenter ab actu virtutis externo, cui juxta Scotistas bonitas moralis, & acceptabilitas ad præmium essentiale intrinsece convenit: sed hoc est invitum posse spoliari præmio essentiali; ergo &c.

Respondetur, dist. seq. majoris. Sequeretur, posse aliquem invitum spoliari præmio essentiali absolute sumpto, neg. comparative sumpto, con. seq. majoris. Prius absurdum foret, siquis nempe contra suam voluntatem, & per externam violentiam posset spoliari præmio essentiali absolute sumpto, id est, a salute simpliciter excludi; nam, ut in argumento recte dicitur, dona gratiæ (absolute sumpta) non subjacent externæ violentiæ: at absurdum non est posterius, seu quod aliquis invitus spolietur præmio essentiali comparative sumpto, seu quantitate præmii: siquidem dona gratiæ comparative sumpta externæ violentiæ subjacere plus quam certum est. Quis enim neget, posse quempiam violenter præpediri ab ingressu Religionis v. g. atque adeo a millenis occasionibus merendi, majoremque sibi in cœlis gloriam comparandi: atqui hoc est spoliari præmio essentiali comparative sumpto, seu quantitate præmii; ergo &c. Ex quibus patet, quomodo ad reliqua, in argumento inserta, respondendum sit.

Colliges primo, bonitatem, & malitiam actus externi, licet huic sit propria, eidemque tanquam subjecto insit, esse secundariam, & dependentem a bonitate, & malitia actus interni. Ratio est: quia libertas actus externi est participata solum, & dependens ab actu interno; ergo & bonitas, ac malitia erit participata, & dependens, adeoque secundaria. Id quod expresse tradit Scotus *cit.* dum inquit, *quod malitia primo* (idem est de bonitate) *& formaliter non est, nisi in aliquo actu voluntatis, & quod in solo velle est peccatum primo, & in aliis non nisi mediante velle.* Unde quando idem Doctor ait, bonitatem, & malitiam in actibus potentiarum a voluntate distinctarum esse materialiter solum, ly *materialiter*, idem sonat, ac *secundario*, & *dependenter*; prout Nostrates passim exponunt, & luculenter habetur tum in textu proxime allato, tum in aliis ejusdem Doctoris textibus.

625. Colliges secundo, in actibus in & externis duas reperiri malitias (idem cogita de bonitatibus) prout dualitas opponitur unitati indivisibilitatis, & simplicitatis; non vero, prout dualitas opponitur unitati ordinis, & compositionis; sic enim ambæ coalescunt, & constituunt unum numero peccatum. Mastrius *loc. cit. num.* 297. Ratio primi liquet ex hucusque dictis, secundum quæ non solum actus internus, sed & externus propria, sibique formaliter inexistente bonitate, vel malitia afficitur, Ratio secundi est: quia actus internus efficax ex sua natura petit perfici, ac compleri per actum externum efficaciter volitum; quo proinde posito unus numero actus moralis (unitate scilicet ordinis, & compositionis) completus, & consummatus efficitur: & consequenter una bonitas, vel malitia totalis, ex duabus bonitatibus, vel malitiis partialibus utriusque actus constata.

626. Colliges tertio, sufficere, siquis in confessione exprimat externam actionem furti v. g. nullam faciendo mentionem de actu interno, sive proposito furandi: non autem sufficere, si solum exprimat actum internum, seu propositum furandi, retinendo externum. Sporer *loc. cit. n.* 32. Ratio disparitatis est: quia actus externus poni non potest sine interno, cum furari non possit, qui furari non velit; bene vero internus sine externo: unde per expressionem malitiæ, in actu externo repertæ, Confessario satis innotescit malitia actus interni; non item per expressionem malitiæ, in actu interno repertæ, malitia actus externi.

ARTICULUS III.

An præter actum humanum bonum, & malum detur actus humanus indifferens, sive talis, qui nec bonus, nec malus sit?

SUMMARIUM.

627. & 628. *Exponitur status quæstionis.* 629. *Datur actus humanus indifferens secundum speciem.* 630. *Imo etiam in individuo.* 631. & *seq. Diluuntur argumenta contraria.*

627. PRænotandum primo, controversiam esse de actu indifferenti proprie tali, & morali, qui deliberate, & libere exerceatur. Nam dari actum indifferentem improprie talem, & non moralem, qui indeliberate, & absque actuali libertatis exercitio fiat, nemo est, qui inficias eat. Unde siquis ex mera consuetudine, & prorsus inadvertenter mulceat barbam, mordeat ungues &c. exercet actum indifferentem, & non humanum, seu moralem; adeoque non solum a bonitate, & malitia, sed ab ipsa quoque indifferentia proprie dicta, & morali præscindentem: id quod inde liquet; quia libertas est fundamentum, & radix moralitatis; ergo absque interventu libertatis nulla consistere moralitas potest: & consequenter nulla bonitas, malitia, aut indifferentia proprie talis, utpote quæ sunt species moralitatis ut sic, secundum dicta *n.* 564.

628. Prænotandum secundo, actum humanum posse dupliciter considerari. 1. in statu essentiæ, sive secundum habitudinem specificam, ac essentialem, quam dicit ad objectum. 2. in statu existentiæ, ac in individuo, sive prout hic, & nunc exercetur, atque vestitur omnibus circumstantiis, quæ ad ejus existentiam concurrunt. Quæstio procedit de actu humano secundum utranque acceptionem considerato.

629. Dico igitur primo. Datur actus humanus ex sua specie, sive secundum habitudinem specificam indifferens. Ita Scotus *in* 2. *dist.* 41. *q. un.* & alii tam Scotistæ, quam Thomistæ, ac Recensiores communiter.

Probatur. Dantur plures actus humani versantes circa objecta nec præcepta, nec prohibita, sed a lege, & ratione permissa; quales sunt fricare barbam, levare de terra festucam, deambulare &c. ergo dantur plures actus humani, ex objecto, & secundum speciem nec boni, nec mali, sed indifferentes, quippe legi, & rationi permittenti tantum conformes.

Confirmatur. Dantur actus humani, qui (juxta communissimam Theologorum sententiam) ex sua specie ideo solum sunt moraliter boni, quia præcepti, & ideo solum mali, quia prohibiti; ut loqui, scribere, canere &c. sed nisi ejusmodi actus ex sua specie essent indifferentes moraliter, non essent ideo solum boni moraliter, quia præcepti, aut ideo solum mali, quia prohibiti, ut patet; ergo &c.

630. Dico secundo. Datur etiam actus humanus in individuo indifferens S. Bonaventura *in 2. dist.* 4. 1. *art.* 1. *q.* 3. Scotus *ibidem*, & *Quodlib.* 18. *art.* 1. Mastrius *loc. cit. n.* 310. Joannes Pontius, Frassen, Hetinex, & tota Schola Scotistica contra Thomisticam, Recentioribus modo illi, modo isti adhærentibus.

Probatur primo authoritate S. Hieronymi in *Epistol.* 89. ad S. Augustinum docentis, ambulare, expuere &c. nec esse bonum, nec malum: *sive enim feceris*, inquit *sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Neque dicant Adversarii, S. Patrem intelligendum esse de actibus secundum speciem consideratis. Nam contra est, quod ly *feceris* denotet exercitium actionis in individuo; ergo S. Pater vult, recensitos actus etiam in individuo nec esse bonos, nec malos; adeoque indifferentes.

Probatur secundo ratione. Sputa jacere, nares emungere, barbam fricare, scabere caput, scalpere dentes, deambulare per pomarium, prospectare vernantem campum, olfacere rosam, audire musicam, aliique consimiles actus, ob aliquam naturæ commoditatem, & delectationem exerciti, sunt actus in individuo: atqui non sunt moraliter boni, vel mali; ergo indifferentes. Maj. est evidens. Min. facile ostenditur. Nam in primis non sunt moraliter boni; cum nec versentur circa objectum honestum (prout ipsimet Adversarii fatentur) nec referantur in finem honestum, veluti supponitur. Neque sunt mali; cum illorum tendentia in objectum, & finem prædictum nullo præcepto, sive naturali, sive positivo, noscatur prohibita; ergo &c.

Respondet P. Babenstuber, existere præceptum naturale, adstringens hominem, ut omnes suas actiones ordinet ad finem honestum, illudque reduci ad præceptum diligendi seipsum: homo quippe (inquit) quia est præditus natura rationali, ac modo operandi elevato supra naturam, & modum operandi brutorum, tenetur diligere hanc suam dignitatem, & operari ut homo. Alii idem præceptum revocant ad præceptum diligendi Deum.

Sed contra est primo, quod homo præcepto diligendi Deum, & seipsum satisfaciat præstando certos quosdam alios actus, & omittendo oppositos; prout videbimus *part. 2. tr.* 1. *disp.* 3. ergo sine fundamento dicitur ex præcepto diligendi Deum, vel seipsum obligatus, ut omnes omnino actiones ordinet ad honestum finem. Neque id evincit subjuncta ratio; nam licet homo aliquas actiones exerceat ob finem indifferentem, adhuc tamen operatur ut homo: quia operatur deliberate, libere, cum moderamine, & juxta præscriptum rationis, non quidem præcipientis, aut consulentis, sed permittentis: qualis operandi modus a modo operandi brutis proprio longissime diversus est, ut nemo non videt.

Contra est secundo: quia ex communi, imo universali praxi fidelium non modo rudium, sed & doctorum, unaque timoratorum, constat, quod de memoratis actibus nullum sibi faciant scrupulum, neque de illis se accusent in confessionali, licet eosdem non ordinent, seu ordinaverint in finem honestum, ergo signum est, non existere aliquod præceptum, quo ejusmodi ordinatio imponatur. Nec evadis, si dicas, ideo talem praxim vigere; quia præfatæ operationes ut plurimum sunt indeliberatæ, & præcise ex impulsu naturæ procedentes. Non, inquam, evadis: siquidem cum hoc stat, quod etiam quandoque fiant deliberate, quin referantur in finem honestum; ergo saltem tunc illas confiterentur, si cuipiam præcepto adversas, & peccaminosas agnoscerent; sicut confitentur mendacia, in quæ sæpius ex quadam proclivitate, & inadvertentia prorumpunt, quando eadem etiam subinde faciunt cum advertentia.

Probatur tertio. Qui sequitur sententiam vere probabilem, non operatur inhoneste: sed qui actiones supra recensitas exercet, quin easdem referat in honestum finem, sequitur sententiam vere probabilem (& quidni probabilissimam?) tenore cujus nulla existit obligatio illas in talem finem referendi; ergo non operatur inhoneste. At neque operatur honeste; cum non intendat (ut supponitur) finem honestum, sed indifferentem; consequenter exercet actiones in individuo indifferentes.

Confirmatur. Qui practice judicat, operationes, quas hic, & nunc exercet, nec esse honestas, nec inhonestas, nec operatur honeste, nec inhoneste, cum desit ipsi regula proxima alterutro modo operandi, nempe conscientia: sed sequens sententiam Scoti, & Scotistarum practice judicat, operationes allegatas, quas hic, & nunc exercet, nec esse honestas, nec inhonestas; ergo nec operatur honeste, nec inhoneste: consequenter operatur indifferenter, quatenus se ita, seu indifferenter operari judicat, judicio scilicet practico, & dictamine proximo conscientiæ.

Probatur quarto. Datur omissio actus indifferens in individuo; ergo etiam actus indifferens in in individuo. Cons. videtur tenere ob paritatem rationis. Ant. facile ostenditur. Nam siquis omittat actum bonum non debitum v. g. preces alicujus confraternitatis, cui inscriptus est, idque ex mera libertate, & commoditate, absque aliquo fine honesto sibi præstituto, talis omissio non est bona moraliter; ut per se patet: sed neque est mala; quia alias homini imputaretur ad culpam omissio operis, ad quod nullo præcepto obligatur.

Respondent Adversariorum aliqui, neg. ant. voluntque illam omissionem esse vitiosam, eo quod non habeat adjunctam circumstantiam finis honesti, quam tamen omittens adjungere deberet; cum alioquin se non gereret ut homo, & conformiter fini naturæ rationali proprio, qui utique non est alius, quam honestus.

Verum contra est primo, quod homo non obligetur illi omissioni opponere finem honestum: licet enim finis, naturæ rationali proprius, sit honestus, eum tamen non tenetur semper intendere, & quærere positive, sive in operando, sive in non operando seu omittendo; sed quandoque sufficit, quod eundem intendat, & quærat negative, puta nihil operando, vel omittendo, præfato fini contrarium: prout recte advertit Mastrius *n.* 328. & ratio afferetur infra *n.* 635.

Contra est secundo. Si illa omissio esset vitiosa, constitueret materiam sufficientem confessionis Sacramentalis: sed non constituit; ergo &c. Sequela majoris videtur innegabilis. Min. ostenditur. Nam alias male informarentur (uti tamen informari solent etiam ex cathedris) membra Confraternitatum, quod ad istarum preces sub nullius culpæ reatu adstringantur. Unde complures ex Adversariis ingenue fatentur, quod Confessarii, si pœnitentes solam illam omissionem afferant, aliam præterea materiam ab iis exigere debeant, ut secure, & absque periculo nullitatis Sacramenti impertiri absolutionem queant.

Respondent alii, concesso antecedente, neg. cons. & parit. Nam præceptum intendendi finem honestum (inquiunt) tantum obligat hominem operantem, non vero non operantem, seu omittentem; ergo licet detur omissio actus indifferens in individuo, non tamen recte infertur, dari quoque actum indifferentem in individuo.

Sed contra est, quod hæc responsio sit deterior priore; cum ex ea inevitabiliter sequatur, dari quoque actum indifferentem in individuo. Id quod demonstro in hunc modum. Datur secundum ita respondentes omissio actus indifferens in individuo; ergo etiam datur actus indifferens in individuo. Cons. prob. Qui deliberate vult omittere preces Confraternitatis, elicit actum, nempe volitionis, in individuo: sed hic talis actus est indifferens; cum tendat in objectum tam secundum se, quam ex circumstantiis indifferens, quale juxta ita respondentes est omissio precum Confraternitatis; ergo juxta ita respondentes datur actus indifferens in individuo. Porro quod præceptum semper intendendi positive finem honestum neque stringat respectu operantis, relinquitur ex dictis, & amplius patebit ex dicendis.

631. Objicies primo contra utramque conclus. simul. Si daretur actus humanus indifferens, daretur medium inter bonitatem, & malitiam: sed hoc implicat; ergo &c. Prob. min. Inter privative opposita implicat dari medium: sed bonitas, & malitia sunt privative opposita, ergo implicat inter illas dari medium.

Respondetur, concessa majore, neg. min. quod id absolute, semper, & sub quacunque habitudine implicet. Ad prob. dist. maj. Implicat dari medium inter privative opposita, si respiciant subjectum, cui possunt, ac debent inesse, con. si respiciant subjectum, cui non possunt, vel saltem non debent inesse, neg. maj. & admissa minore, dist. cons. Ergo implicat dari medium inter

boni-

bonitatem, & malitiam, si hæ respiciant subjectum prioris generis, con. si respiciant subjectum posterioris generis, neg. conf. Deambulationi v. g. bonitas, & malitia ex objecto, utpote indifferenti (ut supponitur) inesse non possunt; ex circunstantia autem finis v. g. inesse quidem possunt; neutra tamen (adeoque nec bonitas) inesse debet, seu inest necessario necessitate alicujus præcepti; cum nulla extet obligatio illam positive ordinandi ad finem bonum, & honestum; prout denuo patet ex dictis, & amplius patebit ex dicendis infra *numer.* 635. Unde deambulatio (idem esto judicium de aliis id genus actibus) sive consideretur in statu essentiæ, & secundum speciem, sive in statu existentiæ, & quoad individuum, manere debet, vel saltem potest indifferens ea indifferentia, quæ constituat speciem moralitatis ut sic, mediam inter speciem bonitatis, & speciem malitiæ.

632. Objicies secundo. Omnis actus vel est conveniens, vel non est conveniens rectæ rationi; ergo nullus datur actus indifferens.

Respondetur, dist. ant. Est conveniens, vel non conveniens &c. positive, neg. positive, vel præcisive, con. ant. & neg. conf. Ly *conveniens* est terminus æquivocus; potest enim accipi vel positive tantum, id est, pro eo, quod recta ratio approbat præ opposito, vel etiam præcisive, seu pro eo, quod recta ratio nec approbat, nec improbat. Similiter ly *non conveniens* potest sumi tam positive, seu pro eo, quod recta ratio improbat præ opposito, quam præcisive, seu pro eo, quod recta ratio nec improbat, nec approbat. Si prædicta vocabula intelligantur priore modo, id est, positive tantum, non omnis actus est convenniens, vel non conveniens rectæ rationi: bene vero, si intelligantur posteriore modo, id est, positive, vel præcisive.

Instabis. Si actus posteriore modo sit necessario conveniens, vel non conveniens rectæ rationi, erit necessario vel bonus, vel malus; ergo non erit indifferens: & consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. Nam ex eo, quod actus sit præcisive, seu negative conveniens rectæ rationi (idem cogita a contrario, si sit præcisive disconveniens, seu non conveniens) adeoque a recta ratione solum non improbetur, sed permittatur, neutiquam sequitur, esse bonum, seu honestum moraliter, sed tantum esse licitum: aliud nanque est actum esse licitum, & aliud esse honestum: ut enim præcise sit licitus, sufficit, quod rectæ rationi non displiceat; ut vero honestus sit, requiritur, ut rectæ rationi placeat, & existat materia laudis.

633. Objicies tertio contra secundam conclus. specialiter. Apostolus tradit, quod in die Judicii omnes staturi simus ante Tribunal Christi, & rationem redituri de cunctis, quæ gessimus in corpore sive bona, sive mala, ut recipiamus vel præmium, vel pœnam; ergo Apostolus non agnoscit actus, sive opera indifferentia.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. ajo, Apostolum loqui (veluti ex ipso textu liquet) de solis operibus bonis, & malis, quæ sub judicium præmiativum, & punitivum cadunt; non item de operibus indifferentibus, quæ nec sub unum, nec sub alterum ex prædictis judiciis immediate cadere possunt; esto cadere possint sub judicium discussivum, atque in die illo examinari, sintne facta cum moderamine, & juxta regulam rationis permittentis, vel cum excessu, & contra regulam rationis permittentis, aut omnino ex malo fine; vel denique ex fine bono? Si facta sint primo modo, nec pœnam, nec præmium merebuntur: veluti notat Mastrius *n.* 336.

634. Objicies quarto. S. Augustinus *lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remiss. c.* 18. habet: *Mirum si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit &c.* Item in *Epist.* 19. ait: *Cavendum, ne, sicut Philosophi, quædam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum.* Ergo ex mente S. Augustini nullus est admittendus actus indifferens in individuo.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. dico, quod prior S. Patris textus solum innuat, voluntatem, in actu primo, & statu habituali spectatam, non posse esse mediam; sed necessario esse vel justam, & gratia habituali imbutam, vel injustam, & eadem gratia per peccatum expoliatam. Posterior textus exaudiendus est de casu, quo urget præceptum; ubi utique non datur actus indifferens, sed vel bonus, si præcepto conformis, vel malus, si præcepto difformis sit. Ceterum alle(g)atum Doctorem stare a nostra parte, & admittere actus indifferentes, inde sumitur, quod pluribus in locis tradat, ceremonias antiquæ legis aliquanto tempore post illius cessationem nec bonas fuisse, nec malas.

635. Objicies quinto. Datur præceptum referendi omnes nostras actiones in finem honestum; ergo si non referantur, sunt malæ: consequenter &c. Ant. videtur evinci tum ex perfectissimo dominio, quod Deus in omnes nostras actiones habet, & cui tale præceptum omnino congruit: tum ex verbis Apostoli 1. *Cor.* 10. ubi inquit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Respondetur neg. ant. Ad cujus rationem probativam, ex plenitudine Divini dominii desumptam, ajo, quod quidem Deo competat perfectissimum in nos, omnesque nostras actiones dominium, vi cujus, absolute loquendo, potuisset præcipere, ut, quidquid ageremus, etsi levissimum quid esset, ordinaremus in finem honestum; de facto tamen id præcepisse nec ratione, nec authoritate convincatur; sed potius (quemadmodum sentit S. Bonaventura apud Mastrium) voluerit imbecillitati, & fragilitati hominum condescendere, ac indulgere, ut aliqua opera, quæ essent levioris momenti, exercere possent naturalis commoditatis gratia. Nec obstat, quod simus obligati ad recognoscendum Divinum supra nos dominium. Nam hæc talis obligatio solum affirmativa est, nec stringit semper, & pro semper, seu relate ad omnes prorsus actiones, quas exercemus, sed relate ad eas duntaxat, quas vi alicujus præcepti in finem altiorem, & honestum dirigere jubemur: fere sicut non semper tenemur diligere Deum, sed possumus actum dilectionis, etiam deliberate, sæpius intermittere; quia præceptum diligendi affirmativum est. Textus Apostoli consilium continet, non præceptum, solumque hortatur, & suadet, ut faciamus id, quod melius est.

636. Objicies sexto. Omnis actus otiosus est malus moraliter; prout omnes fatentur, & expresse traditur a D. Hieronymo in *Psal.* 16. ubi inquit: *Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus, quæ majoris momenti sunt:* atqui omnis actus indifferens in individuo est otiosus, hoc ipso, quod non referatur in honestum finem; ergo est moraliter malus.

Respondetur, neg. min. Licet enim non referatur in finem honestum, ordinatur tamen ad aliquam commoditatem naturæ: quod sufficit, ne possit dici otiosus: uti nec verba otiosa dici possunt, quæ ob similem finem proferuntur: dummodo (quod fieri semper supponitur) caveatur excessus, dispendium temporis, præjudicium proximi &c. Unde non facile quis asseret, me facere verbum otiosum, quo alterum moneo, ut pulverem de sua veste excutiat, vel operari opus otiosum, quo muscam meo naso insidentem abigo: licet neutrobique honestum finem intendam.

636. Objicies septimo. Non licet comedere, & bibere usque ad satietatem, nec opus conjugii exercere, solius voluptatis gratia; ergo nec licebit alios actus exercere ob solam delectationem, & commoditatem naturæ; ergo si ita exerceantur (prout secundum nos exercentur actus, quos contendimus esse indifferentes) erunt mali. Ant. liquet ex binis propositionibus ab Innocentio XI. confixis, quarum prior (*ordine* 8.) sic sonat: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui:* & posterior (*ordine* 9.) *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, & defectu veniali.*

Respondetur, concesso antecedente, neg. ambas conf. universaliter intellectas, id est, etiam de actibus, quos indifferentes statuimus. Ratio disparitatis est: quia comestio, & bibitio a natura institutæ sunt ad reficiendas vires corporis; opus vero conjugii ad procreandas proles: cui utrique fini voluptas annexa est ut medium, quo homines ad comedendum, & bibendum, ac onera matrimonii subeunda alliciantur. Unde qui comedit, & bibit, aut opus conjugii exercet solius voluptatis gratia, ordinem naturæ invertit, quatenus voluptatem sibi præfigit tanquam finem, eaque *fruitur*, cum tamen sit medium, quo *uti* oporteret. Videatur Viva *super præfatas proposit. a num.* 4. E diverso actibus indifferentibus commoditas naturæ, & delectatio (quæ, ut

ne involuntaria, actualiter meretur, & tamen pro tunc est destitutus libertate actuali; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. quoad secundum membrum; nam taliter recitans pollet libertate actuali, quatenus in eo remanet intentio virtualis, consistens in aliquo actu voluntatis licet tenui, & imperceptibili, supponente actualem cognitionem objecti, similiter tenuem saltem, seu confusam, & imperceptibilem, La Croix *loc. cit. n.* 38. Vide etiam, quæ habentur *part. 2, n. 269,*

CASUS II.

641. *Georgius, Vir nobilis, & alias timoratæ conscientiæ, cum peregre profectus ex literis suæ Conjugis intelligeret, domi sex equos sibi a furibus ereptos, pecora alia abacta, & villam, ac horreum incensa fuisse, ex subito iræ impetu in horribilem erupit blasphemiam: cujus tamen postea, ubi motos animi fluctus composuit, pœnitudine ductus, in S. Tribunali se perquam demisse accusat. An, & quomodo deliquisse existimandus est Georgius?*

Respondetur, Georgium non deliquisse per illam blasphemiam, si motus iræ fuerit omnino repentinus, tam vehemens, ut omnem rationis advertentiam prævenerit, Ita DD. communissime. Ratio est: quia nihil potest esse malum, nisi secundum aliquam rationem malitiæ sit voluntarium, ac liberum; prout relinquitur ex dictis *num.* 573. atqui illa blasphemia Georgio non fuit voluntaria secundum aliquam rationem malitiæ: cum ad hanc supponatur nullo modo advertisse; ergo &c. Itaque si Georgius nullius præcognitæ malitiæ recordari possit, effusa ab ipso blasphemia judicanda est processisse ex motu iræ primo primo, adeoque ab omni malitia formali fuisse immunis. Si vero recordetur, se ad malitiam advertisse imperfecte, & semiplene, censenda est processisse ex motu iræ secundo secundo, & fuisse peccaminosa venialiter. Si denique recordetur, idque certo, se ad malitiam advertisse perfecte, & plene, a mortali peccato excusari non poterit; ut per se patet. Dixi tamen: *Idque certo*: si enim de perfecta advertentia subdubitet, præsumendus est potius non sic advertisse; cum alias sit Vir timoratæ conscientiæ, ut Casus habet.

Dices. S. Gregorius *lib. 4. Dialog. cap.* 10. narrat, puerum septennio minorem, adeoque necdum sufficienti rationis usu præditum, ob prolatam blasphemiam a Diabolo extinctum esse; ergo blasphemia potest esse moraliter peccaminosa, tametsi ad illius malitiam non perfecte advertatur.

Respondetur, neg. cons. & ad ant. ajo cum S. Thoma *in 4. d. 27. q. 2. art. 2. ad 2.* & aliis communiter, illum puerum vere, & perfecte advertisse ad malitiam blasphemiæ, & idcirco juste punitum fuisse, nam, licet necdum septennis esset, sufficienti tamen pollebat rationis usu; utpote qui in eo citius, & ante septennium irradiaverat: prout & in aliis fieri quandoque solet.

CASUS III.

642. *Gelasius miles Gelasiam, suam in tertio gradu consanguineam, solicitat ad ineundum secum matrimonium: cumque ea reluctaretur: dictitans, hujusmodi matrimonium irritum fore, nisi prius super impedimento consanguinitatis dispensetur, acrius instat Gelasius, ut secum contrahat absque dispensatione prævia, strictoque gladio, ni morem gerat, mortem intentat. Gelasia metu mortis victa consentit, matrimonium cum Gelasio in facie Ecclesiæ init. Quæritur, an, & quomodo peccet?*

Respondetur, Gelasiam peccare mortaliter, saltem si contrahat absolute: idque verum existimo, etiam seclusa intentione matrimonium consummandi. Cajetanus 12. *q. 96. art.* 4. Navarrus *c. 27. n.* 141. *in fin.* & alii plures contra alios. Ratio est 1. Quia Sacramentum scienter, & voluntarie reddere nullum, est actus intrinsece malus malitia videlicet sacrilegii, ob nullam causam cohonestabilis: atqui Gelasia Sacramentum matrimonii scienter (scit enim se, quippe impedimento dirimente irretitam, non posse valide contrahere) & voluntarie (quoniam metus non tollit voluntarium simpliciter) reddit nullum; ergo &c. Ratio est 2. Valor Sacramenti est majus bonum, quam vita Gelasiæ; ergo a contrario nullitas Sacramenti est majus malum, quam mors Gelasiæ; ergo hæc eligenda est præ illa.

Dices primo cum P. Sporer *part. 4. de matr. c. 1. n.* 22. Præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore, ut observari debeant etiam cum jactura vitæ: sed solum præceptum Ecclesiæ inhibet Gelasiæ nuptias cum Gelasio; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Quando illorum observatio non est necessaria ad bonum publicum conservandum, con. quando est necessaria, sicut necessaria est, ubi agitur de legitima confectione, & administratione Sacramentorum, uti fit in Casu, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf. Revide dicta *n.* 600.

Dices secundo cum eodem Authore, Gelasia non irritat Sacramentum; ergo non peccat peccato sacrilegii. Ant. prob. Quia irritare Sacramentum est ponere aliquid, cui ex Christi institutione annexa est ratio Sacramenti: sed Gelasia nihil ponit, cui ex institutione Christi annexa est ratio Sacramenti (Matrimonii) cum hæc solum annexa sit contractui legitimo, & valido, qualis per decretum Ecclesiæ non est contractus injusto metu extortus; ergo Gelasia non irritat Sacramentum.

Respondetur, dist. ant. Non irritat Sacramentum directe, & immediate, transf. indirecte, & mediate, neg. ant. & conf. Ad probat. dist. maj. Directe, & immediate irritare Sacramentum, est ponere aliquid, cui ex institutione Christi annexa est ratio Sacramenti, transf. indirecte, & mediate irritare &c. neg. maj. & admissa minore, dist. conf. Ergo Gelasia non irritat Sacramentum directe, & immediate transeat, indirecte, & mediate, neg. conf. Gelasia directe, & immediate irritat, & annullat contractum naturalem, & civilem Matrimonii; quo deficiente, consequenter etiam deficit, adeoque indirecte, & mediate irritatur ratio Sacramenti, præfato contractui a Christo Domino annexa: quod ipsum sufficit, ut Gelasia dicatur ritibus, ac nomine Sacramenti abuti non sine gravi injuria, ac irreverentia; adeoque nec sine gravi peccato sacrilegii: fere sicut a mortali sacrilegio excusari haud posset, qui vinum consecrandum, nimia aqua admixta, ineptam consecrationis materiam redderet, etsi indirecte solum irritaret Sacramentum: prout ipse Sporer concedit *loc. cit. c. 2, num.* 265.

Dixi in respons. 1. *saltem si contrahat absolute*. Nam quæstio ulterior est, an non saltem Gelasia in Casu possit in matrimonium consentire sub conditione mente retenta, v. g. contraho, si possim, vel tenear? Ubi tamen itidem censeo respondendum negative: id quod pariter velle videntur Authores supra relati. Ratio (per quam etiam roboratur amplius resolutio Casus, si Gelasia ponatur contrahere absolute) est: quia metus mortis non est causa sufficiens simulandi administrationem Sacramenti, ut constat ex *propos.* 29. ab Innoc. XI. damnata; ergo minus poterit esse causa sufficiens Sacramentum exercite, quamvis sub conditione, administrandi certo incapaci (qualis est in Casu Gelasius) adeoque nulliter. Confirmatur. Peccat peccato sacrilegii Sacerdos, qui metum mortis adactus absolvit, licet sub conditione, pœnitentem, quem certo novit indispositum, prout nemo facile negaverit; ergo etiam peccat peccato sacrilegii Gelasia, si metu mortis adacta ministret, licet sub conditione, Sacramentum Matrimonii Gelasio, quem novit certo incapacem; siquidem in utroque casu annullatur (quamvis aliter, & aliter, ut colligitur ex responsione supra ad secundum argumentum reddita) ratio Sacramenti.

Dixi 2. *idque verum existimo, etiam seclusa intentione matrimonium consummandi*. Nam si Gelasia habeat intentionem matrimonium quoque consummandi, & exercendi cum Gelasio actus, legitimi conjugibus concessos, secundum omnes per eam intentionem peccat peccato incestus, eoque multiplici: prout recte notat Herincx *de Matrim. disp. 6. q. 3. n.* 26.

CASUS IV.

643. *Gervasius, miles catholicus, in bello a Turcis captus, omnium tormentorum, & ipsius etiam mortis comminatione adigitur ad pandenda arcana exercitus catholici; jamque reluctans ex equuleo suspenditur. Quæritur, utrum Gervasius ad evadenda tam gravia incommoda, & tormenta, Barbarorum petito annuere, & arcana prodere possit?*

RESpondetur, non posse. Facundez. *in 8. præcept. Decal. c. 6. n.* 10. Dicastillo *de Just. tr.* 2. *d.* 12. *n.* 591. Burghaber *cent.* 3. *cas.* 61. & alii. Rationem probativam suppeditat principium lumine naturæ notum, quo docemur, bonum commune anteponendum esse privato: atqui conservatio, & felix progressus exercitus catholici, ab hujuscemodi arcanis vel maxime dependens, est bonum commune, & vita Gervasii bonum privatum; ergo &c. Incumbit proinde Gervasio obligatio potius quælibet tormenta, ipsamque adeo mortem subeundi, quam illa arcana hostibus aperiat.

CASUS V.

644. *Geroldus, viginti annorum Juvenis, per integrum fere annum quasi sine fræno in peccata luxuriæ ruit, nunc seipsum polluendo, nunc cum feminis carnaliter congrediendo, verus in utroque consuetudinarius. At postquam tempore Quadragesimæ Franciscanum e suggestu dicentem, & execrabile luxuriæ vitium energice perstringentem audivit, firmissime statuit, contra illud deinceps remis, velisque niti. Quem proinde in finem ante omnia sinceram peccatorum suorum confessionem instituit, eaque secundum numerum, & speciem, quoad potuit, Confessario fideliter recensuit, quin tamen consuetudinis contractæ mentionem faceret. Quæritur, an Geroldus etiam fuerit obligatus ad aperiendam in confessione consuetudinem peccandi?*

RESpondetur, non fuisse obligatum, per se loquendo. P. Viva *super propositionem* (ex damnatis ab Innoc. XI. *ord.* 60.) *n.* 18. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *disp.* 5. *art.* 2. §. 3. *post n.* 28. & alii reipsa satis communiter. Ratio est: quia consuetudo peccandi secundum se non est peccatum; cum non sit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam; sed habitus ex hujusmodi dictis, factis, vel concupitis acquisitus; neque est circumstantia peccati, saltem speciem mutans; cum inclinet ad peccata similia, non dissimilia, seu diversæ speciei: atqui sola peccata, & circumstantias eorum speciem mutantes tenemur confiteri per se loquendo, prout suo loco videbimus; ergo &c.

Atque hæc ratio non solum concludit de consuetudine, quæ inclinat ad similia peccata libere; & advertenter perpetranda, qualis est consuetudo se polluendi, fornicandi &c. sed etiam de consuetudine, quæ inclinat ad peccata patranda sine libertate, & advertentia, qualis sæpenumero est consuetudo blasphemandi, pejerandi &c. prout rem bene consideranti pervium fiet: quidquid contra sentiat P. Viva *loc. cit.*

Dixi tamen: *per se loquendo*. Nam per accidens dari potest obligatio. 1. Si Confessarius interroget de consuetudine, prudenter judicans, ejus notitiam esse necessariam vel ad debitam dispositionem ex pœnitente eliciendam; vel ad obligationem restituendi recte imponendam; vel ad salutarem medicinam contra peccatum præscribendam. Quemadmodum enim tunc Confessario competit jus interrogandi, ita pœnitenti incumbit obligatio respondendi ad mentem interrogantis: id quod etiam agnovit Innoc. XI. quando confixit hanc *propos. ord.* 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* 2. Si pœnitens advertit, se per consuetudinem contrahendam, vel jam contractam constitui in proximo periculo peccandi, & illam non sit conatus antevertere, vel exstirpare: cum enim se exponere periculo proximo peccandi sit peccatum, qui advertit, quod per consuetudinem contrahendam ponendus sit, vel per contractam jam positus in tali periculo, speciale peccatum committit, dum se periculo subjicit, aut ab eodem per idonea media avertere non conatur. Licet ergo consuetudo ipsa secundum se non sit peccatum, sed potius peccatorum præteritorum effectus; neque circumstantia peccati, saltem speciem mutans, ut in responsione, seu ratione ejusdem probativa ostendimus; peccaminosa tamen est negligentia, quam quis committit, dum consuetudinem contrahendam advertenter non antevertit, aut jam contractam eliminare non nititur; nam utroque modo seipsum exponit periculo proximo peccandi, & consequenter peccat, juxta illud *Eccles.* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Circa quod tamen pro praxi duo notanda sunt. Primum est, quod qui se exponit periculo peccandi, & statim peccat, satis explicet utrunque peccatum, confitendo peccatum commissum, cum quo constituit unum moraliter illud aliud, quo se exposuit periculo peccandi: at quando inter unum, & aliud peccatum intercedit mora notabilis sufficiens ad moralem interruptionem; vel quando quis se exponit periculo proximo committendi aliquod peccatum, quin tamen illud committat; tunc seorsim explicandum est illud, quo quis periculo peccandi proximo se exposuit. Revideatur, quod diximus *num.* 612. Alterum est, quod homines, qui frequenter in eandem culpam labuntur, raro advertant, & consequenter raro velint (etiam indirecte tantum) habitum, seu consuetudinem peccandi, ex frequentatis actibus consurgentem; atque adeo raro detur obligatio (etiam per accidens solum) eam confitendi, antequam Confessarius de illa interroget.

CASUS VI.

645. *Gebhardus, Philosophiæ Studiosus, ultra, quam Superis placere queat, diligens, non infrequenter diebus etiam festivis sacrum omittit, quo plus temporis ad studendum nanciscatur. At postea facti pœnitudine ductus, sacrorum omissiones Confessario aperit, sed in hunc præcise modum:* non infrequenter, v. g. decies, die festivo sacrum omisi, *reticita causa, ob quam omisit. Quæritur, an nihilominus sufficienter se explicet?*

RESpondetur affirmative. Ita Cardinalis de Lugo *disp.* 16. *de Pœnit. sect.* 11. *n.* 473. Salmanticenses *tr.* 6. *c.* 8. *pun.* 4. *n.* 108. & plurimi alii ab his relati. Ratio est; nam licet medium (omissio sacri) sit malum: finis tamen (studium) non est malus de se, sed totam malitiam, quam imbibit, ita derivat malitia medii, ut malitia illius non sit, sive numero, distincta a malitia istius; prout videbimus infra *n.* 742. *prope fin.* ergo Gebhardus satis se explicat in confessione, tametsi nullam studii, cujus gratia sacrum omisit, mentionem faciat.

CASUS VII.

646. *Geminianus infligit Gerontio vulnus adeo grave, ut iste, dum mortem ille amplius impedire non potest, ex eo vulnere moriatur. Quæritur, utrum Geminianus, intellecta morte Gerontii, satisfaciat postea in confessione dicendo, se lethale vulnus inflixisse alicui, nullam faciendo mentionem mortis secutæ.*

RESpondetur affirmative. Vasquez 1. 2. *disp.* 94. *c.* 3. *num.* 9. Bonacina, Azorius, Dicastillo, & alii communis. Ratio est; nam ideo præcise Geminianus tenetur confiteri non solum actum internum, quo voluit vulnus infligere, sed etiam externum, quo illud influxit: quia uterque peccatum est; ergo a contrario non tenetur confiteri sequelam mortis: quia hæc, utpote non prævisa, nec amplius impedibilis, peccatum non est, sed merus effectus peccati. Videatur La Croix *lib.* 5. *a n.* 30.

Dices. Geminianus propter sequelam mortis Gerontii contrahit irregularitatem ex delicto qualem non contraheret, si mors non sequeretur; ergo sequela mortis est delictum, sive peccatum.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Contrahit irregularitatem propter sequelam mortis, tanquam meram conditionem, con. tanquam motivum, ob quod Ecclesia irregularitatem statuerit, neg. ant. & cons. Quando Ecclesia homicidio annexuit irregularitatem, pro motivo habuit delictum, mortis illativum; actualem vero mortis sequelam pro mera conditione prærequisita ad irregularitatem reapse contrahendam.

CASUS VIII.

647. *Gilbertus ita confitetur:* a proxima confessione ter omisi preces Confraternitatis, cui inscriptus sum: item bis non oravi ad pulsum Angelicæ salutationis, agoniæ, & mortis Christi: mentitus præterea fui semel, sed prorsus inadvertenter: aliud quid pro hac vice non occurrit: peto igitur Sacramentalem absolutionem, & salutarem pœnitentiam. *Quæritur, an Gilbertus materiam sufficientem afferat, & idcirco absolvi possit, quin ab eo alia materia exquiratur?*

Res-

Respondetur negative, per se loquendo. Ratio fluit ex dictis *n.* 627. *&* 630. Quia omissiones illæ sunt indifferentes in sensu proprio; cum processerint ex deliberata voluntate citra læsionem alicujus præcepti, quo persolutio hujusmodi precum injungatur: mendacium vero est actus indifferens in sensu improprio, cum contigerit sine usu libertatis; adeoque caruerit fundamento malitiæ moralis, quale est libertas; ergo Gilbertus nec omittendo prædictas preces, nec inadvertenter mentiendo peccavit, & consequenter non affert materiam sufficientem, supra quam cadere absolutio Sacramentalis possit.

Dixi:. *per se loquendo.* Nam si Gilbertus per illas omissiones putaverit se peccare, ob interventum conscientiæ erroneæ omnino peccasse censendus est; prout constat ex alibi dictis. Sed contra nostram responsionem.

Dices primo. Probabile est, non dari omissiones indifferentes in individuo, sed omnes esse vel bonas, vel malas; ergo cum omissiones, a Gilberto factæ, non fuerint bonæ, ut per se patet: consequens est, fuisse probabiliter malas; ergo dum illas confitetur, affert materiam sufficientem pro absolutione Sacramentali impendenda.

Respondetur, omisso enthymemate, neg. alteram cons. Quia peccatum probabile non est sufficiens materia, supra quam cadere possit absolutio Sacramentalis, saltem extra casum necessitatis; eo quod sic exponeretur Sacramentum periculo frustrationis: ad quod proinde avertendum oportet sequi sententiam tutiorem, & afferre materiam moraliter certam.

Neque modo dictis obstat, quod tradit P. Viva *n.* 27. *super prop.* 1. *ab Innoc. XI. damnatam*, ubi ait, usum opinionis probabilis minus tutæ solum esse illicitum, si spectet ad materiam proximam, & formam Sacramenti, non vero si spectet ad materiam remotam.

Hæc, inquam, doctrina nostris dictis non obstat, quippe quæ solum intelligenda venit in casibus, in quibus valor Sacramenti non dependet a qualitate materiæ remotæ; non autem in casibus, in quibus dependet. Unde licite quidem pœnitens accommodat se opinioni probabili minus tutæ, quod non detur obligatio v. g. aperiendi in confessione circumstantias mere aggravantes, peccata negative dubia &c. hujusmodi enim opiniones probabiles, si etiam essent revera falsæ, non redderent Sacramentum irritum (cum confessio de aliis peccatis facta abhuc esset formaliter integra) adeoque non exponunt illud periculo frustrationis: prout *cit.* Author ipse advertit, & exemplicat. At vero, & e diverso Confessarius in casu Gilberti, ipseque Gilbertus non possunt se accommodare opinioni probabili minus tutæ, volenti, quod illæ omissiones sint materia sufficiens pro absolutione Sacramentali impertienda, & impetranda: si enim id revera esset falsum, Sacramentum redderetur irritum; cum tunc forma absolutionis non caderet super materiam aptam, & veram (nam alia materia addi non supponitur) & consequenter illud exponitur periculo frustrationis.

Dices secundo. Gilbertus non orando ad pulsum Angelicæ salutationis &c. egit contra consuetudinem, communi Christianorum consensu introductam, & longissimo tempore præscriptam; ergo peccavit.

Respondetur, neg. conf. & suppositum antecedentis, quod illa consuetudo vim legis obtineat: ad hoc enim requireretur, ut eam populus introduxisset, & continuasset animo se obligandi: quod factum esse nemo facile probabit.

DISPUTATIO II.

De Actibus Humanis Malis in specie, sive de Peccatis.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Peccatum?

SUMMARIUM.

648. Quid nominis sit peccatum ut sic, & quid reipsa intelligatur nomine peccati Philosophici. 649. Definitur peccatum Theologicum. 650. & 651. Proponuntur, & solvuntur objectiones. 652. Recensentur nomina, quæ peccato Theologico propter diversos respectus, & connotationes tribui solent. 653. Peccati Theologici divisio in varia membra.

648. Prænotandum, peccatum accipi diversimode. Accipitur enim 1. figurate, & per metonymiam pro fomite peccati, qui est effectus peccati originalis, & suo modo causa peccatorum personalium. Quo sensu intelligendus est Apostolus *ad Rom.* 7. ubi inquit: *Jam non ego operor, sed quod habitat in me, peccatum.* 2. Pro hostia, quæ offertur pro peccato. Unde *Osea* 4. dicitur: *Peccata populi mei* (id est, hostias, quæ offeruntur pro peccatis) *comedent* Sacerdotes. 3. Pro materia, in qua, vel circa quam peccatur. Sic *Deut.* 9. vitulus aureus vocatur peccatum; inquit enim Moyses ibidem: *Peccatum vestrum, quod feceratis, arripiens igne combussi.* 4. Pro exercitio libertatis contra regulam obligantem ad honeste operandum. Atque ita sumptum, est quid commune ad peccatum *Philosophicum*, & *Theologicum*. Peccatum Philosophicum juxta P. La Croix *lib.* 5. *n.* 49. *est exercitium libertatis contra dictamen naturæ rationalis qua talis, præscindendo, an etiam sit contra legem Dei.* De hoc peccato videri potest Viva *super prop.* 2. *ex* 2. ab Alexandro VIII. damnatam *die* 24. *mensis Augusti anno* 1690. vel La Croix *loc. cit.* Nobis vero in præsenti, & per decursum præcise negotium erit de peccato Theologico: cujus proin definitionem, & divisionem ut afferamus.

649. Dico primo. Peccatum (Theologicum) *est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Ita S. Augustinus *lib.* 2. *contra Faustum cap.* 27. Vel: *est exercitium libertatis contra legem Dei.* Hæc posterior definitio est magis commensa rigori dialectico, quam illa prior, utpote quæ, cum fiat per membra dividentia, magna ex parte imitatur naturam divisionis. Sed quoniam hoc non obstante, a Moralistis communius retinetur, etiam nos eidem insistimus. Itaque

Explicatur breviter. Dicitur 1. *dictum, factum*, vel *concupitum*, ut significetur substantia actus peccaminosi, quæ se habet tanquam materiale: illa nanque vocabula non denotant objectum, quod dicitur, fit, vel concupiscitur; sed ipsum actum dictionis, factionis, & concupiscentiæ.

Dicitur 2. *contra legem Dei æternam*, ad exprimendum formale peccati, videlicet deviationem a tali lege. Quid autem intelligatur nomine legis æternæ habetur *n.* 209.

650. Objicies primo. Data definitio non comprehendit peccatum omissionis; ergo non est adæquata.

Respondetur, dist ant. Non comprehendit explicite, & formaliter, con. implicite, & æquivalenter, neg. ant. & conf. Nemo tam cæcus, aut hebes est, qui, si sciat, se loquendo, agendo, aut concupiscendo peccare, ubi lex prohibet loqui, agere, vel concupiscere, nesciat, aut inferre non possit, se quoque peccare, si non loquatur, non agat, vel non concupiscat, ubi lex jubet loqui, agere, vel concupiscere; consequenter licet in tradita definitione de peccato omissionis non fiat mentio explicite, & formaliter, fit tamen implicite, & æquivalenter, seu *quoad instructionem.* Accedit, quod juxta Philosophum affirmatio, & negatio reducantur ad idem genus.

651. Objicies secundo. Multa sunt peccata: quia repugnant legi humanæ; ergo saltem hujusmodi peccata in allegata definitione non includuntur.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Quia repugnant legi humanæ tanquam regulæ externæ immediatiori, sive proximiori, con. secus, neg. ant. & conf. Ejusmodi peccata sunt contra legem humanam, & æternam Dei simul; contra illam immediatius, & proximius; contra istam vero mediatius, & remotius, quatenus si illa aliquid præcipit, vel prohibet, hæc jubet, ut pareamus. Unde hoc ipso, quod aliqua sint præcepta, vel prohibita lege humana, sunt etiam præcepta, vel prohibita lege æterna Dei, utpote quæ legi humanæ vim obligandi tribuit: adeoque recte in definitione peccati ponitur sola lex Dei æterna, ceu regula ultimata, & universalis, cui quodlibet peccatum opponitur.

652. Ceterum peccato multa adhuc alia nomina tribuuntur propter diversos respectus, & connotationes. Dicitur enim 1. *prævaricatio*, & *inobedientia* per respectum præcipue ad ipsam legem Dei æternam, cujus est transgressio. 2. *culpa*, per habitudinem ad principium

liberum defectuose, & culpabiliter operaos. 3. *malitia*, sive *malum*, per ordinem ad subjectum, quod privat vel bono gratiæ habitualis, si sit mortale, vel alio, si sit veniale: ut infra videbimus. 4. *reatus*, per relationem ad effectum, scilicet pœnam, cui peccatorem subjicit: siquidem nomine reatus intelligitur præcipue, & plerumque obligatio passiva ad subeundam pœnam a Judice latam. 5. *demeritum*, per comparationem ad præmium, quo operantem spoliat. 6. denique *offensa* & *injuria*, relate ad Deum, quem offendit, ac injuriat.

653. Dico nunc secundo. Peccatum multifariam, multisque modis dividitur.

Explicatur. Dividitur enim 1. in *originale* & *personale*. Originale est, quod per generationem trahimus ab Adamo. Personale est, quod propria voluntate committimus. De originali tractare Scholasticorum est; nobis de solo personali cum aliis Moralistis agendum venit.

Dividitur 2. in *actuale*, & *habituale*. Actuale est actus malus (vel omissio) regulis morum dissentaneus. Habituale est malitia a peccato actuali transactin io aoima peccatoris relicta. De peccato habituali itidem soli disputant Scholastici; Moralistæ vero de actuali taotum, quibuscum & nos faciemus,

Dividitur 3. in *mortale* & *veniale*, Mortale dicitur, & est, quod animam peccatoris vita spirituali, id est, habitu gratiæ sanctificantis, & charitatis privat, ac pœnæ æternæ ream constituit. Veniale est, quod in aoima peccatoris fervorem charitatis solum diminuit, eamque pœnæ duntaxat temporali obnoxiam reddit.

Dividitur 4. in peccatum *commissionis*, & *omissionis*. Peccatum commissionis est actus positivus, præcepto negativo, e. g. *non mœchaberis*, *non furtum facies &c.* contrarius. Peccatum omissionis est noo positio actus, præcepto affirmativo, e. g. *diliges proximum*, *sicut teipsum*, *audies die festivo Missam &c.* adversa.

Dividitur 5. in peccatum *carnale*, & *spirituale*. Carnale est, quod consistit in concupiscentia, & inordinata delectatione externa; ut gula, & luxuria. Spirituale est, quod perficitur, ac coosistit in concupiscentia, seu inordinata delectatione interna, licet ejus objectum possit esse aliquid externum, corporeum, & materiale; ut superbia, invidia, avaritia &c. Indicat hanc divisionem Apost. 2. *Cor.* 7. ubi inquit: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus*.

Dividitur 6. in peccatum *cordis*, *oris*, & *operis*. Primum est, quod ex sua natura consummatur io corde, seu anima; ut hæresis, odium &c. Secundum est, quod perficitur ore, seu lingua; ut detractio blasphemia &c. Tertium est, quod completur opere, seu facto externo; ut furtum, homicidium &c. Primum a S. Augustino in definitione supra vocatur *conceptum*; secundum *dictum*; tertium *factum*. Ubi notat La Croix *loc. cit. n.* 5. præfatam divisionem posse etiam (& forte melius) fieri hoc modo. Peccatum aliud est *mere internum*; & dicitur *cordis*: aliud *externum simul*; & subdividitur in peccatum *oris*, & *operis &c.*

Dividitur 7. in peccatum *contra Deum*, *proximum*, & *seipsum* (subintellige, *specialiter*; nam generaliter omne peccatum est contra Deum, & ipsummet peccantem) Peccatum contra Deum appellatur, quod adversatur alicui virtuti, qua recte disponimur in ordine ad Deum per nostras actiones attingendum: talia peccata sunt hæresis, desperatio, blasphemia, perjurium, & alia, quæ Virtutibus Theologicis, ac Religioni opponuntur. Peccatum contra proximum nuncupatur, quod adversatur alicui virtuti, qua recte disponimur erga proximum; cujusmodi sunt homicidium, furtum, detractio &c. quæ opponuntur virtuti Justitiæ. Peccatum contra seipsum, seu nos ipsos nominatur, quod adversatur alicui virtuti, per quam in moderatione nostrarum passionum recte disponimur erga nos ipsos: qualia sunt peccata luxuriæ, gulæ, timiditatis &c. quæ opponuntur Castitati, Temperantiæ, Fortitudini &c.

Dividitur 8. in peccatum *ex infirmitate*, *ex ignorantia*, & *ex malitia*. Primum est, quod originem trahit ex vehementi passione, & tentatione appetitus sensitivi; ut si ex vehementi motu iræ aliquem percutias, iofames &c. Secundum est, quod ex ignorantia vincibili, sive Juris, sive facti, proficiscitur; ut si legas librum hæreticum, cujus lectionem culpabiliter nescis esse prohibitam, vel eundem esse librum hæreticum. Tertium est, quod, citra interventum alicujus passionis, aut ignorantiæ, ex sola malitiosa voluntatis determinatione perpetretur: ut siquis nulla ignorantia, aut passione inductus, ex mera voluntatis perversitate sese inebriet, alteri detrahat &c. Quod proinde peccatum non est ex malitia voluntaris *communiter* tantum (sic enim quodlibet peccatum dici potest peccatum ex malitia) sed *specialiter*; ut ex dictis liquet.

Dividitur 9. in peccatum *ex consuetudine*, & *ex contemptu*. Peccatum ex consuetudine dicitur, & est, ad quod committendum inclinat habitus ex frequentatis actibus peccaminosis contractus: cujus generis peccata sæpenumero sunt blasphemiæ, perjuria, pollutiones &c. Relege, quæ diximus *n.* 644. Peccatum ex contemptu dicitur, quando quis e. g. legem transgreditur formali, & directa intentione illi, ejusve Conditori qua tali non obediendi: ut siquis ideo jejonium violet; quia præceptum est; vel quia a summo in terris Legislatore impositum est; alias non violaturus. Sed de hoc peccato iterum, & explicatius *n.* 697.

Dividitur peccatum 10. in *capitale*, & *non capitale*. Capitale dicitur, quod est radix, & veluti *caput* multorum aliorum peccatorum: qualia sunt septem *c.* 4. recensenda, & explicanda. Non capitale dicitur, quod non est ita radix aliorum peccatorum; cujusmodi reputantur peccata reliqua præter illa septem.

Dividitur denique 11. in *proprium*, & *alienum*, Primum est actus (vel omissio) ipsius peccantis. Alterum est quidem actus alterius suppositi; nobis tamen imputatur ratione cuosilii, mandati &c. Unde hæc divisio in rigore melius sic formaretur: peccatum aliud est *proprium tantum*, & aliud *alienum*, *ac proprium simul*; quia peccatum, quod ab alio committitur, & idcirco relate ad nos *alienum* dicitur, consilio, mandato &c. etiam nostrum, seu nobis *proprium* efficimus.

CAPUT II.

De distinctione Peccatorum.

ARTICULUS I.

Unde colligi possit distinctio specifica peccatorum?

SUMMARIUM.

654. & 655. *Exponitur status quæstionis*. 656. *Distinctio specifica peccatorum recte colligitur ex eorum objectis (aut circumstantiis respective) in genere moris specie distinctis; vel ex modis tendendi in idem objectum formaliter diversis*. 657. *Hæc sententia non differt reipsa a sententia illorum, qui absolute dicunt, distinctionem specificam peccatorum colligi ex objectis*; 658. *Eadem distinctio etiam recte colligitur ex oppositione cum virtutibus specie distinctis; vel ex modis essendi contra eandem virtutem formaliter diversis*. 659. *Ostenditur, quomodo & hæc sententia possit conciliari cum illa, quæ absolute docet, peccatorum distinctionem specificam colligi ex oppositione cum distinctis specie virtutibus*. 660. *Colligitur denique eadem distinctio ex oppositione cum legibus, vel præceptis, quæ talibus, formaliter, & specifice diversis*. 661. & *seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones*. 664. *Est in arbitrio Legislatoris, velitne materias diversas, vel etiam easdem, saltem de se indifferentes, præcipere, vel prohibere per leges formaliter, aut materialiter tantum diversas*. 665. *Peccatum mortale, ac veniale semper specie distinguuntur: non item* 666. *Peccatum commissionis, & omissionis*.

654. PRænotandum primo, & supponendum tanquam certum, propositam quæstionem non procedere de differentia specifica peccatorum physica, sive io genere entis, quo sensu agitatur a Philosophis; sed de distinctione specifica eorundem morali, sive in genere moris.

655. Prænotandum secundo, & itidem supponendum tanquam certum, essentiam peccati, sive malitiæ moralis sitam esse in difformitate ad regulas morum (sive dein talis difformitas consistat in privativo, ut cum multis aliis docet Scotistæ; sive in positivo, ut volunt plerique Thomistæ) sicut e diverso essentia bonitatis mora-

moralis sita est in conformitate ad easdem regulas; prout advertimus *num.* 601. Ex quo suapte natura fluit, peccata intrinsece specificari, & consequenter sic distingui per ejusmodi difformitates, ita ut, ubi repe- riuntur plures difformitates specie distinctæ, ibi repe- riantur plura peccata specie distincta: siquidem omne alicujus rei constitutivum, est etiam ejusdem specificati- vum, & distinctivum. Unde præsens quæstio movetur solum de specificativo peccatorum extrinseco, ut sensus sit, unde colligi possit, quod uni, vel pluribus actibus (aut omissionibus) insint difformitates ad regulas mo- rum seu malitiæ specie distinctæ? His permissis,

656. Dico primo. Distinctio specifica peccatorum recta colligitur (1.) ex eorum objectis (aut circum- stantiis respective) in genere moris specie distinctis; vel (2.) ex modis tendendi in idem objectum forma- liter, & specifice diversis. Primam partem docent D. Thomas 1. 2. *q.* 72. *art.* 1. Sporer *tr.* 1. *c.* 4. *n.* 11. & alii communissime. Secundam tenent, & supperaddunt La Croix *loc. cit. n.* 128. Viva *loc.* infra nominando Her- zig &c.

Probatur prima pars. Quia ex iis recte colligitur di- stinctio specifica peccatorum, a quibus peccata specifi- cantur: atqui peccata specificantur ab objectis (& cir- cumstantiis respective) consideratis in genere moris, seu in quantum per legem præcepta, aut prohibita sunt, & ut talia practice cognita; prout ostensum, atque ex- positum est *n.* 603. & 605. ergo distinctio specifica pec- catorum recte colligitur ex eorum objectis (aut cir- cumstantiis respective) in genere moris specie distin- ctis. Unde fornicatio, furtum, blasphemia &c. specie distinguuntur: quia habent objecta in genere moris (imo, & in esse physico) specie distincta, & fundantia deformitates diversæ rationis. Porro velle occidere ho- minem ex motivo vindictæ, licet in esse physico sit e- jusdem speciei, sive persona occisa sit laica, sive Eccle- siastica, in genere moris tamen præter malitiam inju- stitiæ attrahit diversam malitiam sacrilegii ex circum- stantia personæ Ecclesiasticæ cognita, & indirecte voli- ta. Sic denique omissio Missæ debitæ in die festo es- sentialiter, & specie differt ab omissione eleemosynæ debitæ pauperi graviter indigenti, non solum in esse na- turæ, sed etiam in esse moris, & peccati; quia diver- sum habet objectum, & deformitatem &c.

Nec dicas. Species in moralibus non potest sumi nisi ab eo, quod per se, & directe intenditur; ergo neque distinctio specifica. Atqui objectum malum (idem cogi- ta de circumstantia) sive malitia objectiva ejusdem non potest per se, & directe intendi; cum juxta S. Dio- nysium nemo intendens ad malum operetur; ergo &c.

Respondetur enim, neg. ant. universaliter, id est, non solum de specie actus boni, sed etiam mali, in- tellectum. Vel gratis dist. Nisi ab eo, quod per se, & directe intenditur sub aliqua ratione, sub qua tamen reduplicative non dat speciem, con. sub ea ratione, sub qua dat speciem, neg. ant. intellectum de specie actus mali; & distinctione applicata minori consequentiam. Ad subsumptum ajo, id, quod est objective malum, non posse quidem per se intendi reduplicative, & sub apparentia mali; posse tamen sic intendi specificative, & sub apparentia boni delectabilis, vel utilis: quod sufficit, ut actui malo speciem tribuere valeat.

Probatur secunda pars. Ex modis tendendi in obje- ctum, formaliter, & specifice diversis in genere physi- co, recte colligitur distinctio specifica actuum physica; ergo etiam ex iisdem, ita diversis in genere moris, re- cte colligetur distinctio specifica actuum moralis &c. Cons. videtur tenere. Ant. ostenditur in exemplis. Nam cognitio abstractiva, & intuitiva; item amor Viatorum, & Comprehensorum inter se specie diffe- runt; quia modi, quibus in idem objectum, puta Deum, tendunt, sunt formaliter, & specifice diversi; prout traditur in Philosophia, maxime a Nostratibus; ergo &c. Hinc (ut moralia sectemur) rapina specie dif- fert a simplici furto; etsi enim objectum utriusque i- dem sit, modus tamen, quo illud attingunt, est for- maliter, & essentialiter diversus: in rapina enim cerni- tur vis, quæ in simplici furto non est. Similiter stu- prum specie differt a simplici fornicatione cum virgi- ne: quia cum stupro conjuncta est itidem violentia, non vero cum simplici fornicatione, esto utriusque obje- ctum in genere moris non diversificetur. Sic & prodi- galitas ab avaritia specie differt ob diversitatem modi, quo in objectum tendunt.

657. Colliges, nostram sententiam, hactenus stabi- litam, reipsam non differre a sententia illorum qui absolute dicunt, distinctionem specificam peccatorum colligi ex objectis in genere moris specie distinctis, non facientes mentionem de diversis modis tendendi in idem objectum &c. Ita insinuat La Croix *loc. cit. n.* 128. Ratio est: quia objectum, de se idem specie, di- versificatur specie ob modos attingibilitatis specifice di- versos, qui in illo præexistunt, & correspondent modis attingentiæ, per actum peccaminosum exercibilibus, ita ut idem objectum quatenus substat uni modo attingibi- litatis, differat specie a seipso, ut substante alteri, a priori specifice distincto, habeatque in genere moris a- liam atque aliam specie inhonestatem, seu malitiam ob- jectivam, relate ad actus peccaminosos; vel honesta- tem, relate ad actus virtuosos.

658. Dico secundo. Distinctio specifica peccatorum etiam recte colligitur (1.) ex oppositione cum virtuti- bus specie distinctis; vel (2.) ex modis essendi contra eandem virtutem formaliter, & specifice diversis. Ita Doctor Subtilis in 2. *dist.* 37. *q.* 1. Sporer *loc. cit. n.* 12. Viva *super prop. ord.* 24. ex damnatis ab Alexandro VII. Augustinus Michel *tr.* 1. *q.* 4. §. 1, & 2. contra La Croix, & alios quoad secundam partem.

Probatur prima pars. Privationes speciem accipiunt (extrinsece) a formis oppositis; prout constat ex Phi- losophia: sed peccata sunt privationes honestatum, sive virtutum formarum oppositarum; ergo a virtutibus speciem accipiunt: & consequenter etiam distinctionem specificam, ita ut omnia illa peccata sint diversæ spe- ciei, quæ distinctis specie virtutibus adversantur. Hinc fornicatio v. g. quæ est peccatum contra castitatem, differt specie ab adulterio; quia hoc est etiam contra Justitiam ob læsionem juris, quod competit uni con- jugi in corpus alterius. Idem est de furto simplici, seu rei non sacræ, & de furto qualificato, seu rei sacræ: quia primum militat adversus solam Justitiam, secun- dum vero etiam contra Religionem &c.

Probatur secunda pars. Distinctio specifica peccato- rum recte colligitur ex modis tendendi in idem obje- ctum formaliter, & specifice diversis; ergo etiam ex modis tendendi, seu essendi contra eandem virtutem ita diversis. Ant. ostensum est supra. Cons. tenet a pari: nam sicut actus peccaminosus trahit aliam specie inhonestatem ex objecto, quando in istud tendit uno, & aliam, quando alio modo formaliter, & specifi- ce diverso; ita etiam, quando sic tendit contra ean- dem virtutem: prout magis perspicuum fiet ex dicen- dis infra *n.* 659. Hinc prodigalitas, & avaritia sunt vi- tia specie distincta; quia opponuntur quidem eidem vir- tuti Liberalitatis, sed modis specifice diversis, illa sci- licet per excessum, & ista per defectum. Idem ob ean- dem rationem cogita de audacia, & timore, relate ad fortitudinem, cui opponuntur.

Confirmatur. Si illa solum peccata essent diversæ speciei, quæ opponuntur distinctis specie virtutibus, sequeretur, omnia peccata luxuriæ esse ejusdem speciei infimæ; cum omnia adversentur eidem virtuti casti- tatis: sequela autem est damnata ab Alexandro VII. dum confixit hanc *prop. ord.* 24. *Molities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ &c.* Ne- cessum igitur est, ut pro dignoscenda peccatorum luxu- riæ (& plurium aliorum) distinctione specifica recur- ratur ad aliud principium, quale est diversus specie modus, quo actus peccaminosus (vel omissio) eidem virtuti opponitur.

Nec dicas cum P. La Croix *loc. cit. n.* 127. esse ni- mis obscurum, nec discerni posse, quandonam modi, quibus actus peccaminosus eidem virtuti adversatur, sint formaliter, & specie diversi.

Contra enim est primo, idipsum asseri posse de mo- dis tendendi in idem objectum; & tamen *cit.* Author nobiscum admittit, ex eorum diversitate recte inferri diversitatem peccatorum &c.

Contra est secundo, neg. assumptum. Id enim di- scerni potest ex regula, quam tradit Tannerus *disp.* 4. *de Peccat.* ex Valentia, & approbat P. Viva *loc. cit. n.* 6. qui ajunt, toties peccata specifice diversificari, quoties opponuntur eidem virtuti modis adeo diversi, ut, quantum est ex natura, & ratione peccati, non sit

eadem

eadem propensio moraliter loquendo ad ea peccata committenda; & qui propensus ad unum eorum, quantum est ex ipsa peccati ratione non sit similiter propensus ad alterum; qualiter se habent furtum v. grat. adulterium, detractio, homicidium &c. quæ ita Justitiæ commutativæ opponuntur, ut quantum est ex natura, & ratione horum peccatorum, non sit eadem propensio ad ea omnia committenda; & qui propensus est ad unum eorum, quantum est ex ipsa peccati ratione non sit eatenus propensus ad aliam. Idem esto judicium de peccatis Castitati oppositis; qualia sunt mollities, sodomia, bestialitas &c. Atque hæc regula etiam servit ad discernendos modos, quibus actus peccaminosus in unum objectum tendit: prout rite pensanti patebit.

659. Colliges, etiam hanc nostram sententiam non esse reipsa diversam a sententia P. Arsdekin *tom. 2. part. 2. tr. 3. cap. §. 2.* & aliorum absolute docentium, illa peccata distingui specie, quæ distinctis specie virtutibus habitualibus opponuntur. Nam ita docentes itidem volunt (prout equidem mihi persuadeo; alias eorum doctrina certo falsa foret, ex hucusque dictis) eandem specie virtutem habitualem diversificari specie ob modos attingibilitatis specifice diversos, in ipsa præexistentes, ita, ut eadem virtus, quatenus consideratur ut affecta uno attingibilitatis modo differat specie a seipsa, ut affecta altera, a priori specifice diverso; & sic valeat terminare diversos specie actus virtuosos, si eidem conformiter eliciantur; vel peccaminosos, si difformiter: sicut supra *num. 657.* advertimus de objecto. Confirmatur, & declaratur amplius sic. Virtutes, quæ habent modos attingibilitatis specifice diversos, continent plures honestates saltem quoad speciem infimam, seu atomam, esto contineant unam quoad speciem subalternam; ergo possunt terminare actus virtuosos species atoma diversos, si hi illis conformiter exerceantur; vel peccaminosos, si difformiter. Conf. patet. Ant. ostenditur. Nam liberalitas v. g. quæ inclinat ad dandum, & retinendum cum mediocritate, aliam continet honestatem, in quantum est attingibilis per dationem, & aliam, in quantum per retentionem, sub quibus hos actus cum recta ratione, & moderatione elicitos specificat, seu constituit in sua quenque specie: consequenter si prædicti actus exerceantur contra rectam rationem, & absque debita moderatione, contrahunt duas inhonestates, seu malitias duabus illis honestatibus privative oppositas; unusque adversatur per defectum dationi, & pertinet ad vitium avaritiæ; alter vero per excessum retentioni, & pertinet ad vitium prodigalitatis. Similiter fortitudo, quæ inclinat ad audiendum, & timendum cum mediocritate, aliam continet honestatem, in quantum est attingibilis per actum audaciæ, & aliam, in quantum per actum timoris; quarum unam refundere nata est in unum, & alteram in alterum eorum, si debito cum moderamine exerceantur. Quod si moderamen, seu mediocritas non servetur; ut siquis timeat, quando non est timendum; vel audeat plus, quam sit audiendum, duas contrahunt inhonestates, suntque duo vitia quoad speciem atomam inter se mutuo diversa; quorum unum nominatur *nimius timor*, alterum vero *nimia audacia*, sive *temeritas*. Et sic de aliis. Ita quoad rem Mastrius in *Theol. Scholast. disp. 6. de Peccat. q. 2. art. 3. a n. 56.* Abreu in *Specul. Paroch. lib. 10. sect. 2. a n. 369.* Viva *loc. cit. n. 5.*

660. Dico tertio. Distinctio specifica peccatorum insuper colligitur ex oppositione cum legibus, vel præceptis, qua talibus, formaliter, & specifice diversis. Bonacina de *Peccat. disp. 2. q. 4. pun. 3. n. 5.* Palao *tr. 2. disp. 3. pun. 1. num. 4.* Abreu *loc. cit. n. 372.* & alii communiter.

Probatur. Siquidem peccata sunt voluntariæ transgressiones legum, vel præceptorum; ergo ex iis ipsis capitibus suam speciem accipiunt, ex quibus ejusmodi transgressiones. Sed hæ suam speciem, & consequenter distinctionem specificam, accipiunt a legibus, vel præceptis, quibus, ceu privationes formis, opponuntur; ergo etiam peccata; ergo si leges, vel præcepta formaliter, & specifice sunt diversa, etiam sic diversa erunt peccata eisdem opposita.

Dixi 1. in conclus. ex oppositione cum legibus, vel præceptis, *qua talibus*, id est, prout, & in quantum sunt regulæ actuum humanorum, & non prout præcise sunt actus Legislatorum. Si enim leges sub hac posteriori præcise consideratione specifice distinguantur, non inferunt, dum violantur, in sui violatione malitias specie diversas; ut patet, siquis alterum occidat: talis quippe, licet peccet contra legem Divinam, & humanam, non tamen idcirco committit duo peccata specie distincta; eo quod memoratæ leges solum specie distinguantur, quatenus sunt actus duorum Legislatorum, specie, vel quasi specie distinctorum; non autem quatenus sunt regulæ actus humani; cum ut sic non sint nisi materialiter diversæ, quippe homicidium vetantes sub eodem fine, & motivo, ac intuitu ejusdem virtutis: veluti infra dicemus, & declarabimus.

Neque contra hoc dicas. Peccatum formalis inobedientiæ contra legem Divinam specie differt a peccato formalis inobedientiæ contra legem humanam: quia hæ leges, in quantum sunt conditæ a diversis specie Legislatoribus, specie distinguuntur; ergo idem dicendum de aliis peccatis.

Contra enim est, transmisso antecedente, neg. causalem. Sed ideo; quia respectu peccati formalis inobedientiæ leges præfatæ non se habent, ut præcise sunt actus Legislatorum, sed pertinent ad objecta, & sunt termini *ad quos*, unde motus (adeoque etiam peccatum quod est motus, & tendentia in objectum) extrinsece suam speciem sumit. Quod non est in aliis peccatis, utpote quæ solum respiciunt leges tanquam terminos, *a quibus* receditur; terminus autem *a quo* non specificat motum; prout ex Philosophia constat. Unde neg. & parit. Babenstuber *loc. cit. tr. 2. disp. 3. art. 2. n. 9.*

Dixi: *transmisso antecedente*. Nam oppositum tenet, & prædicta inobedientiæ peccata specie differre negat Augustinus Michel *tr. 1. q. 4. §. 2. n. 15.* allegans D. Thomam. Quæ sententia non videtur improbabilis; probabilior tamen est affirmativa ob rationem in responsione datam.

Dixi 2. in conclus. ex oppositione cum legibus, vel præceptis, *formaliter, & specifice diversis*. Quod ut intelligas, adverte, leges, vel præcepta solum esse quoad speciem materialiter diversa, quando præcipiunt, aut prohibent, idem, vel diversum objectum sub eodem fine, & motivo, ac intuitu ejusdem virtutis: sic lex naturalis, & positiva prohibentes homicidium non sunt nisi materialiter diversæ; quia illud prohibent ex eodem fine, & motivo Justitiæ, seu intuitu ejusdem Justitiæ. Formaliter contra, & specifice, seu quoad speciem (quod addo hic, & addidi supra ad tollendam æquivocationem terminorum *materialiter*, & *formaliter*, utpote etiam ad diversitatem numericam applicabilium; ut patebit *art. seq*) diversa censentur, quando idem, vel diversum objectum præcipiunt, aut prohibent sub diverso fine, & motivo, ac intuitu diversæ virtutis. Sic præceptum non occidendi Clericum est formaliter diversum a quinto præcepto Decalogi *non occides*; quia hoc prohibet homicidium intuitu Justitiæ, illud intuitu Religionis, cui fit injuria per occasionem personæ Deo sacræ. Et idem est de præcepto non furandi absolute, & non furandi rem sacram; ac de multis aliis.

Itaque quando violantur plura præcepta quoad speciem materialiter solum diversa, non committuntur plura peccata specie diversa. Ratio hujus est: quia tunc datur una tantum specie difformitas, & privatio unius duntaxat rectitudinis specificæ per illa præcepta intentæ, unaque oppositio cum eadem virtute. Unde non committit duo peccata specie distincta, qui occidit, ex eo, quod violet præceptum naturale, Divinum, & humanum: quia (ut dictum) omnia illa tria præcepta homicidium vetant sub eodem motivo, & fine, ac intuitu ejusdem virtutis; adeoque non sunt nisi materialiter diversa: neque qui die Dominico, in quo occurrit festum, non audit Missam: quia etiam præcepta in hoc casu auditionem Missæ imponentia non nisi materialiter diversa sunt: neque qui non jejunat in die aliquo Quadragesimæ, in quem incidit Vigilia cum jejunio, ob eandem rationem.

Contra quando violantur plura præcepta quoad speciem formaliter diversa, committuntur plura peccata essentialiter, & specie diversa, esto forte actus sit unus, & idem. Rationem jam dedimus supra: quia tunc violantur plures obligationes, & virtutes specie diversæ; ergo dantur plures deformitates, & privationes rectitudinum specie diversæ; consequenter plura specie peccata.

cata. Unde sequitur, homicidium (idem cogita de percussione) Clerici, aut Religiosi duplex esse peccatum specie diversum; alterum injustitiæ contra præceptum non occidendi; alterum sacrilegii contra præceptum prohibens occisionem personæ sacræ intuitu Religionis. Et idem est in furto rei sacræ, in pollutione, fornicatione, aut sanguinis effusione in loco sacro: in fornicatione soluti cum conjugata aut conjugati cum soluta: in fornicatione, vel pollutione Clerici in Sacris constituti, aut alterius habentis votum Castitatis: item in eo, qui habens votum jejunandi feria sexta v. g. non jejunat occurrente simul Vigilia ad jejunium adstringente. Et sic de aliis.

661. Objicies primo contra omnes tres conclusiones simul. Qui non audit sacrum die festo, & non recitat Horas Canonicas, ad quarum recitationem obstringitur, committit duo peccata specie distincta: in tali autem exemplo non possunt assignari duo objecta mala, nec duæ virtutes, aut præcepta quoad speciem formaliter diversa, quæ violentur; ergo.

Respondetur, neg. min. quoad omnia tria membra. Nam in primis illæ omissiones respiciunt duo objecta in genere moris specie distincta, videlicet duas inhonestates objectivas, quarum una opponitur honestati Religionis a Legislatore intentæ per auditionem sacri, & altera honestati intentæ per recitationem Horarum Canonicarum. Unde & violant duas virtutes, seu honestates, non quidem specie subalterna, sed atoma diversas ob motiva taliter diversa, quæ sunt alius, & alius Dei cultus; nam licet cultus Divinus generice, sive quoad speciem subalternam sit unus, sicut & ipsa Virtus, ac honestas Religionis prædicto modo est una, ac eadem; quoad speciem atomam tamen est diversus. Militant denique adversus præcepta formaliter, & specifice diversa: quæ diversitas remote fundatur in notabili diversitate materiæ & proxime in diversitate honestatum, seu motivorum quoad speciem atomam distinctorum, secundum immediate dicta.

Dices. Hoc modo committitur circulus vitiosus; nam ideo præcepta audiendi Missam, & recitandi Horas Canonicas censetur formaliter, & specifice diversa; quia innituntur diversis specie motivis Religionis; & ideo Religio quoad speciem atomam censetur esse alia, & alia virtus, & ut talis obligare (idem cogita, & cum proportione applica de objectis) quia habet honestates, seu motiva quoad eandem speciem diversa, & ut talia a Legislatore per præcepta, sive leges intenta.

Respondetur, neg. assumptum. Nam circulus vitiosus non committitur, quando probatur idem per idem ac vicissim, in diverso genere causæ. Quare non facio circulum vitiosum, cum dico: ideo homo est risibilis, quia est rationalis; & ideo rationalis, quia est risibilis: eo quod rationalitas sit causa, sive principium, ex quo a priori infertur risibilitas; hæc vero sit principium illius illativum a posteriori tantum. Simile quid evenit in proposito; nam leges formaliter, & specifice diversæ (maxime si sint positivæ) existunt causæ, seu principia, ex quibus veluti a priori infertur diversitas motivorum proximorum, sive talium, sub quibus virtutes (idem denuo cogita de objectis) hic, & nunc obligant; ita ut hoc sensu verum sit dicere: ideo Religio v. g. sub diversis specie motivis ad audiendam Missam, & recitandas Horas Canonicas obstringit, quia Legislator per leges formaliter, & specifice diversas sic ordinat, & præcipit. At vero diversa motiva virtutum solum existunt causæ, sive principia, ex quibus a posteriori infertur diversitas legum; ut proinde in tali sensu verum consistat: ideo leges formaliter, & specifice distinguuntur, quia innituntur motivis virtutum (& in præsenti virtutis Religionis) eodem modo diversis. Quapropter ex facta instantia solum sequitur, quod ex diversitate objectorum, & virtutum non colligatur distinctio peccatorum, eisdem oppositorum, nisi cum subordinatione, & dependentia a diversitate legum: quæ proinde diversitas est principium magis independens, magisque ultimatum distinguendi species peccatorum, præsertim si hæc adversentur legibus positivis tantum: id quod ultro fatemur.

662. Objicies secundo præcipue contra secundam conclusionem. Furtum, detractio, contumelia, & homicidium adversantur eidem virtuti Justitiæ commutativæ, & tamen sunt peccata specie distincta: e diverso fractio jejunii in aliqua Vigilia, vel tempore Quadragesimæ adversatur duabus virtutibus, Abstinentiæ scilicet, & Religioni, nec tamen continet duas specie malitias; ergo distinctio specifica peccatorum non recte colligitur ex oppositione cum distinctis specie virtutibus.

Respondetur, dist. ant. quoad primam partem, & primum exemplum. Furtum, detractio &c. adversantur eidem virtuti, & eodem modo, neg. modo formaliter, & specifice diverso, con. ant. Vel (quod in idem recidit) adversantur eidem virtuti identitate subalterna, con. identitate atoma, neg. Quod autem modus, quo prænominata vitia Justitiæ commutativæ adversantur, sit formaliter, essentialiter, & specifice diversus, patet ex regula supra *n.* 658. tradita; nam proclivis ad vitium furti non est æque proclivi ad vitium detractionis, contumeliæ, & homicidii, aut vicissim, quantum est ex natura, & ratione horum vitiorum. Quod insuper eadem vitia adversentur virtuti quoad speciem atomam diversæ, seu multiplici, inde conficitur: quia virtus generice, sive quoad speciem subalternam eadem, diversificatur quoad speciem inferiorem, aut atomam ob modos attingibilitatis specifice diversos; prout exposuimus *n.* 659. atqui in virtute Justitiæ commutativæ reperiuntur modi attingibilitatis specifice diversi, prout deduci potest ex immediate dictis; ergo virtus Justitiæ commutativæ per illos diversificatur quoad speciem inferiorem, seu atomam, pluresque includit honestates secundum talem speciem diversas, licet secundum speciem subalternam sit una, eandemque habeat honestatem. Quo fit, ut is, qui proximo jus illæsum servat in bonis fortunæ, famæ, honoris, & vitæ, exerceat actus Justitiæ specie distinctos; & consequenter, qui illud lædit, actus injustitiæ similiter ita distinctos; cum hi illis privative opponantur. Ad alteram partem, & exemplum dist. pariter ant. Fractio jejunii adversatur duabus virtutibus, si Ecclesia obliget ad jejunandum ex motivo utriusque, con. si ex motivo unius tantum, neg. ant. Ecclesia solummodo obligat ad jejunandum ex motivo intrinseco Abstinentiæ, non autem ex motivo extrinseco Religionis, esto, dum legem jejunii tulit, respexerit ad honorem Passionis Dominicæ, quam in Quadragesima recolimus, & Sanctorum, quorum Vigilias celebramus; ut enim Legislator censeatur velle obstringere ex motivo etiam extrinseco, hæc talis voluntas subditis manifestari debet, vel colligi ex circumstantiis: quod autem Ecclesia intendat obstringere ad jejunium etiam ex motivo extrinseco Religionis, Christianis nunquam fuit manifestatum, nec colligi potuit ex circumstantiis; imo contrarium semper tenuere DD. Sed contra hoc ultimum

Dices. Quando Ecclesia imperat abstinentiam a labore servili in diebus festis, obligat ex motivo Religionis; ergo etiam quando imperat abstinentiam a bina refectione, & cibis vetitis tempore Quadragesimæ, & Vigiliis Sanctorum.

Respondetur, neg. cons. & par. Disparitas est: quia, quando Legislator non habet motivum intrinsecum, ex quo legem ferat, recte censetur illam ferre ex motivo extrinseco: atqui Ecclesia non habuit motivum intrinsecum, ex quo ferret legem abstinendi a labore servili in diebus festis (quodnam enim illud!) ergo recte censetur eam tulisse ex motivo extrinseco colendi dies festos, adeoque ex motivo Religionis: consequenter qui prædictis diebus serviliter laborat, contra virtutem Religionis peccat. E diverso quando Legislator habet motivum intrinsecum, ex quo legem sanciat, non censendus est, eam sancire, & velle obligare etiam ex motivo extrinseco, nisi id manifestet, vel colligi ex aliqua circumstantia possit: atqui Ecclesia habuit motivum intrinsecum, ex quo sanciret, & reipsa sancit legem abstinendi a bina refectione, & cibis vetitis tempore Quadragesimæ, & in Vigiliis Sanctorum (idem cogita de quatuor anni temporibus) videlicet honestatem virtutis Abstinentiæ; ergo non est censenda illam sanciisse, & voluisse obligare etiam ex motivo extrinseco Religionis, seu recolendi Passionem Dominicam, & venerandi Sanctos: consequenter qui jejunium violat sive in Quadragesima, sive in Vigiliis Sanctorum, solum peccat contra virtutem Abstinentiæ, utpote ex cujus motivo Ecclesia unice ad jejunium proxime, & actualiter obstringit, non autem contra virtutem Religionis, quippe cujus motivum tantummodo erat remo-

tum,

rum, & apitudinale, seu potens inducere Ecclesiam, ut, si voluisset, potuisset etiam ex tali motivo ad jejunium obligare.

663. Objicies tertio contra tertiam conclusionem. Peccatum essentialiter consistit in difformitate ad regulas morum (ut advertimus *n.* 655.) quarum sunt duæ; una remota, & externa, videlicet lex; altera proxima, & interna, nimirum dictamen conscientiæ; ergo si distinctio specifica peccatorum recte colligitur ex legibus specifice diversis, etiam recte, & veluti a potiori colligetur ex dictaminibus conscientiæ ita diversis.

Respondetur primo, non deesse, qui concedant totum. Ratio esse potest: quia ejusmodi dictamina proxime participant moralitatem objectivam, & refundunt moralitatem formalem in actus, quos imperant, vel dirigunt; ergo ex illorum diversitate specifica videtur bene inferri distinctio specifica actuum moralium; & consequenter peccatorum. Sed omissa hac responsione, aliter

Respondetur secundo, concesso antecedente, neg. cons. Ratio negandi, & disparitas est: quia impræsentiarum inquiritur regula dignoscendi species peccatorum, quæ sit stabilis, universalis, & omnibus cognoscibilis: qualis est lex, utpote ex se perpetua, communis, & omnibus, ad quos dirigitur, promulgata; non item dictamen conscientiæ, cum sit variabile (puta nunc rectum, nunc erroneum &c.) particulare, & illi duntaxat, intra quem existit, notum.

664. Colliges ex dictis primo, esse in arbitrio Legislatoris positum, veline materias diversas, vel etiam easdem, saltem de se indifferentes, seu non intrinsece bonas, vel malas, præcipere, vel prohibere per leges quoad speciem formaliter, vel materialiter tantum diversas: dummodo in sic, vel aliter præcipiendo, aut procedat ex ratione aliqua saltem congruentiæ, sive in ipsa materia, quæ præcipitur, aut prohibetur, sive in quopiam alio fundata. Ita insinuat La Croix *loc. cit. n.* 134. & iterum *num.* 136. Ratio est: quia nullam subit necessitatem (undenam enim ea proveniat?) vi cujus ipsi potestas legislativa, modusque eam exercendi restringatur. Hinc quando Ecclesia præcipit auditionem Missæ diebus festis, & persolutionem pensi Canonici Beneficiariis, vel aliis Clericis, in Ordine aliquo majori constitutis, tulit leges quoad speciem formaliter diversas; cum illas tulerit ea motivis specie diversis (prout notatum est supra *n.* 661. & habet communis DD.) ansam accipiens ex notabili diversitate materiæ: quamvis absolute, & si aliter voluisset, potuisset ferre leges materialiter solum diversas. Similiter si Legislator Civilis imponeret viris sub gravi, & feminis sub levi obligatione extructionem propugnaculi ad patriam ab hostium irruptionibus preserverandam, essent itidem leges quoad speciem formaliter diversæ, fundatæ non in diversitate materiæ, & motivi (cum hæc ambo essent eadem) sed in alia ratione conguentiæ, v. g. in diversitate sexus robustioris, & imbecillioris; ex qua proin illarum diversitas colligeretur remote, proxime vero ex essentiali inequalitate, ac dissimilitudine obligationum, quarum una gravis, altera levis; ut mox *n. seq* dilucidabitur: quamvis & istæ leges possent esse materialiter solum diversæ, quales etiam censendæ forent, si utrunque sextum æqualiter obstringerent. E diverso si Pater præciperet filio sub gravi obligatione, ut hodie studio, & cras orationi vacet, judicandus esset imponere præcepta quoad speciem materialiter solum diversa; quæ proinde si filius transgrederetur, non committeret duo peccata specie, sed numero tantum distincta, & in confessione satisfaceret, dicendo, bis Patri inobediens fui in materia gravi: quia licet materiæ (studium scilicet, ac oratio) sint notabiliter diversæ, non tamen Pater censendus esset inde (vel ex alia ratione congruentiæ) occasionem sumpsisse imponendi præcepta formaliter, & specie distincta; cum illa non imponeret ex motivis essentialiter diversis (ut supponitur) nec sub obligationibus inæqualibus, & dissimilibus &c.

665. Colliges secundo, peccatum mortale, & veniale specie distingui, non solum, quando veniale est ex genere suo tale, sed etiam, quando est tale ex imperfectione actus, aut parvitate materiæ. Peccatum veniale, si sit tale ex genere suo, specie differre a mortali ex genere suo, conveniunt Authores: quia tunc habent diversa specie objecta; ut patet in verbo otioso, & contumelia. Si vero peccatum veniale sit tale ex imperfectione actus, aut parvitate materiæ, negant plerique illud a mortali differre specie; eo quod habeant idem specie objectum; ut patet in delectatione libidinosa sine sufficienti advertentia, & furto modicæ quantitatis; nam illa habet idem specie objectum, quod delectatio cum plena advertentia, & istud idem, quod furtum magnæ quantitatis. Nihilominus opposita sententia principiis hucusque jactis videtur conformior, eamque tenet La Croix *loc. cit. n.* 129. Ratio est: quia illa peccata specie differunt, quæ habent modos tendendi in idem objectum, & contra eandem virtutem formaliter, & essentialiter diversos: prout relinquitur ex dictis *n.* 656. & *n.* 658. sed peccatum mortale, & veniale (etiamsi hoc sit solum tale ex imperfectione actus, aut parvitate materiæ) habent modos tendendi in idem objectum, & contra eadem virtutem formaliter, & essentialiter diversos; prout sequitur ex regula supra *num.* 658. assignata: siquidem ita tendunt in idem objectum, & contra eandem virtutem, ut, quantum est ex natura, & ratione ipsorum, non sit eadem proclivitas moraliter quando ad illa committenda, & qui proclivis est ad peccatum veniale, non sit simpliciter proclivis ad mortale: veluti experientia constat; ergo &c. Quo fit, ut possit dici simpliciter habere objecta in genere moris specie distincta, & esse contra virtutes itidem specie distinctas, in sensu, quem attulimus *num.* 657. & *num.* 659. Advertantur præterea legibus formaliter, & specifice diversis; nam lex *non mœchaberis* v. g. (idem cogita, & applica de lege *non furtum facies* relate ad materiam, quam prohibet) prout respicit consensum semiplenum, formaliter, & specie differt a seipsa, ut respiciente consensum plenum; nam istum vetat sub interminatione pœnæ æternæ, non item illum &c. Sed contra hoc

Dices primo. Leges naturalis, & humana in ratione legum non illico differunt formaliter, & specie, quando prohibent aliquod delictum, & posterior adjicit pœnam temporalem, quam non adjicit prior; ergo neque lex *non mœchaberis*, prout est inflictiva pœnæ æternæ, potest dici formaliter, & specifice diversa a seipsa, prout non est inflictiva pœnæ eternæ.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia reatus pœnæ æternæ, cum peccati mortalis naturam, & indolem universim comitetur, habet se veluti proprium quarti modi; ut proinde ex ejus inflictione recte arguatur formalis, & specifica diversitas legis, atque ipsius etiam peccati mortalis. E diverso reatus pœnæ temporalis est aliquid mere accidentale, nec conjunctum omni peccato mortali; unde ex ejus adjectione non potest colligi formalis, & specifica diversitas legis, vel unius peccati ab alio.

Dixi: *transmisso antecedente*. Nam licet lex humana propter adjectionem pœnæ temporalis a lege naturali non differat formaliter *sub ratione legis directivæ*, ob causam in responsione ad argumentum allatam; differt tamen ab ea *sub ratione legis pœnalis*; cum naturalis sit mere directiva, & solius pœnæ æternæ inflictiva; humana vero etiam pœnalis, & inflictiva pœnæ temporalis, adeoque habens diversum objectum: consequenter &c. Revide, quæ diximus *num.* 345.

Dices secundo. Esto lex naturalis, quatenus respicit peccatum mortale, censeri possit specifice differre a seipsa, in quantum respicit veniale, id tamen affirmari nequit de lege positiva, præsertim humana; ergo &c. Ant. prob. Nam ideo lex naturalis *non mœchaberis*, quatenus respicit consensum plenum & mortalem in objectum turpe, specifice differt a seipsa, ut respiciente consensum semiplenum, & venialem; quia consensus plenum in tale objectum petit ab intrinseco graviter prohiberi, & semiplenus leviter; aliter autem res se habet in materia indifferenti, & quoad legem positivam, ut patet; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. dist. maj. Et illa ratio est præcisa, seu unica, neg. secus, con. maj. Dist. etiam min. Aliter res se habet in materia indifferenti, id est, non militat ea ratio necessitatis, quæ in materia intrinsece mala, con. non militat alia ratio, videlicet conguitatis, & itidem cum voluntate Legislatoris sufficiens ad arguendam distinctionem specificam legis, neg. min. & cons. Etiam ratio congruitatis fundata v. g. in quantitate notabiliter majore, & in morali ho-

minum

minum æstimatione multum diversa; ut conjuncta cum voluntate Legislatoris, sufficit ad arguendam distinctionem specificam legis; qualis utique est materia per legem positivam graviter prohibita; comparative ad materiam leviter prohibitam. Addidi: *cum voluntate Legislatoris*; nam distinctio specifica legum in materia indifferenti efficienter, principaliter, ac ultimate dependet, & proficiscitur a voluntate Legislatoris, utpote in cujus arbitrio est (secundum dicta *num. præced.*) velitne in materia de se indifferenti ferre leges formaliter, vel materialiter solum diversas &c.

666. Colliges tertio, peccatum commissionis, & omissionis (1.) in genere physico quidem semper esse diversæ rationis; non autem (2.) in genere moris. Ita Mastrius *loc. cit. num.* 64. Abreu *num.* 303. & alii passim. Ratio primi est: quia sicut inter esse, & non esse, ita inter positivum, & privativum nulla datur convenientia physica, & entitativa: sed peccatum commissionis materialiter, physice, & in esse naturæ spectatum est quid positivum, nimirum actus positivus prohibitus; peccatum vero omissionis quid privativum, situm in privatione actus præcepti; ergo nullam habent convenientiam physicam, & consequenter in genere physico semper sunt diversæ rationis. Ratio secundi est: quia licet sæpe, non tamen semper in prædictis peccatis reperiuntur principia distinctionis specificæ moralis; ergo &c. Ant. ostenditur, & declaratur per exempla. Itaque

Specie distinguuntur inter se. 1. odium Dei, quod est peccatum commissionis, & omissio amoris Eidem debiti, quæ est peccatum omissionis: siquidem illud modo essentialiter diverso, & alio tendit in objectum, & contra virtutem Charitatis, cum Deo positive velit malum, quam ista, quæ Eidem præcise non vult bonum, quod velle deberet. 2. Hæresis, quæ est peccatum commissionis, & omissio credendi, orta v. g. ex ignorantia culpabili, quæ est peccatum omissionis: quoniam illa versatur circa objectum cognitum, & repugnat virtuti Fidei cum pertinacia discredentis; ista vero circa objectum ignoratum, & sine pertinacia non credentis: adeoque exercent modos tendendi in objectum & contra virtutem Fidei formaliter diversos. Si inferas, ex modo dictis sequi, quod etiam error contra Fidem, ex culpabili ignorantia ortus, distinguatur specie ab hæresi; cum ille similiter versetur circa objectum ignoratum, & repugnet virtuti Fidei absque pertinacia non credentis; ista vero circa objectum cognitum, & cum pertinacia discredentis. Respondetur, con. illatum ob dicenda *part.* 2. *n.* 94. & tantum abest, ut id nostræ doctrinæ obsit, ut eandem potius roboret, & confirmet: si enim duo peccata commissionis, qualia sunt error contra Fidem, ex culpabili ignorantia ortus, & hæresis, differant specie ob modos, quibus circa idem objectum versatur, eidemque virtuti opponuntur, formaliter diversos: quidni idem ob eandem rationem dicendum sit de peccatis commissionis, & omissionis, qualia sunt hæresis, & omissio, credendi &c. 3. Positiva hominis interemptio, quæ est peccatum commissionis, & permissio mortis ejus, quæ est peccatum omissionis; nam licet ambæ versentur circa idem objectum, eidemque virtuti Justitiæ (casu quo etiam permissio mortis lege Justitiæ vetatur) opponantur; modus tamen tendendi in objectum, & essendi contra virtutem est formaliter diversus: quia interemptio involvit violentem, non autem permissio mortis. Nec obstat illud celebre effatum S. Ambrosii: *si non pavisti, occidisti*, id est, si non pavisti esurientem, quando pascere tenebaris, eum occidisti moraliter loquendo; ergo non pascere, quod est peccatum omissionis, & occidere, quod est peccatum commissionis, sunt ejusdem speciei in genere moris. Non, inquam, obstat; nam explicatur, & dist. ant. Si non pavisti, occidisti causando eundem effectum physicum, qui est mors, con. causando eundem effectum moralem, subdist. eundem identitate generica, vel specifica subalterna, quatenus utroque modo peccatum mortale perpetrasti, con. eundem identitate specifica, eaque inferiori, vel atoma, quasi idem in tali specie peccatum perpetrasses, neg. ant. & conf.

E diverso specie non distinguuntur 1. actus studii, cujus causa omittitur die festo sacrum, & ipsa omissio sacri licet ille sit peccatum commissionis, quippe oppositum præcepto negativo non impediendi sacrum, & ista peccatum omissionis, oppositum præcepto affirmativo audiendi sacrum: partim quia non possunt distingui specie in aliquo genere, quæ in eodem genere non distinguuntur numero, cum distinctio specifica numericam in tali genere supponat; actus autem studii in genere moris non distinguitur numero ab omissione sacri, sed habet eandem numerice malitiam cum ipsa omissione; veluti insinuatum *num.* 645. & ostenditur *n.* 742. partim quia sunt contra idem specie, imo numero præceptum, quo præcipitur auditio sacri directe, & indirecte prohibetur id omne, quod auditionem sacri impedire potest; atque ex eodem motivo colendi Deum. 2. Commissio furti, quæ est peccatum commissionis contra præceptum negativum non furandi, & omissio restitutionis, quæ est peccatum omissionis contra præceptum affirmativum restituendi: siquidem & hæc peccata, quando versantur circa idem objectum, & voluntas peccandi moraliter non interrumpitur, ne quidem numero distinguuntur; cum intermissio restitutionis moraliter aliud non sit, quam continuata ejusdem rei alienæ ablatio. Quod si versentur circa diversas materias, & objecta inter se non connexa, vel circa idem, & voluntas peccandi moraliter interrumpatur, erunt quidem numero (ut videbimus *art. seq.*) non autem specie diversa; eo quod auferre alienum, & illud non reddere, adversentur eidem virtuti Justitiæ commutativæ, & secundum eandem rationem servandi æqualitatem inter jus unius, & debitum alterius, propter quam illa & prohibet auferre, & præcipit reddere alienum. Atque ita de aliis. Sed

Dices. Præceptum negativum obligat semper, & pro semper, affirmativum contra non obligat semper, & pro semper; ergo formaliter, & specie distinguuntur; ergo etiam peccata commissionis, & omissionis, illis opposita, ita distinguentur.

Respondetur, concesso antecedente, dist. primum conf. Si utrunque sit explicitum, latum ex diverso motivo proximo ejusdem, vel diversarum virtutum, con. si unum sit explicitum, alterum vero implicitum, & utrunque latum ex eodem motivo proximo, nego hanc conf. & dist. similiter alteram. Ergo etiam peccata commissionis, & omissionis, illis, priore modo se habentibus, opposita, ita distinguentur, con. illis, posteriore modo se habentibus, opposita, nego & istam conf. Præceptum affirmativum reddendi rem alienam ablatam implicite involvitur in præceptu. negativo explicito illam non auferendi, & utrunque obligat ex eodem motivo proximo Justitiæ commutativæ (cum ideo præcipiatur rei alienæ redditio, ne moraliter continuetur ejusdem ablatio) item præceptum negativum non studendi tempore, quo audiendum est sacrum, implicite continetur in præcepto affirmativo audiendi sacrum, & similiter utrunque obligat ex eodem motivo proximo Religionis (cum ideo tali tempore prohibeatur actus studii, ut poni possit auditio sacri) quod totum relinquitur ex proxime dictis: consequenter &c.

Remanet ergo, distinctionem specificam inter peccata commissionis, & omissionis petendam esse ex specifica diversitate objecti, & virtutis (vel modi, quo in illud, & contra hanc tendunt) ac præcepti: qualis diversitas si adsit, memorata peccata erunt specie distincta; secus, si absit.

ARTICULUS II.

Unde colligi possit distinctio numerica peccatorum?

SUMMARIUM.

667. Exponitur status quæstionis. 668. Pluralitas, sive distinctio numerica peccatorum colligitur ex pluralitate objectorum ejusdem rationis. 669. & seqq. Diluuntur argumenta contraria. 673. & seqq. Deducuntur corrollaria pro praxi. 676. Alterum principium colligendi distinctionem numericam peccatorum est voluntas peccandi moraliter interupta. 677. Quandonam voluntas peccandi censeatur moraliter interrumpi? 678. & seqq. Deducuntur rursus varia corollaria practica circa interruptionem, aut continuationem actuum.

667. PRænotandum, & supponendum, etiam hanc quæstionem non procedere de differentia numerica peccatorum physica, sive in genere entis, sed morali, sive in genere moris. Similiter non procedit quæstio de illa peccatorum numerica distinctione, quæ conjun-

conjuncta est cum distinctione specifica; quomodo blasphemia v. g. & perjurium dicuntur non esse unum numero peccatum: neque de illa, quæ habetur ratione subjecti, seu ipsius personæ operantis; ut quando intentio furandi, quæ reperitur in Petro, dicitur non esse idem numero peccatum cum intentione furandi, quæ reperitur in Paulo: sed solum de illa, quæ potest reperiri in eodem supposito, seu persona operante, & intra eandem peccati speciem. Status proinde quæstionis est, unde colligi possit, quod in uno vel pluribus physice actibus, ab eodem operante ponendis, aut positis sint plures malitiæ morales, seu peccata solo numero distincta? Hoc prænotato, & supposito.

668. Dico primo. Distinctio numerica peccatorum tam internorum, quam externorum recte colligitur ex objectis ejusdem rationis, circa quæ illa versantur, nullam inter se moralem unitatem, connexionem, aut subordinationem habentibus. Ita Azorius *lib.* 4. *c.* 4. *q.* 3. Filliucius *tr.* 21. *c.* 8. *n.* 19. Herincx *disp.* 5. *de Peccat. q.* 7. *n.* 53. nec conclusio difficultatem, aut Adversarios habet, si actus (vel omissiones) in quibus peccatum subjectatur, sint physice plures; secus, si non sint plures. Quare in hac posteriori tantum hypothesi eandem probarum ibimus: quo facto, etiam, & a fortiori, manebit probata in hypothesi priori. Itaque

Probatur. Idem physice actus, ad plura specie objecta terminatus, involvit plures specie malitias, seu peccata; prout relinquitur ex dictis *art. praeced.* ergo etiam idem physice actus, ad plura numero objecta terminatus, involvit plures numero malitias, seu peccata. Cons. prob. Quia malitias actus attenduur penes ordinem ad objectum rectæ rationi, & legi disconveniens; ergo sicut idcirco, plurificatis specie objectis, plurificantur specie peccata, ita etiam, plurificatis numero objectis, plurificabuntur numero peccata. Unde qui unico actu, & ictu vult occidere, vel reipsa occidit duos homines, duo formaliter peccata, & homicidia committit, quia singuli sunt materia integra homicidii, quorum quilibet jus habet in vitam, a jure, quod habet alter, numerice distinctum, & disparatum.

Si dicas, ex nostra probatione sequi, quod peccata etiam plurificentur numero ad plurificationem numericam præceptorum; sicut ad horum plurificationem specificam plurificantur specie.

Respondetur, ita omnino esse, si præcepta numero plurificentur formaliter: quod fieret, si per illa, ex motivis quidem similibus, numerice tamen diversis lata, plures numero obligationes imponerentur: ut si unus Superior ex uno, & alius ex alio motivo, non specifice, sed numerice diverso, suos subditos ad quipiam agendum, vel intermittendum obstringeret. Quia tamen isthic præcipiendi modus non est consuetus, nec præsumendus, nisi a Superioribus exprimatur, pro discernenda distinctione numerica peccatorum non bene recurritur ad distinctionem numericam præceptorum formalium, hoc ipso, quod ista non fit, nec statui possit universalis regula illius; cum præcepta dicto modo diversa forte nunquam, vel certe non nisi raro ferri consueverint; & ordinarie ferantur præcepta numero diversa materialiter solum, ex quorum diversitate argui non potest distinctio numerica peccatorum. Videatur La Croix *loc. cit. num.* 147. & *seq.* Aliud est de præceptis formaliter plurificatis quoad speciem, utpote quorum diversitas est valde frequens, fundata in diversitate objectorum formalium, sive motivorum ejusdem, vel distinctarum virtutum, vel denique in voluntate Legislatoris, subditis manifestari solita: prout liquet ex dictis *art. praeced.* consequenter &c.

Dixi in conclus. *nullam inter se moralem unitatem &c. habentibus.* Pro quo sciendum, quod aliquæ res (sive objecta) habeant unitatem moralem (esto physice plures sint) aliquæ non habeant, nec habere queant. Posterioris generis sunt, quæ non possunt se mutuo augere, & quæ nec suapte natura, nec communi hominum usu ad eundem finem referuntur; ideoque communiter non sunt invicem commutabiles, aut compensabiles, sed obtinent propias rationes completas, & disparatas: ut patet in exemplo supra adducto de homicidio; nam duorum jura, quæ singuli habent in suam vitam, non se mutuo augent, nec ordinantur ad unum jus, nec inter se commutantur, aut compensantur, sed quodlibet est in se completum, & disparatum, ac diversum ab altero. Idem cogita de juribus, quæ diversis hominibus competunt in suam famam, pecuniam &c. Prioris generis e diverso sunt, quæ possunt se mutuo augere, & vel suapte natura, vel communi hominum usu referuntur ad eundem finem, ideoque communiter invicem commutari, & compensari valent: cujusmodi sunt jura, quæ unus, idemque homo obtinet in suas pecunias, frumenta, pannos &c. nam sicut una pecunia (v. g. decem floreni) auget alia (v. g. decem aureos) unum frumentum aliud frumentum, unus pannus alium pannum, & omnia collective accepta divitias ejusdem hominis, ac referuntur ad eandem necessitatem vitæ sublevandam, suntque in commercio humano invicem commutabilia, & compensabilia, puta pecuniæ cum pecuniis, frumenta cum frumentis, panni cum pannis; vel etiam pecuniæ cum frumentis, & pannis, ac vicissim: ita & jura, quæ idem homo in illa obtinet, se mutuo augent, eundem finem respiciunt, invicem commutari, ac compensari possunt. Hæc regula (quam tradunt Dicastillo, & Haunoldus apud La Croix *loc. cit. num.* 151.) tenaciter memoriæ imprimenda est, cum ex ea plurimorum casuum resolutiones dependeant; prout partim in præsenti, partim alibi patebit.

669. Objicies nunc contra conclus. primo. Siquis alteri una, eademque ablatione surripiat duos aureos, committit unum numero peccatum: ergo etiam, qui uno ictu duos interficit homines, non perpetrat nisi unum numero peccatum: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia per similem ablationem læditur jus numero unum; cum jura, quæ dominio in singulos aureos competunt, moraliter coalescant, & unum jus totale constituant. E diverso per illam interfectionem læduntur duo numero jura, ita disparata, ut moraliter coalescere, & unum jus totale constituere nequeant. Id quod liquet ex proxime dictis, & docetur a P. Herincx *loc. cit. n.* 55.

Instabis. Ergo qui eadem ablatione surripit duos aureos, quorum unus ad Petrum v. g. & alter ad Paulum spectat, non committit duo numero peccata. Prob. illatum: quia jura illa, quæ Petrus, & Paulus obtinent in suos aureos, moraliter coalescunt, & constituunt unum jus totale, haud minus, ac jura, eidem domino in singulos aureos competentia.

Respondetur, neg. illatum una cum probat. & parit. Nam illa jura, si competant eidem domino, ideo moraliter coalescunt, & unum jus integrum constituunt; quia tunc aurei a se invicem augmentum capiunt, faciuntque dominum plus habentem, ac haberet, si unum duntaxat aureum haberet. Aliter sentiendum, quando hujusmodi jura insistunt diversis dominis: siquidem tunc unus aureus non sumit augmentum ab alio, nec aureus Petri Paulum, aut vicissim aureus Pauli Petrum ditiorem efficit; ita nec unum jus in tales aureos moraliter uniri cum altero potest, & jus quoddam integrum constituere. Id quod itidem ex dictis liquet.

670. Objicies secundo. Largiens uno actu eleemosynam duobus mendicis, non contrahit duas honestates Misericordiæ numero distinctas; ergo nec uno ictu interficiens duos homines contrahit duas malitias injustitiæ numero distinctas.

Respondetur, neg. ant. supposito, quod ambas honestates directe intendat. Ratio negandi est: quia ejusmodi eleemosynarius uno largitionis actu sublevat duos pauperes, distinctis numero miseriis pressos; ergo habet duo objecta, duasque facit eleemosynas, licet actus, quo facit, sit physice unus.

Dixi: *supposito, quod ambas honestates directe intendat.* Nam sicut ad contrahendam unam honestatem requiritur, ut ea directe intendatur, ita ad contrahendas duas requiritur, ut ambæ directe intendantur. Revide, quæ diximus *num.* 607.

Instabis. Ergo qui vult largiri eleemosynam infinitis mendicis, vel interficere infinitos homines, in eadem voluntate contrahit infinitas honestates, vel inhonestates.

Respondetur, con. illatum. Ratio concedendi est: quia talis, quantum est de se, efficaciter vult infinitorum pauperum miserias sublevare, vel infinitorum hominum jura violare. Nec obstat, si dicas: Talis non cognoscit infinitos mendicos, aut homines; ergo non potest velle, saltem efficaciter, infinitorum mendicorum

rum miserias sublevare, veli infinitorum hominum jura violare: consequenter &c. Nam contra est, dist. ant. Non cognoscit mendicos, aut homines infinitos categorin atice, con. infinitos syncategoromatice, subst. cognitione clara, con. coofusa, neg. ant. Cognitio confusa infinitorum mendicorum aut hominnm sufficit, ut quis efficaciter velit totidem miserias sublevare, aut totidem jura violare: consequenter, ut infinitas (syncategorematice) honestates, vel inhonestates in eadem voluntate contrahat. Unde neg. utraque conf.

Urgebis (Saltem illæ honestates, vel inhonestates non erunt formaliter infinitæ,

Respondetur, neg. assumptum (quidquid cum P. Mezger contra sentiat P. Babenstuber) Ratio neganda est: quia infinitas syncategorematica mendicorum, aut hominum formaliter, licet confuse, repræsentatur in intellectu volentis date eleemosynam, vel occidere prout *citt.* Authores ipsimet fatentur; ergo non apparet, quare honestates, vel inhonestates illæ dicantur infinitæ (infinitate syncategorematica) æquivalenter solum, & non formaliter. Videatur La Croix *loc. cit. num.* 154.

671. Objicies tertio. Siquis ono actua ioterimat integram familiam, in qua versantur multi homines, non committit, nisi unum numero peccatum, esto multorum hominum jura, quæ singulis in suam vitam competunt, violatum eat; ergo ex distinctione numerica objectorum non bene infertur, saltem universaliter, distinctio numerica peccatorum, sive malitiarum in eodem physice actu.

Respondetur, neg. ant. Sed committit tot numero peccata, quot homines io ea familia deguht, & degere oon ignorantur invincibiliter. Nec refert, quod familia fictione Juris censeatur una numero persona. Siquidem hæc unitas non tollit, nec tollere potest realem pluralitatem jurium, quæ singulis partibus, sive hominibus in suam vitam competunt, quæque in se completa, & ita disparata sunt, ut moraliter coalescere, & unum numero jus tale constituere nequeant: prout ex dictis patet.

Dices. Qui abigit integrum gregem ovium, non committit plura numero peccata; ergo neque qui integram familiam hominium e medio tollit.

Respondetur, dist. ant. Si omnes illæ oves spectent ad eundem dominum, con. si ad diversos, neg. ant. Nam si primum; jura eidem domino in singulas oves competentia, moraliter coalescunt in unum jus totale: si vero secundum; non ita coalescunt: sicut nec coalescunt jura, singulis hominibus, seu partibus familiæ coopetentia in suam vitam. Quæ omnia ex jam dictis constant. Unde neg. conf.

672. Objicies quarto. Concretum accidentale oon multiplicatur, nisi multiplicato subjecto prout ex Philosophia notum est: sed peccatum est concretum accidentale (scilicet morale; ergo non multiplicatur nisi multiplicato subjecto; ergo si subjectum, quale respectu peccati est actus liber, non multiplicetur, nec multiplicabitur peccatum.

Respondetur, dist. ultimum coos. Si non multiplicetur subjectum moraliter, con. physice, neg. cons. Actus ille est quidem unus physice, oon autem moraliter. Sed contra hoc

Instabis. Sive ille actus consideretur moraliter, sive physice, versatur circa idem objectum; ergo non apparet, quare dicatur physice unus, & non etiam moraliter.

Respondetur, dist. ant. Versatur circa idem physice objectum, con circa idem moraliter, neg. ant. & cons. Actus ille versatur circa idem objectum adæquatum quidem in genere physico, dispescibile tamen in plura objecta inadæquata in eodem genere, quorum quodlibet evadit adæquatum in genere moris; sicut patet de objectis in genere moris specie distinctis, utpote quæ & ipsa, relate ad actuo specie physica indistinctum, morali autem distinctum, fundaotur in eodem objecto adæquato, & pluribus inadæquatis quoad esse physicum. La Croix *loc. cit. num.* 155.

673. Colliges primo, Sacerdotem, qui uno voluntatis actu statuit omittere Breviarium per mensem, plura perpetrare peccata, tot scilicet, quot mensis numerat dies, unum vero, qui statuit omittere Breviarum uno die, licet integrum. Ita P. Babeostuber *tr.* 2. *disp.* 3. *artic.* 3. *numer.* 14. & alii apud ipsum. Ratio, & disparitas est: quia Officium Canonicom unius diei non ordinatur ad Officium alterius diei, nec habent inter se connexionem, & unitatem moralem, sed omnino completa, & disparata sunt, cum Ecclesia quodlibet sun diei affixerit: e diverso omnes Horæ Canonicæ unius diei inter se moraliter coalescunt, & singulæ tanquam partes constituont unum Officium integrum: consequenter in priore casu actus voluntatis, quo omissio decernitur, versatur circa plura, & distincta moraliter objecta; in posteriore vero circa unum. Unde etiam plura numero peccata committit, qui ono voluntatis actu statuit pluribus diebus violare præceptum jejunandi, audiendi Missam &c. Siquidem & talis actus plura, & distincta moraliter objecta respicit, ob rationem proxime allegatam.

674. Colliges secando. Si Petro detrahas uno actu in diversis materiis, diversa numero peccata committis: ut si ipsum proclames, & injustum, & impudicum. Ita La Croix *loc. cit. n.* 161. & alii apud ipsum. Ratio est: quia lædis duo numero jura, quorum unum Petro competit relate ad famam, quam possidet in puncto Justitiæ, & alterum relate ad famam quam possidet inpuncto Pudicitiæ: neque ea jura moraliter in unum jus totale coalescere queunt; cum sint in suo genere completa, & disparata, unoque violato, alterum adhuc integrum, salvumque maneat: siquidem Petrus adhuc audire potest, & esse perfectus sectator Justitiæ, tametsi a te proclamatus sit, & existat violator Pudicitiæ, ac vicissim.

675. Colliges tertio. Si detrahas Petro in ona quidem materia, dicendo v. g. ipsum esse furem, sed in præsentia plurium personarum id audientium, tot oumero peccata patras, quot personæ præsto sunt, & verba detractoria percipiunt. Author proxime *cit. n.* 162. Ratio est: quia & in hoc casu tot numero jura lædis, quot existunt personæ, apud quas Petro suam famam, & bonam existimationem tollis: quæ jura iidem inter se moraliter uniri nequeunt; sicut nec inter se moraliter uniri queunt ipsæ famæ, & bonæ existimationes, quas Petrus apud illas personas obtinet; cum una fama, & bona existimatio, quam obtinet apud Paulum v. g. non augeat, vel minuat alteram, quam obtinet apud Joannem, possitque una plene auferri apud unum, & altera integra remanere apud alterum.

676. Dico secundo. Distinctio numerica peccatorum tam in-quam externorum etiam recte colligitur ex morali interruptione, quæ in volontate peccantis contingit, etsi circa idem numero objectum contingat. P. Paulus Mezger *tr.* 6. *disp.* 19. *art.* 2. *num.* 3. Babenstuber *loc. cit. num.* 7. & alii reipsa communiter.

Probatur. Quia toties oumero plurificantur peccata, quoties destruitat moralis unitas eorum: sed hæc destruitur toties, quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur, etiamsi hæc interruptio fiat circa idem numero objectum; ergo &c. Major ex se patet. Min. ostenditur, & declaratur. Nam actus tam in-quam externi quoad suom esse morale in fieri, & conservari dependent a voluntate tanquam a principio moraliter effectivo; prout tradidimus *n.* 570. ergo illorum moralis unitas destruitur toties, quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur, & evadit alia in genere moris.

677. Ceterum voluntas peccandi generatim censetor moraliter interrumpi, quando ipsius actus nec in se formaliter, nec in aliquo effectu virtualiter, nec in prudenti hominum æstimatione moraliter perseverat: speciatim vero 1. Quando plures actus successive exercentur circa plura objecta complete, & totaliter distincta; ut si, postquam percussisti Petrum, percutias Paulum. Dixi: *successive* &c. Nam si actus (sive plures, sive unus physice) versentur simul circa ejusmodi objecta, voluntas jam tunc censetur moraliter multiplex; prout relinquitur ex dictis *n.* 668. 2. Quando actus voluntatis retractatur sive *formaliter*, sive *interpretative*. Priore modo retractatur, dum actus illi contrarius elicitur; ut si rem alienam auferas animo non restituendi, & postea concipias propositum restituendi. Posteriore modo retractatur, dum animus deliberate, & voluntariæ coovertitur ad aliquid cum actu antecedenter intento iocompossibile; ut si proposuisses hodie exire ad occidendum inimicum v. g. & memor hujus propositi, velles domi manere, cubitum concedere &c. Dixi: *deliberate*,

liberate, & *voluntarie*. Nam si animus indeliberate tantum, & involuntarie ab actu intento divertatur, puta per somnum naturaliter obrue̱ntem, vel per involuntariam distractionem ad alia, & statim reassumatur actus voluntatis non interrumpitur moraliter, esto interrumpatur physice: sicut in recitando Breviario v. g. prima intentio recitandi moraliter durat, esto involuntariis distractionibus physice interrumpatur. 3. Quando inter plures actus nullo voluntatis affectu antecedenter connexos tanta intercedit mora temporis, ut judicio prudentum discontinuari censeatur. 4. Quando actiones externæ, etiam subordinatæ, & dependentiam ex se habentes, per intentionem operantis separantur, & exercentur tanquam non subordinatæ. Nunc ex modo dictis, & pro majori eorum dilucidatione

678. Colliges primo, toties numero plurificari peccata, quoties versantur, etiam successive, circa plura objecta, complete, & totaliter distincta, etiamsi peccans intendat, & conetur illa inter se connectere, ac unire. Ratio est: quia hujusmodi objecta suapte natura inter se inunibilia sunt; ergo intentio, & conatus illa uniendi est implicatorius, & inefficax. Unde qui visa una virgine morose delectatur, & visa alia iterum sic delectatur, licet post modicissimum tempus, & durante eodem libidinis æstu, duo numero peccata perpetrat: quia delectationes circa plures feminas non possunt uniri per intentionem delectantis in morali unitate temporis, aut libidinosi affectus, impossibilitate, seu repugnantia se tenente ex parte objectorum. Similiter Sacerdos tot committit peccata, quot celebrat Missas in statu disgratiæ constitutus, quamvis eas celebret consequenter, & continue, ut in nocte, vel die Nativitatis Domini, quia revera qualibet celebratio Missæ est unum aliquod totale ministerium sine subordinatione, aut connexione ad aliud ex parte objecti, & manet tale, licet celebrans intendat, aut conetur illud cum alio unire in unitate ministerii, temporis &c. Ita cum communi P. Stoz *lib. 1. part. 3. num.* 568. & 584.

679. Colliges secundo, toties committi plura numero peccata, quoties voluntas peccandi, etiam circa idem objectum, retractatur sive (1.) formaliter, sive (2.) interpretative, & de novo iteratur, quamvis interruptio, quæ per alterutram retractationem contingit, minima sit, seu modicissimo tempore duret. Ita Pala. *tr.* 2. *disp.* 3. *pun.* 2. *n.* 2. Abreu *loc. cit. n.* 379. & 386. ac alii. Ratio primæ partis est: quia si actus voluntatis priore modo retractetur, & postmodum iteretur, iteratur moraliter exercitium libertatis contra legem Dei; ergo etiam peccatum. Unde si prior voluntatis actus non restituendi retractetur per propositum restituendi, & postea iteretur nolitio restituendi, peccatum duplicatur: quia jam omissio restitutionis non provenit a primo voluntatis actu, sed ab alio diverso. Ratio secundæ partis, seu si actus voluntatis posteriore modo retractetur, & postmodum iteretur, est eadem: siquidem & tunc iteratur exercitium libertatis contra legem Dei; ut patet consideranti; ergo similiter iteratur peccatum. Unde peccatum duplicas, si post conceptum propositum occidendi hodie inimicum te somno tradidisti, somnoque excusso iniquum propositum reassumas &c.

Dices. Illa interruptio, si fiat per retractationem voluntatis intra modicum temporis intervallum, non videtur esse moraliter discernibilis; ergo ex ea non videtur recte colligi distinctio peccatorum in genere moris.

Confirmatur. Licet voluntas in casibus positis interrumpatur physice, non tamen censetur interrumpi moraliter; ergo &c. Prob. ant. Interruptio physica, si sit parva, seu modico tempore durans, censetur moraliter nulla; ergo &c. Ant. ostenditur. Qui in die jejunii surgit a mensa meridiana, scribendæ brevis epistolæ causa, cum intentione non revertendi, nec amplius quidquam comedendi, & brevi post revertatur, ac comestionem repetat, non censetur moraliter interrumpere voluntatem comedendi, neque bis comedere; ergo idem dicendum in nostro casu, aliisque similibus.

Respondetur ad argum. neg. ant. Hoc ipso enim, quod quis voluntatem prius habitam deliberate, & voluntarie immutet, sufficienter advertit, & discernere potest, se nolle, quod antea volebat, iterumque velle, quod paulo ante nolebat. Nec refert, si forte ex postfacto se reflectere nequeat, quoties voluntatem interruperit: id enim est aliquid subsequens, & ad unitatem, vel multiplicationem peccatorum, utpote jam patratorum, mere per accidens se habet; cum idipsum contingere possit circa multiplicationem specificam peccatorum: neque plus evincit, quam talem excusari ab exprimendo in confessione numero determinato peccatorum, utpote qualem ignorat; & satisfacere, si explicet tempus, quo illi actus duravere.

Ad Confirmat. neg. similiter ant. Ad hujus prob. dist. ant. Censetur moraliter nulla, aliquando, con. semper, neg. ant. Ad alteram prob. concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est; nam ideo interruptio physica in casu jejunii non infert, seu annexam habet interruptionem moralem: quia Ecclesia suo præcepto tantum adstringit ad non sumendum binam refectionem; ille autem non sumit binam refectionem, cum mora temporis tam modica, qua a mensa abest, juxta mentem ipsius Ecclesiæ, & communem hominum æstimationem non obsit, quin comestio subsequens cum antecedente moraliter connectatur, & unam numero cœnam constituat. E diverso in nostro casu interruptio physica post se etiam moralem trahit; eo quod per primam actus positionem lex jam sit semel violata, & consequenter si actus repetatur, iterum violetur, novumque committatur peccatum, cum novum (esto intra modicam temporis moram) fiat exercitium libertatis contra legem. P. Herincx *disp.* 5. *de Peccat. n.* 59.

680. Colliges tertio. Ut actus physice interruptus, censeatur etiam interruptus moraliter, non sufficit quæcunque modica temporis mora, extra casum, quo voluntas formaliter, vel interpretative retractatur. Ratio est: quia mora temporis, ad moralem actuum interruptionem sufficiens metienda est judicio prudentum, nisi cognosci aliunde possit: atqui prudentes judicant, quod ad illa non sufficiat quæcunque, ut ut modica, temporis mora; ergo si id aliunde cognosci non possit (uti non potest extra casum, quo voluntas formaliter, vel interpretative retractatur) judicandum est, quod non sufficiat; & consequenter quod requiratur mora moraliter notabilis, inter illos ipsos actus intercedens. Babenstuber *loc. cit. n.* 9. Unde, si uno concupiscentiæ calore, & impetu agitatus, in eadem objecti mali cogitatione per modicam temporis moram persistas, & actum concupiscentiæ, seu morosæ delectationis repetas, unum numero peccatum committis: si vero alio calore agitatus concupiscas, vel mora tam longa intercedat, ut primus temporis lapsu, rerumque mutationibus refrigescat; imo suapte natura velut evanescat, atque adeo a prudentibus judicetur non amplius adesse dicta persistentia, novum, & distinctum peccatum committis, quando actum concupiscentiæ repetis: quia in priore casu actus voluntatis virtualiter persèverat, & reputatur moraliter unus, partim ob unitatem objecti, partim ob unitatem caloris, seu motus, partim ob unitatem temporis: in posteriore autem geminatur, sive duplicatur ob duplicationem motus, & disjunctionem, sive duplicationem temporis, esto objectum maneat unum, & idem; nam hujus solius unitas non sufficit ad conservandam unitatem actus. Similiter (ut exemplum de actu quoque externo adducamus) si uno, eodemque iracundiæ impetu agitatus, plures contumelias in unum, eundemque hominem, intra modicam temporis moram, conjicias, ipsum sæpius percutias; vel uno, eodemque libidinis æstu jactatus, eandem puellam sæpius osculeris, tangas &c. censetur unum moraliter peccatum contumeliæ, percussionis, osculi, tactus: plura autem, si ex alio iracundiæ, aut libidinis motu, vel post longam temporis moram, actus prædictos repetas: siquidem & tunc in priore casu actus moraliter uniuntur ob causas proxime allegatas; non item in posteriore.

Dices. In casu, quo quis, alio concupiscentiæ, aut iræ impetu concitatus, actum desiderii, contumeliæ &c. repetit, censetur adhuc in priori voluntate saltem habitualiter permanere, quatenus eandem non retractat; ergo ob unitatem voluntatis, cum unitate objecti, & temporis conjunctam, desiderium, contumelia &c. etiam hoc casu non erit nisi unum numero peccatum.

Respondetur, neg. cons. & suppositum, quod habitualis illa permanentia in priore voluntate sufficiat ad unitatem peccati conservandam; alias, qui primo anni die habuisset voluntatem furandi v. g. eamque, toto

tempore

tempore intermedio non retractatam, executioni mandasset ultimo die ejusdem anni, unum numero peccatum commisisset: quod procul est a prudentum judicio, & veritate; cum moraliter non possit fieri, quin primus voluntatis actus tanto temporis intervallo immutetur, & evadat alius in genere moris.

681. Colliges quarto, plura numero peccata committi ab eo, qui actiones externas, quamvis de se subordinatas, per intentionem seperat, & non exercet tanquam subordinatas: ut si 1. tactus, & oscula frequenter absque intentione copulæ postmodum exercendæ: sunt enim adhuc distincta peccata, & specialiter in confessione (quidquid contra sentiat P. Abreu *loc. citat. n.* 386.) explicanda, etsi postea sequatur copula. 2. Si alterum graviter percutiat sine animo occidendi: siquidem & hæc percussio distinctum est peccatum, tametsi postea ex nova voluntate occidat. 3. Si auferat aliquot libros ex bibliotheca sine intentione plures, aut integram bibliothecam auferendi; nam illa ablatio erit itidem distinctum peccatum ab ablatione, qua postmodum, licet eodem temporis tractu, auferuntur alii libri. Et sic de aliis. Ratio horum omnium est: quia voluntas peccandi mortaliter interrumpitur, estque alia, & alia in genere moris. Ita P. Stoz *loc. cit. num.* 586. & alii communiter. Nec refert, quod præfatæ actiones, aliæque similes de se sint subordinatæ, vel potius subordinabiles: siquidem reipsa non subordinantur, nec uniuntur moraliter, nisi accedat intentio, per quam uniantur. Si dicas. Actiones non subordinatæ, quales sunt plures copulæ, plura homicidia &c. non possunt per intentionem operantis uniri, & exerceri tanquam moraliter una; prout animadversum est supra *n.* 669. ergo a contrario neque actiones subordinatæ possunt disjungi, & exerceri tanquam moraliter plures. Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia actiones prioris generis habent repugnantiam ad unibilitatem ex parte objecti; contra actiones posterioris generis non habent similem repugnantiam ad separabilitatem, sed præcise aptitudinem, & indifferentiam ad unibilitatem, & separabilitatem; ut proinde sit positum in arbitrio, & potestate hominis velitne illas exercere cum subordinatione, vel separatione. Si eas cum separatione exerceat, peccata plurificat; ut patet ex dictis: secus, si cum subordinatione. Unde qui frequentat tactus, & oscula cum intentione brevi post exercendi copulam, & hanc reipsa exercet, unum numero peccatum committere censetur, & satisfacit in confessione, dicendo, quod habuerit copulam, tametsi actus illos antecedentes non exprimat: cum enim sint ordinariæ dispositiones ad copulam tanquam actum finalem, & principalem, sufficienter a Confessario intelliguntur, quando actus, cui per intentionem operantis subordinabantur, debite explicatur. Idem est in aliis exemplis supra relatis.

CAPUT III.
De Peccato Mortali, & Veniali.

ARTICULUS I.

De peccati tam mortalis, quam venialis natura, varietate, & differentia.

SUMMARIUM.

682. *Quid, & quotuplex sit peccatum mortale?* 683. *quid, & quotuplex veniale?* 684. *Quænam sint inter utrumque differentiæ?* 685. *Unde utrumque dignosci possit?*

682. Dico primo. Peccatum mortale (secundum dicta *num.* 653.) est, quod animam peccatoris vita spirituali, seu habitu gratiæ, & charitatis privat, ac pœnæ æternæ ream constituit. Estque duplex; nam aliud dicitur mortale *ex genere suo* (genus impræsentiarum idem sonat, ac species) aliud *ex accidente*. Mortale ex genere suo dicitur, quando actus (vel omissio) secundum rationem suam specificam, quam habuerit ex objecto, sive materia propria, seclusa alterius speciei malitia, est, vel esse potest graviter offensivus Dei: vocaturque a P. La Croix *loc. citat. num.* 119. mortale *ex toto suo genere*, si materiæ parvitatem respuat; si vero hanc admittat, mortale *ex suo genere simpliciter, & communiter*. Quænam autem peccata respuant, vel admittant parvitatem materiæ, dicemus *art.* proxime secuturo. Mortale ex accidente dicitur, quando actus, secundum se, & ex suo objecto indifferens, aut venialis, per accidens, seu ob aliquam circumstantiam evadit mortalis, & graviter offensivus Dei: de quo *in art.* 3.

683. Dico secundo. Peccatum veniale itidem secundum dicta *n.* 653.) est, quod in anima peccatoris fervorem charitatis solum diminuit, eamque pœnæ duntaxat temporali obnoxiam reddit. Estque similiter duplex, videlicet *ex genere suo*, & *ex accidente*. Veniale ex genere suo dicitur, quando actus, spectatus ex parte objecti, circa quod versatur, non est nisi leviter offensivus Dei: cujusmodi sunt verbum otiosum, mendacium jocosum &c. Veniale ex accidente dicitur, quando actus, de se, & ex objecto mortalis, evadit venialis, & leviter tantum offensivus; sive dein id contingat ob parvitatem materiæ, sive ob defectum sufficientis deliberationis, & advertentiæ: ut si edas buccellam panis in die jejunii: si subita percitus ira proximum graviter percutias &c.

684. Dico tertio. Peccatum mortale, & veniale differunt præcipue in sequentibus. 1. Mortale destruit habitum gratiæ sanctificantis; non autem veniale. 2. Mortale hominem simpliciter avertit a Deo, & rationem finis ultimi constituit in creatura; secus veniale. 3. Mortale infert animæ peccatoris mortem spiritualem (juxta illud *Sap. capit.* 16. *Homo per malitiam occidit animam*) non item veniale. 4. Mortale causat reatum pœnæ æternæ; veniale vero reatum pœnæ temporalis tantum. Hæ sunt potiores differentiæ, ex quibus saltem a posteriori colligimur, qualiter peccatum mortale, & veniale discrepent. Videri potest P. Sporer *tr.* 1. *cap.* 5. *sect.* 1. *num.* 5. *& seqq.* Porro peccatum mortale, & veniale (sive sint talia ex suo quovis genere sive ex accidente) differre etiam a priori, & specie essentiali, ostensum est *n.* 665.

685. Quæres, quænam sint indicia dignoscendi, sitne peccatum aliquod mortale, vel veniale?

Respondetur, esse præcipue quatuor. Primum est modus loquendi, quo utitur S. Scriptura. Nam quotiescunque peccatum aliquod in S. Literis nominatur execrandum, abominabile, Deo exosum, morte æterna (vel etiam temporali) dignum, e cælo exclusivum, vel cui adjungitur particula comminatoria *væ*. pro mortali habendum est: pro veniali autem, quando ejusmodi epithetis non afficitur. Secundum indicium est traditio Ecclesiæ, & communis DD. sensus. Nam peccatum, quod ex traditione Ecclesiæ, & communi DD. judicio censetur mortale, vel veniale, merito reputatur mortale, vel veniale, etsi ratio non cuilibet passim appareat; prout frequenter evenit: siquidem multorum peccatorum malitia est adeo tecta, ut ratione deprehendi, & perspici non possit nisi a Viris valde doctis, & illuminatis. Quis etiam existimaret, in pollutione tanquam excrementi profusione tantam inesse malitiam, nisi eam inesse unanimiter judicarent DD. & ipsa quoque S. Scriptura asseveraret, dum molles regnum Dei non possessuros pronunciat. Tertium indicium est qualitas materiæ. Hæc quippe si gravis sit (sive materialiter, & ex objecto, sive formaliter, & ex circumstantiis) lex, vel præceptum obligat graviter, & sub mortale (regulariter, & nisi oppositum constet de mente Legislatoris) leviter vero, & sub veniali, si illa sit levis. Revide, quæ diximus *n.* 374. Quartum indicium est qualitas deliberationis, & advertentiæ (supposita scilicet gravi obligatione levis) Si enim deliberatio, & advertentia sit perfecta, & plena, id est, cum pleno rationis usu conjuncta, peccatum censetur mortale; veniale contra, si illa sit imperfecta, & semiplena, seu pleno rationis usu destituta, qualis solet esse in semidormientibus, semiebriis, vehementi passione turbatis &c. idem cogita, & applica de qualitate consensus, deliberationem, & advertentiam consequentis. Sporer *loc. cit. num.* 8. Babenstuber *tract.* 2. *disp.* 3. *art.* 4. *n.* 11. & alii passim.

ARTICULUS II.

An, & quomodo peccatum mortale possit fieri veniale?

SUMMARIUM.

686. *Quanam ad peccatum mortale requirantur?* 687. *Sæpe fit veniale ob imperfectionem actus.* 688. *&* 689. *Solvuntur duæ objectiones.* 690. *Specificantur signa semiplenæ deliberationis, & imperfecti consensus.* 691. *Qui deliberat, velitne in peccatum mortale consentire, nec ne? mortaliter peccat per se loquendo.* 692. *Peccatum mortale redditur etiam veniale ob parvitatem materiæ.* 693. *Assignatur regula dignoscendi, in quibus peccatis detur, vel non detur parvitas materiæ.*

686. PRænotandum, ad peccatum mortale tria requisiti. Primum ex parte intellectus est plena advertentiam malitiæ, & perfecta deliberatio. Alterum ex parte voluntatis est perfectus consensus. Ratio utriusque hujus requisiti est: quia non videtur credibile, quod Deus, cujus natura bonitas, homini adeo graviter ad culpam imputet actum malum, plena deliberatione, advertentia, & libertate destitutum, ut illum propterea æternis addicere suppliciis velit. Tertium requisitum est gravitas materiæ. Ratio est: quia si materia sit levis momenti tam absolute, & secundum se, quam respective, & in ordine ad finem a Legislatore intentum, lex, vel præceptum non obligat; imo nec obligare potest sub gravi culpa (prout relinquitur ex dictis *n.* 367.) & consequenter actus, contra eam in tali materia gestus, non est, nec esse potest, per se loquendo, graviter peccaminosus. Hoc præmisso, & supposito,

687. Dico primo. Peccatum ex genere suo mortale sæpe fit veniale ob imperfectionem actus, videlicet deliberationis, seu advertentiæ, & consensus. DD. communissime.

Probatur siquidem plena advertentia, seu deliberatio, & perfectus consensus necessario requiruntur ad peccatum mortale; prout constat ex dictis *in prænot.* ergo si absint, peccatum mortale committi non potest, sed veniale tantum, ad quod sufficit deliberatio, seu advertentia semiplena, & consensus imperfectus: consequenter &c.

Confirmatur. Qui ad malitiam objecti, circa quod operatur, nullo modo advertit, in eam nullo modo libere consentit (cum volitio, seu consensus necessario præsupponat cogitationem, & advertentiam) consequenter nullo modo peccat (quoniam ratio peccati fundatur in libero consensu) ergo qui ad malitiam objecti, ut ut de se gravem, advertit semiplene tantum, in eam non consentit nisi imperfecte (cum volitio, & consensus sequatur etiam modum cognitionis, & advertentiæ) consequenter non peccat nisi imperfecte, & venialiter &c.

688. Objicies primo. Semiplena advertentia, & imperfectus consensus in malitiam objecti levem, non excusant a peccato veniali; ergo nec semiplena advertentia, & imperfectus consensus in malitiam objecti gravem, excusant a peccato mortali: consequenter &c.

Respondetur concesso antecedente (quod scilicet non excusent a peccato veniali simpliciter, esto gradualem ejus perfectionem diminuant) neg. cons. & parit. Disparitas est: quia quotiescunque aliquid fit ab homine viatore contra legem Dei cum aliqua rationis advertentia ad malitiam objecti, ut ut levem, & consensu in eam, est peccatum veniale; cum illi nihil desit ex requisitis ad rationem talis peccati: atqui in casu antecedentis fit aliquid ab homine viatore contra legem Dei cum simili advertentia, & consensu; ergo est peccatum veniale. E diverso non omne, quod fit ab homine viatore contra legem Dei cum aliqua rationis advertentia, & consensu in malitiam objecti gravem, est peccatum mortale: cum illi deesse possint requisita ad rationem talis peccati, qualia secundum dicta *in prænot.* sunt plena advertentia ad gravitatem malitiæ, & perfectus consensus in eam. Quare (ut objectam difficultatem particularius tangam, & penitus enodem) particulæ *semiplena*, & *imperfectus* in antecedente accipiuntur solum cum diminutione, ita ut gradus semiplenæ advertentiæ, & imperfecti consensus (& consequenter etiam gradus peccati venialis) intra suam cujusvis lineam extenuent; non autem cum distractione, ut simpliciter tollant: in consequente autem accipiuntur cum distractione, & plenam advertentiam, ac perfectum consensum, in sua quenque linea, simpliciter tollunt, solumque relinquunt advertentiam, & consensum in alia linea, advertentiæ scilicet semiplenæ, & consensus imperfecti. Ex quo perspicere licet, argumentum, ut paritas in eo assumpta teneat, sic formandum esse. Semiplena advertentia (idem cogita de consensu) ad malitiam objecti levem, non excusat a peccato veniali; ergo nec advertentia magis, vel minus plena ad malitiam objecti gravem, excusat a peccato mortali. Sic enim utrobique sistitur intra lineam cum sola diminutione advertentiæ, ita ut semiplena advertentia gradualiter extenuetur in sua linea, & plena advertentia in sua. Atque ad argumentum sic formatum concedimus parit. & totum: sicut enim advertentia semiplena in sua linea, ita & plena in sua perfectionem gradualem habet, potestque esse magis, vel minus plena, quin a mortali excuset.

689. Objicies secundo. Qui potest vitare peccatum secundum se grave, & non vitat, graviter peccat: sed homo operans cum semiplena advertentia, & imperfecto consensu potest vitare peccatum secundum se grave; alias illud non vitando ne quidem venialiter peccaret; ergo si non vitat, graviter peccat &c.

Respondetur, dist. maj. Graviter peccat, si gravitatem peccati, seu malitiæ objectivæ plene advertat, & in eam perfecte consentiat, conc. secus, neg. maj. & omissa minore, dist. similiter cons. Graviter peccat supposita plena advertentia ad malitiam objectivam, & perfecto consensu in eam, con. secus, neg. cons. Hæc nanque advertentia, & consensus si absint, objectum, ut ut de se graviter prohibitum, malitiam formalem mortalem refundere in actum operantis nequit.

Quæres primo, quænam sint signa semiplenæ deliberationis, seu advertentiæ, & imperfecti consensus?

690. Respondetur. Signa semiplenæ deliberationis, seu advertentiæ sunt. 1. Si quis malitiam peccati tenuiter, & veluti obiter tantum apprehenderit: prout præsumi potest de pueris maxime necdum septennibus, & hominibus adultis valde simplicibus: item de illis, qui ex postfacto dubitant, an somnum, v. g. aut ebrietatem plene discusserint, quando operati sunt. 2. Si quis, ubi rem melius considerat, judicet, se illam non fuisse facturum, si ita perpendisset. 3. Si quis vehementi passione, apprehensione, vel distractione turbatus fuerit, ita ut fere nesciverit, quid ageret. Signa imperfecti consensus sunt in primis eadem, quæ semiplenæ deliberationis, seu advertentiæ, hactenus recensita; eo quod diminuta, vel potius distracta deliberatione, seu advertentia, consequenter diminuatur & consensus. 2. ac quasi specialiter. Si quis animum obfirmavit efficaci, & iterato proposito nunquam peccandi mortaliter, talis enim in dubio, num plene, vel semiplene tantum consenserit? recte præsumit, se posteriori duntaxat modo consensisse; eo quod illa, quæ valde, & sæpe detestari suimus facile cum certitudine cognoscamus, quando ea amplectimur voluntate plene deliberata. 3. Si quis ita dispositus fuerit, ut licet peccatum facile exequi potuisset, non tamen sit executus: quia & talis præsumere potest, se non plene consensisse; nam si voluntas exequendi fuisset plene deliberata, non fuisset facile, & quasi inadvertenter immutata. 4. Si dubitans de pleno consensu sit homo conscientiæ timoratæ, suæque salutis perquam studiosus; secus, si sit homo conscientiæ plus æquo laxæ, & suæ salutis incurius; nam pro priore stat præsumptio de non præbito consensu pleno: non item pro posteriore; unde ille potest prudenter credere, quod semiplene tantum, vel omnino non consenserit, secus iste. Ita Busembaum *lib.* 5. *n.* 215. Sporer *loc. cit. n.* 8. Babenstuber *n.* 19.

691. Quæres secundo, quomodo peccet, qui deliberat, velitne in peccatum mortale consentire, nec ne?

Respondetur, quod peccet mortaliter per se loquendo, & nisi ob defectum sufficientis advertentiæ a mortali excusetur. Ratio est: tum quia ita deliberans, & in æquilibrio pendens, appretiative non magis afficitur erga Deum, quam erga peccatum: tum quia se exponit proximo periculo labendi in peccatum illud mortale, circa cujus commissionem, ac comissionem deliberat, & suspensus hæret; ergo mortaliter peccat, eodemque specie peccato, cujus committendi periculo se exponit.

ponit. Ita cum Sanchezio Herincx *dif.7. de Peccat. n.42.*

692. Dico secundo. Peccatum ex suo genere mortale redditur etiam veniale ob parvitatem materiæ. Ita denuo DD. communissime.

Probatur. Quia circa materiam omnimode (id est, tam materialiter, & absolute, quam formaliter, & respective) levem non datur, nec dari potest lex graviter obligans; prout ostensum est *n.* 376. ergo nec ejus transgressio potest esse gravis, sive mortalis: consequenter &c. Quando autem materia, & quænam censeatur gravis, quænam levis, declaratum est *n.* 375. Revide. Impræsentiarum autem

693. Quæres, in quibus peccatis detur parvitas materiæ, & in quibus non?

Respondetur primo, in illis peccatis non dari parvitatem materiæ, per quæ immediate, & directe imputatur Deo imperfectio, aut defectus perfectionis; vel quorum materia, nisi in omni casu esset gravis, genus humanum ad peccandum maxime alliceret cum maximo damno ejusdem; vel quorum malitia in quacunque materia æqualiter præjudicat fini a lege sub gravi culpa intento; vel per quæ læditur bonum aliquod finitum magnum, consistens in indivisibili. Hanc regulam, quam si non necessitatis, saltem majoris claritatis ergo quadrimembrem statuo, collegi, & congessi ex Illsung *tr. 2, disp. 2, art. 2, n. 9.* Sporer *loc. cit. n.* 14. La Croix *n.* 200. Babenstuber *n.*18. quamvis ipsis non nisi bimembrem, vel trimembrem assignent. Juverit rem exemplis declarare. Itaque

Ex primo capite, & membro regulæ non datur parvitas materiæ. 1. *In infidelitate*: quia negans vel minimam veritatem divinitus revelatam, Deo directe tribuit defectum veracitatis infinitæ. 2. *In desperatione, & præsumptione*; nam desperans Deo directe tribuit defectum infinitæ bonitatis, & potentiæ: præsumens vero defectum Justitiæ, quasi peccatum non esset puniturus, aut justo languidius, vel defectum Misericordiæ, quasi hac esset aliter usurus, ac per suam providentiam ordinaverit. 3. *In odio Dei*; nam odiens Deum, tribuit ei defectum infinitæ amabilitatis. 4. *In formali contemptu Dei*: quia per hunc tribuitur Deo aliqua imperfectio, seu vilitas, ob quam sit dignus contemni. 5. *In perjurio assertorio*, utpote per quod tribuitur Deo fallacitas testimonii. Unde recte connexa est ab Innocentio XI. hæc propositio *ord.* 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* 6. *In blasphemia*: quia per hanc tribuitur Deo aliqua vituperabilitas &c. Ita Sporer *loc. cit. a n.* 15. & alii passim.

Ex secundo capite non datur parvitas materiæ in *peccato luxuriæ*, seu re venerea extra matrimonium, ita ut non tantum copula, aut quæcunque voluntaria seminis effusio, sed etiam minima delectatio libidinosa, plene deliberate quæsita, vel acceptata, sit peccatum mortale; quia materia hujus peccati, nisi in omni casu esset graviter prohibita, genus humanum ad peccandum maxime alliceret; idque tum propter maximam proclivitatem appetitus sensitivi in hujus generis delectationes, tum propter ipsam naturam libidinosæ delectationis, quæ tantam cum sensu habet sympathiam, ut summum sit semper periculum, ne homo vel minima admissa progrediatur ad majorem. Unde Alexander VII. anno 1666. merito damnavit hanc propositionem *ord.* 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis:* Babenstuber *loc. cit. n.* 21. estque de facto sententia omnino certa.

Dices nihilominus. Potest quis velle delectationem carnalem parvam cum efficaci proposito non consentiendi in magnam; ergo in tali casu non illico censendus est mortaliter peccare.

Respondetur, neg. ant. Sicut enim qui vult accendere unum granum pulveris pyrii, nequit habere efficacem voluntatem non accedendi reliqua grana contigua; ita qui admittit unam delectationem libidinosam, nequit habere efficacem voluntatem non consentiendi in aliam, etiam magnam, ob rationem proxime allegatam: prout bene notat, & exemplificat La Croix *n.* 102.

Ex tertio capite non datur parvitas materiæ. 1. in violatione jejunii naturalis ante sumptionem S. Eucharistiæ: quia violatio hujus jejunii in quacunque mate-

ria æqualiter opponitur fini legis (qui est, *ne cælesti & spirituali cibo terrestris præponatur*) tunc graviter prohibendis quamcunque comestionem, & potationem. 2. *In fractione sigilli Sacramentalis*; siquidem & hæc, in quacunque materia fiat, æqualiter præjudicat fini legis (qui est, *ne Sacramentum Pænitentiæ reddatur odiosum*) gravissime vetantis non solum revelationem peccatorum mortalium, sed etiam venialium, defectuum naturalium saltem occultorum &c. de quo suo loco. Augustinus Michel *tr. 3. q. 3. §. 3. n.* 13.

Ex quarto capite non datur parvitas materiæ *in homicidio*: quia per hujus commissionem destruitur vita hominis, quæ est bonum finitum magnum, consistens in indivisibili. Idem videtur sentiendum *de mutilatione* (saltem prout hæc intelligitur in Jure) per quam pessundatur in homine integritas unius, vel plurium membrorum, itidem (saltem juridice accepta) in indivisibili consistens. Sporer *loc. cit. n.* 17.

Respondetur secundo. Datur contra parvitas materiæ in aliis peccatis, in quibus nullum ex quatuor regulæ supra statutæ membris reperitur: ut 1. *In violatione juramenti promissorii, & voti.* 2. *In sacrilegio tam reali* (saltem aliquando) quam *locali*. Dixi: tamen *in sacrilegio reali &c.* secus enim est de sacrilegio carnali, & maxime de solicitatione ad turpia facta in Confessionali: si enim in re venerea secundum se non detur parvitas materiæ quemadmodum non datur ex supra dictis, minus dabitur, si superaddatur malitia sacrilegii. Sporer *n.* 16. Dixi præterea: *saltem aliquando*. Nam in permultis sacrilegiis, etsi realibus tantum, parvitas materiæ locum non habet; ut in irritatione Sacramentorum; in Simonia saltem Juris Divini, & naturalis; in fractione sigilli Sacramentalis; in violatione jejunii naturalis ante sumptionem S. Eucharistiæ &c. prout constat partim ex supra dictis, partim constabit ex alibi dicendis. 3. *In odio proximi* non tantum abominationis, sed etiam inimicitiæ: prout videbimus *par. 2. n.* 206. 4. In furto; detractatione, contumelia, vulneratione proximi, & aliis peccatis contra Justitiam (homicidio, & mutilatione jam supra exceptis) prout itidem videbimus alibi, sive in propriis locis. Ratio horum omnium, & aliorum similium jam insinuata est in ipsa responsione: quia regula, supra assignata, neque tota, neque secundum aliquod sui membrum applicari potest peccatis modo recensitis, & similibus; quemadmodum consideranti patebit.

Dices. Per violationem juramenti promissorii, & voti; item per sacrilegium, irrogatur Deo specialis irreverentia; ergo in illis non videtur habere locum parvitas materiæ ex primo membro regulæ supra statutæ.

Respondetur, neg. cons. Nam licet per prædicta peccata irrogetur Deo specialis irreverentia, prout bene assumitur in antecedente; non tamen Eidem per illa tribuitur aliqua imperfectio, vel carentia perfectionis; sed tantum non præstantur ea, ad quæ præstanda Dei perfectio commovere deberet: ut sunt executio operis juramento, vel voto promissi, & exhibitio reverentiæ rei sacræ, vel loco sacro debitæ. Babenstuber *loc. cit. n.* 20.

ARTICULUS III.

An, & quomodo peccatum veniale fiat mortale?

SUMMARIUM.

694. *Peccatum veniale potest esse dispositio ad mortale.* 695. *Nunquam tamen potest fieri mortale ratione solius numeri.* 696. *Proponitur, & solvitur objectio.* 697. Peccatum ex genere suo veniale evadere mortale potest *ratione finis, ratione nimii affectus in rem aliquam, ratione contemptus, ratione periculi, & ratione scandali.* 698. *Peccatum ex contemptu male confunditur cum peccato ex consuetudine, aut ex malitia: uti & cum peccato formalis inobedientia.* 699. *Non peccat mortaliter per se loquendo, qui habet propositum committendi omnia peccata venialia, & sola mortalia vitandi.*

694. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, quod peccatum veniale possit esse dispositio ad mortale. Ita S. Thomas 1. 2. *q.* 88. *art.* 3. & alii communissime. Patet tum experientia, qua condocemur, eos, qui venialia venialibus cumulant, sensim declinare in mortalia: tum authoritate; quia *Eccles.* 19. habetur: *Qui spernit modica, paulatim decidet*,

id est, in mortalia cadet: tum ratione; siquidem peccatum veniale minuit fervorem charitatis, & abundantiam divinorum auxiliorum; consequenter si frequentetur, vires hominis justi, ad resistendum tentationibus necessaria, debilitat: quod est disponere ad mortalia. Nunc

695. Dico primo. Peccatum veniale nunquam fit mortale ratione solius numeri; id est, peccata venialia, quantumcunque multiplicentur, non ascendunt ad malitiam peccati mortalis, Ita Scotus *in 3. distin.* 38. *q.* 1, cum communi,

Probatur ex Conc, Trid. *Sess.* 14. *c.* 5. ubi diserte, & dogmatice tradit, quod per peccata venialia, licet frequentata, non excludamur a gratia Dei; a qua tamen excludimur per peccatum mortale; ergo &c.

Confirmatur. Finiti ad infinitum nulla est proportio, seu finitum, quantumcunque multiplicetur, nunquam adæquat infinitum: sed peccatum veniale est malitiæ solum finitæ, mortale autem malitiæ quodammodo infinitæ; cum hoc simpliciter avertat a Deo ceu infinito bono, & promereatur pœnam sine fine duraturam, non autem illud; ergo &c.

696 Objicies. Qui sæpius per minuta furta peccat venialiter, tandem perveniendo ad gravem materiam etiam peccat mortaliter; ergo ex pluribus minutis, & venialibus peccatis tandem integrari, & resultare potest peccatum magnum, seu mortale.

Respondetur, neg. cons. Nam quando per minuta furta pervenitur ad notabilem, & gravem quantitatem materiæ, non peccatur mortaliter hoc sensu, quasi ex pluribus furtis venialibus tanquam partibus integrantibus, confletur, & fiat unum furtum mortale; sed quia fur peccat mortaliter per ultimum furtum, utpote cujus materia est gravis non quidem secundum se, & absolute spectata, sed ut connotat, & respicit materias furtorum præcedentium, quibuscum coalescit, & a fure ante ultimum furtum (prout supponendum) coalescere animadvertitur; quemadmodum suo loco explicatius dicturi sumus. Ex quo patet, hoc argumento non impeti conclusionem nostram, cum eo non probetur, quod peccatum veniale *ratione solius numeri* evadat mortale; sed solum quod peccatum, ex suo genere mortale, sit etiam tale in individuo, si versetur circa materiam connotative gravem, & perpetretur cum plena advertentia: de quo *art. præced.*

697. Dico secundo. Peccatum ex genere suo veniale evadere mortale potest quinque præcipue modis, nimirum *ratione finis*, *ratione nimii affectus in rem aliquam*, *ratione contemptus*, *ratione periculi*, & *ratione scandali*. Ita DD. reipsa communissime.

Explicatur conclusio. Nam 1. ratione finis id contingit, dum quis operatur ex intentione mortaliter mala: ut si ludens cum muliere proferat jocosum mendacium, ut eam ad fornicandum pelliciat: quo casu illud mendacium de se veniale malitiam mortalem imbibit ab intentione, seu desiderio fornicandi, secundum dicta *n.* 613. Satisfacit tamen talis in confessione, si dicat se habuisse affectum fornicandi, vel esse fornicatum; nec opus est addere, quod in hunc finem fecerit mendacium: quia mendacium non immutat sive effectum fornicandi, sive ipsam fornicationem, cum malitia mortalis, quam inde haurit, non sit sive specie, sive numero distincta a malitia in affectu fornicandi, aut ipso fornicationis actu reperta; prout colligitur ex dictis *n.* 645. Haud tamen abs re faciet, si etiam mendacium exprimat; cum ex objecto, & genere suo importet malitiam venialem, quæ neutiquam cessat ex eo, quod illud modo proxime dicto superinduat, & attrahat malitiam mortalem ex fine. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 5. *n.* 7. Busenbaum *loc. cit. n.* 236. & alii. Porro quod asseruimus de hoc modo relate ad confessionem, etiam de modis posthac exponendis applicandum venit.

2. Contingit ratione nimii affectus in rem aliquam; puta quando quis affectui, ex se venialiter solum inordinato, usque adeo indulget, ut sit paratus transgredi potius præceptum aliquod graviter obligans, quam ab ejusmodi affectu desistere, e. g. potius die festo intermittere sacrum, quam vanam cum amico confabulationem abrumpere: qui affectus graviter peccaminosus est, eo quod sic ultimus finis, virtualiter saltem, aut interpretative, constituatur in re venialiter illicita. Ubi tamen bene notat P. Busenbaum *loc. cit.* affectum illum potius peccandi mortaliter, ut peccatum grave contrahatur, debere esse actualem, & non tantum habitualem: quia non imputatur ad culpam id, ad quod committendum quis habitualiter tantum paratus est.

3. Contingit ratione contemptus. Ubi notandum, alium esse contemptum *materialem*, alium *formalem*. Prior (quem alii *virtualem* appellant) est, quo aliquid reipsa vilipenditur, quin vilipensio directe intendatur: vocaturque *materialis*; quia in ipsa materia, & opere peccaminoso imbibitur. Atque iste contemptus reperitur in omni peccato (quocirca etiam *generalis* dicitur) nec habet malitiam distinctam a transgressione legis: quicunque enim contra legem deliquit, reipsa legem contemnit, quatenus ejus observantiam proprio suo arbitrio, ac commodo postponit. De hoc contemptu sermo non est in præsenti: cum enim peccatum non immutet, neque illud, si sit veniale, transire in mortale facit, ut de se patet. Posterior (quem etiam *specialem* nuncupant) est, quo aliquid ita vilipenditur, ut vilipensio ipsa directe intendatur. Potestque relate ad legem, quæ contemnitur, triplici modo accidere. Nam 1. lex contemni potest ob parvitatem materiæ, & obligationis, quam imponit; ut siquis jocose mentiatur; eo quod judicet esse rem exigui momenti, & cujus parum intersit. Atque hic contemptus non est mortalis? cum per eum non vilipendatur authoritas Legislatoris, aut Prælati (ut supponitur) sed tantum legis materia, & obligatio tanquam levis. 2. Lex contemni potest ob defectus sive naturales, sive morales in Legislatore repertos, puta quia est homo imprudens, indoctus, austerus, iracundus &c. Neque iste contemptus est mortalis; siquidem per eum non vilipenditur Superior formaliter, & reduplicative, seu quatenus Superior est, sed specificative tantum, & quatenus talis homo est, defectibus prudentiæ, eruditionis &c. obnoxius. Idem videtur procedere, siquis Superioris humani voluntatem implere renuat ad ostendendam erga illum animi sui amaritudinem, indignationem &c. 3. denique lex contemni potest ob ipsummet Superiorem formaliter, & reduplicative, quatenus Superior est, authoritate præcipiendi refulgens: quomodo Hæretici transgrediuntur leges Ecclesiasticas ex contemptu Papæ, cujus authoritatem non agnoscunt. Et hic contemptus semper mortalis est, nec evadere venialis potest ob parvitatem materiæ; cum Deo directe, & immediate tribuat defectum authoritatis in præcipiendo per se, suosque in terris Vicarios. Unde ratione hujus contemptus (non item ratione duorum præcedentium, utpote qui mortales non sunt) peccatum de se veniale evadit mortale.

698. Ex modo dictis sequitur, peccatum formalis contemptus non posse confundi cum peccato ex consuetudine; nam potest quis peccare ex consuetudine otiose loquendo, v. g. aut jocose mentiendo, quin legem id vetantem formaliter contemnat: neque cum peccato ex malitia; quia potest quis legem contemnere ex passione: neque cum peccato formalis inobedientiæ; siquidem peccatum inobedientiæ versari solummodo potest circa leges, & præcepta: at peccatum contemptus etiam circa consilia, maxime Divina; mortaliter namque peccat peccato contemptus (imo & erroris in fide, ac blasphemiæ) qui agit contra consilia Divina, eadem reputando inutilia, & vana: nec in tali peccato locum habet parvitas materiæ; cum per ejus commissionem Deo directe, & immediate imputetur aliqua imperfectio, sive defectus perfectionis, quasi scilicet res inutiles & futiles consuleret. La Croix *n.* 245. 248. & 249. aliique communiter.

4. Contingit ratione periculi, non quidem remoti, sed proximi, incidendi in peccatum mortale; nam ob tale periculum non solum veniale peccatum, sed etiam opus ex se indifferens, mortale evadit: cum eodem præcepto, quo jubemur peccatum mortale declinare, jubeamur etiam morale, & proximum ejusdem periculum evitare.

5. Denique contingit ratione scandali: prout videbimus *par.* 2. *tr.* 1. *disp.* 3. *c.* 4. *art.* 3.

699. Quæres, an peccet mortaliter, qui habet propositum committendi omnia peccata venialia, & sola mortalia vitandi?

Respondetur negative per se loquendo. Ita Salas *disput.* 16. *sect.* 26. *numer.* 84. Sporer *numer.* 43. & alii communius. Ratio est: quia commissio omnium venia-

venialium non est mortalis; prout fluit ex dictis *n.695.* ergo nec propositum omnia commitendi erit mortale. Neque obstat, quod venialia sint dispositio ad mortale; prout notatum est supra *n. 694.* Non enim sunt dispositio proxima per se loquendo, sed remota tantum; cum experientia constet, permultos, etiam sat longo tempore, evitare mortalia, qui tamen non multum curant declinare venialia.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam excipiendum est propositum committendi etiam illa venialia, quæ per accidens, & in certis circumstantiis sunt dispositio proxima, proximumque inducunt periculum ad mortale committendum. Videatur Sporer *cit.*

CAPUT IV.

De Peccatis Capitalibus.

Septem sunt peccata capitalia, videlicet *Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, Acedia*. Nuncupantur capitalia: quia sunt veluti capita, & fontes, ex quibus multa alia peccata dimanant; & non ideo, quod de se semper mortalia sint; oppositum quippe constabit ex dicendis. Ad rem ut veniamus, & specificata septem peccata breviter perstringamus (nam, ut de iis impræsentiarum tractari solet, amplam sui discussionem non videntur exposcere) sit

ARTICULUS I.

De Superbia.

SUMMARIUM.

700. *Quid sit Humilitas, cui superbia opponitur?* 701. *& 702. Quid, & quotuplex sit superbia?* 703. *Superbia completa semper est peccatum mortale, idque gravissimum; incompleta vero veniale solum per se loquendo.* 704. *Recensentur filiæ superbiæ.*

700. PRænotandum, superbiam esse vitium, seu peccatum virtuti Humilitatis oppositum per excessum. Unde oportet nosse, quid sit Humilitas? Definitur ea a S. Bernardo *lib. de grad. Humilit. in princ.* quod sit *virtus, qua quis verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit*. Vult ergo mellifluus Doctor, quod Humilitas sit virtus moralis inclinans ad profitendam verbis, signis, & factis suam vilitatem, moderansque appetitum circa honores ambiendos: humiles quippe sentiunt, se nihil esse, nec quidquam posse ex seipsis, ideoque sibi nihil deberi præter contemptum, Deo vero omnem laudem, & honorem, utpote a quo omnia bona profluant, & in acceptis referenda sint. Hoc præmisso,

701. Dico primo. Superbia, generatim sumpta, est *inordinatus appetitus, vel amor propriæ excellentiæ*. Ita DD. communiter.

Ceterum inordinatio illa in hoc sita est, quod superbus, ex majore, quam par est, æstimatione sui, suarumque perfectionum inflatus, majora, & altiora se affectet; sive quod se pluris æstimet, quam reipsa mereatur, atque ita mensuram a Deo constitutam excedat. Excessum hunc posse tripliciter contingere, notat Reginaldus *lib. 17. n. 205.* videlicet. 1. Cum quis desiderat habere aliquid independenter a Deo, seu tanquam propriis meritis debitum. 2. Cum quis desiderat aliquid dependenter quidem a Deo, sed meliore, & singulari modo cum despicientia aliorum. 3. Cum quis nec alium despicit, nec aliquid independenter a Deo desiderat, affectat tamen excellentiam majorem, ac meretur. Ex quo fluit, non omnem superbiam esse conjunctam cum explicito contemptu Dei, vel proximi. His perceptis partim jam patet, partim, & amplius patebit ex dicendis, qualiter intelligenda sit definitio superbiæ.

702. Dico secundo. Superbia dividitur in *completam, & incompletam*. DD. communiter.

Explicatur. Superbia completa, seu perfecta est, per quam homo usque adeo se extollit, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit. Superbia incompleta, seu imperfecta est, quæ, salva subjectione erga Deum, & Superiores, sistit in nimia sui æstimatione, & amore propriæ excellentiæ. Id quod fieri duplici modo potest, videlicet cum, vel sine relatione ad alios. Priore modo fit, dum quis inordinate appetit excellere super alios: & hic superbiendi modus, licet sit incompletus, & imperfectus relate ad modum superbiendi complete, & perfecte; est tamen perfectus, vel (ut rectius loquar) proprius relate ad modum superbiendi mox explicandum; siquidem ille censetur, & dicitur proprie *superbire*, qui vult, vel etiam contendit *super alios ire*: prout ipsa vocabuli etymologia denotat. Posteriore modo fit, dum quis seipsum, suamque excellentiam nimium æstimat, & amat, sine respectu, & comparatione ad alios, & horum excellentiam. Atque hic superbiendi modus est improprius; veluti constat ex immediate dictis.

703. Dico tertio. Superbia completa (1.) semper est peccatum mortale, idque gravissimum; incompleta vero (2.) veniale solum per se loquendo. Itidem DD. communiter.

Probatur prima pars tum ex S. Script. *Rom.* 1. ubi inter eos, qui digni sunt morte, recensentur *Superbi*. Et *Eccles.* 10. legitur: *Initium omnis peccati est superbia*. Tum ex S. Thoma 2. 2. *q.* 126. *ar.* 6. *in corp.* ubi ait: *Ex parte aversionis superbia habet maximam gravitatem; quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscunque alterius boni; sed superbia habet aversionem a Deo ex hoc ipso, quod non vult Deo, & ejus regulæ subjici*. Tum ex ratione: quia utique maxima est deordinatio, abjecta Dei, & Superiorum regula, velle in omnibus proprium caput sequi.

Probatur etiam secunda pars. Quia excessus in re indifferenti non est nisi veniale peccatum per se loquendo: atqui superbia incompleta est excessus in re indifferenti; ergo &c. Min. ostenditur inde, quod appetitus propriæ excellentiæ habendæ, vel manifestandæ possit esse bonus, & meritorius, si videlicet referatur in bonum finem, v. g. ad Dei gloriam, proximorum salutem, propriæ famæ tutelam &c. Atqui hoc fieri neutiquam posset, si appetitus ille ex natura sua non indifferens, sed malus foret: consequenter &c.

Dixi in conclus. *per se loquendo*. Nam per accidens mortale evadit, si accedat injuria erga Deum, vel proximum; ut si sit causa violandi graviter aliquod præceptum, aut graviter proximum contemnendi, infamandi, supprimendi &c.

704. Quæres, quot, & quales sint filiæ superbiæ?

Respondetur, tres præcipue esse filias superbiæ (sic nuncupatas, quod ex superbia quasi ex matre nascantur) videlicet *præsumptionem, ambitionem, & vanam gloriam*. Præsumptio (prout sumitur in præsenti, & prout non spei, sed humilitati opponitur) est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Ambitio est inordinatus appetitus honoris, vel dignitatis. Vana gloria denique est inordinatus appetitus innanis gloriæ, eo fine, ut manifestetur propria excellentia seu vera, seu ficta. Omnes hæ filiæ de se, ex communi DD. sensu, veniale non excedunt, nisi sint causæ præceptum aliquod graviter violandi, aut proximo graviter nocendi; prout *n. præced.* indicatum.

Dixi: *præcipue*. Nam prædictis tribus filiabus adhuc aliæ addi solent, videlicet *pertinacia*, seu adhæsio propriæ sententiæ plus, quam oporteat; *hypocrisis*, seu simolatio virtutis; *curiositas*, seu appetitus sciendi inordinatus; *inventio novitatum, vanus ornatus* &c. de quibus eodem fere modo, quo de prioribus, judicandum.

ARTICULUS II.

De Avaritia.

SUMMARIUM.

705. *Quid sit avaritia generatim accepta?* 706. *Quid sit Liberalitas, cui avaritia speciatim sumpta opponitur?* 707. *Quid sit avaritia speciatim sumpta?* 708. *Per se loquendo, & ex genere suo tantum est peccatum veniale.* 709. *Occasionaliter exponitur vitium prodigalitatis.* 710. *Recensentur, & strictim explicantur filiæ avaritiæ.*

705. PRænotandum primo, avaritiam, generatim acceptam, esse appetitum, sive cupiditatem immoderatam cujuscunque rei, sive utilis, sive delectabilis: quo etiam sensu quandoque accipitur a S. Augustino, & aliis Patribus. Verum hic loci non sumitur in tali generalitate, & latitudine; sed magis specifice, & stricte, nempe pro appetitu rerum utilium duntaxat, seu cedentium in usum hominis. Unde fit, ut appeti-

appetitus, seu amor voluptatum sive venerearum, sive aliarum; item honorum &c. non constituat avaritiam specifice, & stricte sumptam, seu prout est peccatum, de quali nobis hic sermo erit.

706. Prænotandum secundo, avaritiam, modo immediate dicto acceptam, esse vitium virtuti Liberalitatis oppositum per defectum; sicut prodigalitas est vitium eidem virtuti oppositum per excessum. Et quoniam quilibet avaritiæ actus militat saltem adversus Liberalitatem, sciendum est; quod ea sit *virtus moralis, quæ moderatur appetitum, aut amorem divitiarum*; & consequenter inclinat ad eas elargiendas secundum rectam rationem. Ex quo habetur, Liberalitatem convenire cum Justitia (cui similiter opponi avaritia potest, ut mox patebit) in eo, quod utraque sit ad alterum, & versetur circa res externas; differre autem quoad rationem debiti: quia debitum Justitiæ (prout suo loco videbimus) strictius est, quam debitum Liberalitatis, utpote quod solum fundatur in quadam decentia, & honestate veluti notat S. Thomas *q.* 117. *art.* 5. *ad* 1.

707. Dico jam primo, Avaritia est inordinatus appetitus, sive amor divitiarum. DD. communiter. Porro nomine divitiarum veniunt aurum, argentum, gemmæ, agri, vineæ, domus, aliæque rerum mobilium, & immobilium possessiones, sive habitæ, sive habendæ, sive magnæ, sive parvæ: & ideo potest æque pauper, ac dives, esse avarus, cum nempe vel paucis habitis nimio affectu inhæret, vel habendis inhiat nimio desiderio. Unde S. Augustinus in *Psalm.* 51. *v.* 9. inquit: *Quid prodest, si eges facultate, & ardes cupiditate?* Consistit ergo avaritiæ malitia non in ipsa reali abundantia, aut pecunia rerum, sed in affectu, quo quis rebus, seu divitiis, sive parvis, sive magnis, cor apponit. P. Henno *de Peccat. Actual. disp.* 4. *q.* 2. *conclus.* 1.

708. Dico secundo, Avaritia per se loquendo, & ex genere suo tantum est peccatum veniale. P. Sporer *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 65. cum communi.

Probatur ratione jam supra *n.* 703. adducta de superbia incompleta. Nam excessus in re indifferenti non est nisi veniale peccatum per se, & ex genere suo: sed avaritia est excessus in re indifferenti; ergo &c. Min. prob. Quia affectus erga divitias acquirendas, vel retinendas potest esse bonus, & meritorius, si referatur in bonum finem, v. g. ut cum tempore bene impendantur, puta ad ædificationem, vel fundationem alicujus Monasterii, Hospitalis &c. quod signum est, ejusmodi affectum esse secundum se, & ex suo objecto indifferentem; prout *n.* proxime citato advertimus.

Dixi in conclus. *per se loquendo*, & quando opponitur soli virtuti Liberalitatis. Nam per accidens potest fieri peccatum mortale, quando intervenit violatio alterius virtutis, v. g. Charitatis, Justitiæ &c. Videatur Sporer *loc. & n. cit.*

709. Ex quo erui potest, quid sentiendum de prodigalitate, quæ Liberalitati opponitur per excessum. Est itaque prodigalitas *vitium inclinans ad dandum ultra mensuram a ratione præscriptam*. Dicitur: *ultra mensuram a ratione præscriptam*. Non enim omnis, qui dat, aut multum dat, est prodigus, cum possit fieri, ut plura dans, sit liberalis, & pauciora, prodigus; sed quia donatio fit in iis circumstantiis, in quibus ratio dictat, non esse dandum, aut non tantum. Unde omnia bona sua pauperibus distribuens, ut iisdem exoneratus sequi Christum expeditius possit, censendus non est prodigus, sed perfecte liberalis: quia ratio dictat, commutare temporalia pro æternis esse actum prudentiæ, & virtutis. E diverso prodigus est, qui devorat substantiam suam cum meretricibus, histrionibus, adulatoribus &c. quia ratio dictat, pecuniam non esse homini ad ejusmodi usus concessam. Similiter prodigus foret Rex, qui pecunias, ad commune bonum suorum subditorum vel promovendum, vel reparandum necessarias, impenderet ad construenda monasteria, dotanda xenodochia &c. quia ratio dictat, Regi incumbere, ut prius succurrat necessitatibus suorum subditorum, quam aliorum.

Porro prodigalitas similiter est peccatum solummodo veniale ex genere suo, & quidem levius avaritia, ceteris paribus. Ratio primi est: quia est excessus in re de se indifferenti; ut facile colligitur ex dictis. Ratio secundi est: quia prodigalitas minus distat a Liberalitate, quam avaritia; magis enim ad Liberalitatem pertinet dare, in quo superabundat prodigus, quam accipere, vel retinere, in quo superabundat avarus.

Ab extrinseco tamen, & per accidens idem vitium evadit mortale, quando prodigus nimia suorum bonorum dilapidatione reddditur impar sustentandæ familiæ, solvendis debitis &c. P. Henno *loc. cit. q.* 5. *in append. de prodigalit.*

710. Quæres, quot, & quænam sint filiæ avaritiæ? Respondetur esse quinque sequentes. Prima est *obduratio cordis* erga egenos, quos avarus dure alloquitur, vacuos immisericorditer repellit &c. de cujus malitia agemus part. 2. *tr.* 1. disp. 3. c. 3. art. 4.

Secunda est, *inquietudo cordis*, hoc est, vehemens, & inordinata applicatio mentis ad acquirendas, vel conservandas divitias, cum inani, & vano timore, ne non acquirantur, vel perdantur. Est mortalis, quando retrahit a spiritualibus, vel aliis, ad quæ ex præcepto gravi obligamur; aut inducit superfluum timorem, atque ex hoc diffidentiam erga Deum: venialis e diverso, si sit de re bona, sed tempore, vel loco indebito, v. g. de familia, messe, vindemia, dum quis est in templo, vel vacandum est Deo.

Tertia est *fraus*, quæ est deceptio alterius opere exhibita, cum nimirum falsam existimationem in animum alterius inducimus; ut cum ponderamus res vendendas in libra quæ justa non est, aut mensuram per mensuram similiter non justam. Utuntur illa avari plus quam frequenter in contractibus celebrandis, maxime in venditionibus, & emptionibus; jam vendendo supra justum, & emendo infra justum; jam in ipsa re, quæ, cum vitium habeat, venditur, ac si nullum haberet; jam in modo vendendi, & emendi; quæ omnia dilucidabimus *par.* 4. *tr.* 3. *disp.* 2. Esto ergo fraus, quatenus Justitiæ, & quidem commutativæ, adversatur, peccatum mortale ex genere suo; prout per se patet.

Quarta est *dolus*, seu *fallacia*, quæ solum distinguitur a fraude; quia hæc opere, illa verbis perficitur: utraque tamen est deceptio, & easdem conditiones habet.

Quinta est *proditio*, quæ est deceptio proximi contra fidem datam in ejus damnum. Contingit sequentibus modis. 1. Circa personas, quomodo Judas Christum, Dalila Sampsonem prodidit. 2. Circa res, easque vel immobiles, ut si hosti manifestet hosti modum capiendi arcem; vel mobiles, ut si alicujus pecuniam prædoni ostendas; vel circa secretum, aut tibi commissum &c. Gravitas proditionis, qualitercunque fiat, desumitur ex gravitate damni proximo illati.

ARTICULUS III.

De Luxuria.

SUMMARIUM.

711. Quid sit Castitas, & quid Virginitas? quibus respective vitium luxuria opponitur. 712. Quid sit luxuria? 713. Dividitur in non consummatam, & consummatam. *714. Utraque est peccatum mortale. 715. Enumerantur filiæ luxuriæ.*

711. PRænotandum, luxuriam esse vitium Castitati oppositum per excessum. Castitas porro est *virtus inclinans ad moderandas voluptates carnis in rebus venereis*, ne videlicet plus, ne alio tempore, aut loco, neve aliter iis utamur, vel eisdem delectemur, quam ratio præscribit, aut permittit pro statu præsenti. Dividitur in *perfectam*, ac simpliciter dictam, quæ inclinat ad omnem voluptatem veneream, sive illicitam, sive licitam, perpetuo excludendam: & in *imperfectam*, ac secundum quid talem, quæ inclinat ad excludendas voluptates venereas pro certo tempore, & statu, v. g. cælibatus, vel ad iisdem in statu conjugii juxta præscriptum rationis utendum. A Castitate prioris generis, seu perfecta distinguitur Virginitas (proprie, & theologice sumpta, seu prout est *virtus inclinans ad perpetuo abstinendum ab omni deliberata voluptate venerea in corpus redundante*) sicut minus late patens a magis late patente; quemadmodum ex statim dicendis colligere poteris. Porro ex modo data Virginitatis definitione tria præcipue fluunt, & advertenda veniunt. Primum est, quod Virginitas, semel amissa, reparari quidem possit quoad culpæ remissionem, non autem quoad dignitatem præmii accidentalis, Virginibus promissi, quod

est spe-

est specialis laureola, qua Deus in cælo virgines, sive mares, sive feminas, coronat. Secundum est, quod Virginitas qua talis deperdatur per solas voluptates in corpus redundantes; cujusmodi sunt tum pollutio corporis, & commotio spirituum generationi servientium, tum etiam tactus impudici; qui per se pollutionem efficere apti nati sunt, esto ea per accidens, v. g. ob naturæ debilitatem, vel morbum non sequatur; e diverso non deperdatur per voluptates venereas intra animum se cohibentes; unde dum quis turpem delectationem in mente fovet, non peccat contra Virginitatem, quatenus formaliter Virginitas est (adeoque nec amittit laureolam virginalem) sed quatenus simul realiter Castitas est, cui omnis luxuria sive in- sive externa adversatur. Tertium est, quod, licet Virginitas, qua talis, irreparabiliter deperdatur modis proxime indicatis, videlicet per pollutionem corporis, per tactum impudicum &c. id tamen haud verificetur, quando prædicti actus, indeque orta voluptas, hominis deliberationem, & libertatem præveniunt. Unde pollutio in somno, absque voluntarie data causa, eveniens, vel Virginis violenta constupratio non tollit Virginitatem mentis, & corporis coram Deo, ac in æstimatione Theologica, sive quoad rationem virtutis; sive quoad dignitatem præmii Virginibus promissi, esto tollat Virginitatem vulgariter, id est, pro integritate carnis acceptam, quacum omnes nascuntur, & quæ rationem virtutis non obtinet; hæc quippe deperditur, per quemcunque actum, per quem fit seminis resolutio, vel rumpitur signaculum muliebre, sive is voluntarius sit, sive non. Ita P. Babenstuber *tr. 5. disp. 7. ar. 1, a n. 4.* & alii apud ipsum. Nunc

712. Dico primo. Luxuria est *inordinatus appetitus, vel usus venereorum*: sive est *amor concupiscentiæ inordinatus circa voluptates venereas*.

Consistit autem ea inordinatio in hoc, quod seu amor, seu appetitus, seu usus non ordinetur ad finem a natura præfixum, qui est prolis generatio, ut contingit in pollutione: vel quod fiat modo indebito, & inconveniente, ut evenit extra matrimonium, & in matrimonio, si non servetur debitus concumbendi modus.

713. Dico secundo. Luxuria dividitur in *non consummatam*, & *consummatam*. Prior est, quæ actu venereo non completur, sed vel in cogitatione, vel aspectu, vel auditu, vel tactu, vel loquela, vel motu carnali sistit. Posterior est, quæ opere venereo completur: & subdividitur in plures species, nimirum in *fornicationem*, *adulterium*, *incestum*, *stuprum &c.* de quibus omnibus, & singulis agemus in *part. 2. tr. 2. disp. 7.* hic autem de luxuria in communi tantum: de qua

714. Dico tertio. Luxuria, sive non consummata, sive consummata, si deliberate, & extra matrimonium fiat, semper est peccatum mortale. Ita DD. reipsa communiter.

Probatur. Quia etiam luxuria non consummata, v. g. modica delectatio circa objectum venereum, suapte natura trahit ad majorem; ergo semper est peccatum mortale. Conf. patet. Ant. ostenditur, & declaratur: quia ob vehementem naturæ nostræ in hoc vitium inclinationem, quam in potestate non habemus, statui haud potest terminus oblectationi; nec dicere possumus: hucusque, & tanta solum oblectatione me delectabo; fere sicut volens subjicere scintillam in pulverem pyrium, dicere prudenter non potest: hucusque solum pulverem succendere paro. Unde licet quis levem delectationem quærere vellet, merito dubitare deberet, ne levi gravior succedat.

Confirmatur ex periculo grandis corruptionis in genere humano: quia enim venialia peccata passim solent non multum curari, passim quoque vitio huic, & longe amplius, quam aliis indulgeretur, sub hoc prætextu, quod non sit nisi veniale; cum tamen actibus frequentatis ignis semper magis, ac magis cresceret, integrasque communitates passim inflammaret. Revideantur, quæ habentur supra *n. 693.*

Dixi in conclus. 1. *Si deliberate fiat*, id est, cum plena, & ad peccatum mortale sufficienti deliberatione. Si enim nulla interveniat deliberatio, vel solum semiplena, nullum, vel solum veniale peccatum erit. Tale tamen evadere non potest extra matrimonium ob parvitatem materiæ; cum hæc in peccato luxuriæ, quod personæ solutæ committunt, dari non possit: prout relinquitur ex dictis *n. 693. cit.*

Dixi 2. *& extra matrimonium*. Nam in matrimonio potest esse veniale etiam ob parvitatem materiæ, puta si conjuges servent debitum vas, sed non debitum concumbendi, & coeundi modum: de quo explicate dicemus *part. 6. disp. 2.*

715. Quæres, quot, & quænam sint filiæ luxuriæ?

Respondetur, esse octo sequentes. Prima est *cæcitas mentis*; cum quis adeo est addictus turpitudini, ut de honestis, & cælestibus non cogitet. Secunda, *præcipitatio*; qua quis ex eadem causa sine consilio operatur. Tertia, *inconsideratio*; quando quis in modo delinquit, inconsiderate agens, quæ statum, vel personam dedecent, Quarta, *inconstantia*; quando quis ex eodem affectu voluptatum a piis propositis mox deficit. Quinta, *amor sui*; talis enim homo ob voluptates seipsum actionum suarum finem constituit, non Deum, Sexta, *odium Dei*, seu *aversio animi a Deo*, *& Divinis*; lascivus enim solet a rebus Divinis abhorrere, imo ab ipso Deo tanquam peccatorum Vindice, Septima, *affectus præsentis seculi*; amor enim voluptatum carnalium ita animum afficit, ut subinde etiam beatitudini æternæ paratus esset, renunciare, si præsentibus frui semper permitteretur, Octava, *horror futuri seculi*; quando voluptatibus immersus mortem inordinate timet, & de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis prorogare satagit,

ARTICULUS IV,

De Invidia.

SUMMARIUM.

716. *Definitur invidia*. 717. *Non omnis tristitia de bono alterius est invidia*. 718. *Discrimen invidiæ ab odio proximi*. 719. *Invidia ex genere suo est peccatum mortale*. 720. *Recensentur ejus filiæ*.

De virtute Charitatis erga proximum, cui, ut mox dicemus opponitur invidia, late agemus *part. 2. disp. 3.* ut proinde opus non sit, eandem hic explicare; alias bis loqueremur in idipsum. Quare in rem præsentem tantum

716. Dico primo. Invidia est *tristitia de bono alterius, ut bonum illius est, & falso apprehenditur ut causativum proprii mali*, v. g. quod honor socii sit invidentis dedecus. Ita P. Stoz *lib. 1. part. 3. n. 140.*

717. Ex quo colligitur, non omnem tristitiam de bono alterius esse invidiam: ut 1. dum quis tristatur de bono alicujus, in quantum ex eo sibi, vel aliis metuit nocumentum (v. gr. inimicus tuus est evectus ad officium, ut tibi facilius possit nocere) non est invidia, sed timor, qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus. 2. cum quis tristatur de bono alicujus, eo quod videat, id sibi deesse; si illud habenti non discupiat, zelus est, & æmulatio, non invidia: quia invidus tristatur non præcise, quod careat bono alterius, sed de ipso bono alterius, quatenus hoc falso existimat esse causativum proprii mali. Unde invidia in nullo unquam casu licita, multo minus laudabilis esse potest; bene tamen zelus, & æmulatio, maxime si versetur circa bona animi: prout indicat Apostolus 1. *Cor.* 12. ubi ait: *æmulamini charismata meliora*. 3. dum quis tristatur de bono alieno, quatenus obvenit illi, qui est eo indignus, qui eodem prævidetur abusurus, vel actu abutitur, non est invidia, sed nemesis, & indignatio, ex se licita, & laudabilis: quia invidus non tristatur de bono alieno ex simili motivo, sed quatenus illud apprehendit tanquam causativum proprii mali; ut dictum. Laymann *lib. 2. tr. 3. c. 10. n. 2.*

718. Colligitur præterea discrimen invidiæ ab odio proximi: licet enim sint peccata valde vicina, imo invidia in praxi communiter procedat ad verum odium proximi (unde & hoc dicitur illius filia; prout infra videbimus) different tamen, quod invidus tristetur de bono proximi non absolute, sed respective, videlicet in ordine ad seipsum, quatenus bonum proximi apprehendit ut causativum sui mali: at odiens gaudet de malo proximi, & consequenter tristatur de ejus bono, absolute, & in ordine ad ipsum duntaxat proximum, ac in quantum hujusmodi bonum est bonum proximi. Ita Sporer *loc. cit. n. 67.* & iterum *tr. 2. c. 6. n. 48.*

719. Dico secundo. Invidia ex genere suo est pecca-

tum mortale. Ita P. Reiffenstuel in *Theol. Mor. tr. 3. dist. 3. q. 4. n. 29.* & communior DD.

Probatur. Quia peccatum oppositum Charitati est peccatum mortale, saltem ex genere suo; sed invidia est peccatum oppositum Charitati, videlicet erga proximum; ergo &c. Major patet inductione; nam ex eodem capite comprobantur esse peccata mortalia ex genere suo discordia, contentio &c. quoniam opponuntur Charitati, quæ est virtus præstantissima, & maxime necessaria. Minor ostenditur (præterquam quod jam patent ex dictis) siquidem Charitas gaudet de bono proximi, quod invidia destructum optat, vel non destructum dolet.

Confirmatur. Sub gravi obligatione ex genere suo teneor proximo bene velle, & bonum illi appetere; ergo etiam sub eadem obligatione teneor omittere actum, illi contrario modo oppositum, qualis est dolere, & tristari de proximi bono.

Neque dicas, invidum, etiamsi doleat, & tristetur de gravi bono proximi, excusari a mortali per hoc, quod ad actum doloris, & tristitiæ impellatur a suo malo, vel damno; adeoque in illo dolore, & tristitia de proximi bono non ultimate quiescat, sed ulterius tendat, dolendo, & tristando de imminutione proprii boni.

Contra enim est, quod, licet per hoc invidia distinguatur ab odio formali (prout relinquitur ex dictis *n.* 718.) sitque minoris malitiæ, quam odium, non tamen propterea tollatur ratio peccati mortalis, & affectus, graviter oppositi ordini Charitatis, vi cujus malle proximum carere magno bono reali, ne ego subeam imminutionem imaginariam boni proprii. Ita P. Illsung *tr. 3. disp. unic. n.* 87.

Evadere tamen invidia potest veniale peccatum non solum ob imperfectionem consensus, sed etiam ob parvitatem materiæ; prout evenit in pueris, qui de levibus quoque æqualium bonis concipere tristitiam solent. Reiffenstuel *loc. cit.*

720. Quæres, quot, & quænam sint filiæ invidiæ?

Respondetur esse quinque sequentes, videlicet *odium*, *susurrationem*, *detractionem*, *exultationem in adversis*, & *afflictionem in prosperis proximi*. Nam invidus (prout bene discurrit P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 31.) dum de bono proximi tristatur, tanquam proprii mali causativo, movetur ad desiderandum, ut proximus illo bono excidat; atque ita conatur illud diminuere, vel destruere per malam oblocutionem de proximo, eamque vel occultam, & vocatur *susurratio*; vel manifectam, & dicitur *detractio*. Hoc intentum si consequatur, *exultat*; si non, *affligitur*, & tristatur: quæ tristitia, si duret, generat *odium*.

ARTICULUS V.

De Ira.

SUMMARIUM.

721. *Quid sit mansuetudo, & quid Patientia, cui utrique, quamvis diversimode, ira opponitur?* 722. *Definitur vitium iræ.* 723. *Quando inordinatio, quæ in appetitu vindictæ intervenit, se solum tenet ex parte modi irascendi, ira est peccatum veniale ex genere suo; mortale vero, quando inordinatio illa se tenet ex parte objecti.* 724. *Recensentur, & explicantur filiæ iræ.*

721. PRænotandum, iram, in ratione vitii, opponi per excessum Mansuetudini, & Patientiæ. Mansuetudo est *virtus inclinans ad passionem iræ juxta præscriptum rectæ rationis moderandam*. Unde Mansuetudo corda hominum quasi suffuratur, illosque benevolos reddit. Sicut enim homo iracundus alios homines a se fugat, & alienat, ita mitis, & mansuetus ad se trahit, & conciliat. Patientia, Mansuetudinis comes, est *virtus inclinans ad moderandam tristitiam, ex malo ab altero nobis illato ortam*. Nam qui patienter fert illatas injurias, mansuetus, & mitis est, neque succumbit tristitiæ ex illis ortæ, neque ab ira rapitur contra proximum. Unde & Patientia iram frænat, ac compescit. Nunc

722. Dico primo. Ira, quatenus vitium est, recte definitur *appetitus inordinatus, sive immoderatus vindictæ*, Communis DD.

Inordinatio hæc dupliciter contingit. 1. *ex parte modi* irascendi, nimium videlicet interius excandescendo, vel etiam exterius per signa eam excandescentiam patefaciendo, 2. *ex parte objecti*, vindictam injustam, vel justa majorem appetendo, v. g. optando inimico mortem, quam meritus non est.

Dixi in conclus. *quatenus vitium est*, ut innuerem, dari posse iram, quæ vitiosa non sit: veluti indigitat illud *Psalmi 4. Irascimini, & nolite peccare*. Id quod fit, quando quis irascitur culpis proximi moderate, v. g. Parens culpis prolium, Professor culpis discipulorum, Superior, vel Dominus culpis subditorum, non excedendo in modo, nec volendo vindictam injustam, aut justa majorem, nec ex ira ad aliqua alia peccata, v. g. imprecationes, maledicta &c. prorumpendo. Talis igitur ira omni culpa vacat; imo laudabilis, & meritoria esse potest; prout omnes fatentur.

723. Dico secundo. Quando inordinatio, quæ in appetitu vindictæ intervenit, se tenet tantum ex parte modi irascendi (1.) ira est peccatum veniale ex genere suo; mortale vero (2.) quando inordinatio illa se tenet ex parte objecti. P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 33. cum communi.

Probatur prima pars ratione jam aliquoties adhibita, etiam hic valitura; quia videlicet excessus in re indifferenti, & secundum se licita, non excedit culpam venialem ex genere suo: sed quando inordinatio, quæ intervenit in appetitu vindictæ, tantum se tenet ex parte modi irascendi, ira involvit præcise excessum in re indiferenti, & de se licita; cum ea possit vacare culpa, imo laudabilis, ac meritoria esse, ut supra insinuatum; ergo &c.

Probatur secunda pars. Siquidem ira, quando inordinatio, in apetitu vindictæ interveniens, se tenet ex parte objecti, non solum Mansuetudini, & patientiæ, sed etiam Charitati opponitur, quatenus alteri inordinate malum appetit: atqui peccatum oppositum Charitati est mortale ex genere suo, ut supra *n.* 719. de peccato invidiæ dictum; ergo &c. Ire hoc modo sumptæ convenit illud Christi dictum *Matth. 5. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.*

Dixi in conclus. *ex genere suo*. Nam ira, priore modo accepta, evadere peccatum mortale potest ratione gravis excessus, & deformitatis in irascendo; ut dum quis deliberate motum iracundiæ adeo excrescere sinit, vel facit, ut ideo erumpat in enormes gestus, clamores, spumas, membrorum contorsiones &c. E diverso ira, posteriore modo accepta, decrescere ad peccatum veniale potest tam ob imperfectionem advertentiæ, quam ob levitatem vindictæ appetitæ.

724. Quæres, quot, & quænam sint filiæ iræ?

Respondetur, esse sex sequentes, videlicet *indignationem*, *tumorem mentis*, *clamorem*, *contumeliam*, *blasphemiam*, *rixam*. Indignatio est inordinatus effectus ex eo, quod quis reputet, se indigne ab alio tractari. Communiter culpam venialem haud excedit; imo si ex justo rationis judicio procedat, omni culpa vacat: prout relinquitur ex supra dictis. Ex cresceret tamen in culpam mortalem, si cresceret usque in deliberatum odium, & contemptum personæ gravem.

Tumor mentis est, quo quis morose excogitat diversas vias vindictæ, iisque cogitationibus animum tumefacit. Quale sit peccatum, dijudicari debet ex qualitate vindictæ, quæ excogitatur.

Clamor est, cum iratus extollit vocem, multaque inordinate, & confuse effutit. Non supergreditur culpam venialem, nisi adjunctum habeat quid aliud, puta blasphemiam, contumeliam &c. Hucusque P. Busenbaum *lib. 5. n.* 346.

Contumelia est dictum, vel factum injuriosum, qua quis proximo præsenti palam aliquod malum objicit ad ejus honorem, & existimationem violandam. Est peccatum mortale ex genere suo: etsi ob imperfectionem actus, aut levitatem materiæ fieri veniale possit.

Blasphemia est, dum quis jactat convitia in Deum, aut Sanctos Ejus. Semper est graviter peccaminosa, si ex plena advertentia, & deliberatione procedat. Verum de balasphemia, uti & contumelia alibi ex professo.

Rixa vulgariter confundi solet cum contentione; sed non recte: hæc quippe consistit in verbis, & illa in factis proximum lædentibus; soletque definiri altercatio exercita factis, quibus unus alterum lædere conatur; ut siquis aliquem pugnis cædat, in lutum projiciat &c. Si

&c. Si consideretur ex parte invadentis, est peccatum mortale ex genere suo, quippe Paci, & Charitati oppositum. Ex parte vero invasi vel nullum est peccatum, si fiat ad justam defensionem, nec excedat modum inculpatæ tutelæ; vel solum veniale, si eum modum excedat parum; si enim excedat notabiliter, erit etiam mortale. Potest insuper veniale fieri, etiam ex parte invadentis, non solum ob imperfectionem advertentiæ, vel deliberationis, sed & ob parvitatem materiæ; ut si parvi pueri inter se pugnis decertent.

ARTICULUS IV.

De Gula.

CUm & vitium gulæ duas sub se species contineat (prout infra videbimus) & variæ de illo quæstiones excitari possint, majoris claritatis ergo hunc articulum in §§. dispescemus. Sit proinde

§. I.

Quid, & quotuplex sit Gula?

SUMMARIUM.

725. Quid sit Temperantia, cui opponitur Gula? 726. Definitur Gula generatim sumpta. 727. Dividitur in comessationem, & ebrietatem., tanquam species 728. essentialiter diversas: ubi etiam insinuatur, qui sint virtutes Abstinentiæ, & Sobrietatis, quibus species gulæ opponuntur. 729. Quænam sint signa plenæ ebrietatis?

725. PRænotandum, gulam generatim acceptam per excessum opponi Temperantiæ, quatenus hæc est *virtus inclinans ad moderandum appetitum circa cibum, & potum*: seu quatenus est virtus consistens in mediocritate, & inclinans ad sumendum de cibo, & potu, quod recta ratio dictat esse necessarium ad vitam commode sustentandam, non excedendo in quantitate, nec deficiendo; ita ut excedere sit vitium *gulæ*, & deficere vitium *insensibilitatis*, prout vocatur a P. Abreu, & permultis aliis. Nunc

726. Dico primo. Gula, generatim, & adæquate sumpta, est *inordinatus appetitus, ac usus cibi, & potus*. Addunt aliqui, imo plerique Authores has particulas: *voluptatis gratia*. Sed rectius omittuntur: quia potest quis nimium comedere, aut bibere non voluptatis gratia, sed præcise studio placendi amico v. g. cujus mensæ assidet; qualis utique a vitio gulæ excusandus non est: consequenter &c.

Ceterum inordinatio, quæ in vitio gulæ, quoad appetitum, ac usum cibi, & potus intervenit, sequenti versiculo comprehenditur:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Ex quo patet, vitium gulæ seu in cibo, seu in potu contingere quinque modis; videlicet 1. ante tempus, aut sæpius, quam deceat, cibum, & potum sumendo; quod indicat vox *præpropere*. 2. pretiosioribus, quam conveniat, utendo, quod indicat vox *laute*. 3. plus, quam natura ferat, ingerendo, quod indicat vox *nimis*. 4. voraciter, & nimis avide comedendo, vel bibendo, quod indicat vox *ardenter*. 5. in illis condiendis, aut exquirendis modum excedendo, quod indicatur per vocem *studiose*.

Dico secundo. Gula dividitur in *Comessationem*, & *Ebrietatem*: hæc vero, seu Ebrietas subdividitur in *non turbativam*, & *turbativam rationis*: turbativa rationis in *perfectam*, & *imperfectam*.

Explicatur. Comessatio est *inordinatus appetitus, & usus cibi*. Ebrietas est *inordinatus appetitus, & usus potus de se inebriare, & rationem violenter perturbare apti*: qualis potus est vinum, cerevisia, aliique id genus liquores. Unde siquis solum excedat in potu inebriare non valente, v. g. in potu aquæ ob voluntatem, quam percipit ex refrigerio, aut ex ejus dulcedine, si saccaro condita sit, non peccat peccato ebrietatis (quod secundum inferius dicenda repugnat virtuti Sobrietatis) sed potius peccato comessationis (quod opponitur virtuti Abstinentiæ) eo quod hujusmodi potus afficiat appetitum, sicut esculenta stricte dicta, inquit Herincx *part.3.tr.2.disp.2. n.42*. Ebrietas non turbativa rationis est, siquis excedat in potu de se inebriare apto, quin rationem perturbet. Ebrietas turbativa rationis est, siquis excedat in eo potu cum perturbatione rationis. Ebrietas rationis turbativa perfecta est, cum usus rationis plene perturbatur, seu cum proxima potestas utendi ratione ad omnem subitam necessitatem adimitur. Imperfecta est, cum ratio non ita plene perturbatur. Unde siquis post potum adhuc possit discernere inter bonum, & malum, licet phantasia nonnihil turbata sit, lingua titubet, pedes vacillent, oculi videant duplicia, vel domus videatur gyrari, non censendus est plene, & perfecte ebrius; prout cum communi recte notat P. Stoz *lib.1. part.3. q.3. n.519.*

728. Quæres primo, an comessatio, & ebrietas sint peccata specie distincta?

Respondetur affirmative cum Gobat in *Quinar. tr.5. c.1. n.23*. Ratio est: quia illa peccata essentialiter, & specie distinguuntur, quæ opponuntur diversis specie virtutibus; prout constat ex dictis *n.658*, Sed comessatio, & ebrietas opponuntur diversis specie virtutibus; illa quidem virtuti Abstinentiæ, quæ versatur circa moderationem ciborum; ista vero virtuti Sobrietatis, quæ occupatur circa moderationem potius de se inebriare, & usum rationis perturbare apti: quæ virtutes sunt partes subjectivæ virtutis Temperantiæ, & præfato modo acceptæ essentialiter, ac specie atoma distinctæ juxta communem; ergo &c. Confirmatur, Comessatio est peccatum veniale ex genere suo; ebrietas vero (si sit turbativa rationis) mortale; prout videbimus §. *seq.* atqui peccatum veniale, & mortale, ex genere suo talia, specie distinguuntur, cum versentur circa objecta in genere moris specie distincta; prout similiter constat ex dictis *n.655*. Quare audiendus est P. Sporer *tr.1. c.4. sect.2. n.11.* ubi docet, vel potius supponit, gulam in cibo, & gulam in potu esse peccata ejusdem speciei.

729. Quæres secundo, quænam sint signa plenæ, & perfectæ ebrietatis?

Respondetur, esse præcipue duo. Unum est, quando quis postridie non meminit, quid dixerit, egerit, quomodo domum venerit, cubitum concesserit &c. quorum tamen alias probe meminisse solet. Ratio est: quia si pridie non fuisset plene ebrius, & rationis usu destitutus, retinuisset postridie memoriam suarum actionum, & gestorum, sicut alias retinere solet. Alterum est, quando commisit, quæ nunquam mente serena committere solet; ut si locutus est, aut fecit turpia, vel absurda, cum alias sit castus, & prudens; si juravit, blasphemavit, uxorem, & familiam turbavit, cum alias sit modestus, & benignus &c. Tunc enim merito judicare potest, rationem, & prudentiam vi ebrietatis fuisse consopitam, eosque insolitos motus ex perturbata inde phantasia processisse. Gobat *loc. cit. cap. 21. num.3. & 4.*

§. II.

Quantum peccatum sit Gula, & quasdam habeat filias?

SUMMARIUM.

730. Quando gula sit peccatum ex suo genere veniale, & quando mortale? 731. Solvitur objectio. 732. Recensentur, explicantur filiæ gulæ.

732. DIco primo. Gula (1.) prout supponit pro comessatione, & ebrietate non turbativa rationis, est solummodo peccatum veniale ex genere suo; mortale vero (2.) prout supponit pro ebrietate rationis turbativa. Prima pars est communissima. Secundam tenent Gobat *loc. cit. c.23. n.23.* Matthæucci *lib.2. c.6. n.8.* & iterum *c.28. n.46.* Herincx *loc. cit. num. 51.* aliique plures; imo in sensu, quo hanc partem accipimus, & probatum ibimus, vix quempiam qui dissentiat, reperire erit.

Probatur prima pars. Siquidem, ut sæpe dictum, excessus in re de se non mala est solummodo peccatum veniale ex genere suo: atqui comessatio, & ebrietas non turbativa rationis, sunt excessus in re de se non mala: cum utique comedere, & bibere de se sit licitum; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Usus rationis, & proxima potestas eadem utendi, est bonum de se præstantissimum, quo homo a Deo elevatus est, & supergreditur bruta in operando; ergo illius perturbatio, & destructio erit de se, seu ex suo genere moraliter mala, sive peccaminosa: consequenter &c.

Con-

Confirmatur. Ebrietas turbativa rationis de se repugnat non tantum Sobrietati, sed etiam Charitati: atqui omnem peccatum, de se repugnans Charitati, est mortale ex genere suo; prout in confesso est apud omnes; ergo Major quoad secundam partem ostenditur: siquidem virtus Charitatis prohibet, ne nobis (vel nostris proximis) velimus malum: atqui per inebriationem, rationis turbativam, volumus nobis malum; quatenus per eam insigne bonum, quale est usus rationis, & proxima potestas ea utendi, vel ex parte, vel ex toto pessumdamus; ergo &c.

Ut autem modo dicta penitus penetrare valeas, nota ex Matthæucci *locis cis.* vitium ebrietatis, quæ est turbativa rationis, de se opponi tum virtuti Charitatis, tum virtuti Sobrietatis; priori quidem, quatenus prohibet, ne nobis noceamus; posteriori autem, quatenus vetat, ne nobis noceamus in hoc determinato bono, quod est usus rationis: ferre sicut Charitas prohibet, ne noceamus proximo, & Justitia, ne eidem noceamus, v.g. in bono fortunæ per furtum &c.

Si dicas, inde sequi, quod ebrietas rationis turbativa involvat duas malitias, etiam specie distinctas, quippe diversis specie virtutibus oppositas,

Respondetur, neg. seq. Alias etiam actus furti duas contineret malitias, unam Charitati, alteram Justitiæ oppositam: quod hactenus nemo somniavit. Itaque Charitas, & Sobrietas sunt quidem virtutes specie distinctæ fundantque rectitudines adæquatas similiter specie distinctas, quando substant distinctis specie finibus intrinsecis totalibus; non autem quando substant eidem fini specifico totali, qui secundum gradum genericum, vel specificum subalternum intenditur a Charitate, & secundum gradum specificum inferiorem a Sobrietate; ut fit in proposito, ubi illa prohibet, ne nobis noceamus, & ista, ne nobis noceamus in hoc determinato bono, quod est usus rationis. Id quod ipsum respondere teneris de Charitate, & Justitia in exemplo proxime allato: item de Charitate, & Mansuetudine, cui utrique opponitur ira, quanta inordinatio, in appetitu vindictæ interveniens, se tenet ex parte objecti. Revide, quæ diximus supra *n.* 723.

Dixi in conclus. *ex genere suo*. Nam comessatio, ebrietas non turbativa rationis, per accidens excrescere in culpam mortalem possunt, si fiant cum notabili destructione sanitatis; vel cum gravi scandalo proximi; vel cum prævisione alicujus peccati mortalis inde secuturi; vel denique cum enormi excessu, ut siquis gulæ nimis deditus voluntarie evomat, quod sumpsit, ad finem iterum se ingurgitandi. Contra ebrietas rationis turbativa ad culpam venialem decrescit ob parvitatem materiæ; ut si usum rationis non plene sopiat; aut ob imperfectionem actus; ut si potans ad fortitudinem vini non sufficienter advertat.

731. Objicies contra secundam partem conclusionis. Bibere est res de se non mala, prout ipsimet supra dicebamus; ergo non apparet, unde excessus, licet sit turbativus rationis, possit dici ex suo genere mortaliter peccaminosus.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Bibere est res de se non mala, seclusa læsione usus rationis, con. ea non seclusa, neg. ant. & cons. Excessus in potu, etsi de se inebriante, contingere dupliciter potest. 1. ita, ut quis excedat, quin rationem turbet; puta si solum bibat *nimis avide, præpropere, laute &c.* & hic excessus in bibendo solum est venialis ex genere suo, sicut excessus in comedendo; quia non minus, ac iste, committitur in re de se non mala. 2. ita, ut quis excedat cum perturbatione rationis: & iste excessus in bibendo est mortalis ex genere suo, veluti supra ostensum; neque versatur circa rem de se indifferentem: quoniam bibere, prout cum rationis perturbatione conjungitur, est res de se mala. Id quod colligitur ex jam dictis, & insinuatur a P. Herincx *loc. cit. n.* 49. Verum contra hoc

Dices. Comessatio, & ebrietas non turbativa rationis, non sunt peccatum mortale per se, & ex genere suo, quatenus, & quando destruunt valetudinem; ergo nec ebrietas, turbativa rationis, erit peccatum mortale per se, & ex genere suo, quatenus, & quando lædit usum rationis.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia ebrietas, turbativa rationis, in sua definitione involvit rationis perturbationem, tanquam effectum ex nimio potu inebriante inductum, aut inducibilem. At in definitione comessationis, & ebrietatis non habentis conjunctam rationis perturbationem, nec ponitur, nec poni debet destructio valetudinis: prout recte advertit Gobat *loc. & n. citt.*

732. Dico secundo. Gula habet præcipue sequentes quinque filias, nempe *hebetudinem mentis, immoderatam lætitiam, multiloquium, scurrilitatem*, & *immunditiam*.

Explicatur. Hebetudo mentis, seu stupiditas in eo sita est, quod quis nec orare, nec alia id genus præstare valeat. Est mortaliter culpabilis, quando quis inordinate bibendo, vel comedendo, voluntarie se ineptum reddit ad intelligenda, vel præstanda ea, quæ ad salutem sunt necessaria, sive ad quæ sub gravi obligatione, ex officio aut aliunde orta, obstringitur.

Immoderata lætitia hic non sumitur pro lætitia inordinata, qualis omne peccatum comitari solet; sed præcipue pro lætitia, movente ad cantiones obscœnas, actus turpes, saltus, vel choreas inhonestas &c. Evadit mortale peccatum, quando ordinatur, aut inducit ad consensum, vel delectationem moraliter malam.

Multiloquium, seu loquacitas consistit in superfluitate verborum. Quod sit peccatum, constat ex illo *Proverb.* 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Attamen ex suo genere non nisi veniale est: quamvis in mortale excrescat, quando vergit in gravem injuriam, aut irreverentiam Dei; vel proficiscitur ex animo parato ad violandum quodpiam præceptum sub culpa mortali obligans.

Scurrilitas est quædam jocularitas, continens verba, aut facta inhonesta, vel ad risum provocantia: quæ si fiant causa delectationis venereæ, mortalia erunt; si solum propter risum, venialia, secluso proximi scandalo.

Immunditia, prout in præsenti accipitur, contingit, dum quis usque ad vomitum vescitur, & bibit. Est solum venialis ex genere suo. Unde licet quis tantum cibi, & potus sumat, ut sequatur vomitus, non peccat plus, quam venialiter, per se loquendo, si usus rationis integer remaneat, vel saltem non plene exturbetur. Secus dicendum, siquis gulæ nimium deditus voluntarie evomat, quod sumpsit, eo fine, ut se iterum ingurgitare possit: hoc enim videtur involvere magnam deformitatem contra naturam, a gravi culpa, ejusmodi excessui saltem per accidens conjuncta, haud excusabilem: prout notavimus supra *n.* 730. & tenent Authores communius.

§. III.

Expediuntur residuæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

733. *An peccet, qui in cibo, & potu voluptatem quærit?* 734. *Quid sentiendum de iis, qui ad æquales calices sese provocant? aut jussu, vel consilio ad ebrietatem inducunt.* 735. & 736. *Nullo unquam casu licet inebriare sive alterum, sive seipsum.* 737. *Anebrio, ad mortis periculum deducto, impertiri possit absolutio, & viaticum?*

733. QUæres primo, an peccet, qui in cibo, & potu voluptatem quærit?

Respondetur affirmative, si illam voluptatem non ordinet ad honestum finem. Cardenas *in 2. Crisi dist.* 7. *n.* 23. Viva *part.* 2. *super proposit.* 8. ex damnatis ab Innoc. XI. *n.* 6. & alii hodie communiter. Ratio est: siquidem natura in comestione, & bibitione voluptatem annexuit, non ut finem, sed ut medium, videlicet ut ea alliceremur ad comedendum, & bibendum; ergo comedere, & bibere ob solam voluptatem, est invertere ordinem naturæ, ordinando finem ad medium, non medium ad finem: id quod fieri nequit sine peccato saltem veniali. Unde merito ab altefato Pontifice confixa hæc est propositio *ord.* 8. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Ubi non solum proscribitur, quod liceat solius voluptatis gratia comedere, & bibere ad satietatem, prout hæc denotat comestionem, & bibitionem in majori quantitate,

quam

quam exigat sustentatio naturæ; sed etiam prout denotat comestionem, & bibitionem in moderata quantitate, seu ad naturæ sustentationem sufficiente; nam ratio, ob quam recitata propositio fulmine damnationis percutitur, utrobique militat; quia scilicet frueremur, non uteremur voluptate, quæ a natura instituta est ad usum, non ad fruitionem. Juverit revidere, quæ habentur *n.*637.

Dixi tamen in respons. *Si illam voluptatem non ordinet ad honestum finem*. Nam siquis comedat, ac bibat moderate, & ad satietatem, prout hæc significat sufficientiam, sumendo scilicet tantum cibi, & potus, quantum requirit sustentatio naturæ, indeque quærat voluptatem, in hac non sistendo, sed eam ordinando ad finem honestum, puta ad conservationem vitæ, nullius culpæ reus efficitur; imo opus honestum operatur: cum ille finis suam honestatem in ejusmodi intentionem, & opus refundat. P. Gobat *loc. cit. cap.* 1, *num.* 97.

734. Quæres secundo, quid sentiendum de iis, qui ad æquales calices sese (1.) provocant? aut (2.) jussu, vel consilio ad ebrietatem inducunt?

Respondetur primo ad primum, tales graviter delinquere, si ebrietatem (subintellige plenam) securutam prævideant seu in se, seu in aliis, quibuscum certant. Ita Div. Thomas, Valentia, Lessius, & Reding apud Babenstuber *tr.* 6. *disp.* 1. *art.* 4. *num.* 10. Ratio est: quia deliberata, eaque violenta exturbatio rationis seu in se, seu in aliis est graviter peccaminosa (prout relinquitur ex dictis *a n.*730.) saltem si fiat extra casum necessitatis; prout hic fieri supponitur; consequenter &c. Secus existimandum, si nec ebrietatem, nec ejus periculum advertant, licet subinde ad simile certamen consequatur.

Respondetur secundo ad secundum, etiam ab istis gravem culpam committi. Authores præcitati. Ratio fluit ex proxime dictis: quia ingurgitatio usque ad privationem usus rationis est actio moraliter mala, saltem si nulla urgente causa cohonestetur, sicut non cohonestari supponitur in præsenti; ergo etiam inductio ad illam erit mortaliter mala. Sed

735. Quæres tertio, an non dentur aliqui casus, in quibus liceat alterum inebriare?

Respondetur primo. Nullus est dabilis casus, in quo liceat alterum inebriare, si is prævideatur contracturus ebrietatem voluntariam, & formalem. Ita Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 6. Sanct Gallenses *tom.* 5. *tr.* 3. *sect.* 3. *q.* 2. Arsdeckin *tom.* 2. *part. v. tr.* 1. *c.* 3. *q.* 42. Babenstuber *loc. cit.* Ratio est: quia voluntaria, & formalis ebrietas est intrinsece mala, haud minus, ac mendacium, blasphemia, pollutio &c. ergo nunquam licet aliquem ad illam inducere, sicut nunquam licet aliquem inducere ad mendacium, blasphemiam, pollutionem. Ant. ostenditur: siquidem homo per ejusmodi ebrietatem se reddit similem bruto in actionibus suis, etiam dum vigilat; cum sibi adimat usum rationis, imo & potentiam ea utendi: quod est contra ipsius naturam; adeoque intrinsece malum.

Respondetur secundo. Neque est dabilis casus, in quo liceat alterum inebriare, etiamsi is prævideatur solum incursurus ebrietatem involuntariam, & materialem. In hanc sententiam propendet P. Arsdeckin *loc. cit.* eamque tenere debent, quicunque admittunt, ebrietatem esse intrinsece malam, sicut mendacium, blasphemiam, pollutionem &c. Ratio est: quia ex nulla causa, & in nullo casu licet proximo cooperari ad actionem intrinsece malam, licet respectu ipsius agentis sit involuntaria, adeoque non nisi materialiter peccaminosa: atqui talis actio est inebriatio; ergo &c. Min. constat ex dictis. Major demonstratur in exemplis. Nunquam quippe licet cooperari alteri v. g. ad pollutionem, esto is, qui polluitur, nesciat, quod pollutio sit peccaminosa, & consequenter eam admittendo non nisi materialiter peccet; ergo &c.

Confirmatur. Juxta Laymanum, & alios, quoad hanc secundam responsionem nobis contrarios, in nullo casu licet proximo cooperari ad ebrietatem formalem; ergo nec licebit eidem cooperari ad ebrietatem materialem. Prob. cons. Ideo juxta nominatum Authorem, & ipsius Asseclas non licet primum: quia committeretur scandalum activum proprium, & per se tale; quod semper est peccatum; ergo nec licebit secundum, quia & tunc committeretur simile scandalum; utpote quod consistit in inductione ad peccatum sive formale, sive materiale tantum; prout videbimus *p.* 2. *tr.* 1. *disp.* 3. *c.* 4. *art.* 3. Et sane nemo negaverit, scandalum activum committi ab eo, qui alteri ad pollutionem cooperatur, sive is, qui polluitur, peccet formaliter, sive materialiter tantum: consequenter &c.

Argumenta, quæ hic opponi possent, solventur post decisionem quæstionis jamjam *seq.*

736. Quæres quarto, an saltem sit dabilis casus, in quo quis licite possit inebriare seipsum?

Respondetur itidem negative. Ita Sanct. Augustinus *serm.* 232. *de tempore*, ubi inquit: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur*. Quibus verbis manifeste indicatur, moriendum potius esse, quam in potu excedendum.

Respondent Adversarii, S. Augustinum loqui de casu, quo bibendum esset in contemptum Religionis. Sed

Contra est primo, quod S. Pater loquatur absolute, & illimitate, nullam prorsus faciendo restrictionem, aut mentionem de interventu ejusmodi contemptus.

Contra est secundo. S. Pater decidit id, quod controversum est, non quod certum: atqui solummodo controversum est, an detur casus, in quo quis licite possit seipsum inebriare, quin id faciat in contemptum Religionis, virtutis Sobrietatis &c.? prout ipse fatebere; ergo &c.

Ratio quoque nostræ responsionis est; siquidem secundum proxime dicta nullus est dabilis casus, in quo liceat alterum inducere ad ebrietatem voluntariam, & formalem, eo quod ejusmodi inebriatio sit actio intrinsece mala; prout nobiscum arguit P. Babenstuber (ut alios taceam) in præsenti contrarius, ergo neque dabilis erit casus, in quo liceat inebriare seipsum; cum talis suiipsius inebriatio esset voluntaria, & formalis, adeoque intrinsece mala. Confirmatur. Si Cajus v. g. ad depellendam gravem, aut lethiferam infirmitatem licite posset seipsum inebriare, Titius quoque id ei licite suaderet; cum per se loquendo licite quis suadeat alteri, quod hic licite potest facere: sed Titius id suadere licite non potest; siquidem suadendo induceret ad ebrietatem voluntariam, & formalem, quod in nullo casu est licitum, juxta ipsummet P. Babenstuber *loc. & n. citt.* ergo &c.

Dices primo. Licite quis potest se privare usu rationis per somnum; ergo etiam per potum saltem in casu necessitatis.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia privatio usus rationis, quam somnus inducit, non est violenta, sed naturalis, utpote a natura instituta ad spirituum animalis, & consequenter virium ejusdem reparationem. E diverso privatio usus rationis, quam ebrietas creat, est violenta, & contra naturam hominis, adeoque intrinsece mala; & quidem absolute, seu pro omni casu, non vero conditionate solum, seu extra casum urgentis necessitatis (ut vult P. Babenstuber *loc. cit. n.* 13.) alias quippe liceret (quod est contra memoratum Authorem) etiam alterum inebriare, seu inducere ad ebrietatem voluntariam, & formalem in casu urgentis necessitatis.

Si inferas. Ergo non licebit seipsum (vel alterum) etiam semiplene tantum inebriare in ullo casu quantumvis urgentissimæ necessitatis.

Respondetur, con. illatum: idque ob eandem rationem, ob quam non licet in ullo casu mentiri etiam leviter tantum; quia scilicet utrunque in quolibet excogitabili casu est, & manet intrinsece malum.

Dices secundo. Ex duobus malis licite potest eligi minus: sed minus malum est usu rationis privari ad tempus, quem gravi morbo affligi, aut omnino vitam amittere; ergo &c.

Confirmatur. Potest aliquis licite velle sibi manum abscindi, ne totum brachium arescat, vitamque amittat; ergo similiter in casu nostro potest quis licite velle amissionem usus rationis per ebrietatem, ut depellatur, vel evitetur malum gravissimæ infirmitatis, vel mortis.

Respondetur ad argumentum, neg. min. intellectam de privatione usus rationis violenta per potum procurata:

rata: hoc quippe modo privari usu rationis est malum mortale animæ, sive peccatum, quod præponderat, sive absolute majus est quocunque malo physico, quale est afflictio corporis, aut amissio vitæ.

Ad confirmat. respondetur, concesso antecedente; neg. conf. Disparitas est: quia pars minor suapte natura subordinatur majori, & ambæ toti, quod constituunt, & conservare naturaliter appetunt: unde cum illa amputatur, ut ista, & consequenter totum, conservetur, non agitur contra, sed potius juxta ordinem naturæ. At vero usus rationis per se, & ex natura sua non ordinatur ad vitam corporis, sed animæ conservandam: unde dum ille violenter exturbatur (ut fit per ebrietatem) in finem conservandi vitam corporalem, cum detrimento vitæ spiritualis, ordo naturæ invertitur: consequenter &c.

737. Quæres quinto, an plene ebrio, ad mortis periculum deducto, impertienda sit absolutio, & viaticum?

Respondetur primo ad primum. Confessarius satagere debet, ut ab ejusmodi ebrio (nam etiam plene ebrii in similibus periculis ad aliquod rationis diluculum redire non infrequenter solent) certum quodpiam signum doloris obtineat; & si quod obtinuerit, eundem absolvat absolute, si vero simile signum obtinere non possit, conetur illum saltem excitare ad actum doloris eliciendum, & forte contritio (etiamsi nullum contritionis signum externum ediderit) absolutionem impendat sub conditione: *si es dispositus &c.* Secundum dicenda *in part.5. tract.4. de absolutione*. Herzig *part.2. cap. 4. n. 429.*

Respondetur secundo ad secundum cum distinctione. Vel enim constat, ebrietatem fuisse involuntariam, vel constat, fuisse voluntariam? Si primum, dandum illi erit viaticum, nisi forte subsit periculum, ne species sacras rejiciat: negandum contra, si secundum. Neque refert, quod, etsi constet, ebrietatem fuisse voluntariam, adhuc absolvendus sit alterutro modo ex proxime dictis. Nam major est necessitas Sacramenti Pœnitentiæ ad salutem, quam Sacramenti Eucharistiæ. P. Herzig *loc. cit.*

ARTICULUS VII.

De Acedia.

SUMMARIUM.

738. *Definitur acedia, & asseritur esse* 739. *peccatum mortale ex genere suo.* 740. *Statuitur regula dignoscendi, an pœnitens acediosus de bono spirituali peccaverit mortaliter, vel venialiter solum?* 741. *Enumerantur, & explicantur filiæ acediæ.*

738. Dico primo. Acedia est *tædium, sive tristitia de rebus spiritualibus, seu ad animæ salutem spectantibus, qua displicet bonum spirituale ut tale.* Unde acedia proprie dicta non est, quando tædium aliquod, nausea, tristitia, aversio, terminatur ad solas circumstantias, v.g. temporis, viæ, auræ incommodæ &c. ita ut bonum spirituale secundum se nequaquam nauseetur: e. g. siquis tristetur, vel tædio afficiatur, quod tempore pluvioso, aut nivoso teneatur adire templum, & audire sacrum.

739. Dico secundo. Acedia est peccatum mortale ex genere suo. DD. communiter.

Probatur. Nam peccatum, repugnans virtuti Charitatis, est mortale ex genere suo; prout sæpe dictum: sed acedia est peccatum, repugnans virtuti Charitatis; veluti patet ex ejus definitione; ergo &c.

Evadere tamen veniale potest non solum ob imperfectionem actus, sed etiam ob parvitatem materiæ; quemadmodum ex jamjam dicendis perspicuum fiet. Unde

740. Quæres primo, quænam regula observanda sit ad dignoscendum, an pœnitens acediosus de bono spirituali mortaliter peccaverit, nec ne?

Respondetur, dispiciendum esse, an tædium, aut tristitiam habuerit de operibus quibusdam, quæ sub mortali sunt præcepta? si ita; mortaliter deliquisse censebitur: si secus; venialis duntaxat culpæ reus judicabitur. Ratio desumitur ex ordine objecti ad præceptum. Ex quo sequitur, mortalis peccati reum esse, qui tædio afficitur propter sacrum die festo audiendum, propter jejunium die præcepto observandum &c. nisi tædium (ut supra excepimus) terminetur ad solas circumstantias temporis, viæ, auræ incommodæ &c. E diverso nullam mortalem culpam sibi consciscit, qui tædium concipit ob largiendam mendico roganti stipem, aliaque id genus opera frequentanda. Ratio est: quia priores actiones graviter præceptæ sunt; non item posteriores. Herzig *loc. cit. n.434.*

741. Quæres secundo, quot, & quænam sint filiæ acediæ?

Respondetur, communiter enumerari sex sequentes, videlicet *Malitiam, Rancorem, Pusillanimitatem, Desperationem, Torporem, & Evagationem mentis.* Exponimus singulas breviter. Itaque

Malitia (specifice accepta, prout hic accipitur, & non generice, seu prout importat quid genericum, in quolibet peccato imbibitum) est, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia secundum se; vellet ea non esse; dolet, quod bene fecerit; cuperet se non fuisse natum, non agnovisse Christum &c. adeoque Dei beneficia contemnit. Semper est peccatum mortale, nisi ob imperfectionem actus ad veniale decrescat.

Rancor est, quo illos, qui nos inducunt ad spiritualia, puta Concionatores, Confessarios &c. fastidimus, & aversamur. Est peccatum veniale, nisi conjungatur cum odio, quo eis notabile malum desideremus.

Pusillanimitas est, qua quis bona, seu opera spiritualia tanquam ardua refugit, & ab eorum executione se subtrahit. Est itidem peccatum veniale tantum, seclusa transgressione præcepti graviter obligantis.

Desperatio est, qua homo diffidit se beatitudinem consecuturum, adeoque a se rejicit ultimum suum finem. Est peccatum mortale gravissimum contra virtutem Spei; prout videbimus *part.2. tr.1. disp.2. n.115.*

Torpor est, quo quis negligit, vel omittit ea, quæ vi alicujus præcepti facienda forent: vel (ut alii explicant) illa non exequitur debito cum fervore. Est peccatum veniale, si non adjunctam habeat violationem præcepti graviter obligantis.

Evagatio mentis importat defectum attentionis in rebus spiritualibus exercendis: estque ex se venialis, nisi attentio requiratur ex gravi præcepto; ut in recitandis Horis Canonicis, in audienda Missa &c. P. Reiffenstuel *loc. cit. n.63. & seqq.*

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

742. *Hagibertus non peccat, dum comedit, & ludit tempore, quo deberet audire Missam, si hanc jam antecedenter omittere efficaciter decreverit.* 743. *Heribertus die festo cubitum concedens, & prævidens, inde sibi ablatum iri potentiam moralem audiendi sacrum, peccat eo tempore, quo cubitum concedit, non autem, quo sacrum omittit.* 744. *Henricus, Sacerdos, & Canonicus, non committit duo specie peccata mortalia, Divini Officii partem notabilem omittendo: uti nec* 745. *Hermenegildus, Frater Minor, violando jejunium in Vigilia v. g. S. Bartholomei, incidente in Feriam sextam.* 746. *Hadrianus concipiendo pravum desiderium fornicandi, illud per aliquot horas sæpius iterando, sermones obscœnos, oscula, & tactus copulæ præmittendo, & denique ipsum fornicationis opus consummando, unum numero peccatum committit; plura vero, si illos sermones, oscula, & tactus exerceat post opus fornicationis jam consummatum.* 747. *Hermogenes Confessarius, in statu disgratiæ constitutus, tot peccata mortalia patrat, quot in eo statu absolvit pœnitentes.* 748. *Heraclius, somno nondum plene discusso, pollutionem patiendo, in eaque delectando: non servando votum, quo promisit singulis diebus Sabbatinis parvam dare eleemosynam in honorem B. Virginis: diversis diebus festivis per breve tempus serviliter laborando: non peccavit mortaliter. Secus judicandum, dum uno, eodemque die jejunii sæpius quid modicum comedit.* 749. *Hilarinus non est censendus deliquisse mortaliter, dum suo Domino sæpius quid modicum clepsit, quin tamen adverteret, parva illa furta ad*

ta ad magnam quantitatem ascensura: uti neque, suam conjugem singulis diebus, ac noctibus impudice tangendo mera voluptatis gratia. 750. Hesychius contra septem peccata capitalia rogat sibi praescribi remedia. Resolvitur, quaenam sint a Confessario praescribenda.

CASUS I.

742. *Hagibertus taedio pluviarum efficaciter decrevit manere domi die Dominico, & tempore, quo deberet esse in templo, & interesse Divinis, vel saltem Missa: utque haberet, quod ageret, & tempus falleret, accessit popinam suis aedibus vicinam, ibique cum caupone (qui tamen jam primam Missam audierat) tum comestione farciminum, tum lusu alearum duas fere horas consumpsit. Quaeritur, an hi actus (comestio scilicet, & lusus) cum omissione culpabili Missae conjuncti, ac cum impletione praecepti illam audiendi incompossibiles, aliquam malitiam attraxerint, & peccaminosi evaserint?*

RESpondetur negative. Filliucius *tr.2. c.7.q.5.n.267.* Layman *lib.1. tr.6. c.4. n.3.* Mastrius in *Theolog. Scholast. disp.6. de Peccat. q.4. n.110.* & apud istum Salas, Suarez, Amicus &c. Ratio est: quia memorati actus non influxere moraliter in omissionem Missae, quippe jam moraliter causatam vi alterius causae praesuppositae, qualis erat voluntas efficax omittendi; ergo ex culpabili omissione Missae non fuerunt vitiati; cum non nisi ratione influxus in illam vitiari potuissent; consequenter &c.

Confirmatur. Si comestio, & lusus in Casu sine influxu morali in culpabilem omissionem Missae, ad eamque mere concomitanter se habentes, attraxissent sibi ex illa aliquam malitiam, etiam oratio, siquam interea Hagibertus fudisset, inde vitiata fuisset: atqui sequela procul est a veritate, & communi DD. sensu; ergo &c.

Dices primo. Actus, qui exercentur tempore indebito, sunt mali, cum vitientur ex circumstantia temporis: sed actus comestionis, & lusus in Casu exerciti fuerunt tempore indebito; ergo fuerunt mali.

Respondetur, dist. maj. Actus, qui exercentur tempore privative indebito, id est, prohibito, sunt mali, con. tempore negative, seu praecisive indebito, id est, nec praecepto, nec prohibito, neg. maj. Sed actus comestionis, & lusus in Casu exerciti fuerunt tempore privative indebito, neg. negative, seu praecisive indebito, con. min. & neg. cons. Illi duntaxat actus vitiantur ex circumstantia temporis, qui exercentur tempore privative indebito; ut patet de labore servili, qui exercetur die festivo, & de comestione carnium, quae fit v.g. die Veneris &c.

Instabis. Illud omne prohibetur tempore audiendi Missam, quod impedit auditionem Missae: sed actus comestionis, & lusus in Casu impediunt auditionem Missae; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Quod impedit auditionem Missae formaliter, & moraliter, con. materialiter tantum, & physice, neg. maj. Sed actus comestionis, & lusus impediunt auditionem Missae formaliter, & moraliter, neg. materialiter tantum, & physice, con. min. & neg. cons. Sensus solutionis est, quod quidem memorati actus inferant omissionem Missae propter naturalem impossibilitatem illos simul exercendi, & audiendi Missam; non tamen ex vi voluntatis eos connectentis cum omissione; adeoque materialiter, & physice tantum, non vero formaliter, & moraliter.

Dices secundo. Si Hagibertus tempore Missae adiisset suam amasiam, & cum ea fornicatus fuisset, fornicando peccasset non solum contra Castitatem, sed etiam contra Religionem, & praeceptum audiendi Missam, etiamsi jam antecedenter decrevisset hanc non audire; ergo etiam in nostro Casu peccat contra Religionem, & idem praeceptum.

Respondetur, neg. ant. Sed fornicando peccasset contra solam Castitatem. Ratio est eadem: quia & fornicatio non influxisset moraliter in omissionem Missae, sed solum se habuisset relate ad eam concomitanter; unde nullam ab eadem malitiam, virtuti Religionis adversantem, imbibisset.

Dices tertio. Si Clericus navigans in mari, post decretum efficax toto navigationis tempore omittendi Horas Canonicas, Breviarium in mare projiciat, adhuc peccat projiciendo; ergo etiam peccat Hagibertus comedendo, & ludendo tempore Missae, licet jam ante efficaciter decreverit eam omittere.

Respondet P. Mastrius *loc. cit. n.12.* concesso antecedente, neg. cons. Disparitatem dat: quia Clericus in eo casu non solum ponit actum incompossibilem cum recitatione Horarum, sed etiam sublativum libertatis: quo fit, ut ipsi jam non maneat integrum suam malam voluntatem revocare, & Horas recitare, si velit. E diverso Hagibertus in nostro Casu ponit actus cum auditione Missae ita incompossibiles, ut ipsi maneat integrum eosdem abrumpere, & Missam audire, si velit.

Verum haec responsio non videtur satisfacere argumento; imo implicite aggreditur, & labefactat rationem nostrae responsionis probativam, ab ipso quoque Mastrio adhibitam. Nam licet Clericus projiciendo Breviarium ponat actum sublativum libertatis in ordine ad recitandas Horas, non tamen ex eo praecise capite per illam projectionem probatur moraliter influere in omissionem Horarum, utpote quae supponitur jam moraliter causata virtute alterius causae praesuppositae, qualis est voluntas efficax omittendi; prout cum *cit.* Authore supra arguebamus; ergo projectio Breviarii ex eo praecise capite, quod sit actus sublativus libertatis in ordine ad recitandas Horas, non probatur esse peccaminosa. Confirmatur. Ut actus aliquis dicatur actu causa moralis omissionis, non sufficit, quod de se possit moraliter in eam influere, sed requiritur, ut in eandem hic, & nunc, seu actu moraliter influat; prout in confesso est apud omnes: atqui projectio Breviarii non influit actu moraliter in omissionem Horarum, utpote quae jam censetur moraliter causata per voluntatem efficacem omittendi; ergo &c. Nec refert, quod projectio Breviarii physice necessitet ad omittendas Horas. Non, inquam, refert cum inde non evincatur, quod projectio moraliter actu influat in omissionem Horarum, quippe jam moraliter actu causatam vi voluntatis, per quam efficaciter decreta supponitur: siquidem effectus idem numero, jam causatus, & actu existens virtute unius causae, non potest iterum causari per aliam causam, etsi de se, & in actu primo illum causare aptam: prout recte advertit ipse Mastrius *loc. cit. n.110.* Quare projectio Breviarii relate ad omissionem Horarum solum est causa actualis physica, & per accidens; voluntas vero efficax omittendi (quandiu moraliter certo perseverat) causa actualis moralis, & per se, quae sola ex culpabili omissione malitiam atrahit. Omissa ergo responsione P. Mastrii tanquam insufficienti, & mihi displicita.

Respondetur ad argumentum aliter, dist. ant. Clericus Breviarium in mare projiciendo adhuc peccat relate ad omissionem Horarum moraliter certo futuram, & idcirco jam moraliter causatam ex vi decreti efficacis, v.g. relate ad omissionem Horarum primae diei, ubi nulla suppetit spes retractandi decreti, neg. relate ad omissionem Horarum non certo moraliter futuram, adeoque nondum moraliter causatam; qualis est omissio Horarum pro diebus sequentibus, ubi suppetit spes retractandi decreti, con. ant. & neg. cons. Projectio Breviarii relate ad omissionem prioris generis non vitiatur; cum in eam, utpote jam moraliter ex vi decreti efficacis causatam, non influat moraliter: sicut in Casu Hagiberti non vitiantur, ob eandem rationem, comestio, & lusus ex omissione Missae. Vitiatur contra projectio Breviarii relate ad omissionem posterioris generis, utpote quae, cum propter revocabilitatem decreti moraliter sperabilem censeri non possit moraliter certo futura vi talis decreti, adeoque nec moraliter causata, ab ipsa projectione causari dicatur, consequens est, & necesse. Ita cum Godoyo P. Babenstuber *tr.2. disp.3. art.3. n.6.*

Ex quo fluit, etiam eum, qui post decretum efficax non restituendi distrahit bona, ex quibus facienda erat restitutio, peccare illa distrahendo. Ita denuo cum Godoyo, & Redingo P. Babenstuber *loc. cit. n.9.* Ratio est: quia licet distractio non vitietur ex omissione restitutionis veluti prima, cum haec ob firmitatem decreti moraliter certo futura, ideoque moraliter jam causata censeatur; vitiatur tamen ex omissione faciendae restitutionis pro longiori tempore, utpote quae propter

revoca-

revocabilitatem decreti moraliter sperabilem censeri non potest vi talis decreti moraliter certo secutura, adeoque nec moraliter causata: & consequenter causatur ab ipsa distractione.

Sed quid si Haribertus decernat Missam omittere, ut interea comedere, & ludere possit?

Respondetur cum S. Thoma 1. 2. *q.71. art,5.* & aliis satis communiter; tunc ejusmodi actus (1.) vitiari ex omissione Missæ, ita tamen (2.) ut eorum malitia non sit alia sive specie, sive numero a malitia omissionis, Ratio primi est: quia hoc tali casu illi actus influunt in omissione Missæ tanquam causa moralis; ergo ex ea vitiantur. Conf. patet. Ant. etiam constat: siquidem omissio Missæ fit tunc propter illos; secus, ac in præcedenti Casu. Confirmatur. Eodem præcepto, quo jubemur ponere actum, etiam implicite jubemur removere, vel non ponere causas, ex quibus prævidemus secuturam omissionem actus; ergo recte colligitur, actum, qui cum omissione conjungitur per modum causæ, reddi propterea moraliter malum. Ratio secundi est: quoniam prædicti actus ex se non sunt mali, cum non adversentur alteri præcepto, quam præcepto audiendi Missam; ergo non apparet, unde attrahant malitiam, quam ex violatione præcepti obligantis ad audiendam Missam: consequenter non habent aliam sive specie, sive numero malitiam, ac involvat omissio Missæ. Sed contra hoc

Dices. Comestio, & lusus sunt peccatum commissionis, cum opponantur præcepto negativo non ponendi impedimentum Missæ die festo audiendæ; ergo habent aliam malitiam, ac omissio Missæ, quæ est peccatum omissionis, cum opponatur præcepto affirmativo audiendi Missam,

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Ratio negandi liquet ex dictis *n. 666.* in responsione ad argumentum ibi reddita. Revide, & huc applica,

CASUS II.

743. *Heribertus die festo libere se somno tradit, & dormit in utranque aurem, esto prævideat, per somnum ligato rationis usu sibi ablatum iri potentiam moralem satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, quo ad audiendum sacrum obstringitur. Quæritur, an omissio sacri Heriberto ad culpam imputetur, quando libere ponit causam illius eundo dormitum; vel quando actualiter dormit tempore sacri, quod audire teneretur, sed audire amplius non potest, potentia audiendi per somnum impedita.*

RESpondetur, imputari tempore priori, non posteriori. S. Bonaventura in 2. *dist.36. art.* 1. *quæst.*2. Scotus in 2. *dist.*40. *&* 42. *in princ.* Mastrius loco *loc. cit. n.*132. Vasquez, Arriaga, Amicus, Oviedo, Sporer &c. Ratio est: quia omissio Missæ tempore posteriori non est amplius actu libera; ergo nec actu peccaminosa; cum omnis actio, vel omissio eatenus peccaminosa sit, quatenus est voluntaria, & libera. Deinde ad actuale peccatum requiritur actualis advertentia ad malitiam, qua Heribertus in somno caret.

Confirmatur. Qui non habet potentiam moralem implendi præceptum, illi non est liberum implere præceptum, nec peccat istud non implendo; cum ad impossibile nemo teneatur: sed Heribertus in somno non habet potentiam moralem implendi præceptum audiendi Missam; ergo tunc non est ei liberum implere præceptum audiendi Missam; adeoque non implendo non peccat.

Dices primo. Priori tempore, seu quando Heribertus cubitum concedit, nondum obligat præceptum audiendi Missam; ergo omissio Missæ tunc non potest Heriberto ad culpam imputari.

Respondetur, dist. ant. Nondum obligat, quatenus affirmativum est, con. quatenus negativum est negant. Ergo omissio Missæ tunc non potest Heriberto ad culpam imputari ex vi memorati præcepti, quatenus affirmativum est, transeat, quatenus negativum est, neg. conf. Quatenus affirmativum est, imperans auditionem Missæ, obligat solum tempore determinato, videlicet tunc, quando Missa celebratur, & audiri potest: quatenus vero negativum est, imperans removere, vel non ponere causam, ex qua prævidetur secutura omissio Missæ, obligat semper, & pro tempore: consequenter &c.

Instabis. Ergo Heribertus in Casu peccat peccato commissionis, non omissionis; cum peccet contra præceptum negativum, quod solum actu obligat, quando cubitum concedit.

Respondetur (quidquid contra sentiant alii) concedendo illatum, ob rationem in instantia allatam. Sicut enim, qui Missam omittit, ut eo tempore studere possit, peccat peccato commissionis; quia peccat contra præceptum negativum non ponendi impedimentum Missæ audiendæ, secundum dicta *n.666.* ita, ob eandem rationem, tali peccato peccat Heribertus in Casu. Quare peccatum Heriberti suam denominationem, qua peccatum commissionis nuncupatur, accipit ex oppositione immediata cum præcepto negativo non ponendi impedimentum Missæ die festo audiendæ. Sed

Urgebis. Talis est malitia formalis, qualis est malitia objectiva: sed malitia objectiva est malitia omissionis; ergo etiam malitia formalis, seu peccatum, est malitia, seu peccatum omissionis.

Respondetur, neg. maj. Alias malitia formalis interna, seu unice fundata in actu interno, v.g. in volitione furandi, esset externa; quia malitia objectiva est externa, Videatur La Croix *lib.*5. *n.*145.

Dices secundo. Omissio Missæ, quando in somno contingit, denominatur actu volita per volitionem præteritam; ergo per eandem quoque denominabitur actu voluntaria: & consequenter actu peccaminosa.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia esse actu volitum est prædicatum commune tempori præsenti, & præterito; nam sicut quod actu, seu hic, & nunc volo, ita etiam quod aliquando volui, dicitur actu volitum pro isto, seu præsenti tempore. At vero esse actu voluntarium est prædicatum proprium tempori præsenti: unde non verificatur, nisi forma, vel quasi forma (qualis in proposito est libertas moralis) actu existat; quomodo tamen non existit in somno.

Dices tertio. Malitia actus interni derivatur in actum externum; ergo etiam malitia causæ in omissionem; ergo omissio Missæ, quando contingit tempore somni, erit mala.

Confirmatur. Omissio Missæ, dum fit tempore somni, est consummatio malæ volitionis, qua audiendæ Missæ impedimentum ponitur; ergo erit & ipsa mala.

Respondetur ad argument. dist. ant. Malitia actus interni derivatur in actum externum liberum, con. non liberum, neg. ant. & conf. Ergo & malitia causæ derivatur in omissionem liberam, con. non liberam, neg. hanc, & alteram conf. siquidem omissio Missæ, quando contingit tempore somni, non est libera.

Ad Confirmat. itidem dist. ant. Est consummatio physica, & materialis, con. moralis, & formalis, neg. ant. & conf. Sicut actus externus, si libertate destituatur, non potest dici consummatio moralis, & formalis actus interni, puta malæ volitionis, ita nec omissio Missæ, contingens in somno, ob eandem rationem, videlicet ob defectum libertatis.

CASUS III.

744. *Henricus, Sacerdos juxta, ac Canonicus, Matutinum, Laudes, & quatuor Horas minores una cum aliis Canonicis ante prandium in Choro rite persolvere solet; at Vesperas, & Completorium post prandium quandoque (ut ajunt) Romam mittit, venationi, & vino plus, quam deceat, addictus. Quæritur, an Henricus Vesperas, & Completorium omittendo committat duo specie peccata; atque adeo duplicem Officii Divini recitandi titulum in confessione aperire teneatur, dicendo, se esse Sacerdotem, & Canonicum; consequenter tam ratione Ordinis sacri, quam ratione Beneficii, ad illius recitationem obligatum?*

RESpondetur, quod Henricus non committat duo specifice distincta peccata, sed unum duntaxat. Palao *de Peccat. disp.*3. *pun.*1. *n.*2. Sporer *tr.*1. *c.*4. *n.*14. & alii communius. Ratio est: quia licet Henricus ad recitandum Divinum Officium obstringatur duplici titulo, videlicet & ratione Ordinis sacri, & ratione Beneficii, adeoque geminam obligationem gerat; utraque tamen ipsi imposita est ex eodem formali motivo Religionis; ergo illud omittendo solum peccat contra virtutem

tutem Religionis, in quantum hæc stringit sub eodem formali, & specifice indistincto motivo. Sed

Dices cum P. Arsdekin. Si Canonicus recitare negligit Divinum Officium, tenetur ad restitutionem fructuum; ergo signum est, quod non recitando etiam peccet contra Justitiam commutativam: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Tenetur ad restitutionem fructuum ex lege positiva Ecclesiæ, lata per Concil. Lateranense sub Leo X. celebratum, ut testatur Azorius *tom.1. lib.10. cap.14. q.2.* con. ex lege naturali Justitiæ, neg. ant. & cons.

C A S U S IV.

745. *Hermenegildus, Frater Minor, in Vigilia S. Bartholomæi, incidente in Feriam sextam, a suo Superiore foras emittitur ad locum duabus horis a monasterio dissitum, ut certo cuidam Domino, in ipso S. Bartholomæi Festo sacrum suo Nomini diem agenti, consueta gratulationis complementa deponat. Hermenegildus statim in prævigilio præfati Festi rite suo munere functus una cum aliis Hospitibus mensæ adhibetur, & piscibus laute tractatur; quorum etiam esu ita se oblectat, ut ad satietatem usque comedendo jejunium violet. Quæritur, an Hermenegildus unum duntaxat, vel duo specie peccata perpetret?*

RESpondetur ad hunc Casum fictum (quia fors nunquam factum) quod Hermenegildus unum duntaxat peccatum perpetret. Rodriquez *tom.1. q.26. art.4.* Herincx *disp.5. de Peccat. n.50.* Kerkove *super nostra Statut. General. c.1. §.14. n.16.* & Nostrates satis communiter contra plerosque Extraneos. Ratio est: quia Frater Minor non obligatur ad jejunium Regulare sub voto (ut Adversarii perperam supponunt) sed solum sub præcepto Regulæ, quod stringit ex eodem motivo virtutis Abstinentiæ, ex quo præceptum Ecclesiæ; ergo Hermenegildus in Casu solum violat duo præcepta materialiter, & numero, non vero formaliter, & specie distincta: consequenter &c. Ant. ostenditur. Vel enim illud votum esset votum simplex, vel esset votum solemne? Non esset votum simplex, quia de tali voto in professione S. Regulæ nulla fit mentio: neque esset votum solemne; alias in S. professione ederemus plura vota solemnia, quam tria: quod hactenus nemini Fratrum Minorum in mentem venit. Et sane si Frater Minor promitteret jejunium, & alia, quæ continentur in S. Regula, ex quo sub obligatione voti, frustra adderet, & specificaret, *Vivendo in Obedientia, sine proprio, & in Castitate*: siquidem hæc tria cum aliis in eadem Regula æque continentur.

Dices. Frater Minor in S. professione diserte dicit: *Voveo, & promitto servare Regulam &c.* ergo ad omnia, quæ Regula complectitur, obligat se sub voto.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Nam Frater Minor dicit, quod voveat, & promittat servare Regulam eo modo, quo obligat, con. alio modo, neg. ant. & cons. Siquidem Regula Fratrum Minorum non obligat ad omnia sub voto, sed ad plura sub præcepto: veluti constat ex Clemente V. *in Conc. Viennensi cap. Exivi de Paradyso*, ubi dogmatice declarat, Fratres Minores non solum obligari ad servanda tria vota, sed etiam ad servanda præcepta, quibus illa modificantur; ut loquitur altefatus Pontifex: consequenter &c.

C A S U S V.

746. *Hadrianus Juvenis, Veneri perdite deditus, erga Hadrianam ejusdem farinæ puellam, turpe concipit desiderium, cujus explendi causa ædes amasiæ petit, ibique cum eadem, ac aliis domesticis ludit, & potat per quatuor fere horas, sæpe interea pravam suam intentionem iterans. Tandem commodam occasionem nactus cum sola Hadriana agendi, eam repetitis vicibus libidinose alloquitur, osculatur, tangit, donec mutuo consensu ipsam quoque copulam exerceant. Quibus peccatis, Hadrianus, nondum libidinis satur, obscœnos sermones, oscula, & tactus repetit. Quæritur, quot peccata Hadrianus committat, & quomodo in confessionali se explicet?*

RESpondetur primo, Hadrianum concipiendo pravum desiderium fornicandi, illud sæpius iterando, sermones obscœnos, oscula, & tactus copulæ præmittendo, & denique ipsum fornicationis opus consummando, unum numero peccatum committere. Tamburinus *in Meth. exped. Conf. lib.2. c.1. n.35.* Burghaber *cent.1. cas. 34.* Sporer *tr.1. c.4. sect.3. n.21.* & alii communiter. Ratio est: quia singulæ illæ actiones, copulam præcedentes, exercentur in virtute voluntatis adhuc moraliter perseverantis, ac ordinantur ad consummandum opus fornicationis; & esto interrumpuntur physice, non tamen interrumpuntur moraliter; siquidem ex una parte interruptiones illæ physicæ sunt modicæ, & ex altera voluntas fornicandi nec formaliter, nec interpretative retractari supponitur; ergo &c. Revideantur, quæ diximus supra *n.680. & seq.*

Respondetur secundo, obscœnos sermones, oscula, & tactus, quos exercet Hadrianus post habitam copulam, non coalescere moraliter cum copula in unum, idemque numero peccatum. Ita cum Suarezio, & multis aliis P. Abreu *lib. 10. sect. 3. n. 386.* contra Burghaber, Sporer, & alios quam plurimos. Ratio est: quia actus illi subsequentes non sunt partes integrales, vel complementa copulæ habitæ, cum hæc ex se jam supponatur omnimode absoluta, & consummata, nec ex natura rei illam sequuntur; sed assumuntur ex malitia operantis, suntque reipsa, & ex seipsis inchoatio novæ copulæ, ad quam perficiendam tanquam dispositiones præviæ in sensu explicato supra *n.681.* ordinantur; ergo &c. Sed

Dices. Si præfati actus statim post copulam habitam exerceantur, & ad eam, non vero ad novam copulam referantur, videntur omnino cum illa moraliter uniri, & unum numero peccatum cum eadem constituere.

Respondetur, neg. assumptum. Nam illa relatio ad copulam præteritam est mere affectiva, & inefficax, non vero effectiva, & efficax; idque ob repugnantiam ex parte objecti, id est, ex parte illorum actuum, quibus ex sua natura repugnat referri ad copulam præcedentem, & jam plene consummatam. Et esto non supponantur referri ad novam copulam, sunt nihilominus, & manent peccaminosi in se, atque seorsim. Revideantur dicta *n.681.*

Ex quibus fit, ut Hadrianus non teneatur exprimere in confessione actus copulam præcedentes, sed satisfaciat, si dicat, se fornicatum esse; teneatur vero exprimere actus eandem copulam subsequentes, dicendo, se, post commissam fornicationem adhuc cum amasia turpes sermones, oscula, & tactus exercuisse.

C A S U S VI.

747. *Hermogenes Sacerdos, & Confessarius, in S. Tribunali occupatus, prolabitur in morosam delectationem de peccatis, a certa quadam pœnitente sibi expositis. Et quamvis bene advertat, se graviter deliquisse, absolvit nihilominus & illam, & adhuc quatuor alias personas sibi confessas, nullo prævie elicito contritionis actu. Quæritur, an Hermogenes sic absolvendo unum duntaxat, vel quinque peccata mortalia patret?*

RESpondetur, quod Hermogenes quinque peccata mortalia patret. Ita cum Bonacina, Possevino, Escobar, Oviedo, Dicastillo, Borgia, Platelio P. La Croix *lib.5. n.171.* Mezger *tr.4. disp.19. art.2. n.10.* Babenstuber *tr.2. disp.3. art.3. n.26.* contra Gobat, Stoz, Sporer &c. Ratio est: quia tot peccata mortalia patrat Hermogenes, quot Sacramenta integra, & completa in statu disgratiæ, adeoque sacrilege administrat; cum peccata numero multiplicentur ad multiplicationem numericam objectorum integrorum, & completorum in sensu exposito supra *n.668.* atqui sacrilege administrat quinque Sacramenta integra, & completa; nam singulorum pœnitentium confessio, & absolutio constituit unum integrum, & completum Sacramentum Pœnitentiæ; ut de se patet; ergo &c.

Respondet P. Sporer *tr.1. c.4. sect.3. n.22.* omnes illas absolutiones, ut actu continuo successivo fiunt, ad unum moraliter pertinere ministerium absolvendi, utpote quod ex natura sua non determinat sibi certas personas; quin potius per modum sacri Tribunalis communis postulat, ut omnibus ad Tribunal accedentibus jus dicatur. Sed

Contra est primo, quod ex hac responsione indeclina-

clinabiliter sequatur, Judicem forensem, si actu continuo successivo quinque injustas sententias proferat, non committere nisi unum peccatum; cum illæ quinque prolationes similiter pertineant ad idem ministerium judicandi, utpote quod & ipsum ex sua natura non determinat sibi certas personas, sed postulat, ut omnibus ad Tribunal accedentibus jus dicatur: sequela autem est falsa, & contra omnes; ergo &c. Nec evadis, si dicis, ideo Judicem forensem quinque peccatorum reum effici: quia quinque homines injuriat. Non, inquam, evadis; nam etiam Judex Sacramentalis, seu Hermogenes in Casu quinque Sacramenta Pœnitentiæ injuriat, quatenus illa in statu disgratiæ, & sacrilege administrat: quæ injuriæ sunt æque completæ, & moraliter inunibiles, ac injuriæ illis quinque hominibus irrogatæ.

Contra est secundo. Quamvis ministerium absolvendi non determinet sibi certas personas, ejus tamen naturæ est, ut tanquam actio judicialis per modum sententiæ toties perficiatur, & compleatur individualiter, quoties circa certum aliquem reum exercetur. Unde tantum est, ut actiones, sive absolutiones illæ pertineant ad eandem numero functionem prædicti ministerii, ut potius sint quinque functiones, sive (quod in idem recidit) quinque ministeria individualiter completa, moraliter distincta, & disparata, quorum unum alteri non est subordinatum, nec subordinabile repugnantia se tenente ex parte objectorum nullo modo connexorum, aut coordinatorum; prout ex dictis liquet. Unde etiam nihil facit, quod actu successivo continuo peragantur: hoc enim non sufficit ad tribuendam illis unitatem moralem; cum illa detur, ut proxime dictum, repugnantia moralis unibilitatis ob conditionem in objectis repertam: sicut ex eodem capite celebrationes trium Missarum, in Nativitate Domini consequenter, & continue peractæ, sunt tria ministeria distincta, & moraliter inunibilia.

Dices primo. Si Sacerdos in statu peccati mortalis simul consecret quinque hostias, non committit quinque peccata; ergo neque si in simili statu absolvat quinque pœnitentes.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia illæ hostiæ moraliter uniuntur, & constituunt unum objectum totale, seu unam materiam consecrabilem, supra quam forma consecrationis una, eademque numero, cadit, & verificatur. Aliter res se habet in nostro Casu; prout ex dictis constat. Sed

Instabis. Illæ hostiæ sunt quinque Sacramenta, eaque integra, & completa; ergo non possunt inter se moraliter uniri; sicut ipsimet supra de absolutionibus, & Sacramentis Pœnitentiæ arguebamus.

Respondetur, dist. ant. Sunt quinque Sacramenta, si considerentur in fieri, seu quatenus substant uni, eidemque actioni consecrativæ, neg. si considerentur in facto esse, seu post consecrationem, subdist. sunt quinque Sacramenta, facta divisione specierum, con. non facta divisione specierum, neg. ant. Ita Paulus Mezgea *loc.cit.n.*11. Quæ tamen responsio, & distinctio majorem accipiet lucem ex dicendis *de Sacram.Euchar.*

Dices secundo. Si Sacerdos, in statu disgratiæ constitutus, quinque hominibus S. Eucharistiam dispenset, non committit nisi unum peccatum; ergo idem dicendum, si in simili statu constitutus absolvat quinque pœnitentes.

Respondetur, neg. ant. Sed committit quinque peccata, eaque mortalia, si teneatur, quod in statu disgratiæ Eucharistiam dispensare sit mortale; venialia vero, si teneatur, quod sit veniale: de quo videbimus suo loco. Ratio negandi est: quia quælibet dispensatio Eucharistiæ est completa administratio Sacramenti, & completum convivium spirituale relate ad quemlibet communicantem, nec unum ordinatur ad alterum, quocum moraliter coalescat. Ita cum Vasquez, Coninck, Palao, Oviedo, Dicastilo P. La Croix *loc. cit. num.* 172.

Instabis. Si Sacerdos, in statu disgratiæ constitutus, uni, eidemque communicanti det simul quinque hostias, unum duntaxat peccatum committit; ergo etiam, si totidem det quinque communicantibus.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia in casu antecedentis, cum species Eucharisticas non separet, unum duntaxat Sacramentum administrat; quinque vero in casu consequentis, ubi species separat: consequenter &c. Considera, quæ diximus in responsione ad instantiam immediate præcedentem.

CASUS VII.

748. *Heraclius confitetur in hunc modum*: ter, somno nondum plene discusso, pollutionem passus, in eaque delectatus sum: decies non servavi votum, quo promisi singulis diebus Sabbatinis parvam dare eleemosynam in honorem B. Virginis: diversis diebus festivis per breve tempus serviliter laboravi: uno, eodemque die jejunii sæpius quid modicum comedi. *Quale Confessarius judicium feret de hisce peccatis Heraclii?*

Respondetur. Confessarius ad primum judicabit, Heraclium non peccasse mortaliter. Ratio est: quia is nondum fuit plene sui compos; consequenter imperfectum duntaxat præbuit consensum in pollutionem, & delectationem inde resultantem. Ad secundum itidem peccati mortalis condemnare Heraclium non poterit. Ratio est: quia illæ obligationes videntur fuisse affixæ diei; cum Heraclius illas sibi imposuerit ex intentione diebus Sabbatinis specialiter honorandi B. Virginem; ergo singulæ fuerunt finitæ cum lapsu diei, cui affixæ erant: consequenter moraliter uniri, & coalescere in obligationem gravem non potuerunt. Oppositum tamen judicandum foret, si Heraclius asseveraret, se memoratas obligationes non affixisse diei, sed hunc solummodo præfixisse tanquam terminum, ultra quem executio votorum non differretur; tunc enim illæ materiæ, & obligationes potuissent moraliter coalescere, atque conflare materiam, & obligationem gravem; cujus proin violatio mortaliter peccaminosa fuisset. Ad tertium feret idem judicium. Ratio est: siquidem & illæ materiæ, ac transgressiones parvæ non coaluerunt in unam gravem, sed manserunt divisæ. Ad quartum feret aliud judicium, & Heraclium peccati mortalis reum censebit. Ratio sumitur a contrario: quia plurium ejusmodi transgressionum materiæ parvæ censentur moraliter coalescere in unam materiam magnam, seu gravem; prout consideranti patebit: consequenter &c. Ita cum communi Layman *lib.2.tr.3.c.5. n.8.* Et patet *ex prop.* inter damnatas ab Alexand. VII. *ord.29. In die jejunii qui sæpius quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

CASUS VIII.

749. *Hilarinus inter alia in confessionali se accusat 1. Quod suo Domino, cui est a servitiis, sæpius modicum quid clepserit, quin tamen adverteret, parva illa furta ad notabilem, & magnam quantitatem ascensura; prout tamen postmodum ascendisse recognovit. 2. Quod suam conjugem singulis diebus, & noctibus impudice tetigerit non animo cum illa coeundi, sed mera voluptatis gratia, recogitans, ejusmodi tactus inter conjuges, si periculum pollutionis absit (prout abfuisse testatur) esse solum transgressiones Castitatis parvas, & venialiter peccaminosas; veluti ex quodam Confessario intellexerat. Qualiter in utroque puncto deliquisse censendus est Hilarinus?*

Respondetur. Hilarinus in neutro puncto mortaliter deliquisse censendus est. Probatur. Non enim in primo; nam materiæ singularum ablationum erant parvæ, nec moraliter unitæ per intentionem exinde ditescendi: & licet ultima connotative, seu per habitudinem ad præcedentes fuerit magna (prout animadvertimus supra *n.696.*) non tamen ut talis ab Hilarino cognita fuit; ergo haud apparet, ex quo capite is mortaliter deliquisse censendus sit. Tenetur tamen sub mortali materiam illam notabilem, per parva furta congregatam, restituere; quemadmodum *p.4.tr.2.* ostensuri sumus. Neque in secundo: quia illi tactus inter conjuges, etsi meræ voluptatis gratia exerciti, solum venialiter peccaminosi existunt (secluso pollutionis periculo) juxta regulam jam sæpius usurpatam: *excessus, seu inordinatus usus rei alias licitæ, non est nisi venialis culpa*: tactus autem hujuscemodi conjugibus sunt liciti, si vestiantur circumstantia debiti finis, scilicet copulæ perficiendæ, defectu cujus redduntur venialiter illiciti; pro qualibus etiam sunt habiti ab Hilarino. Porro contemptus, qui potuit intervenisse, non fuit

gravis;

gravis; cum per eum non fuerit vilipensa authoritas Legislatoris, sed tantum legis materia, & obligatio tanquam levis; prout relinquitur ex dictis *n. 697.* aliunde autem erui non potest quidquam, vi cujus prædicti tactus evaserint mortales: consequenter &c.

CASUS IX.

750. *Hesychius, homo elati spiritus, non vult subesse Majoribus, vult præferri æqualibus, vult conculcare minores; & si non potest, invidet Majoribus, quia principantur; æqualibus, quia prosperantur; minoribus, quia exaltantur: & cum nihil proficiat, concipit iram adversus Majores, æquales, minores: deinde prolabitur in acediam, qua mentis tranquillitas perturbatur, & tunc cum interiorem consolationem amiserit, ad exteriorem per avaritiam se convertit: factus inde opulentus, immoderate per ingluviem farcit ventrem; & postremo ad luxuriam resolvit carnem, a summo rationis vertice usque ad carnis infimum depravatus.* Ita S. Bonavent. 1. *part. Centiloq. sect. 15.* describit superbum hominem, unaque indigitat, quanta sit connexio inter peccata capitalia, inter quæ facilem principem sibi locum vendicat superbia, utpote ceterorum origo, & causa. *Sed Deus, qui novit parcere subjectis, & debellare superbos, tantam Hesychii superbiam ultra non ferens, eandem expugnare occœpit, Hesychium, coram aliis adeo vilem efficiendo, ut is, nolens volens, omnis omnino elationis oblivesceretur. Tandem vere facta super illum mutatio dexteræ Excelsi, mentales jamjam humiliati oculos ita aperuit, ut non solius superbiæ, sed ceterorum quoque vitiorum capitalium enormitatem perspiceret, pensitaret, & detestaretur, nihil jam magis cupiens, quam a prædictis septem dæmoniis, quibus hucusque obsessus erat, quantocyus liberari. Quapropter accurrit ad Confessarium, ceu Medicum spiritualem, sua vulnera detegit, & pro iisdem curandi salubria sibi præscribi remedia demississime juxta, ac ardentissime orat, obsecratque, Quænam adversus singula illa vulnera, & vitia Confessarius suggeret remedia?*

Respondetur. Confessarius Hesychio sequentia suggeret remedia. Et quidem

Contra Superbiam adhibenda erunt hæc quinque. Primum est: animi, & corporis miserias, peccata, & defectus inspicere. Secundum: Si aliquid laudabile, vel æstimabile videtur, alte sibi imprimere, totum non ex propriis viribus, sed ab uno, & solo Deo omnium bonorum Fonte profluere. Tertium: considerare, innumerum reperiri numerum aliorum, qui in eo, quod ipse appretiatur, excellentiores sunt. Quartum: perpendere, quam noxium sit hoc vitium, utpote quod pertrahit ad alia, etiam capitalia, & superbum Deo, ac hominibus odibilem reddit: prout Hesychius propria experientia, & damno didicit. Quintum: actibus Humilitatis idem vitium frequenter impugnare.

Contra Avaritiam servient præcipue ista quatuor. Primum est: debite recogitare, ad quæ peccatorum pericula nimia divitiarum appetentia deducat, ac ideo animam, pretioso Dei Hominis sanguine redemptam, venum exponat. Secundum: quomodo opes, tametsi in infinitum accumulentur, tandem in fine vitæ sint deserendæ. Tertium: cui post mortem cessuræ sint; forte talibus, qui beneficii ne quidem recordabuntur, abutentur &c. Quartum: exemplum Christi ob oculos ponere, qui paupertatem divitiis prætulit; quem Sanctorum innumera multitudo saluberrime est secuta.

Contra luxuriam universim applicari poterunt octo sequentia. Primum est: fugere conspectum, ac præsertim familiaritatem eam, quæ ad libidinem movet; nam qui vitat ignem, non comburetur. Secundum: corpus non delicate nutrire; sed abstinere, aut valde moderare uti cibo, & potu delicatiore, ac spiritus incendente. Tertium: aliquas castigationes corporis assumere; ut sunt gestare cilicium, jejunare &c. Quartum: diligenter custodire sensus. Quintum: initio tentationis mox Deum sibi præsentem cogitare, & heroice adversus tentationem pugnare. Sextum: quatuor novissima per tempuscula determinata collecte meditari. Septimum: otium, & liberiorem conversationem evitare. Octavum: legere frequenter pios libellos ad amorem, & timorem Dei excitandum idoneos. Ceterum Confessario incumbet exquirere tempus, ex quo pœnitens, & in Casu Hesychius, se cœpit tradere immunditiis, & quam frequenter; ut debite possit applicare medicinam.

Atque hæc remedia sunt generalia respectu luxuriæ curandæ: specialia pro expugnando vitio pollutionis, quæ est species luxuriæ, afferemus *part. 2. tr. 2. disp. 7.*
Contra invidiam tria præcipue salubria sunt remedia. Primum est: bene perpendere stupidam hujus vitii malitiam, qua invidus sibi non tantum non prodest, sed vel maxime nocet, imprudentissime seipsum arrodendo, inquietando &c. nec tamen is, cui invidet, bonum, quod habet, idcirco amittit. Secundum est: ob oculos ponere generale naturæ dictamen; quod tibi vis, etiam alteri velis. Tertium: directe animo, verbis, & opere, cum fieri potest, invidiæ motibus se opponere, actus benevolentiæ, quibus bonum proximo faveatur, eliciendo, hunc ipsum animum verbis sincere contestando, emolumentum illius quærendo, damna avertendo.

Contra iram præprimis conducent sequentia quinque remedia. Primum est: dispicere objectum, quod hactenus ad iram provocavit, & contra illud patientia se obarmare: tela nanque prævisa & minus feriunt, & moderatius feruntur. Secundum est: occasiones iræ solicite declinare. Tertium: ut malum, quod ad iram incitat, patienti animo sufferatur, sibi proponere exemplum Christi, & Sanctorum, peccata propria, copiosa, & gravia, quæ hoc, & adhuc plura, ac majora merentur. Quartum: malo tali obveniente, nonnihil se recolligere, & perpendere, an non præstet tacere, dissimulare, sermonem alio convertere? Quintum: si motus interni non valeant integre coerceri, ori custodiam ponere, linguæ frœnum iniicere, ne in verba illicita prorumpat.

Contra Gulam usurpanda præscribantur hæc remedia itidem quinque. Primum est: cibum, & potum, eorumque usum, antequam contingat, prudenter regulis Temperantiæ commensurare. Secundum: si lautitiis, vel ciborum, potusque deliciis uti oporteat, hunc ipsum usum ad finem honestum, & bonum ordinare. Tertium: altius in animum demittere, quanta sit turpitudo intemperantius vivere, ac ipsa bruta animalia vivunt, utpote quæ non vorant, quantum ipsis objicitur, nec ultra satietatem se ingurgitant. Quintum: considerare notios gulæ effectus, quales sunt valetudini destructio, vitæ decurtatio, corporis, & animi ad obeunda sua munera indispositio &c.

Contra Acediam denique proderunt sequentia quinque remedia. Primum est: in memoriam revocare beneficium creationis, redemptionis, conservationis, & alia innumera, quibus utique Deus (præterquam quod in se dignissimus sit) promeruit sibi impendi servitia ferventissima. Secundum: ponderare, quantam consolationem in morte habiturus sit, qui bonis operibus fervide institerit, & a contrario quantam desolationem, qui tepide. Tertium: recolere exempla Sanctorum. Quartum: considerare homines mundo deditos, quam fervide, & accurate sua opera peragant, ex quibus lucrum aliquod temporale sperant. Quintum: mane sibi fervorem proponere, & vespere de servato, vel non servato proposito examen conscientiæ instituere.

His præcipue remediis Hesychium adversus septem vitia capitalia extirpanda communiet Confessarius. Quod si plura forte necessaria forent, hauriri ex Asceticis possent.

Dices. Ex propositione Casus videtur sequi, quod sola superbia sit peccatum capitale, cum ex ipsa sola ceu matre oriantur avaritia, luxuria, ira &c.

Respondetur, neg. illatum. Siquidem & avaritia, luxuria, ira &c. suas filias habent, *cap. præced.* recensitas, respectu quarum sunt veluti matres, esto relate ad superbiam dici quoque possint, ac debeant quasi filiæ. Ex quo proin solum inferre licet, superbiam inter peccata capitalia esse præcipuum, seu capitalius, quam cetera: id quod in ipsa Casus propositione fassi sumus.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PARS SECUNDA.
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, & Præceptis Decalogi.

TRACTATUS PRIMUS.
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.



Ntequam ad Præcepta Decalogi exponenda accedamus, hunc de Virtutibus Theologicis, *Fide*, *Spe*, & *Charitate*, Tractatum merito præmittimus: siquidem Deus, cujus cultus ad Religionem pertinens in primo statim Decalogi Præcepto (ut sequentia non commemorem) injungitur, maxime *Fide*, *Spe*, & *Charitate* colendus est: ut habet S. Augustinus in *Enchirid. c.* 3. & 6.

DISPUTATIO I.
De Fide.

PRætermissis multiplicibus *fidei* acceptionibus, ad nostrum propositum nihil facientibus, ejus nomine cum Theologicis intelligimus virtutem quandam supernaturalem, & infusam, qua intellectus inclinatur ad credendum mysteria Religionis nostræ. Agimus autem prius de ista Virtute, non quod ceteras duas dignitate præcedant (hanc quippe prærogativam sibi vendicat Charitas) sed quoniam est *humanæ salutis initium*, *fundamentum*, & *radix omnis justificationis*, per Conc. Trid. *Sess.* 6. *c.* 8.

CAPUT I.
De Natura, & Objecto Fidei.

ARTICULUS I.
Quid sit Fides?

SUMMARIUM.

1. & 2. *Affertur, & exponitur definitio Fidei.* 3. *Infertur differentia Fidei a Spe, & Charitate.* 4. *Insinuatur, quid actus Fidei?*

1. DIco. Fides (prout de ea hic sermo est) recte definitur *virtus Theologica, inclinans intellectum ad credendum res, a Deo revelatas, propter infallibilem ipsius authoritatem.*

2. Explicatur. Dicitur 1. *Virtus Theologica*: quia Fides actu suo elicito immediate attingit ipsum Deum; prout mox explicaturi dicturi sumus. Atque in his verbis Fides convenit cum Spe, & Charitate; veluti constabit ex dicendis in *disp.* 2. & 3. differt vero a virtutibus Moralibus, & ipsa, earum principe, Religione: hæc quippe actu suo elicito (idem a potiori cogita de aliis virtutibus Moralibus) non vult immediate ipsum Deum, sed cultum Dei per orationem, adorationem &c. & licet immediate oremus, & adoremus Deum; oratio tamen, & adoratio non sunt actus eliciti Religionis; talis nanque est devotio, eaque sola, consistens in prompta voluntate exequendi illa, quæ ad cultum Dei pertinent. Sporer *tr.* 2. *n.* 1.

Dicitur 2. *Inclinans intellectum*, ut insinuetur, partim, quod data definitione definiatur Fides habitualis; partim, quod subjectum Fidei sit Intellectus.

Dicitur 3. *Ad credendum res a Deo revelatas*, ut denotetur objectum materiale Fidei, quale sunt res, seu mysteria a Deo revelata.

Dicitur 4. *Propter infallibilem ipsius authoritatem* ad exprimendum objectum formale, seu motivum, cui Fides in eliciendis suis actibus, sive assensibus innititur. Verum de his plura in *art. seq.*

3. Colliges primo, Fidem a Spe, & Charitate dupliciter præcipue ex capite differre. Nam 1. Fides, ut vidimus, pro subjecto habet intellectum; Spes vero, & Charitas voluntatem. 2. Fides actu suo elicito immediate tendit per cognitionem in Deum, ut primam Veritatem: Spes actu suo elicito immediate concupiscit, & intendit consequi Deum, ut summum Bonum nostrum: Charitas actu suo elicito immediate amplectitur Deum, ut summum Bonum in se.

4. Colliges secundo, Fidem actualem esse *assensum, ex prævia intellectus illustratione, & pia voluntatis affectione, mysteriis revelatis, aut uni ex illis præstitum propter authoritatem Dei revelantis*: id quod ex dictis fluit, vel saltem erui potest.

ARTICULUS II.
Quale Fides habeat objectum, & quomodo hoc debeat esse credibile?

SUMMARIUM.

5. *Objectum materiale Fidei sunt omnia a Deo revelata, ita tamen, ut Deus sit objectum primarium: debetque esse evidenter credibile.* 6. & *seqq. Diluuntur argumenta contraria.* 10. *Objectum materiale fidei aliud est complexum, aliud incomplexum.* 11. *Assignantur ad tale objectum pertinentia.* 12. *Objectum formale Fidei est authoritas, seu veracitas Dei revelantis.* 13. & 14. *Solvuntur objectiones.* 15. *Oportet distinguere inter motivum intrinsecum, & extrinsecum credendi.*

5. DIco primo. Objectum materiale Fidei (1.) sunt omnia a Deo revelata, ita tamen, ut Deus sit objectum primarium: atque hoc objectum (2.) debet esse evidenter credibile. DD. communissime.

Probatur prima pars. Quia illud est objectum materiale Fidei, circa quod Fides actibus suis elicitis versatur: atqui versatur circa omnes res a Deo revelatas; siquidem homo fidelis credit, quidquid Deus revelavit, & quod non revelavit, non credit, actu scilicet supernaturali; ergo omnes res, a Deo revelatæ, sunt objectum materiale Fidei.

Dixi in conclus. *ita tamen, ut Deus sit objectum primarium*: siquidem ad ipsum pertinent præcipui nostræ Religionis articuli, puta de Deo Uno, Trino, Creatore, Justificatore, bonorum Remuneratore, malorum Vindice &c. Unde reliqua, quæ Fidei attingit, & Deus non sunt, ad hunc ut ad primum credibile referuntur; ideo enim revelantur, & Fides illa attingit, ut Deus, ejusdemque perfectiones melius cognoscantur.

Probatur secunda pars primo authoritate S. Scrip. quia *Psal.* 92. dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: atqui nisi essent evidenter credibilia, minus, quam nimis essent credibilia, ut patet; ergo &c.

Probatur secundo eadem pars ratione. Assensus Fidei usque adeo firmus, & immutabilis existere debet, ut omnem penitus voluntatem excludat ullo unquam tempore credendi contrarium, tametsi Angelus de cœlo veniret, & illud testificaretur, ad *Galat.* 1. atqui tam firmus, & immutabilis esse non posset, si præsupponeret judicium probabile tantum de rebus credendis, & non judicium evidens; ergo &c. Prob. min. Si quis probabiliter tantum judicet, revelatum esse mysterium, v. g. SS. Trinitatis, & sic illud credat, nihil obstat, quo minus suam opinionem mutet, & postea judicet contrarium, videlicet alteratum mysterium non esse revelatum: quo casu liceret resilire ab assensu Fidei pristino, & credere, quod non sit revelatum; ergo assensus Fidei hoc tali casu tam firmus, & immutabilis esse non posset.

6. Obji-

6. Objicies contra secundam partem primo. Pueri, rationis usu pollentes, & idiotæ adulti credunt illa, quæ ipsis tanquam Divinitus revelata proponuntur, v. g. a Parocho: sed ejusmodi pueris, & idiotis veritates Fidei non redduntur evidenter credibiles, saltem regulariter loquendo; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam etiam pueri, & idiotæ, pro suo quisque captu, formant judicium evidens de credibilitate mysteriorum fidei: fundant enim se tum in attestatione, v. g. Parochi, quem simplici mente existimant fide dignum, nihil formidantes de contrario: & hoc est, quod S. Augustinus dixit: *turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit*. Unde pueri, & idiotæ secum virtualiter saltem, ita ratiocinantur: *nos indocti in rebus, præsertim Religionis, quas ignoramus, debemus stare judicio prudentum, & timoratorum hominum: sed hujusmodi est Parochus; ergo debemus stare judicio Parochi, & credere, quæ ipse nobis credenda proponit*. Revideantur dicta *part.* 1. *n.* 189. Tum in signis credibilitatis, & miraculis a Deo patratis ad veritates fidei confirmandas, quæ signa, & miracula illis proponuntur a Parocho, Parentibus &c.

7. Objicies secundo. Si mysteria fidei forent evidenter credibilia, nemo posset judicare, illa non esse credibilia, vel esse incredibilia; neque enim nisi fatuus, aut cæcus negare potest, id esse credibile, quod evidenter credibile est: sed multo Philosophi Ethnici olim irriserunt mysteria fidei nostræ tanquam incredibilia, idque faciunt hodiedum Pagani, & Hæretici; ergo &c.

Respondetur, con. maj. (stante nimirum evidentia credibilitatis, & in sensu composito) ad min. ajo, hoc ideo contingere: quia nolunt satis ponderare motiva credibilitatis, idque ob pravum affectum ipsis prædominantem, ex qua causa destituuntur evidentia credibilitatis.

Dices: Siquis stante evidentia credibilitatis, non possit judicare, nostræ fidei mysteria non esse credibilia, non erit liber in credendo: sequela est absurda; ergo &c.

Respondetur, dist. sequelam maj. Non erit liber libertate specificationis, ita ut possit mysterium revelatum, & evidenter propositum credere, vel oppositum credere, con. non erit liber libertate exercitii, ita ut possit assensum fidei obscurum suspendere, neg. seq. maj. & distinctione applicata minori, conf.

8. Objicies tertio. Theologi non possunt evidenter ostendere falsitatem, aut impossibilitatem propositionis, Mysterio Trinitatis v. g. repugnantis; ergo non potest dici Mysterium Trinitatis (idem cogita de aliis fidei mysteriis) esse evidenter credibile.

Respondetur, permisso ant. neg. conf. Esto enim Theologici nequeant evidentet ejusmodi propositionis falsitatem, aut impossibilitatem ostendere; possunt tamen evidenter ostendere ejusdem incredibilitatem (quod nimirum sit indigna, quæ credatur ab ullo prudenti Viro) uti & mysterii, cui opponitur, credibilitatem.

9. Objicies quarto. Objectum Fidei non est clarum, aut evidens, sed obscurum; ergo non apparet, quomodo possit esse evidenter credibile.

Respondentur, neg. conf. Nam aliunde, seu ex aliis principiis, desumitur claritas, ac evidentia objecti, & ex aliis evidentia credibilitatis. Prior enim desumitur ex natura ipsiusmet objecti, adeoque ab intrinseco, sive ex principiis intrinsecis rei: posterior vero ab extrinseco, seu ex principiis, & motivis extrinsecis rei. Unde citra ullam contradictionis, aut contrarietatis umbram hæc duo simul consistere possunt, objectum fidei *non esse evidens, sed obscurum*, & nihilominus *evidenter credibile*.

Ut autem hæc responsio plenius intelligatur, oportet duo advertere. Primum est, quod assensus fidei sit necessario obscurus obscuritate se tenente ex parte objecti, sive rei revelatæ, & regulariter etiam, non tamen semper, & absolute obscuritate se tenente ex parte revelantis. Necessitas prioris obscuritatis ostenditur cum ab authoritate, tum a ratione. Ab authoritate quidem: quia Apostolus ait: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*: & S. Augustinus: *Quid est Fides, nisi credere, quod non vides?* A ratione vero: quia assensus fidei nititur sola authoritate Dei revelantis, ita ut res revelata ad illum motive non concurrat: cujus tamen oppositum fieri deberet, si res revelata in se evidens foret; siquidem intellectus ab objecti evidentia trahitur, & movetur. Necessitas posterioris ostenditur ex eo, quod Deus, mysteria nostræ Fidei revelans, homini clare non innotescat regulariter loquendo. Hæc tamen obscuritas (ut diximus) non est simpliciter, & absolute necessaria ad assensum fidei; cum hic juxta communem Theologorum consistere possit cum evidentia Dei revelantis; nam per hoc, quod Deus revelans credenti clare innotescat, objectum revelatum non evadit evidens in se, sed in solo verbo Dei; ergo retinet obscuritatem objectivam, eamque in assensum fidei transfundit. Alterum est, quod signa, & notæ, quæ Fidem Catholicam reddunt evidenter credibilem, sint præcipue sequentes. Nempe Sanctitas doctrinæ: Firmitas, & Uniformitas in quocunque loco, & tempore inter tot persecutiones: Christi Authoris Sapientia: Ministrorum virtus, per quos propagata est: Modus propagationis per paucos Piscatores, & rudes: Constantia Martyrum: Prophetiæ antecedentes, tam dilucide impletæ: Gloria tot miraculorum; & aliæ similes, quibus visis infideles sunt inexcusabiles; ut dicitur *ad Rom.* 1. & fideles cum fiducia usurpare possunt illud Richardi a S. Vict. *lib.* 1. *Trinit. c.* 2. *Domine si error est, quem credimus, a te decepti sumus; iis enim signis doctrina hæc est confirmata, quæ non nisi a te fieri potuerunt*.

10. Colliges primo, objectum materiale Fidei aliud esse, & dici *incomplexum*, & aliud *complexum*. Incomplexum est subjectum, vel prædicatum propositionis divinitus revelatæ, & de fide credendæ. Complexum est ipsa propositio divinitus revelata, & de fide credenda. Sporer *loc. cit. sect.* 2. *n.* 7. Reiffenstuel in *Theolog. Moral. tr.* 4. *dist.* 2. *q.* 1. *num.* 6.

11. Colliges secundo, ad objectum materiale Fidei pertinere 1. Deum, ejusque existentiam. 2. Mysterium SS. Trinitatis. 3. Creationem mundi, & Redemptionem generis humani per Christum factam 4. Quidquid in S. Scriptura, & libris Canonicis continetur. Et licet aliqua eorum videantur parum facere ad cognitionem Dei, v. g. quod canis Tobiæ caudam moverit; quod Saul asinas quæsierit &c. nihilominus cum & ipsa nobis a Deo revelata sint, propter authoritatem revelantis fide Divina credenda sunt, tanquam partes integrales historiarum Dei providentiam, & bonitatem manifestantium; adeoque objectum materiale Fidei ingrediuntur. 5. Quæ ab Apostolis tradita sunt, & ab Ecclesia nobis credenda proponuntur. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 5.

12. Dico secundo. Objectum formale Fidei est Veracitas, & Authoritas Dei revelantis. Ita Scotus q. 1. *Prologi*, & alii communiter.

Probatur. Quia illud est objectum formale Fidei, in quod tanquam rationem motivam credendi ultimate resolvitur assensus credentis: sed hic ita resolvitur in veracitatem, & authoritatem Dei revelantis; ergo &c. Major est omnium. Minor ostenditur, & declaratur. Si enim fideles interrogentur, quare Deo mysteria fidei revelantis credant, illico respondent: quia infinite verax est; ergo &c.

Confirmatur. Objectum formale fidei humanæ est veracitas hominis dicentis, seu referentis, quod sic creditur; ergo objectum formale Fidei Divinæ est veracitas Dei revelantis &c.

13. Objicies primo. Veracitas Dei resolvitur in Deitatem; ergo assensus credentis non resolvitur ultimate in Veracitatem Dei, sed in ipsam Deitatem: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Resolvitur in Deitatem, tanquam in rationem essendi, con. tanquam in rationem credendi, neg. ant. Nam interroganti, cur Deus sit infinite verax? recte respondetur: quia Deus est Deus. At interroganti, cur præbeatur assensus propositioni a Deo revelatæ? sinistre responderetur: quia Deus est Deus; sed respondendum: quia Deus, qui illam revelavit, est infinite verax.

14. Objicies secundo. Objectum Fidei non movet ad præstandum sibi assensum, nisi quatenus est revelatum; ergo revelatio ipsa est objectum formale Fidei, saltem partiale.

Confirmatur. Si rogentur fideles, quare credant hanc, vel illam propositionem esse a Deo, ut prima Veritate revelatam, respondere solent, saltem rudiores:

quia id testatur S. Mater Ecclesia; ergo ad objectum formale Fidei etiam pertinet authoritas humana Ecclesiæ, ejusque testimonium: consequenter &c.

Respondetur ad object. dist. ant, Non movet, nisi quatenus revelatum &c. prout ly *quatenus* denotat conditionem applicativam objecti credendi ad potentiam intellectivam credentis, con. prout denotat motivum, & rationem formalem credendi, neg. ant. & conf. Revide, quæ diximus *part.* 1. *n.* 206. & servata proportione, huc applica.

Ad confirmat. similiter dist. ant. Prout ly *quatenus* denotat motivum extrinsecum, & conditionem, sine qua fideles, rudiores saltem, non crederent, vel etiam credere proxime non possent, con. prout denotat motivum intrinsecum, & rationem formalem, ob quam ultimate credant, neg. ant. & conf. Motivum intrinsecum credendi est Veracitas Dei; ipsa vero revelatio conditio, sine qua fideles proxime credere non possent: motivum vero extrinsecum est authoritas humana Ecclesiæ (& alia *n. seq.* recensenda) ipsum vero testimonium Ecclesiæ conditio, sine qua fideles saltem rudiores proxime credere non possent.

15. Colliges, ad modo dicta melius intelligenda bene distinguendum esse inter motivum intrinsecum actus fidei, quod est unice veritas Dei revelantis, & inter rationes extrinsecas impellentes ad actum fidei, quæ sunt authoritas humana Ecclesiæ, vel Parochi, Miracula, Prophetiæ, Sanctitas doctrinæ, Consensus Doctorum, & alia signa credibilitatis. Sicut enim relate ad actum charitatis aliud est motivum intrinsecum, videlicet bonitas Dei absoluta, & aliud motivum extrinsecum impellens ad actum charitatis, quod sæpe est metus gehennæ &c. adeo, ut actus non esset charitatis, nec dolor de peccatis esset perfecta contritio, sed attritio, si eliciens moveretur a metu gehennæ; secus vero, si a metu gehennæ solum impellatur ad Deum diligendum, & peccata detestanda ex motivo Divinæ bonitatis offensæ: ita actus fidei non esset fidei Divinæ, nec supernaturalis, & infallibiliter certus, si ad eum eliciendum moveret authoritas humana Ecclesiæ, Parochi &c. secus vero, si ea tantum impellat ad credendum ex motivo intrinseco divinæ veracitatis. Ita P. Viva quasi in terminis *super prop.* 19. ab Innoc. XI. damnatam *n.* 2.

CAPUT II.

De Necessitate Fidei.

ARTICULUS I.

De Necessitate Fidei, quæ dicitur necessitas medii.

§. I.

Quibus, & ad quid Fides sit necessaria necessitate medii?

SUMMARIUM.

16. *Necessitas alia est* medii, *alia* præcepti. 17. *Fides habitualis omnibus omnino hominibus est necessaria necessitate medii tam ad salutem, quam ad justificationem.* 18. *Actualis vero omnibus, & solis adultis, usu rationis præditis.* 19. *Adstruitur, qualis esse debeat fides actualis, adultis, præfato modo necessaria.* 20. *Explicantur nonnullæ propositiones in præsenti materia damnatæ.*

16. PRænotandum, necessitatem respectivam in ordine ad consecutionem finis aliam esse *medii*, aliam *præcepti*. Prior in proposito dicitur, qua aliquid ita est ad salutem, vel justificationem necessarium, ut homo, eo sive culpabiliter, sive inculpabiliter non habito, secundum modernam Dei providentiam salvari, aut justificari nequeat. Posterior dicitur, qua aliquid ita ad salutem, vel justificationem necessarium est, ut homo, eo inculpabiliter non habito, salvari, aut justificari possit, esto non possit, si illud non habeat culpabiliter. De necessitate prioris generis in hoc articulo, de necessitate vero posterioris generis in sequenti nobis sermo erit. Nunc

17. Dico primo. Fides habitualis omnibus omnino hominibus, sive ii parvuli, sive adulti sint, necessaria nessitate medii tam (1.) ad salutem, quam (2.) ad justificationem. Est dogma fidei.

Probatur conclusio quoad utranque partem ex illo *ad Hebr.* 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*; ergo etiam sine ea impossibile est (juxta legem, & providentiam Dei ordinariam) salvari, aut justificari; cum non solum salvari, sed etiam justificari non possint non placere Deo. Quod autem præcitata verba accipienda sint de fide habituali, patet; siquidem de actuali in parvulis, quos tamen, & ipsos, cum absolute, & universaliter sonent, concernere debent, verificari nequeunt.

18. Dico secundo. Fides actualis (id est, actus fidei, seu interna credendorum confessio) est omnibus, & solis adultis, usu rationis præditis, necessaria necessitate medii tam (1) ad salutem, quam (2.) ad quamcunque justificationem. Est itidem dogma orthodoxæ Religionis.

Probatur prima pars tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem; nam Marci *ult.* habetur: *Qui non crediderit condemnabitur*: & in Symbolo Athanasii: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Quæ utriusque textus verba in omnes, & solos adultos, ratione utentes, cadere, nemo est, qui non videat. Ratione vero: quia Deus de via ordinaria non salvat adultos rationis compotes, nisi per proprios actus tendant in ipsum tanquam ultimum finem supernaturalem: hoc autem præstare non possunt sine actu interno fidei; finis quippe prius debet esse cognitus (quod in præsenti statu fit per actum fidei) quam intentus, & quæsitus; ergo &c.

Probatur secunda pars itidem tam authoritate, quam ratione. Authoritate; nam in textu *ad Hebr.* 11. supra adducto subjungitur: *credere enim oportet accedentem ad Deum*, id est, volentem justificari. Et ratione: quia sicut Deus neminem adultorum salvat, nisi is cooperetur per proprios actus, secundum dicta in *probat. præced.* Ita etiam neminem justificat.

19. Quæres, qualis esse debeat fides actualis, adultis præfato modo necessaria?

Respondetur primo. Debet esse supernaturalis ex parte tam *principii*, quam *objecti*. Ex parte principii: quia *Joan.* 6. dicitur: *Nemo potest venire ad me* (scilicet per fidem, ut patet ex contextu) *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Ex parte objecti: idque non solum materialis, seu rei creditæ, sed etiam formalis. Ratio prioris membri est: quia tendere debet in objecta a Deo revelata, & præcipue in ipsum finem ultimum. Unde proscripta est a Conc. Rhemensi propositio Petri Abailhardi: *Nihil est credendum, quod excedat intellectus nostri virtutem.* Ratio posterioris membri est: quia fides debet esse infallibiliter certa, prout mox videbimus; qualis tamen non esset, si niteretur motivo naturali duntaxat, a creaturis desumpto. Unde Innoc. XI. confixit hanc *prop. ord.* 23. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.*

Respondetur secundo. Licet fides illa sit obscura, prout expositum est *n.* 9. debet nihilominus esse absolute certa, imo certior quocunque assensu naturali, etiam scientifico. Primum patet ex Script. quia 2. *ad Timoth.* 1. dicitur: *Scio, cui credidi, & certus sum &c.* Secundum vero ex S. Chrysostomo, qui *homil.* 21. *in epist. Hebr.* ita loquitur: *Neque fides dici potest, nisi tam circa ea, quæ non videntur amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit.* Confirmatur utrunque hac ratione: siquidem fides habet & certitudinem infallibilitatis, cum sit necessario connexa cum veritate objecti, ita ut impossibile sit, eam esse falsam; & certitudinem adhæsionis; cum tendat modo tam firmo in objectum, eidemque tam tenaciter adhæreat, ut intellectus vi talis tendentiæ, & adhæsionis paratus sit potius negare quodcunque aliud objectum, quam illud, cui hic, & nunc assensum præbet. Ceterum fides certitudinem infallibilitatis derivat tum ab objecto formali, nimirum a veracitate Dei: tum ab habitu fidei essentialiter determinato ad verum: tum denique ab ipsamet supernaturalitate, quæ talis est, ut stare cum falsitate nullatenus possit. Certitudinem adhæsionis similiter obtinet partim ab objecto formali; partim a gemino judicio credibilitatis, speculativo scilicet (ut ita loquar) quo quis evidenter judicat, mysteria fidei esse evidenter credibilia; & practico, quo evidenter judicat, ea esse credenda; ac denique ab imperio, & pia

motione

motione voluntatis imperantis intellectui, ob authoritatem Dei revelantis eliciendum esse assensum fidei firmissimum.

Respondetur tertio, Eadem fides respectu aliquorum saltem mysteriorum debet esse explicita; respectu ceterorum sufficit implicita; prout patebit ex post hac dicendis. Item respectu aliquorum subjectorum debet esse signata; respectu aliorum sufficit exercita: id quod itidem patebit ex dicendis infra *n.* 87.

20. Ex hucusque dictis eruitur, quare *seqq.* propositiones ab Innoc. XI. damnatæ sint. 1. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* 2. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* 3. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.*

Prima quippe (ordine 19.) ideo damnata est: quia ex illa sequeretur, quod assensus fidei non esset infallibilis, & consequenter nec supernaturalis. Quæ sequela inde ostenditur, quod assensus fidei infallibilitatem non possit derivare ab objecto secundum se, quippe obscuro, licet reipsa infallibiliter cum veritate connexo; cum intellectus non valeat determinari ad assensum ab objecto solitarie spectato, nisi hoc sit evidenter verum: neque a rationibus extrinsecis ad assensum impellentibus, puta a motivis credibilitatis; quia hæc non sunt apta nata parere, nisi certitudinem moralem, cum falsitate absolute loquendo compossibilem. Recorrendum ergo est ad imperium voluntatis, quo intellectus a Deo collustratus, & principio supernaturali adjutus, determinatur ad eliciendum talem assensum fidei, qualem meretur motivum intrinsecum, nimirum veracitas, seu authoritas Dei; adeoque summe firmum non tantum firmitate affectiva se tenente ex parte voluntatis (hæc quippe ad assensum fidei Divinæ non sufficit; cum etiam Hæretici sua falsa dogmata obstinatissime, & firmissime credant firmitate affectiva) sed etiam adhæsiva se tenente ex parte intellectus, quæ ad omnem fidei Divinæ assensum necessaria est, & identificatur cum summa ejusdem certitudine. Itaque sicut proposito metu gehennæ liberum est voluntati, vel elicere actum attritionis ex tali metu conceptum, vel usurpare hunc metum tanquam rationem extrinsecam impellentem ad actum contritionis perfectæ, ad quem unice moveat Bonitas Dei offensi; ita propositis signis credibilitatis, & authoritate humana Ecclesiæ proponentis mysterium Incarnationis v. g. liberum est voluntati, vel imperare assensum naturalem, & de se fallibilem, prædictis humanis motivis innixum, vel usurpare ea motiva tanquam rationes extrinsecas impellentes ad assensum supernaturalem fidei, ad quem unice moveat Divina veracitas. Ita P. Viva super recitatam *prop.* & alii passim.

Secunda propositio (ordine 20.) deducitur a præcedenti, & fulmine damnationis merito percutitur. Nam vel talis assensus niteretur rationibus creatis, seu signis credibilitatis ad assensum impellentibus; vel positis ejusmodi signis, authoritate Dei revelantis? Si primum; non esset Theologicus, neque supernaturalis, cum non niteretur authoritate Dei. Si secundum; testimonium tantum, quantum est Divinum, prudenter repudiari nequiret.

Confirmatur. Ut actus fidei sit supernaturalis, & cum influxu habitus fidei infusæ conjunctus, debet mysterium creditum esse evidenter credibile, quin sufficiat sola probabilitas, quod Deus sit locutus, compatiens formidinem, ne Deus non sit locutus, ut diximus supra *num.* 5. & mox iterum dicemus in expositione propositionis sequentis: posita autem evidentia credibilitatis, non potest amplius probabile esse, quod Deus non sit locutus, ut patet: consequenter actus fidei supernaturalis non potest amplius prudenter repudiari. Viva *loc. cit. num.* 11.

Tertia propositio (ordine 21.) ex eo falsa esse convincitur, quod ad assensum fidei supernaturalis requiratur certitudo subjectiva simul, & objectiva; prout relinquitur ex *art. præced.* sed qui habet notitiam duntaxat probabilem de revelatione objecti credibilis, caret certitudine subjectiva, cum possit formidare de opposito; ergo &c.

Confirmatur. Fidelis tenetur esse paratus potius vitam prodigere, quam fidem deserere: hæc autem obligatio esset irrationabilis, si fides solum supponeret notitiam probabilem revelationis; ergo &c.

Nec refert, si dicas, Altefatus Pontifex damnavit etiam hanc propositionem (ordine 4.) *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabilis*; ergo ut quis credere possit, & teneatur, sufficit major probabilitas de revelatione objecti credibilis, & non requiritur certitudo.

Contra enim est, neg. conf. & ad ant. ajo, non ideo infidelitatis reum a Pontifice pronunciari, qui non credit ductus opinione minus probabili, quod non credat ob majorem probabilitatem de revelatione objecti, cum stante ejusmodi probabilitate, ut ut majori, vel etiam maxima non possit, adeoque nec teneatur immediate credere, prout ex proxime dictis fluit; sed quod non adhibeat debitam diligentiam, mediante qua sibi compararet certitudinem revelationis ad immediate credendum requisitam. Cardenas in 2. *Crisi dissert.* 14. *c.* 7. & nos *part.* 1. *num.* 186.

§ II.

Quænam mysteria sint creditu necessaria necessitate medii?

SUMMARIUM

21. *Fides actualis alia est* explicita, *alia* implicita. 22. *Omnibus adultis tum ad salutem, tum ad justificationem necessarium est necessitate medii fide explicita credere, quod Deus sit, & quod bonorum operum Remunerator, donorumque supernaturalium Author sit.* 23. *Solvitur objectio.* 24. *Deducitur corollarium.* 25. *Post sufficienter divulgatum Evangelium, de facto omnibus adultis necessaria quoque est necessitate medii fides explicita, saltem confusa, in Christum Redemptorem, & SS. Trinitatem, tam ad justificationem, quam ad salutem.* 26. *Solvitur objectio.* 27. *Sententia, secunda conclusioni opposita, etiam est probabilis, sed speculative tantum.*

21. PRænotandum, fidem actualem (de qua sola hic & ferre imposterum sermo erit) aliam esse *explicitam*, aliam *implicitam*. Prior est, per quam aliquod mysterium in seipso, & propriis terminis significatum creditur: v. g. quod Deus sit Unus in essentia, & Trinus in Personis. Posterior est, per quam aliquod mysterium creditur non in seipso, & propriis terminis significatum, sed in alio, in quo implicite continetur. Et hoc fieri dupliciter potest. 1. Ratione ipsius veritatis creditæ; ut siquis explicite credit, Deum esse Creatorem omnium, eo ipso implicite credit, Eundem esse Creatorem Angelorum. 2. Ratione motivi credibilitatis, quod est authoritas Dei revelantis: sic qui generaliter credit, quidquid Deus revelavit, is implicite credit Mysteria Trinitatis, & Incarnationis; quia in cumulo veritatum a Deo revelatarum implicite continentur. Ceterum etiam fides explicita suos habet gradus; nam una est *distincta*, altera solum *confusa*; una magis, altera minus expressa. Hoc prænotato,

22. Dico primo. Omnibus adultis, usu rationis pollentibus, tum ad salutem, tum ad justificationem necessarium est necessitate medii fide explicita credere, quod Deus sit, & quod bonorum operum Remunerator, donorumque supernaturalium Author sit. Ita certa DD. sententia.

Probatur. Nam, quod in assertione dicitur, passim indicatur a S. Paulo in Epistolis ad Romanos, Galatas, Ephesios, Philippenses, nominatim vero ad Hebreos 11. ubi altefatus Apostolus ait: *Sine fide impossibile est placere Deo:* quæ verba tam absolute prolata innuunt necessitatem medii, & non tantum præcepti, ita ut, etiamsi per inculpabilem ignorantiam fides non habeatur, justificatio, aut salus obtineri non possit. Quod firmatur, & simul ostenditur, ejusmodi fidem debere esse explicitam ex *prop. ordine* 22. ab Innocentio XI. confixa, quæ ita sonat: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita Remuneratoris.* Quod autem supra relatus Apostoli textus exaudiendus sit de fide rerum supernaturalium, patet tum ex verbis præcedentibus: *Fides est rerum sperandarum*, id est, supernaturalium, prout SS. PP. exponunt: tum ex subsequentibus: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator est.*

23. Objicies. Fieri potest, ut quis eliciat actum supernaturalem, dilectionis Dei super omnia, tametsi nesciat, ipsum esse Remuneratorem: atqui talis absque fide explicita Dei ut Remuneratoris justificaretur, &, si statim ex hac vita migraret, salvaretur; ergo &c.

Respondetur, majorem esse veram absolute loquendo, non autem in hypothesi præsentis Providentiæ, in qua Deus statuit non dare auxilia ad actum proxime justificativum, nisi mediante fide de Deo Remuneratore.

24. Colliges, credendo Deum *Remuneratorem*, etiam credi debere *gratiam* esse necessariam ad justificationem, & salutem. Ratio est: quia voluntas non potest erigi in spem remunerationis, justificationis, & salutis, nisi præcedat firma cognitio gratiarum ex meritis Christi. Præterea dum Deus creditur *Remunerator*, etiam creditur *Vindex*; per consequens creditur *immortalitas animæ*, æternum vel præmiandæ in cælo, vel puniendæ in inferno.

25. Dico secundo. Post sufficienter divulgatum Evangelium, de facto omnibus adultis necessaria quoque est necessitate medii fides explicita, saltem confusa, in Christum Redemptorem, & SS. Trinitatem, tam ad justificationem, quam ad salutem. S. Bonaventura *in* 3. *dist.* 25. *art.* 1. *q.* 3. S. Thomas *in* 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. & B. Scotus *in* 3. *dist.* 25. *q.* 1. *n.* 9. cum ingenti caterva Asseclarum.

Probatur primo authoritate. Nam Joan. 17. dicitur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, &, quem misisti, Jesum.* Ubi eadem fides in Christum Jesum, seu Salvatorem nostrum, requiritur, ac in ipsum Deum, ejusque existentiam: sed in Deum, ejusque existentiam requiritur, & necessaria est necessitate medii fides explicita; prout relinquitur ex proxime dictis; ergo &c. Quod autem eadem fides, eodem modo necessaria sit in SS. Trinitatem, sumitur ex S. Athanasio, qui suum Symbolum ita exorditur: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem -fides autem catholica hæc est, & unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.* Ubi iterum fides in Deum ut Trinum tam necessaria pronunciatur, quam in Deum ut Unum: sed secundum dicta in Deum ut Unum necessaria necessitate medii est fides explicita; ergo &c.

Probatur secundo ratione. Aliter, & perfectius altefata Mysteria credenda sunt in lege nova, ac in antiqua: sed in antiqua credenda erant necessario necessitate medii implicite solum; ergo in nova aliter, & perfectius credenda sunt, videlicet necessario necessitate medii explicite. Min. communiter traditur etiam ab Adversariis. Maj. inde ostenditur, quod memorata Mysteria in lege antiqua fuerint velata, in nova autem sint revelata; ergo aliter, & perfectius in hac credenda sunt, ac erant in illa.

26. Objicies. Si nostra sententia sustineri posset, sequeretur, adultos omnino multos cælo excludi, imo extra omnem viam salutis collocari; quod repugnat infinitæ Bonitati, & Misericordiæ Dei, volentis omnes homines salvos fieri; ergo &c. Seq. prob. Nam in primis pertingere ad salutem non possent simplices, & idiotæ, utpote qui vix nomina tantorum Mysteriorum apprehendere valent. Deinde infideles, qui nullam adhuc de memoratis Mysteriis notitiam habent, & consequenter illa credere explicite non possunt; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Ad primam probat. ajo, vix repertum iri inter Christianos hominem adultum, doli capacem, & explicita Dei ut Remuneratoris cognitione prædium, qui non sub propria aliqua ratione dicta mysteria apprehendere, & capere valeat saltem quoad substantiam, id est, quod *sit unus Deus, & tres Personæ; quod Filius Dei pro nobis homo factus sit, passus sit, a mortuis resurrexerit, in cælum ascenderit, omnes judicaturus sit &c.* Siquem tamen reperire foret, tanta ingenii hebetudine, & stupiditate laborantem, ut illa mysteria ne quidem quoad substantiam assequi posset, is amentibus, & infantibus, qui cum fide habituali salvantur, æquiparandus esset: quod etiam Adversariis incumbit dicere de illo, qui Dei ut Remuneratoris cognitionem non caperet, ait P. Paulus Mezger *tr.* 10. *disp.* 19. *art.* 2. §. 4. *n.* 19. Ad alteram probat. dico, quod ejusmodi infidelibus, si faciant, quod in se est, id est, si supposita veri Dei (cujus non datur invincibilis ignorantia) cognitione, per auxilium gratiæ legem naturæ servent, Deus non denegaturus sit ulteriora auxilia, maxime necessaria necessitate medii, e quorum classe est fides explicita in Christum, & SS. Trinitatem sive dein id præstet per seipsum, interna scilicet revelatione, sive per ministerium hominum, aut Angelorum. Videatur P. Sporer hic *n.* 8.

27. Quæres, an sententia, nostræ secundæ conclusioni opposita, sit etiam probabilis?

Respondetur, quod videatur esse probabilis (1.) speculative; non autem (2.) practice. Ratio primi membri est: tum quia probabilem censent plurimi, & gravissimi DD. Sotus, Serra, Suarez, Lugo, Martinon, Reding, Pettschacher, Palao, Illsung, Viva, Mezger, Sporer, Babenstuber &c. tum quia nostræ probationes non videntur plene convincere; cum videantur commode intelligi, & explicari posse de fide implicita; vel etiam de explicita, sed in quantum hæc est necessaria necessitate præcepti tantum. Ratio secundi membri est: quia dum vertitur quæstio de necessariis necessitate medii ad salutem, sententia de se probabilis, si sit minus tuta, non manet practice probabilis; prout relinquitur ex dictis *part.* 1. *n.* 93. & 149. sed hic vertitur quæstio de aliquo necessario necessitate medii ad salutem, & sententia, nostræ opposita, est minus tuta, ut patet; ergo licet detur, quod sit de se, & speculative probabilis, non tamen manet, aut est probabilis practice.

ARTICULUS II.

De necessitate Fidei, quæ dicitur necessitas præcepti.

§. I.

An, & quibus Fides sit necessaria necessitate præcepti?

SUMMARIUM.

28. *Fides habitualis nulli homini: at vero 29. actualis omnibus hominibus adultis, ratione pollentibus, necessitate præcepti tam ad justificationem, quam ad salutem.*

28. Dico primo. Fides habitualis nulli hominum est necessaria necessitate præcepti sive ad justificationem, sive ad salutem. Ita DD. communiter.

Probatur: quia nihil est hominibus necessarium necessitate præcepti, quod non subest liberæ eorum potestati: sed fides habitualis non subest liberæ potestati hominum; cum sit donum a solo Deo producibile, & ab hominis cooperatione ne quidem partialiter dependens; veluti recte advertit P. Cherubinus Mayr *in tr. de Virtut. Theol. pag.* 4. *n.* 3. ergo &c.

29. Dico secundo. Fides actualis hominibus adultis, ratione pollentibus, necessaria est necessitate præcepti tam ad justificationem, quam ad salutem. Est itidem communis DD. sententia.

Probatur. Tum quia Marci *ult.* condemnatur, qui non crediderit; ergo signum est, quod non credendo violet præceptum fidei. Tum quia omnia, quæ sunt necessaria necessitate medii ad justificationem, & salutem, etiam sunt necessaria necessitate præcepti respectu illorum, quorum liberæ potestati subsunt: atqui fides actualis est hominibus adultis, ratione pollentibus, necessaria necessitate medii ad justificationem, & salutem; prout constat ex dictis *n.* 18. & subest liberæ eorum potestati, cum ab ipsorum cooperatione partialiter dependeat, prout traditur in Theologia Scolastica; ergo &c. Major hujus syllogismi, præterquam quod sit commune Theologorum dogma, ostenditur inde, quod nihil magis incumbat homini, rationis compoti, ex Jure naturali, & Divino, quam propriæ salutis cura, atque adeo obligatio adhibendi media, ad illam consequendam absolute, & simpliciter necessaria, quale medium est fides actualis, respectu hominum adultorum, ratione pollentium.

Dixi in conclusione: *hominibus adultis, ratione pollentibus.* Nam infantibus, aut adultis ratione destitutis, fides actualis sicut necessaria non est necessitate medii, ita nec necessaria est necessitate præcepti; eo quod hi tales non sint capaces eliciendi actum fidei.

§. II.

§. II.

Quænam mysteria sint creditu necessaria necessitate solius præcepti?

SUMMARIUM.

30. Præter mysteria, quæ adultis explicite creditu necessaria sunt ad salutem necessitate medii, & præcepti simul, iisdem adultis omnibus, & singulis necessitate solius præcepti ad salutem necessarium est explicite credere reliquos articulos, in Symbolo Apostolorum contentos. 31. Proponitur, & solvitur objectio. 32. Licet per se loquendo sufficeret ad salutem explicite credere memoratos Symboli articulos; per accidens tamen adulti adhuc plura dicto modo credere obligantur. 33. Fidelis non satisfacit suæ obligationi, si solum in communi credat, quæ credit Ecclesia. 34. Fidelis, qua fidelis præcise, non tenetur explicite scire, & credere Sacramenta Confirmationis, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, nisi dum ea suscipere, vel administrare cogitat. 35. Quæ explicite credi, etiam explicite sciri debent.

30. Dico primo. Præter mysteria, quæ adultis explicite creditu necessaria sunt ad salutem necessitate medii, & præcepti simul (de quibus in *art. præced.* §. 2. actum) iisdem adultis omnibus, & singulis necessitate solius præcepti ad salutem necessarium est explicite credere reliquos articulos, in Symbolo Apostolorum contentos, saltem secundum substantiam, ita ut eosdem vero aliquo conceptu, licet imperfecto, & confuso, apprehendant, & credant. Communissima Doctorum.

Probatur. Quia status, & professio hominis Christiani exigit, ut præcipua Christianæ fidei capita explicite sciat, & credat: sed hujusmodi capita sunt articuli in Symbolo Apostolorum contenti; ergo &c. Hinc Catechismus Romanus ait: *Quæ primum Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ SS. Apostoli, Divino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt.*

Confirmatur ex perpetua Ecclesiæ praxi, ad Baptismum (in quo editur fidei professio) neminem adultum admittentis, nisi explicite sciat, & credat articulos Symboli Apostolici.

Objicies. Rudiores non capiunt, quid significet, sibique velit *Communio Sanctorum*; ergo conclusio, ita universaliter statuta, seu in quantum obligat omnes omnino adultos, rationis compotes, ad explicite credendos universos Symboli Apostolici articulos, non tenet.

Respondetur, neg. ant. Nam Communio Sanctorum significat communicationem bonorum spiritualium, videlicet meritorum, orationum, & suffragiorum, inter membra triplicis Ecclesiæ, triumphantis, purgantis, & militantis: quæ significatio saltem quoad substantiam tam plana; atque intellectu tam facilis est, ut ne ipsos quoque, rusticos, aliosque rudes, & idiotas latere soleat; prout ostenditur experientia, qua condocemus, id genus homines consuesse sua mutuo suffragia pia implorare, atque offerre. Quod si tamen aliquis inveniretur ita hebes, & bardus, ut memoratum articulum, aliumve, sola præcepti necessitate explicite credendum, assequi non posset, ne quidem quoad substantiam, is a præcepto explicite credendi excusaretur propter impotentiam.

32. Dico secundo. Quamvis per se loquendo, & quantum est ex Divino fidei præcepto, sufficeret ad salutem explicite credere (1.) duodecim articulos, in Symbolo Apostolorum comprehensos; per accidens tamen (2.) alia insuper dicto modo credere incumbit fidelibus adultis. Laymann *lib. 2. tr. 1. c. 9. n. 3.* & alii communiter.

Probatur prima pars. Quia Symbolum Apostolicum continet succinctam quidem, accuratam tamen, atque perfectam fidei Christianæ confessionem; prout habet S. Leo *Serm. 11. de Passione*; ergo per se loquendo, & spectato præcepto fidei, satis est, si fideles explicite credant, quæ in præfato Symbolo comprehenduntur.

Probatur secunda pars. Quia præter memorata mysteria adhuc occurrunt plura alia, quæ ad debite sperandum, honeste vivendum, & consequendam salutem necessaria sunt; ergo fidelibus explicite scienda, & credenda sunt. Conf. patet: siquidem & hoc exigit status, ac professio cujuslibet hominis Christiani, rationis usu præditi. Ant. declaratur. Nam ad debite sperandum necessaria est Oratio Dominica: ad honeste vivendum præcepta Decalogi, & Ecclesiæ: ad consequendam salutem Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; ergo præter articulos Symboli Apostolici extant adhuc alia ad debite sperandum, honeste vivendum, & consequendam salutem necessaria, videlicet Oratio Dominica, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, ac tria illa Sacramenta: quæ proinde cuilibet adulto, rationis compoti, explicite scienda, & credenda sunt, non quidem per se, & ex præcepto fidei (quemadmodum sciri, & credi debent articuli in Symbolo Apostolorum contenti, ceu prima rudimenta, & generalis regula fidei) sed per accidens, & vi aliorum præceptorum, quibus obligatur finem suum ultimum, & media ad eundem necessaria sperare, operatione legibus conformare, Deum, proximum, atque seipsum recto charitatis ordine amare, animæ a peccatis immunitatem procurare, & conservare &c.

33. Colliges primo, fidelem, non satisfacere suæ obligationi, si solum in communi credat, quæ credit Ecclesia Catholica, non descendendo ad mysteria particularia. Id quod constat ex propositione damnata a Gregorio XI. quam ex Reding affert, & recitat. P. Babenstuber *tractat. 5. disp. 1. artic. 1. §. 2. num.* 20. atque ita sonat: *Laici non tenentur ad aliquem articulum fidei explicite credendum, sed sufficit illis ista conclusio in genere, quod credunt omne illud, quod Sancta DEI Ecclesia credit.*

34. Colliges secundo, quod fidelis, qua fidelis præcise, non teneatur explicite scire, & credere Sacramenta Confirmationis extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, nisi dum ea suscipere, vel administrare cogitat. Ratio est: quia nulla extat obligatio reipsa suscipiendi memorata Sacramenta; ergo non apparet, undenam sit obligatio illa explicite sciendi, & credendi, nisi dum quis eadem suscipere, aut administrare intendit. Aliud est de Sacramentis Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; hæc quippe fidelis adultus explicite scire, & credere obligatur, idque sub mortali; ob rationem a contrario desumptam, & insinuatam in *probat. 2. partis.*

Dixi: *fidelis, qua fidelis præcise.* Si enim sit aliorum Pastor, utique etiam illorum quatuor Sacramentorum explicita notitia instructus esse debet; cum alioquin eandem sibi subjectis communicare non valeret in casu, quo ea suscipere cogitant, & consequenter explicite scire, ac credere obligantur: id quod amplius patebit ex statim dicendis.

35. Colliges tertio, omnia, quæ, secundum hucusque dicta, explicite credenda sunt, etiam explicite sciri debere, minus tamen, magisque perfecte, juxta capacitatem, aut exigentiam diversorum statuum, vel conditionum, in quibus fideles, penes quos est illiusmodi obligatio, versantur. Unde qui in nullo officio, aut dignitate positi sunt, satisfaciunt suæ obligationi, si illa explicite sciant *quoad substantiam*, id est, quoad generalem, & simplicem verborum significationem, v. g. quod Deus sit Unus in essentia, seu Natura, & Trinus in Personis, quarum prima sit, & dicatur, Pater, Secunda Filius, Tertia Spiritus Sanctus &c. tametsi ignoret, quid sit Natura, aut Persona. Ratio hujus asserti est: quia ejusmodi fideles non tenentur illa credere explicite, nisi quoad substantiam; prout relinquitur ex dictis; ergo nec aliter scire. Extensior vero, & intensior credibilium notitia exigitur ab illis, qui in officio, aut dignitate constituti sunt: his enim præter obligationem, quam cum aliis fidelibus communem habent, adhuc alia specialis incumbit, distincto titulo officii, aut dignitatis superinducta. Unde Parochi, Confessarii, Concionatores &c. tenentur prædicta mysteria scire non solum quoad substantiam, sed etiam *quoad modum*, id est, quoad declarationem, quam communiter habent adjectam in catechismis, præserim Romano. Ratio est: quia tales obligantur rudiores docere, quod præstare haud valent, ut oportet, nisi explicatiore illa notitia polleant. Episcopi porro, Prælati, & Doctores eadem mysteria intelligere debent etiam quoad difficultates, seu controversias, quæ circa illa emergere possunt, & solent. Ratio est: quia hi tales debent esse parati ad reddendam rationem creden-

credendorum, fidemque contra Adversarios defendendam: veluti habetur in Conc. Trid. *Sess.* 5. *c.* 2.

§. III.

Quoties, quando, & quomodo obligemur ad eliciendum assensum internum Fidei?

S U M M A R I U M.

36. *Preceptum fidei aliud est* affirmativum, *& aliud* negativum. 37. *Porro obligatio credendi alia dicitur di*recta, *alia* indirecta. 38. *Certum est, dari obligationem directam aliquando eliciendi actum fidei.* 39. *Quilibet adultus tenetur etiam sæpius per decursum vitæ directe elicere actum fidei.* 40. *Assignatur tempora, quibus dicta obligatio urget.* 41. *Fidelis adultus tenetur insuper indirecte elicere sæpius actum fidei.* 42. *Assignatur etiam tempora, quibus hæc obligatio stringit.* 43. *Quamvis pueri baptizati, & inter fideles educati, post obtentum rationis usum, & acquisitam mysteriorum fidei sufficientem notitiam statim obligentur elicere actum fidei, in praxi tamen vix contingit, ut, non eliciendo, peccent.* 44. *Non est necesse, ut Confessarius pœnitentem interroget, aut pœnitens seipsum examinet, num præcepto affirmative de eliciendo actu interno fidei satisfecerit.* 45. *Is, qui tenetur elicere actum contritionis v. g. & neque hunc, neque actum fidei elicit, non duo, sed unum duntaxat peccatum committit contra præceptum Pœnitentiæ.*

36. PRænotandum primo, præceptum fidei aliud esse *affirmativum*, aliud *negativum*. Primum obligat tum ad interne credendum, tum ad externe confitendum mysteria fidei; posterius autem ad illis nec interne dissentiendum, nec ad eadem externe diffitendum. In hoc §. agemus de præcepto fidei affirmativo, in quantum obligat ad interne credendum; in proxime secututo de eodem præcepto, prout obstringit ad externe confitendum mysteria fidei. Quo facto, in alio §. pertractabimus ea, quæ concernunt præceptum fidei negativum, relate ad actum tam internum dissensus, quam externum negationis consideratum.

37. Prænotandum secundo, obligationem eliciendi actum fidei dividi in *directam*, seu *per se talem*, & *indirectam*, seu *per accidens talem*. Prior est, quæ ex ipsamet virtute fidei, ejusque præcepto oritur, posterior, quæ solum aliunde, seu ex ipsamet virtute, & præcepto, cujus actus absque actu fidei nequit poni, consurgit. Idem cogita, & applica de obligatione aliarum virtutum cum Theologicarum, tum Moralium.

38. Prænotandum tertio, & supponendum tanquam certum, dari obligationem etiam directam aliquando eliciendi actum fidei. Nam Alexander VII. confixit hanc propositionem (inter damnatas *ord.* 1.) *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et Innoc. XI. istam (*ord.* 16.) *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

39. Dico nunc primo. Quilibet adultus tenetur sæpius per decursum vitæ directe, & per se elicere actum fidei. Ita P. Reiffenstuel *in Theol. Moral. tr.* 4. *dist.* 2. *q.* 3. Cardenas *in* 2. *Crisi differt.* 42. *c.* 1. Viva *in prop.* 1. *ab Alessandro* VII. *proscriptam n.* 7. La Croix *n.* 51. & alii plurimi, quibus nuperrime subscripsit P. Cherubinus Mayr, supra relatus, *pag.* 28. *n.* 33. contra Spoter, Babenstuber, & alios.

Probatur primo. Innocent. XI. confixit hanc propositionem *ord.* 17. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.* Item istam *ord.* 65. *Sufficit illa mysteria* (SS. Trinitatis, & Incarnationis) *semel credidisse*; ergo obligamur per decursum vitæ sæpius elicere actum fidei, & altefata mysteria credere. Atqui hæc obligatio est directa; ergo &c. Subsumptum ostenditur. Damnatæ propositiones, proxime relatæ, conceptæ, & prolatæ erant de obligatione directa credendi, utpote quam solam illarum Authores sæpius, ac semel dari negabant; ergo earum contradictoriæ (*non satis est &c. non sufficit &c.*) similiter intelligendæ veniunt de obligatione directa, ita ut innuant, dari obligationem directam sæpius in vita eliciendi actum fidei. Conf. tenet. Ant. inde ostenditur, quod obligationem indirectam credendi, & sæpius eliciendi actum fidei in vita, nemo negaverit; prout testatur P. Viva *loc. cit. num.* 1. consequenter &c.

Confirmatur. Contradictoria hujus propositionis *ord.* 5. ab eodem Pontifice confixæ: *An peccet mortaliter, qui actus dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*, innuit obligationem directam sæpius in vita eliciendi actum Charitatis Divinæ; ergo etiam contradictoriæ propositionum confixarum, quas in probatione adduximus, id genus obligationem intendunt, & innuunt sæpius in vita eliciendi actum Fidei Divinæ. Conf. prob. Ideo contradictoria prioris propositionis confixæ censetur innuere obligationem directam, quia propositio, quæ confixa est, concepta, & prolata erat de obligatione directa, utpote quam solam illius Authores negabant; ergo idem ob eandem rationem sentiendum de contradictoriis posteriorum propositionum confixarum. Unde licet nulla illarum propositionum signate exprimat obligationem directam sæpius in vita eliciendi actus Charitatis, & fidei, talis tamen obligatio colligitur ex subjecta materia; prout hactenus ostensum.

Dices forte, nos in antecedente confirmationis petere principium, & supponere, atque asserere id, quod est in quæstione, num scilicet contradictoria illius propositionis confixæ: *An peccet mortaliter &c.* innuat obligationem directam?

Sed contra est. Nam 1. contradictoria alicujus propositionis damnatæ intelligenda est de eo, de quo propositio, quæ est damnata, erat concepta, & prolata; prout omnes fatentur: sed propositio illa, quæ est damnata, erat concepta, & prolata de obligatione directa; ut patet ex proxime dictis; ergo &c. 2. Contradictoria hujus propositionis damnatæ *ord.* 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis* NB. *per se obligare præceptum charitatis*, accipienda est de obligatione directa prout verba pensanti patebit, & ipsimet etiam Adversarii concedunt; ergo etiam contradictoria istius: *An moraliter peccet &c.* intelligenda venit de obligatione directa; cum ambæ concernant eandem materiam, unaque per alteram exponatur.

Probatur conclusio secundo cum P. Viva *loc. cit. n.* 4. Ad suscipiendum Sacramentum Confessionis, & Communionis pluries in vita datur obligatio per se ex præcepto Divino, & ex Ecclesiastico saltem semel quotannis; ergo similiter, & quidem a fortiori, pluries in vita datur obligatio per se ex præcepto Divino eliciendi actum Fidei. Ant. est certum. Conf. patet ex eo, quod illa Sacramenta possint aliunde suppleri, cum salus citra formalem eorum susceptionem, simpliciter, & absolute loquendo, valeat obtineri; e diverso actus fidei non sit aliunde supplebilis; nequit enim adultus per aliud medium ad salutem pertingere, juxta illud *ad Hebr.* 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Confirmatur. Sæpius in vita per se obligamur elicere actum charitatis; ergo & fidei. Ant. est certum, & innegabile ob propositionem damnatam, supra relatam: *Probabile est, ne singulis quidem &c.* Conf. videtur tenere a pari; nam sicut actus charitatis, ita & fidei præstantissimus est (licet cum aliqua latitudine, ac differentia perfectionis) & uterque ad salutem simpliciter necessarius.

40. Ceterum tempora determinata, quibus præceptum fidei per se, & directe obligat ad eliciendum assensum, sive actum internum fidei, sunt sequentia. Primum est, quando mysteria fidei sunt sufficienter proposita: tunc quippe omnes adulti tam baptizati, quam non baptizati, si rationis compotes existant, tenentur *quamprimum* elicere actum fidei, secundum ipsos quoque Adversarios. Ratio est: quia lumen naturale dictat, Divinæ Authoritati sufficienter propositæ illico exhibendam esse debitam reverentiam: sed ejusmodi reverentia exhibetur per actum fidei; ergo &c. Maj. probari, & declarari solet hoc exemplo. Si forte occurrat Rex terrestris, illico sibi exhiberi a subditis postulat debitam reverentiam; ergo a potiori Rex cælestis: consequenter &c.

Interim ly *quamprimum* non est accipiendum physice, aut mathematice, ita ut omnem prorsus temporis moram excludat; sed moraliter, ita ut actus fidei non diu differatur; ubi proin mora culpabilis, & mortalis

æstimari

æstimari debet arbitrio prudentis, maxime in pueris; prout notat Sporer hic *n.* 17.

Porro infidelibus (idem cogita de fidelibus, ab infantia tamen inter infideles nutritis, ac educatis) mysteria fidei tunc censentur sufficienter proposita, quando rationibus, sectæ contrariæ refutatione, certisque credibilitatis signis, & notis (cujusmodi recensuimus supra *n.* 9.) ita comprobantur, ut recta ratio judicet, illa esse unice vera, & contraria dogmata falsa. Fidelibus autem, inter fideles educatis, tunc fides censetur sufficienter proposita, quando post convenientem instructionem ejus articulos apprehendunt tanquam a Deo revelatos. Sporer *loc. cit.* Babenstuber hic *n.* 35. & alii apud ipsos.

Secundum tempus est, quando quis gravem tentationem patitur contra fidem, vel aliquod ejus mysterium, ita ut, nisi eliciat assensum contrarium, se exponat proximo periculo succumbendi.

Nec dicas cum PP. Sporer, & Babenstuber *citt.* hanc talem obligationem esse solum indirectam, & per accidens, quippe ortam ex præcepto negativo, non affirmativo fidei.

Contra enim est primo. Illa obligatio credendi est directa, & per se talis, quæ consurgit ex ipsamet virtute fidei: sed obligatio credendi in tentato contra fidem consurgit ex ipsamet virtute fidei; ergo &c. Maj. videtur certa; sic enim describi solet obligatio directa credendi, quemadmodum & nos eandem descripsimus supra *num.* 37. cum, P. Babenstuber hic nobis adversante. Min. vero inde probatur, quod nulla alia virtus sit assignabilis, ex qua præmemorata obligatio resultet.

Contra est secundo. Utrunque præceptum affirmativum scilicet, & negativum fidei, obligat ex motivo specifico hujus virtutis; prout videtur innegabile; ergo obligatio credendi in tentato contra fidem, sive oriatur ex uno, sive ex altero præcepto, stringit ex virtute fidei: consequenter est directa, & non indirecta tantum; talis nanque ut esset, deberet oriri ex motivo, ac præcepto (& quidem solum, ac præcise) alterius virtutis a fide distinctæ.

Contra est tertio. Quamvis obligatio credendi in casu posito occasionaliter oriatur ex præcepto negativo fidei, stringit nihilominus per se, & directe ex præcepto affirmativo ejusdem virtutis; ergo &c. Ant. ostenditur: siquidem supposita ex una parte animadversione periculi de neganda fide, & ex altera parte cognitione infallibilis Dei Authoritatis, atque Veracitatis, surgit ex connaturali exigentia altefatæ Authoritatis, ejusque proprio merito obligatio tunc eliciendi assensum fidei: atqui hæc talis obligatio stringit per se, & directe ex præcepto affirmativo fidei; ut consideranti patebit; ergo &c. Videri possunt, quæ habentur infra *n.* 140. Atque hoc tertio contradicendi modo itur quoque obviam illis, qui volunt *obligationem directam fidei esse, quæ oritur ex ipsa virtute Fidei, hic & nunc ad sui exercitium obligante.*

Ubi tamen non ivero inficias, tantationes contra fidem plerumque expeditius vinci, si tentatus mentem ad alia objecta divertat, quam si contra illas per actus oppositos positive luctetur; cum experientia constet, ejusmodi tentationes ex hoc posteriore resistendi modo irritari potius, atque intendi, quam supprimi: id quod maxime verificatur in scrupulosis. Unde tunc non obligat præceptum de eliciendo assensu fidei; solum solum in casu, quo tentatio contra fidem aliter superari non potest: prout iterato insinuatum est.

Tertium tempus est articulus mortis. Ratio est 1. Si enim tunc obligat per se, & directe præceptum Communionis (& mortali gravatos etiam præceptum Confessionis) prout revera omnium consensu obligat; quidni & præceptum fidei; cum hæc virtus sit omnium aliarum virtutum fundamentum, & radix justificationis nostræ. Ratio est 2. Quia præceptum fidei per se, & directe obligat hominem in introitu vitæ post obtentum rationis usum (utpote ubi primum censetur in morali æstimatione vita hominis inchoari) & sufficienter agnita fidei mysteria; cum tunc debeat suum Authorem agnoscere per actum fidei, ut supra ostensum manet; ergo idem præceptum modo prædicto obligat etiam in exitu vitæ, ubi homo debet suo ultimo fini firmiter adhærere.

Quartum tempus, sed indeterminatum, assignatur in confuso hoc complexo: *& adhuc plures per decursum vitæ.* Hinc aliqui volunt, istud præceptum per se obligare saltem semel in anno; alii, diebus Dominicis, & festivis; alii aliter, prout videre est apud P. Viva *loc. cit. n.* 7. ubi tamen ipse cum Suarezio rectius censet, taxam hujus obligationis arbitrio prudentis præfigendam. Advertit etiam *n.* 9. non requiri tantam frequentiam actuum fidei circa articulos solum necessario credendos necessitate præcepti, quanta requiritur circa articulos necessario credendos necessitate medii. Sed quidquid sit de hoc, secure ut ambulemus in vita nostra, sæpe conemur, necesse est, ad actum fidei eliciendum etiam circa mysteria creditu necessaria necessitate præcepti tantum; at citra anxietatem, cum vix accidere possit, ut præcepto fidei non satisfaciamus abunde, tum eliciendo actus fidei, ad quos directe obligamur, exercite, & veluti insensibiliter; quod sufficit post primum actum fidei signate, & veluti sensibiliter, ac reflexe elicitum, nec per commissionem peccati oppositi retractum; prout videbimus infra *Cas.* 1. *n.* 87. tum eliciendo actus fidei ex imperio, vel etiam libero exercitio aliarum virtutum: quia alicui præcepto, per se, & directe obliganti, satis fieri posse per actum, ex imperio, & libero exercitio etiam alterius virtutis elicitum, docent Cardenas *in* 2. *Crisi dissert.* 11. *n.* 67. Herinex *disp.* 7. *de Fide n.* 76. Reiffenstuel *q.* 3. *n.* 35. & alii passim. Unde qui devote Missam audit; Symbolum Apostolicum considerate recitat; Sacramenta frequentat &c. semper elicit actum fidei, & præcepto hujus virtutis, etiam per se, & directe obliganti, satisfacit, quatenus in hujuscemodi occasionibus actus fidei concomitanter frequentat; quam frequentationem per se unice imperat præceptum fidei non determinando, quod debeat fieri solitarie, & extra exercitium aliarum virtutum: prout recte advertit P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 35.

Dices, non apparere fundamentum obligationis per se, & directæ, quando non potest determinari tempus in particulari, quo illa stringit; ergo quartum tempus pro directa obligatione fidei non bene assignatur.

Respondetur, neg. ant. illudque retorq. adversus Adversarios; utpote juxta quos pluries, quam singulis quinquenniis per se obligamur elicere actum dilectionis Dei; & tamen nec ipsi possunt determinare tempus, quoties ad id obligemur, an scilicet quotannis, vel singulis duntaxat bienniis, aut triennis &c.

41. Dico secundo. Fidelis adultus tenetur insuper sæpius elicere actum fidei indirecte, & per accidens; licet obligationi directe, & per se tali jam satisfecerit. DD. communiter.

Probatur tum ex communi DD. consensu: tum quia toties indirecte, & per accidens obligamur elicere actum internum fidei, quoties sine illo implere non possumus præceptum aliquod, a præcepto fidei distinctum, hic, & nunc ad sui impletionem obligans: atqui hoc sæpenumero contingit, uti plus, quam certum est; ergo &c. Maj. ostenditur: siquidem tunc actus fidei se habet veluti medium necessarium ad finem; ergo dum urget obligatio ponendi finem, qui impræsentiarum est obligatio præcepti, etiam urget obligatio ponendi, seu eliciendi actum fidei.

42. Tempora, quibus præceptum fidei ad assensum internum obstringit per accidens, & indirecte, sunt frequentia. Primum, dum qui amissam gratiam tenetur recuperare per contritionem, vel attritionem cum Sacramento. Secundum, quoties eliciendi sunt actus supernaturales Spei, & Charitatis. Tertium, quoties Sacramentum aliquod est suscipiendum, vel administrandum. Quartum, dum infestat tam gravis, ac vehemens tentatio contra quamcunque virtutem, a Fide distinctam, ut revera repelli non posse videatur, nisi opposito scuto Fidei. Quorum omnium ratio est: quia in bisce casibus fides actualis (signata scilicet, vel saltem exercita) aut supponitur, aut alio modo necessaria est.

43. Colliges primo, quamvis pueris baptizati ac inter fideles educati post obtentum rationis usum, & acquisitam mysteriorum fidei sufficientem notitiam, statim obligentur elicere actum fidei, in praxi tamen vix contingere, ut peccent, esto non statim eliciant. Tamburinus *lib.* 2. *Decal. c.* 1. *n.* 8. Sporer *n.* 17. & alii passim. Ratio præcipue est: quia ipsis hæc obligatio vix unquam venit in mentem.

44. Colliges secundo, non esse necessarium, ut Confessarius pœnitentem interroget, aut pœnitens seipsum exa-

examinet, num præcepto affirmativo de eliciendo actu interno fidei satisfecerit. Ratio est: quia moraliter loquendo vix evenit, quin eundem sæpenumero eliciat cum per se, tum per accidens, si non signate, saltem exercite. Ita Cardinalis de Lugo, quem refert, & sequitur Sporer *loc. cit.*

45. Colliges tertio, eum, qui tenetur elicere actum contritionis v. g. & neque hunc, neque actum fidei elicit, non peccare duplici peccato, sed uno tantum contra præceptum de elicienda contritione. Ratio est: quia in hoc tali casu præceptum fidei non obligat nisi per accidens, videlicet ob præceptum contritionis, hic, & nunc per se obligans, ac sine actu fidei impleru impossibile; ergo non delinquitur nisi contra unam virtutem, nimirum Pœnitentiæ: consequenter &c. Unde taliter delinquens satisfacit in confessione, si dicat, se omisisse actum contritionis, quando ad illum eliciendum obligabatur. Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 1. n. 3.* Babenstuber hic *n. 33.* & alii communiter.

§. IV.

Quandonam fideles obligentur fidem exterius confiteri?

S U M M A R I U M.

46. *Professio externa fidei aliquando necessaria est Jure Divino, aliquando Jure humano.* 47. *Fideles præcepto Divino, & naturali toties fidem externe tenentur confiteri, quoties id vel honor Deo debitus, vel salus animæ propria, aut proximi videtur exigere.* 48. *An quis de sua fide interrogatus teneatur eam fateri, & quando?* 49. *Utrum tempore persecutionis licitum sit fugere ad externam fidei confessionem declinandam?* 50. *Recensentur, qui ad emittendam fidei professionem obstringuntur Jure humano.*

46. PRænotandum, & supponendum tanquam certum non semper sufficere, si quis actu interno fidei credat omnia mysteria, & articulos a Deo revelatos, atque ab Ecclesia propositos; sed quandoque necessarium esse, ut quis suam fidem vel in genere, vel aliquos ejusdem articulos in specie profiteatur externe. Quæ fidei externa professio aliquando necessaria est Jure Divino, & aliquando Jure humano. Prioris generis necessitatem docet S. Paulus *ad Rom.* 10. dum ait: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Necessitatem posterioris generis tradit, & imponit. Conc. Trid. loco inferius citando.

47. Dico nunc primo, Fideles præcepto Divino, & naturali toties fidem externe tenentur confiteri, quoties id vel honor Deo debitus, vel salus animæ propria, aut proximi videtur exigere. Hanc conclusionem, ceu generalem regulam, tradit Doctor Angelicus 2. 2. q. 3. *art.* 2. ab aliis communiter receptus.

Probatur. Quia id habet quælibet virtus, ut ejus actus cadat sub præceptum, quando est necessarius ad charitatem Dei, suiipsius, vel proximi; nam finis omnium virtutum est charitas 1. *ad Tim.* 1. atqui in prædictis casibus externa fidei confessio est necessaria ad charitatem Dei, suiipsius, vel proximi; ergo &c.

48. Quæres, an quis de sua fide interrogatus teneatur eam fateri, & quando?

Respondetur primo. Qui particulatim de sua fide interrogatur a Potestate publica, tenetur illam ingenue fateri, etiamsi ex tali confessione maxima illi mala, imo mors ipsa, impendeant. Oppositam doctrinam damnavit Innoc. XI. dum confixit hanc propositionem *ordine 18. Si a Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se, non damno.* Ratio quoque suffragatur: quia si fidelis tunc teneret fidem profiteri, præberet aliis occasionem suspicandi, quod veram fidem non habeat, vel de illa, quam habet, dubitet, num vera sit, aut necessaria ad salutem: id quod in Divinæ veritatis, & fidei gravem injuriam vergeret, imo in proximorum quoque scandalum redundaret. Unde in tali casu maxime locum obtineret illud *Luc.* 9. *Qui me erubuerit, &c.* Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *dub.* 3. Filliucius *tr.* 22. *num.* 63. Bonacina *disp.* 3. *q.* 2. *pun.* 3. *num.* 7.

Dixi: *qui particulatim, &c.* Si enim authoritate publica ederetur edictum aliquod generale solum, vi cujus omnes, qui sunt Catholici, juberentur se prodere, nullus teneretur obtemperare, nisi forte magnus Dei honor, aut proximorum salus aliud exposceret: quia ejusmodi edictum non esset interrogatio secundum proprium, & ordinarium loquendi modum. Suarez *de fide disp.* 14. *sect.* 3. *n.* 6. La Croix *n.* 58. Cherubinus Mayr *n.* 50.

Respondetur secundo. Qui de fide interrogatur a persona privata tantum, non tenetur illam fateri, per se loquendo; sed potest vel tacere, vel interrogantem aliter eludere, dicendo v. g. *quid ad te? tu nullum habes jus interrogandi;* dummodo interrogatus ita se gerat, ut non mentiatur, nec restrictione pure mentali utatur. Valentia *loc. cit.* Filliucius *n.* 64. Laymann *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 11. *n.* 3. Ratio est: quia cum talis interrogans publicam authoritatem non gerat, ex omissa confessione fidei nec Divino honori, nec proximorum saluti aliquod præjudicium creatur.

Dixi: *per se loquendo.* Nam si ex dissimulatione fidei etiam in tali casu Religio Catholica ludibrio exponeretur, aut oriretur magnum aliquod scandalum in populo; prout fieri posset, si interrogatus esse Vir admodum gravis, honor Dei, & salus proximi etiam hic externam fidei confessionem exposceret: prout cum aliis notat P. Sporer *n.* 24.

49. Quæres secundo, an tempore persecutionis licitum sit fugere ad externam fidei confessionem declinandam?

Respondetur, esse licitum per se loquendo. Sancti Gallenses *tom.* 4. *tr.* 1. *Sect.* 6. *q.* 3. *conclus.* 7. & alii passim. Constat in primis ex doctrina Christi apud *Matth.* 10. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam:* quam doctrinam cum Christus ipse, tum varii Sancti suis exemplis confirmarunt. Accedit ratio: quia ejusmodi fuga secundum se non est negatio, sed potius virtualis quædam confessio fidei, cum fugiens per eam prodat se esse catholicum; talis quippe ni esset, nulla fugiendi ratio esset.

Dixi: *per se loquendo.* Nam contingere per accidens potest, ut illicitum sit tibi fugere, quando vel necessitas, vel jus proximi præsentiam tuam postulat; ut si sis Episcopus, Parochus, &c.

50. Dico secundo. Ad professionem fidei emittendam Jure humano obligantur sequentes.

1. Promoti ad Episcopatum, juxta Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 1. *vers. ita tamen.* 2. Promoti ad beneficium curatum, juxta idem Conc. *ead. sess. c.* 12. *§. provisi etiam;* & quidem intra duos menses a die cœptæ possessionis, in manibus Episcopi, vel, eo impedito, Generalis Vicarii, seu Officialis. 3. Promoti ad Canonicatum, vel dignitatem in Ecclesia Cathedrali sive seculari, sive regulari *cit. sess. & c. §. provisi autem:* idque pariter intra duos menses tam coram Episcopo, vel ipsius Vicario Generali, quam etiam in Capitulo. 4. Promoti in Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos, & Episcopos tenentur insuper in prima Synodo Provinciali, cui ipsi interfuerint, rursum profiteri fidem catholicam, & nominatim recipere Trid. Conc. definita, & sancita, juxta idem Trid. *sess.* 25. *de Reform. c.* 2. *§. idemque*, ubi additur, renuentem profiteri, mox ab Episcopis Com-Provincialibus S. Pontifici denunciandum, & ab illius communione interim abstinendum esse. 5. Prælati Monasteriorum, Conventuum, domorum, & quorumcunque locorum Regularium, etiam Militarium, juxta Constit. Pii IV. quæ incipit: *injunctum nobis.* Sed hoc non in omnibus Religionibus usu receptum est. 6. denique Doctores, Magistri, Regentes, & alii, qui quamcunque artem, aut disciplinam profanam docere, vel profiteri volunt, uti etiam qui ad gradus literarios, & *Licentiam* docendi in Academiis promoveri cupiunt, sive Laici sint, sive Clerici seculares, aut regulares, adjecta pœna excommunicationis, & privationis omnium beneficiorum, & dignitatum in eos, qui aliquem sine prævia confessione fidei ad Cathedram, vel Gradum literarium promoverint. Pius V. *in Constit. In Sacrosancta.* Quod tamen necdum non ubique receptum est. Ita P. Pichler *lib.* 1. *decret. ad Tit. de Summa Trinit. &c. n.* 7. P. Bockin *eod. lib. & Tit. n.* 4. aliique communiter.

Possunt tamen hi tales probabilius professionem fidei edere per procuratorem, veluti docent Barbosa, & Schmalzgrueber, quos refert, & sequitur P. Bockin *loc. cit. n.* 5. Id quod sumitur *ex R. J.* 86. *in* 6. juxta quam *potest quis facere per alium, quod potest facere per seipsum:* cui tamdiu assurgendum est, quandiu Jus illi derogans authen-

authentice non profertur: quod certe in præsenti præstituto hucusque non fuit a contrarium sentientibus. Imo assertio nostra satis aperte decisa videtur *in c. 1. & 4. dist.* 100. ubi supponitur, Episcopos mittere posse alios, qui loco sui professionem emittant.

§. V.

Quando, & quomodo fideles teneantur non negare fidem?

SUMMARIUM.

51. Certum est, dari præceptum fidei negativum, vi cujus non liceat interne dissentire alicui veritati a Deo revelatæ, neque aliquam externe negare. 52. Fideles dicto præcepto obligantur semper, & pro semper. 53. Solvuntur argumenta contraria. 54. 55. 56. Qualiter contra præceptum negativum fidei soleat delinqui verbis, factis, & signis.

51. PRænotandum, & supponendum tanquam indubitatum, dari præceptum fidei negativum, vi cujus non liceat interne dissentire alicui veritati a Deo revelatæ, neque aliquam externe negare. Hoc nanque præceptum necessario fluit ex præcepto fidei affirmativo, vi cujus tenemur interne credere, & externe confiteri, quod credimus: de cujus præcepti existentia, & obligatione in duobus §§. præcedentibus actum. In præsenti §. de præceptivo negativo.

52. Dico. Fideles hoc præcepto obligantur semper, & pro semper, ita ut in nullo unquam casu illi licitum sit alicui veritati a Deo revelatæ interne dissentire, aut aliquam externe, sive verbis, sive factis, sive signis, negare. Ita communissima Catholicorum.

Probatur tum ex S. Script. *Luc. 9. Qui me erubuerit &c.* & *Matth. 10. Qui me negavit coram hominibus &c.* Tum ex natura præcepti negativi semper, & pro semper obligantis, secundum dicta *part. 1. n.* 208. Tum ex ratione: quia nullo unquam casu licet, quod est intrinsece malum; sed articulis fidei interne dissentire, aut eosdem externe negare, est intrinsece malum; ergo &c. Maj. est quid decantatum apud Theologos. Min. ostenditur, & declaratur; quia tam unum, quam alterum Divinæ veracitati injuriosum est; cum tam interne dissentiens articulis fidei, quam externe eosdem negans, convincatur judicare, vel Divinam revelationem non esse veram, vel dogmata fidei non esse divinitus revelata; ergo &c.

53. Objicies sequentia. Nam 1. Apostoli initio Ecclesiæ, abrogato jam Judaismo, usurparunt ceremonias Judaicas, quos peccasse utique non dixeris. 2. Elisæus Propheta licentiam dedit Naaman Syro genuflectendi coram Idolo in templo Remmon, adeoque illud ficte adorandi. 3. Jehu Rex Israel simulavit se sacrificaturum Baal Idolo, ut sic nancisceretur occasionem facilius comprehendendi, atque occidendi omnes Sacerdotes Idololatras ibidem congregatos: quod factum a Deo laudatur 4. *Reg.* 10. ergo falsam Religionem simulare, veramque negare, saltem factis, non est semper, & in omni casu illicitum.

Respondetur, neg. cons. Siquidem fidem negare factis æque illicitum est, ac negare verbis, quia sicut alias sæpe, ita & vel maxime hic facta æquivalent verbis. Nec obstant exempla in contrarium allata. Nam ad 1. ajo, Ceremonias illas tunc temporis nondum fuisse mortiferas, esto fuerint mortuæ: adeoque ob finem honestum, & absque animo simulandi Judaismum, adhuc licite usurpatos. Revide dicta *part. 1. num.* 250. *& seqq.*

Ad 2. dico, Prophetam non dedisse Naaman licentiam genuflectendi ad cultum Idolo exhibendum, sed ad præstandum officium politicum Regi Idolum adoranti, & super Naaman, cum adoraret, inniti solito: quod licite poterat; fere sicut famulus licite potest comitari herum, ad Hæreticorum templa, & sacra euntem.

Ad 3. respondet Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 3. pun. 2. col.* 436. Jehu non fuisse a Deo laudatum propter simulatam adorationem Idoli, sed propter zelum, quo cultum Idoli, interfectis Idololatris, destruxit.

Remanet ergo, nunquam licitum esse, fidem, etiam externe tantum (attamen serio) negare, aut falsæ Religionis sectatorem se simulare, dicendo v. g. se non esse Catholicum, aut Papistam; vel se esse Machometanum, Calvinistam, Lutheranum &c. Item sacrificando Idolis, eisdem thus adolendo, coram eis genua flectendo in ordine ad cultum ipsis exhibendum &c. Nam licet hæc talia faciens, fidem internam retineat, loquitur tamen, vel agit contra veritatem divinitus revelatam, imo & contra propriam mentem, Deumque vere negat coram hominibus; quod est gravissimum peccatum contra præceptum fidei.

Dixi per parenthesin: *attamen serio*. Non enim illicitum est, pravam Religionem simulare, ejusque ritus, & actiones exercere joci causa; prout fieri quandoque videmus in comœdiis: hoc nanque nec est profiteri fidem falsam, nec negare veram; sed potius falsam irridere, & negationem veræ exhibere spectatoribus; fere sicut pictor exhibet in tabula: quod utique nulla lege vetitum est.

Dixi 2. *simulare &c.* Nam fidem dissimulare tantum, quando abest scandalum, & non obligat præceptum affirmativum illam confitendi, culpa vacat: quia fidem dissimulare non est eam negare, sed ab ejusdem confessione, & negatione abstrahere. Imo fidem dissimulare quandoque melius est, quam confiteri, vel etiam necessarium; ut patet in casu, quo quis degens inter hæreticos prævidet, se plures eorum ad Religionem orthodoxam perducere posse, si fidem externe dissimulet, & occultet; aut suam operam noviter conversis, & in suscepta Religione necdum sufficienter confirmatis, necessariam esse. Hinc laudandus, & summopere commendandus est zelus illorum Sacerdotum, qui suam fidem coram hæreticis tegunt, utendo vestibus secularibus, eo consilio, ut alios eorum convertant, & aliis jam conversis auxilio sint, atque præsidio.

Verum ut hucusque dicta adhuc magis elucescant, juvat, imo necessarium est, aliquot quæstiones subjungere.

54. Quæres igitur primo, qualiter contra præceptum negativum fidei soleat delinqui verbis?

Respondetur primo, verbis negativis contra illud aliquando delinqui, aliquando non delinqui. Delinquitur, quando adhibentur verba, fidem sive directe, sive indirecte negantia. Verba fidem directe negantia adhibet, qui asserit, fidem Catholicam, vel aliquem ejus articulum non esse verum, certum &c. Verba fidem indirecte negantia adhibet, qui dicit, se non esse Papistam, Catholicum, vel Christianum, ubi nomen *Christiani* alium usum non habet, nisi Religionis significandæ: sic enim virtualiter negat ipsam Religionem Catholicam. Et hæc quidem satis liquent ex hucusque dictis. Quod si quis dicat, se non esse Christianum apud illas Gentes, quibus hoc nomen non significat Religionem, sed Nationem; sicut refertur de Indis Occidentalibus, qui nomine Christiani Hispanum intelligebant, non peccat contra præceptum fidei; nam ibi negans se Christianum esse, solum negat se Hispanum esse, quod utique non est contra fidem. E diverso non delinquitur contra præceptum negativum fidei, quando adhibentur verba solum negantia certam qualitatem, statum, munus, vel actionem Catholicis propriam; ut si quis neget, se esse Sacerdotem, Religiosum, Confessarium, se audivisse, vel celebrasse Missam &c. esto in interrogante, sive publico, sive privato, intentionem explorandæ fidei advertat. Ratio est: quia sine omnibus recensitis consistere fides potest: & consequenter illa negans, nulla ratione convincitur negare fidem; adeoque nec peccare contra præceptum negativum fidei. Sanchez, Bonacina, Palao, Tamburinus, quos refert, & sequitur Babenstuber *num.* 53.

Respondetur secundo. Contra dictum præceptum etiam delinquitur verbis affirmativis, si hæc ex usu, consuetudine, & circumstantiis solam significationem falsæ Religionis præseferant, non obstante contraria intentione proferentis. Unde si apud Lutheranos interrogatus, an sit Evangelicus? responderes affirmative, peccares gravissime contra præceptum fidei, etiamsi per Evangelium non intelligeres sectam illam novam, sed Religionem orthodoxam juxta verum, ac legitimum sensum Evangelii. Ratio est: quia, cum vox *Evangelicus* ex usu, & consuetudine totius Imperii significet Religionem Lutheranam, hanc profiteri, & Catholicam diffiteri convincereris. Ita P. Sporer *n.* 31. La Croix *n.* 61. Babenstuber *n.* 52. & alii communiter.

55. Quæres secundo, qualiter contra idem præceptum negativum peccetur factis?

Ref-

Respondetur primo. Tunc peccatur, quando facta sive ex natura sua, sive ex circumstantiis protestationem falsæ Religionis significant. Unde peccat 1. qui sacrificat Idolo, ei thus adolet, vel coram eodem genua flectit (nisi hoc ultimum faciat præcise officii politici præstandi gratia, secundum dicta *n.* 53.) Ratio est; quia hoc est profiteri, saltem exterius, cultum Idoli, quem similes actiones per se, ex usu, & consuetudine Gentilium significant. 2. Qui profanæ Hæreticorum cœnæ communicat, tametsi id faciat metu pœnarum adactus. Ratio est: quia licet ejusmodi cœna, absolute, & præcise spectata, sit res indifferens, nec plus significet, quam cœna in caupona; tamen per circumstantias personarum, loci, temporis, verborum &c. determinatur ad significandam Religionem acatholicam: consequenter &c. Idem ob eandem rationem dicendum de eo, qui Hæreticorum Conventus ordinarie frequentat, ut communiter habeatur quasi unus ex illis: cum eisdem cantat, organum ibi pulsat &c. 3. Qui per terras Hæreticorum transiens v. g. negotiationis exercendæ causa, a Magistratu hæretico obtinet ad sui, suorumque bonorum securitatem salvos conductus, & literas, in quibus significatur, ipsum esse Religionis acatholicæ. Ratio est: quia talis procurando, & recipiendo ejusmodi testimonia de professione Religionis acatholicæ, virtualiter negat Catholicam. 4. Qui diebus ab Ecclesia interdictis comedit carnes, ad id faciendum provocatus in contemptum præcepti Ecclesiastici, aut protestationem inobedientiæ erga S. Pontificem, aut professionem falsæ sectæ. Ratio est: quia & talis fidem catholicam negat saltem virtualiter. Sporer *a n.* 38. Cherubinus Mayr *n.* 60. & alii communiter.

Respondetur secundo. Non peccatur contra illud præceptum factis, quando hæc ita sunt indifferentia, ut tam ex natura sua, quam ex circumstantiis a protestatione falsæ sectæ præscindant. Unde non peccat, saltem contra præceptum fidei, qui aliquoties Hæreticorum templa, vel conciones accedit ex curiositate tantum, seu præcise spectandi gratia, quæ inibi geruntur. Tamburinus *in Decal. lib.* 2. *c.* 1. §. 3. *n.* 11. & alii passim. Ratio est: quia sive hic inspiciamus naturam facti, sive concurrentes circumstantias, nulla fit protestatio falsæ, aut negatio veræ Religionis; sed templa Hæreticorum adeuntur mere materialiter, non vero formaliter, ut adiens censeri possit eorum ritibus, aut functionibus communicare. Peccare tamen hic aliquis posset ratione scandali, si aliis præberet ansam prudenter suspicandi, ipsum approbare ritus, aut functiones Hæreticorum; vel propter periculum propriæ perversionis, si quod forte subiret. Idem juxta Sporer *loc. cit.* & La Croix *n.* 65. *&* 67. sentiendum de illis, qui intersunt Baptismis, Matrimoniis, aut funeribus Hæreticorum in Germania, ubi tolerati sunt, & Catholicis permixti. Ratio est: quia talia facientes, cum (ut supponitur) sciantur esse Catholici, censeri prudenter non possunt velle fidem negare; siquidem similia passim a Catholicis fieri, nemo est, qui ignoret. Idem denique tenendum de comedentibus carnes die vetito ad occultandam fidem, mortis, aut alterius gravis mali declinandi causa: dummodo ad illarum esum non invitentur, aut compellantur ex aliqua causarum supra recensitarum, nempe ex contemptu fidei, vel ex protestatione inobedientiæ erga S. Pontificem, vel ex professione falsæ sectæ; prout excepimus supra. Ratio ultimi hujus asserti est: quia ex una parte carnibus vesci die aliàs vetito, secundum se non est signum protestativum pravæ Religionis; cum Catholici varias ob causas illis licite vesci possint, & soleat: ex altera vero parte intervenit sufficiens causa a præcepti Ecclesiastici observatione excusans. Layman. *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 11. *n.* 5. & alii ab ipso relati.

56. Quæres tertio, quomodo, & quando contra idem præceptum negativum peccetur signis, præsertim vestibus, & vexillis infidelium, vel hæreticorum?

Respondetur primo. Peccant Catholici graviter (1.) contra præceptum negativum fidei, quando utuntur signis, aut vestibus primo, & per se, id est, ex sua institutione, vel consuetudine, protestativis pravæ Religionis; cujusmodi sunt imago v. g. Machumetis in pileo, vel clypeo, qua professio Machumetismi; ornatus Sacerdotalis, quo professio Judaismi significatur: nec dabilis est (2.) causa, etsi gravissima sit, quæ talem usum excuset. Primam partem resolutionis tenet cum communissima aliorum Palao *tr.* 4. *disp.* 1. *pun.* 7. *n.* 3. Altera est ejusdem Authoris itidem cum satis communi aliorum cotra Laymannum, & quosdam alios. Ratio utriusque partis est: quia tales censentur exterius negare fidem, sicut eandem negarent, si verbis, aut factis profiterentur, se esse Turcas, vel Judæos: atqui negare fidem in nullo casu, & nulla ex causa licet, cum sit intrinsece, & indispensabiliter malum; ergo &c.

Nec dicas cum Adversariis, disparem esse rationem inter vestimenta, vel signa ex una, & verba, ac facta ex altera parte. Nam vestimenta, vel signa, tametsi ad denotandam falsæ fidei professionem instituta, & ordinata sint, semper tamen retinent usum, quem suapte natura habent, puta tenendi, vel ornandi corpus: unde non apparet, quare ad hujusmodi usum ex gravissima causa nequeant adhiberi. Verba e diverso, & facta ex sua institutione, & circumstantiis ad unum duntaxat usum, & significationem pravæ sectæ determinata sunt: unde si adhibeantur, ad illum præcise adhiberi necessario censentur: consequenter &c.

Contra enim est. Etiam vox *Evangelicus* v. g. duplicem significationem habet; significat enim fidem veram, seu Catholicam, & falsam, seu Lutheranam; prout annotavimus *n.* 54. & tamen ex nulla prorsus causa asserere cuiquam fas est, se esse Evangelicum: quia ex usu, & consuetudine totius Imperii memorata vox determinatur ad significandam fidem Lutheranam. Similiter crematio thuris v. g. duplicem obtinet usum, videlicet confortandi caput, aut purificandi aerem, ac denotandi cultum Idoli; & tamen indispensabiliter illicitum est, thus adolere Idolo: quia hæc actio ex usu, & consuetudine Gentilium determinatur ad significandum cultum Idoli. Ergo licet vestimenta, & signa duplicem usum habeant, tamen iis uti nulla ex causa permissum est, quando ex sua institutione, & consuetudine sunt protestativa pravæ Religionis.

Respondetur secundo. Quando vestes, vel signa non sunt per se protestativa falsæ Religionis, sed solum illius distinctiva, id est, instituta ad dignoscendos homines talis sectæ ab hominibus alterius sectæ, aut Religionis; uti sunt flavus pileus Judæorum Romæ degentium, & annulus flavus in pallio existentium Francofurti, non peccant Catholici contra præceptum negativum fidei, quando iisdem ex gravi causa utuntur, esto peccarent contra præceptum affirmativum fidei, si illis uterentur in casu, quo hoc præceptum stringeret. Suarez, Sanchez, Palao, Sporer n. 34. & alii communiter. Ratio est: quia, attentis circumstantiis, usus similium minime arguit aliquem desciviffe a fide, sed solum velle fidem, cui videntes addictum norunt, occultare: quod ex gravi causa licitum est, quando aliunde honor Dei, vel salus propria, aut proximi, nullum periculum subit.

Respondetur tertio. Quando vestes, vel signa non sunt distinctiva sectæ a secta, vel Religione, sed tantum Gentis a Gente, seu Nationis a Natione, cujusmodi sunt v. g. chlamis talaris, & cidaris alba fascia turbinata, in quibus Turcæ incedunt, & ab aliis populis dignoscuntur, non peccant fideles, si iisdem ex justa causa utantur. Ita cum communissima aliorum P. Sporer *n.* 33. Ratio est: quia hujusmodi usus non est protestatio falsæ sectæ; sed tantum conformitatis cujusdam ad Rempublicam politicam. Nec refert, quod illi, qui ita indutos intuentur, forte decipiantur, existimantes, eos profiteri talem sectam. Nam similis deceptio, fundata in actione de se indifferenti, ob justam causam v. g. securitatem itineris licite permittitur.

CAPUT III.

De Vitiis Fidei oppositis.

POstquam in *cc.* præcedentibus de Virtute Fidei actum est, in præsenti de vitiis eidem oppositis ut agamus, rectus doctrinæ ordo postulat; eadem quippe est oppositorum disciplina, seu scientia: nec usquam melius intelligi potest unum oppositorum, quam si explicetur per alterum. Genus horum vitiorum est *infidelitas*, de qua in primo articulo differemus, in articulis vero subsecuturis de singulis illius speciebus scitu necessaria afferemus. Sit ergo

ARTI-

ARTICULUS I.

De Infidelitate secundum se, seu in genere.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Infidelitas?

SUMMARIUM.

57. *Infidelitas generatim accepta est* defectus aliquis contra fidem; *& in hac generali, ac lata acceptione dividitur in* negativam, privativam, & positivam. 58. *An quælibet ex his infidelitatibus sit peccatum, & destruat fidem?* 59. *Infidelitas positiva adæquate dividitur in* Paganismum, Judaismum, & Hæresim. 60. *Solvitur objectio.* 61. *Ostenditur, Paganismum, Judaismum, & Hæresim solum materialiter, & accidentaliter inter se differre.*

57. Dico primo. Infidelitas generatim accepta est *defectus aliquis contra fidem*. In qua generali, & lata acceptione dividitur in infidelitatem *negativam*, *privativam*, & *positivam*, seu *contrariam*. Prima est carentia fidei in subjecto hic, & nunc inepto (sive ratione impotentiæ, sive ratione ignorantiæ) ad illam habendam. Secunda est carentia fidei in subjecto de se apto ad illam habendam, id est, in subjecto, quod potuisset hic, & nunc, ac debuisset elicere actum fidei, & non elicuit. Tertia est voluntarius error contra fidem, cum pertinacia conjunctus.

58. Quæres, an quælibet ex his infidelitatibus sit peccatum, & destruat fidem?

Respondetur primo. Infidelitas negativa (1.) non est formaliter peccatum; & consequenter (2.) non destruit fidem. Prima pars constat tum ex proposit. Michaelis Bay, a tribus Pontificibus, S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. confixa: quæ ita sonat: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Tum ex ratione: quia peccatum formaliter tale consistere non potest absque voluntario: sed infidelitas negativa non est voluntaria illis, qui ea laborant; ergo &c. Ratio secundæ partis est: quia juxta communem fides non destruitur, nisi per peccatum sibi directe oppositum: atqui infidelitas negativa nec peccatum est formaliter, nec fidei directe opponitur, ut patet; ergo &c.

Dixi infidelitatem negativam non esse peccatum *formaliter*. Nam *radicaliter*, seu in radice peccatum esse, nemo est, qui inficias eat; quatenus nimirum est pœna peccati originalis, imo est actualis in adultis ratione pollentibus. Quod sit pœna peccati originalis, concors est doctrina Patrum, & Scholasticorum cum S. Thoma 1. 2. q. 85. ubi inter præcipua vulnera, humano generi ob peccatum originale inflicta, numeratur etiam invincibilis ignorantia eorum, quæ ad salutem sunt necessaria. Quod etiam sit pœna peccati actualis, inde evincitur: quia si homo per auxilium gratiæ preventus (quod nulli ad salutem sufficiens deest; ut ostendunt Scholastici *in tr. de Grat.*) faceret, quod in se est, & observaret legem naturæ, Deus illi non denegaret cetera ad salutem necessaria; cum ergo constet, multis deesse notitiam fidei, & prædicationem Evangelii, dicendum superest id fieri in pœnam peccati etiam actualis. Ita Sanct-Gallenses *tom. 4. tr. 1. sect. 7. q. 1. conclus. 2. & 3.*

Respondetur secundo. Infidelitas privativa est quidem (1.) formale peccatum; non tamen (2.) destruit fidem. Prima pars fluit ex dictis *n.* 57. Altera inde ostenditur, quod hæc infidelitas solum adversatur præcepto affirmativo, non autem negativo fidei, seu confessionis internæ; adeoque non sit error positivus contra fidem, ejusdemque objecto formali directe oppositus: atqui fides non destruitur, nisi per errorem positivum dicto modo sibi oppositum; prout communiter tenent DD. ergo &c.

Respondetur tertio. Infidelitas positiva, seu contraria (1.) est peccatum fidei directe oppositum, ejusdemque (2.) moraliter, seu demeritorie destructivum. Ita DD. communiter, & sumitur ex Conc. Trid. *sess. 6. c.* 15. Ratio præterea primæ partis est: quia hæc infidelitas est contra præceptum negativum fidei, seu confessionis internæ, ejusdemque motivo, sive objecto formali e diametro adversatur. Ratio secundæ partis est; nam prædicto modo opposita in physicis se invicem expellunt, & destruunt physice; ergo in moralibus moraliter. Hoc tamen, ut vides, intelligendum venit de infidelitate positiva formali, quæ, ut supra diximus, est error voluntarius, & cum pertinacia conjunctus. Nam infidelitas materialis peccatum non est, nec fidem destruit; veluti per se patet.

59. Dico secundo. Infidelitas positiva, seu contraria (quæ sola nomen, & rationem infidelitatis stricte, & simpliciter participat) adæquate dividitur, vel potius subdividitur in tres species, videlicet in *Paganismum*, *Judaismum*, & *Hæresim*.

Probatur. Quia infidelitas positiva consistit in quadam renitentia contra veram fidem, per idonea motiva propositam; ergo tot erunt species infidelitatis, quot modis aliquem reniti contingit contra fidem. Sed id contingit tribus modis; nam vel reniteris fidei, respuendo universum tam vetus, quam novum testamentum, & eris Paganus; vel respuendo novum duntaxat, & adhærendo veteri, non autem genuino ejusdem sensui, & eris Judæus; vel adhærendo etiam novo, ejusdemque genuino sensui, non tamen integro, seu in omnibus, & eris Hæreticus.

60. Objicies. Athei ne quidem credunt dari Deum: quod tamen credunt alii infideles. Item Machometani neque sunt Pagani, neque Judæi, neque Hæretici; quia credunt in unum Deum, & neque vetus, neque novum Testamentum recipiunt. Ergo præter recensitas tres infidelitatis positivæ species adhuc aliæ exstant, videlicet *Atheismus*, & *Machometismus* sive *Turcismus*; consequenter divisio infidelitatis positivæ in illas tres species non est adæquata.

Respondetur, Atheismum, & Machometismum revocandos esse ad Paganismum; quia ad hunc perinde est, sive credatur unus Deus, sive plures, sive nullus, dummodo respuatur universum tam vetus, quam novum Testamentum. Ad quam speciem revocari possint, ac debeant Apostasia, Schisma, dicemus infra *art.* 4.

61. Quæres, an istæ tres species, Paganismus, Judaismus, & Hæresis, differant inter se formaliter, & essentialiter, vel materialiter, & accidentaliter tantum?

Respondetur, differre solum posteriore modo. Palao *disp. 2. pun. 1. n. 4.* Sanct-Gallenses *loc. cit. q. 2. conclus.* 2. & alii ab ipsis relati contra Cajetanum, Mezger, Babenstuber &c. Ratio est: quia sicut virtus, & honestas fidei in eo consistit, quod aliquis credat Divinæ Authoritati revelanti, ita peccatum infidelitatis consistit in eo, quod quis eidem Authoritati contradicat: atqui hæc ratio contradictionis est formaliter, & essentialiter eadem in quolibet peccato infidelitatis; ergo &c.

Confirmatur responsio, & declaratur modo adducta ratio. Distinctio specifica peccatorum desumitur, & dignoscitur ex objectis eorum in genere moris specie diversis; vel ex modo tendendi actuum peccaminosorum formaliter diverso; vel ex formali diversitate virtutum, aut præceptorum, quæ per tales actus violantur; prout dictum, & stabilitum est *part. 1. n. 656. & seqq.* sed ex nullo eorum desumi potest distinctio peccatorum infidelitatis; ergo non est specifica, seu essentialis. Min. ostenditur. Non enim ea objectis, in quæ tendunt; cum ea in genere moris non differant, nisi materialiter, & extensive, sive secundum magis, & minus: neque ex modo tendendi, cum hic similiter non nisi materialiter diversus sit, utpote cujus tota diversitas se tenet ex parte objecti materialis, seu materiæ creditæ: neque ex diversitate virtutum, aut præceptorum; cum præcepta fidei uti, eidemque motivo innitantur, adeoque materialiter tantum, non vero formaliter diversa sint, ergo &c.

Dices. Ergo si quis ad aliquam ex prædictis infidelitatibus deflexerit, satisfaciat in confessione, dicendo, se deseruisse fidem.

Respondetur cum *citt.* Authoribus, neg. illatum. Nam licet peccata infidelitatis secundum se spectata, non differant essentialiter, & specifice, ita tamen differunt ratione irreligiositatis admiatæ; cum quælibet ex præfatis sectis, seu falsis Religionibus præscribat distinctas cæremonias, & cultus vanos, ac sacrilegos; speciales item blasphemias contra Deum, Christum, & Ejus fidem.

§. II.

Expediuntur nonnullæ Quæstiones ſtibus pertinentes,

S U M M A R I U M.

62. *Quam grave peccatum ſit infidelitas? 63. An in eo detur parvitas materiæ? 64. Quænam ex ſpeciebus infidelitatis, inter ſe invicem comparatis, ſit gravius peccatum? 65. An infideles cogi poſſint ad amplectendam fidem?*

62. QUæres primo, quam grave peccatum ſit infidelitas?

Reſpondetur eſſe gravius peccatum omnibus aliis, excepto formali, & expreſſo odio Dei. Ita cum communi Sanct-Gallenſes *loc. cit. concluſ.* 4. Ratio eſt: quia eo gravius eſt aliquod peccatum, quo excellentiori adverſatur virtuti: ſed infidelitas adverſatur excellentiori virtuti, quam quæcunque alia peccata, excepto odio Dei; ergo &c.

Dixi: *excepto formali, & expreſſo odio Dei.* Hoc enim, cum expreſſe, & e diametro opponatur Charitati Deo debitæ, quæ ſua excellentia omnes ceteras virtutes ſupergreditur, utique gravius peccatum eſt, quam Infidelitas, & quæcunque alia peccata.

63. Quæres ſecundo, an in peccato infidelitatis detur parvitas materiæ?

Reſpondetur negative. Ita communis, & ſequitur ex dictis *part.* 1. *n.* 653. Ratio autem eſt: quia committens peccatum infidelitatis proprium judicium præfert primæ Veritati ſuper omnem veritatem appretiabili, eique hac tali prælatione graviſſimam ſemper injuriam irrogat: conſequenter &c.

64. Quæres tertio, quænam ex ſpeciebus infidelitatis, inter ſe invicem comparatis, ſit gravius peccatum?

Reſpondetur, Hæreſim intenſive eſſe gravius peccatum Judaiſmo, & Judaiſmum Paganiſmo. Ita denuo communis DD. Ratio eſt: quia peccatum intra eandem eſſentialem ſpeciem eo eſt intenſive gravius, quo magis eſt voluntarium: ſed infidelitas Hæretici eſt magis voluntaria, quam Judæi; & Judæi, quam Pagani &c. Maj. ſupponitur ut certa. Min. vero fluit ex dictis: Hæreſis enim renititur fidei melius, & perfectius cognitæ, quam Judaiſmus; & hic, quam Paganiſmus.

Dixi: *intenſive*. Nam extenſive gravius peccatum eſt Paganiſmus, quam Judaiſmus; & Judaiſmus, quam Hæreſis: ſiquidem Paganiſmus plures fidei veritates negat, quam Judaiſmus; & hic, quam Hæreſis; prout relinquitur ex dictis *n.* 59.

65. Quæres quarto, an infideles cogi poſſint ad amplectendam fidem Catholicam?

Reſpondetur primo. Infideles non baptizati per ſe, & directe cogi non poſſunt. Conſtat ex *can.* 3. *&* 5. *diſt.* 45. *ac cap.* 9. *de Judæis &c.* ubi id expreſſe prohibetur. Ratio inſuper eſt, quod jus directe cogendi ad fidem non habeat, qui juriſdictione ſpirituali caret: ſed tam Eccleſia, quam Principes ſeculares carent juriſdictione ſpirituali in infideles non baptizatos; ergo &c. Min. oſtenditur de Eccleſia ex illo Pauli 1. *Cor.* 5. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* de Principibus vero ſecularibus, quod horum juriſdictio, quam in infideles forte ſibi ſubjectos obtinent, mere temporalis ſit, utpote ordinata ad finem, & felicitatem præciſe temporalem Reipublicæ; adeoque ſe porrigere ad ſpiritualia non poſſit.

Dixi autem 1. *cogi*. Nam licite ad fidem amplectendam allici poſſunt donis, beneficiis, officiis, obſequiis &c. quia hoc non detogat eorum libertati.

Dixi 2. *directe*. Nam indirecte cogi poſſunt, quia negando ipſis habitationem inter Chriſtianos, niſi ſe convertant, tractando eos rigide (non tamen injuſte) ſcilicet ſecundum rigorem a non converſis exigendo debita tributa &c. converſis autem remittendo: item non permittendo ſuperſtitioſos illorum ritus, vel eorum Myſtas excludendo &c.

Dixi, vel ſubaudivi 3. *ad amplectendam fidem*. Cogi namque poſſunt ab Eccleſia, vel Principe territoriali ad fidei prædicationem audiendam: hoc quippe non eſt compellere ad fidem amplectendam, cum etiam poſt auditam Evangelicæ veritatis prædicationem ſit illis integrum, velintne in ſuo errore perſiſtere, nec ne?

Reſpondetur ſecundo. Infideles baptizati, ſive Hæretici ad fidem amplectendam cogi poſſunt etiam directe. Ita DD. communiter. Ratio eſt: quia in hos tales Eccleſia juriſdictionem habet, quippe vi ſuſcepti Baptiſmatis ſibi ſubjectos, eamque etiam per Principes ſeculares exercere licite poteſt, horumque potentia illos compellere, ut ad fidem catholicam, quam in ſuſceptione Baptiſmi promiſerunt, revertantur.

A R T I C U L U S II.

De Paganiſmo.

S U M M A R I U M.

66. *Recenſentur, qui communi nomine Pagani cenſentur.* 67. *Non licet Principibus Chriſtianis in ſua territoria recipere Paganos, eorumque ritus permittere, per ſe loquendo.* 68. *Quænam communicatio cum Paganis ſit illicita, & quænam licita Chriſtianis?*

QUæ de hac infidelitatis ſpecie in quæſtionem veniunt, ſunt ſequentia. 1. Quinam communi nomine cenſeantur Pagani? 2. An Principibus Chriſtianis liceat in ſua territoria recipere Paganos, eorumque ritus tolerare? 3. Quænam communicatio cum Paganis ſit illicita, & quænam licita Chriſtianis? Nunc

66. Dico primo. Communi nomine Pagani cenſentur Gentiles, Turcæ, Tartari, Perſæ, Arabes, Africani &c.

Probatur, & declaratur. Quia hi, & ſimiles omnino negant Chriſtum, ſeu Meſſiam tam venturum, quam præſentem; adeoque utrunque teſtamentum tam vetus, in quo erant Prophetæ, & figuræ venturi Chriſti, quam novum, quod Chriſtus jam præſens promulgavit; & conſequenter omnes ejuſmodi furfuris Errones laborant vitio infidelitatis, quod communi vocabulo dicitur Paganiſmus.

Nec refert, quod nonnulla credant, quæ nos credimus; ut Turcæ v. g. exiſtere unum Deum, futuram reſurrectionem mortuorum &c.

Non, inquam, refert: quia illa non credunt, quatenus a Deo revelata ſunt, ſed ex aliis motivis, ut Turcæ, quia prædicta, & prædicata ſunt a Machumete, ita ut formale motivum credendi non ſit authoritas Dei revelantis, ſed impii Machumetis, cui unice fidunt, & pertinaciter adhærent. Quo differunt a Judæis, & Hæreticis, utpote qui authoritatem Dei revelantis pro motivo credendi ſibi præfigunt, eſto ceteroquin & ipſi (ſicut Pagani) fide duntaxat humana credat ob rationem infra reddendam.

67. Dico ſecundo. Non licet Principibus Chriſtianis in ſua territoria recipere Paganos, eorumque ritus permittere, per ſe loquendo, & quando citra ingens incommodum expelli, aut excludi poſſunt. Communis.

Probatur. Quia ipſa infidelitas eſt graviſſimum crimen, ex quo alia innumera pullulant, cum periculo ipſos quoque fideles inficiendi; ergo permitti, & tolerari non poteſt per ſe loquendo, & dum commode impediri valet. Neque a Paganis ſperanda regulariter eſt aliqua utilitas, quæ eorum receptionem, aut tolerantiam cohoneſtet, aut licitam reddat; qualis tamen utilitas ſperatur, & percipitur a Judæis, eorumque tolerantia; prout dicemus *art. ſeq.*

68. Dico tertio, Jure Divino, & Naturali prohibitum eſt Chriſtianis communicare cum Paganis in rebus, quæ eorum Religionem concernunt, puta in ſuperſtitioſis ritibus, ceremoniis &c. Ratio eſt: quia taliter communicantes utuntur ſignis, & exercent actiones per ſe proteſtativas falſæ Religionis, quod ſecundum dicta *n.* 56. ſine abnegatione veræ fidei fieri non poteſt. Eodem utroque Jure illicitum eſt Paganos admittere ad participationem Sacramentorum, cum horum ob defectum Baptiſmi ſint incapaces; & contrahere cum illis matrimonium (extra caſum urgentis neceſſitatis, qualis fuit in exordio Eccleſiæ) juxta illud 1. *Cor.* 6. *Nolite jugum ducere cum Gentibus*. Accedit, quod hujuſmodi matrimonium Jure Eccleſiaſtico ſit invalidum ob impedimentum, quod dicitur *cultus diſparitas*; prout videbimus *part.* 6. Illicitum præterea eſt, ſed Jure Eccleſiaſtico tantum, Paganos admittere ad Sacrificium Miſſæ, per textum *in can.* 67. *de conſecrat. diſt.* 1. Licita tamen foret hujuſmodi admiſſio, ſi ex ea ſperaretur ſpe-

specialis fructus, v. g. unius, vel plurium Paganorum conversio. Palao *tr. 4. disp. 2. pun. 9. n. 4.* Schmalzgrueber *ad Tit. de Judæis &c. n. 9.* & alii. Prohibita insuper est Christianis cohabitatio cum Paganis in horum ædibus, & servitus iisdem præstanda, *per c. 5. de Judæis* &c. Non tamen prohibitum est Paganorum servitiis uti, iisdemque cohabitare in ædibus Christianorum; prout ex praxi ubique recepta constat. Etiam prohibitum est, ne Pagani præficiantur inter Christianos publicis officiis *c. 16. & cap. 18. de Judæis &c.* Denique, & specialiter Christianis utroque Jure sub gravissimis pœnis prohibitum est, ne ad Paganos sive pacis, sive belli tempore deferant arma, aut alia, quæ ad bellum contra Christianos gerendum servire valeant: item ne consilio, vel auxilio eosdem juvent: imo tempore belli etiam alias merces ad eos deferre vetitum est *c. 6. 11. 12. 17. Extravag. 1. inter com. Extravag. un. Joan. XXII. de Judæis &c. l. fin. C. quæ res exportari l. 25. C. de Pœnis.* Ceterum pœnæ Jure Canonico in contra facientes fulminatæ sunt excommunicatio latæ sententiæ, reservata S. Pontifici post Bullam Cœnæ, privatio rerum, servitus, si tales a quopiam Christiano capiantur, infamia, inhabilitas ad testandum, & quoscunque actus legitimos. *Extrag. 1. cit. &c.* De Jure Civili vero confiscatio bonorum, & capitale supplicium. P. Pichler *ad Tit. de Judæis &c. n. 9.* An sit permissum Paganorum accedere templa, & cum iisdem communicare in actionibus civilibus, dicetur infra *n. 90. in respons. ad Cas. 4.*

ARTICULUS III.

De Judaismo.

SUMMARIUM.

69. Licet quidem absolute Principibus Christianis in sua territoria recipere Judæos, eorumque Synagogas, & ritus tolerare; plerumque tamen non expedit; imo nunc temporis vix amplius licet. 70. Semel recepti non possunt pro libitu iterum expelli. 71. Quænam communicatio cum Judæis, ubi tolerantur, prohibita sit Christianis?

Etiam in hoc articulo tria quæruntur. 1. An liceat Principibus Christianis in sua territoria recipere Judæos? 2. An Judæi semel in territorium, vel protectionem recepti possint pro libitu iterum expelli? 3. Quænam communicatio cum Judæis, ubi tolerantur, prohibita sit Christianis? Ad primum

69. Dico primo. Licet quidem absolute (1.) Principibus Christianis in sua territoria recipere Judæos, eorumque Synagogas, & ritus tolerare; plerumque tamen (2.) non expedit; imo nunc temporis vix amplius licet. Communis.

Probatur prima pars. Quia ritus Judaici sunt figura, & umbra veritatis Evangelicæ, eique testimonium suppeditant: qualis ratio non datur pro receptione, & tolerantia Paganorum.

Confirmatur ex praxi non modo Christianorum Principum, & aliorum Regalia ab Imperatore Catholico obtinentium, sed ipsius quoque S. Pontificis in Urbe Romana Judæos perpetuo tolerantis.

Probatur secunda pars. Quia Judæi solent quotidie Christo maledicere, & horrendas in eum blasphemias effundere; exercere usuras iniquissimas in perniciem commercii, & mercaturæ Christianorum; agere fraudes, & furta, aliaque perpetrare nefanda crimina; ergo ubi actu non sunt recepti, non expedit, si recipiantur: imo vix amplius licite recipiuntur; cum finis, ob quem secundum dicta absolute recipi, & tolerari possunt, sufficienter obtineatur per actus jam existentes in quibusdam locis.

70. Dico secundo. Judæi, semel in territorium, vel protectionem recepti, non possunt iterum pro libitu expelli, si conditiones, sub quibus recepti sunt, debite observent. Ita denuo communis DD.

Probatur. Quia Jus naturale præcipit, ut fides, semel juste data, cuicunque proximo servetur: atqui etiam Judæi sunt nostri proximi, veluti dicemus *disp. 3. num. 145.* ergo &c.

Ceterum conditiones, sub quibus Judæi solent recipi, sunt præcipue sequentes. 1. Ut a blasphemiis, contumeliis, & maledictis in Deum, & Christum sibi temperent. 2. Ne quidquam dicant, vel faciant in contemptum Religionis Christianæ. 3. Ne Christianos turbent in cultu Divino; aut ipsis molestiam creent. 4. Ut in Hebdomade sancta non prodeant in publicum; nec in die Parasceves aperta ostia, vel fenestras habeant &c. 5. Ne usuras exerceant immoderatas, aut fraudibus Christianos emungant. 6. Ne res Christianorum furentur, aut a furibus coemant. 7. Ne Christianorum quempiam ad suam superstitionem traducere attentent. Sed 8. absque ullius offendiculo, & injuria modeste, & pacifice vivant. His conditionibus non servatis denuo expelli possunt, vel etiam debent *per l. 11. & seq. C. de Judæis, & Novell. 146. in fin.* cum *frangenti fidem fides frangatur eidem*. Atque ita factum est *anno* 1348. quo Judæi ob fontes a se veneno infectos per totam fere Germaniam vel ferro, vel flammis absumpti sunt.

71. Dico tertio. Communicatio cum Judæis prohibita est Christianis in sequentibus. Ut 1. vetitum est Christianis exercere ritus, vel comedere Azyma Judæorum. 2. Ingredi eorum Sinagogas tempore, quo superstitiosas ceremonias exercent: quod tamen, licet absque justa causa fiat, culpam venialem non excedit, si periculum perversionis, & approbationis absit. 3. Judæos admittere ad participationem Sacramentorum, & ad Sacrificium Missæ. 4. Permittere, ut Judæi exerceant suos ritus publice, aut in contemptum Religionis Christianæ: vel 5. ut ædificent novas Synagogas, aut antiquas redigant in formam augustiorem, esto permitti possit, ut antiquas restaurent, vel collapsas reparent juxta formam pristinam: ad quod ipsum tamen operam conferre Christianis non licet, 6. Cum Judæis habitare in iisdem ædibus. 7. Eodem cum ipsis balneo uti. 8. Medicos, vel Chirurgos Judæos, aut pharmaca ab iis præparata, vel applicata, adhibere. 9. Adire eorundem convivia, nuptias, ludos, choreas, vel illos invitare ad convivia &c. 10. Lactare, aut nutrire illorum liberos faltem in propriis eorundem domibus. 11. Publica illis officia inter Christianos concedere, aut aliquam in hos jurisdictionem. 12. Illis famulari, aut e contra eosdem habere famulos intra proprias ædes, & cum continua familiaritate. Ubi est advertenda disparitas Judæos inter, & Paganos; nam cum Judæi sint magis obstinati, magisque capaces Christianos pervertendi, ac Pagani, illos in eadem domo usurpare ut servos non licet, esto sic liceat iisdem istos, per dicta superius *n.* 68. 13. Legata illis in testamento relinquere. 14. Cum ipsorum inire matrimonium &c. Quæ omnia fundantur tum in Jure naturali, & Divino; tum in Jure humano Ecclesiastico; ut *in can. 67. dist. 1. de consecrat. can.* 12. 13. 14 *caus.* 28. *quæst.* 1. *cap.* 3. 5. 7. 8. 18. *de Judæis &c.* Ratio præterea, & finis hujus prohibitionis est: partim ut conservetur Religionis Christianæ dignitas: partim ut caveatur periculum subversionis, & aliorum damnorum, quæ ex perfidissimæ hujus gentis familiaritate fidelibus impendent. Quod si huic fini graviter contraveniatur, mortale; si leviter, veniale peccatum committitur. Unde procul dubio mortaliter peccat, qui tempore Paschali cum Judæo vescitur azymis, saltem si id ritu Judaico faciat: venialiter vero, qui ingreditur Synagogam, ubi Judæi suas superstitiosas ceremonias exercent, spectandi ergo, quid ibidem agatur, dummodo periculum subversionis, aut approbationis absit. Et hæc ita se habent insistendo legibus prohibentibus. Ubi tamen juverit advertere ex nostro Marchantio *tr. 2. tit. 2. sect. 3. quæst. 4.* quod præfatæ leges non sint ubique in usu quoad omnes suas partes. Quare aliqua ex illis, quæ prohibita esse diximus, cum certis limitationibus accipi possunt. Ut 1. cohabitare cum Judæo tunc non licet Christiano, quando hic est illi subditus. 2. Judæorum conviviis interesse solum censetur vetitum, quando illi discretionem ciborum observant juxta legem Mosaicam. 3. Eodem cum iis balneo uti illicitum est, si formaliter per modum societatis, & ex condicto conveniatur; secus, si per accidens, & præter intentionem. 4. Adire eorum ædes, nuptias, Synagogas &c. prohibitum est, quando timetur periculum, aut scandalum &c. Videatur La Croix *a num.* 83.

Si petas, an illa, quæ Christianis Jure duntaxat Ecclesiastico sunt vetita respectu Judæorum, etiam censeantur vetita respectu aliorum infidelium?

Respondetur, nihil eorum esse vetitum præter cohabitationem, & servitutem in illorum domibus. Ratio est: quia *in c. 5. de Judæis* extensio prohibitionis ad Turcas,

cas, & alios infideles fit tantum in prædictis duobus casibus; ergo non est, cur illam protendamus etiam ad alios casus, maxime cum versemur in materia odiosa. Author proxime citatus *n.* 90.

ARTICULUS IV.

De Hæresi, & Hæreticorum libris: item de Apostasia, & Schismate Hæresi affinibus.

§. I.

De Hæresi.

SUMMARIUM.

71. *Hæresis alia est* formalis, *alia* materialis; *& consequenter etiam Hæretici alii sunt, & dicuntur* formales, *alii* materiales. 73. *Non licet per se loquendo Catholicis Hæreticos recipere, ac tolerare, eisque exercitium suæ sectæ, ritusque permittere.* 74. *Non licet generatim omnibus Catholicis cum Hæreticis disputare de rebus fidei.* 75. *Quænam communicatio cum Hæreticis, ubi tolerantur, sit prohibita Catholicis?* 76. *Quænam in Hæreticos sint statutæ pœnæ?*

72. PRænotandum, hæresim generatim sumptam esse duplicem, *formalem* scilicet, & *materialem*. Prior reperitur in eo, qui semel Christianam fidem suscepit (puta per Baptismum) & nihilominus sub nomine Christiano resistit doctrinæ Christi ab aliqua ejus parte recedendo cum pertinacia: quæ pertinacia se tenet ex parte voluntatis, estque in eo sita, quod quis sciens, & volens consentiat in id, cujus oppositum novit ab universali Ecclesia determinatum. Unde, prout hic sumitur, non consistit in certa temporis mora; neque in inflexibili erroris continuatione; prout alias, præsertim relate ad pœnas in foro externo infligendas, accipi solet: quemadmodum cum Laymanno, & Sporero recte observat P. Cherubinus Mayr *n.* 88. Posterior, seu materialis hæresis est in eo, qui veram fidem professus, ex ignorantia, vel alio errore intellectus, citra pertinaciam voluntatis, tenet unum, vel plures articulos fidei orthodoxæ contrarios. Atque hanc talem hæresim, eaque laborantes hæreticos (inde *materiales* appellatos) in nostris partibus dari experientia constat: inveniuntur enim aliqui (ut loquitur La Croix *lib.* 2. *n.* 94.) ita simplices, vel præventi doctrina suorum Ministrorum, ut firmiter existiment, sibi de sua fide nullatenus dubitandum, animoque ita comparati sint, ut si scirent fidem suam esse falsam, eam libenter desererent, & nostræ accederent. Hæc hæresis est hæresis improprie talis, de qua nobis nihil amplius dicendum in præsenti; sed de sola hæresi formali, quæ est hæresis simpliciter, & proprie dicta. De qua proinde, eaque infectis hæreticis (qui *formales* appellantur) *seqq.* quæstiones decidendæ sunt 1. An liceat Catholicis Hæreticos recipere, ac tolerare, eorumque ritus, ac falsæ Religionis exercitium permittere? 2. An liceat cum Hæreticis de rebus fidei disputare? 3. Quænam communicatio cum Hæreticis, ubi tolerantur, sit prohibita Catholicis? 4. Quænam in Hæreticos sint statutæ pœnæ? Ad primum

73. Dico primo. Non licet per se loquendo Catholici Hæreticos recipere, ac tolerare, eisque exercitium suæ sectæ, & ritus permittere. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. quem sequuntur alii communiter.

Probatur tum ex lege naturali: quia Reipublicæ Christianæ suis hæresibus plurimum perniciosi, & exitiales existunt: tum positiva humana in naturali fundata; nam *in c. 9. §. statuimus,* & *l.* 5. *cum Authent. Si vero. & Authent. Gazaros C. de Hæreticis*, id expresse prohibetur; ergo &c.

Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens, puta in casu duræ necessitatis, majorisque periculi, aut graviorum damnorum Religioni Catholicæ impendentium, recipi, & tolerari possunt; veluti fieri videmus in nostra Germania.

74. Dico secundo ad secundum. Non licet generatim omnibus Catholicis cum Hæreticis disputare de rebus Fidei. Ita DD. communiter.

Probatur, & explicatur assertio. Nam 1. etiam Clericis, & quibuscunque doctis illicitum est cum Hæreticis disputare ex condicto, nisi fidei status eam disputationem exigat, periculumque in mora sit. Ita declaravit S. Congregatio *de propaganda fide* Anno 1644. 2. Alexander IV. *in cap.* 2. §. *inhibemus* 1. *de Hæret. in* 6. disputationem cum Hæreticis tam privatam, quam publicam vetuit quibuscunque Laicis, ut ut alias doctis, sub pœna excommunicationis per sententiam infligenda. 3. Jure naturali a simili disputatione abstinendum est omnibus indoctis, id est, decreta, & jura fidei nescientibus: quia id genus homines mysteria fidei exponerent periculo contemptus, & ludibrii, minorisque æstimationis: quo fieret, ut infideles magis obfirmarentur in suis erroribus, & Divinus honor præjudicium pateretur: quod totum Juri naturali repugnat. Sebaldus a S. Christophoro *part.* 1. *n.* 618. Sed hæc intellecta velim secundum vim, & tenorem legum. Nam in Germania, aliisque locis, ubi Hæretici degunt immixti Catholicis, prohibitio Juris Ecclesiastici vel nunquam est recepta, vel iterum sublata; quemadmodum, etiam piorum, praxis demonstrat. Unde non solum Clerici, sed etiam Laici, rerum polemicarum periti, vi Juris positivi a disputando cum Hæreticis abstinere haud obligantur. Quod si tamen imperiti sint, Jure naturali a tali munere arcentur propter periculum proxime insinuatum, Sanchez, Becanus, Sannig, VViestner, relati a P. Pichler *loc. cit. n.* 11.

75. Dico tertio ad tertium. Omni Jure prohibitum est Catholicis communicare 1. in ipso crimine hæresis, puta *credendo, favendo, recipiendo*, aut *defendendo in causa hæresis:* & simile quid facientes, ob formalem ad peccatum hæreseos cooperationem in Bulla Cœnæ feriuntur fulmine excommunicationis, haud minus, ac ipsimet Hæretici. Quinam autem veniant nomine *credentium, faventium &c.* dicetur infra. 2. In profanis eorum sacris, & ritibus: quæ communicatio contingere dupliciter potest, videlicet cum vel sine affectu ad illa. Si contingat priore modo, non solum gravissime peccatur, sed etiam incurritur excommunicatio, contra Fautores Hæreticorum per Bullam Cœnæ fulminata: si posteriore, itidem gravissime peccatur contra præceptum non negandi externe fidem, pœna tamen excommunicationis non contrahitur. Unde 3. illicitum est per se loquendo coram Ministro acatholico contrahere matrimonium; vel ad eum deferre infantem baptizandum; quia in utroque casu cum illo (utpote qui se gereret tanquam personam sacram) fieret communicatio in sacris. 4. Regulariter quoque illicitum est matrimonium Catholicorum cum Hæreticis; prout explicate dicemus *part.* 6. Non tamen 5. delinquunt Catholici, saltem graviter, si honoris causa comitentur Hæreticorum funera, eorumve matrimoniis ex dicto motivo intersint &c. item si adeant eorundem templa, & audiant concionem, vel cantum meræ curiositatis gratia, & secluso subversionis periculo &c. Alia porro, quæ liceant, vel non liceant Catholicis per communicationem cum Hæreticis, in propriis locis ventilabuntur. In præsenti autem

76. Dico quarto ad quartum. Contra Hæreticos (formales tamen, & simul externos, adeoque completa, id est, tam in-quam externa hæresi infectos) variæ sunt decretæ pœnæ tam spirituales, sive Canonicæ, quam temporales, & Civiles.

Probatur, vel potius declaratur conclusio. Nam pœnæ prioris generis sunt excommunicatio latæ sententiæ reservata Pontifici: inhabilitas ad dignitates, officia, & beneficia Ecclesiastica; privatio eorum prius obtentorum; privatio jurisdictionis spiritualis, & exercitii Ordinum: item privatio sepulturæ, & divortium conjugii. Posterioris generis sunt infamia, intestabilitas activa, & passiva: inhabilitas ad omnes actus civiles, & officia publica: confiscatio omnium bonorum: amissio patriæ potestatis in liberos: amissio omnis privilegii, & beneficii specialis: liberatio subditorum, & vassallorum ab omni debito obedientiæ, fidelitatis, & obsequii etiam jurati, si dominus incidat in hæresim: denique ultimum supplicium, & quidem vivicomburium, si pertinaciter in hæresi persistant; si vero resipiscant, gladius. Hæ tamen pœnæ temporales in Germania hodie a Lutheranis, & Calvinistis non incurruntur; quia per pacta publica in politico Romani Imperii foro impune tolerantur. Si tamen Clerici, vel Religiosi inciderent in hæresim, etiam in Germania contra ipsos pœnis temporalibus modo relatis a Judice Ecclesiastico animadverti posset excepto ultimo supplicio, cui vi consuetudinis subrogantur carceres perpetui: partim quia Principes

laici,

laici, Hæreticis securitatem paciscentes, nihil potuerunt disponere de personis Ecclesiasticis, utpote sibi non subjectis: partim quia illorum pacta, in favorem Hæreticorum inita, Ecclesia nunquam approbavir; imo circa personas Ecclesiasticas, in hæresim lapsas, contrarium hucusque usu tenuit.

Porro utriusque generis pœnæ, tam Canonicæ scilicet, quam Civiles, in Hæreticos statutæ, etiam tangunt 1. eorum *Credentes*, qui quidem nihil in particulari, & actu credunt contra fidem, verbis tamen, & factis in genere profitentur, se Hæreticis assentiri; vel eorum doctrinam audiunt cum animo sive absoluto assentiendi erroribus, sive conditionato, si motiva placuerint. 2. *Receptatores*, sive *Receptores*, qui Hæreticos qua tales recipiunt, & fugientibus hospitium præbent, ne incidant in manus Judicum. 3. *Defensores*, qui vel errores Hæreticorum, vel personas eorum ob causam hæresis propugnant, laudant, aut impediunt, ne propter illos trahantur ad Judicium. 4. *Fautores*, qui quovis modo Hæreticis qua talibus favent, sive positive, v. g. laudando, consilium dando, visitando, domi occultando, viam fugæ faciendo &c. sive negative, & per omissionem denunciationis v. g. (si ad id ex officio obligentur) capturæ, custodiæ &c. Ut tamen isti incurrant pœnas Hæreticorum, requiritur sequela mali effectus inde, seu ex favore Hæreticis præstito actu profecti, v. g. dilatatio hæresis &c. P. Pichler *loc. cit. n.5. & 6.* quem vide.

§. II.

De Impressione, retentione, defensione, lectione librorum hæreticorum, aut alias prohibitorum.

S U M M A R I U M.

77. Legere scienter absque licentia, & in materia notabili ex quocunque fine libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel hæresim continentes; imo & eos retinere, imprimere, defendere, prohibitum est ab Ecclesia sub excommunicatione latæ sententiæ reservata Papæ, 78. Libri, contenti in Indice librorum prohibitorum, sunt triplici generis, sive classis. 79. Quid sentiendum de legentibus Alcoranum Machumetis, & Hebræorum Thalmud, ac libros Cabalistos? 80. Quid censendum de legentibus libros Astrologiæ Judiciariæ, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aremantiæ &c.? 81. An rigor Bullæ Cœnæ, & Indicis librorum prohibitorum, in nostra Germania mitigatus sit? 82. Quid faciendum cum libris hæreticis, aut alias prohibitis, ubi, & quos retinere, ac legere non licet?

77. Dico primo. Legere scienter absque licentia, & in materia notabili ex quocunque fine libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel hæresim continentes; imo & eos retinere, imprimere, defendere, prohibitum est ab Ecclesia sub excommunicatione latæ sententiæ reservata Pontifici. Ita in detestationem Authorum hæreticorum, & ad avertendum periculum subversionis statuitur per Bullam Cœnæ.

Explicatur conclusio quoad singulas particulas. Dicitur itaque 1. *legere*, nimirum formaliter, ut sensus verborum intelligatur. Ubi tamen non est necesse, ut verba ore pronuncientur, sed sufficit, quod mente percurrantur: uti nec necesse est, ut quis ipsos legat, sed sufficit, quod sibi prælegi curet; quia licet hic talis non legat per seipsum, legit tamen per alium, cujus ministerio utitur: unde non ideo incurrit excommunicationem, in legentes librum hæreticum fulminatam, quod alium legentem audiat (quippe quam nec alii, si forte præsto sint, & tantum audiant, incurrunt) sed quod per alium legat; cum hoc, rem moraliter æstimando, perinde sit, ac si per ipsum legeret. Nec juvat, si dicas, Bullam loqui de legente proprie tantum, & per seipsum. Nam contra est, quod stricta verborum interpretatio locum non habeat, quando de mente Legislatoris constat; in præsenti autem constat, nec rationabiliter dubitari potest, quin etiam legentem per alium comprehendat, & excommunicatione feriat; cum alioquin nihil esset facilius, quam in fraudem legis excommunicationem eludere. Vide Sporer *n.43.*

Dicitur 2. *scienter*, hoc est, cum scientia, librum esse Authoris hæretici, & de Religione tractare, vel hæresim continere. Unde hic ab incursione excommunicationis excusat quæcunque ignorantia, etiam vincibilis, eaque crassa, supina, affectata, esto hæ non excusent ab incursione culpæ. Ratio est: quia quotiescunque ad pœnam incurrendam lex requirit scientiam, sicut requirit in præsenti, etiam excusat ignorantia crassa, supina, aut affectata; quia operans ex ignorantia quantumcunque culpabili non operatur scienter stricte loquendo, cum ignorantia, & scientia invicem sint oppositæ: consequenter &c. Revide dicta *p.1. n.277.*

Dicitur 3. *absque licentia*, quam solus Papa dare potest, & Episcopis Germaniæ, quibus Papa id indulgere solet, si petant; sed ad quadriennium, vel quinquennium duntaxat, quo elapso iterum de novo peti debet. Porro Episcopi talem licentiam ordinarie ita obtinent, ut eandem ad id tempus aliis quoque Sacerdotibus communicare valeant.

Dixi 4. *in materia notabili*. Nam a peccato mortali, & consequenter etiam a censura excusat hic parvitas materiæ juxta communem. Nec refert, quod etiam in unico versiculo perfecta hæresis possit contineri. Nam, ut recte advertit Layman *lib.2. tr.1. c.15. n.5.* in lege, præsertim pœnali, non id, quod raro, sed quod plerumque contingit, spectari solet; raro autem, & non plerumque contingit, ut ex particula libri hæretici tam modica grave periculum creetur legenti. At quænam impræsentiarum censeri debeat materiæ parvitas, variant Authores. Vide desuper P. Sporer *n.44.* in rem præsentem fuse, & solide discurrentem: vel saltem ex ipso nota, non esse attendendam materialem parvitatem penes numerum linearum, vel paginarum magnitudinem; sed formalem penes morale periculum subversionis ex materia, quæ legitur contra finem præcepti; nam siquis aperiens librum hæreticum, primo statim intuitu advertat hæresim, vel errorem contra Fidem, & nihilominus pergat, legatque etiam paucas duntaxat lineas, peccat mortaliter, & anathemate feritur.

Dixi 5. *ex quocunque fine*, etiam animo refutandi errores, licet legens sit Vir doctus, & probus; quia additur in Bulla: *ex quavis causa, quovis ingenio, vel colore.* Deinde licet in particulari casu cesset periculum subversionis, non tamen cessat communiter; cessante autem fine in particulari tantum non cessat lex; veluti ostensum est *p.1. n.366.* Accedit, quod periculum subversionis non fuerit motivum adæquatum prohibitionis, sed etiam detestatio Authoris hæretici; prout notat P. Pichler *loc. cit. n.7.* & nos in ipsa conclusione expressimus.

Sed nunquid rationabili epychia a constitutione præfatæ Bullæ se exemptos censere possunt Episcopi, imo & Theologi, Concionatores &c.

Respondetur. Possunt in casu necessitatis, puta, si lectione libri hæretici indigeant v. g. ad examinandam citationem hæreticam, ad satisfaciendum dubio juste interrogantis, ad convincendum hæreticum ex suo proprio, vel alterius hæretici libro &c. tunc quippe rationabilis epychia locum habet, si periculum sit in mora, nec possit fieri recursus Romam, aut alio, pro impetranda facultate legendi ejusmodi libros. Sed hoc doctrinæ in conclusione traditæ nihil derogat, utpote quæ procedit de prohibitione per se spectata, qualiter tenet respectu omnium, esto per accidens, & in casu necessitatis cessare possit; uti modo advertimus.

Dicitur 6. *libros*, sive sint impressi, sive manuscripti, compacti, vel non compacti; cum eadem ubique ratio militet. Sed quid de epistola, concione hæretici &c. Respondetur, legentem posse quidem peccare contra Jus naturale, si incurreret periculum subversionis, non vero contra Jus positum Bullæ; adeoque nec subjacere pœnæ excommunicationis, contra lectores librorum hæreticorum statutæ, nisi forte talis concio, vel epistola ascenderet ad quantitatem decem foliorum. Ratio est: quia si sit minoris quantitatis, puta sex, septem, vel octo foliorum in communi æstimatione hominum, usuque loquendi non habetur pro libro. Sanchez, Layman, Marchant, Tamburinus, quos refert, & sequitur Sporer *numero* 49. Nec refert, si dicas, quod legens unam, vel alteram integram paginam, aut dedicationem libri hæretici graviter peccet etiam contra constitutionem Bullæ, & excommunicationi subjaceat, juxta communem Doctorum; ergo a fortiori contra eandem constitutionem peccabit graviter, & memoratam pœnam incurret, qui

legerit epistolam, vel concionem hæretici, septem, vel octo foliis constantem. Contra enim est, neg. conf. Disparitas est: quia Bulla prohibens lectionem alicujus libri, utique etiam prohibet lectionem partium ejusdem libri: alias prohibitio inanis, & frustranea foret; paginæ autem, uti & dedicatio sunt partes libri: consequenter &c. E diverso epistola, concio, vel alius hujusmodi tractatulus septem, octo, vel etiam novem foliorum, seorsim editus, nec est liber, ut dictum; nec pars libri, saltem actualis, ut supponitur; ergo &c.

Dixi 7. *hæreticorum*. Unde legens librum de Religione tractantem, vel hæresi corruptum, qui non sit partus hæretici, sed alterius infidelis, v. g. Pagani, vel Judæi, aut etiam fidelis, sive Catholici, hæreses inspergentis, non peccat contra constitutionem Bullæ, & consequenter non incurrit excommunicationem. Ratio est: quia in hujuscemodi lectione communiter non est periculum saltem proximum, aut propinquum perversionis, sicut in lectione libri ab hæretico conscripti (nam Hæreticorum sermo serpit ut cancer, teste Apostolo) hinc Ecclesia vetuit lectionem librorum ab Hæreticis, & non ab aliis compositorum. Quod si tamen quis exponeretur periculo subversionis etiam in lectione libri ab alio, quam hæretico elucubrati, utique teneretur abstinere, sed vi Juris naturalis, non positivi, seu Ecclesiastici, cum hoc tale nullibi extet. Ceterum non refert, an hæreticus, libri Author, sit recentior, vel aliquis ex veteribus ab Ecclesia damnatis; siquidem prohibitio est generalis, & facta in detestationem omnium Hæreticorum. Permittuntur tamen scripta Origenis, & Tertulliani, qui in hæreses lapsi sunt, easque suis scriptis inseruerunt: idque tum propter eruditionem, quam in iis produnt; tum quia nemini creare periculum creduntur, eo quod hæreses illæ jam sint extinctæ.

Dicitur 8. *de Religione tractantes*, scilicet ex professo, v. g. de Ecclesiâ, Scriptura Sacra, de mysteriis fidei, de Theologia, de cultu Dei, & Sanctorum, de bonis operibus, de justificatione, de Sacramentis &c. licet forte nullam hæresim contineant: quia Bulla adhibet particulam disjunctivam *vel*, consequenter alterutrum sufficiet, si vel de Religione tractent, vel hæresim contineant.

Dixi 9. *vel hæresim continentes*, unam scilicet, vel plures, tametsi de Religione non tractent, modo Author libri sit hæreticus; hoc enim copulative requiritur, nimirum ut liber & sit ab hæretico compositus, & hæresim contineat, vel de Religione tractet. Ceterum existimo, probabilius non sufficere, quod liber incidenter, & per accidens solum inspersas habeat, vel simpliciter referat hæreses; sed requiri, ut illas ex professo tractet. Ratio videtur hæc dari posse: quoniam Bulla exigit, ut liber de Religione tractet, vel hæresim contineat: cum ergo Authores plerique omnes fateantur, librum, ut censeatur in Bulla Cœnæ prohibitus; debet de Religione ex professo tractare, ita judico, quod similiter ex professo debeat hæresim continere. Unde a Bulla Cœnæ prohibitos non esse existimo libros Hæreticorum historicos, profanos, politicos, philosophicos, medicos, juridicos, tametsi subinde hæreses complectantur: id quod comprobat praxis timoratorum, ejusmodi libros sine scrupulo legentium. Illicitum tamen certo est, etiam spectata prohibitione Bullæ, adeoque sub mortali culpa, & excommunicationis incurrendæ pœna, legere Sleidanum, Aventinum, & Munsterum, licet Historicos: quia isti dedita opera suas historias scripsere, ut hæresim mendaciis exornarent, & Religionem catholicam denigrarent, atque contemptibilem redderent: unde eorum libri merito computantur in numero librorum hæreticorum de hæresi, & Religione per se, sive ex professo tractantium.

Dicitur 10. *imo & retinere* (per notabile temporis spatium) sive in propria, sive in aliena domo; item sive proprio, sive alieno nomine, sive ad legendum, sive in alium finem; v. g. ad vendendum, compingendum &c. Ratio est: quia Bulla simpliciter prohibet, ne asserventur a quoquam hujuscemodi libri, eosque per se loquendo penitus vult e rerum natura sublatos. Dixi autem in parenthesi: *per notabile temporis spatium*. Sicut enim ex dictis supra parvitas materiæ, ita etiam parvitas temporis tam a mortali culpa, quam ab excommunicationis pœna excusare potest: unde si quis librum hæreticum uno, alterove die, etiamsi cum comburere, aut Superiori extradere posset, retineat, nec mortaliter peccat, nec excommunicationi obnoxius evadit: quoniam talis retentio censetur modica. Porro ab omni culpa immunis est, qui etiam longiori tempore ejusmodi librum asservat, ut nanciscatur commodam occasionem illum Superiori consignandi. *Sporer n.* 45. & alii apud ipsum.

Dicitur 11. *imprimere*, vel ad impressionem, & typum proxime, aut propinque concurrere; uti faciunt, qui librum imprimendum tradunt, vel suscipiunt; qui typos ordinant; qui chartas humectant; qui impressionem corrigunt (preterquam quod hi ultimi, si librum intelligant, etiam qua legentes peccent, & excommunicentur) qui expensas subministrant &c. Ratio est: quia nomine imprimentium, ad quos prohibitio Bullæ porrigitur, veniunt omnes, ad impressionem proxime, vel saltem propinque cooperantes: sed omnes recensiti alterutro modo cooperantur; ergo &c.

Dicitur denique 12. *defendere*, hoc est, verbo, aut scripto tueri, commendare, vel occultare, ne Inquisitoribus in hæreticam pravitatem tradi, aut Vulcano immolari possint ejusmodi libri. Idem extenditur ad eos, qui tales libros defendunt disputationis gratia. Ratio est: quia juxta Bullam omnes excommunicationis pœnæ subjacent, qui libros Hæreticorum qua tales quomodolibet defendunt. Dixi: *qua tales*, seu quatenus sunt opera Hæreticorum. Nam contra Bullam delinquere censendus non est, qui laudat stylum, & ingenium Authoris, non vero ipsam, quam pertractat, materiam; cum talis non defendat librum hæreticum, quatenus est hæreticus, hoc ipso, quod materiam, sive doctrinam in eodem comprehensam improbet.

78. Dico jam secundo. Libri contenti in Indice librorum prohibitorum, quem Pius IV. juxta decretum Tridentini primo confici curavit, & plures postea Pontifices nominatim Sixtus V. & Clemens VIII. continuarunt, atque auxerunt, sunt in triplici classe.

Explicatur. *Ad primam classem* pertinent libri, propter ipsos Authores (hæreticos scilicet, vel de hæresi publice suspectos) damnati, qui de Religione ex professo tractant, aut hæresim continent. Et lectio hujusmodi librorum vetita est sub mortali culpa, & pœna excommunicationis, Pontifici reservatæ. Ad eandem classem spectant libri Hæresiarcharum, Lutheri, Calvini, Zvvinglii, & aliorum hujusmodi furfuris Erronum, esto nec de Religione agant, nec hæresim complectantur: idque conformiter Juri communi; quia *damnato Authore* (nominatim ut hæretico) *damnantur ejus scriptura, libri, & opera*, per summarium *cap.* 4. *de Heret.* Unde & lectio talium librorum sub mortali prohibita est non quidem in Bulla Cœnæ, & sub excommunicatione Papæ reservata, sed in Indice vi Regulæ X. ejusdem, & sub excommunicatione non reservata Papæ, nisi insuper de Religione tractent, aut hæresim contineant. P. Cherubinus Mayr *n.*187.

Ad secundam classem pertinent libri non propter ipsos Authores, sed propter doctrinam eorum prohibiti: quia nimirum continent doctrinam non sanam, bonis moribus repugnantem, fidei contrariam, vel suspectam, qualescunque sint Authores, Pagani, Judæi, Hæretici, vel Catholici. Nec dicas, quod libri continentes doctrinam fidei contrariam pertineant ad primam classem. Nam id solummodo verum est, de libris Hæreticorum determinate, non autem de libris aliorum Authorum ab Hæreticis diversorum: sic enim, seu hoc posteriore modo considerati libri, etiamsi hæresim comprehendant, ad secundam classem referuntur. Permittuntur tamen libri Poetarum Ethnicorum materiam obscœnam complectentes; idque propter sermonis elegantiam, & proprietatem, hac tamen conditione, ut pueris non præbeantur, vel prælegantur, nisi purgati. Sporer *n.*48.

Ad tertiam classem revocantur libri, ob doctrinam sive fidei, sive bonis moribus repugnantem prohibiti, quorum Authores sunt incogniti, ac incerti. Et hi tales libri non raro pejores existunt libris ad primam classem pertinentibus, eo quod illorum Authores majori libertate, & minori verecundia effundere venenum soleant.

Qui legunt libros secundæ, & tertiæ classis nullam incurrunt excommunicationem sive reservatam, sive non reservatam, quando ejusmodi libri ex professo non tractant de Religione, nec continent hæresim, sed

solum

solum propinant doctrinam bonis moribus adversam: afficiendi tamen sunt pœna arbitraria ab Episcopis, per eandem Regulam X. Indicis in fine. Quod si hæresim ex professo tradant, vel falsi dogmatis suspicionem ingerant, quin tamen eorum Authores sint hæretici, legentes incurrunt excommunicationem non reservatam, juxta sæpius citatam Regulam X. Indicis; reservatam vero, quando ex professo de Religione tractant, aut hæresim tradunt, & eorum Authores aliunde sufficienter sciuntur, vel indubitato præsumuntur esse hæretici, tametsi lateant, id est, ignorentur in particulari, seu in individuo: quia tunc ejusmodi libri referuntur ad primam classem, & censentur prohibiti per Bullam Cœnæ, utpote quæ tantum requirit, ut liber sit hæretici, quantum nobis moraliter innotescere potest, non vero, ut nomen Authoris in fronte libri sit appressum, & evidenter notum. P. Pichler *loc. cit. n.9.*

79. Quæres primo, quid sentiendum de legentibus Alcoranum Machumetis, & Hebræorum Thalmud, ac libros Cabalisticos?

Respondetur, eos graviter peccare contra prohibitionem Indicis in *cit. Reg. X.* & incurrere excommunicationem non reservatam: ideoque merito; quoniam libri præfati continent falsissima dogmata contra fidem. Matthæucci *lib.1.c.34.n.23.* & Cherubinus Mayr *n.190.* Non tamen peccant contra Bullam Cœnæ, nec excommunicationem reservatam incurrunt; cum in ea solum prohibeatur lectio librorum Hæreticorum, non vero Paganorum, Judæorum, aut aliorum quorumcunque; uti loquitur ex dictis *n.77.*

80. Quæres secundo, quid censendum de legentibus libros Astrologiæ Judiciariæ, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ &c. in quibus sortilegia, veneficia, auguria, incantationes, & artes magicæ continentur?

Respondetur, etiam tales peccare graviter, & incurrere excommunicationem, at similiter non reservatam tantum, quando ejusmodi libri non clare continent hæresim. Ratio est: quia tunc censentur quidem damnati ob suspicionem falsi dogmatis, & tanquam præscribentes modum a vera fide recedendi; sed quoniam eorum prohibitio solum extat in Indice librorum prohibitorum, Regula scilicet IX. non item in Bulla Cœnæ, legentes excommunicationi non reservatæ tantum, non vero reservatæ, subjacent. Quod si etiam manifesta hæresi sint corrupti, & nomen Authoris sit ignotum, præsumptive habentur, & computantur inter libros Hæreticorum, deque illis, sicut de istis, per omnia discurrendum est: imo videntur esse pejoris farinæ, quam isti; cum tractatus de astrologia judiciaria excipiantur, quando conceditur facultas legendi libros hæreticos, aut alias prohibitos. Non tamen prohibita est lectio illorum tractatuum, in quibus disseritur de judiciis, & observationibus naturalibus circa navigationem, agriculturam, Medicam &c. ut videre est in Regula proxime allegata. Ita præter Authores *cap. præced.* relatos P. La Croix *lib.7. n.360.*

81. Quæres tertio, an non rigor Bullæ Cœnæ, & Indicis librorum prohibitorum, in nostra Germania quoad aliena puncta mitigatus sit?

Respondetur, esse mitigatum; idque per consuetudinem contrariam, & ob moraliter impossibilem observantiam. Ita Germani DD. communiter. Ratio sumitur inde, quod Episcopi, uti & Nuncii Apostolici, in Germania degentes, sciant, & Bullam, & Indicem ibidem non observari secundum omnem rigorem, seu quoad omnia puncta, & tamen ejusmodi observantiam non urgeant. Unde nullus rationabiliter dubitandi locus relinquitur, quin saltem aliqui eorum juxta officii sui rationem perscripserint Romam puncta illa, quæ in Germania non observari conspiciebant, indeque non venerit specialis prohibitio, adeoque Pontifex in non observantiam quoad omnem rigorem, seu aliquorum punctorum tacite consenserit justis de causis, v.g. quod talis observantia in quibusdam Germaniæ locis prudenter sperari non posset, & urgeretur sine fructu, imo cum magno animarum detrimento.

Itaque rigor Bullæ videtur mitigatus quoad retentionem, & lectionem librorum hæreticorum controversisticorum in locis, in quibus Hæretici Catholicis sunt immixti: siquidem hi tales libri in dictis locis passim retinentur, & leguntur quasi per modum Novellarum, Episcopis scientibus, & non prohibentibus. Rigor Indicis temperatus est, quoad retentionem, & lectionem illorum librorum, qui a Catholicis conscripti continent unam, vel plures doctrinas, sanæ Theologiæ, SS. Canonibus, Pontificum constitutionibus, non satis, & per omnia consonas; aut in certa materia excedunt scribendo, vel glossando super materia, super qua non licet &c. de cetero tamen sani, & boni sunt. Reiffenstuel *ad Tit. de Hæret. n.129.* & alii passim. Item quoad prohibitionem disputandi cum Hæreticis, & legendi Biblia vernaculi idiomatis, saltem si sint versa a DD. catholicis, aut aliunde sciantur esse authentica.

Existimat quidem Layman *lib.2. tr.1. c.15. n.8.* Indicem quoad libros saltem secundæ classis absolute non esse receptum in Germania, vel (volunt alii) ejus obligationem omnino sublatam esse. Sed recte se opponit P. Pichler *loc. cit. n.10.* contrarium quippe demonstrat praxis, qua constat, libros de rebus obscœnis (excipiendi tamen videntur libri Poetarum Ethnicorum secundum dicta *n.78.*) magicis, divinatoriis &c. licet habeant Authores catholicos, & ad secundam classem pertineant, passim etiam in partibus Germaniæ ab Authoribus Germanis, & fidelibus agnosci pro vetitis.

82. Si petas, quid ergo faciendum cum libris hæreticis, aut alias prohibitis, ubi, & quos retinere, ac legere non licet?

Respondetur, In locis, ubi existit Officium S. Inquisitionis, necessario tradendi sunt Inquisitoribus: in aliis vero locis vel debent comburi vel consignari illis, qui retinendi, & legendi specialem obtinent facultatem, v. g. Religiosis, ut eos in loco separato, ac clauso sui monasterii reponant, & asservent, ac etiam legere possint (qui legendi licentiam habent) ad melius confutandos Hæreticos, aliave de causa. Reiffenstuel *loc. cit. n.129. & seqq.*

Qui ab hæresi, & incursa propter eam excommunicatione absolvere, & super contracta irregularitate dispensare valeat, dicam *p.3. tr.2.* ubi etiam modum, ac formam absolvendi, ac dispensandi attexam.

§. III.

De Apostasia, & Schismate.

SUMMARIUM.

83. Apostasia a Fide, & Schisma sunt Hæresi affinia. 84. & 85. Quid sit Apostasia a Fide? & quid Schisma? 86. Quænam Apostatarum a fide, & Schismaticorum pœnæ?

83. PRænotandum, Apostasiam a Fide (quæ sola simpliciter, & absolute Apostasia est, & de qua sola impræsentiarum agemus; nam de Apostasia ab Ordine sacro, uti & a Religione, scitu necessaria afferemus *part.3. tr.3.*) magnam cum Hæresi affinitatem habere; imo ab ea essentialiter non distinguitur, ut statim ostensuri sumus. Pariter Schisma eidem Hæresi valde cognatum est: prout itidem ex dicendis patebit. Unde postquam expedivimus ea, quæ concernunt Hæresim, congrua methodus postulat, ut etiam aliqua de præfata Apostasia, & Schismate subjiciamus. Sunt autem sequentia, de quibus quæstio vertitur. 1. Quid sit Apostasia a Fide? 2. Quid Schisma? 3. Quænam Apostatarum a Fide, & Schismaticorum pœnæ?

84. Dico primo. Apostasia, prædicto modo accepta est *recessus a Fide Christiana ex toto*; ut dum quis ex Christiano efficitur Paganus, vel etiam Judæus; nam licet Judæi adhæreant veteri Testamento, non tamen inhærent vero ejusdem sensui; unde & ab ipsis fides vera respective ex toto exulat. Talis Apostasia non differt ab Hæresi essentialiter, sed accidentaliter tantum, seu ut magis extensum a minus extenso, quatenus Apostata totam fidem Christianam quoad omnes articulos, saltem Christum concernentes, deserit; Hæreticus vero quoad unum, aut aliquos tantum. Omnis Apostata a fide simul Hæreticus, sed non vicissim omnis Hæreticus est simul Apostata, nisi velimus loqui improprie, & vulgariter, quomodo nimirum vulgus a fide Catholica deficientes, & ad hæresim transeuntes nominare Apostatas consuevit. P. Schmalzgrueber *ad Tit. de Apostatis n.3.*

85. Dico secundo. Schisma est *divisio, qua aliquis, vel aliqui ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, prout hæc est*

Corpus mysticum, quod universis fidelibus tanquam membris, & Romano Pontifice tanquam Capite constans, seipsos pertinaciter segregant. Ex qua descriptione erui potest triplex differentia Schismaticorum ab Hæreticis, esto inter utrolque cognatio satis propinqua intercedat. Prima est, quod Schismatici separent se ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam erga S. Pontificem; Hæretici vero a fide Ecclesiæ per doctrinam erroneam. Secunda est, quod hæresis in ratione peccati, seu culpæ (non item in ordine ad pœnas Hæreticorum incurrendas) perficiatur, ac consummetur in mente, & per signa externa solum significetur: Schisma vero, etiam in ratione peccati, ad sui consummationem requirat actum externum; unde non committit peccatum schismatis completum, qui ex malitiosa voluntate renuit S. Pontifici esse subjectus, vel unitus reliquis membris Ecclesiæ, nisi opere etiam externo se talem gerat. Tertia est, quod hæresis, saltem externa, sine schismate esse non possit; bene tamen schisma sine hæresi tam externa quam interna, quamvis ordinarie in talem degenerare soleat; prout experientia docuit in Schismate Græcorum, & Anglorum; nam qui negat obedientiam Pontifici qua tali, vel simul, vel saltem brevi post negabit, eundem esse Caput Ecclesiæ universalis, & Superiorem, cui obedientia debeatur, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur, *can. 27. caus. 24. q. 3.* quod jam est error in fide. Hoc si fiat, perpetratur peccatum schismatis *non puri; puri* vero (quod nos descripsimus) si error in fide absit. Unde purus Schismaticus est, qui licet credat omnes articulos fidei, ex malitiosa tamen voluntate S. Pontifici tanquam Capiti detrectat esse subjectus, vel unitus reliquis membris; non purus Schismaticus, sed simul Hæreticus est, qui dicto modo se separat a Pontifice, aut membris Ecclesiæ, & simul cum pertinacia negat aliquem articulum fidei, v. g. S. Pontificem esse Caput Ecclesiæ universalis &c.

86. Dico tertio. Apostatarum a fide, & Schismaticorum pœnæ sunt sequentes. 1. Apostatæ a fide, ipsis faventes, auxilium ferentes &c. subjacent omnibus pœnis tam spiritualibus, quam temporalibus, quæ utroque Jure in Hæreticos, horum fautores &c. statutæ sunt, & a nobis supra *n. 76.* recensitæ: quia revera sunt Hæretici; idque cum excessu. Et quamvis Lutherani, & Calvinistæ a pœnis temporalibus in Imperio Romano immunes sint, eo quod in eodem per pacta publica tolerentur, talis tamen tolerantia nihil suffragatur Apostatis; unde hi etiam pœnis modo dictis manent subjecti. Imo incurrunt præterea pœnas quasdam speciales, præsertim quod in perpetuum accusari possint, & post mortem quoque in suis usque ad quinquennium, *l. 2. & 4. C. Apostatis.* P. Pichler *ad Tit. de Apostatis n. 2.*
2. Schismatici non puri, seu qui simul sunt Hæretici, iisdem subjacent omnibus pœnis, quibus Hæretici; puri autem fere omnibus: idque merito; siquidem & purum schisma est crimen gravissimum; cum inducit pugnam, & scissionem inter membra, & Caput Ecclesiæ, adeoque idem operetur in Corpore Ecclesiastico, quod seditio, & rebellio in politico. Puniuntur itaque puri etiam Schismatici excommunicatione reservata Papæ (non tamen eorum fautores &c. hi namque tales tantum simpliciter excommunicantur) privatione jurisdictionis Ecclesiasticæ, inhabilitate ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, confiscatione bonorum &c. Pichler *ad Tit. de Schismaticis n. 4.*

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

87. Joachimus censere potest se valide confessum, licet ante confessionem nulla ei inciderit cogitatio de actibus fidei, & spei, dolori, & proposito præmittendis, esto præmitti debeant. 88. Joannicius, qui a Confessario deprehenditur ignorare mysteria fidei ad justificationem, & salutem credita necessaria, absolvi non potest (saltem extra casum necessitatis) nisi illa prius edoceatur. 89. Jordanus Parochus potest esse contentus responsione, quam in catechesi accipit a quodam Parochiano, affirmante, non esse obligationem gravem memoriter sciendi articulos Symboli Apostolici, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ &c. 90. Ireneus non peccat, secluso perversionis periculo, frequentando Turcarum ædes, inibi comedendo, bibendo, contractus ineundo; imo nec peccat, saltem graviter, curiositatis gratia adeundo aliquoties illorum templa. 91. Jovita sine culpa utitur opera Medici, Religione Judæi, saltem quando ad id inducitur motivo alicujus utilitatis, vel necessitatis. 92. Ildephonsus de veritate Catholicæ fidei deliberate dubitando evadit hæreticus. E diverso 93. Ismael contra fidem ex ignorantia, qualicunque demum, errando non efficitur hæreticus. 94. Justinus, & Justina non negant fidem, nec peccant, dum famulantur Hæreticis, a quibus non permittuntur diebus festivis audire sacrum: jubentur contra iisdem diebus serviliter laborare: diebus ab Ecclesia interdictis comedere carnes &c. dummodo prædicta non exspectantur, aut fiant in contemptum Catholicæ Religionis, vel ad approbandam sectam acatholicam, & magnum illis incommodum ceteroquin immineat. 95. Justinianus, Religione Lutheranus, desiderat fieri Catholicus: quomodo cum ipso procedendum? 96. Julianus non peccat, secluso perversionis periculo, dum legit Calendaria prognostica, nova ab Hæreticis impressa &c. modo non tangant fidem Catholicam, aut Pontificem qua talem, esto ceteroquin varios hominum status amare perstringant.

CASUS I.

87. Joachimus, homo devotus, singulis fere septimanis sacram confessionem peragere habitus consueverat cum debito (ut pie confidebat) dolore, & proposito se emendandi. At postquam inaudiit, dolorem ad legitimam confessionem, & Sacramenti pœnitentiæ susceptionem exactam (idem est de proposito) consistere nequaquam posse absque prævis actibus fidei, & spei, angitur, an aliquando cum sufficienti dolore, & proposito ad sacrum Tribunal accesserit; eo quod de memoratis actibus præmittendis nunquam cogitaverit. Sciscitatur ergo ex sua conscientiæ Arbitro. 1. An actus fidei, & spei dolorem, & propositum necessario præcedere debeant? 2. Quale sit ferendum judicium de confessionibus dicto modo peractis? Quid conscientiæ Arbiter, sive Confessarius dicet?

Respondetur primo. Confessarius ad primam quæstionem dicet, quod actus fidei, & spei dolorem (sive is contritio sit, sive attritio tantum) ac propositum necessario debeant præcedere. Ita D. Thomas *in 4. d. 14. q. 1. art. 2. ad q. 2.* ubi diserte ait: *Motum pœnitentiæ præcedit motus fidei; quia accedentem ad Deum oportet credere, ad Hebr. 11.* Idem habet P. Stoz *lib. 1. p. 2. n. 19.* dum inquit: *Ad veram contritionem* (idem est de proposito) *prout præscindit a perfecta, & imperfecta necessario præsupponuntur actus fidei, & spei de venia peccatorum per merita Christi a Deo obtinenda.* Consentiunt alii communissime. Ratio petitur ex *Conc. Trid. sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4.* juxta quod actus fidei, & spei sunt dispositiones a Deo destinatæ in hac providentia pro adulti justificatione in quocunque casu; ergo justificatio, & gratia sine illis obtinere non potest. Confirmatur. Dolor, & propositum, ad Sacramentum pœnitentiæ exacta, debent esse actus supernaturales, & efficaces: atqui tales esse non possunt sine actibus fidei, & spei tanquam præviis, & proportionatis dispositionibus; ergo &c.

Ut autem hæc responsio melius percipi valeat, sciendum est, actum fidei (idem cum proportione cogita de actu spei) alium esse, qui perceptibiliter tendit in objectum materiale propter formale; & alium, qui tenuiter, & imperceptibiliter. Hic posterior actus priorem aliquando elicitum supponit, estque suo modo ipsius effectus, ita tamen, ut talis effectus sit aliqua fides actualis, licet tenuis, & imperceptibilis. Fidem, in suum objectum perceptibiliter tendentem, fors recte vocaveris *signatam*, & *formalem*, & tendentem imperceptibiliter, *exercitam*, vel *virtualem*. Atqui hæc alterutra fides prærequiritur ad justificationem cujuscunque hominis adulti (imo ad omnem actum sive de condigno, sive de congruo meritorium præmii supernaturalis) Et quidem ad justificationem hominis, qui nunquam elicuit actum fidei signatum, vel eundem per oppositum peccatum retractavit, requiri fidem actualem signatam, graviter notat La Croix *lib. 2. num. 17. 18. & 24.* Ratio fundamentalis est: quia

acce-

accedentem ad Deum oportet credere, ad Hebr. 11. talis autem si non eliceret actum fidei signatum, nullo modo crederet, seu nullam haberet fidem actualem. Non enim signatam, ut supponitur: neque exercitam; cum hæc in illius perseverantia fundetur, illa autem, seu signata a tali homine vel nunquam sit elicita, vel per oppositum peccatum retractata. Ad justificationem vero hominis, qui jam aliquando elicuit actum fidei signatum, nec eundem retractavit, requiritur saltem (& sufficit) fides exercita. Ratio est: quia actus pœnitentiæ, quales sunt dolor, & propositum (idem lenti de actibus quarumcunque virtutum) exigunt, ut voluntati repræsententur, & proportionentur objecta, in quæ tendere debent; idque certo, ac infallibiliter: talis autem repræsentatio, & propositio fieri non potest nisi per fidem actualem, saltem tenuem, & imperceptibilem, adeoque exercitam: consequenter &c.

Respondetur nunc secundo. Confessarius ad alteram quæstionem dicet, præteritas confessiones valuisse, nec esse repetendas. Ratio est: quia cum Joachimus ponatur esse homo devotus, nullus ambigendi locus relinquitur, quin sæpius in aliis occasionibus, v. g. attente recitando Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam &c. signate elicuerit actus fidei, & spei, eosque non retractaverit; ergo etiam ante suas confessiones censendus est eosdem actus elicuisse exercite, tametsi de iis eliciendis explicite non cogitaverit: quod sufficit ad supernaturalitatem, & efficaciam doloris, atque propositi Sacramentalis; prout ex immediate dictis constat. Jubeat ergo Confessarius Joachimum bono esse animo, omnemque abigere metum ob confessiones hactenus peractas. Haud tamen abs re faciet, si suaserit eidem, ut posthac, ubi confiteri cogitat, vel etiam alias, actus fidei, & spei signate, atque reflexe eliciat: cum sic animus magis excitetur ad considerationem Divinorum mysteriorum, beneficiorum &c.

CASUS II.

88. Joannicius, provectæ ætatis Vir, in deponenda confessione tam sinistre procedit, ut Confessarius facile deprehendere possit, ac debeat, pœnitentem carere notitia earum, quæ ad justificationem, & salutem sunt necessaria. Ut autem id ipsum adhuc certius experiatur, nonnullas de communioribus fidei articulis quæstiones Joannicio proponit; sed iste responsi loco haud aliud reddit, quam verbum nescio, *cum addito, se quidem similia olim didicisse, & scivisse, decursu temporis vero oblitum esse. Quæritur, quomodo Confessarius cum Joannicio procedere debeat?*

Respondetur primo. Si Joannicius ignoret (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) ea, quorum fides explicita est certo necessaria necessitate medii ad justificationem, qualiter ex dictis *n.* 22. necessaria est fides explicita unius Dei, & Remuneratoris, absolvi non potest etiam in articulo mortis, antequam illa edoceatur. Ratio patens est: quia valor absolutionis, & Sacramenti pœnitentiæ cum ignorantia talium consistere nequaquam potest.

Respondetur secundo. Si Joannicius ignoret (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) illa duntaxat mysteria, quorum fides explicita probabiliter necessaria est necessitate medii ad justificationem, qualiter necessaria est fides explicita SS. Trinitatis, & Incarnationis D. Verbi, absolvendus quidem non est extra casum necessitatis; in casu autem necessitatis, puta in articulo mortis absolvi (sub conditione tamen) & potest, & debet, dummodo de ignorantia, si ea culpabilis sit, vere doleat, & firmiter proponat ea, quæ hactenus, sive uno, sive altero modo ignoravit, pro possibili addiscere, si forte convaluerit. Ratio est: quia extra casum necessitatis licite non possumus, in casu autem necessitatis possumus, imo tenemur, sequi sententiam probabilem minus tutam tutiore relicta, quando agitur de valore Sacramenti; prout ostensum ivimus *part.* 1. *n.* 154. & 155. Patet præterea tam hæc responsio quoad primum membrum, quam præcedens ex damnatione hujus propositionis *ord.* 64. facta ab Innocentio XI. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

Respondetur tertio. Si Joannicius ignoret mysteria fidei explicite scienda, & credenda necessario necessitate solius præcepti, ut Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, &c. adhuc absolvendus non, nisi proponat illa, quamprimum fuerit moraliter possibile, pro ingenii sui modulo addiscere, deque ignorantia, si ea culpabilis sit, verum concipiat dolorem. Ratio est: quia dictorum mysteriorum ignorantia, si culpabilis sit, constituit Joannicium in statu peccati mortalis, sine dolore, & proposito emendationis, etiam in Sacramento pœnitentiæ, non remissibilis: Si vero sit inculpabilis, concipiendum saltem est propositum illam deponendi, ne posthac evadat culpabilis, insinuata scilicet a Confessario (prout insinuari debet) obligatione talia mysteria sciendi; ergo si aliquid prædictorum in Joannicio desit, absolvendus non est; alioquin Sacramentum, ob indispositionem pœnitentis, foret invalidum. Ita Sanchez, Filliucius, Bonacina, Sporer, Illsung, Viva, relati a P. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 5. *num.* 29.

CASUS III.

89. Jordanus Parochus, postquam Parochianis suis doctrinam catecheticam proposuerat, experiendi causa, quod notitiæ inde hausissent, varios varia interrogat. Inter alia quærit ex quodam seniculo, num homo fidelis teneatur scire memoriter articulos fidei, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ; Orationem item Dominicam &c. Cui seniculus, non esse obligationem saltem sub culpa mortali stringentem; secus se versari in continuo statu disgratiæ, eo quod memorata ob defectum memoriæ amplius recitare non possit, licet olim potuerit. Estne ista responsio seniculi negantis, extare obligationem gravem præfata fidei mysteria memoriter sciendi, recta, vel erronea?

Respondetur, eam esse rectam. Sic Bonacina *disp.* 3. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 12. Palao *tr.* 4. *disp.* 1. *pun.* 11. *n.* 1. *in fine*, & alii passim. Ratio est: quia nullum afferri potest sufficiens fundamentum gravis obligationis ad discendum prædicta memoriter, aut eo ordine, vel iisdem verbis, quibus proponuntur. Sufficit ergo ad noxam lethalem declinandam, quod quis illa calleat secundum substantiam, & significationem, ita ut de iisdem interrogatus recte respondeat suis verbis.

Dices. Extant decreta Juris Ecclesiastici (teste Bonacina *cit.*) impotentia obligationem prædicta addiscendi memoriter; quæ decreta, cum rigide loquantur, videntur imponere obligationem gravem.

Respondetur cum *cit.* Authore, illam obligationem esse solummodo levem: sic enim explicat consuetudo, quæ sic habet vim obligandi, & obligationem legis auferendi, ita etiam vim habet illam explicandi, cum dicatur, & sit legitima legis interpres.

Manet ergo, quod homo fidelis (qua talis) non peccet nisi venialiter, si prædicta sciat secundum substantiam, memoriter autem addiscere negligat: imo etiam a veniali excusabitur, si hebetudine, & nimia debilitate memoriæ laboret, quali laborasse ponitur seniculus ille a Jordano interrogatus. Dixi tamen: *fidelis qua talis*. Nam fideles illi, quibus ratione officii incumbit obligatio alios instruendi, prædicta memoriter scire tenentur sub culpa gravi: prout omnes fatentur.

Sed quid de Salutatione Angelica?

Respondetur. Quamvis permulti Authores putent, nullam esse obligationem, illam sciendi saltem memoriter; censeo nihilominus, etiam hic dari obligationem sub veniali: quia decreta Juris Ecclesiastici, quorum supra mentio facta est, etiam Salutationem Angelicam comprehendunt; prout videre apud Bonacinam *loc. cit.*

CASUS IV.

90. Irenæus Albæ Græcæ inquilinus, & mercator catholicus, quo magis lucrosam sibi mercaturam exerceat, crebrius ad vicina Turcarum oppida excurrit, cum Turcis familiariter agit, conversaturque; nam frequentat illorum ædes, cum iisdem comedit, bibit, varios contractus init: imo una, alterave vice eorum quoque moscheas, seu templa adit, spectandi gratia cum interiores structurarum formas, tum ceremonias inibi obser-

vari solitas. Quid de singulis hisce Irenæi actionibus sentiendum?

REspondetur primo, Irenæum secluso perversionis periculo, non peccare frequentando Turcarum ædes, inibi comedendo, bibendo, contractus ineundo. P. Babenstuber *loc. cit. art. 2. n. 14.* & alii passim. Ratio est: quia profanæ hujusmodi actiones cum Turcis nullo Jure reperiuntur Christianis interdictæ, quando abest periculum perversionis. Nec refert, quod unius, vel alterius exercitium sit inhibitum cum Judæis. Nam talis inhibitio, cum concernat materiam odiosam, ad Turcas extendenda non est, nisi in casibus, in quibus Legislator ipse extendit: in nullo autem casuum recensitorum Legislator similem extensionem facit. Revideantur, quæ diximus *n. 71.*

Respondetur secundo, neque Irenæum peccare, saltem mortaliter, semel, aut bis, vel aliquoties adeundo Turcarum templa. Ratio est: quia ex dictis *n. 75.* non peccat mortaliter (secluso perversionis periculo) qui aliquoties tantum Hæreticorum templa ex curiositate adit, conciones audit &c. ergo nec mortaliter peccat Irenæum, dum ex simili causa aliquoties adit templa Turcarum, si & hic absit (uti abesse supponitur) periculum perversionis.

Nec dicas Irenæum peccare graviter ratione scandali, quod præbet Turcis, credentibus, illum esse unum ex ipsis,

Contra enim est, quod Turcæ sciant, Irenæum esse Catholicæ Religionis sectatorem; adeoque non habeant rationale fundamentum credendi, eundem esse addictum Machumetismo, eo quod aliquoties moscheas ingrediatur, spectatum, quæ ibi gerantur.

Haud tamen desunt, qui docent, Irenæum in posteriore Casus puncto delinquere venialiter; quemadmodum volunt, eundem sic delinquere, si aliquoties ex simili motivo accedat templa, & conciones Hæreticorum, aut spectet ritus Judæorum in Synagogis. Hæc ipsa tamen rectius negantur; cum nullum Jus, adhuc vigens, produci possit, quod illa etiam leviter tantum prohibeat. La Croix *n. 90.*

CASUS V.

91. Jovita, Vir Catholicus, cum in gravem morbum incidisset, advocat Medicus Christianos, eorum operam, & opem implorat: quæ etiam ipsi addicitur, & impenditur fideliter; sed incassum: siquidem vis morbi non tantum non remittere, sed quotidie invalescere deprehenditur. Quare in animum inducit, accersere Medicum, Religione Judæum, artis tamen suæ peritissimum: cujus etiam dexteritate, adhibitis pretiosis medicamentis integræ sanitati restituitur. Quæritur, an Jovita licite agat?

REspondetur affirmative. Ita DD. communiter. Probatur ex praxi, de qua testimonium perhibet Petrus Marchant *tr. 2. tit. 2. sect. 3. q. 4.* hisce verbis: *Videmus passim Medicos Judæorum ad infirmos vocari, etiam per timoratos, & probos.* Tum ex ratione: quia communicationem cum Judæis, Jure duntaxat positivo vetitam, cohonestat, licitamque reddit necessitas, juxta Regulam Juris expositam *part. 1. n. 90. Quod non est licitum in lege* (positiva) *necessitas facit licitum*: atqui communicatio cum Medico Judæo in Casu posito solum Jure positivo est vetita, & Jovita ad illam adigitur necessitate, eaque extrema; ergo &c.

Sed quid si Jovita, præteritis Medicis Christianis, advocasset ab initio statim Medicum Judæum sine necessitate, peccassetne?

Respondetur. Adhuc non peccasset, saltem mortaliter. Ratio est: quia cum communicatio cum Medico Judæo sit prohibita ex causa nimiæ familiaritatis, non potest involvere culpam gravem, nisi tunc, quando familiaritas est valde frequens, & quasi continua; prout recte notat P. Pichler *ad Tit. de Judæis n. 5.* sed communicatio, quam Jovita cum illo Medico habuisset, non fuisset talis familiaritatis; cum ejusdem opera solum fuisset usus ad depellendam unicam infirmitatem; ergo &c. Peccasset ergo Jovita tunc venialiter, supposito, quod lex illam communicationem prohibens, sit adhuc in vigore, & usu; vel omnino non, si eadem lex per contrariam consuetudinem sit sublata; prout probabilius existimat P. Marchant *loc. supra cit.* Imo si Jovita majorem solummodo utilitatem spectasset a Medico Judæo, quam a Medico Christiano, eo quod nosset illum suæ artis peritiorem esse, citius, & minoribus expensis curare, citra omnem culpam (etiam dato, quod memorata lex adhuc suum robur obtineat) illum huic, tametsi judicatus fuisset competenter doctus, & expertus, morbumque depulsurus, præferre potuisset. Ratio est: quia non solum necessitas, sed etiam notabilis aliqua utilitas ab observatione legis illius positivæ excusat; prout iterum advertit P. Pichler *loc. supra cit.*

CASUS VI.

92. Ildephonsus, nobilis adolescens, dum in Universitate quapiam Lutherana Juri Civili operam navat, Lutheranorum comem in loquendo modum, externam in moribus honestatem, & in plerisque rebus gerendis dexteritatem, conspicatus, incipit in fide Catholica, quam hucusque firmiter tenuit, paulatim tepescere; imo de ejusdem quoque veritate dubius hærere. Quæritur, an dubitando evadat hæreticus?

REspondetur affirmative, si dubium sit deliberatum. Ita cum communi DD. Layman *lib. 2. tr. 1. c. 13. n. 5.* & sumitur ex *c. 1. de Hæreticis*, ubi expresse habetur: *dubius in fide est infidelis*, sive hæreticus. Ratio quoque suffragatur: quia ex fidei articulis unus, isque fundamentalis est, eam esse certam, & infallibilem cui articulo Ildephonsus (esto circa alios ejusdem fidei articulos judicium adhuc suspendat) dissensum præbet; vel formalem, & explicitum, si dubio superaddat actum aliquem positivum, & expressum, quo judicet, nostram fidem esse incertam; vel saltem virtualem, & implicitum, si similem actum positivum, & expressum non superaddat: alterutrum quippe dissensum nisi Ildephonsus præberet memorato articulo, de veritate fidei (quippe sibi sufficienter perspecta, ut supponitur) formidare, & fluctuare non posset.

Addi in responsione: *si dubium sit deliberatum*, ut eximerem scrupulum illis, quibus præter, imo contra eorum voluntatem, incidere solent cogitationes dubiæ circa fidem, ita ut sibi videantur revera illis consentire, cum tamen neutiquam consentiant, adeoque nec peccent sive peccato hæreseos, sive alio.

Dices contra responsionem primo. Ad incurrendam hæresim requiritur pertinacia, & quidem directa, ac formalis; prout insinuatum est *n. 72.* & declarabitur *n. seq.* sed dubius in fide Ildephonsus non potest censeri pertinax, saltem directe, & formaliter; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam ille est formaliter, & directe pertinax, qui deliberate consentit in id, cujus oppositum scit ab universali Ecclesia determinatum esse; prout *præcit. n. 72.* annotavimus: atqui hoc facit in Casu Ildephonsus, utpote qui judicat (sive formaliter, & explicite, sive virtualiter saltem, & implicite) fidem Catholicam esse incertam; cum tamen sciat, quod oppositum definierit Ecclesia, uti supponitur; ergo &c.

Dices secundo. Qui dubitat de veritate fidei, non motus difficultate rationum pro secta, v. g. Lutherana stantium, sed aliam ob causam, v. g. quia vult modo aliis rebus intendere, non peccat contra fidem (nisi forte urgeat præceptum assentiendi rebus fidei) multo minus evadit hæreticus; ergo neque Ildephonsus &c.

Respondetur, neg. cons. & suppositum antecedentis, quod talis proprie dubitet. Nam tunc proprie aliquis dubitare dicendus est, quando proposita utraque contradictionis parte, ideo præcise neutri assensum, vel dissensum præbet; quia caret sufficienti motivo, quo ad ferendum judicium *actualiter* determinetur; & quia vel explicite, & formaliter, vel saltem implicite, & virtualiter, reputat rem esse incertam; prout declaratum est amplius *part. 1. n. 73.* Atqui hoc tali modo non se gerit is, de quo antecedens; bene vero Ildephonsus, de quo Casus; consequenter &c. Revideantur dicta *part. & n. citt.*

CASUS VII.

93. Ismael Juvenis, pigritia ultra modum deditus catechesis, & conciones sui Parochi raro, imo vix unquam accedit. Unde contingit, ut mysteria fidei passim igno-

ignoret, atque ex tali ignorantia contra fidem enormiter erret. Quaeritur, an Ismael efficiatur haereticus?

RESpondetur negative. Palao *disp.3.pun.2.n.3.* & alii communiter, quamvis vix repererim, qui in reddenda ratione clare procederet. Ratio autem nostra hæc est: quia ad incurrendam hæresim requiritur pertinacia directa, & formalis; prout constat ex dictis: atqui Ismael non potest dici pertinax directe, & formaliter; ergo &c. Min. ostenditur. Nam pertinacia directa, & formalis necessario supponit in intellectu pertinacis scientiam formalem; Ismael autem, qualicunque demum ignorantia, crassa, supina, vel etiam affectata, ponatur laborare circa res fidei, non obtinet formalem earum scientiam; cum ignorantia quæcunque scientiæ opponatur; ergo &c.

Dices primo. Ad incurrendas excommunicationes sufficit pertinacia indirecta, & virtualis; ergo etiam ad incurrendam excommunicationem hæresi annexam: consequenter &c.

Respondetur, dist. conf. Si illas inferens loquatur simpliciter, v. g. dicendo, qui hoc fecerit, sit excommunicatus, con. si loquatur cum restrictione, v. g. dicendo, qui scienter hoc fecerit, sit excommunicatus, neg. ant. & conf. Ad incurrendam quippe excommunicationem hæresi annexam, sicut & ad ipsam hæresim contrahendam prærequiritur scientia formalis credendorum, & consequenter etiam pertinacia formalis, in ea scientia fundata: prout colligitur ex dictis, & conceditur communiter ab omnibus. Revideri possunt, quæ diximus *part.1.n.377.*

Dices secundo. Peccatum ex ignorantia vincibili commissum, est ejusdem speciei cum peccato ex malitia commisso; ergo sicut incurrit hæresim, qui ex malitia errat contra fidem, negando aliquem ejus articulum, ita etiam, qui ex ignorantia vincibili, moraliter culpabili.

Respondetur, dist. ant. Quando ignorantia solummodo mutat modum operandi magis, vel minus voluntarium, veluti evenit in materia aliarum virtutum, Justitiæ, Charitati &c. con. quando mutat ipsum etiam objectum, prout evenit in materia fidei, mysterii alias credibilis revelationem occultat, neg. ant. & conf.

Responsio tamen nostra intelligenda venit de ignorantia pura, idest, non habentem annexam malam aliquam affectionem erga veram Christi Ecclesiam, ejusque infallibilem authoritatem, quali solummodo in Casu laborasse ponitur Ismael. Nam si quis erret contra fidem ex ignorantia habente annexum contemptum, vel parvipensione Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ authoritatis (veluti contingeret, si ex simili mala affectione intellectum a motivis credibilitatis avertere) sit procul dubio hæreticus, non quidem, qua ignorans, & errans contra res fidei, sed qua temerarie negans, saltem in affectu, authoritatem Ecclesiæ, quam tamen scie (ut supponitur) esse infallibilem: talisquippe esset contra Ecclesiam formaliter contumax, & rebellis; ut patet consideranti: consequenter &c.

CASUS VIII.

94. *Justinus, & Justina ab Heterodoxis, quibus sunt a servitiis, non permittuntur diebus festivis audire sacrum; jubentur contra iisdem diebus serviliter laborare: coguntur praeterea diebus ab Ecclesia interdictis comedere carnes tum alii cibi non apponantur. Quaeritur, an Justinus, & Justina censendi sint peccare, vel etiam fidem opere, seu facto negare?*

RESpondetur negative, si prædicta non expetantur, aut fiant in contemptum Catholicæ Religionis, vel ad approbandam sectam acatholicam, & magnum Justino, & Justinæ incommodum alias immineat; ut si e servitio dimittendi forent, & non suppeteret occasio facile acquirendi dominum Catholicum, vel non nisi cum notabili diminutione prioris salarii; aut deberent (prout insinuatur in Casu) solo pane vesci. Ita DD. communiter. Ratio est: quia, prout in confesso est apud omnes, multa præcepta, præsertim Ecclesiastica, non urgent, quando citra magnum incommodum observari nequeunt: atqui præcepta diebus festivis audiendi sacrum, & supersedendi labore servili; abstinendi item a carne diebus vetitis, a Justino, & Justina citra magnum incommodum observari nequeunt, ut supponitur (nam tale incommodum si abesset, oppositum dicendum foret saltem quoad incursionem peccati) ergo hujusmodi præcepta Justinum, & Justinam in Casu non urgent; & consequenter illa non observando non peccant, nec facto fidem negant. Inculcandum tamen ipsis est, ut de famulatu apud Catholicos sibi provideant, ubi conformiter præceptis Ecclesiasticis vivere possint; quod si facere negligant, dum tamen facere citra grave incommodum possent, posthac a culpa immunes non erunt: prout fluit ex dictis.

CASUS IX.

95. *Justinianus, viginti quinque annorum Juvenis, Religione Lutheranus, curiositate potius, quam bono zelo ductus, perlustrat non raro libros Catholicos a Catholicis, inter quos degit, sibi prabitos: varios item de fide discursus a domesticis percipit: comitatur praeterea, officii ergo, suum Herum Catholicum ad conciones euntem. Quibus fit, ut paulatim judicare incipiat, dogmata suae Religionis esse minus verisimilia, quam dogmata Religionis Catholicae. Unde in animum inducit, illam deserere, & istam amplecti. Antequam vero id praestitum eat, confert se ad Sacerdotem Franciscanum, ei suam intentionem aperit, plenius in rebus fidei instrui petit, & in omnibus, quae gravissimum hoc salutis negotium concernunt, opem, atque operam rogat. Quomodo Sacerdos se gerere erga Justinianum debet?*

RESpondetur primo. Sacerdos excipere Justinianum debet cum magna benevolentia, laudare ipsius bonam voluntatem, & solicitudinem de salute animæ, atque exquirere causam (nisi ipse explicet) ob quam propositum conversionis conceperit. 2. Operam, & instructionem liberaliter offerre. 3. Eundem hortari, ut gratiam a Deo oblatam magni faciat, & in ordine ad consecutionem præfixi finis ferventes, ac juges ad Deum preces fundat, quibus & ipse suas jungere velit. 3. Debitam adhibere cautelam in credendo illius dictis, & experimentum capere per diversas quæstiones diversis temporibus propositas, num sibi cohæreat in respondendo ad illas. 4. Non se præbere facilem in suscipiendis patrociniis, & procurandis auxiliis. 5. Non esse nimium familiaris, nec sensate coram eo loqui, ne, si ad vomitum revertatur, habeat, quod traducat. 6. Non concedere illi libros, aut alias res majoris pretii, ne forte cum iis ut fur aufugiat.

Respondetur secundo. In instructione Justiniani Sacerdos observare ante omnia debet, an is sit hæreticus formalis, vel materialis tantum? & circa quos articulos fidei hæresis ipsius versetur? Dein 2. illi ostendere, in quibus articulis Catholici cum Hæreticis conveniant, cujusmodi fere sunt, qui creditu necessarii existunt necessitate medii; item in quibus disconveniant, quales sunt de numero Sacramentorum, de Sacrificio Missæ, de cultu Sanctorum, sacratum imaginum, & reliquiarum, de justificatione &c. 3. His præmissis, eidem exhibere, quam solidis fundamentis doctrina Catholica innitatur, utpote quæ pro se habet & rationes firmas; & authoritatem Ecclesiæ, Spiritus S. assistentia munitam, SS. præterea Patrum, Virorum doctissimorum, ac Martyrum testimonia, quibus omnibus Sectæ Hæreticorum destituuntur. 4. Declarare, quam male, & sinistre Lutherani, aliique acatholici a suis Ministris de nostræ fidei articulis informentur; & si advertat Justinianum specialiter adhærere alicui articulo hæretico, contra hunc argumentis in contrarium facientibus nervose pugnare. 5. Uti facillimo remedio Hæreticos convincendi, quale est probare Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam ex veræ Ecclesiæ notis, eo quod sit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica* &c.

Respondetur tertio. Supposita debita instructione, & notitia eorum, quæ tum ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, tum ad modum illud obeundi, & suscipiendi pertinent, ad instituendam cum Justiniano confessionem procedat, si jurisdictione ab hæresi absolvendi sit prædictus. Præprimis autem studeat eidem inculcare, opus confessionis non esse carnificinam, prout calumniantur Hæretici, sed sicut in aliis fidei punctis, ita & in puncto confessionis jugum Christi esse suave, & onus ejus leve. Quod ut in effectu demonstret,

ſuggerat. 2. neceſſarium non eſſe, ut ſe rigide examinet, ſed moderate ſolum, & illa in confeſſione aperiat, quæ poſt mediocre examen occurrerint, reliqua a ſe per interrogationes ſupplenda. 3. In confeſſione non expetat accurate numerum ſingulorum peccatorum, ne confitens hoc onere fatigetur, vel perturbetur, aut forte puſillanimis fiat. Unde ſi formalis fuit hæreticus (nam materialis in his non peccaſſe cenſendus eſt) haud interroget, quoties die vetito carnes comederit, aut aliter jejunium violaverit &c. ſed ſolum quot annis, poſt obtentum rationis uſum, in hæreſi vixerit: item quoties circiter per annum cœnam hæreticam adierit: Exprimenda tamen neceſſario eſſent, ſi Papam, vel Eccleſiam ſpeciali contemptui habuiſſet, aut dixiſſet blaſphemias, vel calumnias contra Eccleſiaſticos ſæpius, quam hæretici regulariter faciant; aut dediſſet ſcandalum in rebus fidei, alios pervertendo, in hæreſi confirmando &c. 4. Gravia crimina afferentem non objurgare, ſed potius blande, & manſuete ad ſperandam veniam extimulare. 5. Non injungere pœnitentiam nimis gravem, ſed invitare ad lucrandas proximas indulgentias.

Reſpondetur quarto. Circa profeſſionem fidei obſervanda ſunt ſequentia. 1. Offerenda eſt Juſtiniano prævie fidei profeſſio in eo idiomate, quod callet, eique breviter exponenda. 2. Adhibere convenit unum, vel alterum teſtem. 3. Quærendum ex ipſo, num malit profeſſionem facere publice in Eccleſia coram præſente populo, vel vero privatim in aliquo ſacello coram ſolis teſtibus: etſi enim cum ad publicam ædificationem præſentium, tum ad majorem ipſius profitentis confirmationem conducere videatur, ut illam priore modo emittat; ſi tamen hoc ei difficile accidat, & poſteriorem profitendi modum præeligat, ipſi permittatur: & tum quidem, ſi legere novit, coram aliquo altari, vel imagine, verba profeſſionis recitare jubeatur; ſi vero legere neſcit, ipſe Sacerdos eam tarde, & diſtincte prælegere, ac ubi ad verba juramenti pervenerit, eundem, ut binos dexteræ manus digitos ſuper verba Evangelii ponat, illaque verba: *Ego idem ſpondeo &c.* ipſe quoque proferat, hortari debebit. Quod ſi vero priorem profitendi modum eligat, & profeſſionem publice ſub ſacro facere velit, inſtruendus eſt, ut finita Communione, poſt recitatam ab altaris miniſtro Confeſſionem, celebrante ad latus Evangelii pariter genuflexo, profeſſionem ſuam recitet, vel ab alio recitatam audiat, ac in fine binos Evangelio digitos imponat. Quo facto, ſacra Synaxi reficiendus eſt. 4. Peracta profeſſione, amice illi gratulandum, & proponenda motiva idonea ad ſervandam in fide ſuſcepta conſtantiam. 5. Teſtimonium profeſſionis, maxime ſi expetat, aut eo indigeat, profeſſo tribuendum. 6. Aliqua eleemoſyna, ſi ſit pauper, eidem ſuccurrendum. P. Lohner *in Inſtruct. practic. 3. part. 2. c. 2. §. 1.* itemque *in 5. de Confeſſ. c. 8.* & La Croix *lib. 6. part. 2. a n. 1856.*

C A S U S X.

96. *Julianus, Principi cuidam in Germania a conſiliis, & Vir bonus, delectatur lectione calendariorum prognoſticorum, novorum, ab hæreticis impreſſorum & ſimilium, quæ varios hominum, ac rerum ſtatus concernunt, & nonnunquam amare perſtringunt. Sed tandem Religione tactus, ſciſcitatur ex Confeſſario, num talia bona conſcientia legere poſſit? Quid Confeſſarius reſolvet?*

Reſpondetur. Confeſſarius reſolvet, quod Julianus, ſecluſo perverſionis periculo, illa licite poſſit legere, dummodo non tangant ex profeſſo fidem Catholicam, aut Pontificem qua talem. Ita Tannerus *tom. 4. diſp. 6. q. 10. n. 101.* Burghabet *centur. 1. caſ. 8.* & alii. Ratio potiſſima eſt: quia hujuſmodi lectionem communis uſus, ac conſuetudo in Germania tanquam licitam permittit: unde paſſim Viri etiam timorati, & Eccleſiaſtici abſque ſcrupulo talia legunt. Prohibitio hujus, ſi quæ fuit, per præfatam praxim, & conſuetudinem ſublata eſt.

Dices. Eſto Julianus in Caſu non peccet contra Jus aliquod poſitivum, videtur tamen peccare contra Jus naturale, haud minus, ac ſi legeret libellum famoſum.

Reſpondetur, neg. aſſumptum, & parit. Nam per libellum famoſum alterius fama injuſte proſcinditur, dum eidem vel crimen falſum affingitur, vel verum, ſed adhuc occultum, de ipſo propalatur. Unde ſicut contra Jus naturale peccat, qui oretenus detrahenti benevolas aures præbet, ita etiam contra idem Jus peccat, qui ſcienter, & voluntarie legit libellum famoſum, in quo alteri detrahitur literaliter. E diverſo per paſquillum fama alterius non læditur, ſaltem effective, eo præcipue, quod paſquillis nulla ſoleat adhiberi fides.

D I S P U T A T I O II.

De Spe.

Ut & hic omittamus multiplices Spei acceptiones, utpote a noſtro inſtituto alienas, ejus nomine intelligimus cum Theologis virtutem quandam infuſam, qua ad ſperandam æternam beatitudinem, aliaque bona ſupernaturalia inclinamur. De ea in hac acceptione ſit

---

C A P U T I.

De Natura, & Objecto Spei.

A R T I C U L U S I.

Quid ſit Spes?

S U M M A R I U M.

97. *Statuitur, & explicatur definitio Spei habitualis.*
98. *Innuitur, quid intelligatur per Spem actualem?*

97. Dico. Spes eſt *virtus Theologica, inclinans voluntatem ad deſiderandum Deum, quatenus eſt noſtra Beatitudo, ex promiſſione Divina mediis ordinatis obtinenda.*

Explicatur. Dicitur 1. *Virtus Theologica*: quia verſatur immediate circa Deum; prout patebit *in art. proxime ſecuturo.* Atque in his terminis, tanquam genere, Spes convenit cum Fide, & Charitate, quæ & ipſæ ſunt virtutes Theologicæ: differt vero a virtutibus moralibus quibuſcunque, prout de Fide *num.* 2. expoſitum eſt.

Dicitur 2. *inclinans voluntatem*: ut inſinuetur, tum quod hic definiatur Spes habitualis; tum, quod ſubjectum Spei ſit voluntas. Per quorum poſterius diſtinguitur a Fide, quæ ſubjective reperitur in intellectu.

Dicitur 3. *ad deſiderandum Deum*: partim, ut indicetur actus Spei primarius, qui eſt deſiderium efficax Deum poſſidendi: partim, ut ſignificetur objectum materiale primarium, quale eſt ipſe Deus.

Dicitur 4. *quatenus eſt noſtra Beatitudo*: ut denotetur objectum formale, & ſpecificativum Spei, quod eſt noſtra Beatitudo, ſeu bonitas Dei reſpectiva; ut videbimus *art. ſeq.* Et per hoc differt ſpecialiter a Charitate, utpote quæ ſuam ſumit ſpeciem a bonitate Dei abſoluta, ſeu a Deo, ut in ſe bonus eſt, ſecundum dicenda *diſp. 3.*

Dixi 5. *ex promiſſione Divina*: ut intimetur, unum ex neceſſario requiſitis ad ſperandum eſſe Divinam promiſſionem, ſine qua non judicaremus, tantum præmium a Deo nobis paratum eſſe.

Dixi denique 6. *mediis ordinatis obtinenda*: id eſt, Divinis auxiliis, & noſtris meritis, quæ ſunt illa media, quibus Beatitudinem conſequi ſperamus. Atque hæc media conſtituunt objectum materiale Spei ſecundarium.

98. Colliges, Spem actualem eſſe *deſiderium efficax, ſeu expectationem certam, qua voluntas tendit, & firma cum fiducia fertur in Deum, ut ſummum Bonum noſtrum ex promiſſione Divina mediis ordinatis adipiſcendum.* Unde Spes actualis eſt actus proſecutionis, ſitus in amore concupiſcentiæ erga Deum, quo eundem tanquam noſtrum Bonum appetimus: quem concomitatur actus fugæ, qualis eſt timor de amiſſione præfati Boni.

ARTI-

ARTICULUS II.

Quale Spes habeat Objectum?

SUMMARIUM.

99. *Quale sit objectum materiale Spei primarium, & quale secundarium.* 100. *Quenam ad objectum materiale Spei secundarium pertineant?* 101. *Objectum formale Spei est summa Dei bonitas respectiva.* 102. *Proponitur, & solvitur objectio.*

99. Dico primo. Objectum materiale Spei primarium (1.) est ipse Deus; secundarium vero (2.) sunt omnia bona tam ordinis supernaturalis, quam naturalis ad Deum beatifice consequendum aliquo modo, puta proxime, vel saltem remote, necessaria, aut conducentia.

Probatur prima pars: quia illud est objectum materiale Spei primarium, in quod per actus Spei elicitos primario, & ultimate tendimus: atqui sic tendimus in Deum, utpote qui solus nostrum appetitum quietare, & exsatiare potest per beatificam sui visionem, & fruitionem; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Quia omnia hæc talia a nobis sperantur; ergo omnia sunt objectum materiale Spei, non primarium, sed secundarium, cum a nobis sperentur, sed referibiliter tantum, seu relate ad Deum in patria consequendum. Ant. probatur, & declaratur. Siquidem sperans efficaciter finem, etiam speret, necesse est, media ad illum finem obtinendum necessaria, vel conducentia: sed nos speramus consequi Deum tanquam finem nostrum ultimum; ergo & speremus, necesse est, media ad talem finem obtinendum necessaria, vel conducentia &c.

100. Colliges ad objectum materiale Spei secundarium pertinere gratiam Dei per Christum, ejusque merita, auxilia Divina, remissionem peccatorum, conversionem, justificationem, merita nostra, quatenus tamen meritis Christi, & gratiæ Dei innituntur. Et generaliter omnia media, ac bona supernaturalia, imo & naturalia, seu temporalia; quatenus ad finem nostrum ultimum necessaria, vel utilia sunt: quia hæc omnia a Deo nobis proventura, sicut fide supernaturali certo, licet obscure, credimus, ita spe supernaturali certo speramus, etsi obscure proposita, secundum illud *Rom. 8. Spes autem, quæ videtur, non est spes; nam quæ quis videt, quid sperat? si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.*

101. Dico secundo. Objectum formale Spei est summa Dei bonitas respectiva, seu erga nos. Ita plerique DD. saltem ex Nostratibus.

Probatur. Siquidem illud est objectum formale Spei, quod proprie movet ad appetendum, seu desiderandum objectum illius materiale: sed ita movet sola bonitas Dei respectiva; ergo &c. Min. constat inde, quod voluntas nihil appetat, nisi sub ratione boni; cum ergo voluntas sperantis, quatenus hic appetit, seu desiderat æternam Beatitudinem, ceu objectum materiale Spei, non moveatur a bonitate Dei absoluta, seu qua Deus in se bonus est (sic enim ab ea movetur voluntas Deum amantis amore amicitiæ; prout videbimus *disp. seq.*) movebitur a Dei bonitate respectiva.

102. Objicies cum P. Henno. Quod movet nos ad sperandam beatitudinem, est Dei bonitas aliquo modo nobis proportionata: sed ita proportionatur per Divinam promissionem; ergo movet, quia promissa, seu ut promissa; ergo non sola Dei bonitas; sed etiam Divina promissio constituit objectum formale Spei.

Respondetur primo retorq. argum. seu hunc argumentandi modum. Quod movet nos ad credendum res fidei, est veracitas Dei in dicendo nobis aliquo modo proportionata: sed ita proportionatur per revelationem; ergo movet ut revelata; ergo non sola Dei veracitas, sed etiam revelatio constituit objectum formale fidei: quod objiciens non admittit.

Respondetur secundo directe, adducto argumento plus non evinci, quam Divinam promissionem esse unum ex necessario requisitis ad sperandum per modum conditionis sine qua non; sicut *disp. praced.* de revelatione dictum. Quod idem cogita de Omnipotentia, & Fidelitate Dei in servandis suis promissis: siquidem & hæ sunt duo requisita, sine quibus spes firma consistere non valet: quomodo enim firmiter beatitudinem sperare possemus, nisi sciremus, sive crederemus, quod Deus illam nobis reddere possit, cum sit Omnipotens, & conformiter suæ promissioni reddere velit, cum sit Fidelis.

CAPUT II.

De Necessitate Spei.

ARTICULUS I.

De Necessitate Spei, quæ dicitur necessitas medii.

SUMMARIUM.

103. *Spes habitualis omnibus omnino hominibus est necessaria necessitate medii ad quamcunque justificationem, & salutem.* 104. *Actualis vero omnibus adultis, usu rationis pollentibus.* 105. *Qualis debeat esse Spes præfato modo, aut alias necessaria.*

103. Dico primo. Spes habitualis omnibus omnino hominibus, tam parvulis, quam adultis, est necessaria necessitate medii ad quamcunque justificationem, & salutem. Communis.

Probatur, sicut supra *num.* 17. de Fide probatum est; nam sicut sine habitu fidei nulli infunditur gratia justificationis, & consequenter nullus adipiscitur gloriam, sive salutem, ita nec sine habitu spei. Unde Concil. Trid. *sess. 6. c. 7.* inquit: *Fides, nisi ad eam Spes accedat, & Charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque Corporis ejus vivum membrum efficit*

104. Dico secundo. Spes actualis (id est, aliquis actus Spei) omnibus adultis, rationis usu pollentibus, est necessaria necessitate medii ad quamcunque justificationem, & salutem. Ita denuo communis DD.

Probatur, Quia Deus neminem ex adultis, rationis usu pollentibus, justificat, aut salvat, nisi propriis actibus tendat in ipsum ceu Finem suum ultimum: atqui hoc fieri nequit sine spe actuali, qua summum Bonum per fidem cognitum, & in S. Scriptura bene operantibus promissum, nos consequi posse confidimus; ergo &c. Porro necessitas Spei actualis ad justificationem luculenter traditur a Conc. Trid. *cit. sess. 6. cap. 6.* ubi inter dispositiones ad justificationem adultorum exactas, post Fidem illico subdit Spem, dum dixit: *In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore.* Necessitas vero ejusdem Spei ad salutem constat ex illo *Rom. 8. Spe salvi facti sumus.*

105. Ceterum Spem actualem adultis præfato modo necessariam, debere esse supernaturalem tam *ex parte principii*, quam *ex parte objecti*; item firmam, ac certam; & respectu aliquorum subjectorum signatam, sequitur ex dictis de Fide *n.* 19. Sequitur præterea ex dictis *n.* 87. eandem spem, saltem exercitam, prærequiri ad quemcunque actum præmii supernaturalis meritorium sive de condigno, sive de congruo tantum, utpote sine qua pariter actus meritorius non posset esse supernaturalis; adeoque nec habere proportionem ad promerendum præmium supernaturale. Revide dicta de Fide *locis citt.* & cum proportione huc applica.

ARTICULUS II.

De Necessitate Spei, quæ dicitur necessitas præcepti.

SUMMARIUM.

106. *Spes habitualis nulli hominum, actualis vero omnibus hominibus adultis, ratione pollentibus, necessaria est necessitate præcepti tam ad justificationem, quam ad salutem.* 107. *Datur obligatio, etiam directa, actum Spei aliquando eliciendi, imo* 108. *Sæpius per decursum vitæ.* 109. *Assignantur tempora, quibus prædicta obligatio stringit.* 110. *Etiam indirecte, & per accidens homines adulti, usu rationis præditi, tenentur sæpius actum Spei elicere.* 111. *Præceptum negativum Spei obligat semper, & pro semper.*

106. Dico primo. Spes habitualis (1.) nulli hominum; actualis vero (2.) omnibus hominibus adultis, ratione pollentibus, est necessaria necessi-

tate

rate præcepti tam ad justificationem, quam ad salutem. Conclusio quoad utranque partem sequitur ex dictis de Fide *n.* 28. *& seq.*

107. Colliges prætetea ex dictis de Fide *n.* 38. dari obligationem etiam directam aliquando eliciendi actum Spei. Nam propositio damnata ibi recitata sic sonat: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et hoc quidem certum est, sed quæritur, quoties hæc talis obligatin stringat? Quod ut decidam,

108. Dico secundo. Quilibet adultus tenetur sæpius per decursum vitæ per se, & directe elicere actum Spei. Reiffenstuel, Cardenas, Viva, La Croix, Cherubinus Mayr, citati supra de obligatione Fidei *n.* 39.

Probatur prima pars argumento ex P. Viva deprompto, & adducto de Fide *n. cit.* utique etiam hic valituro. Accedit, quod per se teneamur ducere vitam Christianam: sed vita Christiana consistit in frequenti exercitio virtutum, inter quas respective eminet Spes; ergo &c.

109. Ceterum tempora, quibus ad actum Spei eliciendum per se, & directe obligamur, sunt eadem, quæ constituimus supra *n.* 40. de Fide. Primum itaque est morale initium usus rationis, quando ejusmodi obligatio agnoscitur: siquidem & actus Spei est cultus quidam, & reverentia, quæ exhibetur Deo pollicenti nobis æternam beatitudinem, ac alia bona, ad illam obtinendam necessaria ceu media: dictat autem recta ratio, hanc talem reverentiam Deo & esse debitam, & statim (moraliter loquendo) sub gravi obligatione exhibendam sic nobis sufficienter proposito. Secundum tempus est, quando quis tentationes patitur contra Spem, easque aliter reprimere nequit, nisi eliciendo actum Spei. Tertium est articulus mortis. Quartum, sed indeterminatum, assignatur in hoc complexo: *& adhuc pluries per decursum vitæ.* Quod autem neque hic debeamus in praxi esse anxii, relinquitur ex dictis de Fide *numer.* 40. *in fin.* quæ revidenda, & huc applicanda sunt.

110. Dico tertio. Quilibet adultus tenetur sæpius per decursum vitæ elicere actum Spei etiam per accidens, & indirecte. Authores *citt.* aliique communiter.

Probatur itidem ex dictis de Fide *n.* 41. ubi adstruximus obligationem per accidens eliciendi actum fidei toties, quoties urget præceptum alterius virtutis, quod sine actu fidei impleri non potest, & rationem reddidimus; quia actus fidei se habet ut medium necessarium ad finem, qui est impletio talis præcepti: atqui etiam actus spei se habet ut tale medium; ergo & hunc obligamur per accidens toties elicere, quoties urget præceptum alterius virtutis, quod sine actu spei impleri non potest; cujusmodi sunt præcepta Orationis, Pœnitentiæ &c.

111. Dico secundo. Præceptum negativum Spei obligat semper, & pro semper. Omnes.

Probatur brevissime. Quia dicto præcepto vetantur duo actus intrinsece mali, & in nullo unquam casu (saltem spectata moderna Dei providentia) liciti, videlicet desperatio, & præsumptio, de quibus jamjam agendum; ergo &c.

CAPUT III.

De Vitiis Spei oppositis.

TRia sunt vitia Spei opposita, unum omissionis præcepto affirmativo, & duo commissionis præcepto negativo dictæ virtutis adversantia. Primum committitur, quando non ponitur actus Spei, ubi præcepto affirmativo poni jubetur. Et de hoc vitio actum est *c. praced.* Secundum, & tertium committuntur, quando contra virtutem Spei delinquitur, vel deficiendo, ut fit per *desperationem*, vel excedendo, ut fit per *præsumptionem*: quod utrunque præcepto Spei negativo prohibitum est. Atque de his duobus vitiis in præsenti *c.* acturi sumus.

ARTICULUS I.

De Desperatione.

SUMMARIUM.

112. *Desperatio generatim accepta quid sit, & quotuplex?* 113. *Quænam desperatio destruat Spem?* 114. *Definitur, & explicatur desperatio positiva.* 115. *Ostenditur esse gravissimum peccatum.* 116. *In quo non datur parvitas materiæ.* 117. *Aliquando conjungitur, aliquando non conjungitur cum peccato hæresis.*

112. DIco primo. Desperatio generatim accepta est *defectus aliquis contra Spem.* In qua generali, & lata acceptione dividitur (eodem modo, quo supra *n.* 57. infidelitas) in *negativam*, *privativam*, & *positivam*. Prima est carentia spei in subjecto hic, & nunc inepto (sive ratione impotentiæ, sive ratione ignorantiæ) ad illam habendam. Secunda est carentia spei in subjecto de se apto ad illam habendam, id est, in subjecto, quod potuisset hic, & nunc, ac debuisset elicere actum spei, & non elicuit. Tertia est carentia Spei in subjecto ad sperandum apto, & obligato, involvens actum virtuti Spei contrarium; ut mox dicetur explicatius.

113. Quæres, an quælibet ex his desperationibus sit peccatum, & destruat Spem?

Respondetur. Desperatio negativa non est formaliter peccatum, sed pœna peccati; nec destruit Spem. Desperatio privativa est quidem peccatum formale, Spem tamen non destruit. Desperatio positiva est peccatum formale & insuper Spei destructivum. Probationes horum assertorum habentur supra de infidelitate *n.* 58. quas vide, atque huc applica.

114. Dico secundo. Desperatio positiva, sive contraria (quæ sola venit nomine desperationis simpliciter talis, & huc præcipue pertinentis) est *actus voluntatis, quo quis abjicit omnem spem adipiscendæ beatitudinis, vel mediorum ad illius consecutionem necessariorum, eo quod appareant obtentu impossibilia, vel nimis ardua, vel nunquam futura.* Ita quoad rem communis.

Explicatur. Dicitur 1. *actus voluntatis:* ut insinuetur, desperationem subjective esse in voluntate, sicut & Spes, cui illa est immediate contraria; nam id genus opposita, cum sese mutuo expellant, idem sibi subjectum exposcant, necesse est.

Dicitur 2. *quo quis abjicit:* ut adhuc clarius indicetur (nam id ipsum jam innuitur per *ly actus*) desperationem non esse sitam in mera omissione spei, sed in positiva nolitione, & efficaci recessu a prosecutione beatitudinis; sicut spes consistit in accessu, & tendentia ad illam.

Dicitur 3. *omnem spem adipiscendæ beatitudinis.* Non enim desperat, qui adhuc aliquam spem adipiscendæ beatitudinis, etsi remissam, retinet. Unde magnus peccator non est censendus in peccatum desperationis incidere, qui recogitat corde, se haud salvatum iri, si vixerit posthac, quemadmodum hucusque, quando adhuc concipit aliquam spem, etsi modicam, ad frugem meliorem revertendi, & æternam beatitudinem adipiscendi.

Dicitur 4. *vel mediorum &c.* Siquidem æque committit peccatum desperationis, qui de remissione peccatorum, gratia Dei, emendatione vitæ, vel quocunque medio ad consequendam beatitudinem necessario desperat, quam qui desperat directe de ipsa beatitudine consequenda.

Dicitur 5. *necessarium &c.* Nam siquis desperet de medio ad beatitudinis consecutionem non necessario, sed tantum utili, ejus desperatio vel per se peccatum non est; vel certe, si peccatum per accidens sit, non est contraria Spei Theologicæ, sed pertinet ad illud genus peccati, ad cujus periculum inducit, v. g. desperet quis de perpetua castitate servanda, eo quod ex una parte experiatur in se vehementes tentationes carnis, & ex altera parte cogitet, se ad illam servandam nullo præcepto obstringi (cum licite possit remedium concupiscentiæ in matrimonio quærere) adeoque salvari posse, quin eam servet: hic talis non peccat per se loquendo, dum de continentia perpetuo servanda sic desperat; esto peccare mortaliter per accidens possit, si ea desperatio ipsi creet periculum, ver. gr. fornicandi: quæ

quæ desperatio, quatenus mortale peccatum est, non differt specie ab ipso peccato fornicationis, cujus periculum causat. Ita quasi verbatim Sanct-Gallenses *de desperat. q. 7. post conclus. 9.* Quod tamen intelligendum censeo de casu, quo quis modo prædicto desperat de servanda continentia, in quantum hæc servatu est nimis ardua, vel non futura: si enim de eadem servanda desperatet, in quantum apprehenderet servatu impossibilem, etiam peccatum hæreseos committeret: imo si desperaret de servanda continentia etiam ut non futura, posset incurrere peccatum blasphemiæ; prout colligetur ex mox dicendis.

Dicitur 6. *eo quod appareant obtentu impossibilia, vel nimis ardua, vel nunquam futura.* Tum quia nec beatitudo, nec media ad illam necessaria, cum sint in se bona, terminare possunt actum fugæ, qualis est desperatio, nisi apprehendantur sub ratione mali, aut inconvenientis, ab intellectu præfixa. Tum ut detegantur fontes, ex quibus desperatio oriri potest, & solet. Nam desperans vel sibi persuadet, sua peccata esse majora, quam ut Deus ea remittere possit: vel existimat, viam mandatorum Dei esse nimis arduam: vel blaspheme judicat Deum ceteroquin, & aliis misericordem, sibi uni tam immisericordem esse, ut neque parcere, neque auxilia elargiri velit.

115. Dico tertio. Desperatio positiva est gravissimum peccatum. Omnes.

Probatur. Tum quia desperatio est primum peccatum in Spiritum S. cum per eam ipsa Dei oblata munificentia, & gratia, quæ Spiritui S. ceu omnium bonorum Fonti, & Largitori, specialiter appropriatur, malitiose contemnatur, & abjiciatur. Tum quia desperatio est multorum, & gravissimorum peccatorum causa: experientia quippe constat, quod desperantes, abjecta omni cura salutis, sine frœno in scelera ruant, puta in impudicitias, injustitias, latrocinia &c. donec tandem tot, & tantorum criminum conscientia cruciati, & vitæ pertæsi, sibimet ipsis mortem temporalem juxta, ac æternam consciscant.

Assertio tamen nostra intelligi debet insistendo ordinariæ Dei providentiæ, in qua beatitudo prudenter judicari potest futura, & obtinenda. Secus nanque esset in alia hypotesi, & extraordinaria Dei providentia, ubi beatitudo non posset prudenter judicari futura, & obtinenda: veluti contingeret, si Deus alicui suam æternam damnationem revelaret: hic quippe talis non posset prudenter judicare se salvaturum iri, cum fide Divina teneretur credere oppositum: & consequenter posset absque peccato non solum non sperare beatitudinem cognitam ut sibi obtentu impossibilem, sed etiam de illius, prædicto modo cosideratæ, consecutione positive desperare: dummodo id faceret absque blasphemia, detestatione, aut odio Dei, vel beatitudinis secundum se. Sanct-Gallenses *de Spe q. 7. conclus. 6. in respons. ad 3. object.* Babenstuber hic *n.* 28. & alii.

116. Colliges primo, in peccato desperationis non dari parvitatem materiæ. Ratio est: quia hunc peccatum immediate repugnat alicui perfectioni Divinæ, videlicet Divinæ Bonitati, & Misericordiæ. Unde desperans a mortali non potest excusari, nisi ob defectum sufficientis deliberatinnis, & advertentiæ.

117. Colliges secundo, peccatum desperationis aliquando esse, aliquando non esse eunjunctum cum peccato hæresis. Conjunctum esse censetur, quando procedit ex judicio erroneo contra fidem; ut si desperans actualiter, & signate judicet, Deum non esse infinite misericordem; sua peccata non esse remissibilia; vel beatitudinem etiam per auxilium Dei non esse obtentu possibilem. Quo proinde casu duo committit peccata, desperationis scilicet, & hæresis, in confessione specialiter exprimenda. Non conjunctum e diverso censetur, quando non procedit ex judicio erroneo contra fidem, esto procedat ex judicio imprudenti, ac temerario (utique in confessione similiter explicando) ut si desperans existimet, se non esse de numero prædestinatorum; Deum sibi nunquam parsurum: vel si practice judicet, desperationem sibi utilem esse ad jucundius, liberius peccandum. Sanct Gallenses *loc. cit. conclus. 7.* Sporer hic *n.* 35. Babenstuber *n.* 19.

ARTICULUS II.

De Præsumptione.

SUMMARIUM.

118. *Describitur, & exponitur, quid sit præsumptio.* 119. *Ostenditur esse peccatum gravissimum.* 120. *Non datur in eo parvitas materiæ.* 121. *Haud tamen ascendit ad gravitatem peccati desperationis.* 122. *Aliquando conjungitur, aliquando non conjungitur cum peccato* hæresis. 123. *Quando non conjungitur, spem non destruit; secus, quando conjungitur.*

118. Dico primo. Præsumptio est *actus voluntatis, quo quis bona supernaturalia (vel etiam naturalia) vult aliter obtinere a Deo, quam Hic obtinenda esse constituit.* Communis.

Explicatur. Dicitur 1. *actus voluntatis*: siquidem & hoc vitium subjective reperitur in voluntate.

Dicitur 2. *quo quis bona supernaturalia* &c. puta beatitudinem, & media ad illam consequendam necessaria: hæc quippe, sicut secundum dicta *c. 1. hujus disp. n. 99.* sunt objectum Spei, ita & sunt objectum præsumptionis.

Dicitur 3. *aliter obtinere &c.* quod quidem contingere quadrupliciter potest. 1. Siquis inordinate innitatur propriæ virtuti, & cum Pelagio præsumat consequi beatitudinem viribus naturalibus liberi arbitrii. 2. Siquis inordinate innitatur Divinæ Misericordiæ, & præsumat obtinere beatitudinem sine bonis operibus, & meritis, quemadmodum faciunt Lutherani. 3. Siquis præsumat, adfuturam sibi, quantumcunque peccanti, & in peccatis perseveranti, Divinam Misericordiam, suaque peccata remissuram. 4. Siquis Deum tentet, &, prætermissis mediis ordinariis, effectum quempiam ab Eo speret; ut si temere sese conjiciat in manifestum periculum mortis sive corporalis, sive spiritualis, ex eoque eripi petat per miraculum.

119. Dico secundo. Etiam præsumptio est gravissimum peccatum. Itidem communis.

Probatur. Quia juxta Doctorem Angelicum 2. 2. *q.* 14. *art.* 2. etiam præsumptio est peccatum in Spiritum S. post desperationem primum inter id genus peccata locum obtinens, cum ipsa sit abusus Divinæ Misericodiæ, Spiritui S. specialiter appropriatæ, isque gravissimus, quippe in gravissima materia, propriæ scilicet salutis, & modi, quo ad eam tendere obligamur.

120. Colliges primo, quod neque in peccato præsumptionis locum habeat parvitas materiæ. Ratio est: quia & per ipsum immediate læditur infinita Dei perfectio, videlicet Misericordia, Bonitas, vel Justitia: quo casu locum habere non potest parvitas materiæ: prout advertimus *par.* 1. *n.* 693. Potest tamen peccatum præsumptionis ad veniale decrescere ob imperfectionem actus; prout omnes fatentur.

121. Colliges secundo, quod peccatum præsumptionis, licet sit gravissimum, non tamen ascendat ad gravitatem peccati desperationis. Ratio est: quia, cum Deo proprium sit misereri, & parcere, magis peccare convincitur, quia Misericordiam Dei nimium deprimit, ut facit desperans, quam qui nimium extollit, ut facit præsumens. Deinde desperatio incitat ad perversiorem vitam, prout insinuavimus *n.* 115. quam incitet præsumptio.

122. Colliges tertio, etiam peccatum præsumptionis aliquando esse, aliquando non esse censetur, si contingat alterutro ex duobus prioribus modis supra *num.* 118. recensitis, videlicet siquis signate judicet, beatitudinem obtineri posse per proprias vires naturales sine auxilio gratiæ supernaturalis, quem errorem erravit Pelagius; vel sine bonis operibus, quem errorem suis asseclis instilavit Lutherus: veluti supra animadversum. Nam utrunque tale judicium, ex quo præsumptio procedit, est erroneum contra fidem. Quare alterutro ex prædictis modis præsumens, duo peccata specie distincta perpetrat, præsumptionis scilicet, & hæresis, in confessione necessario explicanda. Non conjunctum esse censetur, quando contingit alterutro ex duobus posterioribus modis; licet quarto, seu ultimo modo peccatur peccato tentationis Dei, utique in confessione similiter exprimendo.

123. Colliges quarto, spem non destrui per pecca-

tum

xum præsumptionis, nisi sit conjunctum cum hæresi. Ratio est: quia præsumptio non recedit a Spe, ejusque objecto, sicut recedit desperatio, sed excedit in utroque; ergo ex se non contrariatur Spei, ejusque objecto: consequenter &c.

Dixi: *nisi sit conjunctum cum heresi*. Si enim cum hac conjunctum sit, indirecte spem destruit, Ratio est: quia hæresis, & quæcunque alia infidelitas positiva directe tollit fidem; ergo ex consequenti, & indirecte etiam tollit spem, utpote quæ subsistere sine illa non potest; siquidem Fides omnium virtutum basis, & fundamentum est; ergo licet peccatum præsumptionis ratione sui hic non tollat spem, eandem tamen tollit (modo prædicto) ratione hæresis, si hanc conjunctam habeat.

CAPUT IV.

Propponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

124. *Kemnitius mundi delectamentis ita inhians, ut desideret perpetuo in hac vita degere, graviter peccat contra præceptum spei.* 125. *Kemnitianus non peccat, existimando, se haud posse a vitio mollitiei abstinere ob pravam naturæ suæ inclinationem, & fragilitatem, si retineat spem Divinæ Misericordiæ, & auxilii, mediante quo abstinere possit; secus, si ejusmodi spem abjiciat. Subjunguntur media, quibus Kemnitianus a Confessario juvandus sit.* 126. *Kolbertus non committit peccatum præsumptionis, dum adhuc semel fornicatur, antequam confiteatur, volens illam fornicationem una cum præcedentibus confiteri.* 127. *Kilianus Confessarius, quænam suggerere remedia possit, ac debeat adversus peccata desperationis, & præsumptionis.*

CASUS I.

124 *Kemnitius divitiis, voluptatibus carnis, aliisque hujus mundi delectamentis tam perdite inhiat, ut merito censeatur sperare sive amare magis (amore scilicet concupiscentiæ) terrestria, quam cælestia; quin animo ita comparatus est, ut desideret perpetuo degere in hac vita, & Deo relinquere cælum, si sibi terram concedat. Quæritur, an, & quomodo Kemnitius peccet?*

Respondetur, Kemnitium graviter peccare contra præceptum Spei. Ita Burghaber *cent. 1. cas.* 13. Busenbaum, & alii communiter. Ratio est: quia præcepto Spei graviter obligamur non solum suo tempore sperare cælestia, sed etiam per his terrestria nunquam nobis desiderare; prout innuitur per illud *ad Rom. 15. Ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus &c.*

Dices, Non videntur peccare conjuges, si desiderium perpetuo convivendi in terra sibi mutuo explicent; ergo nec in Casu peccare censendus est Kemnitius.

Respondetur, dist. ant. Si id faciant præcise ad indicandam amoris conjugalis vehementiam, transf. si id faciant ad judicandum præposterum amorem concupiscentiæ, quo terrestria præ cælestibus desiderent, ut in Casu facere ponitur Kemnitius, neg. ant. & cons.

CASUS II.

125. *Kemnitianus, viginti quatuor annorum Juvenis uxorem ducit præprimis formosam; sed vix cum ea in conjugio biennium insumit, viduus evadit, charissima conjuge e vivis sublata. Quo facto, cum careat Kemnitianus licita concupiscentiæ remedia, in crebra peccata mollitiei prolabitur: quæ prout ut evitet, constituit ad secundas nuptias procedere; sed quoniam amici obicem ponunt, atque reluctantem persistere in statu viduitatis cogunt, in frequentandis mollitiei peccatis pergit: & licet illa cum proposita se emendandi semper, & fideliter confiteatur, nihilominus in ea identidem relabitur, In misero hoc statu constitutus iterum accurrit ad Confessarium, eique sua peccata enarrat ingemiscens, & lamentans, eadem sibi vitatu impossibilia esse: causamque rogatus, allegat suæ naturæ ad id genus vitia inclinationem, & fragilitatem, tot jam relapsibus comprobatam. Quæritur, quomodo Confessarius Kemnitianum judicare, & juvare debeat?*

Respondetur primo. Confessarius judicabit, Kemnitianum non peccare, existimando, se haud posse a prædicto vitio abstinere ob pravam naturæ suæ inclinationem, & fragilitatem, si (1.) retineat spem Divinæ Misericordiæ, & auxilii, mediante quo abstinere possit; secus, si ejusmodi spem abjiciat. Ita Petrus Marchant hic *tit.* 3. 4. 5. Sporer *n.* 16. *& præcedentib.* aliique communiter. Primum membrum sumitur ex Propheta Jeremia *Thren.* 3. ib: *Et dixi: periit finis meus, & spes mea a Domino*, Quibus verbis clare indicatur, posse aliquem licite diffidere, & desperare de propria virtute ex consideratione suæ infirmitatis, crebrorum lapsuum, inveteratæ consuetudinis &c. & spem suam in solo Deo, ejusque adjutorio collocare; imo ex illa tali consideratione assurgere ad confidendum in Omnipotentia, & Misericordia Dei, qui etiam perditissimos peccatores salvare potest, cum sit Omnipotens, & vult, cum sit infinite bonus, & misericors. Secundum membrum inde desumitur, quod Kemnitianus hoc tali casu committeret verum peccatum desperationis, idque qualificatum, seu cum hæresi conjunctum, quatenus abjiceret omnem spem evitandi peccata mollitiei, eo quod illa, etiam cum auxilio Dei, sibi evitatu impossibilia judicaret, cum tamen de fide sit, esse cum præfato auxilio evitatu possibilia.

Respondetur secundo. Si Kemnitianus se habuerit priore modo, suggerat eidem Confessarius, quod licet prædicta peccata (uti & alia) evitare suis propriis viribus non possit, possit tamen cum auxilio Dei omnipotentis, & infinite misericordis, quale nemini viatorum denegatur, imo maximis etiam peccatoribus ultro offertur, atque obtruditur. Hoc persuaso, excitet ipsum ad eliciendum firmissimum emendationis propositum, gratiæ Divinæ innixum: & postmodum præscribat remedia, quæ pro vitio pollutionis habituato præscribi solent, a nobis *in tr. seq. disp. 7.* recensenda, inter quas præcipuum, & saluberrimum censetur frequens usus Sacramenti Pœnitentiæ (uti & Eucharistiæ) apud eundem Confessarium. Suadeat præterea, ut primo post confessionem die satagat a tali vitio se continere in honorem Dei Unius in essentia, tribus diebus subsequentibus in honorem Dei Trini in Personis, quinto die in honorem Beatæ Viginis Mariæ sine labe conceptæ &c. Si Kemnitianus se habuerit posteriore modo (quod tamen de ipso non facile præsumendum) conetur Confessarius eidem judicium hoc erroneum eripere, & oppositum ingerere, inculcando Omnipotentiam Dei, Ejusdemque infinitam Misericordiam, & Bonitatem. Postea exstimulet illum ad propositum emendationis, atque ita dispositum absolvat, si absolvendi ab hæresi potestate polleat: qualis potestas proculdubio necessaria est, supposito, quod Kemnitianus mentem illam erroneam externe manifestaverit, sive quis præsto fuerit, & audierit, sive non. Secus dicendum foret, si illam externe non prodidisset; quia tunc non esset, nisi hæreticus internus, a quolibet Confessario absolubilis. Plura, Confessario Kemnitiani hic servitura afferemus infra *in Respons. 2. ad Cas.* 4.

CASUS III.

126. *Kolbertus, Juvenis appido lascivus, cum certa quadam puella, quam jam diu insano amore deperierat, unius mensis spatio viginti, & amplius actus carnales exercet; sed quoniam ab ipsamet amasia admonetur, & rogatur, ut ac cor redeat, confessionem de peccatis hucusque perpetratis instituat, & illa imposterum evitet, annuit petito: antequam vero eidem effective satisfaciat, adhuc semel copiam corporis ab amasia petit, impetratque, cogitans, & promittens, hoc peccatum una cum præcedentibus confiteri. Quæritur an Kolbertus per ultimum actum committat fornicationem qualificatam, sive conjunctam cum peccato præsumptionis?*

Respondetur negative. Sporer *tract. 2. cap. 4. num.* 17. Stoz *lib. 1. par. 3. quæst. 3. art. 1. n.* 121. La Croix *lib. 2. n.* 125. Augustinus Michel, & alii passim. Ratio est: quia non committit peccatum præsumptionis, qui peccat sub spe veniæ per media ordinaria a Deo consequendæ (dummodo spem veniæ sibi non præst-

gat

gat tanquam rationem motivam, & causam principalem peccandi) imo taliter peccans nec aggravat, sed potius minuit peccatum, quatenus significat, animum suum non esse ita peccato affixum, ut eidem inhærere, sed ut ab eo recedere, & se convertere ad Deum velit, quod est verus actus Spei: atqui kolbertus in Casu sic animo comparatus est, dum ultimum actum fornicationis exercere intendit, vel exercet; ergo non committit peccatum præsumptionis.

Non piget hic transcribere verba, queis *loc. cit.* utitur P. Stoz, & ita sonant. Patet errare eos, qui, dum ex fiducia veniæ per confessionem obtinendæ peccant, aut ex eadem fiducia pœnitentiam ad longum tempus, sæpe etiam ad usque ultimam senectutem differunt, dicunt, se peccasse præsumendo de misericordia Dei. Non ita se habet. Neque necesse est, talem spem, seu animum specialiter confiteri, cum non constituat peccatum specialiter diversum ab eo, quod sine tali animo fit. Ita prælaudatus Author verbatim, & ad praxim Confessariorum utiliter.

Dixi in ratione responsionis probativa per parenthesin: *dummodo spem veniæ sibi non præfigat tanquam rationem motivam, & causam principalem peccandi*, sic ut non tam fragilitate, tentatione, illecebra carnis &c. moveatur ad peccandum, quam spe veniæ; hoc nanque modo peccans excusari a peccato præsumptionis non potest, licet proponat postmodum uti mediis ordinariis, ad obtinendam peccatorum veniam a Deo institutis. Quod si spes veniæ sit solum ratio aliquo modo impulsiva, & causa secundaria, vel potius occasio peccandi, quatenus quis ex facilitate veniæ sumit aliquod irritamentum liberius peccandi, auget quidem malitiam peccati, speciale tamen peccatum in Spiritum S. non constituit. Ratio diversitatis est: quia priore modo peccans proprie abutitur D. Misericordia; non item peccans posteriore modo. Si denique spes se habeat mere concomitanter ad peccatum (veluti fieri videtur in Casu kolberti) peccans nec committit peccatum speciale præsumptionis, nec peccatum, quod facit, aggravat, sed potius minuit; prout relinquitur ex dictis.

C A S U S IV.

127. *Kilianus Confessarius sortitur duos pœnitentes, peccatis omnino contrariis implicitos, utpote quorum unus peccata desperationis, alter præsumptionis affert, & enarrat, cum sincero tamen dolore, ac proposito se emendandi. Unde & ambo rogant sibi præscribi remedia, ad obfirmandum adversus memorata peccata animum conducentia, ac salutaria. Quomodo Kilianus cum illis procedet, & quænam utrique remedia suggeret?*

RESpondetur primo. kilianus dijudicet, an memorata peccata cum plena, vel semiplena, vel omnino nulla deliberatione sint commissa? ut judicium de eorum gravitate ferre queat. 2. Discernere satagat, an fuerint conjuncta cum peccato hæresis, temeritatis in materia fidei, aut tentationis Dei? ut sic cognoscat etiam distinctionem specificam peccatorum. 3. Inquirat in causam, & fontem, ex quo profluxere, ut mediis congruis eum obstruere valeat.

Respondetur secundo. kilianus pœnitenti peccatis desperationis obnoxio, suggerat, & ob oculos ponat, quæ ipsum in spem erigant, qualia sunt infinita Dei Bonitas, Providentia, Misericordia, promissiones infallibiles, auxilia oblata &c. Pro qua plurimum conferent exempla, parabolæ, & textus S. Scripturæ; ut si quis desperaverit ob defectum temporalium, proponat ei, quomodo Deus populum Israeliticum paverit in deserto. *Exod.* 16. Danielem in lacu leonum. *Daniel,* 14. Eliam subcinericio pane. 3. *Reg.* 19. quomodo etiam alat volatilia cæli, quæ non serunt, neque metunt. *Matth.* 6. quomodo item vestiat lilia agri, quæ non laborant, neque nent. Adducere præterea poterit testimonium Prophetæ *Psal.* 144. *oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis Tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Si desperaverit de venia peccatorum, & salute, proponat illi publicam in civitate peccatricem Magdalenam, Zachæum, & Matthæum publicanos, Latronem in cruce &c. qui tamen omnes ad Salvatorem conversi, veniam gravissimorum suorum peccatorum consecuti sunt: ut habetur *Luc.* 7. & 19. *Matth.* 9. Revocet eidem in memoriam oviculam perditam, relictis nonaginta novem aliis amarose quæsitam, & humeris impositam. *Luc.* 15. Addat aliquos D. Scripturæ textus; ut *Isa.* 1. *Lavamini, mundi estote &c. si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Ezech.* 33. *Qui non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur impius a via sua, & vivat &c.*

Pœnitentis peccatis præsumptionis obnoxio, kilianus suggerat, & ob oculos ponat, quæ salutarem in eo timorem ciere queant: cujusmodi sunt severissimus D. Justitiæ rigor in puniendis maxime iis, qui Misericordia abutuntur; & longioris vitæ incertitudo; qui enim pœnitenti veniam promisit, diem crastinum non spopondit, inquit S. Augustinus. Utiliter quoque in hunc finem proponet exempla Sac. Scripturæ. Balthasaris post convivium interempti. *Daniel.* 5. Absolonis e quercu suspensi, & transfossi. 2. *Reg.* 18. Amman, cum nihil minus cogitaret, patibulo affixi. Addere etiam juvabit istos Divinæ Scripturæ textus: *Qua nescitis hora, filius hominis venturus est. Matth.* 24. *Sicut fur in nocte, ita veniet.* 1. *ad Thessal.* 5. *&c.*

D I S P U T A T I O III.

De Charitate.

HÆc Virtus omnes reliquas virtutes non solum Morales, sed etiam Theologicas perfectione supergreditur; imo omnium forma, & anima est: id quod indicat Apostolus 1. *Cor.* 13. ubi ait: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem horum est Charitas.* Et: *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum &c.* De ista igitur præstantissima Virtute in præsenti disputatione nobis agendum est; idque ultimo loco, seu postquam de reliquis virtutibus Theologicis jam actum est, non quasi cuiquam earum primatum dignitatis cedat; sed quod generatione postrema existat. Unde Scriptores tam Scholastici, quam Mystici Fidem assimilant fundamento, molem ædificii spiritualis sustentanti, Spem parieti surgenti, Charitatem tecto consummanti.

C A P U T I.

De Natura, & Objecto Charitatis.

A R T I C U L U S I.

Quid sit Charitas?

S U M M A R I U M.

128. *Definitur, & explicatur Charitas habitualis.*
129. *Insinuatur, quid sit Caritas actualis.*

128. DIco. Charitas est *virtus Theologica, voluntatem creaturæ rationalis inclinans ad amandum Deum propter se, proximum autem, uti & seipsum propter Deum.*

Explicatur breviter. Dicitur 1. *Virtus Theologica* loco generis: in hoc nanque Charitas convenit cum Fide, & Spe.

Dicitur 2. *Voluntatem creaturæ rationabilis &c.* ut denotetur subjectum Charitatis, nempe voluntas.

Dicitur 3. *Inclinans*, ut insinuetur, hic definiri Charitatem; sicut in disp. præcedentibus Fidem, & Spem, sub ratione habituum consideratas, definivimus.

Dicitur 4. *Ad amandum Deum*: quia Deus est objectum materiale primarium hujus Virtutis.

Dicitur 5. *Propter se*, ut significetur objectum formale Charitatis, quale est Bonitas Dei absoluta.

Dicitur tandem 6. *Proximum autem, uti & seipsum propter Deum*: partim quia nos ipsi, nosterque proximus, constituimus objectum materiale secundarium Charitatis: partim ut innuatur, quod non eliciat actum Charitatis Theologicæ, qui se, suumque proximum diligit propter motivum a Deo diversum. Quæ omnia amplius patebunt ex dicendis.

129. Colliges, Charitatem actualem esse *amorem*, quo

quo creatura rationalis amat Deum propter se; proximum autem, ac seipsum propter Deum: qui amor est, & vocatur *amor amicitiæ*. De actuali hac Charitate locutus est Christus *Matth.* 22. dum dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum, sicut teipsum.*

ARTICULUS II.

Quale Charitas habeat Objectum?

SUMMARIUM.

130. *Objectum materiale Charitatis primarium est Deus qua Deus; secundarium vero nos ipsi, nosterque proximus.* 131. *Creaturæ irrationales a ratione objecti materialis recte excluduntur:* 132. *Objectum formale Charitatis est Bonitas Dei absoluta, eaque essentialis.*

130. Dico primo. Objectum materiale Charitatis primarium (1.) est Deus qua Deus; secundarium vero (2.) nos ipsi, nosterque proximus. Communis.

Probatur prima pars tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem: quia *Matth.* 22. habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. hoc est maximum, & primum mandatum*: Ratione vero: quia diligens, seu actum Charitatis Theologicæ eliciens tendit in Deum qua Deum, in quo reperitur summa bonitas, & excellentia, sine relatione ad aliud; ergo Deus qua Deus est objectum materiale primarium directionis, & Charitatis Theologicæ.

Probatur etiam secunda pars. Quia apud *Matt. loc. cit.* additur: *& proximum tuum* (diliges) *sicut teipsum*; ergo nos ipsi, nosterque proximus, sumus objectum, materiale Charitatis: atqui non primarium, cum non simus diligendi irreferibiliter, sed referibiliter, sive cum relatione ad Deum; ergo secundarium.

Objicies. *Nemo proprie ad semetipsum habere Charitatem dicitur*, inquit San. Gregorius *Homil. in Evang.* ergo nos ipsi, respectu nostri, non sumus objectum Charitatis.

Respondetur cum P. Henno, neg. cons. Et ad ant. ajo, San. Patrem ibi differere de Charitate, involvente amicitiam omnino stricte sumptam, & recipocram, qualis undue haberi non potest nisi inter duos; non vero de Charitate importante amicitiam in sensu latiore, adhuc tamen proprio acceptam, quæ etiam ad Charitatem sufficit, esto mutua non sit: & hac jubemur diligere nos metipsos.

131. Quæres, cur a ratione objecti materialis hic excludantur creaturæ irrationales, cum tamen & ipsæ amari propter Deum possint?

Respondetur, ideo excludi; quia Charitas, prout de ea hic loquimur, fundatur super communicatione in æterna beatitudine: unde solum respicit illa subjecta, quæ in ista communicant, aut communicare possunt, cujusmodi non sunt creaturæ rationis expertes.

132. Dico secundo. Objectum formale Charitatis est Bonitas Dei absoluta, non quidem attributalis, sed essentialis, qua Ille est bonus in omni genere entis. Ita post Doctorem Angelicum Doctor Subtilis *in* 3. *distin.* 27. *n.* 3. aliique satis communiter.

Probatur duplici ratione, quarum prior est Doctoris Angelici, & posterior Doctoris Subtilis. Ratio Doctoris Angelici ita habet: illud est objectum formale Charitatis, quod est objectum beatitudinis: sed Deus, ut absolute, & infinite bonus in omni genere entis, ac perfectionis, est objectum beatitudinis cum ut sic sit maxime satiativus; ergo &c. Ratio Doctoris Subtilis est: quia per Charitatem volumus Deo bonum ut ipsi bonum est: sed Deus sibi bonus est, in se beatus est, & undequaque perfectus per prædictam bonitatem; ergo &c. Accedit, & utriusque Doctoris rationem confirmat maxima Charitatis perfectio, quæ utique postulat motivum maxime perfectum, cujusmodi est bonitas essentialis absoluta.

Ut autem melius capias, quid per bonitatem Dei essentialem, quam objectum formale Charitatis statuimus, velimus, & intelligamus, percipe verba Sporeri hic *n.* 11. ita loquentis: Cum audis objectum formale Charitatis esse summam, & infinitam Dei bonitatem, ne intelligas illam Dei bonitatem, quæ est speciale attributum a ceteris attributis, & perfectionibus Divinis distinctum, importans summam Dei perfectionem in operando tantum, seu principium se communicandi optimo modo, quo convenit: sed intellige bonitatem Dei universalem, sumptam pro plenitudine, & veluti cumulo innumerarum, & infinitarum perfectionum Divinarum, seu pro tota, & infinita Dei excellentia in omni genere perfectionis, qua amabilis, & diligibilis est; Hæc enim est adæquata, & simplicissima ratio, quæ specialem super omnia dilectionem exigit: est enim Deus super omnia specialiter diligibilis in sua infinita Sapientia, Bonitate speciali, Justitia, Misericordia, & qualibet perfectione, ac universaliter in omni cumulo perfectionum. Ita in terminis *citat.* Author more suo fuse, sed clare. Quapropter ob Bonitatem hoc modo intellectam Deus ipse diligitur & universaliter super omnia, & irreferibiliter ad quodcunque aliud bonum extra se; nos vero nosterque proximus, quatenus hæc eadem Bonitas quasi in effigie relucet, & participative existit in creatura rationali, ut capaci Divinæ gratiæ, amicitiæ, & æternæ beatitudinis.

CAPUT II.

De Necessitate Charitatis erga Deum.

ARTICULUS I.

De Necessitate Charitatis erga Deum, qua dicitur necessitas medii.

SUMMARIUM.

133. *Charitas Dei habitualis omnibus omnino hominibus est necessaria necessitate medii ad justificationem, & salutem.* 134. *Actualis vero adultis, ratione pollentibus.* 135. *Ostenditur, qualis debeat esse Charitas Dei actualis, hominibus adultis prædicto modo necessaria.* 136. *Non est licitum, amare Deum propter æternam gloriam tanquam finem principalem, & ultimatum: bene vero propter eandem gloriam tanquam finem minus principalem, & inultimatum.* 137. *Excusandi sunt a peccato Patres, & Matresfamilias, dum intensius diligunt suas proles, quam Deum.*

133. Dico primo. Charitas Dei habitualis omnibus hominibus, parvulis, & adultis, est necessaria necessitate medii (1.) ad justificationem, & (2.) ad salutem.

Probatur prima pars. Quia justificatio consistere non potest sine sua causa formali: sed Charitas habitualis est causa formalis justificationis: prout *in tr. de Grat.* docent Scotistæ; vel saltem forma necessario cum eadem connexa, prout volunt Thomistæ; ergo &c. Id quod non obscure tradit Conc. Trid. *sess.* 6. *c.* 7. ubi inquit: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.*

Probatur etiam secunda pars. Quia nemo pertingere ad salutem potest, nisi justificatus; prout Fides docet: cum ergo justificatio, secundum immediate dicta, consistere sine Charitate habituali nequeat, consequens est, neque salutem sine eadem Charitate obtineri posse.

134. Dico secundo. Adultis, ratione pollentibus, etiam Charitas Dei actualis (sive aliquis actus Charitatis) est necessaria necessitate medii.

Probatur ex 1. *Joann.* 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et. *c.* 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognovit Deum; qui non diligit, non novit Deum; quia Deus Charitas est.* Eandem Charitatis necessitatem videntur abunde significare verba S. Pauli 1. *Cor.* 13. supra ad initium hujus disputationis recitata.

135. Quæres, qualis debeat esse Charitas Dei actualis, modo proxime dicto hominibus adultis necessaria?

Respondetur primo. Debet esse charitas, sive *amor benevolentiæ*, quo quis diligit Deum ut bonum in se: unde non sufficit *amor concupiscentiæ*, quo diligimus Deum, ut nobis bonus est. Et insuper *amor amicitiæ stricte sumpta, & reciproce*; quia eo & nos volumus Deo bonum, quatenus ipsi bonum est, & vicissim ipse vult nobis bonum, quatenus nobis bonum est, juxta illud *Joann.* 15. *Vos amici mei estis.* Et *proverb.* 8.

Ego

Ego diligentes me diligo. Idem cogita de charitate proximi a nobis distincti, respectu cujus similiter est amor non solum benevolentiæ, sed & amicitiæ stricte dictæ, ac reciprocæ; secus respectu nostri, seu in quantum tenemur diligere nosmetipsos: hoc quippe respectu est quidem amor benevolentiæ, non autem amicitiæ strictè sumptæ, ac reciprocæ; prout relinquitur ex dictis supra *n.* 30. *in respons. ab object.*

Respondetur secundo. Debet esse *amor formalis*, nec sufficit virtualis, situs in observantia aliorum Dei præceptorum; prout nonnulli olim autumarunt: at nunc obmutescere debent propter propositionem confixam ab Alexandro VIII. *ord.* 1. *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis* NB. *ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

Respondetur tertio. Debet esse *amor supernaturalis*; idque 1. *ex parte principii*, quatenus a gratia saltem actuali procedere debet. 2. *Ex parte objecti materialis*, quatenus debet respicere Deum ut Authorem, ac Finem supernaturalem; & 3. *ex parte objecti formalis*, quatenus debet in Deum ferri propter absolutam, & essentialem Ejus bonitatem in ordine supernaturalium.

Respondetur quarto. Debet esse *amor Dei super omnia* (1.) *apretiative*, non autem (2.) necessario etiam *intensive*. Sanchez *lib.* 2. *Decal. c.* 35. *num.* 2. Bonacina *de Charit. q.* 4. *pun.* 1. *n.* 2. Palao *tr.* 6. *disp.* 1. *pun.* 2. *n.* 5. & alii communiter. Antequam vero nostræ responsionis probationes afferamus, præsciendum est, duobus præcipue modis Deum amari posse super omnia, *intensive* scilicet, & *appretiative*. Priore modo super omnia amatur, quando actus, quo amatur, plures habet gradus, quam actus, quo amantur res ceteræ. Posteriore modo super omnia amatur, quando Deus, ejusque amicitia majori in pretio habentur, quam omnia cetera bona: quemadmodum fit, dum quis ita animo comparatus est, ut, si vel Deus, vel alia cuncta extra Deum relinquenda forent, ista potius, quam illum relinqueret. Ratio nunc primæ partis est: quia lumen naturale dictat, summum Bonum esse pluris æstimandum, quam cuncta cetera bona; adeoque appretiative super omnia amandum. Ratio secundæ partis est: quia amor, sive dilectio Dei super omnia intensive non est adultis hominibus necessaria necessitate præcepti; ergo nec necessitate medii. Cons. fluit: quidquid enim hominibus adultis, ratione pollentibus, est necessarium necessitate medii, etiam iisdem est necessarium necessitate præcepti, si libere eorum potestati subsit: prout proculdubio absolute loquendo subest dilectio Dei super omnia intensive, secus enim cadere sub consilium non posset, contra omnes. Ant. vero probatur. Siquidem jugum Christi suave est, & onus ejus leve; ergo censeri non debet continere præceptum, quod hominem plurimis, & maximis scrupulis redderet obnoxium. Sed simile præceptum esset, quo teneremur diligere Deum super omnia intensive; ergo &c. Subsumptum probatur, & declaratur: quia gradualis perfectio actuum internorum vel omnino nos latet, vel non nisi difficilime discernitur; ergo satis constare nobis haud posset, an Deum aliquando diligeremus cum sufficienti intensione; & consequenter innumeris inde scrupulis, ac anxietatibus exponeremur.

Dices, Tenemur Deum diligere ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus; item plus, quam patrem, & matrem; ergo super omnia etiam intensive.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, illud quoad utranque partem intelligendum esse de æstimatione, & appretiatione; non vero de intentione, & perfectione graduali dilectionis.

136. Colliges primo, non esse licitum, amare Deum (1.) propter æternam gloriam, tanquam finem principalem, & ultimatum, ita ut, si spes præmii abesset, illum non amares: licitum vero amare Deum (2.) propter eandem gloriam tanquam finem minus principalem, & inultimatum, qui sit causa ad amandum mere impulsiva, ita ut illum adhuc amares, tametsi spem præmii nullam conciperes, minus tamen prompte, & alacriter, Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 4. Babenstuber *de Charit.* §. 1. *n.* 6. & alii communiter. Ratio primi est: quia similis amor est mercenarius; cum eligatur intuitu solius mercedis: atqui amor mercenarius est vitiosus; cum per eum non ametur Deus apperiative super omnia, sed potior habeatur ratio mercedis; ergo &c. Ratio secundi est: quia taliter amans tam amorem, quam objectum amoris ultimate refert in Deum ceu summum Bonum super omnia dilectum; ergo amat ordinate, non vero inordinate, & præpostere: consequenter &c.

137. Colliges secundo, excusandos a peccato patres, & matresfamilias, dum intensius diligunt suas proles, quam Deum: ut dum illarum mortem, aut aliud infortunium etiam lacrymis deplorant; non item offensam Dei, sive a se sive ab aliis illatam. Ita P. Sporer hic *n.* 29. & alii passim. Ratio sequitur ex dictis: quia cum hoc stat, quod Deum adhuc magis diligant appretiative: si enim interrogarentur, num amicitia Dei carere mallent, quam consortio suarum prolium, haud dubie responderent, sibi jacturam Dei, & amicitiæ ejus pluris fore, quam jacturam suarum prolium: quod est Deum plus diligere appretiative, quam proles.

ARTICULUS II.

De Necessitate Charitatis erga Deum, quæ dicitur necessitas præcepti.

SUMMARIUM.

138. *Datur præceptum Charitatis erga Deum tam affirmativum, quam negativum.* 139. *Affirmativum obligat per se, & graviter, ad sæpius eliciendos actus dilectionis Dei, diuque non differendos.* 140. *Proponitur, & diluitur instantia.* 141. *Adstruuntur tempora prædictæ obligationis.* 142. *Solvitur instantia.* 143. *Idem præceptum sæpius etiam obligat per accidens?* 144. *Præceptum negativum obligat semper, & pro semper.*

138. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, dari præceptum Charitatis erga Deum tam affirmativum, quo jubemur Eundem diligere, quam negativum, quo prohibemur Eum odio habere: id quod patebit ex dicendis. De utroque hic agendum est, præcipue autem de affirmativo; nam de negativo plus dicetur in *cap.* ubi de vitiis Charitati oppositis sermo instituetur. Hoc prænotato,

139. Dico primo. Præceptum Charitatis affirmativum erga Deum per se, & graviter obligat ad sæpius eliciendos actos dilectionis Dei, diuque non differendos. Cardenas *in* 2. *Crisi dissert.* 4. *c.* 2. *art.* 2. Mezger *de Charit. art.* 4. §. 2. *n.* 7. & alii de facto communissime.

Probatur primo ex S. Script. Nam *Deuter.* 6. præceptive dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc* (subjungitur) *quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* Per quæ denotari, & urgenter inculcari frequens exercitium dilectionis Dei, nemo est, qui non videat.

Probatur secundo: tum rationibus, de Fide, & Spe productis, etiam hic cum proportione valituris: tum hac speciali: siquidem homo graviter obligatur ad servanda mandata Dei; ergo etiam graviter obligatur ad frequenter eliciendos actus dilectionis Dei. Cons. inde probatur, quod sine frequenti dilectione Dei reliqua mandata fiat servatu difficilima saltem per longum tempus; ergo hanc talem difficultatem, & quasi moralem impossibilitatem tollamus, necesse est, per frequentem dilectionem Dei. Ant. ostenditur: quia observantia mandatorum Dei se habet ut medium ad ultimum finem consequendum; experientia autem constat, media difficilime executioni mandari, nisi frequenter adametur finis, quod hic fit per dilectionem Dei: consequenter &c.

140. Neque dicas, inde solum probari, quod præceptum Charitatis erga Deum obliget per accidens, & indirecte, nempe ex motivis aliarum virtutum, & præceptorum Dei, non autem per se, & directe, seu ex motivo specifico Charitatis.

Contra enim est, quod licet præceptum Charitatis erga Deum etiam obliget ex motivis aliarum virtutum, & præceptorum Dei, id tamen minime obstet, quin præterea obligare possit, & reipsa obliget ex motivo specifico Charitatis erga Deum; adeoque per se, & directe. Nam supposita per actum fidei representatione Divinæ Bonitatis ut super omnia appretiabilis, eaque

stante

ftante, furgit ex connaturali exigentia appretiabilitatis, ejufque proprio merito obligatio Deum certis temporibus amandi fuper omnia: prout recte notat P. Babenftuber *loc. cit. n.* 14. Porro ejufmodi obligationem, eamque frequentem abunde evincit damnatio hujus propofitionis *ord.* 6. facta ab Innocentio XI. *Probabile eft, ne fingulis quidem rigorofe quinquenniis* NB. *per fe obligare præceptum Charitatis erga Deum*. Idem videntur fufficienter innuere duæ aliæ propofitiones ab eodem Pontifice confixæ, quarum prior *ord.* 5. ita habet: *An peccet, qui actum dilectionis Dei femel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. Et pofterior *ord.* 7. *Tum folum obligat* (præceptum Charitatis erga Deum) *quando tenemur juftificari, & non habemus aliam viam, qua juftificari poffimus*.

141. Ceterum tempora, quibus præceptum Charitatis erga Deum per fe, & directe obligat, ftatuimus eadem, quæ ftatuebamus de præceptis Fidei, & fpei. Primum itaque eft principium moralis vitæ, dum quis affecutus eft fufficientem rationis ufum. Patet id ex Decreto Alexandri VIII. ubi profcripfit iftam propofitionem ex duabus *ord.* 1. *Hunc* (fcilicet Deum) *homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurfu vitæ fuæ moralis*. Accedit ratio: quia homo, dum fufficientem rationis ufum adeptus eft, moraliter loquendo incipit effe viator: ftatus autem, & conditio rationis exigit, ut quamprimum finem vitæ, qui eft Deus, intendat, fibique præfigat: quod fit per actum Charitatis.

Alterum tempus eft, dum urget gravis tentatio, ad odium Dei trahens, quæ aliter fuperari non poteft, quam eliciendo actum Charitatis odio contrarium. Rationem dedimus de Fide *n.* 40. etiam hic valituram.

Tertium eft articulus, vel periculum proximum mortis. Ratio omnino congrua hæc eft: quia homo in tali articulo jamjam aufpicatur viam ad ultimum Finem, & huic, per vitæ decurfum operofe quæfito, appropinquat; ergo omnino conveniens eft, ut eidem mediante Charitatis actu conjungatur.

Quartum tempus, fed indeterminatum eft: *Et adhuc pluries per decurfum vitæ*. Sequitur ex Decreto Alexandri VIII. proxime allegato, atque ex iis, quæ de Fide *n.* 40. diximus, Revideantur ibi dicta; unaque notetur, etiam hic prudentum judicio determinandum effe, quænam temporis mora requiratur, ut quis diu differre dilectionem Dei, ejufque præceptum tranfgredi cenfendus fit.

Nec dicat quifpiam, fic Fidelibus imponi onus nimium grave, & innumeris fcrupulis obnoxium: cum enim non conftet quanta debeat effe frequentia dilectionis Dei, ut præcepto Charitatis fiat fatis, jure merito femper angantur, an fat frequenter Deum diligant &c.

Contra enim eft, onus illud fuaviffime, & quafi infenfibiliter a fidelibus timoratis, fuæque falutis non incuriis, portari; cum Deum fæpiffime diligant, etiamfi id non advertant. Quotiefcunque enim aliquid agunt, vel omittunt (etiam in ordine ad implendum alterius virtutis præceptum; prout de Fide, & Spe infinuatum eft) *quia Deus vult, quia Deo placet, vel difplicet*, toties ex motivo charitatis procedunt; atque adeo actum dilectionis Dei exercent. Item quotiefqunque aliquis (ut alias occafiones taceam) recitat Orationem Dominicam, nancifcitur occafionem elicendi actum dilectionis Dei; prout cuilibet eam perpendenti perfpicuum fiet. Addo infuper, pro folatio rudium maxime, quod multi excufentur a peccato, dum actum dilectionis Dei intermittunt propter invincibilem ignorantiam, vel inadvertentiam obligationis fibi incumbentis.

143. Dico fecundo. Præceptum charitatis erga Deum etiam fæpius obligat per accidens ad eliciendos actus dilectionis Dei. Omnes.

Probatur, ficut fupra de Fide, & Spe probatum eft: quia fimiliter contingere folet, ut urgeant præcepta aliarum virtutum, quæ fine actu dilectionis Dei impleri nequeunt; ergo tunc obligamur per accidens ad eliciendum hujufmodi actum ceu medium neceffarium ad obfervantiam illorum præceptorum tanquam finem.

Tenetur ergo quis per accidens elicere actum dilectionis Dei, dum mortali gravatus debet celebrare, aut Sacramentum aliquod conficere vel etiam fufcipere (quod ultimum tamen de Sacramentis vivorum intelligendum venit) & non habet, nec habere commode poteft copiam Confeffarii. Item quando quis verfatur in periculo tranfgrediendi præceptum particulare quodcunque a præcepto Charitatis diftinctum, ad quod periculum amoliendum ipfe judicet neceffariam fore dilectionem Dei. In quibus tamen, & aliis hujufmodi cafibus cum omiffio dilectionis Dei non militet directe adverfus præceptum de diligendo Deo, fed præcife contra præceptum particulare, quo illud peccatum, ad quod evitandum dilectio Dei judicatur neceffaria, prohibetur, non peccatur dupliciter: prout in fimili dictum eft de Fide *n.* 45.

144. Dico tertio. Præceptum negativum Charitatis erga Deum obligat femper, & pro femper. Omnes.

Probatur breviffime. Quia dicto præcepto vetatur actus ita intrinfece malus, ut in nullo unquam cafu, five ex nulla caufa cohoneftari poffit, nempe odium Dei; de quo *in c.* 4. Ergo &c.

CAPUT III.

De Præcepto Charitatis erga feipfum, & proximum.

HOc Caput longe amplius eft, multoque plura complectitur, ac antecedens: porrigit enim fe ad exercendos actus dilectionis erga feipfum, & proximum, cum interiores, tum exteriores refpective; prout per decurfum patebit. Ceterum nulla hic inftituitur quæftio de neceffitate Charitatis erga feipfum, & proximum, quæ fit, ac dicatur neceffitas medii; omnes quippe fatentur, nullum Charitatis actum formalem, ab actu dilectionis Dei diftinctum, effe neceffarium neceffitate medii, quo quis fcipfum, & proximum diligere teneatur. Unde folum remanet quæftio de neceffitate Charitatis erga feipfum, & proximum, quæ dicitur neceffitas præcepti. Nunc fit

ARTICULUS I.

An etiam, & qualiter teneatur quis diligere feipfum, & proximum?

SUMMARIUM.

145. *Quilibet poft Deum fuper omnia dilectum tenetur ex precepto Divino diligere feipfum, & proximum,*
146. *Explicatur, qualis debeat effe illa dilectio.*

145. DIco primo. Quilibet poft Deum fuper omnia dilectum tenetur ex præcepto Divino diligere feipfum, & proximum. Eft de Fide.

Probatur ex *Matth.* 22. ubi Chriftus propofito illo primo, & maximo mandato: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* fubjecit: *Secundum autem fimile eft huic: diliges proximum tuum, ficut teipfum.*

Ceterum nomine Proximi venit omnis creatura rationalis, Eternæ beatitudinis capax: cujufmodi funt Chriftus qua homo, B. Virgo. Angeli, homines quicunque tam in gratia defuncti (five eorum animæ jam exiftant in cælo, five adhuc detineantur in purgatorio) quam in hac vita degentes (five fint jufti, five peccatores, five fideles, five infideles) non autem dæmones, homines damnati, aut creaturæ rationis expertes.

Porro *ly fimile* in præallegato textu non denotat æqualitatem, quafi etiam proximus effet fuper omnia diligendus, ficut Deus, fed fimilitudinem in unitate motivi fundatam, ita ut etiam proximus diligatur propter Divinam Bonitatem, cujus participandæ capax eft. Pariter *ly ficut* in eodem textu folam indicat fimilitudinem, non vero æqualitatem dilectionis; quia non tenemur proximum diligere, quantum nos ipfos, veluti patebit *art. feq.* fed fimiliter tantum, id eft, ex eodem motivo.

146. Dico fecundo. Ut quis fatisfaciat obligationi, quam gerit in ordine ad diligendum proximum, requiritur (1.) amor benevolentiæ, & amicitiæ (2.) amor fupernaturalis (3.) amor formalis, & internus. Idem cum proportione cogita de obligatione diligendi femetipfum. Ita DD. communiter.

Probatur, & explicatur conclufio quoad fingula membra,

bra. Dicitur 1. *Amor benevolentiæ, & amicitiæ:* quia debemus proximo velle, & desiderare bona ad salutem proficua, quatenus ipsi bona sunt. Unde & hic non sufficit *amor concupiscentiæ*, quo velimus proximo bona, in quantum nobis bona sunt: hoc quippe modo non tam diligimus proximum, quam nos ipsos; & consequenter non implemus præceptum de diligendo proximo nobis impositum.

Sobjunxi in conclus. *Idem cogita cum proportione de obligatione diligendi semetipsum*. Quod autem proportio hic cogitanda, & observanda sit, conjici potest tam ex jam dictis, quam ex dicendis *n*. 149.

Dicitur 2. *Amor supernaturalis:* quia præceptum dilectionis proximi est supernaturale, sicut præceptum dilectionis Dei: præcepto autem supernaturali per actum naturalem satisfieri non potest; veluti contra Pelagium sentit S. Mater Ecclesia. Porro dicta supernatoralitas itidem consideranda venit 1. *ex parte principii*, id est, *gratiæ saltem actualis*. 2. *ex parte objecti materialis:* quia proximo debemus velle bona supernaturalia, & principaliter ipsum Deum æternaliter possidendum. 3. *ex parte objecti formalis*, quatenus eidem proximo tenemur bene velle propter Deum, Ejusque Bonitatem in proximo participative existentem.

Dicitur 3. *Amor formalis, & internus*. Nam Innoc. XI. proscripsit has propositiones: *Non tenemur proximum diligere, actu interno, & formali:* quæ est *ord*. 10. Et: *præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos:* quæ est *ord*. 11. Quare non adimplet præceptum de diligendo proximo, qui hunc diligit virtualiter solum (observando scilicet præcepta nos dirigentia circa proximum, cujusmodi sunt præcepta secundæ tabulæ) vel externe duntaxat (eidem subveniendo in necessitatibus temporalibus spiritualibus) sed requiritur prætetea dilectio formalis, & interna; sicut talis requiritur ad satisfaciendum præcepto diligendi DEUM: quoniam Christus de utroque locutus est pariformiter.

ARTICULUS II.

An, & qualis inter personas diligendas sit servandus ordo?

SUMMARIUM.

147. *Quæstio non procedit de ordine intensionis, sed de ordine, qui sumitur ex majori appretiatione.* 148. *Bona, quæ vel nobis ipsis, vel proximis nostris velle possumus, sunt triplicis generis.* 149. *Ordo Charitatis postulat, ut quilibet amore appretiativo amet.* 1. *Seipsum quoad bona spiritualia necessaria.* 2. *Proximum quoad eadem bona spiritualia.* 3. *Seipsum quoad bona corporalia.* 4. *proximum quoad eadem bona.* 5. *Seipsum quoad bona externa, ac deinde proximum quoad eadem bona.* 150. & 151. *Nunquam est licitum, committere peccatum, aut velle amittere gratiam, vel gloriam, ut proximorum salus procuretur.* 152. *Si proximus versetur in extrema necessitate salutis spiritualis, teneris eidem succurrere cum jactura bonorum tuorum corporalium, & externorum quorumcunque: secus si solum versetur in necessitate gravi, vel levi.* 153. *Ordo charitatis etiam postulat, ut unus proximus diligatur magis, ac alter; idque tam affective, quam effective.* 154. 155. & 156. *Assertio per corrollaria explicatur magis, & applicatur ad ordinem dilectionis in particulari.*

147. Prænotandum primo, hanc quæstionem non procedere de ordine intensionis: si enim Deum ipsum non tenemur intensius amare, quam alios, prout *c. præced.* ostensum manet, multo minus tenebimur hoc amoris genere plus amare nos ipsos, quam nostros proximos, aut unum proximum, quam alterum. Unde quæstio solum vertitur de ordine, qui sumitur ex majori appretiatione.

148. Prænotandum secundo, bona, quæ vel nobis ipsis, vel proximis nostris velle possumus, esse triplicis generis. Nam 1. sunt *bona spiritualia*, eaque duplicia: quædam enim necessaria existunt ad ultimum Finem; ut Fides, Spes, Charitas, perseverantia in bono &c. quædam vero solum utilia; ut donum continentiæ, Status Religiosus &c. 2. *bona corporalia*, quorum nomine veniunt vita, & sanitas corporis. 3. bona externa; ut fama, honor, divitiæ. His consulto, & necessario præmissis,

149. Dico primo. Ordo Charitatis postulat, ut quilibet amore appretiativo amet 1. seipsum quoad bona spiritualia necessaria. 2. proximum quoad eadem bona spiritualia. 3. seipsum quoad bona corporalia. 4. proximum quoad eadem bona. 5. seipsum quoad bona externa; ac deinde proximum quoad eadem bona. Ita DD. communiter. Ut autem hæc conclusio (idem cogita de sequenti) universaliter teneat (puta etiam quoad bona corporalia) intelligi debet de ordine Charitatis inter personas privatas; item de æquali necessitate &c. prout adnotabo in fine hujus articuli. Nunc

Probatur conclusio in hunc modum. Dilectio sui ipsius est regula, sive exemplar, cui, quantum fieri potest, dilectio proximi conformari debet, prout fluit ex illo *Matth*. 22. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum:* atqui charitas potius est in exemplari, quam in exemplato; ergo quilibet tenetur potius diligere seipsum, quam proximum. Unde S. Augustinus *de Civit. c*. 20. ait: *Dilector regulam diligendi proximum a seipso accipit*. Atque hoc sensu communiter dici solet, *Charitas incipit a seipso*, id est, a diligente.

Dixi in conclus. *quoad bona spiritualia necessaria*. Nam quoad bona spiritualia utilia tantum, in amore appretiativo licite tibi proximum præferre potes, esto ad id nullo præcepto adstringaris, nisi (ut limitat Sporer *tr*. 3. *in Decal. c*. 6. *n*. 122.) prædicta bona, quæ scis tibi solum fore utilia, judices proximo suo ad salutem necessaria.

150. Colliges ex dictis primo, nunquam esse licitum, committere peccatum, etiam minimum, ad procurandam salutem proximorum, sive singulorum, sive omnium collective, tametsi daretur casus, quo proprium alicujus peccatum ad alienam salutem videretur necessarium. Patet cum ex illo *Matth*. 16. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* tum ex ratione, quia ex opposito sequeretur, peccatum non esse peccatum, quod implicat contradictionem; nam si licitum est, peccatum non est, si peccatum est, licitum non est.

Dices. Bonum totius est præferendum bono partis: sed quivis Christianus etiam quoad animam est pars Christianæ Communitatis, sive Ecclesiæ; quemadmodum insinuat S. Paulus *Ephes*. 4. asserens Christianos esse membra unius Corporis mystici; ergo &c.

Respondetur, majorem esse veram, quando in prælatione communis boni non offenditur majus bonum, nimirum Deus, a quo & privatum, & publicum illud bonum, quod dicitur præferendum, dependet. Itaque Deus, & honor ejus, qui peccato labefactatur, & minuitur, præferri debet bono totius mundi. Videatur *c*. 4. *de usuris*.

151. Colliges secundo, similiter illicitum esse, velle amittere gratiam, vel gloriam, ut proximorum salus procuretur. Patet iterum ex illo *Matth*. 16. proxime allegato: *Quid prodest homini &c*. Deinde a gratia, & gloria excidere nemo potest absque mortali culpa: consequenter &c. Fatendum nihilominus est, quod licite, imo laudabiliter quis possit velle dilationem beatitudinis ex rationabili causa, v. g. ut adhuc plus pro gloria Dei, & animarum salute pati, & laborare valeat. Probant id duo exempla (ut taceam plura, nimirum S. Pauli *ad Philipp*. 1. ita scribentis: *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo; permanere autem in carne necessarium propter vos*. Et S. Martini: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius &c*. Accedit ratio: quia tale animæ detrimentum non tam repugnat Charitati, ejusque augmento, quam illi deservit, quantum est ex se.

152. Colliges tertio. Si proximus versetur (1.) in extrema necessitate salutis spiritualis, teneris eidem succurrere cum jactura bonorum tuorum corporalium, & externorum quorumcunque: secus, si solum versetur (2.) in necessitate gravi, vel levi.

Antequam rationes corollarii probativas adducamus, breviter nota, triplicem esse necessitatem spiritualem, *levem, gravem*, & *extremam*. Levis est, quam proximum citra tuum auxilium facile; gravis, quam difficile; extrema, quam vel omnino non potest superare, vel non nisi cum tantam difficultate, ut censeatur superatu moraliter impossibilis. Nunc

Prima pars corollarii ostenditur ex illo 1. *Joan*. 3. *Et nos*

Et nos debemus pro fratribus animas ponere: quod præceptum ne frustraneum sit, saltem in extrema necessitate stringere censendum est. Item ex S. August. qui *lib. de mendac. c. 6.* ait. *Temporalem vitam suam pro æterna proximi non dubitabit Christianus amittere.* Unde si tibi constet, Petrum v. g. in peccato mortali constitutum, tempore somni interfectum iri, teneris, dum potes, impedire, si scias, infantem necdum baptizatum luctari cum morte, & alium, qui baptizet, præsto non esse, baptizare obligaris; tametsi inde certum mortis corporalis periculum tibi impendeat: quia in utroque casu proximus patitur extremam necessitatem spiritualem salutis spiritualis.

Ubi tamen duæ exceptiones, & limitationes afferuntur ab Authoribus. Una est: *dummodo sit spes moraliter certa, proximum tuo auxilio adjutum iri.* Altera est: *nisi aliunde majus incommodum sequeretur:* ut si tua opera aliis pluribus, vel toti alicui Communitati necessaria sit, quemadmodum contingere potest, & solet tempore pestis v. g. quo proinde casu vitam tuam pro salute unius proximi exponere non obligaberis; imo nec licite poteris: prout recte advertit P. Sporer *tr. 3. in Decal. c. 6. n. 127.*

Secunda pars Corollarii inde probatur, quod extra casum extremæ necessitatis prudenter sperare possimus, saluti proximi aliter consultum iri: imo proximus juvare seipsum potest, si conatum, quem adhibere & potest, & tenetur, adhibere velit; ergo non apparet credibile, quod lege Charitatis adstringamur ad ipsum juvandum cum jactura nostrorum bonorum temporalium corporalium, vel etiam externorum saltem notabilium: hoc enim suavitati legis Evangelicæ consentaneum non esset. Unde non obligamur navigare in Indiam, ut convertamus infideles; nec Petrum, qui properat ad mercandum, retrahere, cum vitæ nostræ periculo, vel gravi damno honoris, aut divitiarum: quia nec Indi, nec Petrus sunt constituti in extrema necessitate salutis.

Dixi autem in ratione secundæ Corollarii partis probativa: *quod lege Charitatis &c.* si enim insuper accedat titulus Justitiæ, vi cujus tibi incumbit cura alienæ salutis, ut si sis Pastor, Superior &c. teneris subditis tuis, etiam in gravi duntaxat salutis necessitate constitutis, succurrere cum periculo tuorum bonorum corporalium, & multo magis externorum: quia propter titulum Justitiæ, cum titulo Charitatis conjunctum, strictius obligaris, quam alii, quorum obligatio ex sola Charitate oritur: consequenter cum isti obligentur cum præfato periculo proprio succurrere proximis in necessitate extrema, teneberis tu iisdem adesse etiam in gravi. Quo fit, ut Parocho non sit integrum tempore pestis fugere, vel officium resignare, nisi forte alius æque idoneus vices illius supplere, aut officium resignatum in se suscipere, & exequi velit; nam Pastori incumbit dare animam suam pro ovibus suis.

Dixi præterea: *cum jactura bonorum externorum saltem notabilium &c.* Si enim pari tantum deberes in memoratis bonis damnum quoddam modicum, & non notabile, obligareris subvenire proximo etiam in gravi necessitate; secus in levi solum: quia grave periculum amittendi bonum spirituale, & superioris ordinis, præponderat periculo amittendi bonum temporale modicum, & inferioris ordinis; non item periculum leve, utpote quod proximus facile amoliri seipso potest, etiam tua ope non suffultus.

153. Dico secundo. Rectus Charitatis ordo insuper postulat, ut unus proximus magis diligatur, ac alter, tam dilectione affectiva, id est, interna; quam effectiva, id est, externa, in extrinseca collatione beneficiorum sita. Communis DD.

Probatur. Charitas naturalis (honesta) inclinat ad magis amandos proximos conjunctos, quam extraneos; ergo etiam Charitas supernaturalis, utpote quæ naturali non adversatur, sed eandem perficit; ergo ne tali inclinationi contraveniamus, debemus magis diligere dilectione etiam supernaturali nobis conjunctos, quam non conjunctos, & inter conjunctos conjunctiores: consequenter &c.

Confirmatur. Magis peccat contra præceptum Charitatis, qui odio, aut persecutioni habet proximos sibi conjunctiores, quam minus conjunctos: ergo signum est, quod dilectio illorum debeat esse major, quam istorum. Cons. patet. Ant. ostenditur ex S. Script. ubi *Levit. 5.* jubetur mori, qui maledixerit patri, vel matri, non item qui maledixerit alteri; ergo magis peccat contra præceptum Charitatis, qui maledicit patri, & matri, ceu sibi plus conjunctis, quam qui maledicit minus conjunctis; nam ex majori gravitate pœnæ colligitur major gravitas culpæ.

154. Colliges primo, in bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporalem conservandam, succurrendum est (extra necessitatem extremam) primo omnium uxori, siquam habes: quia cum hac factus es una caro. Secundo liberis. Tertio parentibus, & ex istis patri præ matre; eo quod ille sit causa principalior tui esse, adeoque arctius tibi conjunctus, ac mater. Quarto fratribus, sororibus, aliisque sanguine junctis, attento ordine graduum. Quinto non consanguineis, prius tamen domesticis, ac familiaribus.

Dixi: *extra necessitatem extremam*; nam in hac parentes, eo quod vitam dederint, præferendi sunt etiam uxori, & liberis. S. Thomas, Laymann, Babenstuber *tr. 5. disp. 1. art. 4. n. 28.*

155. Colliges secundo. In bonis, & auxiliis spiritualibus, putant quidem Bonacina, Laymann, Reding, Babenstuber *loc. cit. n. 29.* & alii, potiorem rationem habendam esse eorum, qui nobis spiritualiter conjuncti sunt, quam aliorum carnaliter, sive naturaliter conjunctorum, ita, ut in necessitate spirituali teneamur prius succurrere illis, quam istis, v. g. patri spirituali, quam carnali &c. Sed præplacet sententia opposita, præsertim si naturaliter conjuncti attingant gradum conjunctionis primum. Ratio est: quia conjunctio, maxime si sit proxima, non solum obligat ad providendum sic conjunctis in temporalibus, sed etiam, ac præcipue, in spiritualibus, utpote magis necessariis; ergo carnaliter conjuncti etiam quoad ista bona præferendi sunt aliis, solum extrinsece, & in spiritu conjunctis. Confirmatur. Ex sententia Adversariorum sequeretur, quod Parochus v. g. tempore pestis ad duos moribundos vocatus, quorum unus esset ipsius pater, non tamen parochianus, alter vero quoad conjunctionem naturalem extraneus, sed parochianus, teneretur, patre deserto, prius succurrere parochiano, ipsius confessionem v. g. excipiendo &c. sed hoc durum videtur, & ab omni sensu humanitatis alienum, inquit Augustinus Michel de *Charitat. q. 3. §. 4. n. 6.* ergo &c. Et in hanc sententiam eunt Suarez, Tannerus, Palao &c.

156. Colliges tertio, in rebus, quæ ad civilem communicationem pertinent, concives; in bellicis commilitones aliis esse præferendos, Busenbaum, Babenstuber, & alii communiter. Ratio est: quia ceteris paribus, civis civi, commilito commilitioni conjunctior est, quam aliis.

Ut autem dicta in hoc articulo teneant, duo supponenda sunt. Primum est, quod semper locuti simus de ordine Charitatis servando *erga, & inter proximos privatos.* Si enim quæstio instituatur relate ad proximum, qui sit persona publica, vel tota aliqua Communitas, aliter discurrendum est. Nam licet quoad bona spiritualia, ad salutem necessaria, teneatur quis plus diligere seipsum, quam integram etiam Communitatem; quoad bona autem corporalia, & temporalia res se habet e converso: quoad ista enim non solum (1.) integram Communitatem, sed etiam (2.) personam publicam tenetur plus diligere, quam seipsum, & personas privatas quascunque. Valentia, Bonacina, Babenstuber *de Charit. artic. 4. numer. 31.* Ratio primi est, quod bonum totius sit præferendum bono partis (quando per talem prælationem non offenditur Deus; veluti excepimus *m. 150.*) sed homo privatus est pars Communitatis quoad bona corporalia, & temporalia, non vero quoad spiritualia; ergo &c. Ratio secundi est: quia ejusmodi personam diligere perinde est, atque diligere ipsam Communitatem, seu Rempublicam, eo quod hanc repræsentet: atqui Communitas magis diligi debet, quam quilibet privatus in ea inclusus; ergo etiam persona publica.

Secundum est, quod nobis sermo fuerit *de æquali necessitate*. Si enim necessitas sit notabiliter inæqualis, prius succurrendum est illi, qui majorem patitur. Unde si duo tua ope indigeant, quorum unus spirituali, alter temporali necessitate premitur; & utrunque juvare nequeas, juvabis necessitate spirituali pressum,

reli-

relicto [illegible], qui [illegible] temporalem patitur. Unde si vocaris ad excipiendam confessionem moribundi, utraque ad dandam famelico eleemosynam, hoc neglecto, ad moribundum accurras. Siquis, licet extraneus sit, extrema fame laboret, & pater tuus aliquantum esuriat, patre posthabito, extraneo panem, aut [illegible] dabis. Ita Filliucius *tr.* 28. *n.* 30. Tannerus *disp.* 4. *q.* 4. *n.* 85. & alii. Ratio est: quia obligatio Charitatis erga proximum oritur ex necessitate, quam is patitur; ergo necessitati commensuratur; & consequenter ubi major est necessitas, major quoque erit obligatio illum sublevandi.

ARTICULUS III.

De Dilectione Inimicorum.

Quod praeceptum Charitatis erga proximum se porrigat ad omnes omnino pertinges, patet ex verbis Christi generaliter prolatis: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Cum igitur inimici quoque sint nostri proximi, id est, ejusdem nobiscum naturae consortes, & aeternae beatitudinis capaces, eosdem quoque jubemur & inimicos diligere: imo de diligendis inimicis etiam praeceptum speciale extat *Matth.* 5. *Diligite inimicos vestros.* Supposita ergo obligatione diligendi inimicos, videndum, quaenam ad ejus expletionem requirantur.

§. I.

Qualia dilectionis signa teneamur exhibere inimicis nostris?

SUMMARIUM.

157. Signa dilectionis alia sunt communia, alia specialia. 158. Praeceptum Charitatis omnes homines, quos vel Charitas, vel Justitia, vel causa rationabilis non excusat, obstringit ad exhibendum inimicis suis communia dilectionis signa, ac beneficia. 159. Deducitur corollarium pro praxi. 160. Praeceptum Charitatis non obligat nos ad exhibendum inimicis nostris specialia dilectionis signa, & beneficia, per se loquendo.

157. Praenotandum, signa dilectionis alia esse communia, alia specialia. Signa prioris generis sunt, quorum rationes, & causae reperiuntur [illegible] in inimicis, atque in amicis; hujusmodi sunt inter [illegible] les salutantem resalutare, ex amore Dei, [illegible] rum [illegible] domum hospitalem, alicujus Reipublicae civibus, quibus inimicus commoratur, [illegible]. Signa posterioris generis sunt, quorum rationes, & causae ordinarie reperiuntur in solis amicis; qualia sunt mutua familiaritas, convictus, foedus, & similia. Nunc

158. Dico primo. Praeceptum Charitatis omnes homines, quos vel Charitas, vel Justitia, vel causa rationabilis non excusat, obstringit ad exhibendum inimicis suis communia dilectionis signa, ac beneficia. Est certa.

Probatur ex illo *Levitici* 19. *Non quaeres ultionem, nec eris memor injuriae civium tuorum.* Unde sic. Non licet vi allegati textus privato homini vindicare injuriam sibi a proximo illatam: atqui denegans inimico suo signa dilectionis communia vindicat injuriam sibi illatam: id enim aperte prodit ejusmodi signorum denegatio; ergo &c.

Quando autem memorata signa inimico denegans peccet mortaliter, & quando venialiter tantum, dijudicandum est tum ex intentione denegantis, tum ex qualitate materiae, sive mali, quod inde inimico enascitur. Unde siquis inimicum praeterire, alloqui, salutare, resalutare detrectet ex odio, vel contemptu ipsius personae, procul dubio mortaliter peccat; prout patebit dicendis *c. seq. art.* [illegible] Idem fit, si praevideat, inimicum ex inde graviter offensum, scandalizatum, aut in inimicitia obfirmatum iri; secus, si praevideat, inimicum id parum, aut omnino nihil curare; hoc quippe casu signa communia dilectionis denegans non peccat plus, quam venialiter, dummodo nullus actus odii interni sese immisceat. P. Cherubinus Mayr *n.* 312. & alii communiter.

Dixi in conclus. *quos vel Charitas, vel Justitia, vel causa rationabilis non excusat.* Charitas excusat, quando quis timet, novas sibi lites ab inimico intentatum, & motum iri, si dicta signa ipsi exhibeat; vel e diverso, si non exhibeat ad tempus, [illegible] ad

salutarem, [illegible] emendationem [illegible]. Justitia excusat illos, quibus jus vindicandi, aut puniendi competit: quales sunt Pater, Superior [illegible] qui, prout de [illegible] (dummodo non excedant in modo) correctionis, aut punitionis [illegible] liberis, aut subditis suis, a quibus offensi sunt, aliquandiu citra culpam communia dilectionis signa, ac beneficia subtrahere possunt. Causa rationabilis excusat, quando quis ejusmodi signa, aut beneficia inimico praestare differt ad ostendendum justum dolorem, ex irrogata injuria conceptum: modo de [illegible] nullum intervenerit odium, vel scandalum. P. Sporer [illegible] *n.* [illegible] *Praecept. Decal.* [illegible] *c.* 6. *n.* [illegible]

159. Colliges, quod inimicus licite [illegible] non possit, a communi oratione, eleemosyna, colloquio, negotiatione, & similibus, Ratio est: quia hujusmodi signa omnium usu naturae, & societati humanae debita sunt. P. Cherubinus Mayr *supra.*

160. Dico secundo. Praeceptum Charitatis non obligat nos ad exhibendum inimicis nostris specialia dilectionis signa, & beneficia, per se loquendo. Est iterum communis, & certa.

Probatur: Quia haec talia signa, [illegible] ipso, quod sint specialia, non tenemur communiter exhibere omnibus, tametsi non sint inimici; ergo nec inimicis alias hic essent melioris conditionis, quam non-inimici.

Dixi tamen *per se loquendo.* Nam per accidens hujusmodi signa inimico exhibere tenemur, quando [illegible] [illegible], ipsum aliquin se non emendaturum, [illegible] tum aeternam consecuturum. Idem in casu, quo praevidimus, alios ex denegatione illorum [illegible] scandalum [illegible], ut notant DD. communiter.

§. II.

Quomodo inimicis [illegible] offensam [illegible]

SUMMARIUM.

161. Quilibet tenetur [illegible] offensam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in medium veniam [illegible] [illegible] sincere petentis. 164. [illegible] quis [illegible] offensam [illegible] injuriae signum [illegible]?

161. Dico primo. Quilibet tenetur [illegible] qua offensus fuit, primo, & [illegible] animo remittere offensam negative, quamvis is nondum veniam petierit [illegible] inimicitia perstiterit. Communis DD.

Probatur. Tum ex illo *Matth.* 18. *Sic & Pater vester caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo (id est, proximo) de cordibus vestris* &c. Tum ex ratione; quia negative remittere offensam [illegible] est, quam non odisse, [illegible] [illegible] injustam [illegible] inimico: sed non odisse proximum, ut ut inimicum, tenemur semper, & pro semper; cum ad id obligemur praecepto negativo; ergo &c.

162. Dico secundo. Inimico sincere poenitenti [illegible], tenemur etiam positive offensam condonare, idque ex animo. Ita docent communiter DD.

Probatur. Tum ex illo *Lucae* 17. *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te* (inimicus tuus) *dicens: poenitet me, dimitte illi.* Tum ex ratione: quia alias grave praeberetur scandalum tam personis [illegible] quam aliis [illegible], & difficultatem [illegible].

Dixi 1. *inimico sincere poenitenti tenemur.* Quando enim [illegible], poenitentiam [illegible] non procederet sincero animo, sed esse fictam [illegible] & [illegible], ad positive condonandam offensam non obstringeretur.

Dixi 2. *Tenemur etiam positive offensam condonare,* id est, positivo aliquo actu benevolentiae erga inimicum prosequi, volendo illi omnia vera [illegible]: ad id enim obligamur praecepto affirmativo Charitatis.

Dixi 3. *Idque ex animo.* Nam externa tantum, & pure [illegible] condonatio non sufficit ad satisfaciendum dicto praecepto, quippe quod obstringit ad amandum proximum amore formali, & interno.

Porro hanc talem offensae condonationem statim tenemur inimico declarare per signa externa; id enim, nisi fiat, odio, & rancori in illum tribuitur. Quod tamen duplicem exceptionem patitur. Una est: *nisi offensa fuerit* [illegible], tunc quippe [illegible] non tenetur illam offensam [illegible] condonare [illegible] talem condo-

Rationem [illegible], cum tale præceptum non [illegible] humanæ [illegible], sed potest [illegible] differre, [illegible] adhortium. Altera est: *nisi offensus sit Superior offendentis*; is enim punitionis, & correctionis gratia licitè aliquamdiu differre potest exteriorem reconciliationem, signaque benevolentiæ, ut subditus magis apprehendat delicti sui gravitatem, [illegible] efficacius emendet: hoc namque casu [illegible] ratio reconciliationis in Superiore non est argumentum odii, sed potius amoris erga subditum, quem emendare [illegible] bonum. Singulariter tamen [illegible]; & cautelâ opus est, ne subditus non tam emendetur, quam exacerbetur, Tamburinus, Dalso, Babenstuber *tr. 5. diss. 1. a. 4. n. 41.*

165. Quæres, an, qui præter offensam tenetur [illegible] [illegible] injuriam, si quam passus est [illegible] ad hanc quæstionem respondeatur, [illegible] nosse, quid intelligatur nomine *offensæ* pro [illegible] & quid nomine *injuriæ*. Nomine offensæ pro [illegible] (de [illegible] loci [illegible]) intelligitur [illegible] offensus concipiendam displicentiam, indignationem, vel iram adversus offendentem, quin tamen lædatur aliquod jus illius. E. g. Amicus a me petit commodato librum, quo is valde indiget, & quo facile carere possum, nolo tamen commodare: hoc casu indubie offendo amicum, præbendo eidem sufficiens motivum concipiendi adversum me displicentiam, & indignationem, adeoque [illegible] Charitatem [illegible], nullam tamen illi injuriam infero, quoniam nullum illius jus lædo. Nomine injuriæ intelligitur violatio juris alteri: potestque esse vel damnosa, vel non damnosa. Injuria seu violatio juris alieni damnosa est, quando non tantum violatur jus alterius, sed etiam damnum eidem infertur: ut contingeret, si Cajus v. g. cum uxore Titii committeret adulterium, [illegible] proles: hoc quippe casu Cajus non [illegible] violaret jus, quod competit Titio in corpus uxoris suæ, sed etiam crearet eidem damnum, imponendo videlicet onus alendi prolem adulterinam. Injuria non damnosa est, quando lædimus jus alterius, quin eidem aliquod damnum causetur: ut eveniret in casu posito, si ex adulterio nulla proles procrearetur. P. Sporer *cit. tr. 6. n. 15.* Nunc

Respondetur ad quæstionem. Non tenetur quis [illegible], licet jam reconciliato, [illegible] injuriam, sive hæc damnosa sit, sive non; sed potest contra eum coram [illegible] Magistratu instituere actionem, tum (1.) civilem, quam (2.) criminalem, [illegible], ut damnum, si quod illatum est, refarciatur, & pro injuria [illegible], ut [illegible] debito plectatur. Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 3. punct. 2.* Bonacina, Laymann, Dalso, Tamburinus, & alii communiter. Ratio primi manifesta est: quia quilibet jure, & licite petit, quod sibi jure debetur, & quod Judex procurare tenetur [illegible] reparatio damni illati, uti & satisfactio pro injuria; [illegible] debentur jure, easque Judex procurare tenetur, ergo offensus [illegible] jure petit, mediante scilicet actione civili, quia tenetur illas ab offendente [illegible] judicium [illegible]. Ratio [illegible] est: quia ergo offensus [illegible] offendente, veniam petente, jam reconciliatum [illegible] amplius (uti supponitur) odio, aut cupiditate privatæ vindictæ [illegible] criminaliter accusaturum, sed amore publicæ justitiæ, [illegible] quod utique licitum, & honestum est.

[illegible] in [illegible] possum instituere actionem, præsertim [illegible], ultro satisfacere paratum, [illegible] periculosum; [illegible] justitiæ, & [illegible] privatæ vindictæ. [illegible] in praxi [illegible] ut [illegible] judicium [illegible]. Quod si tamen in [illegible] potestatem [illegible] accersere, [illegible] Sacerdotibus [illegible] dummodo [illegible] [illegible] justitiæ, & non cupiditate ultionis [illegible].

§. III.

[illegible]

SUMMARIUM.

164. *Quando is, qui alterum [illegible] offendit, teneatur ab offenso petere veniam?* 165. *Quando duo se mutuò offenderunt, uter prius reconciliationem quærere, aut veniam petere teneatur?* 166. *An quis teneatur salutare, vel alloqui inimicum more solito, quem prævidet non resalutaturum, vel responsurum?* 167. *Qualiter se gerere debeat Confessarius [illegible]?*

163. QUæres primò, quando is, qui alterum exterius, verbo, signo, vel facto, offendit, teneatur ab offenso petere veniam?

Respondetur, eum tunc teneri, quando offensa est gravis, nec aliud remedium reconciliationis suppetit, aut conveniens est. Ut 1. si offensus id rationabiliter exigat. 2. Si judex, Superior, aut Confessarius injungat. 3. Si alicubi ita moribus introductum sit; ut in sacris Religionibus. 4. Si offensus sit Superior, pater, maritus, dominus relate ad offendentem. Ratio est: quia in istis casibus petitio veniæ est medium necessarium ad procurandam reconciliationem cum offenso; ergo sicut offendens tenetur procurare reconciliationem, ita tenebitur petere veniam. Quod si inimicitiam, quam in animo fovit, etiamsi non prodiderit, aliquoque proximum effective non læserit, ad nihil obligatur, quam [illegible] illam deponendo per [illegible] contrario [illegible], & benevolentiæ erga eundem proximum: cum enim reconciliatio nihil aliud sit, quam amoris, & amicitiæ reparatio, sequitur, quod is, qui solo corde amorem, & amicitiam erga proximum dissipavit, solo corde reparare teneatur. Sporer *loc. citat. a num. 34.*

Dixi in respons. 1. *Quando offensa est gravis.* Si enim levis duntaxat sit, offendens prudenter præsumere potest, quod offensus illam ultro condonet; adeoque petitionem veniæ non exigat, consequenter &c.

Dixi 2. *Nec aliud remedium reconciliationis suppetit, aut conveniens est.* Non ergo necessaria est petitio veniæ in *sequ. cas.* 1. Quando offendens offenso exhibet aliam satisfactionem æquivalentem, & æque gratam; v. g. dum eum promovendo in honore, mutuando pecunias &c. 2. Quando offensæ sunt æquales, seseque mutuò compensant: hoc quippe casu tenentur quidem utrique per signa charitatis, & amicitiæ procurare reconciliationem, neuter tamen veniam petere, cum hoc pœnam sapiat, qua de jure delinquentes non obligantur, ubi delicta invicem compensantur. 3. Quando offendens est Superior eximius, ut non conveniat a subdito veniam petere ob diminutionem authoritatis: tenetur tamen, & [illegible] potest aliis benevolentiæ argumentis offensi animum reconciliare, & scandalum impedire. 4. Quando offendenti moraliter certum est, quod offensus ultro jam condonavit offensam nec petitionem veniæ sibi fieri desideret. P. Sporer *loc. cit. n. 38.*

164. Quæres secundo, quando duo se mutuam offenderunt, uter prius reconciliationem quærere, aut, si opus fuerit, veniam petere teneatur?

Respondetur, ceteris paribus, illum teneri, qui prius offendit. Ratio est: quia prius offensus, seu prior tempore, est potior jure ad exigendam satisfactionem. Quod si cetera non sint paria, sed alteruter offendentium sit conditionis longe inferioris, aut intulerit offensam multo graviorem, is præveniat alterum in procuranda reconciliatione tenetur, tametsi posterius offenderit: hoc quippe casu sola temporis prioritas nihil suffragatur posterius offendenti. Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. 3. q. 10.* Filliucius *tr. 28. c. 1. n. 27.* & alii communiter. Quando autem, omnibus pensatis, nulla apparet inter offendentes disparitas, facto optimum erit, si adhibeatur aliquis tertius, qui tanquam mediator rem pacifice inter adversarios componat; prout ex P. Kresslinger notat P. Cherubinus *n. 314.* Idem consilium fructu exoptato [illegible] sæpe scio in casibus, in quibus alter offendentium prævenire, veniamque prius petere recusavit, cum tamen petere obligatus fuisset.

166. Quæres tertio, an quis teneatur salutare, vel alloqui inimicum more solito, quem prævidet non resalutaturum, vel responsurum?

Respondetur, non teneri, si id moraliter certo prævideat. Sporer *loc. cit. n. 35.* Babenstuber *n. 45.* & alii. Ratio est: quia tunc inimicus sibimet ipsi imputare debet omissionem salutationis, vel alloquii, eo quod ita se gerat, ut aliis sit moraliter certum, sibi ab ipso denegatum iri vicissim resalutationem, aut responsionem. Imo salutatio, aut allocutio in casu posito non tantum

non

non est præcepti, sed neque consilii: siquidem salutans, vel alloquens exponeret se periculo gravius irascendi, vel insurgendi adversus non resalutantem, aut non respondentem.

Dixi: *si id moraliter certo prævideat*. Si enim quis probabiliter tantum existimat, inimicum non resalutaturum, aut responsurum, aut de hoc dubitet, inducendus est, ut saltem una vice salutet: vel alloquatur. Quod si ille resalutet, aut respondeat, habet salutans, aut alloquens, unde sibi gratuletur; lucratus est enim inimicum suum. Si non resalutet, aut respondeat, ulteriorem salutationem, aut allocutionem tuta conscientia omittere poterit. Authores *citt.*

167. Quæres quarto, qualiter se gerere debeat Confessarius inimicorum?

Respondetur, indubitatum esse, quod inimicus proximo suo ex corde reconciliari, & communia charitatis signa exhibere renuens, quæ tamen sub mortali exhibere teneretur, absolvi non possit sine gravissimo sacrilegio. Ratio patens est: quia absolutio ob indispositionem pœnitentis invalida esset. Dilata ergo interim absolutione, præcipere debet Confessarius suo pœnitenti 1. ut satagat a Deo exorare gratiam seipsum vincendi. 2. præscribat eidem quædam charitatis exercitia, qualia sunt salutem inimici aliquoties Deo, & Beatissimæ Virgini commendare, pro ipso sacrum audire, eleemosynam erogare &c. Utque ad hæc præstanda facilius inducatur, proponi poterit exemplum Christi, qui pro suis crucifixoribus oravit: & S. Stephani, ac aliorum Sanctorum, qui pro salute suorum occisorum deprecati sunt. Ipse quoque Confessarius pœnitentem hunc talem ardenter Deo commendet. Utile quoque fuerit ei suadere, ut aliquoties per diem recitet *Pater noster* cum speciali reflexione ad illa verba: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; atque ex iis concludat, sic sibi a Deo offensas suas esse remittendas, sicut ipse inimico remiserit; consequenter &c. Quod si postmodum ad sacrum Tribunal revertatur, & asseveret, nunc se inimico ignovisse ex animo, non illico acquiescat Confessarius; sed exquirat signa, ex quibus conjicere possit, an verba cordi consentiant? Signa autem talia obtinere poterit, si illatæ injuriæ seriem sibi enarrari postulet: perfacile enim erit ex verbis, quibus enarrans utitur, deprehendere, qualiter interne affectus sit; nam si ea proferat sine scommatibus, invectivis &c. signum erit (nisi aliunde oppositum colligatur) depositi ex corde rancoris; secus, si narrationi scommata, aut invectivas interserat. Conetur quoque ex eo rescire, an inimicum alloquatur? eundem salutet? ipsius conspectum non declinet? &c. Queis perceptis, judicium feret, an adhuc lateat in corde rancor, nec ne? & consequenter an pœnitens possit, vel non possit beneficio absolutionis donari?

Sed quid Confessario agendum, si pœnitens asserat, se ex animo ignoscere inimico, haud tamen posse oblivisci offensam?

Respondetur, quod Confessarius eundem debeat interrogare, qualiter non possit oblivisci? an hoc solum sensu, quod offensam, seu injuriam propter nimiam ipsius atrocitatem non valeat delere ex memoria? vel etiam, quod adhuc animo vindictam volvat, eamque privatam, & consequenter injustam? Si primum, absolvat; secus, si secundum. P. Sporer *loc. cit. n.* 47.

ARTICULUS IV.

De datione eleemosynæ.

Hactenus, seu in præcedentibus articulis, hujusce capitis præcipue, & fere unice tractatum est de actibus Charitatis internis, & elicitis; nunc autem progredimur ad ejusdem Virtutis actus externos, & imperatos, quales sunt, aut saltem esse possunt, *datio eleemosynæ*, & *correctio fraterna*. Et licet plures sint hujusmodi actus, de solis tamen duobus modo specificatis tractare Theologi consuevere; quibus proinde & nos morem gesturi sumus. Disseremus ergo de priore actu in præsenti; de posteriore vero in *seq. art.*

§. I.

Proponuntur, & resolvuntur nonnullæ quæstiones præambulæ.

SUMMARIUM.

168. Quid, & quotuplex sit Misericordia? 169. Quid sit eleemosyna? 170. An extet præceptum dandi eleemosynam? 171. Quotuplicis generis sint bona, de quibus moveri quæstio potest circa dationem eleemosynæ? 172. Quotuplex item sit necessitas proximi, de qua dicta quæstio institui valet?

168. Quæres primo, quid, & quotuplex si Misericordia?

Respondetur primo. Misericordia secundum se est *virtus moralis inclinans ad sublevandam alterius miseriam*. Hujus virtutis actus elicitus est volitio sublevandi talem miseriam; imperatus vero ipsa actualis sublevatio. Qui actus, si exerceantur propter Deum (sicut exerceri debent, ut vitæ æternæ meritorii sint) etiam evadunt actus imperati Charitatis.

Respondetur secundo. Misericordia erga proximum duplex est, *corporalis*, scilicet, & *spiritualis*. Prior inclinat ad corporalem; posterior ad spiritualem proximi miseriam sublevandam.

169. Quæres secundo, quid sit eleemosyna?

Respondetur, eleemosynam, si nominis etymon spectemus, Græcis esse idem, atque Misericordiam; at vero ex communi Latinorum Theologorum usu accipi pro sola Misericordia corporali, eaque exercita, id est, pro opere externo Misericordiæ corporalis. Unde describi solet, quod sit *opus, quo datur aliquid corporaliter indigenti ex compassione propter Deum*.

170. Quæres tertio, an extet præceptum dandi eleemosynam?

Respondetur affirmative: idque tam (1.) naturale, quam (2.) Divinum. Primum colligitur ex præcepto naturali, quo jubemur diligere proximum etiam in effectu, seu dilectione effectiva, quod non fieret nisi eidem in necessitate corporali constituto subveniremus. Secundum ostenditur ex *Matth.* 25. ubi Christus in extremo judicio æternæ damnationis sententiam se pronunciaturum comminatur adversus illos, qui largiri eleemosynam neglexerint. Ex quo patet, hoc præceptum obligare ex genere suo sub mortali.

171. Quæres quarto, quotuplicis generis sint bona, de quibus moveri quæstio potest, sitne obligatio dandi eleemosynam, nec ne?

Respondetur, alia in primis esse necessaria ad naturam, alia ad statum conservandum. Prioris generis sunt, quæ præcise requiruntur ad conservandam vitam & suam, & suorum. Posterioris generis sunt, quæ ad suum, sibique conjunctorum statum conservandum requiruntur. Utraque hæc bonorum necessitas non solum ex conditione præsenti, sed etiam probabiliter imminenti dimetienda est. Porro si quis ultra necessaria ad sustentationem vitæ habeat insuper alia bona, ea dicuntur superflua naturæ; & hæc quidem, si etiam redundent ultra requisita ad conservationem status, dicuntur superflua naturæ, & statui; secus, superflua naturæ, & non statui.

172. Quæres quinto, quotuplex sit necessitas proximi, de qua circa dationem eleemosynæ institui quæstio valet?

Respondetur, esse triplicem, *extremam*, *gravem*, & *communem*, ut supra *n.* 152. de necessitate spirituali dictum. Necessitas extrema hic dicitur, quando proximus versatur in moraliter certo, vel saltem certo probabili periculo mortis, aut alterius gravissimæ calamitatis, morti æquivalentis (uti sunt mutilatio membri, perpetua infirmitas, aut perpetuus carcer) nisi inde eruatur. Hæc tamen necessitas (idem cum proportione cogita de gravi, & communi) ut pariat obligationem dandi eleemosynam, non debet esse inducta per sententiam Judicis; si enim quis a Judice condemnetur (juste, ut supponitur) ad mortem v. g. mediante fame subeundam, nemo tenetur eidem præbere alimenta: quia quilibet licite potest velle, ut justa sententia sortiatur suum effectum; ergo etiam licite potest talem effectum non impedire. Quod si tamen alimenta ita condemnato subministret, non peccat (nisi vel a Judice, vel vi officii sui ea submini-

ministrare specialiter prohibitus sit) sicut nec peccat condemnatus ipse, si illa sumat, ob jus conservandi vitam. Bonacina *q. 4. de Charit. pun. 6. n. 37.* Palao. Rabenstuber &c. Necessitas gravis est, quando proximus existit in proximo periculo incidendi in magnam miseriam, v. g. jacturam notabilis partis bonorum, amissionem dignitatis, gravem morbum; vel siquis reipsa incidit in hujusmodi calamitatem, quæ vitam reddit notabiliter miseram, nimisque molestam. Necessitas communis est, quæ, licet vitam non reddat notabiliter miseram, & nimis molestam, considerato patientis statu, affert tamen aliquod incommodum sufferendum in necessariis ad conservationem vitæ, aut status. Et hanc talem necessitatem subeunt plerique pauperes ostiatim mendicantes. His quæstionibus præviè, & breviter resolutis, sit [illegible]

§. II.

De quibusnam bonis quis obligetur proximo, in extrema necessitate constituto, eleemosynam largiri?

S U M M A R I U M.

173. *De bonis natura necessariis nemo tenetur eleemosynam largiri proximo, etiam extreme indigenti, nisi hic sit talis persona, a cujus sanitate dependeat salus Ecclesia, vel Reipublica.* 174. *Proximo, extremam necessitatem patienti, tenetur quis largiri eleemosynam de bonis natura superfluis, licet statui necessariis: idque a fortiori tenendum de bonis superfluis natura, & statui simul.*

173. DIco primo. De bonis naturæ necessariis nemo tenetur eleemosynam largiri proximo, etiam extreme indigenti, nisi hic sit talis persona, a cujus vita, & sanitate dependeat salus Ecclesiæ, vel Reipublicæ. Ita Doctor Angelicus 2. 2. q. 32. *art.* 6. communiter receptus.

Probatur. Quia ordo Charitatis postulat, ut quis suam, suorumque vitam, & incolumitatem anteponat vitæ, & incolumitati alienæ, per dicta *n.* 149. ergo &c.

Dixi: *nisi sit talis persona &c.* Cum enim bonum commune privato præponderet, ejusmodi personæ subveniendum esse etiam de bonis ad conservationem naturæ necessariis, maxime in extrema necessitate. Revide dicta superius *n.* 156.

174. Dico secundo. Proximo, extremam necessitatem patienti, tenetur quis largiri eleemosynam de bonis naturæ superfluis, licet statui necessariis: idque a fortiori tenendum est de bonis superfluis naturæ, & statui simul. Ita denuo Doctor Angelicus 2. 2. q. 34. *art.* 5. & alii passim.

Probatur itidem ex recto ordine Charitatis, poscente, ut proximi vitam propriæ dignitati, & statui præferamus; ergo &c.

Patitur tamen conclusio aliquas limitationes. Nam 1. nullus tenetur inquirere egenum, cui subveniat; sed ejusdem necessitas debet esse nota, secundum illud 1. *Joan.* 3. *Qui viderit fratrem suum* (id est, proximum) *necessitatem habere &c.* 2. Similiter nullus prædicto modo egenti tenetur dare eleemosynam, si ipse idcirco deberet a suo statu cadere; ut si honestus opifex cogeretur ostiatim mendicatum ire; nam nemo cum amissione sui status tenetur conservare propriam vitam, ut in confesso est: quomodo ergo tenebitur alienam? 3. Licet proximus periculosissime, & extreme decumbat, non teneris (si is homo privatus sit) magnam pecuniæ summam expendere ad accersendos Medicos longe dissitos, aut comparanda pharmaca valde pretiosa, & exquisita, tametsi moraliter certus sis, ægrum eorum virtute sanatum iri, neque ob tales sumptus de statu tuo non periclitaturum; quia nec proximus ipse, etsi dives sit, tali casu tenetur in eum finem expendere magnam summam pecuniæ, cum tamen obligatio Charitatis erga seipsum sit strictior, quam erga alterum; adeoque minus tu teneberis. Mastrius *Theolog. Moral. disp.* 10. q. 3. *art.* 2. *num.* 59. & alii passim. Excipit P. Sporer; nisi persona ægrota tibi sit conjunctissima. Verum huic exceptioni obstat ratio primum allegata. Perpende, & idem, quod ego, judicium feres. Fixum igitur mihi manet, quod Charitas non obliget ad media extraordinaria, quibus aliquis vel sibi ipsi, vel suo proximo, ut ut arcte conjuncto, succurrat; sed ad ordinaria tantum.

§. III.

De quibusnam bonis quis obligetur proximo, in gravi necessitate constituto, eleemosynam largiri?

S U M M A R I U M.

175. *De bonis superfluis naturæ, & statui simul, quilibet sub peccato mortali tenetur succurrere proximo graviter indigenti.* 176. *Eidem proximo sic indigenti etiam subveniendum est ex bonis, ad statum necessariis, si modicum duntaxat eorum detrimentum sequatur.*

175. DIco primo. De bonis superflus naturæ, & statui simul, quilibet sub peccato mortali tenetur succurrere proximo graviter indigenti. DD. communiter. Supponitur autem hic, quod hujusmodi indigentia succurrere obligato debeat esse nota ob rationem in §. *præced. n.* 174. allegatam.

Probatur. Præceptum Charitatis obligat, ut proximum diligamus opere, & veritate; prout constat ex illo 1. *Joan.* 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, sed opere, & veritate:* qui autem proximo graviter indigenti non succurrit de bonis naturæ, & statui superfluis, convincitur eundem non diligere opere, & veritate; ergo &c. Min. probatur, & declaratur: quia memoratis bonis quilibet citra suum grave incommodum carere potest; ergo si per illa non succurrat proximo graviter indigenti, procul dubio convincitur ipsum non diligere opere, & veritate; quod est peccatum mortale ex genere suo.

Confirmatur. Obligatio per eleemosynam succurrendi proximo necessitate presso est frequens; prout colligitur ex modo loquendi, quo utitur S. Scriptura, dum frequenter homines, & multos damnat ob violatum præceptum eleemosynæ: atqui obligatio illa non esset frequens, si se non porrigeret ad casum gravis necessitatis; cum casus extremæ necessitatis rarissime emergat; ergo &c.

176. Dico secundo. Proximo graviter indigenti etiam subveniendum est ex bonis ad statum necessariis, si modicum duntaxat eorum detrimentum sequatur. Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 4. Tamburinus *lib.* 5. *in Decal. c.* 1. §. 1. *n.* 15. & alii satis communiter.

Probatur. Quia ordo Charitatis revera postulat, ut liberatio proximi ex gravi miseria præferatur levi, & facile reparabili damno proprio; ergo &c. Accedit, quod alioquin præceptum succurrendi proximo in gravi necessitate versanti facile eluderetur; cum divites vix unquam judicarent, se habere statui suo superflua. Qua de causa (inquit P. Cherubinus Mayr *n.* 277.) forsitan damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio *ord.* 22. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statu.*

Dixi: *si modicum duntaxat eorum detrimentum sequatur.* Secus enim esset, si sequeretur detrimentum notabile; hoc quippe necessitati alienæ gravi æquipararetur: & consequenter ordo Charitatis ad illud subeundum neminem adstringit, tametsi proximum ex gravi necessitate eripere posset.

§. IV.

De quibusnam bonis quis obligetur proximo, in communi necessitate constituto, eleemosynam largiri?

S U M M A R I U M.

177. *De bonis superfluis naturæ, & statui simul quilibet tenetur sub mortali ex genere suo succurrere proximo, etiam communem duntaxat necessitatem patienti.* 178. *Proponitur, & solvitur objectio.* 179. *Deducitur corollarium.*

177. DIco. De bonis superfluis naturæ, & statui simul quilibet sub mortali ex genere suo tenetur succurrere proximo, etiam communem duntaxat necessitatem patienti. Conclusio relate ad Clericos, habentes bona superflua beneficialia (nam quoad alia bona æquiparantur Laicis) est certa, saltem nisi malint illa erogare in alias pias causas; prout videbimus

part.

part. 4. *tr.* 1. ubi agemus de dominio Clericorum; relate autem ad Laicos, licet non possit dici simpliciter certa, multo tamen probabilior est, ac opposita; eamque tenent Valentia, Suarez, & alii quam plurimi.

Probatur. Tum authoritate S. Scripturæ; nam 1. *Joan.* 3. habetur: *Qui habuerit substantiam hujus mundi; & viderit fratrem suum necessitatem habere* (ubi Apostolus non distinguit inter unam, & alteram necessitatem, sed loquitur indefinite de quacunque) *& clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in illo?* Et 1. *Timoth.* 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere.* Tum ratione: quia gravis plane deordinatio est, fluxis opibus ita cor apponere, ut neque, dum abundant, velis ex iisdem succurrere indigentiæ proximi, ad Dei imaginem, & eandem tecum beatitudinem conditi; ergo &c.

178. Objicies. Moraliter impossibile est, deesse, qui pauperibus in necessitate communi versantibus subveniant; ergo quilibet in particulari prudenter præsumere potest, ejusmodi pauperum necessitati ab aliis subventum iri; & consequenter se reputare immunem ab obligatione, saltem gravi, largiendi iisdem eleemosynam.

Respondetur cum P. Babenstuber hic *n.* 20. dist. ant, est moraliter impossibile &c. supposita obligatione subveniendi, eaque gravi, con. hac obligatione non supposita, neg. ant. & utranque conseq. Ideo datur moralis illa impossibilitas; quia quilibet sub mortali tenetur pauperibus, etiam in communi tantum necessitate constitutis, identidem subvenire; quod tamen facile omitteret, si ea obligatio abesset; atque ita corrueret fundamentum formandi prudentem illam præsumptionem, fore, ut ab aliis subveniatur, Ex quo perspicere licet, hoc argumento conclusionem nostram non impugnari, sed potius probari, & roborari.

179. Colliges, esse peccatum mortale, si quis habens bona superflua expresse proponat pauperibus, communi necessitate laborantibus, aut nullam unquam eleemosynam largiri, aut saltem, cum implicito ejusmodi proposito, ad longum tempus, quo frequenter talis necessitas occurrit, nullam largiatur, Ita omnes nostræ sententiæ, sive conclusionis Patroni. Ratio est: quia talis transgreditur præceptum eleemosynæ obligans sub mortali ex genere suo, nec excusatur ob parvitatem materiæ, ut patet; ergo mortaliter peccat. At vero in singulis casibus particularibus negare eleemosynam erit peccatum veniale tantum ob levitatem materiæ; vel etiam nullum, si, cum omnibus non possit, aut non debeat erogare, differat erogare, eo consilio, ut eandem eroget vel egentioribus. vel aliquibus, quibus malit.

§. V.

Expediuntur residuæ quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

180. *Quinam possint, vel non possint facere eleemosynam?* 181. *An ea fieri possit ex rebus illicite acquisitis?* 182. *An, quod damus pauperi, teneamur dare gratis?* 183. *Utrum fingens se pauperem, cum non sit, fiat dominus eleemosynæ, quam accipit?*

180. QUæres primo, quinam possint, vel non possint facere eleemosynam?

Respondetur primo. Nemo potest facere eleemosynam, nisi habeat bona propria. Ita DD. communissime, & patet tum ex illo *Proverb.* 3. *Honora Dominum de tua substantia*; tum ratione: quia dans rem in eleemosynam, transfert dominium talis rei in pauperem; prout ostendemus infra *n.* 182. hoc vero legitime non potest præstare, qui non habet propria bona; ergo &c.

Respondetur secundo, Ut quis facere eleemosynam possit de rebus propriis, liberam earum administrationem habeat, necesse est. Itidem DD. communissime. Ratio liquet ex primum dictis: quia alias ipsi est restricta potestas de rebus suis disponendi: easque transferendi in alterius dominium; cum talis translatio necessario præsupponat ex parte transferentis dominium, expeditum, seu non ligatum; adeoque liberam administrationem.

Utraque tamen responsio intelligenda venit: nisi accedat consensus, vel expressus, vel tacitus, vel rationabiliter præsumptus, illorum, penes quos est dominium, & libera administratio rerum. Ob quod subditi de bonis Superiorum suorum eleemosynam facere possunt generatim in duobus casibus. 1. Quando sciunt Superioribus gratam esse largitionem eleemosynæ. 2. Quando habent commissionem, aut absolutam administrationem rerum ad Superiores pertinentium. Uxor speciatim præter prædictos casus potest ex bonis mariti facere eleemosynam, si alicubi consuetudo vigeat, ut uxores dent eleemosynam, aut maritus sit valde avarus, nec det eleemosynam, etiam cum debet, exemplo Abigail 1. *Reg.* 25. Denique in casibus, in quibus secundum mox dicenda possunt famuli, & famulæ. Speciatim famuli, & famulæ possunt ex quadam ratihabitione herorum suorum facere eleemosynam de rebus parvi momenti, cujusmodi sunt esculenta, quæ alioquin perirent, si raro, & modicum quid erogent; aut si indigens profuit heris aliquo obsequio, quod remunerari deceat; aut si in hunc finem aliquid de suo victu subtrahant; aut supra, quam obligantur, heris sua industria lucrosi sint. Filiifamilias, & Religiosi, dum faciunt iter, aut manent extra domum, vel cœnobium, in studiis, vel aliis negotiis occupati, eleemosynam facere possunt ex ea pecunia, quam accipiunt pro sustentatione, more aliorum honestorum peregrinorum, aut studiosorum; possunt etiam expensas restringere, & residuum pauperibus erogare.

Extra hos casus memoratæ personæ, vel aliæ, quæ alienæ subsunt potestati, non possunt facere eleemosynam de rebus, secundum quas subsunt: possunt tamen matresfamilias de bonis paraphernalibus, hoc est, de bonis propriis, quæ habent ultra dotem, & filii de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, hoc est, de bonis militia, vel officio acquisitis, vel a Principe donatis &c. famuli, & famulæ de proprio peculio. In hæc quippe bona habent dominium expeditum, & administrationem eorum omnino liberam.

Pro praxi adhuc advertendum, si uxor, filii, famuli &c. excedant modum in dandis eleemosynis, dummodo excessus non sit enormis, haud facile ad restitutionem obligandos esse; tametsi enim id fiat dominis invitis, videntur tamen restitutionem condonare, & velle eleemosynas suo nomine factas; prout inde colligitur, quod factum rescientes, communiter subditos tantum reprehendant propter prodigalitatem, non autem furti redarguant, sibique fieri restitutionem petant, famulis, v. g. idcirco promeritam mercedem subtrahendo.

181. Quæres secundo, an dari possit eleemosyna ex rebus illicite acquisitis?

Respondetur, posse dari, quando (1.) acquisitum est earum dominium, aut si non eædem numero, sed tantum eædem specie sint restituendæ; dummodo dans non evadat impotens ad restituendum; non autem posse, quando (2.) dominium non est acquisitum, & eædem numero restituendæ sunt. Ita DD. communiter. Ratio primi membri est; nam qui semel habet hic, & nunc dominium rei, quomodocunque demum illud acquisierit, is de tali re (si aliunde, quod supponitur, non impediatur) libere potest disponere, eandem donando, mutuando, commodando &c. Unde communiter dicitur, de quæstu meretricio fieri posse eleemosynam; imo & debere, si casus necessitatis occurrat. Ratio secundi membri est: quia secundum proxime dicta nemo eleemosynam facere potest, nisi ex rebus, quarum dominium, & liberam administrationem habet; ergo ex rebus illicite acquisitis, & in dominium acquirentis non translatis, eleemosyna fieri nequit, si eædem numero restituendæ sint. Excipitur casus, in quo lex non solum acquirentem, sed etiam dantem rem modo illicito, privat potestate circa illam disponendi; uti fit in contractu Simoniaco, ubi pecunia, in injuriam Ecclesiæ simoniace accepta, jubetur applicari Ecclesiæ, vel pauperibus: ex hac proinde fieri potest, aut etiam debet eleemosyna.

182. Quæres tertio, an, quod damus pauperi, teneamur dare gratis, & sine onere restitutionis, ut præcepto eleemosynæ satisfaciamus?

Respondetur affirmative, si sit pauper absolute, id est, si non habeat actu alibi, nec spe proxima habiturus sit bona, quibus sibi datum refundere possit. Suarez, Valentia, Palao, La Croix *lib.* 2. *n.* 207. Augustinus Michel hic *num.* 15. & alii satis communiter.

Ratio est: quia SS. Patres, nomine eleemosynæ intelligunt donationem, & largitionem absolutam, qua proximi indigentiæ subveniatur absque annexo restitutionis onere; prout colligitur ex modo loquendi, quo utuntur, dum inquiunt, divites, superflua dispensantes, non sua, sed pauperum bona dispensare; ergo non satisfacit præcepto eleemosynæ, qui rem egenti non tribuit gratis, sed mutuo tantum, & cum onere eandem restituendi, ubi egens ad pinguiorem fortunam pervenerit; cum talis obligatio, & satisfactio veluti conditionata sit contraria eleemosynæ qua tali, supponenti absolutam indigentiam ex parte illius, qui juvatur, & obligationem liberalitatis charitativæ ex parte juvantis, inquit Augustinus Michel *loc. cit.* Confirmari potest responsio nostra ex parabola incidentis in latrones. *Luc.* 10. cui nulla fuit imposita obligatio reddendi acceptum.

Dices primo, Præceptum eleemosynæ præcise obligat ad sublevandam proximi miseriam: talis autem sublevatio æque fieri potest per bona mutuo, & cum onere restitutionis data; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam qui pauperi rem, qua hic vere indiget, solum dat mutuo, & cum onere restitutionis, non sublevat simpliciter ipsius necessitatem, sed tantum in aliam mutat: prout recte advertunt Burghaber *centur. cas.* 89. & La Croix *loc. cit.* per dationem autem eleemosynæ intelligitur sublevatio pauperis, ejusque necessitatis, simpliciter dicta, qualis est sola sublevatio gratuita.

Instabis. Alii modi sublevationis non gratuiti etiam procedunt ex motivo Misericordiæ; ergo non apparet, cur per illos non possit satisfieri præcepto eleemosynæ.

Respondetur, concesso antecedente, neg. consf. Multa enim opera fiunt ex motivo Misericordiæ, adeoque sunt opera Misericordiæ, non tamen sunt opera eleemosynæ; hæc nanque fieri debent ex motivo Misericordiæ non quomodocunque, sed liberaliter, & gratis. Ex quo patet, in hac instantia fieri descensum a genere ad speciem, qui non est legitimus: non enim valet per formalem consequentiam, si dico: *Petrus animal est; ergo homo est.*

Dices secundo. Obligatio dandi eleemosynam non oritur ex virtute Justitiæ, sed solius Charitatis; prout tenent DD. satis communiter; ergo dans eleemosynam non videtur esse obligatus ad donationem, & largitionem gratuitam.

Respondetur, neg. cons. Quia licet datio eleemosynæ non sit actus ex Justitia debitus, est tamen debitus ex virtute Charitatis, cui satisfieri non potest, nisi, quod datur, detur gratuito: alias enim datio esset quidem opus Misericordiæ, non vero eleemosyna; prout relinquitur ex dictis.

Dixi in respons. *si sit pauper absolute &c.* Si enim non sit absolute pauper, seu non patiatur necessitatem simpliciter, eo quod alibi habeat bona vel actu possessa; vel saltem probabilem spem aliqua acquirendi v. g. ex successione, proprio labore, aut arte statum suum haud dedecente, nulla est obligatio taliter indigenti rem, qua indiget, donandi, sive gratis dandi; sed sufficit, si demus onerose modo supra dicto; prout omnes fatentur, & ratio jam insinuata est: quia taliter indigens non venit in censum pauperum absolute talium, & quibus per dationem eleemosynæ succurrendum est. Patet idipsum exemplo Josephi *Genes.* 49. qui Ægyptiis fame laborantibus frumentum non donavit, sed vendidit, & tamen Misericordiæ præceptum implevit, juxta illud Psalmi: *Jucundus homo, qui miseretur, & commodat.* Tali igitur modo qui proximi necessitatem sublevat, implet revera præceptum Misericordiæ, & exercet opus hujus virtutis, esto non possit dici implere præceptum eleemosynæ, quippe quod eo casu non stringit; adeoque nec exercet opus eleemosynæ: quæ omnia ex dictis liquent.

183. Quæres quarto, an fingens se pauperem, cum non sit, fiat dominus eleemosynæ, quam accipit?

Respondetur, non fieri. Ita Cajetanus, Medina, Palao, & alii, quos refert, & sequitur P. Babenstober *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 5. *n.* 26. Ratio est: quia datio eleemosynæ est sublevatio pauperis: sed in casu quæstionis non fit sublevatio pauperis; cum is, cui eleemosyna datur, non sit pauper; ergo &c. Quare in quæstionato casu dans exercet quidem coram Deo opus Misericordiæ, uti & eleemosynæ ob bonam fidem, & conscientiam invincibiliter erroneam, qua sibi persuadet accipientem esse pauperem; accipiens vero propter errorem substantialem a se in dante causatum, rem datam nulliter accipit, & consequenter ejusdem dominium non acquirit; sed tenetur illam vel restituere danti, quem ita decepit, vel dare alteri vere pauperi ex rationabiliter præsumpta voluntate dantis.

ARTICULUS V.

De Correctione fraterna.

§. I.

Unde oriatur obligatio fraternæ correctionis, & quando stringat?

SUMMARIUM.

184. *Quid sit fraterna correctio.* 184. *Obligatio illius oritur ex præcepto naturali, Divino, & humano.* 186. *Proponitur, & solvitur objectio.* 187. *Prædicta obligatio non stringit pro omni tempore.*

184. PRænotandum, fraternam correctionem, seu correptionem (nam hæc vocabula a Theologis promiscue usurpantur) recte describi a P. Sporer *tr.* 3. *in Dec. c.* 6. *n.* 80. quod sit *conveniens admonitio, qua ex Charitate, & Misericordia proximum a malo, vel periculo peccati ad bonum honestatis convertere nitimur.* Ex quo patet, correctionem fraternam esse opus Misericordiæ spiritualis, sicut eleemosyna est opus Misericordiæ corporalis. Ceterum admonitio illa non necessario fit verbis, sed possunt etiam aliæ iniri rationes, quibus frater, id est, proximus, emendetur; ut si ipsi in hunc finem subtrahatur auxilium aliquod temporale propter delictum; aut vultus immutetur, juxta illud *Eccles.* 7. *Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Differt correctio fraterna a correctione judiciali dupliciter. 1. *Ex parte causæ efficientis;* nam correctio fraterna potest etiam fieri ab inferiore; judicialis autem non nisi a Superiore, potestate jurisdictionis in delinquentem prædito. 2. *Ex parte causæ finalis:* siquidem correctio fraterna per se, & primario respicit bonum ipsius delinquentis, a quo malum avertere nititur; estque actus Charitatis, & Misericordiæ; judicialis vero per se, & primario ordinatur ad bonum commune, quod per peccatum delinquentis læditur, incolume servandum; atque ideo est actus Justitiæ, nimirum vindicativæ. Hoc præmisso, ad quæstionem

185. Dico primo. Obligatio fraternæ correctionis oritur ex præcepto naturali, Divino, & humano. Communis.

Probatur. Et quidem præceptum naturale deducitur tum ex illo principio: *quod tibi vis fieri, alteri facias:* tum ex eo, quod teneamur juvare proximum in malo corporis: quidni ergo & teneamur eundem juvare in malo animæ, cum hoc longe majus sit illo? Præceptum Divinum habetur *Matth.* 18. ubi dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Ubi verbum *corripe* est præceptivum; prout exponit S. Augustinus *serm.* 16. *de verb. Dom.* & habetur in *can.* 19. *caus.* 2. *q.* 1. Pro meliori præcitati textus intelligentia advertendum, quod, dum Christus dixit: *Si peccaverit in te frater tuus,* id non debeat accipi, quasi solum tenearis eum corrigere, qui tibi injuriam infert, sed etiam eum, qui contra alium, & maxime contra Deum ipsum peccat. Tum quia correctio hæc non ideo est adhibenda, quod tu, vel alius offensus sit; sed quoniam peccatum peccanti malum est: quæ ratio manet, sive dein adversus te, sive adversus alium frater tuus peccet. Tum quia, si vere, Deum proximumque diligis, quemadmodum diligere obligaris, merito propter unionem Charitatis, peccatum in Deum, vel alios commissum, etiam in te commissum reputare debes. Tum quia, teste Suarez *disp.* 8. *sect.* 2. SS. Patres, & Theologi dupliciter exponunt ly *in te*, ut videlicet 1. idem sonet, quod *contra te.* 2. ut idem significet, quod *coram te*, sive *sciente te.* Præceptum denique humanum extat in Jure Canonico *can.* 5. *dist.* 83. *can.* 3. *dist.* 86. & *can.* 14. *caus.* 24. *q.* 3.

186. Objicies. Nullus tenetur avaro famem, aut nuditatem patienti, largiri eleemosynam: quia talem necessitatem suapte sponte tolerat; ergo nec tenemur proximum peccantem, aut peccandi periculum subeuntem corrigere; quia & ipse suapte sponte peccat, aut periculum peccandi non evitat.

Ref-

Respondetur, neg. conf. & ad causalem, ac rationem probativam ajo, quod, licet proximus citra nostrum auxilium se eruere a peccato, peccatique periculo possit, sæpenumero tamen ingentem in eo difficultatem sentiat, tum propter passionum vehementiam, propriæque naturæ fragilitatem, tum propter peccati illecebras, & pravam peccandi consuetudinem: ad quam proinde difficultatem superandam proximus spirituali nostro auxilio vel maxime indiget, ut nempe in peccatum, cujus periculum impendet, non labatur, vel, si in illud jam sit lapsus, facilius resurgere valeat. Avarus e diverso non indiget nostra ope corporali, cum ipse bona habeat, quibus sese ex necessitate, quam liberrime patitur, eripere citra difficultatem potest.

187. Dico secundo. Obligatio fraternæ correctionis, cum (ut ex dictis colligitur) nascatur ex præcepto affirmativo, non stringit pro omni, sed tantum pro aliquo tempore, quando scilicet concurrunt certæ quædam circumstantiæ, & conditiones, puta sequentes.

Prima conditio est, ut adsit *materia debita* correctionis, nempe peccatum vel mortale (aut ejusdem periculum) nec in re, nec in spe rationabili emendatum; vel saltem veniale (aut periculum ejus) Si mortale adsit (idem cogita de ejusdem periculo) obligatio fraternæ correctionis graviter stringit. Ratio est: quia virtutes Charitatis, & Misericordiæ graviter stringunt, dum proximo in extrema, vel gravi necessitate versanti subveniendum est: sed proximus nunquam versatur in graviori necessitate, quam dum mortaliter peccat, aut sic peccandi periculum subit, eique ex Charitate, & Misericordia tunc subveniendum est; ergo &c. Min. inde patet, quod peccatum mortale sit mors animæ, & vitæ spiritualis exterminium. Si veniale duntaxat adsit, idque simplex, seu non periculosum (idem rursus cogita de ejusdem periculo) obligatio fraternæ correctionis solum stringit leviter. Ratio hujus est: quia etiam inducere aliquem ad simplex veniale non est nisi veniale; ergo a fortiori non erit nisi veniale aliquem in simili veniali jam constitutum non corrigere, seu mediante correctione inde non eripere: consequenter &c.

Putant quidem non pauci, quod ne quidem sub veniali obligemur corrigere proximum in peccato duntaxat veniali simplici constitutum. Verum opposita sententia Filliucii *tr.* 28. *c.* 5. *n.* 118. Laymanni, Palao, & aliorum, quibus nos subscripsimus, videtur probabilior. Ratio est: tum quia sub veniali obligamur malum corporale, licet parvum, a proximo avertere; ergo etiam, & magis, malum spirituale, licet respective parvum. Tum quia revera aliqua negligentia, aut torpor in charitatis exercitio esse videtur, omittere talem correctionem, quando absque incommodo fieri potest.

Interim non inficias eo, facilius, & frequentius occurrere, & concurrere causas a peccato etiam veniali excusantes non corrigentem veniale simplex, quam excusantes a mortali non corrigentem mortale. Ratio in promptu est: quia in priore casu non agitur, in posteriore vero agitur de jactura æternæ salutis. Unde quasi communiter occurrit impedimentum aliquod sive ex parte corripiendi, ne videlicet correctionem ægre ferens deterior fiat, aut inde magnam adversus corrigentem concipiat indignationem, & avversionem; sive ex parte corripientis, quem naturalis verecundia non raro sic constringit, ut ei difficile accidat, proximi peccata, etiam venialia tantum corrigere. Unde perraro aderunt conditiones, quibus positis adstringaris ad corrigendum proximum, in peccato veniali simplici, ejusque periculo existentem.

Quod si peccatum veniale non sit simplex, sed periculosum, seu tale, ex quo impendeat proximo morale periculum prolabendi in mortale, tenemur eundem corrigere sub mortali; prout in confesso apud omnes, & fluit ex dictis.

Secunda conditio est, ut corrigere volenti sit *moraliter certum*, quod proximus versetur in tali peccato, vel morali periculo illius. Ratio est: quia obligatio fraternæ correctionis supponit in corrigere obligato scientiam, id est, moralem certitudinem de alterius peccato; prout ostensum est supra *n.* 174. de patiente necessitatem corporalem: idque merito; cum alioquin facile contingeret, ut quis proximo objiceret peccatum non commissum, & sic non solum remedium correctionis sine fructu applicaret, sed & innocentis odium, ac indignationem sibi consciscetet. Unde incertis tantum suspicionibus, & rumoribus neutiquam credendum est, neque inde progrediendum ad arripiendam fraternæ correctionis limam. Plus tamen hac in parte concessum est Superioribus, utpote quibus incumbit ex officio curare salutem suorum subditorum, ad quod rite præstandum videtur omnino pertinere, ut mala quoque dubia præcaveant, & avertant. Imo contingere posset, ut etiam homo privatus teneretur corrigere peccatum proximi dubium, quando videlicet hoc vergeret in magnum præjudicium alicujus Communitatis. Unde secunda conditio de morali certitudine delicti intelligi debet *regulariter loquendo*.

Tertia conditio est, ut affulgeat probabilis *spes emendationis*. Ratio est: quia alias cessaret finis fraternæ correctionis, qui est emendatio fratris in spe saltem probabili. Confirmatur authoritate S. Augustini relati in *can.* 4. *de pœnit. dist.* 7. qui inquit: *si scirem non tibi prodesse, non te admonerem*.

Quarta conditio est *opportunitas* loci, temporis, & occasionis ad corrigendum. Unde proximus non semper statim, ac peccavit, corrigendus est, sed expectanda subinde major opportunitas corrigendi. Ratio est: quia finis fraternæ correctionis est emendatio proximi; ergo præceptum illius non solum non violat, sed exactius observat, qui ejus executionem differt, eo consilio, ut cum certiore emendationis spe, & majore proximi utilitate fiat.

§. II.

Quinam proximi corrigendi sint, & a quibus?

S U M M A R I U M.

188. *Omnes, qui indigent correctione fraterna, corrigendi sunt.* 189. *Quis debeat adhiberi modus in corrigendo?* 190. *Omnes omnino homines, usu rationis præditi, obligantur præcepto fraternæ correctionis.* 191. *Proponitur, & solvitur objectio.* 192. *Obligatio fraternæ correctionis non omnes obstringit æqualiter.*

188. Dico primo. Omnes, qui indigent correctione fraterna, corrigendi sunt. Est communissima.

Probatur. Omnibus, qui indigent eleemosyna, tenemur subvenire; ergo etiam tenemur subvenire omnibus, qui indigent correctione fraterna; sicut enim præceptum eleemosynæ prolatum est sine distinctione personarum indigentium, ita & præceptum correctionis fraternæ.

189. Quæres, quis debeat adhiberi modus in corrigendo?

Respondetur. Si corrigendus sit inferior, plerumque increpandus est, & postea mansuete admonendus, ut desistat, vel resipiscat; prout colligitur ex Apostolo ad *Galat.* 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Si æqualis, amice commonendus est; prout itidem insinuat Apostolus 2. *ad Thessal.* 3. *Nolite quasi inimicum æstimare, sed corripite ut fratrem*. Si sit Superior, non objurgandus, sed humiliter rogandus est, juxta altefatum Apostolum 1. *ad Timoth.* 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem*. Quæ tamen intelligenda veniunt, si delicta æqualis, vel Superioris sint occulta: si enim sint publica, & in fide, aut moribus perniciosa, etiam ipsi reprehendendi sunt; idque serio, & graviter, exemplo Apostoli Pauli, qui ad *Galat.* 2. affirmat, se Petro in faciem restitisse, ut scandalum, quod Gentiles patiebantur, corrigeretur. Sanct-Gallenses hîc *q.* 3. *conclus.* 4. & alii passim.

190. Dico secundo. Omnes omnino homines, usu rationis præditi, obligantur præcepto fraternæ correctionis. Est itidem communissima.

Probatur. Tum quia hoc præceptum in locis S. Script. supra adductis inculcatur omnibus sine exceptione. Tum quia omnes obligantur præcepto eleemosynæ; ergo etiam, & a potiori, præcepto correctionis fraternæ.

191. Objicies. Ex nostra assertione ita illimitate posita sequitur, etiam peccatores obligari præcepto fraternæ correctionis; cum tamen ipsi, saltem si publici, & notorii sint, existant inepti ad proximum fructuose corrigendum.

Respondetur, con. seq. ast neg. rationem in contrarium

tium

tium adductam; siquidem peccatores etiam notorii non simpliciter inepti, sed solum minus apti existunt, ac homines justi, ad obeundum munus præfatum. Unde requiritur, ut adhibeant alium in corrigendo modum, & majorem cautelam, id est, ut corrigant humiliter, & modeste, ne forte illis obtrudatur, quod habetur *Matth. 7. Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc prospicies, ut educas festucam de oculo fratris tui*. Qua sententia non tollitur præceptum corrigendi, sed præscribitur modus a peccatore adhibendus, qui consistit in exteriore sui humiliatione, si nolit pœnitentiam agere: quamvis hoc melius sit; imo necessarium in casu, quo proximum, in extrema necessitate constitutum, aliter juvare non potest: hoc, inquam, casu tenetur pœnitentiam agere, & abstinere a peccato vim correctionis impediente; cum huic necessitati omnia postponenda sint, tanquam minora, & leviora.

192. Quæres, an obligatio fraternæ correctionis omnes obstringat æqualiter?

Respondetur cum communi negative. Sed magis obstringit Prælatos, Superiores, & Patresfamilias, quam alios. Ratio est: quia talibus ex officio incumbit curare salutem subditorum suorum: unde si id intermittant, non solum peccant contra Charitatem, ut alii, sed etiam contra Justitiam: quod & in confessione (nisi Confessario aliunde notum sit) exprimere debent.

§. III.

Quo ordine instituenda sit correctio fraterna?

S U M M A R I U M.

193. In correctione fraterna regulariter servandus est ordo a Christo præscriptus. 194. Non tamen Religionibus, in quibus viget speciale statutum, vi cujus singuli renunciant juri, quod habent in suam famam. 195. Bene vero in Religionibus, in quibus simile statutum non viget. 196. Et seqq. Solvuntur objectiones, & deducuntur corollaria.

193. Dico In correctione fraterna regulariter observandus est ordo a Christo præscriptus *Matth. 18.* nempe, ut

1. Corripias fratrem *secreto*: *Corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te audierit*, ac emendatus fuerit, cessandum jam est, & peccatum ejus tegendum; quia jam lucratus es fratrem tuum.

2. Si nihil solus effeceris, ut *coram testibus*, corripias: *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*.

3. Si nec ista correptio prosit, tunc deferas ad Prælatum: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ*.

Dixi: *regulariter*. Nam conclusio aliquas patitur exceptiones, ut observatio memorati ordinis sub præceptum non cadat: puta,

1. Quando delictum proximi jam est publicum, & notorium: tunc enim, cum fama sit perdita, cessat præceptum conservandi honorem & famam proximi utpote observatu impossibile redditum.

2. Quando delictum proximi, licet adhuc occultum, cedit in tale nocumentum tertii, & præsertim Communitatis, ut merito, spectatis omnibus circumstantiis, potior ejus ratio habenda sit, quam famæ peccantis: ut siquis proditionem moliatur in Principem, vel Civitatem; aut alicui struat capitales insidias: quia tunc merito vita, de qua alter periclitatur, præferenda est, & crimen denonciandum vel illi, cui malum impendet, ut sibi ab eo præcavere, vel Superiori, ut illud tempestive, & efficaciter amoliri valeat: nisi quis certo speret, idem secreta admonitione præstitum iri.

3. Licet delictum occultum proximi cedat in damnum solius delinquentis, si tamen secreta admonitio, vel etiam testium adhibitio prævideantur nihil profutura, ea prætermissa, delictum immediate deferendum erit ad Superiorem qua Patrem, si per hunc credatur proximus emendandus: quia ad frustraneum non datur obligatio: atqui secreta admonitio, uti & adhibitio testium, prævidetur fore frustranea, sicut supponitur; ergo &c.

4. In Religionibus, in quibus viget speciale statutum, ut in Societate Jesu, virtute cujus singuli tenentur suorum Fratrum delicta immediate Superiori denunciare, utique stringere non potest ordo fraternæ correctionis a Christo præscriptus. Ratio est: quia qui talem Religionem ingrediuntur, in qua simile statutum viget, quando hoc sibi proponi audiunt, eo ipso renunciant juri, quo habent in suam famam: supposita autem tali renunciatione, velut sublata materia, cessat obligatio servandi ordinem fraternæ correctionis a Christo præscriptum: consequenter &c.

Permulti idipsum asseruor de aliis quoque Religionibus, in quibus tale statutum non viget, voluntque, nec illis observandum esse memoratum ordinem.

195. Sed omnino præferenda est sententia opposita, docens, eum ordinem etiam in Religionibus, in quibus præfatum statutum non viget, servandum esse, extra casus proxime exceptos. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. Valentia, Bannes, Sanct-Gallenses, Krimer, Kerckove, Augustinus, Michel, & alii innumeri. Ratio est: quia ordo fraternæ correctionis a Christo institutus, & præscriptus est ad famam delinquentis, quantum maxime fieri potest, conservandam; ergo tandiu servandus est, extra casus proxime memoratos, quandiu proximus juri, quod habet in suam famam, non renunciat: atqui in Religionibus, de quibus loquimur, Religiosi non renunciant juri, quod habent in suam famam; ergo &c. Confirmatur. Ordo correctionis fraternæ, a Christo præscriptus, fundatur præcipue in debito Justitiæ, quo tenemur proximi famam in sublevanda ipsius spirituali miseria indemnem servare, quantum fieri potest: si ergo proximus juri, quod habet in suam famam, non cesserit, uti non cessisse ponitur in præsenti, illud debitum Justitiæ perseverat, & obligat ad famam proximi indemnem servandam, quantum fieri potest. Unde sicut Medicus corporalis tenetur mederi ægroto, quam minimo potest dispendio, adeo, ut si sanare possit sine abscissione membri, injuriam faciat illud abscindendo; ita Medicus spiritualis fratrem spiritualem curare debet, ut salvet famam ipsius, quantum fieri potest, fratrem emendando, non infamando, inquit P. Kerckove.

196. Dico primo. Nostræ sententiæ videtur obstare declaratio Innocentii III. *in cap. 24. de Accusat.* in fin ubi præmisso, quod *sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denunciationem charitativa monitio*, subjungit: *Hunc tamen ordinem contra Regulares Personas non credimus usquequaque servandum, qua (cum causa requirit) facilius, & liberius a suis possent administrationibus amoveri*.

Respondetur, neg. assumptum. Sed potius supponit nostram sententiam: siquidem altefatus Pontifex non loquitur *absolute*, volens, ordinem fraternæ correctionis circa personas regulares omnino servandam non esse; sed loquitur *comparative*, volens illum circa ejusmodi personas non esse *usquequaque*, sive semper servandum, quando servandus est circa personas seculares: id quod admittunt etiam Patroni nostræ sententiæ, duplici ratione moti. Una est (& allegatur in ipso *cap. cit.*) quia leviores causæ sufficere possunt, ut delictum personæ regularis ad Superiorem immediate deferre liceat, quam ut liceat sic deferre delictum personæ secularis (quamvis neutrobique liceat citra causam, a causa delictum emendandi diversam) eo quod persona regularis, si ab officio, quale fors gerit, amoveatur, nullum considerabile damnum sive in bonis fortunæ, sive in bono famæ apud alios incurrat (saltem ut primum) sed solam jacturam famæ apud Superiorem; persona secularis e diverso præter dispendium famæ apud Superiorem cogatur insuper subire præjudicium in bonis fortunæ, & famæ apud alios: cujus utriusque testimonium perhibet consuetudo, & experientia. Altera ratio est: quia dantur plura peccata, quæ, a secularibus commissa, non redundant specialiter in detrimentum Communitatis secularis; perpetrata vero a Religiosis, vergunt specialiter in præjudicium, & detrimentum Communitatis Religiosæ: qualia peccata sunt v. g. frequens ebrietas, consuetudo passim jurandi &c. Unde seculares, hisce talibus peccatis obnoxii, prius secreto juxta ordinem a Christo præceptum corripiendi sunt; Religiosi vero suis Superioribus denunciandi, nisi quis privatus, ea sciens, certo speret, emendationem ex secreta quoque admonitione secuturam; prout ipsimet advertimus, & fassi sumus supra *n.* 192. Quæ tamen, licet ita se habeant, nullum nostræ sententiæ præjudicium creant, quippe solummodo intendenti, ordinem fraternæ correctionis

rectionis extra casus supra exceptos, & nisi forte præter causam emendandi delictum concurrat quædam alia causa excusans, servandum esse.

197. Dices secundo. Finis correctionis fraternæ apud Religiosos non debet esse solum bonum privatum delinquentis (scilicet emendatio) sicut apud seculares, sed præsertim bonum publicum Religionis; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Si bono publico Religionis per delictum Religiosi accersatur speciale præjudicium, con. secus, neg. ant. & cons. Hoc argumentum videtur exertare extra statum quæstionis, utpote qui in eo situs est, an peccatum Religiosi occultum, in damnum solius peccantis cedens, immediate, omissa correctione secreta probabiliter profutura, Superiori denunciandum sit? Si enim instituatur quæstio de peccato vel publico vel occulto quidem, sed in damnum Communitatis Religiosæ specialiter redundante, ipsimet concedimus, illud immediate ad Superiorem esse deferendum, nisi privatus Confrater certo sibi persuadeat, secretam admonitionem æque profuturam, ac correctionem Superioris.

Instabis. Quodlibet peccatum grave Religiosi specialiter redundet in damnum Religiosæ Communitatis; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Pono enim 1. quod Petrus, Religiosus, cetera bonus, imo & castimoniæ fama clarus, incidat semel, carnis illecebra, & tentatione victus, in peccatum mollitiei; idque noverit unicus Confrater. Pono 2. quod Paulus, Religiosus alias pius, & sobrius, semel, vini præstantia illectus, sese plene inebriet; idque denuo nullus sciat, quam privatus quidam Religiosus, Pauli Confrater. Hæc, & similia Religiosorum peccata, modis præfatis commissa, in speciale Religionis, aut Monasterii detrimentum cedere, nemo erit (ut equidem mihi persuadeo) qui asserat, consequenter &c.

198. Dices tertio. Notitia criminis, a Religioso subdito commissi, apud Superiorem, qui non vult, obesse, sed prodesse, non videtur delinquentem notabiliter infamare: item Superior melius novit delinquentem a delicto revocare, & occasiones posthac prolabendi præscindere; ergo delinquens non potest esse rationabiliter invitus, si delictum, a se commissum, immediate ad Superiorem deferatur.

Respondetur, neg. ant. quoad primam partem. Nam læsio famæ apud Superiorem æque gravis, & acerba subdito accidit, quam apud æqualem, aut inferiorem; imo gravior, & acerbior: prout recte sentit Kerckove; & procul dubio quilibet mallet suæ famæ jacturam perpeti apud æqualem, quam apud Superiorem, si eam perpeti deberet apud alterutrum. Quoad alteram partem transmitto ant. sed neg. cons. Non enim qualecunque bonum spirituale sufficit, ut quis ob ejus adeptionem censeatur, vel etiam teneatur cedere suo jure in bonum temporale; sed debet esse bonum spirituale ad salutem necessarium, quale non est illa major securitas a lapsu resurgendi, & non amplius relabendi, saltem ordinarie loquendo, & in præsenti casu, in quo supponimus, etiam correctionem privati Religiosi probabiliter profuturam ad Confratrem a peccato eruendum, & a relapsu in illud præservandum. Unde sicut procul dubio invitus fores, idque rationabiliter, si bona fortunæ tibi eriperem, daremque pauperibus, hoc prætextu, ut eorum pro te ad Deum preces procurarem; ita etiam rationabiliter invitus fores, si tibi eriperem famam apud Superiorem, ut majorem tibi a peccato resurgendi, inque in illud non reincidendi securitatem procurarem: sicut enim pauperum preces non sunt (ut supponitur) ad salutem tibi necessariæ; ita nec illa major securitas. Accedit, quod ut plurimum majora mala ex imediata Fratris ad Superiorem delatione sequi nata sint, quam sit bonum inde speratum: contingere enim facile posset, ut Superior rem tam discrete non tractaret, sicut deberet, ut deferens non uteretur puro zelo, suique Fratris confusionem potius, quam emendationem intenderet; vel etiam falsa veris misceret; atque inde orirentur discordiæ, ac rixæ; & sic dum unius bono fortassis consuleretur, pax, & concordia Religiosorum dissolveretur, cum tamen bonum commune Religionis sit privato anteponendum. Contingere præterea posset, ut Viri Religiosi, qui alioquin prodesse possent Communitati, si aliquando ex infirmitate in delictum aliquod deprehendantur incidisse, & immediate Superioribus denuncientur, a functionibus, eidem Communitati utilissimis, impediantur, vel removeantur, etiamsi delictum posthac nunquam reiteraturi sint, idque propterea magis, quod valde proclive sit, rem aliter concipi, cum narratur, quam cum oculis coram spectatur, præsertim quando denunciatus non solet prius, quam corripiatur, audiri, & denuncians non dicitur puro zelo Charitas.

199. Colliges ex dictis primo, in illis Religionibus, in quibus non viget constitutio de immediate deferendis delictis ad Superiorem, & nihilominus in Capitulis culpæ, etsi occultæ, proclamari solent, eas vel adeo leves esse debere, ut non infament; vel, si tam graves sint, ut infament, earum proclamationem, prætermissa monitione secreta, contra præceptum Domini esse. Ita expresse D. Thomas *loc. cit.*

200. Colliges secundo, in iisdem Religionibus, quando Prælati sive per statuta, sive aliter præcipiunt, ut subditi suorum Confratrum peccata immediate ad se deferant, id intelligendum esse vel de peccatis in confusionem, aut detrimentum Religionis vergentibus, quæ ordinarie sola correctione privata ex æquo emendari non possunt: vel de peccatis, quæ, præmissa secreta correctione, emendata non sunt. Si enim illud fieri præcipiant de delictis in detrimentum solius delinquentis cedentibus, & non servato ordine fraternæ correctionis, peccant & ipsi, & subditi denunciantes, contra præceptum, *cui oportet magis obedire, quam hominibus. Act. 5.*

Nec dicas. Fratribus Minoribus in sua sacra Regula præcipitur, ut obediant suis Ministris, sive Superioribus in omnibus, quæ non sunt contra animam, & Regulam ipsorum: atqui crimen Confratris immediate denunciare Superiori non est contra animam denunciantis, nec contra Regulam ipsius; ergo si ei mandetur, ut denunciet, tenetur obedire; consequenter non peccat ita denunciando.

Respondetur enim, neg. min. quoad primum membrum: siquidem crimen prædicto modo denuncians transgreditur præceptum Domini de servando ordine fraternæ correctionis: quæ trasgressio indubie est contra animam ipsius. Deinde in Regula Fratribus Minoribus tantum præcipitur, ut obediant in omnibus, quæ promiserunt Domino observare &c. atqui non promiserunt Domino observare denunciationem immediatam, Superioribus faciendam (ubinam enim hoc in Regula scriptum, & contentum est?) ergo &c. Sed hæc de his utique satis.

CAPUT IV.

De Vitiis Charitati oppositis.

Vitia, Charitati generali ratione opposita, sunt omnia, & singula peccata mortalia; cum quodlibet horum demeritorie expellat habitum Charitatis; prout in confesso est apud Theologos, imo de fide certum. Verum de vitiis Charitati in tali generalitate oppositis tractare non est hujus loci; sed solum de vitiis Charitati speciali ratione oppositis, quorum alia adversantur præcepto affirmativo prædictæ Virtutis, & fiunt *per omissionem* dilectionis Deo, ac proximo debitæ (de quibus in duobus ee. præcedentibus actum) alia autem præcepto negativo, & fiunt per commissionem operis, eidem Virtuti sive directe, sive indirecte contrarii: qualia sunt *Odium*, *Ira*, *Invidia*, *Acedia*, *Discordia*, *Seditio*, *Contentio*, *Schisma*, & *Scandalum*. De Ira, Invidia, & Acedia disseruimus *part. 1. tr. 3. disp. 3.* de Schismate autem *disp. 1. hujus part. c. 3. art. 4.* de reliquis hic differendum restat. Sit ergo

ARTICULUS I.

De Odio.

Quoniam odium, relate ad objecta, duplex est, Dei scilicet, & proximi, juvat hunc articulum in duos §§. dispescere, in quorum priore de odio Dei, in posteriore vero de odio proximi tractetur.

§. I.

De Odio Dei.

SUMMARIUM.

201. *Odium Dei est duplex,* inimiciæ *scilicet &* abominationis. 202. *Utrumque est peccatum omnium aliorum peccato-*

peccatorum gravissimum. 203. *Odium inimicitiæ est gravius peccatum odio abominationis, licet & hoc respectu Dei semper sit mortale, nisi ob imperfectionem actus ad veniale decrescat*. 204. *Etiam omnis motus plene deliberatus pravæ affectionis erga Deum semper culpam mortalem continet contra Charitatem Deo debitam.*

201. PRænotandum, odium Dei aliud esse, & dici *odium inimicitiæ*, aliud *odium abominationis*. Odium inimicitiæ est, quo impius Ipsum Deum secundum se adversatur, eique male vult, quatenus ex apprehensione Dei ut sibi mali assurgit ad apprehensionem, licet falsissimam, alicujus mali in Ipso Deo. Atque hoc odium opponitur amori amicitiæ, sive benevolentiæ erga Deum: sicut enim amore amicitiæ, seu benevolentiæ Deo volumus bonum, quatenus ipsi absolute bonum est; ita odio inimicitiæ volumus ipsi malum, quatenus absolute ipsi malum est. Odium abominationis est, quo impius non ipsum Deum secundum se, sed secundum effectum sibi contrarium aversatur, v. g. ob pœnas, vel adversitates sibi commissas, ob quas Deum apprehendit ut sibi malum. Atque istud odium opponitur amori concupiscentiæ erga Deum: sicut enim amore concupiscentiæ amamus Deum, non quatenus absolute, & secundum se bonus est, sed quatenus nobis bonus est; ita impius odio abominationis aversatur Deum ut malum sibi apprehensum. Nunc

202. Dico. Odium Dei, sive abominationis, sive inimicitiæ, est omnium aliorum peccatorum gravissimum. Ita communis, & certa sententia.

Probatur facile in hunc modum. Illud peccatum est omnium aliorum peccatorum gravissimum, quod maxime adversatur virtuti omnium virtutum excellentissimæ: sed odium Dei maxime (id est, directissime, formalissime, & extreme) adversatur virtuti omnium virtutum excellentissimæ, videlicet Charitati Deo debitæ; ergo &c.

Confirmatur. Ratio formalis, & malitia peccati sita est in offensa Dei, & aversione ab Eo ut summo Bono, & ultimo Fine: atqui nullum peccatum magis Deum offendit, magisque ab Eo avertit, quam odium Ipsius; prout singula peccata perpendenti patebit; ergo &c.

203. Colliges primo, odium inimicitiæ (1.) esse gravius peccatum odio abominationis; licet & hoc (2.) respectu Dei sit semper mortale, nisi ob imperfectionem actus ad veniale decrescat. Sporer *tr. 2. c. 5. n. 39. & seq.* aliique communiter. Ratio primi est: quia odium inimicitiæ directe, & formaliter est aversio a Deo secundum se, vel potius aversatio Dei summi Boni in se, etsi sub aliqua ratione mali in Ipso sinistre apprehensi; at vero odium abominationis directe solum est aversio a Deo secundum aliquem ejus effectum odienti contrarium, & apprehensum ut malum; ergo illud gravius est isto. Ratio secundi est: quia Deus non solum secundum se, & intrinsece, sed etiam extrinsece, & in ordine ad quemlibet effectum a se procedentem summe bonus est; omnia enim, quæ a Deo procedunt, qua ratione procedunt, bona sunt; ergo & odium abominationis relate ad Deum directe, ac immediate repugnat infinitæ Ipsius bonitati; & consequenter in quavis materia etiam levissima peccatum mortale est: imo malitiam continet eo majorem, quo quis ob leviorem rem, vel causam Deum odio habet: ut notat Sporer *n. 41.*

Dixi: *nisi ob imperfectionem actus ad veniale decrescat*. Nam licet in odio Dei, aliisque peccatis, alicui perfectioni Divinæ directe, & immediate repugnantibus, non detur parvitas materiæ; potest tamen intervenire imperfectio actus, puta advertentiæ, & deliberationis, ob quam & ipsa licet ex se, suoque objecto semper sint mortalia, evadere venialia possunt: prout omnes fatentur.

204. Colliges secundo, etiam omnem motum plene deliberatum pravæ, & malignæ affectionis erga Deum, sive in corde retentum, sive externe manifestatum, cujusmodi sunt indignatio, execratio, maledictum, murmur contra Deum &c. esse semper peccatum mortale contra Charitatem Deo debitam. Ratio est: quia quilibet ejusmodi motus, licet non sit formale odium Dei, pugnat tamen formaliter, & directe cum Charitate Divinæ bonitati debita; ergo semper est peccatum mortale: quamvis itidem intervenire possit imperfectio actus a mortali excusans.

Ceterum dicta in utroque corollario intelligi debent, si actus odii, indignationis, murmuris &c. tendant vere in Deum ipsum. Nam si ferantur solum contra mala illata, vel causas creatas ea inferentes, absque motu, vel reflexione ad Deum, non spectant ad odium Dei, aut pravam erga Illum affectionem, sed ad vitium impatientiæ, aut odium proximi. Sporer *loc. cit.* 40.

§. II.

De Odio proximi.

205. *Etiam odium proximi aliud est* odium inimicitiæ, *& aliud* odium abominationis. 206. *Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum mortale ex genere suo.* 207. *Odium vere abominationis de se nec bonum, nec malum est &c.* 208. *Propter bonum spirituale proprium, vel alienum, ad salutem necessarium, potest qui alteri affectu inefficaci licite velle malum aliquod temporale.* 209. *Similiter potest quis alteri affectu inefficaci licite velle mortem, aliudve malum temporale propter ingens bonum Communitatis, seu Reipublicæ, etiam temporale.*

205. PRænotandum, etiam odium proximi aliud esse *odium inimicitiæ*, & aliud *odium abominationis*. Odium inimicitiæ erga proximum est, quo personæ, nobis displicitæ, malum volumus, quatenus absolute ipsi est malum. Odium abominationis est, quo aversamur personam proximi non secundum seipsam, sed secundum malum ipsi adjacens, in quantum illud vel nobis, vel alteri, vel Communitati adversatur. Prius odium opponitur amori amicitiæ erga proximum; & posterius amori concupiscentiæ. Revide dicta *n. §. præced. n.* 201. & huc applica.

206. Dico jam primo. Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum mortale ex genere suo. Ita communissima Doctorum.

Probatur. Tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem: quia 1. *Joan.* 2. habetur: *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est*. Ratione vero: quia prædictum odium repugnat præcepto negativo dilectionis proximi; quod utique obligat ex genere suo sub mortali; ergo &c.

Dixi: *ex genere suo*. Nam hic non tantum excusat a mortali imperfectio actus, sed etiam parvitas materiæ: siquidem leve duntaxat, & exiguum malum proximo velle, ex aliquali aversione erga ipsum, non est nisi veniale peccatum. Verum contra hoc

Dices. In odio Dei sive inimicitiæ, sive abominationis non datur parvitas materiæ; ergo nec in odio inimicitiæ proximi.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia utrunque odium Dei directe, & immediate tendit in ipsum Deum; cui proin directe, & immediate tribuit defectum infinitæ bonitatis, & amabilitatis: ubi (secundum dicta *part. 1. n. 693.*) parvitas materiæ locum non habet. E diverso odium inimicitiæ proximi directe, & immediate tendit in personam proximi, absque motu, & reflexione ad Deum, quatenus odiens ex apprehensione proximi, ut sibi mali assurgit ad apprehensionem, licet falsam, alicujus defectus in ipsa persona existentis; cui proinde, ut apprehensæ cum tali defectu, denegat amabilitatem debitam: quod ad summum indirecte, mediate, & arguitive infinitæ Dei bonitati repugnat: ut proinde hic dari parvitatem materiæ non implicet. Revide dicta *par. & num. citt.*

207. Dico secundo. Odium abominationis erga proximum de se nec bonum, nec malum est; sed vel bonum, vel malum esse potest, vel manere indifferens. Communis.

Probatur. Quia istud odium non fertur in personam secundum se, sed ut affectam accidente, seu qualitate aliqua odienti displicita; ergo illius moralitas desumi non debet ex conditione personæ odio habitæ, sed ex conditione qualitatis, quæ personam objectum odii constituit. Atqui reperiri in proximo possunt, & solent qualitates, propter quas nec jubemur eundem diligere, nec odio prosequi prohibemur, ut mox patebit; ergo hoc odium proximi de se nec bonum, nec malum est; sed vel bonum, vel malum esse potest, vel manere indifferens.

differens. Bonum, ipso [illegible] est, si tendit in personam ut affectam qualitatibus vere malis, & recta ratione odibilibus; ut siquis proximum aversatur, quia est injustus, avarus, aut alius peccatis deditus. Malum e diverso est, si tendat in personam ut affectam qualitatibus simpliciter bonis, & honestis, licet odienti contrariis; ut siquis proximum odio prosequatur propter ejus justitiam, zelum, pietatem &c. Indifferens est, si tendat in personam, ut affectam qualitatibus in genere moris nec bonis, nec malis; ut siquis proximum odio habeat ob defectus [illegible] naturaliter, adeoque licite odibiles, puta ob deformitatem, absurdum agendi modum eidem congenitum &c. Monent tamen Authores, cavendum hic esse, ne odium, quo licitum est, vel etiam meritorium, proximum prosequi, extendatur ad ipsam personam secundum se, atque ita assurgat, & degeneret in odium inimicitiae, praesertim si proximus sit odientis inimicus.

208. Colliges primo, propter bonum spirituale proprium, vel alienum, vel salutem necessarium, posse quem alteri affectu inefficaci licite velle malum aliquod temporale. Sic pater licite affectu inefficaci desiderat mortem filio, quando praevidet, eum, si supervixerit, [illegible] iri. Simili affectu licite optas homini perverso morbum, vel jacturam pecuniarum, ut a vita scelerata desistat: Turcis, Haereticis, aliisque Ecclesiae hostibus mortem, ne veram Religionem, Deique cultum evertant. Bonacina, Reiuq., Cardenas, Viva part. 2. damnat. Thesium pag. 43. n. 31. Rebenstuber tr. 5. disp. 3. [illegible] n. 51. Ratio est: quia hujusmodi affectus ex una parte observat rectum ordinem Charitatis; cum bonum altioris ordinis praeferat bono inferioris ordinis: ex altera vero parte, cum sit inefficax suam speciem sumit a solo motivo, propter quod elicitur, quod omnino honestum est. Ex quo patet, quod praedicta mala etiam ob bonum spirituale non liceat [illegible] [illegible], aut velle inferri sibi ipsi, vel alteri: quia talis actus, aut effectus, cum esset efficax, suam speciem non sumeret a solo motivo, propter quod generatur, sed etiam ab opere externo, quod patraretur: hoc autem foret inhonestum; cum semper inhonesta, & graviter illicita sit illatio [illegible] mortis si privata authoritate fiat.

209. Colliges secundo, similiter posse quem alteri affectu inefficaci licite velle mortem, aliudque malum temporale propter ingens bonum Communitatis, seu Reipublicae, etiam temporale. Sic licite optas mortem Tyranno, ut reflorescere possit pax, & communis felicitas, ab eo pessundata. Ratio est; quia finis, cujus gratia hic mors optatur, non tantum non levioris, sed etiam majoris momenti est, quam vita Tyranni. Praeterea licite mortem alicujus inefficaciter desideras ad evitandum magnum aliquod nocumentum temporale, quod ex ejus vita tibi impendet; dummodo bonum, in quo nocumentum subire cogeretis, non sit levioris momenti, quam vita illius, cujus mortem desideras; & desiderium illud (idem cogita de gaudio) directe, & immediate feratur in solum bonum desiderantis, ita ut mors quatenus proximo est mala, nullo modo sit objectum talis actus. Sic uxor licite desiderat desiderio inefficaci mortem mariti, a quo afficitur, & circa spem emendationis acerrime [illegible]. Ita Cardenas, Herziz, Rebenstuber loc. cit. num. 52. Ratio est; quia rectus Charitatis ordo postulat (vel saltem permittit) ut quis magis diligat seipsum, quam alium, caeteris paribus; ergo cum caetera supponantur paria, & salus uxoris etiam temporanea (ut maneam in exemplo allegato) quae propter saevitiam diuturniorem mariti periclitatur, vel non nisi miserrime conservatur, aequivalens, vel etiam majus bonum sit, quam vita mariti, hujus mortem inefficaciter desiderare non erit affectus inordinatus, neque uxori ad culpam imputabilis. Confirmatur. Uxor in tali casu licite sibimet mortem inefficaciter optat, per illud Eccles. 30. Melior est mors, quam vita amara; ergo etiam, & a potiori, marito.

Dixi tamen 1. Dummodo bonum &c. non sit levioris momenti &c. Si enim sit levioris momenti, quam vita proximi, cujus mors desideratur, affectus desiderii inordinatus est; cum rectus Charitatis ordo non patitur, ut vita proximi postponatur bono minoris momenti, quam ipsa est. Hinc illicite agit filius, qui patri exoptat accelerationem mortis, quo citius adire hae-reditatem possit, quia acceleratio successionis, ipsaque successio in bonis paternis, quae impeditur per vitam patris, est bonum minoris aestimationis, quam vita patris, ejusque prolongatio. Ex eadem ratione peccant (idque graviter, nisi imperfectio actus a mortali excuset) qui ad [illegible] dives quasque, & quotidianas hujus vitae [illegible] filii mortem exoptant; cum contra rectum Charitatis ordinem, majus malum eligant prae minori. Atque in hoc sensu damnatae sunt ab Innoc. XI. sequentes tres propositiones: quarum prima (ord. 13.) ita sonat: Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum. Secunda (ord. 14.) Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas. Tertia (15.) Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

Dixi 2. Ac desiderium illud directe, ac immediate feratur in solum bonum desiderantis &c. Si enim praevio motivo feratur in mortem, ut proximo mala est, utique illicitum foret; cum optare proximo malum, quatenus ei malum est, sit actus inimicitiae [illegible] proximo omnes fatentur.

ARTICULUS II.

De Discordia, Seditione, & Contentione.

SUMMARIUM.

210. Quid sit discordia, & quale peccatum. 211. Quid contentio, & quale peccatum. 212. Deducitur corollarium. 213. Quid seditio, & quale peccatum. 214. Deducitur corollarium [illegible].

210. Dico primo. Discordia (1.) est dissensio voluntatum a voluntate proximi circa bonum, in quo quis deberet cum eo consentire; atque (2.) peccatum mortale ex genere suo; cum ab Apostolo ad Galat. 5. numeretur inter peccata a Regno Dei excludentia, & opponatur Charitati concordiam, & consensionem in bonum debitum exposcenti. Eadem tamen venialis potest, quando deficitur, vel plena deliberatione, vel versatur circa bonum exigui momenti.

211. Dico secundo. Contentio (1.) est altercatio verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam; atque de se peccatum mortale ex genere suo; cum similiter ab Apostolo loc. cit. accenseatur peccatis a Regno caelorum excludentibus; sitque contraria Charitati, quatenus est dissidium [illegible] a proximo in bono verborum, quod eidem [illegible] semper necessarium valet, & aliquando [illegible] circumstantiarum, [illegible]. Potest autem fieri verbis [illegible] quia [illegible] impugnatur [illegible] est. Primus est, dum quis contendit adversus veritatem a se agnitam. Secundus, dum quis rem propositam sic impugnat, ut non curet, utrum vera, an falsa sit. Tertius, dum quis impugnat rem propositam, nisi possit, ac debeat scire esse veram, quomodo se gerunt Haeretici. Qualitercumque veritas impugnatur, mortaliter peccatur, nisi interveniat imperfectio deliberationis, vel veritas, quae impugnatur, sit parvi momenti.

212. Colliges, quod non committit peccatum contentionis, qui cum altero verbis contendit animo defendendi veritatem contra falsum assertorem illius; neque qui cum altero disputat vel exercitii gratia, vel ad explorandam ejus doctrinam. Utrumque patet ex definitione contentionis. Cavendum tamen est ne superbia, sive alia altercatio ex modo disputandi, aliisque circumstantiis vitiosa evadat.

213. Dico tertio. Seditio (1.) est dissensio civium &c. (2.) peccatum mortale ex genere suo idque speciale contra Charitatem: quia politica pax, & unitas civium in eodem Reipublicae corpore magnum profecto bonum est, & per seditionem specialiter laeditur.

214. Colliges, non esse, nec posse dici seditiosos, qui ex seditione excitata bonum pacis defendunt, & conservant, aut resistunt [illegible], [illegible] [illegible] resistendo. Ratio patet est, quia [illegible] dissensionem, sed consensionem civium procurare conantur.

nitur. Ex quo eodem capite fluit, ut tales neque alicujus peccati, cujuscumque demum, arguendae sint.

ARTICULUS III.

De Scandalo.

CUm explicatio scandali in ordine ad statum magni momenti sit, necessarium, vel saltem congruum est, ut praesentem articulum in plures §§. dividamus, quo majori claritate quaestiones circa illud discutiendas proponere, ac decidere valeamus. Sit ergo

§. I.

Quid, & quotuplex sit scandalum?

SUMMARIUM.

215. Scandalum quid nominis. 216. Definitur, quid sit quoad rem. 217. Specificantur aliquot casus, in quibus non committitur reale scandalum. 218. Divisio scandali in varia membra.

PRaenotandum, nomen *scandali* origine sua esse vocem graecam, & proprie significare offendiculum, quod alicui in via struitur, ut cadat. Unde Theologi per metaphoram scandalum nuncupant omne illud, quo in hac vita, seu via, qua ad patriam pergimus, praebetur alicui occasio ad lapsum, seu ruinam spiritualem. Atque de scandalo, hac posteriori ratione accepto, impraesentiarum nobis sermo erit. Hoc praemisso,

216. Dico primo. Scandalum *est dictum, vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.* S. Thomas 2. 2. q. 43. *art.* 1. & alii passim.

Explicatur definitio. Dicitur 1. *Dictum, vel factum:* quia, ut testatur Doctor Angelicus *loc. cit. ad* 1. sola cogitatione, sed actu interno, licet includat voluntatem pertrahendi aliquem ad peccatum, non committitur tale scandalum, quale hic cum communi aliorum definimus: nam enim ejusmodi cogitatio in animo [illegible] alterum ad peccandum movere, neque inducere [illegible]; sed [illegible] id praestare apta est. Unde in definitione scandali omittitur [illegible], quod [illegible] in definitione peccati [illegible]. Comprehenditur [illegible] nomine dicti, vel facti etiam externi operis omissio, sicut de definitione peccati diximus part. [illegible].

Dicitur 2. *minus rectum*, idest, vel simpliciter malum, vel saltem habens speciem mali: sunt enim quaedam opera in se quidem absolute bona, [illegible], quae tamen aliis peccaminosa videntur, & sic [illegible] praebent occasionem ruinae spiritualis.

Dicitur 3. *praebens occasionem*, hoc est, causam saltem imperfectam, & aliqualiter motivam ad peccandum. Non enim ad rationem scandali requiritur, ut quis positive alterum inducat imperio, suasione, vel consilio in peccatum; neque ut ruina alterius ipsa sequatur, sed sufficit, quod ponat actionem, ex qua hic & nunc ruina sequi possit, & probabiliter futura praevideatur ruina proximi.

Dicitur 4. *ruinae spiritualis*, id est, peccati vel mortalis, vel venialis.

217. Colliges, non committi vere scandalum in [illegible] casibus: 1. Quando ruina proximi nequidem probabiliter praevidetur, quia tunc deficit ratio voluntarii: sine cujus influxu nullum peccatum, adeoque nec scandalum consistere valet. 2. Quando praelati factum [illegible] vel superiori judicium, sed [illegible] judicio sistunt, quia non [illegible] justitiae, quod manifeste exclusum est a [illegible]. Si enim procederent ad judicium [illegible], quod fieri persaepe solet [illegible] inter Religiosos [illegible], aut commendo [illegible] Communitatem Religiosam [illegible], & consequenter [illegible] ad id [illegible] scandali inferentur: [illegible] judicium [illegible] circa [illegible] personam [illegible] ut diximus [illegible] ad illud inducens non potest [illegible] scandali, [illegible], quatenus apud illos [illegible] proprium [illegible]. 3. Quando [illegible] nullum apud circumstantes [illegible], ut periculum imitationis absit. 4. Quando adstantes sunt ita in bono firmi, & stabiles, ut nunquam moveantur malo aliorum exemplo; nam horum tunc ruina spiritualis nec subsequitur, nec etiam probabiliter tantum, subsecutura praevidetur. 5. Quando praesentes sunt tam perversi, & ad omne, vel idem scelus parati, ut nequaquam alieno exemplo, sed suapte nequitia in ruinam trahantur. Verum hic distinctione opus est, & cogitanda duplex animi praeparatio: una generalis, & conditionata; qualis reperitur v. g. in publica meretrice ad omnem libidinem prostituta, si quis mercedem offerat: altera particularis, & absoluta ad certum peccatum, cujus perpetrandi occasio, & materia jam adest, ac proinde nullius impulsu, vel auxilio indiget; qualis datur v. g. in aliquo helluone, qui in propina assidens mensa, vinumque appositum habens, sese inebriare decrevit, etiam nemine propinante. In priore casu generalis praeparationis scandalum committitur; non item in posteriore praeparationis particularis. Ratio disparitatis est, quia in isto fit inductio ad peccatum alterius, saltem exercite committendum; non item in isto, utpote in quo nulla praebetur causa, vel occasio moraliter influens in ipsum alterius peccatum, sive mentaliter, sive realiter, & exercite consideratum, sed summe in ejus accelerationem, seu ut citius fiat: quod culpa vacat, si justa causa accedat, ut patet in exemplis SS. Martyrum, qui non raro tortoribus stimulum addidere ad jussa Tyrannorum alacrius, & celerius exequenda, quo velocius martyrii lauream adipiscerentur: imo Christus ipse *Joan.* 13. proditorem suum hisce verbis stimulavit: *quod facis, fac citò*: ut humani generis redemptio acceleraretur: *Michel part.* 1. q. 3. §. 5. a n. 5.

218. Dico secundo. Scandalum dividitur in *activum, & passivum.* Activum subdividimus in *proprium, & per se tale*; ac in *improprium, & per accidens tale*; proprium rursus in *directum, & indirectum*: passivum vero in *datum, & acceptum.*

Explicatur. Scandalum activum est dictio, actio, vel alterutrius omissio, quae proximo praebetur, vel ab eodem sumitur occasio ruinae spiritualis: passivum vero est ipsa ruina spiritualis proximi, ex alterius dictione, actione, vel omissione orta, aut sumpta.

Scandalum activum proprium est, quo proximo praebetur occasio ruinae spiritualis; & improprium, ex quo proximus mere sumit talem occasionem.

Scandalum activum proprium directum est, quando quis dedita opera aliquid dicit, facit, vel omittit, ut proximum inducat ad peccatum; ut si adulter blanditiis, vel muneribus sollicitat alienam ad adulterium: & siquidem intendit alterius peccatum formaliter, seu quatenus peccatum, mors animae, ac Dei offensa est, vocari potest scandalum directum *quoad formale*; estque omnium gravissimum, & plane diabolicum, in solis daemonibus, & hominibus desperatis reperibile: si vero intendat alterius peccatum materialiter tantum, idest, actionem illam, cui malitia peccati annexa est, ut sibi utilem, vel delectabilem, vocari potest scandalum directum *quoad materiale* solum, quamvis & ipsum sit peccatum graves prout §. seq. ostendemus. Scandalum activum proprium indirectum est, quando quis aliquid dicit, facit vel omittit, unde praevidet, saltem probabiliter, alterum in ruinam spiritualem inductum iri ex motivo talis dicti, facti, vel omissionis, esto ejusmodi inductionem directe non quaerat: ut si quis coram adolescentibus proferat verba impudica, & turpia.

Scandalum passivum datum est ruina spiritualis, cui alterius dictio, actio, vel omissio causam praebet, id est (ut supra exposuimus) revera mala, vel saltem mali speciem praeseferens, atque adeo suapte natura in peccatum inductiva, occasionem praebet: tale est libidinosa delectatio hausta ex alterius turpiloquio: & contemptus Status Clericalis ob scurrilitatem in dicto Clerici habituatam, ut populo scandalum. Atque hoc scandalum correspondet scandalo activo proprio, & per se tali: quod utrumque comprehendit definitio supra allata, & explicata; utrum, scandalum nempe activum, magis principaliter, & in recto; alterum vero, seu scandalum, passivum minus principaliter, & in obliquo. Scandalum passivum acceptum est ruina spiritualis, cujus occasionem aliquis ex alterius dictione, actione, vel omissione sumit, praeter naturam ipsius dictionis, actionis, vel omissionis, utpote quae nec in se mala est, nec speciem mali praesefert: hujusmodi scandalum committunt, qui moventur ad

invidiam,

invidiam, dum alterum ob bene gesta laudari audit. Atque istud scandalum correspondet scandalo activo improprio, & per accidens tali: quorum tamen neutrum in definitione scandali supra tradita includitur; cum nec scandalum activum improprium sit dictio, vel actio minus recta, & suapte natura in peccatum inductiva; nec passivum, ei correspondens, ruina spiritualis ex simili dictione, vel actione procedens: veluti hucusque dicta consideranti patet. Evenire autem scandalum acceptum potest ex triplici causa, nimirum *ex simplicitate, ex fragilitate, & ex malitia accipientis*. Ex prima evenit, dum quis in illud incidit ob simplicitatem, seu infirmitatem sui intellectus, & judicii: ut siquis videns Clericum in publica platea cum femina loquentem, sinistrum de eo judicium ferat. Ex secunda evenit, dum quis in illud incidit ob naturæ suæ fragilitatem: ut si ex ornatu feminæ etiam licito labatur in pravum desiderium. Atque ex istis duabus causis si eveniat, appellari solet *scandalum pusillorum*. Ex tertia evenit, dum quis in illud incidit ob puram malitiam, & perversitatem suæ voluntatis; ut Pharisæi (unde hoc scandalum suam appellationem habet, & nuncupari *Pharisaicum* solet) qui ex dictis Christi, licet perfectissimis, scandalizati sunt.

§. II.

An omne Scandalum sit peccatum, & quale?

S U M M A R I U M.

219. *Scandalum activum proprium est peccatum mortale ex genere suo; potest tamen esse veniale ob parvitatem materiæ.* 220. & 221. *Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 222. *Scandalum directum, & probabilius etiam indirectum est speciale peccatum contra Charitatem.* 223. *Proponitur, & solvitur objectio.* 224. *Qui proximum in re gravi scandalizat, sive directe, sive indirecte, tria peccata mortalia patrat.* 225. *Scandalum activum improprium subinde est, subinde non est peccatum.* 226. *Asseritur, & explicatur, quale peccatum sit scandalum passivum.* 227. *Determinatur, qualiter se tam scandalizans, quam scandalizatus in confessione explicare debeant.*

219. Dico primo. Scandalum activum proprium, & per se tale est peccatum mortale ex genere suo; potest tamen (2.) esse veniale ob parvitatem materiæ. Ita communis, & certa DD. sententia.

Probatur prima pars tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem: quia Christus *Matth.* 18. inquit: *Væ homini, per quem scandalum venit*; & *v.* 6. *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*: quidni & profundum laci infernalis pice, & sulphure stagnantis? Ratione vero: quia proximum inducere ad peccandum mortaliter est damnum omnium damnorum, quæ eidem inferri possunt, gravissimum, cum sit privatio bonorum spiritualium animæ, & juris ad æternam beatitudinem.

Probatur etiam secunda pars. Quia peccatum veniale in ordine damnorum spiritualium est solum quid leve, & ruina parva; ergo inductio ad illud non est nisi leviter peccaminosa: & consequenter scandalum ob parvitatem materiæ potest esse peccatum veniale. Idque verum est, tametsi inducens directe intendat, & quidem per actum mortaliter malum, similem ruinam proximi; cum allegata ratio etiam in tali casu valeat, possitque ostendi a simili; nam siquis committeret fornicationem, rem levissimam furandi causa, furtum non esset nisi veniale peccatum, esto fornicatio ipsa foret mortale; ergo pariter &c.

220. Objicies primo contra primam partem. Scandalum est necessarium; ergo non est voluntarium: & consequenter neque peccatum. Ant. habetur *Matth.* 18. *Necesse est, ut veniant scandala.*

Respondetur, antecedens, ejusque probationem intelligi debere non de necessitate absoluta, quæ impedit rationem voluntarii, & peccati, sed de conditionali tantum, quæ præscita, & pronunciata est a Deo, cum qua consistere voluntarium, & peccatum potest.

221. Objicies secundo contra secundam partem. Peccatum veniale est gravius damnum, quam quodcunque damnum temporale; ergo sicut graviter peccat, qui proximo injuste infert damnum grave temporale, ita, ita & a fortiori, graviter peccare censendus est, qui eidem infert damnum spirituale per inductionem in peccatum veniale.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. ajo cum Palao *tr.6. disp.6. pun.2. n.1.* damnum aliquod, ut censeatur grave, vel leve, debere considerari, & mensurari in proprio ordine, absque comparatione ad damna alterius ordinis: cum ergo peccatum veniale ordine damnorum spiritualium sit quid leve, consequitur quod inductio illud solum contineat culpam levem.

222. Dico secundo. Scandalum activum directum (1.) est speciale peccatum contra Charitatem proximi; & probabilius (2.) etiam indirectum. Prima pars admittitur ab omnibus. Secundam tenent Suarez *de Charit. d.* 10. *sect.* 2. Coninck, Layman, Tannerus, & alii contra alios.

Probatur prima pars. Quia præbens hoc modo scandalum intendit, & quærit directe damnum spirituale proximi; ergo transgreditur præceptum Charitati proximo debitæ, quo illud vel maxime prohibetur; ergo peccat peccato virtuti Charitatis specialiter adversante.

Probatur etiam secunda pars. Vere committis peccatum detractionis contra Justitiam, si aliquid loqueris ex quo prævides secuturum proximo damnum in fama, etiamsi tale damnum non intendas, aut quæras directe: item vere committis peccatum sacrilegii contra virtutem Religionis, si fornicaris in loco sacro, tametsi injuriam, ac irreverentiam, quam turpi tua actione in loco sacro irrogas, non intendas directe, sed solam carnis voluptatem; atque ita de aliis; ergo etiam vere committis peccatum scandali contra virtutem Charitatis, si aliquid dicis, facis, vel omittis, ex quo prævides secuturum proximo damnum in anima, etiamsi tale damnum non intendas, aut quæras directe.

Confirmatur. Qui sine rationabili causa ponit actionem de se bonam, vel indifferentem, ex qua prævidet, alterum scandalizatum iri, peccat specialiter contra Charitatem peccato scandali, licet alterius ruinam non intendat, aut quærat directe: prout ipsimet Adversarii concedunt; ergo etiam contra eandem virtutem, & eodem peccato peccat, qui ponit actionem de se malam, ex qua prævidet, alterum scandalizatum iri, tametsi non intendat, aut quærat directe alterius ruinam. Plane non video, qualem disparitatem Adversarii reddere possint; nam ex una parte actio de se bona, vel indifferens utique non est deterioris conditionis, quam actio de se mala, ut illa contrahat malitiam contra Charitatem, non vero ista: ex altera autem parte nullum impedimentum, aut implicantia est assignabilis, quin actio ex uno capite mala, possit insuper evadere mala ex alio capite, & in alia peccati specie.

223. Objicies contra secundam partem. Species in moralibus non sumitur ab eo, quod fit præter intentionem operantis: sed ruina, & damnum spirituale proximi in præsenti casu fit præter intentionem operantis; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Non sumitur ab eo, quod fit præter omnem intentionem operantis tam directam, quam indirectam, con. non sumitur ab eo, quod fit præter intentionem operantis directam, non autem indirectam, subdist. loquendo de specie actus boni, con. loquendo de specie actus mali, neg. maj. Sed ruina, & damnum spirituale proximi in præsenti casu fit præter intentionem operantis directam, con. indirectam, neg. min., & cons. Species peccati, seu actus mali etiam sumitur ab eo, quod est indirecte voluntarium, sive volitum, esto res se aliter habeat quoad speciem actus boni.

224. Colliges, eum, qui graviter peccavit, v. g. peccato furti, & alterum ad idem peccatum sive directe, sive indirecte induxit, tria commisisse peccata mortalia, duo contra Justitiam, & unum contra Charitatem. Si directe induxerit, fatentur omnes: si indirecte tantum, diffitentur illi, qui tenent, scandalum indirectum non esse speciale peccatum contra Charitatem: hi quippe tales in posito casu duo duntaxat peccata contra Justitiam, unum videlicet proprium furantis, ac inducentis, alterum vero alienum, cujus particeps effectus sit inducens, agnoscunt. Sed ita sentientibus obviam itum est in secunda parte conclusionis, ejusque probatione. Unde corollarium sine distinctione inter scandalum directum, & indirectum, fluit ex doctrina per conclusionem asserta, & per probationes stabilita. Nam in primis furans in exemplo allato commisit furtum proprium,

proprium, seu in propria persona; ut patet: deinde se participem reddidit furti alieni, seu commissi ab illo, quem ad furandum induxit: sicut enim virtutes obligant, ne quis in propria persona admittat aliquid ipsis oppositum, ita obligant, ne quid simile causet in altero. Commisit præterea talis peccatum scandali sive directi, sive indirecti, quod, sive uno, sive altero modo fiat, secundum dicta opponitur specialiter Charitati. Unde in confessione exprimere debet non solum, quod ipse furatus sit, sed etiam quod alterum ad idem faciendum induxerit; ut sic Confessario prememorata peccatorum trinitas innotescat. Ita Sanct-Gallenses hic *q. 4. post conclus. 5.* & Authores pro secunda nostræ conclusionis parte relati.

Dices. Qui feminam induxit ad fornicandum, non peccavit peccato scandali, Charitati specialiter repugnante; ergo nec taliter peccavit, qui alterum induxit ad furandum. Conf. tenet a pari. Ant. probatur inde, quod in confessione non teneatur ejusmodi inductionem exprimere.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. njo, quod ideo tantum non teneatur ejusmodi inductionem exprimere in confessione; quia Confessarius ex communiter contingentibus præsumit, marem induxisse. Unde si res contra accidisset, & femina induxisset marem, id in confessione exprimi deberet a femina; quia cum non communiter contingat, ut femina marem inducat, Confessarius id præsumere non potest.

225. Dico tertio. Scandalum activum improprium, & per accidens tale, subinde est, subinde non est peccatum. Hæc assertio patebit ex dicendis *n.* 238.

226. Dico quarto. Scandalum passivum non est peccatum speciale, sive alicui certæ, & determinatæ virtuti oppositum, sed vagatur per omnia vitia, potestque esse contra quasque virtutes, & reipsa est contra illam, contra quam inductus, seu scandalizatus peccat. Communis.

Probatur. Quia qui peccat ab altero inductus, non admittit aliud peccatum, quam quale admisisset, si sine inductione, & suapte nequitia in illud incidisset: nec specialem deformitatem involvit, quod quis ex alterius dicto, vel facto occasionem peccandi sumat; ergo &c.

227. Colliges, scandalizatum non teneri in confessione exprimere, quod ab alio ad peccatum, de quo se accusat, inductus sit; sed satisfacere, si specificet peccatum, quod ex inductione commisit. Ratio liquet ex proxime dictis. Scandalizans e diverso tenetur (in materia gravi, & regulariter loquendo) exprimere, quod intenderit inducere, aut reipsa induxerit alterum ad peccandum; prout relinquitur ex dictis *num.* 224. Tenetur præterea explicare, quas personas induxerit, puta, an sacras, conjugatas &c.? ut sic Confessario innotescant species peccatorum, quorum scandalizans se participem reddidit: item quot personas induxerit, an unam, duas, tres &c.? quia peccatum scandali multiplicatur numerice juxta numerum eorum, qui scandalizantur; Confessarius autem non solum peccatorum mortalium speciem, sed etiam numerum percipere a pœnitente debet. Quod si contingat (uti contingere non raro solet) numerum personarum scandalizatarum esse explicatu moraliter impossibilem, satisfaciet scandalizans, si dicat, se multis, pluribus, vel plurimis præbuisse ansam spiritualis ruinæ. Sanchez *lib. 1. Decal. c. n.* 8. Bonacina, Sporer &c.

§. III.

Quænam opera, scandali in proximo vitandi causa, omitti debeant, vel possint?

S U M M A R I U M.

228. & 229. *Explicatur status quæstionis.* 230. *Opera, quæ a recta ratione præcipiuntur, non tenemur, nec possumus omittere ob scandalum sive pusillorum, sive pharisaicum in proximo evitandum, regulariter loquendo.* 231. & *seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 235. *Opera, quæ a recta ratione tantum consuluntur, debent, ad tempus saltem, omitti, vel differri, ob scandalum (1.) pusillorum; non item (2.) ob pharisaicum declinandum.* 236. & 237. *Deducuntur duo corollaria pro praxi.* 238. *Opera, quæ a recta ratione solum permittuntur, non tenemur omittere (dummodo non deserviant proxime ad peccatum alterius) ob vitandum in proximo scandalum sive pusillorum, sive pharisaicum tantum, si interveniat causa aliqua rationabilis; secus, si talis causa non interveniat.* 239. & *seqq. Deducuntur varia corollaria ad praxim vel maxime facientia.*

228. PRænotandum primo, & ex alibi dictis in memoriam revocandum, opera, quæ sub rectam rationem cadunt, esse in triplici differentia. Aliqua quippe ab eadem præcipiuntur, ut auditio Missæ in die festo; observatio jejunii, tempore Quadragesimæ &c. alia tantum consuluntur, ceu meliora, suo quodlibet opposito; ut auditio Missæ in die profano, ingressus Religionis &c. & alia solum tanquam licita permittuntur; ut remos ducere, arma, aut tormenta bellica convehere &c. Quæstio de omnibus, & singulis hisce operibus procedit.

229. Prænotandum secundo, nullam esse controversiam de scandalo passivo dato; hoc enim vitari semper debet, haud minus, ac scandalum activum proprium, & per se tale (utpote præcepto negativo, *ne proximus in peccatum inducatur*, prohibitum, adeoque intrinsece malum, & semper illicitum) ex quo suam originem trahit, & cui tanquam effectus causæ correspondet: sed de scandalo passivo accepto tantum (sive sit pusillorum, sive pharisaicum duntaxat) quod correspondet scandalo activo improprio, & per accidens tali. Nunc

230. Dico primo. Opera, quæ a recta ratione præcipiuntur, non tenemur, nec possumus omittere ob scandalum, sive pusillorum, sive pharisaicum, in proximo evitandum, regulariter loquendo. Filliucius *tr.* 28. *c.* 10. *n.* 215. Brancatus, Matthæucci, Augustinus Michel &c.

Probatur tum ex authoritate, tum ex praxi fidelium. Ex authoritate quidem: quia Innocentius III. *in c. 2. de novi operis nunciat.* inquit: *Opera illa, quæ sine peccato mortali omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda*: atqui opera, quæ a recta ratione præcipiuntur, non possunt (quando materia est gravis) sine mortali peccato omitti, eo scilicet tempore, quo illorum positio urget; ergo &c. Idem cum proportione applica, si opera a recta ratione præcipiantur, & materia eorum existat levis: quoniam nec talia, cum sine peccato veniali omitti non possint, pro vitando scandalo sunt dimittenda. Unde subintrat regula, quam tradit Apostolus *ad Rom.* 3. ubi ait: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Ex praxi fidelium vero siquidem prudentes juxta, ac pii fideles firmiter sibi persuadent, præcepta etiam obligare in casu scandali accipiendi: unde & illa intrepide implent, imo religioni sibi ducerent, si non implerent, tametsi prævideant, alios ex tali impletione scandalum sumpturos. Sic Vir prudens, & devotus non abstinet a templo, & auditione sacri in die festo, nec Matrona honesta, tametsi ille prævideat, forte, ut conceptum erga se odium in inimico ibidem comparaturo recrudescat; & ista, ut a certo quodam juvene turpiter adametur &c.

Dixi in conclus. *regulariter loquendo*. Videntur enim excipiendi duo præcipue casus. Unus est, quando opus præceptum suapte natura ordinatur ad cohibendum proximi peccatum; cujusmodi est correctio fraterna v. g. Tunc enim videtur esse locus rationabilis epickiæ, qua liceat interpretari voluntatem Legislatoris, & judicare, quod simile præceptum non porrexerit ad casum, ubi ex illius impletione peccatum scandali sequeretur. Alter est, si scandalum sumeretur non ab uno tantum, vel altero, sed a tota aliqua Communitate. Nam & hic videtur præsumi posse, Legislatorem, qui in ferenda lege bonum commune specialiter respicere, ac intendere debet, haud voluisse comprehendere casum, quo sequeretur ex observatione legis malum commune, seu scandalum totius Communitatis. Exemplum mox afferemus.

231. Objicies primo. Parochus v. g. die festo sive casu, sive culpa non jejunus, tenetur tamen celebrare ad vitandum scandalum populi, non obstante præcepto, quo jubetur celebrare jejunus; ergo præceptum cessat scandali vitandi gratia.

Respondetur, concesso antecedente, dist. conf. Ergo præceptum cessat scandali dati (de quo impræsentiarum sermo est) vitandi gratia, con. scandali accepti

cepti (de quo hic præcise loquimur) vitandi gratia, subdist. si hoc tale scandalum sit publicum totius alicujus Communitatis, con. si sit privatum unius, vel alterius tantum, neg. conf. Omissio celebrationis in casu esset scandalum activum proprium, & per se tale, eo quod præseferret speciem mali; & consequenter scandalum passivum, quod in populo oriretur, esset datum, intrinsece inhonestum, & omnino, posthabito etiam præcepto jejune celebrandi, evitandum. Et licet Parochus naturam scandali mutare posset, causam a celebratione excusantem afferendo, ubi scandalum, quod in populo sequeretur, non esset amplius datum, sed acceptum, id tamen facere non obligatur; imo si faceret, frustra se (quocunque demum modo) prostitueret: cum justa exceptionem proxime allegatam celebrare possit, imo teneatur, etiam scandali accepti declinandi causa, si istud sit publicum, uti esset in casu. Quod si scandalum esset privatum unius tantum, vel alterius, teneretur hos cum debita cautela admonere, & naturam scandali dati, vel potius dandi mutare, dicendo, se aliquid degustavisse, & idcirco, ceu non amplius jejunum, celebrare haud posse.

232. Objicies secundo. Femina potest, imo tenetur in confessione reticere peccatum carnis, si prevident, Confessarium (cui tamen necessario confiteri debet, alio non suppetente) ex illius narratione occasionem spiritualis ruinæ accepturum, tametsi integritas confessionis sit præcepta Jura Divino; ergo quandoque possumus, vel etiam tenemur, omittere opus præceptum scandali (licet hoc privatum existeret) vitandi causa

Respondet P. Aquilinus Aman, Provinciæ Bavaricæ Franciscanus *in suis Thesibus de scandalo pagin.* 59. hoc casum peccatum Confessarii non fore scandalum acceptum, sed datum.

Verum hæc responsio sustineri non potest, siquidem scandalum passivum datum correspondet scandalo activo proprio, ac per se tali, & consurgit ex dictione, vel actione (aut omissione) de se mala, vel saltem mali speciem habente: atqui confiteri peccatum carnis non est actio, vel dictio de se mala, neque mali speciem habens, ut patet; ergo &c.

Respondetur ergo aliter cum Sanct-Gallensibus hic *quæst.* 5. *post conclus.* 2. neg. ant. Si enim femina non teneatur, neque possit die festivo negligere sacrum, licet præsciat, ob suam formam quempiam sive ex pura malitia, sive ex fragiligate, spiritualiter ruiturum prout ipses P. Aman admittit) quare teneatur, aut possit in confessione reticere peccatum carnis, dum prævidet, Confessarium ob illius enarrationem, sive ex malitia, sive ex fragilitate occasionem ruinæ spiritualis capturum? cum tamen ad servandam confessionis integritatem adstringantur Jure Divino; ad audiendum vero sacrum Jure Ecclesiastico tantum; & ob formam feminæ æque sumi scandalum possit, supposita malitia, aut fragilitate videntis, quam ob enarrationem peccati carnalis, supposita malitia, aut fragilitate, audientis.

233. Objicies tertio. Quando imminet proximo periculum vitæ corporalis, teneor illi succurere, etiamsi idcirco omittendum sit, v. g. sacrum die festivo; ergo idem teneor facere, quando illi imminet periculum vitæ spiritualis &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia in priore casu proximus innocens, & invitus patitur periculum mortis corporalis, a quo sese eruere nequit: in posteriore autem sciens, & volens subit periculum vitæ spiritualis, quod amoliri facile potest, si velit.

Instabis. Si quis seipsum interimere cogitet, teneor id, si possim, impedire, intermissa auditione sacri, tametsi periculum mortis corporalis subeat voluntarie; ergo data disparitas non videtur subsistere.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Nam licet talis periculum mortis declinare valeat, adeoque illud voluntarie subeat absolute loquendo; ob vehementes tamen, & in similibus circumstantiis nimium prævalentes animi passiones ita perplexus redditur, ut ei difficilimum, & quasi moraliter impossibile sit memoratum periculum avertere: ubi proinde stringit præceptum fraternæ correctionis, cui, ceu fortiori, omnino cedere præceptum audiendi sacrum. Aliter res se habet in casu nostro; veluti ex dictis liquet.

234. Objicies quarto. Quando concurrunt duo præcepta, quæ simul executioni mandari non possunt, illud servandum est, quod strictius obligat: atqui præceptum de cavendo scandalo proximi, ceu naturale, strictius obligat, quam præceptam servandi v. g. integritatem confessionis, audiendi die festivo sacrum &c. & ambo simul executioni mandari non possunt, ut supponitur; ergo &c.

Respondetur, neg. min. quoad primam partem, vel potius suppositum, quod præceptum naturale de cavendo proximi scandalo mere accepto detur in casu conclusionis, ubi ponendum, vel intermittendum est opus, a recta ratione præceptum, vel prohibitum: quoniam ad hunc talem casum nunquam porrectum fuit; fere sicut præceptum *non occides* nunquam comprehendit casum, quo quis ab altero injuste invaditur. Revide dicta *par.* 1. *n.* 478.

235. Dico secundo. Opera, quæ a recta ratione tantum consuluntur, (1.) ob scandalum pusillorum, non item (2.) pharisaicum evitandum, debent ad tempus saltem omitti, vel differri, donec proximus admoneatur, aut instruatur. Communis.

Probatur prima pars. Quia rectus ordo Charitatis postulat, ut aliquid condonemus infirmitati sive intellectui, sive naturæ proximi, quando sine notabili detrimento proprio possumus: atqui sine notabili detrimento proprio possumus ad tempus omittere, vel differre opera consilii, utpote quæ ad salutem necessaria non sunt; ergo &c.

Probatur secunda pars a contrario. Siquidem recta ratio, aut Charitas non exigit, ut puræ alterius malitiæ cum nostro detrimento consulamus; alioquin unusquisque posset nobis malitia sua nocere: sed si teneremur omittere opera consilii ob evitandum scandalum pharisaicum, deberemus consulere alterius malitiæ cum nostro detrimento, videlicet spirituali, quod ex omissione operum nobis emergeret; ergo &c.

Confirmatur. Qui ex pura malitia scandalum accipit, non versatur in vera aliqua necessitate spirituali, cui non possit ipsum sine alterius adjutorio occurrere; ergo non apparet, unde alios teneantur suppetias ferre &c. idque cum suo detrimento.

Dixi in conclus. *donec proximus admoneatur, & instruatur.* Si enim supposita admonitione, & instructione proximus adhuc scandalum patiatur, id non erit amplius scandalum pusillorum (maxime si originem antea traxerit ex simplicitate patientis) sed pharisaicum, ob cujus evitationem nullum opus consilii intermittere obligamur; prout immediate ostendimus.

236. Colliges ex dictis primo, ob scandalum pusillorum, non item ob pharisaicum evitandum, quandoque differendum esse ingressum Religionis ad tempus, donec nimirum scandalizandi per idoneas rationes instruantur; non tamen omnino esse omittendum; partim quia illius utilitas præponderat scandalo v. g. parentum, consanguineorum, vel aliorum: partim quia supposita admonitione, & instructione, omnique conatu adhibito ad scandalum impediendum, si istud nihilominus sequatur, merito censetur jam non amplius sequi ex infirmitate, & esse scandalum pusillorum, sed ex malitia & esse scandalum pharisaicum, ob quod evitandum utique non tenetur quis carere tanta utilitate spirituali. Sanct Gallenses *loc. cit. pag.* 561.

237. Colliges secundo, feminam, ex cujus aspectu mas aliquis in particulari prævidetur sumpturus scandalum pusillorum, teneri aliquoties emanere e templo, & omittere sacrum die non festivo: secus si prævideatur sumpturus scandalum mere pharisaicum. Ratio ex dictis patet. Dixi autem: *mas aliquis in particulari.* Nam si in genere tantum prævideatur alicujus ruina, non tenetur femina se continere domi, sacrumque negligere. Disparitas est: quia si in genere tantum prævideatur, seu timeatur alicujus ruina, præsumitur hæc tantum fieri ex malitia; ut enim timeatur scandalum ex simplicitate, aut fragilitate, debet cognosci qualitas, & conditio personæ alicujus certæ, & determinatæ, scandalum accipientis: prout cum Vasquezio recte notant Sanct-Gallenses *citt.*

Dices. Tenetur quis aliquando omittere opus consilii propter correctionem fraternam proximi, tametsi iste peccet ex pura malitia; ergo etiam scandali pharisaici vitandi gratia omittendum quandoque est opus consilii.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia pecca-

cum, cujus tollendi spes est per correctionem fraternam, non sumit occasionem ex ipso opere consilii, ac proinde si spes sit emendationis, obligat præceptum Charitatis, & Misericordiæ ad proximum corrigendum, etiam omisso opere consilii: quod tamen opus non est intermittendum ad impediendam alterius malitiam, ubi non obligat præceptum fraternæ correctionis; alioquin, ut diximus, quilibet malitia sua nobis nocere posset.

238. Dico tertio. Opera, quæ a recta ratione mere permittuntur, & indifferentia sunt, licite exercemus, adeoque omittere non tenemur (dummodo non deserviant proxime ad peccatum alterius) ob vitandum scandalum sive pusillorum, sive pharisaicum tantum, si (1.) interveniat causa aliqua rationabilis: secus (2.) si nulla causa rationabilis interveniat. Denuo communis.

Probatur prima pars. Quia, dum intervenit rationabilis causa ejusmodi opera exercendi, proximus nullum obtinet jus nos obligandi ad abstinendum ab illis; neque nobis sed sibimet ipsi, suæque pravæ dispositioni imputare debet, si ex eorum exercitio arripiat ansam peccandi; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Quia repugnat legi Charitatis, & Misericordiæ, scienter non omittere opus, licet ex se indifferens, & alias permissum, quod quis videt esse moraliter connexum cum periculo spiritualis ruinæ proximi, quodque sine ullo suo incommodo omittere potest; ergo &c.

Ceterum quænam causa in præsenti rationabilis, seu justa censeri possit, ac debeat, ob quam opus indifferens, unde proximus occasionem spiritualis ruinæ arrepturus prævidetur, liceat exercere, adeoque peccatum scandali non impedire, sed potius materialiter ad illud cooperari, universali aliqua regula determinari nequit. Nam gravior requiritur causa, quando timetur ruina plurium, eaque gravis, quam unius, vel paucorum, & levis: aut quando peccatum proximi est majus, vel contra Justitiam, quam quando est minus, vel contra alias virtutes. Gravior porro causa requiritur, quando opus exercendum deservit propinque ad peccatum proximi, quam quando remote tantum; gravior item, quando, seclusa tua actione, non supponitur, alios idem acturos, & proximos ad peccatum cooperaturos, quam quando supponitur; gravior denique, dum timetur scandalum pusillorum, quam pharisaicum. Babenstuber *tr. 5. disp. 1. art. 6. §. 2. n. 20.*

Dixi in conclus. per parenthesim: *dummodo non deserviant proxime ad peccatum alterius*. Tunc quippe evadunt intrinsece mala, prout patebit ex dicendis infra *n.* 245. ad instantiam: & consequenter &c.

239. Colliges nunc primo, Catholicos, a Turcis, vel Hæreticis captos, ob gravem metum licite remigare in illorum triremibus; item licite arma comportare, tormenta bellica convehere, propugnacula ædificare &c. contra alios catholicos, contra quos bellum, licet in puncto Religionis, geritur: adeoque non incurrere censuram in Bulla Cœnæ latam. Lessius *lib. 2. de Justit. c. 19. n.* 18. Molina *tom. 1. de Justit. disp.* 115. Laymann *lib. 2. tr. 3. cap. 13. n. 5.* Ratio est: quia præstant opera secundum se indifferentia, ad quæ præstanda adiguntur metu mortis, gravissimorum verborum &c. qui constituit causam sufficientem ad id licite agendum. E diverso licite ignem admovent tormentis bellicis ad interitecionem Catholicorum, tametsi id facere recusantibus mors intentetur. Ratio est: quia hæc talis actio, cum proxime, & directe tendat ad nocendum innocentibus (maxime si bellum Religionem concernat) in vita, est intrinsece mala, nec proinde cohonestari potest etiam ex causa mortis intentatæ.

240. Colliges secundo, Matronam, vel virginem honestam, dum se splendide ornat pro sui status conditione, & more Religionis, non peccare (nisi id malo fine faciat) tametsi periculum scandali vagi, & indeterminati, sive pharisaici tantum, sive etiam pusillorum, prævideat. Sanchez *lib. 1. Decal. c. 6. n.* 17. Palao *tr. 6. disp. 6. pun. 7. n.* 1. & alii passim. Ratio est: quia & competit illi jus ad talem vestium ornatum, & esset nimis grave eo carere ob evitandum scandalum vagum duntaxat, & indeterminatum, utpote quod frequenter timeri potest, & præsumitur sequi ex mera malitia accipientis; prout animadversum est supra *num.*

237. Quod si tamen prævideret periculum scandali determinati, sive a determinata persona accipiendi, teneretur aliquoties domi manere, aut moderatius se vestire, ad avertendum tale scandalum, si esset pusillorum; secus, si esset pharisaicum, & suppeteret aliqua causa exeundi &c. Ratio primi est: quia Charitas obligat, ut simplicitati, ac infirmitati proximi condescendamus, ejusque ruinam, maxime spiritualem præcaveamus, quando id sine notabili nostro incommodo præstare possumus: sed femina id præstare potest absque suo notabili incommodo; cum tale non censeatur pati ex eo, quod una, alterave vice (ubi exitus aliunde non est valde necessarius, ut supponitur) domi se contineat, aut magis moderato vestium ornatu, adhuc tamen decenti, utatur; ergo &c. Ratio secundi est: quia ad permittendum hoc scandalum, cum originem ducat ex mera malitia accipientis, sufficit minor causa, v. g. si femina exire velit ad recreationem, ad negotium aliquod, licet non oppido necessarium perficiendum &c. quam ad permittendum scandalum pusillorum, quod nascitur ex infirmitate accipientis. Si tamen nullam omnino causam exeundi haberet, sed ex mera vanitate, aut levitate exiret, ubi se ab aliquo, licet ex pura ipsius malitia, turpiter adamatum iri prævideret, mortaliter delinqueret: siquidem ad istud quoque scandalum permitendum requiritur aliqua causa, licet minor, quam ad permittendum scandalum pusillorum; prout ex iterato dictis relinquitur.

241. Colliges tertio, mortaliter peccare feminas, quæ utuntur forma vestimentorum, ad venerem provocativa, nec debite contectiva. Ita P. Mezger *tom.* 3, *tr. 10. disp. 22. art. 5, n.* 22. P. La Croix *lib. 2. num.* 248, estque sententia in rigore verior. Ratio est: quia licet turpem sui amorem non supponantur intendere formaliter, convincuntur tamen eundem intendere virtualiter, & interpretative, hoc ipso, quod sic comptæ, aut nudatæ incedant. Unde censet P. Mezger *loc. cit.* idque consequenter ad doctrinam modo traditam, mulieri ita incedenti denegandam esse absolutionem Sacramentalem, nisi a tali cultu, & nuditate corporis abstinere promittat. Sed durus est hic sermo cum Confessariis, tum mulieribus, in locis, ubi consuetudo sic incedendi invaluit. Unde alii Authores permulti sequuntur sententiam oppositam, & sentiunt mitius, feminasque in talibus locis ita incedentes (dummodo turpem sui amorem non intendant) a mortali excusant: quamvis fateantur, eas, quæ primitus ejusmodi vestitum adinveniunt, & in locum aliquem introducunt, a mortali excusari non posse. Vide Sporer *de Scand. n.* 39.

242. Colliges quarto, mortaliter peccare pingentes, vel exponentes imagines valde obscœnas. Ratio est: quia ejusmodi imagines magis incitant ad venerem, quam sermones obscœni: sed qui miscent sermones obscœnos coram aliis, peccant mortaliter per se loquendo; ergo &c. Ob eandem rationem mortaliter peccant Comœdi, dum exhibent ludos notabiliter obscœnos, & quicunque alii ejusmodi ludos permittentes, si ex officio impedire teneantur, vel alias impedire commode possint, aut ad illos cooperantes, de quorum classe etiam censentur esse spectatores propter solutionem mercedis, editionem plausus, risus &c. Specialiter autem hic peccant Clerici, si ejusmodi comœdiis intersint. Ratio hujus ultimi est: quia ipsi, præterquam quod annumerantur cooperatoribus, laicis præbent grave scandalum, dum illos sua præsentia fovent, & movent ad liberius interessendum &c. La Croix *loc. cit. n.* 237. *& seqq.* aliique ab ipso relati.

243 Colliges quinto, non peccare mercatores, & opifices, dum vendunt res ita indifferentes, ut ad bonum, vel malum usum sint applicabiles, si sciant, non esse adhibendas ad malum usum. Ratio ex se patet: quia tunc non cooperantur ad malum; cum tale nullum ab emptoribus committi supponatur. Imo tametsi sciant, esse adhibendas ad malum usum, adhuc non peccant vendendo, dummodo venditio fiat ob justam causam. Ratio est: quia ex justa causa licet cooperari ad peccatum alterius (dummodo cooperatio non sit proxima) si illud a cooperante non intendatur, & a faciente intermitti possit, prout res se habet in præsenti. Porro justa causa, & cohonestans venditionem, si hæc sit cooperatio ad peccatum remota tantum, censetur esse ver. grat. diminutio ementium, idque sequi

narum

natum notabile damnum in bonis fortunæ. Si vero venditio sit cooperatio propinqua ad peccatum, ad eam cohonestandum requireretur gravior causa: unde si quis jam esset in procinctu ad occidendum inimicum, atque in hunc finem emere sibi gladium vellet, non posses eidem licite vendere, nisi ob causam propriæ mortis avertendæ. Sporer *loc. cit. a n.* 85. & alii apud ipsum.

244. Colliges sextò; non peccare caupones, quando ministrant vinum, cœnam, carnes, se inebriare, aut jejunium frangere volentibus, si denegando incurrerent notabile damnum, eo quod sua non possent distrahere, ab hospitibus desererentur &c. Ratio est; quia ex una parte adest justus titulus ministrandi; ex altera vero exercetur actio indifferens, qualis est ministratio vini, cœnæ, carnium; manetque hospitibus integrum, velintne excessive, vel moderate bibere, aut comedere. Quod tamen de appositione carnium restringendum est ad loca, in quibus viget mixta Religio, seu ubi Catholici commixti vivunt non catholicis: non enim licet ministrare carnes die jejunii hæretico (utpote qui & ipse lege jejunii obstringitur) in civitate catholica; sicut nec licitum est toti familiæ, in qua plures sunt ad jejunium obstricti, apponere cœnam, ubi permittitur collatio tantum. Ratio est: quia hic cessat titulus excusans; cum sine damno, saltem notabili, possis amoliri scandalum proximi; prout consideranti patet. Sanct-Gallenses *de Scand. in fin.* Idem titulus excusans cessare potest, si duo tantum, vel tres ad cauponam ventitent, ibique se inebriare, aut jejunium frangere soleant; cum contingere possit, ut ex eorum amandatione numerus divertentium non tantum non diminuatur, sed augeatur; atque adeo cauponi nullum inde damnum, sed potius emolumentum accrescat.

Neque dicas, cauponem tunc cariturum lucro, ex venditione vini, & ciborum a talibus hospitibus obtinendo; ergo non cessat titulus excusans.

Respondetur enim, neg. conf. & suppositum, quod carentia illius præcise lucri, utpote modici, sit aut esse possit titulus excusans. Quare ut caupo titulum excusantem habeat, debet & aliorum hospitum, seu divertentium numerus decrescere, indeque cessare lucrum ejus. Valentia, Rodriquez, Gobat, & alii apud, & cum Claudio La Croix *loc. cit. n.* 261.

245. Colliges septimo, non peccare famulos, aut famulas, dum obediunt suis heris in actionibus, ad eorum peccata remote ordinatis. Ita cum communi P. Cherubinus *loc. cit. num.* 331. & *n.* 345. Ratio est: quia hujusmodi remotam cooperationem ad peccatum excusant tum ratio servitii, tum, ac præcipue, evitatio damni alias subeundi, uti & aliorum incommodorum. Unde licite coquunt cibos vetitos; ministrant mensæ eos edentium: licite item heros, aut heras comitantur, portant, aut vehunt ad locum, in quo turpiter acturos præsciunt. Peccant e diverso si obediant in actionibus, ad peccata illorum proxime ordinatis. Patet hoc tum ex decisione Innoc. XI. damnantis hanc propositionem (*ord.* 51.) *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Tum ex ratione: quia sic cooperari ad peccatum, est velle ipsum peccatum saltem indirecte: atqui velle peccatum nullam ob causam licet, cum sit simpliciter, & intrinsece malum; ergo &c. Viva *super præcit. prop. num.* 4. La Croix *a num.* 25 et Augustinus Michel *loc. cit.* 51.

Dices. Delatio scalæ, apertio januæ &c. sunt actiones indifferentes; ergo non semper illicitæ.

Respondetur, dist. ant. Si spectentur secundum se, conc. si spectentur, prout hic, & nunc proxime deserviunt fini intrinsece malo, ejusque executionem promovent, neg. ant. & conf. in hoc posteriore sensu intellectam. Etiam actiones secundum se indifferentes habendæ sunt pro intrinsece malis, quoties executioni finis intrinsece mali proxime deserviunt; prout se habent actiones prememoratæ; quæ proinde ob nullam omnino causam exerceri licite possunt. Videantur Authores citati.

§. IV.

An sit peccatum Scandali permittere, suadere, vel petere aliquid, quod ab altero fit cum peccato?

SUMMARIUM.

246. *Peccat peccato scandali, qui peccatum proximi, dum potest, non impedit, sed permittit, ex intentione, ut is peccet, vel in peccato deprehensus cogatur pœnam luere: non autem peccat peccato scandali, nec alio, qui non auferendo occasionem peccandi permittit peccatum proximi, ut hic in eo deprehensus efficacius emendetur, vel ut permittens seipsum servet indemnem.* 247. *Ob prædictos fines probabiliter licet etiam offerre occasionem peccandi.* 248. *Esto proximus jam sit paratus, & determinatus, ad committendum majus peccatum, peccat nihilominus peccato scandali, qui ei suadet minus, ad quod non est determinatus; secus, si etiam ad hoc determinatus sit.* 249. *Peccatum scandali est petere a proximo aliquid, quod is sine peccato præstare non potest, licet præstare paratus sit: nullum vero peccatum est petere aliquid ab altero, quod is absque peccato præstare potest; etsi cum peccato præstiturus prævideatur: dummodo non petatur citra rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis.*

246. Dico primo. Peccat peccato scandali, qui peccatum proximi, dum potest, non impedit, sed permittit (1.) ex intentione, ut is peccet, vel in peccato deprehensus cogatur pœnam luere: non autem peccat peccato scandali, nec alio, qui non auferendo occasionem peccandi, permittit peccatum proximi (2.) ut hic in eo deprehensus efficacius emendetur, vel ut permittens seipsum servet indemnem. Communis.

Probatur prima pars. Quia peccatum proximi permittere in priore casu conclusionis est illud velle saltem indirecte; cum nulla concurrat causa, qua ejusmodi permissio cohonestetur: atqui nullus potest velle peccatum proximi absque peccato scandali; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Quia permittere peccatum proximi non est malum, si concurrat causa, qua ejusmodi permissio cohonestetur: sed ita res se habet in posteriore casu conclusionis; ergo &c. Unde a peccato excusandi sunt parentes, dum liberis, & heri, dum famulis, non auferunt occasionem peccandi, v. g. non occludunt cistam, in qua repositæ sunt pecuniæ, ut in furto deprehensos debite castigent, & ad servandam imposterum fidelitatem reducant. Ex quibus liquet disparitas inter præcedentem, & præsentem casum; nam in illo permittitur peccatum proximi, ut ei eveniat malum vel culpæ, vel pœnæ; in isto autem, ut ei, vel alteri eveniat bonum: prius non potest esse licitum; bene vero posterius.

247. Quæres, an etiam sit licitum ob prædictos fines offerre occasionem peccandi, v. g. proponendo in mensa pecunias, aperiendo cistam, cui inclusæ sunt &c.?

Respondetur, esse probabiliter licitum. Ita Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 5. Illsung. *tr.* 3. *disp. unic. art.* 6. *num.* 216. Sporer *n.* 64. cum pluribus aliis; imo expresse tenetur a S. Thoma *q.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 19. ubi ait: *Dicendum, quod pro nullo incommodo corporali vitando debet homo consentire in peccatum alterius: sed tamen pro aliquo incommodo vitando potest homo licite uti malitia alterius, aut materiam ei non subtrahere,* sed NB. *præbere*. Ratio est: quia ita præbentes, seu offerentes occasionem peccandi non cooperantur formaliter ad peccatum, sed tantum subministrando materiam, de se indifferentem, illud permittunt, non quidem ex intentione, ut fiat peccatum, sed ut peccantes corrigantur, damna avertantur &c. si (quod supponitur) illi alia via corrigi, & hæc averti nequeant.

Dices. Positive concurrere ad peccatum est intrinsece malum, neque ex ulla causa cohonestabile: sed offerentes occasionem peccandi positive concurrunt ad peccatum; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Licet enim concursus ille (videlicet positio pecuniarum in mensa, apertio cistæ &c.) sit positivus relate ad materiam peccati, quam subministrat; relate tamen ad ipsum peccatum committendum, censetur mere permissivus; eo quod sit de se indifferens, & vestiatur honesto fine: sicut in simili de appositione vini, carnium, cœnæ notatum est *n.* 244.

248. Dico secundo. Esto proximus jam sit paratus, & determinatus ad committendum majus peccatum, peccat nihilominus peccato scandali, qui ei suadet minus (1.) ad quod non est determinatus: secus (2.) si etiam ad hoc sit determinatus. Ita quoad primam partem Palao *tr. 6. disp. 6. pun. 6. n. 9.* Matthæucci *lib. 1. c. 17. n. 41.* Cherubinus Mayr *n. 329.* contra multos alios. Altera pars est communis, quamvis modus eam defendendi non sit uniformis.

Probatur prima pars. Quia inducere aliquem in peccatum, est intrinsece malum, & scandalum activum proprium, ac per se tale: sed qui proximo, licet ad committendum majus peccatum jam determinatu, suadet minus, ad quod non est determinatus, eundem inducit in peccatum, vereque existit author talis peccati; ut patet; ergo &c. Unde juveni v. g. ad committendum parricidium, adulterium &c. determinato, non auderem suadere (quidquid contra sentiant Laymann, Sporer, & alii) ut patrem pugnis cæderet, sive manum amputaret; ut cum soluta (etiamsi abstraherem a persona in individuo) carnaliter congrederetur &c. Quia cum non cogitaverit hæc minora peccato committere, ego ad illa committenda, vere inducerem, essemque eorum author: quod, ut diximus, intrinsece malum est, & verum peccatum scandali.

Dixi tamen in conclus. *qui suadet &c.* Nam qui tali peccaturo proponeret nudam veritatem, dicende, vel ostendendu; fornicationem v. g. esse minus peccatum, quam adulterium, non delinqueret; cum sic illum non induceret ad peccatum; ut patet consideranti.

Probatur etiam altera pars a contrario. Quia tunc suadens non inducit proximum in peccatum; cum non suadeat positionem mali minoris (ut in casu præcedente) sed omissionem majoris, quæ est bona; ergo etiam suasio, quæ eam ceu objectum respicit, erit bona; consequenter &c. Unde siquis esset determinatus ad committendum adulterium, & fornicationem; nec possem utrunque peccatum impedire, licite suaderem, ut sit contentus actione minus mala; qualis comparative ad adulterium est fornicatio. Similiter volenti furari centum recte consulerem, ut tantam quantitatem non auferat, sed ablatione minoris, v. g. decem, contentetur. Ubi tamen semper cavendum est præjudicium, & damnum tertii; nam illicite suaderem, ut ad adulterandum, & fornicandum paratus, fornicetur cum hac femina in individuo, v. g. cum Susanna, si ille cogitaverit fornicari cum Anna, vel adhuc abstraxerit a femina, quacum fornicari vellit; & medianti furari centum Petro, v. g. ut decem furetur Paulo: siquidem in utroque hoc tali casu persona tertia pateretur damnum ex mea suasione, quod sine ea subire non debuisset; cum nec fornicatio cum Susanna, nec furtum de rebus Pauli fuerit cogitatum, aut intentum.

Dixi in conclus. *quamvis modus eam defendi non sit uniformis*. Plerique enim id licitum volunt suasionem accipiendo in sensu positivo: quia tunc (inquiunt) suadetur minus peccatum, non quatenus malum est, sed quatenus minus est, & potiùs bonum, utpote majoris peccati impeditivum. Sed hi non placent: sicut enim non sunt facienda, ita nec positive suadenda mala, ut eveniant bona; neque bonum dici potest, cui adjuncta est malitia, etsi non suadetur, quatenus malum est. Quare alii suasionem relate ad minus malum accipiunt in sensu permissivo, quasi suadens dicat: *si non vis utrumque malum vitare, saltem majori abstineto*: quod est suadere omissionem majoris mali cum permissione minoris. Atque ita nos quoque intelligi volumus: ut patet ex probatione *conclus.*

249. Dico tertio. Peccatum scandali est (1.) petere a proximo aliquid, quod is sine peccato præstare non potest, licet præstare paratus sit: nullum vero peccatum est (2.) petere aliquid ab altero, quod is absque peccato præstare potest, tametsi cum peccato præstiturus prævideatur: dummodo non petatur citra rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis. Communis.

Probatur prima pars. Quia positive cooperari ad peccatum proximi, est peccatum scandali, ex quacunque causa similis cooperatio fiat: sed qui petit a proximo aliquid, quod is præstare absque peccato non potest, positivè cooperatur ad peccatum proximi; ut de se patet; ergo &c. Unde peccas peccato scandali, si petas a malefico solutionem maleficii, quod is tollere absque novo maleficio nequit.

Probatur secunda pars, Quia si rationabilis causa adsit, non tenemur impedire scandalum pharisaicum (imo nec pusillorum) prout relinquitur ex dictis *num.* 238. sed in præsenti est scandalum mere pharisaicum, cum ex sola alterius malitia proficisceretur (vel pusillorum, si forte ex simplicitate, aut fragilitate sumentis originem duceret) ergo si rationabilis causa adsit, non tenemur illud impedire; ergo possumus permittere sine nostro peccato sive scandali activi, sive quocunque alio. Hic nullo modo peccas, si ex causa rationabili petas mutuum ab usurario, quod prævides ab eo non concedendum sine usuris, dummodo te non ipsus offeras ad dandas usuras; prout recte cavent P. Matthæucci *loc. cit. n. 43.* & P. Cherubinus Mayr *n. 330.*

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

250. *Lelius Sacerdos moribundo præter actus fidei, spei, & doloris de peccatis, suggerere quoque debet actum dilectionis Dei super omnia.* 251. *Leander non satisfacit præcepto Charitatis erga proximum, si hunc solummodo amet externe, vel ex motivo ipsi, aliisve placendi.* 252. *Leopoldus, Ordinis Seraphici Religiosus, potuit in naufragio apprehensam tabulam concedere dicti Ordinis Patrono.* 253. *Leovigildo, ob contractas cum puella imparis conditionis nuptias, veniam roganti, parentes ignoscere obligantur.* 254. *Lotharius, cum pauperibus duriter agens, vel omnino eleemosynam denegans, peccare censendus est vel venialiter, vel etiam mortaliter.* 255. *Leontius, advertens, nonnulla fieri, de se mala ex ignorantia inculpabili, tenetur ignorantes monere.* 256. *Leonilla mortaliter peccat, dum contra tempestatem, & Deum tanquam tempestatis Auctorem cum indignatione conqueritur, & murmurat.* 257. *Leontianus prorumpens in hæc verba:* gauderem potius, quam dolerem, si pater meus moreretur, ut paterna hæreditate potius, mihi de victu, & vestitu melius prospicere possem: *a mortali excusari nequit.* 258. *Liberia, sciens, se turpiter amari a Liberio, quoties ipsi obviat, mortaliter peccat, dum nihilominus eidem se conspiciendam objicit; idque libere, & citra causam.* 259. *Luperius, opifex catholicus, licite potest diebus ab Ecclesia vetitis subministrare carnes famulis catholicis, alias discessuris, si ex eorum discessione magnam in re sua familiari jacturam pati cogeretur.*

CASUS I.

250. *Lelius Sacerdos vocatur ad ægrotum, quem ut ad felicem ex hac vita transitum disponat, elicit cum eo actus fidei, spei, & doloris de peccatis, audit confessionem, & sacramentaliter absolutum curat muniri sacro viatico, atque extrema Unctione. Quæritur, an Lelius suum officium per omnia rite obeat?*

Respondetur negative: sed debet illi præterea suggerere actum dilectionis Dei super omnia. Ratio est: quia ægrotus in articulo mortis (sive sit, sive non sit lethali noxa gravatus: item sive habeat, sive non habeat copiam Confessarii) tenetur elicere actum dilectionis Dei super omnia; ergo nisi ipsum eliciat (prout non elicere in Casu supponitur) Confessario ex officio incumbit, ut talem obligationem edoceat, & inculcet. Conf. est certa. Ant. similiter constat ex dictis n. 143. & præterea insinuatur in parabola Evangelica nomine *vigiliæ servi fidelis*: vigila enim servi fidelis in amore Domini consistit, ut venienti confestim aperiat; siquidem amor Dei super omnia, lumborum succinctione, & lucernarum ardentium gestatione, ac vigilanti expectatione exprimitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris; & vos similes hominibus spectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis; ut, cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei*: effectus enim amoris est apertio cordis, inquit Petrus Marchan. in *Tribun. part. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 1. quæst. 2.*

CASUS

C A S U S II.

255. *Leander, unus ex hujus seculi politicis, ut hominibus acceptus, gratusque fiat, omnibus, & singulis comem; atque affabilem se exhibet, obsequia sua offert, & præstat, necessitate pressis prompte succurrit, tametsi similia non procedant semper ex animo, neque omnibus, quibus bene facit, bene velit. Quæritur, an nihilominus præceptum Charitatis erga proximum observet, sicut oportet?*

Respondetur negative. Ita DD. communiter. Ratio fluit ex dictis *n.* 146. secundum quæ ad satisfaciendum præcepto Charitatis etiam erga proximum præter amorem externum requiritur amor internus, unaque supernaturalis: sed Leander relate ad illos, quibus in animo non bene vult, caret amore interno (imo & supernaturali, ut colligetur ex statim dicendis) relate vero ad alios, quibus bene vult, amore saltem supernaturali; cum amor peccaminosus, qualis est Leandri, quippe ex motivo vane placendi hominibus proficiens, nequeat esse supernaturalis; ergo &c.

Dices. Leander saltem erga illos, quibus in animo bene vult, exercet actum amoris quoad substantiam bonum, licet modo indebito, & vitioso: sed per actum quoad substantiam bonum potest præcepto satisfieri secundum dicta *par.* 1. *n.* 268. ergo &c.

Respondetur, transmissa majore, dist. min. Nisi modus ponendi actum sit necessarius ad moralem bonitatem etiam specificam talis actus, con. secus, neg. min. Modus amandi proximum propter Deum, seclusa quacunque vitiosa circumstantia, spectat ad bonitatem moralem etiam specificam amoris interni (circa cujus qualitatem argumentum præcipue versatur) qui, cum sit actus Charitatis theologice elicitus, debet esse intrinsece, & quoad substantiam supernaturalis; qualis tamen non est amor proximi vitiosus, licet ex circumstantia captum.

Dixi: *transmissa majore*. Potest enim, imo (ut verius loquar) debet negari: quoniam actus amoris, a Leandro exercitus, destituitur supernaturalitate, quæ ad ejus bonitatem etiam substantialem, & specificam est necessaria. Revideri possunt dicta *par.* 1. *& n.* 268. *citt.*

C A S U S III.

252. *Leopoldus, Ordinis Seraphici Religiosus, in Mari cum aliis naufragium passus, acquirit tabulam, qua mortis sibi impendentis discrimen evadere valeat: sed quoniam insignis quidam prædicti Ordinis Patronus in eodem naufragio Leopoldi opem inclamat, hic illi tabulam cedit. Quo fit, ut Leopoldus aquis submersus pereat, alter vero incolumis evadat. Quæritur, an Leopoldus licite agat?*

Respondetur affirmative. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. Suarez, Palao, Valentia, & alii passim. Ratio est: quia etsi juxta S. Augustinum *lib. de mend. c.* 6. & communiorem Theologorum sententiam non sit licitum in æquali necessitate bonorum corporalium cedere conservationi boni proprii, ex ea præcise causa, ut conservetur alienum; cum id repugnet recto Charitatis ordini, supra *n.* 149. statuto; licitum tamen idipsum est ob aliam causam, & finem honestum, qualis in Casu est ostensio gratitudinis ob beneficia Seraphico Ordini collata: ubi proin Leopoldus nihil agit contra rectum Charitatis ordinem; cum non amet proximum plus, quam se, sed solumodo opus virtutis, a proximo exercitum, plus, quam suam vitam: quod honestum est, atque laudabile, juxta illud *Proverb.* 12. *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.*

Sed nunquid Leopoldus in Casu etiam obligatur tabulam concedere?

Respondetur, eum non obligari, licet secundum dicta possit. Ratio hujus responsionis patet ex *n. cit.* Revide.

C A S U S IV.

253. *Leovigildus, illustri Genere natus, contra voluntatem parentum cum puella infimæ sortis, quam insano amore jam ultra annum deperierat, matrimonium iniit. Quo facto graviter offensi Parentes, Leovigildum & paternis ædibus excludunt, & veniam, ut ut crebro, ac demisse roganti, dare recusant. Quæritur, an, & quomodo peccent Parentes?*

Respondetur, eos peccare graviter contra Charitatem. Ita DD. communiter, & fluit ex dictis supra *n.* 162. Ratio est: quia licite Parentes secundum dicta *n. cit.* non sint obligati ad positive statim condonandam ejusmodi offensam, etsi Leovigildus sincere, & demisse veniam petat, sed possint condonationem aliquandiu differre justæ indignationis ostendendæ causa, illam tamen ad tempus tam longum comperendinare, & quasi in perpetuum denegare graviter illicitum est; eo quod talis comperendinatio, & denegatio sit argumentum gravis odii in cordibus Parentum latentis, præbeatque scandalum tam Leovigildo veniam petenti, quam aliis tantam in ignoscendo morositatem advertentibus.

Dices. Esto Parentes teneantur in Casu remitere Leovigildo offensam, non tamen tenentur remittere injuriam sibi, & inteligeræ illustri Familiæ illatam; ergo &c.

Respondetur, neg. suppositum antecedentis, quod Leovigildus Parentibus, & Familiæ præter offensam intulerit quoque injuriam; nam injuria est violatio juris alieni; Leovigildus autem non violavit jus alienum, Parentum scilicet, & Familiæ, cum nec illi, nec ista obtineat jus adversus Leovigildum in puncto ineundi matrimonii, utpote in quo est proprii, & libertimi juris: prout suo loco videbimus.

C A S U S V.

254. *Lotharius, vir valde dives, sed avarus, pauperibus eleemosynam persæpe denegat, & illius loco, cum petere instarent, aspera verba reddit. Accusat se postmodum in confessionali de hoc suo cum pauperibus procedendi modo. Qualiter Confessarius Lotharium judicabit?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus Confessarius judicabit, Lotharium denegando eleemosynam peccasse mortaliter contra virtutem Charitatis, & Misericordiæ. Ratio est: quia possidens bona superflua naturæ, & statui simul, tenetur sub mortali ex genere suo dare eleemosynam pauperibus, etiam communi duntaxat necessitate laborantibus, secundum dicta & probata *n.* 177. sed Lotharius possidet bona superflua naturæ, & statui simul; cum sit valde dives; ergo tenebatur sub mortali ex genere suo dare eleemosynam &c. ergo illam denegando *persæpe* (per quod excluditur parvitas materiæ) mortaliter peccasse cenendus est. Ita Authores supra *n. cit.* relati.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, inquirendum esse, in quonam asperitas verborum constiterit? an videlicet verba solum fuerint impatientiæ manifestativa? an vero blasphema? an imprecatoria? an calumniosa? &c. ut tum de gravitate hujus asperitatis, tum de specie peccati rectum ferri judicium queat.

C A S U S VI.

255. *Leontius Sacerdos, & junioris cujusdam Comitis Moderator, advertit, in ædibus, ubi cum suo in moribus, & literis Discipulo degit, nonnulla fieri ex ignorantia inculpabili, quæ tam Juri naturali, quam positivo adversantur. Et licet ad ipsum ex officio, & specialiter non pertineat illorum correctio (eo quod fiant ab iis, qui alterius potestati, & curæ commissi sunt) anxius tamen hæret, num errorem sive corrigendo, sive potius admonendo, detegere teneatur, maxime quia arbitratur, fore, ut detectio bonum sortiatur effectum? Quid Confessarius Leontio desuper interrogatus dicet?*

Respondetur. Confessarius dicet Leontio, quod præfato modo errantes teneatur corrigere, seu admonere, si inde fructum speret. Azorius *lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 4. *&* 5. Palao *tract.* 6. *disp.* 3. *pun.* 4. *num.* 3. Sanct-Gallenses, Augustinus Michel, & alii passim. Ratio est. Tum quia illa ignorantia absolute malum quoddam est, utpote ex qua nascitur transgressio legum, licet materialis tantum; ergo est materia, seu objectum doctrinæ, & correctionis spiritualis. Tum quia fieri facile potest, ut ignorantia invincibilis migret in vincibilem;

lem; & consequenter a transgressione materiali legum fiat transitus ad transgressionem formalem earum: quod periculum cum amoliri Leontius possit, haud apparet, cur amoliri non teneatur. Tum denique quia ejusmodi transgressores legum præbent scandalum aliis obligationes legum scientibus, nescientibus autem ignorantiam transgredientium.

Dices. Homines illi non sunt absolute in statu miseriæ spiritualis, cum leges non violent nisi materialiter, quod ad culpam non imputatur; ergo cum Leontius ex officio, & specialiter eos corrigere non obligetur, uti ponitur in Casu, nec videtur ad idem obligatus ex præcepto fraternæ correctionis.

Confirmatur. Præceptum fraternæ correctionis est de peccato proximi, juxta illud *Luc.* 17. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* ergo non stringit, ubi peccatum non est.

Respondetur ad argum. transmisso antecedente, neg. conf. Nam esto non sint actualiter in statu miseriæ spiritualis, versantur tamen in gravi periculo ad eum deveniendi; quod periculum ut Leontius avertat, præceptum fraternæ correctionis jubet. Accedit quod obligatio corrigendi ex aliis adhuc capitibus resultet: prout relinquitur ex proxime dictis.

Ad Confirmat. explic. & dist. ant. Est de peccato formali, vel materiali proximi; item de peccato, vel probabili ejusdem periculo, con. de ipso peccato formali tantum, neg. ant. & eodem modo distinguendum est conf.

Dictum est in Casu, *ex ignorantia inculpabili:* si enim laborarent ignorantia culpabili, cum per eam a formali peccato non excusarentur, utique corrigendi forent, secundum omnes, saltem per se loquendo, & si ex correctione fructus speratetur.

Dictum præterea in responsione: *si inde fructum speret:* si enim admonitio obfutura potius videatur, intermittenda est, nisi eam exposcat aliorum damnum, aut scandalum, ne, quod dissimulatur, approbari existimetur.

CASUS VII.

256. *Leonilla, sanguine, non item pietate, nobilis domicella, erga catellum suum tam tenero, unaque inordinato amore afficitur, ut integras sæpe horas (ne dicam dies) cum illo ludat. Fit autem, ut memoratum animaculum fulmine tactum intereat, & idcirco lusus in luctum vertatur; nam Leonilla tantam inde tristitiam haurit, ut ea pene confici videatur: imo ad tantam denique indignationem provolvitur, ut in apertas qua contra tempestatem, qua contra Deum tanquam tempestatis Auctorem, querelas, & murmurationes erumpat. Quæritur, quomodo Leonilla peccet?*

Respondetur, Leonillam peccare mortaliter contra præceptum dilectionis Dei. Petrus Marchant *loc. cit. q.* 3. *conclus.* 1. & 2. Sporer *de Charit. n.* 14. & alii communiter. Ratio est: quia hujusmodi querelæ, & murmurationes directe, & immediate militant contra Charitatem Deo debitam, quando procedunt ex maligno in Eum affectu: sed querelæ, & murmurationes Leonillæ procedunt ex tali affectu: prout in Casu innuitur; ergo directe, & immediate militant contra Charitatem Deo debitam; & consequenter sunt mortaliter peccaminosæ, tametsi forte odium Dei formale, atque explicitum non includant. Ex quo, & alias jam dictis patet, hic non dari parvitatem materiæ, quæ a mortali excuset: posse tamen intervenire imperfectionem actus, seu deliberationis (esto in Leonilla non videatur intervenire) ob quam peccatum de se mortale ad veniale decrescat.

Confirmatur responsio. Leonilla in Casu posito Creaturam in amore præfert Deo, si non explicite, & formaliter, saltem implicite, & interpretative, cum creaturæ causa Deum inique aggrediatur, atque offendat: sed hoc fieri non potest absque mortali noxa: quoniam graviter obligamur Deum amare super omnia, saltem appretiative; ergo &c. Videatur Sporer *loc. cit. n.* 41.

Sed quid si Leonilla conquereretur, & murmurat contra solam tempestatem, absque motu, vel respectu ad ipsum Deum?

Respondetur, quod tunc non peccaret peccato odii, sed impatientiæ. An autem grave, vel leve hoc peccatum censendum foret, dijudicari deberet ex quantitate impatientiæ, externe per verba, vel gestus proditæ.

CASUS VIII.

257. *Leucianus patrem nactus est oppido divitem, sed rerum adeo tenacem, ut vix tenuem victum, & vestitum ab eo extorquere valeat. Unde sæpius in hæc verba prorumpit:* gauderem potius, quam dolerem, si pater meus moreretur, ut, paterna hæreditate potitus, mihi de victu, & vestitu, aliisque rebus meum statum decentibus, melius prospicere possem. *Qualiter judicabis Leucianum?*

Respondetur, Leucianum peccare mortaliter. Viva *super propositiones ab Innoc. XI. damnatas*, & a nobis supra *n.* 209. relatas. Augustinus Michel, *quæst.* 3. *de Charit.* §. 5. *n.* 22. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 4. §. 4. *n.* 52. Ratio est: quia licet juxta D. Thomam 22. *q.* 76. *art.* 1. & alios DD. licite quis possit inefficaciter desiderare, vel gaudere de morte proximi ad evitandum aliquod ingens malum sibi impendens (quod & nos supra *n. cit.* admisimus) sicut quis potest ad evadendum simile malum præfato modo desiderare mortem propriam, non tamen est licitum desiderare mortem proximi, aut de ea gaudere propter captandum emolumentum temporale, & evitandum incommodum non ingens: sed Leucianus desiderat, vel gaudet de morte proximi, & quidem proprii parentis, ob captandum emolumentum temporale, & evitandum incommodum non ingens; cum aliqualis ille defectus in victu, & vestitu incommodum magni momenti censeri non possit; ut patet consideranti; ergo &c. Maj. ostenditur, & declaratur: quia emolumentum temporale, & evitatio incommodi levioris non possunt cum vita proximi, seu bono superioris ordinis, & majore, in comparationem venire, neque eidem præferri; ergo si præferantur, pervertitur ordo Charitatis, idque in materia gravi.

Confirmatur. Præcepto Charitatis jubemur diligere proximum, sicut nos ipsos, in sensu exposito supra *numer.* 145. nemo autem citra mortale possit sibi velle vitam abbreviari ob emolumentum aliquod temporale, aut evitationem levioris incommodi; ergo nec proximo &c.

Manet ergo, Leucianum peccare mortaliter, & quidem dupliciter, seu contra duplicem virtutem, videlicet contra Charitatem, veluti hactenus ostensum, & Pietatem, quæ dictat parentes præ ceteris, & specialiter diligendos, ac reverendos esse.

Dices. Desiderium inefficax, & gaudium Leuciani de morte sui parentis ob bonum proprium, est solummodo conditionatum, & hypotheticum, si scilicet Deus disponeret, ut pater meus moreretur, gauderem de emolumento inde mihi proventuro: sed hic affectus conditionatus videtur vacare culpa saltem gravi; ergo &c. Confirmatur. Qui suam voluntatem conformat cum Divina, non peccat: sed Leucianus suam voluntatem cum Divina conformat, volendo nempe parentis mortem, si eam Deus velit; ergo &c.

Respondetur ad argumentum, dist. maj. Est conditionatum ex parte objecti, transeat, ex parte subjecti, neg. maj. Ex parte subjecti affectus ille est absolutus, vel, ut verius loquar, oritur ab affectu subjective absoluto inefficaci, quo animus Leuciani sibi complacet de morte parentis ex amore hæreditatis. Unde licet speculative loquendo affectus ille conditionatus separari, & esse possit sine affectu absoluto, regulariter tamen, & in praxi ab eo procedit (quod proinde in casu quoque nostro fieri præsumimus) adeoque graviter peccaminosus est, seu recto Charitatis ordini in materia gravi repugnans.

Ad Conf. dist. maj. Qui suam voluntatem cum Divina conformat in ratione volendi, non peccat, con. tantum in re volita, neg. maj. Sed Leucianus suam voluntatem cum Divina conformat in re volita tantum, con. etiam in ratione volendi, neg. min. & conf. Leucianus desiderat, vel gaudet de morte parentis ob finem sordidum, videlicet ob emolumentum temporale inde captandum, qui affectus, rem practice pensando, magis oritur ex affectu erga emolumentum temporale, & ex odio de vita parentis impediente assecutionem illius boni temporalis, quam ex affectu erga Divina consilia, quibus omnia ad fines altissimos ordinantur. Unde voluntas Leuciani in ratione volendi non

potest

poteſt dici conformis voluntati Divinæ, utpote qua Deus mortem illam ſolummodo vult ob fines ſuos altiſſimos.

Inſtabis. Gaudium de emolumento proprio, ſi depuretur a gaudio de morte proximi, non eſt peccaminoſum: ſed gaudium Leuciani de emolumento proprio depuratur e gaudio de morte proximi, ſive parentis; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. maj. Si depuretur tam practice, quam ſpeculative, con. ſi ſpeculative tantum, neg. maj. Sed gaudium Leuciani depuratur &c. ſpeculative, tranſ. practice, neg. min. & conſ.

Urgebis. Si Leucianus a ſuo parente bene haberetur, eumque idcirco filiali amore diligeret, & optaret quam diutiſſime ſuperſtitem, gaudium de emolumento proprio depuraret, etiam practice, a gaudio de morte parentis, dicendo: *gauderem de paterna hæreditate, ſi Deus dilectiſſimum meum parentem ex hac vita tolleret*; ergo idem ſentiendum in noſtro Caſu.

Reſpondetur, tranſmiſſo antecedente (ſiquidem & hic latet anguis in herba, atque in talem quoque actum gaudii facile ſe inſinuat affectus inordinatus, ac pravus; prout recte notat La Croix *lib.* 2. *n.* 187.) neg. con. Diſparitas eſt: quia cum Leucianus in eo caſu ſit bene affectus erga parentem, ipſumque cupiat diutiſſime ſuperſtitem, illius gaudium facilius præſumitur præciſe terminari ad emolumentum temporale, vel ſumme ad connexionem, quam habet mors parentis cum tali emolumento; non vero ad ipſam parentis mortem, tanquam medium pro illo obtinendo neceſſarium: prout tamen evenire præſumitur in noſtro Caſu, in quo Leucianus ob malam, vel certe non ſatis bonam ſui tractationem ponitur eſſe cum parente ſuo male contentus &c.

CASUS IX.

258. *Liberia, elegantis formæ femina, eſto noverit, ſe turpiter amari a Liberio, quoties in ejus oculos incurrit, nihilominus libere, & citra cauſam eidem ſæpius ſe conſpiciendam objicit. Cumque idcirco a Confeſſario reprehenditur, & jubetur poſthac deſiſtere (niſi beneficio abſolutionis privari velis) reponit, quod turpem ſui amorem non intendat, & conſequenter non appareat, cur culpæ ſaltem gravioris redargui, & multum reprehendi valeat. Quæritur, an, & quomodo Liberia peccet?*

RESpondetur, Liberiam peccare mortaliter peccato ſcandali activi improprii, & per accidens talis, ſive dein ſcandalum paſſivum, quod Liberius accipit, oriatur ex ejus fragilitate, & ſit ſcandalum puſillorum, ſive ex mera malitia, & ſit ſcandalum phariſaicum tantum. Ratio eſt: quia, ut *n.* 238. dictum, graviter (ſi materia ſit gravis) repugnat Charitati ſcienter non omittere opus, licet ex ſe indifferens, & alias permiſſum, unde proximus prævidetur, ſive ex fragilitate, ſive ex malitia, ſumpturus ſcandalum, quando propter omiſſionem illius operis nullum ſubeundum eſt incommodum: atqui Liberia in Caſu hujuſmodi opus non omittit, (& verſamur in materia gravi) quin, ſi omitteret, deberet ſubire aliquod incommodum, ut patet; ergo &c. Nec refert, quod oggerat, ſe non intendere turpem ſui amorem. Nam eſto non intendat illum formaliter, convincitur tamen eundem in ejuſmodi circumſtantiis intendere virtualiter, & interpretative.

CASUS X.

259. *Luperius, opifex catholicus, famulos habet opificii ſui valde peritos, ſedulos, & fideles; ſed quia hæretici ſunt, tam tempore Quadrageſimæ, quam aliis temporibus, & diebus, ab* Eccleſia prohibitis, *carnes ſibi apponi deſiderant, ſecus famulatum deſerturi non ſine magna jactura, quam propter illorum diſceſſionem Luperius in re ſua familiari ſubire cogeretur; eo quod alios famulos acquirere non poſſet; ipſe vero ſolus perferendis laboribus impar eſſet. Quæritur, utrum Luperius ejuſmodi famulos retinere, eiſque carnes apponere poſſit?*

RESpondetur affirmative. Ita Burghaber *cent.* 1. *caſ.* 62. La Croix *lib.* 2. *n.* 258. & alii plures. Ratio eſt: quia caupo poteſt hoſpitibus apponere diebus vetitis carnes, ſi ex earum denegatione magnum incurreret detrimentum; prout tradidimus ſupra *num.* 244. ergo & Luperius ſuis famulis in Caſu; cum eadem & hic, & ibi cauſa excuſans interveniat. Unde licet nec caupones in civitate catholica hoſpitibus, nec opifices famulis, ordinarie loquendo, poſſint diebus ab Eccleſia interdictis præbere carnes; eo quod ordinarie titulus excuſans deſit, veluti *n. cit.* animadverſum eſt; poſſunt tamen, quando titulus excuſans ſuffragatur, quemadmodum eundem ſuffragari cenſemus in Caſu poſito.

Reſponſio autem intelligi debet *per ſe loquendo*, & ubi abeſt periculum majoris mali, v. g. ſcandali in populo &c. prout bene limitant Authores *citt.*

TRACTATUS SECUNDUS.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.



POſtquam in *tract. præced.* præcepta Virtutum Theologicarum expoſuimus; reſtat, ut in præſenti præcepta Decalogi explicanda ſuſcipiamus. Sunt ea numero decem, veluti conſtat ex Cathechiſmo. Primum eſt: *Ego ſum Dominus Deus tuus: Non habebis Deus alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, ut adores illud.* Secundum eſt: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Tertium eſt: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* Quartum eſt: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quintum: *Non occides.* Sextum: *Non mœchaberis.* Septimum: *Non furtum facies.* Octavum: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium:* Nonum: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Decimum: *Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt.* Omnia hæc decem præcepta Deus per Moyſen dedit populo ſuo in duabus tabulis lapideis: unde alia ſunt, & dicuntur *primæ*, & alia *ſecundæ tabulæ*. Præcepta *primæ tabulæ* nuncupantur tria priora, quibus homines recte diſponuntur in ordine ad Deum: præcepta *ſecundæ tabulæ* appellantur ſeptem poſteriora, quibus homines recte diſponuntur in ordine ad ſeipſos, & ſuos proximos. Quare licet præcepta Charitatis in prima ſui diviſione ſint tantum duo, imponentia dilectionem Dni, & proximi, in quibus plenitudo legis verſatur, ſunt tamen plura in ſui ſubdiviſione; nam præceptum diligendi Deum complectitur ſub ſe tria præcepta primæ, & præceptum diligendi proximum ſeptem præcepta ſecundæ tabulæ, in eum præcipue finem lata, & ordinata, ut determinetur, magiſque perſpicuum fiat, quænam ad Charitatem cum Deo, tum proximo exhibendam pertineant. Ceterum omnia præcepta Decalogi, præter tertium, & quartum, *explicite* negativa ſunt hoc eſt, prohibentia; *implicite* vero affirmativa, ſeu præcipientia: prout patebit expendenti terminos quibus afferuntur, vel potius finem, & objectum, in quod ex intentione Legiſlatoris directe feruntur. Dixi: *præter tertium & quartum*; nam hæc eſſe explicite affirmativa, & implicite ſolum negativa, itidem conſtat ex terminis, & fine directe quæſito &c. Revideantur, quæ diximus *par.* 1. *n.* 208.

DISPUTATIO I,

De primo Præcepto Decalogi,

HOc præceptum prohibet, ac damnat idololatriam, seu cultum falsorum Deorum, artem divinatoriam, magicam, & maleficam, observantiam superstitiosam, & omnem cultum impium: e diverso requirit, ut unum Deum O. M. colamus, ac invocemus. Unde io hac *disput.* agendum & de actibus Religionis, quibus Deus (præcipue) honorandus est, & de vitiis Religioni oppositis, Quod ut utcunque præstemus, sit

---

CAPUT I.

De Oratione,

ACtus Religionis (quæ est *virtus moralis, inclinans ad exhibendum cultum Deo ceu primo rerum omnium principio, vel aliis propter Ipsum debitum*) communiter recensetur undecim, nempe *Devotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Primitiæ, Decimæ, Votum, Juramentum, Adjuratio, Laus Dei*. In isto capite de Oratione, in proxime secuturo de Adoratione tractabimus: de aliis actibus (exceptis iis, de quibus nullum Moralistis negotium est) tractaturi tum in *disp. 2.* hujus tractatus, tum alibi per decursum Theologiæ nostræ moralis.

ARTICULUS I,

Quid, & quotuplex sit oratio?

SUMMARIUM,

260. *Assignatur, & explicatur definitio Orationis.* 261. *Oratio formaliter est actus voluntatis.* 262. *Est insuper verus actus Religionis, non quidem elicitus, sed imperatus.* 263. *Religio accensenda est virtutibus Moralibus, non Theologicis.* 264. *Illis tamen quoad dignitatem, & excellentiam praponi, istis vero postponi debet.* 265. *Oratio recte dividitur in* Mentalem, *&* Vocalem; *in* Publicam, *&* Privatam. 266. *Non item in* pure mentalem, & pure Vocalem: *neque* 267. *In* pure Mentalem, *&* Mentalem, *ac* Vocalem simul.

260. DIco primo. Oratio, prout hic sumitur, est *petitio bonorum decentium, ad Deum, vel alium propter Ipsum, directa.* Ita quoad rem S. Damascenus *lib. 3. de Fide Orthodoxa c. 24.* & alii passim.

Explicatur, Dicitur 1. *Petitio*, convenienter ad illud Christi apud San. Marcum *cap. 11. Quidquid orantes petitis &c.*

Dicitur 2. *Bonorum decentium*, Nam si petantur bona non decentia, non est oratio ad Religionem; aut alium virtutem Christianam pertinens, sed potius sapit quandam impietatem.

Dicitur 3. *ad Deum, vel alium propter ipsum directa.* Nam solus Deus ex virtute Religionis terminative orandus, & invocandus est; alii vero non nisi cum relatione ad Ipsum: prout infra *art. 3.* patebit.

261. Quæres primo, an Oratio formaliter sit actus voluntatis, vel intellectus?

Respondetur, esse actum voluntatis. Medina *C. de Penit. tr. de Orat. c. 2.* Herincx *par. 3. tr. 4. disp. 1. q. 3. n. 13.* & Nostrates communiter. Ratio est: quia Oratio se habet ad Superiorem, sicut imperium ad inferiorem; prout fatentur ipsimet Adversarii: atqui imperium formaliter est actus voluntatis, & huic soli proprius; cum sola potentia volitiva in regno animæ dicere potest: *sic volo, sic jubeo*: prout alibi advertimus, & Nostrates tam in Theologia Scholastica, quam in Philosophia ex professo docent; ergo &c.

262. Quæres secundo, an Oratio sit (1.) verus actus Religionis, isque (2.) elicitus, vel imperatus?

Respondetur primo ad primum membrum quæstionis, Religionem esse verum actum Religionis. Ita DD. communissime. Ratio est: quia ad Religionem pertinet, reverentiam, & honorem Deo exhibere; exhibetur autem per Orationem, quatenus orans se Deo subjicit, & orando profitetur se Deo indigere tanquam omnium bonorum Authore.

Dices. Per verum actum Religionis Deo cultus exhibetur; veluti immediate insinuatum est: atqui per Orationem Deo nullus exhibetur cultus, sed tantum aliquid ab Ipso petitur; ergo Oratio non est verus actus Religionis,

Respondetur neg. min. Nam eo ipso, quod a Deo bona petamus, in actu exercito profitemur Dei excellentiam, nostramque ab Ipso dependentiam, & indigentiam. Unde licet Oratio non fiat directe ad honorandum Deum, sed ad aliquid ab Ipso obtinendum, exercite tamen redundat in honorem Dei, Quo solum fit, ut Oratio sub una ratione, & consideratione pertineat ad virtutem Spei, & sub alia ad virtutem Religionis, Ad priorem pertinet, quatenus ordinatur ad impetrandum; ad posteriorem vero, quatenus tendit ad Deum honorandum,

Respondetur secundo ad secundum membrum quæstionis, Orationem esse actum Religionis imperatum, non vero immediate elicitum. Ita Sanct Gallenses *tom. 7. tr. 1. sect. 1. q. 2. & 3.* Sporer *tr. 2. in 1. Precept. Decal. c. 7. sect. 1. n. 6.* Herincx *loc. cit. n. 3.* Ratio est: quia juxta Sanct Gallenses *q. 3. cit.* actus Religionis elicitus, est *internus actus voluntatis, quo Deo cultum debitum volumus*; & nihil aliud est, quam *profunda, & submissa inclinatio coram Deo, qua voluntas vult profiteri Dei excellentiam, eique in omnibus jure subesse*: actus vero Religionis imperati sunt, *quibus internam illam animi submissionem reipsa profitemur* (sive ocin in eadem potentia voluntatis, sive in alia, & diversa potentia existant; item sive ab aliquo alio virtutis habitu eliciantur, sive per se ad nullam aliam virtutem, quam Religionem pertineant) atqui Oratio est actus de classe actuum posteriorum (idem cogita de Adoratione, & aliis actibus Religionis supra specificatis, excepta Devotione) cum per eam reipsa profiteamur, Deum esse supremum Dominum, & Authorem bonorum nostrorum, nos vero inferiores, ejusdemque auxilio indigentes; ergo &c.

263. Ex quibus fluit primo, Religionem non esse virtutem Theologicam, sed Moralem: id quod jam insinuavimus *tr. præced. n. 2.* & communissime admittitur. Ratio est: quia Religio actu suo elicito (qualis est Devotio, qua nos Deo promptos offerimus ad serviendum, & præstandum, quidquid ad ejus cultum, & honorem pertinet) non tendit immediate in Deum, sicut virtutes Theologicæ secundum dicta *loc. & num. cit.* sed in cultum Dei, quem proinde respicit tanquam objectum immediatum *quod*, Deum vero ipsum tanquam objectum mediatum *cui* intendit, & satagit debitum cultum, ac reverentiam exhibere.

264. Fluit secundo, quod Religio quoad dignitatem, & excellentiam sit postponenda (1.) virtutibus Theologicis; anteferenda vero (2.) ceteris virtutibus Moralibus. Sporer *loc. cit.* & alii communiter, maxime quoad primum membrum. Ratio autem primi membri est: quia perfectio virtutis metienda est a conjunctione mentis cum Deo saltem ut fine; ergo illæ virtutes, quæ perfectius, & immediatius mentem conjungunt cum Deo ut fine, sunt perfectiores aliis, ad ejusmodi conjunctionem remotius se habentibus: atqui primum præstant virtutes Theologicæ, & alterum Religio; prout relinquitur ex proxime dictis; ergo &c. Ratio secundi membri est; nam Religio propinquius accedit ad Deum, eumque (nempe tanquam *objectum, cui* cultum defert) vicinius attingit; quam aliæ virtutes Morales; ergo istas perfectione supergreditur. Cons. liquet ex primum dictis. Ant. ostenditur. Siquidem Religio operatur ea, quæ directe, & immediate ordinantur in honorem Divinum; non sic aliæ virtutes Morales. Confirmatur. Virtutes Theologicæ sunt perfectiores virtutibus Moralibus; ergo etiam Religio est perfectior virtutibus Moralibus a se distinctis. Conf. prob. Quia licet Religio non sit una e virtutibus Theologicis, ad eas tamen propinquius accedit, ac reliquæ virtutes Morales; ergo est perfectioribus; cum id, quod est perfectissimum, existat mensura ceterorum.

Dices contra secundum membrum. Religio est minus perfecta, ac Justitia legalis, cum sit istius pars; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Siquidem objectum seu finis Religionis est bonum Divinum, & supernaturale, cultus scilicet Divinus: objectum autem, seu finis Justi-

fit legalis est solummodo bonum humanum. Ad rationem probativam ajo, Religionem esse partem Justitiæ non actualem, sed potentialem tantum, quam non implicat esse perfectiorem suo toto.

265. Dico secundo. Oratio dividitur (1.) in *Mentalem*, & *Vocalem* (2.) in *Publicam*, & *Privatam*.

Explicatur. Oratio mentalis est, quæ solis actibus internis (intellectus scilicet, & voluntatis) perficitur citra vocem, aliudve signum externum sui manifestativum. Oratio vocalis est, quæ etiam ore, seu voce exprimitur. Oratio publica est, quæ authoritate publica, & publico Ecclesiæ nomine peragitur, & offertur; ut sunt Horæ Canonicæ, Litaniæ Majores, Officium B. Virginis, & Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, & Graduales &c. Dixi: *quæ authoritate publica, & publico Ecclesiæ nomine &c.* Non enim sufficit ad publicam Orationem, quod publica authoritate sit instituta, & approbata; sed insuper requiritur, ut etiam publico Ecclesiæ nomine peragatur, & offeratur. Unde preces etiam authoritate Ecclesiæ approbatæ, reputabuntur pro Oratione privata, si easdem peragam, & offeram meo nomine. Duo proin ad Orationem publicam necessaria sunt. Primum est, ut publica authoritate sit instituta. Secundum est, ut nomine Ecclesiæ offeratur. Oratio privata est, quam quis peragit, & offert suo nomine, sive dein sit publica Ecclesiæ authoritate approbata, sive propria orantis voluntate, ac instinctu assumpta, vel composita.

266. Quæres primo, an divisio Orationis in *pure Mentalem*, & *pure Vocalem* sit legitima?

Respondetur negative. Ita Petrus Marchant *tr.2.p.2. tit.2.q.3.* Sporer, Babenstuber &c. Ratio est: nam ut Oratio vocalis sortiatur rationem veræ Orationis, conjunctos habeat, necesse est, actus internos intellectus, & voluntatis; prout *art. seq.* videbimus: atqui Oratio pure vocalis, hoc ipso, quod sit talis, nullum habet conjunctum actum internum intellectus, & voluntatis; ergo non sortitur rationem veræ Orationis: consequenter &c. Unde S. Augustinus *serm. 28. in Psalm. 118.* ait: *Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri? &c. sive ergo cum voce carnis, quando id opus est; sive cum silentio ad Deum, cum oramus, corde clamandum est &c.*

Dices, Qui Horas Canonicas, aliasve preces persolvit in lingua, quam non novit, fundit veram Orationem; prout DD. communiter admittunt, & patebit ex dicendis infra *n.270.* atqui fundit Orationem pure vocalem; ergo Oratio pure vocalis est vera Oratio: consequenter &c.

Respondetur, neg. min. Nam Oratio pure vocalis excludit omnem actum internum tam intellectus, quam voluntatis; modo autem præfato orans, esto non intelligat sensum verborum, adhibet tamen in orando tam actum intellectus, nimirum attentionem internam superficialem (de qua inferius *n.cit.*) quam actum voluntatis, videlicet intentionem ad minimum virtualem (de *n.269.*) ut supponitur: consequenter non fundit Orationem pure vocalem. Quod ut magis capias, cogita, finem veræ Orationis esse, Deum colere, Deo supplicare pro salute propria, vel aliena, pro necessitatibus Ecclesiæ &c. Hunc talem finem intellectu apprehendere, & affectu intendere supponitur, qui in idiomate, quod non callet, Orationem fundit, & idcirco vere orat, dum verba rite pronunciat, licet eorum sensum non percipiat. Videatur Marchantius *loc. cit.*

267. Quæres secundo, an divisio Orationis in *pure Mentalem*, & *Mixtam ex Mentali, & Vocali simul*, sit legitima?

Respondetur itidem negative, si Oratio Mentalis in altero divisionis membro accipiatur, sicut accipitur in primo. Ratio est: quia ut divisio aliqua sit legitima, membra dividentia simul sumpta debent adæquare divisum: atqui hoc non fit in præfata divisione; ergo &c. Maj. constat ex Dialectica. Min. ostenditur, & declaratur. Nam præter illa duo membra dividentia dari, & mediare potest Oratio, quæ nec sit *pure Mentalis*, nec *ex Mentali, & Vocali Mixta*; ut patet, si quis recitet Horas cum attentione interna superficiali tantum; talis namque fundit veram Orationem: quæ tamen non potest dici *pure Mentalis*; ut de se patet; neque *Mixta ex Mentali, & Vocali*; quoniam ad Orationem Mentalem, quæ est pars Orationis Mixtæ, requiritur attentio interna spiritualis, veluti dicemus infra *n.270.* Legitima tamen forte memorata divisio, si per *Orationem Mixtam* intelligeretur illa (a nobis supra *n.265.* sine addito *pure* nominata *Vocalis*) quæ præter prolationem verborum, ac debitam intentionem involvit aliquam attentionem internam, sive spiritualem, sive superficialem tantum.

ARTICULUS II.

Quænam conditiones requirantur ad Orationem?

SUMMARIUM.

268. Ad validam Orationem ex parte orantis duæ præcipue conditiones requiruntur, nempe Intentio, *&* Attentio. *269. & 270. Explicatur, qualis utraque esse debeat. 271. Exponitur, quænam conditiones sint necessariæ ad fructuosam Orationem?*

268. Dico primo. Ad validam Orationem ex parte orantis duæ præcipue conditiones requiruntur, nempe *Intentio*, & *Attentio*. Prima requiritur: quia absque illa nullus actus humanus consistere potest; adeoque nec Oratio. Secunda: quia Oratio juxta S. Augustinum *serm. 230. de tempore est ascensio mentis in Deum*: qualis nec existere, nec cogitari potest absque attentione ad Deum, uti & ad id, quod ab eo petitur.

269. Quæres primo, qualis intentio ad validam Orationem requiratur?

Antequam huic quæsito satisfiat, notandum est, intentionem (prout ad præsens institutum facit) dividi in *formalem*, *virtualem*, & *habitualem*. Intentio formalis est actus perceptibilis, seu talis, quo voluntas perceptibiliter vult aliquid agere, v.g. conficere Sacramentum, celebrare sacrum &c. Hæc intentio potest etiam dici *signata*; sicut tr. præced. *n.87.* de Fide formali insinuavimus. Solet insuper a plerisque nominari *actualis*: sed quoniam intentio quoque virtualis est, & appellari potest actualis (prout mox videbimus) melius nuncupatur formalis, ut in hoc termino appareat illius oppositio, & distinctio a virtuali, seu membro condividente intentionis ut sic: prout graviter advertit La Croix *lib.4.n.1324.* Intentio virtualis est actus tenuis, & quasi imperceptibilis, quo voluntas hic, & nunc vult aliquid agere. Ita cum aliis P. Sporer in Theol. Sacrament. *part. 1. n.107. in fin.* Vocatur *virtualis*, quoniam est quædam virtus causata, & relicta ab intentione formali habita, & non revocata, in actionem de facto ponendam influens, seu influere potens; quæ tamen virtus sit aliquis voluntatis actus, licet ita tenuis, ut vix, vel omnino non advertatur. Id quod declarari potest familiari exemplo citharœdi, qui dum expedite citharam pulsat, ad singulos digitorum motus debet habere actualem voluntatem illos movendi; alioqui statim cessaret a pulsu: cum enim digiti seipsos ad pulsum applicare non possint, indigent alio principio applicativo, quod est actus voluntatis imperantis hunc, & non alium motum digitorum: talem proin actum voluntatis citharœdus vere habet, quamvis eundem non advertat: consequenter &c. Plura idgenus exempla adducit La Croix *lib.1. n.16.* Est ergo intentio virtualis v.g. in administratione alicujus Sacramenti nihil aliud, quam voluntas quædam actualis, ab alia voluntate actuali, videlicet formalis, causata, & relicta &c. remissa tamen, & cum remissa, & quasi nulla advertentia faciendi, & habendi ea, quæ aliunde noscuntur necessaria ad tale Sacramentum. Ob quod intentio virtualis nuncupari præterea potest *exercita*, quatenus ab homine exercetur, quin ab eodem *signate* percipiatur, sicut percipitur intentio formalis. Intentio habitualis est voluntas semel habita, & non revocata; at neque in se, neque in aliquo sui effectu, seu virtute a se causata, & relicta, vi cujus in actionem hominis influat, amplius existens. Nunc

Respondetur. Ad valorem, & substantiam Orationis (1.) non requiritur intentio formalis: habitualis (2.) non sufficit: virtualis (3.) requiritur, & sufficit. P. Cherubinus Mayr *in suis Thesib. de Orat. &c. pag. 4.* & alii passim. Ratio primæ partis est: quia semper habere intentionem formaliter impossibile; ergo ea non potest esse ad Orationem necessaria: Cons. liquet. Ant. osten-

ostenditur, & declaratur: siquidem nimis pronum est, mentem distrahi, & ad id, quod modo in præsenti agitur, actu non attendere: actu, inquam, de quo interrogati possimus rationem reddere: quod addo propter intentionem virtualem, quæ & ipsa importat actum, etsi eum non advertamus, nec de eo rationem reddere possimus; prout relinquitur ex supra dictis. Formalem vero intentionem ad valorem Orationis sufficere, nemo est, qui inficias eat; cum melior illa non possit excogitari. Ratio secundæ partis est: quia intentio ad Orationem exigitur tanquam *quasi causa* illam constituens in ratione actus moralis, & virtuosi; ergo debet in eam active influere: quod intentio habitualis præstare non valet: veluti ipsius naturam, supra descriptam, pensanti pervium erit. Ratio tertiæ partis fluit ex dictis, secundum quæ ad Orationem non requiritur intentio formalis; habitualis vero non sufficit; consequenter sufficit, & requiritur virtualis: sufficit; quia ipsa in Orationem active influere potest: & requiritur; quia ipsa sola (in defectu intentionis formalis) ita influere potest; id quod totum ex dictis patulum est.

270. Quæres secundo, qualis attentio ad validam Orationem requiratur?

Antequam & huic quæsito satisfieri possit, notandum est, quod attentio per respectum ad Orationem in prima sui divisione sit biceps, *externa* scilicet, ac *interna*. Prior est exclusio distractionis externæ, sitæ in actionibus externis, mentem ita ad se rapere natis, ut internam attentionem omnino impediant: cujusmodi actiones sunt confabulatio, lectio alicujus libri, auditio novellarum &c. Posterior est exclusio distractionis internæ, simulque pia applicatio mentis ad Orationem, vel ejus objectum, aut finem: cujus defectu laborat, qui inter orandum animo volvit res domesticas, bellicas, politicas &c. Attentio interna subdividitur in *superficialem*, *literalem*, & *spiritualem*. Superficialis est, qua attenditur ad verba, ut ea integre, & citra errorem proferantur: hæc attentio etiam reperiri potest v.g. in Monialibus Choro adstrictis, si latine legere possint, esto non intelligant, quid legant. Literalis est, qua attenditur ad sensum verborum, seu ad id, quod verba significant: & ista attentio non est dabilis in Monialibus, & aliis ignorantibus linguam latinam, in qua recitant Horas; ut de se patet. Spiritualis est, qua attenditur (idque distincte) vel ad finem Orationis, nempe Deum, qui in Oratione colitur, & adoratur; vel ad mysterium, ad quod recolendum Oratio ordinatur; vel ad rem, quæ per Orationem a Deo postulatur, uti sunt v. g. liberatio a tentationibus, remissio peccatorum, gratia, gloria &c. Dixi per parenthesin: *idque distincte*. Nam etiam orans cum attentione interna superficiali ad finem Orationis attendit, quatenus verba recte pronunciare satagit ex proposito honorandi Deum; non tamen ita distincte, sicut orans cum attentione interna spirituali Sanct-Gallenses *loc. cit. sect. 2. q. 2. dub. 2.* Porro quælibet ex his tribus attentionibus potest esse vel *formalis*, vel *virtualis*, vel *habitualis*; ut supra de intentione dictum, & huc facile applicari valet. Nunc

Respondetur primo, Ad valorem, & substantiam Orationis saltem requiritur attentio externa. Ita omnes, nemine excepto. Ratio est: quia secundum dicta *n.* 268, & communem omnium doctrinam ad valorem Orationis requiritur aliqua attentio; attentio autem externa est minima: consequenter hæc saltem requiritur, Deinde orans debet habere intentionem colendi Deum; alias non vere orat; prout itidem relinquitur ex dictis *n. cit.* qualem tamen intentionem non habet, aut retinet, qui voluntarie admittit, & fovet distractionem externam, cum hæc omnem internam devotionem impediat, & excludat.

Respondetur secundo, Ad valorem, & substantiam veræ Orationis cujuscunque requiritur aliqua attentio interna, saltem virtualis. Ita Petrus Marchant *tract. 2, part. 2. tit. 3. sect. 5. q. 5. propos. 5.* Matthæucci *lib. 1. cap. 25. n. 9.* Arsdekin *tom. 2. part. 2. tr. 1. cap. 3. qu. 3.* Illsung. *tr. 5. disp. 1. q. 1. art. 3. §. 3.* Babenstuber *tract. 5, disp. 2. art. 3, n. 119.* Cherubinus Mayr *in Thesibus supra citatis pag. 7.* & alii quam plurimi contra alios. Ratio fundamentalis est: quia secundum dicta, & juxta ipsos etiam Adversarios ad valorem, & substantiam veræ orationis requiritur intentio saltem virtualis orandi Deum, vel integre, ac ordinarie ponendi veram orationem, tanquam actum humanum, & moralem; ergo ad eundem finem obtinendum etiam requiritur attentio interna, saltem virtualis. *Cons.* prob. Siquidem illa intentio nec primo elici, nec continuari potest sine aliquo actu cogitationis de Deo, vel illa integritate, ac ordine ad orationem requisito; cum nihil sit volitum, quod non præcognitum: sed præmemorata cogitatio est quædam attentio interna ad Deum, vel illam integritatem, ac ordinem orationis; ergo &c.

Dixi, *saltem virtualis*: ut indigitarem, non sufficere attentionem habitualem, sicut non sufficit intentio habitualis; uti nec requiri attentionem formalem, quemadmodum non requiritur intentio formalis, secundum dicta *n. præced.*

Respondetur tertio. Ad valorem, & substantiam orationis mentalis (1.) requiritur attentio interna spiritualis; ad valorem vero, & substantiam orationis vocalis (2.) requiritur, & sufficit attentio interna superficialis: unde literalis (3.) non est necessaria. Ratio primi est: quia oratio mentalis est aliqua rerum Divinarum consideratio, quæ sine attentione interna spirituali nec esse, nec concipi potest; ut de se patet. Ratio secundi est: quia talis requiritur, & sufficit attentio ad substantiam orationis vocalis, qualis requiritur, & sufficit, ut partes eam adintegrantes censeantur humano modo, & cum debita intentione orandi Deum proferri: sed ad hoc requiritur, & sufficit attentio interna superficialis; veluti ejus naturam supra adumbratam consideranti pervium erit; ergo &c. Ratio tertii est: siquidem Moniales, aliæque personæ idiomatis latini, in quo Horas recitant, ignaræ, juxta omnes præcepto recitandi (si hoc obligentur) satisfaciunt, tametsi attentionem internam literalem nec habeant, nec habere possint. Ex quo fluit, etiam literatos, latinam linguam callentes, suæ obligationi facere satis, quamvis in dicendis Horis, ad quas adstringuntur, attentione interna literali careant, dummodo non careant superficiali. Sanct-Gallenses *loc. cit. sect. 2. q. 2. dub. 2.* Babenstuber *n.* 121. Cherubinus Mayr *pag. 9.*

271. Dico secundo. Ad fructuosam orationem requiruntur in primis, quæ ad ejus valorem diximus esse necessaria; nam si oratio non valeat, sive quoad substantiam non subsistat, nullum effectum, seu fructum sibi alias competentem producere potest; cum non entis nullæ sint proprietates, aut qualitates. Porro ad fructum orationis meritorium de condigno, & satisfactorium ex opere operantis requiritur in orante status gratiæ; sicut ad fructum cujuslibet actus virtuosi præfato modo meritorium, & satisfactorium idem status in agente exigitur. Dixi tamen 1. *de condigno*; nam ad fructum orationis meritorium de congruo status gratiæ non requiritur; prout docent Scholastici *in mat. de Merit.* Dixi 2. *ex opere operantis*: quia secundum valde probabilem sententiam Scotistarum, & plurium RR. oratio (idem cogita de quolibet alio opere virtuoso) in pœnitentiam salutarem imposita, causat suum effectum, videlicet remissionem pœnarum, ex opere operato, tametsi peragatur a pœnitente in mortale relapso, & in statu disgratiæ constituto. Denique ad fructum orationis impetratorium (qui solus orationi proprius, & nativus est; nam fructus meritorius, & satisfactorius cuilibet operi virtuoso sunt communes) tres præcipue conditiones requiruntur. Prima est, ut petatur aliquid necessarium, vel utile ad salutem: prout colligitur ex illo 1. *Joan. 5. Quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Secunda est, ut petatur cum fide, & spe, juxta illud *Jacob. 1. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Tertia, ut petatur perseveranter, id est, ut orans ab oratione non statim desistat, sed iterum, iterumque obsecret; sicut monet Apostolus ad *Coloss. 4. Orationi instate*: & Christus ipse *Lucæ* 18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* His tribus conditionibus instructa oratio fructum impetratorium (sive dein hic illi correspondeat ex Justitia, sive potius ex sola Dei fidelitate) operatur infallibiliter, juxta illud Christi apud Marcum *cap. 11. Dico vobis: omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Aliqui ad fructum orationis impetratorium infallibilem duas adhuc alias conditiones exigunt, nempe 1. ut oret quis pro se ipso, & 2. ut sit in statu gratiæ. Verum rectius dicitur

neutram

neutram esse necessariam. Non enim necessaria est prior: siquidem promissio Christi generaliter prolata est, ut proinde se etiam extendat ad orationes pro aliis fusas, modo sint dispositi: id quod sumitur ex illo 1. *Joan.5. supra cit. Quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos*: cum autem pro fratribus nostris oramus, petimus secundum voluntatem ejus; prout constat ex *Jacob. cap.5. Orate pro invicem, ut salvemini*: consequenter &c. Valentia, Toletus, Suarez apud, & Layman *libr.4. tr.1. c.1. num.10.* Neque necessaria est posterior (quamvis sit admodum utilis) quia Christus Dominus nullo discrimine facto inter justos, & peccatores *Math.7.* pronunciat: *Omnis, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit*. Unde etiam illius publicani preces a Deo exauditas legimus *Luca* 18. P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.12.* Ratio quoque suffragatur; siquidem efficacia impetrativa orationis non nititur proprie statu gratiæ (sicut virtus merendi de condigno, & satisfaciendi ex opere operantis) sed Misericordia Divina: hæc autem vel maxime ad peccatores respicit. Valentia, Suarez, & Toletus, quos denuo refert, ac sequitur Layman *loc. cit.*

Dices, obstare illud dictum cæci apud *Joan. cap.9. Scimus; quia peccatores Deus non audit.*

Respondetur, neg. assumptum. Nam, ut habet S. August. *tr.44.* præcitata verba fuere prolata ab homine, nondum perfecte in fide illuminato; consequenter nullum doctrinæ traditæ præjudicium creare valent. Possent etiam intelligi de peccatoribus, ut peccatores sunt, atque si petant male, quod petunt. Vide Sporerum *loc. cit. num.15.*

ARTICULUS III.

Quis, a quibus, pro quibus, & quid sit orandum?

SUMMARIUM.

272. *Quis debeat orari, & quis possit?* 273. *Quinam debeant orare, aut possint?* 274. *Pro quibus sit orandum?* 275. *Quænam in oratione petenda sint, & qualiter?*

272. Dico primo. Ex præcepto, & virtute Religionis terminative orandus est solus Deus: quia ipse solus est supremus Author omnium bonorum naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ per orationem postulare possumus; solusque est is, cujus cultum per primum Decalogi præceptum injungitur. Nomine Dei autem venit etiam Christus Dominus; cum sit verus Deus. Licite, utiliter, & sancte orantur quoque Beati in cælo tam Angeli, quam homines, tanquam Patroni, ac Intercessores nostri apud Deum; prout definit. *Trid. sess.25. de Venerat. Sanctor.* uti & animæ in purgatorio existentes. Nec putandum, orationes nostras non innotescere Beatis, aut animabus in purgatorio; nam illis innotescunt tum per scientiam beatam in Verbo, tum per scientiam acquisitam ex speciali revelatione sibi a Deo facta; istis vero per Angelos tutelares sive suos, sive nostros. Præterea tanquam Intercessores orari possunt justi adhuc in terra degentes: & quidni etiam peccatores; cum non solum illi, sed etiam isti pro suis proximis orare teneantur; ut statim audiemus.

273. Dico secundo. Orare ex præcepto debent soli viatores, utpote ad quos solos præceptum orandi dirigitur: iique omnes, sive sint peccatores, sive justi; cum præceptum sit universale, & in omnes sine limitatione cadat. Possunt tamen pro nobis orare in primis Christus ipse qua homo; prout colligitur ex illo *Joan.14. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Deinde Beati in cælo, & animæ in purgatorio: prout cum aliis tenet Sporer *loc. cit. n.16.*

274. Dico tertio. Orandum est homini viatori (1.) pro seipso, (2.) pro omnibus omnino viatoribus in communi, & aliquando pro aliquibus in particulari, ubi horum necessitas orationem specialiter exigit. (3.) pro animabus purgantibus, eisque itidem omnibus in communi, & aliquibus (puta, quibus titulo pietatis, aut gratitudinis specialiter obstrictus es) in particulari. Ratio est: quia hi omnes nondum sunt in termino suæ felicitatis; ergo juvandi sunt oratione, ut illum attingant. E diverso nulla extat obligatio orandi (4.) pro Beatis; cum isti, quippe in termino suæ felicitatis jam constituti, nulla orationis ope indigeant: quamvis non sit illicitum pro iis orare, ut, si nondum sint canonizati, canonizentur, miraculorum fama, aliave gloria accidentali magis incalescant. (5.) Pro damnatis orandum non est; cum eisdem oratio, attenta ordinaria Dei Providentia, prodesse nulla ratione queat: prout fides orthodoxa docet.

275. Dico quarto. Bona supernaturalia per orationem (1.) absolute petenda sunt: bona vero naturalia, & temporalia (2.) sub conditione tacita, vel expressa. Layman *loc. cit. n.8.* Henricx *part. 3. tr.4. disp.1. n.26.* & alii.

Probatur prima pars. Siquidem illa bona per orationem petenda sunt absolute, quæ sunt media per se proficua, & necessaria ad salutem, quibusque male uti non possumus: sed hujusmodi sunt bona supernaturalia; ergo, &c.

Probatur etiam secunda pars ratione a contrario; nam bona naturalia, & temporalia non sunt media per se proficua ad salutem, iisque abuti possumus, & solemus non raro in dispendium salutis; ergo ab orante non sunt petenda, nisi sub conditione, si ipsi futura sint salutaria.

CAPUT II.

De Adoratione.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Adoratio?

SUMMARIUM.

276. *Adorationis religiosa definitio, & differentia tum ab adoratione politica; tum ab honore.* 277. *Assignantur illius species.*

276. Dico primo. Adoratio religiosa, sive sacra (de qua sola in præsenti) *est subjectio erga alterum ob recognitionem alicujus excellentiæ supernaturalis in ipso*. Differt ab adoratione *politica*, & *civili*, quod ista sit subjectio erga alterum ob recognitionem alicujus excellentiæ naturalis in ipso existentis. Differt præterea ab *Honore*: quia hic solum, & universim denotat testimonium excellentiæ; cultus autem, seu adoratio insuper significat quandam animi submissionem erga rem, vel personam, quæ coli, vel adorari dicitur: quam submissionem honor ipse secundum se non includit. Quo fit, ut omnis adoratio sit honor; sed non vice versa omnis honor adoratio. Fit præterea, ut etiam æqualis, vel inferior honorari possit; coli autem, & adorari non possit nisi aliqua ratione Superior.

277. Dico secundo. Adoratio sic definita dividitur in *Latriam*, *Hyperduliam*, & *Duliam*. Ex quibus quælibet potest esse vel *absoluta*, vel *respectiva*.

Explicatur. Latria est, quæ pro motivo subjectionis respicit excellentiam increatam, & infinitam. Hyperdulia est, quæ pro motivo subjectionis respicit excellentiam supernaturalem creatam quidem, & finitam, sed singularem, & valde eminentem. Dulia est, quæ pro motivo subjectionis respicit excellentiam supernaturalem creatam quasi communem. Adoratio absoluta (Latria, Hyperdulia, vel Dulia) est, quando aliquid colitur propter excellentiam sibi inexistentem: respectiva vero, quando aliquid colitur propter excellentiam non sibi, sed alteri, ad quod respectum importat, inexistentem. Latria, eaque absoluta, competens soli Deo (ut mox dicemus) est adoratio eminenter, & antonomastice talis: prout colligitur ex illo *Deut.6.* & *Math.4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

ARTICULUS II.

Quomodo debeat, vel possint adorari Christus, B. Virgo, & ceteri Sancti?

SUMMARIUM.

278. *Christus ut Deus adorandus est cultu Latriæ absoluto; quemadmodum & Christus ut homo unitim cum Verbo; ac præcisive a Verbo cultu Hyperduliæ tantum.* 279. *B. Virgo adoranda est cultu absoluto Hyperduliæ; non autem Latriæ.* 280. *Solvuntur duæ objectiones,* 281. *Esto B. Virgo ratione maternitatis posset per*

se lo-

se loquendo adorari cultu Latriæ respectivo; per accidens tamen tali cultu supersedendum est. 282. Alii Sancti possunt adorari cultu Duliæ absoluto. 283. Argumenta contraria diluuntur. 284. Ut autem ejusmodi cultus iisdem publice exhiberi queat, debent esse ab Ecclesia canonizati, vel beatificati.

278. Dico primo. Christus ut Deus potest, & debet adorari cultu Latriæ absoluto; sicut adorandus est Deus ut Deus. Christus ut homo unitum cum Verbo, itidem cultu Latriæ absoluto adorandus est ob unionem cum Verbo, cui non alius, quam cultus latreuticus deferri potest, & debet. Unde Conc. Alexandrinum *in Epist.* ad Nestorium decidit: *Unus intelligitur Christus Jesus, Filius Unigenitus, qui una adoratione cum carne propria adoratur.*

Nec obstat, si dicas. Christus secundum humanitatem est creatura; ergo non potest adorari cultu Latriæ absoluto.

Respondetur enim explicando, & dist. ant. Est creatura, habens tamen sibi intrinsece, seu speciali modo unitam Divinitatem, ejusque excellentiam, con. secus, neg. ant. Ergo non potest adorari cultu Latriæ absoluto tanquam objectum motivum, & ratione sui, con. tanquam objectum terminativum, & ratione Divinitatis, ejusque excellentiæ, quæ sola sit objectum motivum prædictæ adorationis, neg. cons.

E diverso Christus qua homo præcisive a Verbo, sive quoad humanitatem per intellectum a Verbo præcisam, non potest adorari cultu Latriæ, sed Hyperduliæ. Ratio primi est: quia humanitati sic præcisæ nihil inest dignitatis, aut excellentiæ increatæ, quæ sola potest esse objectum motivum adorationis latreuticæ. Ratio secundi est: quia humanitas Christi etiam per intellectum a Verbo præcisa habet perfectiones, dignitates, & excellentias gratiæ sanctificantis, virtutum, donorum supernaturalium in gradu singularissimo, ac eminentissimo inter perfectiones creatas quascunque; ergo ut sic constituit objectum per se adorabile adorationes Hyperduliæ. Ita S. Bonaventura *in 3. dist. 9. art. 1. q. 1.* Scotus *eadem dist. q. unic.* Salmanticenses *de Incarnat. disp. 35.* & apud hos permulti.

CC. & PP. dum affirmant, non esse dividendas adorationes Verbi, & humanitatis in Christo, excludunt solummodo divisionem in sensu Nestoriano, juxta quam illæ adorationes multiplicabantur in ordine ad objecta totalia, & supposita aliter distincta: quomodo negant adorari posse humanitatem, & Verbum, atque definiunt, unum duntaxat Suppositum in Christo cum duabus naturis adorandum esse. Unde patet, nostram doctrinam ab errore, quem cum suis asseclis erravit Nestorius, toto cælo distare; cum tantummodo affirmemus, humanitatem Christi per intellectum a Verbo, in quo vere, & a parte rei subsistit (imo juxta Scotistas per propriam existentiam existit) posse abstractam adorari cultu Hyperduliæ. Deinde dici potest, PP. loqui de adoratione communiter usitata, qualis est adoratio Latriæ, qua & Verbum, & humanitatem Christi cum Verbo unitam adorare solemus; prout supra dictum. Ex quo tamen non sequitur, modum adorandi humanitatem Christi, ut a Verbo per intellectum præcisam, esse inconvenientem, aut illicitum: tum quod fuerit usurpatus a Magis, quippe qui Christo thus qua Deo, aurum qua Regi, myrrham vero qua homini passibili obtulere; tum quod nullibi legatur, aut sciatur esse prohibitus ab Ecclesia.

279. Dico secundo. B. Virgo est adoranda cultu absoluto (1.) Hyperduliæ; non autem (2.) Latriæ. Ita rursus DD. Catholicorum communissima.

Probatur prima pars. Cultus Hyperduliæ impendendus est illi creaturæ, quæ præ aliis habet singularem prærogativam & præeminentiam sanctitatis: sed B. Virgo habet singularem prærogativam, & præeminentiam sanctitatis præ aliis Sanctis; cum ipsa, præterquam quod sit Mater Dei, tantis præfulgeat donis gratiæ, gloriæ, & virtutum, quantis nullus Cherubim, aut Seraphim &c. prout testatur S. Chrysostomus *in Liturg.* ergo &c.

Probatur secunda pars. Cultus Latriæ (absolutus) deferri non potest ulli puræ creaturæ, sed B. Virgo est pura creatura, veluti fides docet; ergo &c.

Utranque conclusionis partem roborant verba D. Angelici *3. part. quæst. 25. art. 5. in C.* quæ sic sonant: *Cum igitur B. Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio Latria, sed solum veneratio Duliæ, eminentius tamen, quam creaturis ceteris, in quantum ipsa est Mater Dei: & ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscumque Dulia, sed Hyperdulia.*

280. Objicies primo contra primam partem conclusionis. B. Virgo non videtur adoranda eodem cultu, quo humanitas Christi, ut a Verbo per intellectum præcisa; cum ergo ista, ut supra diximus, adorari possit cultu absoluto Hyperduliæ, non videtur etiam tali cultu posse adorari illa.

Respondetur, dist. ant. Non videtur adoranda eodem cultu, eodem quoad perfectionem gradualem, con. eodem quoad perfectionem specificam, neg. ant. & hoc ipso modo distinguendum est cons. Utrique deferendus est cultus absolutus Hyperduliæ specifice idem, quia utrique inest excellentia supernaturalis creata singularis; non tamen cultus gradualiter idem, seu æqualis, quia prædicta excellentia major est in Christi humanitate, ac in B. Virgine.

Objicies secundo contra secundam partem conclusionis. Idem cultus, qui debetur Regi, etiam debetur Matri Regis: sed Christo Domino tanquam Regi seculorum debetur cultus Latriæ absolutus; ergo etiam B. Virgini seu ejusdem Matri.

Respondetur majorem esse veram in mere humanis, ubi Rex, & Mater (præsertim si hæc etiam sit Regina) existunt ejusdem, ac fere æqualis excellentiæ; non item in respective Divinis, circa qualia hic versamur, & ubi Rex, Regisque Mater diversas, imo infinite distantes habent excellentias, Ille quippe increatam, Ista vero creatam.

281. Quæres, an B. Virgo adorari possit cultu Latriæ respectivo ratione Maternitatis, sive ob sanguinis conjunctionem cum Christo?

Respondetur, non deesse Theologos, qui id affirment: quorum sententiam Suarez dicit esse valde probabilem; & ego omnino veram reputo per se loquendo. Si enim (ut dicemus *art. seq.*) crux Christi cultu Latriæ respectivo adorari possit ob respectu, quem importat ad Christum; quidni & B. Virgo; cum ipsa respectum magis specialem ad Christum seu suum Filium dicat. Per accidens tamen consimili cultu supersedendum est ob periculum erroris, & idololatriæ; cum enim B. Virgo propriam in se habeat, eamque magnam, ac singularem excellentiam, vi cujus digna est adorari cultu Hyperduliæ absoluto, periculum foret, ne adoraretur cultu Latriæ absoluto, si permitteretur adorari respectivo: quale periculum tamen abest in cultu Crucis Christi, & similium, utpote mere extrinseco, id est, non ob propriam, quam in se habeant, excellentiam, sed præcise ob excellentiam, & dignitatem Christi, quem respiciunt, illis impendi solito.

Si dicas, absurdum esse, quod B. Virgini, seu Matri Christi exhibeatur cultus minor, quam Cruci Christi, & aliis rebus inanimatis Christum respicientibus: atqui cultus, etiam Hyperduliæ est minor, quam cultus Latriæ; ergo &c.

Respondetur, neg. min. loquendo de cultu Hyperduliæ absoluto, comparato ad cultum Latriæ mere respectivum; nam ille, cum exhibeatur propter excellentiam intrinsecam, major est isto, utpote qui præcise exhibetur propter excellentiam extrinsecam, creaturis etiam irrationabilibus, & venerationis absolutæ incapacibus.

282. Dico tertio. Alii Sancti, sive sint homines, sive Angeli, possunt adorari cultu Duliæ absoluto. Ita definitum est *a Trident. Sess. 25. de Invocat. & Venerat. SS.*

Probatur præterea hæc Catholica veritas primo. In Sanctis, sive ii sint homines, sive Angeli, reperitur quædam dignitas, & excellentia supernaturalis gratiæ, & gloriæ; ergo adorari possunt cultu aliquo religioso, & sacro. Atqui non cultu Latriæ; cum eorum excellentia sit tantum creata: neque cultu Hyperduliæ; cum eadem excellentia non sit extraordinaria, sicut est illa humanitatis Christi per intellectum a Verbo præcisæ, ejusdemque superbenedictæ Parentis; ergo cultu Duliæ.

Probatur secundo, evertendo fundamentum Hæreticorum. Ideo non liceret adorare Sanctos, quia committeretur peccatum idololatriæ; sed hoc est falsum,

& me-

& mera inscitia, aut insania; ergo &c. Min. prob. Idololatria tunc solum committitur, quando cultus Deo proprius, & debitus, defertur creaturæ, seu quando creatura colitur ut Deus: atqui dum Catholici docent, Sanctos posse adorari, vel eos in actu exercito adorant, non volunt eisdem esse deferendum, nec deferunt cultum Deo proprium, & debitum; cum illis non velint deferri, nec deferant cultum Latriæ, sed Duliæ tantum; ergo &c.

283. Objicies sequentia. *Deut.* 6. dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Idem indicat Apostolus 1. *Timoth.* 1. ubi ait: *Soli Deo honor, & gloria*. Concordant CC. & SS. PP. pluribus in locis. Deinde Angelus *Apocal.* 19. prohibuit, ne adoraretur a Joanne dicens: *Deum adora*. Ergo &c.

Respondetur, S. Script. CC. & PP. aliud haud velle, quam solum Deum esse adorandum cultu absoluto Latriæ, qui cultus est, & dicitur adoratio per antonomasiam, prout supra *n.* 277. animadvertimus; non autem negare, Sanctos posse adorari cultu Duliæ, vel Hyperduliæ. Ad alterum, quod ex Apocalypsi oppositum est, ajo, Angelum sui adorationem prohibuisse Joanni; partim ut significaret, quantum dignitatis naturæ humanæ per Unionem hypostaticam accessisset; partim ut doceret, quantum venerationis mereatur dignitas Apostolatus, qua præfulgebat Joannes.

284. Quæres, an omnes homines Sancti præfato cultu, eoque publico, adorari possint?

Respondetur affirmative, si ab Ecclesia ut cœli Cives per canonizationem, vel beatificationem publice declarati sint. Quod si ut tales nondum sint declarati, esto, cum fama sanctitatis obierint, publico cultu, qui illis exhibetur, nomine totius Ecclesiæ per Ministros ad id specialiter deputatos, adorari non possunt; possunt tamen adorari cultu privato: id quod patet ex *c. fin. de Relig. & Venerat. SS.* Simili cultu privato etiam adorari possent homines adhuc in terra existentes, de quorum sanctitate ex Dei testimonio, vel aliis certis indiciis constat; veluti constabat de sanctitate Prophetarum, Apostolorum &c. Sic Abdias adoravit Eliam; cum tamen ille esset in majori dignitate civili constitutus; eo quod nosset ipsum esse Virum sanctum, & Prophetam Domini. 3. *Reg.* 18. Sic & filii Prophetarum adoravere Elisæum; eo quod intellexissent, in ipso requievisse Spiritum Eliæ. 4. *Reg.* 2. Nec obstat, quod Apostolus Petrus sui adorationem prohibuerit Cornelio. *Actor.* 10. Siquidem id solum fecit ex quadam modestia, & humilitate; veluti exponit S. Chrysostomus: quemadmodum frequentissime facere solent homines etiam in politicis, seu dum eisdem defertur honor civilis, esto hujus capaces sint.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Christi, B. Virginis, ac Sanctorum Imagines, & Reliquiæ adorari possint?

SUMMARIUM.

285. Christi, B. Virginis, & Sanctorum Imagines adorandæ sunt cultu respectivo ad sua Prototypa: uti & eorundem Reliquiæ. 286. Cultu respectivo ad Personas, quarum sunt Reliquiæ. 287. Quænam veniant nomine Reliquiarum Christi, & Sanctorum? 288. Fit aliquorum exceptio. 289. Differentia in adorando veram Christi Crucem, & alias ad illius similitudinem efformatas. 290. Qualiter adorari possint præputium, & Sanguis Christi in terris relictus?

285. Dico primo: Christi, B. Virginis, & Sanctorum Imagines adorandæ sunt cultu respectivo ad sua Prototypa: unde Imagines Christi adorandæ sunt cultu respectivo Latriæ; B. Virginis, cultu respectivo Hyperduliæ; & reliquorum Sanctorum, cultu respectivo Duliæ. Catholici communissime.

Probatur ex Concil. Trid. quod *Sess.* 25. *in Decret. de SS. Imaginib.* definit, *Imagines sacras in templis habendas, & debitum eis honorem impertiendum esse: quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræsentant, ita, ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*. Suffragatur etiam ratio: quia Personæ sanctæ sunt Adorandæ; prout in *art. præced.* ostensum est; ergo etiam earum Imagines, ita tamen, ut illarum adoratio sit absoluta, istarum vero respectiva, quatenus adoratio imaginis, in esse talis, est adoratio prototypi, sive exemplaris, quod imago repræsentat. Conf. prob. Quoniam Reges, & Principes veneramur cultu civili absoluto, etiam eorum imagines veneramur cultu civili respectivo; ergo a pari, cum Sanctos ipsos veneremur cultu sacro absoluto, consequens est, atque conveniens, ut eorum quoque imagines veneremur cultu sacro respectivo.

286. Dico secundo. Christi, B. Virginis, & Sanctorum Reliquiæ similiter adorandæ sunt cultu respectivo ad Personas, quarum sunt Reliquiæ: ut proinde Reliquiæ Christi adorandæ sint cultu respectivo Latriæ; B. Virginis, cultu respectivo Hyperduliæ; & Sanctorum, cultu respectivo Duliæ. Est itidem communissima Catholicorum.

Probatur tum ex Conc. Trid. *loc. supra cit.* ubi idem determinat de Sanctorum Reliquiis, quod de Imaginibus. Tum ratione; nam id, quod Deus honorat, etiam nos honorare possumus: atqui Deus Lipsana, seu Reliquias Sanctorum honorat, dum per illas miracula patrat. Nam contactu ossium Elisæi mortuum suscitavit. 4. *Reg.* 12. Eliæ pallio aquas divisit. 4. *Reg.* 2. Morbidam curavit fimbriæ contactu Christus. *Matth.* 9. Idem fecit umbra Petri. *Actor.* 5. Sudarium Pauli. *Actor.* 19. &c.

287. Ceterum nomine Reliquiarum Christi veniunt Crux (quæ etiam rationem Imaginis obtinet; ut infra *n.* 289. dicemus) clavi, lancea, spinæ, sudarium, & similia, quæ corpus Christi vel afflixerunt, vel saltem tetigerunt. Reliquiæ Sanctorum sunt eorum corpora, seu cadavera, carnes, sanguis, ossa, dentes, capilli, ungues, cineres item, ac pulveres, in quos illa conversa fuerunt; panni, & similia, quæ Sancti in vita tetigerunt, vel quæ ad eorum demortua corpora admota fuerunt: nec non vestes, & varia utensilia, quibus in vita sua usi; ac instrumenta passionis, quibus afflicti fuere. Hæc proinde omnia cultu respectivo cum proportione ad Personas, quarum sunt Reliquiæ, adorari possunt.

288. Excipiuntur tamen aliqua, ut labia Judæ, quæ Christum osculata sunt; asina, cui Christus insedit; manus Malchi, quæ Christum percussit: item vermes cadaverum, etiam Sanctorum &c. Hæc, inquam, & similia excipiuntur; nec aliquo cultu afficienda sunt propter indecentiam, quæ in eorum cultu interveniret.

289. Colliges primo, quæ sit differentia inter veram Crucem Christi, in qua ipse pependit, & inter alias cruces ad illius similitudinem efformatas. Nam illa prior una duntaxat fuit; posteriores autem sunt innumeræ: illa duo habuit, ex quibus adorari digna concipi valet, nempe quod sit Imago symbolica Christi in ea affixi, & quod sit Reliquia sacra propter contactum physicum, quem ad ipsum habuit, & cujus pretioso cruore respersa fuit: aliæ vero sunt quidem illius imagines, vel potius Christi, non tamen sunt Reliquiæ Christi; quia ipsum nunquam physice attigerunt. Nihilominus non solum illa, sed & istæ cultu Latriæ respectivo adorandæ sunt. Ratio est: quia licet istæ non sint Reliquiæ Christi, sicut illa, sunt tamen Imagines Christi: atqui non solum Reliquiæ, sed etiam Imagines Christi adorandæ sunt cultu Latriæ respectivo; prout relinquitur ex dictis; ergo &c. Quoad particulas tamen primæ Crucis, aliorumque Passionis Dominicæ instrumentorum, & quoad particulas crucium ad similitudinem primæ efformatarum, dispari modo discurrendum est. Nam particulæ prioris generis adhuc adorari possunt cultu Latriæ respectivo; non item particulæ posterioris generis. Ratio est: quia illæ, esto amiserint figuram Christi, alteriusve instrumenti Passionis Dominicæ, retinent tamen rationem Reliquiarum Christi: istæ vero rationem Reliquiarum nunquam habuere, & figuram Crucis amisere: consequenter &c. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 1. *n.* 33.

290. Colliges secundo, præputium, & sanguinem Christi in terris relictum (cujus portio in nostra Ecclesia Augustæ religiose asservatur, & singulis Feriis sextis publicæ venerationi opponitur) adorari posse cultu Latriæ (1.) respectivo; non autem (2.) absoluto. Palao *tr.* 8. *disp.* 1. *pun.* 7. *n.* 2. Babenstuber *loc. cit. n.* 30. & alii communiter. Ratio primi est: quia sunt veræ, & insi-

& insignissimæ Reliquiæ Christi; eo quod Verbo hypostatice unita fuerint. Ratio secundi est: quia unionem, quam cum Verbo habebant, & ob quam cultu Latriæ absoluto adorari poterant, per sui a corpore Christi separationem perdiderunt: prout tradunt DD. Scholastici passim: consequenter &c. Quem cultum respectivum Palao etiam extendit ad illum sanguinem, qui fluxit ex aliqua Imagine Christi: itemque ad illum, qui in Sanctissimo Altaris Sacramento miraculose apparet.

CAPUT III.

De Vitiis Religioni oppositis per excessum.

HOrum Vitiorum genus est *Superstitio*, sic dicta, quod quasi aliquid *super* convenientem Dei cultum *statuat*. Continet sub se plures species in præsenti *cap.* exponendas. Antequam vero id præstemus, juvat naturam Superstitionis in genere explanare. Sit ergo

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Superstitio?

SUMMARIUM.

291. Adstruitur, & explicatur definitio Superstitionis, hac generatim. 292. Est duplex: utraque tamen in varias species subdividitur.

291. DIco primo. Superstitio *est vitium Religioni oppositum per excessum, quo cultus Divinus exhibetur creaturæ, vel Deo quidem, sed modo indebito.* DD. communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *Vitium Religioni oppositum*: quibus verbis exprimitur genus; cum in iisdem Superstitio conveniat cum Irreligiositate, de qua in *c. seq.*

Dicitur 2. *Per excessum*: haud sane, quasi in cultu Divino detur, aut dari possit excessus secundum quantitatem absolutam, Deusque nimium coli, aut majori honore affici valeat, quam dignus sit; sed secundum quantitatem proportionis, quatenus in cultu Divino fit aliquid, quod fieri non debet; dum ille exhibetur creaturæ, cui non debetur, vel Deo quidem, sed modo, quo exhiberi non debet: prout innuitur per subsequentes definitionis particulas. Porro per *ly excessum* circumscribitur differentia Superstitionis ab Irreligiositate, quæ Religioni opponitur per defectum.

292. Dico secundo. Superstitio generatim est duplex; utraque tamen in varias species subdividitur. Ita denuo DD. communiter.

Explicatur. Nam omnis superstitio vel excedit in re culta, ut dum Divinum cultum exhibet creaturæ; vel in modo colendi, ut dum illum exhibet quidem Deo, sed modo indebito: quemadmodum immediate dictum. Priore modo si se habeat, subdividitur *Idololatriam*, *Divinationem*, & *vanam Observantiam*: quibus adsumunt a DD. *Magia*, & *Maleficium*, tanquam species a tribus recensitis diversæ. Atque de his quinque speciebus in isto *cap.* per subsequentes articulos sermocinaturi sumus. Posteriore modo si se habeat, subdividitur in superstitionem *perniciosam*, & *superfluam*. Superstitio perniciosa est, quando committitur mendacium in ipso cultu veri Dei, ita ut in eodem specialis malitia mendacii, & falsitatis involvatur: unde & nominatur superstitio, seu cultus *falsus*. Hac ratione, sive hoc superstitionis genere peccaret, qui modo ceremoniis Judaicis Deum coleret; cum illæ significent (quod nunc temporis falsum est) Filium Dei needum esse incarnatum: qui reliquias falsas exponeret pro veris: qui prædicaret falsa miracula: qui ministraret in Ordinibus non susceptis &c. Atque hæc essent peccata mortalia. Ita P. Stoz *lib.*1. *part.*3. *q.*3. *n.*422. & alii passim. Superstitio superflua importat cultum, qui, secluso speciali mendacio, inanis, & nimius est: ut in Sacrificio Missæ adhibere plures cruces; vel sæpius, etiam ex devotione (quæ corrigenda est) dicere *Alleluja*; *Gloria &c.* quam Ecclesia solent: sacrum audire, non tamen ante Solis ortum, accenso certo cereorum numero: a Sacerdote, qui vocetur Joannes, aut æquet staturam Christi &c. Et ista sunt peccata ex se tantum venialia. P. Stoz *loc. cit.*

ARTICULUS II.

De Idololatria.

SUMMARIUM.

293. Definitur Idololatria, & 294. Dividitur in perfectam, imperfectam, & simulatam.

263. DIco primo. Idololatria est *superstitio, qua cultus Divinus exhibetur creaturæ, sicut Deo.* Hujus signum statuit Valentia 2. 2. *disp.*6. *q.*11. siquis seu explicite, seu implicite talem opinionem velit conciliare creaturæ, qualis revera soli Deo competit. Unde Actores in theatris non sunt dicendi Idololatræ, dum alterum Actorem, qui v. g. Jovem repræsentat, ut Deum adorant: siquidem id præcise faciunt, ut scenæ, & Spectatorum oblectationi deserviant, absque omni intentione opinionem, Deo vero competentem, Jovi conciliandi.

293. Dico secundo. Idololatria est triplex, videlicet *perfecta*, *imperfecta*, & *simulata*.

Explicatur. Idololatria perfecta est, quando quis falso existimans creaturam esse Deum, ei cultum Divinum exhibet. Opponitur per se Religioni, & concomitanter Fidei; nam sicut vera adoratio non datur, nisi præcedat fides, qua Dei excellentiam recognoscimus; ut ei nos religiose subjiciamus; ita adoratio falsa, seu idololatria perfecta non est sine errore contra Fidem, quo falsus Deus judicatur dignus cultu, & adoratione vero Deo debita. Unde ad hanc talem idololatriam tria requiruntur. Primum; ut creatura habeatur pro Deo, quod est contra Fidem. Secundum; ut ea affectu interno colatur. Tertium; ut signum externum ejusmodi affectus, & submissionis internæ exhibeatur. Quibus concurrentibus, idololatra, si sit baptizatus, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Idololatria imperfecta est, quando quis sciens, creaturæ nullam divinitatem inesse, ei tamen ex perverso affectu, v. g. ex odio in verum Deum, vel cupiditate a dæmone aliquid obtinendi, cultum Divinum exhibet; ut magi, & sagæ exhibere solent Diabolo. Est peccatum gravissimum, imo gravius, ac ipsa idololatria perfecta: quia in idololatria perfecta homo ex ignorantia honorem Divinum tribuit creaturæ: in idololatria vero imperfecta tribuit creaturæ, quam novit Deum non esse, illum honorem, quem scit, soli vero Deo deberi: qui posterior idololatrandi modus, cum involvat magnum Divinitatis contemptum, plus malitiæ continet, quam prior, qui memoratum contemptum non includit. Porro etiam, qui committit idololatriam imperfectam, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ saltem in foro externo, utpote in quo est vehementer suspectus de heresi: in foro tamen interno illam non incurrit, si heresis reipsa absit.

Idololatria simulata est, quando quis sine existimatione divinitatis, & sine affectu interno colendi, ob tyranni v. g. aut populi metum, exterius tantum creaturæ exhibet cultum Divinum, seu Latreuticum. Est & ipsa peccatum grave: cum enim cultus externus sit signum cultus interioris, sicut est perniciosum mendacium, dum quis exterius asserit contrarium ejus, quod per veram fidem in mente tenet; ita est perniciosa falsitas, dum cultum Divinum exhibet alicui contra id, quod in mente sentit. Neque metus mortis, aut cujuscunque alterius mali a tali peccato excusare potest, quamvis fides interius conservetur: quia creaturæ tribuere cultum Divinum, etiam externe tantum, est intrinsece malum, & quidem simpliciter, ac absolute, ita ut in nullo prorsus casu cohonestari queat. Attamen intra lineam peccati mortalis est minus, ac duo priora; quia, cum gravitas peccati pendeat ex voluntate, minoris malitiæ est præstare creaturæ honorem Divinum sine affectu interno, quam cum illo. Et quamvis etiam idololatria simulata sit subjecta excommunicationi in foro externo, in quo præsumitur conjuncta cum errore contra fidem; in foro tamen interno similiter ob illa immunis est, eo quod fides, ut supponitur, in corde retineatur.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Divinatione.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Divinatio, ac quale peccatum?

SUMMARIUM.

295. & 296. Divinatio definitur, & dividitur, ac subdividitur in multas species. 297. & 298. Non solum Divinatio, quæ fit per expressam invocationem dæmonis, sed etiam, quæ fit per tacitam, est peccatum mortale. 899. Ambæ sunt ejusdem speciei essentialis. 300. Pœnitens non tenetur in confessione exprimere, per quæ signa divinaverit.

295. DIco primo. Divinatio est *superstitio, qua quis opem dæmonis tacite, vel expresse invocat, ut noscat res contingentes, & libere futuras, vel aliter occultas.* Consistit proinde (ut loquitur Layman *lib.4. tr.10. c.3. n.2.*) malitia divinationis in hoc, quod homo in assequenda rerum cognitione, cujus indigens, vel appetens est, non ad Deum, sed ad diabolum, Dei, & hominum infestissimum hostem, confugiat: id, quod in diaboli, divinitatem in omnibus affectantis, honorem; in Dei vero contumeliam, & contemptum redundat.

296. Dico secundo. Divinatio dividitur in eam, quæ fit *per invocationem, & pactum expressum* cum dæmone, ut doceat occulta; atque in eam, quæ continet *invocationem, & pactum tacitum* cum dæmone. Prior contingit, dum quis vel verbis dæmonem invocat, vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit, aut putat dæmonem cooperari. Posterior contingit, dum quis notitiam rei occultæ procurat, aut procurare nititur per medium ad illam indicandam suapte natura inutile, ac ineptum, esto protestetur, se nullam cum dæmone societatem intendere, nec velle ipsius opera præfatam notitiam sibi comparare; nam similis protestatio, cum sit contraria facto, est prorsus inefficax, eodemque modo se habens, ac si non fieret.

Prioris divinationis, quæ fit cum expressa invocatione dæmonis, novem recensentur species, pro diversitate signorum, quibus dæmon hujusmodi superstitiosos docere solet. Prima dicitur *Præstigium*, dum nempe dæmon variis apparitionibus superstitiosorum oculos perstringit, atque hoc modo occulta pandit. Secunda, *Onyromantia*, quando dæmon facit hominem somniare, quæ ipsi vult persuadere. Tertia, *Necromantia*, dum adhibito sanguine, certisque carminibus evocati mortui videntur resurgere, loqui, docere &c. Quarta, *Pythonismus*, quando dæmon docet per *Pythones*, id est, homines arreptitios, & obsessos, ex quibus superstitiosis interrogantibus respondet. Quinta, *Geomantia*, quando dæmon docet per signa apparentia in corporibus terrestribus, v. g. in planta, ligno, metallo &c. Sexta, *Hydromantia*, quando docet per signa apparentia in aqua. Septima, *Æromantia*, quando docet per signa apparentia in aere. Octava, *Pyromantia*, quando docet per signa apparentia in igne. Nona denique, *Aruspicium*, quando docet per signa apparentia in extis animalium dæmonibus immolatorum.

Posterioris divinationis, quæ fit cum tacita invocatione dæmonis, duæ sunt species quasi subalternæ. Una sumitur ex dispositione eorum, quæ homines ipsimet faciunt ad cognitionem occultorum sibi comparandam; ut fit *per sortes*, seu *sortilegium*. Altera sumitur ex dispositione aliqua jam in re existente. Et hæc continet sub se itidem novem species inferiores. Prima est *Astromantia*, sive *Astrologia judiciaria*, dum ex motu, vel situ siderum, de futuris divinatur: cujus pars est *ars Genethliaca*. Secunda, *Augurium*, dum ex garritu avium, & vocibus animalium. Tertia, *Auspicium*, dum ex volatu avium, & motu aliorum animalium. Quarta, *Omen*, dum ex sternutatione, & factis, aut vocibus hominum alia intentione prolatis. Quinta, *Onyrocritica*, dum ex somniis. Sexta, *Physiognomia*, dum ex signis, & lineamentis humani corporis. Septima, *Spatulamantia*, dum ex signis in spatulis animalium. Octava, *Metoscopia*, dum ex fronte. Nona, *Chiromantia*, dum ex signis manuum.

297. Dico tertio. Divinatio, quæ fit per expressam invocationem dæmonis, semper peccatum mortale est. Communis.

Probatur. Quia per hanc divinationem perverse, & nefarie initur commercium cum hoste humani generis, & Dei ipsius infensissimo adversario: atqui hoc fieri nequit sine grandi malitia; ergo &c. Neque ea malitia decrescere ad venialem potest ob parvitatem materiæ: quia includit formalem Dei contemptum, in quo non habet locum parvitas materiæ: vel ob ignorantiam; cum, fideles saltem, latere non possit, quod habere commercium cum dæmone sit res extreme detestabilis.

298. Dico quarto. Etiam divinatio, quæ fit per tacitam invocationem dæmonis, est peccatum mortale, siquis sciens, aut scire debens, hæc, vel illa media esse vana, & inutilia ad alicujus rei occultæ cognitionem comparandam, iis tamen cum plena fiducia utitur; sic enim convincitur per ejusmodi signa (utpote quibus nec Deus, nec boni Angeli moventur ad aliquid revelandum) a dæmone cognitionem quærere: quod utique valde malitiosum est. Extenuari tamen illud peccatum, & veniale evadere potest 1. ob ignorantiam non graviter culpabilem, qualis hic omnino dabilis est; cum malitia hujus divinationis, esto secundum se gravis sit, non omnibus ita appareat, sicut malitia divinationis, quæ fit cum expressa invocatione dæmonis. 2. Quando certa fides non adhibetur, sed solum concipitur quidam timor, aut suspicio eventus fors ita futuri, sicut indicat vani signi prænotio. Et idcirco qui Ægyptios, aut Zingaros, ut vocant, de fortuna sua, aut aliorum consulunt, per se loquendo peccant quidem mortaliter, si tamen eorum dictis fidem saltem firmam non adhibeant, ut fit communiter, non nisi venialiter: quia tunc ob defectum firmæ credulitatis, & fidei non committunt veram superstitionem divinationis, quantum est ex parte sua; ut habent Authores communiter. Censeo nihilominus etiam tales per se loquendo mortaliter peccare, non quidem peccato proprio superstitionis, ut diximus, sed peccato scandali, & alieno superstitionis, cujus, saltem in actu exercito committendi, Zingaris ansam præbent. Interim etiam in divinatione, quæ fit per invocationem dæmonis implicitam, si vere superstitiosa existit, locum non habet parvitas materiæ; eo quod & ipsa formalem Dei contemptum involvat.

299. Quæres primo, an divinatio, quæ fit per expressam invocationem dæmonis, sit peccatum specie distinctum a divinatione, quæ fit per tacitam invocationem dæmonis?

Respondetur negative. Ita probabilior sententia, quam tenent Suarez, Sanchez, Filliucius, Bonacina apud, & cum P. Babenstuber *loc. cit. n. 14.* Ratio est) quia tacitum, & expressum, in moralibus non faciunt actus specie distingui; quemadmodum patet in Professione tacita, & expressa (ut alia exempla omittam) utpote quæ sunt ejusdem speciei; ergo &c. Est tamen divinatio, quæ fit cum invocatione expressa dæmonis, etiam secundum se spectata, notabiliter enormior, quam divinatio, quæ fit cum invocatione ejusdem tacita; quo enim major est societas cum dæmone, eo major est apostasia a Deo: consequenter &c.

Dices. Pœnitens non satisfacit, si in confessione dicat, se exercuisse divinationem; sed debet exprimere, qualis fuerit, an conjuncta cum invocatione dæmonis expressa, vel tacita solum; ergo signum est, quod istæ divinationes specie differant.

Respondetur, dist. ant. Debet id exprimere per se, & propter differentiam specificam illarum divinationum, neg. per accidens, & propter scelera, quæ comitari solent unam divinationem, & non alteram, con. ant. & neg. cons. Divinatio, quæ fit cum expressa invocatione dæmonis, gravissima scelera adjuncta habere solet; uti sunt abjuratio Baptismi, apostasia a Christo, B. Virgine, & aliis Sanctis, actualis adoratio dæmonis, ac similia, quæ in divinatione, invocationem dæmonis tacitam duntaxat conjunctam habente, non concurrunt. Ob quæ proinde peccata pœnitens exprimere, vel Confessarius interrogare debet, an in divinatione intercesserit invocatio dæmonis expressa, vel tacita solum?

300. Quæres secundo, an pœnitens exprimere (vel

Con-

Confessarius interrogare) teneatur, per quæ signa, vel instrumenta divinaverit, v. g. an divinaverit per somnia, per aquam, per aerem &c.

Respondetur negative. Ita Reginaldus *lib.* 8. *cap.* 4. *n.*114. & alii communiter. Ratio est: quia licet ejusmodi signa differant specie in genere naturæ, non tamen ita differunt in genere moris; neque causant differentiam specificam inter peccata divinationis; sicut ager, pecunia, vestes &c. non causant distinctionem specificam inter peccata furti.

§. II.

Expediuntur nonnullæ Quæstiones.

S U M M A R I U M.

301. *An omnis prædictio ex astris sit illicita?* 302. *Utrum sit aliquando licita conjectatio ex somniis?* 303. *Quarum sortium usus sit licitus, & quarum illicitus?*

VAriæ sunt species divinationis, maxime inferiores (prout liquet ex dictis §. *præced.*) quas insinuasse satis esto, nec singulas ulterius examinare inter Moralistas consuetum, imo nec necessarium est; consuerunt tamen iidem de aliquibus nonnulla superaddere, quibus bene perceptis, facile est de aliis quoque cum proportione consentaneum ferre judicium. Quorum vestigiis ut & nos insistamus, aliquot quæstiones hic proponere, & resolvere non piget.

301. Quæres igitur primo, an omnis prædictio Astrologica, sive ex astris, sit illicita?

Antequam ad quæstionem respondeatur, notandum, Astrologiam esse duplicem. Una est, & dicitur *naturalis*, per quam situs, & astrorum motus observantur, atque ex iis effectus naturales prædicuntur, partim necessario, partim contingenter evenientes: uti sunt eclipses, quæ priore, & pluviæ, siccitas, aeris serenitas, salubritas &c. quæ posteriore modo eveniunt. Altera est, & dicitur *judiciaria*, per quam ex astrorum aspectu eventus a libero arbitrio dependentes prædicuntur: ut quod Cajus v. g. sit evehendus ad Episcopatum: Mævius ferro, vel aquis immolandus: Sulpitius matrimonium initurus cum puella divite, & formosa; Sempronius e diverso cum paupere, & deformi &c. Nunc

Respondetur primo. Non est illicitum ex aspectu astrorum prædicere effectus naturales, sive necessario, sive contingenter eventuros. Ratio est: quia hujusmodi effectus non sunt per se occulti, sed habent causas hominibus notas (cælos, & astra) per quas proinde investigari, & prædici sine culpa possunt. Unde Calendatiographi Astrologia naturali sobrie utendo, & prædicendo tempestates, frigora, fertilitates peccant; uti nec ille, qui observato cujusdam natali die, astrorum motibus, corporis lineamentis &c. conjicit, & prædicit, aliquem hac, vel illa complexione præditum; his, vel illis propensionibus naturaliter affectum; his, vel illis morbis fore obnoxium &c. Delrio *disquis. magic. lib.* 4. *c.* 3. *q.* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 43. *dub.*1. & alii passim. Si tamen effectuum contingentium prædictio se non contineat intra conjecturam, ex dispositione astrorum naturaliter haustam, sed illos sub certitudine, vel absoluta probabilitate prognosticet eventuros, peccaminosa evadit, non quidem peccato divinationis contra virtutem Religionis (ob defectum initi cum dæmone pacti) sed temeritatis, aut mendacii; vel mortalis, si forte in gravi alicujus præjudicium vergat; vel venialis, si nemini ejusmodi præjudicium creet, Layman *loc. cit. n.*5. Sporer *n.*14. & alii communiter. Quod tamen intelligas velim de prædictione solitarie sumpta, & non conjuncta cum tali conjectatione; nam siquis simul in conjectando excedat, a peccato superstitionis non excusatur; ut colligetur ex statim infra dicendis.

Respondetur secundo. Ex astris prædicere (saltem certo) eventus a libero arbitrio dependentes, illicitum est, & severe prohibitum *Deut.*18. *Gentes istæ, quarum possidebitis terram, augures, & divinos consulunt; tu autem aliter a domino Deo tuo institutus es.* Ubi per Augures intelliguntur Astrologi judiciarii. Idem gravibus sub pœnis vetatur in Bulla Sixti V. quæ incipit: *Cœli, & terra &c.* Ratio insuper est: quoniam talis prædictio in primis fieri non potest ex astris, & constellationibus tanquam causis naturalibus; cum illi effectus, hoc ipso, quod sint liberi, a causis liberis, non naturalibus dependeat, saltem dependentia, immediata, & stricte dicta: imo ejusmodi ab astris dependentia induceret fatum, & consequenter liberum arbitrium tolleret, Deumque faceret Authorem peccati; ut ostendit Origenes apud Eusebium *de præpar. Evangel. lib.*6. *cap.*8. *&* 9. quod est contra fidem. Neque fieri potest ex astris tanquam signis; cum nec in S. Script. nec alibi legatur Deus instituisse astra tanquam signa effectus liberos indicantia: quare eosdem aliter indicare non possunt, nisi tanquam signa dæmonis expresso, vel tacito cum hominibus pacto instituta. Ita cum alijs Babenstuber *loc. cit. n.*27.

Dixi per parenthesim: *saltem certo*. Nam volunt nonnulli, illiusmodi effectus infra certitudinem, seu ut non certo eventuros prædicere, superstitiosum non esse. Sed tenendum est oppositum, quando sub vera, & absoluta probabilitate futuri prædicuntur. Desumitur ex Bulla Sixti V. superius citata sunt hæc verba: *etiamsi id se non certo affirmare asserant, aut protestentur &c.* Ratio est; quia & sic conjectando, ac prædicendo memoratos effectus transcenditur vis astrorum, utpote quæ solum quasdam conjecturas, easque levissimas, parere nata sunt, non autem veram, & absolutam probabilitatem; ergo judicium in conjectando, & prædicendo, vere, & absolute probabile, censetur tacite peti, ac formari ex disciplina dæmonis. Cons. constat: cum non appareat, a quo alio peti existimetur. Ant. ostenditur. Ejusmodi quippe judicium nequit ex astris hauriri circa inclinationem hominis; ut supra animadvertimus; ergo minus circa ejusdem actus libere futuros tali inclinationi innitentes. Delrio *loc. cit. c.*2. *q.*3. Filliucius *tr.*24. *c.*4. *n.*92. *&* 93. Sporer *loc. cit. n.*16. Ubi tamen semper supponendum, quod talis non solum in prædicendo præmemoratos effectus, sed etiam in conjectando excedat (quemadmodum & excessisse hic facilius præsumitur, quam si cum excessu prædicat effectus naturales) Si enim præcise excedat in prædicendo, non peccat peccato superstitionis, esto peccet peccato temeritatis, vel mendacii; ut supra de prædicente effectus naturales advertimus.

Quod si tamen effectus libere futuros ex astris omnino leviter tantum conjicere attentet, eosque intra limites talis conjecturæ inde comparatæ prædicat, a peccato superstitionis excusabitur: cum similis conjectura ex astris omnino comparari posse videatur. Peccat tamen (saltem probabilius) contra prohibitionem Sixti V. qui in Bulla superius mentionata absolute interdicit prædictiones eventuum liberorum, soli astrorum influxui innixas; eo quod & iste modus prædicendi sit valde perniciosus, & expositus periculo superstitionis propter naturalem curiositatem tum prædicentium, tum audientium: nec appareat ratio, ex qua altefati Pontificis prohibitio ad forum duntaxat externum restringi debeat, vel possit. Ita cum aliis Babenstuber *loc. cit. num.* 29.

Id autem ultronee concedo, quod quis nec contra prohibitionem Bullæ Sixtinæ, nec aliter peccet, si eventus liberos ex influxu astrorum, simulque ex hominis indole, ingenio, moribus &c. per solam conjecturam affirmet, & prædicat. Ratio est: quia ex una parte prohibitio Bullæ se tantum porrigit ad prædictionem eventuum liberorum soli influxui astrorum innixam; prout patebit eam legenti: ex altera vero parte astra, & indoles &c. hominis simul sumpta habent majorem vim inclinandi voluntatem humanam ad certum actum, eventum, &c. prout advertit Arsdekin *tom.* 2. *part.*2. *tr.*5. *c.*1. §.2. *n.*4. & approbat La Croix *lib.*3. *part.*1. *n.*14. Quare sicut pater, cui filii sui genius, inclinatio, mores, &c. longa experientia comperti sunt, sine peccato conjicit, vel etiam prædicit ipsius futuras actiones, & eventus; ita nec alius sibi conscientiæ ducere habet, si ex ejusmodi aggregato circumstantiarum, simul & astrorum influxu aliquid humanitus de futuris eventibus, etiam liberis, conjectet, & prædicat.

302. Quæres secundo, an sit aliquando licita conjectatio ex somniis?

Ante resolutionem notandum, somnia esse in triplici differentia. Nam 1. aliqua, imo pleraque, proveniunt naturaliter, seu ex causis naturalibus, puta ex corporis constitutione, temperamento, aut commotione hu-

ne humorum; vel ex cogitationibus, aut occupationibus tempore vigiliæ habitis, juxta illud Ovidii: *Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno, tempore nocturno reddit amico quies*. 2. Aliqua immittuntur a Deo; quorum exempla habemus in Gedeone *Judic.* 7. in Daniele *cap.* 2. in Joseph, &. Magis *Matth.* 1. *&* 2. 3. Aliqua excitantur a dæmone hominis phantasiam commovente.

Respondetur nunc primo. Conjectatio ex somnis naturalibus, non tantum ut bonam, vel malam corporis constitutionem, sed etiam ut bonam, vel pravam aliquam affectionem animi indicant, est licita (uti & eorundem somniorum observatio, dummodo limites conjecturæ, & tenuis probabilitatis non excedantur) illicita vero, quatenus indicant, vel potius indicare falso putantur futura contingentia libera, & effectus mere fortuitos. Ratio est: quia ejusmodi somnia habent vim naturalem significandi priora, cum sint eorum causæ (prout etiam testantur Medici tum corporales, tum spirituales, seu in Scola ascetica Magistri) non autem posteriora: sed neque habent vim ista significandi ex institutione Divina, ut supponitur; ergo illam habeant, necesse est, ex institutione diaboli; cum quo proinde implicitum saltem pactum involvit conjectatio ex somniis relate ad futura contingentia libera, & effectus mere fortuitos: estque moraliter peccaminosa, nisi venialem reddat ignorantia, & simplicitas; vel fides non certo adhibita somnio, ut si quis ad cautelam tantum una, alterave vice ex eo suas actiones dirigat. Sanct-Gallenses *tom.* 7. *tractat.* 1. *dub.* 10. Sporer *loc. cit. numer.* 8. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *numer.* 10.

Dixi in respon. *dummodo limites conjectura non excedantur*. Hos quippe si conjectatio, etiam de se naturalis, supergrediatur, peccaminosa efficitur; estque de ea discurrendum, sicut *numer. praced.* discurrebamus de conjectatione naturali excessiva ex astris.

Respondetur secundo. Quando (1.) certo constat, somnium esse immissum a Deo, illi necessario est adhibenda fides; secus (2.) si non ita constet. P. Babenstuber *loc. cit. num.* 34. & alii communiter. Ratio primæ partis est: quia Deus est summe, & infinite verax; ergo si certo constet, ipsum loqui, necessario est adhibenda fides. Atqui constat certo, eum quandoque loqui per somnium; prout comprobant exempla superius allata, & testatur ipsemet *Num.* 12. ubi ait: *Si fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*; ergo &c. Ratio secundæ partis est: quia Deus, cum aliquid per somnium significare intendit, solet sub talibus circumstantiis somnium immittere, ut somniantem reddat moraliter certum de tali visione, inquit cum Suarezio, & Sanchezio Alanus Pfeiffer *in tr. de Vitiis Religioni oppositis disp.* 4. *artic.* 3. §. 2. ergo si somnians non sit redditus ita certus, præsumere debet, somnium non esse immissum a Deo, adeoque nullam ei adhibendam fidem; sed potius a diabolo, mendaciorum patre, cui omnis fides deneganda, ipsumque adeo somnium nullatenus observandum est: nisi quis velit tacite se profiteri atri Genii discipulum, non sine grandi peccato superstitionis.

Ceterum somnium esse immissum a Deo, deprehendi potest partim ex eo, quod homo per illud impellatur ad bonum; ut si ad timorem, & amorem Dei incitetur: partim ex affectu, qui relinquitur; ut si remaneat animus illustratus, & sacra consolatione perfusus, ac promptus ad Dei obsequium. Contra a diabolo immissum censeri debet, si homo per illud impellatur ad malum, vel ab aliquid indiscretum; si sentiat, se inde animo perturbatum, perplexum, protervum, ad servitium Dei tardiorem &c. Valentia *tom* 3. *disput.* 6. *quæst.* 12. *pun.* 3. & alii communiter. Tutissimum tamen erit (omnium consensu) rem exponere, & concredere Confessario, vel alteri Viro probo, & docto, ut is, omnibus pensatis, mature discernat, an somnium a Deo, vel dæmone provenerit?

303. Quæres tertio, an licitus usus sortium?

Ante resolutionem nota, sortium tres esse species, nempe *divisoriam*, *consultatoriam*, & *divinatoriam*. Prima est, quando per sortes quæritur, quid cuique tribuendum. Secunda, quando per sortes indagatur Divinum consilium, ut sciatur, quid in obscuro negotio agendum. Tertia, quando per sortes inquiritur de futuris eventibus. Nunc

Respondetur primo. Sortes divisoriæ sunt licitæ, præterquam in casibus per Jus naturale, vel humanum prohibitis. Ita cum communi P. Sporer *loc. cit. num.* 25. Ratio est: quia ejusmodi sortilegium nihil aliud est, quam contractus quidam fortunæ, in quo partes, ad rem aliquam jus habentes, ex muto consensu subeunt æqualem conditionem lucrandi, vel perdendi, qui contractus nihil superstitionis, alteriusve malitiæ includit, cum ad nullam rem incertam cognoscendam ordinetur, neque ad inducendam inter partes inæqualitatem independenter ab earum arbitrio, & voluntate; ergo &c. Quo fit, ut sortes divisoriæ sint licitæ. 1. In rebus externis, quæ aliter commode non possunt distribui ut sunt hæreditates, & alia bona communia. 2. In functionibus, ubi de honore, & periculo agitur: ita sorte inter militum alas deciditur, quæ prior debeat invadere hostem. Sic etiam S. Augustinus scribit *in Epist.* 180. sorte eligendum Sacerdotem, qui tempore pestis, aut persecutionis maneat in oppido, in quo grassatur pestis, aut sævit persecutio. 3. In dirimendis litibus, maxime circa res seculares 4. *ff. de Judiciis*. 4. In pœnis; ut cum duo, vel plures sunt rei mortis, & Princeps vult aliis ignoscere, alios punire. 5. Quoties non apparet, cur alteri præferri debeat &c.

Dixi in respons. *præterquam casibus &c.* Nam Jure naturali illicitus est usus sortium in distributione Officiorum secularium inter personas partim dignas, partim indignas (& secundum aliquos, etiam minus dignas, de quo tamen alibi) secus, si sint in dignitate omnino pares: Jure autem positivo in electionibus Ecclesiasticicis *per c. fin. de Sortileg.* ubi concludit: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*. Idque procedit. 1. etiamsi competitores sint in dignitate pares. 2. In electionibus tam ad Officia, quam Beneficia Ecclesiastica. Ratio utriusque est: quia textus loquitur indistincte. Non autem procedit in electionibus ad Officia secularia: quia licet textus & hic indistincte, ac generaliter loquatur, restringitur tamen ex subjecta materia, de qua sermo præcesserat, qualis erant electiones Ecclesiasticæ tantum, non autem seculares. Suarez, Sayrus, Sanchez, Filliucius apud & cum P. Babenstuber *loc. cit. num.* 38.

Respondetur secundo. Sortes consultatoriæ sunt illicitæ, nisi quando humanum consilium non suppetit, vel nisi Deus inspiret iis utendum. Ratio est: quia Deus extra casum necessitatis, & Divinæ inspirationis vult indagari suam voluntatem non per sortes, sed per S. Scripturam, per doctrinam Ecclesiæ, & SS. Patrum, vel per consilium proborum, & prudentium Virorum; ergo qui illam extra dictos casus indagat per sortes, peccat non quidem peccato superstitionis, sed tentationis Dei; quoniam Hic non promisit, se has sortes temperaturum: & ideo *sub anathematis interdicto* prohibentur *cap.* 7. *caus.* 26. *quæst.* 5. Quando tamen omni auxilio destituimur, vel specialem Dei inspirationem sentimus, licet illas adhibere, cum bona spe, fore, ut Deus dirigat, juxta illud *Proverb.* 16. *Sortes mittuntur in sinum, a Domino temperantur*: dummodo fiat cum reverentia, & oratione. Sic *Josue cap.* 7. Achan deprehensus sorte in furto; Jonas a nautis. *Jon.* 1. Matthias electus præ Joseph justo. *Actor.* 1. cujus electionem signo visibili a Deo demonstratam fuisse testatur D. Dionysius *lib. de cælest. Hierarch. cap.* 5. Sporer *loc. cit. num.* 22. alii communiter.

Respondetur tertio. Sortes divinatoriæ semper sunt illicitæ, & superstitiosæ. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 38. *n.* 88. cum communi aliorum. Ratio est: quia earum moderatio vel expectatur a casu, vel a Deo, vel a dæmone? Si a casu; de se patet, quod is efficere nequeat, ut per illas aliquid demonstretur: quia cum sortes casu sic, vel sic cadant, nihil præsignare possunt. Si a Deo; non constat, Eum illas directurum, & moderaturum ad manifestanda occulta; cum id non promiserit, & eventus sæpe aliter ostenderit, quam per sortes contigerit. Si a dæmone; concurrit expressa, vel saltem implicita ejusdem invocatio, & pactum: consequenter &c.

ARTICULUS IV.

De vana Observantia

§. I.

Quid, & quotuplex sit vana Observantia, ac quale peccatum?

SUMMARIUM.

304. *Vana Observantia definitur*, & 305. *Dividitur in tres præcipuas species*. 306. *Determinatur, quale, ac quantum sit peccatum*.

304. Dico primò. Vana Observantia est *superstitio, qua per media inutilia, & a divina Providentia minime constituta procuratur aliquis effectus, a solo Deo expectandus, & obtinendus*. Differt a Divinatione, quod Divinatio tota ordinetur ad cognitionem rerum singularium occultarum modo indebito consequendam; Observantia vero ad comparandam scientiam rerum universalium, aliosque effectus obtinendos; quemadmodum in ejus definitione insinuatum, & jamjam declarabitur. Quare

305. Dico secundo. Tres sunt præcipuæ species vanæ Observantiæ, videlicet *Ars notoria, Observatio sanitatum*, & *Observatio eventuum*.

Explicatur. Ars notoria est, quæ continet quasdam determinatas orationes, aut jejunia ad consequendas scientias absque ullo labore, ad modum scientiarum infusarum. Per quam proinde, saltem tacite invocatur diabolus, eique tribuitur potestas infundendi scientiam, soli Deo propria. Dum autem Anabaptistæ dicuntur repente, sumpto cœnæ suæ bolo, assequi notitiam Bibliorum, deceptio est: siquidem id fit per assistentiam diaboli, illos occupantis, per eorum ora loquentis, & Scripturas interpretantis: cujus signum est, quod, ejurata hæresi, ad Fidem Catholicam revertentes, discedente malo spiritu, mox in pristinam inscitiam, in qua ante hæresim erant, relabantur. Petrus Marchant *tom. 2. tr. 2. part. 3. tit. 1. q. 2. §.* & ex eo Herincx *loc. cit. n. 22.*

Observatio sanitatum est, cum quis ad sanitatem obtinendam, aut conservandam vana, & inutilia media assumit admixta rebus sacris, & orationibus, ab Ecclesia in hunc finem non approbatis. Hac utuntur illi, qui certis orationibus, & verbis sanant dolorem capitis, sistunt sanguinis fluxum &c. Ubi frequenter adhibentur vanæ quædam circumstantiæ, & verba ridicula, ac nihil significantia, quæ tacite continet invocationem dæmonis. P. Abreu *lib. 8. sect. 6. §. 4. n. 20.*

Observatio eventuum est, dum quis ex observatione rerum impertinentium mala, vel bona, sibi, vel aliis eventura conjicit; ideoque aliquid facit, vel omittit: ut siquis mane egrediens domo pedem offendat; & idcirco domum redeat, putans, iter suum infaustum fore: si mane calceos induens sternutet; & ideo lectum repetat, ut omen avertat &c. P. Abreu *loc. cit. n. 205.*

306. Dico tertio. De qualitate, & quantitate peccati, quod per vanam Observantiam committitur, eodem modo discurrendum, quo supra *n. 297. & seqq.* discurrebamus de qualitate, & quantitate peccati, quod committitur per divinationem: sicut enim divinatio, ita & vana Observantia quandoque fit per invocationem dæmonis expressam, quandoque per tacitam &c. Quod proinde ante omnia dispiciendum, & inde cuncta, quæ *loc. cit.* diximus, huc applicanda sunt.

§. II.

Expediuntur, & hic nonnullæ Quæstiones,

SUMMARIUM.

307. *Non illico judicandus est superstitionem committere, qui adhibet aliquam causam ad producendum effectum, de quo dubitat, an possit naturaliter a tali causa procedere? Secus, si applicet causam ad aliquem effectum.* 308. *de qua scit, quod non habeat virtutem naturalem illum causandi; dubitat autem, an habeat divinam, vel diabolicam?* 309. *Superstitiosum est uti virga, quam vocent divinatoriam, ad explorandos thesauros.* 310. *& seq. Resolvuntur quidam alii casus.*

307. QUæres primo, an illico judicandus sit superstitionem committere, qui adhibet aliquam causam ad producendum effectum, de quo, re examinata, dubitat, an possit naturaliter a tali causa procedere?

Respondetur negative. Tamburinus *lib. 2. in Decal. c. 6. §. 1. n. 62.* Arsdekin *loc. cit. n. 7. & 8.* aliique communiter. Ratio est; partim quia virtutes rerum naturalium propriæ, & quæ ipsis revera insunt, nos sæpenumero latent: partim quia constat ex crebro contingentibus, naturam in suis operibus esse valde potentem, & mirabilem; ergo in dubio est præsumendum pro ejus activitate, & efficacia: consequenter &c. Suadent tamen Authores passim (præeunte Laymanno) ut quis in tali dubio expresse protestetur, se nolle effectum consequi, si forte diabolus ad ejus productionem quoquo modo superstitioso sit concursus.

308. Quæres secundo, an superstitionem committat, qui applicat causam ad producendum aliquem effectum, de qua scit, quod non habeat virtutem naturalem illum causandi; dubitat autem, an non habeat Divinam, vel diabolicam?

Respondetur affirmative. Tamburinus *loc. cit. n. 68.* Sporer *n. 33.* Babenstuber *n. 55.* & alii communissime. Ratio est: quia de ejusmodi causa præsumi non potest, quod similem effectum producat suapte natura, & activitate; ut patet: vel ex institutione Divina, & tanquam signum practicum illius effectus: hoc quippe modo sola Sacramenta, & Sacramentalia suos operantur effectus; ergo superest, ut censeatur (idque moraliter certo) eundem causare dependenter ab ope dæmonis tacite invocati. Videatur La Croix *lib. 3. part. 1. n. 28.*

309. Quæres ulterius tertio, an sit superstitiosum uti virga, quam divinatoriam vocant, ad explorandos thesauros?

Respondetur affirmative. Ita Kircherus, & alii plures apud, & cum P. La Croix *loc. cit. n. 35.* Ratio est: quia hæc coryli virga non est causa naturalis thesauros, & alia metalla reperiendi; ergo &c. Ant. ostenditur ex principio universali, quo docemur, tunc aliquid esse causam naturalem, quando in iisdem circumstantiis semper agit eodem modo: quod memoratæ virgæ non convenit; cum requirat, ut applicetur v. g. a certis personis, cum certa intentione, sub recitatione certorum verborum, & aliis circumstantiis pure moralibus, quæ modum agendi naturalem, & physicum immutare non possunt.

310. Quæres quarto, an sit superstitio, siquis pondere aliquo ad funiculum inter pollicem, & indicem suspenso exploret numerum horarum, pondere hoc vasi immisso toties pulsante latus vasis, quoties in horologio malleus cymbalum aut pro tunc percussit, aut percutiet?

Respondetur affirmative. Ita cum Cardinale de Lugo, & aliis P. Sporer *tr. 1. c. 5. n. 22.* Ratio est: quia pondus hoc nullam habet vim naturalem, minus Divinam, ad pulsum ordinate, & stabiliter in latere vasis præstandum. Licet enim aliqui vim naturalem illi accedere putent a pulsu arteriæ, alii a speciebus phantasiæ sanguinem moventibus; apparet tamen facile hujus opinionis vanitas; nam in primis arteriæ pulsus constans est, & naturalis; numeratio autem horarum est arbitraria, & in diversis locis omnino diversa, imo in eodem etiam loco pro libitu mutabilis. Deinde species phantasiæ, ut a sanguine motæ, ne minimam quidem cum certa hora connexione habent; potest enim, qui experimentum horæ capere satagit, sibi imaginari esse primam, dum est tertia, & vicissim, præsertim si noctu excitetur a somno, quo casu si pondus terno pulsu tertiam indicet, attribui nequaquam poterit speciebus indicantibus primam. Si vero pulsus primam esse exhibeat, pondus certa significatione destituitur.

311. Quæres quinto, quo loco habenda sint sequentia. 1. Ad avertendum morbum, aliudve nocumentum gestare e collo Sanctorum Reliquias, vel sacra verba, ut Evangelium S. Joannis, aut versus aliquos Psalmorum in Brevibus? 2. Contra pericula lapsuum in equitatione secus portare talerum. S. Georgii imagine insignitum? 3. In Festo S. Stephani v. g. equis sanguinem mittere, vel eosdem, aliave jumenta circa templum S. Antonii Eremitæ, aut S. Leonardi circumducere, ad impetrandam, aut conservandam illorum sanitatem? 4. Ad varia mala depellenda ter recitare hunc versiculum: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis?* 5. Ad sistendum sanguinem pronunciare

illud

illud Christi in Cruce: *Consummatum est*: vel illud Psalmi: *Libera me de sanguinibus &c.* ? 6. Ex aura, quæ est certo die, v. g. in Festo S. Urbani, vel conversionis S. Pauli, prædicere, qualis sit futura aura per annum?

Respondetur ad istos Casus. Et quidem ad primum dico, eum nihil superstitionis, vel alterius malitiæ involvere: modo non addatur aliqua vana, aut vitiosa circumstantia. Bonacina *tom. 2. disp. 3. q. 5. pun. 4ών. 11.* & alii communiter. Ratio est: quia talia gestans censetur tacite orare, vel invocare Deum, aut Sanctos: quod pium, & honestum esse, nemo ex Catholicis diffitetur. Dixi: *modo non addatur aliqua vana, aut vitiosa circumstantia*. Talis nanque si accederet, similium gestatio a labe superstionis immunis non foret: ut si SS. Reliquiis, vel sacris verbis immista essent ignota, & barbara nomina Dei, Angelorum &c.

Ad secundum dico, illam quoque portationem superstitione vacare, si fiat in honorem S. Georgii ex intentione, & spe probabili per ejus apud Deum merita ejusmodi immunitatem a lapsibus impetrandi. Si tamen fieret cum infallibili expectatione talis effectus, a peccato superstionis excusari non posset. P. Babenstuber *loc. cit. n. 15.* cum communi.

Ad tertium dico, recensitas, aliasque id genus circumstantias, vel ceremonias superstitioni obnoxias esse, si adhibeantur tanquam per se necessariæ, & efficaces ad similem effectum impetrandum. Ita cum Sanchezio, aliisque communiter P. Sporer *loc. cit. n. 38.* Ratio est: quia illis nulla inest per se efficacia ad obtinendum a Deo effectum, qui intenditur. Si autem adhiberentur animo præcise effectum prædictum consequendi a Deo per intercessionem Sanctorum, a superstitione liberæ forent: quamvis hoc ipsum periculo non caret, & petenti consilium, an liceat, caute dissuadendum esset, vel suggerendos modus, quo id fieri conveniat. Si vero consilium non exquiratur, plerumque præstat, illud ex devotione observantes, in sua simplicitate relinquere, cum difficulter abducantur ab eo, quod a suis Majoribus bona fide acceperunt. P. Stoz. *lib. 1. part. 3. q. 3. n. 428.*

Ad quartum dico. Si intentio recitantis feratur ad honorandam SS. Trinitatem, Eamque recitans pro tali effectu obtinendo devote imploret, nihil superstitionis committit: cum præfatus versiculus, hac tali intentione prolatus, in variis malis fuerit efficax remedium, prout testatur Cassiodorus in *Psal. 115.*

Ad quintum dico, etiam id non esse superstitiosum, si sacra illa verba pronuncientur devote, ac cum prudenti spe a Deo, & Christo effectum intentum consequendi. Secus tam in hoc, quam in præcedente casu foret, si effectus expectaretur infallibiliter.

Ad sextum dico. Siquis opinioni suæ firmiter adhæreat, non est liber a superstione: quoniam aura talis diei infallibilem connexionem non habet cum aura per annum futura. Certius proinde aura futura ex aura talis diei conjici non potest, quam ex signis astrorum conjectentur nives, pluviæ, serenitas &c. Si vero opinioni suæ firmiter non adhæreat, nec sit excessivus in conjiciendo, sed solum prædicendo, nullius superstitionis sed tantum temeritatis, & mendacii se reum constituit. Revide, quæ diximus supra *n. 301.*

Alia dubia, quæ fere innumera adhuc proponi possent, omittimus; quoniam eorum resolutiones ex huc usque dictis facile colliguntur.

ARTICULUS V.

De Magia.

SUMMARIUM.

312. *Magia alia est naturalis, alia superstitiosa.* 313. *Magia, etiam superstitiosa, distinguitur a vana Observantia.* 314. *Dæmon tribus præcipue modis operari mira potest, & solet: quæ tamen miracula dici non possunt.* 315. *Quale, & quantum peccatum sit Magia tam secundum se, & absolute, quam relative considerata? item quomodo Confessarius Magum (Sagam, seu strigem) examinare, & cum eo procedere debeat?*

312. PRænotandum, magiam aliam esse *naturalem*, aliam *superstitiosam*. Naturalis est *ars, seu facultas operandi mira per causas naturales absque ope dæmonis*. Hæc de se non est mala; eo quod fundetur in sola cognitione, ac industria hominum: quamvis possit evadere mala per accidens, quatenus subinde solet esse nimis curiosa, & vana ex defectu utilitatis; vel etiam periculosa, & inductiva ad magiam superstitiosam: diabolus quippe non dormit, sed, quamprimum potest, se immiscet, addendo aliquid, quod humanam cognitionem, & industriam excedit, ut sic homines ad magiam superstitiosam producat. De Magia naturali nobis hic sermo non est; sed solum de superstitiosa. Hanc aliqui cum vana Observantia confundunt: alii ejus speciem esse contendunt. Sed neutrum placet. Nam licet si comparetur ad signa, vel media a diabolo instituta, observanda, & applicanda ad certos effectus, non discriminetur ab Observantia superstitiosa; discriminatur tamen ab eadem relate ad illos ipsos effectus, per talia signa, vel media, ope ac interventu dæmonis procurandos: prout patebit ex definitione statim afferenda. Unde nos, Toleti, Lessii, Filliucii, Sporeri, Babenstuberi, & aliorum vestigia legentes, de illa tractabimus tanquam de specie superstitionis distincta, quamvis non negemus, quod magnam cum vana Observantia habeat affinitatem, & fere omnia, quæ de superstitione Observantiæ decisa sunt, etiam decisa intelligi, & applicari valeant circa superstitionem magiæ; quam proinde breviter perstringemus.

313. Dico jam primo. Magia superstitiosa est *ars seu facultas operandi mira per aliqua signa ope dæmonis*. DD. communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *Ars, seu facultas operandi mira*: quibus verbis denotatur & convenientia Magiæ superstitiosæ cum naturali, & differentia ab aliis speciebus superstionis, quatenus ipsa sola pro fine habet effectionem mirorum; idque ad ostentandam hominibus suam, vel potius dæmonis vim, ac potentiam talia efficiendi.

Dicitur 2. *Per signa aliqua ope dæmonis*. Quemadmodum enim magia naturalis causis naturalibus, ita magia superstitiosa utitur signis seu causis moralibus, quibus ex pacto allicitur dæmon, ut faciat, quod magus petit. Unde per has particulas magia superstitiosa a naturali discernitur.

314. Ceterum dæmon tribus præcipue modis operari mira potest, & solet 1. Effectus per naturam, aut per artem factos transferendo, & apportando: sic facit apparere serpentes, & similia ex aliis locis ea transportando. 2. Aliquando illos de novo producendo non per se, sed occulte applicando causas naturales, earumque actiones accelerando ex scientia, quam habet de rebus naturalibus. Unde sæpe facit arborem intra brevissimum temporis spatium nasci, & protrudere fructus, per seminis, aliarumque causarum applicationem: sæpe curat morbos, clam adhibendo pharmaca; vel se ingerendo intra corpus, & humores noxios extrudendo. 3. Ac quasi regulariter illos operando, illudendo sensibus, vel his proponendo vera objecta, non qualia apparent, sed ex aere condensato: vel ipsos videntium sensus impediendo, ne exteriora videant, & imaginationem movendo, ut existiment, res illas esse tales, quales vere non sunt: sicut contingit, cum homo somniat.

Interim hujusmodi opera, quocunque modo facta, licet sint mira, quatenus humanis viribus existunt superiora; haud tamen dici miraculosa possunt: quoniam operum miraculosorum effectio simpliciter transcendit totam virtutem causarum naturalium: atqui effectio operum magicorum non transcendit totam virtutem causarum naturalium, prout liquet ex dictis; ergo &c. Delrio *lib. secundo, disquisition. magic. quæst. septima.*

315. Dico secundo. Magia est peccatum mortale: quia includit pactum sive explicitum, sive implicitum cum dæmone. Excusari tamen potest ob ignorantiam, si pactum dumtaxat implicitum, sive tacitum includat. Porro interdum est conjuncta cum hæresi, quando nempe est error in intellectu contra fidem cum pertinacia; ut si magus credat dæmones esse dignos aliquo honore, posse aliquid facere sine Divina permissione, semper vera dicere, in alia vita se bona ab eis recepturum &c. Et tunc magus (idem cogita de saga, seu strige) est excommunicatus, quia hæreticus. Interdum non est conjuncta cum hæresi, quando talis

error non est in intellectu. Habet insuper adjuncta aliquando alia quoque crimina, nempe 1. *apostasiam*; cum Magi Christum, Sanctos, Sacramenta abnegant. 2. *idololatriam*; cum diabolum tanquam Deum adorant. 3. *blasphemias* in Deum, & Sanctos. 4. *sacrilega*; cum abutuntur rebus sacris, ipsaque etiam Eucharistia. 5. *luxuriam*; quando sive cum aliis hominibus, sive cum ipso quoque dæmone nefarie commiscentur 6. *injustitiam*; quando aliis damna inferunt, necando infantes, perdendo animalia, sternendo segetes &c. De quibus proinde examinandi sunt a Confessario; ut cum Suarezio, Filliucio, & Bonacina notat P. Busembaum *lib.* 3. *part.*1. *n.*41. Adigendi præterea sunt 1. ut pactum expressum, si quod iniverint cum dæmone, dissolvant, & ejurent, antequam absolvantur. 2. ut comburant, vel alio modo destruant Chirographum, si habeant. Quod si solus demon habeat chirographum, non est opus, ut a dæmone repetant; quia pactum, quod illius datione initum est, sufficienter dissolvitur seriam agendo pœnitentiam. 3. ut damna contra Justitiam illata resarciant, sicut resarcire tenentur alii damnificatores. Ita denuo Authores prænominati.

ARTICULUS VI.

De Maleficio.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Maleficium, ac quale peccatum?

SUMMARIUM.

316. *Definitur maleficium*, & 317. *Dividitur in duas præcipue species*. 318. *Determinatur, qualis, & quanta ei insit malitia.*

316. Dico primo. Maleficium est *ars nocendi aliis ope dæmonis*. Unde a magia differt ratione finis; quia magnus nititur, & utitur ope dæmonis ad ostentandam ejus potentiam; maleficus vero ad nocendum aliis.

317. Dico secundo. Maleficii duæ sunt præcipue species, nempe *maleficium amatorium* (quod etiam *philtrum* nominatur) & *maleficium veneficum*.

Explicatur. Maleficium amatorium est, quo utuntur malefici ad carnalem amorem, aut etiam odium excitandum. Ubi nota, quod dæmon inferendo simile maleficium non cogat, ne cogere possit voluntatem ad amorem, vel odium; sed solum moveat, turbando phantasmata, & imaginationem, ac faciendo, ut objecta appareant magis amabilia, aut odibilia, atque ita hominem inclinet ad amandum, vel odio habendum. Unde hujusmodi actus amoris, vel odii non destituuntur libertate, ne quidem morali; nam qui illos exercent, solum tentantur, non vero coguntur: consequenter a peccato non excusantur, nisi forte ita turbentur, ut, quid agant, omnino nesciant.

Maleficium veneficum est, quo malefici solent nocere aliis hominibus, vel in propria ipsorum persona, occidendo, aut infirmitates, & dolores causando, aut sterilitatem sexus inducendo: vel in rebus ad eos pertinentibus, destruendo segetes, vineas, animalia &c. ad quod præstandum excitant ventos, grandines, tempestates &c.

318. Dico tertio. De quantitate, & qualitate malitiæ, in maleficio repertæ, tam secundum se, quam relate ad alia flagitia, ad quæ pertrahere solet, idem sentiendum, quod de malitia magiæ dictum *n.*315.

§. II.

Quomodo maleficium, quod constat esse positum, liceat tollere?

SUMMARIUM.

319. *Nunquam licet efficere, ut maleficium novo maleficio tollatur.* 320. *Quando constat, maleficum, nosse aliqua media licita ad tollendum maleficium, licite ab eo petis, ut illud tollat, esto prævideas, quod id non sit præstiturus absque interventu novi maleficii.* 321. *Solvitur objectio.* 322. *A fortiori cuique licitum est tollere signa, quibus maleficus utitur ad nocendum, dummodo id fiat absque interventu maleficii.* 323. *Proponitur, & solvitur objectio.* 324. *Licitum præterea est apponere signa de se bona, vel saltem indifferentia, quibus positis destruitur pactum a malefico, & dæmone initum, & iste a nocendo desistit.* 325. *Diluitur argumentum in contrarium.*

319. Dico primo. Nunquam licet efficere, ut maleficium novo maleficio tollatur. Ita Arsdekin *loc. cit. n.*9. Herincx *part.*3. *tr.*2. *q.*5. *n.*34. & alii communissime.

Probatur. Quia nunquam licet facere mala, ut veniant bona; ponere autem novum maleficium, ut tollatur vetus, cum id non fiat sine invocatione, & ope dæmonis, per se ita malum est, ut cohonestari nullo ex fine queat: consequenter &c. Quo fit, ut a malefico illicite petatur sublatio maleficii, si hoc tollere nequeat absque novo maleficio, etiamsi ad id faciendum jam paratus existat; sicut illicite petitur a meretrice, quamvis ad fornicandum jam parata, copia corporis: quia incurritur peccatum scandali activi per se, & proprie talis; cum petens inducat alterum ad peccatum exercite patrandum. Revide, quæ diximus *tr. præced. n.*217.

Dico secundo. Quando constat, maleficum, vel alium nosse aliqua media licita ad tollendum maleficium, licite ab eo petis, ut illud tollat, esto prævideas, quod id non sit præstiturus sine interventu novi maleficii. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *c.*18. *n.*10. Arsdekin *loc. cit.* & alii passim.

Probatur. Quia tunc petis rem de se licitam, nempe ablationem maleficii, & habes justam causam petendi: maleficus vero (vel alius) potest, & debet exequi, quod petis, sine peccato; ergo, si secus faciat, non tibi petenti, sed illi soli illicite operanti peccatum imputabitur.

Confirmatur. Licite mutuum petis ab usurario, si habeas justam causam petendi, esto prævideas, quod is non sit mutuaturus sine usura: quia petis rem de se licitam, & ab usurario absque peccato præstabilem; ergo similiter &c.

321. Objicies. S. Scriptura *Levit.* 19. aperte prohibet, ne consulamus maleficos, hisce verbis: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini*; ergo &c.

Respondetur, in S. Scriptura solum prohiberi, ne consulamus magos, vel maleficos ut tales formaliter, quod petens solutionem maleficii in nostro casu non faceret; cum tantum uteretur consilio, & auxilio malefici, quatenus hic est homo maleficii tollendi artem callens, eamque sine interventu novi maleficii, adeoque licite exercens. Nec refert, quod maleficus ejusmodi artem fors didicerit a dæmone. Quæ inde solum sequitur, quod peccaverit eam acquirendo; non autem quod peccet eadem (sive immediate, & per seipsum, sive mediate, & per alios) utendo; nam peccatum, in acquirendo admissum, jam pertransit, & usus illiusmodi artis de se licitus est, atque honestus. Sanct-Gallenses *loc. cit. dub.* 5.

322. Dico tertio. A fortiori cuique licitum est tollere ligamina, annulos, glomos capillorum sub limine domus v. g. defossos, & similia signa, quibus maleficus utitur ad nocendum: dummodo id sine interventu maleficii fiat. Scotus *in* 4. *dist.* 34. *n.* 4. Suarez *loc. cit. c.* 17. *a n.* 9. & alii communiter.

Probatur. Quia hujusmodi signa destruere, nec est invocare dæmonem, sed potius ipsius invocationem impedire, & rescindere, utpote quæ veluti virtualiter continuatur, & permanet, donec illa signa tollantur: neque est eundem honorare; cum prædicta signorum ablatio, per se loquendo, eo invito fiat; ergo nihil aliud, quam tollere illud, quo dæmon ad nocendum ex pacto allicitur: quod utique licitum, imo laudabile est.

Quo fit 1. ut maleficus, quando constat, eum per maleficium certis signis appositis alicui nocere, ad ea tollenda adigi, & cogi possit etiam per minas, & verbera: quia hoc non est tam injuriam malefico inferre, quam ab eo illatam repellere. Non licet tamen privata authoritate illum graviter plectere; quia hoc pertinet ad Judicem.

Fit 2. ut, si maleficus, qui signum apposuit, est ignotus, aut inveniri non potest, liceat rogare alium maleficum, qui novit, quo loco signum sit appositum, ut illud auferat. Si vero constet, quod talis signum ignoret, non potest induci, ut arte sua utatur ad investigandum, quo loco positum sit; siquidem hoc esset inducere ad peccandum, nempe ad invocandum dæmonem eo fine, ut ab eodem redderetur certus de loco,

in quo

iti quid absconditum jacet signum maleficii. Idem dicendum, si dubitetur, an norit, vel ignoret signum; quia contra talem stat præsumptio, quod mala sua arte usurus sit &c. adeoque petere ab eo, ut solvat maleficium, est implicite petere, ut solvat alio maleficio.

223. Objicies contra conclus. Qui signum destruit, non tantum intendit, ut dæmon nocere desinat, sed etiam, ut sanitatem v. g. restituat: sed talis effectus non potest a dæmone expectari sine ejus invocatione; ergo &c.

Respondetur. Qui signum destruit, potest, & debet tantum intendere rescissionem pacti, quod maleficum inter, & dæmonem intercedit, & vi cujus dæmon quasi tenetur nocere maleficiato: quæ rescissio fit per destructionem signi, seu fundamenti, cui pactum innititur; unaque efficitur, ut dæmon præcise non amplius noceat: sicut destructio signo nocere non amplius solet, asso adhuc posset: Sanct-Gallenses *loc. cit.* Quod si dæmon ulterius progrediatur, & amoto signo operetur etiam positive restituendo sanitatem, hoc facit ex sua voluntate, vel ut servet fidem malefico datam, non autem ut inductus ab eo, qui signa sustulit: unde hic ad positivam illam dæmonis operationem negative, seu permissive se habet, solum intendens sanitatem positam in carentia damni, quod patiebatur: vel eadem etiam sperans positive a Deo, ut Authore naturæ, reddendam, quatenus Hic, cessante noxia dæmonis actione, temperamentum, & constitutionem naturalem pristinam reparat, & confortat. P. Pfeiffer *in citr. fol.* 167.

324. Dico quarto. Licitum præterea est apponere signa de se bona, vel saltem indifferentia, quibus positis destruitur pactum, a malefico, & dæmone initum, & iste a nocendo desistit. Sanct-Gallenses *loc. cit.* Sporer *n.* 41. & alii communiter.

Probatur. Quia licitum, & honestum est auferre occasionem mali, sive sibi, siva proximo inferendi; atqui opponens ejusmodi signa, aliud non intendit (ut supponitur) quam auferre occasionem mali natam ex signis a malefico positis, ob quæ dæmon ex pacto nocet; ergo &c.

Confirmatur. Licet auferre signa malefica, eo fine, ut pactum nocendi, & nocumentum cesset, secundum dicta *n.* 322. ergo similiter licet alia apponere signa ob eundem finem; cum etiam hoc non sit invocare dæmonem, nec pacisci cum illo, sed potius præcedens pactum destruere, & ejus destructione impedire perseverantiam nocumenti. Unde si dæmon cum malefico pactus sit, se tandiu nociturum maleficiato, quandiu v. g. non laverit corpus; non curaverit celebrari tres Missas; non recitaverit ter Orationem Dominicam summo mane verso ad Orientem vultu &c. & similia maleficiatus sciat, licite se lavat, Missas celebrari curat, Orationem Dominicam ritu præfato recitat &c. dummodo id faciat præcise animo dissolvendi pactum, & non animo avertendi malum per medium quatenus præscriptum a dæmone; prout jam cautum est supra in *resp. ad argument.* Ex eodem capite licitum est Judicibus, maleficum torquere volentibus, procurare, ut vestibus exuatur, lavetur, corporis pili abradantur, dum timent, ne vi alicujus maleficii latentis sit ad tormenta insensibilis, & dolores non sentiat, vel plane mutus, & nihil fateri valeat: quia nempe pactum cum dæmone potuit iniri tali conditione, ut ad nudationem corporis, ejusque lotionem, & capillorum rasionem vis ejus cessaret. Similiter quando te saga tetigit, manuque demulsit, eam licite repercutis: si ab illa sis infectus, licite ei porrigis salem, & panem, vel ab eadem accipis: utroque enim modo solvitur pactum cum dæmone, & avertitur noxa. Sanct-Gallenses *loc. cit.* & alii passim.

325. Objicies. Uti re aliqua vana illicitum, imo superstitiosum est: sed exuitio vestium, lotio corporis, abrasio pilorum, & aliæ actiones primum recensitæ, sunt res vanæ, nullam habentes vim ad effectum, qui intenditur, causandum; ergo illis uti illicitum, & superstitiosum est: id quod maxime verificari videtur in determinato Missarum, & Orationum numero.

Respondetur. Illicitum quidem, & superstitiosum est, uti re vana, animo per eandem, aut per positivam dæmonis operationem effectum aliquem positivum obtinendi: licitum vero est, & ab omni superstitione liberum, illa uti ceu signo, non quo tanquam objecto dæmon moveatur ad male operandum, sed quo ipsius pactum evertatur, atque ita auferatur occasio nocendi: quod prædictis modis fieri posse supponitur. Unde nec aliæ actiones supra commemoratæ, nec celebratio trium Missarum, aut recitatio trium Orationum, in cum finem peractæ, quidquam superstitionis redolent; cum in illis aliud spectari non debeat, nec possit, quam quod celebratio, aut recitatio sit signum, quo posito dæmon a nocendo desistat; sicut ablatio annuli, vel capillorum est signum, quo dæmon inducitur ad amplius non nocendum. Quare sicut ablatio annuli, aut capillorum nihil superstitionis involvit, ita nec celebratio trium Missarum, recitatio trium Orationum &c.

CAPUT IV.

De Vitiis Religioni oppositis per defectum.

HUcusque actum est de Vitiis Religioni oppositis per excessum, quæ sunt Superstitio, & ipsius species: nunc agendum venit de Vitiis eidem Virtuti oppositis per defectum, nimirum de Irreligiositate, & speciebus ejus. Ceterum Irreligiositas hic non sumitur modo generali (sic enim complectitur etiam Superstitionem, & alia peccata Religioni opposita per excessum) sed modo speciali, & prout contra distinguitur a Superstitione, & peccatis superstitionem sapientibus. Atque hoc modo accepta Irreligiositas, & Superstitio respective conveniunt inter se, & discrepant. Conveniunt, quatenus ambæ versantur circa materiam, seu objectum Religionis; differunt autem, quod Superstitio, quamvis excedat in malis circumstantiis, tamen adhuc usurpet materiam Religionis cum quadam veluti æstimatione illius, & idcirco dicatur vitium Religioni oppositum *per excessum*, quatenus nempe attingit quidem materiam Religionis, sed ulterius procedit ad vitiosas circumstantias: e diverso Irreligiositas ita versetur circa materiam Religionis, ut ex peculiari ratione eam quasi vilipendat; unde illam videtur aversari, ac quodammodo non attingere; & eatenus dicitur vitium oppositum Religioni *per defectum*. Species Irreligiositatis sunt præcipue quatuor, videlicet *Tentatio Dei*, *Perjurium*, *Sacrilegium*, & *Simonia*. De Perjurio commodius agetur *disp. seq.* de reliquis in præsenti *cap.* nobis sermo erit.

ARTICULUS I.

De Tentatione Dei.

SUMMARIUM.

326. *Quid hic intelligatur nomine* Tentationis. 327. & 328. *Definitur ac dividitur Tentatio Dei*. 329. *Deducitur Corollarium*. 330. & 331. *Non solum expressa, sed etiam tacita Tentatio Dei est mortale peccatum*. 332. *Una ab altera non distinguitur essentialiter*.

326. HOc ipso, quod impræsentiarum sit sermo de Tentatione Dei, fluit, nomine Tentationis non venire inductionem ad malum, seu peccatum: sic quippe in Deum cadere nulla ratione valet; cum ipse hoc tali modo neminem tentet, ut testatur S. Jacobus *c.* 1. *Epist.* neque tentari ab aliquo cum effectu queat, quia nequit induci ad peccandum. Quare tentatio hic idem est, ac sumptio experimenti de alicujus perfectione, viribus &c. Nunc

327. Dico primo. Tentatio Dei *est dictum, vel factum, quo quis experimentum capit de aliqua Divina perfectione*, v. g. de Potentia, Sapientia, Justitia, Misericordia &c. an videlicet ea Deo vere insit. Ita DD. communiter, & sensus definitionis videtur de se clarus, vel certe patebit ex dicendis.

328. Dico secundo. Tentatio Dei dividitur in *expressam*, & *tacitam*.

Explicatur. Tentatio Dei expressa est, cum quis expressa, & directa intentione aliquid dicit, vel facit ad sumendum de Divina quadam perfectione experimentum; ut si absque justa causa expresse petat fieri miraculum, quo innotescat, Catholicam Fidem esse veram: si se e turri præcipitet, vel in puteum desiliat, ut experiatur, an ab interitu per Dei Misericordiam præservandus &c.

Tentatio Dei tacita est, cum quis aliquid dicit, vel facit absque expressa intentione capiendi experimenti de

Divina quapiam perfectione; illud autem, quod dicitur, aut fit, ejusmodi est, suapte natura ad nihil aliud referri posse, quam ad sumendum de Divina perfectione experimentum: ut si velit sine speciali instinctu Spiritus S. ab omni cibo per integram Quadragesimam abstinere ad imitationem Christi: si in morbo periculoso respuat medicinam, petatque, ac speret a solo Deo sanitatem: si absque ulla præparatione, citra causam necessitatis, vel magnæ utilitatis, suggestum conscendat, pro concione dicturus, & præstoletur extraordinariam Spiritus S. assistentiam &c.

329. Colliges, non esse tentationem Dei, sive expressam, sive tacitam, quando homo ob justam causam (cujusmodi sunt Divina inspiratio, necessitas, vel magna utilitas) aliquid dicit, vel facit, a solo Deo, prætermissis mediis ordinariis Divinæ Providentiæ, effectum expectans. Hinc Abraham, qui Deo promittenti terram illam respondit: *Domine Deus, unde sciam, quod possessurus sum eam*, *Genes.* 15. non commisit peccatum tentationis Dei; quia id fecit ex Divina inspiratione. Similiter a peccato tentationis Dei liber fuit Elias, dum 3. *Reg.* 18. petiit ignem de cælo labi, ut Gens incredula verum Deum recognosceret: quia id fecit ex necessitate; cum non suppeteret alia via Deum manifestandi. Denique ab eodem peccato excusaretur, qui apud Gentiles v. g. vellet in Fidei confirmationem accensum rogum intrare, si inde speraretur illorum conversio: siquidem & in hoc casu vel urgeret necessitas, vel saltem utilitas, eaque eximia. P. Alanus Pfeiffer *loc. cit. fol.* 181. & alii passim.

330. Dico tertio. Expressa tentatio Dei est peccatum mortale. Communis.

Probatur. Quia includit vel dubitationem de perfectionibus Divinis, quæ in gravem Dei contemptum redundat; vel saltem magnam irreverentiam, curiosius agendo cum Deo quasi cum Ludione: quod itidem cedit in gravem Dei vilipensionem. Unde, maxime hæc tentatio Dei, graviter prohibita est *Deut.* 6. & *Matth.* 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Neque hic locum habet parvitas materiæ; quia istud peccatum, sive ex dubitatione de Divinis perfectionibus, sive ex curiositate procedat, semper involvit formalem contemptum Dei. Excusari tamen, & peccatum veniale evadere poterit ob imperfectionem actus, seu deliberationis.

331. Dico quarto. Etiam tacita tentatio Dei est peccatum mortale. Ita denuo communis.

Probatur. Siquidem & hæc tentatio in gravem Dei despectum vergit, quatenus fit per opus, suapte natura ad explorandam aliquam Dei perfectionem ordinatum. Et licet sæpius decrescere ad peccatum veniale possit ob imperfectionem actus; respuit tamen & ipsa parvitatem materiæ, cum similiter cedat in formalem contemptum Dei. Unde siquis in morbo ut ut levi detrectet uti medicinis ad eum pellendum necessariis, sanitatem temere expectans a Deo per miraculum, vel media extraordinaria, a mortali non excusatur ob levitatem periculi, cui tentans se exponit; cum tantum absit, ut contemptus, qui Deo a sic tentante infertur, ob levitatem periculi minuatur, ut potius augeatur, & crescat: quemadmodum in simili dicemus *disp. seq. de Juram. Assertor.*

332. Quæres, an tentatio Dei expressa distinguatur specie a tentatione Ejusdem tacita?

Respondetur (conformiter dictis *n.* 299. de divinatione expressa, & tacita) negative. Ratio est eadem, quæ ibi: quia scilicet tacitum, & expressum non faciunt actus specie distingui; ut patet in professione expressa, & tacita, quæ sunt ejusdem rationis. Est tamen tentatio Dei expressa peccatum gravius tentatione tacita: siquidem per illam infertur Deo major irreverentia, & contemptus, ac per istam.

Dices cum P. Stoz Tentatio expressa Dei procedit ex dubio de perfectione Divina, cujusmodi dubium continet malitiam specie distinctam contra fidem: tentatio tacita e diverso non procedit ex tali dubio; ergo distinguuntur specie.

Respondetur, transmisso antecedente quoad primum membrum (nam procedere quoque potest ex curiositate prout relinquitur ex dictis *n.* 330.) dist. cons. Distinguuntur specie, si spectentur secundum se, & prout præcise opponuntur virtuti Religionis, quo sensu hæc quæstio proposita, & resoluta fuit, neg. secus, transeat cons. Si tentatio expressa Dei procedat ex dubio de aliqua perfectione Divina, duas continet malitias, unam primariam, & essentialem, virtuti Religionis oppositam, alteram secundariam, & accidentalem, virtuti Fidei contrariam: quoad priorem non distinguitur specie a tentatione Dei tacita (quod unice intendit nostra resolutio) esto ita distinguatur quoad posteriorem: quæ proinde, si peccato tentationis Dei conjuncta sit, in confessione exprimi debet. Revideantur, quæ diximus *n.* 299. *cit.*

ARTICULUS II.

De Sacrilegio.

SUMMARIUM.

333. *Assignatur triplex acceptio sacrilegii.* 334. *Sacrilegium definitur.* 335. *Unde dignosci possit, quod aliqua actio sit sacrilega?* 336. *Violatio voti personalis præter peccatum infidelitatis etiam involvit peccatum sacrilegii; non item violatio voti realis.* 337. *Sacrilegium dividitur in personale, locale, & reale.* 338. *Saltem sacrilegium personale, & reale sunt species subalterna, non infima.* 339. *Sacrilegium est peccatum mortale ex genere suo.*

333. PRænotandum, sacrilegium triplici modo accipi posse. 1. Prout idem est, ac furtum rei sacræ: & hæc est primæva ejusdem acceptio. 2. Quatenus per extensionem, & usurpationem Theologorum significat quamlibet injuriam, seu violationem rei sacræ, prout nomine rei sacræ comprehenditur etiam Deus; quo sensu omne peccatum contra Religionem dici sacrilegium potest. 3. Et ad præsens institutum, ut importat irreverentem, & injuriosam tractationem rei sacræ creatæ.

334. Dico nunc primo. Sacrilegium *est peccatum irreligiositatis, quo aliquid sacrum qua tale violatur.* DD. communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *Peccatum irreligiositatis*, loco generis, in quo sacrilegium cum aliis speciebus irreligiositatis convenit. Dicitur 2. *Aliquid sacrum*: partim, ut comprehendatur persona sacra, locus sacer, & res sacra: partim, ut sacrilegium distinguatur a tentatione Dei, & perjurio, utpote quibus Deo immediate in seipso, & non in persona, loco vel rei dicatæ, irreverentia, & injuria irrogatur. Dicitur 3. *Qua tale*, ob ea, quæ in responsione ad primum Quæsitum infra dicturi sumus. Dicitur 4. *Violatur*, id est, irreverenter, indigne, ac injuriose tractatur; sive dein talis tractatio damnosa sit, sive non

335. Quæres primo, unde dignosci possit, quod aliqua actio sit sacrilega, vel non?

Respondetur. Ut hoc dignoscatur, pensari debet, ad quid persona, locus, vel res sit sanctificata; & videri an contra illud, ad quod sanctificata censetur, exerceatur actio, de qua quæritur, an sit sacrilega? Si actio contra tale quid exerceatur, rationem sacrilegii obtinet; alias non. Unde voto Castitatis ligatus, si fornicetur, præter peccatum luxuriæ etiam perpetrat sacrilegium; quia per emissionem talis voti se Deo consecravit quoad abstinentiam a venereis: e diverso si se inebriet, superbiat, mentiatur, blasphemet &c. nullius sacrilegii reus efficitur; quia ad hæc talia omittenda consecratus non censetur per votum Castitatis, ut per se patet. Similiter sacrilegii culpam incurrit, qui violat immunitatem Ecclesiasticam alicujus agri v. g. qua hic ab oneribus, & jurisdictionibus laicorum exemptus est; quia invadit agrum in eo, in quo sacer est; contra sacrilegii culpam non incurrit, si in tali agro fornicetur, quia hic quoad abstinentiam a fornicatione, & similibus per immunitatem Ecclesiasticam non censetur consecratus &c. P. Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 8. *q.* 2. *n.* 12. Matthæucci *lib.* 1. *c.* 17. §. 17. *n.* 123. & alii communiter.

336. Quæres secundo, an violatio voti præter peccatum infidelitatis, seu perfidiæ, etiam involvat malitiam sacrilegii?

Respondetur primo affirmative, loquendo de violatione voti personalis, sive solemnis; sive privati, & simplicis; sive intra, sive extra materiam Castitatis emissi. Ita insinuant Matthæucci *loc. cit.* Viva *super prop. ord.* 24. *ex damnatis ab Alessandro* VIII. *n.* 12. & alii.

Ratio

Ratio est: siquidem, quod vovetur voto personali, sive solemniter, sive privatim, sive in-sive extra materiam Castitatis, Deo ejusque cultui consecratur, & sacrum efficitur; ergo si ut tale violetur, sacrilegium committitur.

Dices. Ut persona aliqua censeatur vere sacra, debet publica authoritate, consecratione, vel deputatione, Divino cultui esse dicata: atqui hujusmodi non est, quæ Deo, ejusque cultui dicatur per votum privatum, seu simplex; ergo non fit, nec censeri potest vere sacra: consequenter ejus violatio non habet rationem sacrilegii saltem proprie dicti.

Respondetur cum distinctione. Et hæc vera sunt relate ad forum externum, permittitur, relate ad forum internum, negatur. In foro interno verum, & proprie dictum sacrilegium committit, qui voto Castitatis, v. g. ligatus fornicatur, sive dein illud votum solemne sit, sive privatum: esto res aliter se habeat in foro externo contentioso, & in ordine ad pœnas. P. Pichler *lib.* 5. *Decret. ad Tit.* 26. *n.* 14. An autem sacrilegium, quod committitur in violatione voti solemnis, distingatur specie (& consequenter ut tale in confessione exprimendum sit) a sacrilegio, quod committitur in violatione voti privati, dependet ab illa quæstione, an votum solemne, & privatum specie differant? Si enim teneatur hujus quæstionis resolutio, & sententia affirmativa, præfata sacrilegia specifice diversa censeri debent; secus, si teneatur sententia negativa, quam nos tradituri sumus infra *n.* 428. cum communiori aliorum.

Respondetur secundo negative, loquendo de violatione voti realis. Ita cum Suarezio, Palao, & Tamburino P. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 55. quamvis responsionem defendant modo paulisper alio, ac nos; ut patebit infra *n.* 428. Ratio est: quia pecunia, v. g. quam quis vovet pauperi in eleemosynam erogare, nondum evadit inde res dicata Deo, sed solum destinata ad executionem voti; ergo inde non efficitur res sacra: consequenter. Confirmatur. Qui voventi similem pecuniam surriperet, non committeret furtum sacrilegum; prout mihi omnino persuasum habeo; ergo signum est, quod illa pecunia nondum censeatur res Deo dicata, & sacra. Aliud est de voto personali; nam per hoc persona immediate dicatur Deo, & sacra efficitur; ut dictum. Utraque responsio, præsens, & præcedens, majorem accipiet lucem ex dicendis *cit. n.* 428.

337. Dico secundo. Tres sunt species sacrilegii, nempe sacrilegium *personale*, *locale*, & *reale*. DD. communiter. Et sumitur hæc divisio ex triplici genere eorum, quæ Deo, ejusque cultui dicata censetur: uti sunt personæ sacræ, loca sacra, & res sacræ.

Explicantur membra divisionis. Itaque sacrilegium personale est, quo violatur persona sacra. Contingit autem talis violatio præcipue 1. Cum personæ Ecclesiasticæ ad tribunal seculare injuriose trahuntur 2. Cum injuriose percutiuntur. 3. Cum ab eisdem (extra casus Jure permissos) exiguntur tributa, & gabellæ. 4. Dum persona voto, vel præcepto Ecclesiæ ad servandam castitatem obstricta, atque sacrata, fornicatur, libidinose polluitur &c. 5. Quando persona aliqua votum personale qualecunque, aut jusjurandum violat.

Sacrilegium locale est, quo violatur locus sacer, seu religiosus. Et fit præcipue 1. Exercendo in Ecclesia profanas actiones, v. g. nundinationem, judicia &c. 2. Effundendo in Ecclesia, vel alio loco sacro, sanguinem per homicidium, aut vulnus. 3. Effundendo semen per fornicationem, vel pollutionem, imo & per actum conjugalem, excepto casu gravis necessitatis. 4. Sepeliendo ibidem excommunicatum non toleratum, aut infidelem. 5. Patrando furtum, quando nempe aliquis furatur rem sacram de loco sacro, vel etiam non sacram, saltem si sit veluti deposita, & sub custodia loci sacri. 6. Violenter extrahendo personam e loco sacro, ad quem confugerat, quando ejus gaudet immunitate &c.

Ceterum nomine loci sacri generaliter intelligitur ille, qui ad usum pium, ac religiosum publica authoritate est destinatus, licet nondum sit consecratus, aut benedictus; ut habetur in *c.* 9. *de Immunit. Eccles.* Quod si locus aliquis privata duntaxat authoritate ad pium usum deputetur, & alias neque consecratus, neque benedictus sit, inter loca sacra numerari non debet, etiamsi Episcopus dederit licentiam in eo celebrandi. Unde ad nutum fundatoris in profanos usus converti potest; ut notat Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 15. *q.* 3. *n.* 39. neque gaudet immunitate Ecclesiastica; neque polluitur sanguinis, aut seminis effusione. Abbas in *c.* 10. *n.* 3. *de Privileg.* neque subest potestati Episcopi, jurique visitandi; ut dicitur *c. ult. de Censib.* Nomine autem loci sacri specialiter veniunt 1. omnes Ecclesiæ. 2. Earum Capellæ. 3. Cœmeteria. 4. Monasteria. 5. Xenodochia Episcopi authoritate erecta. Ubi tamen advertendum, non quemlibet locum ex modo recensitis esse objectum idoneum cujuslibet sacrilegii localis. Hinc non committit sacrilegium, qui se polluit in Monasterio, vel Xenodochio, esto tale committat, qui se polluit in Ecclesia &c. Revide quæ diximus *n.* 335. & cum grano salis huc applica.

Sacrilegium reale est, quo violatur res sacra. Committitur præcipue 1. per abusum Sacramentorum, hæc scienter administrando, vel recipiendo invalide, aut saltem indigne, id est, in statu disgratiæ: item conferendo indignis: eadem per contemptum conculcando, projiciendo &c. 2. Per abusum S. Scripturæ ad confirmandos errores; ut solent hæretici: item ad jocos, risus, cantus lascivos &c. 3. Per profanationem sacrorum vasorum, & ornamentorum; uti sunt calices, vestes sacræ &c. 4. Per inhonorationem SS. Imaginum, & Reliquiarum. Ubi tamen nota, Imagines, & Reliquias posse considerari, in primis, ut sunt instrumenta quædam Divini cultus, qua ratione ponuntur inter res sacras ad Religionem pertinentes. Unde cum ut sic ad Deum referantur, sicut honor iis exhibitus ad Religionem pertinet; ita earum inhonoratio est peccatum Religioni oppositum. Deinde considerari possunt, ut Sanctos referunt, & sunt veluti partes eorum, sibi sistendo: & hoc modo, sicut reverentia ipsis exhibita pertinet ad Duliam, quæ est virtus Religione inferior; sic earum inhonoratio sub tali respectu non est proprie sacrilegium contra Religionem, sed inferius contra Duliam. P. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 5. *n.* 16. & alii communiter.

338. Quæres, an istæ tres sacrilegii species, hactenus expositæ, sint infimæ, vel subalternæ?

Respondetur, esse subalternas, saltem loquendo de speciebus sacrilegii personalis, & realis. Busembaum *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 48. Augustinus Michel *de Sacrilegio num.* 22. & alii satis communiter. Ratio est: quia persona Religiosi, v. g. aliter (& quidem alietate essentiali, ac specifica) est sacra per votum Castitatis, v. g. aliter per privilegium Canonis &c. Similiter sanctitas, quæ reperitur in Sacramentis, est diversæ speciei a sanctitate, quæ reperitur in calicibus, v. g. aliisque rebus sacris. Ergo & sacrilegia, quibus personæ, vel res, sic, vel sic sacræ violantur, sunt diversæ speciei, cum varietas specifica sanctitatis inferat varietatem specificam in peccatis tali sanctitati ceu formæ morali, privative oppositis. Quo fit, ut percussio Religiosi, & fornicatio cum eodem, sint sacrilegia diversæ rationis: uti & indigna tractatio alicujus Sacramenti, maxime Eucharistici, ac alterius rei sacræ &c. Quæ proin diversitas in Confessione explicanda erit.

339. Dico tertio. Sacrilegium est peccatum mortale ex genere suo. Ratio est: quia continet gravem injuriam erga Deum, & res ejusdem cultui dicatas. Fieri tamen veniale potest non solum ubi imperfectionem voluntarii, sed etiam quandoque ob parvitatem materiæ: hinc non nisi veniale sacrilegium committit, qui Clericum leviter percutit: qui rem exigui pretii de templo surripit: qui calicem, vel patenam obiter tangit &c.

ARTICULUS III.

De Simonia.

Simonia & nomen, & originem (saltem pro lege nova) traxit a Simone Mago, qui Spiritum Sanctum, vel potestatem dispensandi aliis dona Spiritus S. pecunia sibi comparare attentavit; ut legere est *Actor.* 8. Et licet hoc vitium sit species quædam sacrilegii (prout statim videbimus) seorsim tamen, & peculiari opera explicari a DD. solet evitandæ confusionis ergo, qualem facile parerent subtiles juxta, ac copiosæ difficultates, quæ circa illud enodandæ occurrunt, si permixtim cum aliis speciebus sacrilegii pertractandum susciperetur.

§. I.

Quid sit Simonia, quotuplex, & quale peccatum?

SUMMARIUM.

340. Definitur Simonia, & singula definitioni particula exponuntur. 341. Etiam dividitur, & membra dividentia explicantur. 342. Simonia Juris Ecclesiastici est vere, proprie, & univoce Simonia. 343. Solvuntur argumenta in contrarium. 344. Simonia est peccatum mortale gravissimum, respuens parvitatem materiæ.

340. DIco primo. Simonia est *sacrilegium, quo res spiritualis, vel spirituali annexa, pro re temporali tanquam pretio per actum, seu contractum onerosum commutatur.* Ita quoad rem DD. communiter, & coincidit hæc definitio cum illa, quam tradit D. Thomas 2. 2. q. 100. *art.* 1. ubi ait, quod Simonia sit *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spiritale, vel spirituali annexum.*

Explicatur nostra definitio. Dicitur 1. *Sacrilegium:* quia per Simoniam res sacra, & spiritualis indigne, ac injuriose tractatur, quatenus temporali vel æquiparatur, vel postponitur.

Dicitur 2. *Res spiritualis:* per quam hic intelligitur omnis illa, quæ procedit a Deo, ut Authore gratiæ, vel ad illum, ut sic, ordinatur, sive dein sit sive non sit corporis expers. In qua acceptione triplex est 1. Spiritualis *formaliter, intrinsece, & quoad substantiam:* cujusmodi sunt gratia sanctificans, dona Spiritus sancti, virtutes supernaturales, gratiæ gratis datæ &c. 2. *Causaliter*, quatenus causat aliquid spirituale: uti se habent Sacramenta, jurisdictio, & potestas Ecclesiastica, consecrationes templorum, benedictiones numismatum &c. 3. *Effective*, quatenus causatur ab aliquo spirituali: veluti sunt functiones sacræ, puta baptizare, sacrum legere, absolvere a peccatis &c. quæ ceu effectus fundatur in potestate spirituali tanquam in causa.

Dicitur 3. *Vel spirituali annexa:* cujus nomine venit aliquid in se temporale, sed a Deo, vel Ecclesia rei, juri, aut officio spirituali annexum. Quod itidem fit tripliciter 1. *Antecedenter*, quatenus res temporalis tanquam aliquid præsuppositum, vel causa ordinatur ad aliquid spirituale; uti sunt Sacramentalia, & ceremoniæ sacræ, res consecratæ, vel benedictæ, v. g. templa, altaria, calices, patenæ, paramenta, & vestes sacræ, quæ ordinantur ad celebrationem Missæ, rosaria, quæ ad preces; numismata, quæ ad devotionem; jus patronatus, jus eligendi, imo ipsa electio, collatio &c. Beneficii, quæ referuntur ad Beneficium, & Officium Ecclesiasticum. 2. *Concomitanter*, quatenus res temporalis intrinsece conjuncta est cum aliquo spirituali; ut labor corporalis, qui in celebratione Missæ, in administratione Sacramentorum, in prædicatione Divini verbi &c. suscipitur. 3. *Consequenter*, quatenus res temporalis præsupponit aliquid spirituale tanquam sui causam: sic decimæ, & beneficia Ecclesiastica, licet in se sint jus temporale (quoniam sunt jus percipiendi res, & fructus temporales) præsupponunt tamen officium spirituale tanquam causam, propter quam conceduntur.

Dicitur 4. *Pro re temporali*, id est, quæ sit pretio æstimabilis; vel saltem utilitatem aliquam temporalem afferre queat: quod addo, ut indigitem, ad committendam Simoniam sufficere, quod detur res spiritualis pro temporali, si hæc sit temporalitate utilis, quamvis non existat pretio æstimabilis: nam qui v. g. Episcopo dat mutuum pro obtinendo Beneficio Ecclesiastico, committit Simoniam juxta omnes; quia datio mutui est benefica, & utilis mutuatario, esto non sit pretio æstimabilis; prout videbimus *part.* 4. *tr.* 3. & insinuat Platelius *part.* 3. *c.* 4. §. 5. *n.* 632. Vel (ut paucis totum complectar) per rem temporalem hic intelligitur illa, quæ est pretio æstimabili, id est, obtinet rationem pretii *formaliter*; aut saltem temporaliter utilis, & obtinet rationem pretii *virtualiter*, sive *æquivalenter*: alterutrum quippe ex ipsis pretiis ad Simoniam requiritur, & sufficit. Porro hæc res temporalis, sive pretium sæpe vocatur *munus*, quatenus vox ista significat onus, vel obligationem alteri impositam: estque triplex, videlicet, 1. *Munus a manu*, cujus nomine venit pecunia, & quævis alia res pecunia æstimabilis, quæ manu apprehendi potest; ut vestis, gladius, liber &c. item debiti remissio, solutionis dilatio, mutui datio &c. 2. *Munus a lingua*, quod lingua, vel loquendo exhibetur; ut preces, intercessiones, laudes, commendationes &c. *Munus ab obsequio*, quod est ministerium, quo quis inservit alteri, v. g. operam, vel comitatum præstando &c.

Dicitur 5. *Tanquam pretio*. Ut enim committatur Simonia, non sufficit, quod spirituale pro temporali detur quomodocunque; sed dari debet pro eo tanquam pretio, vel formaliter, vel virtualiter, & æquivalenter tali: siquidem isto duntaxat modo spirituale cum temporali comparatur, & coæquatur; adeoque vilipenditur, & irreligiose tractatur: prout ad Simoniam requiritur. Unde si temporale non detur, vel accipiatur per modum *pretii*, sed *titulo sustentationis*, vel *laboris extrinseci*, vel *gratitudinis* ex Jure naturali debitæ &c. nulla committitur Simonia: veluti patebit per decursum.

Dicitur denique 6. *Per pactum, seu contractum onerosum commutatur*; ubi comprehenditur omnis contractus non gratuitus, sive is sit emptio, sive permutatio, sive locatio, sive contractus quidam innominatus, quo imponitur, vel intenditur obligatio ad dandum spirituale pro temporali, aut vicissim: item contractus non solum expressus, qui fit disertis verbis; sed etiam tacitus; ut si detur aliquid, ex quo voluntas obligandi præsumi potest: quemadmodum contingeret, si peteres a Collatore Beneficium, & simul eidem donares centum aureos.

341. Dico secundo. Simonia dividitur (1.) in eam, quæ est *Juris Divini, seu naturalis* (superius definita) & in eam, quæ est *Juris humani, seu positivi*, nempe *Ecclesiastici*: item (2.) in *Mentalem, Conventionalem*, & *Realem:* ad quas reducitur *Confidentialis*.

Explicatur. Simonia Juris Divini, seu naturalis est, quæ ab ipsomet Deo ob intrinsecam malitiam prohibita est: ut si res spiritualis pro temporali veniat in æstimationem, contractum, & commutationem, v. g. si promittatur, vel detur pecunia pro Sacramentis, SS. Reliquis &c. Ubi utique advertis, Jus Divinum, quo hæc Simoniæ species prohibita dicitur, non sumi pro Jure Divino positivo, sed pro Jure Divino naturali, ita ut Simonia Juris Divini sit eadem, ac Simonia Juris naturalis.

Simonia Juris Ecclesiastici est, quæ a sola lege Ecclesiastica ortum habet, quatenus per istam ex motivo Religionis prohibetur, & constituitur sub specie peccati simoniaci: ut quando non quidem spirituale pro temporali, aut vicissim, sed spirituale, vel spirituali annexum, pro alio spirituali annexo, aut temporale pro temporali, aliter, quam permittat Ecclesia, datur, vel commutatur: v. g. si duo permutent Beneficia Ecclesiastica sine authoritate Episcopi. c. 5. & 7. *de rer. permut.* Item si officia, ad rerum Ecclesiæ temporalium administrationem, aut defensionem ordinata, v. g. officia Oeconomi, Thesaurarii, Sacristæ &c. vendantur, vel emantur c. 38. *de Sim.* Quod tamen intellige, quando memorata officia exerceri solent per Clericos: si enim exerceri soleant per laicos, citra omnem Simoniæ labem vendibilia sunt. Ita cum aliis DD. P. La Croix *lib.* 2. *part.* 1. *n.* 107. Et ratio est: quia dum ejusmodi officia venduntur, nihil spirituale venditur, nec aliquid spirituali annexum; siquidem Ecclesia illa relinquit in suo esse temporali, solumque venundari prohibet ob respectum quendam remotum, quem habent ad reverentiam, & cultum Dei: idque relate ad Clericos duntaxat; non item relate ad laicos.

Simonia mentalis est, quando quis offert, vel dat temporale pro spirituali, aut vicissim, sine ullo quidem pacto expresso, aut tacito *externe manifestato*, ea tamen intentione interna, ut alterum moveat, & obliget ad dandum spirituale pro temporali, aut vicissim. Ex quo patet, hanc Simoniæ speciem consistere posse in pacto inchoato, imperfecto, & se tenente ex parte unius tantum: siquidem in prava voluntate unius jam residere potest tota malitia, & turpido Simoniæ. Unde Simon magus veram commisit Simoniam, licet ipse solus habuerit internam intentionem emendi dona Spiritus Sancti, & Apostoli non consenserint.

Dixi: *quando quis offert, vel dat*. Siquidem ad Simoniam mentalem, prout hic a DD. & Jure ipso accipitur, non sufficit internum propositum offerendi, vel dandi temporale pro temporali, aut vicissim; sed requiritur

actualis

actualis oblatio, vel datio, una cum prava intentione externe non manifestata, alterum obligandi ad retribuendum spirituale, aut vicissim: veluti fecisse constat Simonem magum. Unde siquis præcise in animo proponat offerre, vel dare temporale pro spirituali, aut vicissim, peccat quidem peccato simoniæ mentalis, id est, mere internæ, & coram Deo, non tamen peccato simoniæ mentalis non mere internæ, de quali impræsentiarum DD. & Jura loquuntur. Reiffenstuel *lib. 5. Decret. Tit. 3. n. 15.* & alii communiter.

Simonia *Conventionalis* est, quando intervenit conventio, vel pactum, sive expressum, sive tacitum, externe manifestatum, de dando temporali pro spirituali, aut vicissim: idque vel ita, ut neuter paciscentium ad traditionem rei pactæ procedat; & dicitur simonia conventionalis *pura*: vel ita, ut alteruter (non uterque) ad eandem traditionem executive progrediatur; & dicitur simonia conventionalis *mixta*.

Simonia Realis est, quæ præter conventionem, vel pactum, externe manifestatum, involvit simul traditionem ex utraque parte, nimirum rei tam spiritualis, quam temporalis: ut si centum aureos, v. g. pro Beneficio promissos, jam solvisti, & Beneficium jam tibi collatum est.

Simonia Confidentialis (quæ specialiter locum obtinet in beneficiis Ecclesiasticis) est, quando quis alteri procurat Beneficium quocunque modo (nempe vel conferendo, vel eligendo, vel præsentando, vel in ejus favorem resignando &c.) cum certa *confidentia*, hoc est, cum pacto expresso, vel tacito, ut is, cui procuratur, idem Beneficium post aliquot tempus resignet, aut relinquat vel procuranti, vel alteri cuidam, aut certe pensionem, vel fructus ex eodem præstet. Quod tribus præcipue contingit. 1. Cum reservatione *accessus*, quando nimirum aliquis alteri procurat Beneficium sub pacto, ut tertius, qui hic, & nunc propter defectum v. g. ætatis, vel aliud impedimentum, illius nondum capax est, cessante impedimento habeat accessum ad Beneficium, & istud propria authoritate apprehendere valeat. 2. Cum reservatione *ingressus*, quando quis Beneficium sibi collatum, cujus tamen possessionem nunquam adiit, alteri cedit eo pacto, ut cedens, si per mortem cessionarii, vel alio modo vacare contigerit hoc Beneficium, illud ingredi, & possessionem capere queat. 3. Cum reservatione *regressus*, quando aliquis Beneficium, a se jam possessum, cedit, vel resignat alteri, eo pacto, ut si resignatarius præmortuus fuerit, vel aliter Beneficium dimiserit, ipse resignans idem Beneficium recuperet. Hæc Simoniæ species reducitur (ut diximus) ad tres præcedentes eisque velut immista est; & potest esse mentalis, conventionalis, aut realis: veluti patebit consideranti, & explicatur a P. Sporer *tr. 2. in 1. Præcept. Decal. c. 10. n. 42.*

342. Quæres, an Simonia Juris mere Ecclesiastici sit vere, proprie, & univoce Simonia?

Respondetur affirmative. Ita post Suarezium, Lessium, & alios P. Reiffenstuel *loc. cit. a n. 26.* Krimer *lib. 5. Decretal. Tit. 3. n. 396.* Herzig. &c. quamvis in modo hanc sententiam tuendi a nobis discrepent. Ratio est: quia in *c. 34. de Simon. c. 5. de Rer. Permut. c. fin. de Pactis*, & aliis Juribus Simonia Juris Ecclesiastici appellatur simpliciter Simonia sine particula distrahente, vel diminuente; & prohibetur, etiam secundum Adversarios, sub iisdem pœnis, sub quibus Simonia Juris Divini, seu naturalis; ergo signum est, quod sit Simonia vere, proprie, & univoce talis.

343. Dices contra respons. primo. Definitio superius tradita, & explicata non convenit Simoniæ Juris Ecclesiastici; cum per hanc non detur res spiritualis, vel spirituali annexa, pro re temporali tanquam pro pretio; ergo non est Simonia vere, proprie, & univoce talis.

Respondetur, concesso antecedente (quod tamen a PP. Reiffenstuel, & Krimer supra citatis negatur) neg. cons. Nam definitio illa, quam cum communi aliorum & nos amplexi sumus, non comprehendit omnem Simoniam vere, proprie, & univoce talem, sed solam Simoniam strictissime sumptam, qualis est Simonia Juris Divini, seu naturalis: prout recte advertit La Croix *lib. 3. part. 1. n. 57.* Quapropter inde ad summum inferri potest, quod Simonia sub hac reduplicatione, *quatenus supra definita est*, non dividatur, nec possit dividi univoce in Simoniam Juris Divini, seu naturalis, & Ecclesiastici. Cum quo tamen stat, utranque esse Simoniam proprie, vere, & univoce talem, una definitione definibilem (& per consequens univoce divisibilem) qualem adstruit La Croix *loc. cit.* ubi ait, quod Simonia in genere, & prout est quid commune ad eam, quæ est Juris Divini, seu naturalis, & eam, quæ est Juris Ecclesiastici, sit *contractus a Lege* (naturali, vel Ecclesiastica) *prohibitus intuitu Religionis circa spiritualia, aut spiritualia annexa.* Vide, si placet, Authorem cit.

Dices secundo. Simonia Juris Ecclesiastici non est sacrilegium; ergo non potest dici Simonia vere, proprie, & univoce talis, utpote qualis essentialiter importat rationem sacrilegii.

Respondetur, dist. ant. Non est sacrilegium ex natura rei, seu ex se, & seclusa dispositione Juris Ecclesiastici, sicut Simonia Juris Divini, seu naturalis, con. Ex dispositione Juris Ecclesiastici, eam prohibentis ex motivo Religionis, eandemque facientis materiam necessariam hujus virtutis, neg. ant. & cons. Revide, quæ in simili diximus *part. 1. n. 267.*

Instabis. A sacrilegio, quod est tale ex natura rei, & a sacrilegio, quod solum est tale ex dispositione positiva Ecclesiæ, non potest abstrahi ratio univoca sacrilegii; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. utpote quod tam falsum est, quam falsum est, si contendas, non posse abstrahi rationem univocam peccati a peccato, quod est tale ex natura rei, seu ex lege naturali, & a peccato, quod est tale ex lege positiva tantum: atqui hoc posterius est falsissimum; cum inde sequeretur, peccatum in genere non esse una definitione definibile, contra communem omnium sensum; ergo &c.

344. Dico tertio. Simonia est peccatum mortale gravissimum. Omnes.

Probatur in primis de Simonia Juris Divini, seu naturalis: siquidem res sacras, & spirituales, vel spiritualibus annexas commutare cum temporalibus, easque temporali pretio, sive formaliter, sive virtualiter, & æquivalenter tali, coæquare, Deo, ut Authori illarum speciali, summe injurium est, uti & Ecclesiæ perniciosissimum: atqui id fit per Simoniam Juris Divini, seu naturalis; prout relinquitur ex hucusque dictis; ergo &c. Ex quo fluit, quod hæc Simoniæ species omnem parvitatem materiæ respuat. Ratio est: quia, per commissionem talis Simoniæ, Divinæ dignitati, & excellentiæ, a Deo, ultimo Fine in rem sacram transfusæ, tribuitur æstimabilitas, & commutabilitas pro pretio per contractum, qui intendit æqualitatem inter datum, & acceptum: atqui hoc est Deo immediate, & directe imputari aliquam imperfectionem: ubi secundum dicta *part. 1. n. 693.* locum non habet parvitas materiæ; ergo &c. Potest tamen hæc Simonia ad peccatum veniale decrescere ob insufficientem considerationem, vel ignorantiam leviter culpabilem: veluti omnes fatentur.

Probatur conclusio etiam de Simonia Juris Ecclesiastici; nam hæc ab Ecclesia gravissime prohibetur ex motivo Religionis, & sub pœnis Simoniæ Juris Divini, seu naturalis, propter periculum, & speciem ejusdem Simoniæ; prout patet ex Juribus supra *n. 341.* allegatis, & patebit amplius ex dicendis infra *§. 5. n. 375.* consequenter &c. An autem in ista saltem Simoniæ specie dabilis aliquando sit parvitas materiæ, dubitari potest. La Croix *loc. cit. n. 198. & lib. 4. n. 632.* videtur propendere (absolute tamen nihil determinat) in sententiam affirmativam. Ratio est: quia per commissionem istius Simoniæ non commutatur res spiritualis, aut spirituali annexa, cum temporali; & consequenter huic non coæquatur (ut fit per commissionem Simoniæ, quæ est Juris Divini, seu naturalis) sed tantum datur spirituale, seu spirituali annexum, pro alio spirituali annexo, vel temporale pro temporali, contra prohibitionem Ecclesiæ; ergo per illam non fit injuria rei sacræ, vel spirituali (adeoque nec Deo immediate, & directe tribuitur aliqua imperfectio) sed solum peccatur contra prohibitionem Ecclesiæ, quæ videtur attemperata materiæ, ita ut sit gravis, vel levis, si materia gravis, vel levis existat. Verum præferendam censeo sententiam negativam, etsi pro eadem ex Authoribus, quos ad manum habeo, neminem authentice citare possim. Ratio est: quia licet per Simoniam Juris Ecclesiastici non imputetur Deo immediate, & directe aliqua imperfectio, adeoque, quantum est ex hoc capite, dari in illa posset parvitas

mate-

materiæ, hæc tamen non videtur dari posse ex alio capite: quia nimirum Simonia Juris Ecclesiastici per Canones graviter prohibita est ob periculum, & speciem Simoniæ Juris Divini, seu naturalis, & sub pœnis ejusdem; cui fini illius commissio, in quacunque materia fiat, æqualiter præjudicat; ergo &c. Confirmatur. Quando materia, materialiter levis, est formaliter gravis, Legislator censetur eandem præcipere, vel prohibere sub culpa gravi: atqui materia Simoniæ Juris Ecclesiastici, licet sit materialiter levis, est tamen gravis formaliter, quatenus nempe subest fini, ab Ecclesia intento, qui est evitare periculum Simoniæ Juris Divini, seu naturalis; ergo &c. Revideantur, quæ diximus *part. 1. n. 693.*

§. II.

De Requisitis ad Simoniam.

345. *Ad Simoniam Juris Divini, seu naturalis tria necessario requiruntur, nempe* res spiritualis *vel* spirituali annexa; res temporalis, *&* pactum. 346. *Recensentur duæ propositiones hic damnatæ, & breviter* 347. *&* 348. *exponuntur, ut status quæstionum, propter eas in præsenti excitabilium, rite intelligi possit.* 349. *Committitur Simonia, quando datur temporale pro spirituali (aut vicissim) licet temporale dicatur dari non tanquam pretium, sed tanquam motivum.* 350. *Fit, & diluitur objectio.* 351. *In quibusdam casibus ad obtinendum spirituale citra Simoniæ labem conferri temporale potest tanquam motivum, non tanquam pretium.* 352. *Res temporalis, ut in casu conclusionis ad committendam Simoniam censeatur in foro externo sufficere, debet esse apta moraliter movere, seu inducere alterum ad retribuendam rem spiritualem.* 353. *Similiter committitur Simonia, si detur temporale pro spirituali, aut vicissim, ut gratuita compensatio.* 354. *Proponitur, & solvitur objectio.* 355. *&* 356. *Deducuntur duo corollaria pro praxi.*

345. PRænotandum primo, quod ad Simoniam Juris Divini, seu naturalis (de qua fere sola, & unice agimus) tria necessario requirantur. Nempe 1. *Res spiritualis*, vel *spirituali annexa*, quæ quasi *merx* est in hac impia mercatura. *Res temporalis*, quæ datur pro illa tanquam *pretium*, sive formaliter, sive virtualiter, & æquivalenter tale. 3. Aliqua *conventio*, vel *pactum*, expressum, aut tacitum. Id quod totum jam insinuatum, imo explanatum est *in §. præced.*

346. Prænotandum secundo, duas propositiones hic confixas esse ab Innocentio XI. Una *(ord. 45.)* sic sonat: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit sola gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* Altera *(ord. 46.)* est sequentis tenoris: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* In quibus propositionibus (ut notat P. Viva in earum expositione *n. 1.*) tria asseruntur. Primum est, quod citra Simoniam dari possit temporale tanquam motivum ad obtinendum spirituale. Secundum est, quod dari possit in gratuitam compensationem. Tertium est, quod possit etiam dari spirituale propter temporale, tanquam motivum principale, ac finale, ita ut pluris æstimetur temporale istud, quam ipsa res spiritualis. Primum, & tertium per modum unius una conclusione, secundum vero alia conclusione negatum, & refutatum ibimus. Quod utrunque ut dilucidius præstare valeamus.

347. Prænotandum tertio, in propositionibus confixis, *n. præced.* relatis, supponi, quod detur temporale, aut spirituale non mere gratis, sperando duntaxat, ex gratitudine redonatum iri spirituale, aut vicissim; sed quod detur cum aliquo veluti pacto saltem implicito, ac tacito, conferendo videlicet temporale non ex mera benevolentia, aut donatione antidorali, sed cum intentione aliquo modo obligandi donatarium ad collationem rei spiritualis pro temporali, aut e contra: adeo, ut, si donatarius eam non conferat, sed aliter satisfaciat obligationi antidorali gratitudinis, puta pro donante orando, eum laudando, vel aliud quodpiam obsequium præstando, aliquam notam subeat, & audiat injustus, vel saltem infidelis; eo quod acceptaverit temporale, & non contulerit spirituale, aut vicissim. Ita cum Suarezio, Lessio, ac Sanchezio P. Viva *loc. cit.* & colligitur ex *capit.* 34. & *capit.* 18. *circa fin. de Simon.*

348. Prænotandum quarto, quod *compensatio*, si solitarie, sive secundum se accipiatur, denotet obligationem Justitiæ: si vero conjungatur cum epitheto *gratuita* (ut fit in recitata propositione 45.) determinetur ad significandam obligationem, sive debitum (verum, vel æstimatum) gratitudinis *determinate* (quod bene notetur) exhibendæ per aliquid temporale pro spirituali, aut vicissim. Differt *a donatione antidorali*, seu *remuneratoria*, quam aliquis facit sponte ad remuneranda beneficia sibi collata; imo Jure naturali facere tenetur, sed *indeterminate* tantum, per temporale, vel spirituale, per hoc, vel illud obsequium, prout libuerit: quemadmodum fluit ex dictis in prænotando immediate *præced.* E diverso qui aliquid promittit, aut dat *in compensationem gratuitam*, imponit sibi, vel exequitur obligationem gratitudinis *determinate* exhibendæ per temporale pro spirituali, aut vicissim, ad quam Jure naturali non adstringitur: quæ proinde obligatio est alia, & distincta ab obligatione illa Juris naturalis. P. Pichler *lib. 5. Decret. Tit. 3. n. 28.* His necessario præmissis, & bene perceptis,

349. Dico primo. Simonia committitur, quando datur temporale pro spirituali (aut vicissim) licet temporale dicatur dari non tanquam pretium, sed tanquam motivum: idque verum est (2.) sive ejusmodi motivum sit intrinsecum, & principale; sive extrinsecum, secundarium, aut impulsivum, modo detur ex intentione obligandi alterum ad conferendum spirituale. Prior pars est expresse decisa per damnationem propositionis (*ord.* 45.) superius relatæ. Alteram docent P. Babenstuber *tr. 5. disp. 2. art. 5. num.* 33. P. Pichler *loc. cit. n.* 33. & alii.

Probatur utraque pars primo ex *c. 34. de Simon.* ubi aliquis Clericus, qui sine ullo pacto expresso sua bona donat Ecclesiæ, humiliter rogans, ut in Canonicum recipiatur, Simoniæ reus pronunciatur, si ea intentione, ac fine sua bona offerat, ut recipiatur in Canonicum: textus nanque ita habet: *Si tamen is, qui talem donationem facit, ex intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia reciperent, admissuri, sine dubio tam ille, quam isti, apud districtum Judicem culpabiles judicantur*, utique non alia culpa (inquit P. Pichler *loc. cit. n.* 31.) quam Simoniæ; ergo &c.

Probatur conclusio secundo itidem quoad utranque partem hac ratione. Ad Simoniam (Juris Divini, seu naturalis) requiruntur, & sufficiunt *res spiritualis* (*annexa*) *res temporalis*, quæ pro illa detur tanquam *pretium*, saltem æquivalenter tale, & *pactum onerosum*, saltem tacitum; veluti prænotatum supra *n.* 345. atqui omnia hæc tria concurrunt, si temporale detur pro spirituali (aut vicissim) esto dicatur dari ut motivum duntaxat conferendi, vel efficiendi spirituale; ergo, *&c.* Min. ostenditur. Nam 1. intervenit *res spiritualis*; ut supponitur. 2. Intervenit *pactum onerosum*, videlicet tacitum; quatenus dans temporale, licet expresse nihil paciscatur, implicite tamen, & virtualiter censetur alterum obligare ad conferendum spirituale, aut e contra; ut patet ex *n.* 347. sive (quod in idem recidit) quatenus censetur æquivalenter emere spirituale. 3. Intervenit etiam *res temporalis* tanquam *pretium* æquivalenter tale; quatenus illam dans, esto signate, & reflexe non intendat dare tanquam pretium, sed præcise tanquam motivum, exercite tamen, & reipsa tanquam pretium dare convincitur; ut proinde in hoc tali casu motivum inter, & pretium non realis, sed verbalis solummodo differentia intercedat. Atque hoc, quod de pacto, & pretio (de quibus unice difficultas est) modo diximus, amplius patebit ex responsionibus, infra *n. seqq.* ad argumentum, & instantiam reddendis: imo & impræsentiarum

Confirmatur a pari. Qui dat Judici munera, ut ejus animum corrumpat, & pervertat in ferendam pro se sententia, censetur æquivalenter emere Justitiam (hoc est, Judicis sententiam in sui favorem trahere) & dare pretium æquivalenter; esto expresse nihil paciscatur, neque munera signate, & reflexe intendat dare, aut det tan-

quam

quam pretium; ergo etiam qui dat rem temporalem tanquam motivum, seu ut moveat alterum ad conferendam rem spiritualem, hanc censetur emere æquivalenter, & dare pretium æquivalenter &c.

Probatur tertio. Si non esset simonia, dare temporale tanquam motivum, & ex intentione movendi alterum ad retribuendum spirituale, aut vicissim, in foro externo quælibet simonia palliari, & practicari impune posset, omnesque Canones eandem damnantes eludi; quivis namque prætendere posset, se temporale dare solummodo ut motivum; non vero ut pretium (vel ut motivum secundarium duntaxat, non primarium) sequela autem est perniciosissima; ergo &c.

Porro quod non referat in ordine ad committendam simoniam simpliciter, utrum temporale in casu conclusionis detur tanquam motivum, primarium, vel secundarium duntaxat, dilucidabitur infra *n. 364. in respon. ad 3. object.*

350. Objicies. Simoniacum non est, dare temporale ex spe obtinendi spirituale, aut vicissim; ut habet communis DD. sententia; ergo neque simoniacum est dare temporale ex motivo, seu tanquam motivum ad obtinendum spirituale, aut vicissim.

Confirmatur. Qui sperat intuitu temporalis sibi retributum iri spirituale, intendit movere alterum ad retribuendum spirituale; ergo dat temporale tanquam motivum ad obtinendum spirituale. Atqui hoc non obstante nullam committit Simoniam; ergo dare temporale tanquam motivum ad obtinendum spirituale non est Simonia.

Respondetur ad objectionem, concesso antecedente, dist. cons. Non est simoniacum dare temporale tanquam motivum &c. absque intentione alterum obligandi ad conferendum spirituale, con. cum intentione illum obligandi, prout fieri supponitur in casu conclusionis, neg. cons.

Ad Confirmat. dist. ant. Intendit movere &c. absque intentione obligandi, con. cum intentione obligandi, neg. ant. sic enim non mere speraret. Dist. similiter cons. Ergo dat temporale tanquam motivum &c. absque intentione obligandi, con. cum intentione obligandi, neg. cons. & concesso ad subsumptum antecedente, eodem modo distinguendum est cons. Revide, quæ anticipato diximus *n. 347.*

Dices. Esto temporale in casu conclusionis supponatur dari pro spirituali cum intentione obligandi collatorem ad retribuendum spirituale, adeoque cum pacto aliquo implicito, seu tacito; non tamen supponitur dari ut pretium; prout ad Simoniam requiritur.

Respondetur, neg. assumptum. Siquidem hoc ipso, quod temporale detur *pro* spirituali cum intentione obligandi ad hujus collationem, induit rationem pretii, sive datur reipsa ut pretium, esto dicatur dari præcise ut motivum; nam particula *pro*, si sumatur rigorose (prout juxta Interpretes sumitur in propositione damnata) denotat spirituale retributum iri in *compensationem* temporalis, quæ est actus Justitiæ ad sui positionem exigens, sive præsupponens, ex parte dantis temporale, tam rationem pacti, saltem taciti, quam rationem pretii saltem virtualiter, & æquivalenter talis. Deinde temporale in Casu conclusionis non datur ex alio titulo, v. g. sustentationis, eleemosynæ, gratitudinis antidoralis &c. ergo exercite datur per modum pretii, esto signate dicatur dari ut motivum, & non ut pretium. Videatur La Croix *loc. cit. n. 72. & 73.*

Unum adhuc, alterumve argumentum, quod hic opponi posset, solvetur infra *n. 364.* In præsenti autem

351. Quæres, quando citra labem simoniæ liceat ad obtinendum spirituale conferre temporale tanquam motivum, non tanquam pretium?

Respondetur cum P. Viva *loc. cit. n. 23.* licere in iis casibus, in quibus temporale nullatenus censetur habere rationem pretii, esto forte detur cum intentione alterum obligandi ad præstandum spirituale. Sic licite datur Sacerdoti pecuniæ, vel alia res temporalis, ut celebret, & applicet Missam, ac Prædicatori, ut proponat Verbum Dei: quia illa datur titulo sustentationis, non ad emendum Missæ Sacrificium, aut Divinum Verbum; adeoque non obtinet rationem pretii, licet dans habeat intentionem obligandi Sacerdotem &c. Licite itidem dantur pecuniæ pauperibus ad impetranda ab ipsis orationum suffragia: quia dantur titulo eleemosynæ, & non ad emenda ejusmodi suffragia: consequenter rationem meri motivi, non autem pretii habent. Atque ita de aliis, quorum varia exempla afferemus infra *n. 363.*

352. Porro quæ in & pro conclusione diximus, intelligenda veniunt (saltem quoad forum externum) de re temporali, quæ sit tanti momenti, ut possit censeri apta movere, seu moraliter inducere alterum ad conferendum spirituale: si enim talis non sit, præsumitur gratis dari, & accipi. Unde siquis det Episcopo v. g. esculenta, & poculenta, ut ab eo Beneficium eblandiatur, & Episcopus illa acceptet, ac Beneficium conferat, tam datio ejusmodi rerum minutarum, quam collatio Beneficii eidem correspondens, præsumitur fieri gratuito, & consequenter citra labem simoniæ. Videatur *cap. 18. de Simon.*

Dixi tamen: *saltem quoad forum externum.* Nam siquis temporale etiam modici momenti daret ex intentione alterum movendi, ac obligandi ad retribuendum spirituale, in foro conscientiæ, & coram Deo a Simonia immunis non foret (sicut nec collator, si inde ad spirituale retribuendum moveretur) quamvis in foro externo non præsumeretur simoniacus. Reiffenstuel *loc. cit. numer. 81.*

353. Dico secundo: Pariter committitur Simonia, quando datur res temporalis in compensationem gratuitam pro spirituali, aut vicissim, si fiat pactum, seu promissio dandi. Etiam hæc conclusio est decisa per confixionem propositionis 45. supra allatæ.

Probatur primo. Hujusmodi pactum supra obligationem naturalem gratitudinis addit obligationem Justitiæ, vel saltem Fidelitatis, pretio æstimabilem; ergo sufficit ad committendam Simoniam. Cons. patet. Ant. ostenditur, & declaratur: quia naturalis obligatio gratitudinis adstringit ad se gratum exhibendum indeterminate tantum, sive per preces, & aliquid spirituale, sive per aliquid temporale; ergo si fiat pactum, vel promissio dandi determinate rem temporalem in compensationem gratuitam pro re spirituali, aut vicissim; contrahitur obligatio alia, & distincta a naturali obligatione gratitudinis.

Confirmatur. Obligatio, quam promittens in casu conclusionis sibi imponit, aufert ei libertatem ad gratificandum, prout ipse sponte voluerit, & obstringit ad præstandum determinate aliquid temporale; obligatio autem gratitudinis antidoralis illi relinquit libertatem ad præstandum aliquid indeterminate sive temporale, sive spirituale; ergo illa obligatio ab ista distinguitur, estque pretio æstimabilis: consequenter &c.

Probatur secundo. Ille committit simoniam, qui per contractum venditionis rem temporalem dat pro spirituali; atqui id fit in casu conclusionis; ergo &c. Major est certa. Min. prob. Nam si Cajus v. g. paciscatur cum Titio de donandis suis ædibus sub conditione, ut sibi ex gratitudine redonet pretium æquivalens, reipsa, & moraliter loquendo init contractum venditionis, quidquid verba in contrarium sonent; ergo minor est vera: consequenter &c.

Probatur tertio. Si locus hic esset ejusmodi pactis ex gratitudine obligatoriis, omnes Simoniæ (imo & usuræ) possent reddi licitæ; posset enim Episcopus v. g. dicere, dono tibi Beneficium, si ex gratitudine redones centum aureos; quæ tamen propositio (ut notat Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 45. n. 21.*) seipsam destruit, & falsificat, quatenus verbis præfefert speciem donationis gratuitæ, reipsa vero, moraliter, & in communi æstimatione hominum continet formam contractus onerosi, ita ut quoad rem in idem recidant dare præfato modo rem temporalem pro spirituali *in compensationem gratuitam* (quæ denotat obligationem gratitudinis *determinate* exhibendæ &c.) ac illam dare *in compensationem simpliciter* (quæ denotat obligationem Justitiæ) ergo &c.

354. Objicies. Quod Jure naturali inest receptioni beneficii, licet, & absque Simonia peti, ac promitti potest: sed obligatio gratitudinis Jure naturali inest receptioni beneficii; ergo licite, & absque Simonia peti, & promitti potest.

Respondetur, concessa majore, dist. min. Obligatio gratitudinis indeterminate exhibendæ per temporale, vel spirituale, con. determinate exhibendæ per temporale pro spirituali aut vicissim, neg. min. Ergo licite peti, & promitti potest, priore modo, con. posteriore modo, neg. cons. Id quod totum jam constat ex hucusque dictis.

355. Col-

355. Colliges primo. Si quis petens rem spiritualem dicat: *Ero gratus*, & proferat hæc verba bona fide absque intentione obligandi ex gratitudine ad dandum quid determinatum; puta rem temporalem pro spirituali, quam petit; sed solum ad exponendum suam obligationem antidoralem, seu gratitudinis sibi liberæ, non committit Simoniam. Ratio est: quia illa verba ex se non significant gratitudinem determinate exhibendam; v. g. per pecuniam, aut aliquid aliud temporale; ergo si non proferantur cum intentione se obligandi ad præstandum determinata quid temporale; nulla committitur Simonia. Si autem relata verba pronunciaret in talibus circumstantiis, quibus anteris conteretur se obligare ad determinate dandum temporale pro spirituali (prout hodie, pro dolor! fit quasi communiter) incurreret (1.) Simoniam, & quidem (2.) conventionalem. Ratio primi est: quia licet illis verbis secundum se spectatis non insit ejusmodi significatio, ea tamen advenit ex circumstantiis. Ratio secundi est: quia tunc illa verba significant promissionem compensationis temporalis; ergo promittens incurreret Simoniam conventionalem: imo & promissarius, si promissionem sibi factam acceptet. Ita P. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 121. P. Krimer *lib.* 5. *Decretal. Tit.* 3. *n.* 372. & alii passim.

356. Colliges secundo. Etiam committitur Simonia, & quidem realis (1.) quando post acceptum jam spirituale præstatur titulo gratitudinis temporale, aut vicissim, vi pacti acceptionem antecedentis; secus (2.) quando non præstatur vi talis pacti, esto præstetur vi pacti, sive promissionis acceptionem subsequentis. Ita cum communi P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 116. *& seqq.* Prima pars fluit ex hucusque dictis. Altera sumitur tum ex *c.* 30. *de Simon.* ibi: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum*. Tum ex ratione: quia ad Simoniam necessario requiritur pactum, sive expressum, sive tacitum, quod in illam influat, adeoque eam antecedat, quale tamen hic non intervenire, ut supponitur. Tum ex praxi, quam ubique locorum, nemine reprobante, vigere cernimus.

Limitatur tamen hæc doctrina in quibusdam casibus, in quibus extat specialis prohibitio Juris: sic Concil. Trid. *Sess.* 24. *c.* 18. *de Reformat.* prohibet, ne Examinatores venientium ad concursum pro Parochia sponte oblata etiam post examen recipiant. Idem *Sess.* 21. *c.* 1. *de Reformat.* vetat gratis oblata recipi pro collatione Ordinum Clericalium, etiam primæ Tonsuræ tantum, & pro expeditione literarum dimissorialium: Notariis tamen, & literarum expeditoribus, aliunde salarium non habentibus, permittit accipere decimam partem unius aurei. Quam tamen posteriorem Concilii Trid. dispositionem non esse ubique receptam, testatur P. Pichler *loc. cit. n.* 14.

§. III.

Quando in particulari committatur Simonia?

SUMMARIUM.

357. *Recensentur varii casus, in quibus extra materiam Beneficialem Simonia committitur?* 358. *Solvuntur duæ objectiones.* 359. *Quando committatur Simonia intra materiam Beneficialem?* 360. *Resolvuntur quædam Dubia.* 361. *Quando committatur Simonia circa ingressum Religionis?* 362. *Assignatur regula, ex qua discerni valeat, an prædicta, & alia id genus Simonia sint Juris Divini, seu Naturalis, vel Ecclesiastici tantum?*

357. Dico primo. Simonia committitur, quando pretium temporale datur, vel accipitur pro rebus *formaliter*, *causaliter*, aut *effective* spiritualibus, nempe gratia, & virtutibus supernaturalibus, Sacramentis, eorumque administratione, & labore intrinseco (id est, spiritualibus intrinsece conjuncto, cujusmodi est labor corporis, & omnis actio, quæ necessario suscipitur, & exercetur in Sacrificio Missæ, administratione Sacramentorum, & Divinorum Officiorum, in prædicatione Divini Verbi &c.) collatione Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, Officiis Divinis, Horis Canonicis, Litaniis, precibus publicis, & privatis, prædicatione Verbi Divini, jurisdictione Ecclesiastica, aut ejus concessione, vel actibus tum fori interni, v. g. absolutione a peccatis, censuris, delegatione potestatis absolvendi, tum externi, v. g. dispensatione in votis, juramentis, impedimentis Ordinum, & Matrimoniorum &c. Ita habetur *c.* 1. 8. *& seqq. de Simon.* Ratio insuper est: quia hæc omnia principaliter vel proveniunt ab aliquo spirituali, vel tendunt ad aliquid spirituale. Item pro Sacramentalibus permanentibus, sive rebus consecratis, & benedictis (cujusmodi sunt templa, altaria, calices, patenæ &c.) reduplicative sumptis, ita ut ipsa quoque forma moralis consecrationis, vel benedictionis in computationem, & commutationem trahatur. per *can.* 7. & 12. *caus.* 1. *q.* 3. Ratio est: quia ejusmodi res sunt spirituali annexæ antecedenter; prout liquet ex dictis *n.* 340. Præterea pro precibus, & intercessionibus in ordine ad obtinendum aliquid spirituale, v. g. collationem Ordinis. *Communis ex can.* 3. *caus.* 1. *q.* 5. Ratio est: quia preces sunt causa moralis, & propter connexionem, ac ordinationem suam aliquid virtualiter spirituale.

358. Objicies primo. Sacramentorum administratio consistit in actionibus naturalibus: sed pro his sine Simonia dari potest pretium temporale; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Illæ enim actiones ex institutione Christi ordinatæ sunt ad conferendam gratiam supernaturalem: consequenter sunt actiones supernaturales, & spirituales.

Instabis. Panis, & vinum v. g. pro conficienda Eucharistia emuntur citra Simoniam; ergo etiam sic emi possunt actiones Sacramentales.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia panis, & vinum sunt tantum materia remota Sacramenti Eucharistici conficiendi, quæ (nisi aliunde sit benedicta, uti benedictum est chrysma pro Confirmatione, & oleum pro Extrema Unctione) nihil spiritualitatis habet: actiones Sacramentales vero sunt materia proxima a Christo elevata ad supernaturalitatem, & conferendam gratiam: ut dictum.

Objicies secundo. In Curia Romana exiguntur pecuniæ pro dispensationibus forum externum spectantibus; ergo pro actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ, saltem in foro externo exercitis, aut exercendis, aliquid temporale peti, & accipi sine Simonia potest.

Respondetur, dist. cons. Potest aliquid temporale peti, & accipi tanquam pretium, & compensatio rei spiritualis, neg. alio titulo, con. cons. Illæ pecuniæ exiguntur vel *titulo sustentationis* pro Officialibus Curiæ Romanæ; vel *titulo pœnitentiæ* injunctæ illis, qui ob delictum contraxerunt aliquam inhabilitatem, & ab ea liberari postulant; vel *titulo eleemosynæ*, in quam obligatio petentis dispensationem mutatur; vel ut dispensationes reddantur difficiliores, & rarius petantur; utpote quæ sunt odiosæ, & vulnera legum.

359. Dico secundo. Pariter committitur Simonia, quando promittitur, aut præstatur, & accipitur aliquid temporale pro consecutione alicujus Beneficii (etiam minus proprie dicti, v. g. Vicariæ, Commendæ &c. juxta *c.* 8. *&* 21. *de Simon.*) per præsentationem, institutionem, electionem, confirmationem, postulationem, admissionem, permutationem, resignationem, & quamcunque provisionem. Constat tum ex claris textibus Juris *can.* 2. 7. 8. 9. *caus.* 1. *quæst.* 3. & aliis tum ex ratione; siquidem Beneficium nihil aliud est, quam jus percipiendi redditus temporales ratione officii spiritualis authoritate Ecclesiastica constitutum; ergo est jus spirituali annexum: consequenter &c. Imo in materia Beneficiali toties committitur Simonia (Juris tamen Ecclesiastici tantum) quoties sine authoritate Episcopi unum spirituale v. g. Beneficium, promittitur, vel permutatur pro alio, tametsi pretium temporale nullum interveniat, *c. fin. de Pact. Constit. S. Pii V. Quanta Ecclesiæ*; & aliis Juribus, quibus prohibetur omnis pactio circa Beneficia, specialiter *c. un. de Rer. permut. in* 6. *& Clement. un. eod.*

360. Quæres, an sit Simonia 1. si quis sua bona temporalia offerat Ecclesiæ ad fundationem novi Beneficii cum pacto, ut sibi conferatur? 2. Si offerat aliquid temporale pro electione certæ personæ, etsi dignissimæ? 3. Si det pecuniam, vel aliam rem temporalem alicui, ne hic consentiat in electionem alicujus personæ dignæ? 4. Si pro suffragio dando in electione danti promittat Beneficium? 5. Si conferat Beneficium alteri, ut cedat Beneficium cum novo compatibile, jam prius habi-

habitum? 6. Si resignet Beneficium cum pacto solvendi sibi certam pensionem? 7. Si duo paciscantur de dandis sibi mutuo suffragiis? 8. Si quis vendat decimas, prout sunt jus directum decimandi?

Respondetur ad omnia affirmative. Primum expresse habetur *in c. 34. de Simon.* Secundum suadetur inde, quod sic ematur spiritualis actio, nempe electio. Tertium ostenditur ex eo, quod non solum committatur Simonia, quando datur spirituale pro temporali, sed etiam quando omittitur pro commodo temporali; si nempe omissio in æstimatione morali non sit pura omissio, uti hic. Quartum decisum extat *in cap. 16. de Simon.* Quintum sumitur ex ratione: quia hoc tale pactum importat onus, & obligationem aliunde non existentem. Sextum eruitur inde, quod pensio reservata sit aliquid mere temporale, & Beneficium aliquid spirituali annexum; ergo cum in pactum deducantur, Simonia non evitatur. Septimum docent Pyrrhing *de Simon.* Pichler, & alii. Octavum patet: quia decimæ, modo præfato sumptæ, sunt quid annexum jui spirituali, seu officio, & functionibus spiritualibus, quas præsupponunt tanquam principale, sicut Beneficium est annexum officio, & titulo spirituali. P. Pichler *loc. cit. n. 46. & seqq.*

361. Dico tertio. Dare, vel accipere aliquid pro ingresso Religionis (hoc est, pro admissione ad Novitiatum, vel Professionem Religionis) cum pacto, est Simonia. Constat tum ex *c. 8. 19. & Extravag. 1. inter Commun. de Simon.* Tum ex Authoritate D. Thomæ 2, 2. q. 100. *art. 3. ad 4.* ubi ait: *Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium.* Tum ex ratione: quia talis ingressus ordinatur ad salutem animæ, quæ est res, & finis supernaturalis, ac spiritualis; sicut & admissio est actus jurisdictionis spiritualis.

362. Quæres, an Simoniæ, quas in commemoratis casibus committi asseruimus, sint Juris Divini, seu naturalis, vel Ecclesiastici tantum?

Respondetur, plerasque esse Juris Divini, seu naturalis. Ratio est: quia in plerisque res spiritualis, vel spirituali annexa, computatur pro re, sive pretio temporali; ut singulas pensanti pervium erit: atqui per hujusmodi commutationem perpetratur Simonia Juris Divini, seu naturalis; prout patet ex dictis *in* §. 1. hujus articuli; ergo &c. Regula igitur generalis pro discernenda gemina ista Simoniæ specie hæc esto. Toties committitur Simonia Juris Divini, seu naturalis, quoties res spiritualis, vel spirituali annexa, commutatur pro re, seu pretio temporali, aut vicissim: & toties committitur Simonia Juris Ecclesiastici tantum, quoties res spiritualis, vel spirituali annexa, commutatur pro alia re spirituali, vel spirituali annexa, aut temporalis pro temporali, aliter, quam permittat Ecclesia; ut relinquitur ex dictis *num.* 341. Ex qua regula bene percepta facile erit perspicere, quænam Simoniæ tum ex hucusque commemoratis, tum ex aliis alibi forte occursuris, sint Juris Divini, seu naturalis, & quænam Juris Ecclesiastici?

Dices. Quando pretium temporale datur, vel accipitur pro rebus spirituali a Jure Ecclesiastico tantum annexis, uti sunt Beneficia Ecclesiastica, Decimæ, seu potius jus decimandi &c. non videtur committi Simonia Juris Divini, seu naturalis, sed Ecclesiastici tantum; ergo assignata regula generalis non tenet. Ant. ostenditur. Siquidem illa connexio inter temporale, & spirituale non provenit ab intrinseca necessitate, sed ex mera dispositione Ecclesiæ: cum Beneficia, Decimæ &c. sint constitutæ ab Ecclesia; ergo &c.

Respondetur primo, hoc argumentum concuti, & labefactari per confixionem propositionis (*ord.* 22.) factam ab Alexandro VII. *Non est contra Justitiam Beneficia non conferri gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur.* Unde sic arguitur. Quod est contra Justitiam, est contra Jus naturale: sed conferre Beneficium pro pecunia est contra Justitiam; nam opinio asserens oppositum est damnata, ut modo audivimus; ergo conferre Beneficium pro pecunia est contra Jus naturale; adeoque Simonia Juris naturalis &c.

Respondetur ad argumentum secundo, neg. ant. Ad prob. neg. conf. Ratio negandi est: quia quando jus percipiendi fructus temporales (uti contingit in Beneficiis Ecclesiasticis, & Decimis) ab Ecclesia annectitur officio spirituali, jus ad fructus, & jus, vel obligatio officii spiritualis (quamdiu manet illa annexio, quæ tolli a nemine, nisi a Pontifice potest) censentur esse unum jus, per *c. 25. de Preb.* & unum sine altero vendi nequit, per *can. 7. & 8. caus. 1. q. 3.* ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Nec refert, quod illa annexio solummodo facta sit ab Ecclesia. Non, inquam, refert: quia etiam erectio Beneficii curati v. g. & designatio certi districtus facta est ab Ecclesia, seu authoritate Ecclesiastica; & tamen residentia in loco talis Beneficii est Juris Divini; prout cum communi aliorum dicemus suo loco. Ita post Abbatem, Suarezium, Laymannum, & alios La Croix *loc. citat. n.* 118. Franciscus Schmier *lib. 5. Decret. tr. 2. c. 1. sect. 1. a n. 26.* Pichler *loc. cit. n. 9.*

§. IV.

Quando in particulari non committatur simonia, licet forte committi videatur?

SUMMARIUM.

363. *Afferuntur varii casus extra materiam Beneficialem, in quibus nulla committitur Simonia.* 364. *Solvuntur argumenta contraria.* 365. *Afferuntur etiam casus intra materiam Beneficialem, in quibus similiter nulla intervenit Simonia.* 366. *Ostenditur, quando nulla perpetretur Simonia circa ingressum Religionis.* 367. *Deciditur, an, & quando citra labem Simonia liceat dare aliquid temporale ad redimendam vexam.*

363. Dico primo. Non committitur Simonia. 1. quando venduntur, & emuntur materiæ remotæ Sacramentorum: prout relinquitur ex dictis *num.* 358. nisi extet specialis prohibitio; veluti extat de chrysmate, & oleo sacro relate ad Episcopos, secundum dicenda *n.* 364.

2. Quando venduntur, & emuntur res benedictæ, vel consecratæ specificative sumptæ, & consideratæ quoad materiam, & formam artificiosam, siquam habent: dummodo pretium non augeatur præcise ob benedictionem, aut consecrationem. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. Krimer *loc. cit. n.* 354. & alii satis communiter. Patet tum ex *can. 13. & can. 17. caus. 12. q. 2.* Tum ex ratione; nam res consecratæ, vel benedictæ, ex una parte, per sui ad aliquid spirituale annexionem, non amittunt valorem, & æstimabilitatem intrinsecam quoad materiam, & formam artificiosam (ut supponitur) ex altera vero parte forma moralis consecrationis, vel benedictionis non ita censetur illis annexa, quin in æstimatione morali per intentionem vendentium, & ementium ab eis separari valeat, atque ita tolli sensus compositus consecrationis, vel benedictionis, vi cujus unice referuntur ad aliquid spirituale; ergo sicut licite vendi possent, si non essent consecratæ, vel benedictæ; modo pretium non augeatur (ut limitavimus) præcise ob consecrationem, vel benedictionem; cum sic venditio ex parte versaretur circa illas ut consecratas, vel benedictas reduplicative; adeoque fieri circa labem Simoniæ non posset. Tum ex praxi, & consuetudine a nemine hactenus improbata, qua videmus, passim vendi calices, aliaque vasa, aut paramenta sacra: item numismata, imagines cereas, & rosaria benedicta, pretio eorum materiis, & formis, nec non sumptibus, labori, curæ, itineri, sine quibus comparari, vel asportari non poterant, coæquato.

Ubi tamen recte notant DD. quod si calices, vasa, aut paramenta sacra vendantur ad usum profanum applicanda, debeant prius confringi, vel dissui, ut sic consecrationem, vel benedictionem amittant.

3. Quando dantur pro Missis stipendia, pro Choro præsentiæ, & distributiones quotidianæ, pro precibus munera, pro concione Imperialis v. g. parvulis munuscula, ut se exhibeant morigeros, pie vivant, templum diligenter adeant &c. Ratio est: quia hæc, & his similia non dantur per modum pretii, & compensationis pro re spirituali, sive ex pacto oneroso, quo emeretur, aut venderetur res spiritualis ipsa: sed vel pro sustentatione, vel pro labore aliquo extrinseco (id est, a sacra functione distincto, ac separabili) aliunde non debito; vel ex gratitudine mere liberali, aut etiam ex obligatione

grati-

gratitudinis in genere præstandæ sponte, & indeterminate sine contractu onerofo impositas, vel ex consuetudine (quæ tamen & rationabilis sit) temporale debet dari post spirituale datum, moderate, & sine violentia, nec si forte nihil detur, oportet altercari cum scandalo, aut operam suam plane negare, v. g. mortuum inhumatum relinquere) vel ex motivo, aut sub modo, & conditione solum allicientе absque omni contractu onerofo; quia bona temporalia eo fine condita sunt: ut per illa comparemus æterna; ipseque Deus permittit, & dat sæpe felicitatem temporalem pie viventibus.

4. Quando datur, vel accipitur aliquid temporale pro doctrina Theologiæ Scholasticæ, vel Moralis, vel interpretatione S. Scripturæ: quia ejusmodi instructio discursiva, licet sit de rebus supernaturalibus, per se tamen, & ex fine suo intrinseco solum ordinatur ad illuminandum intellectum, non vero ad commovendam voluntatem; adeoque ad felicitatem naturalem duntaxat, non supernaturalem; ergo est aliquid naturale tam ratione sui quam ratione finis sui intrinseci: consequenter &c. Laymann *lib. 4. tr. 10. cap. ult. n.* 30. Salmanticenses *tom. 4. tr. 19. c. 2. pun. 6. n.* 43. Illsung *tr. 5. disp. 3. art. 2. num.* 307. Nec refert, si tam docens, quam discens illam doctrinam, sive instructionem ordinet ad finem supernaturalem: hujusmodi quippe ordinatio per accidens est, nec naturam actus immutat; adeoque relinquit pretio æstimabilem: consequenter &c.

5. Quando aliquid temporale datur, vel accipitur pro Responso, sive Consilio Morali: quia etiam tale Responsum per se, & directe ordinatur ad instruendum intellectum interrogantis; esto per accidens, & consequenter serviat ad tranquillitatem conscientiæ, & assecurationem salutis; imo ob hunc finem expetatur, & recipiatur.

6. Quando Ludimagistri v. g. aliquid temporale accipiunt pro opera, quam locant pueris in expositione Catechismi: quia & ista expositio non fit modo exhortatorio id inflammandam voluntatem, sed modo mere doctrinali ad erudiendum intellectum puerorum. Authores *citt.* & alii communiter.

364. Objicies primo contra 2. *Num. Can. 7. caus.* 1. q. 3. diserte prohibetur, ne templum, vel Ecclesia materialis, aut alia res, semel ad usum Divinum deputata ematur, vel vendatur; ergo &c.

Respondetur, *can.* exaudiendum esse de rebus sacris qua talibus reduplicative, quatenus simul consecratio, vel benedictio, aut ordo ad spirituale in æstimationem trahitur: quod citra Simoniæ labem fieri non posse, ipsimet concessimus supra *n.* 357.

Instabis. Chrysma, & oleum sacrum, etiam specificative sumpta, seu quoad materiam vendi absque Simonia non possunt, per *can.* 102. *caus. 1. quæst.* 1. ergo nec aliæ res benedictæ, aut consecratæ sic vendi poterunt.

Respondetur, prohibitionem *cit. can.* esse specialem tum relate ad subjectum, quod sunt Episcopi, quam relate ad objectum, seu materiam, quæ sunt chrysma, & oleum sacrum. Quo fit, ut soli Episcopi Simoniam Juris Ecclesiastici (nisi huic per contrariam consuetudinem sit derogatum) committant, si aliquid pro chrysmate, vel oleo sacro accipiant; non item alii. Fit præterea, ut nec Episcopi, nec alii Simoniæ labem sibi consciscant, si vendant alias res benedictas, vel consecratas, præciso earum valore, & æstimabilitatem intrinsecam in pactum deducendo.

Objicies secundo contra *eund. Num.* Simoniam committit, qui laborem intrinsecum in administratione Sacramentorum v. g. vel Beneficium Ecclesiasticum vendit, per *cap. 7. cit. caus.* 1. q. 3. ergo similiter &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia in primis labor intrinsecus vel est ipsa functio sacra, & spiritualis, vel ab ea inseparabilis; cum sit eidem *concomitanter* annexus; consequenter non habet ullam æstimabilitatem, ab ipsa administratione Sacramentorum distinctam. Beneficium porro Ecclesiasticum vendi non potest, nisi reduplicative ut annexum Officio spiritualis, eo quod, licet in se sit jus temporale, quatenus est jus percipiendi res, & fructus temporales, præsupponat tamen Officium spirituale tanquam sui causam, & sit unum ex *consequenter* annexis spirituali, in quibus spirituale se habet ut principale, temporale vero ut accessorium; & quorum annexio ex Jure Ecclesiastico est tanta, ut a privatis, etiam per solam intentionem, in morali æstimatione tolli non valeat: unde de talibus verificatur, quod habetur *cit. can.* 7. ibi: *Quisquis alterum horum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* E diverso res benedictæ, vel consecratæ vendi possunt specificative ut annexæ spirituali, utpote in quibus temporale tanquam principale præsupponitur, & annectitur spirituali tanquam accessorio, & quorum annexio non est tanta, quin per intentionem, etiam privatorum in æstimatione morali tolli valeat &c.

Objicies tertio contra 3. *Num.* Stipendium est motivum rei spiritualis: sed accipere temporale tanquam motivum rei spiritualis sub reatu Simoniæ damnatum ab Innoc. XI. in *Propos.* 45. supra *n.* 340. relata; ergo &c.

Respondent permulti, stipendium esse quidem motivum rei spiritualis, sed secundarium duntaxat; primarium vero esse gloriam Dei, salutem animarum &c. in *cit.* autem *propos.* solummodo damnatum esse, dare, vel accipere aliquid temporale tanquam motivum primarium rei spiritualis.

Verum hæc responsio non placet; nam ex ea sequeretur, Sacerdotes, Beneficiatos, Canonicos &c. habendos esse pro Simoniacis, si ponantur Missas legere, Chorum frequentare, vel alias functiones sacras peragere primario propter emolumentum temporale, ita ut illa positive nollent præstare, nisi ejusmodi emolumentum perciperent: sed non habentur idcirco pro Simoniacis (esto peccent peccato avaritiæ, vel alio) ut notat P. Pichler *loc. cit. n.* 33. imo nec pro talibus haberi possunt; eo quod non peragant functiones sacras pro emolumento temporali *tanquam pro pretio* (prout ad Simoniam requiritur) sed tanquam pro mercede, & sustentatione congrua, esto illud intendant, vel intendere ponantur ut finem, & motivum principale actionum suarum; ergo &c.

Respondetur ergo aliter dist. maj. Stipendium est motivum rei spiritualis, obtinens rationem pretii, neg. obtinens rationem mercedis, & sustentationis, con. maj. Primum in illa propositione damnatum est, non secundum. Nec refert in ordine ad committendam Simoniam simpliciter, an res temporalis sit motivum primarium, vel secundarium; sed an sit, vel detur, aut accipiatur tanquam pretium saltem æquivalenter tale: hoc posterius si contingat, committitur: si prius, non committitur Simonia; cum possit aliquid temporale intendi, vel peti primario, quin sortiatur rationem pretii; & vicissim intendi, vel peti secundario, & sortiatur rationem pretii. Claret id in gemino exemplo. Nam pauper v. g. petens eleemosynam, hanc intendit primario, non tamen intendit ut pretium suæ petitionis; veluti de se patet: e diverso strenuus, & erga Patriam suam bene affectus miles primario intendit defensionem Patriæ, & tamen stipendium intendit, & recipit ut pretium sui laboris &c.

Dices. Clerici paciscuntur de stipendio determinato contra illud *Matth.* 10. *Gratis accepistis, gratis date*; & contra Jus Canonicum prohibens omnia pacta in spiritualibus, *cap. fin. de Pactis*; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Paciscuntur de stipendio tanquam de pretio rei spiritualis, in quo sensu *cit. cap.* intelligendum venit, neg. tanquam de mercede, & sustentatione congrua sibi ex Jure naturali, & Divino debita, con. ant. & neg. conf. Nam cum sustentatio pro varietate personarum varia sit, & neque a Jure Divino, neque Ecclesiastico determinata, ejus determinatio ipsis operantibus relicta esse censetur: & consequenter ab iis licite fit, & in pactum citra Simoniæ labem deducitur.

Instabis primo. Ergo stipendium pro Missa v. g. non censetur dari gratis; hoc ipso, quod detur ex pacto.

Respondetur, illud quidem non dari gratis ex parte dantis eatenus, quatenus hic habet obligationem Justitiæ a Deo, & Natura impositam, ab hominibus autem determinatam; gratis tamen dari, quatenus non datur ut pretium pro spirituali, sed titulo sustentationis aliunde debitæ: quod sufficit ad vitandam Simoniam.

Instabis secundo. Si licet pacisci de sustentatione determinata; ergo licet se obligare ad gratitudinem determinatam: quod æque damnatum est in *Propos.* 45.

Res-

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia paciscens de gratitudine certo modo, & determinate per temporale exhibenda imponit sibi obligationem Justitiæ novam, cum antecedenter solum habuerit obligationem gratitudinis liberæ, id est, per temporale, vel spirituale pro libitu præstandæ: contra paciscens de sustentatione congrua non imponit illis, quibuscum paciscitur, obligationem novam, sed determinat antiquam de Jure jam existentem ad dandam operario mercedem dignam.

Objicies quarto contra eundem *Num.* 3. Parochus v. g. qui exigeret aliquid temporale pro itinere conficiendo ad præbendum suo Parochiano ægrotanti S. Viaticum, committeret Simoniam; ergo titulo laboris extrinseci nihil temporale pro spirituali exigi, vel accipi potest citra Simoniam.

Respondetur, concesso antecedente, dist. conf. Titulo laboris extrinseci aliunde jam debiti, con. aliunde non debiti; prout in allegato *Num.* expressimus, neg. conf. Parochus ex officio tenetur ire ad suum Parochianum, eumque sacro munire Viatico: unde si quid temporale pro tali itinere, & labore exigeret, Simoniam incurreret: qualem tamen non incurreret, si quid temporale exigeret, vel acciperet pro labore extrinseco aliunde non debito; cum ejusmodi labor sit aliquid mere temporale, ac pretio æstimabile. Excipe: nisi exigeret plus, quam consuetudo, vel taxatio Episcopi permittat, vel labor in æstimatione morali valeat: tunc quippe excessus non pro temporali (id est, pro labore illo extrinseco) sed pro spirituali (puta pro administratione Sacramenti, vel alia functione sacra) censeretur exigi; sicut temporale simpliciter censetur exigi pro spirituali, dum exigitur pro labore extrinseco aliunde jam debito: cum tam in uno, quam in altero casu nullus alius titulus interveniat.

365. Dico secundo. Non committitur Simonia. 1. Quando aliquis dat pecuniam v. g. famulo Episcopi pro notificatione primi Beneficii vacantis; vel pro obtinendo faciliori aditu ad Episcopum: quia pretium non dat famulo pro intercessione apud Episcopum, vel impetratione Beneficii, sed pro manifestatione primæ vacaturæ, & faciliori aditu ad Ipsum. Nec refert, quod sic sibi viam paret ad obtinendum Beneficium; nam id solummodo verum est remote, & indirecte loquendo; quod culpa vacat. La Croix *loc. cit. n.* 93. *& seqq.*

2. Quando dantur pro possessione Canonicatuum sportulæ, convivia &c. siquidem non dantur pro jure advel in Beneficio, sed post illud jam plene quæsitum pro jucundo (ut vocant) introitu, adeoque non tanquam pretium pro re spirituali.

3. Quando venduntur Decimæ, prout supponunt pro fructibus Beneficialibus sive pendentibus, & futuris, sive a solo jam separatis: quia ut sic sunt aliquid mere temporale. Vel prout important jus utile decimandi, a jure directo, & titulo spirituali (sive authoritate Pontificis, sive consuetudine) separatum. P. Engel *lib.* 5. *Decretal. Tit.* 3. *n.* 22.

4. Quando resignatur Beneficium cum pacto, ut resignatarius solvat debita Ecclesiæ: quia quæ de Jure insunt, in pactum deducere licet. Krimer *loc. cit. n.* 370.

366. Dico tertio. Non committitur Simonia, quando Monasterium, etsi sit opulentum, exigit, vel acceptat pecuniam, aut aliud quidpiam temporale ab ingressuris, vel professuris pro sustentatione: quia onus sustentandi personam Religiosi in Monasterio est aliquid temporale, & pretio æstimabile; sicut onus sustentandi personam conjugis in Matrimonio: consequenter &c. Deinde Sacerdotes, ut ut opulenti, pro Missis, & functionibus spiritualibus aliquid temporale exigere, & recipere possunt titulo sustentationis, juxta communem DD. sententiam; ergo similiter &c. Textibus Jurium, qui afferri in contrarium possent, opponimus consuetudinem, scientibus, & consentientibus Ecclesiæ Prælatis, introductam. Silvester, Navarrus, Palao, & alii, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses *loc. cit. pun.* 7. *a n.* 53.

367. Quæres, an, & quando a Simonia excuset *Redemptio vexationis*, dum nempe datur aliquid temporale alteri, ne consequendo spirituali impedimentum apponat?

Respondetur primo. Si vexatio in jure ad spirituale, sive jam acquisito, sive primum acquirendo, sit justa, ejus redemptio a Simonia non excusat. Communis. Ratio est: quia redimens in simili casu vel adhuc nullum, vel non satis firmum (quippe juste impugnabile) jus obtinet ad spirituale, v. g. ad Beneficium; ergo dando temporale ad redimendam vexationem justam censetur emere jus, vel firmitatem juris ad spirituale; quod sine interventu Simoniæ fieri nequit.

Respondetur secundo. Si vexatio sit injusta, & siquidem in priore modo redemptionis non acquiritur aliquid spirituale, sed, quod jam acquisitum est, conservatur; in posteriore vero paratur via ad novum jus spirituale per pecuniam, vel aliam rem temporalem obtinendum: quod non videtur fieri posse citra labem Simoniæ. Ita, inquam, multi opinantur, nec improbabiliter. Alii e diverso illam plenitudinem juris negant esse necessariam, voluntque sufficere jus personale, seu ad rem (dummodo hoc sit certum, & jam quæsitum) ita ut, si rite electus sim, licite dare possim temporale conanti me injuste impedire a consecutione institutionis, confirmationis, possessionis: quia supposita acquisitione juris ad Beneficium, de Jure mihi debita est institutio, confirmatio, vel missio in possessionem; unde qui me ab aliqua impedire nititur, injuste vexat; & temporale eidem do non ab novum jus spirituale comparandum, sed ad jam comparatum, & aliunde debitum, propugnandum: quod Simonia vacat. Et hæc posterior opinio videtur probabilior Pichlero *loc. cit. num.* 37. aliis, mihi.

Dices contra Respons. Redimere vexam est medium, & via ad obtinendum spirituale: atqui sibi parare viam, mediante temporali, ad obtinendum spirituale est Simonia; ut patet *ex c.* 23. *de Simon.* in eo, qui a majori parte electus, paucis contradicentibus, dedit pecuniam pro suffragio; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Est medium, & via fiat in jure jam acquisito ad spirituale, ejus redemptio a Simonia excusat. Pirhing *lib.* 5. *Decretal. Tit.* 3. *numer.* 105. Schmalzgrueber *eod. lib. & Tit. a n.* 134. aliique communiter. Ratio est: quia in hoc tali casu temporale non datur tanquam pretium pro re spirituali, cum ad eam jam aliunde habeatur jus, ut supponitur, sed præcise ad removendam injustam vexationem, quæ remotio est aliquid temporale, ac pretio æstimabile. Ubi tamen requiritur. 1. ut jus illud spirituale sit certum, & indubitatum, quale censetur, quando a peritis tale judicatur: si enim non sit certum, sed dubium, alterius impugnatio non potest dici injusta, vel injuriosa vexatio; ut de se patet: consequenter &c. Requiritur 2. ut, quod datur ad redimendam vexam injustam, sit quid temporale: quia si pro tali redemptione, quæ est temporalis, & pretio æstimabilis, datetur aliquid spirituale, ut si, qui vexatur in Beneficio pinguiori, daret minus pingue, Simonia non evitaretur. Requiri præterea 3. contendunt multi, ut idem jus sit *plenum*, id est, non tantum personale, quod v. g. consecutus sum per præsentationem, vel electionem ad Beneficium, sed etiam reale per institutionem, confirmationem, aut ipsam quoque possessionem completum. Unde (inquiunt) etiamsi, qui rite electus est, sed nondum confirmatus, possit redimere vexam, qua in ipsa electione injuste vexatur; non tamen potest redimere vexam, qua futuræ confirmationi impedimentum apponitur: per accidens tantum ordinata ad obtinendum spirituale, & quidem tale, ad quod habetur jus certum, jam acquisitum aliunde, & ubi vexatio est injusta, con. Est medium, & via per se ordinata ad obtinendum spirituale, ubi nullum adhuc jus, vel non satis firmum, aut vexatio justa, neg. maj. Per posteriorem procedendi modum (qualis videtur intervenisse in *cit. c.*) non per priorem (qui hic intervenire supponitur) Simonia committitur; nam per priorem directe solum intenditur remotio impedimenti injusti, quæ utique est pretio æstimabilis. Per quod patet responsio ad minorem, & cons.

Respondetur tertio. Si vexatio sit injusta, & versetur circa jus primum acquirendum (puta per electionem, vel præsentationem ad Beneficium v. g.) distinctione opus est. Nam si injuste vexans possit quidem obesse (v. g. me apud Electores, Collatorem, *&c.* infamando *&c.*) ne Beneficium consequar; non autem prodesse (quia nempe nec Patronus, nec Elector est, & sic jus spirituale conferre nequit) licet vexationem redimere. Ratio est: quia etsi non habeam jus quæsitum ad-

ipsum

ipſum Beneficium, habeo tamen jus quæſitum, ne mibi inferatur injuria in acquiſitione ejuſmodi juris: ad quam proinde injuriam propulſandam dum confero temporale, non emo jus ſpirituale, ſed ſolam liberationem a tali injuria; quæ liberatio eſt aliquid temporale, & pretio æſtimabile. Si vero injuſte vexans non ſolum obeſſe, ſed etiam prodeſſe poſſit (eo quod ſit Patronus, Elector, *&c.*) non licet vexationem, ut ut injuſtam, redimere. Ratio eſt: quia ſic per ſe, & directe ſternitur via ad conſecutionem Beneficii; nam licet temporale non detur immediate pro jure ſpirituali, ſed pro remotione injuſtæ vexationis; datur tamen mediate pro illo, cum reipſa detur, ut alter eligat, vel præſentet ad Beneficium: quod eſt per ſe, & directe (licet mediante alio) intendere conſecutionem Beneficii, & ſternere ad illud viam. Exemplum habetur, & paritas in eo, qui dat alteri pecuniam, ut pro ſe intercedat apud Collatorem Beneficii: ſiquidem & talis pecuniam non dat immediate pro conſecutione Beneficii, ſed pro interceſſione, ſeu precibus, dat tamen mediate, quatenus reipſa dat, ut alter impetret ſibi Beneficium: cujus proinde conſecutionem cenſetur per ſe, & directe (licet mediante alterius interceſſione) intendere, & parare ad illud viam. Ita cum Suarezio, Palao, & aliis communiter P. Reiffenſtuel *loc. cit. a num.* 310.

§. V.

Quaſnam pœnas incurrant Simoniaci?

S U M M A R I U M.

368. *Pœnæ, in Simoniacos a Jure ſtatutæ, ſolum incurruntur* in Ordine, Beneficio Eccleſiaſtico, & Religionis ingreſſu. 369. *Recenſentur pœnæ, quæ incurruntur circa Ordinationem.* 370. *Nomine Ordinis hic etiam venit prima Tonſura.* 371. *Recenſentur etiam pœnæ, quæ incurruntur circa proviſionem Beneficiorum &c.* 372. *Recenſentur denique pœnæ, quæ incurruntur circa ingreſſum Religionis.* 373. *Præfatæ pœnæ non incurruntur per Simoniam mentalem, vel conventionalem, ſed realem duntaxat.* 374. *Quænam pœnæ incurrantur per comiſſionem Simoniæ confidentialis?* 375. *Etiam Simonia Juris Eccleſiaſtici pœnis ſubjacet.* 376. *An pactum Simoniacum ſit irritum?* 377. *Quis a cenſuris abſolvere, & in pœnis Simoniæ diſpenſare poſſit?*

368. PRænotandum, & ſupponendum cum communi, pœnas contra Simoniacos a Jure ſtatutas eſſe in tribus duntaxat materiis, *Ordine* ſcilicet, *Beneficio Eccleſiaſtico, & Religionis ingreſſu:* quæ tamen ultima rarius incurritur; eo quod, licet ſæpe detur temporale ad obtinendum hunc ingreſſum, raro tamen detur pro ipſo ſtatu Religionis, ſed plerumque titulo ſuſtentationis, *&c.* quo caſu ſicut nulla committitur Simonia, ita nulla contrahitur pœna; ut de ſe patet. Nunc

369. Dico primo. Pœnæ circa Ordinationem Simoniacam ſtatutæ ſunt hæ. 1. Excommunicatio Pontifici reſervata in Ordinantem, & Ordinatum. 2. Suſpenſio a collatione Ordinum, & exercitio munerum Pontificalium, in Ordinantem, a ſuſceptione Ordinum vero, & ſuſceptorum exercitio in Ordinatum. *c.* 37. *&* 45. *Extravag.* 2. *de Simon. intr. commun.*

Quæres, an nomine Ordinis hic etiam veniat prima Tonſura?

Reſpondetur affirmative. Ita cum communi Suarez *Lib.* 4. *c.* 56. *n.* 5. Ratio Suarezii eſt: quia per primam Tonſuram ſimpliciter conſtituitur aliquis in ordine Clericorum; hoc autem ſolet intelligi in Jure nomine *Ordinationis* impræſentiarum: conſequenter &c. An autem prima Tonſura etiam alias vere Ordo ſit, & dici queat, videbimus ſuo loco.

361. Dico ſecundo. Pœnæ circa proviſionem Simoniacam Beneficiorum (proprie, & ſtricte dictorum) Officiorum, Dignitatum, & Prælaturarum Eccleſiaſticarum ſunt iſtæ. 1. Nullitas proviſionis, adeo, ut in conſcientia ante omnem ſententiam Beneficium dimitti, & fructus beneficiales reſtitui debeant. 2. Excommunicatio reſervata in omnes ad talem Simoniam cooperantes. 3. Inhabilitas proviſi ad idem Beneficium de novo obtinendum. 4. Item, ſed primum poſt ſententiam condemnatoriam, ad alia Beneficia de novo obtinenda. 5. Privatio Beneficiorum prius habitorum, ac depoſitio ab altaris miniſterio: ſed denuo primum poſt ſententiam condemnatoriam. Habentur hæc *Extravag.* 2. *int. comm. de Simon. can. ult. cauſ.* 1. *q.* 3. *c. penult. de Elect. Conſtit. Cum primum* S. Pii V.

Dixi per parentheſim: *proprie, & ſtricte dictorum.* Si enim quis Simoniam committat circa Beneficia minus proprie, & ſtricte dicta, uti ſunt Penſiones, Vicariæ temporales, Capellaniæ &c. præmemoratas pœnas non incurrit. Ratio eſt: quia *cit. Extravag.* ſimpliciter loquitur de Beneficiis, Officiis, & Dignitatibus; ergo in quantum pœnalis eſt, non debet extendi, ſed potius reſtringi per rigoroſam verborum acceptationem, *c.* 15. *de R. J. in* 6.

372. Dico tertio. Pœnæ, circa ingreſſum Simoniacum Religionis ſtatutæ, ſunt ſequentes. 1. Excommunicatio reſervata in dantem, & accipientem temporale. Si vero accipiens eſſet Communitas, vel Capitulum, ſuſpenſio, & quidem (niſi ſit occulta) pariter reſervata Pontifici, ab officio, & executione juris Capitularis, atque adminiſtratione juriſdictionis. 2. Infamia Juris, & conſequenter irregularitas. 3. Tranſlatio ſimoniace admiſſi in aliud arctius Monaſterium: ſed primum poſt ſententiam condemnatoriam. *cap.* 19. 25. 40. & maxime *Extravag.* 1. *int. comm. de Simon.*

373. Quæres primo, an pœnæ, contra Simoniacos, in tribus præfatis materiis ſtatutæ, incurrantur per commiſſionem Simoniæ non tantum Realis, ſed etiam Mentalis, & Conventionalis?

Reſpondetur, quod incurrantur per commiſſionem ſolius Simoniæ realis. Id quod ſumitur ex *can.* 1. *& ſeqq. cauſ.* 1. *q.* 3. *cap.* 8. & *Extravag.* 1. *ac* 2. *de Simon. int. comm.* in quibus Juribus, dum memoratæ pœnæ ſtatuuntur, ſemper ſit mentio *dationis*, & *acceptionis* ſimul: atqui datio, & acceptio ſimul non concurrunt, niſi in commiſſione Simoniæ realis; ut patet ex dictis *n.* 341. ergo hæc ſola ſubjacet pœnis a Jure ſtatutis; non item mentalis, & conventionalis, ſive hæc ſit pura, ſive mixta (non confidentialis) quamvis & ipſæ, ceu crimina oppido gravia, arbitrarie plecti poſſint, ac reſpective debeant a Judice.

374. Quæres ſecundo, an, & quænam pœnæ incurrantur per commiſſionem Simoniæ Confidentialis?

Reſpondetur, etiam incurri, & fere eaſdem, quæ incurruntur per Simoniam realem circa proviſionem beneficialem, cum hoc tamen diſcrimine. 1. Quod ſi Epiſcopus, vel Prælatus, eo ſuperior, ſit reus, non incurrat excommunicationem, ſed interdictum ab ingreſſu in Eccleſiam. 2. Quod inhabilitas ad alia Beneficia, & privatio prius habitorum incurruntur ipſo facto, licet opus ſit ſententia declaratoria criminis. 3. Quod non requiratur ad incurſionem pœnarum, ut Simonia confidentialis ſit realis, ſeu quoad utranque partem completa; ſed ſufficiat, ſi ſit conventionalis mixta, ſeu completa quoad unam partem, verb. grat. quoad collationem Beneficii, licet primum poſt aliquot annos urgeat obligatio reſignandi tertio, qui procuravit: ſiquidem Simonia confidentialis ex natura ſua reſpicit diverſa tempora; non item Simonia conventionalis, quæ non ſit confidentialis. Ita habetur in Bulla *Romanum* Pii IV. & in Bulla *intolerabilis* S. Pii V.

375. Quæres tertio, an etiam Simonia Juris Eccleſiaſtici pœnis a Jure ſtatutis ſubjaceat?

Reſpondetur affirmative. Ratio eſt: quia *Extravag.* 2. *cit.* loquitur generaliter de Simonia, & a DD. intelligitur generaliter. Conſtat præterea ex *c.* 5. & 7. *de rer. permut.* atque ex eo, quod etiam hujus Simoniæ caſus, ad Curiam Romanam delati, ſemper declarentur pœnis ſubjecti. La Croix *loc. cit. num.* 213. & aliis ſatis communiter.

376. Quæres quarto, an pactum Simoniacum (ſive contractus) ſit irritum?

Reſpondetur, eſſe irritum in ratione pacti. Ratio eſt: quia res ſpirituales, & ſacræ in humanum commercium venire nequeunt, *l.* 83. §. 5. *ff. de V. O.* & ad faciendum illicitum nemo obligari valet, ſcilicet ad dandum ſpirituale pro temporali, aut viciſſim, ſpectato Jure naturali; ergo &c. Traditio tamen rei, ſive temporalis, ſive ſpiritualis, abſolute facta tenet (niſi ab Eccleſia irritetur) ut Ordinatio Simoniaca, Sacramentorum collatio, conſecratio Eccleſiæ. Profeſſio Religioſa: item actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ non

ordi-

ordinati ad conferendum Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum: quia de his, & aliis hujusmodi actibus non extat Jus aliquod irritans. Dixi: *Actus jurisdictionis Ecclesiastica non ordinati ad conferendum Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum*: si enim ad hæc conferenda ordinati sint, Jure Ecclesiastico irritantur. Unde electiones, postulationes, confirmationes, provisiones Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ipso Jure, & ante omnem sententiam irritæ sunt, ac nullæ. Quod totum constat ex *Extravag.* 2. sæpius *cit.*

377. Quæres quinto, quis a censuris absolvere, & in pœnis simoniæ dispensare possit?

Respondetur, quod id possit solus Pontifex, & nemo alius, nisi ab illo facultatem, aut privilegium habeat: quia inferior in lege Superioris nihil potest, nisi ex facultate, aut privilegio sibi concesso. Porro Pontifex dispensat raro, maxime in Beneficiis, ut fideles ob difficultatem obtinendæ dispensationis absterreantur ab hoc gravi crimine. Dixi: *nisi ab illo habeat facultatem, aut privilegium*. Nam si delictum sit occultum, & ad forum contentiosum non deductum, a censuris absolvit Episcopus, vi facultatis sibi concessæ a Trid. *Sess.*24. *c.*6. *de Reform.* & Religiosi Mendicantes virtute privilegii, pro foro interno: excepta tamen simonia in collatione, & susceptione Ordinum commissa (ubi recepta est *Constitut. Sanction* Sixti V. Dispensat præterea Episcopus cum eo, qui per alienam, se inscio, simoniam impetravit Beneficium, sive simplex, sive curatum (ubi ob defectum contumaciæ nulla incurritur censura, imo nec culpa ob defectum scientiæ) ad idem Beneficium, postquam resignavit (uti debuit) rursus obtinendum, *l. penult. de Elect.* Imo titulus, & dominium Beneficii (atque a potiori fructuum) post lapsum triennii, durante interim ignorantia, præscribitur, per *Reg. Cancell. de trien. possess.* Dispensat denique cum eo, qui Beneficium, per propriam simoniam obtentum, sponte dimisit ante sententiam condemnatoriam. *can.*1. *cauf.*1. *q.*5. P. Pichler *loc. cit. n.*67. & alii.

Dices. Simonia non videtur dispensabilis; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Quando per illius commissionem venditur res intrinsece spiritualis, conf. Nam talis venditio pugnat contra Jus naturale absolutum, & indispensabile. Quando venditur, vel permutatur res spiritualis extrinsece per connexionem, aut prohibitionem Ecclesiæ tantum, neg. ant. Siquidem talis venditio solum pugnat contra Jus naturale hypotheticum, & conditionatum, ut si vendatur Beneficium, ac fiat permutatio contra Jus Ecclesiasticum tantum, ut si unum Beneficium propria authoritate permutetur cum alio: quod Jus utrunque dispensatione relaxari potest; sicut enim illa connexio, & prohibitio a Pontifice facta est, ita ab eodem tolli valet. Revideantur, quæ habentur *part.*1. *n.*481.

Porro modus, & praxis petendi dispensationem est eadem cum illa, quam assignatam reperies super impedimentis Matrimonii *part.*6. Unde si simonia sit publica, recurrendum est ad *Datariam*; si occulta, ad *Pœnitentiariam*; cum supplica semper exprimente fructus ex Beneficio simoniace accepto perceptos, de quibus fit transactio, ita ut ex illis hodie tertia, aut etiam major pars remittatur Oratori, vel injungatur pro foro interno, ut, quamprimum licuerit per paupertatem, omnes restituantur Ecclesiæ &c.

§. IV.

An, & quid ex simoniaco acceptis restitui debeat?

SUMMARIUM.

378. *Exponitur status quæstionis.* 379. *Quando traditio ex utraque parte jam est facta, & in commissione simonia nulla intervenit injustitia, non datur obligatio restituendi simoniace acceptam extra materiam beneficialem; secus, si intervenerit injustitia.* 380. *Obligatio restituendi etiam contrahitur per commissionem simoniæ mentalis.* 381. *Quando traditio facta est ex una tantum parte, res tradita, sive spiritualis, sive temporalis, Jure naturali restituenda est.* 382. *Cuinam sit facienda restitutio?*

378. PRænotandum, quæstionem hic institui de obligatione restituendi, quæ oritur ex Jure tam naturali, quam positivo, nimirum Ecclesiastico. Jus naturale tunc obligat ad restitutionem simoniace acquisitorum, quando per eorum acquisitionem etiam Justitia commutativa, & non tantum Religio fuit læsa; nam restitutio est actus proprius solius Justitiæ commutativæ (id est, sola virtus Justitiæ commutativæ læsa imperat restitutionem) non vero Religionis, aut alterius virtutis: prout suo loco videbimus. At vero Jus positivum obligare potest, & solet (idque in pœnam bene meritam simoniaci) ad restitutionem simoniace acceptorum, etiamsi per eorum acquisitionem non sit violata virtus Justitiæ, sed Religionis tantum &c. Nunc

379. Dico primo. Quando traditio ex utraque parte jam est facta, & in commissione simoniæ nulla intervenit injustitia (1.) nec Jure naturali, nec positivo existit obligatio restituendi simoniace acceptum sive spirituale, sive temporale, extra materiam beneficialem; secus (2.) si intervenerit injustitia. Ita cum communi P. Pichler *in suo Candidato abbreviato lib.*5. *Decretal, Tit.*3. *n.*24.

Probatur prima pars. Non enim existit obligatio restituendi ex Jure naturali; quoniam dans temporale pro spirituali, aut vicissim, non peccavit contra Justitiam (ut supponitur) sed solum contra Religionem. Neque ex Jure positivo; cum tale non extet; nam Canones, qui ad restitutionem obstringunt, concernunt materiam beneficialem; prout habet communissima Interpretum. Unde ad restitutionem non obligatur, qui vendit officium temporale Ecclesiæ sibi proprium, cui commodum temporale est connexum: quia ejusmodi commodum, quod emptori obvenit, est pretio æstimabile; & consequenter venditur citra peccatum injustitiæ: esto non vendatur citra peccatum simoniæ, supposito, quod ejusmodi officium soleat exerceri per Clericos. Si tamen dans temporale iterum reddat spirituale, vel vicissim, ad repetitionem reddi debet acceptum, saltem post sententiam Judicis restitutionem præcipientis in pœnam.

Dixi in conclus. *Extra materiam beneficialem*. Nam intra hanc, licet ponatur commissa fuisse simonia sine injustitia, adeoque non detur obligatio restituendi ex Jure naturali, datur tamen ex Jure positivo. Exemplum est, siquis suum Beneficium resignaverit alteri pro pecunia: talis enim, licet non peccaverit contra Justitiam, cum se privaverit fructus Beneficii pretio æstimabilibus (ad quos, sicut & ad ipsum Beneficium jus habuit) tenetur nihilominus pecuniam restituere, sicut & resignatarius Beneficium dimittere in conscientia, & ante omnem judicis sententiam: prout habetur *Extravag.* 2. *cit. de Simon.* P. Reiffenstuel *loc. cit. n.*264.

Probatur nunc etiam secunda pars. Quia virtus Justitiæ commutativæ, si violetur, imponit obligationem restituendi ex Jure naturali: atqui hic ponitur fuisse violata; ergo &c. Unde siquis acceperit rem temporalem pro re mere spirituali, nullum pretio æstimabile commodum afferente, Jure naturali obligatur ad restituendam rem temporalem (quemadmodum & alter ad restituendam rem spiritualem, si hæc ex sua natura restitui, vel dimitti possit) utpote sine justo titulo, adeoque injuste acquisitam. Eodem Jure tenetur rem temporalem restituere, qui contulit spiritualem, cum commodo temporali quidem connexam, cujus tamen non fuit dominus, sed dispensator tantum: quia & talis nullum habuit jus ad rem temporalem; consequenter dum eam accepit, injuste accepit. Exemplum est in eligente, commendante, præsentante, conferente Beneficium: hi enim tales delinquunt contra Justitiam; ut patet ex propositione 22. ab Alexandro VII. damnata, & jam supra *n.*362. adducta, quæ sic sonat: *Non est contra Justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Ubi proin collator tenetur pretium reddere, uti & Beneficiatus Beneficium (sive hoc sit magis, sive minus proprie dictum) in conscientia ante omnem Judicis sententiam dimittere, ac fructus perceptos, si adhuc extent, restituere, vel, si sint mala fide absumpti, compensare. *Extravag.* 2. *cit. de Sim.*

380. Quæres, an obligatio naturalis restituendi etiam contrahatur per commissionem simoniæ mentalis?

Respondetur affirmative, si talis simoniæ commissio sit con-

sit conjuncta cum effectiva læsione Justitiæ, Reiffenstuel *loc. cit. n.*300. & alii communiter. Ratio est: quia hujusmodi obligatio restituendi proficiscitur ex Jure naturali; ergo contrahitur per commissionem simoniæ etiam occultæ (qualis est mentalis) si sit conjuncta cum effectiva læsione Justitiæ. Confirmatur a pari de usura mentali, utpote quæ & ipsa Jure naturali, atque in conscientia ante omnem Judicis sententiam æque obligat ad restitutionem, ac manifesta per clarum textum *c.9. de Usuris.*

Dices. Simonia mentalis nulli subjacet pœnæ; veluti admisimus ipsimet supra *n.*373. atqui obligatio restituendi est pœna; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Nulli subjacet pœnæ Juris positivi (quod solum *loc. cit.* admisimus) con. Juris naturalis, neg. maj. Sed obligatio restituendi (de qua hic loquimur) est pœna Juris positivi, neg. Juris naturalis, transeat min. & neg. cons. Dixi: *transeat*: quia obligatio resultans ex læsione Justitiæ, & Jure naturali, non tam est dicenda pœna, quam onus quoddam a præfato Jure profectum, & impositum.

381. Dico secundo. Quando traditio facta est ex una duntaxat parte, tunc is, cui facta est, rem traditam, sive hæc sit spiritualis, sive temporalis, Jure naturali tenetur restituere. Si res tradita sit temporalis, consentiunt Authores. Si vero sit spiritualis, plerique oppositum docent, quibus etiam subscripserat P. Pichler *in suo Candidato ampliore*, in breviore autem *loc.* proxime *cit.* sententiam modo assertam amplexus est tanquam probabiliorem.

Probatur conclusio. Res, sive spiritualis, sive temporalis, non fuit tradita animo donandi, sed sub conditione, quamvis illicita, recipiendi ab altero rem temporalem, vel spiritualem respective; ergo cum desit titulus conditionis impletæ, traditio corruit: consequenter &c. Nec dicas, memoratam conditionem haberi pro non adjecta, eo quod sit turpis. Contra enim est, neg. assumptum. Siquidem in Matrimonio, & Testamentis solum conditio turpis habetur pro non adjecta ex dispositione Juris; prout in propriis materiis videbimus: quæ dispositio absque fundamento extenditur ad conditiones aliis contractibus, & actibus adjectas. Deinde conditio dantis temporale, ut recipiat spirituale, esto sit turpis, non habetur pro non adjecta; ergo neque conditio dantis spirituale, ut recipiat temporale. Sive proin conditio adjiciatur uno, sive altero modo, valet, & voluntas dantis eidem censetur valide alligata: consequenter &c.

382. Quæres, cuinam restituendum sit per simoniam acceptum, casu quo restitui debet?

Respondetur primo. Quando urget sola obligatio naturalis, restituendum est illi, qui contulit, non vero pauperibus, aut Ecclesiæ. Ita Cajetanus *in Summ. v. Simonia.* Scotus, Navarrus, & alii. Ratio est: quia ille solus tunc retinet jus in rem, quæ restituenda est; cum non aliter intenderit se abdicare illo jure, nisi quatenus alter, cui dedit, ejusdem capax erat: atqui alter non erat capax illiusmodi juris in casu, quo recipiendo non tantum simoniace, sed etiam injuste egit; prout relinquitur ex dictis; ergo &c.

Respondetur secundo. Quando non sola obligatio naturalis restituendi urget, restitutio facienda est juxta dispositionem Juris, aut sententiam Judicis. Unde pretium v.g. ex Beneficio divendito acceptum, restituendum est Ecclesiæ, in qua Beneficium existit. Cajetanus *loc. cit.* Navarrus, & alii, & constat ex *c.* 11. *de Sim.* ubi jus talis pretii applicatur Ecclesiæ injuriam passæ. Pretium vero pro ingressu, sive admissione ad Religionem acceptum a Monasterio, restituendum est alteri Monasterio, ad quod Religiosus simoniacus per sententiam transfertur. Ratio est: quia cum pretium restituendum sit; Religioso autem, utpote ejusdem incapaci, reddi nequeat, sequitur, illi Monasterio dandum, quod perferet onus alendi personam Religiosi translati. Si vero Religiosus per dispensationem remaneat in priori Monasterio, hoc ad nullam restitutionem obstringitur: quia ob onus sustentandi personam Religiosi retentio pretii, licet prius simoniace accepti, eidem permittitur. *Extravag.* 1. *de simon.* Denique in aliis materiis simoniæ etiam *in Ordine*, si naturalis obligatio urget, pretium arbitrio Judicis attribui poterit vel Ecclesiæ, vel pauperibus: quia a Jure nihil videtur determinatum.

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

383. *Mamertinus satisfacit suæ obligationi, preces ex voto debitas persolvendo, dum mane se vestit, aut lavat; vel dum vestimentis vespere exuit, & ad stratum componit.* 384. *Marcolphus non orando, nec orationes, vel suffragia aliorum procurando, nec Missas legi curando pro anima defuncti parentis, quam adhuc in piacularibus flammis detineri sibi firmiter persuadet, mortaliter delinquit.* 385. *Mamertius, Sacratissima Nomina Jesu, & Mariæ, aliorumque Sanctorum reverendo, laudabilissime facit.* 386. *Maximilianus Parochus crucem variis reliquiis, etiam non approbatis, ornatam licite exponit ad publicam venerationem, non item reliquias approbatas, non approbatis permixtas. Idem Maximilianus ceris albis, seu Agnis Dei a Pontifice benedictis cultum Latriæ respectivum impendere potest: licita insuper est eorum contrectatio non modo Maximiliano, seu Sacerdoti, sed etiam aliis, v.g. Diaconis, Subdiaconis, Minoristis, imo & Laicis, maxime si causam contrectandi habeant.* 387. *Maxentius committit peccatum idololatriæ, dum adorat dæmonem, quamvis hoc faciat totus consternatus.* 388. *Mauritius efficitur reus sortilegii, dum sine speciali Dei inspiratione, aut necessitate recurrit ad sortes consultatorias.* 389. *Mauritia peccat peccato superstitionis, nimirum vanæ observantiæ, dum, ut filioli sui ruptura medeatur, nomen hujus schedæ inscriptum per quercum ruptam transmitti curat.* 390. *Malachias, Ordinis Seraphici Sacerdos, accipit regulas, & documenta, queis utatur ad sagam pro subeundo ultimo supplicio, & obeunda felici morte disponendam.* 391. *Marianus potest magum inquirere, ab eoque petere sublationem maleficii sibi positi: dummodo habeat justam causam petendi, & magus norit maleficium tollere absque interventu novi maleficii.* 392. *Marina peccat peccato tentationis Dei, dum nuda manu contingit, aut contingere spondet candens ferrum ad suam innocentiam marito, cui de polluto conjugali thoro suspecta erat, asserendam.* 393. *Manreda præter alia peccata triplex perpetrat sacrilegium, dum exercet in templo cum Parocho copulam, & postmodum ex ipsius æde calicem furtive surripit.* 394. *Macrobius non facit peccatum sacrilegii, nec aliud, ossa carnium tempore Paschali benedictarum projiciendo canibus, & putamina ovorum eodem tempore benedictorum abjiciendo in fimetum.* 395. *Macarius simoniæ reatum incurrit, dum Martinum donato poculo aureo rogat, ut pro se apud Episcopum intercedat in ordine ad impetrandum beneficium Parochiale.* 396. *Marcellus studiosus, ejusdemque parens consentiunt in defensionem, & solutionem thesium præstandam sub conditione, ut thesium Author, & Præses sua intercessione prememoratum Marcellum, thesium defensorem, peracta defensione, statim promoveat ad Religionem, ad quam aspirat, quin sive ex parte ipsorum, sive ex parte intercedentis committatur simonia.* 397. *Marcella petens locum sepulturæ honoratiorem præ aliis, offerendo in eum finem quinquaginta florenos, & Parochus eodem pacto illum concedens, nullam sibi consciscunt simoniæ labem.*

CASUS I.

383. *Mamertinus, Officialis aulicus, in S. Tribunali se accusat, quod preces, ex voto debitas, subinde persolvat, dum mane se vestit, aut lavat; subinde autem vespere, dum se vestimentis exuit, & ad stratum componit. Pro ratione aliqualiter excusante allegat nimias occupationes, & negotia, quibus per diem ita se obrui, atque distendi asserit, ut tempus pro precibus, etiam obligatoriis, recitandis reliquum vix, aut ne vix quidem invenire valeat. Quæritur, an suæ obligationi, ex voto contractæ, faciat satis?*

Respondetur affirmative: idque verum est, tametsi nullam causam excusantem habeat, sed ex mera libertate illas preces prædicto tempore, & modo peragat. Ita cum Salmanticensibus, & Illsung P. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 3. *n.* 123. Ratio est: quia illæ duntaxat actiones externæ obstant valori orationis, quæ mentem orantis ita ad se rapere natæ sunt, ut internam attentionem, etiam superficialem, omnino impediant; veluti insinuatum *n.* 270. atqui actiones, quas recensuimus, non sunt hujus modi, maxime respectu Mamertini, quippe cujus intellectus non censetur adeo angustus, ut propter easdem avertatur ab omnimoda cogitatione

de Deo,

de Deo, & recta pronunciatione verborum; quemadmodum patebit earum naturas consideranti; ergo &c. Nec refert, quod voluntarie assumantur. Siquidem ex hoc non sequitur, quod animum orantis magis a Deo, & debita verborum prolatione avocent (adeoque magis impediant attentionem internam superficialem, saltem virtualem) quam si essent involuntariæ: consequenter &c.

CASUS II.

384. *Marcolphus, filius unicus, hæreditatem admodum opimam, sublato e vivis parente, capessit: sed hujus, aliorumque beneficiorum immemor, itaque ingratus existit, ut pro anima amantissimi parentis, quam in piacularibus flammis adhuc detineri sibi firmiter persuadet, non solum nullas eroget eleemosynas, nulla sacra, aut suffragia procuret, sed & ipse pro eadem fundere preces ex supina negligentia intermittat. Quæritur, qualiter Marcolphus non orando pro defuncto parente delinquat?*

RÉspondetur, Marcolphum delinquere mortaliter. Ita Azorius *tom.2. Instit. Moral. lib.2. c.3. q.9.* Sporer *tr.2. in Decal. c.7. n.*18. & alii passim. Ratio est: quia obligatio orandi pro animabus in purgatorio, maxime parentum, aliorumque conjunctorum, est gravis ex genere suo, ita ut, qui pro illis penitus nihil orat, mortaliter peccet: atqui Marcolphus supponitur penitus nihil orare pro anima sui parentis, cui tamen tot titulis obstrictus est; ergo &c. Confirmatur ex quarto præcepto Decalogi: *Honora patrem, & matrem &c.* vi cujus tenetur filius sub mortali ex communi DD. opem ferre parentibus gravi necessitate pressis: atqui parens Marcolphi premitur gravi, imo summa necessitate, dum in flammeo carcere detinetur, ubi merere pati, nihil autem facere pro se potest, ergo &c. Ex quo fluit, quod Marcolphus, si existimet, suasmet preces haud suffecturas pro anima parentis e purgatorio liberanda, teneatur quoque adjicere eleemosynas, procurare sacra, & suffragia aliorum &c.

CASUS III.

385. *Mamertius, homo eximie pius, Sacratissimi Nominibus Jesu, & Mariæ, aliorumque Sanctorum, ubicunque illa insculpta, vel depicta hucusque viderat, reverenter assurgere, & caput denudare consueverat: sed quoniam modo inaudiit, hujusmodi venerationem, respectu Nominis Jesu, olim in dubium revocatam, pro majori sua conscientiæ securitate sciscitatur ex Viro quodam intelligente, num posthac ejusmodi cultum continuare, vel potius eo supersedere debeat? Quid Mamertio dicendum?*

RÉspondetur, Mamertio dicendum, quod citra dubium in veneratione, & cultu illorum SS. Nominum pergere possit, & pergendo laudabilissime faciat. Ita communis Catholicorum. Ratio est: quia SS. Imagines licet venerari propter respectum ad Personas sacras, quas repræsentant; ergo etiam SS. Nomina; cum & ipsa importent respectum ad Personas sacras, ad quas significandas vel ab ipso Deo immediate, vel ab hominibus imposita sunt. Confirmatur authoritate septimæ Synodi *Act. 7.* dicentis, nos *sacris libris* exhibere *adorationem* ideo, quia significant *res sacras*: atqui etiam SS. Nomina significant res, seu Personas sacras; ergo & ipsa per ordinem ad Personas, quas significant, sunt adoranda; adoratione scilicet, seu cultu respectivo, ita ut Nomen Jesu cultu respectivo *Latriæ*, Nomen Mariæ cultu respectivo *Hyperduliæ*, & Nomina aliorum Sanctorum cultu respectivo *Duliæ* adorari, seu coli possint, ac debeant.

Nec Mamertio scrupulum facessat, quod olim (ante tria scilicet secula) super veneratione sacratissimi Nominis Jesu lis mota fuerit S. Bernardino Senensi. Nam insignis iste memoratæ venerationis Præco, & Promotor contra Adversarios suos in arena tam invictus steterit, tamque gloriose triumphavit, ut nemo eorum amplius contra hiscere posset, vel auderet. Unde & in illius triumphi memoriam Festum dulcissimi Nominis Jesu cum Missa, & Officio in primis pro Ordine Seraphico institutum, & postmodum ad universam Ecclesiam propagatum est.

CASUS IV.

386. *Maximilianus, in quodam Oppido Parochus, a Religioso aliquo Mendicante dono accipit. 1. Crucem, variis Reliquiis, etiam non approbatis, ornatam. 2. Reliquias approbatas, non approbatis permixtas. 3. Ceras albas (quas a figura* Agni *impressa* Agnos Dei *appellamus) a moderno Pontifice Clemente XII. primo sui Pontificatus anno infra Octavam Paschæ benedictas. Sed dubius hæret 1. an illam Crucem, & Reliquias publicæ venerationi exponere liceat? 2. Qualemnam cultum præfatis Ceris impendere possit, & num easdem quibuscunque personis tangere permissum sit? Quomodo hæc dubia Maximiliano resolvenda sunt?*

RÉspondetur primo. Licet Maximiliano ad publicam populi venerationem exponere Crucem cum Reliquiis etiam non approbatis, quibus ornata est. Ita cum Sanchezio, & Palao P. Cherubinus Mayr in *Thesib. citt. n.* 251. Ratio est: tum quia ex praxi, a nemine improbata, constat, ejusmodi Cruces publicæ venerationi passim exponi, quin solicite inquiratur, num Reliquiæ illis insertæ sint ex approbatis, nec ne? Tum quia cultus populi censetur communiter dirigi, & terminari ad ipsam Crucem, cui Reliquiæ impositæ sunt; non vero ad Reliquias. Quod si forte quispiam adoret etiam Reliquias, secundum se, & solitarie spectatas, per accidens est, & ad cultum privatum pertinet, ad cujus licentiam, & honestatem formalem sufficit, quod probabiliter credantur seu præsumantur esse veræ Reliquiæ: prout cum aliis P. Schmalzgrueber ad *Tit. de Reliq. & Venerat. Sanctor. num.* 44.

Respondetur secundo. Non licet Maximiliano ad publicam venerationem exponere Reliquias approbatas, cum non approbatis commixtas P. Mayr *loc. cit. n.*252. & alii passim. Ratio desumitur a contrario: tum quia Reliquiæ, tametsi sint alicujus Sancti ab Ecclesia approbati, ad publicam venerationem proponi non possunt absque recognitione, & approbatione Episcopi: ut habet *Constit.* Sixti V. quæ incipit: *Dominus* §. 3. & praxis communissima. Tum quia adoratio populi communiter dirigitur non solum ad Reliquias approbatas, sed etiam non approbatas, id est, ad omnes Reliquias una ibi expositas, de quarum numero etiam sunt non approbatæ; ergo adoratio male peragitur; consequenter & expositio Reliquiarum, utpote quæ illi sic peragendæ ansam præbet. Nec refert, quod Reliquiæ non approbatæ approbatis commixtæ sint, & unitæ. Siquidem commixtio, & unio illa non obstat, quin inter se discerni, & separari valeant: & consequenter non facit, ut adorentur indivisibiliter, & per modum alicujus complexi confusi.

Respondetur tertio, quod Maximilianus, & alii possint illis Ceris impendere cultum Latriæ respectivum. Ita Author proxime *cit. n.* 257. Ratio est: quia sunt veræ Imagines Christi, utpote quem Agnus ibidem figuratus adumbrat, & repræsentat. Porro Ceræ præfatæ obtinent specialem virtutem labefactandi vires Spirituum infernalium, & hominum maleficorum; depellendi fulgura, & tempestates (maxime a dæmone, vel cum eo societatem habentibus causatas) extinguendi incendia; avertendi naufragia, amoliendi mulierum parturientium pericula &c. Atque hæc talis virtus illis indita est tum per ipsam earum benedictionem; tum per preces tempore benedictionis ad Deum fusas. Contrectationem illiusmodi Cerearum quod attinet, ajo, eam licite fieri, 1. a Maximiliano, aliisque Sacerdotibus, 2. a Diaconis, & Subdiaconis, 3. a Minoristis, utpote qui & ipsi sunt suo modo sacrati. 4. Etiam ab hominibus laicis, quando justa suppetit causa, v. g. easdem imponendi capsulæ. Quod si causa contrectandi non interveniat, peccant id genus homines; haud tamen plus, quam venialiter: dummodo nulla alia irreverentia, quæ sit gravis, accedat. La Croix *lib. 6. part.*1. *n.* 225. Imo non est improbabile, contrectationem ejusmodi etiam personis laicis permissam esse, modo cum discretione, & devotione fiat; eo quod usus iste contrectandi apud tales quoque personas jam invaluerit, ipsamque adeo contrectationem licitam reddiderit. Sanchez, Diana, & alii apud La Croix *loc. cit.*

Cavendum tamen omnibus, & singulis est, ne eos-

dem Agnos Dei minio pingi, vel aurum, aut colorem aliquem ipsis superinduci curent: id enim sub pœna excommunicationis (non reservatæ) vetitum est in *Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit: *Omni certe studio*, edita 8. *Kalend. Julii an.* 1572. Licet tamen illos, forte jam miniatos, aut depictos retinere, & venerari: ut notant DD. passim.

CASUS V.

387. *Maxentius, octodecim annorum adolescens, passim inaudit, suam parentem esse sagam: cumque ob mœrorem inde conceptum appareat matri totus mutatus ab illo, qui antea fuerat, interrogatur tantæ metamorphoseos causam; quam quidem edicere initio renuit, tandem vero eandem gemebundo pectore pandit. Ad quem mater: non est charissime fili! quod mœreas: ita est, sum saga, sed hoc ipso felix; maxime quia in conventibus, quos cum magis, magorumque Principe singulis fere noctibus adornamus, cuncta sunt tam jucunda, tantisque referta voluptatibus, ut iis explicandis par non essem, si mihi suppeterent centum linguæ, oraque centum. Sine, ut vel semel te mecum ducam, & reapse experieris. Annuit petito matris miser filius, & ad Sathanicam magorum, sagarumque synagogam perductus, sistitur ante dæmonis thronum, cumque, priusquam ad tripudia, & voluptates degustandas admittatur, adorare jubetur: quod & facit, quamvis totus consternatus, & inexplicabili horrore correptus. Quæritur, an Maxentius peccatum idololatriæ perpetret, & quale?*

RΕspondetur, quod Maxentius (præter alia peccata) perpetret peccatum idololatriæ. Ratio est: quia, dum dæmonem adorat, exhibet eidem cultum Divinum; quod absque peccato idololatriæ fieri nequit. Neque horror, quo correptus actum adorationis ponit, libentius non positurus, a peccato idololatriæ excusat (nisi forte rationis usum auferat) quoniam non tollit voluntarium simpliciter. Qualitatem idololatriæ ut Confessarius discernere queat, percontetur, necesse est, a Maxentio, qualiter animo comparatus fuerit, quando diabolum adoravit, num scilicet existimaverit, diabolo quidquam divinitatis inesse, nec ne? item an cultum præcise externum, & sine affectu interno colendi, illi exhibuerit? Si primum; commisit idololatriam perfectam: si secundum; imperfectam: si tertium; mere externam, & simulatam. Revideatur, quæ diximus *n.* 294.

CASUS VI.

388. *Mauritius, Rhetorices Studiosus, de eligendo vitæ statu deliberaturus, antequam cum suæ conscientiæ arbitro conferret, ter aperuit libellum Thomæ Kempensis, ut inde animum æquilibrem excuteret, & determinaret ad unum. Veruntamen mansit, ut ante fuit, ambiguus, & anceps. Quod ubi suo Confessario narravit, ab eodem reprehensus fuit tanquam sortilegii reus. Quæritur, an Mauritius revera sortilegium commiserit?*

RΕspondetur affirmative, per se loquendo. Ratio est: quia ad sortes consultatorias recurrere non licet sine speciali Dei inspiratione, aut necessitate, cui alio modo occurri non possit; prout relinquitur ex dictis *n.* 303. atqui Mauritius non habuit ejusmodi inspirationem, ut supponitur, aut necessitatem, cum negotium suæ vocationis pertractare potuisset cum Confessario; ergo illicite ad sortes consultatorias recurrit; ergo peccavit peccato sortilegii, non quidem quod sit superstitio, sed quod sit tentatio Dei; prout animadversum est *n. cit.* Videatur Sporer *loc. cit. n.* 22.

Dixi tamen: *per se loquendo*. Nam Mauritium ob bonam, qua forte processit, fidem, a peccato excusari posse, inficias non ivero.

CASUS VII.

389. *Mauritia mater, ut filioli sui rupturæ medeatur, nomen hujus, schedæ inscriptum, per quercum ruptam, ab aliquo suorum domesticorum transmitti curat, ipsaque interim domi ferventer ad Deum preces fundit pro integritate suæ charissimæ prolis impetranda. Quæritur, an, & quali peccato Mauritia peccet?*

RΕspondetur, Mauritiam peccare peccato superstitionis, nimirum vanæ observantiæ, Ita S. Thomas, Valentia, Tannerus, Layman, & Bonacina, quos refert, & sequitur Burghaber *Cent.* 1. *cas.* 46. Ratio est; quia transmissio schedæ per quercum ruptam est medium naturaliter improportionatum, atque omnino vanum ad curandam hominis rupturam; ut de se patet; ergo hujusmodi curatio per illam fieri naturaliter non potest. Sed neque supernaturaliter, & ope Divina fieri existimanda est: cum Deus mediis vanis, & inutilibus nullam soleat præbere assistentiam. Ergo superest, ut censeatur fieri præternaturaliter, & ope dæmonis: consequenter &c. Nec refert, quod Mauritia domi orare debeat, dum foris scheda, & nomen filioli sui per quercum trajicitur. Nam hæc ipsa familiaris est fraus diaboli, qua incautos sub specie boni decipere, & simul rebus Divino cultui destinatis ad nefandum suum servitium abuti amat.

CASUS VIII.

390. *Malachias, Seraphici Ordinis Sacerdos, & Concionator ordinarius, pro munere suo captivos in carcere invisit, quos inter offendit sagam, post aliquot dies (ut inaudiit) ultimo supplicio mulctandam. Et licet Malachiæ adhuc permissum non sit impendentem captivæ mortem insinuare; offert tamen eidem anticipato sua obsequia spiritualia. Vix dum bini effluxere dies, & per Ministros Justitiæ intimatur captivæ mors, post triduum subeunda, cum seria admonitione, ut per sinceram criminum confessionem, Sacerdoti, cui maluerit, deponendam, suæ saluti consulat. Huic salutari monito obsequi captiva volens memoratum P. Malachiam accersiri postulat: qui & ocyus comparet. Sed qualiter in hoc tali negotio se Malachias gerere debet?*

RΕspondetur. Malachias miseræ captivæ præcipue ab oculos ponere debet, quæ ipsam in spem consequendi remissionem suorum peccatorum, & æternam salutem erigant, qualia sunt infinita Dei bonitas, providentia, misericordia, promissiones infallibiles, auxilia oblata &c. pro quo plurimum conferunt exempla, parabolæ, & textus Sac. Scripturæ. Unde proponi illi poterit publica in civitate peccatrix Magdalena; item Zachæus, & Matthæus publicani; Latro in cruce &c. qui tamen omnes ad Salvatorem conversi veniam gravissimorum suorum peccatorum, & sempiternam beatitudinem consecuti sunt: ut habetur *Luc.* 7. *Matth.* 9. & *Luc.* 23. Revocetur illi in memoriam ovicula perdita relictis nonaginta novem amorose quæsita, & humeris imposita. *Luc.* 15. Addantur aliqui Divinæ Scripturæ textus, ut *Is.* 1. *Lavamini, mundi estote &c. si fuerunt peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et *Ezech.* 33. *Qui non vult mortem impii, sed magis, ut convertatur impius a via sua, & vivat.* Animo in spem erecta, & ad faciendam confessionem parata, juvari poterit formando has, & similes quæstiones. 1. An nihil contra Fidem senserit, v. g. credendo, dæmonem non esse damnatum, habere aliquid divinitatis, posse homines efficere felices, ac beatos, non dependere a Christo, esse dominum mundi, Christi doctrinam esse falsam &c. 2. An non Christum, & Sacramenta abjurarit? 3. An non Deum, Deiparam, & Sanctos blasphemarit? 4. An non dæmonem idololatrice adorarit? 5. An non SS. Eucharistiæ Sacramento ad veneficia, aut aliter abusa fuerit? 6. An non, & quoties sacrilege confiteri, & communicare consueverit? 7. An non cum aliis veneficis, aut ipso etiam dæmone se carnaliter miscuerit? 8. An nullum maleficio, veneno, aliisve modis occiderit, aut aliud grave damnum intulerit? 9. An nullum infantem falso baptizarit, vel ante Baptismum intermerit? 10. An non alias personas seduxerit, & dæmoni mancipaxit? 11. An nullum complicem falso accusarit? 12. An Matrimonii usum non impedierit, aut graves discordias, odia, vel inimicitias inter conjuges, aliasve personas procurarit? 13. An non philtris, aliisve vetitis remediis impuros amores conciliarit. 14. An non amuleta magica aliis distribuerit ad eos invulnerabiles faciendos? 15. Quale pactum cum dæmone inierit, & quot annis in hoc miserrimo statu perstiterit? 16. An non habeat a dæmone chirographum, vel etiam ipsa eidem dederit? Si ipsa

habeat,

habeat, jubeatur confringere, & confractum Confessario immanuare. Datum vero dæmoni ut reposcat, non est necesse: quia pactum per seriam pœnitentiam sufficienter retractatur, dissolvitur, & annullatur. His propositis, & factis, moneat Ream, ut addat, ac suppleat, si quæ commiserit præter interrogata. Postmodum illam inducat ad eliciendum salutarem de peccatis dolorem eorumque detestationem, renovationem confessionis fidei, redintegrationem homagii vero Deo præstandi, plenam abnegationem omnis cultus diabolici, votum satisfaciendi læsis, & propositum firmum, ac efficax emendationis, atque ita dispositam beneficio absolutionis donet. Realem damnorum illatorum compensationem, & restitutionem quod attinet, non est, cur multum sollicitus sit Confessarius; nam licet Rea non sit libera ab onere restitutionis per se loquendo, plerumque tamen est libera, seu excusatur per accidens, videlicet ob inopiam, & paupertatem. Imo quamvis ponatur esse habens, unde restituat, vel potius hæredes ejus, atque ideo ad restitutionem omnino obligarentur (cum per exantlationem ultimi supplicii tantum satisfiat Justitiæ vindicativæ, non item commutativæ, quæ per aliorum damnificationem læsa est) solent tamen personæ damnificatæ (saltem divites, & si res ablatæ non amplius formaliter extent) communiter esse contentæ pœna capitali, & restitutionem condonare; quam proinde hæredes facere non tenentur, vel saltem differre possunt, donec exigatur. Augustinus Michel hic *n.* 5.

C A S U S IX.

391. *Marianus post celebratas cum Mariana nuptias comperit se impotentem ad matrimonium consummandum, atque insuper advertit magnam sui corporis mutationem, melancholiam, & tædium erga novam nuptam. Adhibet proinde ad pellendum hoc malum complura, & varia remedia; sed absque exoptato effectu. Unde gravem concipit suspicionem latentis maleficii, & desiderium ejus per magum tollendi. Quæritur, an Marianus magum inquirere, & sublationem maleficii ob eodem licite postulare possit?*

RESpondetur affirmative: dummodo magus norit illud tollere absque interventu novi maleficii. Ratio est: quia Marianus postulat rem de se licitam, nempe sublationem maleficii, habetque justam causam postulandi; magus vero absque peccato potest (ut supponitur) & tenetur exequi ex Justitia (si ipse sit Author maleficii) vel saltem ex Charitate (si illud sit ab alio positum) quod Marianus petit; ergo, &c. Nec refert, quod magus prævideatur forte non sublaturus maleficium sine interventu novi maleficii. Nam satis est, quod tollere possit, vel etiam teneatur, & suppetat justa causa sublationem postulandi; cum liceat ex justa causa peccatum alterius permittere: veluti patet, si quis necessitate pressus petat mutuum ab usurario, quod is præstare sine peccato potest, esto prævideatur non præstiturus.

Dixi: *Dummodo magus norit*, &c. Si enim magus ignoraret, vel non valeret tollere maleficium absque interventu novi maleficii (veluti posset contingere, si maleficium non ab ipso, sed ab alio positum esset) ad illud tollendum illicite induceretur; eo quod sic adigeretur ad utendum sua mala arte, qua investigaret, ubi signum maleficii absconditum jaceret, &c. Revideantur, quæ diximus *n.*322.

C A S U S X.

392. *Marina apud Marinum conjugem suum in violati thori suspicionem venit. Unde ab eo torvis plerumque oculis aspicitur, asperis verbis, & duris quandoque verberibus excipitur. Et licet Marina nitatur conceptam de se suspicionem Marino eripere, nihil tamen proficit. Unde tandem ad asserendam suam innocentiam spondet candens ferrum nuda manu contingere. Quæritur, quid de isto Marinæ promisso, vel facto sentiendum?*

RESpondetur, Marinam peccare peccato tentationis Dei. Ratio est: quia petit a Deo fieri miraculum absque sufficienti causa; ergo censetur tentare Deum. Cons. patet. Ant. ostenditur. Siquidem alia extant me-

dia, eaque ordinaria, quibus suam innocentiam probet; cujusmodi sunt juramentum, testimonia hominum, & similia; ergo Marina non habet sufficientem causam petendi a Deo miraculum.

Dices primo. Cunegundis legitur Henrico conjugi probasse suam innocentiam per ignitos vomeres nudis pedibus incedendo; ergo &c.

Respondetur, quod sanctissima Imperatrix id fecerit ex speciali instinctu Dei, qualem non supponitur habuisse Marina.

Dices secundo. Saltem non peccaret Marina, si, adhibitis mediis ordinariis, nihil proficiens, recurreret ad extraordinarium, videlicet ad miraculum.

Respondetur, neg. assumptum. Siquidem nec malum, quod Marina patitur in fama apud maritum, nec alia, quæ recensuimus, tanti momenti sunt, ut præbeant sufficientem causam petendi a Deo miraculum. Commendet ergo, necesse est, rem totam Deo, qui innocentem pati non sinet ultra, quam sustinere valeat.

Videri possunt, quæ traduntur a Canonistis *lib.* 5. *Decretal. ad T.T.* 34. & 35. *de Purgat. Canon. & Vulgar.*

C A S U S XI.

393. *Manreda, effrons femina, ante bimestre suo viduata marito, postquam tempore vespertino cum Manredo Parocho in templo aliquandiu confabulata erat, offert eidem copiam corporis, quam & Manredus acceptat, atque, remotis arbitris, cum Manreda carnaliter congreditur. Turpitudine peracta, Manredus se in Sacristiam recipit, & calicem, quo mane ad sacrificandum usus erat, in domum Parochialem, ne forte nocturno tempore furto sublegatur, reportat. Manreda Parochum e vestigio sequitur, & occasionem nacta, calicem ex ipsius æde surripit, & secum asportat. Quæritur, qualiter, & quotupliciter delinquat impia Manreda?*

REspondetur, quod, præter alia peccata, committat triplex sacrilegium. Nam fornicando in templo, præter peccata luxuriæ, & scandali (in confessione explicandi) committit sacrilegium locale; quia locum sacrum per turpem fornicationis actum inhonorat: committit & personale; quatenus carnaliter miscetur cum persona Deo sacra: & tandem surripiendo calicem, ex æde Parochi, præter peccatum furti, perpetrat etiam sacrilegium reale; quoniam rem sacram aufert.

Dixi supra per parenthesim: *in confessione explicandi*. Nam femina non præsumitur ad hujusmodi turpem actum induxisse marem; quia communiter contingit oppositum; unde cum Manreda induxerit, in confessione exprimere debet.

C A S U S XII.

394. *Macobrius Parochus ossa carnium tempore Paschali benedictarum projicit canibus, & putamina ovorum eodemmet tempore benedictorum abjicit in fimetum. Quod dum videt Capellanus, eum sacrilegii redarguit, quippe res sacras irreverenter tractantem. Quæritur, an Parochus peccatum sacrilegii committat?*

REspondetur negative. Ita Layman *lib.*5. *tr.*9. *c.*13. *num.*4. La Croix *lib.*6. *part.* 1. *num.* 227. & alii. Ratio est: partim quia ossa carnium, & putamina ovorum non benedicuntur nisi accessorie, & per accidens, quatenus nimirum benedicuntur ipsæ carnes & ova, super quæ censetur cadere benedictio: partim, & maxime; quia carnes, ova, & alia id genus comestibilia non benedicuntur benedictione constitutiva, qua constituantur res vere sacræ, & ab usu profano secernantur; sed tantum benedictione invocativa, per quam solum invocatur specialis assistentia Dei circa usum illarum rerum, ipsæ vero res non evadunt vere sacræ, neque ad usum profanum inapplicabiles; ut patet in candelis, aqua, & aliis simili benedictione benedictis, quæ utique ad usus profanos, decentes tamen, v. g. ad habendum lumen pro studio, ad miscendum vinum pro potu &c. applicari licite possunt.

C A S U S XIII.

395. *Macarius, pluribus jam annis Capellanus, ut tandem Parochia potiatur, accedit Martianum, singularem Episcopi Amicum, eidem poculum aureum offert,*

& rogat, quatenus sua potenti intercessione apud Episcopum Parochiam forte vacantem sibi impetret. Martianus petito Macarii annuens, Episcopum adit, intercessionem suam apud eundem interponit, & Macarium sui voti compotem efficit. Quæritur, an id illicite, & simoniace fiat?

RESpondetur affirmative. Ita Navarrus, Bonacina, Layman, Silvester, quos refert, & sequitur P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 122. imo traditur satis expresse a Doctore Angelico 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 7. ubi ait, Simoniacum esse, *si per pecunias* (sive mediate, sive immediate) *paretur via.* (directe) *ad rem spiritualem.* Colligitur præterea clare ex *can.* 3. *caus.* 1. *q.* 5. ubi tanquam simoniaca damnatur promotio ad Sacerdotium obtenta *per pecuniam non Episcopo, sed cuidam Principum ejus datam*; ergo etiam simoniaca censeri debet promotio ad Parochiam obtenta per poculum aureum non Episcopo, sed Martiano, singulari ejusdem Amico, datum; cum nullum appareat discrimen inter unum, & alterum casum. Ratio quoque suffragatur: siquidem intercessio, & preces existunt causa moralis promotionis ad Beneficium Parochiale, & hanc virtute continent; ergo qui emit preces (veluti facit Macarius) censetur virtualiter, & æquivalenter emere ipsam promotionem; cum non æstimet, nec sibi comparet preces, nisi quatenus virtute continent, & moraliter causant promotionem ad Parochiam.

Dices. Preces, & commendationes, quas Martianus apud Episcopum in favorem Macarii interponit, sunt aliquid temporale; ergo licet oblatione poculi aurei comparentur, nulla tamen committitur simonia.

Respondetur, dist. ant. Sunt aliquid temporale, si spectentur secundum se, absolute, & sine habitudine ad spirituale, pro quo obtinendo interponuntur, con. si spectentur relative, sive ut habent connexionem cum spirituali, ad quod obtinendum referuntur tanquam causa moralis, neg. ant. & cons. Posteriore enim modo, si spectentur (veluti spectantur in Casu) censentur aliquid virtualiter spirituale: consequenter, &c.

C A S U S XIV.

396. *Marcellus Studiosus, perspicaci ingenio dotatus, postquam humaniora studia præclara cum laude absolverat, ad capessenda severiora animum adjicit; in quibus cum similiter insignem faciat progressum, eligitur a P. Professore ad publice propugnandas Theses, sumptibus D. Parentis imprimendas. Re ad D. Parentem delata, consentit is in solutionem Thesium præstandam, modo P. Professor evincat, ut filius, peracta defensione, statim suscipiatur ad Religionem, ad quam aspirat. P. Professor eam conditionem acceptat, Superiori Religionis, sive Monasterii pro admissione sui defensoris supplicat, & verbum susceptionis impetrat. Quæritur, an nulla hic committatur simonia?*

RESpondetur, nullam committi. Ita colligitur ex Tannero *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 157. Bonacina *de Simon. disput.* 1. *q.* 8. §. 8. *n.* 1. & 3. Francisco Schmier *lib.* 5. *Decretal. tr.* 2. *c.* 1. *a n.* 191. & aliis passim. Ratio est; quia solutio Thesium in Casu, non fit in compensationem evictæ susceptionis ad Religionem; nec ista evictio in compensationem dictæ solutionis: sed prior fit ad conciliandam gloriam tum Filio, tum Professori, quæ pretio æstimabilis est; posterior vero ad promovendum bonum spirituale Candidati per commendationem, quod est laudabile, & virtuosum. Ex quo nihil sequitur, quam aliquid temporale esse occasionem alicujus spiritualis obtinendi, & vicissim; non autem unum esse pretium alterius, prout ad committendam simoniam requiritur: consequenter &c.

C A S U S XV.

397. *Marcella, nobilis domicella, cum extremam sibi diem imminere cerneret, Parochum advocavit, ut ab eodem SS. Ecclesiæ Sacramentis tempestive munita viam universæ carnis secure ingredi valeret. Comparuit Parochus, Sacramenta pro suo munere administravit, aliaque, quæ ad consolationem infirmæ facere videbantur, rite peregit. His factis, Marcella, honoris cupida, petiit locum sepulturæ honoratiorem præ aliis, pro quo spopondit Parocho quinquaginta florenos statim numerandos, si hoc pacto concedere vellet. Annuit Parochus, pecuniam acceptavit, & Marcellam, paucis post diebus pie defunctam, intra templum ad latus dextrum prope summum altare ex pacto tumulavit. Quæritur, utrum hic non fuerit commissa simonia?*

RESpondetur, non fuisse commissam. Rodriquez *tom.* 3. *Quæst. Regular. q.* 58. *art.* 2. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *de Simon. q.* 4. *pun.* 6. *n.* 1. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 28. *n.* 68. & alii contra alios. Ratio est: quia locus sepulturæ est honoratior ob rationem, & respectum mere temporalem, v. g. quod situs sit ad latus dextrum, quod existat conspicatior &c. ergo cum in Casu ematur ut honoratior, non emitur ut sacer, sive prout explicat ordinem ad aliquid sacrum, & spirituale: consequenter &c. Confirmatur. Emens locum honoratiorem, quo sedeat in Ecclesia, non committit simoniam; prout fatentur ipsimet Adversarii; ergo nec emens locum honoratiorem, quo tumuletur in Ecclesia. Accedit perfrequens praxis doctissimorum, & timoratissimorum Virorum ex utroque tam seculari, quam Regulari Clero, pro sepultura in Ecclesiis, vel aliis honoratioribus locis sine omni scrupulo paciscentium, & pretium accipientium, scientibus, & tolerantibus Reverendissimis Ordinariis; imo id ipsum per Suos practicantibus: qui utique argui non poterunt simoniacæ pravitatis, inquit P. Reiffenstuel *loc. cit.*

Dices. Locus, & quævis res sacra sub nullius est dominio, *l.* 6. §. *Sacræ, ff. de Rer. divis.* ergo non est pretio distrahibilis: consequenter &c.

Respondetur, neg. suppositum argumenti: non enim locus sepulturæ pretio distrahitur, quatenus sacer est, sed quatenus existit honoratus, & explicat ordinem ad honorem quempiam humanum, in civili aliqua æstimatione, & excellentia positum: consequenter &c.

D I S P U T A T I O II.

De secundo Præcepto Decalogi.

PRohibet hoc Præceptum omnem inordinatam usurpationem Divini Nominis, qualis potissimum fit blasphemando, temere jurando, vovendo, & non servando. Quare agendum hic nobis erit de Blasphemia, Voto, & Juramento; nec non de Adjuratione, quæ cum Juramento non tantum in voce, sed etiam in invocatione Divini Nominis affinitatem habet.

C A P U T I.

De Blasphemia.

A R T I C U L U S I.

Quid, ac quotuplex sit Blasphemia, & quale peccatum?

S U M M A R I U M.

398. *Quid sit laus Dei, cui blasphemia opponitur.* 399. *Adstruitur definitio blasphemiæ.* 400. *Assignantur modi, quibus peccatum blasphemiæ contingit.* 401. *Blasphemiam committit, qui maledicit Deo; non item qui maledicit proximo.* 402. *De divisione blasphemiæ.* 403. *Quale, & quantum peccatum sit blasphemia.*

398. PRænotandum, quod blasphemia opponatur laudi Dei, quæ est manifestatio alicujus excellentiæ Divinæ. Quando enim excellentias, & perfectiones alicujus notificamus, ipsum laudamus. Hoc brevissime insinuato,

399. Dico primo. Blasphemia est *verbum maledictionis, convitii, vel contumeliæ adversus Deum.* Busembaum *lib.* 3. *p.* 1. *tr.* 2. *c.* 1. & alii reipsa communiter.

Consistit ergo blasphemia proprie, & essentialiter in dicendo aliquid contra Deum, quod ejus honori, & lau-

& laudi deroget; prout ex statim dicendis magis perspicuum fiet. Unde peccatum blasphemiæ diversum est a peccato infidelitatis: siquidem infidelitas non consistit in dicendo aliquid contra Deum, sed in assentiendo falsitati de Deo.

400. Contingit autem peccatum blasphemiæ sequentibus præcipue modis. 1. Quando aliquid Deo negatur, quod ipsi convenit, v. g. dicendo, quod non sit providus, omnipotens &c. 2. Quando aliquid Deo tribuitur, quod ei non convenit, imo repugnat, v. g. dicendo, ipsum esse tyrannum, personarum acceptorem &c. 3. Quando tribuitur aliquid creaturæ, quod Deo soli debetur, v. g. dicendo, dæmonem esse æque omniscium, omnipotentem &c. ac ipsum Deum. 4. Dum dicuntur quidem de Deo vera, sed irreverenter, nempe per modum contemptus, vel indignationis, v. g. jurando per corpus, & sanguinem Christi ex dignatione, vel ira contra Deum. 5. Dum convitia, & contumeliæ jaciuntur in Sanctos, ut Sancti sunt, adeoque cum habitudinem saltem virtuali ad Deum, v. g. dicendo, eos esse superbos, impudicus &c. Nam quemadmodum Sanctorum sub tali habitudine consideratorum veneratio est respectiva, & actus Religionis, quo honoratur terminative Deus ipse; ita eorum iohonoratio est respectiva, & actus Religioni contrarius, quo Deus ipse inhonoratur. Huc revocatur modus blasphemandi cum Dei Sacramenta, cum qualcunque res sacras quia tales. Ratio est eadem. Imo modus maledicendi creaturis aliis, quatenus creaturæ Dei sunt, adeoque cum habitudine ad Deum. Layman *lib.4. tr.10. cap.6. n.10.* ubi etiam inter hæc discrimen allegat; quia maledictio, seu convitium in res sacras, vel Sanctos prolatum censetur referri in Deum, nisi circumstantiæ, vel modus proferendi indicet, a tali habitudine præscindi. At vero maledictio adversus homines in terris, vel creaturas alias non sacras plerumque fit absque relatione ad Deum.

Dixi: *in Sanctos, ut Sancti sunt.* Nam si convitia, & contumeliæ jaciantur in Sanctos, non ut Sancti sunt, sed ut fuerunt homines quidam in terra degentes, quibus nunc status beatitudinis accidentaliter est additus, non committitur blasphemia, nec peccatur contra virtutem Religionis, sed contra virtutem Duliæ tantum: ut siquis S. Petrum appellet calvum, Carolum Borromæum nasonem, Cripsum, & Crispinianum sutores &c. Talis, inquam, non peccat contra Religionem, cum non injuriet Sanctos, ad Deum relatos; sed contra Duliam, quatenus illis, secundum se, suamque propriam excellentiam spectatis irreverentiam, ac injuriam infert; eamque gravem, si verba contumeliosa proferat ex odio, contemptu, vel indignatione erga Sanctos; levem vero, si ex joco tantum. Busembaum *loc. cit. n.3.*

401. Colliges. Blasphemiam committit (1.) qui Deo maledicit, sive aliquod malum imprecatur, dicendo v. g. pereat Deus, sit infelix, miser &c. non item (2.) qui proximo maledicit, & malum imprecatur, v. g. optando, ut ipsum dæmon abripiat, terra absorbeat, furca, vel rota perdat &c. Ratio primi patet ex definitione blasphemiæ. Ratio secundi est: quia illiusmodi maledicta non solent effundi in proximum, ut est aliquid Dei, sive cum habitudine ad Deum, sed manifestandæ iræ, & indignationis causa. Peccat tamen similis maledicus graviter contra Charitatem, si proximo grave malum (qualia procul dubio sunt, quæ recensuimus) serio, & ex animo deliberato, ut eveniat, imprecetur: quamvis hoc raro contingat; cum ejusmodi imprecationes ordinario proficiscantur ex subita animi commotione, & absque sufficienti reflexione ad gravitatem mali, hujusque eventum non serio optando, sed veluti enunciando tantum, maxime quando maledicus illum, cui modo iratus est, & maledicit, alias amat; ut parens prolem, frater fratrem, soror sororem &c. Sporer *tr.2. in 1. Præcep. Decal. c.10. sect.3. n.25.*

Dices contra secundam partem Corollarii. Qui proximo maledicit in hunc modum: perdat te sanguis, vulnera, mors, aut passio Christi, Sacramenta, Chrisma &c. vere blasphemat; ut habet communis DD. ergo etiam blasphemat, qui illi maledicit modo supra expresso: perdat te dæmon, rota &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Vere blasphemat, quatenus præcise proximo maledicit, neg. quatenus ad ei maledicendum, verbis injuriose usurpat res sacras, in quas Dei, ac Christi bonitas, & sanctitas moraliter transfusa censetur, & quæ ad nos salvandos, non perdendos, ordinatæ sunt, con. ant. & neg. cons.

402. Dico secundo. Blasphemia dividitur in *Mentalem*, seu *cordis*, & *Vocalem*, seu *oris*: item in *Expressam*, & *Tacitam*.

Explicantur hæc membra dividentia. Blasphemia mentalis est, quæ consistit in mera locutione interna; vocalis vero, quæ consistit in locutione externa: sicut laus Dei, cui blasphemia opponitur; mentalis est, quæ fit solo corde, seu locutione interna; & vocalis, quæ profertur voce, seu locutione externa:

Blasphemia expressa est, quæ fit cum expressa, & directa intentione Deum inhonorandi, contemnendi, vilipendendi &c. hæc raro datur in hominibus, nisi sint extremæ malitiæ. Tacita est, quando verba blasphema proferuntur sine dicta intentione, cum advertentia tamen, ea esse contumeliosa Deo, seu cedere in contemptum, & vilipensionem Dei.

403. Dico tertio. Blasphemia est peccatum mortale oppido grave. Colligitur tum ex gravitate pœnæ in blasphemos decretæ *Levit. 24.* ubi dicitur: *Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur.* Tum ex ratione: quia directe opponitur Divinæ excellentiæ secundum se, eique non solum negat debitum cultum, sed etiam summam irreverentiam, & injuriam infert, quantam potest, dum quasi aperto Marte (ut ita dicam) Deo bellum indicit, exacuendo contra ipsum linguam, cum aliter nocere non possit.

Neque evadere veniale potest ob parvitatem materiæ; prout colligitur ex immediate dictis: sed solummodo ob imperfectionem deliberationis, & advertentiæ. Imo etiam mortaliter peccat, qui verba blasphema advertenter profert ex joco: sicut enim (inquit P. Stoz *lib.1. part.3. q.3. art.1. §.2. n.179.*) alicui Regi, aut alteri magno, ac honorato Viro contumeliam dicere, etiam ex solo joco, gravis est inurbanitatis, & irreverentiæ; ita a potiori gravis erit irreverentiæ illam præfata ratione effundere in Regem Regum, & Sanctos, quos, ceu suos Amicos, & Familiares, digne honorari cupit, non indigne tractari. Hoc tamen intelligendum non est de iis casibus, in quibus jocus tollit omnem irreverentiam contra Deum, & per consequens rationem blasphemiæ: ut contingit in exemplo supra allato, siquis ex joco S. Petrum appellet calvum, Crispinum, & Crispinianum sutores &c. Talis enim non inhonorat Sanctos, ut Sancti sunt, & cum habitudine ad Deum; adeoque nullam huic irreverentiam infert: consequenter &c. Revide ibi dicta.

ARTICULUS II.

Expediuntur cetera Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

404. *Ad blasphemiam vocalem non sufficiant quæcunque signa externa, internæ locutionis manifestativa.* 405. *Omnes blasphemiæ secundum se sunt ejusdem speciei.* 406. *Quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat se blasphemasse?* 407. *Quænam remedia adversus blasphemiam sint præscribenda?*

404. QUæres primo, an ad blasphemiam vocalem committendam necessarium sit verbum ore prolatum, vel sufficiat scripto exaratum, aut etiam aliud signum externum?

Respondetur primo, sufficere verbum scripto exaratum. Ita P. Alanus Pfeiffer in *tr. de Vitiis Religioni oppositis fol.* 232. & alii communiter. Ratio est: quia verbum scriptotenus exaratum substituitur verbo oretenus prolato, habetque tam expressam significationem, quam istud. Confirmatur ex 2. *Paralip.* 32. *de servis Sennacherib:* ubi dicitur: *Alia multa locuti sunt servi ejus contra Dominum Deum; epistolas quoque scripsit plenas blasphemia in Dominum Deum Israel, & locutus est adversus eum.*

Respondetur secundo, alia signa externa (nisi sint v. g. instrumenta musica) probabilius non sufficere ad blasphemiam vocalem proprie dictam. Suarez *tom.2. de Relig. tr.2. lib.1. num.4.* Sanchez *lib.2. Moral. c.32. n.4.* Stoz *lib.1. part.4. quest.3. n.170.* Pfeiffer *loc. cit. fol.231.* contra Illsung, Babenstuber, & alios. Ratio est: quia laus Dei proprie perficitur tantum verbis ore prolatis, vel scripto exaratis, vel instrumentis musi-

musicis, non item aliis signis externis, quibus perficiuntur adoratio, honoratio Dei &c. ergo etiam blasphemia, seu Divinæ laudi directe opposita; cum oppositorum eadem sit ratio. Confirmatur cum P. Pfeiffer. Si quæcunque signa externa internorum conceptuum manifestativa sufficerent ad blasphemiam proprie dictam, sequeretur, idololatriam, & alia id genus vitia esse proprias blasphemias: atqui sequela est falsa (quidquid contra sentiat Sporer *loc. cit. n.11.*) ergo &c. Nec evadunt Adversarii, si dicant. Idololatra non intendit contumeliam in verum Deum conjicere, sed solum illius cultum contra debitum extendere ad creaturam; ergo blasphemiam qua talis non committeret &c.

Respondetur enim, dist. ant. Non intendit id explicite, trans. implicite, neg. ant. Ergo non committeret blasphemiam expressam, trans. tacitam, neg. cons. Revide, quod diximus *n.403.*

Dixi per parenthesim: *nisi sint instrumenta musica.* Nam sicut istis Deus proprie laudari, ita & vituperari, ac blasphemari potest.

Ex quibus fit 1. præ contemptu Dei in cælum spuere, dentibus frendere, pugnum, aut medium digitum illuc protendere &c. non esse proprie blasphemias, esto ad has reduci possint, ac debeant. Unde licet blasphemia in aliqua Diœcesi sit casus reservatus, memoratæ tamen actiones nullam habebunt annexam reservationem, sed erunt absolubiles a quolibet Confessario in illa Diœcesi approbato.

Fit 2. similiter non fuisse proprie blasphemias, quando Judæi faciem Christi sputo fœdabant, velabant, alapis cædebant &c. quia non erant injuriæ verborum, sed factorum, neque consistebant in injuriose loquendo, sed in male, & injuriose ipsius Personam tractando: unde potius habebant rationem cujusdam sacrilegii, seu injuriæ eminentis, ad sacrilegium reducibilis. Quamvis etiam tunc multæ veræ blasphemiæ intercurrerint ob adjuncta verba contumeliæ in Christum, dum ipsi illudebant, jactatæ; ut *Ave Rex Judæorum? Quis est, qui te percussit? Vah! quid destruis templum Dei &c.*

405. Quæres secundo, an omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei?

Respondetur, in ratione blasphemiæ probabilius esse omnes ejusdem speciei, sive eæ sint expressæ, sive tacitæ, sive in Deum, sive in Sanctos cum respectu ad Deum, hoc, aut illo modo, irrisorio, detestativo, imprecativo, proferantur. Ita Tamburinus *lib.2.c.3.§.2. n.19.* Illsung *tr.5. disp.3. art.2. n.294.* & alii passim: Ratio est: quia omnes conveniunt in ratione formali inhonorandi Nomen Divinum, ejusque laudi, ac gloriæ derogandi: modi insuper, quibus committuntur, non nisi materialiter diversi sunt, sicut diversi sunt modi, quibus committuntur peccata infidelitatis; ergo &c. Unde nec Confessarius tenetur diversitatem peccatorum inquirere, nec pœnitens explicare, quamvis una sit altera longe gravior, ac detestabilior; siquidem ea major gravitas solum est circumstantia aggravans, qualem juxtam probabiliorem sententiam, suo loco tradendam, exprimendi nulla extat obligatio.

Dixi: *in ratione blasphemiæ.* Possunt enim blasphemiæ aliunde differre specie, v.g. si vel proferantur ex formali odio Dei, vel contineant hæresim; in utroque quippe casu attrahunt malitiam a malitia blasphemiæ specifice diversam, in confessione necessario exponendam: in priore quidem malitiam odii; in posteriore vero malitiam hæresis. Idem sentiendum, si accedat peccatum scandali, perjurii, idololatriæ &c. P. Stoz *lib.1. part.3. n.180.*

Quod si contumeliæ jaciantur in Sanctos directe (quod tamen fieri non præsumitur, nisi ex circumstantiis, aut modo proferendi colligatur; prout supra *n.400.* annotavimus) sine omni respectu ad Deum, quatenus nimirum ipsi in se existunt personæ excellentes, proprio honore dignæ, non sunt veræ blasphemiæ (ut similiter advertimus supra *n. cit.*) & idcirco specie differunt a blasphemiis; cum sint contra virtutem Duliæ, a virtute Latriæ specie distinctam. Ut autem discerni queat, an inter se invicem comparatæ specie differant, videndum est, num jaciantur in Sanctos a B. Virgine diversos tantum, vel in ipsam quoque B. Virginem? Si primum; sunt ejusdem speciei: cum omnes opponantur eidem virtuti Duliæ. Si secundum; opus est subdistinctione. Vel enim jaciuntur in B. Virginem, quatenus reliquos Sanctos supergreditur præcise in gratia, aliisque donis supernaturalibus; vel quatenus præfulget speciali prærogativa Maternitatis Dei? Si in eandem jaciantur sub priori consideratione, non distinguuntur specie a contumeliis in alios Sanctos jactatis; quia Hyperdulia, prout præcise fundamentum habet in præmemoratis donis, & Dulia non differunt specie, sed tantum secundum magis, & minus, adeo, ut quemadmodum B. Virgo ceteros Sanctos in antefatis donis antecellit, ita & altiori cultu in hoc gradu digna sit; consequenter nec contumeliæ, seu privationes cultus debiti, distinguuntur specie, sive jaciantur in B. Virginem sub tali consideratione, sive in alios Sanctos; sed tantum secundum magis, & minus. Si vero contumeliæ jaciantur in B. Virginem sub posteriori consideratione, per Arriagam *de Incarnat. disp.54. sect.3. n.30.* specie differunt a contumeliis in Sanctos jactatis; quoniam juxta nominatum Authorem Hyperdulia, quatenus fundata in titulo Maternitatis Dei (cui contumeliæ ut sic in B. Virginem sparsæ opponuntur) specie differt a Dulia. Imo si contumeliæ jaciantur in B. Virginem, ut Matrem Dei non specificative tantum, sed reduplicative spectatam, pugnant contra virtutem Religionis, & Latriæ, ac sortiuntur rationem veræ blasphemiæ, ab aliis blasphemiis specie non distinctæ; cum B. Virgo sub ea reduplicatione ad Deum, seu suum Filium, singularem respectum dicat. P. Stoz *loc. cit. n.181.*

406. Quæres tertio, quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat se blasphemasse?

Respondetur, quod pœnitens interrogandus sit, quibus verbis usus fuerit, Si deprehendatur usus fuisse verbis dubiis, seu indeterminatis ad significandam, vel non significandam blasphemiam, censendus est non blasphemasse, nisi forte fateatur, se per intentionem illa verba determinasse ad significandam blasphemiam. Ratio est; quia verba dubia accipienda sunt in partem benigniorem, ita ut potius significent non delictum, quam delictum, aut delictum minus, quam majus. Multo minus blasphemasse censendus est, quando usus fuit verbis blasphemiam certo non continentibus. Ratio est: quia verba sunt de essentia blasphemiæ; prout ex hujus definitione relinquitur. Unde qui in ira diabolum nominant, esto se blasphemare existiment, re tamen vera non blasphemant; uti nec qui hominibus, aut jumentis imprecantur, & maledicunt sine omni habitudine ad inhonorationem Dei: imo nominatio diaboli, si absit imprecatio, nullum est peccatum per se loquendo: quamvis, si sit assidua, non deceat Christianum, & ratione scandali possit esse peccatum grave, vel leve juxta diversitatem circumstantiarum, & personarum audientium. Maledictio autem hominibus facta peccatum quidem est (grave, vel leve secundum superius dicta) sed contra charitatem proximi; uti & maledictio facta creaturis irrationabilibus, in quantum sunt alicujus hominis, quem maledicens odio prosequitur. Quod si maledictio jaciatur in tales creaturas secundum se spectatas, v.g. quatenus nocent, vel non obtemperant; ut cum rustici maledicunt suis propriis jumentis, venialiter solum peccaminosa est; imo ab omni peccato immunis, si jaciatur in illas, ut afferentes nocumentum aliquod spirituale; & hoc modo Job *c.3* licite maledixit diei nativitatis suæ propter peccatum originale, & alia incommoda inde secuta. Si denique pœnitens usus fuerit verba blasphemiam exprimentibus; idque vel ex directa intentione inhonorandi Deum, vel saltem cum advertentia, quod ipsum inhonoret, omnino blasphemasse judicandus est. Ratio patet: quia jam nihil ex requisitis ad blasphemiam deest. Hoc ergo casu incumbit Confessario amplius indagare, an blasphemia fuerit hæreticalis (a qua absolvere non potest, nisi facultatem absolvendi ab hæresi habeat) vel simplex? item an alias species peccatorum, puta perjurii, odii, desperationis, iræ, scandali &c. secum traxerit? quod deprehenderet, si in radicem, seu causam blasphemiæ, & circumstantias debite inquisierit, in quas, si ex modo, & verbis species peccatorum annexas colligere queat, inquirere tenetur; nec illico debet acquiescere, ubi cognovit speciem blasphemiæ; nam perraro contingit, ut comites non habeat, maxime si processerit ex directa intentione, & animo inhonorandi Deum. Reginaldus, Cajetanus, Navarrus, Tamburinus, Layman, Sporer, Babenstuber &c.

407. Quæ-

407. Quæres quarto, quænam remedia Confessarius pœnitenti blasphemo præscribat?

Respondetur, ea remedia esse duplicis generis; quorum aliqua Confessarius præscribet pro castigandis blasphemiis præteritis, alia pro impediendis futuris. Pro castigandis præteritis præter consuetas pœnas orationis, jejunii, eleemosynæ &c. utiliter injunget, ut pœnitens toties, quoties se blasphemasse meminit, ad pedes Crucifixi provolutus precetur veniam, atque hos, vel alios similes affectus eliciat: *Laudetur Deus! Laudetur SS. Sacramentum! Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.* Pro impediendis futuris illi ob oculos ponat 1. malitiam blasphemiæ, præsertim inde trutinandam, quod proprium sit dæmonibus, & animabus damnatis Deum blasphemare, quorum utique vestigia legere nolit. 2. Jubeat eundem perpendere, quod nullam fere utilitatem, oblectationem, & existimationem ex effusione blasphemiarum reportet. 3. Quod nomina illa, in quibus æterna salus est sita, contemptibiliter usurpet; Sanguinem, & merita Christi, quæ ad expungenda nostra debita, & avertendam sempiternam miseriam ordinata sunt, veluti conculcet &c. Quale ferendum sit judicium de blasphemiis ex consuetudine effusis, colligitur ex dictis *par. 1. n. 644.*

CAPUT II.

De Voto.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Votum?

SUMMARIUM.

408. *Votum definitur, & singula definitionis particula clare explicantur.* 409. *Propositum ne quidem producit obligationem ex virtute Constantiæ.* 410. *An valeat votum, quod quis edit animo se non obligandi, aut opus promissum non exequendi?* 411. *An metus gravis injuste incussus: item error, vel ignorantia votum irritent?* 412. *An valeat votum, cujus materia partim est honesta, partim turpis, partim possibiliis, partim impossibilis?* 413. *An valeat votum, quo quidem vovetur res bona, sed ob finem malum?* 414. *Quomodo peccet, qui vovet, seu attentat vovere rem moraliter malam, aut mere indifferentem?* 415. *Votum varie dividitur, & membra dividentia sigillatim explicantur.* 416. *Quandonam quinque hæc vota, videlicet, servandi Castitatem, ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam, peregrinandi Jerosolymam ad San. Sepulchrum Salvatoris nostri, Romam ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, ac Compostellam ad S. Jacobum, sint, vel non sint reservata S. Pontifici; adeoque ab ipso tantum, vel etiam ab aliis relaxabilia?*

408. Dico primo. Votum est *promissio perfecte deliberata, perfecteque, ac directe voluntaria, facta Deo, de bono possibili, quod sit præstantius suo per se opposito, & jam habito a vovente.* Hæc definitio est quidem prolixior, ac illa, quæ communiter dari solet; nihil tamen superfluitatis continet, ut patebit.

Explicatur. Dicitur 1. *Promissio.* Votum quippe parit obligationem, nempe Fidelitatis, & Religionis, quam vovens sibimetipsi imponit. Unde siquis solum proponat, utut firmiter, aliquid facere: licet de se optimum, in obsequium Dei, nullum emittit votum, neque contrahit obligationem (saltem ex virtute Fidelitatis, & Religionis) id, quod proponit, exequendi. Est enim promissionem inter, & propositum hæc differentia, quod illa oriatur ex deliberatione acceptandæ, sibique imponendæ obligationis; istud vero ex deliberatione solius convenientiæ rei faciendæ: illa promittenti imponat obligationem; non autem ista proponenti.

Dicitur 2. *Perfecte deliberata.* Quæ deliberatio supponit 1. *Usum rationis*; ob cujus defectum pueri necdum septennes regulariter emittere votum nequeunt. 2. *Usum rationis expeditum*: ob cujus defectum voti nuncupandi incapaces existunt plene ebrii, amentes &c. quamvis adulti. 3. *Usum rationis perfectum*, per quem obligatio voti directe cognoscatur, & discernatur; ut mox iterum dicetur.

Dicitur 3. *Perfecteque, ac directe voluntaria*, id est, libera non solum libertate perfecta qualicunque, sed includente insuper directam intentionem se obligandi; quæ intentio itidem supponat directam cognitionem obligationis ex voto resultantis. Ratio hujus est: partim quia votum est actus humanus bonus, ad quem requiritur voluntarium, & liberum in se, seu directum: partim quia voti obligatio est secundum se valde gravis, quam nemo censetur sibi imponere, nisi ex directa cognitione, & voluntate. Quapropter communis illa regula, quod ad vovendum requiratur, & sufficiat ea libertas (idem cum proportione cogita de deliberatione) quæ requiritur, & sufficit ad peccandum mortaliter, non tenet, si accipiatur simpliciter, & in sensu absoluto. Nam licet requiratur, haud tamen sufficit eadem libertas, in prædicto sensu intellecta: siquidem ad peccandum mortaliter sufficere potest voluntarium, seu liberum in causa, & indirectum, quale tamen nequit sufficere ad vovendum. Sensu proinde illius Regulæ est, & esse debet accommodus, videlicet iste, quod ad vovendum (non tantum sub mortali, sed etiam sub veniali obligatione; quia ad sic quoque vovendum exigitur totus homo, ut loquitur alicubi P. La Croix; secus ac ad peccandum venialiter) requiratur, & sufficiat perfecta libertas (præscindendo a directa, & indirecta) sicut perfecta libertas requiritur, & sufficit ad peccandum mortaliter. Id quod præcise vult Glossa *in c. 14. caus. 32. q. 2.*

Dixi 4. *Facta Deo.* Siquidem votum est actus Religionis, & Latriæ, soli Deo debitus. Potest tamen etiam fieri B. Virgini, & aliis Sanctis, sed ad Deum relatis, ita ut promissio, in qua voti essentia consistit, principaliter, & ultimate fiat Deo; sicut templa, & altaria, quæ Sanctis dicuntur dedicari, principaliter dedicantur Deo. Quod si promissio fiat B. Virgini, & Sanctis secundum propriam excellentiam consideratis, non erit verum votum, nec actus Religionis, aut Latriæ, sed Hyperduliæ, vel Duliæ.

Dicitur 5. *De bono.* Ubi inprimis significatur materia remota voti, seu res illa, circa quam actus voventis (qui est materia proxima) versantur. Deinde insinuatur, ejusmodi rem debere esse moraliter bonam, & non sufficere mere indifferentem, multo minus moraliter malam. Ratio est: quia id, quod per votum promittitur, debet esse Deo acceptum; alias ab eo non acceptaretur: atqui nec res mere indifferens, nec moraliter mala potest esse Deo accepta, cum neutra in ejus honorem, & cultum cedere valeat, ut patet; ergo &c. Unde invalide vovet, qui vovet non ambulare, non ludere &c. sicut & ille, qui vovet eleemosynam, ut per eam obtineat vanam gloriam, injustam victoriam &c. Dixi tamen, *non sufficere rem mere indifferentem.* Nam si res ex se quidem indifferens voveatur ex fine moraliter bono, evadit materia valida voti: quia jam non manet mere indifferens, sed fit bona ex adjuncto fine. Unde valide vovet, qui vovet non amplius transire per plateam, ubi est aliqua occasio peccandi: item qui vovet, non amplius ludere, ut propter Deum se privet delectatione, quam ex lusu percipere solet; vel ne tempus inutiliter terat, pecunias dilapidet &c.

Dicitur 6. *Possibili*, non solum physice, sed etiam moraliter: siquidem ad moraliter quoque impossibile nulla datur obligatio, quæ consurgat ex voluntate voventis; sicut ad idem nulla datur obligatio, quæ consurgat ex voluntate humani Legislatoris. Porro potest aliquid esse impossibile 1. *respectu omnium*; ut per totam vitam abstinere ab omni prorsus peccato veniali, quod nemo viatorum potest absque speciali privilegio: veluti tradunt Scholastici *in tr. de Gratia.* Unde votum, de tali abstinentia, ceu re moraliter impossibili, emissum est invalidum. Valet tamen votum de non peccando mortaliter; quia cum ordinaria Dei gratia possumus cavere omnia mortalia per totam vitam: item de non mentiendo jocose, vel evitanda distractione voluntaria, & similibus venialibus in specie, quæ ex auxilio Dei ordinario vitari possunt; licet ob rei difficultatem plerumque expediat talia vota non emittere, vel emissa commutare. 2. *respectu aliquorum duntaxat*, ut patet de Religioso, qui in eo, in quo est subditus, non potest vovere. Idem respective est de filio, de servo, de conjuge. Siquidem ut sic non sunt sui juris; neque id, quod vovent, in potestate eorum. Dixi autem:

tem: *in eo, in quo est subditus*. Quia Religiosus potest vovere devotiones, quæ non impediunt obedientiam: servus item, filius, aut conjux possunt vovere illas actiones, in quibus non læditur subjectio ad Dominum, patrem, aut alterum conjugem. Verum de hoc iterum, & distinctius *art. 3. §. 2.*

Dicitur 7. *Quod sit præstantius suo per se opposito:* quia alioquin a Deo non acceptaretur; ut infra declarabitur. Quapropter votum de ineundo matrimonio ordinarie invalidum est: licet enim matrimonium sit quoddam bonum, non tamen est præstantius suo per se opposito, quale est cælibatus. Nec dicas. Matrimonium est materia valida juramenti promissorii; ergo etiam voti. Respondetur enim neg. cons. Disparitas est: quia ad materiam juramenti promissorii sufficit, quod sit accommodata naturæ promissionis, cui adjungitur: unde sicut promissio facta homini (qualis est promissio matrimonii) non exigit materiam, quæ sit bonum præstantius, ac est oppositum, sed solum, quæ sit si commoda, & bona, ita nec juramentum, quod est illi accessorium. Patebit hoc amplius *c. seq.* Secus est de voto, & promissione soli Deo facta: veluti patet ex jam dictis, & magis perspicuum fiet ex posthac dicendis.

Dixi supra: *ordinarie*. Non enim desunt casus, in quibus votum de incundo matrimonio valet, ut 1. si matrimonium judicetur admodum utile ad Catholicam fidem in aliquod Regnum, Provinciam, aut Civitatem invehendam, vel ibi conservandam; ad firmanda, vel restauranda inter Christianos Principes fœdera pacis &c. 2. Siquis ex suppositione, quod velit uxorem ducere, voveat ducere pauperem ad sublevandam ejus inopiam. 3. Si alicui ob naturæ fragilitatem, & proclivitatem ad vitia carnis videatur magis expedire matrimonium, quam status Religionis, aut cælibatus: tunc enim videtur locum habere illud Apostoli 1. Cor. 7. ibi: *Melius est nubere, quam uri*. Neque votum tunc esset contra majus bonum respectu talis subjecti. Ubi tamen cum Lessio, & aliis recte notant Sanct-Gallenses *tom. 7. tr. 1. sect. 3. q. 6. dub. 2.* hujusmodi votum non esse validum absolute; quia absolute loquendo etiam tali homini melior est continentia, quam matrimonium: sed solum ex suppositione, quod alia remedia ad carnem subjugandam adhibere nolit. Unde & Apostolus *loc. cit.* non dicit absolute: *Melius est nubere, quam continere:* sed ex hypothesi: *si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.*

Posui autem in definitione voti explicite (alii subintelligunt) illas particulas: *suo per se opposito*, ut clarius indigitarem, materiam aptam voti debere esse opus præstantius alio, sibi non quomodocunque, sed per se, directe, & privative opposito, quocum habet incompossibilitatem non solum actualem, sed etiam aptitudinalem: qualem quia habet matrimonium cum cælibatu, & ordinarie non est bonum isto præstantius, ordinarie non est materia valida voti; ut proxime diximus. Ratio est: quia, cum Deo, *cujus voluntas sanctificatio nostra est*, 1. *Thessal.* 4. magis placeat opus, quod majus, & melius est, quam ejus per se oppositum, sequitur, illi gratum non esse, si homo promittat facere opus minus bonum, quod meliori præfata ratione opponitur; nam hoc ipso se obligat ad omittendum melius; ergo talis promissio Deo grata non est: & consequenter ab eo non acceptatur: quod tamen ad valorem voti requiritur. Ex quo consecutive veluti a contrario infertur, quod res bona, quando comparatur cum meliore, quacum non habet oppositionem per se talem, vi cujus cum ea tam actualiter, quam aptitudinaliter incompossibilis sit; sed aliam, vi cujus actualiter tantum sit incompossibilis, aptitudinaliter vero compossibilis, & in illam pro libitu commutabilis persistet, constituat materiam validam voti. Ratio est: quia taliter vovens non hoc ipso se obligat ad omittendum oppositum (uti fit in casu præcedente) quod est majus bonum; nam licet istud excludat actu, non tamen excludit aptitudine, imo retinet liberam facultatem ad id per commutationem transeundi; ergo vovet rem Deo gratam (esto voveret gratiorem, si voveret dicto modo oppositam, quæ est melior) consequenter &c. Exemplum est, siquis voveat perpetuo inservire xenodochio: talis namque, quamvis actu excludat, sive impediat majus bonum, v. g. statum Religionis, non tamen excludit aptitudine, cum non privetur potestate ad Religionem transeundi. Ita cum Sanchezio, & aliis P. Sporer *tr. 3. in 2. Præcept. Decalogi c. 2. n. 52. & seqq.*

Dicitur denique 8. *Et jam habito a vovente.* Ut enim bonum aliquod sit materia valida voti, non satis est, quod existat melius suo per se opposito: sed requiritur præterea, ut existat melius eo bono, quod vovens, dum vovet, actu habet, seu possidet, esto eidem non opponatur per se. Hinc non valet votum, quo Religiosus, Religionem strictiorem professus, vovet laxiorem; nam licet Religio laxior sit majus bonum suo per se opposito, statu nempe seculari; haud tamen est majus illo bono (sibi per se non opposito) quo vovens, dum vovet, actualiter gaudet, statu videlicet Religionis strictioris. Quando autem vovens, dum vovet, nondum actu habet ejusmodi bonum, sufficit ad valorem voti, si bonum, quod vovet, sit majus suo per se opposito. Unde quando laicus vovet Religionem laxiorem, valide vovet: quia Religio laxior est majus bonum suo per se opposito (ut dictum) & laicus non possidet actu aliud bonum, Religioni laxiori altero modo, seu non per se oppositum, puta statum Religionis strictioris. Sporer *loc. cit.*

Datur præterea per easdem particulas, & immediate præcedentes, intelligi, bonum aliquod, ut sit materia apta voti, non debere esse majus quocunque alio bono (alias nullum votum validum esset, nisi editum de bono omnium præstantissimo: quod est procul a veritate) sed tantum suo per se opposito, & jam habito a vovente: uti hucusque ivimus explanatum.

409. Quæres jam primo, an propositum (quod ad valorem voti sufficere, adeoque obligationem ex virtute Fidelitatis, & Religionis producere posse supra negavimus) pariat saltem obligationem ex virtute Constantiæ?

Respondetur negative. Ita Tamburinus *lib. 3. in Decal. c. 11. n. 2.* & alii communius. Ratio est: quia virtus Constantiæ tunc solummodo obligat, quando bonum propositum aliunde est obligatorium; hic autem non supponitur aliunde esse præcise obligatorium, sed deberet esse præcise obligatorium ex voluntate proponentis, quæ tamen, illud concipiendo, nullam sibi obligationem imponere intendit; ergo &c.

Dices. Mutatio boni propositi, ex perfecta deliberatione concepti, saltem dum fit absque causa, importat aliquam levitatem animi cum damno quodam spirituali; ergo non fit sine culpa contra virtutem Constantiæ: & consequenter ejus modum propositum reddit hominem obligatum ad perseverandum in ipso, & exequendum rem promissam.

Confirmatur. Actus otiosus est peccaminosus: sed mutatio propositi, citra causam facta, est actus otiosus; ergo &c.

Respondetur ad argument. dist. ant. Importat aliquam levitatem animi &c. id est, defectum diligentiæ in procuratione majoris boni, ad quem evitandum virtus Constantiæ inclinat, con. obligat, neg. ant. & utranque cons. Virtutes etiam ad actus supererogatorios inclinant, eosque consulunt, non tamen præcipiunt &c.

Ad Confirmat. concessa majore, neg. min. vel etiam suppositum, quod mutatio propositi citra omnem omnino causam fiat; intervenit enim aliqua naturæ commoditas, a recto rationis dictamine permissa, & exercitium libertatis: id quod sufficit, ne mutatio dicatur facta citra omnem omnino causam, & actus otiosus. Revideantur, quæ diximus *part. 1. n. 636.* Atque ita respondent admittentes actum indifferentem in individuo; aliter, eundem negantes. Vide Babenstuber *tr. 5. disp. 3. art. 3. n. 20.*

410. Quæres secundo, an valeat votum, quod quis edit animo se non obligandi, aut opus promissum non exequendi?

Respondetur primo. Haud valet editum animo se non obligandi. Communis. Ratio patens est: quia votum est lex privata, quam vovens sibimetipsi imponit; ergo sicut Legislator, dum legem communem imponit suis subditis, debet habere animum, seu intentionem eos obligandi (alias lex invalida, & nulla foret) ita & vovens (ut votum valeat) debet habere animum obligandi seipsum. Unde qui exterius tantum Deo aliquid promittit, absque animo se obligandi, invalide

vovet;

vovet: quia deest voluntas, ex qua valor voti dependet. Peccat insuper promittens, non tamen plus, quam venialiter: quia irreverentia, quam Deo, omnis fictionis, & deceptionis incapaci, irrogat, non censetur nisi levis. Excipe tamen vota solemnia, ubi ficte promittens a mortali non excusatur; cum Religioni, vel Ecclesiæ in re gravissima per effectivam deceptionem illudat. Ita cum Cajetano, Sanchezio, & aliis Sporer *loc. cit. n.* 164. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 369.

Respondetur secundo. Valet votum, editum animo non implendi opus promissum. Itidem communis. Ratio est: quia supposita intentione se obligandi, & aliis ad valorem voti requisitis, naturaliter resultat obligatio voti, nullam habens dependentiam ab intentione implendi opus promissum; ergo istius deficientia non reddit votum invalidum, esto reddat illicitum graviter, vel leviter pro ratione materiæ. Confirmatur. Potest in Legislatore esse animus subditos obligandi per legem, absque eo, quod velit impletionem legis, ut patet ex *Genes.* 22. ubi Deus habuit animum vere obligandi Abrahamum per præceptum immolandi filium, quin voluerit executionem præcepti; ergo etiam in vovente potest esse animus seipsum obligandi quin habeat animum exequendi, quod vovet; consequenter &c.

Dices. Omne votum, ut valeat, debet a Deo acceptari: sed votum, quod editur animo non exequendi rem promissam, cum sit peccaminosum, non acceptatur a Deo: ergo non valet.

Respondetur, ejusmodi votum non quidem acceptari a Deo ad meritum, & præmium, acceptari tamen ad debitum, seu obligationem (quod sufficit ad illius valorem) quia res, quæ promittitur, manet Deo grata; cum non inficiatur ab actu illicito voventis. Vide quæ habentur inferius *n.* 413.

411. Quæres tertio, an metus gravis injuste incussus; item an error, vel ignorantia deliberationi, & liberati ita obstet, ut votum reddat irritum?

Respondetur primo. Nullus metus, etiamsi sit injuste incussus ad extorquendum ipsum votum, istud irritum reddit, spectato Jure naturali, vel Divino. Ita P. Pichler *lib.* 3. *Decret. tit.* 34. *n.* 4. & alii ab ipso relati. Ratio est: quia metus quicunque actum voventis relinquit simpliciter liberum. Spectato autem Jure positivo Ecclesiastico, vota Religiosæ Professionis, ex simili metu emissa, irrita sunt, *capit.* 1. *de his, quæ vi*. Quod tamen non videtur extendendum ad alia vota, utpote de quibus ibi nulla fit mentio, nec pugnat eadem ratio.

Respondetur secundo. Si quis ignoret, aut erret (quamvis culpabiliter) circa substantiam voti; vel circa accidentia, & circumstantias magni momenti, quas si sciret, non voveret; vel circa causam finalem, ut si quis voveat Petro, quem erronee putat esse pauperem, dare eleemosynam, votum est irritum: si excipias respective vota Religiosa, & Castitatis. Filliucius *tr.* 26. *c.* 1. *n.* 18. *&* 19. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 3. 4. §. 2. *n.* 2. *&* 4. aliique passim. Ratio est: quia valor voti dependet a voluntate, ac intentione voventis, & quidem directa (ut supra animadversum est) quam tollit hujusmodi ignorantia, vel error, tametsi culpabilis sit; cum etiam ut talis non relinquat voluntarium, & liberum, nisi indirectum, ac in causa: ut contra Sanchez recte notat Filliucius *loc. cit. num.* 21. Nec dicas. Esto ignorantia, vel error circa substantiam tollat in vovente liberum consensum, non tamen eundem tollit error circa circumstantiam, ut ut hæc sit magni momenti. Nam contra est, neg. assumptum: siquidem, dum igoratur talis circumstantia, censetur regulariter ignorari ipsa substantia. Secus dicendum, si ignorantia, vel error solum versetur circa accidentia, aut circumstantias exigui momenti (dummodo vovens suum consensum iisdem non alliget) vel circa causam mere impulsivam. Ratio est: quia tunc substantia voti non censetur ignorari: consequenter non pessundatur valor voti. Unde si voveas eleemosynam largiri pauperi Titio, existimans, eum esse Sacerdotem, quem tamen rescis postea non esse Sacerdotem, voto obligaris; nam circumstantia Sacerdotii in ordine ad largitionem eleemosynæ non censetur tam momentosa, ut error circa illam votum immutare, ejusque valori obsistere possit: voves enim ex motivo Misericordiæ, quod subsistit, si Titius sit pauper, quamvis non sit Sacerdos. Similiter obligaris voto, quo promittis peregrinatum ire ad Taumaturgam Virginem Compolycianam v. gr. occasione amici Augustæ invisendi, licet hic tempore, quo voves, jam abierit: quia visitatio amici censetur esse causa tantum impulsiva vovendi.

Dixi supra in respons. 2. *Si excipias respective vota Religiosa, & Castitatis*. Hæc enim valent, si ignorantia, vel error non versetur circa substantiam rei promissæ, sed solum circa accidentia, & circumstantias, licet hæ, dum se postmodum produnt, deprehendantur esse magnæ considerationis. Ratio est: partim quia alias sequerentur gravissima incommoda, scandala, perturbationes, & varii prætextus, cum ingenti damno Reipublicæ Christianæ, ad cujus præcautionem strictissime obligat Jus naturale: partim quia omnes difficultates, si non intercedat error, vel ignorantia circa substantiam, facile saltem in confuso, possunt prævideri, & post factum præsumuntur prævisæ: partim quia per remedia spiritualia non admodum difficulter superantur. P. Pichler. *loc. cit. n.* 5. Quæ ratio, vel rationes evincunt (maxime pro foro externo) ut, qui emisit talia vota, non possit (esto possit, qui emisit alia) inferre: *si prævidissem ejusmodi difficultatem, aut circumstantiam, non vovissem; ergo invalide vovi*; neque dicere, *quod, ignorata circumstantia, censeatur ignorata ipsa quoque substantia*. Unde siquis Religionem Carthusianorum esset professus, teneretur votis, licet ignorasset (quod tamen videtur moraliter impossibile, & incredibile, respectu Religiosi in tali Religione integrum jam Novitiatus annum commorati) eos Religiosos continuo abstinere a carnibus. Aliud est de voto antefatam Religionem ingrediendi: siquidem de hoc tali voto discurrendum, sicut supra de aliis, dicendumque non valere ob ignorantiam, aut errorem circa circumstantiam magni momenti, qualis absque dubio est perpetua a carnibus abstinentia. La Croix *lib.* 3. *par.* 1. *numer.* 377. Babenstuber *tractat.* 5. *disp.* 3. *artic.* 3. *numer.* 16. & alii ab ipsis relati. Porro magnitudinem circumstantiarum censet La Croix *loc. citat. numer.* 377. determinanda esse prudentum judicio. Gobat vero *tr.* 9. *num.* 55. regulam hanc statuit, & ait, tunc circumstantiam censendam esse magni momenti, quando talis est, quæ homines similis conditionis solet a vovendo retrahere.

412. Quæres quarto, an valeat votum, cujus materia partim est honesta, partim turpis, partim possibilis, partim impossibilis?

Respondetur primo. Si, dum votum emittis, expresse velis non obligari ad partem, nisi possis totum, non valet votum. Ratio est: quia valor voti pendet in fieri a voluntate, & intentione voventis; ergo cum in illius emissione nolis obligari ad partem, nisi possis totum, & hoc non posse supponaris, ad illam non obligaberis, votumque erit censendum irritum. Unde si voveas jejunium totius Quadragesimæ, expresse volens non obligari ad partem, nisi possis totum, non teneris ad partem possibilem, quando non potes totum. Communis.

Respondetur secundo. Si de intentione voventis non constet, spectari debet conditio materiæ promissæ. Quando enim materia est dividua, ita ut una pars ab altera separari possit, ac soleat, votum valet quoad partem honestam, & possibilem: nisi hæc sit mere accessoria. Ratio est: partim quia tunc locum habet Regula Juris 37. *in* 6. ibi: *Utile per inutile non vitiatur:* partim quia tale votum est virtualiter duplex; ergo sicut, si ederentur vota formaliter duo, valeret unum, ad partem possibilem, & honestam terminatum; ita similiter, dum editur votum virtualiter duplex, valebit, quatenus se extendit ad partem possibilem, & honestam. Unde si voveas pauperibus dare in eleemosynam, v. g. centum florenos, & factus impotens non possis dare nisi triginta, qui sunt pars centum florenorum, & ab istis communi usu separabiles, eosdem dare teneris.

Dixi: *nisi hæc sint mere accessoria*. Si enim pars possibilis, aut honesta non sit pars principalis, sed mere accessoria respectu partis impossibilis, aut inhonestæ, non teneris ad illam præstandam. Ratio est: quia cadente principali ruit accessorium. Unde si voveas peregrinationem instituere cilicio indutus, & emergente impedimento peregrinari non potes, neque cilicium gestare teneris: quia gestatio cilicii tali voto est aliquid mere

acces-

accessorium, sive (quod in idem recidit) merus modus, qui non intenditur per se. Vice versa res se habet, si pars impossibilis, aut inhonesta sit mere accessoria respectu partis possibilis, & honestæ: tunc enim ad hanc præstandam obligaberis. Ratio est: partim quia ruente accessorio non ruit principale; partim quia in materia individua (de quali hic nobis sermo est) teneris ad partem possibilem, aut honestam, quamvis pars impossibilis, aut inhonesta non sit mere accessoria: ut dictum; ergo multo magis, quando eadem est mere accessoria. Unde si voveas jejunare in pane, & aqua, ac bibendo vinum, hanc partem reddis tibi impossibilem, teneris adhuc servare jejunium Ecclesiasticum: quia jejunium censeris vovere principaliter, illum vero modum in pane, & aqua accessorie solum. Excipe: nisi pars accessoria, seu modus addatur ad minuendam difficultatem partis principalis, sive substantiæ: hoc quippe casu si modus reddatur impossibilis, non teneris ad substantiam. Ratio est: quia tunc ille modus moraliter loquendo censetur obtinere locum substantiæ; veluti notant Sanct-Gallenses *loc. cit.* consequenter, eo reddito impossibili, habetur ipsa quoque substantia pro impossibili. Unde si voveas peregrinationem in equo peragendam, & equus tibi sit comparatu impossibilis, v. gr. ob inopiam, ad quam redigeris, non teneris peregrinari pedes: quia modum peregrinandi in equo addis ad minuendam difficultatem peregrinationis.

Quod si materia sit individua, cujus una pars ab altera separari non potest, vel saltem non solet, votum totum corruit, si una pars sit, vel reddatur impossibilis, aut inhonesta; ita ut ne quidem valeat quoad partem possibilem, & honestam. Ratio est: quia tunc tota materia voti censetur inepta; cum enim una pars ab altera non possit, vel non soleat separari, censetur illa, quæ secundum se est apta, & utilis, per alteram ineptam, & inutilem vitiari. Unde si voveas jejunare, & non potes abstinere a carnibus, non teneris esse contentus una refectione, esto possis: quia in forma jejunii apud fideles usitari prior pars non est separabilis a posteriore: licet posterior sit separabilis a priore: & consequenter qui vovet jejunare, & non potest esse contentus una refectione, non continuo possit etiam carnibus vesci. Similiter si voveas jejunare per integrum diem, & solum potes jejunare usque ad vesperam, haud tamen deinceps non teneris ad jejunium, ob eandem rationem. Sporer *loc. citat. num. 67. & seq.* La Croix *num.* 400. Babenstuber *num. 44. & seq.* aliique passim.

413. Quæres quinto, an valeat votum, quo quidem vovetur res bona, seu melior, sed ob finem malum?

Respondetur, votum non valere (1.) si ejusmodi finis se teneat ex parte rei promissæ, sicut contingit, dum vovens per ipsam rem promissam, ceu medium qua tale, & reduplicative sumptum, intendit pravum finem obtinere: valet autem (2.) si ille finis se teneat solum ex parte voventis, seu voti; sicut contingit, quando vovens non per rem promissam, ejusve executionem, sed præcise per actum vovendi intendit consequi malum finem. Ratio primæ partis est: quia in priore casu res, quæ promittitur, a pravo fine inficitur, redditurque mala, ac Deo ingrata. Unde invalide vovet, qui vovet, eleemosynam ad impetrandum per illam felicem successum furti, adulterii &c. Ratio secundæ partis est: quia in casu posteriore non ipsa res (quæ proinde Deo grata manet) sed solus promittentis actus, ad illum finem ordinatus, inficitur, meritique vacuus, & saltem venialiter malus efficitur. Quare valide vovet, qui coram adstantibus copiosam vovet eleemosynam, ut iis magnam de sua erga pauperes liberalitate existimationem ingerat. Tamburinus *lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 2. num.* 3. Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 2. n. 7.* & alii communiter.

414. Quæres denique sexto, quomodo peccet, qui vovet, seu attentat vovere rem moraliter malam, aut mere indifferentem?

Respondetur primo. Qui vovet rem malam sive secundum se, sive propter finem, qui per ipsam intenditur, peccat graviter contra virtutem Religionis. Si res, quæ vovetur, sit moraliter mala (sive ex se, sive ex suo fine) non reperio Authorem, qui responsioni contradicat; bene vero, si solum sit mala venialiter; nam hoc casu voventem non nisi venialiter peccare contendunt Layman, & plures alii; eo quod tunc irreverentia, quam vovens Deo infert, tantum sit levis ob levitatem materiæ, seu objecti, ex quo desumitur. Sed sentio cum Palao *disp. 1. punct. 8. §. 3. n. 9.* Lessio *de Justit. lib. 2. cap. 40. dub. 7. num.* 39. Augustino Michel *tom. 2. Part. 2. §. 5. punt. 2. sect. 3. num. 4.* & aliis, voventem etiam peccare contra Religionem mortaliter, quando res, quam vovet, est tantum venialiter mala. Ratio convincens est: quia ejusmodi votum, votive attentatio cedit in gravissimam Dei injuriam, cum contineat tacitam blasphemiam, quasi res mala (sive mortaliter, sive venialiter) Deo placere, & ab eodem tanquam grata acceptari posset: id quod summæ, & infinitæ ejus Sanctitati per se, & essentialiter, immediate, & directe repugnat. Unde hic locum non habet parvitas materiæ, neque voventem a mortali excusare valet, per ea, quæ diximus *part. 1. numer. 693.* Dispar tamen reperitur malitia in pravo desiderio voventis, adversa alteri virtuti, cui res mala, quæ vovetur, adeoque desideratur, repugnat. Nam desiderium illud graviter illicitum est, si res, quæ vovetur, mortaliter; leviter vero, si venialiter duntaxat mala existat.

Dices primo. Qui vovet rem bonam, sed ob malum finem, non peccat mortaliter, quando ejusmodi finis se tenet solum ex parte voventis, & voti; ergo neque quando se tenet ex parte rei, quæ vovetur.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia licet vovens etiam in casu antecedentis irreligiose se gerat, quatenus votum, quod ad Dei cultum ordinatur, detorquet ad ejus offensam; adeoque non solum peccet per desiderium illius pravi finis (graviter, si finis mortaliter, & leviter, si finis venialiter duntaxat malus sit) sed etiam contra virtutem Religionis; non tamen Deo immediate, & directe imputat aliquam imperfectionem, neque committit tacitam blasphemiam: cum enim totus defectus, quem modo præfato vovens committit, in modo vovendi consistat, seque teneat præcise ex parte voventis, ac voti, & non redundet in materiam voti, adeoque huic suam bonitatem objectivam relinquat, non imputatur exinde Deo (sicut imputatur in casu consequentis) quasi approbet, & acceptet rem illicitam, & malam: consequenter irreverentia, quæ tunc Deo irrogatur, est tantummodo levis, saltem quando finis ille non est, nisi venialiter malus.

Dixi: *transmisso antecedente*. Sunt enim, qui contendunt, voventem in casu quoque antecedentis mortaliter peccare contra Religionis virtutem, si finis mortaliter malus sit. Et in horum sententiam videtur concedere P. La Croix *loc. & n. cit.* vel saltem *num.* 422. Quibus tamen non adstipulor; sed ajo, peccatum voventis etiam tunc esse veniale solum, relate ad virtutem Religionis læsam; esto sit mortale contra aliam virtutem, contra quam militat pravus ille finis desideratus, ut insinuatum in responsione ad argumentum. Ratio est: quia neque tunc defectus, quem vovens committit, redundat in materiam promissam; quæ proin objective bona, Deoque grata manet, & ab eodem acceptatur, non quidem ad meritum, & præmium, sed ad debitum, & obligationem voventis: consequenter defectus ille non importat gravem irreverentiam erga Deum, sed levem duntaxat, sitam præcise in modo vovendi.

Dices secundo. Qui vovet rem malam (sive secundum se, sive ex suo fine) ficte, seu sine animo promittendi, non delinquit mortaliter contra virtutem Religionis; ergo neque, qui illam vovet cum animo promittendi. Ant. prob. ex *n.* 410. ubi ipsimet admisimus, quod vovens ficte non committat erga Deum irreverentiam gravem.

Respondetur, neg. ant. Et ad probat. ajo, non esse paritatem inter id, quod *num. præcit.* diximus, & id, quod hic assumitur, ac infertur. Nam ibi fuimus locuti de ficte promittente rem, seu materiam aptam voti, ut proinde irreverentia illa consistat præcise in modo vovendi. At vero impræsentiarum assumitur, quod vovens ficte promittat rem, seu materiam positive ineptam, quippe illicitam; adeoque hic irreverentia non tam ex modo vovendi, quam ex re vota (quamvis invalide) metiri debet. Unde non mirum, quod una irreverentia censeatur levis, & altera gravis.

Respondetur nunc secundo. Qui vovet rem indifferentem,

ventem, ordinarie non peccat nisi venialiter. La Croix *loc. cit. n.* 425. Ratio est; quia similis res non est Deo positive ingrata, nec vovens ordinarie illam a Deo positive approbari censet, aut desiderat, sed solum committit aliquam imprudentiam circa electionem materiæ, quam promittit: consequenter non irrogat Deo gravem irreverentiam.

Dixi *ordinarie*. Nam si vovens (prout tamen ordinarie non fit) existimaret, & vovendo æquivalenter diceret. Deum delectari rebus vanis, & inutilibus, graviter peccaret: quia tali casu gravem Deo injuriam faceret, imo tacitam blasphemiam committeret: cum infinitæ Dei Sapientiæ, & Sanctitati similis delectatio omnino repugnet, & quidem directe. Beja apud La Croix *cit.*

Porro executio votorum (de quibus hoc *n.*) eandem continet malitiam, quam emissio: qoia executio, dum fit ex obligatione voti, est hujus approbatio.

415. Dico secundo. Votum dividitur in *internum*, & *externum*: in *perpetuum*, & *temporale*: in *solemne*, & *simplex*: in *absolutum*, & *conditionatum*: in *reale*, *personale*, ac *mixtum*: in *reservatum*, & *non reservatum*.

Explicatur singula membra dividentia. Votum internum est, quod sola mente concipitur: externum, quod verbis exprimitur. Perpetuum est, quod a vovente ad nullum tempus restringitur: temporale, quod destringitur ad certum tempus, v. gr. ad diem, mensem, annum &c.

Votum solemne dicitur, quod ab Ecclesia loco Dei specialiter acceptatur, ita ut ex dispositione Juris voventem reddat incapacem ad actus voto repugnantes: qualia duntaxat sunt vota Professionis Religiosæ, & votum Castitatis, susceptioni Ordinis sacri annexum (supposito, quod tale annexum sit, & Clerici, in majoribus Ordinibus constituti, non teneantur ad Castitatem ex præcepto Ecclesiæ tantum: de quo alibi.) His nanque votis obstricti non possunt validum inire matrimonium; & Religionem professi præterea sunt incapaces dominii in res fortunæ. Simplex, seu *privatum* dicitur, quod non ita acceptatur ab Ecclesia, & actus voto repugnantes non reddit invalidos, sed tantum illicitos: qualia sunt omnia vota reliqua, Excipe vota simplicia Societatis Jesu, quæ aliquid singulare habent præ aliis votis simplicibus: efficiunt enim veros Religiosos (ut constat ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit; *Ascendente*) eosque reddunt inhabiles ad matrimonium contrahendum,

Votum absolutum, sive *purum* est, quod emittitur sine additione conditionis arbitrariæ, extrinsecæ, & de futuro contingente: ut *voveo jejunium*: conditionatum, quod emittitur cum additione similis conditionis: & si hæc sit favorabilis, vel saltem non pœnalis, aut onerosa; ut *voveo peregrinationem, si Deus me eripuerit e periculo naufragii; voveo Religionem intrare, si parentes consenserint &c.* vocatur votum conditionatum *non pœnale*; conditionatum *pœnale* vero, quando illa est pœnalis, vel onerosa; ut si adolescens dicat, *voveo me flagellare, si denuo fornicatus fuere*; vel puella nupturiens ex nimio affectu erga secuturas nuptias, *voveo Religionem ingredi, si concupitas nuptias non fuero consecuta*. Votum conditionatum non pœnale appellari amat votum simpliciter, id est, sine addito, conditionatum; & conditionatum pœnale, simpliciter pœnale.

Ex descriptione horum duorum membrorum dividentium fluit 1. quod conditio, in voto ex natura rei, vel dispositione Juris imbibita, non efficiat illud conditionatum quoad rem promissam, in quam tendit, & obligationem, quam parit: unde quando voves eleemosynam largiri, *si Deo placuerit*, votum absolutum facis, & actualem obligationem contrahis. Solet nihilominus ejusmodi votum nuncupari conditionatum propter modum enunciandi, ac tendendi in rem promissam: prout non semel audies per decursum. Fluit 2. quod neque conditio de presenti, aut præterito, votum vere conditionatum efficiat, ut quando voves Religionis ingressum, si tuus frater natu major jam susceperit ex sua uxore prolem masculam. Ratio est: quia ejusmodi conditio non suspendit consensum voventis; sed sicut de præsenti aut existit, ac præteriit, aut non existit, ac non præteriit conditio; ita & votum de præsenti est absolutum, aut omnino nullum. Idem est judicium de voto emisso sub conditione necessaria, v. g. *si cras dies erit*: hæc enim, cum sit necessario eventura, habetur pro impleta.

Votum reale est, quando tantum promittitur res aliqua, v. g. pecunia, vel alia pretio æstimabilis: personale, quando tantum promittitur aliqua actio, vel omissio actionis, v. g. preces, jejunium, continentia &c. mixtum, quando promittitur simul res, & actio; sive dein utraque promittatur æque principaliter, ut peregrinatio, & donatium; sive una principaliter, & altera accessorie, ut peregrinatio, & altera accessorie, ut peregrinatio, & viaticum ad eam necessarium.

Votum reservatum est, quod a nemine, nisi a S. Pontifice dispensari, vel commutari potest: qualia sunt vota solemnia, quorum supra meminimus; & ex simplicibus quinque, videlicet servandi Castitatem, ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam, peregrinandi Jerosolymam ad S. Sepulchrum Salvatoris nostri, Romam ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, ac Compostellam ad S. Jacobum, Non reservatum est, quod etiam ab aliis, Pontifice inferioribus, dispensari, vel commutari potest: cujusmodi sunt omnia alia vota, præter immediate recensita.

416. Quæres qoid requiratur, ut præfata quinque vota simplicia censeantur reservata?

Respondetur debere esse undequaque perfecta. Ratio est: quia eorum reservatio est restrictiva potestatis Episcoporum, adeoque odiosa; consequenter stricte interpretanda. Unde non sunt reservata, si fiant ex metu, etiam levi, injuste incusso; si cum intentione se obligandi sub peccato veniali tantum; si sint conditionata, seu edita sub conditione sive favorabili, aut non onerosa, sive pœnali, aut onerosa (saltem priusquam transeant in absoluta; quod addo propter dicenda inferius *num.* 515.) si sint alternativa, seu disjunctiva; ut: *promitto vel eleemosynam, vel ingressum Religionis*. Porro votum Castitatis in specie non censetur reservatum, quando non est perpetuum, sed temporale; quando se tantum porrigit ad non fornicandum, ad non ineundum matrimonium, vel hoc inito, ad non petendum debitum, ad caste vivendum in conjugio, seu servandam castitatem conjugalem &c, Denique sola substantia illorum votorum est servata, non vero qualitates, & circumstantiæ: unde siquis promittat peregrinari Romam pedester, vel ingredi Religionem strictiorem, votum non est reservatum: adeoque dispensare Episcopus potest, ut peregrinationem in curru, vel equo peragat, Religionem mitiorem intret &c. P. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret, tit.* 34. *a num.* 28. cum aliis a se relatis.

ARTICULUS II,

De Obligatione Voti.

POsito voto cum conditionibus ex parte voventis, & materiæ, articulo præcedenti expositis, naturaliter resultat obligatio; de qua proinde in præsenti articulo agendum est,

§. I.

Quanta sit obligatio Voti, & quo tempore implenda?

SUMMARIUM.

417. *Obligatio voti in materia gravi regulariter est gravis, & in levi levis.* 418. *Quenam materia respectu voti censeatur gravis?* 419. *Quando vovens executioni voti præfixit certum tempus, tenetur illud eo tempore exequi; quando autem nullum tempus præfixit, tenetur exequi, cum commode potest.* 420. & 421. *An, si illud tempore præfixo non impleverit, teneatur implere postea, vel ante?* 422. *Quomodo illud differendo peccet?*

417. DIco primo. Obligatio voti in materia gravi regulariter est gravis, & sub mortali; in levi vero levis, & sub veniali tantum.

Probatur. Quia votum, ceu lex privata, obligat ad modum aliarum legum: atqui aliæ leges in materia gravi regulariter obligant graviter, & in levi leviter; prout ostensum est *par.* 1. *n.* 374. ergo & votum. Quod

autem

autem in voto detur parvitas materiæ, relinquitur ex dictis *par.* 1. *n.* 693.

Dixi: *regulariter*, ut inouerem, quod obligatio voti ex iotentione voventis possit esse levis in materia gravi (excipe vota solemnia, quæ non sunt capacia obligationis levis; eo quod sub ista non acceprentur ab Ecclesia, juxta communem DD.) esto non possit esse gravis in materia omnimode levi: id quod utrunque colligitur, imo fluit ex dictis *par.* 1. *n.* 376. *& seq.* ubi etiam unum, alterumve argumentum, quod hic opponi posset, resolutum est. Sed

418. Quæres, quænam materia respectu voti censeatur esse gravis?

Respondetur. Illa censetur communiter esse gravis, quæ, spectatis omoibus circumstantiis, sufficit, aut sufficere potest ad terminandam gravem obligationem alicujos præcepti, vel legis communis. Ratio est: quia votum, utpote lex privata, quam vovens sibimetipsi imponit, obligare solet ad modum præcepti, seu legis communis. Unde votum de anoua Confessione, aut Communione; de audiendo Sacro, de servando jejunio unius diei &c. censetur cadere super materiam gravem, & obligare sub mortali (nisi oppositum constet de intentione voventis) quia leges Ecclesiasticæ de Confessione, & Communione annua: de audiendo Sacro in die festo; de servando jejunio in die, v. g. alicujus Vigiliæ, obligant sub mortali. E diverso votum recitandi singulis diebus quinquies *Pater, & Ave*, vel Litanias B. Virginis; dandi duos, vel tres crucigeros pauperibus &c. censetur cadere super materiam levem, & obligare sub veniali tantum: quia etiam respectu præceptorum, & legum communium, similes materiæ censentur esse leves; & ejusmodi votorum executio non multum confert, oec omissio multum derogat honori Divino. Sporer *loc. cit. n.* 86. La Croix *n.* 428. Pfeiffer *fol.* 278.

Dici: censetur *communiter esse &c.* Nam assignata Regula, si statuatur tanquam omnino universalis, videtur æquo rigidior, & sustineri non posse. Ratio est: quia in promissionibus liberalibus, cujusmodi est votum, quantitas paulo major pro mortali adstruenda est, quam in præceptis, ut cum Sanchezio, & Filliucio recte notat Augustinus Michel *loc. cit. pun.* 5. *n.* 39. Unde non damnarem peccato mortalis propter violationem voti illum, qui alicui determinato pauperi largiri vovisset decem crucigeros, & promissum non servaret, esto delinqueret mortaliter contra præceptum non furandi, si eidem, aliive consimili pauperi totidem crucigeros suffuraretur: uti nec illum, qui vovisset recitare Breviarium, & omitteret unam Horam minorem, licet talis quoque delinqueret mortaliter contra præceptum Ecclesiæ. Michel *loc. cit. n.* 38. *& seq.*

419. Dico secundo. Quando vovens executioni voti (1.) præfixit certum tempus, tenetur illud eo tempore exequi: quando autem (2.) nullum tempus præfixit, tenetur exequi (si votum sit editum obsolute, vel impleta conditione, traosierit in absolotum) cum primum commode potest. Communis DD.

Probatur prima pars. Quia sicut obligatio voti regulatur juxta intentionem voventis (supposito, quod ex parte materiæ, vel aliunde nihil deficiat, aut obstet) ita & executio ejusdem; ergo cum vovens intenderit votum exequi certo, & determinato tempore, exequi tenebitur.

Probatur secunda pars. Tum ex *cap.* 23. *Deuter.* ibi: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Tum ex ratione: siquidem id commune est omni absolutæ, & non limitatæ promissioni, ut statim obligationem pariat, statimque impleri debeat, si is, cui facta est ejusmodi indilatam impletionem postulet: atqui Deus, cui facta est voti promissio, postulat indilatam ejus impletionem; veluti patet ex verbis *Deuter.* proxime adductis; ergo &c.

Interim ly *cum primum*, sive *statim*, intelligi debet moraliter pro primo tempore, quo vovens, judicio prudentum, & bonorum Virorum, citra ootabile incommodum exequi potest, quod promisit: non enim censendus est se obligasse ad executionem voti tempore notabiliter incommodo præstandam, aut dum suppetit rationabilis causa eam differendi. Unde si fecisti votum peregrinandi, v. g. ad aliquam ædem sacram, peregrinationem licite aliquanto tempore differs, donec, v. g. incidat Festum, aut instituatur illuc Processio. Similiter si vovisti eleemosynam, ejus largitionem differre potes, donec ingruat major necessitas, jam imminens, & prævisa, v. g. donec annona carior fiat. Ratio est: quia talis dilatio vel cedit ad majorem Dei gloriam, & honorem (cum votum postea devotius, aut utilius impleatur) vel certe pertinet ad potestatem implendi votum; prout fluit ex dictis. Sanct Gallenses *tom.* 7. *tr.* 1. *sect.* 3. *q.* 6. *dub.* 3. Sporer *loc. cit. n.* 111. *& seqq.* Babenstuber *n.* 60. aliique communiter.

420. Quæres primo, an, qui votum tempore a se designato non implevit (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) teneatur implere postea?

Respondetur primo. Si tempus pro executione voti designatum sit per se, seu ratione sui (id est, si sit pars principalis voti, sicut res, vel actio promissa) v. g. ob specialem devotionem, quam vovens gerit erga tale tempus, & connexionem, quam ipsum opus promissum cum eodem habet, censetur designatum ad finiendam obligationem, ita ut hæc, si eo tempore impleta non fuerit, exspiret, & stringere cesset. Sanct-Gallenses *loc. cit.* Sporer *n.* 101. & alii ab ipsis relati. Ratio est: quia tunc votum per modum unius indivisim complectitur & materiam promissam, & circumstantiam temporis, adeo ut ambæ, tanquam objecta partialia principalia, & moraliter loquendo, in recto importata, accedente voventis intentione coalescant in unum objectum totale copulatim præstandum; ergo cum votum, illo tempore elapso, prædicta ratione præstari amplius oon possit, cessat obligare; quia ad impossibile nulla datur obligatio. Unde siquis voverit jejunare die Veneris in memoriam Dominicæ Passionis, vel recitare Litanias Lauretanas die Sabbati in honorem B. Virginis, tempus, sive dies censetur designata ad finiendam obligationem ob specialem devotionem, & connexionem, quam res promissa tum ex se, tum ex intentione voventis cum tali tempore, seu die habet, votumque, si tunc, sive culpabiliter, sive ioculpabiliter, omissum sit, impleri postea nec debet, nec potest amplius.

Respondetur secundo. Si tempus designatum sit non per se, seu ratione sui, sed tantum ratione voti adimplendi (adeoque non tanquam pars priocipalis, sed accessoria voti) censetur solummodo designatum ad non differendam obligationem; quæ proinde, si eo tempore implecta non fuerit, adhuc perseverat, & impleri postea debet. Authores *citt.* Ratio est opposita: siquidem hoc tali casu votum non complectitur per modum unius objecti, & indivisim materiam promissam, & circumstantiam temporis copulatim præstandas, ut in casu præcedente; sed per modum duorum, & virtualiter importat, seu æqualet binis votis, quorum unum est de exequendo opere, & alterum de eodem exequendo intra tale tempus; ergo licet non amplius debeat, nec possit præstari, ut se porrigit ad circumstantiam temporis, potest tamen, & debet etiamnum præstari, quatenus se extendit ad substantiam rei promissæ. Unde si vovisti intrare Religionem anno currente, & non intrasti sive culpabiliter, sive inculpabiliter, teneris adhuc intrare &c. Confirmatur a pari. Si debeas Sempronio solvere intra annum viginti aureos, & solvere intermittas, non evadis exinde liber a debito solvendi, utpote quod perseverat integrum quoad substantiam, eique (ut supponitur) adhuc satisfacere potes: habes enim duplex debitum, unum solvendi viginti aureos, alterum eos solvendi intra hunc annum; & licet hoc ultimum jam impleri non possit, debet tamen adhuc impleri primum; ergo idem dicendum in nostro casu de debito, seu obligatione voti.

Ceterum quando vovens post editum votum dubitat, an tempus determinaverit per se, & ratione sui, vel tantum ratione voti adimplendi, recurendum est ad materiam promissam, & videndum, an ea habeat specialem aliqnam connexionem cum illo tempore? Si deprehendatur habere; tempus judicabitur determinatum per se & ratione sui: secus, ratione voti adimplendi tantum. P. Sporer *loc. citat. numer.* 109. cum communi.

421. Quæres secundo, an vovens, si prævideat, fore, ut tempore voti executioni præfixo, impedimen-

cum

tum occurrat, teneatur, vel saltem possit prævenire, votumque ante illud tempus implere.

Respondetur primo. Si tempus præfixum sit per se, & ratione sui, in sensu supra exposito (1.) non tenetur, nec (2.) potest prævenire, & votum implere ante adventum ejusmodi temporis. Ita DD. communiter. Ratio primi membri est: quia vovens promisit votum implere illo tempore; ergo non tenetur implere antea. Ratio secundi membri est: quia tale votum complectitur indivisim & materiam promissam, & circumstantiam temporis, copulatim præstandas; ergo cum hoc modo præstari non possint ante adventum temporis præfixi, nec votum, præfata ratione impleri antea poterit. Confirmatur utrunque membrum: quia votum obligat, & implebile est ad instar præcepti Ecclesiastici, v. g. atqui non tenetur, nec possumus implere præceptum Ecclesiasticum (secluso privilegio: quod addo propter recitationem Matutini, & Laudum, ex concessione S. Pontificis pro sequenti de anticipari pridie solitam) effixum diei, seu tempori, per se, & ratione sui determinato, ante talem diem, vel tempus etsi impeditum (quis enim dicet, me teneri, vel posse implere die Sabbati præceptum de audiendo die Dominica, forte impedita, Sacro?) ergo nec votum &c. Unde qui vovit jejunare proximo die Sabbati in specialem venerationem B. Virginis, & prævidet occursurum tali die jejunandi impedimentum, non tenetur, nec potest suum votum implere aliquo die præcedenti, v. gr. die Veneris, Jovis &c.

Respondetur secundo. Si tempus præfixum sit tantum ratione voti adimplendi, & accessorie, vovens (1.) potest quidem; non tamen (2.) tenetur prævenire, & votum implere ante adventum ejusmodi temporis. Prima pars est communis. Alteram tenent Busembaum *lib. 3. part. 1. n.* 427. ejusdemque Ampliator La Croix *loc. cit. num.* 444. contra Sanct-Gallenses, Sporer Babenstuber &c. Ratio utriusque partis sumitur a paritate, quam votum hic habet cum promissionibus humanis, pro quibus constitutum est, ut adjecto tempore determinato statim quidem *cedat dies*, id est, nascatur obligatio, non tamen *veniat dies*, seu non detur exactio executionis, nisi primum adveniente tempore præstituto: erga idem dicendum in promissionibus Deo factis, qualis est votum; ergo vovens potest quidem prævenire, & ante tempus accessorie præstitutum implere obligationem voti, quippe jam in actu primo proximo existentem, & impletu possibilem secundum id, quod solum principaliter promissum est (ut in hoc casu posteriore evenit) non tamen tenetur, hoc ipso, quod nondum detur exactio executionis &c.

Dices primo contra primam partem respons. Si tempus per se & ratione sui voto præfixum sit, vovens non potest prævenire, & obligationem voti implere ante illud tempus, quamvis jam existat ea obligatio; prout relinquitur ex dictis in *respons. præced.* ergo idem tenendum, quando tempus voto præfixum est accessorie tantum &c.

Respondetur neg. cons. & parit. Nam casum antecedentis quod attinet, obligatio illa solumodo existit in actu primo remoto; cum nondum actualiter detur objectum, supra quod cadat, nempe res promissa, & circumstantia temporis, una, & indivisibiliter præstandæ. E diverso quod attinet casum consequentis, obligatio voti jam existit in actu primo proximo (quamvis needum urgeat illius executio) quia objectum, quod respicit, jam existit actu secundum id, quod est principale, & præstabile divisibiliter sine accessorio.

Dices secundo contra secundam partem. Tempus ideo tunc præfigitur, ut sit terminus, ultra quem non differatur voti executio; ergo si eo tempore votum impleri non possit, debet antea impleri, ne contra promissionem dilatio fiat ultra tempus præfixum. Ita Sanct-Gallenses.

Confirmatur ex P. Sporer. Qui vovet communicare, v. g. proximo die festo, solum ad non differendam ulterius obligationem, censetur etiam implicite velle anticipare communionem, si hæc die præstituto peragi non valeat; ergo tenetur anticipare.

Respondetur ad argument. explicando, & dist. ant. Tempus præfigitur, ut sit terminus, ultra quem non differatur voti executio, quando hæc eo tempore fieri potest, con. quando fieri non potest; qui evenit in casu, & occursu impedimenti, neg. ant. & cons. una cum ejusdem causali, quippe innixa falso supposito: siquidem dilatio voti tunc non esse contra promissionem (ut objicientes perperam supponunt) cum per istam tantum promittatur executio voti pro illo tempore, si factu sit possibilis, non autem si sit impossibilis &c.

Ad confirmat. nego ant. utpote sine fundamento, & ratione assumptum: imo vovens apponit in vovendo tempus pro initio executionis, & sufficienter indigitat, quod ante illud nolit obligari ad exequendum votum: quomodo igitur censeri potest velle, & promittere anticipationem voti ante idem tempus, etsi impeditum? Accedit, quod versemur in materia odiosa, & libertati voventis præjudicante, cujusmodi est obligatio voti; quæ proin non ample, sed stricte in favorem voventis interpretanda venit, cum dubitatur de ejus intentione: atqui impræsentiarum dubitatur (imo mere divinatur) de intentione voventis, quasi implicite intendat, & vellit anticipare executionem voti, caso quo emergat impedimentum &c.

422. Quæres tertio, quandonam ob dilationem voti, sine rationabili causa factam, mortaliter quis peccasse censendus sit, si nullum illius executioni tempus præfixerit?

Respondetur, inspiciendum esse, an vovens se obligaverit ad præstandum DEO obsequium perpetuum, vel temporale? Si primum; mortaliter peccasse censendus est executionem voti differendo per notabile tempus: secus; si secundum. Ratio est: quia in priore casu subtraxit Deo notabilem partem obsequii debiti; ut patet: non item in posteriore, utpote in quo votum adhuc integre impleri potest, & ex mora temporis, in qua erat vovens debitor, nullum Deo debitori damnum accrevit; sicut accrescere solet debitori humano: consequenter non apparet, ex quo capite vovens illico mortalis peccati (de veniali non est, qui ambigat) reus sit judicandus propter dilationem voti per notabile tempus: dummodo se non exposuerit periculo illud penitus omittendi. Excipiendum tamen est votum principaliter editum in- & propter favorem tertii, atque ab hoc acceptatum: prout fluit ex ratione probativa responsionis. Ut autem discerni valeat, quænam dilatio respectu voti, perpetuum Dei obsequium continentis, sit notabilis, & quænam non? considerari præcipue debet ætas, in qua vovens, dum vovit, erat. Unde si vovisti Religionem intrare, v. g. anno tuæ ætatis decimo quinto, vel decimo sexto, & distulisti per tres, vel quatuor annos, dilatio non est censenda notabilis: quia tres, vel quatuor anni, quos per illam dilationem servitio Divino subtraxisti, censentur materia parva respectu totius vitæ ab adolescentia ad senectutem usque computatæ. Contra, si vovisti ingredi Religionem anno vigesimo quinto, aut trigesimo, & ingressum distulisti per prædictum tempus (imo per minus, prudentis judicio taxandum) dilatio censenda est notabilis, ideoque lethaliter culpabilis: quia tres, vel quatuor anni non possunt dici materia parva respectu vitæ ab ætate tam perfecta, vel etiam virili usque ad senectutem computatæ. Tamburinus *libr. 3. in Decal. cap. 13. §. 3. a num.* 10. Sporer *loc. cit. a n.* 116. Babenstuber *n.* 62.

§. II.

Expediuntur diversæ aliæ Quæstiones.

S U M M A R I U M.

423. *Qui votum jam editum repetit, nova obligatione se non obstringit.* 424. *Non peccat contra votum per se loquendo, quem voti pœnitet.* 425. *Votum, ut est actus Religionis, non obligat alios a vovente.* 426. *Qualiter peccet vovens, si votum de pluribus materiis parvis violet?* 427. *Qualiter votum sit interpretandum?* 428. *Omnia peccata, votis opposita, sunt ejusdem speciei, si considerentur, in quantum sunt præcise violationes votorum, & pugnant contra secundum Decalogi Præceptum.* 429. *Quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat, se violasse votum?* 430. *&* 431. *Qualiter obliget votum conditionatum, & qualiter pœnale?*

423. Quæ-

423. Quæres primo, an, qui votum jam editum, & omnino firmum, repetit, seu renovat, nova se obligatione obstringat?

Respondetur negative; sed solummodo priorem obligationem confirmat. Ita Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 17. num. 25.* & alii communiter. Ratio est: quia res jam obligata non est capax novæ obligationis, quæ sit ejusdem rationis cum priori; vel certe vovens non præsumitur per voti renovationem velle sibi imponere novam, & distinctam obligatiunem, sed solummodo veterem ratificare, & confirmare. Favet *L. 18. ff. de Verb. Oblig.* ibi: *Qui bis idem promittit, amplius, quam semel non tenetur.* Unde annua votorum renovatio, in quibusdam Religionibus consueta, non multiplicat obligationes (consequenter nec peccata contra illas perpetrata) sed tantum aliquo modo aggravat.

424. Quæres secundo, an pœnitere voti emissi sit peccatum contra votum?

Respondetur negative, dummodo talis pœnitudo non sit conjuncta cum animo, vel periculo votum trasgrediendi. Ita post Suarezium, Vasquezium, Azorium, & alios Filliucius *tract. 26. n. 214.* Ratio est: quia votum solummodo est promissio præstandi id, quod promittitur, non autem gaudendi semper, vel nunquam dolendi de obligatione contracta; ergo ejusmodi dolor, vel pœnitudo non est peccatum contra votum (multo minus alterius rationis) quamvis arguat diminutionem fervoris, & imperfectionem virtutis. Quod autem ea pœnitendo sit peccaminosa contra votum, si habeat conjunctum animum, vel periculum illud trasgrediendi, per se patens est.

425. Quæres tertio, an votum obliget etiam alios a vovente?

Respondetur. Votum, in quantum est actus Religionis, obligat solum voventem. Ita DD. reipsa communiter, esto pauci responsionem in istis terminis reddant. Ratio est: quia obligatio voti, quatenus spectat ad virtutem Religionis, nascitur ex voluntate voventis propria, non aliena; ergo voventem stringit, non alium. Quo fit 1. ut, si Communitas aliqua votum ediderit, posteri hoc voto non obligentur, nisi forte ratione pacti, statuti, vel longæ consuetudinis, quæ vim legis obtineat. Fit 2. ut actio ab altero præstanda voveri non possit, nisi hoc sensu, quod vovens curare velit, ut alterum ad illam præstandam inducat: & ideo filius non tenetur ingredi Religionem, cui ex parentum voto oblatus est, nisi, annos discretionis assecutus, consentiat, votumque ratificet. Fit 3. ut votum ab ipso vovente impleri debeat, si personale sit; si reale, ex rebus propriis, non alienis, licet sufficiat eleemosynam, v. g. voto promissam elargiri ministerio alterius, nisi vovens expresse promisisset eam elargiri personaliter, & absque alieni ministerii interventu. Nec obstat, quod Petrus, v. g. votum elargiendi eleemosynam, a se nuncupatum, censeatur implesse, si Paulus ex suo marsupio eleemosynam erogaverit nomine Petri id scientis, & consentientis; uti satis probabiliter docent Sanchez, & alii. Hoc, inquam, non obstat: quia Paulus en casu censetur rem, quam nomine Petri in eleemosynam dedit, Petro donasse, in ejusque transtulisse dominium pro priori ad dationem eleemosynæ: consequenter etiam tunc facta est largitio eleemosynæ ex re propria Petri qui eam vovit. Fit demum 4. ut vovens, si ad implendum suum votum factus sit impotens (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) non teneatur rogare, vel substituere alium, qui impleat: quia actus se non extendit ultra intentionem agentis; agentis autem, seu voventis intentio fuit, se facturum, quod promisit, nisi forte aliter se obligare expresse intenderit. Ad quid teneatur vovens, si votum implere possit quoad unam partem, sed non quoad alteram, relinquitur ex dictis *n. 412.*

Dixi in respons. *Votum, in quantum est actus Religionis.* Nam aliunde ad illius impletionem obligari respective & alii possunt; ut patet in hæredibus. Hi nanque, non quidem ex virtute Religionis (sic enim voti obligatio solum voventem stringit, ut diximus) sed ex virtute Justitiæ, tenentur implere votum reale defuncti, cujus hæreditatem capessunt, ante mortem non persolutum. Ratio est, quia hæredes adeundo hæreditatem tacite se obligant ad cuncta debita, & onera realia defuncti: consequenter ex contractu tacite inito, adeoque ex Justitia (non item ex Religione) illa præstare tenetur, juxta vires hæreditatis aditæ, non ultra; siquidem hæc obligatio nascitur ratione hæreditatis acceptæ, quam proinde excedere non potest. Unde si vota realia supergrediantur vires hæreditatis, eorum solutio ab hærede præstanda erit solum pro rata: imo & sine diminutione *legitimæ* necessariis hæredibus debitæ; quia hæc legitima gravari a testatore non potest ex debito voluntario, quale est votum, aliudve legatum pium. Item tenentur hæredes implere votum defuncti mistum quoad partem realem, si hæc a personali separari, & independenter ab ea præstari possit, ac soleat. Quapropter si defunctus vovit peregrinationem Lauretanam, v. gr. & ibi offerre calicem, hæredes tenentur procurare, & mittere illuc calicem, esto non obligentur ad peregrinationem, seu actionem mere personalem, obeundam, cujus debitum cum persona defuncti expiravit; imo nec ad sumptus itineris, quos defunctus fecisset, illuc mittendos, aut in alium pium usum conferendos, utpote qui voto qua personali sunt tantum accessorii, eoque extincto non amplius debentur. Ex quo ipso etiam liquet, hæredes non teneri ad vota mere personalia defuncti; uti sunt vota orandi, jejunandi &c. quia jura, & obligationes, quæ personæ defuncti in individuo cohærebant, non transeunt ad hæredes, nisi hi ultro se impleturos promiserint, vel sub conditione, aut onere illas implendi fuerint hæredes instituti, *cap. 6. de Voto &c.* P. Riessenstuel *lib. 3. Decretal. c. 34. a n. 2.* & alii communiter.

426. Quæres quarto, qualiter peccet vovens, si votum de pluribus materiis parvis violatum eat?

Respondetur primo. Si plurium violationum, seu transgressionum materiæ parvæ neque secundum seipsas, neque secundum effectum ab ipsis productum moraliter coalescant, sed divisæ maneant omnes, & singulæ transgressiones solummodo veniales sunt. Communis. Ratio est: quia quantitas transgressionis desumitur a materia promissa, & non præstita. Unde siquis vovisset quotidie a meliori bolo in prandio abstinere, non peccaret mortaliter, tametsi executionem voti per integrum annum negligeret, penitusque omitteret.

Respondetur secundo. E diverso si plurium transgressionum parvæ materiæ inter se moraliter uniantur, sive secundum seipsas, sive secundum effectum ab ipsis productum, vovens illas (supposito, quod materiam gravem constent) omittendo, mortaliter peccat. Ratio patens est: quia transgressio voti in materia gravi est culpa lethalis. Unde si Clericus eodem die multas Psalmorum partes parvas omittat contra votum de singulis partibus specialiter factum, graviter delinquit: quia multæ partes parvæ in partem magnam ad mortale sufficientem coalescunt. Idem ob eandem rationem sentiendum est de eo, qui votum de non auferendo modico nummno emisit, si adeo sæpe modicum nummum auferat, ut proximum quantitate ad mortale requisita damnificet.

Sed quandonam materiæ parvæ moraliter uniuntur? Ajo, id fieri dupliciter, seu in duplici præcipue casu. 1. Quando obligationes circa illas persolvendæ respiciunt, & exposcunt ad sui executionem unum actum moralem, ut partes Breviarii, eleemosynæ, vel orationes uno voto comprehensæ. 2. Quando obligationes parvæ non sunt alligatæ certis diebus, quibuscum expirent. Ita cum aliis a se relatis Augustinus Michel *de Voto §. 5. sect. 3. pun. 5. n. 40.* Quod etiam pluribus exemplis dilucidat. Nobis sufficiant jam adducta.

427. Qures quinto, qualiter votum sit interpretandum?

Respondetur primo. Votum vel maxime interpretandum est secundum expressam, vel implicitam intentionem voventis. Ratio est: quia voti obligatio est voluntaria; ergo in tantum quis obligatur voto, in quantum voluit, & intendit se obligare, non plus. Unde qui vovit singulis diebus audire Missam, die Dominico, vel festivo non tenetur audire duas, quarum una satisfaciat voto, vel altera præcepto Ecclesiæ; sed satis est, si audiat unam: quia intentio voventis solum fuisse censetur nullum transigere diem, quo non audiat Missam. P. Alanus Pfeiffer *in tract. de Virtut. Relig. fol. 280. & seq.* aliique communiter.

Respondetur secundo. Si de intentione voventis dubitetur, sive non satis constet, vovens præsumendus

est vo-

est vovisse secundum communem, & usitatam acceptionem verborum; queis usus est, velleque rem promissam exequi, prout ejus natura, & communis hominum, aut Ecclesiæ consuetudo exigit. Ratio est: quia vovens, quando non constat de opposito, censetur se voluisse obligare secundum communem usum; ergo sic, & non aliter obligatur. Unde qui vovit Rosarium, & dubitat, an intellexerit integrum Psalterium, vel solum tertiam ejus partem, puta Rosarium quinque decadum, potest eligere tertiam partem: quia & hæc pars communiter nomine Rosarii venit. Satisfacit etiam vovens tali obligationi, si Rosarium cum socio recitet: quia hic quoque modus recitandi inter fideles est usitatus, quidquid sine fundamento contra sentiat Augustinus Michel. Porro qui vovit jejunare per mensem, aut in pervigilio alicujus Sancti, non tenetur jejunare diebus Dominicis, & incidente pervigilio in Dominicam, potest jejunium anticipare die Sabbati immediate præcedenti: quia Ecclesia instituit, ut dies Dominici semper excipiantur a jejunio, & obligatio jejunandi in privilegio, incidente in Dominicam, transferatur in diem Sabbati antecedentem. Ita cum Laymanno, Sporero, & aliis denuo P. Pfeiffer *loc. cit. fol.* 281.

Sed nunquid qui vovit jejunare in pervigilio alicujus Sancti, & hoc incidit in Dominicam, etiam tenetur prævenire, & jejunare die Sabbati? Ajo, quod teneatur, adeo, ut non satisfaciat voto, si jejunet die Dominica. Ita insinuat Augustinus Michel *loc. cit. pun.* 5. *n.* 16. Ratio est: quia Ecclesia imperat fidelibus anticipationem jejunii, ita ut ii peccarent, si non jejunarent die Sabbati, sed in Dominica; ergo etiam vovens (quando non constat de opposita intentione) censendus est se obstrinxisse ad jejunium tunc anticipandum in die Sabbati; cum votum (ut sæpe notavimus) obliget ad instar legis communis. Aliter sentiendum in altero casu, quo quis vovit jejunare singulis diebus per mensem: talis enim utique potest, quamvis non teneatur, diebus etiam Dominicis jejunare; cum Ecclesia non præcipiat, sed solum indulgeat, & permittat, ut dies Dominici sint excepti a jejunio: consequenter &c.

Respondetur nunc tertio. Obligatio voti, quando id patitur propria, & usitata verborum significatio, sic interpretanda est, ut potius restringatur, quam extendatur. Ratio est: quia obligationes gratuitæ, de quarum classe est obligatio voti, sunt potius restringendæ, quam ampliandæ, ut notat Layman *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 14. Unde qui vovit pauperibus dare eleemosynam & nescit, quantam? potest dare quamcunque statum suum non dedecentem. Qui vovit Ecclesiæ dare vinum ad Sacrificia, & ignorat, quale? satisfacit, si det mediocre, Sacrificio aptum, & in tali Ecclesia adhiberi solitum. Qui vovit Monasterio dare ex duabus vaccis unam, & dubitat, quam? potest dare, quam maluerit. Quia præterquamquod vovens censeatur sibi reservasse libertatem dandi utrumlibet, propria, & usitata verborum significatio permittit, ut vota in recensitis, & aliis id genus casibus potius restringantur, quam extendantur. P. Babenstuber *loc. cit. a n.* 17. & alii apud ipsum.

428. Quæres sexto, an omnia peccata, votis opposita, sint ejusdem speciei?

Respondetur affirmative, si considerentur, in quantum præcise sunt violationes votorum, & pugnant contra secundum Decalogi præceptum. Ita in re communior DD. Ratio est: quia omnia vota qua talia, & quatenus obligant ex secundo Decalogi præcepto, sunt ejusdem speciei, quamvis materiæ promissæ, v. g. jejunium, eleemosyna, oratio &c. specie differant; ergo etiam violationes eorum; cum privationes specificentur a formis, quibus privant.

Respondent Adversarii, antecedens non tenere de voto solemni, & privato; eo quod illud alios omnino effectus causet, ac istud: prout specificatum est *n.* 415. Sed

Contra est, quod solemnitas voti, unde illi alii effectus promanant, plus non importet, quam publicam, & authoritativam Ecclesiæ acceptationem, votum extrinsece tantum dignificantem, & elevantem ad producendos aliquos effectus, quos suamet activitate non produceret: consequenter votum solemne, intrinsece spectatum, est, & manent ejusdem rationis, & speciei cum privato.

Dices. Quando pretium temporale datur pro rebus spirituali a Jure Ecclesiastico annexis, committitur simonia Juris Divini, seu naturalis, quæ est alterius speciei, ac simonia Juris Ecclesiastici, quamvis illa connexio inter temporale, & spirituale proveniat ex mera dispositione Ecclesiæ; prout dictum *n.* 362. ergo licet solemnitas in voto proveniat solum ex acceptatione Ecclesiæ, nihilominus faciet votum solemne, ejusque violationem specie distingui a voto privato, & hujus violatione.

Respondetur, quod utique ordinatio Ecclesiæ, ex particulari virtutis motivo facta, possit superinducere alicui actui novam speciem honestatis, vel inhonestatis, si id intendat; sicut in casu antecedentis intendisse convincitur ex dictis *num. precit.* At in casu consequentis nullum extat vestigium ejusmodi intentionis. Unde concesso antecedente, neg. conf. & paritatem.

Dixi in responsi *si considerentur* &c. Nam violatio voti personalis annexam insuper habet speciem sacrilegii contra primum Decalogi præceptum: ita ut violans votum Castitatis, v. g. licet simplex tantum, tria perpetret peccata, unum contra Castitatem, & duo contra Religionem, quatenus & promissionem Deo factam infringit, & corpus eidem consecratum contaminat, atque adeo maculam quoque sacrilegii personalis sibi conquirit. Idem cogita, & cum grano salis applica de votis personalibus extra materiam Castitatis. Secus est de violante votum reale; utpote qui, tametsi peccet contra Religionem, rem Deo promissam non præstando, nullum tamen sacrilegium committit. Revide, quæ diximus *n.* 336. Præterea violatio voti facti in gratiam hominis, & ab hoc acceptati, præter peccatum contra Religionem, & secundum Decalogi præceptum, continet etiam peccatum contra Justitiam, & præceptum Decalogi septimum, vel octavum &c.

429. Quæres septimo, quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat, se violasse votum?

Respondetur, percontandum in primis ex eo esse, quomodo, & de qua materia illud emiserit? Tum ut videatur, an votum, quod violasse se dicit, conditiones veri voti habuerit, necne? Non raro enim, præsertim apud simplices, erronee votum existimatur, quod reipsa merum est propositum; vel quod defectu plenæ deliberationis, aut materiæ requisitæ, aut ob aliam causam, v. g. ob ignorantiam, vel errorem in substantia, nullum est. Tum ut, si de voti veritate non sit dubium, videatur, an obligatio non cessarit? vel, si durasse deprehendatur, fuerit graviter, aut leviter duntaxat violata? Tum denique ut agnita obligatione, vel ejus defectu, dirigere pœnitentem possit, an eadem obligatio adhuc implenda sit, & quomodo? Porro ad veritatem voti dignoscendam petat a pœnitente, ut verba, queis in editione voti usus est, recenseat; item qua intentione illa protulerit? an iis vere aliud Deo promittere, seseque obligare voluerit? Quo perspecto; inspiciatur materia, de qua verba, & intentio processerunt. His enim combinatis facile judicium formabit, an verba vere promissoria fuerint, votumque continentia, necne? & an, quod defuit verbis, intentio suppleverit? ac demum an verba, & intentio ob ignorantiam, vel errorem, aut ex defectu materiæ fuerint valida, vel invalida?

Et hactenus de obligatione voti absoluti. Nunc ulterius

430. Quæres octavo, qualiter obliget votum conditionatum?

Respondetur primo. Votum conditionatum non obligat prius ad præstandam rem promissam, quam conditio, sub qua emissum est, eveniat, & quidem in sua forma specifica. Unde si ea omnino deficiat, seu nunquam ponatur, nunquam exurgit obligatio voti. P. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *q.* 3. *n.* 252. aliique communiter. Ratio est: quia vovens non voluit obligari, nisi posita conditione: consequenter si hæc deficiat, non obligatur.

Respondetur secundo. Quando conditio apposita voto pendet a propria voluntate voventis, tenetur is impletionem conditionis procurare: nisi impletio sit peccaminosa, vel reservata libertati voventis. Unde quando voves in uxorem ducere Semproniam consanguineam (v. g. in tertio gradu) a te violatam, si dispensationem impetraveris; teneris petere, & procurare dispensationem (saltem per media ordinaria) super impedimento consanguineitatis. Ita Augustinus Michel *loc. cit.* §. 5. *sect.* 3. *punt.* 3. *numer.* 8. citans Soarezium, & Ruiz: imo responsio videtur esse reipsa communis; licet alii aliter eam proponant. Ratio est; nam

qui sincere promittit finem, censetur etiam, saltem implicite, promittere media ad consecutionem illius finis necessaria, & in sua potestate existentia; alias promissio inefficax, & frustranea foret: atqui (ut maneamus in exemplo adducto) sincere (quemadmodum supponitur) promittis Semproniæ finem, videlicet matrimonium: ergo censeris etiam promittere media ad consecutionem finis, seu matrimonii, necessaria; quale in proposito est dispensatio; consequenter &c. Confirmatur ex *l. 161. ff. de R. J. & capit. 66. de R. J. in 6.* item *l. 24. ff. de conditionibus institut.* ubi dicitur: *Hæc conditio, si dederit fiturit, ita accipi debet, quod per eum non fiat, quo minus det, aut faciat.*

Dixi tamen 1. *nisi impletio conditionis sit peccaminosa*: uti contingit, sæpe in voto conditionato pœnali, v. gr. illo: si denuo fornicatus fuero, pauperibus in eleemosynam erogabo viginti florenos. Hujus quippe conditionis impletionem, & eventum vovens impedire tenetur; ut de se patens est: consequenter, &c.

Dixi 2. *vel reservata libertati voventis*: prout contingit in his, & similibus votis, v. g. si fiam Religiosus, fiam Franciscanus; si ducam uxorem, ducam pauperem puellam ad sublevandam ejus inopiam &c. Nam hujusmodi votorum sensus est iste: si mihi placuerit ingredi Religionem, Franciscanam ingrediar: si placuerit matrimonium inire, illud inibo cum paupere puella &c. Quæ proin hypothesis, & suppositio voventis libertati reservata est, ab ejusque libero arbitrio pendet, ut illam ponere possit, vel non ponere, etiam ob solam causam, ne votum absolutam, & actualem obligationem sortiatur, &c evenit, Sancti-Gallenses *loc. cit. concl.* 9. & alii passim.

Respondetur tertio. Quando conditio apposita voto pendet ex libera voluntate alterius (idem cogita, si pendeat ex causis naturalibus) vovens non potest (1.) per vim, vel fraudem; imo (2.) nec sine vi, vel fraude, citra peccatum impedire illius impletionem, seu eventum, data operâ studio, & de industria ad subterfugiendam actualem, & absolutam obligationem voti. Unde filius, qui vovit ingressum Religionis, si pater consenserit, non solum peccat, quando vi, vel fraude, sed etiam, quando precibus, aliove modo non violento, vel fraudulento, impedit, vel conatur impedire consensum patris. Prima pars responsionis in terminis, in quibus est proposita, videtur communis, & certa. Alteram suscipit, & bene propugnat contra communem aliorum Augustinus Michel *loc. cit. n.* 6. Ratio utriusque partis est: quia vovens non solum priore, sed etiam posteriore modo impediens, vel impedire allaborans positionem conditionis, vult, quantum in se est, efficaciter, ne ponatur conditio, sub qua vovit; ergo utroque modo convincitur non agere serio, & sincere cum Deo, cui votum facit, sed potius eidem quodammodo illudere, dum una manu quasi porrigit promissionem emissam, & altera quasi retrahit: consequenter &c.

Si petas, an ergo impediens, sive uno, sive altero modo, eventum conditionis, obstringatur obligatione voti? Ajo, non obstringi. Ratio est: quia conditio revera non existit; ergo votum non evadit absolutum, adeoque obligatorium; consequenter &c. Sed contra hæc

Dices primo. *L. 95. §. fin. ff. de verb. obligat.* dicitur: *Quicunque sub conditione obligatus curavit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur, scilicet ne ex sua fraude commodum referat*; ergo saltem qui conditionem impedit per vim, vel fraudem, tenetur obligatione voti.

Respondetur, textum *cit. l.* (idem cogita de aliis hujusmodi textibus) loqui, & exaudiendum esse de promissione facta homini, pariente obligationem Justitiæ, cui pro lucro fraudulenter interverso per realem compensationem satisfaciendum est, non autem de promissione facta Deo, pariente solam obligationem Religionis (de quali hic nobis sermo est) cui satisfit per solam pœnitentiam, quatenus per hanc cultus, & honor illis debitus, sed denegatus, reparatur: alioquin promissor in priore casu ex sua fraude commodum reportaret *per se* (quod solum in *cit. l.* tanquam absurdum improbatur) in posteriore vero per accidens tantum. Dici præterea potest, quod Leges in pœnam fraudis habeant conditionem fictione Juris pro adimpleta, & ideo promissio conditionata, eadem fictione Juris, transeat in absolutionem: talis autem fictio Juris locum non habet in promissione Deo facta; consequenter &c.

Dices secundo. Quando apponitur voto conditio a libera alterius voluntate (vel causa naturali) dependens, verus sensus ejus conditionis, atque adeo tacita saltem, seu implicita intentio voventis debet esse: *promitto hoc Deo, si per quid aliud mihi involuntarium non fiat, quo minus exequar*; consequenter dum impletur hæc conditio, vovens obligatur: atqui impletur in casu præsenti; quia revera per nihil aliud voventi involuntarium fit, quo minus is votum exequatur; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Immerito quippe recurritur ad illam intentionem tacitam, seu implicitam, quod conditio præcise per aliam causam voventi involuntariam debeat impediri; cum adsit expressa intentio contraria, quod scilicet vovens nolit obligari voto, nisi & antequam ponatur conditio apposita voto (quomodocunque demum non ponatur) atqui in casu non ponitur conditio, ergo &c.

Dices tertio. Si vovens in casu non obligetur voto, haud apparet, quare peccet.

Respondetur, neg. assumptum. Nam ideò peccat; quia conditionem voto appositam impedit contra promissionem conditionatam sincere (ut supponitur) factam.

Instabis. Non potest dici, contra quam virtutem simile peccatum militet.

Respondetur, neg. itidem assumptum. Militat etiam contra virtutem Religionis, quatenus conditionem impediens, vel impedire nitens non agit cum Deo sincere, & religiose, uti deberet; ad eum fere modum, quo emittens votum sine animo se obligandi. Itaque conditionem impediens non peccat quidem contra votum, cum hujus obligatione non obstringatur; adeoque non fit infidelis, & votifragus; peccat tamen circa votum, & peccato irreverentiæ erga Deum (graviter, vel leviter, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ promissæ, & ob conditionem impeditam non præstitæ) quod peccatum utique adversatur virtuti Religionis, licet alio modo, quam peccatum votifragii.

431. Quæres nono, Qualiter obliget votum pœnale?

Antequam ad hanc quæstionem respondeatur, notandum, quod votum pœnale triplici modo emitti possit. 1. Non promittendo evitationem culpæ, sed solam solutionem pœnæ, si commissa fuerit culpa: ut *voveo jejunare, si rursus blasphemavero*. 2. Promittendo collective, & evitationem culpæ, & solutionem pœnæ post admissam culpam: ut *voveo non blasphemare, & si blasphemavero, jejunare*. 3. Promittendo disjunctive, vel evitationem culpæ, vel solutionem in eventum culpæ: ut *voveo vel non blasphemare, vel si blasphemavero, jejunare*. Nunc

Respondetur primo. In primo casu, si vovens culpam perpetret, non peccat contra votum, nec tenetur in confessione illius, nempe voti, mentionem facere; tenetur tamen exequi pœnam. Ratio liquet ex dictis; quia evitatio culpæ non est, solutio autem pœnæ est materia voti taliter concepti. Quod si vovens solutionem pœnæ omittat, tenetur hanc omissionem (supposito, quod sit mortaliter peccaminosa) confiteri, dicendo, se intermisisse exolutionem voti; non tamen tenetur denuo exprimere culpam, licet gravem, si eandem jam antea fuerit confessus.

In secundo casu, si vovens culpam admittat, non solum peccat contra præceptum, cui culpa adversatur, sed etiam contra votum; tenetur que in confessione voti violati mentionem facere, dicendo, se voto non blasphemandi, v. gr. obstrictum, blasphemasse. Ratio est opposita: quia videlicet ipsa quoque evitatio culpæ est materia voti hoc modo emissi.

In tertio casu, vovens non peccat contra votum, modo præstet alterutrum, id est, modo vel non blasphemet, v. g. vel, si blasphemaverit, jejunet. Unde si blasphemaverit, & in pœnam blasphemiæ jejunaverit, aut jejunare cogitet, sufficit in confessione aperire blasphemiam, absque mentione voti. Ratio est; quia neutrum est determinate materia voti; sed utrunque indeterminate tantum, & disjunctive, La Croix *lib. 3. part. 1. numer.* 471. Pfeiffer *de Virtut. Relig. fol.* 283. & alii passim.

Respondetur secundo. In voto pœnali, si res, quam vovens principaliter spectabat, fit aut fiat impossibilis, vel inhonesta, corruit etiam obligatio pœnæ; ut

dum

dum voves, v. g. occidere inimicum, & si id non feceris, erogare pauperibus eleemosynam, nulla erit obligatio præstandi pœnam, seu errogandi eleemosynam. Sanct-Gallenses *loc. cit. dub.* 3. *q.* 5. & alii communiter. Ratio est: quia ruente principali ruit & accessorium: cum ergo res principaliter promissa in tali casu ruat, seu non sit apta materia voti, consequens est, etiam ruere rem accessorie promissam; qualis est exsolutio pœnæ &c.

Respondetur tertio. Quando votum pœnale conceptum est collective, vel disjunctive in sensu supra exposito, vovens tenetur (1.) toties persolvere pœnam (si hæc sit moderata, & iterari soleat) quoties committit culpam: idque probabilius etiam dicendum (2.) quando votum est mere pœnale, seu tale, cujus materia est sola pœna. Prima pars responsionis est communis. Alteram tradunt Layman *lib.* 4. *tr.* 4. *cap.* 3. *n.* 4. *conclus.* 2. Sporer *loc. cit. n.* 155. & alii plures. Ratio primæ partis est: quia tunc votum, quatenus cadit supra evitationem culpæ, ceu materiam principaliter promissam, obligat semper, & non tantum pro prima vice; ergo etiam hic obligare existimandum est, quando cadit supra solutionem pœnæ, ceu materiam accessorie promissam; cum accessorium soleat sequi suum principale. Quapropter dum homo, dives opum, vovet nunquam intermittere sacrum diebus festivis, &, si intermiserit, pauperibus in eleemosynam largiri aureum, tenetur toties hanc pœnam persolvere, quoties intermissione sacri admittit culpam. Ratio alterius partis est: quia intentio voventis communiter esse solet in perpetuum sibi interdicere facultatem peccandi sub apposita pœna, ita ut quotiescunque peccatum committitur, pœna incurratur; ex communiter autem contingentibus fit prudens præsumptio. Unde qui vovet dicere Rosarium in honorem B. Virginis sine labe conceptæ, si fornicatus fuerit, tenetur toties illud dicere, quoties in peccatum fornicationis prolabitur

Dixi in respons. per parenthesim: *si pœna sit moderata, & quæ iterari soleat*. Si enim sit enormiter gravis, & quæ iterari non solet, cujusmodi sunt, v. gr. peregrinatio Jerosolymitana, datio grandis summæ pecuniariæ in eleemosynam, ingressus Religionis &c. videtur primo duntaxat vice incurri, non vero toties, quoties vovens peccat; sive dein votum, quo similis pœna promittitur, existat mere pœnale, sive non. Ratio est: quia non apparet verisimile, intentionem voventis (quæ præcipue, imo unice spectanda est, & cui ipse quoque verborum sensus cedere palmam debet) esse, sibi ejusmodi pœnas exorbitantes, atque insolitas imponere toties iterandas, quoties iteratur delictum. Sed contra hanc exceptionem & limitationem

Dices. Etiam pœna enormis, dum voto non mere pœnali promittitur, accessorie promittitur; ergo cum accessorium (ut supra diximus) sequatur suum principale, debetur toties, quoties evitatio culpæ, principaliter promissa.

Respondetur, concesso antecedente, dist. cons. Si accedat intentio, qua credatur vovens se obligare ad iterationem pœnæ; uti fit, quando pœna est moderata, con. si ejusmodi intentio deficiat; ut fit, quando pœna est exorbitans, neg. cons. Tunc quippe ob defectum intentionis, quæ est anima voti tam quoad ipsam obligationem, quam quoad modum obligandi, accessorium a sequela, & imitatione principalis impeditur.

Respondetur quarto. Qui inculpabiliter, v. g. ex oblivione, aut ignorantia invincibili, omittit votum quoad rem principaliter promissam, non tenetur solvere pœnam. Ratio est: quia ubi nulla est culpa, nulla debetur pœna. P. Stoz *loc. cit. n.* 353. Unde si voveas singulis diebus festivis audire sacrum sub pœna dandi florenum in eleemosynam, & inculpabiliter ignores, vel obliviscaris, aut non recorderis, esse diem festivum, adeoque urgere obligationem voti; ideo intermittas auditionem sacri, non teneris eleemosynam promissam elargiri. Qui autem memor voti, hoc transgreditur, obligatur pœna (si ea sit moderata) quamvis, dum votum transgeditur, pœnæ non recordetur. Ratio est: quia, ut sæpe inculcatum, votum obligat adinstar legis communis: sed qui violat legem communem, etiamsi non recordetur, aut invincibiliter ignoret annexam pœnam, nihilominus eam incurrit, eaque juste punitur, nisi sit exorbitans, vel censura; ergo &c.

Sporer *loc. citat.* 152. Revideri quoque possunt, quæ habentur *par.* 1, *n.* 277.

ARTICULUS III.

De Cessatione Voti.

EGimus hucusque de natura, valore, & obligatione voti; nunc de ejusdem cessatione disserendum est. Quapropter sit

§. I.

Quot, & quibus modis Votum cesset?

SUMMARIUM.

432. *Votum generatim cessat duplici modo, nimirum ab intrinseco, & ab extrinseco.* 433. *Assignantur modi, quibus cessat ab intrinseco.* 434. *Assignantur modi, quibus cessat ab extrinseco.*

432. DIco. Votum generatim cessat (sive secundum se totum, sive secundum aliquid sui, sive pro omni, sive pro aliquo duntaxat tempore) duplici modo, nimirum *ab intrinseco*, & *ab extrinseco*.

433. Explicatur. Ab intrinseco cessat 1. *ob mutationem materiæ*; ut si hæc ex possibili fiat impossibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens. Sumitur ex illa communi Regula in *l.* 140. §. 3. *ff. de Verb. Obligat*, ibi: *Obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, a quo incipere non potest*. Unde non teneberis amplius voto, si vovisti susceptionem Ordinis Sacerdotalis, & in conflictu glande petitus manum amisisti: si vovisti die Veneris audire Sacrum in honorem Dominicæ Passionis, & eodem die Magistratus imperio juberis custodire mœnia civitatis: si vovisti adire militiam pro defensione Religionis, & nunc, variata causa belli, prælium decertatur non pro Religione, sed pro Regione. Quomodo, & quando votum cesset, si materia fiat impossibilis, illicita &c. secundum partem, relinquitur ex dictis *n.* 412. Huc etiam pertinet, si creditor, cui, vel in cujus gratiam promissio voti facta est, rem promissam remittat, sive ex toto, sive ex parte; adeoque ea ex debita fiat non debita sive simpliciter, sive secundum quid. Unde si voveris eleemosynam dare monasterio, & ejus Prælatus remittat totam, vel partem, liber eris a voto totaliter, vel ex parte.

Cessat votum 2. *ob supervenientem quandam notabilem mutationem, aut specialem aliquem casum*, quem vovens ab initio excepturus fuisset, occurentem. Unde voto solutus censebere, si voveris peregrinari; at jam viribus, & viatico ita sis exhaustus, ut non nisi difficillime peregrinationem obeas. Dispiciendum tamen hic est, an mutatio sit perpetua, vel temporalis tantum? Si enim perpetua sit, obligationem voti extinguit, seu tollit simpliciter; si vero temporalis, eam solummodo suspendit; quæ proinde reviviscit, sublata morali impossibilitate. Quare si vovens (in casu supra) ad integras vires, & meliorem fortunam redierit, peregrinari tenebitur, nisi executionem voti alligaverit tempori, quo viribus, & viatico destitutus erat, secundum proxime dicenda. Excipi hic etiam debent vota Religiosa, & Castitatis: prout fluit ex dictis supra *n.* 411. Advertendum præterea est, quod hæc talis cessatio voti non sit cessatio proprie dicta: fit enim per interpretationem, quæ non tollit proprie obligationem voti, sed solum declarat, illud in tali circumstantia non obligare. Revide, quæ diximus *par.* 1, *ante n.* 543.

Cessat votum 3. *ob cessationem causæ finalis, & principalis*, v. g. Vovisti peregrinationem, ut pater tuus e bello salvus, & incolumis revertatur, liber eris a voto, si ille, ante peregrinationem obieris, e vita migret. Videndum tamen & hic est, an causa finalis cesset simpliciter, & pro omni tempore, vel tantum pro aliquo? Si primum; votum simpliciter extinguitur. Si secundum; ejus obligatio tantum suspenditur, & reviviscit, quando causa finalis redit. Unde si vovisti non amplius intrare certam domum ob commorantem ibi procacem puellam; hac mortua, tuum votum simpliciter, & absolute extinguitur, ea vero ad tempus duntaxat abeunte, votum tantumodo suspenditur, & reviviscit, ubi illa revertitur. Sed quid si non eadem puella redit, sed alia ejusdem, vel pejoris farinæ succedat, illamque domum inhabitet? Ajo, votum manere extinctum;

quia se non extendebat ad vitandum periculum generale, sed particulare tantum a persona illa individua promanans. Sporer *loc. cit. n.* 77. La Croix, & alii.

4. Cessat votum (temporale) *ob lapsum temporis*, per se, & ad finiendam obligationem præfixi, secundum dicta *n.* 420.

5. Cessat votum (conditionatum) vel potius non incipit actualiter, & perfecte obligare, *ob non eventum conditionis*, conformiter dictis *n.* 430.

434. Ab extrinseco votum cessat 1. *per Irritationem*, quæ est *annullatio, vel saltem suspensio obligationis, ex voto contracta, authoritate Superioris nomine proprio per potestatem dominativam, vel quasi dominativam facta.*

2. *Per Dispensationem*, quæ est *absoluta condonatio obligationis, ex voto contractæ, authoritate Superioris nomine Dei facta.* Differt præcipue ab irritatione voti. 1. Quod hæc, saltem ut valida sit, nullam causam requirat; illa vero requirat. 2. Quod ad dispensationem necessaria sit jurisdictio Ecclesiastica; ad rescissionem vero, seu irritationem opus sit alio jure in personas sibi obligatas, sive subjectas: cujusmodi est jus paternum in liberos; œconomicum mariti in uxorem; herile in servos &c.

3. *Per Commutationem*, per quam *obligatio voti ab una materia transfertur in aliam.* Unde differt a dispensatione. 1. Quod per hanc obligatio voti extinguatur; non vero per illam. 2. Quod ad dispensationem semper, & necessario requiratur jurisdictio Ecclesiastica; non item ad commutationem: prout patebit ex dicendis. Verum de tribus hisce modis, quibus votum cessat ab extrinseco, plura dicenda restant; quæ, ut claritati consulamus, per tres distinctos §§. expediemus. Unde sit

§. II.

Quomodo Votum cesset per Irritationem?

S U M M A R I U M.

435. *Quomodo proposita quæstio sit intelligenda?* 436. *Quando necesse sit, ut Superior positive consentiat, vel sufficiat, quod præcise non contradicat, sive repugnet?* 437. *Irritatio voti alia est* directa, *alia* indirecta. 438. *Illi, qui pollent, & quatenus pollent potestate dominativa in voluntates voventium, possunt horum vota qualiacunque directe irritare; idque pro libitu, & sine omni causa, saltem valide.* 439. *Deducuntur corollaria, & casus particulares.* 440. *An votum filii impuberis directe irritari possit a patre, postquam ille factus est pubes?* 441. *An votum Religiosi a Prælato, & filii impuberis a parente, cum eorum consensu editum, atque post concessam facultatem illud exequendi, nihilominus adhuc directe irritari valeat?* 442. *An Superior etiam proprium votum irritare possit, sive perseipsum, sive per alium a se delegatum?* 443. *Quorum vota directe irritare possit S. Pontifex?* 444. *An votum subdito, etiam inscio, & contradicenti, directe (vel indirecte) irritari valeat?* 445. *An votum directe irritatum reviviscat, si Superior irritationem revocet, aut Superior esse desinat?* 446. *Illi possunt vota irritare directe, quibus subjecta sunt res, & actiones voventium, ab ipso actu vovendi diversæ.* 447. *Deducuntur corollaria, & casus particulares.* 448. *An etiam vota, edita ante statum subjectionis, irritari in isto possint indirecte?* 449. *An præterea indirecte irritari possint vota emissa cum consensu eorum, quibus præjudicant?* 450. *Utrum vota indirecte irritata reviviscant, quando alteri præjudicare desinunt.*

435. PRænotandum primo, quæstionem procedere (1.) de votis subditorum; iisque (2.) validis. Ratio primi est: quia irritatio voti est actus Superioris, dicentis relationem ad subditum. Ratio secundi est: quia vota ex se invalida non indigent irritatione. Porro subditi (in ordine ad præsens institutum) sunt duplicis generis. Nam aliqui Superioribus subjiciuntur solum quoad materiam; ut filii puberes parentibus, vel curatoribus, servi dominis, uxores maritis: alii etiam quoad ipsam voluntatem, seu actum vovendi; ut filii impuberes parentibus, & tutoribus; Religiosi Superioribus, & S. Pontifici. Utriusque generis subditi licite, & valide vovent, quando vovent sub expressa, vel tacita conditione: *si Superior consenserit, vel saltem, re comperta, non repugnarit:* uti certum est. Seclusa autem illa conditione, subditi quoad ipsam quoque voluntatem, seu actum vovendi, illicite, & invalide vovent, sive dein voveant res (vel actiones) pertinentes, sive non pertinentes ad Superiorem; subditi vero quoad materiam tantum, licite, & valide vovent res (vel actiones) ad Superiorem non spectantes. Ratio disparitatis fluit ex dictis: siquidem cum voluntas illorum, non vero istorum, substrata sit, pleneque subjecta voluntati Superioris; illi in vovendo rem quamcunque demum essentialiter pendent a consensu Superioris; non item isti in vovendo res ad Superiorem non spectantes. Unde Religiosus, v. g. etiam dum vovet orationes particulares, mortificationes corporis mediocres &c. illicite, & invalide vovet, nisi voveat sub antefata conditione: secus vero filius pubes, v. gr. (id est, egressus annum decimum quartum) uti & filia pubes (id est egressa annum duodecimum) Verum hac occasione si

436. Petas, quando necesse sit, ut Superior positive consentiat, & quando sufficiat, quod præcise non contradicat, seu non repugnet? Ajo. Si opus, quod vovetur, sit quidem de re absolute bona, tali tamen, quæ sine venia Superioris fieri non potest, ut de instituenda peregrinatione, facienda eleemosyna &c. requiritur ad vovendum positivus consensus Superioris: si vero opus, quod vovetur, sit de re, quæ sine venia Superioris fieri potest; cujusmodi sunt orationes particulares, genuflexiones coram Imagine Crucifixi, mediocres castigationes corporis &c. sufficit Superioris mera non repugnantia. Sanct Gallenses *loc. cit. dub.* 4.

437. Prænotandum secundo, irritationem voti aliam esse *directam*, aliam *indirectam*. Prior contingit, cum is, qui pollet potestate dominativa in voluntatem voventis, actumque vovendi, obligationem voti simpliciter aufert. Posterior fit, quando is, qui obtinet dominium, aut jurisditionem in res, vel actiones voventis (ab actu vovendi diversas) suspendit obligationem voti, ejusque obligationem impedit, quatenus, & quandiu præjudicat dominio, vel jurisdictioni ipsius. Irritatio voti directa, est irritatio proprie dicta; indirecta vero, improprie: siquidem irritare aliquam actionem, vel obligationem, est (proprie, & stricte loquendo) eandem annullare, seu tollere simpliciter: quod respectu voti præstat irritatio directa; non item indirecta: veluti ex dictis liquet. P. Babenstuber *loc. citat. artic.* 4. *numer.* 75. Interim tamen de utraque irritatione impræsentiarum nobis negotium erit. His prænotatis,

438. Dico primo. Illi, qui pollent, & quatenus pollent potestate dominativa in voluntates voventium, possunt horum vota qualiacunque directe irritare; idque pro libitu, & sine omni causa, saltem valide. Ratio hujus conclusionis, & communis Regulæ est: quia quodlibet votum, a taliter subjectis editum, vel ex natura rei; vel ex jurisdictione, imbibitam habet conditionem, *nisi Superior dissenserit* (alias nanque non valeret, per dicta *n.* 435.) quare si is, voto intellecto, dissentiat, illudque velit esse irritum, erit & manebit irritum.

Dixi. 1. *Vota qualiacunque*, ut innuerem, etiam vota, quæ quoad dispensationem, & commutationem Papæ reservata sunt; vel edita in favorem tertii, atque ab hoc acceptata: a tali Superiore irritari posse, siquidem & quoad ista vota subditi voluntas substrata, pleneque subjecta est voluntati Superioris, ut notat Henrincx *de Voto n.* 36. Item vota non tantum operum supererogatoriorum, sed etiam præceptorum; nam licet Superior tollere non possit obligationem, qua subditus ad operum præceptorum observationem attinetur; novam tamen obligationem, quam is, sufficienti libertate destitutus, per votum sibi superimposuit, auferre & annullare potest. Sporer *loc. cit. c.* 3. *num.* 16. aliique communiter. Tandem etiam vota ad statum pubertatis, aut exemptionis relata, & in eo primum executioni mandanda: quoniam & ista imbibitam habent conditionem consensus, a patre vel Prælato præstandi; quæ proinde deficiente subsistere, & obligare non possunt, in quodcunque demum tempus eorum executio differatur. Patet hoc in voto Religionis ingrediendæ, quod non potest executioni mandari, nisi in pubertate juxta *Trid. Sess.* 25. *c.* 15. *de Reform. Regular.* & tamen a patre (vel tutore) irritari potest, secundum omnes. Augustinus Michel *loc. cit. punt.* 9. *sect.* 1. *n.* 26.

Dixi

Dixi 2. *Pro libitu, & sine omni causa, saltem valide.* Atque in hoc quidem omnes conveniunt. Ratio jam insinuata est: quia vota taliter subjectorum includunt tacitam conditionem, *si Superior non contradicat*: hoc ergo, sive rationabiliter, sive irrationabiliter contradicente, conditio deficit: consequenter &c. An autem Superior irritando votum sine causa agat illicite, & peccet. Authores non conveniunt. Nam Sotus *lib. 7. de Just. q. 3. art. 2.* & alii quam plurimi docent, eum peccare saltem venialiter; eo quod videatur abuti in hoc potestate sua, absque omni causa promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum, & obsequium per executionem voti sua gratuita irritatione impediendo. Quod tamen negant Azorius *par. 1. lib. 1. c. 17. q. 5.* & alii: quia (inquiunt isti) promissiones subditi imbibitam habent hanc conditionem, *si Superior consenserit, vel non contradixerit*; Superior autem non tenetur præstare consensum, vel non contradicere, sed potest uti jure suo, & non consentire, ac contradicere. Nec obstat, quod forte subdito dederit licentiam vovendi, votumque exequendi. Siquidem per hoc non censetur, se privasse suo jure; semper enim licentia concessa intelligitur sine præjudicio proprii juris. Excipit tamen etiam hæc sententia casum, quo Superior promisit, se licentiam vovendi concessam non revocaturum: tunc quippe eum peccare contra virtutem Fidelitatis, saltem venialiter, votum sine causa irritando, ultro fatentur. Prima sententia (etiam seclusa promissione licentiam subdito datam non revocandi) videtur præferenda. Ratio probativa secundæ sententiæ ad summum evincit, quod Superior non peccet contra Justitiam: cum quo tamen stat, quod peccet contra Charitatem; idque vel mortaliter, quando executio voti subdito est valde utilis, aut necessaria; vel venialiter, quando non est ita utilis, aut necessaria. Sanct-Gallenses *loc. cit. n. 3.*

439. Vi conclusionis fit. 1. ut pater (vel tutor) omnia vota liberorum impuberum, sive realia, sive personalia, directe irritare valeat. Ita habetur in *can. 14. caus. 32. q. 2.* Ratio insuper est: quia propter immaturitatem judicii in impuberibus Jura voluerunt, eorum voluntates in vovendo esse usque adeo substratas voluntati patris, ut sine hujus consensu, vel saltem non dissensu, illorum vota nec primo fieri, nec facta in suo esse conservari, seu subsistere queant.

Fit 2. ut Prælati Regulares, Generales, Provinciales, Locales (item cogita de Abbatissis, aliisque Monialium Præfectis) directe irritare valeant omnia vota a suis Religiosis professis tempore subjectionis edita, quandiu eorum Prælatis manent, exceptis votis, quæ ipse status Religionis exigit; & voto strictiorem Religionem ingrediendi. Desumitur ex *c. 27. de Elect. in 6.* Ratio præterea est: quia propter meliorem gubernationem Religiosorum in vita spirituali ex dispositione Juris omnibus, & singulis eorundem votis inest hæc tacita conditio, *nisi Prælatus, seu Superior contradixerit*: consequenter &c.

Dixi autem 1. *a suis Religiosis professis &c.* Nam vota Novitiorum, utpote qui adhuc sunt sui juris, directe irritare Prælati nequeunt. Dixi 2. *tempore subjectionis edita*. Siquidem ante professionem, seu subjectionem edita directe irritari a Prælatis non possunt; cum non habuerint imbibitam hanc conditionem, *si Superior consenserit, vel non contradixerit*. Dixi 3. *quandiu eorum Prælati manent*. Nam si Prælati esse desinant, circa vota Religiosorum, etiam tempore subjectionis emissa, nihil amplius possunt; cum tunc privati existant potestate dominativa &c. Dixi 4. *exceptis votis, quæ ipse status Religionis exigit*. Nam quoad ista, hoc ipso, quod statum Religiosum constituant, vel eidem annectantur, Prælatus Regularis nihil potest (sive per irritationem, sive per dispensationem, aut commutationem) sicut non potest evertere, vel immutare ipsum statum Religiosum. Aliam rationem dat (quæ primo intuitu videtur coincidere cum nostra, reipsa tamen non coincidit) P. Babenstuber *loc. cit. n. 79.* hisce verbis: *Sicut Prælatus non potest facere, ut sublatis ejusmodi votis, maneat quis Religiosus talis Religionis, ita nec eorum obligationem auferre potest*. Verum hæc ratio nimium probat: probat enim, quod S. Pontifex memoratorum votorum obligationem per dispensationem auferre non possit (quod est contra omnes) cum nec ipse facere possit, ut illis sublatis, maneat quis Religiosus talis Religionis. Dixi tandem 5. *& voto strictiorem Religionem ingrediendi*. Siquidem circa executionem hujus voti Religiosus non est subditus Prælato, sed simpliciter liber, & sui juris per *cap. 18. de Regular.* Deinde Religiosus professionem non aliter emittit, quam sub hac tacita conditione: *nisi eam in melius commutare voluero*. Quare neque hoc votum, neque illa, quæ status Religionis exigit, habent imbibitam hanc conditionem: *si Superior consenserit &c.*

440. Quæres primo, an votum filii impuberis directe irritari a patre possit, postquam ille pubes factus est?

Respondetur affirmative, nisi a pubere facto fuerit ratificatum. Ita cum Navarro, Lessio, & alii P. Sporer *cit. tr. c. 3. sect. 2. n. 21.* Ratio est: quia hic primordialis natura, & obligatio facti, seu voti inspicienda est; votum autem filii impuberis ob ætatis, & judicii imperfectionem in principio sui esse dependebat a patre, habebatque imbibitam hanc conditionem, *si pater non contradixerit*; eamque retinet pro toto tempore, quo pater vivit; cum pater semper maneat pater, semperque gaudeat potestate dominativa in filium relate ad vota ejusdem in impubertate emissa. Aliud est de Superiore Regulari; hic enim votum Religiosi, tempore subjectionis emissum, irritare non potest post tempus subjectionis: quia Superior desinit tunc esse Superior, & potestatem dominativam, vi cujus in statu subjectionis vota sui Religiosi irritare potest, amittit.

Dixi: *nisi a pubere facto fuerit ratificatum*; ita ut filius in statu pubertatis, debilitatis prioris voti conscius, se de novo firmiter obligaverit; prout tunc se obligare poterat independenter a consensu patris. Nam votum sic ratificatum a patre non potest amplius directe irritari, juxta omnes. Videatur Sporer *cit. n. 22.*

441. Quæres secundo, an votum Religiosi a Prælato, & filii impuberis a parente, cum eorum consensu editum, atque post concessam facultatem illud exequendi, nihilominus adhuc directe irritari valeat?

Respondetur affirmative. Ita cum communi aliorum Herincx *de Voto n. 37.* & nos jam insinuavimus supra. Ratio est: quia tametsi Religiosus, & filius impubes cum consensu, vel etiam consilio Prælati, & patris voverint, votumque exequendi licentiam obtinuerint, manent nihilominus vi obedientiæ illis subjecti; nec Prælatus, & pater, vovendi, votumque exequendi licentiam dando, intendunt (imo nec possunt) se abdicare potestate sua; sed semper subintelligunt conditionem, *quandiu placuerit*: adeoque votum Religiosi, & filii impuberis non solum in fieri, sed etiam in conservari a Prælati (quandiu Prælatus manet) & patris arbitrio pendet: nisi votum illius, seu Religiosi forte confirmatum sit a Prælato majore, & a potestate dominativa minoris extractum.

442. Quæres tertio, an Superior etiam proprium votum irritare possit, sive per seipsum, sive per alium a se delegatum?

Respondetur negative. Herincx *loc. loc. num. 36.* La Croix *n. 485.* & alii passim. Ratio est: quia nemo vovere potest sub conditione sui proprii consensus, cum hæc talis conditio valorem, & obligationem voti pessundet, ut consideranti patet; ergo nemo obtinet potestatem irritandi proprium votum; cum potestas irritativa voti fundetur in conditione voto imbibita, *si Superior consenserit, vel non contradixerit*. Itaque potestas dominativa, & consequenter potestas irritandi votum ex sua natura requirit realem distinctionem personarum, illius scilicet, quæ irritat, & alterius, cui irritatur votum: estque ita affixa domino (vel quasi domino) relate ad subditum, ut aliis delegari minime possit. Alterius naturæ est potestas dispensandi (ut dictum *par. 1. n. 494.*) & (ut patebit infra §. 4.) commutandi votum.

443. Quæres quarto, quorumnam vota directe irritare S. Pontifex possit?

Respondetur, quod possit sic irritare vota omnium Religiosorum actu professorum; non item aliorum Christianorum. Ita cum Palao, Lessio, & aliis communiter P. Herincx *loc. cit. n. 35.* Ratio est: quia S. Pontifex in omnes Religiosos professos, vi professionis sibi tanquam Prælato generalissimo subjectos, obtinet potestatem dominativam: non item in alios, quales sunt Religiosi nondum professi, seu adhuc Novitii, Clerici seculares, & homines laici: esto in hos habeat

jurisdictionem, vi cujus eum iisdem in votis dispensare valet, vel ea commutare.

444. Quæres quinto, an votum subdito, etiam inscio, aut contradicenti, directe (vel indirecte) irritari valeat?

Respondetur affirmative. Sporer *loc. cit. n.* 40. & alii passim. Ratio est: quia potestas irritandi votum non dependet in suo usu a voluntate, & consensu subditi. Requiritur tamen, ut Superior voti a subdito editi notitiam habeat; alias illud in particulari, & absolute irritare non posset; quoniam ignoti nulla potest esse voluntas, videlicet particularis, & absoluta: quod addo; quia Superior posset irritare subditi votum conditionate, & veluti in genere, v. g. volendo illud esse nullum, siquod ediderit, quamvis de voto aliquo in particulari nullam haberet notitiam determinatam.

Dices. Superior non potest subdito inscio, vel contradicenti votum commutare; ergo nec irritare.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quia ut votum subdito commutetur, debet is acceptare materiam, quæ subrogatur; ad quod utique & scientia, & consensus illius est necessarius. Nihil simile requiritur in irratione voti.

445. Quæres sexto, an votum directe irritatum reviviscat, si Superior irritationem revocet, aut Superior esse desinat?

Respondetur negative. Omnes. Ratio in prompta est: quia votum, semel directe irritatum, totam suam substantiam, & valorem amisit, pleneque extinctum est.

446. Dico secundo. Illi possunt vota irritare indirecte, quibus subjectæ sunt res, & actiones voventium, ab ipso actu vovendi diversæ. DD. communissime. Ratio hujus conclusionis, & Regulæ est: quia sicut Jus naturæ docet, neminem posse quidquam alteri promittere in præjudicium tertii, ita idem Jus docet neminem posse promissum servare, seu exequi in præjudicium tertii, nisi hic consentiat, suoque præjudicio renunciet; ergo si renunciare non velit, obligationem promissionis sibi præjudicantis suspendere, & executionem impedire potest: quod est votum indirecte irritare: consequenter &c.

447. Ex quo fit 1. ut pater indirecte irritare possit vota liberorum puberum in sua potestate existentium, quæ gubernationi familiæ obsunt, eamque quoquo modo impediunt. S. Thomas 2. 2. *q. 88. art. 8. ad 2.* Idem potest Curator respectu sui clientis quoad vota realia; non item quoad personalia: quia Curator non datur principaliter personæ clientis; sed tantum bonis ejusdem §. 2. *Inst. de Curat.*

Fit 2. ut Prælatus Regularis (idem rursus cogita de Abbatissa, vel alia Monialium Præfecta) indirecte valeat irritare vota personalia Novitiorum, quando probationi præjudicant; non item realia pure talia, utpote Novitiorum functionibus nullum præjudicium afferentia. Ita cum Lessio Babenstuber *loc. cit. n.* 83.

Fit. 3. ut maritus vota uxoris, & vicissim uxor vota mariti, quæ præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familiæ, uti sunt vota nimium abstinendi, cubandi seorsim, instituendi longinquam peregrinationem &c. indirecte irritare possit. Utriusque tamen juri (mariti scilicet, & uxoris) derogatum est in voto Religionis ingrediendæ ante matrimonium consummatum, ita ut neuter alterius votum de ingrediendo Religione nuncupatum irritare valeat. *c. 2. & 7. de conberf. conjug.* Item juri uxoris in casu, quo maritus propter publicam necessitatem Christiani populi vovit peregrinationem Jerosolymitanam in subsidium Terræ sanctæ, si is vel ipsi militare, vel milites secum ducere, aut suo consilio militantibus adesse possit, *c. 9. §. penult. de Voto &c.* P. Engel. *ad cit. Tit. n.* 24.

Fit 4. ut dominus, vel domina indirecte irritare possit vota servorum sive proprie dictorum, sive tantum famulorum, quæ præjudicant domesticis obsequiis: cujusmodi esse possunt frequentiora jejunia, proliziores orationes &c. Nec dicas. Domini habent dominum in servos; ergo horum vota etiam directe irritare possunt. Contra enim est, quod solummodo habeant dominium utile, quale non sufficit ad directam irritationem. Illsung. *tr. 5. disp. 1. q. 3. art. 4. n.* 128. Babenstuber *loc. cit. n.* 83. & alii communissime.

448. Quæres primo, an etiam vota, edita ante statum subjectionis, irritari in isto possint indirecte?

Respondetur affirmative, si in statu subjectionis præjudicium creent illis, quorum interest. Filliucius *tr. 26. c. 8. n.* 237. *& seq.* aliique communiter. Colligitur, imo patet ex ratione probativa conclusionis.

449. Quæres secundo, an præterea indirecte irritari possint vota emissa cum consensu eorum, quibus præjudicant?

Respondetur negative. Sanct-Gallenses *loc. cit. num.* 2. cum communi aliorum. Ratio est; siquidem illi, qui solum habent potestatem vota irritandi indirecte, possunt se abdicare hac potestate (secus, ac alii, qui gaudent potestate irritandi vota directe, conformiter dictis supra *num.* 441.) & censentur abdicare hoc ipso, quod dent licentiam vovendi etiam res ad se pertinentes: sic enim renunciant juri in suas res; & consequenter, quando vota circa eas edita executioni mandantur, non subeunt amplius (rationabiliter inviti) aliquod præjudicium, propter quod alias iisdem competeret potestas irritandi vota. Unde si uxor, v. g. cum licentia, & consensu approbativo mariti (aut vicissim) emiserit votum Castitatis, hoc irritari non poterit a marito: quia is dando uxori licentiam ad vovendam Castitatem (simpliciter, & absolute, ut supponitur) renunciavit juri, quod sibi competierat in corpus uxoris: consequenter &c.

440. Quæres tertio, an vota indirecte irritata reviviscant, quando alteri præjudicare desinunt?

Respondetur cum communi affirmative. Ratio est: quia votorum obligatio per hanc talem irritationem non extinguitur, sed solum suspenditur, & sopitur, quatenus illa, quandiu alteri præjudicant; ergo si præjudicare desinant, reviviscunt, & nativum suum vigorem exerunt.

§. III.

Quomodo Votum cesset per Dispensationem?

SUMMARIUM.

451. *S. Pontifex habet potestatem ordinariam dispensandi in omnibus votis quorumcunque Christianorum.* 452. *Proponitur, & solvitur objectio.* 453. *Episcopi (etiam nondum consecrati) obtinent potestatem ordinariam dispensandi in votis suorum diœcesanorum (idem cogita de Abbatibus habentibus propriam quasi diœcesim relate ad vota suorum quasi diœcesanorum) si ea non sint reservata S. Pontifici, vel solemnia, vel edita in favorem tertii, & ab hoc acceptata.* 454. *Episcopi dispensare possunt in votis suorum diœcesanorum, quamvis hi existant extra propriam diœcesim.* 455. *Possunt etiam aliquando dispensare in votis Pontifici reservatis.* 456. *Superiores Religionum exemptarum gaudent potestate ordinaria dispensandi in votis suorum Religiosorum (sive hi Professi sint, sive Novitii) in quibus vi sui muneris dispensare possunt Episcopi cum suis diœcesanis.* 457. & 458. *Solvuntur duæ objectiones.* 459. *Confessarii Mendicantes habent potestatem delegatam prò foro interno conscientiæ dispensandi cum quibuscunque fidelibus ad se recurrentibus in iis votis, in quibus Episcopi dispensant immediate ratione sui muneris cum suis diœcesanis.* 460. *Idque verum est, licet Episcopi quorundam votorum dispensationem specialiter sibi reservarint.* 461. *In votis Pontifici reservatis præfati Confessarii nihil possunt.* 462. *Assignantur, qui dispensare non valent.* 463. *Adstruitur causa ad dispensandum requisita.* 464. *Dispensatio (uti & commutatio) fieri potest etiam extra confessionem.*

Longior in præsenti §. esse deberem, nisi complura, quæ a nonnullis hic proponi, & discuri solent, a nobis jam anticipato proposita, discussa fuissent *par. 1. disp. 3. de Cessatione Legis per Dispensat.* quæ proinde hic non repetenda, sed ibi revidenda sunt. Nonnulla insuper, huc facientia, tanguntur *part. 6. de Dispensat. super impedim. Matrim.* Hoc insinuato,

451. Dico primo. S. Pontifex habet potestatem ordinariam dispensandi in omnibus votis quorumcunque Christianorum. Patet ex praxi, & traditione Ecclesiæ; nec non ex illis verbis Christi apud *Matth.* 16. & 18. ibi: *Tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

452. Objicies. In *capit. 6. de Stat. Monach.* dicitur

custodia

custodia Castitatis adeo esse annexa Regula Monachali, ut contra eam nec S. Pontifex licentiam possit indulgere; ergo saltem in votis solemnibus Pontifex dispensare nequit.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, sensum textus esse, quod Pontifex non possit dispensare cum Religioso in voto solemni Castitatis, ut hic, eo soluto, maneat Religiosus; bene vero, ut Religiosus esse desinat.

453. Dico secundo. Episcopi (etiam nondum consecrati) obtinent potestatem ordinariam dispensandi in votis suorum diœcesanorum (idem cogita de Abbatibus habentibus propriam quasi-diœcesim, relate ad vota suorum quasi diœcesanorum) si ea non sint reservata S. Pontifici, vel solemnia, vel edita in favorem tertii, atque ab hoc acceptata. Sumitur ex *cap.* 1. & 7. §. *cum igitur. de Voto*, item ex *cap.* 11. & 14. *de Major.* Ratio insuper est: quia Pontifex non potest universo populo Christiano in quibuscunque necessitatibus succurrere per seipsum, sive se solo; ergo opus habet subsidiariis, seu aliis Prælatis inferioribus potestas dispensandi in votis suorum respective diœcesanorum; eaque ordinaria, quippe eorum officio, & dignitati Ecclesiasticæ annexa, licet S. Pontifici subordinata.

Dici in conclus. 1. per parentesim: *etiam nondum consecrati*; siquidem dispensatio est actus jurisdictionis, non Ordinis.

Dixi 2. *si ea non sint reservata S. Pontifici*; nam quoad ista, si vere reservata sint, Episcopi regulariter nihil possunt; eo quod eorum potestas in hoc puncto a S. Pontifice, cui subordinata est, sit restricta. Quænam autem vota sint reservata, & quando, diximus supra *n.* 416.

Dixi 3. *vel solemnia*: quia cum hæc acceptentur a Religione, & Ecclesiæ, pariunt istis jus, quo spoliari non possunt ab Episcopo, sed a solo Pontifice in casu, quo commune bonum ita postulat. Confirmatur ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ.

Dixi 4. *vel edita* (quamvis sint simplicia) *in favorem tertii, atque ab hoc acceptata*; nam hoc casu quæsitum est tertio jus, quo spoliari invitus non potest (sive per dispensationem, sive per commutationem) nisi authoritate S. Pontificis, quando id poscit commune, & publicum bonum. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 49.

454. Quæres primo, an Episcopi dispensare etiam possint in votis suorum diœcesanorum, quando hi existunt extra propriam diœcesim?

Respondetur affirmative. Ita cum Suarezio, Bonacina, & aliis communiter Augustinus Michel *loc. cit. sect.* 2. *num.* 43. Ratio est: quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ etiam extra proprium territorium exerceri potest.

455. Quæres secundo, an non Episcopi aliquando dispensare possint in votis Pontificis reservatis?

Respondetur, quod aliquando possint, tunc nimirum, quando adest impedimentum adeundi S. Pontificem, vel est difficilis ad eum recursus ob paupertatem, aut aliam causam, urgetque necessitas maturandi dispensationem, ut contingere non infrequenter solet circa dispensationem in voto perpetuæ castitatis. Rodriquez *tom.* 1. *q. Regular. q.* 63. *art.* 6. Layman *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 16. Sporer *loc. cit. num.* 71. & alii communiter. Ratio sumitur ex epikeja, & rationabiliter præsumpta mente Pontificis: siquidem jure optimo præsumi potest, eum nolle, ut in tali casu votum sit reservatum; sed esse contentum, quod recurratur ad loci Ordinarium: ne alias contingat, animas fidelium periclitari, vel omnino perire. Ubi tamen notandum, quod similis dispensatio (tametsi impertiretur ab ipsomet Pontifice) tantum valeat ad eum effectum, ad quem urget necessitas, & in ordine ad illa, quæ talis effectus secum trahit: sic, si ligatus voto castitatis violasset puellam & huic immineret periculum infamiæ prius subeundæ, quam dispensaret Papa, posset Episcopus dispensare, ut puellam duceret; sed, hac mortua, rursus teneretur ad servandam castitatem. P. krimer *lib.* 3. *Decret. tit.* 34. *n.* 29. 25.

Sed petes, an hæc facultas dispensandi Episcopis etiam concessa censeri possit, quando præsto est, vel facile adiri potest Legatus a Latere, vel alius, specialem habens a Pontifice commissionem dispensandi in votis reservatis?

Respondetur negative. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. c.* 40. *n.* 38. Palao *disp.* 2. *pun.* 12. *n.* 5. aliique communius, & (meo judicio) multo probabilius. Ratio est: quia Episcopi in prædictis casibus dispensandi facultatem præcise habent ratione necessitatis: atqui hæc ratio cessat, quando præsto est, aut facile adiri potest, qui a Pontifice specialem dispensandi commissionem habet; ergo &c.

Dico tertio. Superiores Religionum exemptarum (Generales, Provinciales, Locales) habent potestatem ordinariam dispensandi in votis suorum Religiosorum (sive hi Professi sint, sive Novitii) in quibus dispensare possunt potestate ordinaria Episcopi cum suis diœcesanis. DD. communissime. Ratio est: quia cum ejusmodi Superiores privilegio Pontificio a jurisdictione Episcoporum exempti sint in gubernatione suorum Religiosorum, istis sunt loco Episcoporum, idemque possunt quoad dispensationem in votis, quod possent Episcopi, si iidem Religiosi eorum gubernio subjecti essent: atqui Episcopi possent tunc cum illis dispensare in votis potestate ordinaria, sicut possunt cum aliis suis diœcesanis; ergo &c.

457. Objicies primo. Potesta Superiorum Regularium dispensandi in votis suorum Religiosorum videtur supervacanea; ergo non debet censeri ipsis concessa. Ant. prob. Nam vota Religiosorum, in seculo, vel ante professionem emissa, commutantur in votum solenne Professionis (ut suo loco dicemus) emissa vero post professionem per potestatem dominativam Superiorum irritari valent etiam directe; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad hujus probat. ajo, non omnia omnino vota Religiosorum a Superioribus irritari posse; nam 1. irritari non potest votum ingrediendi Religionem strictiorem (ut diximus *n.* 439.) quod tamen dispensari (vel commutari) potest, cum non sit de classe reservatum Pontifici. 2. Etiam Superior Religionis exemptæ non potest directe irritare vota Novitiorum, quippe potestati suæ dominativæ nondum perfecte subjectorum; potest tamen in eorum votis (Papæ non reservatis) dispensare (vel ea commutare) quoniam Novitii in favorabilibus æquiparantur Professis, istorumque privilegiis gaudent. Ita cum aliis a se relatis Sporer *loc. cit. n.* 51. & nos jam insinnavimus §. *præced.* Sed contra hoc ultimum de Novitiis

Dices. Novitii non æquiparantur Professis quoad directam irritationem votorum; ergo nec quoad dispensationem eorum.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia dispensatio, licet audiat odiosa relate ad obligationem voti, quam aufert; est tamen favorabilis relate ad voventem, cum hunc ab onere, a quo liberari cupit, exemptum efficiat. Contra irritatio non solum odiosa est relate ad obligationem voti, quam tollit, sed etiam relate ad ipsummet voventem, quatenus contra istius voluntatem fieri potest, & solet. Atqui Novitii solum in favorabilibus, non item in sibi odiosis, æquiparantur Professis; ergo &c. Hanc disparitatem impræsentiarum sufficere reor. Aliam adhuc eruere poteris ex iis, quæ tradunt Augustinus Michel *de Legib. q.* 7. §. 5. *pun.* 4. *a n.* 3. & Vitus Pichler *lib.* 1. *Decret. tit.* 2. *n.* 87. quem utrunque, maxime priorem, utiliter leges.

458. Objicies secundo. Potestas dispensandi prædictorum Superiorum fundatur in privilegio exemptionis a jurisdictione Episcoporum; ergo non est ordinaria, sed delegata; sicut delegata dicitur, & est potestas Confessariorum Mendicantium (per statim dicenda) dispensandi in votis quorumcunque fidelium ad se venientium.

Respondetur, dist. ant. Fundatur in privilegio &c. remote, & radicaliter, con. proxime, & formaliter, neg. ant. Sic enim fundatur in Officio Superiorum, cui annectitur, & per qualem annexionem dicitur, & est ordinaria. Unde neg. cons. & paritas ibi assumpta: quia potestas dispensandi in votis fidelium Confessariis Mendicantibus præcise competit ex privilegio Pontificio: consequenter est mere delegata; ut quamprimum videbimus. Deinde illis competit potestas ordinaria dispensandi, qui curam animarum habent in utroque foro; prout in Confesso est: atqui memorati Superiores curam animarum (suorum videlicet Religiosorum) habent in utroque foro; prout similiter in confesso est; ergo iisdem competit potestas ordinaria dispensandi &c. Augustinus Michel *de Voto* §. 5. *punct.* 5. *sect.* 2. *num.* 5.

459. Dico quarto. Confessarii Ordinum Mendicantium habent potestatem delegatam pro foro interno conscientiæ dispensandi cum quibuscunque fidelibus ad se venientibus, seu recurrentibus in iis votis, in quibus Episcopi dispensant ratione sui muneris cum suis diœcesanis. Est communissima cum Theologorum, tum Canonistarum; & patet ex privilegiis, quæ ejusmodi Confessariis concessa sunt ab Innoc. VIII. Eugenio IV. Martino V. Paulo III. & Gregorio XIII. ut videre est in Compendiis privilegiorum, Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum, & Jesuitarum.

460. Quæres primo, an, si Episcopi quorundam votorum dispensationem specialiter sibi reservaverint, Confessarii Ordinum Mendicantium nihilominus in illis dispensare valeant?

Respondetur affirmative. Layman *loc. citat. num.* 71. Reiffenstuel *num.* 39. alii; & constat ex tenore privilegiorum: quidquid contra sentiat Matthæucci. Neque obstat, quod antefati Confessarii nequeant absolvere a peccatis Episcopo reservatis juxta Decretum Alexandri VII. oppositam sententiam damnantis. Siquidem aliud, est absolvere a peccatis, & aliud, dispensare in votis: primum peragi necessario debet in foro Sacramentali pœnitentiæ; non item secundum: prout infra *n.* 464. patebit: consequenter ab illo ad istud non ducitur idoneum argumentum, aut consequentia. Id quod confirmari potest ex hoc: quia decretum Alexandrinum loquitur tantum de absolutione a peccatis reservatis, estque odiosum; ergo non debet extendi ad dispensationes in votis reservatis.

461. Quæres secundo, an Confessarii Ordinum Mendicantium possint etiam dispensare in votis Papæ reservatis ad modum Episcoporum, quando urget necessitas maturandi dispensationem, & est difficilis ad Papam recursus?

Respondetur negative, Andreas Mendo *in statera benign. opin. dissert.* 1. *quæst.* 6. *num.* 77. Rodiquez, Layman, aliique communiter contra Herincx, Reiffenstuel &c. Ratio est: quia Confessarii Mendicantes, vi suorum privilegiorum, dispensare possint in iis tantummodo votis, in quibus dispensant Episcopi immediate ratione sui muneris Episcopalis; ut habet Mendo *cit.* atqui Episcopi in prædictis votis non dispensant immediate ratione muneris Episcopalis, sed ex benignitate Juris, ex consensu Pontificis, & ex consuetudine; ergo &c.

Dices cum P. Riffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 34. *num.* 40. *& seq.* Episcopi in votis Papæ reservatis, quando urget dispensandi necessitas, dispensant potestate ordinaria; ergo idem possunt Confessarii Mendicantes potestate delegata, & vi suorum privilegiorum, utpote vi quorum dispensare possunt in omnibus votis, in quibus dispensant Episcopi potestate ordinaria.

Respondent La Croix *loc. cit. num.* 564. kimer *lib.* 3. *Decal. tit.* 34. *n.* 2926. & alii nostræ sententiæ Patroni communiter, neg. ant. argumenti, dicuntque, Episcopos tunc dispensare potestate extraordinaria. Sed non placent. Unde.

Contra est 1. Consuetudo dat jurisdictionem ordinariam: sed Episcopi tunc dispensant ex consuetudine; ergo &c.

Contra est 2. Potestas dispensandi, quam in Casu obtinent Episcopi, debet dici vel ordinaria, vel delegata: atqui non potest dici delegata; tum quia possunt eam delegare aliis; tum quia potestas delegata competit ex speciali commissione alterius; ut Canonistæ communiter tradunt *lib.* 1. *Decretal. tit.* 29. ergo &c.

Respondetur proinde ad argum. aliter, dist. ant. Episcopi dispensant potestate ordinaria, quæ ipsi competit immediate ratione muneris Episcopalis, neg. quæ ipsis competit ratione muneris Episcopalis mediate solum, immediate vero ex benignitate Juris, vel Pontificis, & ex consuetudine, con. ant. Etiam illa potestas, seu jurisdictio dicitur, & est ordinaria, quæ obtinetur a Jure, vel a supremo Principe, vel ex consuetudine &c. Videatur P. Pichler *liber.* 1. *Decretal. titul.* 29. *numer.* 8. Confessarii Ordinum Mendicantium dispensare valeant in iis duntaxat votis, in quibus dispensant Episcopi potestate ordinaria prioris acceptionis; ut in ratione responsionis probativa dictum. Unde neg. cons.

Interim quemadmodum in hoc passu potestas Confessariorum Mendicantium est magis restricta, sic est magis ampla in altero, quatenus nimirum valent dispensare in votis quorumcumque fidelium ad se venientium; cum dispensent vi privilegii concessi a Pontifice, cujus subditi sunt omnes fideles: Episcopi vero in votis suorum diœcesanorum tantum, utpote ad quos solos potestas illorum ordinaria, qua dispensant, se porrigere valet.

462. Dico quinto. Dispensare e diverso in votis non possunt sequentes. 1. Superiores Religionum non exemptarum (& consequenter nec Confessarii ejusmodi Religionum) cum fidelibus non Religiosis; imo neque cum suis Religiosis, sive hi jam sint Professi, sive adhuc Novitii: nisi illis id concessum sit ex Pontificis, vel Episcopi commissione, aut ex consuetudine. Navarrus, Suarez, Lessius, Layman, quos refert, & sequitur Sporer *loc. cit. numer.* 52. 2. Abbatissæ, aliæque Monialium Præfectæ: esto enim possint irritare vota earum (directe, si jam sint adhuc Professæ, & indirecte, si sint adhuc Novitiæ; eo modo, quo ostensum §. *praeced.*) non tamen possunt in earum votis dispensare; quia carent potestate jurisdictionis proprie spiritualis, qualis ad dispensandum requiritur. 3. Parochi extra Jubilæum (multo minus alii Sacerdotes seculares non Parochi) Nam non obtinent potestatem dispensandi ordinariam; cum vi sui officii solum habeant curam animarum, & jurisdictionem in suos Parochianos pro foro interno: neque delegatam a Pontifice, vel Episcopis; ut supponitur: neque acquisitam ex consuetudine, quoad dispensationem votorum; cum de tali consuetudine nullum extet vestigium; quale tamen extat de consuetudine, vi cujus iidem Parochi cum suis Parochianis, in absentia Episcopi, dispensare possunt super legibus jejuniorum, & festorum. Tamburinus, Palao, Sanchez apud, & cum P. Stoz *lib.* 1. *par.* 3. *q.* 3. *n.* 357.

463. Quæres primo, an ad dispensandum in votis requiratur justa causa?

Respondetur affirmative. Idque ita verum est, ut ne quidem S. Pontifex in ullo voto dispensare possit, etiam valide tantum, si justa dispensandi causa deficiat. Ratio est: quia dispensatio in voto fit nomine, & authoritate Dei, qui eam non approbat, nec acceptat, si temere, & sine causa fiat; cum sic sit dissipatio, & dissolutio, quæ Deo non potest esse grata. Haud tamen est necesse, ut de sufficientia causæ evidenter constet (hoc quippe casu non est opus dispensatione; cum tunc obligatio voti per se cesset, sine ulla alterius authoritate interveniente) sed sufficit, quod rationabiliter credatur adesse, esto fors a parte rei non adsit. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 45. *num.* 10. Stoz *loc. citat. num.* 356. & alii. Revide, quæ diximus *part.* 1. *n.* 510. Porro causæ dispensandi in voto sunt præcipuæ quatuor. Prima est *imperfectio actus*, ex qua votum processit. Ratione hujus dispensari potest, & solet in votis illorum, qui in ira, metu, tristitia, vel in tenera ætate, præsertim ante pubertatem, voverunt *arg. cap.* 2. *de Voto*. Secunda est *notabilis difficultas* exequendi votum, non tantum ea, quæ prius incognita supervenit, sed etiam quæ jam prævisa fuit; eo quod res semper difficilior appareat, dum comminus apprehenditur, & executioni mandanda est, quam dum eminus prævidetur, ejusque executio necdum instat. Ratio est: quia, ut bene notat Sanchez *loc. cit. num.* 41. hoc valde consentaneum est Divinæ benignitati; præsertim cum vovens ob nimiam difficultatem, quam in executione voti experitur, frequenti periculo illud transgrediendi exponatur. Tertia est *damnum spirituale, corporale, vel temporale*, quod voventi ex occasione voti emergeret. Unde dispensari potest, & solet in voto castitatis cum eo, qui ob naturæ fragilitatem, & ad vitia carnis proclivitatem crebrius contra castitatem impegit. Item cum eo, qui ex observatione voti pateretur dispendium sanitatis, aut notabile damnum in bonis fortunæ; veluti contingere amat, siquis voverit austera jejunia, aliasve corporis mortificationes plus æquo rigidas; vel longas peregrinationes, aut copiosas eleemosynas, quas sine incursione magnæ in re familiari jacturæ, aut penuriæ obire, & largiri non potest. *arg. capit.* 1. *de Voto*. Quarta est *bonum commune*, præsertim Ecclesiæ, vel Reipublicæ. Sic dispensari potest cum Religioso in votis Religionis, si sit, v. gr. unicus hæres Regni, aut

Provin-

Provinciæ, ut transire ad matrimonium valeat, quando hoc pacto impediuntur bella, vel aliæ perturbationes, quæ alioquin ex successione orirentur, *c.7. de Voto*. Reiffenstuel *loc. cit. a n.22*.

464. Quæres secundo, an beneficium dispensationis in voto (vel commutationis) etiam extra Confessionem alicui (præsenti vocaliter, aut absenti literaliter) impendi valeat?

Respondetur affirmative, si dispensans (vel commutans) habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam generalem dispensandi &c. Ita cum aliis a se relatis Augustinus Michel *loc. cit. n.42*. Ratio est: quia vinculum voti non est peccatum; ergo de se non petit relaxari in foro Sacramentali pœnitentiæ. Nec refert, quod forte in privilegio, v.g. certæ Religioni concesso, inserta reperiantur verba, *auditis confessionibus &c.* Non, inquam, refert; nam hæc talis clausula non afficit totum privilegium, sed tantummodo partem ejus, in quantum scilicet illud respicit remissionem peccatorum una concessam. Si instes ex *cap. 41. de Appellat*, ubi dicitur, clausulam, sive in principio, sive in medio, sive in fine positam, referri ad omnes partes Rescripti. Ajo cum proxime nominato Authore, id esse verum, si omnium par sit conditio, qualis non est inter vota, & peccata.

Dixi in respons. *aut delegatam generalem &c.* Aliter quippe sentiendum est de potestate delegata speciali; ut si cui a Curia Romana committatur facultas dispensandi super uno casu particulari: tunc enim ordinarie conceditur potestas dispensandi cum mandato restrictivo ad forum Sacramentale: ubi proin dispensatio, extra illud impensa, subsistere non valeret, per textum *c.22. de Rescriptis*.

Dices contra respons. Saltem Confessarii Ordinum Mendicantium potestate dispensandi (vel commutandi) licet generaliter delegata, uti extra Confessionem non possunt; cum ipsis sit concessa pro foro interno tantum; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Quia in eorum privilegiis nulla fit limitatio quoad istud punctum. Nec refert, quod præfata potestas sit illis restricta ad forum internum conscientiæ: prout ostendimus, & declaravimus *part. 1. n.520. in fin.*

§. IV.

Quomodo Votum cesset per Commutationem?

SUMMARIUM.

465. Quinam authoritate Ecclesiastica votum commutare possint, & quinam non? 466. An, & quomodo vovens authoritate propria, & privata suum votum commutare valeat? 467. Quomodo commutatio voti instituenda sit? 468. An ad commutationem voti requiratur aliqua causa, & quanta? 469. An commutatio voti fieri possit ad tempus, vel pro uno duntaxat actu? 470. An si actio, voto promissa, sit reservata Pontifici, & commutetur in aliam non reservatam, hæc posterior censeatur reservata? 471. An votum, semel commutatum, possit iterum, iterumque commutari? 472. An vovens, facta commutatione, ad priorem materiam promissam pro libitu redire, illamque exequi possit, relicta subrogata? 473. An vovens, facta commutatione, teneatur exequi opus primo promissum, quando materia subrogata sit inutilis, aut impossibilis?

465. Dico primo. Omnia illa vota authoritate Ecclesiastica commutare possunt S. Pontifex, Episcopi, vel quasi Episcopi, Superiores Religionum exemptarum, Confessarii Ordinum Mendicantium (1.) in quibus dispensare possunt; & e diverso sic commutare non possunt (2.) in quibus dispensare non possunt. Ita DD. communiter.

Probatur prima pars. Quia cui concessum est majus, concessum censetur & minus ejusdem generis, per *c.53. de R.J. in 6.* atqui dispensatio in voto est quid majus, quam commutatio, cum per illam obligatio voti tollatur, per istam vero solum mutetur in aliam; & ambæ sunt ejusdem generis, quatenus ambæ præsupponunt jurisdictionem Ecclesiasticam (si commutatio fiat modo in conclusione asserto, & non authoritate privata voventis) & respiciunt idem objectum, seu materiam; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Siquidem non minus commutatio (nisi fiat authoritate propria, & privata voventis) præerequirit jurisdictionem Ecclesiasticam (veluti proxime insinuatam) ordinariam, vel delegatam, ac dispensatio; ergo similis potestas commutandi vota non porrigit se ad alia, quam potestas dispensandi.

Dico secundo. Vota commutare authoritate Ecclesiastica non possunt. 1. Superiores Religionum non exemptarum, & Confessarii Ordinum non Mendicantium, nisi forte specialem habeant potestatem a S. Pontifice, vel ab Episcopo, vel ex consuetudine. 2. Abbatissæ, aliæque Monialium Præfectæ: quia carent potestate jurisdictionis vere spiritualis, etiam ad votorum commutationem requisita; ut dictum. 3. Parochi, aliique Sacerdotes seculares, Episcopis, & quasi Episcopis inferiores, ob eandem rationem, ob quam dispensare non valent. Nunc

466. Quæres primo, an ergo, & quomodo vovens commutare suum votum possit authoritate propria, & privata?

Respondetur primo, quod illud sic commutare possit in rem evidenter meliorem, nisi sit editum in favorem tertii, atque ab hoc acceptatum. Communis. Sumitur ex *c.3. de Jurejur.* ibi: *Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.* Ubi, uti vides, nulla requiritur authoritas Superioris. Ratio insuper est: quia bonum majus est Deo gratius; ergo non relinquitur ullus dubitandi locus, quin illud loco minoris acceptet. Hinc si voveris dare Ecclesiæ linteamen v.g. potes id, nemine requisito, mutare in oblationem calicis, vel alterius rei linteamine pretiosioris.

Dixi 1. *in rem evidenter meliorem*. Siquidem in dubio de melioritate rei substituendæ videtur possessio stare pro obligatione voti ad rem promissam; quæ proinde (saltem probabilius) mutari non potest absque authoritate Superioris.

Dixi 2. *nisi sit editum in favorem tertii, atque ab hoc acceptatum*. Siquidem tale votum in rem etiam meliorem, invito promissario, commutari a nemine potest, præterquam a S. Pontifice, si ita exposcat bonum publicum: prout ostensum manet *n. 453. in præcept.4.* Hinc si promiseris determinatæ Ecclesiæ calicem aureum v.g. quinquaginta florenorum, & Rector illius Ecclesiæ promissionem acceptarit, non potes, invito Rectore, votum commutare, & loco calicis dare casulam pretiosam v. g. sexcentorum florenorum; cum præter creditorem Deum etiam habeat creditorem hominem, cui invito aliud, ut ut melius, pro alio solvi non potest *per text. in l. 1. ff. si certum petatur*. Secus dicendum juxta responsionem nostram, si Rector Ecclesiæ tuam promissionem, quippe sibi non insinuatam, vel alia de causa non acceptarit: tali namque casu rem promissa evidenter meliorem vel eidem, vel alteri Ecclesiæ dare poteris; cum tunc solum Deum creditorem habeas, cui res melior semper existit & gratior: non vero hominem; cum huic non fuerit tunc acquisitum jus, utpote quod non acquiritur nisi per acceptationem.

Dices contra respons. primo. Debitor non illico liberatur ab obligatione, dum creditori homini solvit rem meliorem, ac est illa, quam debet; ergo nec, dum creditori Deo &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia res melior non est semper etiam gratior creditori homini; bene autem creditori Deo: unde dum huic debitor solvit rem meliorem, liberatur ab obligatione; quemadmodum ab eadem liberaretur, si creditori humano solveret rem meliorem, quæ eidem foret & gratior.

Dices secundo contra 2. *except.* Votum editum in favorem tertii, tametsi ab hoc sit acceptatum, potest nihilominus adhuc irritari; ergo etiam dispensari, vel commutari &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia vota emissa ab illis, qui sub aliorum potestate existunt, semper habent tacite imbibitam conditionem, *nisi is, sub cujus potestate existo, v. g. pater, Prelatus &c. contradicat*, secundum dicta *n.438.* quæ proin contradictio si fiat, votum eo ipso irritatur, & jus conditionatum, quod promissarius per promissionis acceptationem acquisierat, evanescit. Aliter res se habet quoad commutationem, & dispensationem,

nem, ubi votum, quando editur, non habet imbibitam ejusmodi conditionem, sed absolute validum, firmumque consistit, & promissarius acquirit jus stabile per acceptationem promissionis, quo invitus spoliari nequit, nisi authoritate S. Pontificis boni publici causa; ut dictum.

Respondetur secundo. Non potest vovens propria authoritate commutare votum in opus æquale; sed id fieri debet potestate Ecclesiastica, ordinaria, vel delegata. Ita cum Suarezio, Sanchezio, & Laymano P. Sporer *loc. cit. n.*82. Idem Sanct-Gallenses *tom.*7. *tr.*1. *sect.*3, *q.*6. *dub.*5. *n.*7, & Augustinus Michel *loc. cit. sect.*3. *num.*6. Ratio est: quia Deus non potest censeri consentire, ut pro determinato voto propria authoritate solvatur aliud, sed præsumendus est potius velle, ut illud in determinata specie fideliter reddatur, nisi commuterur in melius, vel commutationem in æquale urgeat causa, quam cognoscere ad Superiorem spectat; ergo &c. Confirmatur. Opus Deo promissum, eo ipso, quod promissum sit, formaliter melius existit (ceteris paribus) non promisso; ergo credibile haud est, quod Deus istud pro illo acceptet: consequenter &c.

Nihilominus opposita sententia, posse scilicet quemlibet voventem proprio arbitrio commutare suum votum in opus manifeste, & evidenter æquale, non caret probabilitate, teneturque a multis, & magni nominis Authoribus. Ratio est: quia, ut credamus, quod Deus in opere æque bono acceptando non sit invitus, suadet ejus benignitas; cum etiam homo quandoque soleat esse contentus, si ipsi reddatur unum bonum æquale pro altero. Et licet opus Deo promissum, ex eo, quod promissum sit, existat formaliter melius non promisso, procuratur tamen denuo inter utrunque æqualitas etiam formalis in bonitate, quando opus de se æquale, quod per commutationem substituitur, redditur obligatorium ex virtute Religionis, haud minus, ac illud, quod primo promissum est. Sporer *n.*83.

Hæc sententia, ut dixi, probabilis est, non tamen facile in praxim deducenda; eo præsertim, quod rerum æqualitas absque magna difficultate non possit evidenter deprehendi saltem ut plurimum; siquidem plurimæ extant materiæ, quæ, secundum se spectatæ, apparent æquales, cum tamen tales non sunt. Augustinus Michel *loc. cit. n.* 8. recte monent, voventem, si istam sententiam amplecti velit, non facile debere in dijudicanda æqualitate rerum fidere sibimet ipsi, ne proprio affectu seductus hallucinetur; sed potius requirere judicium Confessarii, etsi potestate Ecclesiastica commutandi votum non pollentis; imo eidem, ut Doctori, totam commutationem concredere.

467. Quæres secundo, quomodo commutatio voti instituenda sit?

Respondetur primo. Si hæc commutatio fiat propria authoritate voventis, fieri debet in rem evidenter meliorem, ut habet communior, & probabilior sententia, a nobis *num. præced.* statuta, & stabilita. Ratio hujus responsionis ibi videnda est.

Respondetur secundo. Si commutatio voti fiat ab habente potestatem Ecclesiasticam commutandi vota, non vero dispensandi, debet fieri in rem æqualiter bonam. Ita cum Cajetano, Suarezio, & Azorio Sanct-Gallenses *loc. cit. in respons. ad* 3. *Quæsit.* Ratio est: quia nomen commutationis proprie sumptum sonat æqualitatem, non condonationem, qualis admisceri deberet, si obligatio voti transferretur in rem minus bonam. Fatentur tamen Patroni hujus sententiæ, æqualitatem impræsentiarum accipiendam esse moraliter. Unde licet dubitetur, an opus, in quod commutatio facienda est, reipsa æquale sit, potest nihilominus commutatio in illud fieri per potestatem Ecclesiasticam (non item per privatam ipsius voventis) parvus quippe defectus, si forte interveniat, respectu voti prædicta ratione commutari, pro nihilo reputatur, neque tollit æqualitatem moraliter loquendo.

Respondetur tertio. Si commutatio voti fiat ab habente insuper potestatem dispensandi, potest fieri etiam in rem minus bonam. Communis. Ratio est: quia tali potestate præditus potest commutationi admiscere partialem dispensationem aliquid de quantitate obligationis, ex voto contractæ, remittendo; ergo hujusmodi commutatio non exigit in re subrogata æqualitatem, seu æqualem bonitatem: consequenter, &c.

Respondetur quarto. Tametsi convenientius sit, ut vota personalia in personalia, & realia in realia (consequenter mixta in mixta) commutentur; quia convenit, ut in commutatione servetur, quantum fieri potest, æqualitas; tamen id non semper est necesse; sed votum personale commutari quoque potest in reale, & vice versa. Sanct-Gallenses *loc. cit. in respons.*2. & alii communiter. Ratio est: quia æqualitas materiæ in commutatione voti non solum spectanda est absolute, sed etiam relative, habito nempe respectu ad gloriam Dei, & spiritualem utilitatem voventis, cui Deus ex sua summa bonitate suum proprium honorem veluti postponit, inquit Augustinus Michel *loc. cit. num.* 17. Ceterum spiritualis utilitas voventis ex tribus præcipue capitibus metienda est, 1. *ex ipsa rerum efficacia*, quam habent ad promovendam hominis salutem. Hæc longe major est in operibus spiritualibus, quam corporalibus; & præsertim in frequentatione Sacramentalis Confessionis, & Communionis; item in auditione Missæ; perque proinde, si substituantur, attingi æqualitas secure potest. 2. *ex peculiari fine*, quem vovens intendit; cui opera commutationis accommodanda sunt. Unde siquis voverit peregrinationem, v. g. ad impetrandum donum Castitatis, expediet illi imponere afflictiones carnis: si ad solum favorem, e. g. B. Virginis sibi conciliandum, poterit subrogari opus alias eidem B. Virgini pergratum, v. g. recitatio Rosarii; aut Officii majoris: si ad impetrandam felicem mortem substituatur examen conscientiæ, tanquam optima præparatio ad mortem: si in gratiarum actionem, mutetur in Sacrificium Missæ sive offerendum, sive audiendum, per quod modo sublimissimo grates Deo referuntur. 3. *ex propensione voventis* ad aliquod opus, quod alacrius, & certius facturus speretur, ac id, quod vovit. Unde quæri ex illo potest, quam commutationem petat? ad quid magis afficiatur? an non hoc, vel illud, si subrogaretur, gratum foret? utrum malit, si detur optio? ut peragat disjunctive hoc, vel illud tempore, quo commodum fuerit &c. Author proxime *cit. a n.*18. & alii apud ipsum.

Sed quoniam istæ Regulæ commutationum sunt veluti generales, & subalternæ, juverit etiam afferre magis specificas, & quasi atomas, juxta quas Vir prudens se dirigere in votorum commutationibus valeat. Hujusmodi Regulæ, seu exempla in Jure Canonico bina præcipue extant. Unum habetur *c.* 2. *de Voto*, ubi (rigidius, quam hodie fieret, inquit Sporer *n.*126.) pro Jerosolymitana peregrinatione injungitur sustentatio unius pauperis per totam vitam. Alterum continetur in *cap.*7. & 8. *eodem*, ubi pro simili voto jubetur vovens expensas, quas in eundo, morando, & redeundo fuisset facturus, conferre in subsidium Terræ sanctæ, hoc est, in militiam pro recuperanda Palæstina; & labores itineris aliis piis exercitiis compensare, instando Vigiliis, jejuniis, & orationibus. Ex quibus fluit, in commutationibus peregrinationum duo præsertim spectanda esse, videlicet laborem itineris, & sumptus saltem in itu ad locum peregrinationis faciendos: pro priori imponendæ sunt corporis afflictiones; pro posteriori eleemosynæ sumptibus respondentes: subtractis tamen expensis, quas peregrinans interea domi fecisset; ut si domi insumpsisset per octiduum duos florenos, & proficiscendo ad locum peregrinationis quatuor, duo duntaxat pro viatico computandi sunt.

Dixi: *Sumptus saltem in itu faciendos*, &c. Nam licet Authores plerique (Suarez, Sanchez, Layman, Reginaldus &c.) *cap.*7. *cit.* innixi, censeant, etiam sumptus in reditu faciendos computari debere; præplacet tamen sententia negans, quam tenent Jacobus de Graphiis *part.* 1. *decis. lib.*2. *cap.*30. *num.* 10. & Henriquez *lib.*7. *cap.*30. *num.*5. quibus subscribit Augustinus Michel *loc. cit. num.*23. Ratio hujus sententiæ negantis est, quod peregrinans vi voti non teneatur redire; sed solummodo ire ad terminum peregrinationi præfixum, ibique persolvere, quæ promisit. Nec obstat textus *cap.*7. *cit.* etiam sumptus in reditu faciendos computantis. Nam (ut utar verbis Augustini Michel *cit.*) tunc temporis in Jerosolymitana peregrinatione duo continebantur vota, nempe profectionis, & militiæ, ut sumptus non tantum per accidens ratione itineris, sed per se pro militia essent necessarii: quod hodie non amplius fit.

Ut af-

Ut afferamus etiam quædam exempla ex Authoribus. Filliucius *tr.*26. *n.*298. votum Religionis commutat in duo opera perpetua, videlicet in Confessionem, & Communionem menstruam, si vovens sit laicus; si vero sit Presbyter, in hebdomadariam: adjunctis aliquibus operibus illius Ordinis, quem vovit, quotidie exercendis. Sanchez *lib.*4. *in Decal. cap.*56. *n.*42, & 44. votum non ineundi matrimonium commutat in Confessionem menstruam per biennium, & aliquot sacra. Ubi tamen alii DD. merito censent, addendum esse aliquod opus pium perpetuum, sicut & votum erat perpetratum. Votum jejunandi singulis Sabbatis in Confessionem, & Communionem, alternis hebdomadis peragendam per triennium, cum duabus Missis. Sed & hic, ob eandem rationem, superaddendum aliquod pium opus perpetuum. Votum peregrinationis pedestris quatuor dierum in totidem jejunia; equestris in unum jejunium. Diana *part.*1. *tr.*11. *resolut.*85. & *part.*2. *tr.*2. *resolut.*6. jejunium hebdomadarium commutat in Confessionem menstruam, vel preces quotidianas: annuam peregrinationem in menstruam Confessionem.

Juxta allatas Regulas, & exempla se dirigere Confessarius poterit; semper tamen ob oculos ponendo personarum qualitates: nec est, cur nimium sit anxius. Nam si absque fraude, & negligentia procedat, non peccat, quando probabiliter judicat, vel saltem dubitat, an commutatio sit proportionata; cum in dubio benignior pars sit tenenda; ut monet Diana *part.*3. *tr.*5. *resolut.*25.

466. Quæres tertio, an ad commutationem voti requiratur aliqua causa, & quanta?

Respondetur primo, Si commutatio voti fiat in rem manifeste meliorem, nulla requiritur causa. Communis. Ratio est: quia hæc talis commutatio, cum per eam cultus Divinus augeatur, Deo per se grata est.

Respondetur secundo. Si commutatio voti fiat in rem æqualiter bonam, requiritur aliqua causa, sine qua nec licita, nec valida est commutatio. Ita cum Suarezio, Palao, & aliis La Croix *loc. cit. num.* 524. Ratio est: quia licet tunc nihil remittatur de quantitate obligationis, ex voto contractæ, requiritur tamen aliquid de ejusdem qualitate, quatenus mutatur, seu transfertur ab una materia in aliam: quam mutationem, adeoque & ipsam voti commutationem, temere, ac sine omni causa factam, Deus non acceptat (sicut *num.*463. de dispensatione dictum) & consequenter non solum illicita, sed etiam invalida erit. Non tamen ad ejusmodi commutationem requiritur causa obsistens executioni voti, qualis requiritur ad dispensationem sive totalem, sive (secundum mox dicenda) partialem; sed sufficit quævis alia, modo rationabilis sit: quia per illam nihil de quantitate obligationis remittitur; sicut tamen remittitur per istam. Hinc DD. communiter sentiunt, sufficere, si vovens commutationem ardenter petat, sperans, fore, ut materiam subrogatam majori cum fructu exequatur. Imo in Jubilæo ad similem commutationem nulla alia requiritur causa, quam ratio boni communis, quem Pontifex, quando tunc vota commutandi facultatem indulget, generaliter pro causa assumit. Porro siquis bona fide procederet faciendo commutationem sine causa, eo quod inculpabiliter ignoraret hujus necessitatem, nec illicite, nec invalide ageret: siquidem ipsa bona fides commutantis censetur a Deo, qui in hoc non est credendus tam rigidus exactor, acceptari loco causæ.

Respondetur tertio. Si commutatio voti fiat in rem minus bonam, similiter requiritur causa, eaque gravior, & executioni voti obsistens, sine cujus interventu agitur illicite, & invalide. Est itidem communis DD. Ratio est: quia per hanc talem commutationem non solum aliquid remittitur de qualitate obligationis ex voto contractæ, sed etiam de quantitate: unde partialem dispensationem admixtam habet; nec fieri potest, ab aliquo, nisi is etiam potestate dispensandi præditus sit. Interim causa non necessario debet esse tanta, quanta requiritur ad dispensationem totalem, & puram: quia per istam obligatio voti simpliciter relaxatur; per illam vero ex parte tantum. Quare licet causæ dispensandi supra *num.*463. recitatæ, & expositæ, a fortiori sufficiant etiam ad similem commutationem, non tamen requiruntur in æquali gravitate. Porro quo major sit commutatio, eo gravior requiritur causa. Sporer *loc. cit. num.* 119. Qualiter autem peccetur, si votum sine causa commutetur, colligitur ex dictis *part.*1. *num.* 511.

469. Quæres quarto, an commutatio voti fieri quoque possit ad tempus, vel pro uno duntaxat actu?

Respondetur affirmative. Communis. Ratio patens est: si enim fieri possit in perpetuum, & pro pluribus actibus, quidni etiam ad tempus, & pro uno actu? Unde siquis voverit jejunare singulis Sabbatis, & aliquo Sabbato commode jejunare non possit propter adventum hospitum v. g. potest sibimetipsi commutare votum pro illa die in erogationem notabilis eleemosynæ, aliudve opus evidenter melius; vel ab habente potestatem Ecclesiasticam commutandi petere commutationem in opus æqualiter bonum, imposterum denuo jejunaturus. Imo si ratio pugnet tantum pro aliquo tempore, non est absolute facienda commutatio, sed tantum pro illo tempore, ne alias sine causa fiat extensio.

470. Quæres quinto, an si actio, voto promissa, sit reservata Summ. Pontifici, v. g. peregrinatio Jerosolymitana, & commutetur ab habente potestatem in aliam non reservatam, hæc posterior censeatur reservata?

Respondetur negative. Suarez *lib. de Voto cap.* 20. *num.*15. Filliucius *tr.*26. *num.* 294. & alii. Ratio est: quia quod ipso Jure reservatum non est, nequit evadere reservatum sola commutatione; alias si inferior Pontifice commutaret, sua dispositione, & voluntate reservationem induceret: quod paradoxum foret.

Dices tamen. Subrogatum induit naturam ejus, cujus loco substituitur; ergo cum prius votum sit reservatum, reservatum erit & posterius.

Confirmatur. Si actio non reservata, v. g. peregrinatio ad montem Serratum in Hispania, mutetur in actionem reservatam, v. g. in peregrinationem Romanam, posterius votum erit reservatum, etiamsi non fuerit reservatum prius; ergo a contrario &c.

Respondetur ad argument. antecedens solummodo verum esse quoad ea, quæ pertinent intrinsece ad subrogationem; ut in proposito sunt cultus Dei proportionalis priori, & votum æquivalens: non autem quoad ea, quæ in ordine ad subrogationem se habent extrinsece tantum; ut votum esse, vel non esse reservatum.

Ad Confirmat. concesso antecedente, neg. cons. Quia in casu antecedentis reservatio secundæ, seu Romanæ peregrinationis jam adest, antecedenter ad commutationem, ex dispositione S. Pontificis: in casu autem consequentis deberet provenire a commutatione; quod tamen non fit, imo nec fieri potest, si aliquis, Pontifice inferior, votum commutet; prout relinquitur ex dictis.

471. Quæres sexto, an votum, semel commutatum, possit iterum, iterumque commutari?

Respondetur affirmative. Ita cum communi Lessius *de Justit. lib.*2. *c.*40. *dub.*11. *n.*90. Ratio est: quia si facultas commutandi non sit limitata ad unam vicem, sed absolute concessa, haud apparet, cur una duntaxat vice, & non etiam altera, vel pluribus exerceri possit circa idem votum: sive dein commutatio nova petatur ab eodem commutante, sive ab alio æquali potestate prædito.

472. Quæres septimo, an vovens, facta commutatione, ad priorem materiam promissam pro libitu redire, illamque exequi possit, relicta subrogata?

Respondetur, quod possit, quando commutatio facta est in rem (1.) minus, aut (2.) æqualiter bonam. Saytus *in clavi regia lib.* 1. *cap.*12. *num.*22. & alii communiter. Ratio primi est: quia tunc voto promissa, cum sit præstantior, censetur Deo acceptior; ergo vovens bene, imo melius facit, si ad eandem redeat, materia, quæ subrogata fuit, seu minus præstante relicta. Ratio secundi est: quia posita æqualitate materiæ subrogatæ, videtur Deo gratius exequi materiam priorem voto promissam, ac posteriorem subrogatam, utpote quæ solum ex benigno, & interpretativo Dei consensu, atque in gratiam voventis indulta, & substituta fuit.

Respondetur secundo, quod vovens etiam possit redire ad priorem materian promissam, quando votum

fuit

fuit commutatum in rem meliorem. Ita Saytus *loc. cit.* Stoz *n.363.* & alii communius. Ratio est: quia etiam hoc casu ex benigno, & interpretativo Dei consensu censetur in voti commutatione fuisse involuta hæc conditio, *nisi placuerit ad pristinum votum redire:* cum enim hujusmodi conditionem subaudiri non dedeceat Divinam benignitatem, quin eandem potius manifestet, & commendet, ac insuper voventes ad vota jam emissa, hoc modo executioni mandanda, & nova emittenda, alliciat, præsumendum est, Deum concedere, ut subaudiatur.

Opposita tamen, seu negans sententia est etiam, & æque probabilis, quam tenent Suarez, Filliucius, Reginaldus, Michel, & alii, ex ratione infra afferenda, atque in favorem nostræ sententiæ dissolvenda.

Dices primo contra utranque responsionem simul. Per commutationem voti rite factam extinguitur obligatio prioris materiæ; ergo non potest dari ad eam regressus.

Respondetur explicando, & dist. ant. Extinguitur &c. absolute, ita ut non liceat ex benigno, & interpretativo consensu Dei creditoris eam reassumere, neg. extinguitur veluti conditionate, hoc sensu, ut vovens nunquam teneatur ad rem redire, nisi materiam subrogatam deserere velit, neg. ant. & cons.

Dices secundo specialiter contra alteram respons. Per executionem rei minus bonæ diminuitur respective cultus Dei, uti & spiritualis utilitas ipsius voventis; ergo regressus ad illam non potest Deo esse gratus: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Considerando præcise utranque materiam in particulari, & casum specificum secundum se, transeat, considerando votorum materiam ut sic, seu in genere, neg. ant. & cons. Cedit quippe in Dei honorem, & gloriam, quod voventes intelligant, mitius cum Deo agi posse, quam cum hominibus; neque eum esse adeo rigidum sui juris exactorem, quin aliquid de illo remittat in favorem voventis.

Dixi: *transeat*. Siquidem contingere facile potest, ut executio materiæ primo promissæ, & post commutationem reassumptæ, esto de se sit minoris bonitatis, cedat in majorem voventis utilitatem, eique magis ad salutem animæ conducat, quam executio materiæ subrogatæ, ac iterum derelictæ; & consequenter etiam Deo gloriosior, ac gratior existat illa, quam ista; quod enim saluti hominis utilius est, illud & Deo gratius existit, juxta celebre effatum Seraphici P. N. Francisci, in ejusdem vita relatum: *Nihil est Deo acceptius salute animarum.*

473. Quæres octavo, an vovens, facta commutatione, teneatur exequi opus primo promissum, quando materia subrogata fit inutilis, aut impossibilis?

Respondetur negative. DD. communiter. Ratio est: quia licet *n. præced.* diximus, commutatione extingui votum quasi conditionaliter tantum, id tamen solummodo verum est, qua respicit favorem voventis; qua enim respicit odium ejus, extinguitur absolute, & non amplius reviviscit.

Dices. Commutatio voti involvit hanc conditionem, *nisi vovens velit redire ad materiam primitus promissam;* ut dictum; ergo etiam involvit istam, *nisi materia subrogata fiat inutilis, aut impossibilis.*

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: priorem quippe conditionem involvi præsumitur ex benignitate Dei creditoris, ut hac condescendentia alliciat ad vovendum: quæ ratio non militat circa posteriorem conditionem, utpote cujus subauditio potius a vovendo retraheret: consequenter &c.

Fluit ex sparsim dictis, consultius esse, ut relaxatio voti, quando necessaria judicatur, fiat 1. potius per commutationem, quam dispensationem; & 2. a prædito potestate etiam dispensandi, licet per commutationem fiat.

CAPUT III.

De Juramento.

Complura (ne dicam pleraque) quæ de Voto *in c. præced.* decisa sunt, etiam applicari juramento possunt, & debent ob paritatem rationis. Aliqua tamen peculiaria, & Juramento propria *in præs. c.* enucleanda restant. Pro quibus sit

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Juramentum?

SUMMARIUM.

474. *Adstruitur definitio Juramenti.* 475. *Quot, & quibus modis jurari per creaturas possit?* 476. *Quænam sint formulæ jurandi?* 477. *Juramentum varie dividitur.* 478. *Omnia Juramenta sunt ejusdem speciei.*

474. Dico primo. Juramentum est *invocatio Dei in testimonium, vel confirmationem alicujus rei.* Communis.

Explicatur. Dicitur 1. *invocatio Dei*; Nam præcisa Dei enunciatio non efficit juramentum; enunciare enim, Deum esse testem alicujus rei, non est jurare, sed aliquid simpliciter asserere: quæ assertio est propositio ad fidem, vel scientiam pertinens. Unde Concionatores, quando in confirmationem eorum, quæ dicunt, adducunt ex S.Scriptura testimonia Dei, non jurant: quia id non faciunt animo Deum vocandi in testem, sed præcise referunt, quæ Deus dixit. Quod ipsum præclare tradit D.Th. 2.2.q.89. *art.1. ad* 1. ubi ait: *Aliud est testimonio Dei uti jam dato, quo fit, cum aliquis authoritatem S.Scripturæ inducit; & aliud est testimonium Dei implorare ut exhibendum, quod fit in juramento.* Porro invocatio Dei duplex est, nempe *explicita*, & *implicita*. Explicite in juramento Deus invocatur, cum nomine suo invocatur; ut si dicas: *Per Deum, per Christum, per summam veritatem; testor Deum, testis est, vel sit mihi Deus, vivit Deus &c.* Implicite, seu tacite invocatur, cum invocatur in creaturis, in quibus ejus sapientia, potentia, & bonitas specialiter relucet. Sic jurantes per Sanctos, per animam nostram, per cœlum, & per terram, per aliasque creaturas, Deum in illis relucentem invocamus. Ita sumitur ex verbis Christi apud *Matth.* 5. 34. ibi: *Non jurare omnino neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus &c.* Ac si diceret, perinde esse jurare per has & similes creaturas, ac per Deum, qui in ipsis resplendet.

Dicitur 2. *in testimonium, vel confirmationem alicujus rei:* ut indicetur finis juramenti, qui est dictis fidem facere, & alterum de re jurata præstare securum. Dum enim homines non semper fidem adhibeant aliorum dictis, & promissionibus, tum propter defectum veritatis humanæ, tum propter defectum cognitionis ejusdem, adducitur Deus in testem eorum, quæ affirmant, aut negant, & in fidejussorem eorum, quæ promittunt; quia cum sit summa veritas, quæ nec mentiri potest, nec aliquid ignorare, nihil potius, aut aptius ad veritatem confirmandam potuit inveniri. Porro per eas particulas juramentum differt ab *oratione*: siquidem per istam Deus non invocatur in testimonium, sed in auxilium, &, ut ea, quæ petuntur, misericorditer largiatur.

475. Quæres primo, quot, & quibus modis jurari per creaturas possit?

Respondetur, id fieri posse tribus sequentibus modis. 1. easdem referendo ad Deum, quatenus Deus in illis relucet: qui modus est licitus, dummodo creaturæ sint convenientes, ut in eis repræsentetur Divina bonitas: si enim tales non sint, licet creaturæ Dei sint, per easdem jurare non licet. Unde qui juraret per idola, per dæmones, per damnatos, v. g. per Machumetem, Lutherum, Calvinum &c. juraret quidem valde (supposita seria intentione jurandi, & relatione ejusmodi creaturarum ad Deum) mortaliter tamen peccaret: quia cum tales creaturæ potius sint offendiculum Divini honoris, quam imago, Deus in illis inhonoratur, non honoratur. 2. in iis constituendo finem juramenti, sive eas afferendo tanquam infallibiles testes veritatis: quod est blasphemia, & species idololatriæ; quia sic tribuitur creaturæ honor, qui est proprius Dei. 3. Secundum dignitatem, quam in se habent: & tunc non est proprie juramentum; quippe de cujus ratione est invocatio Divini testimonii tanquam infallibilis. Si tamen modo immediate dicto juretur per Deiparam, aliosve Sanctos, quamvis non sit juramentum, & actus Religionis, seu Latriæ; erit tamen Sanctorum cultus

perti-

pertinens ad Hyperduliam, vel Duliam, quæ obligat ad verum dicendum, & standum promissis sub mortali. Revide, & huc applica, quæ diximus *de Voto n.* 408. Aliter dicendum de aliis creaturis secundum se spectatis, utpote quarum invocatio, ad confirmandam assertionem facta, nullam parit obligationem.

Ut autem intelligatur, quando creaturæ convenientes, ut in iis Divina bonitas reluceat, adducantur in testes, prout relatæ ad Deum, sitque verum juramentum religiosum, habenda est ratio creaturæ. Si enim ejus existat dignitatis, & peculiari quadam ratione Deus in illa reluceat, censetur adduci ut ad Deum relata. Sic juramus per Sanctos, per animam nostram, per cælum &c. Si vero sit talis, in qua nihil Divinæ bonitatis specialiter reluceat, censetur per se adduci ut non relata ad Deum. Unde non erit juramentum, nisi Deus ponatur in obliquo; dicendo v.g. juro per hunc ignem Dei, per hanc aquam Dei &c. Dixi autem: *per se*: quia ex intentione jurantis potest etiam talis creatura adduci in testem ut relata ad Deum; ea vero intentione seclusa censebitur adduci ad vitandum juramentum; neque enim existimandum est, fideles velle idololatrare jurando per illas, tanquam per infallibiles testes veritatis.

476. Quæres secundo, quænam sint formulæ jurandi?

Respondetur, esse varias, quarum communiores, magisque usitatas retulisse satis esto. Itaque 1. juras, si dicas: *Per Deum, per Christum, per fidem Christi, per Evangelia, per Sanctos Cæli, per D. Petrum &c.* sive dein verbum *juro* addatur, sive non: item sive propositioni, per quam res adducta in testem invocatur, inferatur particula *per*, sive particula *in*; quia ambæ faciunt unum, eundemque sensum; nam idem est dicere: *Per Deum, ac in Deo hoc affirmo*. 2. Juramentum est, quoties aliqua veritas fidei adducitur in testimonium comparando nostram veritatem cum illa: ut si dicas: *Sicut Deus est veritas, sicut natus est ex Virgine &c. ita hoc est verum*: quia invocatur veritas Divina in testem. 3. Juras, quando dicis: *Vivit Deus, quod ita sit*: adducis enim vitam Dei in testimonium. 4. Juras, dum dicis: *Per vitam Dei, vel Sanctorum; per membra Christi, aut Sanctorum*; quamvis aliqua nominare possit esse juramentum blasphemum. 5. Quando dicis: *Per vestes, reliquias, & templa Sanctorum, aut per cælum*, in quibus Deus specialiter honoratur; perinde enim est, ac jurare per Deum in illis relucentem. Idem est, si dicas: *Per animam meam*: quia anima est clarissima Dei imago. 6. Quando dicis: *Per habitum S. Petri, S. Francisci &c.* esto Sanctorum expressa mentio non fiat. Idem est, si Clericus, vel Religiosus dicat: *Per hunc habitum; per vestes sacras*, quibus celebro; *per meos Ordines; per has manus sacras &c.*

E diverso (ut opposita juxta se posita magis elucescant) non juras, si dicas 1. *Affirmo hoc ut Christianus; ut Sacerdos; ut Religiosus; ut Vir bonus*: quia solum adducis in testem fidelitatem, & veritatem humanam, quam ut talis persona profiteris. Nec 2. si dicas: *Non credo in Deum; abnego Deum, non est potestas in Deo, si hoc ita est, vel non est*: siquidem per illa Deus non allegatur in testem. Nec 3. si dicas: *Corpus Dei, aut fides Dei mecum, aut cum tali homine*: nihil enim adducitur in testimonium, aut confirmationem. Nec 4. si dicas: *Hoc est de fide, aut Evangelium, vel instar Evangelii*: quia nihil Divinum adducitur in testimonium perhibendum. Revide, quæ diximus supra n. 474. Nec 5. si rogatus *per Deum, per vitam, aut animam tuam*, an res ita se habeat, absolute respondeas, rem ita se habere; imo nec si rogans dicas: *Jurasne mihi per Deum, rem ita se habere?* & rogatus respondeas: *ita res se habet*: quia non annuis rogantis juramento, sed solum interrogationi per simplicem assertionem. Nec denique 6. si dicas: *Deus scit; coram Deo loquor; Deus aliquando testis erit &c.* quoniam hi, & consimiles modi loquendi, accepti, ut sonant, non significant, peti a Deo, ut testimonium perhibeat veritati, sed solum per illos indicatur, Deum scire, & aliquando testaturum &c.

Atque hæc dicta sunto pro foro externo; nam in hoc, si verba juramentum continentia protulisti, juramenti reus pronunciabere; liber vero, si verba tua juramentum non continent. Ad forum vero internum conscientiæ quod attinet, omnino, & semper attendendum est ad intentionem jurantis, sive is sit usus verbis juramentum significantibus, sive aliis. Itaque proferens verba (quæcunque demum) vel intendit positive Deum invocare in testem; vel hoc positive non intendit; vel omnino præscindit ab ejusmodi invocatione, id est, nec intedit invocare Deum in testem, nec non intendit? Si primum; certo erit juramentum (supposito, quod proferens noverit, quid sit jurare) Si secundum; certo non erit juramentum. Si tertium; rursus non erit juramentum; cum abstrahens ab invocatione, & non invocatione Dei in testem, non invocet Deum in testem. Tamburinus *lib.* 3. *Decal. c.* 1. *§.* 3. *n.* 6. Sporer, Stoz, & alii communiter.

477. Dico secundo. Dividitur juramentum veluti generaliter in *assertorium*, & *promissorium*: in *solemne*, & *non solemne*: in *simpliciter invocatorium*, seu *contestatorium*, & *execratorium*, seu *imprecatorium*: in *judiciale*, & *extrajudiciale*. Alias divisiones sure cum voto communes habet.

Explicatur. Juramentum assertorium est, quo confirmamus id, quod affirmamus, vel negamus. Tale fuit Pauli *ad Galat.* 1. *Ecce! coram Deo non mentior*. Potestque versari non solum circa rem præsentem, & præteritam, sed etiam futuram, dummodo jurans hanc confirmet absque proposito, vel promissione eam faciendi; ut patet, quando Astrologus jurejurando confirmat suas prædictiones eventu comprobandas. Juramentum promissorium est, quo confirmamus id, quod facere promittimus, vel saltem proponimus. Tale fuit illod Davidis 3. *Reg.* 1. cum juravit, quod Salomon esset ipsi successurus in Regno. Atque hoc juramentum, in quantum est promissorium, non posse versari nisi circa rem, actionem, vel omissionem futuram, fatentur omnes, & de se patet: soletque vocabulo quasi specifico appellari *comminatorium*, quando fit de malo pœnæ inferendo. Subdividitur juramentum promissorium in *late, & stricte acceptum*. Late acceptum est, quo confirmamus id, quod facere solummodo proponimus: siquidem & propositum (quod veræ promissionis rationem non obtinet) juramento firmari potest; ut recte notat Stoz *lib.* 1. *par.* 3. *q.* 3. *n.* 183. Stricte acceptum est, quo confirmamus id, quod facere etiam promittimus. Et hæc subdivisio jam insinuata est in descriptione juramenti promissorii ut sic. Porro juramentum promissorium potest fieri vel soli Deo; & vocatur juramentum *pium*: vel in utilitatem hominis: & dicitur juramentum *non pium*. Stoz *loc. cit. n.* 364. Juramentum assertorium, & promissorium sunt duæ præcipuæ, & veluti generales species, vel quasi species juramenti (prout in conclusione indigitatum est, & declarabitur per statim dicenda) ad quas ceteræ reducuntur.

Juramentum solemne est (nominatur etiam *capitale, & corporale*) quod fit certis ceremoniis Jure humano introductis, v. g. tactu Evangeliorum, vel pectoris, erectione digitorum, aliave actione corporali. Non solemne est, quod caret ejusmodi ceremoniis.

Juramentum simpliciter invocatorium, seu contestatorium est, quo quis Deum præcise in testem *(vel fidejussorem)* vocat, dicendo, v.g. *Juro per Deum, testor Deum &c. res ita se habet*. Execratorium, seu imprecatorium est, quo quis Deum non solum vocat in testem, sed etiam in Judicem, ac Vindicem, si falsum sit, quod jurat, dicendo, v.g. *si non ita est; ut dico, vel promitto, Deus me puniat; faciat, ut hinc vivus non abeam; aut liberos hodie domi vivos non intuear; tollar subitanea morte; diabolus me rapiat, discerpat &c. æternum damner &c.* Huc etiam pertinet invocatio Dei ut bonorum Largitoris, v. g. dum quis dicit: *Sic me Deus adjuvet, me servet, mihi benefaciat, det gratiam, gloriam &c.* In istis quippe formulis, & loquendi modis intelligitur contraria execratio, puta, *non adjuvet, non servet &c.* Qui falsum jurat juramento execratorio, sive imprecatorio, non solum pejurus est, & peccat contra Religionem, sed peccat insuper contra Charitatem erga seipsum, aut proximum, si (quod tamen raro fit) sibimetipsi, aut proximo malum serio, & ex animo imprecetur. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *n.* 10.

Juramentum judiciale est, quod præstatur in Judicio: extrajudiciale, quod præstatur extra Judicium. De priore tractant Canonistæ *lib.* 2. *Decret. tit.* 2. & Civilistæ *lib.* 12. *Digest. tit.* 2. Nostri instituti est tractare de Juramento extrajudiciali tantum.

478. Quæ-

478. Quæres, an omnia juramenta sint ejusdem speciei?

Respondetur affirmative: DD. satis communiter. Ratio est: quia cum juramenti essentia consistat in invocatione Dei in testem, vel fidejussorem, materialiter, & per accidens se habet hujus invocationis modus, ac proinde speciem non variat. Unde fit, ut in confessione perjurii, aut fractæ promissionis juratæ opus non sit (quantum est ex vi juramenti, & Religionis læsæ) exprimere, quale fuerit juramentum, an assertorium, vel promissorium; an per Deum, vel creaturas? &c. Et quamvis gravius peccatum sit juramentum falsum per Deum expresse v. g. & magis obliget, quam per creaturas, non tamen inde variatur species sive juramenti, sive peccati contra illud perpetrati; cum semper Deus ipse saltem tacite in testem, vel fidejussorem adducatur in quocunque juramento, quod vere tale sit.

Dixi autem per parenthesim: *quantum est ex vi juramenti, & Religionis læsa*. Potest enim nova circumstantia peccati speciem mutans aliunde accedere: ut si proprium tuum parentem per execratorium juramentum subjicias Divinæ vindictæ: si tibi ipsi, vel proximo tuo grave malum impreceris: illud enim pietati parentibus debitæ: istud vero charitati erga seipsum, vel proximum graviter adversatur; prout supra jam insinuatum. Præterea si violes juramentum, cui innexa erat promissio, facta in utilitatem hominis, & ab hoc acceptata, non solum peccas contra virtutem Religionis, sed etiam contra virtutem Justitiæ; ut in simili dictum supra de Voto *n*.453. Quæ proinde circumstantiæ in confessione omnino aperiendæ sunt.

ARTICULUS II.

De Conditionibus, & Obligatione Juramenti.

§. I.

Quænam conditiones ad juramentum, ut validum, & licitum sit, requirantur?

SUMMARIUM.

479. *Ut juramentum sit validum, requiruntur quædam conditiones ex parte jurantis, & quædam ex parte materia.* 480. *Ut sit licitum, requiruntur* veritas, judicium, & Justitia. 481. *Qualiter peccetur, si juramento desit conditio veritatis?* 482. *Qualiter peccet, qui sine animo jurandi, & se obligandi jurat.* 483. *Qualiter peccetur, si juramento desit conditio judicii, & qualiter* 484. *si desit conditio Justitia?* 485. *An, & qualiter peccet, qui jurat rem veram, sed indifferentem, vel oppositam rei de consilio?*

479. Dico primo. Ut juramentum sit validum, requiruntur quædam conditiones ex parte jurantis, & quædam ex parte materiæ.

Explicatur. Ex parte jurantis requiritur, ut juramentum *perfecte deliberatum, perfecteque, ac directe voluntarium*; sicut votum: cum eadem circa utrinque ratio pugnet. Revide, quæ attulimus supra *n*.408. Requiritur præterea intentio Deum invocandi in testem, aut fidejussorem; prout insinuatum est *n*. 476. *in fin.* uti & animus sese obligandi, non item implendi rem juratam. Fluit ex dictis *n*.410.

Ex parte materiæ requiritur in primis, ut ea non sit illicita, seu moraliter mala. Patet ex universali Juris Regula 58. *in* 6. ibi: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Et c. 58. *de Jurejur.* ubi dicitur, *juramentum non fuisse institutum, ut esset vinculum iniquitatis*. Porro materia juramenti pii debet esse melior, ac est materia eidem per se opposita, & jam habita a jurante: quia hoc tale juramentum vel æquiparatur voto (si verem promissionem involvat) vel saltem illi assimilatur (si sit confirmatorium solius propositi) eademque militat ratio, quæ de voto; ergo utriusque materia debet esse eodem modo qualificata: consequenter &c. Revide, quæ diximus *n*.408. At vero materia juramenti non pii, principaliter in hominis utilitatem facti, est quæcunque res, actio, vel omissio sine peccato præstabilis, etiamsi sit minus bona, vel indifferens. Colligitur clare ex Regula Canonica *c*.28. *de Jurejur.* ubi habetur, *omne juramentum editum in alterius utilitatem servandum esse, si absque salutis dispendio servari possit*; nisi scilicet ab ipsomet, cui juratum est, vel a S. Pontifice, boni publici causa, relaxetur. Ita fuse Sporer *a n*.17. Stoz *loc. cit. n*.364. & alii passim. Unde qui injusto mutuatori juratus promisit usuras, tenetur eas solvere *c*.6. *de Jurejur.* & ex ratione; quod, licet forte promissio, & juramentum fuerit illicitum, non tamen fuerit de re illicita, sed licita, & citra peccatum præstabili, qualis est solutio usuræ.

Hæ quæstiones, an valeat juramentum. 1. ex metu, vel errore factum? 2. Si ejus materia sit partim honesta, partim turpis? 3. Si materia sit res bona, sed relata ad malum finem? Hæ, inquam, quæstiones resolvi debent, sicut resolutæ de Voto supra *a n*.415.

480. Dico secundo. Ut juramentum insuper sit licitum, requiruntur istæ conditiones (quas juramenti *comites* nuncupant) nempe *veritas*, *judicium*, & *justitia*. Habetur *Jeremiæ c*.4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitia*.

Explicatur. Cum veritate juratur, quando Deus vocatur in testem, aut fidejussorem rei, quam jurans, certe cognoscit, vel prudenter existimat esse veram. Cum judicio juratur, quando juratur ex justa causa necessitatis, vel utilitatis, & cum debita reverentia. Cum justitia juratur, si authoritas Dei non adhibeatur ad confirmationem rei illicitæ. Si hæc tertia conditio desit, juramentum non modo illicitum, sed & invalidum est: prout relinquitur ex dictis *n. præced.*

481. Quæres jam primo, qualiter peccetur, si juramento desit conditio veritatis?

Respondetur primo, semper peccari mortaliter, quando juramentum est assertorium, & ex perfecta deliberatione procedit. Unde quoties jurans vel scit, vel existimat, non esse verum, vel dubitat, an sit verum? quod certum jurat, toties peccat mortaliter, peccato scilicet perjurii. Est communis DD. Ratio est: quia taliter jurans adducit Deum in testem falsi, &, quantum est ex se, eundem privat sua infallibili veritate, cum ipso facto, & tacite protestetur, Deum posse fallere, aut falli, dum innuit, ipsum posse testari falsum: id quod fieri nonquam potest absque gravissima irreverentia erga Deum, ne quidem in materia levi, aut jocosa: consequenter perjurium assertorium a mortali nunquam excusari poterit ex parte materiæ, esto possit ex parte actus, seu deliberationis. Confirmatur. In illis peccatis locum non habet parvitas, per quæ Deo immediate, & directe tribuitur aliqua imperfectio; prout relinquitur ex dictis *part*.1. *n*.693. atqui per perjurium assertorium Deo immediate, & directe tribuitur aliqua imperfectio, quasi scilicet ipse vel veritatem nesciat, vel velit, aut possit decipere agendo patronum falsitatis; ergo &c. Imo major est irreverentia, & gravius peccatum, si falso juretur in re levi, quam si in re gravi: sicut enim gravius simoniæ peccatum est, majorem continens contemptum rei sacræ, si hæc vendatur pro tenui pretio, quam si pro insigni; ita & gravius perjurii peccatum est, majorem irrogans Deo, & Divinæ veracitati injuriam, si ad tenuem, quam si ad ingentem falsitatem confirmandam adducatur.

Dixi in respons. *certo jurat*, id est, rem probabilem, vel dubiam jurat ut certam. Si enim jurat ut probabilem, vel dubiam, qualis in ipsius intellectu repræsentatur, non pejerat: quia sic verum jurat. Sporer *de Juram*. *c*.1. *sect*.1. §.3. Babenstuber, & alii passim.

Dices contra respons. primo. Perjurii malitia desumitur a falsitate asserti, ad quod confirmandum Deus in testem vocatur; falsitas autem asserti potest esse major, vel minor saltem objective; cum ut sic non consistat in indivisibili; magis enim est difforme objecto, adeoque objective falsius assertum, quo quis dicit, se habere decem oculos, quam si dicat, se habere quatuor: consequenter &c.

Respondetur primo cum P. Viva *super prop*.24. ex damnatis ab Innoc. XI. *n*.9. quod argumentum possit retorqueri per instantiam in materia gravi: siquidem in ista quoque falsitas perjurii est levis, quando mendacium non est perniciosum; & consequenter perjurium etiam in materia gravi esset peccatum solummodo leve.

Respondetur secundo cum eodem Authore directe, neg. majorem argumenti, malitiam nempe perjurii præcise desumi a ratione falsitatis assertæ, ita ut illam duntaxat contingat malitiam, quam continet mendacium præsuppositum; oritur quippe ex irreverentia, quæ Deo irrogatur adducendo illum in testem falsi: quæ irreverentia cum non decrescat, sed crescat potius in materia le-

tia levi, ut diximus; neque in eadem decrescet malitia perjurii, sed potius crescet, & augebitur, eritque major, quam in materia gravi.

Dices secundo. In violatione voti dabilis est parvitas materiæ; ergo etiam in violatione juramenti assertorii.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia in violatione voti solum derogatur honori Dei extrinseco, vel (ut clarius, & rectius loquar) solum non tribuitur Deo cultus promissus, qui major, vel minor est pro qualitate, vel quantitate rei promissæ: consequenter votum recipit materiæ levitatem. At vero in omni juramento assertorio, cui deficit conditio veritatis, allegatur Deus in confirmationem mendacii, & quantum est ex parte jurantis, tribuitur illi defectus infinitæ veracitatis: idquod absque enormi irreverentia fieri nequit.

Respondetur secundo. Si conditio veritatis desit juramento promissorio, distinguendum est juxta duplicem veritatem, quæ ad hujus juramenti licentiam, & honestatem requiritur, quarum altera est præsens, futura altera. Præsens consistit in eo, quod quis juret cum intentione rem juratam exequendi. Futura in eo sita est, quod quis reipsa, & fideliter impleat rem juratam. Si juramento desit conditio primæ veritatis, seu si juretur sine animo implendi rem juratam, committitur verum perjurium promissorium, quod semper est peccatum mortale, etiamsi materia jurata sit levis. DD. communiter. Ratio est: quia juramentum promissorium respectu talis veritatis obtinet rationem juramenti assertorii; ergo sicut juramentum assertorium, quando ei deficit conditio veritatis, est verum perjurium, & semper peccatum mortale, etiam in materia levi, ita & juramentum promissorium, quando ei deficit conditio veritatis præsentis: Unde si serio jures, quod velis me cras comitari, v.g. ad venationem, non habens animum id præstandi, vere pejeras, & mortaliter peccas, tametsi res jurata sit levis. Si vero juramento promissorio desit tantum conditio secundæ veritatis, quando scilicet jurans non adimplet id, quod juramento promisit, non fit perjurium proprie dictum: nec semper peccatur mortaliter; sed vel mortaliter, vel venialiter, prout est materia jurata, gravis, vel levis, quam jurans præstare deberet, & non præstat. Ita cum S. Antonino, Silvestro, Soto, Suarezio, Laymanno, & aliis P. Sporer *loc. cit. n.* 137. Ratio est: quia in juramento promissorio, cum non præstatur id, quod promissum est, non adducitur Deus in testem falsi, adeoque non peccatur contra Divinam veracitatem, cum non tribuatur Deo fallacitas testimonii; sed solum non impletur res juramento promissa: quod tantum pugnat contra Fidelitatem, & Religionem (supposito, quod juramentum fuerit stricte promissorium; secus, contra solam Religionem) sicut violatio voti; ergo sicut in hac datur parvitas materiæ a mortali excusans, ita & in violatione juramenti promissorii qua talis, seu spectati quoad veritatem futuram.

Dices contra primum responsionis membrum. Non est peccatum mortale habere intentionem non implendi, seu non servandi id, quod sine peccato mortali potest non servari: sed juramentum promissorium in materia ex se levi potest sine peccato mortali non servari, æque, ac votum: ergo non est peccatum mortale habere intentionem non servandi juramentum promissorium in materia levi: consequenter &c.

Confirmatur. Non servare, sive non præstare, quod juratum est, non est semper peccatum mortale; ergo nec semper peccatum mortale est jurare cum intentione non præstandi, quod juratur.

Respondetur ad argumentum, majorem esse falsam, quando ex intentione non servandi juramentum promissorium sequitur, Deum vocari in testem mendacii; prout fit in præsenti casu, utpote in quo jurans & formaliter mentitur (cum verba sonent, ipsum habere animum præstandi rem juratam, quo tamen destituitur) & Deum interponit sui mendacii testem.

Ad confirmat. concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est; nam qui non præstat, quod cum intentione præstandi juratus promisit, non facit Deum testem mendacii, sed solum agit infideliter circa rem sub interposita Dei authoritate promissam, ad eum plane modum, quo non implens rem voto promissam: unde sicut in non impletione voti dabilis est parvitas materiæ; ita & in non impletione juramenti &c. At vero jurans cum intentione non præstandi, quod jurat, proprie, & formaliter mentitur, Deumque sui mendacii testem constituit: id quod fieri nequit, etiam in materia levi, absque gravi irreverentia adversus Deum; prout ex dictis liquet. P. Viva *loc. cit. n.* 14. Babenstuber *de Juram. art.* 2. *n.* 30. & alii.

482. Petes, qualiter peccet, qui sine animo jurandi, & se obligandi jurat?

Antequam respondeatur, notandum, hanc quæstionem a præcedente distingui. Nam qui jurat in sensu præcedentis quæstionis, jurat valide; cum fictio, quæ ibi intervenit, non afficiat essentiam, sed effectum duntaxat, seu obligationem juramenti, ut reipsa, & in actu secundo præstandam: quemadmodum ex dictis liquet. E diverso qui jurat in sensu præsentis quæstionis, invalide jurat; cum fictio, quæ hic intervenire ponitur, afficiat essentiam, & vim obligativam juramenti, sive (quod in idem recidit) obligationem ejus in actu primo. Revide, quæ diximus de Voto *n.* 410. Hoc prævie insinuato,

Respondetur ad quæstionem primo. Qui jurat falsum sine animo jurandi, & se obligandi, peccat mortaliter, sive materia, quam jurat, sit (1.) gravis, sive (2.) levis. Si materia sit gravis, consentiunt Authores passim: si vero sit levis, non omnibus una, eademque mens est, atque sententia. A nobis stant Viva *super propos.* 25. ex damnatis ab Innoc. XI. *n.* 6. Augustinus Michel *de Juram. §.* 4. *pun.* 4. *n.* 21. Babenstuber *loc. cit. num.* 25. Ratio primæ partis est: quia adducere Deum etiam per externam duntaxat invocationem ad confirmandum falsum, est gravis irreverentia erga Deum, & magnus abusus Divini Nominis: sicut gravis est irreverentia erga Deum adolere idolo thus, licet externe tantum. Ratio secundæ partis sumitur a simili in idololatria (idem cogita de blasphemia, & infidelitate) in qua, esto sit externa tantum, non datur parvitas materiæ; ergo neque dabitur in perjurio, licet hoc sit mere externum, & apparens.

Respondetur secundo. Qui jurat verum sine animo jurandi, & se obligandi, tantum peccat venialiter: dummodo non fiat in contractu, aut in judicio legitimo. Suarez, Sanchez, Lessius, Palao, & alii communius, quos refert, & sequitur Viva *loc. cit. n.* 7. Ratio est: quia hujusmodi juramentum fictum a parte rei nihil aliud importat, quam mendacium (quatenus ita jurans, licet rem veram juret, tamen falso jurat; quoniam dicit se jurare, cum tamen animo jurandi careat) neque Deo graviter injuriosum, neque homini ullatenus perniciosum; ergo non apparet, unde malitiam lethalem attrahat. Ant. ostenditur. Non enim graviter injuriosum Deo; quia ejus authoritatem non adducit ad confirmandum falsum, sed verum: in quo equidem versatur aliqua irreverentia, cum Deus incassum verbis invocetur: non tamen major, quam si quis voluntarie distractus oret: atqui taliter orans non committit irreverentiam gravem per se loquendo, & nisi aliunde ad attente orandum sub mortali obstrictus sit: consequenter &c.

Dices primo. Nostræ responsioni videtur obstare, quod Innoc. XI. confixerit hanc *propos. ord.* 25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Respondetur, neg. assumptum. Siquidem alte fatus Pontifex solum damnavit, quod sit licitum jurare sine animo jurandi: atqui nos non asserimus, quod sic jurare sit licitum; cum ultro fateamur, id esse venialiter saltem malum; ergo &c.

Dices secundo. Qui usurpat juramentum ad decipiendum proximum, peccat mortaliter: sed qui jurat sine animo jurandi, usurpat juramentum ad decipiendum proximum, ergo peccat mortaliter.

Respondetur, dist. maj. Qui usurpat juramentum ad decipiendum proximum cum gravi hujus injuria, & damnificatione, ut fieri amat in contractibus, & judiciis, con. secus, neg. maj. & sic distincta minore, cons. Deceptio proximi, quæ contingit in nostro casu, haud est major, quam in alio mendacio non pernicioso.

483. Quæres secundo, qualiter peccetur, si juramento desit conditio judicii?

Respondetur. Quando hæc conditio sola deest, non peccatur mortaliter. Ita cum communi Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *pun.* 3. *n.* 8. Ratio est: quia hic non irrogatur Deo gravis irreverentia, sed solum admittitur quædam vanitas, & superfluitas, quin infinitæ Dei Veracitati, alterive perfectioni derogetur. Potest nihilominus

tius peccari mortaliter, quando scilicet ex nimia facilitate jurandi incurritur periculum proximum pejerandi. Unde monet Ecclesiasticus *c.23. v.9.* ibi: *Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa, & vir multum jurans implebitur iniquitate.*

484. Quæres tertio, qualiter peccetur, si juramento desit conditio justitiæ?

Respondetur primo. Quando conditio justitiæ deest juramento promissorio, confirmatorio delicti committendi, peccatur mortaliter, sive delictum, quod confirmatur, sit (1.) grave, sive (2.) leve. Prima pars est communis. Secundam tenent contra alios fere omnes Turrianus *in select. disp. cent.3. censura Theol. dub.3.* & Augustinus Michel *loc. cit. §.4. pun.5. n.6.* Ratio utriusque partis est: quia abusus juramenti in utroque casu per se, essentialiter, immediate, & directe repugnat infinitæ Dei bonitati, & sanctitati, vi cujus æque implicat, ut Deus agat fidejussorem delicti committendi levis, ac gravis; ergo &c. Confirmatur primo. Mortaliter peccat, qui abutitur juramento ad testificationem rei falsæ, sive hæc sit magna, sive parva; ergo etiam mortaliter peccat, qui abutitur juramento ad confirmationem rei peccaminosæ, sive hæc sit peccaminosa graviter, sive leviter tantum. Ant. communiter admittitur, & relinquitur ex dictis *n.481.* Cons. ostenditur: siquidem haud minus, nec aliter posterior juramenti abusus repugnat infinitæ Dei sanctitati, ac prior infinitæ ejusdem veracitati; cum Deus tam parum possit agere fidejussorem rei peccaminosæ, quam testem rei falsæ. Confirmatur secundo itidem a pari. Qui voto promittit rem sive graviter, sive leviter solum peccaminosam, mortaliter peccat; ergo etiam, qui juramento promittit. Ant. relinquitur ex dictis *n.414.* Cons. videtur tenere; nam uterque imputat Deo immediate, & directe aliquam imperfectionem, dum ille eum arguit approbatorem, & isto fidejussorem peccati.

Respondetur secundo. Etiam quando conditio justitiæ deest juramento assertorio, confirmatorio delicti, quod hic, & nunc committitur, peccatur mortaliter, sive delictum, quod confirmatur, grave sit, sive leve. Hanc responsionem in nullo libro traditam reperio; videtur tamen fluere ex dictis *in respon. præc.* Ratio est: siquidem & hic abusus juramenti immediate, & directe repugnat infinitæ Dei sanctitati, vi cujus implicat, Deum agere testem rei peccaminosæ, quæ hic, & nunc committitur; sicut implicat, eum agere fidejussorem rei peccaminosæ committendæ, aut testem rei falsæ.

Respondetur tertio. Quando conditio justitiæ deest juramento assertorio, confirmatorio delicti jam commissi, licet gravis, non peccatur mortaliter, per se loquendo. Unde si jures, te commisisse fornicationem, non peccas mortaliter contra virtutem Religionis, esto fornicando peccaveris graviter contra virtutem Castitatis. Ita Suarez *lib.3. c.12. n.7. & 8.* Filliucius *tr.25. n.336.* Augustinus Michel *loc. cit. n.7.* Ratio est: quia malitia objecti jam contracta habet se extrinsece, & quodammodo impertinenter relate ad juramentum, cum objectum, non tam quatenus malum, quam quatenus verum, vel falsum est, in simili casu terminet, & afficiat actum juramenti; ergo in eo solum mortaliter delinquitur, quando objectum, quod juratur, est falsum; non item, quando est verum, licet existat malum: siquidem priore duntaxat jurandi modo, non item posteriore, graviter contravenitur fini juramenti, qui est dictis fidem facere &c.

Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens contingere potest, ut jurans juramento confirmatorio delicti jam commissi, mortaliter peccet: uti fieret, si cum peccato detractionis v. g. juraret alterum commisisse fornicationem. Licet enim ponatur jurare verum; abutitur tamen Divino testimonio, tanquam medio, ad inique nocendum proximo, & peccandum; quod absque gravi irreverentia erga Deum fieri nequit, etiamsi nocumentum, seu peccatum esset solummodo leve: prout fluit ex dictis *in respons.1. & 2.*

Dices. Qui juramento abutitur ad testificationem, seu confirmationem malitiæ, quam hic, & nunc sibi consciscit, aut postea consciscere proponit, vel promittit, mortaliter peccat, secundum dicta *in respons.1. & 2.* ergo etiam, qui abutitur juramento ad testificationem malitiæ, seu delicti jam perpetrati.

Respondetur, neg. cons. Disparitas eruitur ex jam dictis: quia in casu antecedentis jurans abutitur Divino testimonio, ac Nomine ad peccandum, quatenus Deo imponit assecurationem, vel testificationem actionis peccaminosæ, quam ponere cogitat, aut hic, & nunc ponit. At vero in casu consequentis non abutitur Divino testimonio ad peccandum, cum peccatum jam transierit; sed solummodo Deum vocat in testem veritatis de delicto jam commisso, ita ut ratio delicti se habeat extrinsece tantum, & veluti impertinenter in ordine ad actum jurandi, solaque veritas præcipue attendenda sit; hæc autem supponitur adesse: consequenter &c.

485. Petes, an, & qualiter peccet, qui jurat rem veram, sed indifferentem, vel oppositam rei de consilio?

Respondetur, id colligi ex dictis de Voto *num.414. respons.2.* si quæstio instituatur de jurante juramento promissorio pio: hoc quippe æquiparatur, vel assimilatur voto: ut notavimus *n.479.* Quod si quæstio instituatur de jurante juramento promissorio non pio, nullatenus peccatur, nisi forte desit conditio judicii: quia tale juramentum pro materia sibi non exposcit rem positive bonam, sed tantum non malam moraliter, & promissario utilem: prout similiter advertimus *num. cit.* Idem cum proportione sentiendum de jurante juramento assertorio.

§. II.

Quanta sit obligatio Juramenti?

SUMMARIUM.

486. Exponitur status quæstionis. 487. Obligatio juramenti in materia gravi regulariter est gravis, & in levi levis. 488. Pertinet ad virtutem Fidelitatis erga Deum, & Religionis; vel etiam Justitiæ, si juramentum vere promissorium sit non pium. 489. Potest ex intentione jurantis fieri levis, licet materia sit gravis.

486. PRænotandum, propositam quæstionem præcipue, & quasi unice procedere de juramento promissorio, utpote quod solum relinquit obligationem in futurum, de qua loquiri potest, & inquiritur, quanta sit? Hoc breviter præmisso,

487. Dico. Obligatio juramenti in materia gravi regulariter est gravis, & sub mortali; in levi autem levis, & sub veniali tantum. DD. communiter.

Probatur. Quia juramentum (promissorium) obligat ad modum voti; votum vero in materia gravi obligat graviter, & in levi leviter, regulariter loquendo: consequenter & juramentum.

388. Pertinet autem ejusmodi obligatio ad virtutem Fidelitatis erga Deum, & Religionis, si juramentum sit pium, factum soli Deo cum vera promissione: si autem sit non pium, seu confirmatorium promissionis factæ homini, & ab hoc acceptatæ, spectat insuper ad virtutem Justitiæ; cum tunc contulerit promissario, nempe homini, proprie dictum jus ad rem juratam.

489. Dixi in conclus. *regulariter*: quia & obligatio juramenti ex intentione jurantis potest esse levis in materia gravi, esto non possit esse gravis in materia omnimode levi: quemadmodum diximus de obligatione voti.

Contrarius hic est P. La Croix *loc. cit. n.429.* ubi contendit, obligationem juramenti ex intentione jurantis limitari non posse, nec esse levem in materia gravi. Rationem dat: quia omne juramentum vocat Deum in testem, cujus authoritas non suscipit magis, & minus; consequenter &c. Verum hæc ratio non videtur esse alicujus momenti. Quapropter

Contra est primo, eam retorquendo. Authoritas Dei, quem omne juramentum in testem vocat, non suscipit magis, & minus; ergo juramentum versans circa materiam minus gravem, non potest minus obligare, quam versans circa materiam magis gravem: quod nemo admiserit. Unde

Contra est secundo. Nam licet authoritas Dei non suscipiat magis, & minus subjective; suscipit tamen objective, seu terminative, quatenus interponitur ad testandam, vel confirmandam rem modo graviorem, modo minus gravem, modo levem, sive dein hæc existat levis secundum se, sive ut substat intentioni jurantis, per quam attenuetur, & instar levis promittatur.

Possent hic proponi plures adhuc quæstiones, puta 1. Quænam materia respectu juramenti possit, ac debeat censeri gravis? 2. Quando, seu quo tempore implenda

plenda sit [illegible] 3. Quando ob [illegible] plenioria mortaliter quis peccasse judicandus sit, si nullum impleverit tempus præfixerit? 4. An juratus, si prævideat fore, [illegible] juramenti executioni [illegible] impedimentum occurrat, teneatur, vel saltem possit prævenire, vel [illegible] ante illud tempus implere? 5. An juramentum obliget alios a jurante? 6. Qualiter juramentum sit interpretandum? 7. Qualiter obliget juramentum conditionatum, & qualiter pœnale? &c. Sed quoniam hæc & aliæ ejusmodi quæstiones eodem modo resolvendæ sunt, quo fuerunt resolutæ de Voto art. 2. & 3. & seq. hic non oportet illa repetere, ne absque causa necessitatis, & utilitatis convincamus loqui bis in idipsum. Porro an juramentum confirmet pacta, & contractus de Jure invalidos, videbimus part. 4. [illegible] diss. 5. Hic autem juvent afferre nonnullas quæstiones, juramenti proprias, & speciales, & nulli [illegible] commodius, quam [illegible] distinctius. Pro quibus sit

§. III.

Proponuntur, & resolvuntur aliquot Quæstiones huc [illegible] pertinentes.

S U M M A R I U M.

490. *Licet ex [illegible] causa in Juramento uti amphibologia, quæ sit restrictio pure mentalis: talis tamen [illegible] 491. Ill[illegible] reo criminis etiam capitalis, [illegible] Judice legitime interrogante. 492. Quid [illegible] Confessario, si pœnitens absolutum dicat se [illegible] 493. Quid sentiendum de juramentis Politicorum [illegible] erga filios [illegible] 495. Quid de juramentis Officialium in ordine ad deferendos Dominis eos, quos damnificantes bona eorum deprehenderint, [illegible] Quid de juramentis Mercatorum, [illegible] jurant, [illegible] tamen constare &c.*

489. **Q**Uæritur primo, an in juramento liceat uti amphibologia?

Respondetur primo. Non licet uti amphibologia, quæ sit restrictio pure mentalis, seu talis, [illegible] tota oratio, spectatis omnibus circumstantiis, prout [illegible] profertur, est absolute falsa; in mente autem aliquid subintelligitur, per quod fieret vera, si signum hujus etiam poneretur; quod signum tamen [illegible] omittitur, ut eo omisso id, quod in mente subintelligitur, nullo humano modo cognosci, & adverti queat: ut si quis interrogatus, *an scripseris literas* [illegible] se non scripsisse, subintelligendo, *quinta, vel* [illegible]. Constat nostra responsio ex [illegible] propositionibus, ab Innoc. XI. proscriptis, quarum prima (*ord.* 26.) sic habet: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua [illegible], vel quodvis aliud additum verum, [illegible] perjurus.* Secunda (*ord.* 27.) sic habet: *Causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quodlibet alium [illegible]: ut ubi [illegible] veritatis occultatio censetur tunc expediens, & studiosa.* Tertia (*ord.* 28.) sequentis est tenoris: *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus [illegible], non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.* Hæ namque omnes tres propositiones loquuntur de amphibologia, seu restrictione pure mentali; prout ex combinatione facile patebit, & traditur ab illarum Expositoribus, qui videri poterunt, & in specie P. Viva part. 2. *fol.* 109. & *seq.* Ratio insuper est: quia mendacium nunquam, & ob nullam omnino causam cohonestari, & licitum fieri potest: sed restrictio pure mentalis est mendacium (*ut* [illegible]), si adhibeatur in juramento, perjurium; ergo &c. Minor prob. Tum ex damnatione *prop.* 26. supra recitatæ, ubi Pontifex non solum proscribit usum restrictionis pure mentalis; sed etiam declarat, eam esse revera mendacium (& juramentum, illi additum, perjurium). Tum ex ratione: quia mendacium nihil aliud est, quam lo-

cutio [illegible] loquentis, [illegible] nit in restrictione pure mentali; [illegible] quis [illegible] utitur, [illegible] ratione [illegible] [illegible] in mente loquentis.

Respondetur secundo. Licitum est jurare cum restrictione non pure mentali, quæ id, quod in mente retinetur, verbis [illegible] vel ex circumstantiis, aut [illegible] verti potest. Unde 1. [illegible] quis interrogatus (quod exemplum adducit Cardenas in 3. *Crisi* [illegible]), an [illegible] hac transierit, manum in manicam inferat, quemadmodum fecisse fertur Seraphicus P. N. S. Franciscus, & jurat, non transisse hac, intelligendo, *per manicam*, licite jurat. 2. Qui vulgavit de altero crimen [illegible], quod tamen ille vere commisit, [illegible], si aliter ablatum honorem restituere nequeat, dicendo cum juramento *se alteri fecisse injuriam*. 3. Consiliarius, qui interrogatur curiose ab aliquo, quid hodie actum sit in Concilio, [illegible] a ponitur cogita de Confessario interrogatus quid [illegible] pœnitens confessus sit [illegible] si dicat, se nescire, subintelligendo, [illegible] *communicabili*. 4. Qui promisit puellæ matrimonium, & scit se hac promissione non amplius obligari, potest jurare, se non promisisse, subintelligendo, *ut teneatur promissione*. 5. Mulier, [illegible] occulte commisit adulterium, potest id marito [illegible] negare cum juramento, subintelligendo [illegible] *manifestare teneatur*. 6. Qui occidit hominem in [illegible], & Judice interrogante an occiderit, potest negare etiam cum juramento, intelligendo in eo sensu, in quo Judex interrogat, [illegible] se occidisse culpabiliter &c. Ratio horum, [illegible] quia omnia prædicta negari possunt in aliquo [illegible], quem verba in his circumstantiis prolata habent [illegible] habeant aliquem sensum. Requiritur [illegible] licitum [illegible] restrictionis justa, & [illegible] aliás [illegible] præjudicium [illegible] nec credere [illegible] juramentum [illegible] loqui, & jurare [illegible] quo sensu aliter [illegible] ordinarie [illegible] fallacis obnoxia [illegible]: prout communi habet Bonacina *tr.* 5. *disp.* [illegible] *art.* 2. *num.* [illegible] eodem [illegible] posset, [illegible] præsertim apud homines minus doctos [illegible] hoc, vel illo casu particulari non sciunt modum [illegible] veritatem per amphibologiam advertendum [illegible] quod [illegible] generice sciunt se posse absque [illegible] veritatem tegere, tamenti in hoc particulari casu modum istum ignorent. Et hinc si tales intendant jurare in sensu vero, a Viris doctis [illegible], a peccato [illegible] [illegible] *part.* 5. *disp.* [illegible]

491. Quæritur secundo, an Reus criminis capitalis, si a Judice legitime [illegible] juris ordine interrogetur, possit licite cum juramento negare delictum, adhibendo restrictionem non pure mentalem, v. g. dicendo, *crimen, quod mihi imputatur, non commisi*, subintelligendo, *ita, ut teneat fateri.*

Respondetur negative. Quæ responsio a fortiori procedit, quando Reus interrogatur de aliquo debito, aut delicto non capitali. S. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Reiffenstuel *lib.* [illegible] *Decret. ad Tit.* 18. *n.* 162. Sporer *cod. lib. & tit. q.* [illegible] *n.* 5. & alii communius. Ratio est: [illegible] quivis tenetur obedire Superiori legitime præcipienti: sed Judex legitime interrogans est Superior legitime præcipiens; cum possit, & intendat obligare (etiam in conscientia), & sub culpa interrogatum ad veritatem [illegible], ne [illegible], quæ aliunde non satis probari possunt, maneant impunita; ergo &c. Accedit, quod jus interrogandi, & [illegible] ratio respondendi, ac veritatem fatendi [illegible] illusorium foret.

Dices primo. Nimis difficile, adeoque moraliter impossibile apparet, ut quis adigatur ad dicendum contra semetipsum testimonium, maxime ubi subeundum instar [illegible] supplicium; ergo humana Judicis potestas ad illud præcipiendum porrigere se non potest.

Respondetur [illegible] conf. Nam humana quoque præcepta obligant cum periculo vitæ, ubi versatur præjudicium Reipublicæ, & boni communis; ut evenit in proposito secundum dicta, [illegible]

Dices [illegible] si Reus semel crimen negaverit, non [illegible] illud postea fateri; ergo neque &c.

Respondetur, dist. ant. Quando sententia (sive absolutoria, sive condemnatoria) jam est lata, & judicium finitum, con. secus, subdisting. si non iterum interrogetur, con. si iterum interrogetur, neg. ant. & conf. Confessio ordinatur ad conficiendum judicium; adeoque hoc finito, finitur obligatio Rei, nisi inde immineat damnum tertio, scandalum &c. de quo alibi. E diverso quando judicium needum est finitum, perstat obligatio Rei ad dicendam veritatem, si judex iterum interroget; non autem, si non interroget. Ita P. Felix Potestas tom. 2. part. 2. n. 1759.

Nihilominus opposita quoque sententia, quæ asserit, Reum posse negare [illegible] cum juramento, crimen, si hoc sit capitale, adhibendo restrictionem supradictam, non videtur improbabilis; poteritque [illegible] Confessarius, ut Reum illam sequi volentem possit [illegible] (si aliunde nihil obstet) beneficio absolutionis donare. Videatur P. Potestas loc. cit. n. 1748. ubi Authorum pro hac sententia stantium numerum satis copiosum allegat.

492. Quæres tertio, quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat se jurasse?

Respondetur, inquirendum esse 1. quibus verbis usus fuerit? multa enim verba sunt, quæ a minus instructis juratoria erronee existimantur. Quænam autem sint, vel non sint juratoria, diximus supra n. 476. Notitia per hanc inquisitionem accepta utilis est in primis ad hoc, ut, si pœnitens absque animo jurandi ejusmodi verba adhibuerit, instruatur, & edoceatur, ea non esse juramenta, adeoque velut juramenta in confessione non esse explicanda: si vero cum animo jurandi protulerit, erronea conscientia per debitam [illegible] corrigatur. Ostendatur insuper, si promissorium fuit juramentum, obligationem incumbere promissum servandi. Inquirendum 2. Confessario, an pœnitens verba protulerit cum intentione Deum vocandi in testem: nam ex hac facile deprehendet, an revera juramentum [illegible], de quo se accusat? audietque sæpius interrogando etiam veras juramenti formulas absque intentione jurandi fuisse prolatas, adeoque juramentum non contigisse. 3. Cognita intentione, & verborum sensu, [illegible] inquirendum in tres conditiones, seu comites liciti juramenti, ut de justitia, vel bonitate judicium debitam formam quærat conformiter dictis supra a numer. 48[illegible] 4. Inquirendum, an non maliciæ aliæ v. g. blasphemiæ, maledictiones, injuriæ &c. juramento fuerint conjunctæ? ut perfrequenter eas conjungi [illegible]: hoc enim necessarium est ad circumstantias speciem peccati mutantes rite dignoscendas.

493. Quæres quarto, quid sentiendum de juramentis Politicorum hujus seculi, qui simul [illegible] se non [illegible] [illegible] in primo loco non [illegible] [illegible] ad dexteram eunt, vel primi intrant?

Respondetur, aspiciendam esse intentionem sic jurantium, an scilicet intenderint vere jurare, nec ne? Si intenderint vere jurare, interrogandi sunt ulterius, an non saltem implicite, & virtualiter subjunxerint hanc conditionem; *quantum in me est, non ibo ad dexteram; domum non intrabo primus, nisi [illegible] ac comitate, alii vicerint me*; id quod plerumque contingit. Hoc ubi modo jurantes peccant quidem venialiter, quatenus in faciendo juramento vane, ac sine [illegible] formulam jurandi usurpant: non autem peccant contra juramentum jam factum, si alterius importunitate, [illegible], aut voluntate victi eunt ad dexteram, aut domum intrant primi: quia tunc sua promissi [illegible] non contravenient; ut patet. Si vero jurent absolute (quod tamen rarum est) nullam ejusmodi [illegible] quoque modo subjungentes, peccant venialiter non solum jurando (ob rationem proxime insinuatam) sed etiam id, quod jurarunt spondentes, non observando: cum juramentum promissorium in re levi transgrediantur. Quod si denique non intenderint vere jurare, haud peccabunt agendo contra juramentum, quippe invalidum; esto peccaverint circa juramentum, illud emittendo ob finem [illegible] &c. Quæ diximus, etiam applicanda [illegible], qui ex consuetudine advertenter res quascunque veras juramenti formulis confirmare solent. Dixi: *res veras*; nam si falsas, vel dubias vero juramento confirment, a mortali peccato perjurii excusari non poterunt: prout notat La Croix loc. citat. numer. 291. & alii passim.

494. Quæres quinto, quid judicandum de juramentis comminatoriis Parentum erga filios, vel Dominorum erga famulos, quibus jurant, se v. g. pœnam inflicturos, quam deinde non infligunt?

Respondetur, etiam hos tales sæpe proferre verba absque intentione jurandi; adeoque ad juramentum non obligari, esto peccaverint illud emittendo. Quod si tamen cum intentione vere jurandi verba juratoria protulisse deprehendantur, ordinarie id fecisse censendi sunt sub tacita quadam conditione, & limitatione, v. g. nisi nascatur inde gravius incommodum: nisi deprecentur veniam: nisi aliud expediens visum fuerit &c. Unde non præstando, quod jurarunt, juramentum, utpote conditionatum, & cujus conditio non est posita, haud violant, neque, quantum est ex hoc capite, peccant, esto peccaverint venialiter illud emittendo cum ipsa formula. Ita Jacobus Marchantius Resol. Pastoral. c. 2. n. 9.

495. Quæres sexto, quid censendum de Officialibus Dominorum juramento obstrictis ad deferendos Dominis eos, quos damnificatores bonorum deprehenderint, ut [illegible]?

Respondetur cum cit. Marchantio n. 14. tales sub mortali peccato obligari ad deferendum, quando damnum grave illatum; e diverso non obligari, ne sub veniali quidem, quando leve, & exiguum duntaxat damnum illatum est. Ratio primi sumitur ex officio, quod gerunt, & fideliter etiam vi juramenti, administrare tenentur. Ratio secundi est, quia non videtur esse rationabilis voluntas Dominorum, ut subditi ob leve damnum illatum gravi mulctæ, qualis ordinarie constitui fuevit, subjiciantur: consequenter nec ratio officii, nec juramentum [illegible] Officiales præstitum ad illos tunc deferendos obligat [illegible]. Excipe: nisi consuetudo, & frequentia Dominio per levia damna grave illaturum inferret; tunc enim mulctæ gravi subjici jure possent, maxime quia subditi sic facile damnificationem continuarent. Addo cum citat. Authore, quod Officiales, delationem omittendo, & dissimulando causam præbentes, ut Dominis grave damnum inferatur, istud ex Justitia resarcire [illegible] ad compensandam vero mulctam, quæ imposita fuisset, si damnificatores manifestassent, non obligentur. Ratio primi desumitur ex officii [illegible] obligatione. Ratio secundi desumitur ab opposito: quia obligatio officii, etiam stipendiati, se non porrigit ad mulctam compensandam.

496. Quæres septimo, quid sentiendum de Mercatoribus, qui jurant mercem tanti constare, sed alio sensu, quam emptor intelligat?

Respondetur. Dummodo non utantur restrictione pure mentali, aut mentiantur, nec decipere intendant, aut pretium injuste excessivum extorquere, aliudve grave damnum causare, a mortali excusantur, esto plerumque non excusentur a veniali. Ratio primi est quia non jurant absque veritate, & æquitate. Ratio secundi est: quia plerumque jurant absque judicio, seu citra necessitatem. Addit Gobat tr. 11. n. 672. eos excusari posse, etiam a veniali, per hoc, quod intelligant, & satis sciantur significare velle, se non posse cum honesto lucro ita vendere: vel per hoc, quod non intelligant nude pretium pro re empta, sed computent etiam partim expensas, partim proportionalem partem sumptuum, laborum, periculorum, curarum &c. quas, vel quæ facere, sustinere, [illegible] &c. in sua negotiatione debent: de quo a Confessario instrui deberent, quando consuetudinem prædicto modo jurandi contraxere, & difficulter deponere queunt. Sporer loc. cit. n. 41.

Quid sentiendum de juramentis ex consuetudine prolatis, eruitur ex dictis part. 1. n. 644.

ARTICULUS III.

De Cessatione Juramenti.

Quæ de Cessatione Juramenti promissorii, utpote quod solum producit obligationem permanentem, [illegible] ea cesset, aut tollatur dicenda forent, [illegible] dicta sunt de Cessatione Voti Art. 3. per tot. Revideantur, & huc applicentur ob paritatem rationis utrobique militantis.

CAPUT

CAPUT IV.

De Adjuratione.

ARTICULUS I.

Quid sit Adjuratio, quotuplex, & quasnam conditiones, ut sit licita, requirat?

SUMMARIUM.

497. *Abstruitur, quid sit Adjuratio?* 498. *Proponitur, & solvitur objectio.* 499. *Adjuratio differt a Juramento, & Oratione.* 500. *Alia est* imperativa, *alia* deprecativa. 501. *Adjuratus nulla contrahit obligationem præstandi id, quod ab eo petitur.* 502. *Adjuratio, ut sit licita, easdem proportionaliter conditiones requirit, quas Juramentum.*

497. DIco primo. Adjuratin est *actio, per quam persona quæpiam inducitur ad aliquid faciendum, aut omittendum, invocatione alicujus rei sacræ.*

Explicatur. Dicitur 1. *actio*, id est, contestatio quædam. Dicitur 2. *per quam persona quæpiam inducitur:* ut denotetur, id, quod adjuratur, debere esse præditum natura intellectuali. Dicitur 3. *ad aliquid faciendum, aut omittendum:* quia cum aliquem adjuramus, illud ab eo contendimus, nt ob amnrem vel timorem Dei, aut alterius, cujus authoritatem interponimus aliquid faciat, vel omittat. Dicitur 4. *invocatione alicujus rei sacræ:* uti sunt Deus, Angeli, & homines tam in cœlo, quam in terra existentes, si supponantur justi.

498. Objicies. Etiam creaturæ irrationales possunt adjnrari; ergo is, qui adjuratur, non necessario debet esse persona, sive natura iotellectualis.

Respondetur, dist. ant. Pnssunt adjnrari secundum se, & directe, neg. in alio, & indirecte, con. ant. & nego cons. intellectam de adjuratione directa, de qua sola hic nnbis sermo est. Secuodum se, & directe adjurari non possunt ejusmodi creaturæ; quia nequeunt percipere petitiones, & imperia (quod tamen ad adjurationem directam requiritur) ntpote non perceptibilia, nisi per intellectum, & rationem. Adjurari vero in alio, & indirecte possunt, quatenus nempe adjuratur alius (puta Deus, vel dæmon) a quo ipsæ moventur ad noois, nostrisve rebus nocendum. Videatur Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 3. *n.* 9.

499. Colliges, Adjurationem differre a Juramento, & Oratione. A Juramento differt: quia in hoc Deus adducitur ut testis veritatis; in illa autem interponitur tanquam timendus, vel amandus ab eo, qui adjuratur, ut nimirum hic timore, vel amore illius inducatur ad præstandum id, quod petitur. Ab Oratione differt: quod per hanc aliquid petamus a Deo; per illam vero petamus aliquid propter Deum, non a Deo, nisi Oratio Adjurationi conjuncta sit; ut contingit, quando adjuramus Deum petendo aliquid ab ipso propter ipsum. Ita cum aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 4. & 5.

500. Dico secundo. Adjuratio est duplex, videlicet *imperativa*, & *deprecativa*.

Explicatur. Adjuratio imperativa est, qua aliquem veluti cogimus, ut ob timorem, vel amorem Dei, aut alterius, per quem ipsum adjuramus, aliquid faciat, vel omittat. Hoc modn adjuravit Christum Princeps Sacerdotum *Math.* 26. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Adjuratin deprecativa est, qua hortando, vel rogando quempiam inducere nitimur ad faciendum, vel omittendum aliquid ob timorem, vel amorem Dei, aut alterius, per quem illum adjuramus. Hac adjuratione S. Paulus adjuravit interdum eos, ad qnos scribebat: ut *ad Rom.* 12. *Obsecro vos per Misericordiam Dei &c.*

501. Quæres, an adjuratus contrahat nbligationem præstandi id, quod ab eo petitur?

Respondetur negative: idqne verum est, sive adjuratio peragatur modo deprecativo, sive modo imperativo. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *pun. un. n.* 6. Herincx *part.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *n.* 50. & alii passim. Ratio sumitur ex natura adjurationis, utpote quæ non est instituta, vel ordinata ad pariendam in adjurato obligationem, sed ad excitandum in eo timorem, vel amorem Divini Nominis, vi cujus moveatur ad præstandum id, quod adjurans petit.

Dices. Quando Superior adjurat subditum cum imperio præstandi rem petitam, subditus tenetur obedire; ergo saltem adjuratio imperativa parit in adjurato obligationem &c.

Respondetur, dist. ant. Tenetur vi adjurationis, neg. vi præcepti a Superiore impositi, con. ant. & neg. cons. Illa obligatio non oritur ex adjuratione, sed ex præcepto eidem conjuncto: unde subditus non præstando rem petitam, seu imperatam, haud peccat contra virtutem Religionis, sed contra virtutem Obedientiæ tantum: ut cum aliis recte notat Sporer *loc. citat. numer.* 166.

502. Dico tertio. Adjuratio, ut sit licita, easdem proportionaliter conditiones requirit, quas Juramentum, nempe *Veritatem*, *Judicium*, & *Justitiam*.

Explicatur. Veritas adjurationis consistit in hoc, quod adjurans vere intendat assequi, quod adjurando petit, & causa, ob quam petit, sit vera. Alterutrum si deficiat, adjurans peccat; non tamen plus, qnam venialiter: quia in adjuratione non assumitur Divina authoritas ad confirmandam fictionem (sicut in juramento, quod proinde perjurium, & peccatum mortale est secundum dicta *n.* 481.) sed solum ad inducendum alios inductione includente leve mendacium (ut supponitur) ex parte inducentis, & ex parte inductnrum actionem, vel omissionem licitam: ubi proin nulla gravis injuria erga Deum intervenit. Sanchez *lib.* 2. *Decal. c.* 42. *n.* 5. Sporer *loc. cit. n.* 165. & alii.

Judicium adjurationis in hoc consistit, quod adjuratio (sicut juramentum) fiat ex justa causa necessitatis, vel utilitatis, adeoque oon temere, & irrationabiliter. Defectus tameo hujus quoque conditionis per se loquendo, non nisi venialiter peccaminosus est: veluti fluit ex dictis *de Juramento n.* 483. Huc revocatur modus adjurandi, vi cujus imperative is tantum adjurandus est, qui solius imperii capax est, ut dæmon; & deprecative tantum, qui nullius imperii capax est, ut Deus &c. Quod si adjurandus tam imperii, quam deprecationis capax existat, ut v. g. subditus pro justn reputatus, utroque modo, imperative scilicet, & deprecative, adiurari potest. Babenstuber *loc. cit. n.* 8.

Justitia adjurationis in eo sita est, quod adjurans petat rem licitam. Nam si res, quæ sub invocatione Dei, aut Sanctorum cum respectu ad ipsum, petitur, aut imperatur, sit illicita sive mortaliter, sive venialiter tantum, gravis Divinæ authoritati irrogatur injuria: id, quod colligitur ex dictis *de Juramento n.* 484. Siquidem hic, & ibi par ratio pugnat. Idem videtur tenendum de adjuratione circa materiam illicitam, si fiat per Sanctos, etiam sistendo in illis, & respiciendo solam eorum dignitatem, ac propriam eorum excellentiam: quæ tamen adjuratio non militat contra virtutem Religionis, sed contra virtutem Duliæ tantum: ut jam aliquoties tactum est, & insinuatum.

ARTICULUS II.

Expediuntur nonnullæ Quæstiones de Adjuratione Dæmonis.

SUMMARIUM.

503. *Quinam habeant potestatem adjurandi dæmonem?* 504. *Qualiter dæmon sit adjurandus?* 505. *Utrum dæmonis desiderio, si ex obsesso egressurus aliquid petat, liceat satisfacere?* 506. & 507. *Potest dæmon adigi ad dandum signum sui egressus ex obsesso, non vero amandari in infernum &c.* 508. *Quare dæmon non semper expellatur?*

503. QUæres primn, quinam habeant potestatem adjurandi dæmonem?

Respondetur, quod potestatem solemniter, & publice adjurandi dæmonem habeant soli Ministri rite ordinati in Ecclesia, videlicet Exorcistæ. P. Felix Potestas *loc. cit. n.* 1781. & alii communiter. Ratio est: quia universaliter in usu omnium Sacramentorum, & Sacramentalium, quorum actus quoad substantiam possunt exerceri a non nrdinatis, si exerceantur solemniter, & publice, exerceri debent a Ministris ad id deputatis; ut patet v. g. de collatinne Baptismi; ergo &c.

Dixi: *solemniter, & publice.* Nam privata potestas, cum non exerceatur per eam adjuratin, quæ sit actus Ordinis Ecclesiastici, cuilibet fideli competit: quia

Mar c. ult. indefinite, & generaliter dicitur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In Nomine meo dæmonia ejicient &c.* Ubi tamen, ut exercitium hujusmodi potestatis circa personas obsessas licite fiat, observandum est, an dæmon aliquem obsideat visibiliter, & corporaliter, vel invisibiliter, & occulte? Si primum; illius adjuratio exercenda non est absque speciali instinctu Spiritus S. eo quod tendat ad expulsionem dæmonis modo extraordinario procurandam, atque adeo spectet ad gratiam miraculorum. Si secundum; adjuratio a quolibet fideli, etiam absque speciali instinctu Spiritus S. fieri potest: sicut quilibet potest dæmonem, a quo ipse, vel alius tentatur, adjurare per Deum, & Sanctos, ut a tentando desistat. Ita cum Suarezio, Sanchezio, & Filliucio P. Babenstuber *loc. cit. n.* 15.

504. Quæres secundo, qualiter dæmon sit adjurandus?

Respondetur primo, dæmonem esse adjurandum (1.) imperative, tanquam hostem, ne hominibus sive spiritualiter, sive corporaliter noceat; non vero (2.) deprecative. DD. communiter. Ratio primi est; qui Ecclesia accepit ad id a Christo potestatem; ut patet *ex Luc. c.* 10. ibi: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo:* quemadmodum & ex continua praxi Ecclesiæ. Ratio secundi est: quia sic beneficium a dæmone liberaliter conferendum expectaretur, quod esset quædam pacti, & societatis cum ipso inchoatio, ac proinde superstitio.

Respondetur secundo, dæmonem esse adjurandum, ut aliquid faciat, vel omittat, non ob amorem, sed ob timorem Dei, vel alterius, cujus authoritatem interponimus. Est ipidem communis DD. Ratio in promptu est: siquidem dæmon tanta voluntatis perversitate obstinatus est, ut, quidquid agit, ex capitali Dei odio agat; ergo niteremur incassum, si ab eo aliquid peteremus, vel contenderemus ob amorem Dei.

505. Quæres tertio, an dæmonis desiderio, si ex obsesso egressurus aliquid petat, liceat satisfacere?

Respondetur. Tametsi plerumque consultius sit, non satisfacere, haud tamen videtur illicitum, dummodo, quod hostis malignus petit, non sit malum, & iniquum. Ita Thyræus *disp. de dæmoniac. part.* 4. *cap. ult.* Tamburinus *lib.* 3. *in Decal. c.* 8. §. 2. *n.* 14. & alii. Ratio est: quia ex una parte ejusmodi satisfactio assumitur tanquam medium (quale etiam non raro esse reipsa solet) accelerandi egressum ex obsesso; & ex altera parte nihil iniquitatis continet: consequenter &c.

Dixi tamen: *dummodo, quod hostis malignus petit, non sit malum &c.* Unde si peteret introire v. g. in alium hominem, id permitti sine peccato nequaquam posset: cum Exorcista non obtineat dominium in corpus, & vitam proximi: ut notat P. Potestas *loc. cit. n.* 1779.

506. Quæres quarto, an liceat a dæmone petere signum egressus ex obsesso?

Respondetur affirmative. Delrius *lib.* 6. *disquisit. magic. c.* 3. Alanus Pfeiffer *de Virt. Relig. fol.* 345. & alii passim. Sumitur responsio 1. ex Sacerdotali Romano, ubi expresse habetur, quod Exorcista ejusmodi signum, v. g. extinctionem lampadis, fractionem vitri &c. postulare valeat. Sumitur 2. ex ratione: siquidem exhibitio talis signi ex una parte nihil malitiæ involvit, & ex altera servit ad dignoscendum, quod dæmon discesserit, atque ideo ulteriori exorcizatione opus non sit.

507. Quæres quinto, an Exorcista possit dæmonem amandare in infernum, vel locum desertum?

Respondetur negative. Brognolus *disp.* 4. *part.* 1. *c.* 3. *art.* 5. *q.* 14. & 15. Babenstuber *loc. cit. n.* 29. Pfeiffer *fol.* 346. & alii contra alios. Ratio est; nam Exorcista id neque potest potestate naturali; cum hæc talis potestas in ipso sit longe inferior, quam in dæmone; neque potestate supernaturali; cum ista Exorcistis solum concedatur ab Ecclesia ad dæmones ab obsessis expellendos, non autem ad eos in infernum, aut loca deserta relegandos: sicut & Apostolis a Christo in illum duntaxat finem, non vero in istum, communicata noscitur.

Nec obstat, quod Angelus Raphael *Tob.* 8. *v.* 3. legatur alligasse Asmodæum, a Sara expulsum, in deserto superioris Ægypti. Id quippe factum est virtute Dei supernaturali speciali (qua etiam nonnulli Viri Sancti dæmones alligasse memorantur) vel naturali, si Raphael fuit Angelus superior Asmodæo.

508. Quæres sexto, in quasnam causas refundendum sit, quod dæmones, adhibitis exorcismis, non semper expellantur?

Respondetur, id refundendum esse in quatuor præcipue causas. Prima est defectus debitæ præparationis ad pugnam cum dæmone ineundam ex parte Exorcistæ. Qualis autem esse debeat hæc præparatio, audies infra *in Cas.* 12. Secunda sunt peccata energumenorum nondum satis punita. Tertia est defectus fidei, & spei, quo energumeni laborant, in ordine ad libertatem consequendam. Quarta est major utilitas spiritualis aut ipsorummet obsessorum, aut aliorum, qui alieno damno sapientes, vel a peccatis committendis idcirco se abstinent, vel jam commissa sacra exomologesi expiare, aliisque piis operibus redimere student. Laymann *lib.* 5. *tr.* 9. *cap.* 14. *num.* 6. Babenstuber *loc. cit. n.* 30. & alii.

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

509. *Nicostratus mortaliter peccat, dum profert verba blasphemiæ, tametsi ea non proferat animo inhonorandi Deum.* 510. *Narcissus verum nuncupat votum, dum Deum hisce precatur verbis:* Domine Deus! si sanitatem concesseris, intrabo Religionem. 511. *Nicasius, licet ex voto parentum sit devotus Religioni, eam tamen ingredi non tenetur.* 512. *Nivardus Religiosus invalide vovet, dum vovet studere post matutinum, media nocte persolvi solitum, sub conditione,* si Superior *(a quo ejusmodi studium sub pœna prohibitum novit)* dispensaverit. 513. *Nonnatus valide vovet,* 1. *quando vovet non vesci per totam vitam suam capite vitulino in honorem decollationis S. Joannis Baptistæ, nec carnibus assis in honorem S. Laurentii.* 2. *Quando vovet nullum edere votum, nisi prævie consulto sua conscientiæ arbitro.* 3. *Quando iterum de novo aliquid vovet, contra votum non vovendi, absque requisitione Confessarii.* 514. *Neomenii votum irritari a patre potest, tametsi rationabiliter dubitetur, num in statu impubertatis, vel pubertatis emissum sit?* 515. *Nemesii votum de ingredienda Religione editum sub conditione,* si sanitatem recuperarit, *ab Episcopo, vel Confessario Ordinis Mendicantium relaxari per dispensationem, vel commutationem potest* Uri & 516. *Votum Nemesiæ, quo, ex inordinato affectu erga suum sponsum, & concupitas nuptias, spopondit Ordinem Clarissarum intrare, si nuptiæ exoptatum successum non fuerint sortitæ.* 517. *Nicodemus potest valide, non autem licite, revocare testamentum conditum in favorem unius personæ, & condere aliud in favorem alterius, tametsi juraverit, se illud revocaturum.* 518. *Nicomedes mortaliter peccat, dum falso jurat se fuisse in Vesperis: venialiter autem, dum jurat vere, & cum animo jurandi, se certo cuidam pauperi denarium in stipem daturum; sed non facit.* 519. *Nicetas honesti negotii causa domum ingressus, & sub juramento a Superiore interrogatus, num ingressus sit? licite jurat se non ingressum, subintelligendo tacite,* inhonestæ rei causa. 520. *Nicolaus Sacerdos dæmonem in persona obsessa adjuraturus, instruitur, qualiter se gerere debeat respective, & possit ante, in, & post actum adjurationis.*

CASUS I.

509. *Nicostratus, miles perquam strenuus, officio Capitaneus, in S. Tribunali se accusat inter alia, quod singulis fere diebus semel, bis, vel ter blasphemaverit, istis, vel consimilibus verbis usus:* ganz Galeen Sacrament, das dico Gottes Chrysam Christi Blut schaende. *Cumque idcirco a Confessario objurgaretur, perspicue ostensa, & ob oculos posita blasphemiæ enormitate, reponit, se prællegata verba protulisse non animo inhonorandi Deum, sed ad demonstrandam iram suam vel adterrendos milites, quo promptius obedirent, ita, ut voluerit illa prolata materialiter solum, & tanquam non significativa saltem blasphemia. Quæritur, an Nicostratus, per se loquendo, mortaliter, vel venialiter tantum deliquisse censendus sit?*

Respondetur, quod Nicostratus censendus sit deliquisse mortaliter. Ita P. Paulus Segneri *in suo Homine Christiano discurs.* 8. ubi ejusmodi blasphemias stylo con-

lo conditionatoria energice perstringit. P. Elbing. tr. 5. disp. 3. art. 2. n. 395. P. Babenstuber tr. 5. dis. 3. art. 1. num. 8. & alii contra alios. Ratio est: quia præceptum Religionis non solum prohibet graviter animo Deum per blasphemiam inhonorandi, sed vel maxime ipsam quoque inhonorationem externam: atqui Nicostratus effundendo verba blasphemiæ Deum externe inhonoravit; ergo contra præceptum Religionis graviter deliquisse censendus est. Nec eidem suffragatur, quod loquiat, se verba illa non protulisse formaliter, & ut inhonorativa Dei, sed solum materialiter ob fines supra memoratos. Siquidem hæc talis protestatio est contraria facto, & idcirco inefficax ad tollendam gravitatem blasphemiæ externæ. Confirmatur. Excusari a peccato mortali nequit, qui ob metum mortis profert verba negantia fidem, tametsi careat animo illa proferendi formaliter; ergo similiter &c.

CASUS II.

510. *Narcissus, in certo quodam oppido Capellanus, cum calida febri, quam ex oppidanorum, eadem lue infectorum, visitatione contraxerat, laboraret, hisce Deum verbis precatur*: Domine Deus! si sanitatem concesseris, intrabo Religionem S. Francisci Seraphici, & Franciscanus evadam. *Sed postmodum a morbo liberatus dubitat, an ingressum antefatæ Religionis vere promiserit, vel proposuerit tantum. Utrum fecisse judicandus est?*

RESpondetur, quod Narcissus judicandus sit fecisse promissionem ingressus in Religionem. Ita cum Navarro, & Sanchezio P. Sporer *loc. cit. c. 2. sect. 1. n. 18.* Ratio est: quia cum Narcissus de intentione dubitet, an scilicet voluerit se obligare per promissionem ad ingressum Religionis, vel habuerit merum propositum ingrediendi, recurrendum est ad verba, queis usus est erga Deum: atqui verba illa significant promissionem, non quidem ut spectantur secundum se (sic enim potius denotant propositum) sed quatenus enunciantur per modum pacti (sic quippe sunt similia istis, *faciam, cum feceris; dabo, cum dederis*; adeoque contractum innominatum, & verum pactum, ac promissionem continent) atqui a Narcisso enunciata fuere per modum pacti; veluti patet consideranti; ergo &c. Tenetur proinde Narcissus Religionem ingredi, non tamen in ea perseverare, si justam egrediendi causam habeat: nam promissioni censetur inhibita hæc conditio *perseverabo, nisi justa causa impediat*. Neque tunc egressus (aut dimissus) amplius ad quidpiam, quod Religionis sit, præstandum obligatur vi voti; cum illud tunc sufficienter impleverit. Si vero citra justam causam egrediatur, voto non liberatur, sed contra illud graviter peccat; ut patet. Ceterum justa egrediendi causa censetur, quæ a levitate excusat; ut determinat Sanchez *lib. 4. c. 16. n. 99.* Unde displicentia sola Religionis non sufficit, nisi conjuncta sit cum passione, anxietate, tristitia, quæ notabili tempore depelli non possit. Justa etiam causa non est culpa, ob quam Novitius expellitur, ut notant Sotus, Aragon, & alii apud Sanchez *cit. n. 108.* limitat tamen idem Sanchez: nisi saltem mediocrem diligentiam ad culpas vitandas adhibuisset.

CASUS III.

511. *Nicasius, Theologiæ Studiosus; esto non ignoret, se ex voto parentum Seraphicæ Religioni debitum esse, præeligit nihilominus Statum Clericalem, & Presbyter secularis efficitur; quoniam ex ore sui Professoris acceperat, filios non obstringi votis parentum. Sed cum postea in SS. Paginis 1. Reg. 1. v. 11. legerat, votum, ab Anna Samuelis Matre conceptum*, si dederis servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus &c. *Deo ita gratum fuisse, ut uxorem masculo prole fecundaret, subdubitare incipit, an non filii (consequenter & ipse) votis parentum obligentur; maxime quod existimet, alias ejusmodi vota suo valore, & omni penitus effectu frustrari. Quid dicendum Nicasio?*

RESpondetur, eidem dicendum, quod voto parentum non obstringatur; adeoque non teneatur ingredi Religionem, cui parentes ipsum devoverant. Ita DD. communiter. Sumitur ex *Deuter. c. 23. ibi: Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis; & Psal. 65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*: ubi satis indigitatur, nos sic duntaxat votis obstringi, quæ propriis labiis, seu ipsimet edidimus. Confirmatur ratione adducta *n. 425.* quia obligatio voti nascitur ex voluntate propria, non aliena; ergo cadit in solum voventem, & non in alterum. Neque idcirco vota parentum suo valore, omnique effectu destituuntur. Obligantur quippe ipsosmet parentes, ut filios moraliter inducant ad præstandum ea, quæ hujuscemodi votis promissa sunt: a quali tamen obligatione liberantur, si filii non obsequantur. Sed

Dices contra respons. primo. In c. 6. *de Voto &c.* Andreæ Principi, Regis Hungariæ filio, imperatur, ut expleat votum patris, qui expeditionem Jerosolymitanam voverat; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. ajo, Andream patri morituro libere adpromisisse executionem illius voti (id quod patet ex contextu allegati *c. 6.*) ut adeo Pontifex non tam voti alieni, seu paterni (hoc namque filius non tenebatur) quam proprii promissi, Deo, & patri nuncupati, obligationem ursserit.

Dices secundo. Valet legatum rei alienæ, adeo ut, si testator sciverit eam esse alienam, & nihilominus legaverit v. g. Titio, teneatur hæres rem a domino emere; aut si is vendere nolit, legatario præstare illius æstimationem, per textum in §. 4. *Instit. de Legat.* ergo etiam valet votum rei alienæ, & vovens tenebitur saltem pretium talis rei præstare: consequenter valebit quoque votum facti alieni &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. utramque conf. Disparitas est: quia Jura præsumunt, testatorem hoc ipso, quod scienter leget rem alienam, velle, ut ea a domino pretio redimatur, vel ejusdem æstimatio præstetur, ne sua voluntas inanis sit. E diverso nulla præsumptio locum habet, quando aliquid Deo, cor nostrum intuenti, promittimus: hic enim voluntatem voventis, dum fertur (absolute) in rem vel factum alienum, gratam, ratamque non habet: consequenter &c.

CASUS IV.

512. *Nivardus, Juvenis Religiosus, Philosophiæ Studiosus, cum adverteret, tempus, pro studio deputatum, esse modicum, sibique ad penetrandas Philosophiæ abstrusas difficultates insufficiens, proponit, noctu usque ad horam vigil, & studere post matutinam media nocte persolvi solitum: atque hoc suum propositum non possit pro libito mutare, illud voto firmat emisso sub conditione*, si Superior (*a quo ejusmodi vigilias sub pœna interdictas novit*) dispensaverit. *Quæritur, an votum Nivardi sit validum?*

RESpondetur negative. Suarez *lib. 3. de Voto c. 6. n. 19.* Palao *disp. 1. pun. 19. n. 4.* Sporer *loc. cit. sect. 2. n. 14.* & alii communiter. Ratio est: quia actus voventis Nivardi versatur circa materiam prohibitam, licet sub pœna tantum; ergo non est de Bono meliori, ac est ejus oppositum; siquidem non vigilare eo tempore juxta prohibitionem Superioris, etiam pœnalem tantum, melius est, quam vigilare contra illam. Nec refert, aut confert quidquam ad valorem voti, quod Nivardus voveat sub conditione impetrandi a Superiore dispensationem. Nam, cum dispensatio sit exorbitantia a lege, sitque absolute melius legem communem servare, quam per dispensationem ab ea eximi, ideo etiam votum, sub conditione impetrandæ dispensationis conceptum, irritum est, & nullum, tanquam repugnans meliori bono, quod in voto semper, & necessario spectandum est.

Dices. Quando Episcopus v. g. vovet longinquam peregrinationem, residentiæ debitæ præjudicantem, sub conditione, *si Papa dispensaverit*, valide vovet; ergo etiam in Casu valide vovet Nivardus, dum vovet sub conditione, *si Superior dispensaverit*. Cons. tenet a pari. Ant. prob. ex *c. 7. de Voto*, ubi Pontifex Tricensi Episcopo votum Jerosolymitanum transmutat in alia pia opera; ergo signum est, quod valuerit; ergo quod in antecedente diximus, verum est.

Respondetur, neg. ant. Ratio negandi est eadem, quæ in Casu: siquidem tale votum non est de meliori bono; cum similiter melius sit legem communem Ecclesiasticam de residendo observare, & ovibus sibi concreditis invigilare, quam ex privata devotione, etiam cum Pontificis dispensatione, ejusmodi peregrinationem suscipere. Ad prob. concedo ant. & primam cons. & ne-

 go se-

go sufficiendam cum patit. Nam Episcopus Trecensis voverat peregrinationem Jerosolymitanam pro bono suæ Ecclesiæ, pro cujus defensione accessurus erat Comitem Campaniæ, tunc ibi commorantem: quod proinde votum non erat conceptum in præjudicium residentiæ; cum Episcopus, qui pro utilitate suæ Ecclesiæ absens est, censeatur Juris interpretatione præsens, ut adeo similis absentia nec sit interdicta, nec melioris boni impeditiva, sed promotiva. c. 2. de Clericis non residente. E diverso si Episcopus voveat longinquam peregrinationem ex privata devotione instituendam, votum vergit in præjudicium residentiæ, consequenter &c.

C A S U S V.

513. *Nonnatus, mercator Salisburgensis, vovet non vesci per totam vitam suam capite vitulino in honorem decollationis S. Joannis Baptistæ, nec carnibus assis in honorem S. Laurentii. Sed quoniam in servando gemino hoc voto, præsertim posteriore, magnas experitur difficultates, vovet nullum deinceps edere votum, nisi prius consulta sua conscientiæ arbitrio: quod tamen non servat, sed, absque requisitione Confessarii, de novo promittit peregrinationem ad ædem S. tam Passaviensem, quam Oettingensem. Quæritur, quid de istis Nonnati votis sentiendum?*

REspondetur primo ad primum, geminum illud Nonnati votum, nempe non vescendi capite vitulino in honorem decollationis S. Joannis Baptistæ; nec carnibus assis in honorem S. Laurentii, esse validum. Ita Augustinus Michel *loc. cit. par. 2. sect. 3. n. 23.* contra communem aliorum. Ratio est: quia utraque illa abstinentia est bona, & sancta ex duplici fine; cum Nonnatus per eam & se privet delectatione, quam ex similium comestione sentiret; & recolat memoriam martyriorum SS. Joannis, & Laurentii (qui duo fines subordinantur, & assumuntur congrue ad honorandum utrumque Sanctum) estque melior suo per se opposito, seu non abstinentia, utpote quæ ex neutro præfatorum finium positivam aliquam honestatem traheret, vel saltem non tantam, quantam abstinentia; ergo hæc est apta materia voti. Nec refert, quod Nonnatus sibi relinquat libertatem vescendi aliis cibis forte sapidioribus, & palato magis arridentibus. Non, inquam, refert: siquidem per hoc illa abstinentia non exuitur sua honestate, quoniam actus virtutis quoad perfectionem, quam sortitur ex arduitate victoriæ circa objectum delectabile, suscipit magis, & minus. Ostenditur hoc 1. ex S. Scriptura, in qua *Genes. 32. vers. ult.* laudatur mos Judæorum non comedentium nervos, aut musculos in memoriam Jacobi Patriarchæ, cui nervus femoris a tactu Angeli fuit contractus, quo Judæi non privaverint se libertate comedendi alias animalium partes procul dubio sapidiores. Ostenditur 2. Nemo enim facile inficias iverit, quod Religiosus v. g. cui apponuntur quatuor fercula, si ex motivo temperantiæ abstineat saltem ab uno; licet non optimo, exerceat actum virtutis temperantiæ. Consequenter &c. Manet ergo, abstinentiam Nonnati in utroque exemplo esse bonam ex fine; imo meliorem suo per se opposito, seu non abstinentia; esto non sit melior quæcunque alia abstinentia, quod non requiritur ad materiam voti: prout relinquitur ex dictis *n. 408.* Atque hanc Authoris supra allegati doctrinam, licet singularem, omnino [illegible] veram existimo. Sed

Dices. Votum non nendi die Sabbati in honorem B. Virginis est invalidum; ergo etiam votum Nonnati in Casu.

Respondetur, dist. ant. Si abstinentia a labore nendi non habeat congruitatem, & morale proportionem ad honorandam B. Virginem, con. si habeat, neg. ant. & conf. Quando puella aliqua v. g. delectatur labore nendi (licet communiter, & minus, quam aliis laboribus,) sibique eum laborem, mediante voto, interdicit in honorem B. Virginis, valide vovet, & meritorie abstinet; esto non supersedeat aliis laboribus: quia talis abstinentia ob privationem delectationis qualiscunque demum, quam puella nendo perciperet, est bona, & consequenter medium congruum (vel finis subordinatus congruus) ad honorandam B. Virginem, est insuper melior, quam non abstinentia; adeoque apta materia voti. Aliud dicendum esset, si puella nullo modo (adeoque nec communiter) foret affecta ad nendum: tunc quippe abstinentia a tali labore (maxime cum non abstineretur ab aliis) existeret vana, & inanis, nec cohonestaretur ex fine, v. g. ex privatione delectationis; ut de se patet: adeoque non existeret congrua ad honorandam B. Virginem, neque idonea materia voti.

Respondetur secundo ad secundum, etiam illud votum valere, juxta communem DD. Ratio est: quia non concipitur de non vovendo simpliciter (quomodo conceptum utique non valeret, cum esset per se impeditivum majoris boni: absolute enim melius est vovere, quam non vovere) sed de modo tantum non vovendi, videlicet independenter a consilio, & consensu Confessarii: qui modus omnino laudabilis est, & melior modo vovendi opposito, seu absque requisitione Confessarii.

Respondetur tertio ad tertium, etiam postremum Nonnati votum esse validum. DD. communiter. Ratio est: tum quia malitia, quæ in editione talis voti intervenit, non afficit rem voto promissam, sed solum actum vovendi: tum quia per votum non vovendi nemo seipsum reddit (& forte nec reddere potest, secundum dicenda inferius) inhabilem ad vovendum.

Petes nunc primo, an Nonnatus emittendo ultimum votum contra votum non amplius vovendi sine arbitrio Confessarii, peccet mortaliter, vel venialiter tantum?

Respondetur, eum peccare mortaliter. Sporer *n. 56.* & Augustinus Michel *loc. cit. n. 13.* contra Bonacinam, Lessium, Sanchez, La Croix, & alios. Ratio est: quia votum, ceu lex privata, quoad vim, modumque obligandi imitatur legem publicam, seu communem; ergo (regulariter loquendo) in materia gravi obligat graviter, & sub mortali, sicut lex publica; ergo, si violetur in tali materia, peccatur mortaliter. Atqui Nonnatus votum nihil amplius vovendi sine requisitione Confessarii, violat in materia gravi (qualis citra dubium est peregrinatio ad binas Ædes SS. quam contra illud vovet) consequenter &c.

Petes secundo, an Nonnatus, si uno itinere, utramque S. Ædem inviset, suæ obligationi faciat satis?

Respondetur affirmative; nisi forte, dum vovit, habuerit expressam intentionem se obligandi ad duplex iter. Et in primis hoc videtur certum, si peregrinationem ad utrunque locum voverit simul; vel successive quidem, sed memor prioris voti, dum emisit posterius. Ratio est, quia tunc non relinquitur dubitandi locus de intentione unius duntaxat itineris suscipiendi. Quod si vero posterius votum emiserit, immemor prioris, sunt, qui ipsum obligant ad duo itinera, duasque peregrinationes. Sed omnino probabile est oppositum, quod cum Palao, & Gobat sustinet P. Sporer *loc. cit. n. 99.* Ratio est: partim quia in dubio odiosa sunt restringenda: partim quia extra materiam Justitiæ, extra quam versatur Nonnatus, uno, eodemque actu duplici obligationi satisfieri potest; prout ostensum *part. 1. n. 272.*

Petes tertio, an ultimum Nonnati votum etiam valeret, si antea expresse vovisset, nihil amplius vovere sine requisitione Confessarii, unoque voluisset, votum, aliter factum, omnino esse irritum, & inane?

Respondent Sanchez, Rodriquez, Laymann, Sanct-Gallenses, Sporer, La Croix, & alii satis communiter cum distinctione. Valeret enim (inquiunt) ultimum Nonnati votum, si præcedentem voluntatem irritativam sive formaliter, & expresse, sive virtualiter, & implicite (agendo nimirum contra eam sciente, & notitia illius voluntatis) revocasset: e diverso non valeret, si præcedentem voluntatem irritativam (propter oblivionem illius) non revocasset. Sed

Respondetur rectius, ultimum quoque votum Nonnati valiturum, tametsi voluntatem irritativam præcedentem non revocasset. Ita Augustinus Michel *loc. cit. num. 16. & seq.* allegans Lessium, Filliucium, Azorium &c. Ratio est 1. Quia homo privatus non posset potestate futuros suæ voluntatis actus, sublatos, & de se effectu [illegible] irritandi, seu privandi morali virtute obligationis, cum hoc unice competat Magistratui, per *L. 7. ff. de donat. inter. vir. & uxor.* & Canonistas, atque Legistas passim; ergo licet Nonnatus expresse voluisset, ut, quidquid voveret sine requisitione Confessarii, nihil valeret, attamen votum postea contra illam voluntatem propter ejus oblivionem emissum consisteret, & validum foret. Ratio est 2. Quia ex contraria sententia plura sequerentur absurda. Sequeretur enim 1. quod quis posset unico voluntatis actu sese anticipato efficere liberum

rum pro totam vitam ab omnibus obligationibus, votorum, juramentorum, contractuum, promissionum, si semel statueret: *quidquid deinceps tota vita mea Deo, & hominibus promisero, nihil valeat:* talis nanque, quidquid postea hujus decreti oblitus faceret, nihil efficeret, nullamque obligationem contraheret. Sequeretur 2. quod Sacerdos aliquis, si semel ex ira v. g. (usum rationis non auferente) diceret: *quodcunque deinceps Sacramentum administravero, nihil esto, & antecedenter omnem meam intentionem irrito;* postea hujus propositi oblitus, nullum Sacramentum posset valide administrare, etiamsi haberet voluntatem administrandi. Sequeretur 3. quod siquis ita decerneret: *nolo posthac quidquam vovere, & siquid vovero, nihil valere cupio, & si hanc voluntatem retractavero, retractatio nulla esto;* ne retractando quidem aliquid proficeret. Quæ omnia Authori supra nominato videntur jure merito absurda: consequentur &c. Sed

Dices. Si testator condat testamentum cum clausula irritante omnem aliam dispositionem postmodum a se faciendam, condendo novum testamentum nihil agit, nisi priori clausulæ deroget, juxta *L.* 12. §. *fin. ff. de Legatis;* ergo idem tenendum in Casu Nonnati.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia Lex publica testamento, clausula irritante munito, assistit, & vim aliarum dispositionum irritativam tribuit: non autem sic assistit privatæ voluntati annullativæ, uti in Casu fuisset voluntas Nonnati: quæ proinde relate ad suum effectum, seu irritationem votorum subsequentium fuisset inefficax, nihilque obstitisset, quin Nonnatus, accedente seria intentione vovendi, valide voveret, etiamsi voveret contra illam.

CASUS VI.

514. *Neomenius, filius unicus patris sui, Syntaxeos Studiosus, nuncupat votum ingrediendi Religionem Seraphicam. Quod cum patri, absolutis studiis humanioribus intimat, reclamat is, & patria potestate utens emissum a filio votum directe irritat, esto, omnibus pensatis, rationabiliter dubitetur, an Neomenius tempore, quo voverat, adhuc impubes exstiterit? Quæritur, an pater valide agat?*

Respondetur affirmative. Ita Suarez *lib.* 4. *de Voto c.* 6. *n.* 1. Diana *part.* 4. *tr.* 3. *resol.* 37. & alii. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis: hic autem pater possidet potestatem irritativam, utpote quam certo habuit in Neomenium filium impuberem, nec amisisse censendus est per dubium filii ab illa egressum; consequenter pater manet in possessione illius potestatis, votumque Neomenii irritare potest.

Dices. Votum a Neomenio est certo emissum; ergo ipsum est in possessione: & consequenter &c.

Respondetur, concesso antecedente, dist. conf. Ipsum est in possessione relate ad libertatem voventis, con. relate ad potestatem irritativam parentis, neg. conf. Sola parentis potestas hic attendenda venit, quam fuisse, & esse in possessione, relinquitur ex proxime dictis.

Sed quid si dubitetur, an Neomenius ratificaverit votum; vel sciatur quidem, votum fuisse ratificatum, dubitetur tamen, an ratificatio facta fuerit tempore impubertatis, vel pubertatis?

Respondetur, esse præsumendum, quod votum non fuerit ratificatum, vel ratificatio facta tempore pubertatis, sed impubertatis; adeoque a patre adhuc irritari possit. Ratio est: quia non solum ratificatio voti, sed etiam assecutio pubertatis est aliquid facti, quod non præsumitur, nisi probetur: atqui in dubio non probatur; ergo nec præsumitur: consequenter &c. Quapropter & in hoc posteriore Casu possessio stat pro potestate patris, sicut in priore.

CASUS VII.

515. *Nemesius, octodecim annorum adolescens, Philosophiæ studiosus, cum periculose decumberet, spopondit intrare Ordinem Carthusianorum, si sanitatem recuperarit. Restitutus a Deo in integrum, salvusque effectus, meminit quidem sui voti, sed una prævidet, quantas in ejusdem executione difficultates habiturus sit. Quare in animum inducit, illius relaxationem petere. Quæritur, an Nemesius pro relaxatione voti recurrere ad Pontificem debeat, vel juvari ab alio possit?*

Respondetur, quod Nemesius juvari ab alio, quam Pontifice, possit, nimirum ab Episcopo, vel Confessario Ordinis Mendicantium: idque vel per dispensationem, vel saltem per commutationem, prout scilicet qualitas causæ, quam Nemesius in petitione relaxationis allegat, permiserit. Filliucius *tr.* 26. *n.* 271. Diana *part.* 1. *tr.* 11. *resol.* 53. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 34. *n.* 33. & alii contra Laymannum, Sanct Gallenses, Herincx &c. Ratio est: quia votum Nemesii non est undequaque perfectum; ergo nec Pontifici reservatum. Conf. patet ex dictis *n.* 416. Ant. ostenditur: siquidem illud votum non tam amore ingrediendæ Religionis, quam desiderio recuperandæ sanitatis conceptum est; quod plane arguit consensum diminutum in rem promissam; ergo non est perfectum ex parte consensus: consequenter &c.

Nec refert in ordine ad reservationem, quod transierit in absolutum. Siquidem per hunc talem transitum, esto amiserit imperfectionem conditionatæ, & suspensæ obligationis; non tamen amisit primam, & originariam imperfectionem consensus, ob quam (ut diximus) extrahitur, vel potius nunquam fuit de numero votorum undequaque perfectorum, & Pontifici reservatorum: consequenter &c.

CASUS VIII.

516. *Nemesia, puella nupturiens, tanto affectu fertur erga suum sponsum, & secuturas nuptias, ut palam voveat Ordinem Clarissarum ingredi, si nuptiæ exoptatum successum non fuerint sortita. Interim detegitur impedimentum, quo præscinditur omnis spes perveniendi ad nuptias usque adeo concupitas, esto se offerat occasio consequendi alias; quam Nemesia jam ambabus manibus amplecteretur, nisi conscia voti retraheretur. Accurrit proinde ad Confessarium Ordinis Mendicantium, ex eo sciscitatum, an non super simili voto dispensare, vel illud commutare valeat? Potestne ejusmodi Confessarius votum ingrediendi Religionem, a Nemesia prædicto modo emissum, per dispensationem, vel commutationem relaxare?*

Respondetur itidem, quod possit. Miranda *tom.* 1. *q.* 48. *art.* 6. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 31. & alii satis communiter. Ratio est: siquidem & hoc votum in ipsa sui emissione involvit imperfectionem consensus, & affectus erga Religionem, utpote quam concupitis nuptiis postponit; veluti circumstantias Casus pensanti pervium erit: neque illam imperfectionem exuit, dum in absolutum transit; prout relinquitur ex dictis *numer. præced.* ergo nec ipsum est undequaque perfectum: consequenter &c.

Colliges primo (ut resolutiones hujus, & præcedentis Casus amplius elucescant) aliter discurrendum esse de voto, quod emittitur sub conditione de præsenti, aut præterito, v. g. quando Titius dicit: *voveo Religionis ingressum, si Cajus frater meus natu major Viennæ in Austria existens jam susceperit ex uxore sua prolem masculam.* Tale nanque votum, si concipiatur in materia reservata (in quali concipitur modo specificatum) a solo Pontifice dispensari, aut commutari potest. Ratio est: quia ejusmodi conditio non suspendit consensum, sed sicut illa de præsenti aut existit, ac præteriit, aut non existit, ac præteriit; ita & votum de præsenti, sive actu est statim absolutum, & absolute validum, aut omnino nullum. Idem cogita de voto facto sub conditione necessaria, quæ non potest non evenire, v. g. *si cras dies erit*: hæc enim habetur pro adimpleta, cum sit necessario eventura. Quare id genus vota, etiam in fieri considerata, reipsa sunt accensenda votis absolutis, non conditionatis, & illorum, non istorum, definitione comprehenduntur: quemadmodum fluit ex dictis *n.* 408. & *n.* 415. Atqui vota absoluta, si sint talia etiam in fieri, & versentur circa materiam reservatam Pontifici, nec imperfectionem consensus annexam habeant, nemo, præter Pontificem relaxare potest: consequenter &c. Ita DD. communiter.

Colliges secundo, itidem discurrendum aliter esse de votis apparenter tantum, & non vere conditionatis, seu talibus, quibus verbotenus duntaxat adjicitur conditio de futuro; uti fit, quando particula conditionalis *si* non apponitur ad suspendendum consensum usque ad conditionis eventum, sed potius additur

ad determinandum tempus pro impletione voti, v. g. dum studiosus quispiam dicit: *voveo Religionem ingredi, si meus pater obierit;* idem quippe est, ac si diceret: *voveo Religionem ingredi; quando pater obierit*. Tale ergo votum est similiter reipsa absolutum, & si emittatur in materia reservata (prout emittitur immediate memoratum) nec aliunde quidquam ad reservationem desideretur, a nemine, nisi a Pontifice relaxari potest. Suarez *lib. 6. de Voto c.* 12? *n. 6.* Sanchez *lib. 4. cap. 40. n. 82.* & alii.

Colliges tertio, etiam de votis vere conditionatis non uno, eodemque modo universim esse discurrendum. Aliqua enim involvunt conditiones continentes motivum, *&* incitamentum ad vovendum; uti in Casu præcedente, ubi involvitur hæc conditio: *si sanitatem recuperavero*; & in Casu præsente, ubi includitur ista conditio: *si nuptiæ exoptatum successum non fuerint sortitæ*. Quæ conditiones ambæ, & id genus aliæ ad vovendum impellunt (ut patet consideranti) atque idcirco voventis consensum diminuunt, & secundum quid imperfectum efficiunt. Alia e diverso involvunt conditiones præcise impedimentum removentes; ut quando maritus dicit: *Religionem intrabo, si mea uxor mihi licentiam dederit;* vel filius: *si meus parens consenserit*. Quæ conditiones (ut vel obiter pensanti pervium erit) non impellunt ad vovendum, adeoque nec minuunt consensum voventis; sed solum removent impedimentum, quo remoto vota transeant in absoluta, & actualem obligationem producant. Vota conditionata prioris generis, etiam postquam transiere in absoluta, relaxari ab Episcopo, aut Confessario privilegiato possunt, licet ceteroquin respiciant materiam reservatam: quia tametsi per conditionis purificationem perdiderint imperfectionem suspensæ obligationis; retinuerunt tamen, semperque retinent imperfectionem consensus: ut in resolutione utriusque Casus dictum, & declaratum est. At vero vota conditionata posterioris generis possunt equidem relaxari ab Episcopo, vel Confessario privilegiato, priusquam transeant in absoluta; cum pro tunc etiamnum imbibitam habeant imperfectionem suspensæ obligationis: non autem postquam, conditione purificata, migravere in absoluta, siquidem tunc imperfectionem suspensæ obligationis perdiderunt; & imperfectione consensus nunquam laboraverunt (sicut vota prioris generis) consequenter evaserunt undequaque perfecta. Michel *loc. cit. n. 25.*

CASUS IX.

517. *Nicodemus, vir dives, & absque liberis, Nicasiam œconomam suam heredem instituit, juravitque, se testamentum non revocaturum: sed postea, facti pœnitens, revocato hoc testamento, aliud condidit in favorem alterius personæ, quam & heredem scripsit. Quæritur, an Nicodemus valide, & licite egerit?*

Respondetur primo. Nicodemus valide egit. Ita Dicastillo *lib. 2. de Justit. tr. 19. disp. 1. n. 266.* Burghaber *centur. 2. cas. 51.* & alii. Ratio est; nam in primis testamentum ex se est revocabile, nec juramento impeditur, quin valide revocetur; siquidem adjectio juramenti solum inducit, & superaddit obligationem Religionis, qua jurans sub reatu gravis peccati, nempe perjurii, incurrendo obstringitur ad illud non revocandum. Deinde facultas testandi (adeoque aliud testamentum faciendi) non aufertur per juramentum; cum hoc non adjiciatur priori testamento per modum clausulæ irritantis posterius testamentum, & quamvis tali modo adjiceretur, posset tamen eidem valide derogari, haud minus, ac alteri clausulæ irritanti: prout fit hoc ipso, quod quis novum testamentum faciat: quemadmodum fecisse ponitur in Casu Nicodemus. Consequenter &c.

Respondetur secundo, quod Nicodemus non egerit licite. Dicastillo *loc. cit. n. 263.* Cardinalis de Lugo *disp. 24. de Justit. n. 25.* & alii Theologi satis communiter contra Gomez, Azorium &c. Ratio est: quia omne juramentum editum in alterius utilitatem servandum est, si absque salutis dispendio, id est, sine peccato, servari possit, per Regulam Canonicam *c. 28. de Jurejur.* allegatam *n. 479.* atqui juramento editum est in utilitatem alterius, videlicet Nicasiæ, & sine peccato servari potest; ergo servandum est: consequenter testamentum illo firmatum illicite revocatur, & aliud conditur. Min. quoad primum membrum patet consideranti; quoad alterum vero ostenditur: quia non revocare testamentum nec Jure naturali, nec Divino, nec humano saltem Ecclesiastico (quod sufficit; cum Jus Civile in hac materia, utpote reverentiam Juramenti tangente, non sit curandum) prohibitum est; ergo juramentum de non revocando versatur circa objectum licitum: consequenter &c.

Dices. Testamentum est revocabile, quandiu testator vivit; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Testamentum, secundum se spectatum, est ita revocabile, con. spectatum cum juramento de revocatione non facienda, subdist. est revocabile valide, con. licite, neg. ant. Simile juramentum, esto non auferat potestatem valide revocandi primum testamentum, & condendi secundum; facit tamen, ut testator sit perjurus, si illud revocet, & istud condat.

Instabis. Juramentum sequitur conditionem actus, cui adjicitur; ergo cum testamentum, secundum se spectatum, sit revocabile etiam licite, erit & sic revocabile spectatum cum juramento.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Juramentum sequitur conditionem actus, si hanc non excludat, & separet ab actu, trans. secus, neg. ant. & cons. Nam juramentum de non revocando testamento conditionem licitæ revocabilitatis, in testamento, secundum se spectato, imbibitam, excludit, & separat ab actu, sive testamento, cui adjicitur: consequenter &c.

CASUS X.

518. *Nicomedes adolescens parenti suo interroganti jurat, se hesterna Dominica interfuisse Vesperis; cum tamen tempore Vesperarum luserit chartis. Jurat præterea, se certo cuidam pauperi denarium in stipem daturum, quod tamen non facit. Qualiter in utroque Casu peccare censendus est?*

Respondetur, quod Nicomedes in primo Casu mortaliter peccare censendus sit; in secundo autem venialiter tantum. Ratio responsionis quoad primam partem est: quia Nicomedes committit verum perjurium assertorium, licet circa materiam duntaxat levem; quod semper, seu in omni materia est mortale peccatum; cum Deo immediate, & directe affricet aliquam imperfectionem, nimirum fallacitatem testimonii: prout expositum est *part. 1. n. 693.* Ratio responsionis quoad secundam partem est: qui supposito animo vere jurandi, & rem juramento promissam præstandi (qualem in Casu supponimus) Nicomedes præcise non exequendo, quod promisit, agit solummodo contra juramentum promissorium qua promissorium est, & quatenus includit veritatem de futuro duntaxat; illudque violat tantum in materia levi; atqui juramenti promissorii dicto modo spectati violatio in materia levi est venialis; cum non sortiatur rationem perjurii; nec attribuat Deo immediate, & directe aliquam imperfectionem, v. g. fallacitatem testimonii, aut aliam: consequenter &c.

CASUS XI.

519. *Nicetas honesti negotii causa domum suspectam intravit, ibique de eo locutus fuit suspectæ feminæ. Nicetæ ingressus ad Superiorem delatus fuit. Unde ipse sub juramento interrogatus, an domum illam fuisset ingressus, ibique feminæ locutus? jurat, se neutrum fecisse, subintelligendo tacite,* inhonestæ rei causa. *Quæritur, an licite juret?*

Respondetur affirmative. DD. communiter. Ratio est: quia licitum est jurare cum restrictione non pure mentali, si accedat justa, & rationabilis causa, secundum dicta *n. 490.* Sed Nicetas jurat cum restrictione non pure mentali; idque ex justa, & rationabili causa; ergo &c. Min. ostenditur. Nam in primis Nicetas se intrasse domum, & feminæ locutum, jurejurando negat in aliquo vero sensu, quatenus non intravit, nec feminæ locutus fuit *rei inhonestæ causa*; ergo jurat cum restrictione non pure mentali. Deinde habet justam causam sic jurandi; ne scilicet diffametur, vel etiam gravi pœnæ subjiciatur: consequenter &c.

CASUS

C A S U S XII.

520. Nicolaus, Ordinis Seraphici Sacerdos, invisit suum D. Germanum, in certo quodam Oppido Parochum. Cumque varios misceant discursus, enarrat inter alia Parochus, qualiter parochiana quapiam a dæmone, a quo jam per triennium obsessa sit, exagitetur, & discrucietur; unaque rogat Nicolaum, ut malignum hostem in obsessa adjurare velit. Addicit suam operam Nicolaus, dummodo prævie obtenta fuerit licentia Episcopi, sine qua negat (& recte) se id audere. Acceptat hanc conditionem Parochus, & licentiam petit, ac impetrat. Quæritur jam, qui se gerere debeat respective, & possit Nicolaus ante, in, & post actum adjurationis?

RSpondetur. *Ante actum adjurationis* 1. Nicolaus dare operam debet, ut veniat in notitiam, an persona vere a dæmone obsideatur (nam hominibus id asserentibus non illico credendum est) ne alioquin remedium Ecclesiæ periculo frustrationis temere exponatur. Signa autem ejusmodi obsessionis præcipua sunt: si arreptitius loquatur idiomate antea sibi ignoto, aut ita loquentem Exorcistam intelligat: si canat, legat, scribat, aliave opera artis exerceat, quæ prius non calluit: si e loco, in quo existit, dimoveri, etiam a viris robustis, nequeat. Tamburinus *lib. 3. in Decal. c. 8. §. 2. n. 1.* & alii communiter.

2. Comparata ea notitia, Nicolaus armis spiritualibus adversus dæmonem se muniat. Ante omnia autem arripiat *scutum fidei*, quo juxta Apostolum *ad Ephes. 6.) possit omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Deinde conscientiam a peccatis emundet; in oratione ad Deum, ejusque ardenti amore; ferventi recitatione Symboli; nec non jejuniis, aliisque carnis afflictionibus per aliquot dies se exerceat: siquidem res sancta, qualis est ejectio dæmonis, sancte inchoanda, & pertractanda est. Et licet ejusmodi præparationes non sint simpliciter necessariæ; sunt tamen admodum utiles, & proficuæ, ut sine iis sæpenumero Exorcista nihil aut parum efficiat. Laymann *lib. 5. tr. 9. cap. 14. n. 5.*

3. Nicolaus ipsam quoque Energumenam adhortetur, ut confessionem peccatorum instituat; pœnitentiæ operibus vacet; piis ad Deum precibus insistat; spem firmam concipiat, se per merita Passionis Dominicæ a tam diro hoste liberatum iri. Licet enim Exorcismi vim expellendi dæmonem habeant per communes Ecclesiæ preces, seu suffragia, plurimum tamen ad eundem effectum obtinendum confert bona Energumenæ dispositio. Nec abs re faciet Nicolaus, si in illum ipsum finem aliorum quoque hominum comprecationes imploret. Laymann *loc. cit.*

In ipso actu adjurationis. Nicolaus ad expellendum dæmonem 1. uti debet Exorcismis, in Ecclesia, seu Romana, seu Diœcesana sua usitatis: siquidem peculiares Exorcismi, proprio ingenio, & marte compositi, vel sunt suspecti, vel certe minus efficaces. Filliucius *tr. 24. c. 8. n. 217.* Adhibeat præterea frequenter signum crucis, cum fide, reverentia, & recordatione Passionis Dominicæ: item aquam benedictam, quippe contra machinationes dæmonis specialiter exorcizatam: item cereos, palmas, Agnos Dei, SS. Reliquias, SS. Imagines &c. Laymann *loc. cit. n. 6.*

2. Potest Nicolaus dæmonem imperative interrogare illa, quæ pertinent, & conducunt ad ipsum e corpore pellendum: cui enim licitus est finis, licita quoque censentur media, ad illum finem impetrandum conducentia: Nicolao autem licitus est finis, nempe dæmonis expulsio: consequenter &c. Ex quo fit, ut Nicolaus licite interroget *nomen dæmonis*; sicut interrogavit Christus *Marci 5.* quia conveniens est, ut ipsi nominatim præcepta imponat: *causam ingressus*, ut ea sublata (si tolli queat) minuatur dæmonis in hominem potestas; & ipse facilius ejiciatur: *numerum obsidentium*, an scilicet unus, vel plures in eodem corpore existant? ut sciat, contra quot hostes sibi dimicandum sit. Ita (teste Sanchez) Sacerdotale Romanum, monens Exorcistam, ut in prædicta inquirat.

3. Licitum quoque est Nicolao (non tamen facile practicandum) Energumenam alapis, & flagellis cædere; dummodo id faciat moderate, & in contemptum dæmonis: quia (ut itidem testatur Sanchez) ex historiis constat, dæmones alapis, & flagellis; fumo quoque, & sputis fuisse ejectos. Nec refert, si dicas, quod ejusmodi actiones, utpote corporeæ, in Spiritum infernalem, cen incorporeum, ejusque expulsionem, nullum exercere influxum valeant. Esto enim non possint exercere influxum physicum, & directum; possunt tamen exercere influxum moralem, & indirectum, quatenus superbissimum ille Spiritus, perspiciens sese ita contemptibiliter tractari, & confundi, præ contumeliarum impatientia e suo domicilio emigrare veluti compellitur: Dixi autem: *dummodo id faciat moderate*: cogitare enim debet, se esse Exorcistam, non tortorem, aut carnificem. Dixi præterea: *& in contemptum dæmonis*: siquidem præfatæ actiones non possunt alia ratione conducere ad liberationem personæ obsessæ, quam quatenus cedunt in contemptum, & confusionem dæmonis obsidentis; ut proxime dictum. Unde si dæmon ipse petat, aut præscribat, ut persona obsessa alapis, aut flagellis cædatur, aliove simili modo affligatur in corpore, obsequi Exorcista non debet, nec potest: siquidem eo casu actiones illæ, cum exercerentur juxta voluntatem dæmonis, non in ipsius despectum, sed favorem potius, vel obsequium, redundarent. Babenstuber *tr. 5. disp. 3. art. 3. n. 25. & seq.* cum pluribus aliis a se relatis.

4. Cavere e diverso Nicolaus debet, ne cum dæmone jocetur: aut prolixos, vel superfluos discursus misceat: quia sic præbet illi ansam hominibus in anima vel fama nocendi, puta eos inducendi ad vitia superstitionis, carnis, superbiæ &c. innocentibus crimina affingendi; nocentium peccata occulta revelandi &c. Babenstuber *loc. cit. n. 24.*

Porro qualiter dæmon adjurandus sit, & quænam præterea inter adjurandum licita, vel illicita sint? relinquitur ex dictis *n. 504. & seqq.*

Post adjurationis actum abstinere Nicolaus debet 1. ab omni quæstu, aut munere accipiendo, ne dona Spiritus S. videatur venalia facere. 2. Si Exorcismi felicem successum habuerint, id Deo, a quo profectum est, & Passioni, ac meritis Christi totum adscribat; sibi, suæque probitati, aut scientiæ nihil arroget. Si vero contrarium acciderit, & Exorcismi sine exoptato effectu adhibiti fuerint; non debet commoveri animo, sed consolari cum ipsam personam obsessam, tum alias propter eam quoquo modo afflictas, ostendendo, quod Deus juxta sapientissimam suam providentiam sæpius soleat immittere, vel permittere afflictiones corporales, earumque continuationem, in bonum Spirituale afflictorum: Exorcismi quoque ob varias causas (*n. 508.* recensitas) quandoque effectum suum non consequantur &c. Laymann *loc. cit. n. 6.*

D I S P U T A T I O III.

De tertio Præcepto Decalogi.

VI hujus præcepti jubebantur olim Judæi sanctificare Sabbatum; ut legere est *Exodi 20.* Nunc præcipitur Christianis observatio Festorum tum Dominicalium, tum aliorum a S. Matre Ecclesia Institutorum. Porro ad observationem Festorum duo pertinent, nempe *auditio Missæ, & abstinentia ab operibus servilibus*, ac quibusdam aliis non servilibus, quæ nuncupari *forensia* solent.

C A P U T I.

De Auditione Missæ.

A R T I C U L U S V.

Qualiter, & quosnam obliget præceptum die festo audiendi Missam?

S U M M A R I U M.

521. Præceptum die festo audiendi Missam obligat sub mortali ex genere suo. 522. Assignantur conditiones, quæ ad satisfaciendum huic præcepto requiruntur. 523. Præter auditionem Missæ nullæ aliæ actiones in die festo exercendæ injunguntur vi dicti præcepti, in quantum est affirmativum. 524. Præceptum audiendi die festo Missam obligat omnes baptizatos, usum rationis habentes.

521. Di

521. DIco primo. Præceptum die festo audiendi Missam obligat sub mortali ex genere suo. Constat ex prop. inter damnatas ab Innoc. XI. *ord.* 52. quæ sic sonat: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Accedit ratio: quia præceptum illud latum est, & stringit ex motivo Religionis; consequenter pertinet ad virtutem Religionis, quæ obligat sub mortali ex genere suo.

522. Quæres primo, quænam conditiones requiruntur, ut huic præcepto satisfiat?

Respondetur primo. Ex parte audientis Missam (præter intentionem, & attentionem, de quibus videri, & huc applicari possunt dicta *n.* 268. *& seqq.*) requiruntur *præsentia physica*, & *assistentia moralis*. Physice præsens quis dicitur, quando vel reipsa existit in loco, in quo Missa celebratur; vel inibi existere censetur ob modicitatem distantiæ, quæ saltem juxta prudentum æstimationem reputatur pro parva, & nulla. Hinc satisfacere præcepto audiendi Missam potest, qui in templo post columnam, vel extra templum in ejus atrio, aut cœmeterio, aut sacristia, aut platea publica contigua, ex signis, & gestibus aliorum, intra, vel extra præsentium, aut aliunde cognoscit, quid in ara fiat: quia similis distantia a loco Missæ est parva tam secundum se, quam secundum æstimationem prudentum; imo secundum hanc reputatur pro nulla: Dixi *quæ saltem juxta prudentum æstimationem &c.* Nam distantia secundum se magna, prudentum arbitrio judicatur quandoque parva, & nulla; ut proinde non obstet, quin sic distantes possint audire Missam. Unde navigantes ex suis triremibus, & milites ex suis tentoriis possunt procul dubio audire Missam, quæ in littore, aut campo publico celebratur: quia prudentum judicio censentur loco Missæ sat vicini, esto, si spatium distantiæ secundum se æstimare velimus, inde notabiliter distent. Ita cum aliis P. Cherubinus Mayr *in suis Thes. de Præcept. audiendi Missam fol.* 257. *n.* 292. Moraliter assistens dicitur, qui assistit libere, & modo humano. Unde memorato præcepto satisfacere potest, qui metu adactus interest Missæ: quoniam metus libertatem, & humanum agendi modum non impedit. Oppositum propter oppositam rationem dicendum de dormiente, plene ebrio, amente &c.

Respondetur secundo. Ex parte ipsius Missæ requiruntur *integritas*, & *unitas*, *seu continuitas*. Vi prioris conditionis Missa audienda est integre (ut integritas supponit pro integritate non tantum substantiali, sed etiam accidentali) adeo, ut omittens partem Missæ peccet vel mortaliter, si pars, quam omittit, sit notabilis; vel venialiter, si non sit notabilis. Ratio hujus est: siquidem Ecclesia non solum præcipit auditionem Missæ, prout hæc importat rationem Sacrificii secundum se, sed etiam, prout complectitur omnes ceremonias ad Sacrificium concurrentes. Vi posterioris conditionis tota Missa audienda est ab uno celebrante, ita saltem, ut non satisfaciat, qui duas (vel plures) Missæ partes *simul* audit a diversis celebrantibus, v. g. ab uno initium usque ad Consecrationem, & ab alio Consecrationem usque ad finem. Patet *ex prop.* confixa ab Innoc. XI. quæ est *ord.* 53. & sic habet: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.* Ratio quoque suffragatur: quoniam Missa essentialiter est quædam res successiva; ergo non potest constitui ex partibus eodem tempore simul existentibus: consequenter &c. An vero satisfaciat, qui *successive* audit duas Missæ medietates a diversis celebrantibus? commodius decidetur *art. seq.* Hic autem

523. Quæres secundo, an præter auditionem Missæ sint quædam aliæ actiones in die festo exercendæ vi hujus præcepti, in quantum est affirmativum?

Respondetur cum communi DD. negative. Ratio desumitur ex ipsis præcepti terminis, quibus nulla alia actio, quam auditio Missæ, imperatur. Unde non est obligatio aliis publicis Ecclesiæ precibus, seu Horis Canonicis assistendi, vel concionem audiendi per se loquendo, & quantum est ex vi hujus præcepti, ab Ecclesia determinati: de quo hic nobis præcise sermo est. Per accidens tamen, & vi præcepti naturalis, potest quis graviter obligari ad audiendam concionem, ut ex ea discat (si aliunde non didicerit, aut discere possit) quæ ad salutem scitu necessaria existunt.

Dices. Tempore Paschali Eucharistia sumi debet inter Missarum solemnia *per can.* 10. *Apostolorum*; ergo saltem Communio Paschalis die festo peragenda præscribitur, & præcipitur.

Respondetur, neg. ant. & ad *cit. can.* aio, cum contraria fidelium consuetudine sublatum esse. P. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *n.* 226.

524. Dico secundo. Præceptum audiendi die festo Missam obligat omnes baptizatos, usum rationis habentes.

Probatur. Quia præceptum illud indefinite, & generaliter prolatum est; ergo se porrigit ad omnes obligationis, quam imponit, capaces: quales sunt cuncti, & soli baptizati, usum rationis habentes.

Dixi 1. *Omnes baptizatos.* Unde se non extendit ad non baptizatos; uti sunt catechumeni, Turcæ &c. siquidem ob defectum Baptismatis non existunt membra Ecclesiæ, neque ejusdem jurisdictioni, & præceptis subjecti sunt.

Dixi 2. *Usum rationis habentes.* Unde Missam audire non tenentur amentes, plane ebrii, & alii usu rationis undecunque destituti: uti nec pueri ante septennium; cum necdum rationis usum habere præsumatur, utpote quem ante illud ordinarie non assequuntur. Nec refert, quod in nonnullis usus rationis maturius, & ante septennium irradiet. Siquidem Ecclesia in ferendis suis præceptis non attendit ad id, quod raro, sed quod communiter fit.

ARTICULUS II.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

525. *Unde dignosci possit, an quis peccet mortaliter; vel venialiter tantum, quando aliquid de audienda Missa omittit?* 526. *An satisfaciat præcepto audiendi Missam, qui successive a diversis celebrantibus audit duas Missæ medietates? vel qui interest* 527. *Missæ ab uno Sacerdote celebratæ, sed sub eadem consecratæ.* 528. *Quot, & quænam sint causæ ab auditione Missæ excusantes?*

525. QUæres primo, unde dignosci possit, an quis peccet mortaliter, vel venialiter tantum, quando aliquid de audienda Missa omittit?

Respondetur, aspiciendum esse, an id, quod omittit, sit pars Missæ notabilis, vel non notabilis? Si primum; mortaliter peccat: si secundum; venialiter tantum. Porro ut discerni valeat, utrum pars, quæ omittitur, existat notabilis, nec ne? attendenda est non tam quantitas, quam qualitas ejus: prout recte advertunt Illsung *tr.* 5. *disp.* 2. *n.* 160. & Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 297. Declaro rem exemplis. Itaque mortaliter peccat, qui non est præsens tempore Consecrationis, aut Sumptionis. Ratio est: quia licet neutra pars, quantitative spectata, existat notabilis, qualitative tamen considerata, reputari notabilis quælibet debet; cum utraque pertineat respective vel ad essentiam, vel ad substantialem integritatem Missæ, per dicenda *part.* 5. *tr.* 3. Similiter lethalis culpæ reum se constituit, qui a toto Canone absens est, licet sit præsens tempore Consecrationis: quia tametsi Canon non sit pars Missæ quoad essentiam & substantialem integritatem spectatæ; est tamen pars, & quidem principalis, eaque satis prolixa, ejusdem Missæ consideratæ quoad ceremonias, pro Sacrificio perficiendo præscriptas. E diverso qui tantummodo abest tempore Oblationis verbalis, sive antecedentis Consecrationem, quæ vocatur *Offertorium*; sive subsequentis, quæ fit per illa verba: *Unde & memores &c.* non nisi venialiter delinquit: quia quælibet ex prædictis oblationibus est pars Missæ non solum accidentalis, sed etiam valde brevis. Pariter a mortali excusandus est, qui venit in templum ante initium Epistolæ, vel Evangelii, vel (ut multi probabiliter tenent) Offertorii; eo quod Missa Christianorum (teste Isidoro) olim primum inceperit ab Offertorio. Idem satis communiter admittitur de eo, qui omittit illa, quæ S. Communionem subsequuntur; cum non constituant partem Missæ notabilem: ut patet consideranti. Quod siquis discedat e templo, accepta Sacerdotis benedictione, antequam legatur Evangelium S. Joannis, etiam a veniali excusari potest; cum probabile sit

(ut

(ut tenet La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 662.) Evangelium S. Joannis non esse partem Missæ; haud quidem ex ea præcise ratione, quod antiquitus, accepta benedictione, Missa fuerit finita, omnesque potuerint recedere (alias enim a veniali excusari posset, qui data opera primum venit ante Offertorium, utpote a quo antiquitus Missa primum incipiebat) sed inde, quod hodiedum, quando Sacerdos dicit: *Ite missa est*, finem Missæ, & abeundi facultatem populo annunciare censendus sit, postquam benedictionem obtinuerit.

526. Quæres secundo, an satisfaciat præcepto audiendi Missam, qui successive a diversis celebrantibus audit duas Missæ medietates?

Respondetur negative, Suarez *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 88, *sect.* 2. Azorius, Fagundez, Illsung, & alii plurimi, quibus nuperrime subscripsit P. Cherubinus Mayr. *loc. cit. n.* 299. Idque verum existimo, sive illæ medietates audiantur ordine recto v. g. ab uno celebrante initium Missæ usque ad Consecrationem, & ab altero Consecratio usque ad finem; sive ordine inverso, puta ab uno celebrante Consecratio usque ad finem, & postmodum ab altero initium usque ad Consecrationem. Ratio unica, sed convincens est: quia Ecclesia obligat ad audiendam Missam, quæ sit unum, & integrum Sacrificium: atqui successive audiens (sive recto, sive inverso ordine) duas medietates Missæ a diversis celebrantibus, non audit Missam, quæ sit unum, & integrum Sacrificium; ergo &c. Maj. supponitur, Min. ostenditur. Siquidem diversorum Sacrificiorum partes ad singula Sacrificia per intentionem celebrantium individualiter determinatur; ergo partes unius Sacrificii relate ad partes alterius omnino se habent disparate, proindeque coalescere non possunt, nec constituere unum (sive physice, sive moraliter) & integrum Sacrificium. Sed

Dices primo cum P. La Croix. Qui audit Missam a duobus Sacerdotibus v. g. ab uno usque ad Consecrationem inclusive, & ab altero sumente Hostiam consecratam, & peragente reliqua usque ad finem Sacrificii (prout fieri deberet, si prior Sacerdos subito moreretur, aut aliter deficeret) satisfacit præcepto audiendi Missam; ergo similiter &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia in casu antecedentis fit unum, & integrum Sacrificium; cum partes subsequentes ex intentione Sacerdotis supplentis determinentur, & in eum finem coadunentur cum antecedentibus. Secus est in casu consequentis, quemadmodum ex dictis liquet.

Dices secundo cum eodem Authore. Qui transponit, seu ordine inverso recitat partes Breviarii, v. g. Horas Minores ante Matutinum, & Laudes, satisfacit præcepto recitandi, ita ut non peccet mortaliter: ergo etiam sic satisfacit præcepto audiendi Missam, qui hujus partes transponit &c.

Respondetur primo, neg. conf. & suppositum, quod transpositio partium in casu consequentis sit formalis, & immediata causa, cur audiens non satisfaciat (quoniam nec satisfaciat, si duas Missæ medietates audiat ordine recto) sed ejusmodi causa est defectus unitatis, & integritatis, quem committit, dum illas medietates a diversis celebrantibus audit, sive dein eas audiat ordine recto, sive inverso.

Respondetur secundo, dist. conf. Satisfacit, qui partes Missæ transponit, si non destruat unitatem, & integritatem substantialem Sacrificii, transeat; si destruat, uti destruere, seu non servare maxime convincitur, dum partes Missæ audit ordine inverso, neg. conf. & parit. Nam recitans Divinum Officium ejusdem diei ordine inverso, & transponens partes, nihil ad essentiam, vel integritatem Orationis requisitum destruit; cum ordo ille, quo Matutinum, & Laudes ante Horas Minores dici debent, Officioni Canonico solum sit accidentalis: cujus proinde inversio nihil importat præter culpam venialem, si absque causa fiat.

Ex dictis colligere potes, oppositam sententiam non esse formaliter damnatam: quia propositio confixa (quam attulimus *n.* 522.) expresse loquitur de audiente *simul* duas medietates &c. Virtualiter tamen damnatam opinantur P. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 3. *num.* 2799. & alii plures. Fundamentum esse potest; quia propositio illa est confixa, quod *simul* audiens duas medietates Missæ a diversis celebrantibus, non possit dici audire unam, & integram Missam; atqui nec audiens *successive*, potest dici audire unam, & integram Missam; ut supra ostendimus: consequenter ratio, ob quam illa propositio est confixa, etiam hic militare censenda est: id quod sufficit, ut sententia de successiva auditione virtualiter damnata dicatur. Responderi tamen ita opinantibus posset, propositionem de simultanea auditione confixam esse ex duplici ratione. Prima est, quod per illam non audiatur unum, & integrum Sacrificium. Altera, quod non sufficiat successiva attentio ad singulas Sacrificii partes, quam tamen Ecclesia intendit, & præscribit. Prima ratio militat etiam in sententia de successiva auditione; non item secunda (ut patet) consequenter hæc talis sententia non potest dici virtualiter damnata: ad hoc enim requireretur, ut tota, & adæquata ratio damnationis in ea reperiretur. Sed quidquid sit de hoc, saltem intrinsecam, & veram probabilitatem in sententia de auditione etiam successiva invenire non possum, ideo a compluribus, iisque gravissimis Authoribus ut probabilis sustineatur; quia plane, si eam penitius inspicere velimus, deprehendemus, quod non nitatur ratione aliqua momentosa, ex qua ei intrinseca, & vera probabilitas concilietur. Perstiterunt indubitanti animo, quæ hucusque attulimus in favorem nostræ responsionis.

527. Quæres tertio, an satisfaciat præcepto audiendi Missam, qui sub ejus celebratione sacramentaliter confitetur?

Respondetur negative. Ita post Castropalaum de Lugo, Arriagam, Tamburinum &c. P. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *num.* 254. contra Escobar, Reginaldum, Gobat, & alios. Ratio est: quia confessio Sacramentalis sua natura distrahit pœnitentem ab attentione ad auditionem Sacri requisita; quemadmodum experientia probat. Excusari tamen confitens saltem a mortali poterit ob parvitatem materiæ, quando nimirum confessio est admodum brevis, & non fit, dum peragitur pars aliqua essentialis, vel substantialis, v. g. consecratio, vel sumptio: nulla enim pars si peragitur durante confessione, brevitas illius nihil suffragatur confitenti, ne eundem a mortali excusaret: quod bene notandum; & ideirco monendus confitens, ut, interposita confessione, ad ejusmodi partem attendat.

Dices: Confitens, præterquam quod supponatur esse præsens in loco Missæ, & habere intentionem audiendi Missam, occupatur actione pia; ergo non apparet, quid ipsi desit ex requisitis ad auditionem Missæ.

Respondetur, dist. ant. Occupatur actione pia, impediente tamen attentionem non solum internam, sed & externam, quæ utique est unum ex requisitis ad auditionem Missæ, transeat non impediente eam attentionem, neg. ant. & conf. Nemo plane asseret, satisfacturum præcepto audiendi Missam, qui tempore, quo ea celebratur, consulit Theologum circa casus conscientiæ, etiamsi hæc actio sit pia, ac consulens supponatur in templo præsens, & habens intentionem audiendi Missam: prout recte scribit P. Stoz *loc. & n. cit.*

Oppositam sententiam ob defectum intrinsecæ, & veræ probabilitatis, quo eandem laborare censeo, practicare non auderem, nisi in casu, in quo adesset causa excusans ab auditione Missæ.

528. Quæres quarto, quot, & quænam sint causæ ab auditione Missæ excusantes?

Respondetur, esse præcipue quinque sequentes, videlicet *Impotentiam physicam*, *Impotentiam moralem*, *Pietatem*, *Officium*, & *Consuetudinem*.

Impotentia physica, seu naturalis excusat: quia ad impossibile (maxime quod est physice tale) nemo obligatur. Ex isto capite excusantur, in carcere detenti; iter agentes per loca, in quibus nullum sacrum celebratur; ægroti, quibus ob corporis debilitatem e lecto surgere, vel domo exire non est integrum.

Impotentia morali excusat: siquidem Ecclesia, utpote pia, & benevola Mater, non obligat ad servanda sua præcepta cum notabili difficultate, aut incommodo sive spirituali, sive temporali. Hoc titulo excusantur, qui templum accedere non possunt sine periculo incurrendi peccatum, infamiam, vel diminutionem honoris; contrahendi morbum, aut refundendi in eum; subeundi jacturam saltem mediocrem in bonis fortunæ, vel cessationem notabilis lucri. Eodem titulo excusantur longius a loco Sacrificii distantes, nec potentes Ec-

clesiam

clesiam adire sine gravi molestia, & difficultate. Ubi tamen non solius distantiæ, sed vel maxime etiam personarum, sexus, ætatis, tempestatis &c. habenda est ratio: fieri enim potest, ut, qui certo tempore non distantiæ est per paulo longius conficiendum sit, excusentur tamen tempore nivis, aut magnæ pluviæ: ut recte advertit P. Stoz lib. 1. part. 3. n. 260. Unde existimo, non posse regula generali facile definiri, quanta distantia ad excusandum ab auditione Missæ requiratur, & sufficiat. Volunt equidem Auctores permulti, sufficere distantiam unius horæ respectu peditum. Sed merito reclamat P. Babenstuber tr. 5. disp. 4. art. 1. n. 26. ubi negat, homines rusticos corpore validos ob distantiam unius horæ excusari, quando cælum est serenum. Quare judicio prudentis determinandum censeo, quænam distantia in particulari, pensatis circumstantiis, quarum supra meminimus, sufficere queat &c.

Pietas, seu Charitas proximi excusat: quoniam hæc stringit ex Jure naturali, quod fortius ligat, ac Jus Ecclesiasticum; consequenter dum ambo concurrunt, posterius priori cedere debet. Hoc modo excusantur, qui assistunt ægrotis sive pro solatio spirituali, sive pro necessario auxilio ferendo: item matresfamilias, nutrices &c. pro custodiendis infantibus &c. domi manentes.

Obedientia excusat eo quod ipsa melior sit, quam victima. Sic excusantur, qui custodiunt castra, urbem, gregem &c. nisi vices mutare possint: item coqui, vel coquæ, quibus ex officio incumbit suis dominis parare prandium &c.

Consuetudo excusat: ista enim, ut legem inducere, ita & tollere, vel [illegible] potest. Hac tali ratione excusantur puerperæ, quæ post partum per aliquot septimanas, etiam viribus jam recuperatis, domi manent: item aurigæ, habentes jus consuetudine quæsitum, vehendi aliquid die festo, quæ tamen vehere non possent citra notum notabile damnum, si tempus Missæ expectare deberent.

Moveri adhuc posset, hic potuisset [illegible] quæstio, an fideles satisfaciant præcepto audiendi Missam, in quocumque demum loco eandem audiant? Sed commodius illam proponemus, & resolvemus part. 3. tr. 5. ubi de Sacrificio Missæ.

CAPUT II.

De Abstinentia ab operibus servilibus, & quibusdam aliis servilibus, & quibusdam Jure annexis.

ARTICULUS I.

Qualiter, & quatenus obliget præceptum de abstinendo [illegible] die festo abstinendi?

SUMMARIUM.

529. & 530. Opera hominis alia sunt servilia, alia liberalia: media eliminamus. 531. Unde desumenda illorum differentia? 532. Præceptum die festo abstinendi ab operibus servilibus, & quibusdam aliis, obligat sub mortali ex genere suo. 533. Cur sola opera servilia sint prohibita? 534. & 535. An omnia opera servilia, & quænam alia sint prohibita? 536. Quænam obligat præceptum a prædictis operibus abstinendi?

529. Prænotandum primo, opera hominis alia esse servilia, alia liberalia. Servilia sunt (inquit Illsung tr. 5. n. 166. La Croix lib. 3. part. 1. n. 574. & Babenstuber tr. 5. disp. 4. art. 2. n. 1.) quæ per se, & principaliter ad [illegible] vires corporis, vel in commodum corporis [illegible]: cujusmodi sunt arare, fodere, secare, in horrea convehere, texere, suere, tornare &c. Liberalia sunt, quæ per se, & principaliter ad [illegible] animæ, & ad institutionem animi ordinantur (licet in eorum exercitio interveniat & quidem [illegible], nihilominus corporale) qualia sunt studere, docere, cantare, pulsare organa &c.

530. Prænotandum secundo, opera hominis a plerisque Theologis dividi trifariam, videlicet in *servilia*, *liberalia*, & *media*, seu *communia*. Servilia appellant, quæ plerumque solent exerceri a servis, seu hominibus plebeis. Liberalia vocant, quæ plerumque solent exerceri a liberis, seu hominibus non plebeis. Media, seu communia nuncupant, quæ tam a liberis, quam servis promiscue exerceri solent. Hujusmodi esse volunt, venari, piscari, aucupari, ludere, choreas ducere &c. Verum hæ descriptiones, & consequenter etiam trimembris illa divisio potius etymologica, & nominalis est, quam realis. Ratio est 1. quia realis differentia operum hominis desumi debet ex fine eorundem per se, & principaliter intento: atqui hujuscemodi finis est solum duplex, nimirum corporalis, & intellectualis, prout colligitur ex dictis n. præced. nec ipsi Adversarii negare possunt; ergo etiam opera hominum sunt solum duplicia. Ratio est 2. siquidem venari, piscari, aucupari, quæ ab Adversariis inter opera communia reponuntur, reipsa sunt opera servilia; prout expresse tradit P. Babenstuber loc. cit. n. 7. & alii Adversarii passim; ergo trimembris illa divisio non potest esse realis; cum duo membra dividentia reipsa coincidant in unum, sibique non opponantur, prout ad legitimam divisionem necessarium est. Rejecto igitur tertio divisionis membro (quale Adversarii esse contendunt opera media, seu communia) tanquam superfluo, & inepto, retinendam censeo divisionem bimembrem in opera hominis servilia, & liberalia tantum, utpote quæ ipsas res definitas præcipue spectat, & observat; nec tamen excludit etymologiam nominum; siquis opera servilia suam appellationem sumere possunt a corpore, quod animæ servire natum; & liberalia ab anima, quæ est libera pars hominis, & quasi domina corporis humani.

531. Prænotandum tertio, differentias operum servilium, & liberalium non esse desumendas ex quolibet fine, quem vel operans particularis intendit, vel opus per accidens attingit; sed ex fine communi, & per se intento: prout n. præced. jam insinuatum, & suppositum fuit. Nam siquis artem mechanicam, v. g. sculpturam, tornaturam &c. delectationis gratia exerceat, non ideo desinet esse opus servile: quia hic talis finis non est finis communis, & per se intentus illorum operum. Similiter opera quædam liberalia etiam corpori conducunt (ut patet in musica, quæ melancholiam pellere, perturbationes sedare, & nonnullos morbos curare nata est) nec tamen propterea evadunt servilia: siquidem finis ille est per accidens, & non per se intentus ex natura, aut institutione talium operum. His graviter prænotatis,

532. Dico ad quæstionem primo. Præceptum die festo abstinendi ab operibus servilibus; & quibusdam aliis Jure annexis, obligat sub mortali ex genere suo. Constat. ex prop. damnata, quam attulimus n. 521. ubi etiam ex ratione: quia virtus Religionis, ad quam & hoc præceptum pertinet (quippe ordinatum ad cultum Dei) obligat sub mortali ex genere suo. Dari autem posse in hac tali obligatione parvitatem materiæ, nemo negat; cum ea versetur circa materiam divisibilem, seu suscipientem magis, & minus.

533. Quæres primo, quare Ecclesia festo solum prohibuerit opera servilia, & non etiam liberalia? cum tamen hæc posteriora, ceu occupationes mentis, hominem magis detineant, & a Divino cultu impediant, quam illa priora; ut patet, v. g. de studio, Philosophico, Juridico, Theologico, quod magis (vel omnino, & simpliciter) impedit orationem v. g. quam labor corporalis?

Respondetur, Ecclesiam id fecisse duabus de causis. 1. Ut imitaretur legem Dei olim Judæis traditam *Levit. 23. vers. 25. Omne opus servile non facietis in eo.* 2. Quia non potuerunt omnes occupationes prohiberi: siquidem homines ex una parte non possunt, imo nec debent esse otiosi; ex altera vero non omnibus libet toto die orationi insistere &c. ergo necesse fuit, vel saltem congruum, ut Ecclesia aliqua opera permitteret: maluit autem permittere liberalia, quam servilia: tum quia liberalia paucorum sunt, servilia plurium: tum quia, tametsi liberalia privatim unum hominem magis occupent, quam servilia, tamen publice non ita alios impediunt: prout impediunt, & suo strepitu, ac tumultu perturbant servilia.

534. Quæres secundo, an omnia opera servilia sint prohibita die festo?

Respondetur, omnia esse prohibita, exceptis iis, quæ ob certas causas n. 546. referendas permissæ sunt. Sumitur ex illo Levitici supra: *Omne opus servile non facietis*

cietis in eos quod ab Ecclesia universaliter receptum esse, ostendit communis usus, & praxis fidelium. Idem clare habetur *in c. 3. de Feriis.*

535. Quæres tertio, quænam opera non servilia, sive liberalia, prohibita sint in die festo?

Respondetur, tria præcipue esse prohibita, nempe *Mercatum*, *Placitum*, & *Juramentum*. Nomine Mercatus intelliguntur nundinæ non tantum annuæ, sed etiam hebdomadariæ: item actus mercandi, v. g. contractus emptionis, venditionis, locationis, permutationis &c. P. Stoz *lib. 1. part. 3. n. 266.* & alii passim. Huic tamen prohibitioni (quæ extat *in c. 1. de Feriis*) per contrariam consuetudinem magna ex parte derogatum esse, experientia constat.

Nomine Placiti intelliguntur tres speciales actiones, ad strepitum judicialem pertinentes, videlicet citatio, processus ipse, qui fit per causæ cognitionem, examinando testes, exhibendo instrumenta &c. & sententiæ prolatio. Hæ itaque actiones non solum in ordine ad causas criminales, sed etiam civiles, uti & spirituales saltem aliquas (quales sunt beneficiariæ, & matrimoniales) die festivo prohibentur; imo & annullantur (aliter, ac Mercatus, qui *cit. c. 1. de Feriis* solum prohibetur) adeo, ut litigantes non possint huic annullationi cedere, utpote factæ ob finem publicum, v. g. Religionis, cui fini nemo privatus derogare potest: quemadmodum expresse habetur *c. ult. de Feriis*. Haud tamen sub ista prohibitione comprehenduntur actus jurisdictionis voluntariæ; ut sententia excommunicationis (aut alterius censuræ) vel absolutio ab eadem &c. Item privatim informare Judicem, consulere Advocatum &c. Siquidem hæc, & similia non exposcunt strepitum forensem. Augustinus Michel *tom. 1. part. 2. in append. 2. sect. 7. pun. 3. n. 11.*

Nomine Juramenti per *c. 1. de Feriis* prohibiri non solum venit juramentum judiciale, quod fit coram Judice, sed etiam extrajudiciale, quamvis non omne, sed illud duntaxat, quo firmantur contractus, & conventiones sub nomine Mercatus prohibitæ. Ita cum aliis P. Babenstuber *loc. cit. n. 13.* Ratio est: quia prohibito principali, etiam accessoria prohibentur; & concesso principali, etiam accessoria conceduntur.

536. Dico secundo. Præceptum die festo abstinendi ab illis ipsis operibus, in prima conclusione memoratis, obligat omnes baptizatos, usu rationis pollentes. Ratio est eadem, quæ supra *n. 524.* de præcepto audiendi Missam. Particulæ insuper conclusionis eodem modo exponendæ sunt, sicut fuerunt expositæ *numer. cit.* Unum tamen discrimen est circa Hæreticos, quod tangetur, & dabitur inferius *n. 549.*

ARTICULUS II.

Resolvuntur variæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

537. *Edere, & bibere sunt opera servilia.* 538. *Exercere vero musicam, liberale.* 539. & 540. *An scriptio & transcriptio; item opera typographiæ, accenseri debeant operibus servilibus, vel liberalibus?* 641. *Pingere probabilius est opus servile.* 542. & 543. *Venari, piscari, aucupari; uti & iter facere pedibus, equo, curru, vel navi, computari debent inter opera servilia.* 544. *An opera servilia die festivo licite fiant, si exerceantur gratis absque spe lucri, vel ex bono fine?* 545. *Per quantum temporis spatium possit aliquis die festivo serviliter laborare, ut non censeatur mortaliter peccare?* 546. *Causæ, ab obligatione feriandi die festivo excusantes, sunt* Pietas erga Deum, Pietas erga proximum, Necessitas, & Consuetudo.

537. Quæres primo, an edere, & bibere sint opera servilia?

Respondetur cum Augustino Michel *loc. cit. pun. 1. n. 30.* affirmative. Ratio: quia per se, & principaliter ordinantur ad usum, & sustentationem corporis. Permissa tamen sunt ipso Jure, & licita etiam die festo; eo quod sint homini necessaria.

538. Quæres secundo, an exercere Musicam sit opus liberale, & idcirco licitum die festo?

Respondetur affirmative. Author *cit. n. 11.* Ratio est: quia licet Musica aures demulceat, & sic ordinetur ad delectationem corporis; non tamen in causalitate ejusmodi delectationis sistit, sed in animam quoque descendit, & ad hujus delectationem, & institutionem per se, principaliter, ac ultimate refertur.

539. Quæres tertio, an scribere, & transcribere sint opera servilia, vel liberalia?

Respondetur, esse liberalia, adeoque licita die festo. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 15. num. 4.* Fagundez, Bonacina, Palao, & alii satis communiter. Ratio est: quia neutra harum actionum principaliter ordinatur ad exercitandas vires corporis, nec per se deservit corpori; sed utraque suapte natura præcipue tendit ad exercitandas vires animæ, & declarandos conceptus mentis; sive dein hi sint proprii, sive alieni; quod non refert, nec operis naturam immutat.

540. Quæres quarto, an opera typographiæ sint servilia, vel liberalia?

Respondetur primo. Actualis literarum in chartam impressio est opus servile, & idcirco in die festo prohibitum. Ita DD. omnes, quos ad manum habeo, excepto Augustino Michel, qui *loc. cit. n. 16.* ex fundamento statim adducendo, & refutando communem sententiam theorice in dubium revocat, quamvis addat ab eadem in praxi non recedendum. Ratio autem nostræ responsionis sumitur ex descriptione operis servilis, *num. 529.* allata, & data per propositionem Disjunctivam, ad casus verificationem satis est, quod alterutra pars sit vera: atqui alterutra, seu una pars illius descriptionis, & propositionis est vera in præsenti; cum prædicta impressio per se, & principaliter ordinetur ad exercitandas vires corporis, ut experientia constat; ergo illa descriptio, & propositio hic verificatur: & consequenter memorata impressio sortitur rationem operis servilis.

Dices cum Authore supra nominato. Illa impressio non differt a scriptione (quid enim interest, num calamo, an alio instrumento signa conceptuum expressiva formes?) ergo sicut scriptio est opus liberale, ita & impressio &c.

Confirmatur cum eodem Authore. Finis impressionis est instructio animorum per libros impressos, sicut scriptionis per libros scriptos; ergo &c. Hoc argumentum, ejusdemque confirmatio multum negotii possunt facessere illis, qui opus servile simpliciter definiunt *actionem per se ordinatam in commodum corporis*; & liberale *actionem per se ordinatum ad instruendum intellectum*; non item nobis, qui utrunque opus aliter descripsimus; prout relegere est *n. cit.* Unde nostris descriptionibus insistendo,

Respondetur ad argumentum, dist. ant. Illa impressio non differt a scriptione relate ad unum finem partialem, qualis est instructio intellectus, transeat. relate etiam ad alterum finem partialem, qualis est exercitatio virum animæ, neg. ant. & cons. Descriptionem operis liberalis cum permultis aliis Authoribus dedimus (secus, ac descriptionem operis servilis) per propositionem copulativam, quæ ad sui verificationem requirit, ut utraque pars sit vera; adeoque ut opus liberale per se, & præcipue ordinetur cum ad exercitandas vires animæ, tum ad instruendum intellectum: utrunque autem in proposito assequitur scriptio, non item impressio, utpote quæ per se, & principaliter ordinatur ad exercitandas vires corporis, non animæ. Unde

Ad Cons. dist. similiter ant. Animorum instructio est finis illius impressionis, finis partialis, transeat. finis totalis, neg. ant. & cons. Opus specificatur a fine totali, non partiali. Quare cum scriptio finem operis liberalis totalem assequatur, non item impressio, illa erit opus liberale, secus ista. Neque instes, dicendo, quod impressio pariter non assequatur finem totalem, sed partialem duntaxat operis servilis, cum non ordinetur in commodum corporis, esto ordinetur ad ipsius exercitationem; adeoque nec participet rationem operis servilis. Negatur enim assumptum: siquidem quivis istorum finium est totalis, & adæquatus, seorsim attactus; & quivis sub disjunctione ut talis exprimitur in operis servilis descriptione.

Dixi in utraque respons. ad argument. scilicet, & Confir. *transeat*. Siquidem Authores plerique volunt, instructionem animorum esse finem impressionis remotum, & per accidens tantum, non vero per se intentum. Sed hoc gratis dicunt, & oppositum revera convincitur per argumentum, & confirmationem, proxime ad

me adducta: prout recte judicat Augustinus Michel *loc. cit.* cui proinde (quantum ad hoc punctum) libens adstipulor: id quod fieri potest citra præjudicium nostræ responsionis ad Quæsitum: veluti relinquitur ex dictis.

Respondetur jam ad Quæsitum secundo. Ordinata collocatio characterum apud typographos præsupposita impressioni non est opus servile, sed liberale; adeoque licitum in die festo. Laymann, Sporer, Clericatus, & alii plures, quos refert, & sequitur Cherubinus Mayr *loc. cit. num.* 320. contra alios. Ratio est: quia collocatio illa ex una parte præcipue procedit ab anima, & ad hujus vires exercitandas ordinatur; ex altera vero per se, & suapte natura (licet mediate tantum, mediante scilicet impressione) ad illustrandum intellectum tendit; ergo &c.

541. Quæres quinto, an pingere sit opus servile, vel liberale; adeoque illicitum, vel licitum die festo?

Respondetur, esse opus servile: consequenter die festo illicitum. Ita communior, mihique probabilior sententia, quam tenet Cajetanus, Fagundez, Suarez, Bonacina, Palao &c. Ratio est: quia actio pingendi, esto ordinetur ad exercitandas vires animæ, non tamen per se tendit ad institutionem mentis (adeoque non assequitur finem totalem operis liberalis) sed solum ad assimilandam imaginem rei veræ, quam repræsentat, & isto fine, qui utique corporeus est, obtento quiescit; adeoque per se deservit corpori, & finem operis servilis assequitur. Quod autem ex illa assimilatione oriatur aliqua voluptas animi, & excitetur memoria rei repræsentatæ, per accidens est, & ab arte pictoria per se non intentum, quippe cui sufficit fecisse imaginem similem suo prototypo, nec curat de altero effectu.

Dices. Scriptura est opus liberale; ergo & pictura.

Respondetur, neg. Disparitas est: quia scriptura non solum ordinatur ad exercitandas vires animæ, sed etiam ad exprimendos conceptus mentis, imo est ipsamet expressio ejusmodi conceptuum, & locutio externa permanens: adeoque assequitur finem totalem operis liberalis. E diverso pictura, esto ordinetur ad exercitandas vires animæ (quæ exercitatio est finis inadæquatus operis liberalis) non tamen per se ordinatur ad exprimendos conceptus mentis (in quo situs est alter finis inadæquatus operis liberalis) sed ad assimilandam imaginem rei veræ; ut dictum: consequenter &c.

Nihilominus opposita quoque sententia vere, id est, non solum extrinsece, sed etiam intrinsece probabilis est, atque secure in praxim deducibilis; præsertim cum accedat notoria consuetudo, qua pictores ægre sibi persuaderi sinunt, ut diebus festis pictura omnino supersedeant: nec Magistratus Ecclesiastici, aut Civiles eosdem propterea, tanquam festi violatores, punire solent, sicut alios opifices. Atque pro hac sententia stant Medina, Sayrus, Ludovicus Lopez, Sporer (qui eam appellant probabilissimam) & alii, nixi fundamentis non spernendis, quæ apud ipsos videri possunt. Ex quo fluit, matronas, & domicellas nobiles non esse reprehendendas, quæ diebus festis pingere acu solent sive ad declinandum otium, sive ob aliam causam non malam: dummodo Divina non negligant: ut recte notat P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 322. & alii ab ipso relati.

Limitant tamen etiam hujus sententiæ Patroni doctrinam suam, solumque volunt, pingere esse opus liberale, & licitum die festo, si actio pingendi spectetur secundum se; secus, si spectetur, sive sumatur cum magno apparatu, qualis consistit in contritione, & mixtione colorum; in edolatione tabularum; præparatione telarum &c. hæc enim, & similia etiam per ipsos sunt opera servilia, & idcirco ante diem festum anticipanda, aut post illum differenda. Pariter sunt opera servilia, tingere pannos; colorare asseres; dealbare parietes. P. Babenstuber *loc. cit. n.* 6.

542. Quæres sexto, an venari, piscari, aucupari, sint opera servilia, vel liberalia?

Respondetur, esse servilia. Ita cum Fagundez, Palao, Laymann, Reding, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 7. Ratio est: quia recensitæ actiones per se ordinantur ad commodum corporis; eo quippe tendunt, ut animalia prehendantur, occidantur &c. indeque parentur escæ corpori, vel comparetur lucrum ex venditione illorum: recreatio autem animi, quam Nobiles prætendere suerunt, finis est operantium, non operum; adeoque istorum naturam immutare nequit. Confirmatur efficaciter ex *c.* 3. *de Feriis*, ubi Pontifex dispensasse legitur in piscatione balecum, qui certis duntaxat diebus comparent, & commode capi possunt, ac præcepisse, ut piscium captorum portio daretur Ecclesiæ; ergo est signum indubitabile, piscationem (idem ob eandem rationem cogita de venatione, & aucupio) inter opera servilia numerandam: si enim opus liberale foret, nulla dispensatione opus fuisset. Hodie tamen omnes illæ actiones cohonestantur, & festis quoque diebus (nisi forte scandalum obstet) licite exercentur, ex consuetudine, scientibus, & tolerantibus Ecclesiæ Prælatis introducta: dummodo non sint conjunctæ cum magno apparatu, & strepitu.

543. Quæres septimo, an iter facere pedibus, equo, curru, vel navi, accensendum sit operibus servilibus, vel liberalibus?

Respondetur, accensendum esse operibus servilibus, Ita Abulensis in *c.* 12. *Exodi q.* 27. Reginaldus in *Tribun. pœnit. lib.* 19. *n.* 38. Cajetanus, Sotus, Augustinus Michel contra plerosque alios. Sumitur 1. ex S. Scriptura *Act.* 1. *vers.* 12. ubi Judæi judicabant, sibi non esse licitum die Sabbati ultra mille passus conficere: quod proinde vocabatur *iter Sabbati*; ergo itinerationem agnoscebant pro opere servili. Sumitur 2. ex ratione: siquidem iter facere pedibus per se ordinatur ad exercitationem corporis; illud vero facere equo, curru, vel navi per se ordinatur ad commodum corporis: consequenter &c. Necessitas tamen, vel consuetudo, vel utraque simul itinerationem quamcunque de facto cohonestat, & licitam reddit: consequenter etiam opera saltem aliqua, v. g. equos parare, currui jungere, in flumine, vel lacu remos ducere &c. ad illam peragendam necessaria.

544. Quæres octavo, an opera servilia die festivo licite fiant, si exerceantur gratis absque spe lucri, vel ex bono fine, v. g. ad evitandum otium?

Respondetur negative. Palao *tr.* 9. *de Festis pun.* 5. *n.* 3. & alii communiter. Ratio est: quia tam merces, vel lucrum, quam intentio operantis se habent per accidens; adeoque immutare naturam operis non valent: consequenter &c. Confirmatur. Opera liberalia non desinunt esse liberalia, adeoque non fiunt illicite die festo, si exerceantur intuitu mercedis, vel lucri; alias Professores artium, & scientiarum, quando diebus festis occupantur in parandis prælectionibus, scribendis consiliis &c. salarii, vel lucri gratia, opera servilia exercerent, & peccarent; quod nemo dixerit; ergo nec, vice versa, opera servilia desinunt esse servilia, & fiunt licite die festo, si exerceantur absque spe lucri &c. Illud quoque impertinens esse censeri debet ad rationem operis servilis, quod fiat, vel non fiat cum defatigatione, & magna contentione virium; longo, vel brevi tempore: quia nihil horum immutat naturam operis: esto brevitas temporis laborantem a mortali excusare possit; ut statim dicemus. P. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *n.* 264.

545. Quæres nono, per quantum temporis laborare serviliter aliquis possit die festivo, ut non censeatur mortaliter peccare?

Respondetur, laborantem non esse censendum mortaliter peccare, si labor non excedat duas horas. Ratio est: quia tempus duarum horarum, unde quantitas materiæ in actionibus servilibus desumi debet, comparatione totius diei naturalis, viginti quatuor horas complectentis, non est pars notabilis, quippe duodecima solum: consequenter &c. Tamburinus *lib.* 4. *in Decal. c.* 3. §. 2. *n.* 1. Sporer *tr.* 3. *in* 3. *Præcept. Decal. c.* 4. *n.* 38. & alii hodie communiter. Aliud tamen judicium ferendum est de actionibus forensibus, & judicialibus, a Jure specialiter probibitis; utpote in quibus quantitas materiæ non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis est desumenda: prout recte advertit P. Stoz *l. cit. n.* 271.

546. Quæres decimo, quænam sint causæ, ab obligatione feriandi in die festo excusantes?

Respondetur, esse præcipue quatuor, videlicet *Pietatem erga Deum*, *Pietatem erga proximum*, *Necessitatem*, & *Consuetudinem*.

Prima igitur causa excusans est Pietas erga Deum, seu Religio, ratione cujus permissa sunt aliqua opera ad cultum Dei pertinentia, ipsomet Christo Judice *Luc.* 6. ibi: *Sabbatis Sacerdotes in templis Sabbatum violant* (mactando ibidem bestias) *& tamen sine crimine sunt*. Dixi autem: *aliqua opera*. Siquidem opera ad cul-

tum Dei

tum Dei pertinentia (quamvis ad ipsum indirecte spectent) sunt in triplici classe. Alia enim sunt, quae proxime ad cultum Dei pertinent; ut gestare Crucem, Vexillum, vel Statuas in publicis Processionibus, pulsare campanas &c. Et haec permissa, atque licita esse ex motivo Religionis, & Pietatis erga Deum, fatentur omnes. Alia sunt, quae propinque ad cultum Dei pertinent; ut verrere templum, ornare altaria, pinsere hostias &c. Atque haec, si commode possint, anticipari debent, & non peragi die festo: quamvis, si secus fiat, non nisi venialiter peccari, judicent Authores passim, ob propinquam conjunctionem hujusmodi actionum cum Divino cultu, ob quam veluti excusantur a ratione operum servilium. Alia denique sunt, quae ad cultum Dei remote se habent; ut caedere ligna, comportare lapides, calcem, caementa ad Ecclesiam, vel aram extruendam. Et haec sunt sub mortali illicita, nisi urgeat magna necessitas, cui alia succurri nequeat. Augustinus Michel *loc. cit. n. 38.*

Secunda causa excusans est Pietas erga proximum, seu Charitas erga ipsum: mavult enim Deus *Misericordiam, quam Sacrificium, Osee 6.* Ex hoc capite licitum est die festo sepultura mortuorum, & alia, quae ad eam requiruntur, & deserviunt; uti sunt effossio sepulchri, praeparatio vestium lugubrium &c. Eodem capite licet laborare ad sublevandam pauperum inopiam &c. Quod tamen recte limitat, & moderatur La Croix *lib. 3. part. 1. num. 589.* ita ut non liceat propter communem, & generalem, sed praesentem duntaxat, & particularem pauperum indigentiam, qui nisi statim succurratur, interim notabile damnum, aut molestiam passuri sint pauperes, v. g. si incedant nudipedes: tunc ergo iisdem tegendis statim licebit calceos, & tibialia conficere, si aliunde nequeant haberi, & indigentes debeant iter suum prosequi, vel saltem foras exire, & incommode tempestati se objectare.

Tertia causa excusans est Necessitas, eaque publica, vel privata; propria, vel aliena: prout exprimitur *in cap. 4. de R. J.* ibi: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Titulo necessitatis publicae excusantur belligeratio, inundantium fluminum repressio, pontium refectio &c. quando absque gravi jactura boni communis fieri nequit dilatio. Titulo necessitatis privatae propriae excusantur agricolae, qui ob diuturnam pluviam praeteritam, vel imminentem coguntur diebus Dominicis aut festivis fruges jam demessas colligere, & in horrea convehere: item excoctores salis, laterum, vitri, calcis, metallorum; quarum rerum excoctio semel coepta non potest absque gravi damno interpolari, aut intermitti. Eodem titulo excusantur ancillae, & aliae id genus personae, quae die festo vestes reficiunt, non habentes tempus id faciendi diebus ferialibus, seu non festivis. Ex causa necessitatis privatae alienae excusantur chirurgi, qui in festis diebus aegris venam secant, scarificant &c. & sartores, quando ad nuptias, v. g. parare debent vestes, quas diebus non festivis perficere nequeunt &c.

Quarta causa excusans est Consuetudo: haec namque in humanis legibus dominatur; potestque eas vel penitus abolere, vel mitigare. Ex hoc capite excusantur rustici, & mechanici, qui die festo ad vesperam acuunt falces, vel praeparant materias pro labore diei subsequentis perficiendo: item barbitonsores unum, vel alterum tondentes: quod verum existimat Sayrus *in clavi regia lib. 7. c. 2. num. 11.* etiamsi multos tondeant, imo tot, quot accedunt, quamvis alii velint, & forte probabilius, eos tunc potius excusari ex causa lucri, transitorii quidem, sed notabili damno aequivalentis. Vel dic, quod excusentur ex utraque causa simul: dummodo tondeant in loco, ubi consuetudo sic tondendi cognoscitur invaluisse.

Quando aliqua causarum excusantium, hactenus allatarum, moraliter saltem certa est (sicut esse debet eo quod praeceptum feriandi existat certum) non requiritur dispensatio super praecepto; sed solum tunc, quando causa est dubia. In hoc igitur casu recurrendum dioecesanis ad Episcopum, vel in ejus absentia ad suum respective Parochum. Et cum ambo gaudeant potestate dispensandi ordinaria (in festis expositis num. 98.) eandem aliis quoque delegare possunt. Confessarii non Parochi solummodo declarare valent, an causa excusans sit de se sufficiens, nec ne, ad tollendam obligationem feriandi. P. Reiffenstuel *loc. cit. n. 49.* Chericatus Mag. n. 34. & alii apud ipsos.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

347. Onuphrius Sacerdos, an ob obligationem [illegible] festo audiendi Missam, teneatur ipse celebrare? 348. Opilius in Natali Domini unam dumtaxat Missam audiendo non peccat: uti neque, dum diebus Caenae Domini, Parasceves, & Sabbati Sancti abest a Divinis: Peccat e diverso graviter, dum sero veniens ad Missam ante, vel paulo post Consecrationem, negligit audire quod Missae reliquum est: uti &, dum non sanctificat diem, quem Episcopus ante meridiem festivum esse praecepit. 349. Observatio mandatorum & famulis, qui die festo serviliter laborant, [illegible] mercedem percipit.

CASUS I.

347. Onuphrius, Sacerdos saecularis, et Canonicus Ecclesiae Collegiatae ad S. Mauritium Augustae Vindelicorum peregrinatus est ad S. Aedem Eremitanam, voti solvendi causa. In itinere constitutus, ut certo quodam die festivo sacrum audire posset, concessit mane in quemdam pagum, ubi Parochum loci [illegible] Divina peractione [illegible]. Sed illud dolenter percipere debuit, quod idem Parochus praeter morem summo mane hora sexta Missam celebrasset. Unde cum in eo pago nullus alius Sacerdos esset, nec superesset Onuphrio spes pertingendi satis tempestive ad aliquem locum, in quo sacri audiendi copiam consequeretur, dubitavit, utrum ipse teneretur celebrare, ut sic propriam Missam audiendo praeceptum Ecclesiae implere posset? Tenebatur ne Onuphrius celebrare?

Respondetur affirmative, cum P. Gobat, & Card. La Croix *loc. cit. n. 599.* Ratio patens est; sicut qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, saltem ordinaria, pro ejusmodi fine obtinendo necessaria: sed Onuphrius in Casu tenebatur ad finem, videlicet ad auditionem Missae; ergo etiam tenebatur ad media ordinaria pro illo fine obtinendo necessaria; quale non suppetebat aliud praeter celebrationem propriam; quod [illegible] &c.

CASUS II.

348. Opilius, dum in Dominica Resurrectionis Dominicae confessionem suam Paschalem faceret, inter alia se accusabat: 1. Quod in Festo Nativitatis Domini unam dumtaxat Missam audierit. 2. Quod alio die festo ad Missam, quae illo in loco unica celebrabatur, sero venerit, [illegible] paulo post Consecrationem, & [illegible] quidquid Missae reliquum erat audire neglexerit. 3. Quod in die, qui in diem Conversionis S. Pauli inciderat, & quem Episcopus omnibus dioecesanis tempore ante meridiem festivum esse praeceperat, nullum sacrum audierit, nec labore servili supersederit. 4. Quod diebus Caenae Domini, Parasceves, & Sabbati Sancti Divinis non interfuerit. Qualiter judicandus est Opilius?

Respondetur primo ad primum, Opilium non peccasse in Natali Domini unam dumtaxat Missam audiendo, cum Bonacina, & aliis P. Reiffenstuel *loc. cit. n. 26.* Ratio est: quia Ecclesia plus non praecipit, quam auditionem Missae die festo: atqui Opilius audiendo unam Missam absolute audivit Missam; ergo praecepto Ecclesiae satisfecit.

Dices: Sacerdotes illo die solent tres Missas celebrare; ergo etiam laici tres audire.

Respondetur negando consequentiam, [illegible] & [illegible] dato praecise praecepto Ecclesiae. Nam licet haec indulgeat Sacerdotibus facultatem eo die ter celebrandi, nullam tamen imponit obligationem illud faciendi. Per accidens tamen, & aliquando obligatus esse Sacerdos potest ad trinam celebrationem, v. g. si sit Parochus, [illegible] periculum scandali, quod facile oriretur in populo, videntes suum Parochum (licet, ut

alios)

[illegible] efset & [illegible] zochinam [illegible] fusfragiis, & [illegible] Orationis, videtur omnino, ad [illegible] celebrandum abstinenti.

Respondetur secundo ad secundum, Opilionem utraque vice [illegible] peccasse. Et quidem si venerit adhuc ante Consecrationem, [illegible] certum est: quia tunc totum Sacrificii essentia [illegible] est [illegible]. Si [illegible] venerit post Consecrationem, [illegible] non paucis [illegible] a mortali Opilionem excusent. Sed omnino tenendum est oppositum: tum quia adhuc superest sumptio, quæ in [illegible] sententia constituit essentiam Sacrificii [illegible] non habet [illegible] alterum, [illegible] substantialem [illegible] integritatem [illegible]: tum quia adhuc [illegible] notabilis pars ceremoniarum ab Ecclesia præceptarum [illegible] reliquas, quæ [illegible] ejusdem Ecclesiæ [illegible] de [illegible], [illegible] non potest totum [illegible] de Heiis [illegible], circa quas damnata est ab Innoc. XI. [illegible] prop. 24. *Qui non potest recitare Matutinum, [illegible] Laudes, potest autem reliquas Horas [illegible] nihil tenetur, [illegible] major pars trahit ad se minorem.* [illegible] Gravis [illegible] Cherubinus Mayr [illegible].

Respondetur tertio ad tertium, Opilionem [illegible] peccato mortali se contaminasse. Ratio est: quia & auditionem Missæ [illegible], & abstinentiam a labore servili per notabile tempus [illegible] quam utramque Episcopus præcipere potuit, & pro tempore ad [illegible] præcepisse ponitur. Confirmatur. Si Episcopus præcepisset [illegible] diem esse festivum, Missa ex obligatione diœcesanos audienda foret, & [illegible] die a labore servili abstinendum; ergo etiam Missa ex obligatione audienda est, & a labore servili abstinendum [illegible] si hunc Episcopus præceperit esse festivum, consequenter [illegible] nec unum, nec alterum [illegible] duplicis peccati mortalis se [illegible]. [illegible], Henriquez, Azorio, & aliis communiter [illegible] audiendam [illegible] caus. [illegible] Sanus [illegible] de [illegible] festavis [illegible], de [illegible] populi [illegible] medice, & [illegible] antemeridiano a labore servili abstinere [illegible]: uti de facto sunt dies Rogationum, Cinerum, Commemorationis [illegible] fidelium defunctorum, & [illegible] hodie etiam, & consimilibus [illegible] quo est obligatio [illegible] Missam audiendi, [illegible] servili labore supersedendi, nisi forte aliquod [illegible] interveniat.

Respondetur quarto ad quartum, Opilionem equidem non [illegible] damnandum esse: [illegible] dummodo non inciderit aliquod Festum v. g. [illegible] Josephi, vel Annunciationis B. Virginis. Ratio est: quia Canones, quibus olim fideles obligabantur ad [illegible] assistendum Missæ, vel Divino Officio non solum [illegible] dictis diebus, sed etiam diebus Rogationum, & [illegible] Quadragesimæ, contrario usu abrogati sunt. Cherubinus Mayr *loc. cit.* n. 283.

Dixi: *dummodo non inciderit aliquod Festum* [illegible] enim si incidisset in diem Cœnæ Domini, Opilio omittendo auditionem Missæ (ut & [illegible] operibus servilibus) utique peccasset propter non sanctificationem illius Festi. Si vero Festum [illegible] in diem [illegible], vel Sabbati Sancti, [illegible] quidem [illegible] (secluso scandalo) [illegible] Divinis & servilibus laborando [illegible] supplere obligationem Festi, quod [illegible] debeat: [illegible] magis particulariter [illegible] pag. [illegible].

CASUS III.

[illegible] *Osvaldus* [illegible] *mandat suis famulis, qui* [illegible] *sex* [illegible] *Catholicis, & residui* [illegible] *seu hæretici, ut circa quodam die festivo laborent* [illegible] *singulis unam horam* [illegible]. *Quæritur, an* *Osvaldus mortaliter peccet?*

Respondetur affirmative. Ita [illegible] tom. 2. part. 2. tr. 5. [illegible] q. 4. [illegible] Croix *loc. cit.* [illegible] n. 345. [illegible] communiter [illegible]. Ratio est: quia Osvaldus mandando facit, ut [illegible] festivo notabiliter, quippe per sex horas, laboretur; id quod non absque peccato mortali [illegible] in [illegible] ut [illegible] supponimus in Casu.

Dices primo: [illegible] mortaliter; ergo nec Osvaldus [illegible].

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est, quod singuli famulorum parvo duntaxat tempore laborent, neque unus cooperetur (ut supponimus) [illegible]. Osvaldus contra injungendo [illegible] unius horæ, [illegible] operis, quantum moraliter [illegible] singulorum manus tanquam sua instrumenta ad [illegible] continuationem illius operis: id quod cedit in notabilem, & mandanti graviter [illegible], profanationem diei festi: consequenter &c.

Dices secundo: Si Osvaldus illis sex famulis esset auctor, ut singuli [illegible] violarent leviter per modicas connexiones successivas, quæ ab uno sumptæ constituerent materiam gravem, non peccaret graviter; ergo neque peccat graviter in Casu.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: [illegible] modicæ illæ comestiones non coalescunt moraliter sive secundum seipsas, sive secundum effectum ab ipsis productum. Non enim secundum seipsas: quia sunt opera diversarum personarum habentium distinctas obligationes personales, & a se mutuo independentes in [illegible] fine ad præcepti observationem. Neque secundum effectum ab ipsis productum: quia non causant [illegible] aliquam gravem violationem jejunii. At vero parvi illi labores moraliter coalescunt, non quidem secundum seipsos, ob eandem rationem, ob quam non sic coalescunt modicæ comestiones; sed secundum effectum ab ipsis productum, quia successive [illegible] causant gravem violationem, [illegible] profanationem diei festi, ut dictum. Relegantur, quæ habentur in hac ipsa parte n. 306. Porro suadens vel mandans illas comestiones non [illegible] moraliter ipse comedere, [illegible] illos labores censetur moraliter ipse laborare: eo quod comedentes non censeantur esse instrumenta [illegible], sicut laborantes: unde non est mirandum, quod comestiones moraliter non coalescant, neque constituant unam aliquam violationem jejunii, mandanti graviter imputabilem; coalescant autem labores &c.

Instabis: Neque labor ille [illegible], & distinctus est moraliter unus; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam labor ille fit per plures famulos eodem modo respective, quo fieret per unum, & quidem de mandato ejusdem [illegible].

Dices tertio. Osvaldus non peccaret mortaliter, si illos sex famulos juberet laborare [illegible] per unam horam; ergo neque peccabit graviter, [illegible] jubet laborare successive singulos per unam horam.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est, quod in casu antecedentis [illegible] laboratur notabili tempore, cum una hora tale non sit, adeoque sanctitas diei non violatur graviter. E diverso in casu consequentis & nostro laboratur notabili tempore, quale procul dubio conficiunt [illegible] horæ respectu unius diei; adeoque sanctitas diei [illegible] graviter violatur.

Colliges etiam Hæreticos obligari ad abstinendum diebus festis a labore servili, DD. communiter. Ratio est: quia Hæretici ligantur legibus Ecclesiasticis; [illegible] dictum. Si instes, ex hoc sequi, quod Hæretici etiam obligentur ad audiendam die festo Missam. Respondeo, & [illegible], illos quidem obligari in actu primo, non autem in actu secundo; eo quod præsumantur excommunicati, & idcirco Missam audire prohibiti: per quod tamen illis [illegible] dictus abstinentia a labore servili, ut [illegible] &c. Et licet Hæretici in nostra [illegible], [illegible] templa frequentare, & Missæ interesse [illegible], ad [illegible] tamen in actu secundo non tenentur. Ratio prima est, quia in partibus Germaniæ [illegible]; adeoque non computantur inter excommunicatos vitandos. Ratio secunda videtur esse, quia illa [illegible] privilegii, quo uti non tenentur.

DISPUTATIO IV.

De quarto Præcepto Decalogi.

HActenus de Præceptis *primæ Tabulæ*, quæ honorem Dei concernunt; nunc de Præceptis *secundæ Tabulæ*, quæ ad proximum attinent, discurrendum. Hæc inter primum locum obtinet illud Exodi 20. *Honora*

nora patrem tuum &c. quo principaliter, & primario præcipitur pietas erga Parentes, ex quibus secundum carnem geniti sumus; secundario autem erga alios Majores, & Superiores, qui parentum quodammodo locum tenent. Et licet hoc præcepto explicite tantum præcipiatur pietas liberorum erga Parentes (& aliorum subditorum erga suos Majores, vel Superiores) implicite tamen etiam præcipitur pietas Parentum erga liberos (& Majorum, vel Superiorum erga subditos) ita ut idem præceptum sit ultro, citroque obligatorium: quemadmodum cum communi aliorum recte advertit Reginaldus *lib.19.c.1.n.5.* Quæ pietatis obligatio ut in particulari constet, respectu singulorum in hac Disputatione est declaranda: breviter tamen; quoniam circa illam non occurrunt magnæ, seu intricatæ difficultates, in quibus enodandis multum laboris, aut moræ sit insumendum.

CAPUT I.

De Obligatione Liberorum erga Parentes, & Parentum erga Liberos.

ARTICULUS I.

Ad quænam Parentibus præstanda obligentur Liberi?

SUMMARIUM.

550. *In quo pietas parentibus debita consistat?* 551. *Liberi ex speciali præcepto pietatis tenentur amare parentes amore interno, & externo, affectivo, & effectivo.* 552. & 553. *Deducuntur corollaria pro praxi.* 554. *Liberi præterea tenentur obedire parentibus in omnibus rebus licitis, in quibus illis sunt subditi.* 555. & 556. *Deducuntur itidem corollaria pro praxi.* 557. *Liberi denique parentibus debent reverentiam & in- & externam.* 558. *Quando contra hanc talem reverentiam mortaliter peccare censendi sint?*

550. PRænotandum breviter, honorem, & pietatem Parentibus debitam, consistere in tribus, videlicet in *Amore, Obedientia, & Reverentia.* Quare hic decernendum, quis amor, quæ obedientia, & quæ reverentia illis sit exhibenda?

551. Dico primo. Liberi non solum (1.) ex communi præcepto Charitatis, sed etiam (2.) ex speciali Pietatis tenentur amare Parentes amore interno & externo, effectivo, & affectivo. Ita DD. communiter. Pars prima constat ex dictis *tr. præced. n.146.* ubi determinavimus, quod quilibet suos proximos etiam inimicos teneatur simili amore diligere. Secunda (præterquam quod in *S. Script.* passim habeatur) inde desumitur: quoniam alias præceptum honorandi parentes nihil specialis obligationis imponeret liberis; quod tamen nemo facile dixerit.

552. Colliges primo, filium (vel filiam) qui odio habet parentes, v.g. desiderando, vel inferendo eisdem aliquod notabile malum sive animæ, sive corporis, mortaliter peccare non solum contra charitatem universis proximis debitam, sed etiam contra pietatem; adeo, ut in confessione exprimenda sit ista circumstantia, seu odii speciem mutans. Idem cogita de eo, qui parentes torvis oculis aspicere, vel ita aspere alloqui solet, ut sua cruda inhumanitate eosdem valde contristet. Ratio est: quia talis filius agit contra amorem tam in- quam externum (vel saltem contra posteriorem) parentibus debitum ex utroque præcepto charitatis, & pietatis. Sayrus in *clavi regia lib.7.c.5. n.7. & 8.* aliique communiter.

553. Colliges secundo, itidem duplici saltem peccato mortali peccare filium, qui parentibus in necessitate spirituali, vel corporali constitutis non succurrit; vel positive impedit bonum illorum notabile sive spirituale, sive corporale. Exempla sunt, si filius per suam negligentiam patrem, vel matrem decedere sinit absque confessione, & aliis pro bona morte requisitis: si eos sine justa causa impedit, ne testamentum condant: vel eorundem animos, ne debitam restitutionem faciant, avertit; vel, quando hæres est, debita defunctorum, aut legata in testamento ordinata, exequi diu differt, vel exequi omnino intermittit: si infirmos non visitat; curationi eorum non intendit; pauperibus de victu, & vestitu, vel habitatione non prospicit, cum tamen posset. Ratio est: quia filius ex utroque præcepto, charitatis videlicet, & pietatis, tenetur exhibere parentibus amorem non solum affectivum, sed etiam effectivum; cui obligationi non satisfacit, si aliquid ex prædictis, & similibus non præstet, Sporer *tr. 3. in 4. Præcept. Decal. n.9. & seqq.* aliique communiter.

554. Dico secundo. Liberi tenentur parentibus obedire in omnibus rebus licitis, in quibus sunt illis subditi. Constat non solum ex concordi DD. sensu, sed etiam ex Apostolo *ad Ephes.6.* scribente: *Filii obedite parentibus vestris in Domino;* & ab exemplo Christi, qui *erat subditus illis*, id est, parentibus.

Dixi tamen 1. *in rebus licitis.* Nam in illicitis, & cum peccato conjunctis, non solum non tenentur, sed neque possunt obedire.

Dixi 2. *in quibus sunt subditi.* Siquidem in aliis, in quibus sunt sui juris, sic v.g. in eligendo, & amplectendo vitæ statu, obedire, seu obsequi non tenentur, licet forte possint. Unde si filius advertat, se vocari ad Statum Religiosum, vel Clericalem, potest eum assumere, parentibus quantumcunque invitis: prout evincitur ex illo S. Hieronymi ad Heliodorum: *Per calcatum perge patrem; per calcatum perge matrem; ad vexillum crucis evola &c.* Qualiter se gerere liberi debeant, quando cogitant inire matrimonium, dicam *part.6. tr.2.*

555. Colliges primo, graviter peccare liberos, quando parentibus, expresse & serio præcipientibus, non obediunt in materia gravi, concernente bonum domus regimen; præsertim si id faciant ex contemptu, & contumacia, Sporer *loc. cit. a n.13.* & alii communiter. Ratio est: quia sicut Legislator censendus est (nisi contrarium exprimat) in materia gravi obligare graviter per suas leges; ita & parentes per sua præcepta: consequenter &c. Dixi autem: *expresse, & serio præcipientibus.* Nam si solum admoneant, vel hortentur liberos, & isti non obsequantur, haud erit peccatum saltem mortale inobedientiæ specialiter exprimendum in confessione. Dixi præterea: *in materia gravi; & præsertim si id faciant ex contemptu &c.* Secus quippe dicendum, si materia sit levis; nec contemptus, & pertinacia accedat, sed fiat solum ex aliqua inadvertentia, aut sensualitate.

556. Colliges secundo, similiter peccare liberos (graviter, vel leviter pro ratione materiæ) quando non obediunt parentibus in iis, quæ pertinent ad bonos mores, & salutem animæ, Author *cit.n.18.* Siquidem quoad disciplinam quoque morum liberi sunt subjecti parentibus. Unde mortaliter speciali inobedientiæ peccato peccant liberi, si contra expressa, & seria mandata parentum non desistant a fornicando: venialiter vero, si non desistant a jocose mentiendo &c.

557. Dico tertio. Liberi parentibus etiam debent reverentiam & internam, qua recognoscitur eorum superioritas cum aliquo reverentiali timore erga illos, & externam, quæ sita est tum in verbis, tum in signis externe tendentibus ad deferendum honorem debitum; cujusmodi signa sunt assurgere, discooperire, vel inclinare caput &c. Constat ex illo *Ecclesiastici 3. Qui timet Dominum, honorat parentes &c.* & rursus: *In omni opere, & sermone honora patrem tuum &c.*

558. Colliges, liberos peccare mortaliter contra Pietatem, si parentes verbis contumeliosis deliberate afficiant; opprobriis, & convitiis eorum famam lacerent; eosdem ad gravem iracundiam provocent; percutiant, quamvis percussio sit levis in ratione nocumenti (excipe: nisi id faciant ad legitime defendendam Rempublicam, Principem, aut seipsos ab interitu) contemnant, dedignentur, ut se existiment abjectos, & inhonoratos, eo quod pro illorum liberis habeantur &c. Ratio est: quia hæc talia, & id genus alia graviter adversantur reverentiæ parentibus debitæ: consequenter liberi illa facientes mortaliter peccant non solum contra virtutem Charitatis, Justitiæ &c. ut alii, qui ita tractant suos proximos, quibus speciali reverentiæ titulo non sunt obstricti; sed etiam contra virtutem Pietatis, utpote cujus membrum, & pars existit reverentia parentibus debita. Ex eadem ratione non possunt liberi citra mortale peccatum accusare parentes in Judicio de crimine aliquo, licite vere patrato. Excipiuntur tamen crimina læsæ Majestatis Divinæ per hæresim, & humanæ per conjurationem, vel proditionem,

antequam executioni mandata sunt; non autem post executionem: ut cum aliis notat Herzig *part. 2. de Munere Confessarii n. 284.*

ARTICULUS II.

Ad quænam Liberis præstanda obligentur Parentes?

SUMMARIUM.

559. Parentes ex speciali præcepto pietatis tenentur liberos diligere, & conservare. 560. 561. & 562. *Deducuntur corollaria.* 563. *Parentes sub mortali tenentur honeste educare liberos, & bonis moribus imbuere, vel imbuti facere.* 564. *Deducitur corollarium.*

559. Dico primo. Parentes non solum ex communi Præcepto Charitatis, sed etiam ex speciali Pietatis obligantur ad liberos diligendos, & conservandos. Ratio probativa sumitur tum ex ipsis visceribus Juris naturalis: tum ex titulo generationis, qui est specialis; cum reperiatur in solis parentibus relate ad suos liberos, non item in aliis hominibus relate ad suos proximos.

560. Colliges primo, parentes obligari ad providendum liberis de sustentatione necessaria, juxta conditionem, & statum illorum, moremque patriæ. Ita cum communi Filliucius *tr. 28. c. 2. n. 27.* Idque verum est, tametsi liberi sint spurii, & illegitimi, excommunicati, Hæretici &c. Ratio est: quia prædicta parentum erga liberos obligatio fundatur in Jure naturali, & titulo generationis, quæ semper durant, duobus præcipue casibus exceptis, in quibus indirecte mutantur, & respective cessant: ut 1. Quando liberi habent, aut acquirere possunt aliunde, de quo sine dedecore vivant. 2. Quando concurrunt causæ, quæ secundum Leges permittunt exhæredationem. Tunc enim quamvis parentes adhuc teneantur providere liberis de necessariis ad sustentandam vitam, non tamen tenentur amplius iisdem prospicere de necessariis ad conservandum statum. Porro nomine sustentationis veniunt victus, vestitus, lectus, medicinæ, & quæ pertinent ad disciplinas, honestasque artes addiscendas.

561. Colliges secundo, graviter peccare matres, quæ proles natas ante templa, aut hospitalia, vel in plateas exponunt citra gravem necessitatem, Rabenstuber *tr. 5. disp. 5. art. 2. n. 4.* & alii passim. Ratio est: tum quia hoc tali modo censentur suas proles deserere, & a se abdicare; quod naturali pietati graviter repugnat: tum quia ipsa expositio prolibus in probrum, & ignominiam cedit. Dixi tamen: *citra gravem necessitatem*: qualem induceret, v. g. criminis revelatio, grandis infamia &c. Hac enim concurrente non peccant: dummodo adhibeant debitam cautionem, ne proles frigore pereant, aliove modo suæ salutis, sive corporalis, sive spiritualis, dispendium patiantur.

562. Colliges tertio, peccare præterea matres, quando absque justa causa suas proles aliis nutricibus lactandas, aut nutriendas committunt. Author *cit. n. 5.* Ratio est: quia agunt contra instinctum naturalem, quo adacta etiam bruta suos fœtus alere solent. Tale tamen peccatum non erit nisi veniale; dummodo proles extradant nutricibus bonis: imo nullum, si eædem matres causam rationabilem habeant; puta si lacte careant, debiles existant &c.

563. Dico secundo. Parentes sub mortali tenentur honeste educare liberos, & bonis moribus imbuere, vel imbui facere. Ratio est: quia liberi, cum sint creaturæ rationales, ad finem supernaturalem (beatitudinem scilicet æternam) elevati sunt; ergo ipsis debetur educatio spiritualis, seu medium pro illo fine consequendo necessarium.

564. Colliges, parentes obligari ad erudiendos liberos (sive per seipsos, sive per alios) in scitu necessariis ad salutem; uti sunt articuli Fidei, Sacramenta, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, aliaque pietatis exercitia, juxta Apostolum 1. *ad Timoth.* 5. ibi: *Qui suorum, & maxime domesticorum, curam* (præcipue in spiritualibus) *non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Tenentur præterea liberis præire bono exemplo, ne, secus faciendo, eis scandalum, seu occasionem præbeant malos mores contrahendi: *Mementote vos parentes* (scribit S. Hieronymus ad Lætam) *magis exemplo docere filios, quam voce &c.* Tenentur denique liberos delinquentes casti[gare] & corripere, juxta illud *Proverb. 13. Qui parcit vi[rgæ], odit filium suum: quia autem diligit, constanter c[rudit].* Ea tamen castigatio, & correptio debet esse commensurata regulis prudentiæ, & discretionis: alias enim non proderit, sed oberit potius; cum in liberis gignere soleat pusillanimitatem, desperationem, odium erga parentes &c. Unde salutare monitum parentibus reliquit Apostolus *ad Coloss.* 3. ubi ait: *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* P. Sporer *loc. cit. n. 43.* & alii passim.

CAPUT II.

De Obligatione aliorum Majorum, ac Superiorum erga sibi subjectos, & subjectorum erga illos.

Nomine aliorum Majorum, ac Superiorum, a parentibus carnalibus diversorum, veniunt. 1. Ecclesiæ Præsules, & Pastores. 2. Præsides Regularium. 3. Tutores. 4. Præceptores. 5. Mariti. 6. Domini. De duobus prioribus alibi mentio fiet: de reliquis posterioribus disserendum in præsenti.

ARTICULUS I.

Ad quænam Tutor Pupillo, & Præceptor Discipulo præstanda obligetur, ac vicissim?

SUMMARIUM.

565. Qualiter tutor teneatur amare pupillum? & qualiter pupillus teneatur amare, & revereri tutorem, eique obedire? 566. *Quando, & qualiter ambo contra suam respective obligationem delinquant?* 567. *De mutua obligatione Præceptorum, & Discipulorum: deque istorum contra illam peccatis.*

565. Dico primo. Tutor tenetur pupillum amare, ejusque curam gerere in corporalibus, & spiritualibus; sicut tenerentur parentes, si superstites essent: quia ex officio istorum vices gerit. Pupillus vero tenetur amare, & revereri tutorem, eique obedire in omnibus, in quibus illi vi tutelæ subjectus est; quia hæc eadem teneretur præstare parentibus.

566. Colliges, mortaliter delinquere tutorem, si vel nullum, vel malum morum, & vitæ informatorem pupillo constituat: si pecuniam notabilem pupilli in proprios usus convertat: si jura ejus, bona, actiones &c. graviter negligat: si nimium pecuniæ ad usus inutiles concedat: si magnas donationes, præter debite remuneratorias, faciat: unde & ad tantam restitutionem obligatur, quantum pupillo damnum intulit. Pupillus autem delinquit mortaliter, si aliquam ex triplici sua obligatione, quam erga tutorem gerit, graviter lædat. Revide, quæ diximus de liberis *c. præced. art. 1.* Ratio sumitur ex officio tutoris erga pupillum, & pupilli erga tutorem.

Dico secundo. Inter præceptores (idem cogita de Pædagogis) & discipulos eadem est quodammodo obligatio, quæ inter parentes, & liberos. Busembaum *lib. 3. part. 1. dub. 7.* Ex quo

567. Colliges, Magistros, & Præceptores peccare 1. Quando peccata discipulorum dissimulant, & non corrigunt, cum tamen possent. 2. Quando eorum in literis profectum non sedulo promovent. 3. Quando eisdem non conantur instillare bonos mores. 4. Quando ex industria docent falsa, vel perniciosa, & saluti noxia. 5. Quando ipsimet non diligenter student, ut sufficientem sibi doctrinam comparent, atque ita suo officio satisfacere queant. 6. Quando exigunt stipendium justo majus, vel quam Gymnasii, Lycei, Academiæ, aut Universitatis leges, aut consuetudo permittat. 7. Quando discipulos pravis moribus imbutos, aliisque perniciosos a Scholis non arcent. 8. Quando insignia Doctoratus denegant dignis, vel conferunt indignis. 9. Quando discipulis præeunt malo exemplo.

Discipuli vero peccant 1. Quando Præceptoribus non exhibent amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, quæ concernunt studia, & bonos mores,

2. Quan-

2. Quando non diligenter student, sed tempus studio deputatum potitando, otiando, ludendo comburunt. 3. Quando diligenter quidem student, sed ob malum finem. 4. Quando pecunias parentum dilapidant, vel inutiliter expendunt. 5. Quando stipendium debitum Doctori suo non solvunt. 6. Quando scientias superstitiosas, aut vetitas discunt; vel libros prohibitos legunt &c. Busembaum *loc. cit.*

A R T I C U L U S II.

Ad quenam Maritus Uxori, & Dominus Famulo præstanda obligetur, ac vicissim?

S U M M A R I U M.

568. *Recensentur obligationes, quas maritus, & uxor erga se mutuo gerunt.* 569. *Quando, & quomodo contra illas delinquant?* 570. *Recensentur etiam obligationes, quas heri erga famulos habent, & famuli erga heros.* 571. *Quando, & quomodo contra illas delinquere possint?*

568. DIco primo. Maritus obligatur 1. ad exhibendum uxori amorem actibus tum in-tum externis: quia id exigit (præter communem titulum charitatis, quo tenetur quemlibet proximum sic amare) specialis titulus pietatis, quo obstringitur uxori, utpote qnacum est una caro, juxta doctrinam Christi apud *Matth.*19. *Sunt duo in carne una*. 2. Ad exhibendam reverentiam: siquidem uxor habet propriam quandam excellentiam, & aliqualem superioritatem erga maritum; ut colligetur ex statim dicendis. 3. Ad exhibendam, seu præstandam obedientiam: quia hanc exigit mutua inter conjuges obligatio, qua unus alteri debitum conjugale petenti reddere tenetur. Hæc omnia tria vicissim præstare marito uxor debet ex rationibus allegatis. Præterea maritus tenetur alere uxorem: quia id exigit arcta obligatio, & conjunctio; uti & dos allata: imo licet uxor inops nullam marito dotem attulisset, iste nihilominus illam alere teneretur ex titulo prædictæ conjunctionis, Sanchez *lib.*9. *de Matrim. disp.*4. *n.*19. *& disp.*5. *n.*8. aliique communiter. Dixi tamen: *licet uxor inops &c.* Nam si uxor dives constituere dotem petenti marito recusasset, illam alere non teneretur; quia dos quasi in pretium datur, ut ex ejusdem fructibus maritus onera matrimonii sustineat, & uxorem alat. Ita cum Molina Herzig *loc. cit. n.*289. Idem esset, si uxor dotem promissam non solvisset, etiam secundum partem: quia cum uxor tunc fidem non servasset, nec maritus eam alendo servare teneretur. Idem quoque esset, si uxor sua culpa recessisset a cohabitatione mariti. Sanchez *loc. cit. disp.*4. *n.*21.

569. Colliges, graviter peccare maritum, si uxorem absque justa causa impediat ab impletione præceptorum Dei, & Ecclesiæ, Navarrus in Manuali *cap.*14. *n.*19. leviter vero, si eandem impediat circa opera consilii, nisi istorum exercitatio valde magnam uxori afferret utilitatem, Bonacina *disp.*6. *q. unic. pun.*7. *n.*2. Item si verberibus atrocibus, aut verbis contumeliosis, vel infamatoriis afficiat, Navarrus *loc. cit.* Haud tamen peccat, si illam moderate castiget non tantum verbis, sed etiam verberibus, quando verba nihil proficiunt, & subest gravis causa id faciendi. Habenda tamen est ratio conditionis, & status personæ, Filliucius *tr.*28. *c.*9. *num.* 140. 3. Si cum uxore cohabitare recuset, aut per longum tempus absque justa causa se absentet. Justa vero causa etiam longæ absentiæ esset negotium alicujus magni momenti; functio legationis; mercatura in longinquis regionibus necessario exercenda &c. Filliucius *loc. cit. n.*141. 4. Si oxori alimenta neget; vel de iisdem, cum posset, non prospiciat, extra casus *num. præced.* exceptos, Bonacina *loc. cit. n.* 3. 5. Denique. Si negligat gubernationem familiæ, & administrationem rei domesticæ, Sporer *loc. cit. n.*71. Uxor autem graviter peccat 1. Si erga maritum ostendat se notabiliter inobedientem in iis, quæ ad bonos mores, ac familiæ regimen, & gubernationem pertinent, Navarrus *loc. cit. n.*20. 2. Si invito marito gubernacula familiæ arripiat, seseque sine justa causa (qualis adesset, quando maritus dilapidaret bona familiæ) in administrationem domus ingerat, Babenstuber *loc. cit. art.*3. *num.*14. 3. Quando maritum rixis, contentionibus, aliove consimili modo ad gravem iracundiam, blasphemias, maledictiones &c. provocat, Babenstuber *loc. & n. cit.* 4. Quando maritum alio migrantem sequi renuit, si nullam causam excusantem habeat, Herzig *loc. cit. n.* 290. 5. Quando sine causa graviter suspicatur de continentia mariti, aut debitum conjugale eidem denegat, Medina *lib.*1. *Instruct. Confess. c.*14. §.14. Quod idem intelligendum vicissim de marito. Ratio omnium, quæ in hoc corollario diximus, est, quod ambo, maritus scilicet, & uxor, in singulis casibus allatis graviter contraveniant obligationi, quam erga se mutuo gerunt.

570. Dico secundo. Inter Dominos quoque, seu Heros, & famulos eadem est proportionaliter obligatio, quæ inter parentes, & liberos. De Dominis insinuatur 1. *ad Timoth.*5. ibi: *Siquis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. De famulis vero ad *Ephes.*6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, & simplicitate cordis vestri, sicut Christo &c.*

571. Colliges, graviter peccare Dominos 1. si absque justa causa impediant famulos (vel famulas) ab observatione mandatorum Dei, & Ecclesiæ. 2. Si permittant occasionem peccandi, cum possent auferre. 3. Si graviter delinquentes, aut necessaria ad salutem negligentes non corrigant. 4. Si non præbeant alimenta, eorum conditioni congrua; aut fideliter servientibus non solvant justam mercedem, aut solvere differant absque rationabili causa. 5. Si illos dimittant ex famulatu ante elapsum terminum, nisi id postulet gravis aliqua causa; qua non suppetente tenentur dimissis dare integram mercedem. Ita cum aliis a se relatis Busembaum *loc. cit. dub.*4. Famuli vero (vel famulæ) peccant (mortaliter, vel venialiter pro ratione materiæ) 1. Quando non fideliter laborant. 2. Quando Dominos ad iracundiam provocant. 3. Quando eisdem damnum inferunt, vel inferri patiuntur, cum possent impedire. 4. Quando non obediunt in iis, in quibus obedire tenentur. 5. Quando sine causa famulatum deserunt ante terminum elapsum &c. Babenstuber *loc. cit. n.*16. & alii communiter.

C A P U T III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

572. *Pompejus, & Pompeja parentibus, contra seriam dehortationem, diversas res auferendo mortaliter delinquunt etiam adversus pietatem.* 573. *Paphnutius, bona sua in præjudicium liberorum abliguriendo, graviter impingit contra pietatem ipsis debitam.* 574. *Pancratius studiosus qualiter contra pietatem delinquat, dum Præceptorum suorum mandantis non obtemperat; reverentiam debitam denegat; negligenter studet &c.* 575. *Pergentinus non peccat saltem contra Justitiam, dum famulo, per notabile tempus ægrotanti, negat alimenta, & stipendium pro tempore ægritudinis.*

C A S U S I.

572. *Pompejus, & Pompeja in Confessione se accusant, quod parentibus res diversas abstulerint, & a Confessario interrogati, an malam hanc praxim ante alias quoque Confessiones jam practicassent, responsionem affirmativam reddunt, & ultro addunt, se a parentibus in furto aliquoties deprehensos, & idcirco replicata admonitione correctos fuisse. Quæritur, an peccaverint contra Pietatem parentibus debitam?*

REspondetur. Supposita malitia furti gravi, vel levi, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ ablatæ (de qua in *disp.*8. acturi sumus) peccasse, & quidem mortaliter, censendi sunt contra Pietatem, si præviderint, parentes inde graviter, ac rationabiliter contristandos (quemadmodum prævidisse præsumuntur; eo quod ultronee fassi sint, se sæpius in furto deprehensos, & reprehensos fuisse) Ratio est: quia liberi mortaliter contra Pietatem peccant toties, quoties parentes tristitia gravi, & rationabiliter concepta afficiunt: atqui hoc fecerunt Pompejus, & Pompeja in Casu; ergo mortaliter peccarunt contra Pietatem; haud quidem, in quantum

ea denotat obedientiam (siquidem non egerunt contra prohibitionem, sed dehortationem duntaxat parentum) sed prout denotat amorem parentibus debitum, & graviter læsum: licet forsan ablationes non nisi leves fuissent. Herzig *loc. cit. n.* 300. Revideantur, quæ diximus *num.*552.

CASUS II.

573. Paphnutius, quanquam uxore adhuc superstite bonum egerat œconomum, ea tamen e vivis sublata, genio suo indulgere, Baccho litare, & bona antea parta abligurire occœpit. Reclamavere liberi, & remis, velisque contra prodigalitatem patris nisi sunt, facile ominantes, hoc tali vivendi modo, & patrem, & seipsos ad incitas redactum iri. Sed actum egere: siquidem nulla ratione illum abducere poterant a via mala semel cœpta. Quæritur, an Paphnutius non solum peccaverit peccato prodigalitatis, gulæ &c. sed etiam impietatis contra quartum Decalogi Præceptum?

RΕspondetur affirmative; & quidem peccato mortali. DD. communiter. Ratio est: quia pater gravem gerit obligationem, ex quarto Præcepto Decalogi, & virtute Religionis impositam, suis liberis prospiciendi de sustentatione necessaria, juxta conditionem, & statum illorum, per dicta *n.* 560. Atqui Paphnutius huic Obligationi contravenit; ut patet; ergo mortaliter peccavit contra quartum Præceptum Decalogi, & virtutem Pietatis.

CASUS III.

574. Pancratius, Rhetorices studiosus, confessionem quasi annuam faciens in Festo Nativitatis B. V. Mariæ, inter alia se accusat, quod per decursum anni scholastici Præceptorum suorum mandatis crebrius non obtemperarit; eisdem honorem, & reverentiam debitam non exhibuerit: negligenter studuerit: scholam non raro subterfugerit: studiorum tempore vacaverit lusui, vel otio. Qualiter Pancratius a Confessario judicandus?

RΕspondetur. Quod attinet inobedientiam, & irreverentiam Præceptoribus exhibitam, observanda est ætas, & indoles Pancratii; nam si hic ætatis sit exiguæ (quæ ætas maxime de similibus accusare se suevit) supponere poterit Confessarius, cum inobedientia, vel irreverentia non graviter deliquisse. Si vero sit notabilis ætatis, vel audacis indolis, interrogandus est de materia, quæ a Præceptoribus imperata fuit, an ea extiterit gravis, v. g. fuga malæ conversationis, peccatorum, Sacri frequentia &c. vel levis duntaxat? item de modo quo erga illos irreverentiam exercuit, v. g. an gravibus obmurmurationibus, crassis dicteriis, subsannationibus indecoris, irrisionibus, contumeliis &c. reverentiam violaverit? His nanque cognitis, de gravitate, vel levitate, item de specie peccati, rectum judicium non difficulter formabit. Herzig *loc. cit. n.*295.

Quod attinet neglectum studiorum, videndum, quanta fuerit obligatio studendi, vel profectum scholasticum procurandi; nam si integro fere anno in Gymnasio versatus, parum, aut nihil profecerit, non ob defectum capacitatis, sed diligentiæ, a peccato mortali, etiam virtuti Pietatis adversante, excusari non poterit: quia tempus notabile inutiliter trivit, sumptusque non leves fecit frustra; quod parentum (quidni & Præceptorum?) graviter contristativum esse solet. Secus est, si obligatio studendi, quam transgressus est Pancratius, fuerit levis &c. P. Stoz *lib.*1. *part.*3. *n.*437.

CASUS IV.

575. Pergentinus sartor famulum artis suæ apprime gnarum, fidelem, & pacificum nactus, ejusdemque opera usus est annis non paucis. At nihilominus, cum semel contingeret, memoratum famulum ægrotare, & alimenta, & stipendium pro tempore ægritudinis ipsi denegavit rerum plus æquo tenax Pergentinus. Quæritur, an, & qualiter iste deliquerit?

RΕspondetur, Pergentinum non deliquisse saltem contra Justitiam, dum famulo ægrotanti denegavit alimenta, & stipendium pro tempore ægritudinis, si hæc per notabile tempus duraverit, v. g. per dimidium annum, aut aliquot menses. Ratio est: quia cum famulus ægritudinis tempore famulatum non præstiterit, titulo Justitiæ sive ad alimenta, sive ad stipendium obligatus non fuit Pergentinus: prout cum Filliucio, & communi aliorum recte docet Herzig *loc. cit. n.*303. Dixi autem: *saltem contra Justitiam &c.* Nam contra Charitatem, & Pietatem omnino deliquisse censendus est Pergentinus, si expensas, quas sine notabili incommodo, aut detrimento facere potuisset in alimenta famuli forte egeni, nec aliis mediis satis provisi, facere neglexerit. Subtrahendo tamen proportionatam stipendii partem non facile judicandus est peccasse, etiam contra Charitatem, & Pietatem tantum: ut notat Jacobus Marchant *Resol. Pastor. c.*4. *n.*14. Dixi præterea: *si hoc* (ægritudo) *per notabile tempus duraverit*. Modica enim ægritudinis mora pro nihilo est reputanda; ut proinde Pergentinus, etiam titulo Justitiæ, fuerit obligatus famulo, per breve duntaxat tempus, v. g. aliquot dierum, ægrotanti, alimenta præbere, nec potuerit salva conscientia, quidquam de stipendio detrahere. Herzig *loc. & n. cit.*

DISPUTATIO V.

De quinto Præcepto Decalogi.

HOc præcepto vetatur, ne quis seu seipsum, seu suum proximum in bono vitæ injuste lædat: id quod maxime fit per homicidium; de quo proinde in præsenti disputatione agendum.

CAPUT I.

De Homicidio secundum se.

IN isto capite tractatum ibimus de homicidio secundum se; in sequenti autem de homicidio, prout in bello, & duello contingit.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Homicidium?

SUMMARIUM.

576. *Homicidium est* violenta exanimatio hominis ab homine facta. 577. *Dividitur in varia membra.*

576. DIco primo. Homicidium ut sic (prout a licito, & illicito abstrahit) est *violenta exanimatio hominis ab homine facta*. P. Krimer *lib.*5. *Decret. tit.*12. *n.*808. aliique passim.

Explicatur. Dicitur 1. *violenta exanimatio &c.* Unde qui *præcise* mutilat, vel vulnerat hominem, non committit homicidium: licet enim mutilans, vel vulnerans hominem, adversus hunc violenter procedat, non tamen eundem exanimat.

Dicitur 2. *hominis*: cujus nomine etiam intelligitur fœtus humanus in utero materno adhuc existens, postquam animatus est. *L.* 13. *ff. de pœnis.* Unde procurans abortum crimine homicidii tenetur, per Carolinam pœnalem *art.*133. & mater ipsa parricidii.

Dicitur 3. *ab homine*. Unde si brutum hominem exanimet, seu occidat, non dicitur homicidium, sed *pauperies*.

Dicitur 4. *facta*: subintellige *physice*, vel *moraliter*. Physice quis facere homicidium dicitur, quando per propriam actionem positivam influit in occisionem hominis sive influxu totali, sive partiali, seu conjuncto cum influxu aliorum. Moraliter facere homicidium dicitur, qui mandat, consulit (efficaciter, ita ut alter moveatur ad occidendum per tale consilium) occasionem, & viam occidendi monstrat; aut negative se habet, alterum a morte non liberando, cum liberare posset, & teneretur, sive ex Justitia, ut si Medicus habens salvarium non succurrat; sive ex Charitate tantum, ut siquis proximum sinat mergi aquis: quamvis in hoc ultimo casu non fiat homicidium rigorose tale, utpote quod proprie adversatur virtuti Justitiæ.

577. Dico secundo. Homicidium præcipue dividitur in *voluntarium*, & *casuale*: in *simplex*, & *qualificatum*;

Expli-

Explicatur. Homicidium voluntarium dicitur, quod est intentum, aut perinde reputatur, ac si esset intentum. Unde duplici modo fieri potest. 1. Quando quis exequitur actionem occisivam eo animo, & intentione, ut mors alterius sequatur; & vocatur homicidium *directe*, seu *in se voluntarium*, v. g. quando quis alterum pugione petit cum intentione occidendi, vel feminæ præbet, aut ipsa sumit pharmacum, fœtus anima rationali jam informati expulsivum, ut prolem in utero enecet &c. 2. Quando quis facit opus, quod ex sua natura ordinatur ad mortem alterius, esto faciens hanc non intendat; & appellatur homicidium *directe*, seu *in causa voluntarium*: quia faciens tale opus, perinde se gerit, ac si alterius mortem intenderet; hoc ipso, quod ponat causam per se connexam cum occisione ejusdem moraliter certo secutura: vel (quod in idem recidit) non intendit quidem alterius mortem in actu signato, & explicite, censetur tamen eandem intendere in actu exercito, & implicite: ut siquis gladio feriat alterum cæsim in capite; si feminam prægnantem graviter percutiat &c. Porro hoc tale homicidium fieri potest dando operam rei licitæ, vel illicitæ. Ut dans operam rei licitæ, fiat reus homicidii indirecte voluntarii, requiritur. 1. Ut non habeat intentionem (in actu signato, & explicitam) occidendi: alias committeret homicidium directe voluntarium. 2. Ut mors vere sequatur ex ejus actione: alias occisio reputabitur fortuita, & casualis; nec erit agenti imputabilis sub ratione homicidii, quamvis eidem possit esse voluntaria, & imputabilis sub alia ratione, v. g. vulnerationis. 3. Ut id, ex quo mors alterius consequitur, teneatur impedire, saltem ex Charitate: siquidem in genere moris, & theologice nemini imputatur effectus ut voluntarius, & culpabilis, qui causam ejus potuit quidem, non tamen debuit impedire. Dans operam rei illicitæ, homicidii indirecte voluntarii reus evadit, quando ponit actionem de se periculosam, (cognitam ut talem) seu de se connexam cum occisione alterius, licet ceteroquin præcaveat, ne mors sequatur. P. Babenstuber *tr. 5. disp. 6. art. 3. n. 2.*

Homicidium casuale (presse sumptum, & prout opponitur homicidio non solum directe, sed etiam indirecte voluntario) est, quod contingit præter omnem intentionem agentis, aut omittentis aliquod opus, unde mors alterius consequitur; ac proinde non est intentum sive in se, sive in aliqua causa; ex qua solitum est accidere homicidium semper, aut frequenter, quamvis ex ea raro, & quandoque eveniat: ut siquis sclopeto petat feram, & casu fortuito hominem forte intercurrentem, & nullatenus animadversum, tangat, & trajiciat.

Homicidium simplex dicitur, quod nullam habet adjunctam qualitatem, aut circumstantiam, specialis malitiæ, vel pœnæ, etiam aggravatæ tantum, inductivam: ut siquis, subita percitus ira, interficiat suum inimicum in platea obviantem &c.

Homicidium qualificatum dicitur, quod illiusmodi qualitatem, aut circumstantiam adjunctam habet. Hujus generis, & classis homicidia sunt. 1. *Homicidium proditorium*, quando quis alterum sub specie amicitiæ, & securum, nihilque tale metuentem interficit. 2. *Homicidium insidiosum*, quando aliquis expectat alium in loco, in quo ab eo verisimiliter prævideri non poterat; illumque ex improviso venientem aggreditur, & occidit. 3. *Homicidium assassinum*, sive *assassinium*, quando quis enecat unum per alterum, pretio ad id conductum. 4. *Homicidium veneficum*, sive *veneficium*, quando quis interimit alterum veneno clam porrecto. 5. *Homicidium sacrilegum*, sive *sacrilegium*, quando aliquis personam sacram, vel profanam quidem, at in loco sacro, e medio tollit. 6. *Latrocinium*, quando quis alterum perimit, spolii causa. 7. *Parricidium*, quando quis patrem, aut matrem, aut prolem, aliumve ex ascendentibus, vel descendentibus, quin etiam collateralibus usque ad quartum gradum inclusive, vita spoliat. 8. Denique *crimen læsæ Majestatis*, quando quis necat Papam, Imperatorem, Regem, Principem (saltem si hic superiorem non recognoscat) vel Consiliarium Status supremi Principis, aut Custodem corporis, dum actu latus Principis stipat &c.

ARTICULUS II.

An liceat aliquando occidere innocentem?

SUMMARIUM.

578. *Nunquam licet directe occidere innocentem.* 579. *Quando dicatur directe occidi innocens?* 580. *Indirecte occidere innocentem aliquando licet.* 581. *Quandonam dicatur indirecte occidi innocens?*

578. Dico primo. Nunquam licet directe occidere innocentem, DD. communiter.

Probatur. Tum authoritate *S. Script.* Nam *Exod.* 23. dicitur: *Insontem, & justum non occides.* Tum ratione. Quia nemo hominum obtinet dominium in vitam alterius hominis; ergo nemo eam alteri licite auferre potest, nisi habeat potestatem auferendi a Deo. Atqui nemo, & ne Respublica quidem, habet a Deo potestatem auferendi vitam innocenti; ergo &c.

579. Quæres, quandonam dicatur directe occidi innocens?

Respondetur. Tunc, quando ejus mors positive in se tanquam medium ad aliquem alium finem obtinendum immediate intenditur. E. G. Minitatur hostis, urbem obsidens, omnibus incolis ruinam, nisi certus aliquis civis innocens a Magistratu occidatur, sibique mittatur foras occisi caput. Ecce! hoc in casu mors innocentis positive in se, immediate, tanquam medium ad mitigandum hostem, & servandam civitatem deberet intendi: id quod non licere nostra asserit conclusio.

Dices. Bonum commune prævalet bono privato; ergo cum vita civis, etiam innocentis, sit bonum duntaxat privatum, debet bono communi, seu publico cedere: consequenter &c.

Respondetur, ant. esse verum, quando bonum publicum est obtinibile mediis licitis, & intrinsece non malis; haud vero, si deberet obtineri mediis illicitis, & intrinsece malis, quale medium est occisio directa innocentis.

580. Dico secundo. Indirecte occidere innocentem aliquando licet. Est itidem communis DD.

Probatur. Quia eventus prævisus in aliquo opere, quod licite exercetur, non tamen intentus, ad culpam non imputatur: sed occisio innocentis aliquando est talis eventus, quando nimirum licite occiditur, v. g. nocens, ita ut prævideatur secutura occisio innocentis, quæ tamen non intenditur; ergo tunc occisio innocentis non imputatur ad culpam: consequenter &c.

Confirmatur, & declaratur. Actio in se licita, & hic, ac nunc necessaria, ex eo præcise, quod præter intentionem agentis cum illa sit connexa mors innocentis, nequit reddi illicita; cum ad servandam vitam proximi non detur obligatio in casu, quo vel vita mea, vel salus publica periclitatur; ergo &c.

581. Quæres, quandonam dicatur indirecte occidi innocens?

Respondetur. Tunc, quando positive in se intenditur aliqua actio, quæ ex se occisio innocentis non est, hic, & nunc tamen per accidens inseparabiliter connexam habet mortem innocentis. Exempla dantur plurima. Aliqua recensuisse satis esto. Fugit quis hostem insequentem, & prævidet certo, equi sui calcibus proterendum infantem in via jacentem. Justus oppugnator urbis evertit turrim sibi noxiam, ubi constat multos existere innocentes, & una cum nocentibus opprimendos. Tradit urbs obsessa civem, quem sibi tradi postulat obsessor sub interminatione totalis excidii &c. In his, & aliis id genus exemplis, ac casibus non intenditur positive, & in se mors innocentis; sed licita fuga, & salus propria; interitus nocentium; conservatio urbis &c. quibuscum per accidens, quamvis inseparabiliter, mors innocentis est conjuncta.

Dices contra tertium exemplum. Urbs obsessa non potest directe occidere civem innocentem, quem occidi postulat obsessor; ergo nec directe tradere.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia directa occisio civis innocentis est intrinsece mala, & ob nullam causam cohonestabilis: e diverso traditio est actio de se indifferens, & licita ob gravissimam causam, qualis utique est evitatio totalis excidii, ab obsessore urbi obsessæ intentati. Imo civis ipse ex lege tum Charitatis, tum Justitiæ legalis tenetur in casu posito ad hostem exire; cum utraque lege obligetur evidenti vitæ peri-

culo se exponere, quando ex tali expositione extra redditur salus Reipublicæ. Ita cum aliis a se relatis P. Babenstuber *tr.5. disp.6. art.1. n.3.*

Posset in præsenti adhuc in quæstionem vocari, an aliquando liceat occidere seipsum? item an saltem liceat mutilare, sive seipsum, sive alium? Sed gemina hæc quæstio commodius, & congruentius ventilabitur, & decidetur *part.4. tr.1. disp.2.* Hic autem sit

ARTICULUS III.

An liceat quenquam occidere ex titulo defensionis?

SUMMARIUM.

582. *Licitum est privata authoritate occidere injustum aggressorem vitæ, seu propriæ, seu alienæ; uti & membrorum, si servetur moderamen inculpatæ tutelæ.* 583. *Imo etiam injustum invasorem rerum; modo istæ actu possideantur, & sint magni momenti* 584. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 588. *Prædicta occisio licita est quibuscunque personis.* 589. *Non licet autem occidere invasorem famæ, vel honoris saltem verbalem tantum.* 590. *Solvitur objectio.* 591. *Alapa v.g. ignominiose percussus non potest repercutere percussorem ad compensandam ignominiam.* 592. *Discrimen inter personam, cui fugere probrosum, & personam, cui fugere non probrosum,*

582. Dico primo. Licitum est privata authoritate occidere injustum aggressorem vitæ, seu propriæ, seu alienæ; uti & membrorum: dummodo servetur moderamen inculpatæ tutelæ. Communissima DD.

Probatur ex eo, quod omnia Jura, Naturale, Divinum, & Humanum, concedant vim vi repellere, & se defendere, defensione etiam occisiva, ubi alia non suppetit. *L.3. ff. de J. & J. l.2. & seqq. C. ad l. Cornel. de Sicar. Constit. Carol. art.140. & 150. c.18. §. fin. de Homicid. c.6. de sent. excom. in 6.*

Confirmatur. Cui licitus est finis, licita quoque sunt media ad illum finem obtinendum necessaria; sed cuilibet licita est conservatio vitæ, seu propriæ, seu alienæ; uti & membrorum, contra injustum aggressorem, quæ conservatio est finis; ergo licita quoque erit occisio injusti aggressoris, seu medium unice necessarium ad conservandam vitam &c.

Nec refert, quod aggressor forte non peccet, sitque innocens coram Deo; uti contingit, si sit amens, furiosus &c. Siquidem & talis injuste agit, non quidem formaliter, sed materialiter; & defensor interficit sibi, suove proximo reapse nocentem, vel nocere molientem.

Dixi in conclus. *dummodo servetur* (quod etiam in *seqq. conclus.* attendi debet) *moderamen inculpatæ tutelæ*. Censetur autem servari tale moderamen, quando præcessit aggressio saltem materialiter injusta; quando alius evadendi modus non suppetit, v.g. fugando, exarmando, humisternendo, vel mutilando aggressorem: quando defensio occisiva fit incontinenti, & non primum, postquam aggressor jam fugit, vel destitit &c. tunc enim foret potius vindicta, quam defensio, vel propulsatio injuriæ, ac necis inferendæ. Necesse tamen non est (imo nec consultum) expectare primum ictum, vel paritate armorum uti: quemadmodum Authores passim advertunt. Porro invasorem non vitæ, sed rei tuæ, licite, & quin excedas moderamen inculpatæ tutelæ, occidere potes etiam post intervallum temporis, si rem tuam aliter recuperare nequeas; cum eo casu invasio adhuc moraliter durare censeatur. Pro quo

583. Dico secundo. Etiam licitum est privata authoritate occidere injustum invasorem rerum, sive hæ pertineant ad ipsummet occidentem, sive ad ipsius proximum; modo actu possideantur, & sint magni momenti. Est itidem communis DD.

Probatur tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem: quia in *cap.2. caus.11. de Homicid.* imponitur pœna quadraginta dierum occidenti furem: quia aliter poterat res suas salvas habere; ergo per argumentum a sensu contrario licita fuisset defensio, etiam per cædem furis, si res aliter salvari non potuissent. Ratione vero: siquidem res, & bona fortunæ ad vitam conservandam sunt maxime necessaria, vocanturque alter sanguis, & vita hominis; ergo eodem jure licet injustum eorum invasorem occidere, quo licet occidere injustum invasorem vitæ.

Confirmatur. Licitum est bellum, etiam offensivum, ad res fortunæ conservandas, vel recuperandas, in quo multos occidi necesse est; ergo a fortiori licebit occidere unum ex eadem causa. Accedit, quod natura, quæ in necessariis non deficit, hujusmodi defensionem debuerit concedere, ne pravis hominibus cresceret animus, alios suis bonis spoliandi.

Dixi tamen in conclus. 2. *modo actu possideantur*. Nam qui aufert, vel auferre molitur res nondum actu possessas, sed tantum in spe, authoritate privata interfici non potest. Patet ex binis propositionibus ab Innoc. XI. confixis; quarum (*ord.32.*) sic sonat: *Non solum licitum est, defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Altera vero (*ord.33.*) ita habet: *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra possessionem injuste impedientem*. Has porro propositiones recte esse damnatas, tanquam æquitati naturali contrarias, duplici præcipue ratione evincitur. Prima est: siquidem lumen naturale dictat, iniquum esse, quod propter jus incertum, quale est omne jus inchoatum, & speratum duntaxat, homo deturbetur de jure certo, quale obtinet in suam vitam, bonum inter temporalia supremum, imo omnium aliorum bonorum fundamentum. Secunda est: quia, ut occisio sit licita, debet habere evidenter junctum moderamen inculpatæ tutelæ, secundum dicta superius; tale autem moderamen non reperitur, ubi alia via superest removendi infestationem adversarii: quemadmodum hic superest; cum cuilibet juri consequendo respondeat specialis actio, vel saltem imploratio officii Judicis: prout legere est *ff. tit. 16. de vi, & de vi armata*.

Dixi 2. *& sint magni momenti*. Nam auferentem, vel auferre molientem res levis momenti, v.g. unum, vel alterum aureum, ex cujus ablatione nec in gravem, nec in extremam necessitatem devolvimur, nec valde magnum damnum subimus, non possumus illico occidere: ut patet ex *propos. ord.31.* inter damnatas ab Innoc. XI. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. Ratio damnationis, nostræque limitationis est: quia licet unus aureus (secundum plerosque Authores) sit absolute quantitas sufficiens ad constituendum peccatum mortale furti, ejus tamen ablatio non infert regulariter detrimentum proportionatum relate ad detrimentum vitæ humanæ, utpote in linea bonorum temporalium omnino gravissimum; imo in consimilibus circumstantiis etiam æternæ damnationis inductivum: horret vero natura ipsa, sicque negat jus ad hoc, ut detrimentum minus, licet absolute, & secundum se magnum, inferat detrimentum majus, imo gravissimum; consequenter &c. Quantum porro nocumentum in bonis fortunæ sufficiat ad defensionem occisivam inferentis, aut inferre molientis, dissident Authores. Ego, ut in re maximi momenti, ubi de vita proximi agitur, securiori via incedam, adstipulor (relictis aliorum taxationibus, quippe vel mere divinatoriis, vel deceptoriis) Silvestro, Lugoni, Laymano &c. qui ad licentiam homicidii privati, pro defensione bonorum temporalium inferendi, requirunt furtum *magni valoris, & momenti*, determinationem in casu particulari prudentis arbitrio relinquentes.

584. Objicies nunc contra conclus. primo. Lex, & ordo Charitatis exigit, ut bonis fortunæ præferatur vita proximi; ergo propter defensionem rerum nostrarum non licet occidere furem, vel raptorem, præsertim cum tales sint in statu peccati mortalis, & manifesto æternæ salutis periculo objiciantur.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, illud solummodo verum esse, quando proximus versatur in necessitate saltem morali, qua se expedire non valet: non item quando voluntarie, & suapte malitia in periculum vitæ, vel etiam æternæ salutis se conjicit, ex quo, si vellet, eruere semetipsum absque difficultate posset; uti posset fur vel raptor a rei alienæ ablatione desistendo &c.

585. Objicies secundo. In c.10. *de Homicid.* Pontifex irregularem pronunciat Monachum, qui fures nocturnos occiderat; ergo hoc non licet.

Respondetur, eo in casu non esse servatum moderamen inculpatæ tutelæ: siquidem fures illi a duobus Mo-

nachis

nachis jam erant capti, vinctique, &c, postquam unus abierat rem Abbati manifestaturus, alter vinctos occiderat absque necessitate: quod utique a peccato, & pœna irregularitatis excusari non potest. Secus est in casibus, in quibus moderamen inculpatæ tutelæ non exceditur. Unde neg. conf.

586. Objicies tertio. In *cap. 2. de Homicid.* solum excusatur, qui *se, suaque liberando* occidit alium; ergo qui *sua* tantum, & non simul *se* defendit occidendo alterum, non agit licite.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. ajo, sensum illius textus esse, quod liceat *& se, & sua*, aut *se*, *vel sua* per occisionem invasoris liberare: alias sequeretur, quod neque posse occidere eum, qui *me* tantum, seu meam personam, & non simul *mea*, seu bona fortunæ ad me pertinentia, aggreditur.

587. Objicies quarto. In *c. 3. de Homicid. & l. 4. ff. ad L. Aquil.* habetur, furem nocturnum impune occidi, non vero diurnum, nisi telo se defendat; ergo non licet saltem quemcunque rerum nostrarum invasorem occidere.

Respondetur, neg. conf. si servetur moderamen inculpatæ tutelæ. Ad ant. dico, Jura solummodo definire, quod fur nocturnus ordinarie, & præ fure diurno impune occidi possit: quia nocturnus, cum sit, vel saltem præsumatur esse armatus, ordinarie citra magnum incommodum, & periculum comprehendi, resque ab eo recuperari non potest; sicut tamen comprehendi potest diurnus; & res ab eodem recuperari, hoc ipso, quod plerumque non fit, nec supponatur esse armatus. Ex inde fit, ut in occisione furis nocturni facilius concurrant conditiones, quæ ad moderamen inculpatæ tutelæ requiruntur, quam in occisione furis diurni. Cum quo tamen stat, quod etiam fur diurnus occidi possit in casu, de quo nobis sermo est, & in quo memoratæ conditiones concurrunt: sicut e diverso fur nocturnus, tametsi armatus, occidi non potest, quando illæ conditiones, vel aliqua earum deest, v. g. quando apprehendi potest, aliove modo citra ejus cædem damnum averti: prout colligitur *ex l. 5. ff. ad L. Aquil.*

588. Colliges, defensionem vitæ, & rerum, cum occisione invasoris conjunctam, esse licitam quibuscunque personis, etiam Clericis, & Religiosis. Colligitur aperte ex *cap. 1. de Restit. spoliat.* ubi ea Episcopo; & *c. 6. de sent. excom. in 6.* ubi eadem Decano conceditur. Ratio est: quia ejusmodi defensio Jure naturali competit cuilibet personæ sive laicæ, sive Ecclesiasticæ; neque Jus aliquod positivum extat, quo certis personis vetetur, & reddatur illicita.

589. Dico tertio. Non licet occidere invasorem famæ, vel honoris saltem verbalem tantum, id est, talem, qui tibi verbis injuriosis vel clam detrahere, vel coram conviciari, maledicere &c. minatur, statuit, molitur. Hæc sententia in terminis, in quibus hic proponitur, hodie est certa: ut statim patebit.

Probatur itaque primo ex tribus propositionibus damnatis. Nam Alexander VII. damnavit hanc *prop. ord. 17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, & de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Item hanc *ord. 18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Innoc. XI. vero damnavit istam *prop. ord. 30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, statim fugiat.* Ex quibus liquet, quod sententia opposita amiserit probabilitatem, & nostra reddita sit certa. Nihilominus statuta conclusio

Probatur secundo ratione directa. Quia occisio nec est medium necessarium, nec utile ad propulsandam injuriam, & ignominiam; ergo non apparet, unde liceat. Ant. ostenditur. Non enim est medium necessarium; eo quod extent alia media legitima, nimirum actio injuriarum, actio ad palinodiam, retorsio verbalis: neque utile; cum injuriatus, si a cæde desistat, honorem sibi ablatum apud prudentes potius recuperet, quam amittat; imo laudem apud eosdem, honoremque novum sibi conciliet; ergo &c.

Probatur præterea tertio ratione reflexa. Non licet occidere hominem propter solam opinionem probabilem; cum neque bonis fortunæ propter rationes solum probabiles liceat spoliare hominem in possessione existentem; neque Magistratui liceat occidere hominem, si sola semiplena probatio Juris, vel facti adsit: atqui (præscindendo etiam a damnatione propositionum supra allatarum, oppositam sententiam omnino improbabilem reddente) ad summum esset probabile, quod ad evitandam calumniam, aliter non impedibilem, liceat calumniatorem interficere; cum contrarium jam antea, seu ante damnationem illarum propositionum, plurimi tenuerint, rationibus momentosis (ne dicam, convincentibus) nixi; ergo &c.

Dixi in conclus. *invasorem saltem verbalem tantum.* Nam de invasore, seu aggressore reali famæ, vel honoris, v. g. qui alapam impingere, aut fuste ignominiose percutere attentat &c. non conveniunt Authores. P. Pichler *lib. 5. Decret. tit. 12. n. 8.* (uti & alii) tenet, quod ejusmodi invasorem probabiliter liceat occidere, modo invasus sit talis persona, cui fugere probosum esset; & non excedat moderamen inculpatæ tutelæ. Sed consentire non possum; imo evidenter (saltem evidentia respectiva ad hominem adversarium) sequitur contrarium ex *probat. 3.* proxime adducta, per quam non licet occidere quenquam propter opinionem solum probabilem; prout ipse arguit Pichlerus: sed juxta hunc eundem Authorem opinio, quod liceat occidere invasorem realem famæ, vel honoris, solum est probabilis; ergo &c. Existimat proinde, quod nominatus Author (idem cogita de aliis) sibi impræsentiarum difformis sit, & loquatur inconsequenter; ejusque sententiam non esse vere, & practice probabilem, ob rationem immediate adductam: quamvis non videatur damnata; eo quod propositiones damnatæ commode possint restringi ad injuriam verbalem (prout indicant verba *calumniam, calumniatorem*) qua honor, aut fama alterius læditur; & licet in propositionis 30. altera parte sit sermo de aggressione honoris reali per impactam alapam, aut percussionem ignominiosam; additur tamen, *& statim fugiat post impactam alapam &c.* quo casu ipsimet Adversarii ultro fatentur, occisionem aggressoris non esse licitam; cum tunc non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ.

590. Objicies. Fama, & vita pari passu ambulant; imo fama, & honor præferuntur vitæ a multis, *arg. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* ergo sicut ad conservandam vitam est licita occisio, ita & ad conservandam famam.

Respondetur explic. & dist. ant. Pari passu ambulant &c. quoad æstimabilitatem, transeat, quoad conservationem, neg. ant. & conf. Vita semel amissa nullo modo reparabilis est; bene tamen fama, & honor, utpote pro quorum reparatione extant remedia Juris; ut supra dictum: imo sæpe reparantur per patientem tolerationem injuriæ, vel non auferuntur apud prudentes propter improbitatem calumniatoris, vel aggressoris. Sed

591. Quæres primo, an alapa v. g. ignominiose percussus, possit saltem repercutere percussorem ad compensandam ignominiam, & reparandam æstimationem, cujus jacturam tali percussione passus est?

Respondetur negative. Molina *de Justit. tom. 4. disp. 17. num. 18.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 80.* & alii satis communiter. Ratio est: quia talis repercussio magis ad vindictam, & pœnam talionis, tum ab ipso Evangelio, tum a Jure naturali prohibitam, pertinet, quam ad defensionem, utpote quæ est propulsatio injuriæ inferendæ, non compensatio illatæ. Oppositam sententiam practice improbabilem censeo ob rationem modo allatam (& idipsum sentit P. Viva *part. 1. fol. 105.*) quamvis possit dici non damnata, si repercussio fiat in continenti; cum Pontifex supra damnet solum, quod liceat occidere (vel percutere) impactorem alapæ, si statim fugiat &c. Author immediate relatus.

592. Quæres secundo, an ergo, relate ad defensionem honoris, nullum sit faciendum discrimen inter personam, cui fugere probosum est; & inter profanam, cui fugere non est probrosum?

Respondetur, esse utique faciendum discrimen. Nam Vir equestris v. g. nobilis &c. cui fugere probrosum est,

poterit alapam, aut fustigationem, sibi intentatam, avertere, non quidem intentantem statim occidendo (ut diximus) sed persistendo in loco, & educendo gladium: quo facto, si invasor absterritus desistat, jam ulterior resistentia realis invaso non competit; si vero & ipse ferrum stringat, evadit ex invasore honoris simul etiam invasor vitæ, contra quem servato moderamine se invasus justissime defendit etiam defensione occisiva. E diverso Clerici, Religiosi, & homines plebei, quibus fugere non est probrosum, uti haud possunt prædicto modo se defendendi; sed tenentur sibi fuga consulere, si queant. Ratio discriminis est: quia personæ prioris generis illo procedendi modo servant moderamen inculpatæ tutelæ; quale non servarent personæ generis posterioris, si eodem modo procederent; eo quod illis, ne grave commodum incurrant, competat jus persistendi in loco, non item istis. Ita cum communi aliorum Augustinus Michel *loc. cit. fol.* 1006. *n.* 30. Quod si personæ, quamvis sint posterioris generis, fugere nequeant, & percussor moraliter certo prævideatur plures adhuc alapas v. g. impacturus, juxta Augustinum Michel *loc. cit. fol.* 1007. *n.* 32. licite possunt impactorem alapa retundere, non ut vindicent alapam jam impactam (quod illicitum esse constat ex *n. præced.*) sed ut prævertant, & prævertendo avertant de novo impingendas; quod fit per modum meræ, & veræ defensionis, adeoque licite. Subscribo, quando personæ illæ sunt laicæ: siquidem personis Clericalibus, aut Regularibus, quarum præcipue est imitari humilitatem, & mansuetudinem Christi, id non videtur permittendum. Imo etiam personis laicis solicita cautela opus est, ne ducantur motivo vindictæ, se facile hic insinuantis, & immiscentis.

ARTICULUS IV.

Expediuntur adhuc alia Quæstiones.

SUMMARIUM.

593. *Non potest maritus cum sua uxore adulterantem occidere.* 594. *Bannitus licite, & impune occiditur.* 595. *Quando lictores possint occidere, quem jussi sunt comprehendere?* 596. *Licitum est occidere aggressorem pudicitiæ.* 597. *An femina prægnans possit aliquando procurare abortum?* 598. *Quando proles animetur anima rationali?*

593. QUæres primo, an maritus cum sua uxore adulterantem, & in flagranti deprehensum occidere possit citra peccatum?

Respondetur negative. Sumitur ex *propos.* damnata ab Alexandro VII. quæ est *ord.* 19. & hujus tenoris: *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam*; ergo a fortiori peccat occidendo adulterum; cum hic ipsi non sit ita obstrictus, sicut uxor, utpote quæ ratione vinculi matrimonialis quoad fidem tori suo marito arctissime est obligata. Ratio quoque suffragatur: quia licet adulterium sit actio gravissime illicita, non tamen est proxime, & per se ordinata ad cædem, præsertim si adulter circumspecte agat cum aliena uxore, cavendo omnem occasionem, ex qua moraliter periculum homicidii evenire posset. Deinde adulter per commissionem adulterii non abdicat, imo nec abdicare potest jus in suam vitam, nec illud accedit marito; ergo hic illicite, & injuste agit, quando adulterum interficit. Neque obstant Leges Civiles; utpote quæ solum sunt permissivæ, tribuentes in foro externo impunitatem a pœna ob difficultatem cohibendi impetum vindictæ in accepta tam atroci injuria: non vero concessivæ, seu approbativæ, tribuentes in foro interno, & conscientiæ immunitatem a culpa: prout Theologi, & Canonistæ passim advertunt.

Ex quo fit, ut adulter adversus maritum, tanquam injustum aggressorem vitæ, se licite defendat, etiam defensione occisiva, si fugere non possit. Ratio hujus est: quia alioquin per ineluctabilem consequentiam, ac correlationem marito assereretur tacite jus occidendi adulterum; ut patet consideranti. Addidi tamen: *si fugere non possit*. Nam si fugere possit, fugere tenetur adulter, cujuscunque demum status, aut conditionis existat; cum fuga a re turpi nemini valeat esse turpis.

594. Quæres secundo, an bannitus, publica authoritate declaratus reus mortis, in utroque foro impune occidi possit?

Respondetur affirmative, per se loquendo, & si occasio fiat in territorio Principis, a quo ille proscriptus est. Ita cum communi aliorum P. La Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 794. Ratio est: siquidem eo in casu quilibet authoritate publica constitutus censetur minister, & executor justæ sententiæ a Principe, vel Republica in bannitum latæ. Unde bannitus non potest se defendere, & occidere sui aggressorem; nam jus se ita defendendi non competit cuiquam adversus aggressorem vitæ justum, sed injustum duntaxat, ut notat Alloza *verb. Bannitus, num.* 5.

Dixi in respons. *per se loquendo*. Nam per accidens, v. g. ex speciali lege id prohibente, similis occisio illicite fieret. Hinc peccaret mortaliter filius, qui suum patrem bannitum (saltem extra casum, qui occisionem patris exposceret universale patriæ bonum) occideret: quia hoc graviter adversaretur pietati, quam liberi ex lege naturali, & Divina parentibus debent. Tamburinus *lib.* 8. *c.* 1. §. 4. & alii. Imo & pater, ac uxor lethaliter delinquerent, si ille filium, & ista maritum bannitos interficeret; quia etiam pater filio, & uxor marito speciali pietatis titulo obstricti tenentur: prout relinquitur ex dictis *disp. præced. &* 568. *n.* 559. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 2. Mortaliter quoque peccaret Clericus saltem in majori Ordine constitutus, si bannitum occideret: quia in *c.* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, graviter interdicitur Clericis, ne se immisceant in causas sanguinis ut ut justas. La Croix *loc. cit. n.* 793. & alii communiter. Porro aliis quoque hominibus solum licita est occisio banniti, ubi æquitas banni adeo manifesta est omnibus, ut nulla tergiversatione celari possit. Quod si enim banni æquitatem effrænis ambitio, exæstuans erga bannitum passio, vel versans privatum interesse obscuram reddant, a cæde banniti in foro conscientiæ abstinendum judicat (& merito) Augustinus Michel *loc. cit. n.* 87.

Dixi præterea: *& si occisio fiat in territorio &c.* Nam in territorio alterius Principis sine hujus saltem tacito, aut rationabiliter præsumpto consensu, occidi bannitus a nemine potest: quia fieret injuria & Principi, cujus territorium usurparetur, & bannito, utpote qui occideretur absque legitima authoritate; cum authoritas Principis, a quo proscriptus fuit, se extendere nequeat ad alterius Principis territorium &c. Ita cum Moya, & aliis La Croix *n.* 795.

595. Quæres tertio, an lictores, vel satellites possint occidere malefactorem, quem comprehendere jussi sunt, si is se opponat, suique comprehensionem impedire nitatur.

Respondetur, non posse, nisi concurrant sequentes conditiones, collective requisitæ. Prima est, ut a Magistratu habeant speciale mandatum illum capiendi. Secunda, ut malefactor armata manu resistat. Tertia, ut alio modo capi non possit. Quarta, ut ab eo, si evadat, gravia mala timeantur. Quinta, ut crimen illius sit atrox, & capitale. Sexta, ut de eodem crimine sit sufficienter diffamatus. Hæ, inquam, conditiones collective sumptæ requiruntur ad licitam malefactoris occisionem: quæ proinde illicita erit, si vel unica illarum desit. La Croix *n.* 797. & alii.

596. Quæres quarto, an defensione occisiva liceat se tueri adversus aggressorem pudicitiæ?

Respondetur affirmative, supposito, quod persona periclitans nec clamore, nec minis, nec precibus, nec pugnis, nec unguium affricatione &c. possit repellere lascivum invasorem. Ita Rodriquez *tom.* 1. c. 220. *n.* 14. Tannerus, Diana, Cardenas, Pichlerus, & alii communiter. Ratio est: quia salus spiritualis, cujus amittendæ periculum vix evitabile subit persona invasa, præponderat saluti corporali personæ invadentis; ergo licet illam conservare cum istius destructione. Ex quo fit, ut, si tyrannus obsidens urbem peteret sibi tradi virginem ad eam violandam; nec virgo propter periculum animæ tam evidens se tyranno sistere, nec Respublica posset eandem tradere: secus, ac diximus de cive innocenti, ubi sola salus corporis periclitatur. Fit præterea, ut virgo, lascivum osculum, vel tactum perpessa, possit excipere libidinosum attentatorem colapho, vel pugno: quia inflictio colaphi in hoc casu est vera defensio, & aversio ulterioris attentandæ lasciviæ; cum soleant redire assultibus suis libidinosi proci, quando primi impune cedunt. Ita cum Cardinale de Lugo

Augu-

Augustinus Michel *loc. cit. n.* 32. Neque hic subest periculum vindictæ, quale subesse animadvertimus *n.* 492. in casu, quo quis ab altero percussus, eum repercutit ad novas percussiones evitandas: prout diversas utriusque casus circumstantias pensanti facile apparebit.

579. Quæres quinto, an femina prægnans aliquando possit procurare abortum?

Respondetur primo. Nunquam directe procurare abortum potest, quando fœtus jam est animatus. DD. communiter. Ratio est: quia expellere ejusmodi fœtum, est directe occidere innocentem: sed directe occidere innocentem nunquam licet, secundum dicta *num.* 578. ergo &c.

Respondetur secundo. Idem sentiendum, tametsi fœtus nondum sit animatus. Responsio hodie est certa; eo quod Innoc. XI. confixerit hanc *propos. ord.* 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Ex quo liquet, neque expulsionem fœtus inanimati, directe quæsitam, licitam esse ob necessitatem perdendi vitam, famam &c. Accedit ratio, eaque efficacissima, & ineluctabilis, quæ in forma argumenti sic instrui potest. In ullo unquam casu licita est directa expulsio feminis; ergo etiam, & a fortiori, in nullo unquam casu licita est directa expulsio fœtus, quamvis necdum animati. Ant. communiter admittitur. Conf. ostenditur. Nam ideo expulsio feminis nunquam est licita, quia adversatur fini generationis humanæ, ad quam unice semen, ejusque effusio ordinatur: atqui magis propinque fini generationis humanæ adversatur expulsio fœtus, licet adhuc inanimati: quemadmodum patet consideranti; ergo &c. Non piget hic transcribere verba, quæ habet Lessius *de Just. c.* 9. *dub.* 10. *n.* 61. & sic sonat: *Imo est magis directe, & propinque contra naturam generationis expellere fœtum, quam procurare pollutionem; sicut fœtus, & si nondum animatus, longe propinquior est naturæ humanæ, quam femina nondum commixta. Deinde in pollutione tantum expellitur semen unius generis, idque ex sede non ultima, sed instrumentaria; in abortu expellitur semen geminum, commixtum, elaboratum, idque ex sede primaria, & finali a natura ad hoc destinata.*

Dixi supra: *directe procurare &c.* Nam indirecte procurare abortum, utique potest esse licitum. Quare non arguenda est alicujus peccati mulier gravida, sed ægrota, si sumat pharmacum directe, & suapte natura præcise ordinatum ad recuperandam sanitatem, etiamsi inde sequatur expulsio fœtus sive animati, sive inanimati. Ratio est: quia tunc mulier utitur jure suo, quod habet ad vitam mediis legitimis conservandam, esto per accidens, & præter, vel etiam contra intentionem ipsius secutura prævideatur, & reipsa sequatur expulsio fœtus: sicut licet adhibere ejusmodi remedia, tametsi inde secutura prævideatur expulsio seminis. Ita Authores communiter, si fœtus nondum sit animatus: si vero jam sit animatus, matrem ad abstinendum ab illiusmodi medicinis obligant Lessius, aliique plures; eo quod salus spiritualis prolis per Baptismum procuranda, saluti corporali matris præferri debeat. Sed recte cum aliis se opponit P. Babenstuber *loc. cit. art.* 1. *n.* 7. Rationem adstruit: quia nemo propter salutem alterius spiritualem incertam tenetur se exponere periculo vitæ, vel non adhibere media ad ejus conservationem necessaria; atqui salus spiritualis prolis in casu posito est incerta, tametsi mater a medicamenis abstineat; enim ipsa moriente probabiliter & proles moritura sit; ergo &c. Quapropter sive fœtus sive non sit animatus, mulier ægrota licite utitur medicinis &c.

Intelligi præterea superius dicta debent de fœtu inanimi remanente in debita conditione naturali, & capaci animationis. Quod si enim fœtus jam esset corruptus, & animationis incapax, citra dubium directe expelli posset ad conservandam vitam mulieris (sicut & semen corruptum ad servandam vitam hominis) sic enim non amplius haberet veram rationem humani fœtus, vel puerperii, sed esset mola, vel massa maligna. Sporer *par.* 4. *de Sacram. c.* 4. *n.* 706.

Dices nunc contra responsionem, supra redditam, primo. Licitum est ad conservationem totius suppositi abscindere aliquam partem, seu membrum: sed fœtus, saltem necdum animatus, est pars totius suppositi, videlicet materni; ergo &c.

Respondetur, neg. min. proprie loquendo. Siquidem pars, proprie talis, naturaliter, & principaliter est propter totum, neque membrum hominis ullum, nisi in ordine ad totum, habet finem per se intentum a natura in universo. Jam autem fœtus non est propter matrem: sed alium habet finem per se intentum a natura; imo inchoative in fieri est condistinctum individuum humanum. Porro hoc argumentum probaret, quod etiam semen directe expelli posset, si hominis sanitati noxium deprehenderetur; cum & ipsum existat suo modo pars suppositi humani: prout bene advertit P. Sporer *loc. cit.*

Dices secundo. Licet occidere aggessorem vitæ, nisi is sit positive justus: sed contingere potest, ut fœtus sit aggressor vitæ maternæ, utique non positive justus; ergo tunc eundem licebit expellere, quamvis idcirco occidatur, & pereat.

Respondetur itidem neg. min. proprie loquendo, & quoad primum membrum: siquidem aggressio est actio saltem spontanea aggredienti, & violenta aggresso (sub qua ratione reperiri in homine, etiam furioso, imo & in bruto potest) atqui actio prolis, seu fœtus, noxia matri, non est actio spontanea aggrediendi, sed naturalis, & necessaria; nec violenta matri aggressæ, cum ejusdem potissima naturalis causa sit ipsa mater, eique indita virtus formatrix: consequenter &c. Unde quando supra *n.* 582. docuimus, quod liceat occidere aggressorem vitæ, locuti fuimus de aggressore proprie tali, seu spontaneo (licet forte non libero) cujusmodi haud est fœtus in utero matris.

598. Petes occasione dictorum, quandonam proles animetur anima rationali?

Respondetur primo, errasse eos, qui docuerunt, quod probabile sit, fœtum non animari anima rationali, antequam in lucem edatur. Patet ex *prop.* 35. inter damnatas ab Innoc. XI. cujus tenor est: *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primo incipere eandem habere cum paritur &c.* Videri potest Viva *super prop.* modo *cit.*

Respondetur secundo, hallucinatos quoque fuisse Medicos illos, qui existimaverunt, fœtum in primo statim instanti, quo concipitur, animari anima rationali, vel saltem adhuc prima, aut secunda, aut ad summum tertia die. Ratio est: quia fœtus non animatur, antequam sit formatus, ut colligitur ex S. Script. *Exod.* 21. ubi dicitur juxta versionem Septuaginta: *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima; si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia.* Atqui fœtus non formatur statim, ac concipitur, nec illis tribus primis diebus conceptionem subsequentibus, ut fateri omnes debent; ergo &c. P. Viva *loc. cit. n.* 10.

Respondetur tertio, neque placere communem sententiam aliorum, docentium, masculum animari quadragesimo die post conceptionem, feminam vero octuagesimo. Ratio in contrarium est: quia non satis est perceptibile, quamobrem statui debeat tantum intervallum inter utramque animationem. Babenstuber *loc. cit. num.* 9.

Respondetur proinde quarto cum Authore immediate *cit.* utrunque fœtum, maris, & feminæ, animari, quam primum formatus est. Volunt autem DD. formationem maris absolvi subinde die trigesimo, subinde trigesimo quinto, subinde quadragesimo; feminæ vero subinde trigesimo quinto, subinde quadragesimo, subinde quadragesimo quinto, subinde quinquagesimo. Hypocrates tamen apud Lessium docet, masculum, ut longissime, formari die trigesimo; & femellam, ut longissime, die quadragesimo secundo post conceptionem.

CAPUT II.

De Homicidio, prout in Bello, & Duello contingit.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Bellum? quid & quotuplex Duellum?

SUMMARIUM.

599. Definitur, & dividitur Bellum. 600. Definitur, & dividitur Duellum. 601. Adstruuntur ad rationem duelli necessaria.

599. Di-

599. Dico primo. Bellum est *discordia Principum, Rerumpublicarum, vim, & arma sibi mutuo inferentium per exercitus*. Differt a *Rebellione*, quæ est discordia, vel pugna inter Principem, & subditos: a *Seditione*, quæ est discordia, vel pugna inter Rempublicam, & subditos: a *Rixa*, quæ est discordia, vel pugna inter privatos: a *Duello*, quod (saltem ordinarie) est pugna inter duos tantum. Pichler *lib. 1. Decret. tit. 34. n. 2.* Dividitur bellum in *defensivum*, & *offensivum*. Primum est, quo vis, injuste illata, cum moderatione inculpatæ tutelæ repellitur: secundum (quod etiam *aggressivum* vocari soleat) est, quo vis infertur injuriæ vindicandæ causa.

600. Dico secundo. Duellum est *pugna singularis duorum* (vel plurium) *adversus se invicem pugnantium ad mortem, vel mutilationem, vel gravia vulnera infligenda ex condicto ad certum locum, & tempus*. Addit cum quibusdam aliis P. Pichler *lib. 5. Decret. tit. 14. num. 1.* particulas *ex privatis causis*. Sed rectius omittuntur; cum ex earum additione sequeretur, quod duellum, ob bonum Reipublicæ assumptum, v. g. ad terminandum bellum, ad parcendum sanguini multitudiois &c. non esset proprie duellum, quippe non ex causa privata, sed publica susceptum: atqui sequela est contra communem sensum, & persuasionem Doctorum; ergo &c. Duellum dividitur in *solemne*, & *privatum*. Solemne est, quod fit cum certa forma, & ritibus, nempe adhibitis *patrinis*, seu *secundantibus*, missis literis provocatoriis (vulgo Chartell) vel chirotheca, aut dato annulo, & subinde etiam loco, securitatem præstante, constituto, quem *campum francum* appellant.

Dixi in conclus. per parenthesim: *vel plurium*, ut denotarem, duellum, quamvis ordinarie versetur inter duos tantum (ob qood etiam vocari suevit *bellum duorum*) versari quoque posse inter plures, si fiat ex condicto ad certum locum, & tempus: veluti cum aliis bene notat P. Felix Potestas *tom. 1. part. 2. n.* 2130.

601. Colliges ex modo dictis, ad rationem duelli necessarium esse, ut pugna fiat ex condicto, seu ex conventione per aliquod temporis intervallum prævia, de signato non solum certo loco, sed etiam certo tempore ad congrediendum armis, occisionem, mutilationem, vel gravem vulnerationem causare per se aptis.

ARTICULUS II.

Quandonam Bellum, & Duellum sint licita?

SUMMARIUM.

602. *Bellum defensivum semper est licitum: offensivum vero, ut licite suscipiatur, tres conditiones requrie.* 603. *Quid requiratur, ne in belli prosecutione peccetur?* 604. *Assignatur aliqui casus, in quibus duellum est licitum, & alii, in quibus illicitum.*

602. Dico primo. Bellum defensivum semper est licitum; siquidem vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ omnes leges, & Jura permittunt: offensivum vero, ut licite suscipiatur, tres præcipue conditiones requirit. Prima est *legitima authoritas* illud indicentis; qualem obtinent Principes, & Respublicæ Superiorem io temporalibus non recognoscentes. Secunda est justa causa, moraliter certa, v. g. ut recuperetur provincia, urbs, vel res aliæ magni momenti, ab altero injuste detentæ, ut vindicetur gravis injuria Principi, vel Reipublicæ illata, ut bellum justum gerenti afferantur suppetiæ, ot defendatur vera Religio &c. Quæ tamen ita intelligenda, ut quamvis causa belli indicendi sit justa, non tamen liceat bellum aggredi, si adversarius condignam offerat satisfactionem. Tertia est *recta intentio*, qua, qui bellum movet, intendat promovere bonum, ad quod habet jus; vel malum iojuste illatum vitare. Harum conditionum quando vel unica abest, bellum illicite infertur.

603. Quæres, quidnam requiratur, ne in belli prosecutione peccetur?

Respondetur, requiri, ut leges belli serventur, nimirum, ut Ecclesiæ maneant illæsæ, & locorum, personarumque Ecclesiasticarum bona non diripiantur; oti nec innocentium saltem directe: ot personæ innocentes, quales reputantur, & ordinarie sunt Clerici, Religiosi, agricolæ, feminæ, infantes, & alii arma non tractantes, per se, ac directe non occidantur; imo nec militantes, finita jam pugna, & parta victoria, nisi aliunde ob speciale delictum promeriti sint mortem, multo minus occidi possunt obsides &c. DD. communiter.

604. Dico secundo. Duellum est licitum 1. Si assumatur ob defensionem Divini honoris, ut siquis desistere a blasphemia nolit, nisi cum eo duellum ineas. 2. Si assumatur ob bonum Reipublicæ, v. gr. ad finiendum bellum, ejusve calamitates; vel ad parcendum sanguini, qui effunderetur, si totus exercitus dimicaret. Exemplum habemus in monomachia Davidis, & Goliathi 1. *Reg.* 17. Similiter S. VVenceslaus Dux Bohemiæ, quemadmodum in ejus Officio legitur, ut suorum saluti prospiceret, ad singulare certamen adversus Radislaum Ducem Curimensem se stitit. 3. Si assumatur ex necessitate ad defensionem vitæ, vel bonorum: prout fluit ex principiis, ex quibus *capit. præced. art.* 3. ostendimus, quod cuilibet fas sit, vitæ, & bonorum aggressorem occidere &c.

E diverso illicitum est duellum 1. honoris tuendi, vel ignominiæ vitandæ causa susceptum. Patet *ex propos.* inter prohibitas ab Alexandro VII. *ord.* 2. quæ sic sonat: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio insuper est: qoia acceptatio, vel oblatio duelli nec est medium necessarium, nec idoneum ad tuendum honorem, vel vitandam ignominiam. Non enim est remedium necessarium; cum notam timiditatis, qoam duellum detrectando forte incurreres apud aliquos male sanos, perversos, & depravatæ mentis homines (nam apud cordatos, prudentes, & probos potius laudem tibi concilias) aliter evitare valeas, dicendo, v.g. te paratum fore ad congrediendum, si liceret; vel ostensurum, quanto sis animo, ubi a provocante palam fueris invasus. Nec est remedium idoneum: vel enim eris victus, vel victor? si victus; hoc utique tibi gloriosum non accidet, præsertim si in ipsa pugna decesseris; tunc quippe, tanquam mortalis peccati notorie reus, sepultura sacra privaberis, & Tartari præda eris. Si victor; incides in manus carnificis; aut a tuis separatus, & officio, siquod habuisti, exutus, in alienas terras amandaberis, diesque vitæ reliquos in amaritudine animæ tuæ transigere compelleris, coram omnibus, & singulis, qui facti notitiam habent, vilis, & abjectus.

2. Illicitum est duellum, ad demonstrandam innocentiam, aut terminandam litem ioitum. Babenstuber *tract. 5. disp. 6. art. 2. num.* 12. & alii communiter. Ratio est: quia duellum pro neutro istorum finium obtinendo est medium idoneum (imo tentativum Dei, saltem tacite) cum in ejusmodi pugna succumbere æque possit innocens, ac nocens.

3. Illicitum est duellum, ficte, & sine animo vulnerandi susceptum: item ea lege initum, ut uno vulnerato, vel post certum ictuum numerum cessetur. Ita cum communi. P. Pichler *loc. citat. n.* 4. Ratio est: quia præbetur scandalum, & Clemens VIII. in Constit. *illius vires an.* 1592. prohibuit duella etiam non fatalia. Accedit, quod sæpenumero sit periculum infligendi vulnus fatale; cum difficile sit ita moderari ictum per arma ad occidendum apta, & cum intentione vulnerandi abbibita, ot vulnus lethale non infligatur.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

605. *Quaresimo periculose decumbenti non potest absque mortali peccato præberi vinum contra prohibitionem Medici.* 606. *Quintilianus Religiosus, ob incommoda ruptura brevi moriturus, nisi sectionem admittat, non tenetur hanc admittere.* 607. *Quinctianus jubetur varias quæstiones resolvere.* 608. *Quadratianus potest non solum acceptare, sed etiam offerre duellum, si alias officium, ex quo sustentari debet, amittere necesse foret.*

CASUS

CASUS I.

605. *Quaresimus, cum periculose decumberet, accersiri Medicum curavit: qui & comparuit, statuque morbi probe deprehenso, ante omnia vinum ægro interdixit, vetuitque Quirino (qui constitutus erat infirmarius) ne infirmo vel minimam vini portionem præberet. Quirinus tamen, advertens vires Quaresimo defluere, & causam hujus in defectum vini referens, simulque Quaresimi precibus cedens, ipsi vinum porrexit; quo hausto is brevi post expiravit. Queritur, an, & qualiter Quirinus deliquerit?*

R
Espondetur, Quirinum deliquisse mortaliter, nisi bona fides eum excusaverit. Ita Palao *tom. 1, tr. 1. disp. 2. pun. 3. in fine*, Burghaber *cent. 2. cas. 47.* & alii. Ratio est; quia ægrum absque considerabili ratione manifesto periculo mortis, saltem notabiliter accelerandæ, exposuit, & quidem contra præscriptum Medici; quod sane mortali culpa vacare non potuit, per se loquendo, & nisi forte bona fides, ac conscientia invincibiliter erronea Quirinum excusaverit.

CASUS II.

606. *Quintilianus Religiosus gravibus ruptura incommodis vexatur, judicio Medicorum juxta, ac Chirurgorum brevi conficiendus, nisi sectionem admittat; quam etiam Superior imperat, & alii suadent. Queritur, an Quintilianus hoc remedium, licet asperum, ad vitam tamen conservandam unice necessarium, respuere possit, etiam contra mandatum Superioris?*

Respondetur affirmative, Lugo *de Justit. disp. 10. n. 21.* & alii communiter. Ratio est; quia nemo, per se loquendo, tenetur suam vitam conservare per media extraordinaria, & admodum difficilia; *cum non sit tanto digna dolore salus*, juxta commune adagium; sed sectio est medium extraordinarium, & admodum difficile; ergo &c. Nec obstat mandatum Superioris; eo quod hic rem adeo difficilem, & asperam præcipere non possit: prout videbimus *part. 3. tract. 3. disp. 2*, ubi etiam argumentum, quod ex nostra S. Regula depromi, & opponi potest, dissolvemus.

CASUS III.

607. *Quinctianus, Ordinis, & Provinciæ nostræ Religiosus, cum Theologiæ Cursum emensus esset, & ad excipiendas confessiones exponendus, in examine domestico præter alias quæstiones resolvere jubetur & istas. 1. An sufficiens belli indicendi causa existat, si Rex aliquis, v. g. advertat, vicinam Potentiam crescere, ac propterea metuat, ne sibi, suoque Regno inde cum tempore nocumentum accrescat? 2. An detur aliquando bellum ex utraque belligerantium parte justum? 3. An in bello captis fugere liceat? 4. An peccent milites, qui navem, qua vehuntur, pulvere pyrio succendentes, se una vita privant, ne illa in hostium manus deveniat? 5. Quinam Confessarii duellantes, eorumque socios, & fautores extra articulum mortis absolvere possint? Quid ad singulas hasce quæstiones Quinctianus dicet?*

Respondetur. Ad primam quæstionem dicet Quinctianus, quod causa illa sit insufficiens. Schiara *in Theolog. bellic. lib. 1. difficul. 9.* & Pichlerius *lib. 1. Decret. tit. 34. n. 5.* Ratio est: quia vel talis Rex metuit nocumentum ab aucta Potentia juste, vel injuste sibi inferendum? Si primum; eam, utpote suo jure utentem, licite impedire nequit. Si secundum; tenere suspicatur, judicat, vel præsumit tantam de vicina Potentia iniquitatem, injustæ nimirum aggressionis. Excipe: nisi forte ejuscemodi Rex id præsumendi habeat evidens indicium, quippe jam expertus talis Potentiæ injustas aggressiones &c. contra quas proin & ipse se armare, bellumque indicere, atque ordiri posset.

Ad secundam quæstionem dicet Quinctianus, non posse dari bellum utrinque justum materialiter, bene vero formaliter. Ratio primi est; quia uni duntaxat parti realiter, & a parte rei jus belligerandi competere potest. Ratio secundi est: quia intervenire potest titulus existimatus, quo nitatur una pars, invincibiliter putans, sibi competere jus adversus alteram belligerandi. La Croix *loc. cit. n. 869.* cum communi.

Ad tertiam quæstionem Quinctianus dicet, licere, seclusio pacto non fugiendi. Fillucius *tr. 29. cap. 9. num. 201.* Sporer *in Decal. tr. 5. cap. 2. sect. 2. n. 118.* & alii communiter. Ratio est: quia experientia condocemur, Jure gentium introductum esse, ut capti in bello, quamvis ex parte capientium justo, si ad suos fugiendo redeant, pristinam libertatem consequantur: quemadmodum habetur in §. *item ea, quæ ab hostibus, Instit. de rer. divis.* Possunt tamen ejusmodi fugitivi ex fuga justa retrahi a domino; cum libertatem non adipiscantur, antequam ad suos revertantur: possunt item puniri; non quod fugiendo peccent, sed ne posthac & ipsi, & alii a fugiendo absterreantur. *argum. l. 1. ff. de effract.*

Dixi: *secluso pacto &c.* Hinc milites gregarii in bello, quæ apud nos Christianos geruntur, capti, data opportunitate licite aufugiunt: quia præter custodiam, qua asservantur, nulla fide ad remanendum adstringuntur. E diverso Duces, Colonelli, Capitanei, qui plerumque nulla custodia arctantur, sed sub fide nobili, ac militari remanentiam spondent, non tantum illicite fugiunt, cum contraveniant pacto dere honesto inito, adeoque etiam hostibus servando; sed insuper honoris, & famæ periculum subeunt. Item dimissi ad certum tempus vel locum, tenentur in captivitatem redire; cum non aliter, nisi sub conditione reditus, dimittantur. Burger *Observ. milit. 78.* Brautlach *consult. 1.* Manzius *ad §. 13. de action. n. 17.*

Ad quartam quæstionem dicet Quinctianus, ejusmodi milites non peccare, si id faciant boni publici causa. Cardinalis de Lugo *de Just. disp. 10. n. 41.* Herzig *loc. cit. n. 321.* & alii. Ratio est: quia licite, & Juri naturali conformiter pars suam incolumitatem exponit pro toto. Peccarent vero, si id facerent præcise, ne ipsi venirent in manus hostium, & ab istis occiderentur; cum hoc in casu deficeret causa ad illiusmodi expositionem cohonestandam sufficiens; utpote qualis non est periculum occisionis, ab hostibus impendens, secundum se spectatum: quemadmodum notat Herzig *citat.*

Ad quintam quæstionem dicet Quinctianus, id posse (pro foro interno) Confessarios Ordinum Mendicantium. Ita cum Dicastillo, Tamburino, & aliis La Croix *loc. cit. n. 861.* Ratio est: quia ejusmodi Confessarii possunt vi suorum privilegiorum absolvere ab aliis censuris Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ; ergo etiam a censura excommunicationis incursa per duellum; cum ea non contineatur, aut excipiatur in Bulla Cœnæ. Imo Comitolus *lib. 6. Mor. q. 17.* testatur, id expresse declaratum esse a Clemente VIII. Excipiuntur tamen Confessarii, etiam Mendicantes, in Italia extra Urbem, quibus hæc facultas per decretum Congreg. Cardinal. ex mandato altefati Pontificis editum, est denegata.

CASUS IV.

608. *Quadratianus, obscuro genere natus, sed officio bellico nobilis, ad quod sua virtute eluctatus fuerat, e nobilissima quadam familia Germaniæ uxorem duxerat. Nescio qua occasione dein idem Quadratianus ab alio quodam magnæ nobilitatis Officiali bellico, ejusdem fere, &, non multum supra Quadratianum eminentis officii, arundine ignominiose est percussus. Nobilitatem percussoris reveritus, nulla usus est defensione Quadratianus; vulgatur res in exercitum: Officiales reliqui contra eum protestantur, negant, cum eo stare milites velle, eumque tanquam imbellem e castris exesse jubent. Princeps Imperii, in cujus coborte Centurionem agebat, a Quadratiano imploratus, reposuit, se non removere ipsum ab officio; cogere tamen officiales, & milites aliorum Principum non posse, ut cum ipso stent in armis, eumque tolerent: ipse sibi prospiceret. Frustra omnia; remedium retinendi, vel recuperandi officium suppetebat nullum præter monochiam, sive duellum, quod tamen Quadratianus non arripuit; & ideo officio privatus, ad ruricolas una cum sua perillustri Conjuge se contulit, ubi cum magna paupertate luctatus est annis non paucis. Quæritur, an Quadratianus potuisset in continenti, vel post aliquod temporis intervallum licite se defendere*

repercu-

repercutiendo, aut etiam vere duellando, si remedium repercussionis non suppetat, aut sufficiat?

RESpondetur, quod potuisset, modo habuisset probabilem spem victoriæ: idque verum censeo, tametsi cum defensione fuisset conjuncta occisio Adversarii: item sive Quadratianus duellum tantum acceptasset provocatus, sive ad illud ipse provocasset; supposito (ut in Casu supponitur) quod aliud medium ad retinendum, vel recuperandum officium suum, unde se, suamque perillustrem Conjugem sustentare necesse habuit, non suppetierit. Ita cum Reiffenstuel *lib. 5. Decret. tit.* 14. *n.* 31. Pichler *eod. lib. & tit. n.* 8. (ubi Casum propositum quasi in formalibus terminis refert, & factum testatur) aliique ab ipso relati. Ratio est: quia ibi non agebatur præcise de puncto honoris, sed etiam de statu simul, & officio, consequenter de rebus quoque fortunæ ad vitam convenienter statui ducendam necessariis; proinde injuriosus percussor fuit perpetuus aggressor in rebus fortunæ magni momenti, aliter non recuperabilibus; ubi Deus, Natura, & Jura permittunt defensionem etiam occisivam (sive incontinenti, sive post intervallum temporis) secundum dicta *n.* 583.

Dixi: *modo habuisset probabilem spem victoriæ*: Si enim ipsi moraliter certum fuisset, se incertamine, vel duello interfectum iri, temere, & consequenter illicite periculum vitæ adiisset.

DISPUTATIO VI.

De Octavo Præcepto Decalogi.

TRansilimus hic duo Præcepta intermedia, sextum videlicet, & septimum, eo consilio, ut anterius cum nono, & posterius cum decimo conjugamus, atque in eandem doctrinæ catenam connectamus: quemadmodum factitant & alii Casuistæ, saltem plerique. Ceterum octavo hoc Præcepto vetatur omnis injustitia, & injuria, quæ proximo verbis tam Judicio publico, quam extra illud per contumeliam, detractionem, & æmulia vitia, irrogatur. De injuriis primi generis commodius acturi sumus *part.* 2. *tr.* 3. *dispu.* 3. De injuriis vero secundi generis in præsenti disserendum: uti & de mendacio, utpote quod tum illis, tum istis plerumque misceri solet. Ab hoc ut initium sumamus, sit

CAPUT I.

De Mendacio.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Mendacium?

SUMMARIUM.

609. *Mendacii definitio adstruitur, & explicatur.* 610. *Mendacium committitur quatuor modis.* 611. *Dividitur in* jocosum, officiosum, *&* perniciosum.

609. DIco primo. Mendacium *est falsa significatio vocis cum intentione dicendi falsum.* Communis.

Explicatur. Dicitur 1. *falsa significatio vocis*: quia mendacium proprie est peccatum oris; quamvis etiam per scripturam, signa, & gestus committi possit.

Dicitur 2. *cum intentione dicendi falsum*. Hæc enim intentio si absit, essentia mendacii non subsistit. Unde non mentiris formaliter, quando asseris aliquid a parte rei falsum, quod tamen existimas esse verum: quia formaliter mentiri est loqui contra mentem; in casu autem non loqueris contra mentem: consequenter &c.

610. Ceterum quatuor modis committi mendacium potest. 1. Quando quis affirmat esse, quod cognoscit non esse. 2. Quando quis negat esse, quod cognoscit esse. 3. Quando quis id, de quo scienter dubitat, an sit, pro certo affirmat esse. Quando quis id, quod ipsi certum est, affirmat sibi esse dubium. DD. Communiter.

611 Dico secundo. Mendacium dividitur in *jocosum, officiosum,* & *perniciosum.*

Explicatur. Mendacium jocosum est, quod profertur delectationis causa, & nemini nocet. Officiosum est, quod profertur ad bonum acquirendum, vel malum avertendum; idque sine injuria ulli illata. Perniciosum est, quod profertur cum proprio, vel alterius damno, aut injuria respective, sive in rebus humanis, sive in Divinis.

ARTICULUS II.

An omne Mendacium sit peccatum, & quale?

SUMMARIUM.

612. *Omne mendacium est intrinsece malum.* 613. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 616. *Mendacium jocosum, uti & officiosum, est peccatum veniale ex genere suo; perniciosum vero mortale.*

612. DIco primo. Omne mendacium est peccatum, adeo, ut nulla dabilis sit causa, quæ illud cohonestet, aut licitum reddat. Communis.

Probatur (omissis authoritatibus) hac ratione. Deus, naturæ Author, verba instituit, ut per ea homo homini (supposito, quod loqui velit) cogitationes, & mentis suæ judicia manifestet; ergo verbis aliter uti, nempe ad significandum contrarium illi, quod latet in mente, prout fit mentiendo, est invertere ordinem humanæ locutionis, ab Authore naturæ institutum: id quod semper repugnat rectæ rationi, & idcirco licitum esse in nullo casu potest.

613. Objicies primo. Juxta omnes licitum est aliquando hostem insidiosis factis decipere; ergo etiam verbis: consequenter &c.

Respondetur, dist. cons. Si verba sint talia, quæ duplicem significationem sive ex circumstantiis habeant, con. secus, neg. cons. Mendacium profertur verbis unam duntaxat significationem, eamque conceptui mentis dissentaneam habentibus; ad quem tamen conceptum vere exprimendum per se, & suapte natura ordinatur; aliter, ac facta saltem aliqua.

614. Objicies secundo. Nemo in omni casu debet sermonem suo proximo; ergo non peccabit in omni casu, si eidem falsum dicat.

Respondetur, neg. cons. Licet enim non semper sermonem nostrum debeamus alteri; supposito tamen, quod loquamur, tenemur nostras voces conformare nostris conceptibus, cum virtus veracitatis exigat, ut signa proportionata significatis edamus.

615. Objicies tertio. Mendacium videtur ideo præcise prohibitum, quia proximo noxium; ergo quando eidem non est noxium, erit illicitum.

Respondetur, neg. causalem antecedentis: sed ideo etiam prohibitum est: quia verba suapte natura ordinantur ad exprimendos conceptus mentis: cujus contrarium evenit in mendacio.

616. Dico secundo. Mendatium jocosum, uti & officiosum, est peccatum veniale solum ex genere suo; perniciosum vero mortale. Abreu *lib.* 8. *sect. n.* 516. Stoz, & alii. Ratio est: quia mendacia prioris generis ex se præcise repugnant Veracitati, quæ virtus ex suo genere obligat sub veniali tantum: e diverso mendacium posterioris generis ex sua natura etiam repugnat Charitati (& aliquando Justitiæ, ac Religioni) quæ virtus obligat ex suo genere sub mortali: unde hic solum habet locum communis exceptio de levitate materiæ, aut imperfectione actus.

CAPUT II.

De Vitiis, quibus honore, & fama proximi injuriose læditur.

VItia, quibus proximo contra honorem, & famam respective infertur injuria, sunt *contumelia, dubitatio, suspicio, opinio, & judicium temerarium, detractio, & revelatio secreti.* De his proinde per distinctos articulos tractandum.

ARTICULUS I.

De Contumelia.

SUMMARIUM.

617. & 618. *Definitiones honoris, & contumeliæ.* 619. & 620. *De speciebus contumeliæ, & earum differentia.* 621. *Contumelia est peccatum mortale ex genere suo.* 622. *A mortali excusantur parentes, dum filios appellant stupores, asinos, lurcones &c.* 623. *Uti & mulierculæ, dum ex ira se mutuis impetunt contumeliis.*

617. HOnor, qui per vitium contumeliæ læditur est *testificatio propria existimationis de alterius excellentia*. Quæ testificatio debet fieri signis externis, ut appellatione honorifica, corporis inclinatione, potioris loci cessione &c. Hoc breviter insinuato, quæritur, quid sit contumelia, quotuplex, & quale peccatum?

618. Dico primo. Contumelia est *dehonoratio alicujus per verba (* formalia, vel æquivalentia *) quibus id, quod est contra honorem illius, deducitur in ejus notitiam*. DD. communiter,

Explicatur. Dicitur 1, *dehonoratio alicujus per verba &c.* Siquidem contumeliosus externe manifestat ea, quæ contra alterius honorem animo concepit: quod fit per verba, vel formalia, ut si compellet alterum fatuum, stultum, insensatum, spurium, improbum &c. vel æquivalentia, ut si alterum fustibus cædat, non ex affectu vindictæ tantum (sic enim esset injuria simpliciter talis) sed ad patefaciendam ejus imbelliam, & resistendi impotentiam, Unde ut facta sufficiat ad inferendam contumeliam, debent assumi, non quatenus præcise facta, aut res sunt; sed quatenus conducunt ad significandum ea, quæ quis contra honorem alterius animo concepit; hoc quippe posteriori modo, non priori, æquivalent verbis, istorumque vice funguntur,

Dicitur 2, *deducitur in ejus notitiam*. Quæ notitia ad committendum contumeliæ peccatum omnino necessaria est, & sufficit; nec requiritur, ut idipsum aliis quoque innotescat; quamvis, si hoc fiat, peccatum aggrevetur, imo numerice multiplicetur; prout advertimus, & ostendimus *par. 1. n. 675.*

619. Dico secundo. Quatuor præcipue sunt species contumeliæ, nempe *convitium, improperium, irrisio, & subsanatio.*

Explicatur. Convitium dicitur, quo alteri physice absenti vitium, vel defectus (etiam verus, licet naturalis tantum) cum aliquo ipsius dedecore objicitur. Improperium nuncupatur, quo vitium, vel defectus physice præsenti, & in faciem exprobratur. Irrisio vocatur, quando proximus *(* sive præsens, sive absens physice *)* verbis formalibus ludribio, & risui exponitur. Subsanatio appellatur, quando proximus verbis æquivalentibus, puta motibus, & gestibus corporis, despectui habetur.

620. Colliges, memoratas species non differre inter se nisi accidentaliter. DD. communiter. Ratio est: quia conveniunt in eadem ratione formali lædendi honorem alienum, solumque differunt penes modos, quibus honor proximi læditur, materialiter diversos. Unde satis est in confessione, si dicas; toties, vel toties proximum gravi contumelia affeci; neque est opus, ut addas, vel explices, quænam illi probra intuleris, v. g. quod ipsum appellaveris adulterum, furem, hæreticum &c. Aliunde tamen novam malitiæ speciem accedere posse, nemo est, qui ambigat, ut si parentes, v. grat. contumelia afficias; sic nanque peccas simul contra Pietatem; idque in confessione exprimere debes.

621. Dico tertio. Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. DD. itidem communiter. Ratio est: quia repugnat virtuti Justitiæ. Nec refert, quod forte verba non proferantur animo inhonorandi &c. Sufficit enim, quod interveniat plena, seu ad peccatum mortale requisita deliberatio, & verba sint graviter injuriosa vel in se, vel respectu personæ, contra cujus honorem proferuntur; prout bene notat Abreo *loc. cit. n. 510.* Interim contumelia peccatum veniale evadere potest non solum ob imperfectionem deliberationis, sed etiam ob levitatem materiæ; siquidem non quodvis damnum, in bono honoris illatum, est grave.

622. Colliges primo, a mortali excusari posse parentes, dum filios appellant stupores, asinos, lurcones &c. Ratio est: quia honorem filiorum non censentur graviter lædere. Imo, si id faciant correctionis gratia, etiam a veniali quandoque excusari possunt: quamvis cautius, & rectius agant, si in correctionibus a verbis contumeliosis abstineant, ne forte alioquin filii scandalizentur, putantes, se corrigi non ex charitate, sed ex inordinata passione, idque potius deteriorentur, quam meliorentur: prout DD. passim monent.

623. Colliges secundo, etiam a mortali plerumque excusari mulierculas, pueros, & homines infimæ sortis, quando sese mutuis impetunt contumeliis, ex irad animi præcipitantia effundendo, quidquid in buccam venit. Ratio est eadem: quia & hi tales non censentur sibi invicem honorem notabiliter lædere. Nec obstat, quod forte fiat coram aliis. Siquidem nec coram istis honor illorum, utpote quorum verbis non multum fidei adhiberi solet, grave præjudicium subit.

ARTICULUS II.

De temeraria Dubitatione, Suspicione, Opinione, & Judicio.

SUMMARIUM.

624. & 625. *Fama describitur, & asseritur lædi posse in- & externe.* 626. *Quid sint temeraria dubitatio, suspicio opinio, & judicium?* 627. *Unde dignosci possit, quod indicia aliqua sint sufficientia ad dubitandum, suspicandum &c.* 628. *Temeraria dubitatio, suspicio, opinio, & judicium videntur esse peccata mortalia ex genere suo,*

624. PRænotandum primo, famam in genere sumptam describi, quod sit *multorum æstimatio de vita, & moribus alterius*. Hoc modo descripta dividitur in *bonam*, & *malam*. De mala hic non agimus, sed de bona tantum, quæ juxta Molinam, & alios est *bona de aliquo æstimatio quoad aliquod ejus bonum*. Ubi nomine *boni* veniunt non solum bona animi, ut virtus, sapientia, prudentia &c. & corporis, ut vires, pulchritudo, nobilitas, &c. sed etiam bona fortunæ, utpote quæ & ipsa magni fiunt ab hominibus, ac possidentibus conciliare famam creduntur. Differt fama ab honore, quod illa consistat in judicio, & opinione de alicujus virtute, perfectione &c. iste vero in externa contestatione, & significatione ejusmodi judicii,

625. Prænotandum secundo, famam lædi posse *in- & externe*. Interne læditur per temerariam dubitationem, suspicionem, opinionem, & judicium; externe per detractionem, & non raro etiam per revelationem secreti discurremus in articulis subsecuturis; in articulo autem præsenti de materia dubitatione, suspicione, opinione, & judicio: de quibus proin dispiciendum, quid sint, & qualia, seu quanta peccata?

626. Dico primo, Temeraria dubitatio hic est, quando quis dubitat de malo proximi absque indiciis sufficientibus ad dubitandum. Temeraria suspicio est, quando quis judicium de malo proximi quidem suspendit, inclinat tamen magis ad judicandum, quod is sit malus, quam quod sit bonus, absque indiciis sufficientibus ad suspicandum. Temeraria opinio est, quando quis probabiliter judicat malum de proximo, absque indiciis sufficientibus ad opinandum, Temerarium judicium (subintellige firmum) est, quando quis certo judicat malum de proximo, absque judiciis sufficientibus ad judicandum. Sed

627. Quæres, unde dignosci possit, quod indicia aliqua ad dubitandum, suspicandum, opinandum, vel judicandum sint respective sufficientia, vel insufficientia?

Respondetur. Quando indicia aliqua ex se, vel communi usu hominum sunt indifferentia, aut raro conjuncta cum malo, de quo dubitas, suspicaris &c. censentur improportionata, & insufficientia, maxime ad judicandum: si vero sint ut plurimum conjuncta cum tali malo, censentur proportionata, & sufficientia, etiam ad judicandum; cum tunc constituant moralem certitudinem, quæ sufficit etiam ad prudenter judicandum. Hanc regulam suggerit P. Sporer *tr. 5. in Decal. c. 4. sect. 2. n. 23.* Unde si videas, virum honestum, & alias

alias bonæ famæ clara die transire domum, vel plateam, ubi femina infamis habitat, indicium insufficiens erit dubitandi, suspicandi, opinandi, aut judicandi, ipsum habere intentionem impudice agendi: consequenter peccabis, si nihilominus dubites, suspiceris &c. Contra si videas, in ejusmodi domum ingredi juvenem impudicitiis deditum, indicium sufficiens (maxime si ingressus fiat tempore nocturno) etiam judicandi habebis, illum juvenem impudice acturum; nec peccabis (licet tutius procederes, si animum conhiberes maxime a judicando) quia ejusmodi juvenis in tuo intellectu amisit jus suæ bonæ existimationis, nec potest esse rationabiliter invitus, quod eandem vel minuas dubitando, suspicando, aut opinando, vel omnino deponas firmiter judicando. Ceterum majora indicia requiruntur ad opinionem, vel suspicionem, quam ad simplicem dubitationem, & majora ad firmum judicium. Abreu *loc. cit. n. 519.*

628. Dico secundo, Memorata vitia (1.) videntur mihi esse mortalia ex genere suo; licet (2.) in particulari, & in praxi ordinarie quasi solum sint venialia, saltem si judicium excipias. Prima pars, in quantum comprehendit etiam dubitationem, suspicionem, & opinionem, est contra communem aliorum. Altera e diverso passim admittitur.

Probatur prima pars. Virtus Justitiæ obligat sub mortali ex genere suo; prout ipsimet Adversarii admittunt; ergo vitia, prædictæ virtuti opposita, sunt mortalia ex genere suo; cum oppositorum sit eadem, seu opposita ratio. Atqui non solum judicium temerarium, sed etiam temeraria dubitatio, suspicio, & opinio de malo proximi, sunt vitia opposita virtuti Justitiæ; prout itidem fatentur ipsimet Adversari; ergo sunt mortalia ex genere suo.

Confirmatur, & declaratur. Illud peccatum dicitur mortale ex genere suo, quod ex objecto, sive ex materia propria, seclusa alterius speciei malitia, est vel esse potest graviter offensivum Dei, ut tenet communis DD. & nos tradidimus *part. 1. n. 682.* atqui non solum judicium temerarium, sed etiam temeraria dubitatio, suspicio, & opinio, possunt esse graviter offensiva Dei ex propria sua materia, quando nimirum ista existit gravis; ergo dicenda sunt peccata mortalia ex genere suo. Min. ostenditur. Siquidem homines bonæ famæ indignissime ferunt, talem de se, suaque fama dubitationem, suspicionem, aut opinionem concipi in materia gravi; prout cum Lessio, & aliis notat P. Babenstuber *tr. 7. disp. 5. art. 4. n. 18.* ergo memorati actus, in simili materia concepti, & eliciti, sunt graviter injuriosi, ac peccaminosi. Nec refert, quod bonam existimationem de probitate, aut perfectione proximi non simpliciter tollant, ut actus judicii temerarii, sed solum diminuant. Nam inde plus inferre haud licet, quam judicium temerarium esse peccatum mortale ex genere suo gravius, ac sint temeraria dubitatio, suspicio, & opinio: quocum stat, quod & istæ sint mortales ex genere suo; quemadmodum ex hucusque dictis ostensum manet.

Probatur secunda pars. Siquidem indicia, ex quibus dubitationem, suspicionem, aut opinionem de malo proximi formamus, ordinarie non carent omni verisimilitudine, & proportione ad dubitandum, suspicandum, aut opinandum; ergo memoratorum actuum malitias in particulari, & in praxi ordinarie extenuant, & veniales reddunt.

Dixi: *saltem si judicium excipias*. Nam licet etiam indicia, ex quibus idem judicium procedit, aliqualem forte propositionem habeant ad judicandum, ea tamen sæpius tanta non est, ut malitiam judicii de se mortalem, ad venialem decrescere faciat, esto eandem in linea malitiæ mortalis diminuat. Ratio hujus est: quia, ut supra notavimus, ad firmiter judicandum de malo proximi requiruntur majora indicia, quam ad dubitandum, suspicandum, aut opinandum duntaxat; ergo aliqualis illa proportio, quam habent indicia, non tam facile sufficit ad tollendam mortalem malitiam judicii, ac dubitationis, suspicionis, aut opinionis. Per quod tamen non ivero inficias, etiam judicia temeraria, maxime in hominibus timoratæ conscientiæ, frequenter excusari a mortali. Ita post Molinam, & alios La Croix *loc. cit. n. 1176.* Ratio est: quia frequenter deest vel actus voluntatis, a quo firmitas judicii causetur, vel actus intellectus, plena nempe advertentia, & deliberatio. Id quod probat experientia: si enim temerariis judiciis agitati interrogentur, an hoc, vel illud malum de proximo firmiter credant? crebro affirmabunt oppositum.

ARTICULUS III.

De Detractione.

IN articulo præcedenti circa internam famæ læsionem, quæ fit per temerariam dubitationem, suspicionem, opinionem, & judicium, versabamur; nunc ad externam, quæ præcipue fit per detractionem, progredimur.

§. I.

Quid sit Detractio, quotuplex, & quale peccatum.

SUMMARIUM.

629. *Affertur, & explicatur definitio detractionis.* 630. *Octo sunt modi, quibus detractio contingit.* 631. *Quocunque tamen modo fiat, est ejusdem speciei.* 632. *Ex genere suo peccatum mortale existit.* 633. *Quando graviter peccetur narrando alterius peccatum mortale?* 634. *& seqq. per se loquendo non est peccatum mortale revelare alterius peccata venialia; vel loqui de ipsius peccatis per verba generalia; vel de defectibus naturalibus.*

629. DIco primo. Detractio est *alienæ famæ occulta, & injusta læsio.* Communis.

Explicatur. Dicitur 1. *alienæ famæ*. Nam licet quis infamare etiam seipsum possit; talis tamen infamatio non pertinet ad vitium injustitiæ, sed prodigalitatis: unde non est proprie hujus loci. Herzig *loc. cit. n. 388.*

Dicitur 2. *occulta*. Per quod detractio differt a contumelia, utpote quæ proximo irrogatur manifeste, id est, vel præsenti in faciem objicitur, vel saltem absenti notificatur.

Dicitur 3. *injusta*. Partim ut amplius excludatur infamatio suiipsius, quippe quæ non est injusta, seu contra virtutem Justitiæ, ut mox supra advertimus: partim, & præcipue, ut indigitetur, illum non esse dicendum detractorem, qui famam proximi diminuit ex justa causa.

Dicitur 4. *læsio*. Quia siquis loquatur de peccato proximi, quin ejus famam lædat, ut contingit, quando illud jam est simpliciter notum, & publicum, non dicitur detrahere proximo.

Additur a nonnullis in definitione: *coram multitudine audientium*. Sed rectius omittitur: siquidem & coram uno, duobus, vel paucis fama proximi injuste per detractionem lædi potest: prout bene advertit. P. Herincx *par. 3. tract. 2. disp. 7. n. 29.* & patebit ex dicendis infra.

630. Dico secundo. Octo sunt species, vel potius modi, quibus detractio contingit.

Explicatur. Contingit enim detractio 1. imponendo falso crimen. 2. amplificando crimen verum. 3. pandendo crimen occultum. 4. sinistre interpretando factum alterius, quod non fit sine temerario judicio. 5. negando recte facta, & dotes alterius. 6. imminuendo, & extenuando aliena merita. 7. tacendo bona alterius eo loco, & tempore, quo alii silentium interpretantur tacitam vituperationem. 8. simulare, vel frigide laudando; quod pejus est, quam aperte reprehendere. Exprimuntur hi octo modi sequentibus versiculis:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

631. Ceterum quocunque modo detractio fiat, aut circa qualecunque objectum versetur, manet ejusdem speciei essentialis: quia sicut furtum, ita & detractio uni virtuti Justitiæ, eodemque tendendi modo formaliter indistincto, adversatur. Unde in confessione non est opus, ut explicetur modus, quo facta est detractio, vel objectum, circa quod facta est. Excipe: nisi aliunde accedat nova circumstantia specifica, ut fit, si lædatur, v. g. fama parentum: tunc enim additur detractioni malitia impietatis, seu irreverentiæ erga parentes; quæ proin in confessione omnino exprimenda erit.

632. Di-

632. Dico tertio. Detractio ex suo genere est peccatum mortale. Communis. Ratio est: quia adversatur virtuti Justitiæ, quæ, ut supra animadversum, obligat ex suo genere sub mortali. Confirmatur a paritate furti. Evadit tamen veniale ob imperfectionem voluntarii, & levitatem materiæ. Ubi in praxi notandum, gravitatem detractionis proxime, & præcipue metiendam esse ex gravitate damni, quod proximus in fama subit, aut subiturus prævidetur, & non ex gravitate defectus, aut criminis, quod de ipso narratur; adeo, ut quoties fama proximi, pensatis omnibus circumstantiis, graviter violatur, toties per detractionem mortaliter peccetur, sive dein id, quod narratur, sit peccatum mortale, sive veniale solum, sive defectus naturalis. Dixi: *pensatis omnibus circumstantiis*: cujusmodi sunt qualitas personæ, cui detrahitur: authoritas illius, qui detrahit: levitas, malitia, effectus animi, quo audientes feruntur in eum, cui detrahitur. Ita cum Dicastillo P. Babenstuber *loc. cit. n.* 25.

633. Colliges nunc primo, manifestationem peccati mortalis, a proximo commissi, esse materiam sufficientem detractionis graviter peccaminosæ, quando inde fama illius injuste simul, ac notabiliter læditur. Ita Abreu *loc. cit. n.* 492. & alii passim. Ratio est: quia alteri injuste inferre notabile damnum, est peccatum mortale. Ex quo fit, ut mortaliter pecces, si de viro probo, vel communiter habito pro probo, spargas, quod turpiter egerit cum puella: secus, si id spargas de milite, v. gr. vel alio, qui se desuper jactare, adeoque suam famam non multum curare solet: quia illius, non vero istius, famam, attenta conditione utriusque personæ, notabiliter lædis. Quod si manifestans grave, & occultum alterius crimen apud audientes sit nullius, vel tam exiguæ authoritatis, & fidei, ut prudenter sibi persuadeat, eos suis dictis non credituros, non peccat mortaliter peccato detractionis: quia tunc non existit efficax causa damni. Babenstuber *loc. cit. n.* 30. & alii apud ipsum.

634. Colliges secundo, manifestationem peccati venialis per se loquendo non esse sufficientem materiam detractionis mortalis. Ratio est: quia cum nemo a venialibus liber sit, ex manifestatione venialium per se loquendo fama alicujus non læditur notabiliter. Dixi tamen: *per se loquendo*. Nam conditio alicujus personæ potest esse talis, ut manifestatio peccatorum etiam venialium famam illius notabiliter lædat; & consequenter absque mortali detractione non fiat, v. g. si de viro gravi, & Religioso dicas, esse mendacem, seu sæpius mentiri. Quod si tamen de eodem, sive simili viro diceres, eum semel, aut bis fuisse mentitum, non peccares peccato mortalis detractionis: quia sic famam illius non læderes notabiliter; sicut si dicas, esse mendacem, seu mendaciis deditum, & crebro mentiri. Abreu *loc. cit. n.* 493. & alii passim.

635. Colliges tertio, neque manifestationem peccatorum, velut in genere, & per verba generalia factam, v. gr. aliquem apud alios nominando superbum, avarum, iracundum &c. esse materiam mortalis detractionis regulariter loquendo. Ratio est: quia hæc nomina ordinarie non ita accipiuntur, ut sonent peccata mortalia, sed naturalem inclinationem, aut defectus veniales: unde per illa regulariter fama proximi non læditur notabiliter: consequenter nec committitur mortalis detractio. Potest tamen & hic mortaliter delinqui, quando nimirum persona, cui detrahitur, est eximiæ dignitatis; vel audientes existunt talis conditionis, ut præmemorata verba credantur accepturi in partem deteriorem, & pro peccatis gravibus. Laymann *lib. 3. tr. 3. par. 2. c. 3. n.* 3. cum communi.

636. Colliges quarto, nec denique manifestationem defectuum naturalium, v. g. si reveles de aliquo, quod spurius, vel ex Judæis, aut aliis vilibus parentibus natus, imprudens, indoctus, indiscretus, cocles sit &c. esse materiam mortalis detractionis, per se loquendo. Herincx *loc. cit. n.* 23. Abreu *n.* 493. & alii. Ratio est: quia, cum notum sit, tales defectus non esse ei imputandos, qui illos patitur, ex eorundem revelatione fama non subit notabile præjudicium. Per accidens tamen peccari mortaliter potest, si inde fiat, ut proximus magnum aliquod bonum non consequatur, aut amittat.

§. II.

Expediuntur aliæ quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

637. *Quomodo peccet gravem defectum proximi manifestans uni, vel duobus viris taciturnis? vel qui* 638. *crimen proximi notorium in uno loco, revelat in alio, in quo est occultum? vel qui* 639. *crimen proximi patefacit, nondum publicum, certo tamen, & brevi publicandum.* 640. & 641. *An, & quomodo peccet, qui infamatum de uno crimine infamat de alio; aut narrat proximi crimina audita aut audita?* 642. *An mortaliter delinquat, qui ad sui defensionem imponit alteri falsum crimen?* 643. *An etiam, & quale peccatum sit detrahere mortuis? Item an, & qualiter delinquat* 644. *qui absque rationabili causa seipsum infamat?*

637. Quæres primo, an mortaliter peccet qui grave, & occultum alterius crimen manifestat uni, vel duobus viris prudentibus, & taciturnis?

Respondetur affirmative, supposito, quod id faciat absque causa. Ita cum Lessio, Laymanno, & aliis P. Herincx *loc. cit. n.* 28. Ratio est 1. Quia in morali æstimatione majoris momenti est jactura famæ, seu bonæ existimationis apud unum, vel alterum virum prudentem, & magnæ authoritatis, præsertim apud Superiorem, a quo delinquens pendet, & cum quo assidue versatur, quam apud plurimos infimæ sortis, & conditionis homines: atqui si istis grave, & occultum alterius crimen manifestaretur, peccaretur graviter (per se loquendo, & extra casum, quo criminosus ipse sui criminis manifestationem non multum curaret) ergo similiter, & a fortiori &c. Confirmatur. Qui proximum temere judicat in re gravi, mortaliter peccat, ut tenet communis; ergo etiam, qui grave, & occultum illius crimen uni revelat; siquidem per judicium temerarium similiter tantum amittitur existimatio apud unum. Ratio est 2. Quia alioquin is, qui solus audiret in materia gravi detrahentem, non peccaret graviter, tametsi, cum facile posset, eundem non corrigeret; posset enim merito credere, se secretum servaturum: sequela autem est falsa, & contra communem: consequenter &c.

Dixi: *supposito, quod id faciat absque causa.*

Non enim delinquunt mortaliter, imo nec venialiter 1. Si id fiat concilii, vel auxilii causa. 2. Si fiat ex fine damnum proprium, vel alienum avertendi. 3. Si fiat ex fine correctionis. 4. Si fiat ex fine leniendi dolorem; ob injurias ab alio illatas conceptum: quia nimis grave est, & præter humanam consuetudinem, ut quis cogatur injurias acceptas solus in silentio concoquere. In quibus tamen casibus solicite cavendum, ne criminis revelatio animo nocendi, sed unice ex prædictis finibus fiat. Herincx *cit. n.* 26. Herzig *loc. cit. n.* 395. & alii.

638. Quæres secundo, an peccet, qui crimen proximi notorium in uno loco manifestat in alio, in quo ignoratur?

Ut ad hanc intricatam, & (meo judicio) difficillimam quæstionem possibili claritate respondeatur, sciendum, crimen aliquod dupliciter posse dici *notorium*, nempe 1. *notoritate Juris*; & 2. *notoreitate facti*. Notoritate Juris notorium dicitur; quod constat vel per sententiam Judicis, vel per confessionem Rei in Judicio, vel per legitimam testium probationem. Notorietate facti notorium dicitur, quod vel publice coram multis gestum est: vel est quidem occulte gestum, ita tamen postea innotuit, ut nulla tergiversatione celari possit. Quod si per sufficientia indicia ita notum sit, ut tamen non omnem tergiversationem excludat, non *notorium*, sed *famosum* dicitur. Nunc

Respondetur primo, similem non peccare contra Justitiam, si crimen proximi verum, nondum emendatum, aut oblivioni datum, in uno loco absolute, & simpliciter notorium notoreitate Juris (per sententiam Judicis) vel facti, vel etiam famosum duntaxat, manifestat in alio loco. Idque tenendum censeo, tametsi crimen illud per injuriam factum sit publicum. Tamburinus *lib. 9. in Decal. c. 3. §. 2. n. 9. & seqq.* Sanct Gallenses *tom. 6. tract. 2. q. 2. dub.* 2. & alii satis communiter. Ratio est: quia quando his modis crimen est notorium, seu publicum, auctor illius amisit jus ad famam; siqui-

siquidem ipsa facti evidentia, & justi judicii ratio est in causa, ne conqueri possit, sibi fieri injuriam per narationem criminis, quod jam est in propatulo. Confirmatur ex consuetudine hominum etiam conscientiosorum, nunquam existimantium (nisi forte sint valde simplices, & ducantur conscientia erronea) injuriam se facere illis, quorum publica delicta alibi enarrant; illuc perscribunt; in annales referunt, vel ab aliis relata legunt. Unde siquis commiserit delictum, quod Augustæ, v. g. aliquo ex prædictis modis sit notorium, citra injustitiam manifestari poterit Monachii, Salisburgi &c. Nec dicas, auctorem delicti in alio loco nondum amisisse famam. Repono enim, quod eam quidem non amiserit facto, & reipsa; bene tamen jure, ita ut nemo ex Justitia teneatur amplius pristinam de illo existimationem retinere.

Respondetur secundo, similem nec peccare contra Charitatem, per se loquendo. Tamburinus *loc. cit. n.* 12. Babenstuber *n.* 35. & alii apud ipsos. Ratio est: quia interest boni publici, ut delicta, quæ sunt publica in uno loco, etiam innotescant in alio; sic quippe, & non aliter, homines in illo alio loco degentes cavere sibi a signatis possunt, & mala, quæ ab iis metuenda forent, commode avertere. Accedit (ut recte notat Tamburinus) communis hominum persuasio, qua existimant, se neque contra Charitatem peccare, quando crimina, in uno loco publica, referunt in alio &c. Per accidens tamen graviter delinqui contra Charitatem posset, si inde præter infamiam ipsam aliud grave damnum obveniret, quod præponderaret damno, vel periculo damni forte subeundi ab incolis loci, in quo crimen ignoraretur: quia Charitas postulat, ut grave malum proximi impediamus, quando possumus absque considerabili incommodo tam proprio, quam alieno.

Dixi autem in respons. 1. *crimen verum*. Nam falsum, quantumcunque demum fuerit publicatum, ulterius propagari sive in eodem, sive in alio loco non potest: prout omnes fatentur. Ratio est: quia falso diffamatus quasi violenter dejectus est a possessione famæ suæ; unde reipsa jus ad eandem non amisit; consequenter &c.

Dixi 2. *Nondum emendatum, aut oblivioni datum.* Si enim infamatus per vitæ emendationem famam recuperarit, aut crimen oblivione abolitum sit, e cineribus resuscitari, & de novo manifestari non potest, quin peccetur contra Justitiam, vel saltem contra Charitatem. Contra Justitiam peccatur, quando crimen prius fuit notorium notoreitate facti tantum: quia tunc per vitæ emendationem, aut hominum oblivionem redit ad statum criminis non patrati, aut non notorii: quo in statu absque injuria nequit evulgari. Contra Charitatem saltem peccatur, quando crimen fuit notorium notoreitate Juris per sententiam Judicis: quia per similem evulgationem proximus sine causa contristaretur, bonumque nomen de novo amitteret. Addidi: *saltem contra Charitatem*. Nam licet per se loquendo contra Justitiam non peccatur, propalando vetus delictum, veteremque infamiam resucitando, quando eadem fuerunt nota notorietate Juris per sententiam Judicis; cum hæc talis notorietas semper duret, adeoque faciat, ut ejusmodi delictum citra injustitiam propalari quocunque tempore possit: quia tamen ordinarie memoria veteris delicti refricari non valet absque jactura novæ famæ (ad quam jus habet olim infamatus) cum ea per veteris infamiæ resuscitationem destruatur, vel certe inutilis reddatur; ideo fit, ut hac ex parte, & per accidens ordinarie etiam peccetur contra Justitiam. Sanct-Gallenses *loc. cit.* Herzig *n.* 394. & alii.

Dixi 3. *In uno loco absolute, & simpliciter notorium.* Si enim solummodo sit notorium secundum quid, & restrictive, doctrina tradita locum non habet. Hinc quamvis (secundum dicta superius) liceat delicta notoria in una civitate, propalare in alia; non tamen licet delicta notoria in una domo, Collegio vel Monasterio, propalare in alia domo, Collegio, vel Monasterio, nisi hæc inter se communicationem personarum habeant, adeo, ut Religiosi unius Collegii, aut Monasterii mutari, & mitti ad alterum soleant, ac vicissim. Ratio, & disparitas est: siquidem ex omnium sensu, & mente non conceditur domesticis, & Religiosis tanta libertas loquendi cum externis de rebus suæ domus, Collegii, aut Monasterii, quanta conceditur civilibus loquendi cum omnibus promiscue (etiam advenis, & peregrinis) de rebus gestis in urbe; ad urbem quippe omnibus, & singulis patens est aditus, & promiscuum commercium: non ita ad singularem domum, Collegium, aut Monasterium; ergo in priore exemplo crimen censetur absolute, & simpliciter notorium, adeoque citra culpam revelabile alibi; in posteriore vero notorium secundum quid, & cum restrictione ad illos, qui in eadem domo, Collegio, aut Monasterio commorantur, & eos, quibus cum antefatam communicationem habent. Ex quo fit, ut alicujus Religiosi crimen, licet in Monasterio, in quo is degit, sit notum, illicite perscribatur, aut referatur non solum secularibus, sed etiam Religiosis alterius Monasterii (sive hoc sit ejusdem, sive diversi Ordinis) loci stabilitatem servantibus. Fit præterea, ut licite perscribatur, aut referatur (quamvis & in hoc casu tacere consultum, atque laudabile sit, & sub pœna imperatum in nostris Statutis Provincialibus *c.* 7. *n.* 6.) crimen Religiosi ex uno Monasterio, in quo notum est, ad aliud ejusdem Ordinis, & Provinciæ (non item in aliud alterius Provinciæ, licet ejusdem Ordinis) ubi loci stabilitas non servatur, sed Religiosi ex uno Monasterio ad aliud ejusdem Provinciæ transferri solent. Herinex *loc. cit. n.* 61. La Croix *n.* 1221. & alii plures.

Dixi 4. in parenthesi: *per sententiam Judicis*. Si enim crimen notorium sit notoreitate Juris per solam Rei Confessionem, vel testium depositionem in Judicio, non videtur posse in alio loco manifestari absque injuria. Layman *loc. cit. n.* 9. Sanct-Gallenses, Herinex, Herzig, & alii ab ipsis relati. Ratio est: quia licet tunc crimen sit notorium notoreitate Juris in ordine ad Judicem, ut is reum judicare, & condemnare possit; nondum tamen censetur notorium in ordine ad populum; ergo nondum licite evulgari potest: nisi forte sit simul notorium notoreitate facti, vel famæ; quemadmodum esse solet; quando confessio Rei, aut depositio testium fit coram tot personis, ut moraliter loquendo latere nequeat, quod ibi agitur. Herinex *loc. cit. n.* 59. & alii apud ipsum. Quot porro personas crimen scire oporteat, ut censeatur notorium notoreitate facti, vel famæ, variant Authores. Mihi placet regula id dignoscendi, quam suppeditat Layman *loc. cit. n.* 8. ubi ait, hunc numerum prudentis arbitrio definiendum esse: id quod fieri poterit, si bene perpendatur, an criminis notitia, vel fama eo usque jam diffusa sit, ut spectata humana imbecillitate impossibile (intellige moraliter) sit cohibere, quo minus in aliorum cohabitantium cognitionem deveniat; vel nondum sic diffusa sit? Si primum, crimen censebitur notorium; secus, si secundum. Ex quo fluit, in parva communitate, v. g. unius domus, pauciores, in magna plures personas requiri, quæ crimen sciant, ut in tali communitate dicatur notorium. Unde prælaudatus Author rationabiliter judicat, sufficere regulariter personas octo, si communitas constet viginti personis; & quindecim, vel viginti, si constet centum; & sic deinceps.

Dixi denique 5. *Idque tenendum censeo, tametsi crimen illud per injuriam factum sit publicum*. Ratio est: quia publicitas, in veritate delicti fundata, jam ademit delinquenti jus ad famam, tribuitque licentiam de delicto loquendi, illudque ulterius propalandi: consequenter &c. Ita cum Lessin, & Lugone P. Herinex *loc. cit. n.* 65.

639. Quæres tertio, an peccet, qui manifestat proximi crimen, quod nondum est publicum, certo tamen, & brevi publicum fiet sive per sententiam Judicis, sive per evulgationem famæ, sive alio modo non injusto?

Respondetur negative: dummodo proximus ex anticipata ejusmodi manifestatione nullum aliud præjudicium, aut damnum, v. g. in officio, divitiis &c. patiatur, Jacobus Marchant in *Resol. Pastoral. c.* 8. *q.* 8. Illsung *loc. cit. n.* 104. Babenstuber *n.* 36. Ratio est: quia fama, ita certo, & brevi amittenda, non amplius est alicujus considerationis, aut æstimabilitatis, moraliter loquendo; ergo nec anticipata ejus ablatio potest dici injuriosa, aut quoquomodo præjudiciosa: consequenter &c. Sed

Dices. Graviter peccat, qui homini vitam eripit, licet aliunde brevi amittendam; ergo etiam qui sic eripit famam.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. & paritatem, Disparitas est, quia spectando communiter

contin-

contingentia etiam unicum vitæ momentum, cum eo promereri salus æterna possit, res graviter æstimabilis est; non sic fama brevi post amittenda.

Addidi signanter in ipsa quæstionis propositione: *modo non injusto*. Si enim proximi crimen prævideatur proxime quidem publicandum, sed modo injusto, extra quæstionem, & dubium est, peccatum iri, quando ejusdem criminis evulgatio anticipatur; cum hæc talis anticipata criminis evulgatio non niteretur justo titulo, utpote qualis esse non potest publicatio injusta primum facienda; esto talis esse possit publicatio injusta jam facta ut dictum *n. præced.* Ratio disparitatis est: quia quando crimen jam actu publicatum est (subintellige in uno loco) injuria, quæ intervenit, jam transiit, solaque publicitas qua publicitas, in veritate criminis publicari fundata, & ab injuria publicantis veluti separata, fungitur vice tituli, qui utique justus esse potest, & ulteriorem criminis propalationem cohonestare. Contra, quando crimen necdum est publicatum, sed primum publicandum, injuria, quæ in modo publicandi interventura supponitur, necdum transiit, a qua proin publicitas præscindere non potest, sed, in quantum injuriosa, deberet esse titulus justus, & anticipatam criminis evulgationem cohonestare: quod implicat.

640. Quæres quarto, an infamatum de uno crimine liceat infamare de alio?

Respondetur. Si crimina (1.) sint valde affinia, vel connexa, non peccatur saltem mortaliter, dum quis infamatus de uno, infamatur etiam de alio coram illis, qui primum, vel principale crimen sciunt; secus, si crimina (2.) sint disparata. Ita Tamburinus *loc. cit. n.* 20. Abreu *n.* 501. & alii passim. Ratio primi membri est: quia tunc proximo non censetur inferri nova, atque distincta Injuria, saltem notabilis, tametsi illud aliud crimen sit grave. Unde non peccas, saltem mortaliter, quando de publico adultero narras, quod scripserit literas invitatorias ad turpiter agendum. Ratio secundi membri est: quia fama non consistit in indivisibili, sed habet moraliter partes, quarum una destructa, non censetur eo ipso destructa & altera; ergo dum hæc destruitur, uti fit per enarrationem occulti, & disparati criminis irrogatur proximo nova, & distincta injuria, eaque mortalis, si crimen, quod enarratur, sit grave, & fama criminosi notabile subeat præjudicium. Ex quo fit, ut mortaliter pecces, si de publico adultero spargas, quod commiserit blasphemiam furtum &c.

641. Quæres quinto, quomodo peccet, qui narrat proximi crimina audita ut audita?

Respondetur primo. Qui gravia proximi crimina audita ut audita narrat, adjungendo sufficientia motiva credibilitatis, queis prævidet audientes inductum iri ad fidem adhibendam, peccat graviter etiam contra Justitiam. Ratio est: quia ejusmodi narratio existit caussa efficax, & injusta momentosi damni, quod proximus in sua fama subit.

Respondetur secundo. Qui gravia proximi crimina audita ut audita narrat, non afferendo quidem sufficientia motiva credibilitatis, prævidendo tamen, audientes, ex suamet levitate, aut improbitate narrantis fidem habituros, saltem probabiliter, peccat graviter, non quidem contra virtutem Justitiæ, sed Charitatis. Ratio est: quia tunc damnum, quod proximus in fama subit, non oritur per se ex ipsa narratione, sed ex levitate, aut improbitate audientium: atqui damnum sic proximo oriendum nemo cavere tenetur ex Justitia; bene vero ex Charitate, si commode possit: consequenter &c.

Respondetur tertio. Qui crimina proximi, licet gravia, audita ut audita narrat coram iis, quos prævidet non credituros, non peccat saltem mortaliter. Ratio est: quia tunc nullum, vel saltem non grave proximo damnum creat. Sic per omnia respondent Sporer *loc. cit. n.* 62. Paulus Mezger *tr.* 12. *disp.* 39. *art.* 3. *an.* 11. & alii apud ipsos.

642. Quæres sexto, an mortaliter peccet, qui ad sui defensionem imponit alteri falsum crimen?

Respondetur affirmative (supposito, quod crimen sit grave) sive dein id fiat intra, sive extra Judicium. Vide *super proposit. damnat.* statim infra referendas. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 1215. de facto alii omnes. Ratio est: quia mendacium perniciosum in materia gravi, si cum sufficienti deliberatione fiat, est peccatum mortale ob nullam caussam cohonestabile: sed qui alteri imponit (sive intra, sive extra Judicium) falsum crimen, idque grave, facit mendacium perniciosum in materia gravi; ergo &c. Deinde impositio falsi criminis (sive intra, sive extra Judicium) non tantum repugnat Veracitati, & Charitati (quibus opponitur omne mendacium perniciosum) sed etiam Justitiæ commutativæ; siquidem per illam læditur jus, quod obtinet proximus, ne ab aliis infametur: imo & legali si fiat in Judicio) quatenus inde læditur præterea jus, quod habet Respublica, ne decipiatur in iis, quæ ad rectam gubernationem pertinent. Responsio nostra hodie est certa: quoniam Innocent. XI. damnavit hic duas *Propos. seqq.* Prima (*ordinat.* 43.) sic sonat: *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Altera (*ord.* 44.) ita habet: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendas: & si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.* Videri potest hic P. Viva *loc. cit.*

543. Quæres septimo, an etiam, & quale peccatum sit detrahere mortuis?

Respondetur, esse similiter peccatum contra Justitiam; idque vel mortale, vel veniale, juxta qualitatem damni in fama allati. Sporer *loc. cit. n.* 64. Mezger *n.* 7. La Croix *n.* 1210. & alii communiter. Ratio est: quoniam fama est bonum, quod etiam post mortem perseverat, & per quod mortui censentur quodammodo perennare in memoria posterorum: consequenter &c. Extendenda videtur responsio etiam ad damnatos (quidquid contra sentiant Molina, Haunoldus, Michel & nonnulli alii) quia revera & ipsi etiamnum possident jus famæ, quo spoliari absque injuria non possunt. Nec refert 1. quod sint hostes Dei: siquidem & peccatores, in hac vita degentes, sunt hostes Dei, & tamen jus famæ retinent. Nec refert 2. quod non sint nostri proximi: quia hoc solummodo verum est eo sensu, quod non sint amplius capaces gratiæ, & gloriæ æternalis, quemadmodum viatores: cum quo tamen stat, quod sint nostri proximi alio sensu, quatenus eadem nobiscum natura constant, in qua fama residet, ac perseverat.

644. Quæres octavo, quale peccatum sit, absque rationabili causa infamare seipsum?

Respondetur, non esse, per se loquendo peccatum (1.) contra Justitiam; neque (2.) contra Charitatem; sed (3.) contra virtutem Liberalitatis. Laymann *loc. cit. n.* 15. Babenstuber *n.* 44. & alii communiter. Ratio primi est: quia homo est dominus suæ famæ; ergo dum eam prodigit, nemini injuriam facit: consequenter &c. Ratio secundi est: quia Charitas non obligat ad conservanda bona extrinseca hujus vitæ (quale est fama) nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia propria, aut proximorum. Ratio tertii est: quia infamare seipsum absque rationabili causa est prodigere suam famam, & pertinet ad vitium prodigalitatis (sicut prodigere bona fortunæ) quod opponitur virtuti Liberalitatis per excessum; prout explicatum ivimus *part.* 1. *n.* 709. Ex quibus fit, ut infamatio suiipsius non sit peccatum mortale ex genere suo, sicut infamatio alterius; sed veniale tantum: prout *loc.* immediate *cit.* ostendimus.

Dixi in respons. *per se loquendo*. Nam per accidens ratione damni proprii, vel alieni potest esse mortale. 1. Si proprium crimen, idque grave, aperias ex jactantia: mortale enim est se jactare, & gloriari de gravi crimine. 2. Si ex hujusmodi apertione sequatur grave scandalum. 3. Si per apertionem illam, sine justa causa factam, exponas te periculo vitæ; ut si dicas, te occidisse filium Petri: quia hoc non solum est profundere famam, sed etiam vitam, cujus dominus non es. 4. Si tua infamia redundet in alios, puta in familiam, S. Ordinem, Monasterium &c. 5. Si tua fama sit necessaria ad officium, sive munus, quo fungeris: ut si existas Episcopus, Abbas, Parochus &c.

At vero de occulto crimine se palam accusare, si id fiat ex rationabili causa, v. g. exercendi actum Humilitatis, & in debitis circumstantiis, licitum, & virtuosum est. Patet ab exemplis Sanctorum. Ratio insuper est: quia fama est minus bonum bono virtutis; ergo pro isto prudenter, & laudabiliter expenditur. Confirmatur. Licitum est ex rationabili causa pati voluntariam jacturam

bonorum fortunæ; ergo etiam boni famæ; cum homo æque sit dominus istius, ac illorum.

ARTICULUS IV.

De Revelatione Secreti.

SUMMARIUM.

645. *Secretum naturale aliud est* promissum tantum, *aliud* commissum, & proximum simul. 646. *Quale, & quantum peccatum sit utriusque revelatio?* 647. *Quinam ex tacita conventione obligentur ad secretum servandum?* 648. *Recensentur causæ alienum secretum revelandi.* 649. *Quale sit peccatum aperire alterius literas?*

645. QUamvis revelatio secreti non modo opponi possit octavo Præcepto Decalogi, dum ex ea sequitur alteri damnum in fama, vel honore, sed aliis quoque Præceptis ejusdem Decalogi, v. g. quinto, vel septimo, dum ex illa enascitur alteri damnum in bono vitæ, vel fortunæ; libet nihilominus Moralistis hic potius, quam alibi, de memorata revelatione breviter disserere: quorum vestigia nobis quoque legenda censuimus. Erit autem impræsentiarum sermo de revelatione secreti naturalis tantum (nam de secreto Sacramentali, sive sigillo Confessionis acturi sumus *part. 5. tr. 4.*) quod est præcipue duplex, videlicet *promissum tantum, & commissum, ac promissum simul*. Secretum promissum *tantum* dicitur, quando aliquis de re ante, & citra injuriam cognita promittit silentium, vel etiam pactum init de servando silentio. Secretum commissum, & promissum *simul* appellatur, quando quis alteri committit notitiam rei, antea ei ignotæ, præmissa vel tacita, vel expressa petitione, & acceptatione obligationis ad silendum, remque servandam sub sigillo. His præmissis, quæritur 1. Quale peccatum sit revelatio alieni secreti? 2. Quibus ex causis licita, vel etiam obligatoria reddi possit?

646. Dico primo. Revelatio secreti commissi, & promissi *simul*, citra rationabilem causam facta, est peccatum mortale ex genere suo; uti & revelatio secreti promissi tantum, nisi promittens intenderit se obligare (quod hic fieri potest, & forte etiam solet) ex sola virtute Fidelitatis. Ita cum communi La'Croix *loc. cit. n.* 1230.

Probatur. Quia obligatio Justitiæ est gravis ex genere suo: ut repetitis jam vicibus animadversum; ergo & violatio illius obligationis. Atqui secretum commissum, & promissum *simul* involvit obligationem Justitiæ, quippe ortam ex contractu bilaterali oneroso, vi cujus unus subit onus concredendi secretum, & alter concreditum reticendi, secretum porro promissum *tantum* obligat itidem ex Justitia, licet unilateraliter, seu ex parte solius promittentis, si hic intenderit se obligare ex virtute Justitiæ: consequenter &c. Interim revelatio sive unius, sive alterius secreti peccatum veniale evadere potest non solum ob imperfectionem actus, sed etiam ob levitatem materiæ, quando nempe secretum est parvi momenti. Veruntamen de hoc constare debet: si enim dubitetur, sitne secretum parvi, vel magni momenti, illud revelans mortaliter peccat; quoniam se exponit periculo revelandi secretum magni momenti, quamvis forte a parte rei tale non sit. Sanchez *lib. 6, consilior. moral. c. 6. dub. 1. n. 6.*

Dixi in conclus. *nisi promittens intenderit se obligare ex sola virtute Fidelitatis*. Nam hoc in casu obligatio reticendi secretum esset solum levis ex genere suo; cum virtus Fidelitatis erga hominem non obliget nisi leviter ex genere suo: consequenter & revelatio secreti, hoc tali modo promissi, quæ fieret contra illam obligationem, solum esset culpa venialis ex genere suo. Evaderet autem mortalis, si ex promissione non servata enasceretur proximo grave damnum. La Croix *loc. cit.* Ubi ex Cardinale de Lugo recte advertit, promissionem servandi secretum quandoque fieri ex mera decentia, & urbanitate: quo casu utique, per se loquendo, nullam induceret obligationem tacendi.

647. Quæres, quinam ex tacita conventione, seu pacto obligentur ad secretum servandum?

Respondetur, sic obligari 1. Principum Consiliarios, & Belliduces, quibus Reipublicæ, vel exercitus consilia committuntur. 2. Advocatos, Medicos, Chirurgos, obstetrices, aliasque personas, quibus, ut auxilium ferant, secreta deteguntur. 3. Theologos, Jureconsultos, vel alios Viros doctos, quibus, consilii accipiendi ergo, arcana concreduntur. 4. denique, saltem verisimiliter, etiam amicos, & propinquos, quibus jure amicitiæ, & propinquitatis, ut nobis auxilio, vel solatio sint, secreta manifestamus. Laymann *lib. 3. tractat. 3. part. 2. cap. 5. num.* 1. Sporer, Babenstuber &c.

648. Dico secundo. Rationabiles, & justæ causæ alienum secretum revelandi sunt præcipue quatuor.

Explicatur. Prima causa est, quando secreti servatio, seu non revelatio vergit in detrimentum, vel perniciem Reipublicæ. Unde si Titius constituerit prodere civitatem, idque tibi sub secreto manifestavit; nec valeas eum ab executione scelerati sui propositi aliter avertere, potes, imo teneris secretum tibi commissum revelare. Bonacina *de Restit. disp. 2. q. 2. pun. unic. n. 9.* & alii passim. Ratio est: quia secretum non potest obligare contra præceptum Charitatis alteri debitæ: neque contra præceptum Justitiæ legalis; ergo cum teneamur ex præcepto Charitatis, & Justitiæ legalis avertere communia damna Reipublicæ, cessat obligatio secreti, quando prævidetur bono communi Reipublicæ obfutura. Confirmatur. Bonum commune, seu majus, præferendum est bono privato, etiam vitæ: ergo illud defendi potest, & debet, tametsi istud idcirco in discrimen adducatur, aut pereat.

Secunda causa est, quando secreti servatio vergit in injuriam, ac damnum personæ etiam privatæ innocentis. Author *cit.* & alii. Unde si Petrus proposuerit e medio tollere Paulum, & flagitiosum hoc propositum tibi secreto communicaverit, nec ulla alia ratione ad ejus mutationem induci valeat, potes iterum, & debes secretum aperire, v. g. monendo Paulum, ut sibi caveat &c. Ratio est: quia ordo Charitatis postulat, ut liberetur innocens ab injuria nocentis, etiam cum aliquo damno istius, quando ille aliter liberari non potest, nisi revelato secreto; quemadmodum non potest hic: consequenter &c. Valet isthæc doctrina cum in præsente, tum in præcedente casu, tametsi aperiens tibi secretum dixerit, se illud communicare sub sigillo Confessionis, prout secreta aperientes dicere non raro solent. Ratio hujus est: quia cum aperiens secretum non confiteatur, nec intendat conteri sacramentaliter (ut supponitur) sigillum Confessionis non inducit; utpote quod non potest cadere nisi supra materiam vel præparatam pro Confessione, vel in ea actu expositam. Babenstuber *loc. cit. n.* 56.

Tertia causa est, quando secreti servatio afferret grave nocumentum illi, qui tibi commisit, Babenstuber *cit.* & alii communiter. Unde siquis occulto impedimento, quod tibi secreto manifestavit, ligatus matrimonium inire statuerit, nec destitutus sit, nisi canonice denuncietur, potes, & teneris (per se loquendo) illum denunciare. Ratio est: quia reverentia Sacramenti, & periculum peccati, quod proximus alioquin incurret, prævalent obligationi secreti naturalis.

Quarta causa est, quando ille ipse, cui commissum fuit secretum, periculo gravis mali exponitur, nisi id revelet. Laymann *loc. cit. n.* 2. Sporer, Babenstuber &c. Unde si Sempronius homicidium a se patratum tibi revelaverit sub secreto, v. g. consilii capiendi causa postea tu ipse, absque Sempronii culpa, in patrati homicidii suspicionem delatus, capite pericliteris, poteris secretum prodere, & occultum homicidam manifestare, supposito, quod non suppetat alia via antefatum periculum a te amoliendi. Ratio est: quia nemo censetur secretum sibi commissum acceptare cum præjudicio, & detrimento propriæ vitæ; sed potius quisque præsumitur propriam incolumitatem, juxta præscriptum Charitatis ordinem, anteferre alienæ.

649. Quæres, quale sit peccatum aperire literas alterius?

Respondetur, esse peccatum mortale ex genere suo, si sine causa fiat. Cardinalis de Lugo *tom. 1. de Justit. disp. 14. sect. 9. n.* 148. & alii passim. Ratio est: quia legens peccat contra Justitiam, cum violet jus, quod proximus in suum secretum obtinet: peccatum autem contra Justitiam est mortale ex genere suo. Quo fit, ut mortaliter pecces per se loquendo, cum aperis alienas literas, vel legis apertas quidem, sed in loco secreto, v. g. in scrinio, aut mensa cubiculi repositas. Idem cum proportione sentiendum de aliis scriptis, quæ proximus secreta cupit.

Dixi

Dixi in respons. *si fine justa causa fiat*. Quapropter 1. excusantur ab omni peccato Superiores Regulares, quando aperiunt, & legunt literas suorum subditorum (dummodo non sint destinatæ ad altiorem Superiorem) quando licentiam, aut etiam mandatum legendi habent ex Statutis; vel saltem illarum lectio est necessaria, aut utilis ad bonum subditorum &c. Ratio est: quia utuntur jure suo. Excusantur 2. Qui aperiunt, & legunt literas de consensu expresso, vel præsumpto scribentium. Ratio est: quia sic nemini injuriam faciunt. Unde, quando ratione amicitiæ, vel necessitudinis, quæ mihi cum altero intercedit, existimo, illum non ægre laturum, si literas ejus aperiam, & legam; hoc facere absque peccato possum. Addit P. Babenstuber *n.* 59. cum aliis: *vel de consensu illorum, ad quos literæ sunt scriptæ*. Sed non placet: siquidem hoc casu fieret injuria scribenti, utpote qui contenta in literis concredit privative illi, ad quem eas, sigillo munitas, dirigit; ergo vult ipsi esse secreta, saltem antequam literas aperuerit, & legerit. Accedit, quod is, ad quem literæ mittuntur, sæpenumero ignoret, quænam forte secreta eisdem inserta sint; ergo dans alteri licentiam ejusmodi literas aperiendi, & legendi, ipseque etiam aperiens, & legens, faciunt contra voluntatem scribentis, & secretum injuriose violant. Recordor, ejusmodi apertionem, & lectionem literarum olim a doctissimo quodam Theologo improbatam; imo acriter reprehensam fuisse. Unde ergo licita sit, accedat, necesse est, consensus etiam scribentis, saltem præsumptus: prout accedere censeri potest, quando moraliter certo constat, in literis alicujus amici, v. g. nihil contentum iri, cujus revelatio creare cuiquam præjudicium queat. Excusantur 3. Qui rationabiliter credunt, in literis quidpiam sibi injuriosum, ac noxium contineri. Ratio est: quia rescire ejusmodi secretum ad servandos se indemnes, & propriam defensionem spectat: adeoque utuntur jure suo. Sic licite intercipiuntur literæ hostium in bello justo, ut, cognitis eorum consiliis, occurratur malo publico. Excusantur 4. a peccato mortali (non item a veniali) qui sola curiositate ducti, absque pravo animo, nocendive libidine legunt aliorum literas: dummodo moraliter certi sint, nihil magni momenti in eisdem contineri; paratique ad servandum secretum, si forte præter suam opinionem inter legendum inciderent in punctum aliquod grave. Ratio est: quia in ejusmodi circumstantiis non censentur literarum authori facere notabilem injuriam. Babenstuber *loc. & n. cit.* aliique apud ipsum.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

650. Relandinus dicendo falsum mentitur; licet non habeat animum audientes decipiendi. Item proximum afficiendo contumelia, & eidem detrahendo, committit peccata specie distincta. 651. Renata sibi imponendo falsum crimen, propter quod morti adjudicatur, mortaliter peccat &c. 652. Respicius injuriam graviter damnosam patitur a Remberto, dum hic illius literas casu amissas legit, magnumque eidem lucrum eripit.

CASUS I.

650. Relandinus inter alia in S. Tribunali se accusat 1. Quod sæpe dixerit falsum, sed joci duntaxat gratia, & absque animo audientes decipiendi. 2. Quod semel proximum contumelia affecerit, & alia vice, eidem detraxerit. Quæritur circa primum, an Relandinus possit excusari a mendacio? & circa secundum, an contumelia sit peccatum specie distinctum a detractione?

Respondetur primo ad primum negative. Eruitur ex D. Thoma infra citando, aliisque, contra Bonacinam, Sotum, & alios. Ratio est: quia mendacium est falsi significatio vocis cum intentione dicendi falsum, ex n. 609. quæ definitio tota verificatur in Casu Relandini; cum enim dixerit falsum deliberate (ut supponitur) non potuit non habuisse intentionem dicendi falsum; hæc tanquam est actio interior exteriori locutioni, cum advertentia prolatæ, necessario præsupposita. Nec refert, quod non habuerit intentionem audientes decipiendi. Siquidem hæc intentio; licet mendacio perfrequenter conjungatur, non tamen ad illud necessaria est; cum aliquis possit velle falsum dicere, & mentiri v. g. ne ex propria confessione convincatur, tametsi prævideat, audientes verbis fidem non habituros, adeoque nec decipiendos esse. S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 1. & ex eo P. Babenstuber *tr. 5. disp. 8. art. 2. n. 1.* quamvis iste postmodum *n. 7.* (forte sui oblitus) consentiat in oppositum.

Respondetur secundo ad secundum affirmative. Ratio est: quia contumelia, & detractio opponuntur virtuti Justitiæ modis essentialiter diversis, sicut rapina, & furtum; cum illa, non vero ista, necessario fiat præsenti vel physice, & in persona, vel saltem intentionaliter, & in intentione contumeliantis, quatenus hic intendit, & vult, ut alter rescíat, se inhonoratum esse; ergo &c. Sporer *tr. 5. in Decal. c. 6. sect. 6. a n.* 135. & alii communiter.

CASUS II.

651. Renata, tanquam saga, in carcerem conjecta, & tormentis subjecta, fatetur se sagam, licet sit innocens; ideoque morti adjudicatur. Quæritur, an Renata, imponendo sibi falsum crimen, graviter peccet, illudque revocare teneatur?

Respondetur affirmative. Navarrus, Molina, Lugo, Sporer, La Croix, Babenstuber &c. Ratio est: quia positive cooperari ad occisionem innocentis est semper peccatum mortale: sed Renata per confessionem falsi criminis positive cooperatur ad occisionem innocentis, nempe sui, cum per illam ad istam Judicem positive inducat; ergo &c.

Dices. Nemo tenetur vitæ conservandæ causa admittere v. g. abscissionem cruris, quippe nimis dolorosam: ergo neque sustinere vim tam gravium tormentorum.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est; siquidem in casu antecedentis non contingit positiva cooperatio ad mortem innocentis, sed mera ejusdem permissio: secus in casu consequentis.

Oppositam sententiam (quod scilicet Renata mortaliter non peccet, nec ad revocationem obligetur) tenent Sayrus, Bonacina, Tamburinus, & alii, eamque probabilem, & in praxi tutam censent Lugo, Lessius, Illsung, Mezger, Babenstuber, & alii. Libenter meum quoque calculum adjicerem, si vel in dictis Authoribus invenire, vel ipsius adinvenire, & excogitare possem momentosam aliquam rationem, quæ prædictæ sententiæ intrinsecam, ac veram probabilitatem conciliaret.

CASUS III.

652. Respicius, Mercator Venetus, accepit literas ex Oriente, significantes de futura penuria aromatum, casu in publica platea amisit, quas ubi Rembertus, alius Mercator, invenit, legit, & Respicium, magnam aromatum copiam coemendo, prævenit, eique lucrum eripuit. Quæritur, utrum Rembertus Respicio injuriam, eamque mortalem, intulerit?

Respondetur affirmative. Ita cum Lugone, Salmanticensibus, & Petrselucher P. Babenstuber *loc. cit. n.* 60. Ratio est: quia Respicius per hoc, quod illas literas invitus amiserit, non cessit jure in secretum earum; sicut non cederet jure in librum, qui ipsi præter intentionem, & fortuito e manibus excideret: ergo Rembertus literas amissas legendo, & notitiam inde haustam usurpando, violavit jus Respicii, eique injuriam intulit; & quidem graviter præjudiciosam, ac damnosam, ut patet; consequenter &c.

Dices. Si Rembertus literas Respicii in platea invenisset laceratas, vel integras quidem, sed quas abdidisset ipsum ultro projicere, potuisset eas legere absque injuria Respicii; ergo similiter &c.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia in casu antecedentis Respicius literas sive laceratas, sive integras ultro abjiciens in loco publico censeri merito potuisset cessisse jure suo, easque haberi voluisse pro derelictis. Secus accidit in casu consequentis, prout relinquitur ex dictis.

Dixi: *transmisso antecedente*. Nam licet verum sit de literis ultro abjectis, si ea adhuc sint integræ, aut semilaceratæ; haud tamen concedendum videtur de literis studio ita minutim laceratis, ut earum particulæ non nisi magna, & singulari industria coordinari ad legendum potuissent. Tunc quippe Babenstuber, La Croix & alii tenent tanquam probabilius, Rembertum adhuc facturum fuisse injuriam Respicio, si ea fragmenta conjunxisset, ac legisset; siquidem hoc ipso, quod Respicius literas ita minutim discerpsisset, intendisset retinere, & reipsa retinuisset jus, ne fragmenta per extraordinariam industriam colligerentur, conjungerentur, & legerentur; cum hunc in finem illa discerptio collimasset.

DISPUTATIO VII.

De Sexto, & Nono Præcepto Decalogi.

Conjungimus hæc duo Præcepta ob connexionem materiæ, quam prohibent: ambo enim vetant, quidquid Castitati repugnat; eo tamen discrimine, quod Sextum actus exteriores, Nonum vero interiores tantum, antefatæ virtuti adversos, directe, & explicite interdicat. Porro ejus actus sunt, & dicuntur *actus luxuriæ*, vel *consummatæ*, vel *non consummatæ*. Actus, seu species luxuriæ consummatæ sunt *Fornicatio* (ad quam reducitur *Concubinatus*) *Adulterium*, *Incestus*, *Sacrilegium*, *Stuprum*, & *Raptus*. Et hæ species vocantur *naturales*: quia in iis commixtio eo modo, quo natura instituit, quatenus servatur diversitas sexus, identitas speciei, vas, & modus naturalis. Præterea *Sodomia*, *Bestialitas*, & *Pollutio*. Atque istæ species appellantur *innaturales*, vel rectius *contranaturales*, utpote in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ: sicut & in *congressu ordinario*, de quo tamen nihil ex professo, sed incidenter tantum mentio fiet. Species luxuriæ non consummatæ sunt delectationes morosæ, desideria lasciva, oscula, tactus, aspectus, sermones obsceni &c. Porro species luxuriæ consummatæ nuncupantur *peccata immunditiæ*, species vero luxuriæ non consummatæ *peccata impudicitiæ*. De omnibus, & singulis hisce luxuriæ speciebus (postquam de luxuria in genere jam actum est *part. 1. tractat. 3. disput. 2. cap. 4. articul. 3.*) in præsenti disputatione disserendum.

CAPUT I.

De Speciebus Luxuriæ consummatæ.

ARTICULUS I.

De simplici Fornicatione, & Adulterio.

SUMMARIUM.

653. *Quid sit simplex fornicatio, & quomodo mala, & peccaminosa?* 654. *Quid sit concubinatus?* 655. *Quid adulterium, & quale, ac quotuplex peccatum?* 656. *An uxor adultera, quæ prolem peperit ex adulterio, teneatur id manifestare marito, vel proli &c.?* 657. *An filius teneatur credere matri asserenti, vel etiam juranti, ipsum esse adulterinum? &c.* 658. *A quo alenda sit proles, ex adulterio pregnata?* 659. *Quid juris in casu, quo certum quidem est, prolem esse ex patre adultero, incertum tamen, quinam ex duobus, vel pluribus, sit verus pater illius?* 660. *An parentes, qui prolem, ex adulterio natam, orphanotrophio alendam exponunt, teneantur refundere expensas &c.?*

653. Dico primo. Fornicatio simplex (1) est concubitus hominis soluti, verum semen habentis, cum soluta, in ordine ad generationem: estque (2) intrinsece mala, & (3) mortaliter peccaminosa.

Explicatur prima pars. Dicitur 1. *hominis*, ut excludatur congressus bruti cum bruto.

Dicitur 2. *verum semen habentis*, ut excludatur congressus eunuchi; hic enim, licet cum soluta fiat, simplex fornicatio dici non potest; cum per eum sperma utriusque concumbentis inutiliter provocetur, & effundatur, atque ita frustretur finis humanæ generationis: quod fornicationi superaddit specialem & distinctam malitiam contra naturam, Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 19. n. 8.*

Dicitur 3. *soluti cum soluta*. Ubi nomine *solutorum*, nimirum coeuntium, intelliguntur ii, qui nullo sunt ligati vinculo, conjugii, consanguinitatis, affinitatis, voti Castitatis, sive solemnis, sive privati tantum &c. Quare fornicatio hic definita carere debet omni alia deformitate: ob quod nominari *simplex* consuevit; licet etiam nominari sic possit, quatenus opponitur, seu non includit malitiam adulterii. Estque in confessionali explicanda secundum rationem suam specificam: ut liquet ex propositione damnata ab Alexandro VII. *ord. 25.* ita sonante: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem, non explicando copulam.*

Dicitur 4. *in ordine ad generationem*, ut excludatur copula imperfecta; quæ & ipsa non est fornicatio simplex, sed qualificata.

Probatur modo secunda pars. Tum quia Innocentius XI. confixit hanc *prop. ord. 48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam: quia interdicta; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Tum quia ratio, quam afferemus pro probatione tertiæ partis, etiam hic militat.

Probatur tertia pars 1. ex Apostolo 1. *ad Cor. 6.* & alibi dicente, fornicarios Regnum Dei non possessuros: quod est signum indubitabile, eos fornicando peccare mortaliter; cum mortale peccatum solum a Regno Dei excludat. Tum ex ratione: quia finis generationis humanæ, ad quam Deus concubitum maris, & feminæ ordinavit, est proles perfecta; unde sicut Deus instituit id, quod erat necessarium ad prolem concipiendam, & pariendam; ita etiam instituit, quod erat necessarium ad illam recte educandam, & promovendam ad perfectum hominis statum: hoc autem est vinculum indissolubile maris, & feminæ, quod matrimonium vocamus; Nam sine tali vinculo fieri humano more non poterat, ut proles bene educaretur; siquidem ad hoc non solum materna, sed paterna quoque cura est necessaria. Cum ergo in fornicatione desit illa conditio, quam lex naturæ in humana generatione postulat ad ejus finem obtinendum, qui est bona prolis educatio, & institutio, ipsa fornicatio repugnat tali fini, ac proinde est gravis inordinatio in re gravi: consequenter peccatum mortale.

654. Quæres, quid sit Concubinatus?

Respondetur, esse fornicationem frequentem, & consuetam cum determinata persona, sive dein ita fornicantes cohabitent in eadem domo, sive non. Est peccatum omnino periculosum; quia tales non solum mortaliter peccant, sed etiam in statu peccati mortalis, & continuo sic peccandi proposito, saltem virtuali, perseverant. Unde concubinarius nullo modo est absolvendus, nisi prius concubinam ejiciat, si illam domi habeat, quamvis versetur in mortis articulo, nisi mors urgeat, & tempus desit: tunc enim satis erit propositum firmum ejiciendi. Extra talem casum prius est ejicienda: id quod fluit ex propositione inter damnatas ob Alexandro VII. *ord. 41.* cujus tenor: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Ratio quoque suffragatur: quia similis concubinarius versaretur in occasione proxima peccandi, quam, ut absolvi possit, dimittere tenetur, juxta propositiones 61. 62. & 63. ab Innocentio XI. confixas, & *part. 5.* a nobis recensendas; atqui ejusmodi occasionem non censetur dimittere, retinendo concubinam domesticam, dum eandem dimittere moraliter potest: consequenter &c. Quod si illam domi non habeat, similiter absolvendus non est concubinarius, nisi firmiter proponat, se ad eam non amplius accessurum: imo aliquando experientia sumenda est de emendatione, antequam impertiatur absolutio, præsertim si sæpe proposuit emendationem, quæ secuta non fuit: prout colligitur ex *prop. 60.* ex damnatis ab Innoc. XI. quæ est: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo*

modo

modo ore proferat se dolere, & proponere emendationem. Porro contra concubinarios statuit Trid. *sess.* 24. *c.* 8. *de Reform.* ut ab Episcopo ter admoneantur, & nisi resipuerint, excommunicentur: si vero neque tunc resipiscentes per annum in excommunicatione perseveraverint, ab eodem castigentur, ac puniantur. Concubinæ autem ter admoneantur, & nisi resipuerint, ejiciantur e civitate; imo etiam, quando ita videbitur Episcopo, extra diœcesim, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio seculari: prout similiter ordinavit idem Trid. Parochus, postquam paterne admonuit concubinarium, & concubinam, deferat, si se non emendaverint, ad Episcopum, cujus est peccata publica extirpare.

654. Dico secundo. Adulterium est (1) *alieni tori violatio*; sive est *peccatum luxuriæ, quo fides conjugalis violatur*: estque (2) peccatum mortale duplex, vel etiam triplex.

Exponitur prima pars. Ad adulterium requiritur, ut alteruter saltem adulterantium, sive vir, sive mulier, sit matrimonio junctus: siquidem circumstantia conjugii facit, ut fornicatio, vel alius actus turpis, sit adulterium. Quod tripliciter potest contingere. 1. Cum conjugatus rem habet cum soluta. 2. Quando solutus cum conjugata. 3. Quando conjugatus cum conjugata. Adulterium, duobus prioribus modis commissum, dicitur *unilaterale*, & *simplex*; tertio autem modo commissum, *bilaterale*, & *duplex*.

Probatur, & explicatur secunda pars. Et quidem adulterium esse mortale peccatum, patet tum ex Apostolo 1. *Cor.* 6. ubi ait: *Nolite errare, neque adulteri, neque molles Regnum Dei possidebunt.* Tam ex ratione: quia potestas, seu jus, quod habet maritus in corpus uxoris, & vicissim, consistit in duobus. Primum est, quod alter teneatur alteri volenti debitum conjugale persolvere. Alterum est, quod teneatur a persona extranea abstinere. Quod jus quoad secundam partem violatur per adulterium: quia id, quod est conjugis, quoad usum tribuitur alteri, per injuriam adeo gravem, ut communis hominum æstimatio sit, vix graviorem irrogari posse.

Quod porro adulterium sit peccatum mortale saltem duplex, facile constat; quia non solum graviter repugnat Castitati, sed etiam Justitiæ; ut proxime vidimus. Nec refert, quod forte vir v. g. cedat jure suo, & fiat leno uxoris. Siquidem talis cessio est inefficax, & nulla; cum jus illud viro competat non ob bonum privatum, sed ratione status, qui est communis: consequenter eo cedere efficaciter non potest. Unde ab Innocentio XI. confixa est hæc *prop. ord.* 50. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Regula 27. *de Reg. jur. in* 6. quæ est, *scienti, & consentienti non fit injuria*, solummodo tenet, quando consensus est validus, & efficax, qualis non est in casu proxime posito; ut dictum.

Quod denique etiam sit triplex mortale peccatum, quando scilicet uterque adulterantium est matrimonio junctus, liquet: quia sicut dum alteruter tantum adulterantium est conjugatus, committuntur duo peccata, unum luxuriæ, & alterum injustitiæ; ita dum uterque est conjugatus, committuntur tria, unum luxuriæ, & duo injustitiæ; cum tunc a singulis adulterantibus irrogentur duobus conjugibus distinctæ numero injuriæ. Unde non sufficit, si taliter adulterati dicant in Confessione, se commisisse adulterium, sed tenentur præterea exprimere circumstantiam duplicis conjugii, ratione cujus duplicatur injuria, & peccatum injustitiæ: quia non tantum species, sed etiam numerus peccatorum exprimendus est. Lessius *de Justit. lib.* 4. *c.* 3. *dubit.* 11. *num.* 74. & alii passim.

656. Quæres primo, an uxor adultera, quæ prolem concepit, & peperit ex adulterio, teneatur in conscientia id manifestare marito, vel proli spuriæ, ne maritus in aliena prole nutrienda, & liberi legitimi, vel alii hæredes in successione hæreditaria damnum patiantur?

Respondetur primo. Non tenetur, quando non est moraliter certa de damnis per ejusmodi manifestationem avertendis. Lessius *de Justit. lib.* 2. *c.* 11. *dubit.* 7. *n.* 50. & alii communiter. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis; ergo quandiu adultera prudenter dubitat (uti dubitare potest, quando non est moraliter certa) an revelatio criminis profutura sit, tandiu non tenetur id revelare.

Respondetur secundo. Tametsi adultera moraliter certa sit de damnis per criminis revelationem avertendis, non tenetur id revelare, quando alio modo v. g. ex bonis adulteri, vel suis paraphernalibus, parcius vivendo, aut proli spuriæ suadendo ingressum in Religionem successionis incapacem, potest, & vult avertere damna. Pichler *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *n.* 6. & alii passim. Ratio est: quia tunc radix, ex qua obligatio revelandi criminis pullularet, tolleretur.

Respondetur tertio. Licet adultera sit moraliter certa de damnis per criminis revelationem cavendis, & ea aliter cavere haud possit, adhuc tamen non tenetur, regulariter loquendo, suum crimen manifestare, sive (1) marito, sive (2) proli adulterinæ. Pichler *loc. & n. citt.* ac alii passim. Ratio primæ partis est: quia non est obligatio faciendi restitutionem, seu compensationem damnorum in bonis fortunæ cum detrimento, vel periculo bonorum altioris ordinis, puta vitæ, vel famæ; prout *part.* 4. *tr.* 2. cum satis communi aliorum ostensum ibimus: atqui in proposito adulteræ, vel etiam adultero impenderet a marito detrimentum, vel periculum vitæ (ut nihil dicam de periculo iræ, tristitiæ, odii, rixarum, divortii &c.) unaque subeunda foret jactura famæ tam adulteræ, quam proli adulterinæ apud dictum maritum, cum discrimine idem famæ præjudicium incurrendi apud alios; ergo &c. Accedit, quod sæpe præsumi possit, maritum, & ejus liberos legitimos malle pati aliquam jacturam in bonis fortunæ, quam uxorem, aut matrem suam ita confundi vel coram se tantum, præsertim attento quoque periculo diffamationis apud alios, unde etiam in se redundaret aliqua macula, opprobrium, tristitia &c. Ratio secundæ partis est: quia vel filius credet matri, vel non credet? Si credet; nihilominus haud tenebitur cum tanto famæ detrimento a familia recedere tanquam spurius, & hæreditatem relinquere. Si non credet (sicut credere non obligatur per statim dicenda) duo mala emergent, nempe diffamatio matris, & persistentia filii in possessione hæreditatis. Consequenter &c.

Dixi tamen in respons. 3. *regulariter loquendo*. Nam si adultera jam aliunde esset profligatæ famæ: si maritus esset vir valde bonus, a quo nihil gravis inde incommodi timendum: si filius verisimiliter esset crediturus matri, & ab hæreditate abstenturus &c. tunc adultera deberet suum crimen manifestare vel marito, vel filio, in articulo mortis saltem, sive per Confessarium, sive per chirographum a se relictum, præsertim si ageretur de successione in Regno, vel Ducatu, & ipsa alio modo damnum mariti, vel legitimorum hæredum cavere non posset: quia in talibus circumstantiis, rem moraliter perpendendo, ac æstimando, non censebitur se infamare saltem notabiliter, nec aliud damnum considerabile pati.

657. Quæres secundo, an filius (vel filia) teneatur credere matri asserenti, vel etiam juranti, ipsum esse adulterinum, illegitimum &c.

Respondetur negative: nisi insuper afferat liquida, & indubia argumenta, in foro quoque externo valitura. Ita cum Lessio, Laymanno, & aliis communiter P. Sporer *de Matrim. cap.* 2. *num.* 554. Ratio est: tum quia allegantì suam turpitudinem nulla debetur fides, quando id cedit in præjudicium tertii. Tum quia filius est in possessione legitimitatis, qua cedere non tenetur, nisi convincatur, quod sit adulterinus, vel illegitimus. Tum quia ingenium feminarum est (ut loquitur Lessius) alios præter modum amare, alios præter modum odisse: imo quamvis filius ejusmodi præsumptionem formare non posset, nihilominus testimonium ejus insufficiens foret; cum Jure Gentium ad declinandum generale periculum fraudis introductum sit, ut nemo unius, licet minime suspecti hominis, testimonio credere teneatur in suum præjudicium, præsertim tam grave, ut est in proposito.

Dixi in respons. *nisi insuper afferat liquida, & indubia argumenta, in foro quoque externo valitura.* Tunc quippe sicut Judex teneretur amovere filium a possessione filiationis legitimæ, ita & filius teneretur seipso, & in foro conscientiæ eandem relinquere; cum obligatio conscientiæ, & fori interni urgeat, quando urget obligatio fori externi, falsæ præsumptioni non inniti.

658. Quæres tertio, a quo alenda sit proles, ex adulterio prognata?

Respondetur, per se loquendo alendam esse (saltem

postquam triennium attigit) ab adultero, donec seipsam alere possit. DD. communiter. Ratio est: quia adulter non debet esse melioris conditionis, quam alii patres: sed isti tenentur liberos alere (saltem a tertio ætatis anno) ergo etiam adulter. Cum proinde innocens maritus loco adulteri faciat ejusmodi expensas in alimenta prolis adulterinæ, eas adulter refundere tenetur.

Dixi: *saltem postquam triennium attigit*. Nam antea adultera tenetur filio (vel filiæ) præstare alimentum lactis, si per seipsam lactare possit: si non possit, constituenda est impensis adulteri lactatrix alia. P. Potestas *tom* 2. *part*. 2. *n*. 2044. & P. Pichler *loc. cit. n*. 19. qui posterior cum quibusdam aliis a se relatis contendit, adulteram (idem asserit de quibuscunque matribus) ad nihil teneri, quam ad præbendum lac; alia autem alimenta etiam proximo triennio, omnia esse subministranda ab adultero; quod plerique negant, & adulteram (aliasque matres) ad prolem primis tribus annis ex integro alimentandam obstringunt; seclusa nimirum diversa loci consuetudine, vel speciali conventione inter fornicantes &c. Quod si adulter ob paupertatem non posset filio alimenta suppeditare, tunc obligaretur mater; atque in defectu matris onus alimentandi transiret ad avos. Vide Pichlerum *cit*.

659. Sed quid juris in casu, quo certum quidem est, prolem esse ex patre adultero, incertum tamen, quinam ex duobus, vel pluribus, quibuscum adultera conversabatur, sit verus pater illius? Eadem quæstio moveri potest de duobus (vel pluribus) dum incertum est, uter sit pater prolis, ex quocunque alio illicito concubitu prognatæ.

Respondetur primo. Si de uno constet, quod cum tali femina rem habuerit, quia vel confessus, vel convictus de eo est; ceteri autem negent, nec contra ipsos militent graves præsumptiones; ille solus tenetur prolem alere. Si vero gravia adsint indicia, & præsumptiones, quod alii quoque congressi sint cum eadem femina, huic deferendum est juramentum, quo se purget a suspicione coitus cum alio, vel aliis exerciti, certumque infantis patrem prodat, antequam illi soli totum onus alimentationis imponatur. P. Konig *lib*. 5. *Decretal. tit*. 14. *n*. 30. & alii passim.

Respondetur secundo. Si de duobus (vel pluribus) constet, quod commercium carnale habuerint cum femina prolem enixa, attendendum est 1. respectu cujus coincidat tempus partus, ubi creditur juramento feminæ. 2. Cui respondeat physiognomia prolis. 3. An non intercedat impedimentum dirimens inter stupratam, & unum corrivalem, non vero alterum? & tunc onus alimentationis imponendum est non habenti impedimentum; cum in dubio proles sit habenda potius pro naturali, quam spuria. P. Pichler *loc. cit. n*. 20.

Respondetur tertio. Si nec ex prædictis circumstantiis, nec aliunde colligi possit, sed incertum maneat, quinam ex duobus (vel pluribus) sit determinate pater, quilibet adulterorum tenetur pro rata concurrere ad alendam prolem, & compensanda damna per adulterium illata. Mezger *tom*. 3. *tr*. 12. *disp*. 38. *art*. 2. *n*. 8. Illsung, Sporer, Babenstuber, Pichler, & alii communius, ac probabilius contra alios, volentes, neminem illorum ad quidquam obligari. Ratio est: quia licet incertum sit, uter eorum sit determinate pater, certum tamen est, prolem esse ab illis progenitam; & quilibet est determinate causa incertitudinis, qua incertum, quinam sit determinate pater, & teneatur prolem alere &c. atqui talis incertitudo est grave damnum, & æquale cum eo, quod reipsa illatum est per adulterium, quippe injuste impediens, ne ab uno determinato exigi possit compensatio expensarum in alimenta prolis, sive ne proles ab uno determinato alimenta recipiat; ergo quilibet est determinate causa talis damni: consequenter &c.

Dices. Dubitans de obligatione aliquid solvendi, aut restituendi, non est obligandus ad certam resolutionem aut restitutionem; cum sit in certa possessione tam libertatis, quam rerum suarum; sed singuli adulteri dubitant de tali obligatione, eo ipso, quod dubitent, quinam ipsorum sit determinate pater; ergo nemo eorum est obligandus &c.

Respondetur, neg. min. Esto enim adulteri dubitent, quinam ipsorum sit determinate pater, atque ex hoc capite nullus sit adstringendus ad alimentandam prolem aliave damna compensanda; singuli tamen certi sunt, se propter commissum cum eadem femina adulterium esse injustam causam incertitudinis injuste impedientis, ne verus pater agnoscatur, qui prolem alimentare, & alia damna resarcire debeat: consequenter certi sunt de obligatione alimentandi prolem &c. cum certi sint de radice a se posita, ex qua ejusmodi obligatio resultat.

660. Quæres quarto, an parentes, qui prolem, ex adulterio (vel alio illicito congressu) prognatam, criminis celandi causa orphanotrophio alendam exponunt, teneantur refundere expensas, ab orphanotrophio in prolis alimentatione factas?

Respondetur affirmative, si sint divites. Lessius *de Just. lib*. 2. *c*. 19. *dubit*. 6. *n*. 69. & alii satis communiter. Ratio est: quia orphanotrophia sunt instituta pro pauperibus: sed proles, ex parentibus divitibus prognata, non est, nec potest dici pauper; ut patet; ergo orphanotrophium pro ipsa non est institutum; ergo dum orphanotrophio alenda obtruditur, injuste fit, quippe contra institutionem orphanotrophii, & intentionem Fundatorum ejus: consequenter &c.

Nec dicas, orphanotrophium obligari ad ejusmodi prolem alendam, non quidem propter ejus inopiam, sed ad avertendam a parentibus infamiam, cujus periculum subirent, si ipsi alerent suis sumptibus.

Contra enim est, quod inde ad summum sequatur, parentes ad tegendum suum crimen posse prolem alendam exponere orphanotrophio; non vero, eos idcirco excusatos esse a refusione expensarum, utpote quæ occulte, & citra periculum infamiæ fieri orphanotrophio potest.

Dixi in respons. *si sint divites*. Si enim parentes sint pauperes, utique ad solutionem expensarum orphanotrophio præstandam non obligantur; hoc ipso, quod orphanotrophia instituta, & fundata sint pro pauperibus.

ARTICULUS II.

De Incestu, & Sacrilegio.

SUMMARIUM.

661. & seqq. Quid sit incestus, quid sacrilegium, & quare hoc inter species luxuriæ collocetur? 664. An sacrilegium personale etiam committatur per actum internum? 665. An voto Castitatis simplici, & solemni simul ligatus, per peccatum luxuriæ committat duo sacrilegia specie distincta? Idem quæritur 666. de eo, qui simul Sacerdos, & Religiosus professus est. 667. Quando præcipue committatur sacrilegium locale per copulam, vel emissionem seminis? 668. & seqq. Decidit, quod Sacerdos committat sacrilegium reale carnaliter peccando cum femina, ad quam portat S. Eucharistiam, vel cujus confessionem excipit. Ubi specialiter de peccato sollicitationis ad turpia in confessionali.

661. Dico primo. Incestus (1) est *peccatum luxuriæ, quo violatur persona cognata intra gradus, in quibus non potest iniri matrimonium*: estque (2.) peccatum mortale duplex.

Prima pars non indiget probatione, nec declaratione alia, quam quod gradus, intra quos non potest iniri matrimonium, sint gradus consanguinitatis, usque ad quartum inclusive: item gradus affinitatis contractæ ex matrimonio similiter usque ad quartum; ex fornicatione vero usque ad secundum. His adduntur gradus cognationis legalis, quæ ex adoptione, & spiritualis, quæ ex Baptismo, & Confirmatione ortum trahit. De quibus fusius, & explicatius *part*. 6. *tr*. 2.

Secunda pars sumitur tum ex Apost. 1. *ad Cor*. 5. ubi turpitudinem incestus specialiter exaggerat, & execratur, ipsumque incestuosum Sathanæ tradit. Tum ex ratione: quia incestus non solum Castitati, sed etiam Pietati, & reverentiæ cognationis debitæ graviter adversatur, ut omnes fatentur. Unde peccato luxuriæ addit distinctam specie malitiam, seu circumstantiam, in confessione necessario exprimendam.

662. Dico secundo. Sacrilegium (prout hic sumitur) *est peccatum luxuriæ, quo aliquid sacrum ut sacrum violatur*: estque semper mortale, non solum, in quantum Castitati, sed etiam, in quantum Religioni adversantur. Per *ly aliquid sacrum* etiam hic intelligitur tam

persona

persona sacra, id est, Deo dicata per votum Castitatis, quam locus sacer, & res sacra. Unde & sacrilegium carnale est triplex, scilicet *personale*, quo persona; *locale*, quo locus; & *reale*, quo res sacra violatur, sicut *n.* 337. diximus de sacrilegio absolute, ac secundum se spectato, & prout est quædam species irreligiositatis. Revideantur, quæ *n. cit.* habentur, & aliqua hunc applicentur, ne repeti debeant.

663. Quæres primo, cur sacrilegium collocetur inter species luxuriæ?

Respondetur, id fieri ratione relationis ad finem, scilicet actum luxuriæ. Sicut enim observatio Castitatis, quatenus ordinatur ad cultum Dei, transit in actum Religionis; ita actus oppositus luxuriæ, cum per ipsum violatur, & quatenus violatur aliquid ordinatum ad cultum Dei, pertinet ad speciem sacrilegii, & sacrilegium ipsum, quatenus committitur propter opus luxuriæ, constituitur in specie luxuriæ. S. Thomas 2. 2. *q.* 154. *art.* 10.

664. Quæres secundo, an sacrilegium personale committatur etiam per actum internum?

Respondetur affirmative, saltem si actus ille internus sit efficax: ut si juvenis secularis v. g. desideret habere copulam cum persona, voto Castitatis, sive solemni, sive simplici tantum, ligata. Ita insinuant Abreu *lib.* 8. *in Decal. n.* 447. Babenstuber *loc. cit. num.* 85. & alii. Ratio est: quia actus efficax desiderii suapte natura fertur in objectum, ut est a parte rei, & affectum his, vel illis qualitatibus; ergo qui desiderat habere copulam cum persona sacra, mentaliter violat personam sacram; adeoque committit sacrilegium mentale, per actum nempe internum desiderii. Quid sentiendum, si actus internus sit inefficax, colligitur ex iis, quæ habentur inferius *n.* 698.

665. Quæres tertio, an voto Castitatis simplici, & solemni simul ligatus, per peccatum luxuriæ committat duo sacrilegia specie distincta?

Respondetur negative. Sporer *de Matrim. c.* 3. *n.* 618. & alii communius, ac probabilius. Ratio est: quia votum simplex, & solemne non differunt specie; prout tradidimus cum probabiliori DD. *n.* 428. ergo etiam violatio voti simplicis non differt specie a violatione voti solemnis; imo nec numero in eodem actu. Unde talis in confessione satisfacit, dicendo, se peccasse contra votum Castitatis; nec est opus, ut qualitatem utriusque voti exprimat.

Quæres quarto, an qui simul Sacerdos, & Religiosus professus est, committat duplex sacrilegium, si contra Castitatem peccet?

Respondetur itidem negative, supposito, quod Sacerdos ex voto obligetur ad Castitatem servandam. Sporer *loc. proxime cit.* Abreu *n.* 447. Babenstuber *n.* 87. & alii Ratio est eadem: quia etiam votum solemne Castitatis, susceptioni SS. Ordinum annexum, est ejusdem speciei, & rationis cum voto solemni Castitatis, emisso in professione Religiosa; ergo etiam utriusque violatio est eadem specie; imo, & numero in eodem actu. Unde talis quoque in confessione satisfacit, dicendo, se esse Religiosum professum, vel Sacerdotem, vel Diaconum, vel Subdiaconum. Similiter & femina satisfacit, dicendo, se peccasse carnaliter cum Religioso, vel Sacerdote &c. nec est necesse, ut dicat, quod ille Religiosus sit Sacerdos, aut vicissim Sacerdos Religiosus.

667. Quæres quinto, quandonam præcipue committatur sacrilegium locale per copulam, vel emissionem seminis, & quando non?

Respondetur primo. Committitur, si copula exerceatur, vel semen, etiam occulte tantum, effundatur in Ecclesia consecrata, vel benedicta, vel saltem publica authoritate Episcopi sacris Officiis deputata: in ejusdem capellis; & in cœmeterio pro sepeliendis fidelibus benedicto. Ita cum Sanchez, Bonacina, & Tamburino P. Babenstuber *loc. cit. n.* 90. & 92. Ratio est: quia recensita loca sunt sacra in ordine ad hoc, ut non irreverenter contaminentur per copulam extra matrimonialem, aut seminis effusionem; ergo dum ita contaminantur, sacrilegium locale committitur. Quod si memorata copula exerceatur, vel seminis effusio fiat aperte, vel occulte, sed postea innotescant per famam, aut confessionem delinquentium, illa loca habentur pro pollutis, & reconciliatione indigent. Idem sentiendum de copula matrimoniali exercita citra necessitatem. Dico: *citra necessitatem*. Nam in casu necessitatis, ut si conjuges longo tempore maneant conclusi in aliqua Ecclesia, vel ratione belli, vel alia simili de causa, & immineat ipsis, vel saltem alterutri ipsorum incontinentiæ periculum, nec alibi suppetat opportunitas concumbendi, non erit sacrilegium reddere, vel etiam petere debitum in loco sacro, neque hic inde polluetur: ut tradunt DD. passim.

Respondetur secundo. Nullum e diverso committitur sacrilegium locale per copulam, vel effusionem seminis in Sacristia, cameris Ecclesiæ adjacentibus, aut in turri campanarum. Ratio est: quia, præter cœmeterium, illud duntaxat spatium in ordine ad antefatum effectum dicitur locus sacer, quod pertinet ad interius corpus Ecclesiæ a tecto interiori usque ad pavimentum, & a summa ara usque ad parietem oppositum: atqui memorata loca non pertinent ad interius corpus Ecclesiæ (secus est de capellis Ecclesiæ) ergo &c. Similiter nullum committitur sacrilegium per copulam, aut effusionem seminis in Monasteriis, eorum dormitoriis, Religiosorum cellis, seu cubiculis &c. Ratio hujus est: quia licet sint loca sacra, ita ut gaudeant immunitate Ecclesiastica, non tamen sunt sacra, ut copula, aut seminis emissio in iis fieri nequeant citra peccatum sacrilegii. Babenstuber *loc. cit. numer.* 92. & 93. aliique apud ipsum.

668. Quæres sexto, an Sacerdos committat sacrilegium reale carnaliter peccando cum femina, ad quam portat S. Eucharistiam, vel cujus confessionem excipit?

Respondetur affirmative. Ita Sporer *loc. cit. n.* 620. & *seq.* aliique communiter. Ratio est: quia in allatis casibus (idem cogita de aliis similibus) res sacra adhibetur, & usurpatur, tanquam medium (ut supponi debet; alias oppositum dicendum foret) ad opus luxuriæ; adeoque graviter contemeratur; consequenter &c.

669. Sed alterum quæstionis membrum oportet pluribus declarare. Nam intelligi non debet de casu, quo Confessarius extra omnem ordinem, vel respectum ad confessionem, & confessionale carnaliter peccat cum filia confessionis etiam ordinaria: tunc quippe, licet ipse ex parte sua committat sacrilegium personale, sicut committeret, si peccaret carnaliter cum alia femina; haud tamen efficitur reus sacrilegii realis, quod contrahatur ex abusu confessionis, aut confessionalis; cum in hoc tali casu peccatum perpetretur absque relatione ad confessionem, & confessionale; ut dictum. Ita cum Sanchezio, Laymanno, Filliucio P. Sporer *loc. cit.* Intelligendum proinde est memoratum membrum de casu, quo Confessarius aut in confessionali sub ipsa actione, aut occasione confessionis, ejusve prætextu pœnitentem solicitat, & inducit ad aliquid turpe, sive ibi statim, sive alibi postea faciendum. Hoc igitur casu Confessarius gravissimum committit sacrilegium; cum Sacramento Pœnitentiæ gravissimam irroget injuriam, quatenus eodem ad peccatum carnale abutitur. Juvat attexere Bullam (in quantum ejus notitia Confessario est necessaria) Gregorrii XV. cujus tenor est: *Qui ad inhonesta sive inter sese, sive cum aliis, vel quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea, vel postea immediate; sive occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam Confessione non secuta; sive extra occasionem in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessionem audiri* (adeoque etiam in domo seculari apud simulatam infirmam) *solicitare, vel procurare tentaverint, aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones sive tactus habuerint, in Officio, ut infra, puniantur*. Et enumeratis gravissimis pœnis a Judice infligendis usque ad degradationem &c. etiam ad testimonium singulare unius personæ solicitatæ cum aliquibus præsumptionibus, mandat Pontifex Confessariis, ut moneant suas pœnitentes ita solicitatas obligationis suæ ad denunciandos solicitatores Ordinario, vel Inquisitori (ubi nempe viget Inquisitio) quæ quidem obligatio personarum solicitatarum stringit sub pœna excommunicationis.

670. Sequitur nunc primo, denunciandum esse Confessarium, qui post Confessionem feminæ animo iniquo dicit, ut revertatur ad chirographum Confessionis accipiendum; aut si post peractam Confessionem solicitet puerum in cellam ductum titulo dandi chirographum;

vel qui pœnitentem solicitat, dum ad genua procumbit, nolens Confessionem audire, & absolvere; vel qui prætextu Confessionis, aut extra occasionem Confessionis in Confessiunario, aut in loco, ubi Confessiones audiuntur, aut ad Confessionem audiendam electo solicitat, vel actus, aut sermones inhonestos babet. Ratio horum est: quia licet in his casibus solicitatio non fiat in actu Sacramentalis Confessionis, dicit tamen relationem ad Confessionem; unde injuria Sacramento Pœnitentiæ irrogatur, illudque redditur pœnitentibus odiosum. Patet hoc ex *prop.* 6. inter damnatas ab Alessandro VII. quæ sic sonat: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus*. P. Viva super modo recitatam *prop. n.* 8.

671. Sequitur secundo, non esse denunciandum pœnitentem, aut interpretem solicitantem, aut laicum fingentem se Confessatium (dummodo non absolvat; tunc enim aliunde denunciandus esset) aut Confessarium solicitantem in administratione aliorum Sacramentorum a Sacramento Pœnitentiæ distinctorum. Ratio est: quia Bulla Gregorii XV. (idem cogita de Bullis aliorum Pontificum) ex una parte solum cavere intendit, quod de facili potest occurrere cum Sacramenti injuria, & damno animarum; ex altera vero parte est pœnalis, adeoque restringenda, non amplianda: consequenter &c. Porro obligatio ex Bulla altefati Pontificis Greg. XV. non restringitur ad solas feminas; quælibet enim persona, sive mas, sive femina sit, tenetur Confessarium denunciare, si illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habuerit occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta. P. Viva *loc. cit. n.* 9.

Et hæc dicta, ac intellecta sunto spectato tenore, & rigore Bullæ Gregorianæ. Quia tamen hæc (uti & Decretum Alexandri VII. Damnantis *prop.* supra recitatam, in illa fundatum) in nostris partibus quoad tantum rigorem non est recepta (prout, teste Sporer *loc. cit. num.* 622. notant Germani DD. passim) prudentiæ Confessarii relinquitur, & incumbit tam grande malum impedire.

ARTICULUS III.

De Stupro, & Raptu.

SUMMARIUM.

672. & 673. Explicatur natura Stupri, & Raptus. 674. Quare raptus, cum in se sit contra Justitiam, reponatur inter species luxuriæ? 675. An sit verum raptus, si femina libidinis explenda causa per vim abducat marem?

672. Dico primo. Stuprum (prout hic sumitur) est (1) *concubitus, quo integritas virginis, ipsumque etiam claustrum virginale violatur*: estque (2.) speciale peccatum contra Justitiam, si sit violentum, seu concumbatur cum virgine invita; secus (3.) si non sit violentum, & concumbatu cum virgine consentiente.

Primam partem omnes tenent, unaque advertunt, ad stuprum non sufficere, quod femina corrumpatur sola pollutione, aliave libidine in quacunque corporis parte exercita. Ratio est: quia licet virginitas, etiam pro integritate carnis accepta, violetur per seminis resolutionem; prout relinquitur ex dictis *part.* 1. *num.* 711. non tamen per ipsam rumpitur signaculum muliebre seu claustrum virginale. Porro concubitus cum corrupta, etiamsi per vim fiat, & duplex peccatum mortale sit, non est proprie stuprum: quia hoc debet esse concubitus cum virgine. P. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 7. *art.* 2. *n.* 13. & alii passim.

Ratio secundæ partis est: quia per ejusmodi violentiam infertur gravis, & damnosa injuria; ad cujus proinde refaccitionem stuprator obligatur ex Justitia; prout videbimuss *part.* 6. *tr.* 2. *disp.* 1. Unde qui sic corrupit virginem, non satisfacit in Confessione, dicendo, se esse fornicatum, sed debebit addere circumstantiam violentiæ, qua erga puellam usus fuit.

Ratio tertiæ partis est: quia puellæ efficaciter, & valide consentienti non fit injuria: atqui puella sic potuit consentire (& consensisse ponitur) cum sit domina sui corporis in ordine ad hoc, ut eo possit vel non uti, vel uti legitime, vel illegitime absque ulla aliorum, etiam parentum, injuria; ergo &c. Unde tam stuprator, quam dicto modo strupata satisfaciunt in Confessione, si se accusent fornicationis reos, non exprimendo circumstantiam stupri, utpote quæ speciem simplicis fornicationis essentialiter non immutat. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 14. *numer.* 5. Lessius, Tamburinus, & alii.

673. Dico secundo. Raptus (prout impræsentiarum accipitur) est *peccatum luxuriæ, quo persona quæpiam abducitur per violentiam ad turpem actum cum ea exercendum*: idque mortale non solum contra Castitatem, sed etiam contra Justitiam.

Explicatur prima pars. Dicitur 1. *quo persona quæpiam*; sive ea sit mas, sive femina, sive nupta, sive innupta, sive virgo, sive corrupta. Abreu *loc. cit. n.* 452.

Dicitur 2. *abducitur*; quod verbum proprie accipiendum est, & ut sonat veram abductionem, qualis fit, dum persona transfertur in locum dissitum, & moraliter diversum ab illo, in quo constituta erat. Unde non committit raptum, qui personam exercendæ libidinis causa violenter trahit ex uno cubiculo in aliud, aut vim infert in eodem loco: esto ceteroquin & talis illatam violentiam, utpote quæ actui turpidinis specialem malitiam addit, esplicare in Confessione debeat. Ita cum Bonacina, & Tamburino P, Babenstuber *loc. cit. num.* 44.

Dicitur 3. *per violentiam*: sive dein hæc inferatur soli personæ, quæ abducitur; sive iis, quorum potestati subest; sive utrisque. Unde si nulla vis inferatur, sed persona sponte, vel blanditiis, aut precibus inducta discedat cum amasio, vel amasia, parentibus, aut aliis, sub quorum potestate existit, nescientibus, non erit raptus, sed voluntaria fuga. Filliucius *tr.* 30. *c.* 6. *n.* 110.

Dicitur 4. *ad turpem actum cum ea exercendum*. Nam si persona quæpiam abducatur ad alium finem, v. g. ut redigatur in servitutem, sitque in dominio abducentis, non erit raptus, nec species luxuriæ, sed plagium, seu furtum hominis. Lessius *Just. lib.* 4. *c.* 3. *dubit.* 9. *n.* 66.

Ostenditur jam secunda pars: quia per talem violentam abductionem gravis infertur injuria personæ abductæ, vel iis, sub quorum potestate constituta est, vel utrisque, ut dictum. Unde raptor non satisfacit in Confessione, si dicat, se turpiter egisse cum femina; sed debet superaddere speciem raptus, vi cujus peccavit contra Justitiam: imo etiam qualitatem personæ raptæ, puta an sit nupta, vel innupta; consanguinea, vel extranea; Deo per votum Castitatis sacra, vel profana &c.? Filliucius *loc. cit. n.* 109.

674. Quæres primo, quare raptus, cum in se sit contra Justitiam, reponatur inter species luxuriæ?

Respondetur, inter eas reponi ratione intentionis pertinentis ad luxuriam: quia libidinis causa fit: vel ratione complementi: quia completur per concubitum, aut alium actum turpem, ad quem proxime tendit; esto forte hic reipsa non sequatur: quod etiam ad raptum non requiritur, sed sufficit, personam esse raptam animo illum exercendi. Abreu *loc. cit. n.* 453. *& seq.* aliique communiter.

675. Quæres secundo, an sit verus raptus, si femina libidinis explendæ causa per vim abducat marem?

Respondetur, esse (1.) in foro interno conscientiæ, seu quoad malitiam; non autem (2.) in foro externo, seu in ordine ad pœnas contra raptum statutas. Ratio primi est: quia ejusmodi abductio habet omnes conditiones ad verum, & supra definitum raptum exactas; ut patet consideranti. Ratio secundi est: quia pœnæ in foro externo decretæ sunt contra raptum, prout hic fit ordinarie: atqui ordinarie mares rapiunt feminas, non feminæ mares; ergo &c. Videatur Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 12. *n.* 25. *& n.* 40.

ARTICULUS VI.

De Sodomia, Bestialitate, & Pollutione.

SUMMARIUM.

676. Quid sit sodomia perfecta, quantum peccatum, & quomodo differat ab imperfecta? 677. Committitur, licet semen dispergatur. 678. Sodomita debet in confessione exprimere, fueritne agens, an patiens? 679. Quid sit bestialitas, & quantum peccatum? 680. & seqq. Bestiarius non tenetur in confessione exprimere speciem bestiæ; bene vero sexum, & vas, in quo coivit. 683. Non satisfacit,

tisfacit, si cum dæmone congressus dicat, se exercuisse bestialitatem. 684. *Quid sit pollutio, & qualiter mala?* 685. & 686. *An specie differat a sodomia, & bestialitate; aut alia pollutione?* 687. *Quid observandum circa pollutionem nocturnam?* 688. *An quis, dum evigilat, teneatur in somno cœptam reprimere?* 689. *An liceat involuntarie inchoatam promovere?* 690. *Quando ad peccatum imputetur in causa?* 691. *Quænam remedia sint præscribenda hominibus, in pollutionis vitio habituatis?* 692. *Explicatur, quid sit distillatio, & qualiter contingat? Item quomodo peccet, qui procurat notabilem commotionem spirituum generationi servientium, vel etiam distillationem? Et denique, quando, ac quomodo ea commotio, vel distillatio imputetur ad peccatum in causa?*

676. Dico primo. Sodomia perfecta (1.) est *concubitus inter personas ejusdem sexus*, si nempe mas cum mare, vel femina concumbat cum femina; estque (2.) peccatum gravissimum. Differt a Sodomia imperfecta (quæ est *concubitus maris cum femina in vase præpostero*) quod illa neque servet sexum, neque vas debitum, ista vero servet quidem sexum, sed non vas debitum. Enormis istius peccati gravitas colligitur ex pœnis, de quibus infra *n.* 719. Hic autem

677. Quæres primo, an sit sodomia, si mas cum mare concumbat, sed semen effundat extra vas præposterum?

Respondetur, esse sodomiam, saltem spectata ratione peccati. Sporer *loc. cit. n.* 326. & alii communiter. Ratio est: quia formalis malitia sodomiæ sumitur ex motivo, seu affectu concumbendi ad sexum indebitum, non vero ex immissione seminis in vas præposterum; alioquin femina concumbens cum femina non committeret sodomiam, cum non immittat semen in vas præposterum.

878. Quæres secundo, an sodomita in Confessione exprimere debeat, fueritne agens, an patiens?

Respondetur affirmative. Ita cum Tamburino, Cassiano a S. Elia, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 76. Ratio est: quia agens ordinarie committit peccatum pollutionis; non item patiens.

679. Dico secundo. Bestialitas (1.) est *concubitus hominis cum bruto:* estque (2.) crimen longe gravissimum, & pessimum; prout constat tum ex pœnis (similiter infra *n.* 719. referendis) in bestiarios fulminatis: tum ex *Genes.* 37.

Ad bestialitatem reducitur damnatissimus coitus cum dæmone in corpore, sive hominis, sive bestiæ, assumpto: imo S. Thomas 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. eundem comprehendit in ipsa definitione bestialitatis, dum hanc ibidem describit: quod sit *concubitus hominis cum re animata diversa, sive non ejusdem speciei.*

680. Quæres primo, an bestiarius in Confessione exprimere debeat speciem bestiæ, cum qua congressum habuit, v. g. dicendo: peccavi cum equa, ove, cane &c.?

Respondetur negative. DD. communiter. Ratio est: quia specifica illa bestiarum diversitas in ordine ad formalem malitiam bestialitatis habet se mere materialiter; sicut diversitas specifica rerum furto ablatarum in ordine ad formalem malitiam furti; ergo in actibus bestialitatis non causat distinctionem specificam moralem: consequenter &c.

681. Quæres secundo, an bestiarius exprimere debeat sexum bestiæ, seu utrum concubuerit cum bestia mare, vel femella?

Respondetur affirmative. Ita cum Mendo P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1083. contra communem aliorum. Ratio est: quia congressus cum bestia mare, & congressus cum bestia femella in genere moris specie distinguuntur; cum naturæ, & Castitati modis essentialiter diversis repugnent; fere sicut congressus cum homine mare, & cum homine femella. Unde pœnitens (nisi ipse se explicet) interrogandus est, an cum bestia mare, vel femella, v. g. cum equo, vel equa, congressus fuerit?

682. Quæres tertio, an bestiarius, qui cum bestia femella peccavit, teneatur exprimere, num in vase naturali (respectu bestiarum) vel præpostero coierit?

Respondetur itidem cum Mendo, & La Croix *cit.* affirmative. Ratio est: siquidem & isti coitus specie differunt: cum & ipsi modis essentialiter diversis naturæ & Castitati opponantur; fere sicut coitus cum homine femella in vase naturali, & præpostero. Modus conveniens bestiarium interrogandi (nisi ipse exprimat) erit: num coierit cum equa v. g. sicut equus cum ea coire solet? imo ipsimet bestiarii hunc modum se explicandi non raro adhibent.

683. Quæres quarto, an bestiarius, cum dæmone congressus, satisfaciat in Confessione, si dicat, se exercuisse actum bestialitatis?

Respondetur negative. Ratio est; nam licet bestialitas, cum dæmone exercita, a bestialitate exercita cum bruto v. g. cujus ille formam assumpsit, forte non differat specie in ratione bestialitatis (adeoque diversitas specifica dæmonis a bestia materialiter se habeat in ordine ad malitiam bestialitatis) semper tamen intervenit alia malitia specie distincta, repugnans virtuti Religionis, nimirum malitia superstitiosis, seu commercii cum dæmone. Filliucius *tr.* 30. *c.* 8. *n.* 162. & alii passim. Exprimere insuper bestiarius (vel Confessarius interrogare) debet, an fuerit congressus cum dæmone in corpore hominis, vel bestiæ: quia in congressu prioris generis præsumitur intervenisse affectus fornicarius, vel sodomiticus. Exprimere etiam debet, an dæmon prætulerit formam viri, vel feminæ: si enim primum; præsumitur affectus sodomiticus, ad sodomiam scilicet perfectam: si secundum; præsumitur affectus fornicarius tantum, vel sodomiticus ad sodomiam imperfectam. Exprimere denique debet, qualem personam dæmon repræsentaverit, an scilicet feminam, v. g. conjugatam, consanguineam, Castitatis voto obstrictam &c.? quia tunc intervenit malitia mentalis adulterii, incestus, sacrilegii &c. Sporer *loc. cit. n.* 625. Babenstuber *num.* 81. & alii.

684. Dico tertio. Pollutio, sive mollities (1.) est *voluntaria humani seminis effusio absque omni concubitu*: estque (2.) intrinsece mala, & (3.) mortaliter peccaminosa.

Explicatur prima pars. Dicitur 1. *voluntaria*. Si enim seminis effusio contra, vel præter voluntatem hominis, sive vigilantis, sive dormientis, eveniat, non pertinet ad genus moris, neque ad peccatum imputatur, ob defectum voluntarii.

Dicitur 2. *humani seminis effusio*: quia hic loquimur de pollutione hominis, non bruti. Unde siquis apprehenderet membrum bruti, & ex eo semen eliceret, non committeret peccatum pollutionis, qualem in præsenti definivimus.

Dicitur 3. *absque omni concubitu*. Si enim semen effundatur in concubitu, eoque extramatrimoniali, constituit aliud peccatum luxuriæ, a pollutione specie diversum, puta fornicationem, adulterium, sodomiam &c. Si autem in concubitu matrimoniali, culpa vacat. Et hoc verum censeo, tametsi concubitus physice jam transierit: ut quando mulier in actu conjugali, suscepto virili semine, nondum seminavit, & se, licet vir jam recesserit, immediate excitet ad seminandum: quia id non fit extra concubitum matrimonialem, cum iste adhuc moraliter perseveret; nec est contra naturam generationis, sed eidem maxime consentaneum, cum sit actus conjugalis complementum multum juvans, vel etiam simpliciter necessarium ad generationem prolis; ut docent Medici: adeoque culpa vacabit. Et plane mulier alioquin exponeretur gravissimo periculo mortaliter peccandi occasione actus conjugalis, utpote per quem valde concitatur, & incalescit &c. Abreu *lib.* 8. *n.* 463. & alii passim, contra quosdam absque solido fundamento reclamantes.

Probatur secunda pars. Quia semen humanum a natura ordinatur ad generationem prolis humanæ; ergo illud effundere ob alium finem, v. g. ad sanitatem, aut vitam conservandam, ordini naturæ repugnat; & consequenter Jure naturæ prohibitum est: quod negavit, & ideo ab Innocentio XI. proscripta est hæc *propos. ord.* 49. *Mollities Jure naturæ prohibita non est: unde si eam Deus non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Nec dicas. Ergo concubitus fornicarius non est contra naturam; cum in eo, si copula perfecta exerceatur, semel ordinetur ad generationem prolis.

Contra enim est, dist. illatum. Non est contra naturam communiter, neg. specialiter, con. illatum. Priore mo-

re modo naturæ adversatur, quatenus impedit bonam prolis educationem; quæ est alter finis, ad quem effusio seminis a natura est ordinata. Posteriore modo non adversatur naturæ; quia per illum effusio seminis suapte natura dirigitur ad generationem prolis, quæ primus ejusdem effusionis finis est.

Probatur tertia pars. Tum quia Apostolus 1. *Cor.* 6. ait: *Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt*. Tum quia pollutio, seu mollities graviter repugnat ordini naturæ, & fini ejusdem; ut dictum.

685. Quæres primo, an pollutio, sodomia, & bestialitas specie differant?

Respondetur affirmative. Patet ex *propos.* damnata ab Alexandro VII. quæ est *ord.* 24. & sic habet: *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem*. Ratio est: quia quodlibet horum peccatorum dicit specialem dissonantiam cum lege naturali, & modo essentialiter alio, atque alio virtuti Castitatis singula opponuntur: siquidem sodomia non solum generationem impedit, ut mollities; sed etiam dicit ordinem ad vas generationi ineptum intra speciem humanam; bestialitas vero dicit ordinem ad vas generationi, saltem humanæ, ineptum in supposito alterius speciei; ergo &c. P. Viva super recitatam *propos. num.* 7. & alii communissime.

686. Quæres secundo, an pollutiones inter se invicem comparatæ, sint ejusdem speciei?

Respondetur affirmative, si sortiantur veram rationem pollutionis, & non diversificentur ratione sexus personarum, aut ratione circumstantiarum peccati speciem mutantium. Ita cum communi P. Stoz *lib.* 3. *part.* 3. q. 3. *n.* 549. Ratio est: quia, extra casus exceptos, omnes conveniunt in eadem formali ratione, modoque seminandi extra concubitum.

Dixi autem 1. *si sortiantur veram rationem pollutionis*. Nam si impuberes v. g. sive pueri, sive puellæ, conantur impudico motu semen elicere, cum nondum possint, committunt peccatum specie diversum a vera pollutione, reipsa pertinens ad impudicitiam tactus, & idcirco specialiter exprimendum in Confessione. Ratio est: quia tales peccant quidem ex pravo affectu ad pollutionem; sed quoniam semen non effundunt, non committunt peccatum veræ pollutionis (idem cogita de eunuchis semine ad generationem apto destitutis) sed aliud specie diversum, P. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 7. *art.* 2. *n.* 71. & alii apud ipsum.

Dixi 2. *& non diversificentur ratione sexus personarum*. Nam qui modo polluitur tactibus viri, modo tactibus feminæ, pollutiones diversæ speciei committit. Idem sentiendum, quando ipse modo virum, modo feminam polluit. Ratio est: quia tactus adeo libidinosi ab alia persona admissi, vel in eadem exerciti, sunt quasi copula inchoata, & prævii actus ex se ordinati ad copulam, etiamsi ex intentione admittentis, aut exercentis, aut ad illam non ordinentur; ergo sicut copula ipsa habita cum femina distinguitur specie a copula habita cum viro; ita & pollutio &c. Accedit, quod ut plurimum interveniat actualis affectus libidinosus ad personam, a qua quis polluitur, aut quam polluit; sive dein affectus ille sit simplicis complacentiæ, aut delectationis morosæ in concubitu, sive desiderii efficacis ad ejusmodi concubitum; qualis affectus, dum modo in virum, modo in feminam tendit, utique peccati speciem variat. Unde qui polluitur tactibus viri, vel ipse eum polluit: item qui polluitur tactibus feminæ, vel ipse eam polluit, non satisfacit in Confessione, si dicat, se ab alia persona (non exprimendo sexum) fuisse pollutum, aut eam polluisse. Sporer *de Matrim.* c. 3. *n.* 629. & alii communiter.

Dixi 3. *aut ratione circumstantiarum peccati speciem mutantium*. Nam id genus circumstantiæ, sicut alios actus peccaminosos, ita & pollutionem qualificatam reddunt, eidemque essentialiter diversam malitiam superinducunt, in Confessione necessario explicandam. Unde qui manu alterius polluitur, vel sua manu polluit alium, debet id exprimere in Confessione. Ratio est: quia proprio peccato superaddit cooperationem ad alterius peccatum, quæ est peccatum scandali contra Charitatem proximi. Similiter qui alium, vel aliam polluit, debet exprimere qualitatem personæ pollutæ, an nimirum sit ligata vinculo matrimonii, voti Castitatis, consanguinitatis, vel affinitatis &c. Ratio est: quia polluens sua cooperatione addit distinctam specie malitiam adulterii, sacrilegii, incestus. Exprimi quoque in Confessione debet qualitas personæ polluentis, an videlicet sit conjugata, sacra, consanguinea &c. idque non solum ab ipsamet persona polluente (ut nemo dubitare potest) sed etiam a persona polluta. Ratio hujus est: quia persona admittens in se alterius tactus impudicos, quibus polluitur, revera non solum proprii peccati rea efficitur, sed insuper cooperatur ad adulterium, sacrilegium, vel incestum alterius personæ, a qua polluitur: & consequenter peccato proprio superaddit aliud specie diversum, in Confessione necessario explicandum. Ita cum communi aliorum P. Babenstuber *loc. cit. n.* 69.

687. Quæres tertio, quid observandum circa pollutionem nocturnam?

Respondetur primo. Quando emissio seminis non tantum incipit, & continuatur, sed etiam finitur in somno, culpa vacat: nisi vel antecedenter fuerit culpabiliter ad eam posita causa; vel consequenter de eadem deliberate capiatur delectatio carnalis. Ratio est: quia tunc nullo modo est voluntaria. Evadit tamen voluntaria, & ad peccatum imputatur, in causa culpabiliter posita; prout explicate dicemus *n.* 690. uti & ratione delectationis carnalis, quæ de ipsa, excusso somno, deliberate admittitur. Tamburinus *lib.* 7. *in Decal.* c. 7. §. 2. *n.* 11. & alii communiter.

Respondetur secundo. Quando emissio seminis incipit, & continuatur in somno, finitur tamen in vigilia: vel si partim fit, & continuatur in somno, partim in vigilia; sæpe (1.) a peccato immunis; aliquando (2.) mortaliter, & aliquando (3.) venialiter peccaminosa est. Ratio primi est: quia sæpe fit, ut quis minime consentiat in delectationem carnalem, quam ex seminis effluxione sentit. Ratio secundi est opposita: siquidem aliquando fit, ut quis plene expergefactus consentiat in delectationem carnalem, quam ex reliqua seminis effusione percipit. Ratio tertii est: quia aliquando fit, ut quis semiplene vigilet, & in delectationem carnalem imperfecte consentiat. Ita P. Abreu *lib.* 8. *in Decal. n.* 460. aliique passim.

688. Sed petes primo, an quis, dum evigilat, teneatur pollutionem in somno cœptam reprimere, & residuam seminis effluxionem impedire?

Respondetur negative: dummodo cohibeat omnem complacentiam, & consensum in delectationem. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 17. *n.* 16. Tamburinus *loc. cit. n.* 17. & alii communiter. Ratio est: quia hoc non est seminis effluxionem provocare, sed pati, ne ejusdem repressio corpori noceat. Idem tenendum censet Tamburinus de pollutione, quæ alicui involuntarie contingit in vigilia. Idem quoque pronunciat Sanchez de eo, qui culpa sua illam patitur, si pœnitendo culpam retractavit.

689. Petes secundo, an peccet, qui pollutionem involuntarie cœptam promovet ultimas reliquias protrudendo?

Respondetur affirmative; & quidem mortaliter. Ratio est: quia talis promotio est vera fluxus procuratio, quæ intrinsece, & mortaliter mala est. Herzig *de Munere Confessarii part.* 2. *n.* 349. & alii passim.

690. Quæres quarto, quandonam pollutio in causa ad peccatum imputetur?

Respondetur primo. Quando causa, ex qua oritura prævidetur pollutio, est honesta, vel saltem indifferens, corpori tamen, vel animo necessaria, aut conveniens, pollutio inde proveniens non imputatur ad peccatum: dummodo hæc non intendatur, ac efficaciter desideretur, & excludatur consensus in delectationem carnalem. Ratio est: quia prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem, atque per accidens secutus: sed qui ponit, vel non removet ejusmodi causam prosequitur jus suum, & effectus sequitur præter intentionem ipsius; ergo &c. Accedit, quod alioquin homines in mutua vitæ societate plurimis commodis tam spiritualibus, quam corporalibus carere deberent. Unde non teneris abstinere a studio casuum conscientiæ de rebus turpibus; ab excipienda confessione similium; a cauta, & honesta collocutione cum feminis; a moderato potu vini, aut comestione calidorum; a situ commodiore in lecto; ab equitatione, aliave honesta, vel saltem permissa occupatione quacunque, licet inde pol-

lutio

lutio secutura prævideatur. Ita Sporer *loc. cit. n.* 650. Pichler *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *numer.* 44. & alii communiter.

Respondetur secundo. Quando causa, ex qua oritura prævidetur pollutio, est peccaminosa, sive graviter, sive leviter, extra genus luxuriæ, similiter pollutio non imputatur ad peccatum, quod virtuti Castitatis adversetur. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 924. Herzig *loc. cit. n.* 343. & alii contra Sanchez, Sporer, & alios, volentes, illam esse peccatum veniale contra Castitatem. Ratio est: quia ejusmodi causa non nisi per accidens, indirecte, & remote ad pollutionem concurrere, & influere censetur (cum effectus potius sequatur ex infirmitate naturæ) quam proinde vi præcepti, quo prohibetur pollutio, tam parum tenemur evitare, quam parum causam honestam, vel indifferentem. Unde si liberalius, & cum excessu comedas, aut bibas, unde prævides, te pollutum iri, peccas quidem (leviter, vel graviter, pro ratione excessus) contra Temperantiam, non vero contra Castitatem, per se loquendo, & nisi per illas actiones pollutionem intendas, seu eventuram desideres &c.

Respondetur tertio. Quando causa, ex qua prævidetur oritura pollutio, est (1.) mortaliter peccaminosa intra genus luxuriæ, etiam sic peccaminosa erit pollutio intra idem genus: si vero illa solum sit (2.) peccaminosa venialiter, & ista gerit. Sayrus *in clavi regia lib.* 8. *c.* 7. *n.* 4. *in fin.* & alii communiter. Ratio primi est: quia hujusmodi causa per se, & notabiliter influit in pollutionem; ergo graviter prohibetur eadem lege, qua pollutio. Unde siquis se libidinose tangat, vel aspiciat, indeque prævideat (esto expresse non intendat) secuturam, sive in somno, sive in vigilia, pollutionem, hæc in causa imputabitur ad grave peccatum luxuriæ. Ratio secundi est: quia tunc causa per se quidem, non tamen notabiliter censetur influere in pollutionem; cum ad hujus sequelam ordinarie non sit sufficiens. Unde siquis seipsum in parte verenda tangat, vel aspiciat, non animo libidinoso, sed ex levitate, aut curiositate, & obiter tantum, pollutio, licet prævisa, non tamen intenta, solum imputabitur ad veniale peccatum luxuriæ. Nec obstat, quod *part.* 1. *n.* 693. diximus, in peccatum luxuriæ non dari parvitatem materiæ. Nam aliud est, non dari parvitatem materiæ in ipso peccato luxuriæ (quod *loc. cit.* unice asseruimus) & aliud, illam non dari in causa similis peccati: hæc enim materiæ parvitatem non excludit; imo actu compatitur, dum in peccatum luxuriæ non nisi leviter influit.

691. Quæres quinto, quænam remedia sint præscribenda hominibus, in pollutionis vitio habituatis?

Respondetur. Præscribendum est 1. & ante omnia, ut Sacramentum Pœnitentiæ frequenter obeant, v. g. bis in eadem septimana, apud eundem Confessarium: hoc quippe remedium est saluberrimum, & id genus hominibus adeo necessarium, ut, qui eo non utuntur, emendationem sibi promittere haud possint, nisi per speciale Dei beneficium: quemadmodum advertit Toletus *in Summa lib.* 5. *c.* 13. Præscribendum est 2. ut quotidie mane, & vesperi per tres, aut quatuor septimanas edant votum castitatis servandæ pro eo die, ac nocte, quo votum editur, præsertim in honorem illius Sancti, erga quem specialiter afficiuntur. Præscribendum est 3. ut ante aram castissimæ, semperque immaculatæ Virginis Mariæ offerant eidem manus suas firmissimo proposito eas ad illicita tot, vel septimanis non extendendi. Præscribendum est 4. ut initio mox tentationis pia cum fiducia pronuncient ore, vel saltem animo, hæc verba: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis;* vel ista: *Per sanctam Virginitatem, & immaculatam Conceptionem tuam, purissima Virgo, emunda cor, & carnem meam in nomine Patris &c.* Præscribendum est 5. ut post singulos relapsus certam quandam corpori castigationem subeant. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 7. *n.* 550. *& seqq.* qui tamen recte advertit, graves macerationes carnis, licet de se efficax medium sint, minus fructuose præscribi; eo quod cuticulæ nimium deditis difficillime persuadeantur.

692. Quæres sexto, an mortaliter peccet, qui procurat notabilem commotionem spirituum generationi servientium, vel etiam distillationem?

Antequam respondeatur, notandum, distillationem esse fluxum humoris cujusdam medii inter urinam, & verum semen, generis cum isto similitudinem in colore, & viscositate, non tamen ita mordacis, ac crassi. Effluit hic humor aliquando in magna quantitate, & cum magna commotione carnis, & spirituum; aliquando in modica quantitate, & sine magna commotione carnis, ac spirituum: ut advertunt Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 45. *n.* 2. Laymann *lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 18. Sporer *loc. cit. n.* 658. Nunc

Respondetur. Qui procurat notabilem commotionem spirituum generationi servientium, vel distillationem in magna quantitate, cum simili commotione, mortaliter peccat. Authores proxime relati. Ratio est: quia illa alteratio, & commotio spirituum est inchoata quædam pollutio, & ad hujus consummationem suapte natura tendit: distillatio autem per se conjuncta est cum eadem commotione spirituum, & sensu carnis.

Quando, & quomodo hæc talis commotio, vel distillatio imputetur ad peccatum in causa, fluit ex dictis *n.* 690.

Dixi tamen in respons. *distillatio in magna quantitate &c.* Nam si contingat in modica quantitate, & cum nulla, vel levi duntaxat commotione, curanda non est, utpote mere naturalis, & evitatu moraliter (ne dicam physice) impossibilis. Authores *citt.*

CAPUT II.

De Speciebus Luxuriæ non consummatæ.

POstquam in præced. capite egimus de speciebus luxuriæ consummatæ, quæ sunt, & dicuntur *peccata immunditiæ* (prout annotavimus in disputationis initio) agendum venit de speciebus luxuriæ non consummatæ, quæ nuncupantur *peccata impudicitiæ*; vel internæ, ut delectationes, & desideria; vel externæ, ut oscula, actus, amplexus &c. De peccatis impudicitiæ internæ in primo, de peccatis autem impudicitiæ externæ in secundo articulo disseremus. Sit ergo

ARTICULUS I.

De morosis Delectationibus: ubi etiam immixtim, & incidenter de malis Desideriis.

§. I.

Quid sit morosa Delectatio, quotuplex, & quale peccatum?

SUMMARIUM.

693. *& seqq. Quid sit morosa delectatio? quare sic nominetur, & quomodo dividatur?* 696. *An, quando, & quantum peccatum existat?* 697. *Unde dignosci possit, utrum versetur circa cogitationem tantum, aut modum rei illicitæ, vel circa ipsam rem illicitam?* 698. *Qualiter is, qui de re venerea delectatus est, in confessione se explicare debeat?*

693. DIco primo. Morosa delectatio (prout de ipsa in præsenti agimus) est *simplex complacentia in re illicita, absque intentione eandem opere perficiendi.*

Explicatur. Dicitur 1. *simplex complacentia*, ut significetur, delectationem morosam esse affectum voluntatis inefficacem, quo quidpiam præcise placet, aut displicet.

Dicitur 2. *in re illicita*, tum ut comprehendatur delectatio in quibuscunque objectis illicitis tam extra, quam intra lineam luxuriæ: tum ut secludatur delectatio in re licita, de qua nihil in præsenti.

Dicitur 3. *absque intentione eandem opere perficiendi.* Si enim voluntas non sistat in oblectatione interna circa rem illicitam, sed istam quoque habere, vel facere cupiat, est, & vocatur *desiderium &c.* Ultimæ hæ particulæ in definitione adduntur duntaxat majoris claritatis gratia: siquidem quod exprimunt, jam significatur, esto non tam clare, per primas duas particulas; prout ex eorum expositione liquet.

694. Colliges, delectationem *morosam* non sic appellari a mora temporis, quam quis consumit in illa. DD. communiter. Ratio est: quia potest diu persistere, & ta-

& tamen non esse morosa, si nimirum voluntas non consentiat; & e diverso esse morosa potest, licet duret per unicum instans si, voluntas in ipsam consentiat. Dicitur proinde morosa, quod voluntas, dum eam advertit, adhuc moretur, & reprimere negligat, cum tamen posset, ac deberet reprimere: vel quod in illa sistat, moretur, & quiescat, nec ad opus progredi intendat.

695. Dico secundo. Delectatio morosa dividitur in *rationalem*, & *sensibilem*.

Explicatur. Delectatio rationalis (quam etiam *spiritualem* appellant) est, quæ circa rem delectabilem intellectu propositam oritur in ipsa voluntate, & appetitu rationali; estque actus complacentiæ, vel de cogitatione rei, vel de ipsa rei cogitata, vel de aliquo ejusdem modo. Delectatio sensibilis est, quæ ex imaginatione rei delectabilis oritur in appetitu sensitivo; estque conjuncta cum aliqua alteratione, vel immutatione corporis per motum spirituum vitalium circa pectus. Et subdividitur in *mere sensibilem*, ac *veneream*. Mere sensibilis (quam etiam *naturalem* vocant) est, quæ oritur ex tactu, vel aspectu v. g. proprii, vel alieni corporis absque ulla libidine, seu commotione spirituum generationi servientium, ob solam proportionem, seu connaturalitatem cum organo tactus, vel visus: ut quando tangitur res blanda, aut mollis, v. g. felis, holosericum &c. vel quando videtur res pulchra, v. g. pulcher equus, pulcher hortus, pulchrum palatium &c. quæ naturaliter delectant organa illorum sensuum. Delectatio venerea (quam etiam, *sensualem carnalem*, & *libidinosam* nuncupant) est, quæ percipitur circa partes genitales per commotionem seminis, vel spirituum generationi deservientium, seu qua commoventur partes obscœnæ corporis, vel saltem spiritus genitales circa ilias; nam generationi, ad quam ex sua natura ordinatur, præsidem statuebant Venerem Gentiles. La Croix *lib.* 3. *part*, 1. *n. n.* 889. & 894. item *lib.* 5. *num. num.* 93.

Quamvis delectationem rationalem a sensibili realiter distingui, certum sit, propter naturalem tamen connexionem, & sympathiam, quam habent inter se voluntas, & appetitus sensitivus, difficillimum est, illas ita separare, ut data una non detur teipsa, & surgat etiam altera. Nobis sufficit, quod separari possint in ratione voluntarii; quemadmodum haud dubie possunt. Sæpe enim delectatur appetitus invita, & reluctante voluntate secundum portionem superiorem: sæpe quoque delectatur voluntas de re quopiam, quam refugit, & a qua abhorret appetitus sensitivus. Sporer *tr.* 1. *præm. c.* 6. *sect.* 4. *n.* 22. Porro in materia luxuriæ moraliter impossibile est, separare delectationem mere sensibilem, deliberate, & studio quæsitam, a non mere sensibili, seu venerea: prout declaratum ibimus infra *n.* 706. *prope fin.*

697. Dico tertio. Delectatio (1.) de cogitatione, vel modo aliquo ingenioso, aut artificioso rei illicitæ, nullum est peccatum per se loquendo: ast delectatio (2.) sive sit sensibilis, sive rationalis tantum, de ipsa re illicita semper est peccatum mortale, quando ea res existit venerea, & extra matrimonium: secus (3.) quando non existit venerea, vel intra matrimonium. Ita DD. communiter, saltem quoad partem primam, & tertiam.

Probatur prima pars. Quia delectatio de objecto non malo, non est mala, sed cognitio, & cogitatio de re illicita, vel ingeniosus, aut artificiosus ejusdem rei modus, non est objectum malum; ergo nec delectatio &c. Unde non peccat, qui concionaturus, scripturus, aut docturus cogitat de re venerea, & cogitando delectatur de aliqua vera doctrina, ac speculatione in ea materia. Pariter non peccat, qui contemplatur, & contemplando delectatur de ingenioso, vel lepido modo, quo quis v. g. rapuit virginem; commisit furtum; debellavit alterum in duello &c.

Dixi tamen in conclus. *per se loquendo*. Nam per accidens ejusmodi delectatio potest esse peccatum 1. ratione mali finis, si ad talem ordinetur. 2. Ratione periculi, cui delectans forte se exponit, ne capiat delectationem de ipsa quoque re cogitata. 3. Ratione scandali: ut si Sacerdos, vel Religiosus coram pusillis spectet ludum theatralem, in quo obscœna repræsentantur &c.

Probatur secunda pars. Quia delectatio sensibilis de re venerea importat commotionem spirituum generationi servientium (adeoque non est mere sensibilis) quæ commotio suapte natura tendit ad actum generationis media expulsione seminis inchoandum: delectatio vero rationalis est causa proxima per se incitativa ad motus libidinosos; ergo utraque rectæ rationi, & legi naturali graviter repugnat; idque semper, cum in materia venerea (extra Matrimonium) non detur parvitas materiæ, secundum dicta *part.* 1. *num.* 693. & 714.

Confirmatur specialiter de delectatione rationali, de qua plures nostrum assertum negant. Omnis affectus, quo voluntas deliberate amat opus mortaliter malum, est mortaliter malus: sed delectatio rationalis de re venerea est talis affectus, tametsi sistere supponatur in voluntate; ergo &c.

Pars tertia commodius probabitur, & declarabitur infra *n.* 702. si materia non existat venerea: si vero existat venerea intra Matrimonium, ventilabitur in loco proprio *de Matrim.*

697. Quæres pro praxi primo, unde dignosci possit, sitne delectatio de cogitatione tantum, aut modo rei illicitæ, vel de ipsa re illicita?

Respondetur, id esse cognitu difficillimum, saltem in materia luxuriæ. Ubi nihilominus a Doctoribus traduntur hæ regulæ. 1. Attendendum est ad finem, ob quem admittitur ipsa similis cogitatio: si enim is honestus sit, v. g. ut concionem futuram adornes, discas modum medendi morbis in partibus inhonestis &c. præsumeris velle delectationem solius cogitationis, & ab omni culpa excusaberis. 2. Videndum, an te reflectas super ipsam cogitationem, eam volendo: si enim ad illam implicite, & quasi in actu exercito reflectas, signum est, te potius objectum velle, quam meram cogitationem de objecto. 3. Considerandum, an, si aliarum rerum non malarum, aut venerearum eventus, causas, artificia &c. contemplaris, æque de iis delecteris, atque si cogites de rebus obscœnis: si enim cogitationes de istis plus te delectent, signum est affectus pravi: non pravi vero, si te delectent æqualiter. Hinc a peccato impuræ delectationis se immunes reputare non possunt, qui sub prætextu elegantis styli legunt libros obscœnos: vel sub prætextu artificii musici cupide audiunt inhonestas cantiones; cum tamen libros honestos, ac pios, sicut & cantus de rebus sacris, etiam elegantiores, fastidiunt, aut saltem minori aviditate legunt, vel audiunt. Palao *tr.* 2. *disp.* 2. *pun.* 10. §. 1. *n.* 5. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *q.* 3. *n.* 164. & alii passim.

698. Quæres secundo, qualiter is, qui de re venerea delectatus est, in confessione se explicare debeat?

Respondetur. Exprimere debet 1. objectum cogitatum, de quo delectatus est. DD. communiter. Ratio est: quia morosa delectatio est peccatum ejusdem speciei cum peccato cogitato. Exprimere debet 2. circumstantias peccati speciem mutantes, se tenentes ex parte ipsiusmet delectantis; ut si is sit conjugatus, voto Castitatis obstrictus, personæ, quam adamat, consanguineus &c. Itidem DD. communiter saltem quoad posteriora duo exempla. Ratio est: quia talis peccato contra Castitatem addit malitiam contra Justitiam, Religionem, vel Pietatem. Dixi: *saltem quoad posteriora duo exempla*. Nam quoad primum Hurtadus, Diana, Sporer, & alii non pauci aliter sentiunt, voluntque, personas conjugatas, dum morose delectantur circa personam solutam, aut alieno matrimonio junctam, non evadere reas delectationis qualificatæ propter circumstantiam conjugii, se tenentem ex parte ipsarum personarum delectantium. Rationem dant: quia conjuges se non obligarunt ad abstinendum a delectationibus etiam internis circa personas alienas. Sed oppositum videtur probabilius. Ratio est opposita: siquidem fides conjugalis obstringit conjuges ad vitandas quoque ejusmodi delectationes, quippe per se, & ex natura ordinatas ad opus turpe externum: prout mox infra videbimus. Accedit communis fidelium persuasio, & praxis. Ita Vasquez, Bonacina, Stoz *loc. cit. numer.* 167. & alii. Exprimere præterea debet pœnitens, 3. circumstantias se tenentes ex parte personæ, de qua delectatus est; ut si ea sit conjugata, voto Castitatis obstricta, consanguinea &c. & cogitatio, ac delectatio in eandem tetenderit (quod tamen rarius usuvenire solet)

quasi

quasi in concreto, seu ut est conjugata, sacra, consanguinea &c. Ratio est: quia tunc ejusmodi circumstantiæ evaserunt objectum partiale delectationis. Quod si vero delectatio circa similem personam fuerit admissa in abstracto, seu tetenderit in ipsam, ut formosam præcise, volunt Azorius *lib. 4. cap. 6. q. 3.* Sporer *loc. cit. num. 24.* & alii multi, quod circumstantia personæ adamatæ actum delectationis non infecerit; & consequenter in confessione non necessario sit exprimenda. Rationem, cui isthæc sententia innititur, mox infra percipies. Sed oppositum est multo probabilius, atque in praxi omnino tenendum; doceturque a Salmanticensibus *tr. 13. de Peccat. disp. 11. dub. 3. numer. 54.* Elbenstubero *loc. cit. a n. 39.* & aliis pluribus. Ratio (ut alias omittam) hæc esto: siquidem delectatio venerea per se, & suapte natura incitat ad motus libidinosos, & opus externum; ergo per se, & suapte natura delectantem exponit periculo proximo labendi in ipsum opus externum; ergo delectatio, prout est causa similis periculi, constituitur in eadem specie peccati, in qua est ipsum opus externum; cum proximum periculum peccati, & ipsum peccatum pertineant ad eandem speciem. Atqui opus externum in casu est peccatum qualificatum; ergo & delectatio. Sed

Dices cum Adversariis. Simplex complacentia, seu delectatio non necessario tendit in objectum ut est a parte rei, & affectum circumstantiis, sed ut est apprehensum ab intellectu practico: atqui objectum, ut apprehensum ab intellectu practico, in casu non est qualificatum; cum persona, quæ adamatur, non apprehendatur ab illo, nec repræsentetur voluntati ut persona conjugata, sacra, aut consanguinea, sed præcise ut formosa; ergo nec delectatio erit qualificata.

Respondetur, dist. maj. Extra materiam veneream, transeat, intra materiam veneream, eamque talem, qualem hic versamus, subdist. ita, ut delectans ipsas circumstantias non velit explicite, & formaliter, con. implicite, virtualiter, vel interpretative, neg. maj. Cum enim delectans se conjiciat in proximum periculum operis externi perpetrandi, censetur velle non ipsum duntaxat opus secundum se, & in abstracto, sed ut affectum circumstantiis, & in concreto; in quas proinde implicite, & interpretative consentire omnino convincitur. Unde neg. min. una cum ratione probativa. Licet enim objectum, ut ab intellectu apprehensum explicite, non sit, nec repræsentetur voluntati ut qualificatum; est tamen qualificatum, & voluntati ut tale repræsentatur, quatenus in operis externi apprehensione practica etiam circumstantiæ saltem implicite existunt.

Instabis. Qui delectatur de ingenioso, aut lepido modo (secundum se spectato) quo rapitur, aut rapta est femina, non peccat peccato raptus; ergo nec peccat peccato incestus, qui delectatur de femina, ut est formosa, licet sit consanguinea v. g.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia delectatio in casu antecedentis non est causa per se incitativa ad delectationem de ipso peccato raptus, vel ad actualem ejus perpetrationem; adeoque per se, & ex natura sua non exponit sic delectantem proximo periculo delectandi de peccato raptus, aut illud reipsa committendi. E diverso delectatio in casu consequentis est causa per se incitativa ad ipsum opus incestuosum, quod utique est affectum circumstantia incestus; atque per se, & ex natura sua inducit delectantem in discrimen, ac periculum proximum reipsa deveniendi ad congressum incestuosum. Atque hæc distinctio, si bene percipiatur, etiam majorem affundit lucem verbis, in responsione ad argumentum, & majoris distinctione ibidem adhibitis.

§. II.

Expediuntur aliæ Quæstiones.

S U M M A R I U M.

699. An licita sit delectatio de opere venereo per accidens a culpa excusato? 700. Quid sentiendum de delectatione circa pollutionem ex causis naturalibus ortam? 701. An viduis de copula exercita, & sponsis de exercenda tempore matrimonii, delectari sit licitum? 702. Quid sentiendum de delectatione circa objecta illicita extra materiam luxuriæ? 703. An sit peccatum desiderare rem malam, & illicitam, vel de illa delectari sub conditione, si illicita non esset? 704. Quando, & quale sit peccatum jactantia, seu gloriatio de opere malo?

699. QUæres primo, an licita sit delectatio de opere venereo per accidens a culpa excusato; ut si delecteris de accessu ad non tuam, quam invincibiliter putabas esse tuam; de fornicatione commissa in ebrietate; de pollutione, cujus procurationem invincibiliter ignorabas esse illicitam &c.?

Respondetur. Non est licita delectatio (1.) si ejusmodi opus spectetur secundum se; esto vero licita (2.) si idem opus spectetur sub ratione, & reduplicatione causæ, sive in quantum est causa alicujus affectus præponderantis: est insuper licita (3.) prout terminatur ad effectum secundum se, & veluti in abstracto consideratum; dummodo is sit honestus, vel indifferens, quamvis non sit præponderans. Ita quoad rem P. Sporer *loc. cit. n. 32. & seq.* P. Viva *super propositiones* 13, 14. & 15. ab Innoc. XI. damnatas, aliique plures. Ratio primi est: quia ejuscemodi objectum habet malitiam moralem objectivam; ergo delectatio malitiam ab eo accipit; illud enim, cum de se sit pravum, & a culpa solummodo immune propter ignorantiam, vel defectum libertatis, suam malitiam transfundit in delectationem, eamque, utpote defectu ignorantiæ, vel libertatis haud laborantem (prout supponitur) formaliter malam efficit. Accedit, quod delectatio de opere venereo, secundum se spectato, sit causa per se incitativa ad novum simile opus perpetrandum, v. g. ad novam pollutionem, fornicationem, adulterium &c.

Dices, Talis est delectatio, quale est objectum: sed objectum, seu opus venereum in casu non fuit illicitum; ergo nec delectatio erit illicita.

Respondetur, explicando, & dist. maj. Quando causa a culpa liberans, reperitur etiam in delectatione, con. secus, neg. maj. Qui injustum suæ vitæ aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ interfecit, citra culpam delectatur de interfectione; quia causa factum a culpa liberans, nimirum licentia interficiendi, perseverat, & reperitur etiam in delectatione; quam proinde similiter cohonestat. E diverso ignorantia, vel defectus libertatis, ob quem opus venereum a culpa immune fuit, non reperitur in delectatione circa illud (ut supponitur) consequenter &c. Unde concessa minore argumenti, eodem modo distinguendum est consequens, quo distincta fuit major.

Ratio secundi est: quia tunc objectum delectationis neque est malum secundum se, neque in ordine ad causandum opus quoddam illicitum; ergo nec delectatio est mala. Cons. patet. Ant. ostenditur: siquidem opus venereum tunc non movet ad delectationem, in quantum est objective malum, seu in quantum est causa effectus specificative, sed ut est causa ejusdem reduplicative; sub qua reduplicatione, & ratione nihil in se malitiæ involvit. Neque movet, in quantum est veneree delectabile; sed in quantum est utile, seu causativum effectus præponderantis: sub qua reduplicatione non est malum relate ad causandum opus quoddam illicitum; cum ut sic per se, & ex natura ad tale non incitet; ergo &c. Confirmatur. Juxta omnes (teste Sporero) res venerea, in quantum materialiter, aut tum mala reduplicative, non est objectum malum delectationis, sive secundum se, sive in ordine ad causandum opus quoddam illicitum; ergo neque est objectum malum delectationis, sive uno, sive altero modo, in quantum est causa reduplicative affectus præponderantis; cum æque parum in hoc, ac in illo casu moveat ad delectationem, in quantum est objective malum, aut veneree delectabile. Ex quo fit, ut filia licite delectetur de parricidio inculpabiliter commisso, ne vexetur amplius a patre, qui volebat eam prostituere, & ad peccandum impellebat: quia immunitas a simili vexa, cum sit quid spirituale, est effectus, seu bonum præponderans vitæ patris, & delectationem de parricidio inculpate facto, ac in quantum hoc existit causa reduplicative illius immunitatis, omnino cohonestat. E diverso filia (vel filius) illicite delectatur de parricidio, licet inculpabiliter commisso, occasione cujus divitias etiam ingentes est consecuta, quoniam divitiæ, ut ut magnæ, cum existant quid temporale, non sunt effectus, seu bonum præponderans, imo nec æquivalens vitæ patris: unde delectationem de parricidio cohonestare non possunt. Quare ab Innocentio XI. jure me-

rito

rito confixa est hæc propos. ord. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio patris, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Videatur P. Viva *loc. cit.* & speciatim *n.* 20.

Ratio tertii est: quia etiam tunc, & a potiori, objectum delectationis neque est malum secundum se, neque in ordine ad causandum opus quoddam illicitum. Unde licite delectaris de sanitate v. g. orta ex pollutione inculpabiliter procurata, vel de prole prognata ex fornicatione, aut adulterio in ebrietate commisso. Ratio est: quia tales effectus ex una parte nullam in se continent malitiam, possuntque separari a sua causa, utpote cum qua non habent necessariam connexionem; quoniam secundum se ab alia poterant honeste, ac licite provenire: unde potest affectus complacentiæ terminari ad effectus, & nullo modo ad causam. Ex altera porro parte non sunt causæ per se incitativæ delectantis ad motus libidinosos, & opus quoddam venereum perpetrandum; ut patet. Ergo &c. Ex quo etiam evincitur (addito hoc sit incidenter, & occasionaliter) non esse illicitum gaudere de ejusmodi effectibus, ex pollutione, fornicatione, vel adulterio voluntario, & formaliter peccaminoso ortis: cum iidem effectus etiam a talibus causis sint separabiles, possitque pœnitentia de causis stare cum complacentia de effectibus. Abreu *loc. cit. n.* 569.

700. Sed dubitabis, quid sentiendum de delectatione circa pollutionem, naturaliter, seu ex causis naturalibus ortam? Ratio dubitandi est, quia pollutio sic eveniens non habet malitiam objectivam, & materialem, quemadmodum pollutio (fornicatio, adulterium &c.) proveniens a causa de se voluntaria, ac libera, & solum per accidens ab usu libertatis impedita.

Respondetur, quod etiam delectari de tali pollutione (1.) secundum se spectata, sit mortaliter illicitum: licitum vero delectari de eadem (2.) in quantum est causa redeplicative alicujus effectus præponderantis; uti & (3.) de ipso effectu secundum se, si is non sit malus. Authores *citt.* & La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *a n.* 933. videturque responsio esse communis. Ratio primi est: siquidem delectatio venerea non ideo tantum est mala, quia ejus objectum est malum, & graviter illicitum, sed etiam quia idem objectum; & delectatio de ipso est causa per se incitativa ad motus libidinosos, & opus venereum externum; ut bene advertit P. Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 3. *art.* 6. *n.* 4. & nos jam insinuavimus supra *n. præced. in ratione probativa* 1. *part.* atqui pollutio, licet naturaliter orta, spectata tamen secundum se (cum ut sic, & non aliter, sit objectum venereæ delectabile) & delectatio de ipsa est causa per se incitativa ad motus libidinosos, & opus venereum externum, v. g. novam pollutionem: ut experientia constat; ergo &c. Quare aliam inter dubitandum disparitas velut ad delectationem non obtinet quidquam virium. Lene vero relate ad desiderium, siquidem pollutio motalis licite desiderari non potest ex quocunque demum motivo; potest tamen licite desiderari pollutio naturalis ex fine, seu motivo præponderante: prout ostendit Sporer *loc. cit. n.* 33. *&* 34. quem vide.

Ratio secundi, & tertii fluit ex dictis *n. præced.* Unde licite quis delectatur de pollutione naturali, in quantum hæc est causa, seu in quantum redeplicative est causa sanitatis, vel immunitatis a tentationibus, & multo magis de ipsa sanitate, immunitate &c.

Dices tamen contra secundum. Non licet filio (vel filiæ) gaudere de morte patris, etiam naturaliter secuta, in quantum hæc est causa hæreditatis; ergo nec licebit gaudere de pollutione naturaliter orta, in quantum ea est causa sanitatis.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quia mors patris, etiam naturaliter secuta, est malum physicum gravissimum (ut jam supra insinuavimus) de quo gaudere est graviter prohibitum ex virtute Charitatis (& filio, vel filiæ relate ad patrem etiam ex virtute Pietatis) quando bonum, in quo se gaudium fundat, est solummodo temporale, & privati hominis (secus, si ejusmodi bonum sit spirituale, vel temporale, sed publicum, seu alicujus Communitatis, idque ingens secundum dicta *tr. præced. n.* 208. *&* 209.) At vero pollutio, naturaliter orta, non est malum (saltem grave) sed potius bonum physicum, cum per illam contingat effusio seminis superflui, quo sese natura exoneerat: unde sanitas, inde consecuta, tametsi sit bonum temporale, & privatum, existit nihilominus causa sufficiens, ob quam de illa, ut istius causa est, delectari liceat.

Instabis. Ergo etiam licet delectari de pollutione voluntarie quidem, sed ob ignorantiam invincibilem malitiæ inculpabiliter procurata, in quantum ea existit causa sanitatis; cum talis quoque seminis profusio non sit graviter noxia sive procuranti, sive proli, sive Communitati humanæ.

Respondetur, con. illatum, ob rationem in illatione adductam, seu quia etiam similis profusio seminis non est grave malum physicum, hoc ipso, quod existat causa sanitatis: quæ proinde sanitas itidem censetur effectus, seu bonum præponderans, & pollutionem, tali quoque modo factam, sufficienter cohonestans.

701. Quæres secundo, an viduis de copula exercita, & sponsis de exercenda tempore matrimonii, delectari sit licitum?

Respondetur negative: sed tam illi, quam isti delectando mortaliter peccant: idque verum est, sive delectatio sit sensibilis, sive rationalis tantum. Sayrus *in clavi regia lib.* 8. *c.* 7. *n.* 24. Paulus Mezger *tr.* 6. *disp.* 21. *art.* 4. *n.* 18. Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 3. *art.* 3. *n.* 23. & alii. Ratio est: quia delectatio de copula, ut præsenti, suapte natura vel incitat (si sit rationalis) vel tendit (si sit sensibilis) ad motus libidinosos, actumque generationis inchoandum: sed hujusmodi motus, & actus tam viduis, quam sponsis sunt graviter illiciti; ergo & delectatio &c. Atqui eadem delectatio tam rationalis, quam sensibilis, & in viduis, & in sponsis, dum est de copula, est de ea ut præsentia; ergo &c. Subsumptum ostenditur, & declaratur. Nam licet copula a viduis speculative apprehendatur ut præterita, & a sponsis ut futura, & ut sic non sit illicita; practice tamen, & quatenus terminat delectationem, repræsentatur ut præsens; cum hæc ex natura sua feratur in objectum apprehensum ut præsens, non ut præteritum, aut futurum: consequenter &c.

An, & quomodo conjugatis licita sit delectatio morosa de copula inter sese, diximus *part.* 6. *tr.* 2. *disp.* 2.

702. Quæres tertio, quid sentiendum de delectatione circa objecta illicita extra materiam luxuriæ?

Respondetur primo. Si sint ideo tantum illicita, quia Jure positivo, vel voto voluntario prohibita, & delectatio terminetur ad ea, secundum se, eamque substantiam spectata, mala non est, saltem mortaliter, licet objecta ceteroquin sint graviter vetita. Sporer *loc. cit. n.* 25. Mezger *tr.* 6. *disp.* 21. *art.* 4. *n.* 12. Babenstuber *tr.* 2. *disp.* 3. *art.* 3. *n.* 25. Ratio est: quia ejusmodi objecta repræsentatur voluntati ut ab extrinseca prohibitione præcisa: atqui ut sic præcisa nullam involvunt malitiam objectivam; ergo nec delectatio, quæ circa illa sic præcisa, & repræsentata concipitur. Unde non peccat contra præceptum Ecclesiæ, qui die Veneris delectatur de esu carnium secundum se, & præscindendo a conditione, seu circumstantia temporis interdicti: siquidem esus carnium in hac tali abstractione nullam involvit malitiam objectivam. Similiter non peccat contra votum paupertatis Religiosus, qui viso acervo pecuniæ sibi cogitatione repræsentat ejus possessionem, ac potestatem propria authoritate de illa disponendi, secundum se, & abstrahendo a conditione status Religiosi, ac voti, inque ea sic repræsentata delectatur: quia objectum hujus delectationis nullam continet malitiam, obligationi status Religiosi, ac voti repugnantem. Neque delectatio in hac tali materia per se incitat ad opus externum, sicut in materia venerea. Oppositum dicendum foret, si delectatio terminaretur ad objectum prohibitum, ut repræsentatum sine abstractione ab extrinseca prohibitione. Sed hic delectandi, & peccandi modus non evenit adeo frequenter; vel quando evenit, delectatio solet degenerare in propositum, & desiderium efficax: quod utique mortaliter illicitum; cum tendat in opus sic vestitum omnibus suis circumstantiis; secus, ac delectatio, ordinarie loquendo.

Dixi in respons. *saltem mortaliter*. Nam facile se immiscet in ejusmodi delectatione sensualitas quædam inordinata, & venialiter culpabilis.

Respondetur secundo. Si ejusmodi objecta sint mala, quia Jure naturæ prohibita, delectatio de iis semper est mala. Authores *citt.* Ratio est: quia cum talia objecta secundum se, & ab intrinseco rectæ rationi repugnent, secundum se, & ab intrinseco exigunt prohi-

beri,

beri, nec per ullam intellectus abstractionem ab ea exigentia, adeoque nec ab objectiva malitia, separari possunt, salva eorundem substantia; ergo de illis delectari non potes, nisi quatenus substant prohibitioni Juris naturalis, & malitiam objectivam involvunt: consequenter &c. Habet tamen hic locum parvitas materiæ (secus, ac in delectatione venerea) adeo, ut delectatio sit mortalis, si de re graviter illicita, v. g. de blasphemia, homicidio &c. venialis autem, si de re leviter illicita, v. g. de jocoso mendacio, furto aliquot crucigerorum &c. concipiatur.

Et hactenus de delectatione absoluta. Nunc

703. Quæres quarto, an sit peccatum desiderare rem malam, & illicitam (sive ea venerea, sive alia, sive Jure naturali, sive positivo tantum prohibita, existat) vel de illa delectari sub conditione, si illicita non esset?

Respondetur primo, non esse peccatum, saltem mortale, per se loquendo, quando conditio vere aufert malitiam rei, sive operis, etsi de se mortaliter illicita. DD. communiter. Ratio est: quia non nisi voluntas rei malæ vel secundum se, vel relate ad effectum, quem causat, est mala: sed ejusmodi desiderium inefficax, & delectatio simplex, quæ fertur in objectum sub conditione vere auferente ejus malitiam, non est voluntas rei malæ sive secundum se, sive relate ad effectum; ergo &c. Unde non peccat conjugatus, quando dicit: *si mea uxor esset mortua, ducerem aliam*; vel Religiosus: *satagerem mihi accumulare pecunias, pro libitu expendendas, nisi voto paupertatis obstrictus tenerer*; vel Clericus: *supersederem recitatione Breviarii, si non essem in sacro Ordine constitutus*. Similiter non peccat, qui dicit: *vellem hodie carnes comedere, nisi esset dies ab Ecclesia interdictus: die festivo omitterem Missam, nisi ejus auditionem Ecclesia præciperet: occiderem hunc malefactorem, si Judex essem: vellem prædari, si a Deo haberem potestatem prædandi &c.* Siquidem in his, & similibus conditio opposita vere aufert malitiam objectivam operis voliti.

Dixi in respons. *saltem mortale*. Nam in ejusmodi velleitatibus, ac conditionatis desideriis, sicut & delectationibus non raro intervenit affectus quidam inordinatus, & culpabilis, saltem venialiter.

Dixi præterea: *per se loquendo*. Nam per accidens fieri procul dubio potest, præsertim in materia luxuriæ, ut, dum quis animo ejusmodi hypothesibus diu ius immoratur, ad turpes motus, & pollutionem saltem inchoatam moveatur non absque periculo consensus: consequenter &c.

Dices. Delectatio absoluta (vel desiderium) de femina non sua v. g. est causa per se incitativa ad fornicationem, vel adulterium, & non per accidens tantum; ergo & delectatio conditionata.

Respondetur, concesso antecedente, dist. cons. Si conditio non auferat malitiam objecti, con. Tunc enim delectatio conditionata, & absoluta pari passu ambulant. Si conditio auferat malitiam objecti, neg. cons. Propter quod

Respondetur ad quæstionem secundo. Quando conditio malitiam (1.) ex parte solum aufert, vel (2.) omnino nullam, mortaliter peccat, qui opus graviter illicitum sub tali conditione desiderat, vel de eo delectatur: aut venialiter, si opus, quod sic desiderat, vel de quo delectatur, sit leviter duntaxat illicitum. Filliucius *tr.* 21. *cap.* 8. *num.* 298. Sporer *loc. cit. num.* 20. & alii passim. Ratio primi est: quia tunc conditio apposita opus illicitum sub duplici culpa, relinquit adhuc illicitum sub una, utpote respectu cujus perinde se habet, ac si apposita non fuisset. Unde graviter peccat peccato furti, qui dicit: *vellem furari hunc calicem, si non esset res sacra:* quia conditio apposita aufert quidem malitiam sacrilegii; non autem malitiam furti. Graviter item peccat peccato fornicationis mentalis Sacerdos, qui dicit: *vellem fornicari, nisi Sacerdos essem*: quia conditio apposita non tollit malitiam fornicationis, esto tollat malitiam sacrilegii. Ratio secundi est: quia tunc conditio adjecta nihil operatur ex parte objecti; cum ergo hoc supponatur esse illicitum, tale manet. Unde mortaliter peccat contra præceptum Ecclesiæ, qui dicit: *frangerem jejunium, si carnes, vel cœnam haberem*; & contra nonum præceptum Decalogi, qui dicit: *fornicarer cum hac puella, nisi timerem ejus impregnationem*: ac contra præceptum Charitatis, qui dicit: *ulciscerer injuriam, si esset licitum &c.* (supposito semper, quod similia efferantur optative cum actuali effectu ad illa peccata, & non enunciative tantum) quia in nullo casuum commemoratorum conditio adjecta objecti malitiam tollit.

704. Quæres quinto veluti occasionaliter, quantum, & quale sit peccatum jactantia, seu gloriatio de opere malo?

Respondetur, esse mortale, si opus, de quo quis se jactat, sit graviter malum; veniale vero, si opus sit leviter malum: & ejusdem speciei, cujus est ipsum opus. Sanchez *lib.* 1. *Moral. c.* 3. *n.* 4. Sporer *loc. cit. n.* 45. & alii communiter. Ratio est: quia hujusmodi jactantia, seu gloriatio continet voluntariam complacentiam, & approbationem sive explicitam, sive implicitam saltem, operis mali; ergo sortitur ejus malitiam, & speciem: consequenter si opus sit graviter malum, & in hac, vel illa specie peccati, etiam jactantia de eo erit graviter mala, & in tali specie: si vero opus sit leviter malum, etiam jactantia non erit nisi leviter mala &c. Ex quo fit, ut si te jactaveris de opere graviter malo, debeas in confessione exprimere & ipsum opus, & circumstantias peccati speciem mutantes; ut si te jactaveris de percussione Clerici; de violatione Monialis, vel conjugatæ &c. Sporer *loc. & n. cit.* Nec refert, sitne opus malum, quod est objectum jactantiæ, vere commissum, vel non: hoc enim ad variandam jactantiæ naturam, aut speciem novam afferendam nihil prorsus conducit. Sanchez *loc. cit. n.* 5.

Sed hucusque dicta intelligas velim de casu, quo quis se jactat de ipso opere malo. Nam jactare se de aliquo modo operis mali secundum se non malo, non est malum malitia prædicti operis; eo quod tunc non approbetur ipsum opus malum, sed solus ille modus: quo proinde casu jactantia vana erit venialiter peccaminosa in se, nihilque præterea malitiæ sive gravis, sive levis participabit ab opere malo. Exempla sunt, siquis se jactet de viribus corporis, quibus alterum superavit in epotandis calicibus, ebriumque in symposio reliquit: vel die vetito quatuor libras carnis athletice, ac magno gustu comedit: vel inimicum unico pugno, aut ictu prostravit. Sanchez *n.* 12. & alii passim.

ARTICULUS II.

De Osculis, Tactibus, Amplexibus, Aspectibus, Sermonibus obscœnis &c.

§. I.

An, & quanta peccata sint oscula, tactus, & amplexus?

SUMMARIUM.

705. *Delectatio sensibilis hic dividitur in mere sensibilem, & veneream.* 706. *Oscula, tactus, & amplexus, si exerceantur ob delectationem mere sensibilem, & naturalem, culpa vacant, per se loquendo & adhuc magis.* 707. *Si exerceantur ob civilitatem, morem patrium, contestationem honesti amoris &c. secus.* 708. *Si exerceantur ob delectationem veneream; sic enim culpam mortalem continent; tametsi* 709. *Sint leves: eamque ejusdem naturæ, cujus sunt* 910. *Actus luxuriæ consummatæ &c.* 711. *Quandonam tangere partes verendas sit peccatum mortale?*

705. PRænotandum, delectationem sensibilem hic dividi in *mere sensibilem, & veneream*: cujus utriusque explicationem dedimus *n.* 695. Porro delectatio venerea dupliciter contingere potest. 1. Ut non sistat in seipsa, sed expresse feratur ulterius in copulam, aut pollutionem expresse non feratur. Si priore modo se habeat, in personis solutis peccatum mortale est juxta omnes; imo & in conjugatis relate ad pollutionem; consequenter oscula, tactus, & amplexus, tametsi sint actiones de se indifferentes, dum propter ipsa exercentur, peccata mortalia evadunt. Si autem posteriore modo se habeat, in quæstionem venit, num antefatæ actiones, propter illam positæ, etiam tunc mortaliter peccaminosæ efficiantur? Antequam hoc decidatur,

706. Dico primo. Oscula, tactus, & amplexus, si exerceantur ob delectationem mere sensibilem, & natura-

turalem, culpa vacant, per se loquendo. Viva *Thes. damnat. part.* 1. *in proposit.* 40. *numero* 4. Pichler *lib.* 5. *Decretal. titul.* 16. *numer.* 34. Babenstuber *tractat.* 5. *disp.* 7. *artic.* 2. *numer.* 98. & alii plurimi. Ratio est: quia tam memoratæ actiones, quam delectatio, cujus gratia exercentur, secundum se nullam continent inordinationem; secus enim non possent licite fieri, tametsi ad finem honestum ordinarentur; ergo &c.

Argumentis, hic objicibilibus, supersedemus: quoniam eorum solutiones fluunt ex dictis *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 1. ubi de actu indifferenti tractatur.

Dixi in conclus. primo: *ob delectationem mere sensibilem, & naturalem:* qualis oriri potest v. g. dum quis osculatur, tangit, aut amplexatur partes non turpes, nec per se incitativas ad libidinem; cujusmodi sunt facies, manus, brachia, pedes &c. non vero dum quis osculatur, tangit, aut amplexatur partes hominis turpes, vel per se incitativas ad libidinem; cujusmodi sunt partes verendæ, earumque vicinæ; siquidem delectatio, quæ resultare nata est ex osculo, tactu, vel amplexu harum, aliarumque id genus partium, de se venerea est: prout colligitur ex dictis *numero* 695.

Dixi secundo: *per se loquendo.* Nam per accidens actus præmemorati saltem venialiter peccaminosi redduntur, si exerceantur ex levitate, aut curiositate, absque tamen gravi, & proximo periculo delectationis venereæ: uti (secundum Abreu *loc. cit. n.* 468.) fieri potest, si exerceantur cum iosantibus; vel (juxta La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 894.) cum adultis quidem, sed a tali, qui multiplici experientia didicit, quod delectationem veneream vel non senserit, vel in eandem non consenserit. Imo extra casus specificatos, aliosve similes, antefatæ actiones etiam mortales sunt, tametsi videantur fieri ex sola levitate, aut curiositate: quia moraliter impossibile est, ut delectationi mere sensibili, & naturali, per exercitium illiusmodi actionum deliberate, & studio quæsitæ, non adjungatur delectatio venerea, & carnalis, vel saltem proximum istius periculum. Unde quamvis tangere manum puellæ etiam adultioris, vel osculari eam in facie ex levitate, aut curiositate, & cum periculo levi solum, ac remoto delectationis venereæ, solum esset peccatum veniale levitatis, aut curiositatis, qoia tamen propter humanæ naturæ corruptionem, maximamque ad vitia carnis proclivitatem, admissa semel delectatione naturali, inseparabiliter etiam adest delectatio carnalis, aut saltem proximum hujus periculum; hinc similis tactus, vel osculum (idem cogita de amplexu) a mortali non excusatur: veluti habet communis, & practice certa sententia. Illsung *tr.* 4. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 68. Sporer *de Matrim. num.* 687. Viva *loc. cit. n.* 4. La Croix *num.* 894. Babenstuber *num.* 99. & alii passim.

707. Colliges, oscula, tactus, & amplexus non libidinosos, dum fiunt moris patrii, vel civilitatis causa, vel in contestationem honesti amoris, & benevolentiæ, esse actus licitos, aut etiam positive honestos, tametsi exinde oboriatur delectatio venerea, modo in eandem non consentiatur. DD. communiter. Ratio est: quia antefatæ actiones sunt de se iodifferentes; ergo si referantur ad finem a recta ratione permissum, vel positive honestum, erunt licitæ, aut positive honestæ, imo, secluso periculo consensus in motus carnis forte insurgentes, licita quoque erit delectatio, quæ percipitur ex ejusmodi osculis, tactibus, & amplexibus, quatenus hæ tales actiones existunt signa mutuæ benevolentiæ, pacis, amicitiæ &c. Filliucius *tr.* 30. *n.* 171. Abreu *loc. cit. n.* 466. Babenstuber *n.* 103. aliique passim. Ratio hujus est: quia licet delectari de mutua benevolentia, pace, amicitia &c. ergo & de similium signis delectari licebit.

708. Dico secundo. Oscula, tactus, & amplexus, si exerceantur inter personas solutas propter delectationem veneream, & carnalem, peccata mortalia sunt, licet in ea delectatione sistatur. Hæc sententia reddita est certa ex Decreto Alexandri VII. in quo præter alias propositiones damnavit & istam *n.* 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Accedit ratio: siquidem delectatio, seu complacentia de objecto mortaliter malo, est mortaliter mala, tametsi in ipsa sistatur: prout constat ex sæpe dictis; ergo etiam oscula, tactus, & amplexus, dum propter similem delectationem exercentur, sunt mortaliter mala. Atqui tam delectatio venerea, quam oscula, tactus, & amplexus, dum propter eam exercentur, sunt de objecto mortaliter malo: nimirum de fornicatiooe, vel pollutione, quatenus ad harum alterutram ex natura sua ordinantur; ergo &c. Licet proinde osculans, tangens, aut amplectens, in delectatione venerea, quam ex ejusmodi actibus haurit, sistat, & de fornicatione, vel pollutione, earumque delectationibus expresse nihil cogitet, aut velit, tamen mortaliter peccat ob delectationem veneream, quam intendit, & prensat ex ipso osculo, tactu, vel amplexu; eo quod similis delectatio, & adhuc magis osculum, tactus, ac amplexus ad fornicationem, vel pollutionem, earumque delectationes ex sua natura tendant, ac disponant.

709. Colliges primo, conclusionem non solum procedere de osculis, tactibus, & amplexibus gravibus, cujusmodi sunt, quæ exercentur in partibus verendis v. g. sed etiam de levibus, seu talibus, quæ exercentur in manibus, brachiis, pedibus &c. Ita cum communi aliorum P. Abreu *loc. cit. n.* 467. Ratio est: quia nulla delectatio venerea deliberate quæsita, seu volita, & acceptata ex levitate materiæ excusatur a mortali; cum quælibet suapte natura ordinetur ad seminis effusionem tanquam ad finem proximum.

710. Colliges secundo, oscula tactus, & amplexus (idem cogita de aspectibus) si exerceantur ob delactationem veneream, esse ejusdem naturæ, cujus sunt actus luxuriæ consummatæ, fornicatio scilicet, & pollutio. Ita DD. communiter. Ratio est: quia ad fornicationem, & pollutionem per se, & proxime ordinantur. Quo fit, ut osculans, tangens, vel amplexans (idem rursus cogita de aspiciente) teneatur confessione explicare omnes illas circumstantias, sive se teneant ex parte ipsius, sive ex parte personæ tactæ &c. quas tenetur explicare fornicans, & polluens: puta, an tetigerit personam ejusdem, vel alterius sexus; conjugatam, vel solutam; voto Castitatis obstrictam, vel liberam; cognatam, vel extraneam? item, an ipse sit conjugatus, voto Castitatis obstrictus? &c.

Dices. Ideo pollutio, & fornicatio sunt actiones intrinsece malæ; quia illa generationi naturali, & ista morali (id est, bonæ educationi) prolis opponitur; in osculis autem, tactibus, & amplexibus, ob meram delectationem, licet veneream, habitis, neutra oppositio reperitur; ergo non participant naturam, & malitiam pollutionis, aut fornicationis.

Respondetur, neg. min. Quia enim ex sua natura ad pollutionem, vel fornicationem disponunt, alterutri generationi opponuntur; & consequenter vel pollutionis, vel fornicationis naturam, & malitiam attrahunt: ut recte notat Viva *loc. cit. n.* 19.

Colliges tertio, absque justa causa nude attrectare partes verendas, eisve vicinas, alterius hominis, saltem adulti, sive ejusdem, sive diversi sexus, peccatum mortale esse, tametsi id fieri dicatur ex mera curiositate, & levitate. Busembaum *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 887. Sporer *loc. cit. num.* 675. Babenstuber *n.* 106. aliique passim. Ratio est: quia id genus partium attrectatio, præterquam quod ex se ingentem contineat deformitatem, tam personam attrectantem, quam attrectatam exponit manifesto periculo peccandi peccato luxuriæ consummatæ; cum suapte natura tendat, vehementerque incendat non solum ad veneream delectationem, sed ad ipsum quoque opus carnale perpetrandum. Quod decisum est de tactu partium obscœnarum, etiam procedit, si vir feminam serio tangat in mamillis; nam licet hæ sint de classe partium honestarum, earum tamen nuda, & seria attrectatio urgenter stimulat ad libidinem. Unde Authores etiam hujusmodi tactum inter tactus impudicos computant: ut habet Busembaum *cit.* Quod si vir feminam in mamillis tangat nude quidem, non tamen serio, sed obiter tantum, & veluti transeunter, a mortali excusari poterit; secus ac si illam tangat in partibus verendis: prout dicetur infra. Id porro notandum, quod tactus partium verecundarum, si exerceatur in persona ejusdem sexus, fit peccatum multo gravius, imo specie distinctum a peccato tactus exerciti in persona alterius sexus: quoniam tactus prioris

gene-

generis disponit ad libidinem multo fœdiorem, & specie distinctam a libidine, ad quam disponit tactus posterioris generis.

Dixi 1. *absque justa causa*. Talis quippe si suppetat, attrectatio etiam partium verendarum, eaque nuda, sive fiat in proprio, sive in alieno corpore, per justitiam causæ moraliter cohonestatur. Unde non peccant, qui illas partes purgant ab immunditiis, & adhærente lanugine, vel mordentem dolorem pruritus non venerei fricando reprimunt, aut sedant; vel iisdem curandis pharmaca necessaria apponunt, & applicant. Nec refert, si turpes inde motus subordinantur: dummodo respuantur, seu consensus in eosdem excludatur: prout notant DD. communiter.

Dixi 2. *nude attrectare*. Nam partes etiam obscœnas, sive in persona ejusdem, sive diversi sexus, tectas contrectare obiter tantum, & veluti transeunter, ex levitate, joco, aut petulantia, absque animo libidinoso, nonnisi veniale est: quia hæc talis contrectatio non excitat notabiliter ad libidinem. La Croix *loc. cit. n.* 904. & alii passim.

Dixi 3. *alterius &c.* Nam qui partes verendas proprii corporis, etiam nudas, contrectat ex levitate, aut curiositate tantum, absque affectu libidinoso, non peccat plus, quam venialiter: nisi forte sit valde proclivis ad luxuriam, & inde prævideat periculum proximum lascivæ delectationis, aut consensus. Ratio est: quia contrectatio partium proprii corporis de se non creat tantum libidinis periculum, quantum creat contrectatio partium corporis alieni. Babenstuber *loc. cit. n.* 104. & alii communiter.

Dicitur 4. *hominis*. Nam ex levitate, aut curiositate obiter tangere genitalia brutorum animantium, culpam venialem non excedit: quia similis tactus superficialis non incitat fortiter ad libidinem. La Croix *num.* 903. Quod si tamen ejusmodi tactus exerceretur serio, & per longiorem temporis moram, vel etiam usque ad effusionem seminis in animali tacto, a mortali excusandus non foret: quia non tantum valde turpis est, sed etiam ex sua natura ad venerem provocativus. Ita cum Diana, Bonacina, & Cassiano a S. Elia P. Babenstuber *loc. cit. n.* 108. contra alios. Excipe: nisi fiat ex rationabili causa, quæ illum moraliter cohonestet. Unde nullius noxæ redarguendi sunt conjungentes animalia ad procreandos filios: quia id faciunt ex rationabili causa, propagandi scilicet animalia. Tamburinus *lib.* 7. *c.* 8. §. 2. *n.* 5.

Dixi 5. *saltem adulti*, sive grandiusculi. Nam partes obscœnas, etiam nudas, infantium, sive ejusdem, sive diversi sexus, curiose, leviter, & obiter, citraque affectum libidinosum, contrectare, non est mortale: quoniam hujusmodi contrectatio non vehementer allicit ad venerem. Unde non peccant mortaliter ancillæ, dum infantes, etiam masculini sexus, inter vestiendum in partibus obscœnis obiter, & curiose contrectant, secluso consensu, & complacentia turpi: imo nec venialiter, si id faciant ex aliqua necessitate, & juxta exigentiam sui officii. Si vero id faciant morose, & absque causa excusante, a mortali immunes non erunt, ob morale periculum consensus libidinosi. Sporer *loc. cit. n.* 692. La Croix *n.* 902. & alii.

Dixi 5. *tametsi id fieri dicatur ex mera curiositate, aut levitate*. Siquidem contrectatio nuda partium verendarum in corpore alterius hominis adulti, non tantum diversi, sed etiam ejusdem sexus, per se, & suapte natura graviter concitat ad delectationem veneream, cujus finis proximus est emissio seminis; ergo propter curiositatem, aut levitatem non excusatur a mortali; cum non detur delectatio venerea levis: prout ostensum manet, *part.* 1. *n.* 693. & 714. Sporer *loc. cit. n.* 682. & alii cum ipso. Aliud est de contrectatione, licet nuda, feminæ in mamillis: hæc quippe, si fiat obiter tantum, & veluti per transennam (secus, si fiat serio, & morose) cum exerceatur in parte honesta, non ita fortiter concitat ad delectationem veneream; consequenter venialis esse potest: prout supra insinuatum. Aliud item est de contrectatione genitalium in infantibus, & brutis: quoniam & hæc, si ex levitate, & obiter fiat, non provocat notabiliter ad libidinem: prout pariter notatum est supra.

Dices. Quando personæ ejusdem sexus simul balneantes, aut natantes, ex curiositate, aut levitate tantum, se mutuo obiter tangunt, non videntur mortaliter delinquere; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. vel dist. Si id faciant (prout non raro facere suerunt) absque sufficienti notitia, vel advertentia mortalis malitiæ, conc. secus, neg. ant. & cons. Datur utique etiam in venereis levitas, seu imperfectio actus, a mortali excusans; non non autem levitas materiæ: quæ duo, maxime in præsenti, bene inter se discernenda, & distinguenda sunt.

§. II.

An, & quanta peccata sint Aspectus?

SUMMARIUM.

712. *Aspicere partes honestas corporis humani nullum est peccatum per se loquendo.* 713. *Mas non peccat mortaliter, dum obiter aspicit mamillas feminæ etiam nudas.* 714. *Quando sit mortale, aspicere partes verendas?* 715. *Qui, etiam sola curiositate ductus, aspicit concubitum viri cum femina, mortaliter delinquit.*

712. Dico primo. Aspectus partium honestarum corporis humani nullum est peccatum per se loquendo. DD. communiter. Ratio est: quia tactus ejusmodi partium non est peccatum per se loquendo; ergo neque, & a fortiori aspectus; cum aspectus, seu visus sit sensus magis elevatus, & minus materialis, adeoque sua sensatione minus incitativus ad carnalem voluptatem, ac tactus.

Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens peccatum mortale, vel veniale evadit, 1. Ratione finis. Unde qui aspicit feminam in partibus etiam honestis animo libidinoso, mortaliter peccat: venialiter vero, si ex levitate, aut curiositate tantum, absque animo libidinoso, 2. Ratione periculi, cui aspiciens se exponit: hoc enim si grave sit, & proximum (uti esse potest, siquis fixe, & diu faciem pulchræ mulieris contempletur) mortaliter; si vero leve sit, & remotum (uti contingere potest, quando ejusmodi faciem per breve tempus intuetur) venialiter delinquit.

713. Colliges, marem non peccare mortaliter, qui ex levitate, aut curiositate, absque prava intentione, per brevem temporis moram aspicit mamillas, etiam nudas, feminæ. Ita cum Sanchezio, & Cassiano a S. Elia P. Babenstuber *loc. cit. n.* 110. Ratio est: quia ejusmodi aspectus partium honestarum, e quarum classe, ut supra diximus, sunt mamillæ, de se non vehementer provocat ad libidinem. *De se*, inquam: oppositum quippe evenit, quando aspiciens valde ad venerem proclivis est; respectu cujus proinde similis aspectus admodum periculosus, graviterque peccaminosus existit.

714. Dico secundo. Mortale peccatum est, serio, & absque justa causa aspicere partes verendas, eisve vicinas, in alio homine, saltem adulto, & diversi sexus, licet aspectus fiat, aut fieri dicatur ex sola curiositate. Itidem DD. communissime. Ratio est: quia talis aspectus ex ipsa objecti natura graviter commovet ad libidinem.

Dixi autem 1. *serio*. Si enim aspectus fieret valde obiter, & per brevissimam morulam; vel ex loco notabiliter distante, a mortali excusari posset (nisi aspiciens esset specialiter proclivis ad libidinem) quia in ejusmodi casibus non interveniret notabile, & proximum periculum consensus, aut delectationis libidinosæ. Tamburinus *loc. cit.* §. 3. *n.* 3. & alii. Nec dicas: Tangere partes verendas in alio homine, sive ejusdem, sive diversi sexus, etiamsi id fiat obiter tantum, & transeunter, est mortale peccatum; ut supra §. *præced.* tradidimus; ergo etiam aspicere &c. Contra enim est, neg. cons. & parit. Siquidem aspectus, seu visus, cum sit sensus magis elevatus, & minus materialis, ac tactus, ut *n.* 712. notavimus, non tam fortiter provocat ad libidinem.

Dixi 2. *absque justa causa*. Talis nanque cum ex dictis §. *præced.* excuset a culpa tactum, a fortiori excusabit aspectum.

Dixi 3. *in alio &c.* Nam aspicere seipsum ex curiositate, citra libidinosam intentionem, aut venereum affectum, non est mortale: cum aspectus partium proprii corporis non ita moveat ad libidinem, sicut aspectus partium alieni corporis, maxime si persona, quæ aspicitur, sit diversi sexus: quemadmodum & de tactu §. *præced.* animadversum.

Dixi 4. *homine*. Nam ex curiositate aspicere genitalia bestiarum, vel etiam coitum earum, licet ejusmodi aspectus non sit superficialis tantum, culpa mortali vacat: eo quod non valde provocet ad libidinem. Iterum aliud est de tactu; ut constat ex §. *præced.*

Dixi 5. *saltem adulto*. Siquidem aspectus curiosus verendorum in persona ætatis valde puerilis, vel infantilis, cujuscunque demum ea sexus existat, a mortali excusari potest, dum fit citra affectum libidinosum: quia & talis aspectus non vehementer movet ad libidinem. P. Babenstuber *loc. cit. n.* 112. & alii.

Dixi 6. *diversi sexus*: ut si vir feminæ, vel femina viri partes obscœnas aspiciat. Nam in eodem sexu, ut vir virum, aut femina feminam ex sola curiositate, & citra affectum venereum aspiciat nudam, vel ejus turpitudinem, non illico condemnandus est mortalis culpæ: quia talis aspectus non inducit grave, & proximum periculum libidinis: nisi forte aspiciens sit valde proclivis ad hoc vitium. Babenstuber *loc. cit. n.* 112.

Dixi tandem 7. *licet aspectus fiat, aut fieri dicatur ex sola curiositate*. Nam similis curiositas, cum versetur circa materiam veneream, nimium quantum periculosa est; ut notant DD. passim.

715. Colliges, eum, qui, etiam sola curiositate ductus, aspicit concubitum viri cum femina, mortaliter peccare. Tamburinus *loc. cit. n.* 4. & alii. Ratio est: quia hujusmodi aspectus magis adversatur honestati naturali, magisque provocat ad libidinem, ac curiosus aspectus nudæ feminæ; ergo cum ex dictis posterior aspectus (supposito, quod exerceatur a viro) sit graviter peccaminosus, etiam sic, & a fortiori, peccaminosus erit prior. Aliud est secundum dicta, siquis aspiciat coitum bestiarum.

§. III.

Quanta peccata sint obscœni sermones, cantiones, scriptiones, lectiones, & auditiones?

S U M M A R I U M.

716. & 717. *Obscœni sermones, cantiones, scriptiones, lectiones, & auditiones, si fiant ex levitate, curiositate &c. veniales sunt per se loquendi: mortales vero, si fiant ex motivo venereo.* 718. *Quid sentiendum de choreis?*

716. DIco primo. Obscœni sermones, cantiones, scriptiones, lectiones, & auditiones, si fiant ex animi levitate, curiositate, aliove simili motivo non venereo, culpam venialem non excedunt, per se loquendo. Ita P. Herincx *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *num.* 38. & alii communiter. Ratio est: quia recensitæ actiones de se non sunt inhonestæ (alioquin haud possent moraliter cohonestari ex relatione ad bonum finem: quod est procul a veritate) ergo si referantur ad finem venialiter duntaxat malum, uti est levitas, curiositas, aliudve simile motivum non venereum, solum erunt venialiter malæ, cum malitia, quam habent, sit ex solo fine. Quapropter mortales non sunt. 1. Si instituantur præcise ob voluptatem, quæ capitur ex ipsa narratione, aut lepore narrationis. Herincx *loc. citat.* 2. Si instituantur præcise ad vanum amorem (non libidinosum) conciliandum. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 46. *n.* 37. & alii cum ipso. 3. Si præcise instituantur ob vanum solatium, ex poesi, vel artificio sermonis hauriendum. Sanchez *loc. cit. n.* 35. cum aliis. 4. Si præcise instituantur ad fallendum tempus; quemadmodum fieri solet a junioribus opificibus, & ancillis ad colum. Tamburinus *loc. cit.* §. 4. *n.* 1. aliique communiter. 5. Si instituantur præcise ex joco; uti fit inter juvenes rusticanos. Lessius *lib.* 4. *c.* 4. *dub.* 13. *n.* 97.

Dixi tamen: *per se loquendo*. Nam per accidens evadere peccatum mortale possunt. 1. Ob periculum delectationis venereæ, cui turpia loquens, cantans &c. se forte exponit. Unde quamvis interesse spectaculis, aut comœdiis, in quibus repræsentantur, & proferuntur turpia, istaque audire ob solam vanam curiositatem, sit de se veniale tantum; mortale tamen est, si audiens se exponat proximo periculo incidendi in delectationem, vel consensum venereum. 2. Ob grave scandalum, quod turpia loquens, cantans, scribens &c. audientibus, vel legentibus præbet. Ex quo fit, ut a mortali neutiquam excusandi sint, qui obscœnos libros, cantilenas, aut comœdias scribunt, vel publice exhibent: quia, rem moraliter æstimando, impossibile est, similia fieri sine plurium legentium, vel audientium gravi scandalo, & ruina spirituali. Tamburinus *loc. cit.* §. 5. *n.* 1. Illsung *tr.* 4. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 66. & alii.

717. Dico secundo. Obscœni sermones, cantiones, scriptiones, lectiones, & auditiones, si fiant ex motivo venereo, v. g. impuræ delectationis causa, culpam mortalem continent. Communissima DD. Ratio est: quia tunc finis, ad quem ejusmodi actiones referuntur, & ex cujus intentione malitiam attrahunt, est mortaliter malus.

718. Quæres, quid sentiendum de choreis?

Respondetur, quod secundum se, & demptis circumstantiis vitiosis, non sint illicitæ. DD. communissime. Ratio est: quia non sunt actus libidinis, vel alterius vitii, sed signum publicæ lætitiæ. Unde rusticis, vel etiam aliis interdicendæ non sunt, modo illis non abutantur. Evadunt tamen illicitæ, vel venialiter, ob vanitatem, petulantiam, amorosa verba, aut gestus &c. vel mortaliter, propter intentionem se, vel alios concitandi ad libidinem, aut delectationem veneream, ob turpes tactus, lasciva oscula, gestus graviter scandalosos &c. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 887. Pichler *libr.* 5. *Decretal. tit.* 26. *n.* 41. alii.

C A P U T III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

719. *Sabinus, Juris utriusque studiosus, recenset pœnas fornicariorum, adulterorum, incestuosorum, sacrilegorum, stupratorum, raptorum, sodomitarum, & bestiariorum.* 720. *Sargentinus quomodo judicandus, dum varia luxuriæ peccata perpetrasse ponitur?* 721. *Severus, & Severa per obscœnos sermones, aspectus, & oscula, in loco sacro exercita, non commiserunt sacrilegium; bene vero per tactus impudicos.* 722. *Sebastianus non deliquit mortaliter, se ad tentationes, & motus carnis habendo permissive, seu negative, si elicuerit actum formalis, & absolutæ displicentiæ; secus, si talem actum non elicuerit.* 723. *Serapia non tenetur in partibus verendis admittere a chirurgo curationem, etiamsi hæc ad vitam illius conservandam judicetur necessaria.*

C A S U S I.

719. *Sabinus, Juris utriusque studiosus, cum ad supremam Doctoratus Lauream aspiraret, prævium, solitumque examen, & tentamen subire decrevit, postulavitque. Annuerunt postulationi Professores, & varias Sabino quæstiones proposuerunt; quas inter non minima erat ista: num, & qualibus pœnis subjaceant fornicarii, adulteri, incestuosi, sacrilegi, stupratores, raptores, sodomitæ, & bestiarii? Quid de singulis dicet Sabinus?*

REspondetur. Sabinus dicet 1. fornicarios, si sint seculares (de quibus quæstio unice proponebatur) nullis subjacere pœnis, sive Juris Civilis, sive Canonici; cum nullæ sive in uno, sive in altero Jure constitutæ reperiantur: vi consuetudinis autem, & particularium statutorum apud plerasque Nationes, honestatis laude florentes, puniri solere: hæc proinde statuta attendenda, & juxta eorum tenorem in fornicarios animadvertendum esse. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *n.* 57. Pichler *eod. lib. & tit. n.* 16. aliique passim.

Sabinus dicet 2. diversas olim fuisse taxatas a Jure pœnas contra adulteros, maxime bilaterales; eas tamen, non amplius omnes, vigere; prout experientia constat. Insistendo proin hodiernæ praxi puniendos esse adulteros vel mulcta pecuniaria, vel relegatione, vel statione ante fores Ecclesiæ cum accensa candela, vel etiam virgis, aut alia pœna secundum locorum consuetudines, vel statuta. Aliquas tamen pœnas, a Jure statutas, adhuc in usu esse, videlicet privationem juris ad petendum debitum conjugale, quam pars adultera incurrit. (in sensu alibi exponendo) divortium, quod conjux innocens instituere potest; & amissionem dotis, vel donationis propter nuptias, quam a parte adultera lucratur

eratur innocens. Engel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *num.* 6. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 16. Pichler *n.* 4.

Sabinus dicet 3. pœnam in incestuosos de Jure Civili non esse satis determinatam; ex Ordinatione tamen criminali Josephi I. *art.* 19. §. 21. statutam esse pœnam gladii, si incestus committatur inter parentes, & liberos: fratrem, & sororem: privignum, & novercam: vitricum, & privignam: socerum, & nurum. Interim & hic in particularibus locis habendam esse rationem consuetudinis, & specialium statutorum. De Jure Canonico autem incestuosum, si in peccato contumaciter perseveret, excommunicatione ferendæ sententiæ puniendum esse, *per can.* 9. *caus.* 35. *q.* 2. Maritum præterea, si congrediatur cum consanguinea uxoris suæ, ipso Jure privari potestate exigendi debitum conjugale, *c.* 1. *de eo, qui cognovit &c.* Pichler *loc. cit. n.* 21.

Sabinus dicet 4. pœnam sacrilegi, qui corrupit Monialem, esse capitalem, seu mortis, de Jure Civili. *Novell.* 123. *c.* 43. De Jure autem Canonico, si laicus sit, excommunicationem; si Clericus, ab Ordine, & Beneficio remotionem, ac detrusionem in Monasterium ad agendam inibi pœnitentiam, *can.* 6. *&* 28. *caus.* 27. *q.* 1. ipsius vero Monialis, quæ se violari sustinuit, pœnam esse translationem ad arctius Monasterium, & inclusionem in carcere, *can.* 11. *&* 30. *caus.* 27. *q.* 1. Dictum est: *qui corrupit Monialem*. Nam qui violat aliam, non voto solemni Castitatis, sed simplici duntaxat obstrictam, esto in foro interno conscientiæ evadat reus sacrilegii, in foro tamen externo nullam incurrit pœnam de Jure determinatam. Clarus *lib.* 5. §. *Fornicatio n.* 8. Engel *loc. cit. n.* 41. Placidus Bockn *lib.* 5. *Decretal.* (in forma Thesim producto) *tit.* 16. *n.* 25.

Sabinus dicet 5. pœnam stupri violenti de Jure Civili esse pœnam capitis, *l.* 1. §. 2. *ff. de Extraord. crim. Constit. pœnal. Carol. V. art.* 119. Pœnam vero stupri non violenti de Jure Civili apud honestiores fuisse olim publicationem dimidiæ partis bonorum, & apud viliores fustigationem cum relegatione juxta §. 4. *Instit. de Publ. Judic.* hodie vero, cum istæ pœnæ usu exoleverint, esse arbitrariam. De Jure autem Canonico pœnam stupri violenti apud Clericos esse depositionem cum dotatione puellæ (licet loco depositionis, salva tamen dotatione, imponi pœna arbitraria possit, v. g. suspensio, incarceratio, mulcta pecuniaria &c.) apud laicos vero obligationem ducendi, vel dotandi corruptam, *c.* 1. *&* 2. *de Adulter. & Stupr.* pœnam vero stupri non violenti de eodem Jure Canonico nullam esse constitutam: esto illud puniri arbitrarie possit a Judice. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 47. Franciscus Schmier *lib.* 5. *Decretal. tr.* 4. *c.* 2. *n.* 31. & alii passim.

Sabinus dicet 6. pœnam raptoris esse mortem, & amissionem bonorum, si rapta sit virgo, vel mulier honestæ vitæ, atque per vim (ut addit P. Pichler) violata, *l. un. C. n.* 18. *de Raptu virg.* De Jure Canonico autem excommunicationem, &, si raptor sit Clericus, depositionem, *can.* 1. *& seqq. caus.* 36. *q.* 2. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 17. *a n.* 8. Schmier *loc. cit. n.* 53. & seq. Bockn *n.* 22. Quod si femina rapiat virum, nullam incurrit pœnam a Jure determinatam: prout relinquitur ex dictis *n.* 675.

Sabinus dicet 7. pœnam sodomiæ perfectæ, & bestialitatis de Jure Civili esse ignem, juxta *Constit. pœn.* Caroli V. *art.* 116. Sodomitam porro esse infamen de eodem Jure, *l.* 3. *C. ad Leg. Jul. de Adulter.* De Jure autem Canonico eundem, si sit laicus, excommunicari; si Clericus, ab Ordine depositum, & Beneficio privatum in arctum Monasterium detrudi debere, *c.* 4. *de Excess. Prælat.* Reiffenstuel *libr.* 5. *Decretal. tit.* 16. *a n.* 88. & alii communiter. Ubi tamen notant Tamburinus *lib.* 7. *in Decal. c.* 7. §. 3. *n.* 5. Sporer *de Matrim.* t. 3. *n.* 627. & alii, quod pœna excommunicationis, aliæque contra Sodomitas latæ, uti & reservatio peccati sodomitici, cum sint odiosæ, & idcirco stricte interpretandæ, solum comprehendant sodomiam undequaque perfectam, & consummatam, cujusmodi est concubitus maris cum mare, immittentis semen in vas præposterum. Quare si mas concumbat cum mare, & semen non immittat, vel femina cum femina, licet sit sodomia perfecta quoad reatum culpæ, non tamen est consummata, & undequaque perfecta, etiam quoad reatum pœnæ: consequenter &c.

CASUS II.

720. Sargentinus, juvenis petulantissimus, unaque mancipium Veneris longe turpissimum, intra unius septimanæ spatium semel carnaliter congressus est cum vidua; & semel se polluit cum affectu ad eandem: semel copulam tentavit cum femina mortua; & semel cum statua feminæ: semel item peregit pollutionem inter ubera alicujus puellæ, & semel in ore alicujus adolescentis. Quale de fœdissimis hisce actibus ferendum est a Confessario judicium?

RESpondetur. Sargentinus 1. carnaliter congrediendo cum vidua, simplicem fornicationem commisit. Tamburinus *lib.* 7. *c.* 1. §. 2. *n.* 4. & alii communiter. Ratio est: quia exercuit congressum cum soluta; nam *mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*, inquit Apostolus 1. *Cor.* 7. Unde Sargentinus in confessione satisfacit, si dicat, se semel fornicatum esse, vel habuisse rem cum soluta. Exprimere tamen debet (vel Confessarius interrogare) an copulam perfecerit, vel resilierit, semenque dispersserit? Si enim hoc posterius fecerit, malitiam duplicavit, quatenus effective, & realiter pollutionem, affective vero, & attentative fornicationem patravit. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disput.* 19. *num.* 3. Tamburinus *loc. cit.* §. 1. *num.* 12. & alii passim.

Sargentinus 2. se polluendo cum affectu ad illam viduam commisit duo peccata specie distincta. DD. communiter. Ratio est: quia commisit peccatum effectivæ pollutionis, & peccatum affectivæ fornicationis, quæ specie distinguuntur; cum illud, ceu pugnans contra finem generationis humanæ, Castitatis virtuti opponatur modo essentialiter diverso, ac istud. Nec dicas, in pollutione secundum se spectata involvi duas malitias; ergo cum Sargentinus superaddiderit malitiam fornicationis, tria peccata commisisse censendus est. Contra enim ajo, negandum esse ant. quippe sine fundamento assumptum. Est quidem pollutio gravius peccatum peccato fornicationis, imo ab isto specifice diversum, ob rationem proxime allatam: non autem importat geminam malitiam secundum se, & nisi aliunde, seu ab extrinseco aliqua alia accedat. Oppositum asserentibus incumbit probatio, quam afferre, ni fallar, haud facile poterunt.

Sargentinus 3. tentando copulam cum femina mortua, & statua feminæ commisit reipsa peccatum mollitiei, seu pollutionis, supposito, quod semen effuderit. Tamburinus *lib. cit. c.* 7. §. 2. *num.* 10. Sporer *de Matrim. cap.* 3. *num.* 639. & alii communiter. Ratio est: quia turpissimus ejusmodi conatus neque est fornicatio; cum femina mortua non sit femina, sed cadaver; & multo minus statua est femina: neque bestialitas; cum similiter femina mortua, aut statua non sit bestia: sed neque alia species luxuriæ, in qua pec se constituatur, assignari potest; ergo superest, ut dicatur, quod sit mollities, sive pollutio, mediante instrumento inanimato procurata; conjuncta tamen cum affectiva fornicatione, vel adulterio, vel incestu &c. id quod in confessione explicari debet: prout fluit ex proxime dictis.

Sargentinus 4. peragendo pollutionem inter ubera puellæ, & in ore adolescentis, similiter (1.) reipsa commisit peccatum mollitiei; per malitiam tamen copulæ affectivæ (2.) qualificatum. Ratio primi est: quia Sargentinus non concubuit cum puella in vase feminco, sive naturali, sive præpostero; consequenter non commisit fornicationem, vel sodomiam imperfectam: neque cum adolescente in parte postica: adeoque nec commisit sodomiam perfectam; ergo commisit peccatum mollitiei: siquidem aliud, quod dicatur commisisse, assignari non potest. Ita Tamburinus *loc. cit.* §. 1. *num.* 3. & alii. Ratio secundi est: quia pollutio, dum prædictis modis procuratur, habet (saltem ordinarie) adjunctum affectum concumbendi cum persona, cum qua peragitur; ergo est affectiva fornicatio, vel sodomia &c. Hæc proinde circumstantia, ceu pollutionis speciem mutans, in confessione explicari debet; esto non necessario explicari debeant peculiares illæ partes corporis, puta quod pollutio sit peracta inter ubera, vel in ore &c. utpote quæ materialiter se habent,

& illa major delectatio, quæ in una ejusmodi partium quæritur, non transcendit speciem malitiæ, quæ est in alia. Ita P. Babenstuber *tr. 5. disp. 7. art. 2. num. 68.* & alii apud ipsum. Ubi tamen nonnulli apud Dianam, ut refert Sporer *loc. cit. n. 637.* censent, illam pollutionem, quæ peragitur in ore alterius, propter nimiam enormitatem fœditatis contra naturam rationalem, esse in alia nova, & innominata specie intra genus luxuriæ; quod etiam sentit Sporer, addens, a quibusdam appellari *irruminationem*. Sed prior sententia videtur in rigore verior.

C A S U S III.

721. Severus, & Severa ex condicto in certa cujusdam Ecclesiæ Capella convenerunt; ibique remotis arbitris, de rebus obscœnis confabulati sunt; lascivos præterea aspectus, libidinosa oscula, & impudicos tactus mutuo exercuerunt. Quæritur, an sacrilegium, idque grave, perpetrarint?

Respondetur, quod Severus, & Severa, præscindendo a periculo pollutionis, & fornicationis, non fecerint se reos sacrilegii saltem gravis (1.) per obscœnos sermones, lascivos aspectus, & libidinosa oscula; bene autem (2.) per impudicos tactus, saltem si hos exercuerint in partibus verendis. Prima pars est communis. Secundam tenent Augustinus Michel *tom. 1. fol.* 828. *an.* 14. & alii multi, quamvis plerique ex istis id asserant solum de tactibus publice factis, & secus, ac nos, utpote qui cum *cit.* Michel idipsum affirmamus etiam de tactibus occultis, quales exercuisse ponuntur Severus, & Severa in Casu. Ratio utriusque partis sumitur ex lumine, & lege naturali. Nam actus prioris generis non inferunt loco sacro gravem irreverentiam; bene vero actus posterioris generis; prout videtur patere ex lumine naturali; ergo lex naturalis illos non removet a loco sacro sub culpa gravi: bene vero istos.

Dixi 1. *præscindendo a periculo pollutionis, & fornicationis*. Siquidem non tantum tactus, sed etiam alii actus recensiti, dum animo libidinoso exercentur, per se, & suapte natura inducunt periculum pollutionis, vel fornicationis; prout relinquitur ex dictis *cap. præced.* consequenter ratione talis periculi annexam habent malitiam sacrilegii, sicut pollutio, & fornicatio, cujus alterutrius periculum inducant; cum se exponere periculo alicujus peccati sit peccatum ejusdem malitiæ, & speciei cum peccato, cujus committendi periculo se quis exponit.

Dixi 2. *saltem si hos exercuerint in partibus verendis*. Nam si Severus Severam tetigisset in mamillis, v. gr. etiam nudis, & animo venereo, licet dicendus foret exercuisse tactum impudicum, & graviter malum malitiam luxuriæ; non tamen graviter dehonestasset locum sacrum (sicut eum dehonestavit per tactus verendorum) adeoque nec peccasset peccato sacrilegii saltem mortalis: ut notat Michel *loc. cit. num. 15.* Verum hæc exceptio, uti & ratio responsionis probativa, majorem accipiet lucem, ac robur ex dicendis in solutione argumentorum. Unde

Dices primo contra 1. *partem respons.* Turpiloquia, aspectus, & oscula, sunt actus externi, &, si animo libidinoso fiant, mortaliter mali; ergo reverentiæ loci sacri, in quo fiunt, graviter repugnant: consequenter &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & suppositum, quod repugnantia cum sanctitate loci fundetur in deformitate morali alicujus actus: fundatur enim vel unice, vel saltem præcipue, in ejusdem deformitate physica. Nam exoneratio ventris, v. gr. & alii actus in *respons. ad 2. argument.* commemorandi, propter solam deformitatem physicam, utpote quam unicam, gravem tamen, continent, cum sanctitate loci sacri, si in eo fiant, graviter pugnant, & sacrilegi evadunt. Unde cum turpiloquia, aspectus, & oscula non habeant gravem deformitatem physicam, esto habeant moralem, in loco sacro citra gravem hujus injuriam, gravemque sacrilegii maculam exercentur.

Dices secundo contra 2. *partem respons.* Per tactus, etiam in partibus verendis exercitos, non polluitur Ecclesia, vel Capella; ergo saltem spectati secundum se, & præscindendo a periculo pollutionis, ac fornicationis, non continent malitiam sacrilegii.

Respondetur primo, retorquendo argument. Per pollutionem, seu seminis emissionem occultam, si manet occulta, non polluitur Ecclesia, vel Capella; ergo nec illa continet malitiam sacrilegii: quod est contra ipsosmet Adversarios, saltem plerosque.

Respondetur secundo, concesso antecedente, neg. cons. & suppositum, quod aliqui actus ideo sint sacrilegi, quoniam per eos polluitur locus sacer: sed ideo sunt tales, quoniam ex se repugnant reverentiæ loco sacro debitæ; hinc quippe vetantur Jure naturali Religionis, volentis sancta sancte tractari. Certe stabulari equos, aut pecora in loco sacro, sordida familiæ vestimenta lavare, coquere, ventrem exonerare &c. sunt actus sacrilegi, quoniam ex se, & Jure naturali repugnant reverentiæ loci sacri: & tamen SS. Canones non statuant inde pollui locum sacrum; prout bene advertit, & arguit Michel *num. 17.* Quare non est verum, per illos duntaxat actus sacrilegium locale committi, per quos polluitur locus sacer: non enim pollutio loci sacri est causa sacrilegii, sed potius sacrilegium, si publice patretur, vel saltem expostfacto publicum fiat, est causa pollutionis, a SS. Pontificibus decretæ; quatenus supposita ejuscemodi actuum indecentia, & notorietate, SS. Canones sanxerunt, locum sacrum haberi debere pro polluto, profanato, & veluti diffamato, in eoque suspendi Divina, donec illi per reconciliationem quasi jure postliminii sua sanctitas, & honor restituatur.

Instabis. Si sacrilegium existat causa pollutionis loci sacri, hic polluetur per tactus impudicos, saltem publicos, utpote secundum dicta sacrilegos.

Respondetur, neg. sequel. Quando enim dicimus, sacrilegium esse causam pollutionis loci sacri, id non venit intelligendum de causa proxima, & adæquata; sed de remota, & inadæquata, sumpta pro occasione, vel fundamento, cui decreta SS. Canonum innituntur, quando, & pro quibus casibus loci sacri pollutionem statuunt. Cum ergo SS. Canones locum sacrum pollui solum decernant per seminis, & sanguinis humani effusionem, ceu actus magis indecentes, ac sunt tactus impudici, per hos non polluetur; maxime quia illiusmodi decreta, ceu odiosa, non sunt extendenda ultra proprietatem verborum, sed potius restringenda.

C A S U S IV.

722. Sebastianus, studiosus Genere illustris, cum Sebastiana, itidem illustri domicella, fere per annum turpiter conversatus; ast tandem a Confessario ad meliora consilia capessenda inductus, constituit, loco, & occasione relictis, alio migrare, ad ibidem prosequenda literarum studia. Quod & fecit, effecitque, ut, sublata ex oculis amasia, nihil amplius turpitudinis opere perpetraret. Tentationes tamen carnis sustinuit admodum acres, quibus subinde restitit positive, subinde se gessit permissive, seu negative, illis nec consentiendo, nec positive dissentiendo. Quæritur, an Sebastianus circa tentationes, & motus carnis reprimendos se permissive, seu negative habendo deliquerit, & qualiter?

Respondetur primo. Sebastianus non deliquit mortaliter, si eliciuerit actum simplicis displicentiæ. Ita Abreu *lib. 8. in Decal. n.* 581. Sporer *tr. 1. proœmial. c. 6. sect. 2. n. 15.* Babenstuber *tr. 2. disp. 3. art. 6. n. 54.* & alii multi. Ratio est: quia per actum displicentiæ, licet non repellatur carnalis delectatio, ex illis motibus orta, impeditur tamen voluntatis consensus in eandem: atqui impedito voluntatis consensu non est mortaliter malum negative, seu permissive se habere ad delectationem motuum carnalium; ergo &c. Ostenditur in primis major: siquidem impossibile est, ut voluntas consentiat sive explicite, sive implicite, & interpretative in rem aliquam, cujus habet actualem, & absolutam displicentiam; sic enim idem placeret, & displiceret. Ostenditur etiam minor; nam mortaliter malum non est, aliqua vana actione venialiter mala, v. g. curioso aspectu, colloquio, lectione, dare causam tentationibus, & motibus carnis, in illa actione prævisis, sed non intentis, si absit periculum consensus; ut habet communis DD. ergo neque est mortaliter malum ejusmodi motus jam exortos non reprimere, si absit periculum consensus. Prob. hæc cons. Ideo enim prius non est mortaliter malum: quia illi motus, secluso voluntatis consensu, non habentur pro gravi malo; ergo neque posterius erit mortaliter malum; cum illa causalis etiam in ipso valeat.

Respon-

Respondent Adversarii, per simplicem displicentiam non impediri consensum in delectationem; sicut per simplicem displicentiam mercatoris circa projectionem mercium in mare non impeditur illius consensus in projectionem.

Contra est, consensum quidem non impediri per simplicem displicentiam conditionatam, qualem habet in adducto casu mercator; impediri tamen per simplicem displicentiam absolutam, qualem ponitur in nostro Casu habuisse Sebastianus; talis enim displicentia consensui formaliter, & directe opponitur.

Respondetur secundo. Quamvis Sebastianus elicuerit actum simplicis displicentiæ, deliquit tamen venialiter, si citra justam causam, ex sola animi, & constantiæ confidentia, se negative habuerit. Authores *cit.* Ratio est: quia obscœni motus juxta communem Theologorum doctrinam, etiam præter influxum voluntatis ex infirmitate naturæ, & rebellione sensualitatis insurgentes, continent aliquam inordinationem repugnantem rectæ rationi, secundum quam voluntas tenetur gubernare appetitum sensitivum: cum ergo illa inordinatio, secluso per absolutam displicentiam consensus periculo, secundum dicta non sit gravis, & mortalis, sequitur, esse levem, & venialem: consequenter &c. Nec dicas, non posse ostendi præceptum, quo præcipiatur positiva resistentia; consequenter non peccari, etiam venialiter tantum, quando ea non adhibetur. Contra enim ajo, illud esse præceptum, *Non concupisces*, haud quidem ut negativum est; sic enim vetat delectationes venereas extra matrimonium; sed ut affirmativum existit; sic quippe imperat positivam resistentiam, adversus tentationes, & motus carnis exercendam, seu peccato vel gravi, si adsit periculum consensus, vel levi, si absit tale periculum, & nulla interveniat causa excusans.

Addidi proinde in respons. 2. *citra justam causam*. Hæc enim Sebastianum etiam a veniali excusare potuit, & excusasse censenda est. Ratio hujus est: quia licet præceptum, *Non concupisces*, quatenus negativum est, obliget semper, & pro semper; quatenus tamen est affirmativum, tantum obligat pro tempore, & casu, quo est periculum, & absque incomodo, causaque excusante servari potest, ut notat Paulus Mezger *tr. 6. disp. 21. art. 6. n. 7.* Unde si Sebastianus prudenter metuerit, ex conatu resistendi tentationes potius exasperandas, quam leniendas, vel tollendas esse, illas permittendo non deliquit, ne quidem venialiter.

Sententia liberans Sebastianum a peccato lethali, quam *in 1. respons.* amplexi sumus, videtur probabilior, etiam practice: quamvis optimum consilium sit (imo obligatio sub veniali, ubi deest causa &c.) adhibere resistentiam positivam, præsertim indirectam, qualis, v. g. adhiberi censetur, dum animus ad aliud objectum convertitur: talis quippe resistendi modus sæpenumero efficacior, atque utilior est, quam modus resistendi directus, sive per resistentiam positivam directam. P. Abreu *loc. & n. citt.*

Respondetur tertio. Si Sebastianus ne quidem actum simplicis displicentiæ elicuerit, cum tamen facile potuisset, mortaliter deliquit. Abreu *loc. cit.* Sporer *n.* 14. La Croix *lib. 5. n.* 111. & alii, recte addentes, oppositam sententiam non esse practice probabilem. Ratio est: quia si voluntas non eliciat actum ejusmodi motibus contrarium, simplicis saltem displicentiæ, erit, moraliter, & practice rem pensando, exposita proximo periculo consensus in delectationem veneream, cum illi motus ad talem consensum suapte natura alliciant, inclinent, & trahant; ergo &c. Confirmatur: Siquidem tanta est connexio, & similitudo inter motus sensualitatis, & actus voluntatis, circa idem objectum versantes, ut difficile sit, & moraliter impossibile, illos discernere, nisi per contrarietatem aliquam; ergo quandiu voluntas non avertitur ab eo objecto, saltem per actum contrarium displicentiæ, & nolleitatis, possumus; & debemus dubitare, an non ad illud positive afficiatur; & consequenter &c.

C A S U S V.

723. *Serapia, virgo admodum pudica, casu repentino gravissime justa, ac periculosissime in partibus verendis sauciatur, ut non abs fundamento credat se brevi morituram, nisi experti cujusdam chirurgi dexteritate malo quantocyus obviatur. Chirurgus suam operam ultronee offert, & addicit; quam tamen Serapia respuit, ne turpem sui aspectum, & tactum admittere cogatur. Quæritur, an Serapia peccet?*

R, Espondetur negative. Ita cum Lessio, Bonacina, & Cassiano a S. Elia P. Babenstuber *tr. 5. disp. 7. art. 2. n.* 103. Ratio est: quia nemo tenetur admittere curationem, a qua æque, vel magis abhorret, ac a morbo, vel morte ipsa: atqui Serapia in casu, cum ponatur esse virgo admodum pudica, merito censetur æque, vel etiam magis abhorrere a curatione in partibus secretioribus, seu verendis, nec a morbo, vel ipsa morte, imo æqualem, vel potius præponderantem horrorem sufficienter prodit, dum chirurgi operam, & opem respuit; ergo &c. Confirmatur. Siquidem juxta Lessium ad heroicum castitatis gradum pertinet malle mori, quam permittere in se oriri turpes imagines, aut sensum libidinis: quorum tamen præsens periculum Serapia subiret ex aspectu, vel saltem tactu virili memoratarum partium: consequenter &c.

DISPUTATIO VIII.

De Septimo, & Decimo Præcepto Decalogi.

QUemadmodum ob connexionem materiæ Præceptum Sextum, & Nonum Decalogi in præced. Disputatione conjunximus, ita in præsenti conjungimus Præceptum Septimum, & Decimum, ob eandem rationem: siquidem & hæc duo Præcepta prohibent actus tam in- quam externos, proximo in bonis fortunæ injuriosos, & damniferos; eo itidem discrimine, quod Septimum externos, Decimum vero internos tantum, directe, & explicite vetet.

C A P U T I.

De Natura, Varietate, & Materia Furti.

A R T I C U L U S I.

Quid sit Furtum, quotuplex, & quantum peccatum?

S U M M A R I U M.

724. Furtum definitur, & definitio exponitur. 725. Adstruitur alia, & expeditior definitio furti. 726. Non est reus furti, qui extrema necessitate pressus tantum rei alienæ accipit, quantum ad eam sublevandam est necessarium: secus, quando gravem duntaxat necessitatem patitur. 727. Furtum specie distinguitur a rapina. 728. Dividitur in varia membra: quæ & explicantur. 729. Est peccatum mortale genere suo.

724. DIco primo. Furtum est *ablatio occulta, & injusta rei alienæ, domino rationabiliter invito.* DD. quoad rem communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *ablatio*: cujus nomine venit non solum ipsa rei acceptio, sed etiam detentio, & usurpatio.

Dicitur 2. *occulta*, ut furtum distinguatur a rapina, quæ includit violentiam alteri palam, & scienti illatam.

Dicitur 3. *& injusta*: quia ad furtum requiritur, ut ablatio rei sit contra Justitiam. Per quam particulam multæ ablationes excusantur a ratione furti. Hinc non est furtum 1. si ablatio rei alienæ fiat per jocum, licet dominus ponatur esse rationabiliter invitus. 2. Si fiat ex authoritate potentis rem auferre, Unde Hebræi *Exod.* 11. non commiserunt furtum auferentes secum divitias Ægyptiorum: quia Deus voluit, ut auferrent. 3. Si fiat in bonum finem: ut siquis ensem ab amente auferat, ne aliquem lædat, aut dummodo illum in utilitatem amentis convertat: vel si uxor pecunias marito subtrahat, easque in usum familiæ convertat, ne ab illo in ludis, commessationibus, aut rebus turpibus profundantur: quia in utroque casu ablatio rei alienæ, quamvis fiat invito domino, non est contra Justitiam, sed secundum Charitatem. Abreu *lib. 8. in Decal. n.* 477.

X 3 Dic-

Dicitur 4. *rei alienæ*: quia ablatio rei suæ, qua suæ, non est furtum: licet tale sit, quando res propria deposita est apud alterum, sive oppignorata, vel commodata: tunc quippe ejusmodi res censetur aliena non quidem quoad dominium, sed quoad detentionem, possessionem, usum &c. Unde in præsentiarum nomine *rei alienæ* non solum intelligitur res, quæ est aliena quoad proprietatem, & dominium, sed etiam, quæ est aliena quoad detentionem, possessionem, usum &c, Augustinus Michel *tom. 2, fol. 950. n. 2. & 3.*

Dicitur 5. *domino rationabiliter invito*; nam si dominus rem sponte det, vel prudenter credatur non esse invitus, vel non esse invitus rationabiliter, nullum committitur furtum, quando ejus res aufertur. Porro hic nomine *domini* itidem venit quilibet justus detentor, possessor, usuarius, usufructuarius &c. Michel *loc. cit. n. 4.*

725. Colliges primo, furtum expeditius definiri, quod sit *ablatio occulta: & injusta rei ab alio juste detentæ, detentore rationabiliter invito*. Fluit ex hucusque dictis, si rite pensitentur.

726. Colliges secundo, non esse reum furti, qui extrema necessitate pressus tantum rei alienæ accipit, quantum ad eam sublevandam est necessarium; secus, quando gravem dumtaxat necessitatem patitur. DD. communiter. Ratio primi est: quia in necessitate extrema omnia iterum sunt communia, sicut erant ante divisionem bonorum Jure Gentium introductam; siquidem ipsa Natura res omnes, ad hominum sustentationem ordinatas, voluit omnibus esse communes, ita ut cuilibet extreme iis indigenti ad suæ vitæ conservationem serviant, licitumque sit eas accipere, & usurpare: Jus Gentium autem, quo introducta est rerum, & dominiorum divisio, utpote humanum, non potuit præjudicare Juri naturali, quod cuilibet extreme indigenti rerum usum permittit, quas ipsa Natura ad hunc finem ordinavit. Quare rerum communium divisio non aliter introducta censeri debet, quam sub hac tacita conditione, ut tamen omnia essent communia in casu extremæ necessitatis. Ratio secundi est: quia propter multitudinem hominum in gravi necessitate versantium furta nimium multiplicarentur, nec satis deterrentur alii per metum similis indigentiæ a rerum suarum dilapidatione, & inertia, si sibi tam facile, & quidem licite, ex alieno possent succurrere: quod procul dubio vergeret in grave damnum omnium Communitatum, & magnam perniciem totius humanæ societatis. Unde merito damnata est ab Innoc. XI. hæc *propos. n. 36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

727. Colliges tertio, furtum specie distingui a rapina. DD. communiter. Ratio est: quia rapina præter injustitiam, in occulta rei alienæ ablatione sitam, involvit contumeliam, qua afficitur is, cui inspectanti, & contranitenti sua res violenter eripitur. Non ignoro, aliam reddi rationem ab aliis: sed nostram censeo præferendam.

Dico secundo. Furtum dividitur in furtum *rei, usus, & possessionis*: in *peculatum, abigeatum, & plagium*: in *magnum, & parvum*: in *extraneum, & domesticum*.

Explicatur. Furtum rei committitur, quando res quoad dominium aliena aufertur, ut si Cajus auferat Titio pecuniam, cujus hic proprietatem, & dominium habet.

Furtum usus committitur, quando res quoad usum aliena aufertur: sive (quod in idem recidit) quando usus rei, quoad dominium seu alienæ, seu propriæ, aufertur, aut injuste usurpatur, ut siquis re in depositum, vel pignus data, clam, & fraudulenter utitur; vel re commodata, aut ad usum, vel usumfructum concessa, aliter, vel diutius utitur, quam dominus eo cessit, eoque inscio, & non consentiente: vel vice versa si commodator, aut locator ante præfinitum tempus rem commodatam, aut locatam iterum occulte aufert: In quo ultimo casu etiam committitur furtum possessionis, prout liquebit ex jamjam dicendis.

Furtum possessionis committitur, quando res quoad possessionem, vel detentionem aliena aufertur, sive quando aufertur possessio rei, ut si debitor rem alteri in pignus datam occulte aufert; vel si tertius rem, apud aliquem depositam, clam, & fraudulenter subtrahit; licet iste possit simul committere furtum rei, nempe respectu domini. P. Pichler *lib. 5. Decretal. tit. 18. n. 3.* & alii passim.

Peculatus vocatur, quando pecunia publica, seu res ad ærarium Reipublicæ, vel etiam ad Ecclesiam pertinens, surripitur. Quo etiam reducitur delictum cudendi monetam ex adulterato metallo Principis; vel ex proprio metallo sine licentia Principis.

Abigeatus dicitur, quando aliquot animalia ex grege alieno abducuntur: imo etiam abductio unius animalis majoris. v. g. muli, equi, bovis &c. abigeatus est.

Plagium appellatur, quando homo liber, vel etiam servus, clam abducitur animo celandi, detinetur in vinculis, occultatur, venditur, vel emitur: estque reipsa furtum hominis. Babenstuber *tr. 7. disp. 5. art. 3. n. 6.* Pichler *loc. cit. n. 3.* & alii.

Quid sit furtum magnum, & quid parvum: item quid extraneum, & quid domesticum? dicetur in *seqq.* Porro alias divisiones furti, puta in *iteratum, & non iteratum*; in *nocturnum, & diurnum*; in *manifestum, & non manifestum &c.* uti & pœnas pro diversitate furtorum legibus statutas, nosse pertinet ad Jurisconsultos.

729. Dico tertio. Furtum ex suo genere est peccatum mortale. Ratio est: quia repugnat tam Charitati, quatenus proximo nocumentum infert; quam Justitiæ, quatenus eidem infert injuriam. Confirmatur tum ex 1. *Corin. 6.* ubi habetur: *Fures regnum Dei non possidebunt*. Tum ex pœnis, quibus fures in hac vita plectuntur. Evadere tamen veniale potest tum ex levitate materiæ, tum ex imperfectione actus.

ARTICULUS II.

Quænam sit gravis Materia furti.

SUMMARIUM.

730. *Materia respectu furti, theologice spectati, alia est* absoluta, *alia* respectiva. 731. *& 732. utraque determinatur*. 733. *Proponitur, & dissolvitur objectio.* 734. *Pœnitens, quando in confessione fatetur, se quid modicum fuisse furatum, subinde interrogandus est, an non habuerit animum surripiendi quid magnum, sive plura, si copia, vel occasio fuisset.*

730. PRænotandum, duas cogitari posse materias respectu furti theologice spectati, unam *absolutam*, alteram *respectivam*. Absoluta dicitur, quæ attenditur secundum se, & sine respectu ad facultates, aut divitias illius, cui surripitur; estque proinde eadem relate ad omnes. Respectiva appellatur, quæ attenditur cum respectu ad facultates, & divitias illius, cui surripitur: adeoque est diversa juxta diversitatem facultatum, seu divitiarum hujus, & illius personæ, cui aufertur. Considerandæ autem sunt personarum, sive hominum quinque classes. In prima sunt ditissimi: ut Reges, & Principes. In secunda valde divites: ut Personæ illustres, Officiales majores, mercatores, cives opulenti. In tertia mediocriter divites: ut cives mediocris fortunæ, aliique similes. In quarta operarii diurni. In quinta pauperes et eleemosynis viventes.

Dixi: *respectu furti theologice spectati*. Nam respectu furti juridice spectati præmissa materiæ in absolutam, & respectivam divisio locum non obtinet; cum in foro externo, atque in ordine ad pœnas a Judice infligendas materia furti solum spectetur absolute, non autem respective ad facultates personarum. Quare furti sic spectati materia gravis est pretium, valor, aut æstimatio quinque solidorum, idest, aureorum, quorum quilibet quatuor florenos Rhenanos, & decem cruciferos valet: materia levis vero, quidquid est infra quinque solidos: idque sine respectu ad personas pauperes, & divites. Textus, & DD. in *c. fin. 2. Feud. tit. 27.* & *Constit. pœnal. Caroli V. art. 160.*

His prænotatis, inquiritur, quænam materia sit absolute, & quænam respective gravis, atque sufficiens ad peccatum mortale furti theologice spectati? Pro quæstionis resolutione

731. Dico primo. Materia furti, modo immediate dicto spectati, simpliciter, & extranei, absolute gravis, respectu cujuscunque etiam ditissimi, est unus aureus. Lessius *de Just. lib. 2, c. 12. dubit. 6, num. 39.* Bossacina

de Restit. disp. 2. *q.* 8. *pun.* 1. *num.* 7. Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 16. *sem.* 2. *n.* 28. Mezger *tom.* 2. *tr.* 12. *disp.* 40. *art.* 1. *n.* 6. Augustinus Michel *loc. cit. fol.* 963. *n.* 11. Babenstuber, ubi supra *n.* 11. & alii.

Probatur primo. Quia hæc est communis hominum persuasio, valorem unius aurei non esse modicum; adeoque non esse materiam parvam, seu levem, sed magnam, seu gravem furti: communis autem hominum persuasio plurimum valet in moralibus. Et sane constat, etiam Principes graviter ferre, quando in suis gabellis vel unico aureo defraudantur: idque merito, saltem ob damna habitualia, quæ inde enasci solent; prout jam jam declaratum imus.

Probatur igitur conclus. Secundo. Nisi, respectu etiam ditissimorum, & valde divitum, assignata quantitas sufficeret ad peccatum mortale furti, Officiales Principum, & alii, qui perfrequenter non multum curant peccata venialia, allicerentur nimium ad elependum Principibus, ac aliis valde opulentis personis; ideque sequerentur gravissima Reipublicæ, & privatorum damna; ergo natura quantitatem assignatam censenda est, etiam respectu divitum, & ditissimorum, reputasse pro materia gravi, ejusque ablationem prohibuisse sub reatu culpæ mortalis.

Confirmatur. Ideo voluntaria pollutio in omni casu est graviter illicita; quia licet semel facta, v. grat. ad avertendam mortem, aut gravissimam infirmitatem, non inferret grave damnum speciei humanæ, inferret tamen ex eo, quod si vel semel in aliquo casu esset licita, homines, ad ejusmodi delectationem proclives, facile sibi fingerent necessitates, & causas illam sæpius procurandi, ac voluptate, inde oriri solita, contenti, matrimonio facile supersederent: id quod vergeret in maximum detrimentum speciei humanæ; ergo similiter, licet furtum unius aurei semel factum opulentissimo non inferret grave damnum; quia tamen, si non esset graviter illicitum, facile homines allicerentur (ut dictum) ad istud frequentandum; idque cederet in gravissimum damnum etiam ditissimorum; semper erit graviter illicitum.

Dixi in conclus. *furti simultanei*, id est, simul facti; & *extranei*, id est, facti a persona extranea. Nam quid sentiendum de materia furti successivi, & domestici, seu a persona domestica facti, *c. seq.* decisum ibimus.

732. Dico secundo. Materia furti respective gravis est, quæ sufficit, & necessaria est ad comparandum victum pro uno die, statui, & conditioni personæ, cui aufertur, proportionatum. Sporer *tr.* 5. *in Decal. c.* 5. *n.* 29. Mezger *loc. cit. n.* 7. Babenstuber *n.* 12. La Croix *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 987. & alii ab ipsis relati.

Probatur. Siquidem illa quantitas pecuniæ (aut alterius rei) judicari debet notabilis, & ad peccatum mortale furti sufficiens, ob cujus injustam ablationem dominus merito censetur graviter invitus; prout omnes fatentur: sed ob injustam ablationem quantitatis, quæ ad victum unius diei juxta statum, conditionem, & communem vivendi consuetudinem sufficeisset, quilibet merito censetur graviter invitus; ergo ejusmodi quantitas judicanda est notabilis. Ex quo sit, ut mortaliter pecces, si Regi, vel Principi auferas unum aureum; mercatori, vel alteri valde opulento duos, vel tres florenos; mediocriter diviti unum florenum; opifici tres, vel quatuor pazios; operario, ex diurno labore victitandi, unum, vel alterum pazium; mendico pauculos nummos.

733. Objicies. Si ex victu unius diei, certo personarum statui proportionato, desumenda esset gravitas materiæ furti, tunc Regibus, Principibus, vel aliis opulentissimis, auferre unum, duos, vel tres aureos, non foret grave peccatum; quia id genus personæ pro comparando victus unius diei longe plus, quam unum, duos, vel tres aureos expendere sueverunt: atqui sequela pugnat contra dicta in conclusione prima; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. & seq. Quamvis enim hujusmodi personæ sæpenumero, vel etiam ordinarie, expendant in victum unius diei plus, quam valorem unius, duorum, vel trium aureorum; iste tamen victus secundum designationem morali judicio factam non est proportionatus, & congruus illarum statui, sed redundans; consequenter &c.

734. Colliges quod pœnitens, quando in confessione fatetur, se quid modicum fuisse furatum, subinde (nisi ipse exprimat) sit interogandus, an non habuerit animum surripiendi quid magnum, sive plura, si copia, vel occasio fuisset. Sporer *loc. cit. n.* 33. Ratio est: quia in hoc tali casu mortaliter peccasset, haud quidem in executione, & effectu, sed in intentione, & affectu. Unde S. Hieronymus *in Epist. ad Titum c.* 2. ait: *Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur. Non enim* (in foro conscientiæ) *id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur.*

CAPUT II.

De Furtis parvis, & domesticis.

De furtis magnis, & extraneis nihil amplius peculiare discutiendum superest; bene vero de furtis parvis, & domesticis: de quibus proinde in hoc *c.* per duos articulos moderata brevitate disseremus.

ARTICULUS I.

An, & quando per furta parva mortaliter peccetur?

Quinque præcipue modis furta parva contingere solent. Primus modus est, si eadem persona sæpius furetur modicum eidem personæ. Secundus, si eadem persona furetur modicum diversis personis. Tertius, si plures personæ furentur eidem personæ, & quidem singulæ modicum. Quartus, si persona furans, seu auferens modicum habeat animum ablationes parvas iterandi. Quintus, si illa tali animo careat. Charitatis gratia tres §§. statuere juvabit. Unde sit.

§. I.

An, & quando mortaliter peccetur, si unus eidem sæpius quid modicum auferat?

SUMMARIUM.

735. *Qui sæpius aufert modicum eidem personæ animo auferendi successive magnam quantitatem, per singula furta peccat mortaliter.* 736. *Proponitur, & solvitur objectio.* 737. *Qui sæpius modicum aufert etiam sine animo auferendi notabilem quantitatem, peccat mortaliter per ultimum furtum, advertenter factum, si veniat successive ad notabilem quantitatem.* 738. & 739. *Solvitur objectio, & determinatur materiæ quantitas.*

735. Dico primo. Qui repetitis vicibus modicum aufert eidem personæ animo auferendi successive magnam quantitatem, per singula furta peccat mortaliter: tametsi reipsa ad notabilem quantitatem non perveniat. DD. communiter.

Probatur. Quia actus externus sumit malitiam ab actu interno: atqui iste est mortaliter malus in casu conclusionis; ergo & ille sic malus erit.

736. Objicies. Si auferens per singula furta parva peccet mortaliter, reus evadet tot peccatorum mortalium, quot furtula comitit: tenebitur præterea rem modicam, v. g. prima vice ablatam, sub mortali restituere, licet aliæ ablationes materiam magnam constituentes reipsa non sequantur. Atqui ambæ sequelæ sunt absurdæ; ergo &c.

Respondetur neg. utranque sequelam. Ratio negandi primam est: quia illa furta in intentione auferendi magnam quantitatem moraliter coalescunt, & unum numero peccatum mortale furti constituunt: ostensum manet *par.* 1. *tr.* 3. *disp.* 2. Ratio negandi secundam est: quia obligatio restituendi non est mensuranda ex voluntate damnificandi, sed ex damno reapse illato; consequenter quandiu istud non est grave, nec erit gravis obligatio restituendi: de quo ex professo acturi sumus *par.* 4. *tr.* 2.

737. Dico secundo. Qui repetitis vicibus modicum aufere, esto id faciat absque animo auferendi notabilem quantitatem, nihilominus per ultimam ablationem mortaliter peccat (per se loquendo) quando successive venit ad tantam quantitatem, quæ etiam successive ablata, censetur gravis. Est itidem communis DD.

Probatur. Nam licet ultima ablatio, secundum se, & seorsim spectata, non sit gravis, est tamen gravis, quatenus spectatur ut complementum ablationum præcedentium, quibuscum constituit moraliter unam ablationem

materiæ gravis; ergo ut sic erit mortaliter peccaminosa.

Confirmatur. Siquis in die jejunii sæpius edat modicam cibi quantitatem sibi prohibitam, & tandem perveniat ad notabilem quantitatem, sumptio ultimæ buccellæ, seu quantitatis modicæ, juxta communem DD. sensum, evadit mortaliter peccaminosa contra præceptum jejunii; quia, licet non sit gravis secundum se, est tamen gravis, quatenus complet comestiones præcedentes, quibuscum constituit moraliter unam comestionem quantitatis notabilis; ergo idem dicendum in præsenti de ultima ablatione.

Dixi: *per se loquendo*: id est, si auferens ultimam quantitatem parvam advertat, se hic, & nunc perveniте ad notabilem quantitatem. Si enim id inculpabiliter non advertat, peccare mortaliter non potest, quoniam inculpabilis inadvertentia gravis malitiæ a peccato mortali excusat: prout constat ex alibi, & sæpe dictis.

738. Objicies. Venialia peccata, quantumcunque multiplicentur, nunquam constituunt peccatum mortale; ergo nec furta parva, quantumcunque multiplicentur, constituunt furtum magnum: consequenter &c.

Respondetur, concesso antecedente, dist. cons. Non constituunt furtum magnum formaliter, quasi ablationes venialiter peccaminosæ transeant formaliter in unam ablationem mortaliter peccaminosam, con, non constituunt furtum magnum objective, quatenus per illas surripitur materia gravis, neg. cons. Hanc autem materiam complet, & gravem efficit ultima ablatio haud quidem secundum se spectata (sic enim est ejusdem rationis cum ceteris ablationibus; nec gravius nocet, ac istæ) sed quatenus sumitur una cum aliis, quarum est complementum: consequenter evadit mortaliter peccaminosa, supposita auferentis advertentia ad gravitatem materiæ,

739. Quæres, an eadem materiæ quantitas, cujus ablatio simultanea constituit peccatum mortale, etiam sufficiat in albationibus successivis?

Respondetur. Si ablationes successive fiant cum interpolatione admodum brevi, sufficit eadem quantitas, quæ in ablatione simultanea: at major requiritur, si fiant cum notabili interpolatione. Ita cum Lessio, & aliis Augustinus Michel *loc. cit. fol. 966. n. 5.* Ratio primi est: quia modica illa interpolatio moraliter reputatur pro nulla; neque alleviat detrimentum, aut incommodum domini. Ratio secundi est opposita: quia notabilis interpolatio alleviat detrimentum, & incommodum, facitque istud a domino minus sentiri, ac si simul inferretur, ut patet a pari in solutione, utpote quæ & ipsa præstatur facilius successive, quam simul. Volunt proinde Authores *citt.* ad peccatum mortale furti in ablationibus hoc tali modo successivis requiri saltem duplum materiæ, ubi in ablatione simultanea requiritur simplum: adeoque si in ista sufficiat unus aureus, in illis requiretur duplex, esto una, eademque persona damnificetur. Quid vero sentiendum, quando personæ, quæ damnificantur, sunt plures, & diversæ, percipies ex dicendis §. *seq.*

§. II.

An, & quando mortaliter peccetur, dum unus pluribus modicum aufert.

SUMMARIUM.

740. *Qui pluribus furatur, singulis modicum auferendo, per quodlibet furtum mortaliter peccat, si id faciat animo ditescendi &c.* 741. *Proponitur, & solvitur objectio.* 742. *Deducitur corollarium pro praxi.* 743. *Qui non animo ditescendi &c. per modicas ablationes gravem summam pluribus aufert, non est facile condemnandus peccati mortalis.* 744. & 745. *Determinatur materiæ quantitas &c.*

740. Dico primo. Qui pluribus furatur, singulis modicum auferendo, per quolibet furtum mortaliter peccat, si id faciat animo ditescendi, & perveniendi ad notabilem quantitatem. DD. communiter, & fluit ex dictis *n.* 735.

741. Probatur præterea. Siquidem ex una parte intentio, quam auferens habet, est mortaliter peccaminosa; ex altera vero quælibet ablatio est executio illius malæ intentionis, & actus ab eadem imperatus: domini insuper censentur quam maxime inviti; ergo &c.

Objicies. Ejusmodi fur a singulis modicum duntaxat aufert, nullique infert, aut inferre intendit notabile damnum; ergo non apparet, cur mortalis peccati redarguatur,

Respondet P. Babestuber cum communi aliorum, quod, licet singuli ex communitate solummodo patiantur damnum leve, ipsa tamen communitas, cujus illi membra existunt, graviter damnificetur,

Verum hæc responsio, ut sit communis, non procedit in omni casu; adeoque nec vim argumenti adæquate enervat. Ponamus enim, quod læsi sint ex diversis territoriis, utique adhuc, seu in tali quoque casu lædens mortaliter peccat, tamet nullam communitatem graviter lædat: consequenter, &c. Omissa igitur hac responsione tanquam insufficiente,

Respondetur aliter, neg. cons. Quia lex naturalis prohibet graviter, ne quis per injuriam ex alieno ditescat; cum id vergeret in maximum detrimentum totius humanæ societatis: auferens autem in casu conclusionis per injuriam ditesceret ex alieno, licet nulli in particulari notabile damnum inferet: consequenter legem naturalem graviter violaret, & mortaliter peccaret. Quare in similibus furtis non tam debet attendi damnum, quod læsi patiuntur, quam quantitas lucri, quod lædens acquirit per injuriam. Unde si hoc notabile sit, lædens mortaliter delinquit; cum usurpet sibi bonum notabile contra legem natualem.

Instabis. Singuli domini non sunt grviter inviti; ergo, &c.

Respondetur, neg. ant. vel dist. in quantum existunt personæ particulares, secundum se consideratæ, trans. in quantum existunt membra totius humanæ societatis, neg. antec. & cons. Licet enim singula damna, quæ domini læsi in particulari patiuntur, pauca sint; damnum tamen, quod inde in humanam societatem redundat, magnum est, imo maximum; ob quod proinde iidem domini, quatenus prædictæ societatis membra existunt, graviter inviti & sunt, & esse debent.

742. Ex quibus, fit, ut, (per se loquendo) mortaliter peccent caupo, si misceat aquam vino: mercator, si detrahat ex justa mensura, vel pondere; telonarius, si a singulis viatoribus exigat unum nummum ultra debitum vectigal. Hi, inquam, & similes mortaliter peccant, si magnum inde lucrum sibi conquirant: quia ditescunt ex alieno per injuriam.

Dixi: *per se loquendo*. Nam contingere potest, ut furta parva, seu (ut rectius loquor) ablationes parvæ, diversis facta, aliquando excusentur a peccato, etiam veniali, ob tacitum consensum, & licentiam eorum, quibus fiunt; ut si mendicus ex diversis agris modicam frumenti quantitatem accipiat: siquis deambulando successive per diversos hortos, ex singulis unum pomum, vel pyrum decerpat: si caupones, vel mercatores in mensura, vel pondere aliquid detrahant, non ut injustum lucrum acquirant, sed ut suæ indemnitati consulant; quia scilicet debent Principi, aut Magistratui dare magnas accisas, vel merces solito carius emere, & tamen coguntur taxa consueta vendere. Tali, inquam, casu possunt sine cujusquam injuria detrahere aliquid de mensura, & pondere usque ad justum rerum suarum pretium. Attamen quia est res lubrica, & plena pericli, cavere debent, ne similia attentent sine judicio Confessarii, aut alterius Viri intelligentis, & probi.

743 Dico secundo. Qui non animo ditescendi, seu perveniendi ad notabilem quantitatem, sed veluti casu per modicas ablationes gravem summam pluribus aufert; idque in diversus negotiis, & per magna temporis intervalla, non tam facile condemnandus est peccati mortalis; sicuti si auferat animo ditescendi, in eodem negotio, eodemque moraliter tempore. Ita Layman *lib. 3. tract. 3. part. 1. capit. 1. num. 6.* & alii communiter.

Probatur. Tum quia inde non enascuntur tanta incomoda humanæ societati; & idcirco Jus naturale, quod ex alieno per injuriam ditescere vetat, hic minus reclamat. Tum quia ipsi quoque domini non censentur tam graviter inviti. Tum quia parvæ hujusmodi ablationes, præterquam quod non uniantur in prava quadam intentione, propter notabilem temporis intercapedinem non tam facile coalescunt in unam ablationem, & summam gravem, esto absolute coalescere possint. Ergo de ablationibus parvis hoc modo factis mitius

tius sentiendum, ac de ablationibus factis modo in præcedenti conclusione expresso.

744. Colliges, ad peccatum mortale furti majorem materiæ quantitatem requiri in ablationibus parvis, si fiant diversis, quam si fiant uni, ceteris paribus. Augustinus Michel, ubi supra, aliique communiter. Ratio est: quia illi damna, quæ singuli patiuntur, facilius sufferunt, ac iste. Unde & humana societas minus præjudicium subit, ipsaque lex naturalis mitior esse censetur, siquis eandem quantitatem auferat diversis, quam si auferat eidem.

745. Ex quo fit, ut in ablationibus parvis, si fiant diversis, saltem duplum materiæ, &c, si insuper fiant successive per notabilia temporis intervalla, etiam triplum requiratur, ubi in ablationibus, quæ fiunt eidem, & eodem moraliter tempore, sufficit simplum. Unde si in istis sufficit unus aureus, in illis requiretur ad minimum triplex. Ita DD. passim, etiam de furto extraneo loquentes. Quænam autem quantitas materiæ requiratur, & sufficiat ad peccatum mortale furti domestici, videbimus *art. seq.* Interim sit

§. III.

An, & quando mortaliter peccetur, si plures uni, & singuli modicum auferant?

S U M M A R I U M.

746. & 747. Si plures uni, & singuli modicum auferant, singuli mortaliter peccant, quando id faciunt communi consilio, & consensu, ac per ablationes simul sumptas dominum graviter damnificant: secus, quando id faciunt absque communi consilio, & consensu. 748. & seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.

746. DIco primo. Si id faciant communi consilio, & consensu, singuli mortaliter peccant, supposito, quod omnes ablationes simul sumptæ dominum graviter damnificent. Ita certa DD. sententia.

Probatur. Quia formaliter cooperari ad notabile damnum proximo inferendum, est peccatum mortale: sed singuli ita cooperantur; ergo singuli peccatum mortale committunt.

747. Dico secundo. Si id faciant absque communi consilio, & consensu, nullus eorum mortaliter peccat contra Justitiam. Ita Augustinus Michel *loc. cit. n. 6.* & alii satis communiter.

Probatur. Quia nullus seorsim intendit inferre, nec reipsa infert grave damnum; neque suo furto est causa injusta damni, quod infertur ab aliis; ergo damna, quæ inferuntur, non coalescunt in unum damnum grave: consequenter &c.

Confirmatur. Ex sententia contraria sequeretur, quod si ponatur, ad furtum mortale sufficere florenum, mortaliter peccares contra Justitiam, auferendo decem crucigeros illi, cui scires, ab alio jam ablatos esse quinquaginta: atqui sequela est absurda; cum nec ille alius contra Justitiam mortaliter peccaverit; ergo &c.

Dixi in conclus. *contra Justitiam.* Nam, contra Charitatem saltem, mortaliter delinquis, quando prior furari incipis, atque ita tuo malo exemplo alios inducas, ut similiter furando notabile damnum inferant. Siquidem licet in hoc tali casu alios ad furandum inducere non intendas, existis tamen tuo malo exemplo causa, cur proximo grave damnum inferatur: id quod virtus Charitatis sub culpa mortali vetat. P. Babenstuber *loc. cit. n. 26.* post Laymanum, Sporerum, & alios.

748. Objicies contra conclus. primo. Qui cum aliis furatur, injuste cooperatur magno damno; imo si ultimus sit, facit, ut damnum, quod antea forte nondum erat notabile, jam fiat notabile; ergo peccabit mortaliter contra Justitiam.

Respondetur in primis, neg. ant. Nam actio ipsius non est moraliter unita cum actionibus ceterorum: quod tamen ad cooperationem requiritur. Deinde dist. ant. Cooperatur magno damno, istud concausando materialiter, & partialitate effectus, con. formaliter, & partialitate causæ, neg. ant. Ad hoc enim requireretur, ut ipsius actio esset moraliter conjuncta cum actionibus aliorum: prout tamen in casu conclusionis non fit. Unde neg. cons.

749. Objicies secundo. Ex nostra sententia sequeretur, fieri posse, ut quis ex alieno delicto magnum patiatur damnum, quod nemo damnificantium reparare teneatur: sequela videtur absurda; ergo &c.

Respondetur, con. seq. si ejusmodi damnum inferatur per actiones venialiter peccaminosas hominum diversorum inter se moraliter non unitas; prout evenit in casu conclus. Sed neg. min. Ad evitandam quippe absurditatem sequelæ satis est, quod suam quisque partem restituere teneatur: hoc namque præstito, damnificatus habebit, quidquid amisit.

750. Objicies tertio. Qui cernit aliquem plura vulnera accepisse, quin tamen inde mortuus fuisset, & ipse aliud præterea vulnus, licet de se leve, infligat, ex quo is moriatur, peccat mortaliter etiam contra Justitiam; ergo idem in proposito dicendum de ultimo furante &c.

Respondetur, concessio antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia ultimum vulnus infert gravissimum damnum. Nam licet in se appareat leve, inflictum tamen homini in talibus circumstantiis est omnino grave, & lethale ratione distinctæ indispositionis corporalis, ex qua mors consequitur, de novo causatæ. E diverso illud furtulum non infert nisi damnum leve; cum, eo posito, dominus in rebus suis parum minus, &, eo non posito, parum plus habeat.

A R T I C U L U S II.

An, & quando per furta domestica peccetur mortaliter?

S U M M A R I U M.

751. Ad furtum domesticum ordinarie requiritur major quantitas materiæ, quam ad furtum extraneum, licet illa non possit absolute determinari. 752. & 753. Quid uxor citra peccatum furti auferre marito possit, & quid non? item quænam materiæ quantitas censeatur respective gravis, dum illa furatur marito? 754. & seqq. Eædem quæstiones resolvuntur de filio, & famulo &c.

751. PRænotandum, furta domestica appellari, quæ committuntur a personis domesticis, puta ab uxoribus, liberis, famulis, & famulabus. Et ad hæc furta ordinarie requiri majorem quantitatem materiæ, quam ad furta extranea, Authores passim concedunt; eo quod domini circa illa plerumque sint minus inviti; vel, si æqualiter, aut etiam magis inviti sint, id sæpe fiat non tam ratione rei ablatæ, quam ratione modi, quo aufertur; aut ratione finis, ob quem aufertur, v.g. ad ludendum, compotandum &c. Fatentur tamen itidem Authores de facto communiter, illam quantitatem non posse absolute determinari, sed prudenti judicio pro diversitate circumstantiarum definiendam esse. Unde (inquiunt) aliter de ea sentiendum, quando maritus, pater, aut herus est dives, benignus, liberalis, quam si sit pauper, austerus, avarus. Aliter in rebus communibus, esculentis, & poculentis, quam in rebus pretiosis, & pecuniis. Aliter item, quando auferens est homo diligens, acceptus &c. quam si sit negligens, inacceptus &c. Aliter denique, quando res aufertur ob finem bonum, vel indifferentem, quam si auferatur ob finem malum. Hæ quippe, & aliæ similes circumstantiæ faciunt vel magis, vel minus invitum esse maritum, patrem, aut herum. Ut ad particularia, magisque practica progrediamur.

752. Dico primo. Uxor sine peccato furti, & injustitiæ 1. quemadmodum potest adhuc durante matrimonio a marito dilapidatore repetere dotem; ita pariter, si forte repetitio est perquam difficilis, potest uti tacita compensatione, seu ex bonis mariti clam surripere, ut consulat suæ indemnitati. 2. Potest ex bonis ejusdem mariti accipere, quidquid est necessarium ad suam, & familiæ honestam sustentationem. Quo nomine veniunt non tantum victus, vestes, medicamina, sed etiam eleemosynæ, & donationes moderatæ, aliique sumptus ipsius statui, & conditioni convenientes. Ratio est: quia sic habet consuetudo, quæ ad similia tribuit uxori jus, non minus ac lex. Unde maritus non potest esse rationabiliter invitus. 3. Quando

uxor

uxor est pauper, non peccat, si alias eleemosynas, quas vi sui status, in quo per matrimonium constituta est, facere posset; vel illos sumptus, quos sibi comparcit ex vestitu, vel victu, vi status alias sibi competentibus, vilioribus contenta, reservet suis necessitatibus post solutum matrimonium emersuris; aut etiam elargiatur suis consanguineis indigentibus. Cavere tamen debet, ne istis extraordinaria subsidia conferat invito marito; alioquin peccabit peccato furti mortaliter, vel venialiter juxta quantitatem materiæ; & consequenter obligabitur ad restitutionem modo possibili faciendam. Augustinus Michel *loc. cit. fol.* 965. *num.* 2. & alii passim.

753. Quæres, quænam materiæ quantitas censeatur respective gravis, dum uxor furatur marito?

Respondetur. Eadem, quæ secundum dicenda *n.*755. censetur gravis, dum filius, vel filia furatur parenti: imo ad furtum mortale uxoris videtur requiri major. Ratio hujus est: quia uxor & est socia mariti, & de præsenti quodammodo jus administrationis bonorum habet. P. Babenstuber *loc. cit. n.*34.

754. Dico secundo. Filius (idem respective est de filia) citra peccatum furti, & injustitiæ potest ex bonis paternis aliquas expensas facere; puta in eleemosynas, & donationes moderatas; in lusus, aliasque recreationes sui statui congruentes &c. Idque præsertim, quando peregrinatur, aut existit in scholis exteris; vel aliquid comparcit de pecunia sibi ad sustentationem a patre destinata. Ratio est: quia in his, & similibus intervenit consensus patris vel tacitus, vel saltem præsumptus. P. Sporer *tr.*5. *in Decal. cap.*5. *n.* 59. aliique passim. E diverso filius (vel filia) mortaliter peccat peccato furti, quando notabilem quantitatem pecuniæ, a patre ad honestos usus, v.g. ad comparandos libros, victum, vestitum &c. concessæ, expendit contra voluntatem concedentis in lusum, compotationem, scortationem &c. Mezger *tom.*3. *tr.*12. *disp.*40. *art.*3. *num.*2. Babenstuber *loc. cit. n.*35. & alii. Ratio est: quia tunc pater censetur graviter invitus non tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiam expensarum; cum dominium ejusmodi summæ non intenderit transferre in filium absolute, sed cum restrictione ad certos, & determinatos usus: consequenter filius expendit pecuniam contra voluntatem domini, nempe patris, easque (ut ponitur) in notabili quantitate: quod est mortaliter peccare peccato furti.

755. Quæres, quænam materiæ quantitas censeatur respective gravis, vel levis duntaxat, dum filius furatur patri?

Respondetur, filium nunquam peccare mortaliter, nisi ad minimum duplo plus, quam cum proportione ad diversos *n.* 732. fuit assignatum, patri auferat; & sæpenumero non peccare mortaliter, nisi triplo plus auferat. Suadet hoc benignitas patris erga filium, alias futurum bonorum paternorum hæredem. Et certe nemo sibi prudenter persuaserit, aut dixerit, patrem non duplo, aut triplo ægrius ferre, si auferatur sibi aliqua quantitas ab extraneo, quam si auferatur ab hærede, & filio. Imo filius patris prædivitis vix arguendus est mortalis furti, nisi patri in anno auferat ultra decem aureos; & filius Principis, nisi auferat ad minimum quinquaginta aureos. Augustinus Michel *loc. cit. fol.* 968. *num.* 3. & 4.

736. Dico tertio. Famulus (vel famula) propter clanculariam acceptionem ciborum, & potius communium non facile peccati mortalis est condemnandus, dummodo ipse consumat, & non det extraneis. Augustinus Michel *loc. cit. n.*6. & alii passim. Ratio est: qui heri non censentur quoad acceptionem, & absumptionem similium admodum inviti. Imo Tamburinus *lib.*8. *in Decal. tr.*2. *c.*3. *n.*5. judicat, heros tacite consentire, quatenus sciunt, ejusmodi furtula a famulis passim committi, & tamen eos conducunt. Ex quo fit, ut famuli ne quidem venialiter peccent. E diverso famulus per acceptionem esculentorum, & poculentorum non communium, sed respective pretiosorum facilius ad notabilem, & mortalem summam pertingere potest etiam per furta modica frequenter repetita, licet ipsemet absumat, & non subministret extraneis. Quis enim negaverit, famulum, qui per mensem singulis diebus in patria, ubi vinum caro stat pretio, in cellam vinariam clanculum descendit, ibique integram vini mensuram ebibit, mortaliter delinquere? Idque adhuc magis verum est, loquendo de furtulis pecuniarum, aliarumque rerum pretiosarum non comestibilium, aut potabilium. Ratio quoad utrunque assertum est opposita: quia herus in his, & similibus merito censetur graviter invitus.

757. Quæres, quænam materiæ quantitas censeatur respective gravis, dum famulus (vel famula) furatur hero?

Respondetur, minorem quantitatem materiæ sufficere ad peccatum mortale furti, si famulus furetur hero, quam si uxor furetur marito, aut filius patri. Ratio patens est: quia motiva specialia, ob quæ secundum dicta in uxore, & filio major quantitas materiæ requiritur ad mortaliter peccandum peccato furti, non reperiuntur in famulo, nec eidem suffragantur. E diverso major requiritur quantitas materiæ ad peccatum mortale furti in famulo, quam in extraneo, saltem loquendo de furtis esculentorum, & poculentorum, etiam pretiosorum, & aliarum rerum communium, seu non pretiosarum. Ratio est: quia domini non censentur ita graviter inviti; si similia auferantur a domesticis (de quorum classe est etiam famulus) quam si auferantur ab extraneis: id quod jam supra *num.*751. insinuatum. Unde quando in extraneo sufficit ad ablationem mortalem similium simplum, in domestico videtur requiri fere duplum.

Dixi tamen: *saltem loquendo de furtis esculentorum, & poculentorum, aliarumque rerum communium &c.* Nam in ablatione pecuniarum, & aliarum rerum pretiosarum non comestibilium, aut potabilium, eandem quantitatem sufficere ad mortale in famulo, quæ sufficit in extraneo, diserte tradit Augustinus Michel *loc. cit.* Ratio ipsius est: quia circa ablationem talium heri plerumque sunt æque, vel etiam magis inviti quoad famulos quorum fidei concredunt substantiam suam, ac quoad extraneos.

Ceterum attendi & hic debent tituli communes, an scilicet ablatio fiat per notabilia temporis intervalla, & pluribus? quia cum propter illos major requiratur quantitas ad mortale in extraneis, etiam requiretur in domesticis, ob rationes *art. præced.* allatas, etiam hic valituras.

C A P U T III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

758. Theodorus cum sex aliis uvas, ficus, poma, & pyra frequenter decerpens, & comedens committit furtum mortale. 759. Theophilus sartor retinendo segmenta non peccat peccato furti, quando ea sunt valoris omnino modici: imo nec peccat, quando sunt majoris valoris; sed accipiuntur in supplementum mercedis debitæ, & non ad æqualitatem solutæ. 760. Theodosia famula non peccat moderate dando panem in eleemosynam, inscio hero.

C A S U S I.

758. Theodorus, miles exauctoratus, una cum sua conjuge, & quinque liberis stipem ostiatim colligere compulsus, pro acquirenda sustentatione circuit per pagos, & oppida: cumque transit per vineas, & hortos, uvas, poma, & pyra, aliosque fructus, frequentissime, & pro libitu, etiam in eadem vinea, & horto, decerpit, comeditque cum prænominatis comitibus usque ad satietatem. Quæritur, an Theodorus furtum committat, & quantum?

Respondetur primo. Theodorus committit furtum. Ita DD. communiter. Ratio est: quia usurpat, & consumit res alienas, invitis rationabiliter dominis: quod est committere furtum. Nec ipsi suffragatur necessitas; cum non patiatur extremam, sed communem duntaxat, in qua (imo nec in gravi, secundum dicta *n.*726.) res alienæ surripi, aut usurpari non possunt citra peccatum furti.

Respon-

Respondetur secundo. Theodorus committit furtum mortale. Videtur itidem esse communis DD. Ratio est; quia, cum ponatur ejusmodi fructus frequentissime decerpere, etiam in eadem vinea, & horto, ac comedere usque ad satietatem cum conjuge, & quinque liberis, dominos vinearum, & hortorum graviter damnificat; fere sicut censeretur illos graviter damnificare, si alia comestibilia in eorum domibus clam surriperet, atque consumeret in tanta quantitate; consequenter &c. Sed

Dices. *Deut.23.* habetur: *Ingressus vineam proximi tui, comedere uvas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum.* Quod ob paritatem rationis videtur extendendum ad alios quoque fructus; uti sunt ficus, poma, pyra &c. Ergo Theodorus, si uvas, aliosque fructus consumat in vineis, & hortis (prout memoratur fecisse in Casu) non vero inde efferat, aut secum asportet, non peccat, ne venialiter quidem.

Respondetur cum nostro Lyrano *in cit. locum, & textum*, in lege permissum fuisse pro illo tempore, ut Hebræi ad amicabilem rerum suarum communicationem inducerentur: vel permissum fuisse solis ingressis ad operandum, seu operantibus in vinea, & horto; non item aliis. Neutra similis permissio amplius viget: consequenter &c. Et sane ingentia dominis damna emergerent, si cuilibet passim liceret ingredi illorum hortos, & vineas tantis expensis per anni decursum cultas, ibique pro libitu consumere fructus; ut proinde merito censeantur graviter inviti.

CASUS II.

759. *Theophilus sartor, vir timoratæ conscientiæ, artisque suæ apprime peritus, variis personis, etiam illustribus, vestes conficit: & quoniam experitur, ordinarie minus sibi mercedis solvi, quam conficiendo vestes mereatur; nec audet respondentem labori solutionem urgere, retinet, ac vendit segmenta etiam serica, post confectas vestes remanentia. Quæritur, an Theophilus constituat se reum furti?*

Respondetur. Si segmenta sint valoris omnino modici, Theophilus illa retinendo, aut vendendo non committit furtum. Ratio est: quia tunc a dominis habentur pro particulis derelictis. Imo nec Theophilus committit furtum, si retineat segmenta majoris valoris, dummodo hic non sit tantus, ut supergrediatur mensuram salarii residui, seu adhuc debiti, & alia via commode inobtinibilis. Ratio hujus est: quia Theophilus commensuratum suo labori salarium juste petit; ergo cum illud commode acquirere non valeat, defectum juste compensat: de qua compensatione plura, & explicatius dicturi sumus *part.4. tr.2.* Ita cum Sanchezio, Lugone, & Redingo P.Babenstuber *loc.cit.n.41.* Cavere tamen Confessarii debent, ne hujusmodi compensationem sartoribus passim concedant; sed iis duntaxat, quos noverint esse viros timoratæ conscientiæ, uti esse ponitur noster Theophilus: aliis quippe, asserentibus, correspondens suo labori salarium haud solvi, non illico credendum est, saltem firmiter: qualis tamen credulitas exigitur, ut occulta compensatio licite permitti queat. Ob oculos ergo habeant, & videant, ne incidant in propositionem damnatam ab Innoc. XI. ord.37. sic sonantem: *Famuli, & famulæ domesticæ possint occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Quæ damnatio extenditur etiam ad sartores, aliosque opifices, ob paritatem rationis: prout *loc.supra cit.* amplius expenditur. Quod si denique Theophilus plus ejusmodi segmentorum sibi usurpet, quam ad supplendum salarii defectum requiratur, & sufficiat, citra dubium efficitur reus furti, vel gravis, vel levis, juxta quantitatem materiæ. Ratio est: quia tunc injuste aufert rem alienam, domino rationabiliter invito.

CASUS III.

760. *Theodosia, admodum pia, & erga pauperes commiserativa famula, hactenus bis, vel ter per septimanam certæ cuidam personæ egenti, & ostiatim mendicare erubescenti, frustum panis in eleemosynam porrexit, patre- & matrefamilias insciis, & irrequisitis. At in concione audiens, quod famulis, & famulabus non liceat erogare eleemosynas ex bonis herorum suorum, angitur, an factis hucusque eleemosynis peccaverit, & deinceps omittere teneatur?*

Respondetur: Theodosia hucusque non peccavit, nec tenetur deinceps omittere antefatam eleemosynam. Ita cum S. Thoma, Azorio, Filliucio, & aliis P.Burghaber *centur.3. casu 92.* Ratio est; quia, tametsi famulis, & famulabus non liceat erogare eleemosynas ex bonis herorum suorum, quando hi sunt inviti; licet tamen, quando non sunt inviti: atqui in Casu paterfamilias, sive herus Theodosiæ non præsumitur, seu censetur invitus; sed potius consentire in dationem similis eleemosynæ; ergo &c. Min. ostenditur, & declaratur; nam ex communiter contingentibus formatur prudens præsumptio: atqui heri communiter, seu ordinarie non sunt inviti, dum ancillæ cum moderamine dant panem in eleemosynam; quoniam id scientes non solent contradicere; imo ancillas ad tale ministerium non raro deputant; ergo prudenter præsumitur, neque dominum, seu herum Theodosiæ fuisse, aut fore invitum, quod ea panem cum moderamine dederit, aut datura sit in eleemosynam.

Dices. Eleemosyna facienda est ex propriis, non alienis bonis.

Respondetur, assumptum tenere, quando nullus adest consensus domini, sive expressus, sive tacitus, sive rationabiliter præsumptus. In Casu autem nostro, licet non adfuerit, neque supponatur imposterum adfuturus consensus domini expressus; adfuit tamen, & aderit consensus rationabiliter præsumptus; imo tacitus: prout hucusque dicta pensanti pervium erit.

FINIS II. PARTIS.

PARS

PARS TERTIA.

DE PRÆCEPTIS, ET POENIS ECCLESIÆ:

itemque de Præceptis particularibus, certo hominum Statui accommodatis.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.


N Parte præcedenti expendimus Præcepta Dei; in Parte vero præsenti, atque in hoc primo Tractatu expendenda suscipimus Præcepta Ecclesiæ. Sunt illa oppido multa; Theologi Morales tamen quinque duntaxat ex iis seligere, & hic loci pertractare solent. Ex quibus primum est, statutos ab Ecclesia dies festos celebrare. Secundum, Missam diebus Dominicis, & festivis reverenter audire. Tertium, inductum ab Ecclesia certis diebus jejunium, & a quibusdam cibis abstinentiam observare. Quartum, peccata Sacerdoti proprio, aut alicui approbato singulis annis confiteri. Quintum, Sacrosanctam Eucharistiam ad minus semel in anno, idque circa Festum Paschæ, sumere. Primum, & secundum ex his Præceptis nos jam exposuimus *p.2. tr. 1. disp. 3.* Solum proinde cetera tria hic exponenda restant: id quod per tres disputationes præstituri sumus. Sit igitur

---

DISPUTATIO I.

De Præcepto Jejunii.

CAPUT I.

Quænam ad Jejunium Ecclesiasticum requirantur?

SUMMARIUM.

1. Quid significetur nomine jejunii; & quomodo hoc dividatur? 2. Unde discerni queat, an jejunans exerceat actum jejunii moralis, vel Ecclesiastici? Assignantur conditiones ad jejunium Ecclesiasticum requisitæ; & 4. ac seqq. sigillatim exponuntur.

1. PRænotandum primo, nomine *jejunii* significari proprie majorem quandam victus, & eorum, quæ gustu percipiuntur, abstinentiam, ac requirit communis Temperantiæ regula. Dividitur in *naturale, morale*, & *Ecclesiasticum*. Jejunium naturale est abstinentia ab omni tum cibo, tum potu etiam medicinali, in stomachum transmisso: atque hoc jejunium a tempore mediæ noctis ad dignam sumptionem SS. Eucharistiæ (extra casum necessitatis) requiritur, prout *disp.3.* videbimus. Jejunium morale est parsimonia, seu abstinentia a cibo, & potu licito juxta formam jejunandi diversam ab illa, quam Ecclesia præscribit. Tale jejunium servarunt antiqui Eremitæ, & Monachi, dum alii altero, alii tertio primum die, cibum sumpserunt; alii solo pane, & aqua, alii radicibus, & herbis contenti vixerunt. Jejunium Ecclesiasticum est abstinentia a cibo juxta modum, & formam ab Ecclesia fidelibus præscriptam. Quando, & ubi Ecclesia præscribit solam abstinentiam a carnibus, non vocatur simpliciter jejunium, sed *abstinentia*, ipsique etiam dies, in quibus præscribitur, appellantur *dies abstinentiæ*: cujusmodi sunt omnes dies Veneris, & Sabbati per totum annum (nisi Natalis Christi Domini in aliquem eorum incidat) uti & dies Dominici per Quadragesimam. Quando autem Ecclesia præter abstinentiam a carnibus præscribit insuper abstinentiam a secunda refectione, jubetque fideles una refectione, quæ fiat per cibos esuriales, in die esse contentos, dicitur *jejunium* simpliciter, & dies, in quibus præscribitur, *dies jejunii*: cujusmodi sunt omnes dies per Quadragesimam (exceptis Dominicis) dies quatuor temporum; nempe Feria quarta, sexta, & Sabbatum in angariis; vigiliæ Nativitatis Domini, & Pentecostes, Apostolorum (exceptis vigiliis SS. Philippi, & Jacobi in tempus Paschale, ac S. Joannis Evangelistæ in Ferias Natalitias, incidentibus) vigiliæ item Assumptionis B. V. Mariæ, SS. Joannis Baptistæ & Laurentii, omniumque Sanctorum. Si Festum, in cujus vigilia præscribitur jejunium, cadat in diem Lunæ anticipatur jejunium die Sabbati, *c.2. de Observat. jejunior.* quia die Dominico in reverentiam Resurrectionis Domini nullum celebratur jejunium, *c.14. de V.S.§.1.*

2. Probatur secundo, ut discerni queat, an jejunans exerceat actum jejunii moralis, vel Ecclesiastici, attendendum esse ad formam, quam in jejunando observat. Hæc enim si a forma per Ecclesiam præscripta distinguatur, erit actus jejunii moralis, sive dein exerceatur libere, & ex mera devotione, sive obligatorie, puta ex voto, ex præcepto Confessarii, ex Regula Ordinis &c. Si vero a forma per Ecclesiam præscripta non distinguatur, erit actus jejunii Ecclesiastici: ubi iterum non refert, an ejusmodi actus ponatur libere, vel obligatorie. Ratio modo dictorum est: quia sicut jejunium ipsum, ita & actus jejunii, specificatur a forma.

Dices. Ergo jejunium nostrum Regulare; itemque Diœcesanum, seu ab Episcopo pro sua diœcesi indictum, & similia, possunt dici jejunia Ecclesiastica.

Respondetur, con. illatum, ob rationem immediate allatam: quoniam in istis, & aliis id genus jejuniis servatur forma, quam Ecclesia in jejunio Ecclesiastico universalis fidelibus servandam præscribit. Esto proin ejusmodi jejunia non observentur immediate, & directe ex præcepto Ecclesiæ; observantur tamen juxta formam ab Ecclesia præscriptam: quod sufficit, ut Ecclesiastica dici possint, & valeant: quamvis communiter sic nuncupari non consueverint, sed appellari nominibus peculiaribus, & specificis *Regulare*, *Diœcesanum &c.* Porro per decursum hujusce disputationis ex professo solum tractabimus de Jejunio Ecclesiastico communi, seu quod Ecclesia omnibus fidelibus diebus supra specificatis observandum præscribit, & præcipit. Nihilominus, quæ de tali jejunio decisa fuerint, etiam cum proportione applicanda erunt aliis jejuniis, juxta formam illius observari debitis.

His præmissis in præsenti capite videndum quænam ad Jejunium Ecclesiasticum rite, & legitime observandum necessaria sint?

3. Dico. Ad Jejunium Ecclesiasticum, ejusdemque legitimam observationem tres conditiones requiruntur, nempe ciborum delectus, sive abstinentia a carnibus, & cibis vetitis: abstinentia a secunda refectione per diem naturalem integrum, id est, ab hora duodecima noctis usque ad duodecimam noctis subsequentis; & certum tempus refectionis, ita ut hæc non rationem prandii, sed cœnæ habeat. DD. Catholici universim. Ratio primæ, & secundæ conditionis est: quia Ecclesia per jejunium voluit, ut corpus castigetur, & concupiscentia coerceatur citra notabilem læsionem naturæ: ideoque si nulla refectio, vel neque pisces, & legumina concederentur, nimis læderetur natura; e contra, si duæ refectiones, vel etiam carnes permitterentur, finis castigationis corporeæ neutiquam sequeretur. Ratio tertiæ conditionis est consuetudo, qua certum refectionis tempus legitime introductum est.

Porro ex prædictis conditionibus duæ priores pertinent ad substantiam jejunii Ecclesiastici; non item tertia.

tertia. Ratio est: quia sine duabus prioribus finis præcepti non obtinetur; obtinetur vero sine tertia.

Sed ut singulas hasce conditiones amplius declaremus,

4. Quæres primo, quidnam prætetea sit notandum circa primam conditionem?

Respondetur primo, nomine carnium, quæ in diebus jejuniorum prohibentur, venire illos cibos, qui ex communi Medicorum, & Christianorum judicio, ac usu distinguuntur a piscibus, fructibus, leguminibus, placentis &c. habenturque pro aliis carnibus, quam sint carnes piscium &c. Ratio est: quia hac in re assignari non potest melior regula, quam simile judicium, & usus. Ex quo fit, ut in diebus jejuniorum, etiam Quadragesimæ, licite comedantur testudines, & cochleæ. Ratio est: quia cum illæ via sanguinem habeant, & istæ valde frigidum, nutriunt instar piscium, quibus proinde communi usu æquiparantur. Pariter comeduntur licite anates in littore maris ex putribus lignis natæ. Ratio est: quia a Medicis, inspectis diligenter earum natura, & proprietatibus, collocatæ sunt in genere piscium. Licite demum comeduntur cum lutris fibri, & castores. Ratio eadem: siquidem & isti reducuntur ad genus piscium. Ita cum Lessio, Bonacina, Tamburino, & Cassiano a S. Elia P. Babenstuber *tr. 6. disp. 1. art. 1. n. 3.*

Respondetur secundo, nomine aliorum ciborum, tempore Quadragesimæ, & in regionibus non exemptis prohibitorum, venire ova, & lacticinia, videlicet lac, butyrum, caseum. Fundatur hæc prohibitio præcipue in Jure consuetudinario (ut a Jure scripto præscindam) quemadmodum patet ex *prop.* 32. inter damnatas ab Alexandro VII. quæ sic sonat: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* Videri potest P. Viva *super hanc proposit.*

Dixi autem: *tempore Quadragesimæ &c.* Nam aliis temporibus, seu diebus, quibus ex obligatione fidelibus jejunandum est, usus ovorum, & lacticiniorum nullo Jure noscitur interdictus: ut habet communis DD.

Dixi insuper: *in regionibus exemptis &c.* Nam in nostris terris Germaniæ Juri communi derogatum est per consuetudinem contrariam, vi cujus proinde licet, etiam tempore Quadragesimæ, ovis, & lacticiniis vesci. Ratio, ob quam hæc talis consuetudo inducta est, videtur fuisse penuria ciborum quadragesimaliam, olei præsertim, ac piscium. Sporer *in Appendice ad 3. Præcept. Decali n.* 10. & alii passim.

An autem vi ejusdem consuetudinis, qua permittuntur ova, & lacticinia, etiam permissus censeatur usus lardi, seu pinguedinis porcinæ, saginimis, aut adepis anserum, vel aliorum animalium, cum & talia proprie caro non sint, sed solum ex carne trahant originem, disputatur in utranque partem. Verum tenenda omnino est sententia negativa. Ratio est: quia consuetudo contra legem est strictæ interpretationis, & in nostris terris non viget quoad dictas pinguedines; consequenter ad easdem extendi non potest. Imo ex tali extensione oriretur ingens periculum, ne illiusmodi licentia ulterius porrigeretur ad usum farciminum, jusculi ex carnibus &c. quod vergeret in grave scandalum, & detrimentum jejunii Ecclesiastici. Ita Laymann *lib. 4. tr. 8. cap. 1. n.* 5. Sanct-Gallenses *tom. 5. tr. 3. sect. 2. q. 1. dub.* 3. Sporer *loc. cit. num.* 10. Illsung, Babenstuber &c. qui omnes oppositæ sententiæ practicam probabilitatem denegant. Sed

Dices. Homines rustici, saltem pauperiores, sæpius utuntur ejusmodi pinguedinibus, & tamen a Confessariis non redarguuntur alicujus peccati; ergo usus illarum non est illicitus.

Respondetur, neg. conf. Ad ant. ajo, quod id genus homines non redarguantur, nec redargui debeant alicujus peccati, quando id faciunt ex inopia, & penuria, vel defectu alterius pinguedinis, cujus usus esset de se licitus. Ex quo proinde non potest plus inferri, quam usum illum ob causam aliquam (eamque minorem, ac usum carnium) a peccato excusari posse, non vero, esse licitum per se loquendo, & seclusa simili causa.

Instabis. Etiam divites non illico peccati mortalis condemnari solent ob usum dictarum pinguedinum; ergo &c.

Respondetur, hoc ideo fieri; quia illæ pinguedines similiter non sunt caro stricte dicta, sicut ova, & lacticinia, magnamque cum istis affinitatem habent, ac iisdem quodammodo æquiparantur. Ex quo fit, ut illarum usus (præsertim in locis, in quibus ova, & lacticinia permissa sunt) non censeatur tam graviter prohibitus, quam usus carnium; & consequenter non tam facile peccetur mortaliter per usum priorum (maxime quando adhibentur pro solis ciborum condimentis) quam per usum posteriorum.

5. Quæres secundo, quidnam sit notandum circa secundam conditionem?

Respondetur primo, nomine refectionis non venire collationem, seu refectiunculam vespertinam, sed refectionem plenam usque ad sufficientiam, satietatem. Unde memorata refectiuncula (ita vocatur; quia in ea modica cibi quantitas, quam infra *n.* 23. determinabimus, sumenda est) præter unam refectionem plenam in diebus jejuniorum omnino licita est non tantum per accidens, puta necessitatis causa, v. g. ne noceat haustus; sed etiam per se, & nutriendi corporis causa. Ita cum communi P. Sporer *loc. cit. n.* 25. Ratio est: quia consuetudo illam sic sumendi jam pridem præscripta, & ubique recepta est.

Respondetur secundo, refectionem, quæ in diebus jejuniorum conceditur, debere esse continuam non quidem physice, sed moraliter. Ratio est: quia ex dictis debet esse unica; qualis tamen non esset, si interrumperetur; cum interruptio, & discontinuatio unitatem tollat, & pluralitatem invehat. Ita rursus DD. communiter. Quando autem refectio aliqua censeri possit, & debeat continua, vel discontinua, colligetur ex dicendis infra *n.* 22.

6. Quæres tertio, quidnam sit notandum circa tertiam conditionem?

Respondetur, tempus, seu horam determinatam refectionis esse hodie meridiem, quæ apud nos est hora undecima. Ratio itidem est hodierna consuetudo. Unde qui hanc talem horam notabiliter absque causa prævenit, peccat. Ratio hujus est: quia contravenit consuetudini legitime introductæ, & vim legis obtinenti. Quantum vero peccet, dicetur *cap. seq.*

Dixi tamen 1. *notabiliter &c.* Si quis enim refectionis horam præveniat non notabiliter, ver. gr. per quadrantem horæ, vel semihoram, non peccat, esto id faciat absque omni causa, & ex mera lubentia. Ita cum Sporero P. Babenstuber *loc. cit. art. 1. n.* 21. Ratio est: quia anticipatio tam modica, attenta consuetudine, & judicio DD. habetur pro nulla.

Dixi 2. *prævenit &c.* Nam jejunium diutius protrahere, & vel omittere omnino, vel differre cœnam, v. gr. usque ad horam primam, secundam, tertiam &c. non est illicitum, sed potius laudabile (secluso notabili nocumento naturæ) magisque meritorium. Ratio est: quia per ejusmodi abstinentiam, vel dilationem cœnæ corpus, & caro magis mortificatur. Verbo. Hora illa determinata requiritur ad jejunium non positive, quasi sit tunc cibum capere, & non liceat abstinere, vel diutius abstinere; sed solum negative, ut antea non liceat refectionem sumere. P. Sporer *loc. cit. n.* 20. P. Babenstuber *n.* 19. & alii passim.

Dixi 3. *absque causa.* Si enim legitima causa adsit, nulla culpa erit horam refectionis etiam notabiliter prævenire. Ratio est: quia licet consuetudo pro tempore refectionis introduxerit de facto meridiem, id tamen intelligendum est, si non intercedat rationabilis causa illam commutandi in aliud tempus anterius ejusdem diei. Porro rationabiles, & legitimæ causæ commutandi sunt 1. iter inchoandum, v. g. pia peregrinatio, etiam ex sola devotione. 2. Urgens negotium, quod non patitur dilationem refectionis in meridiem, v. g. concio tunc temporis habenda. 3. Debilitas complexionis, aut stomachi, ob quam hora refectionis ordinaria commode expectari non potest. 4. Hospitalitas, sive urbanitas; ut si veniat ad te amicus viator, qui causa itineris prosequendi debet anticipare comestionem: quocum proinde & tibi, quando ita exposcit amicitia, licita erit anticipata refectio. Ita denuo cum Sporero P. Babenstuber *n.* 21.

CA-

CAPUT II.

Quanta sit obligatio Jejunii Ecclesiastici, & quosnam afficiat?

SUMMARIUM.

7. Quomodo ea obligatio sit mortalis ex genere suo, & quomodo venialis? 8. Qui in die jejunii sumpsit binam, eamque plenam refectionem, non peccat amplius sumendo tertiam: secus est de eo, qui comedit carnes &c. 9. Mortaliter delinquit, qui in die jejunii extra solitam refectionem, & collationem sæpius modicum quid comedit, si perveniat ad notabilem quantitatem. 10. Qui non obligentur ad abstinentiam a carnibus, & quinam ad abstinentiam a secunda refectione in die jejuniorum? 11. & 12. Deducuntur duo corollaria; unum de perpetuo amentibus, & pueris necdum septennibus; alterum de juvenibus, annum 21. necdum egressis.

7. Dico primo. Obligatio Jejunii Ecclesiastici (1.) est mortalis ex genere suo relate ad observantiam abstinentiæ a carnibus, aliisque cibis vetitis, & abstinentiæ a secunda refectione: venialis vero (2.) relate ad observaotiam certi temporis, seu horæ refectioois. Conclusio quoad utranque partem est reipsa communis, saltem de facto.

Probatur prima pars in primis ex *prop.* 23. loter damnatas ab Alexandro VII. quæ est hujus tenoris: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.* Deinde ex ratione: siquidem Leges Ecclesiasticæ semper obligant graviter, quando concernunt materiam, quæ ad bonum spirituale subditorum notabiliter conducit: atqui Lex Ecclesiastica jejunii quoad utranque abstinentiam concernit ejusmodi materiam; ergo obligat graviter.

Confirmatur. Si Lex jejunii quoad prædictas abstinentias non obligaret graviter, facile negligeretur ob difficultatem, quam in sui executione continet: id quod pugnaret contra mentem Ecclesiæ, & vergeret io magnum detrimentum subditorum, utpote quorum animabus, corporibusque sanandis jejunium salubriter institutum est.

Dixi autem: *ex genere suo*. Quod enim obligatio jejunandi non solum quoad abstinentiam a secunda refectione, sed etiam quoad abstinentiam a carnibus, & cibis vetitis, possit esse levis ob levitatem materiæ, libenter concedo cum communi. Ex quibus fluit, quod mortaliter peccet, qui die jejunii carnes in notabili quantitate comedit, vel secundam refectionem sumit: venialiter vero, qui modicum quid carnis devorat, aut præter refectionem vescitur cibo esuriali in quantitate non notabili diversa a quantitate, quam capere permissum est in collatione vespertina. Quænam porro quantitas censeatur ootabilis, & quænam non, determinabitur infra *n.* 23.

Probatur etiam secunda pars. Nam certa refectionis hora, prout vi hodiernæ consuetudiois introducta est, non confert notabiliter ad finem præcepto jejuoii iotentum; estque conditio mere accidentalis, & oullo modo pertinens ad substantiam jejunii; ergo non apparet, unde obligatio illam observandi sit gravis ex genere suo. Cons. tenet. Ant. partim constat ex dictis *num.* 3. partim ostenditur inde, quod is, qoi horam refectionis, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, prævenit etiam per notabile temporis spatium, v. g. mane se ad sufficientiam reficiendo, adhuc possit, ac teneatur servare jejunium (dummodo cibos escuriales, & non carnes comederit) juxta communem DD. ergo signum est, quod hora refectionis non pertineat ad substantiam jejunii; alias in casu posito jejunium esset violatum quoad substantiam, oullaque amplius foret possibilitas, & obligatio illud servandi: sicut nulla amplius est possibilitas, & obligatio, dum quis comedit carnes, aut bina vices cibos escuriales ad sufficientiam uno, eodemque jejunii die, per dicenda *num.* 8. Ex quibus fit, ut is, qui refectionem meridianam notabiliter, v. g. tribus, vel quatuor horis, aoticipat, non peccet plus, quam venialiter, esto id faciat sine causa, & ex mera lubentia. Layman *loc. cit. n.* 12. & alii de facto satis communiter. Ratio fluit, & liquet ex proxime dictis: quia talis non violat jejunium quoad substantiam, sed solum quoad conditionem accidentalem, & modum secundario præceptum, saltem hoc tempore, & spectata hodierna consuetudine Ecclesiæ: neque contravenit obligationi gravi; ergo &c. Si dicas, quod hujusmodi anticipatione notabiliter minoatur difficultas jejunandi, & per consequens ootabiliter officiatur fini per præceptum Ecclesiæ intento, qui est mortificatio carnis. Contra ajo. Licet minuatur difficultas, quæ sentitur ante meridiem, augetur tamen difficultas, quæ sentitur usque ad vesperam, sive collationem vespertitiam: ubi proio datur commutatio difficultatum, & compensatio, quæ facit, ut mortificatio carnis oon impediatur notabiliter.

8. Quæres primo, an ille, qui die jejunii (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) bioam, eamque justam, sumpsit refectionem, vel semel comedit carnes in notabili quantitate, teneatur en die abstinere a tertia, seu ulteriori refectione, vel ab iterata comestione carnium?

Respondetur, quod non teneatur amplius abstinere ab ulteriori refectione, quæ fiat per cibos esoriales; bene tamen ab iterata comestione carnium. Ita cum Valentia, & aliis Sanct-Gallenses *loc. cit.* Rationem disparitatis plerique ex nostræ sententiæ Patroois desumunt ex eo, quod præcepetum jejunii, in quantum imperet abstinentiam a carnibus, sit negativum, obligans semper, & pro semper; affirmativum vero, in quantum imperat abstinentiam a secunda refectione per cibos esuriales; sob qua proio ratione non obliget semper, & pro semper, sed solum quandiu forma, & substaotia jejunii permanet inviolata.

Verum hanc doctrinam, & rationem disparitatis jam olim rejeci *in meis Thes. de Restitut. pag.* 13. & adhuc placere non potest. Falsum quippe est, quod præceptum jejunii etiam quoad abstinentiam ab altera refectione, seu comestione ciborum esurialium, existat affirmativum. Moveor: quia præceptum affirmativum est, quod per se, & directe imperat actionem positivam; prout notavimus cum communi aliorum *part.* 1. *n.* 208. atqui præceptum jejunii etiam quoad abstinentiam ab altera refectione non imperat per se, & directe actionem positivam, puta unicam comestionem (alias qui prorsus nihil per diem comederet, jejunium non servaret: quod oemo dixerit) sed omissionem secuodæ refectionis; ergo &c.

Alia proin disparitas afferri debet, quæ esse potest, quod Ecclesia, a cujus libera voluntate præceptum jejunandi tam quoad substantiam, quam quoad modom obligandi dependet, in diebus jejuniorum comestionem carnium prohibeat absolute, ita ut in ejosmodi diebus nunquam sit licita: iterationem vero refectionis per cibos esuriales limitate solum, & quatenus destruit formam jejunii quoad unitatem refectionis; quod sola secuoda refectio facit. Colligitur hoc tum ex communi usu, sensuque fidelium; tum ex ratione: siquidem Ecclesia per præceptom jejunii intendit mortificationem corporis, ad quam semper pertinet abstinentia a carnibus, sive hæ in una, sive in duabus, aut pluribus refectionibus subtrahantur. At vero sola abstinentia a secunda refectione, non item ab ulteriori videtur notabiliter facere ad carnis mortificationem; cum passim homines extra tempus jejuoiorum (exceptis mechanicis, & agrestibus) soleant esse contenti duabus refectionibus.

Dico primo. Si præceptum jejunii etiam quoad abstinentiam a secunda refectione sit negativum, sequitur contra oos ipsos, quod quis toties peccet mortaliter, quoties in die jejunii post sumptam primam refectiooem se de novo ad sufficientiam reficit; sicut quis toties peccat mortaliter, quoties simili die comedit carnes io ootabili quantitate; quoniam præceptum negativum obligat semper, & pro semper.

Respondetur, neg. assumptum, & sequelam. Ad causalem, seu rationem probativam neg. suppositum, quo detur præceptum abstinendi a tertia, & quarta refectione, postquam sumpta est secuoda, & sic pessumdata forma, & substantia jejunii, consequenter quod adhuc obliget; siquidem non entis nullæ sunt proprietates, aut qualitates. Aliud est de præcepto abstinendi ab iterata comestione carnium, utpote quod post primam,

imo

imo & alias comestiones perseverat. Ita quod utrunque liquet ex proxime dictis.

Dices secundo. Qui inculpabiliter, v. g. ex inadvertentia, vel ignorantia, bis ad sufficientiam comedit, non fregit jejunium formaliter, sed materialiter solum; ergo, dum id advertit, sumptione novæ refectionis supersedere debet, ne illud etiam formaliter frangat. Sic argumentantur nonnulli (in quorum sententiam quoque propendet P. Sporer) qui responsionem a nobis datam limitant, voluntque, eam procedere quidem in casu, quo quis secundam refectionem sumpsit advertenter, & culpabiliter; non autem, quando id fecit inadvertenter, & inculpabiliter. Sed

Respondetur cum P. Herincx *part.3. tr.2. disput.2. q.5. n.83.* neg. conf. Ratio negandi est: quia etiam in casu inadvertentiæ jejunium reipsa factum, ejusque forma, & substantia destructa est; ut proinde non remaneat possibilitas, & obligatio illud servandi juxta ritum ab Ecclesia præscriptum. Ex quod fluit, quod eo casu sumens tertiam refectionem non frangat ullo modo jejunium, tametsi id faciat advertenter; cum præcepto jejunandi nullatenus contraveniat. Deinde ex argumento sequeretur, eum, qui mala fide, & culpabiliter fregisset jejunium per secundam refectionem, majori gaudere privilegio (eo quod per tertiam comestionem non peccaret) ac eum, qui bona fide, & inculpabiliter illud violasset (cum talis per tertiam comestionem peccaret) sequela autem videtur inconveniens, & absurda; ut recte notant Sanct-Gallenses: consequenter &c.

9. Quæres secundo, an mortaliter peccet, qui in die jejunii extra solitam refectionem, & collationem sæpius modicum quid comedit?

Respondetur affirmative, si perveniat ad notabilem quantitatem. Est communis, & certa sententia. Sumitur 1. *ex propos.* inter damnatas ab Alexandro VII. *ord.29.* quæ ita habet: *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Sumitur 2. ex ratione. Nam parvæ illæ materiæ comestæ, uti & ipsæ comestiones, moraliter coalescunt in unam materiam, & comestionem notabilem; ergo cum per sumptionem materiæ, & comestionis unius notabilis extra solitam refectionem, & collationem peccetur mortaliter, etiam sic peccabitur per sumptionem materiarum, & comestionum parvarum plurium, quando notabilem conficiunt. Confirmatur. Non tantum unica comestio notabilis graviter adversatur fini, per præceptum jejunii intento, sed etiam plures comestiones modicæ, quando unam notabilem conflant; ergo cum per illam peccetur mortaliter, etiam mortaliter peccabitur per istas, si perveniatur (idque advertatur) ad notabilem quantitatem.

An, & quando peccent, qui aliis ad violandum jejunium causam, vel occasionem præbent, relinquitur ex dictis *part.2. n.244.* & alibi.

10. Dico secundo. Ad abstinentiam a carnibus in diebus jejuniorum tenentur omnes per Baptismum Ecclesiæ subjecti, & usu rationis præditi, post septimum ætatis annum completum: ad abstinentiam vero a bina refectione per cibos esuriales, qui sunt supergressi annum vigesimum primum. Consentiunt omnes DD. Ratio utriusque præter communem DD. sensum est consuetudo, quæ optima legum interpres.

11. Colliges primo, perpetuo amentibus, & pueris necdum septennibus licet præberi plures refectiones, imo & carnes. Ita Sanchez *lib.1. in Decal. c.12. n.9.* & alii passim. Ratio est: quia perpetuo amentes nullo rationis usu, pueri vero ante septennium nondum sufficiente præditi sunt; ergo nondum sunt capaces, saltem proxime, præcepti Ecclesiastici. Nec refert, quod forte usus rationis in puero aliquo præveniat. Id quippe per accidens est, nec a Legislatore, saltem Ecclesiastico, attenditur (ordinarie, & nisi contrarium exprimat) prout alibi dictum est.

12. Colliges secundo, juvenes, qui necdum egressi sunt annum vigesimum primum, non obligari ad jejunia (in quantum hæc obligant ad abstinendum a secunda refectione) quæ ex lege, consuetudine, aut voto Communitatis introducta sunt. Ita cum Filliucio, & Sporero P. Babestuber *tr.6. disp.1. art.2. n.5.* Ratio est: quia ejusmodi lex, consuetudo, aut votum non obtinet majorem vim obligandi, quam præceptum Ecclesiasticum, quo ejus ætatis juvenes non obstringuntur; ut diximus: consequenter &c. Obligari tamen ejusmodi juvenes possunt ad illa jejunia, quæ vel ipsi vovent, vel quæ præcipiuntur in Regula S. Ordinis, quam professi sunt. Ratio est: quia emittendo votum, vel profitendo Regulam ad jejunandum obligantem, voluntarie renunciant indulgentiæ, & quasi privilegio, vi cujus benigna Mater Ecclesia eos a jejunio exemptos cupit: consequenter vi voti, vel Regulæ jejunare tenentur. Sic Juvenes Religionem nostram Seraphicam professi, licet nondum compleverint annum vigesimum primum, obligantur nihilominus ad jejunium Regulare a Festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini; uti & ad jejunium Quadragesimale Ecclesiasticum non quidem qua ab Ecclesia injunctum, sed qua præceptum in Regula: esto nondum sub peccato obligentur ad alia jejunia Ecclesiastica per annum indicta in Vigiliis &c. vi autem Regulæ non præcepta. Sporer *loc. cit. n.49.* & alii DD. communissime.

CAPUT III.

Quænam causæ excusent a Jejunio Ecclesiastico?

SUMMARIUM.

13. & seqq. Afferuntur, & explicantur causæ a jejunio Ecclesiastico excusantes. 19. Quandonam super jejunio sit necessaria dispensatio, & quis eam impertiri possit?

13. Dico. Causæ præcipuæ, quæ a jejunio Ecclesiastico excusant, sunt *paupertas, infirmitas, labor, pietas, & senectus.*

Explicatur. Paupertas excusat ostiatim mendicantes, omnesque alios, qui, licet non mendicent, tamen habere, aut sibi comparare tantum cibi non possunt, quantum ad justam aliquam refectionem sufficeret. Ratio est: quia hi tales, cum nullo certo dici tempore habeant, unde semel ad sufficientiam reficiantur, ab iteratis refectionibus arceri nullo Jure possunt. Sanct-Gallenses *loc. cit. dub.4.* & alii communiter.

14. Infirmitas, videlicet corporis (quæ non debet esse gravissima, sed sufficit notabilis) excusat 1. ægrotos; ab ægritudine primum convalescentes; & debiles. Unde non tenentur jejunare laborantes febri tertiana, vel quartana, aut ab eadem immediate convalescentes: item illi, qui ex vacuitate stomachi notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur, vel tota nocte calefieri, aut dormire non possunt, nisi bis reficiantur. 2. Homines teneræ complexionis, qui crebris, & modicis refectionibus indigent. 3. Lactantes, & prægnantes, quæ, si jejunent, non habent pro se, & sua prole sufficiens alimentum. Ita Authores proxime citati, & alii passim. Ratio est: quia benigna Mater Ecclesia non intendit fideles ad observationem jejunii adstringere cum notabili dispendio sanitatis.

15. Labor, sive sit corporis, sive animi, excusat ab observatione jejunii, quoties cum hac est admodum difficulter compossibilis. Ratio est; quia præsumitur de benignitate S. Matris Ecclesiæ, hanc ejus legem non obligare cum valde magna difficultate. Ob similem laborem corporis excusantur, qui exercent opera per se, & valde laboriosa; ut fossores, agricolæ, fabri lignarii, & ferrarii, scrinarii, murarii, pistores, textores, sutores, aliique id genus artifices mechanici. Quibus tamen accensendi non sunt pictores, sartores, tonsores, & hujusmodi; utpote quorum opera, cum sint quieta, & citra magnam corporis agitationem, ac defatigationem exercibilia, cum observatione jejunii consistere absque notabili difficultate valent. Ita cum Tamburino, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. art.3. num.4. & 5.* Eodem titulo laboris corporalis a jejunio excusantur iter pedibus agentes per integrum diem, vel majorem diei partem. Ratio est: quia iter pedestre est opus per se laboriosum, corporisque valde defatigativum: consequenter cum jejunio valde difficulter compossibile. Aliud per se loquendo sentiendum est de agentibus iter in equo, curru, lectica, vel navi. Ratio est opposita: quia sic proficisci non est opus de se ita laboriosum, corporisque defatigativum; adeoque facilius

cilius cum jejunio componibile. Cofirmatur efficaciter *ex prop.* damnata ab Alexandro VII. quæ est *ord.* 31. & hujus tenoris: ***Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*** Per accidens tamen contingere potest, ut & tales a jejunio excusentur, v. g. ob infirmitatem complexionis, indignationem stomachi &c. Ita cum communi aliorum P. Sporer *loc. cit. n.* 58.

Ob laborem animi præcipue, excusantur a jejunio Concionatores, qui tota Quadragesima singuli, vel saltem tribus, aut quatuor in hebdomade diebus ad populum dicunt. Ratio est: quia labores animi, queis Concionatores suos sermones concinnant, vel memoriæ commendant, præstantiorem corporis substantiam, nempe spiritus vitales, aggrediuntur, & absumunt: unde æque magna, imo majori restauratione indigent, ac labores corporis. Accedit, quod iidem Concionatores, dum ad populum dicunt, etiam subeant laborem corporis. Ex quibus fit, ut nec ipsis diebus, quibus concionantur, nec immediate antecedentibus jejunare teneantur. Non enim ipsis diebus, propter laborem animi, & corporis in concionando. Nec antecedentibus, ne perdant vires ad concionandum necessarias. Ita cum aliis P. Stoz *lib. 1. part. 3. num.* 523. Idem cum proportione cogita de Professoribus, Confessariis, Medicis, Advocatis, & similibus, quando ob frequentiam, & assiduitatem laborum quotidie ingruentium suis auditoribus, pœnitentibus, patientibus, clientibus &c. ægre satisfacere possunt, nisi sumant duplicem refectionem. P. Babenstuber *loc. cit. num.* 6. & alii apud ipsum. E diverso non videntur a jejunio excusari scribæ, notarii, & secretarii, qui aliorum conceptus chartæ mandant, & non ipsimet formant. P. Babenstuber *loc. & n. citt.* aliique passim. Ratio est: quia hi tales non notabiliter fatigantur sive in corpore, sive in animo. Idem ob eandem rationem sentiendum de illis, qui in typographeo colligunt, & disponunt literas æneas ad typum; secus vero ob rationem oppositam de aliis, qui prælum versant.

16. Pietas excusat, quando propter majora, & præstantiora opera virtutum, puta Justitiæ, Charitatis, Misericordiæ, Religionis &c. impediri debet jejunium, & cum iis consistere non valet. Ratio hujus excusationis est: quia jejunium præcipitur ut promotivum boni, non vero ut impeditivum majoris boni. Ita cum communi aliorum Herzig *in Manual. Confessar. part.* 2. *c.* 7. *n.* 446. Sic a jejunio excusantur 1. qui visitant infirmos, eisque assistunt, quando ejusmodi obsequia cum observatione jejunii obire, & perficere nequeunt. Item Concionatores, Confessarii, Professores, & alii, quorum meminimus *n. præced.* quamvis hi tales (ut eodem *n.* dictum) etiam, & præcipue excusentur ratione laboris. Excusatur 2. conjuges, quando debitum conjugale sibi mutuo reddere non valent, nisi bis reficiantur. Excusatur 3. uxor, quæ iram, & jurgia mariti evitare non potest, nisi sumat cum ipso binam refectionem: dummodo id non fiat ex contemptu Catholicæ Religionis, vel in odium ipsius virtutis Temperantiæ: hoc quippe casu obtemperare non posset, qualecunque tandem incommodum ex renitentia subire cogeretur. Excusantur 4. suscipientes piam peregrinationem, aut jam susceptam continuantes, quando ea redundat in magnum Dei honorem, aut specialem utilitatem spiritualem peregrinantium. Quod si absit ejusmodi specialis utilitas, peregrinatio diebus jejunii omittenda, & differenda est. Sporer *loc. cit. n. n.* 62. cum aliis a se relatis.

17. Senectus excusat viros septuagenarios, juxta communissimam DD. sententiam; & sexagenarios, juxta communiorem, tempori, & imbecillitati humanæ conformiorem, atque a scrupulis, quibus contraria exponit, remotiorem. Ratio est: quia ab anno sexagesimo natura, & vires decrescunt; ergo cum indigeant restauratione per cibos, nemo sexagenarius potest (communiter, & ordinarie loquendo) absque notabili damno, vel ejus præsenti periculo jejunare. Nec refert, quod reperiantur quidam sexagenarii etiamnum vegeti, & ad perferendum jejunii rigorem satis robusti. Hoc quippe per accidens est, nec attenditur ab Ecclesia, utpote quæ per præceptum jejunii obligat secundum cursum ordinarium roboris, ac virium naturæ. Quod decisum modo est de viris, intellectum quoque esto de feminis sexagenariis. Nec adstipulor Cassiano a Sancto Elia, Abreu, & quibusdam aliis Authoribus, qui feminas etiam quinquagenarias a præcepto jejunii servando liberant. Ratio est: quia nec Jus aliquod, nec solidum fundamentum afferunt, ex quo feminæ citius, ac viri, ab antefato præcepto absolvantur. Quod enim dicunt, feminas citius senescere quam viros, sicut citius pubescunt, non convincit: cum eo non obstante experientia testetur, quod illæ jejunium sine incommodo valetudinis facilius exantlent, ac isti. Ita cum aliis P. Babenstuber *loc. cit. art.* 3. *n.* 3. Imo Sanchez *de impedim. Matrim. disp.* 2. *n.* 17. *in fin.* concludit oppositam sententiam non esse tutam in praxi.

18. Ceterum causæ excusantes a jejunio, hactenus allatæ, potissime locum obtinent quoad eam duntaxat partem præcepti, qua plures refectiones, non autem quoad illam partem, qua esus carnium interdicitur: ut recte notat Layman *lib.* 6. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 8. Quare expedit, & oportet peculiares superaddere causas, quæ a carnium quoque abstinentia excusent. Assignari tres possunt, & solent ab Authoribus. Prima est, siquis laboret infirmitate, cui repetita etiam ciborum esurialium comestione salubriter occurri non potest. Ita cum Laymano, & Illsung P. Babenstuber *loc. cit. art.* 3. *n.* 10. Hoc titulo quandoque excusari ab abstinentia carnium possunt prægnantes, vel prolem lactantes: solent enim subinde appetere certi cujusdam generis carnem, quæ si ipsis negetur, proli imminet periculum infirmitatis. Sporer *loc. cit. n.* 54. cum Filliucio, & aliis. Secunda est, quando ob paupertatem non suppetunt alii cibi ad congruam naturæ sustentationem necessarii. Hinc, saltem in Germania, toleratur, ut post finita Bacchanalia carnium reliquiæ pauperibus absumendæ præbeantur. Layman *loc. cit. cap.* 3. *num.* 3. & alii passim. Tertia est, quando catholici apud hæreticos laborant, aut famulantur: tunc quippe illis permittitur manducatio carnium, si cibi esuriales non apponantur. Neque urgendi sunt, ut pane, aut solis leguminibus contententur: quia benigna Mater Ecclesia non censetur velle tam arduam restrictionem. Præpedire tamen ejusmodi famuli, vel famulæ debent scandalum: id quod præstare poterunt, dicendo, se in casu necessitatis non obstringi præcepto Ecclesiæ. Layman *loc. & num. citt.* Sporer *num.* 56. Herzig *in Manual. part.* 2. *num.* 444. Addit Layman, Societatem Jesu a S. Pontifice accepisse privilegium cum antefatis famulis pro majori securitate dispensandi, eosque ad comedendas in illis circumstantiis carnes licentiandi. Quod privilegium (inquit P. Sporer) aliis quoque Religiosis Mendicantibus commune est.

19. Et hæ quidem causæ, ut sive binam refectionem, sive comestionem carnium in die jejunii excusent, debent esse moraliter certæ, seu certo sufficientes. Quod si a jejunio se eximere volens dubitet, an causa exemptionis sit sufficiens, consulat Virum doctum, v. g. Professorem Casuum, Doctorem Theologiæ, Confessarium, vel Medicum. Hi enim esto ob defectum jurisdictionis non possint in lege jejunii dispensare (ne quidem Confessarii qua tales præcise) possunt tamen declarare, num causa exemptionis allegata sufficiat, nec ne: Quæ declaratio, si nemo alius æque peritus contrarium afferat, certitudinem moralem facit. Si vero & illi dubitent de causæ sufficientia, recurrendum erit ad Superiorem pro impetranda dispensatione, saltem majoris securitatis gratia: quod addo propter dicenda *n.* 25. & *n.* 480. P. Stoz *loc. cit. n.* 523. & alii communiter. Porro dare dispensationem poterit Papa pro tota Ecclesia: Episcopus pro sua diœcesi: Abbas jurisdictione quasi Episcopali gaudens pro sua quasi diœcesi: Prælati Religionum, Generales, Provinciales, Guardiani, Rectores &c. pro suis subditis: Parochi pro suis parochianis. Stoz *loc. & n. citt.* Et his omnibus competit potestas dispensandi ordinaria; quam proinde etiam aliis committere, & delegare poterunt. Sed quod de Parochis assertum, venit intelligendum de casibus, vel personis particularibus, adeo, ut Parochus cum suis parochianis dispensare possit per unum, vel alterum diem v. g. dum emergit causa dispensandi dubie sufficiens: vel per integram quidem Quadragesimam; at cum hac duntaxat, vel illa persona particulari. Nam cum omnibus suis parochianis simul, & per totam

Qua-

Quadragesimam dispensare Parochus non potest absque commissione Episcopi. Ratio est: quia potestatem dispensandi priore modo Parochus obtinet ex consuetudine; non vero potestatem dispensandi posteriore modo: sic enim cum parochianis dispensare pertinet ad Episcopum: prout experientia notum.

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

20. *Ursicinus in diebus jejuniorum super carnium comestione sine addita restrictione dispensatus, potest iis bis, vel sæpius vesci eodem jejunii die.* 21. *Ubaldus non peccat contra præceptum jejunii sumendo, etiam extra tempus refectionis, & collationis, vinum, cerevisiam, vel cocholatam: peccat autem, & quidem mortaliter, sumendo refectionem meridianam, si se antea bono jentaculo refecerit.* 22. *Valerius, & Valerianus, servitores mensæ, possunt, durante adhuc convivio, comedere, quantum lubet, si ante illud justam refectionem non sumpserint: secus, si sumpserint.* 23. *Valentinus in die jejunii unciam, seu duos lochones carnis absumendo non deliquit mortaliter; bene autem, accipiendo in collatione tres partes cœnæ ordinariæ de cibis esurialibus calidis; haud quidem ratione qualitatis, sed quantitatis.* 24. *Valentinianus, dum tempore Quadragesimæ ordinarie dormire nequit, nisi bis reficiatur, licite sumit alteram refectionem: licite præterea idem Valentinianus capit consuetam collationem (præscindendo a priore Casus membro, & causa impotentiæ ad dormiendum) esto nullam pene famem patiatur.* 25. *Virgilius sartor tenetur in die jejunii servare abstinentiam a secunda refectione.* 26. *Venustus, & Venusta votum jejunandi certis hebdomadæ diebus per totam vitam, servare tenentur, etiam exacto sexagesimo anno, si adhuc validi, & ad perferendum jejunii rigorem sat robusti existant.*

CASUS I.

20. *Ursicinus, illustri stemate prognatus, & mihi perbene notus, a cibis esurialibus adeo abhorruit, ut iis vel in conspectu suo positis, toto vultu expallesceret. Et quamvis non ignorarit, tantum horrorem esse causam evidenter sufficientem ad carnes in diebus jejuniorum licite comedendas; nihilominus pro majori conscientiæ securitate, & quiete dispensationem illis vescendi petiit, impetravitque. Quæritur, an Ursicinus, saltem vi obtentæ dispensationis, censeatur a jejunio totaliter solutus, ita ut possit comedere carnes non tantum semel, sed bis, vel sæpius, eodem jejunii die?*

Respondetur affirmative, si dispensatio sit absolute concessa. Ita Suarez, Cajetanus, Novarrus, Toletus, Azorius, Filliucius, quos refert, & sequitur P. Burghaber *cent.1. cas.65.* Subscribunt Illsung *tr.4. disp. 1. art.3. n.44.* Babenstubur *loc. cit. art.2. n. 9.* & alii, contra Medinam, Bonacinam, & plures alios. Ratio est: quia essentia jejunii præcipue consistit in abstinentia a carnibus; ergo, hac dempta, non manet essentia jejunii: consequenter nec obligatiô ad jejunandum, & servandum alia requisita.

Dixi: *si dispensatio sit absolute concessa*. Si enim esset concessa cum restrictione ad unam duntaxat refectionem quolibet die sumendam, Ursicinus non posset se bis, aut sæpius reficere virtute hujusmodi dispensationis; nam dispensatio plus non operetur, ac dispensans intendit.

Porro quod decisum in Casu, etiam, & a fortiori procederet, si idem Ursicinus (vel alius) dispensationem super abstinentia a carnibus obtinuisset ob causam debilitatis naturæ, vel corroborationis ejusdem: quia ratio nostræ responsionis probativa in tali quoque casu militaret; idque a fortiori. Unde & tunc Ursicinus posset bis, aut sæpius se reficere, sive comedendo carnes, sive cibos esuriales, sive utrosque.

Dices. Si dispensatus super abstinentia a carnibus, posset eodem die jejunii sæpius comedere carnes, vel etiam cibos esuriales, sequitur, posse quoque dispensatum super abstinentia a bina refectione comedere carnes semel, vel bis, aut sæpius: sequela autem a nemine admittitur; ergo &c. Prob. sequela; nam etiam abstinentia a bina refectione pertinet ad substantiam jejunii &c.

Respondetur, neg. seq. Ad rationem ejus probativam dico, quod, tametsi non solum abstinentia a carnibus, sed etiam abstinentia a duplici refectione pertineat ad substantiam jejunii; id tamen dispari ratione verum sit. Nam prior abstinentia per præceptum Ecclesiæ imperatur magis, posterior autem minus principaliter, & dependenter ab illa, imitaturque naturam accessorii ad eandem. Unde subintrat *Reg.* Juris Pontificii 42. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*; ita ut hoc ruente ruat & illud, non vicissim. Itemque *Reg.* 53. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod minus*, non e contra. Sublata proinde per dispensationem abstinentia a carnibus tanquam principali, censetur quoque sublata abstinentia a bina refectione tanquam illius accessorium; & cui licet comestio carnium, quæ per præceptum jejunii est magis principaliter prohibita, etiam licet bina (vel crebrior) refectio, quæ est minus principaliter prohibita. Revide, & huc applica, quæ diximus *part.2.n.412. in fin.*

CASUS II.

21. *Ubaldus in Quadragesima 1. tempore antemeridiano bibere solet cocholatam, pomeridiano autem extra horam refectionis, & collationis vinum, ac cerevisiam, ad singulos haustus adhibendo pauxillum panis. 2. Sumit nonnunquam aliqua electuaria, sive confecta. 3. Semel jejunii non recordatus bono jentaculo se reficit. Quæritur circa primum, & secundum, an jejunium violet? circa tertium vero, an teneatur refectione meridiana supersedere, vel possit citra læsionem jejunii perinde se gerere, ac si mane nihil comedisset?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus, quod Ubaldus non violet jejunium bibendo sive cocholatam, sive vinum, & cerevisiam. De bibitione vini, & cerevisiæ conveniunt Authores: dissident vero de bibitione cocholatæ. Nostram tamen sententiam tenent vel absolute, vel saltem ut probabilem La Croix *lib.3. part.2. n.1291.* & apud ipsum Hurtadus, ac Lopez: item Babenstuber *loc. cit. art.1. n.13.* & alii plures. Ratio est: quia Ecclesia ad legitimam observationem jejunii requirit solum abstinentiam a carnibus, & a duplici refectione, seu comestione ciborum esurialium, non vero abstinentiam a potu; prout interpretatur communis usus, & consuetudo fidelium: atqui tam cocholata, quam vinum, & cerevisia obtinent rationem potus; ergo &c.

Confirmatur. Ecclesia in diebus jejuniorum illa solummodo interdicit extra tempus refectionis meridianæ, & collationis vespertinæ, quæ per se, & spectato communi usu, ac consuetudine fidelium ordinantur ad nutritionem corporis: atqui nec cocholata, nec vinum, aut cerevisia, spectato communi usu, & consuetudine fidelium, per se ordinantur ad nutritionem corporis, sed ad restinguendam sitim, & digerendos cibos; ergo &c.

Dices primo. Esto id asseri possit de vino, & cerevisia (uti & de Kaffè, ac Theè) non tamen affirmari valet de cocholata, utpote quæ est substantialiter cibus, æque, vel magis nutritivus, ac lac, mel, jusculum, & similia; ergo sicut hæc talia per se, & principaliter ordinantur ad nutritionem corporis, &, si sumantur extra tempus refectionis, ac collationis, frangunt jejunium; ita & cocholata.

Respondetur, dist. ant. Si cocholata præcise spectetur secundum suum esse physicum, in quo sensu argumentum opponitur, transeat, si spectetur quoad suum esse morale, seu usuale, neg. ant. & cons. Ex usu, & consuetudine fidelium etiam piorum, religiosorum, & doctorum, cocholata reputatur pro vero potu, ab iisque citra scrupulum in diebus jejuniorum sumitur: secus, ac lac, mel, jusculum &c. Huic fidelium usui, ac consuetudini suffragium ferunt tres SS.Pontifices, nempe Gregorius XIII. S.Pius V. & Paulus V. qui (teste Illsung *tr.4.disp.1.art.3.n.39.*) responderunt, quod sumptio cocholatæ observationi jejunii nullum creet præjudicium.

Dices secundo. Panis secundum omnes frangit jejunium: sed Ubaldus ad singulos haustus vini, & cerevisiæ adhibet panem, ut ponitur in Casu; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Panis sumptus per modum cibi, con. per modum medicinæ, & in modica quantitate, neg. maj. Sed Ubaldus adhibet panem per modum cibi, neg. per modum medicinæ, & quidem in modica quantitate, con. min. & neg. cons.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus. Neque Ubaldus violat jejunium sumendo electuaria. Ita cum communi aliorum P. Sporer *loc. cit. n.* 14. Ratio est: quia electuaria principaliter obtinent rationem medicinæ, & sumuntur ad juvandam digestionem ciborum; ergo non frangunt jejunium. Quod intellige: nisi sumantur in magna quantitate, & in fraudem jejunii: tunc quippe sumerentur potius ut cibus, & jejunio obessent: sicut & panis in magna quantitate ad haustus vinis, & cerevisiæ adhibitus: veluti proxime insinuatum.

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus. Ubaldus tenetur a refectione meridiana abstinere, & esse contentus collatione vespertina. Ita Lessius de Just. *lib. 4. c. 2. dub. 3. n.* 19. Herincx *part. 3. tr. 3. disp. 2. q. 5. n.* 84. & alii satis communiter. Ratio est: quia, cum Ubaldus ponatur se bono jentaculo refecisse, supponitur satis comedisse, adeoque reipsa sumpsisse justam refectionem; & mere per accidens est (in ordine ad punctum difficultatis) quod id fecerit absque reflexione ad diem jejunii; ergo tenetur abstinere a refectione meridiana; alias sumeret alteram refectionem, in die jejunii ab Ecclesia sub gravi peccato interdictam.

Dices. Si Ubaldus sumpsisset jentaculum ad præferendam difficultatem itineris pedibus agendi, & præter intentionem impediti, non teneretur postmodum abstinere a refectione meridiana; ergo idem dicendum in nostro Casu.

Respondetur, neg. ant. Siquidem par utrinque ratio militat, & sentiendam in uno, sicut in altero casu; prout recte advertit Herincx *loc. & n. cit.*

CASUS III.

22. *Valerius, & Valerianus, Seraphici Ordinis Juvenes professi, certo quodam die jejunii Ecclesiastici, seu Quadragesimæ designantur a Superiore servitores mensæ, cui ex condicto intererunt varii seculares, totam Religiosam Communitatem liberaliter tractaturi. Antefati Juvenes, ut obmurmurantem præ fame stomachum præveniant, & contentent, coquum adeunt, suam refectionem petunt, obtinent, & sumunt ante horam undecimam. Hac audita pulsatur ad mensam, cui iidem inserviunt usque ad horam primam: qua audita substituuntur alii servitores, prioribus ad mensam sedere jussis: quibus & apponuntur fercula ex mandato tum Superioris, tum Benefactorum. Quæritur, an adhuc aliquid, & quantum citra læsionem jejunii comedere possint?*

Respondetur, quod (si refectio, quam ante mensam sumpserant, non fuerit plena) comedere adhuc possint, quantum placet: dummodo limites temperantiæ non excedant. Ita cum aliis a se relatis P. Elbel *part. 3. in Decal. n.* 439. Ratio est: quia antecedens, & hæc subsequens comestio sunt moraliter una, cujus unitati nullum omnino præjudicium creat interruptio physica, licet per duas horas continuata; eo quod sit facta ob justam causam, videlicet ob officium ministrandi ex obedientia demandatum, & cum convivio adhuc durante connexum.

Dices. Si quis, v. g. Sacerdos Franciscanus, ante undecimam se refecisset, esto non plene, ut posset accedere ægrotum, ad quem vocatus erat, & post duas horas reverteretur ad monasterium, prædictis hospitibus adhuc in mensa sedentibus, non posset accumbere, & vesci cibis, sibi forte appositis; ergo idem dicendum de Valerio, & Valeriano in Casu.

Respondetur primo, transmisso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia officium ministrandi ad mensam habet connexionem cum convivio, quæ facit, ut comestio antecedens, & subsequens inter se moraliter uniantur. E diverso visitatio ægroti nullam habet connexionem cum convivio, adeoque nec vim moraliter uniendi illas comestiones.

Respondetur secundo, neg. ant. Licet enim visitatio ægroti, secundum se spectata, nullam habeat connexionem cum convivio, atque ut sic careat virtute comestiones illas, duarum horarum intervallo physico interpollatas, moraliter uniendi; habet tamen ejusmodi connexionem, & vim, quatenus spectatur cum aliis circumstantiis, quæ una concurrunt: cujusmodi sunt justa a convivio recedendi, intentio, saltem tacita, & implicita, peracto charitatis negotio, redeundi; nec non duratio convivii.

Dixi tamen in respons. *si refectio non fuerit plena.* Nam si tunc jam manducassent usque ad satietatem, non videntur amplius quidquam posse comedere absque violatione jejunii sive mortali, sive veniali, juxta quantitatem materiæ comestæ. Ratio est: quia tunc posterior comestio non potest esse complementum prioris, utpote jam completæ; adeoque nec cum ea moraliter uniri, & coalescere in unam refectionem. P. Elbel *loc. & num. cit.*

CASUS IV.

23. *Valentinus Algojus in S. Tribunali se accusat, quod semel in die jejunii comederit carnem; & semel excesserit in collatione vespertina: jussusque a Confessario edicere quantitatem materiæ comestæ, reponit, quantitatem carnis non ascendisse ultra duas lothones; quantitatem vero ciborum esurialium, in collatione sumptorum, æquasse tres fere partes cœnæ ordinariæ. Addit præterea, excessum in collatione fuisse commissum per comestionem piscis cocti, & calidi. Qualiter peccasse censendus est Valentinus?*

Antequam hic Casus trimembris resolvatur, tria notanda sunt. Primum concernit abstinentiam a carnibus in die jejunii, contra quam videtur mortaliter delinquere sumens dimidium quadrantem libræ, seu 4. lothones de carne; venialiter autem, sumens, quod (juxta moralem computationem) inferius est. Ita P. Stoz (seipsum, seu antea nimis laxum, corrigens) *lib. 1. part. 3. n.* 328. eumque secutus Herzig in *Manual. part. 2. n.* 441. Ratio hujus determinationis est: quia dimidius quadrans libræ prudentum judicio censetur quantitas notabilis in comestione carnis relate ad violationem jejunii; &, quod inferius est, non notabilis. Nec refert, quod alii Authores plerique nullam hic materiæ determinationem faciant. Nam contra id sic arguit P. Stoz his omnino verbis; *Frangenda est glacies* (quando commode, & citra periculum labendi in aquas erroris frangi potest, ut hic) *in illis præsertim materiis, quæ admittunt peccatum veniale ex parvitate materiæ; & aperte dicendum, quod occulte in S. Pœnitentiæ Tribunali decernendum est. Siquis enim se præcise accuset, quod comedenda carnes jejunium violaverit, Confessarius nondum scit (quod tamen velut Judex ex officio saltem regulariter scire debet) an pœnitens peccaverit mortaliter, vel venialiter? debet ergo in hoc secreto foro judicium sibi formare, quæ materia magna sit, quæ parva. Quod igitur Confessarii privatim sentiunt; quid est, quod in publicum proferre recusant? cum enim in aliis similibus materiis, v. g. furtis, neglectu in Horis Canonicis &c. eam materiam determinent; cur hic sunt tam seu scrupulosi, seu timidi?*

Alterum concernit abstinentiam a secunda refectione, & loco hujus subrogatam, ac concessam collationem vespertinam, in modica ciborum esurialium quantitate capiendam. Quænam autem quantitas hic possit, ac debeat censeri modica, dissident Authores. Ego (relictis aliorum determinationibus) consendo in sententiam Laymani, Filliucii, Reginaldi, Sporeri, aliorumque plurimorum, judicantium, quartam partem cœnæ ordinariæ intra Temperantiæ limites sumi solitæ recte statui pro quantitate modica, hac non mathematice, sed moraliter dijudicata. Ratio sumitur ex prudenti hominum æstimatione, qua antefata quantitas merito reputatur pro modica: pro quali etiam agnita fuit communi consensu Theologorum in celebri quadam Academia desuper consultorum; ut testatur Filliucius. Ex quo fit, ut si in cœna comedere soleas v. g. libram, in collatione licite sumas quadrantem libræ; illicite vero, quod in morali æstimatione est supra quadrantem libræ: nisi consuetudo, vel rationabilis causa excessum cohonestet; ut fit in Vigilia Nativitatis Domini, ubi permittitur collatio duplo major; idque ex recepta consuetudine, & propter Officium nocturnum, cui omnes, vel saltem plerique fideles interesse solent. Ita cum aliis P. Babenstuber *loc. cit. art. 1. n.* 15.

Tertium itidem concernit collationem, ut sumendam in certa qualitate ciborum esurialium. Pendet hæc qualitas ex consuetudine, quæ alia est in regionibus calidioribus, & alia in frigidioribus. In regionibus calidioribus consuetudo habet, ut in collatione vespertina non opponantur cibi proprie dicti, id est, tales, qui communiter reputantur inter fercula ad sustentationem naturæ ordinata, multumque nutrientia; uti inter cibos esuriales (de quibus hic unice sermo) sunt omnes pisces cocti, ova, lacticinia, placentæ, & similia: sed cibi leviores tantum; uti sunt modicum panis, herbæ, ficus, uvæ passæ, nuces, poma, pyra, aliique fructus: item confecta ex saccaro, melle &c. E diverso in regionibus frigidioribus, præsertim nostræ Germaniæ, hodierna consuetudo obtinet, ut non attendatur ad qualitatem ciborum esurialium, sed solum ad quantitatem, ita ut quoslibet cibos in collatione vespertina licite sumamus, quos licite sumimus in cœna meridiana, modo servetur debita quantitatis discretio. Unde licite apponuntur, & comeduntur juscula cocta ex vino, vel cerevisia, pane, herbis, fructibus &c. oleo, vel butyro condita: item pisces, legumina, ova, placentæ &c. sive frigida sint, sive calida. Ratio responsionis quoad utranque partem est, quod consuetudo, quæ refectiunculam vespertinam introduxit, præter quantitatem, etiam qualitatem cibi in illa licite sumendi introduxerit; cui proinde ad jejunia obligati se accommodare possunt, & respective debent.

Respondetur nunc ad Casum. Et quidem ad primum illius membrum ajo, quod Valentinus in die jejunii comedendo unicam, seu duos lothones carnis non peccaverit mortaliter, per se loquendo. Ratio est: quia ex dictis in 1. *Not.* non peccat mortaliter, qui in die jejunii sumit minus carnis (secundum computationem moralem) ac dimidium quadrantem libræ: atqui Valentinus sumpsit minus; cum duo (imo tres) lothones non constituant, seu attingant dimidium quadrantem, sed quatuor; ergo &c.

Dixi: *per se loquendo*: id est, nisi putaverit, se delinquere mortaliter, vel saltem de hoc practice dubitaverit. Hoc quippe casu omnino mortaliter peccasse censendus est: prout constat ex alibi dictis.

Ad alterum membrum Casus ajo, Valentinum in collatione sumendo tres vel quasi tres partes cœnæ ordinariæ peccasse mortaliter. Ita cum Diana P. Sporer *loc. cit. n.17.* & cum utroque P. Babenstuber *num.* 10. aliique communiter. Ratio est: quia præceptum Ecclesiæ imperando abstinentiam a secunda refectione, eam sic imperat, ut unicam duntaxat refectionem (permissa solùm collatione vespertina) concedat; consequenter sub mortali vetet omnem notabilem excessum ultra illam refectionem; qualem excessum in tribus partibus justæ refectionis (imo juxta *cit. AA.* etiam in duabus) reperiri, nemo est, qui ambigat.

Ad tertium membrum Casus ajo, Valentinum ob non observatam qualitatem ciborum esurialium, seu quod comederit piscem coctum, & calidum, haud peccasse distincto peccato, nec aggravasse peccatum ob non observatam quantitatem commissum. Fluit ex dictis in *Not.* 3. quia consuetudo in regionibus frigidis, qualis vel maxime est Algoia, cujus filius, & inquilinus fuisse ponitur Valentinus, permittit in collatione indiscriminatim usum ciborum esurialium, quos in cœna sumere licet: dummodo limites quantitatis non excedantur.

CASUS V.

24. *Valentinianus aliquanto tempore Quadragesimæ per integras fere noctes dormire non valens, causamque hujus in abstinentiam a refectione vespertina referens, residuis Quadragesimæ diebus ad recuperandum somnum non solum in meridie, sed & vesperi plenam refectionem sumpsit. Idem Valentinianus in Vigilia S. Bartholomæi interfuit lauto, & ultra duas horas protracto convivio; in eoque ita satiatus fuit, ut vesperi nullam pene famem sentiret. Nihilominus ordinaria collatione non abstinuit, esto prævideris, se per eam iterato plene satiatum iri. Qualiter Valentinianus in hoc gemino casu judicandus?*

Respondetur. In priore casu Valentinianus non peccavit, si præviderit, fore, ut noctes quoque subsecuturas quasi insomnes ducere debeat, nisi bis reficiatur. Ita DD. communiter. Ratio est: quia longior carentia somni notabilem illi debilitatem, & infirmitatem consciscerct. Dixi tamen: *nisi bis reficiatur*. Si enim sufficiat ad conciliandum somnum unica refectio vesperi sumpta, tametsi nulla capiatur in meridie, tenetur Valentinianus ordinem refectionis immutare sumendo in meridie collationem, & vesperi refectionem. Ita La Croix *lib.3. part.2. num.*1325. & Herinex *loc. cit. num.*452. contra alios, volentes, Valentinianum etiam tunc esse licentiatum ad binam refectionem accipiendam. Ratio exceptionis, & responsionis nostræ est: quia abstinentia a bina refectione pertinet ad substantiam jejunii; non vero certa refectionis hora, ex dictis *n.*3. ergo illa præ ista eligi, & observari debet, quando non potest observari utraque.

In posteriore casu itidem non peccavit Valentinianus saltem contra præceptum jejunii, & per sumptionem collationis ordinariæ. DD. rursus communiter. Ratio est: quia præter unam refectionem vi consuetudinis licet sumere collationem, ex dictis *n.*5. mereque per accidens est, si hæc sumentem satiet: consequenter &c. Dixi: *saltem contra præceptum jejunii, & per sumptionem collationis ordinariæ*. Nam per sumptionem cœnæ, si in ea limites Temperantiæ transcenderit, utique peccavit non quidem contra præceptum jejunii, sed contra virtutem Temperantiæ: prout omnes fatentur.

CASUS IV.

25. *Virgilius sartor quodam jejunii die sub vesperum invisit Virgilianum sutorem cognatum, & vicinum suum, eumque offendit adhuc in mensa hærentem, & se una cum tribus famulis plena refectione saturantem. Hoc conspectu, primitus admirari, dein percontari abs Virgiliano, ejusque famulis Virgilius, quonam jure, ac titulo se eximerent ab onere jejunii? cumque reponerent, se per integrum diem strenue laborasse, & idcirco juxta declarationem Confessariorum ab observatione jejunii excusatos esse, Virgilius, se haud deterioris conditionis esse ratus, imperat uxori, ut & sibi posthac tempore vespertino non collationem, sed justam refectionem paret. Quæritur, an Virgilius æque, ac Virgilianus, alteram refectionem licite sumat?*

Respondetur negative, si nullam aliam causam a jejunio excusantem habeat præter labores, quos ipse ut sartor perficit. Sanct Gallenses *loc. cit. dub.*4. Herincx *n.*91. Viva super *prop.* damnatam, infra recitandam, & alii communiter. Ratio est: quia opera sartorum (secus, ac sutorum) sunt quieta, & citra magnam corporis agitationem, ac defatigationem exercentur; ergo cum observatione jejunii citra notabilem difficultatem consistere valent: consequenter &c.

Neque obstat, quod Eugenius IV. videatur indiscriminatim omnes artifices mechanicos a jejunio exemptos declarasse. Nam declaratio illa commode intelligitur, imo intelligi debet de illis artificibus, qui artem per se, & valde laboriosam exercentes dubitant, an tolerare jejunium queant? Hos ergo tales a jejunio liberos declarat altefatus Pontifex, eisque licentiam, & quasi privilegium sumendi alteram refectionem impertitur: non item alios, ejusmodi artem haud exercentes. Evincitur hoc inde, quod idem Pontifex apud Silvestrum V. *Jejunium n.*24. tantum dicat: *Opifices laboriosa opera exercentes &c.* & ideo damnata est ab Alexandro VII. hæc prop. *n.*30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio?*

CASUS VII.

26. *Venustus, & Venusta, pientissimi conjuges, edidere votum jejunandi certis hebdomadæ diebus per totam vitam; quod & servarunt fideliter, donec procedentes in diebus suis sexagenarii fierent. Ast attacta hac ætate, & senectute, dubium concipiunt, sintne adhuc vi sui voti ad jejunandum illis diebus obligati, nec ne? Sciscitantur proinde ex Confessario, suique dubii resolutionem expetunt, Quid dicet Confessarius?*

Respondetur. Confessarius dicet, quod Venustus, & Venusta, si etiamnum validi, & ad perferendum jejunii rigorem satis robusti existant, teneantur vi sui voti jejunare tandiu, quandiu sufficientes ad jejunandum vires retinent; adeoque non possint se censere deobligatos, esto annum sexagesimum compleverint. Ita Layman *lib.4.tr.8.c.3.n.2.* Sporer *loc. cit. n.52*, Babenstuber *art.3.n.3.* & alii. Ratio est: quia, licet Venustus, & Venusta, post sexagesimum ætatis annum, non amplius obligentur ad jejunandum ex præcepto Ecclesiastico; potuerunt tamen se obligare ex propria voluntate (atque reipsa se obligasse censendi sunt, dum emiserunt votum jejunandi certis hebdomadæ diebus per totum tempus vitæ suæ) quandiu citra notabile corporis detrimentum jejunare possint; ergo &c. Confirmatur. Juvenes, licet ante vigesimum ætatis annum completum non obligentur ad jejunandum ex præcepto Ecclesiastico, obligantur tamen vi voti, siquod emiserint; ergo idem sentiendum de senibus, facta relatione ad tempus, quo adhuc validi, & ad sufferendum jejunii onus sufficienter robusti existunt.

Dices primo. Votum jejunandi obligat instar præcepti Ecclesiastici; ergo cum istud sexagenarios non amplius obliget, neque illud obligabit.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Votum obligat instar præcepti Ecclesiastici quoad formam, modumque jejunandi, con. quoad personas, quas ad jejunandum obstringit, neg. ant. & cons.

Dices secundo. Franciscani sexagenarii non obligantur amplius ad jejunium sive Ecclesiasticum, sive Regulare, esto per S. professionem illud servare spoponderint; ergo neque Venustus, & Venusta in Casu &c.

Respondent P. Sporer, & quidam alii nostræ sententiæ Patroni, neg. cons. & parit. Quia (inquiunt) Franciscani non ex voto, sed tantum ex præcepto suæ Regulæ obligantur ad jejunium: præceptum vero Regulæ Franciscanæ obligat haud aliter, ac præceptum Ecclesiæ: consequenter cum hoc non amplius obliget Christianos sexagenarios, neque illod amplius obligabit Franciscanos sexagenarios. Verum hæc responsio mihi nunquam placuit, neque modo placere potest, nisi aliter instruatur, & modificetur. Unde

Contra est. Si præceptum Regulæ Franciscanæ non aliter obliget ad jejunandum, ac præceptum Ecclesiæ, etiam quoad personas obligatas (prout responsio supponit, & intendit) sequitur, neque Juvenes professos ante annum ætatis vigesimum primum obstringi ad jejunium sive Ecclesiasticum, sive Regulare, cum præceptum Ecclesiæ illos non obstringat: sequela autem est contra communem, & contra ipsosmet ita respondentes; ergo &c.

Respondet ad hoc memorati Authores, non esse paritatem inter Juvenes, & Senes, relate ad præceptum jejunandi. Nam Juvenes, dum in seculo degunt, non adstringuntur ab Ecclesia ad jejunium ante annum ætatis vigesimum primum ex mera indulgentia, cui renunciare possunt, & renunciare censentur, dum S. professionem emittunt. At vero Senes post sexagesimum ætatis annum liberantur ab onere jejunii propter infirmitatem, & deficientiam imminentem, cui renunciare per Religiosam professionem ipsis non est integrum.

Sed contra est. Si sexagenarii suæ infirmitati, & deficientiæ imminenti renunciare non possint emittendo professionem Religiosam, neque renunciare possunt emittendo votum jejunandi (cur enim id possent in uno, & non in altero casu?) ergo si ex prædicta causa deobligantur a jejunio non obstante professione Religiosa, etiam deobligabuntur non obstante voto: quod itidem est contra sic respondentes. Ut ergo probabilis illa, & Franciscanis sexagenariis favorabilis sententia manuteneatur,

Respondetur aliter ad argumentum, neg. cons. & parit. Disparitas petenda est ex intentione profitentium, & voventium. Franciscani enim, dum profitentur, spondent servare Regulam in sensu, in quo eam post declarationes SS. Pontificum, & expositiones Marchantii, ac aliorum S. Ordo observat, & Novitiis explanat: atqui S. Ordo Regulam quoad præceptum jejunandi ita observat, & explanat, ut Juvenes professos etiam ante vigesimum primum annum ad jejunium obstringat; non item Senes post annum sexagesimum, licet & istis, si adhuc vegeti consistant, jejunium suadeat; ergo Juvenes in Professione renunciat suæ libertati; non item Senes: esto & hi renunciare possent in eventum, si post annum sexagesimum adhuc validi perstiterint; atque reipsa censendi essent renunciasse, supposito, quod edidissent speciale votum jejunandi jejunia Regulæ, & Ecclesiæ per totum tempus vitæ suæ: quale votum jejunandi certis hebdomadæ diebus edidisse ponuntur Venustus, & Venusta in Casu: consequenter &c.

DISPUTATIO II.

De Præcepto annuæ Confessionis.

De Confessione Sacramentali ipsa acturi sumus *p.5. tr.4.* hic autem expedienda sunt, quæ ejusmodi Confessionis Præceptum concernunt.

CAPUT I.

Quinam obligentur Præcepto Confessionis, qualiter, & quando?

SUMMARIUM.

27. *Præcepto Confessionis non solum qua Divino, sed etiam qua Ecclesiastico obligantur omnes homines baptizati, usu rationis præditi, & lethali culpa gravati: idque sub mortali.* 28. *Exponuntur particulæ conclusionis.* 29. *Quænam regula serviat ad dignoscendum, an pueri, & puellæ rationis usu præditi sint?* 30. *Probabilius est, pueros, & puellas, necdum septennes, obligari præcepto Confessionis etiam qua Ecclesiastico, si mortali peccato gravati sint.* 31. *Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis satisfit, quocunque anni tempore Confessio fiat.* 32. *Proponitur, & solvitur objectio.* 33. *Quomodo annus, intra quem peragi Confessio debet, sit computandus?*

27. Dico primo. Præcepto Confessionis non solum qua Divino, sed etiam qua Ecclesiastico (1.) obligantur omnes homines baptizati, usu rationis præditi, & lethali culpa gravati: idque (2.) sub mortali. Est communis, & certa sententia Orthodoxorum.

Probatur prima pars. Tum ex illo *Jacob.5. Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quæ verba Interpretes de Præcepto Divino Confessionis intelligunt, ac exponunt. Tum ex *c. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remiss.* ubi Innocentius III. in Conc. Lateranensi ita loquitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata mortalia saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Tum ex Conc. Trid. quod *Sess.14. can.8.* sic determinat: *Siquis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, a piis colendam, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendam esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.* In quibus Conciliis manifeste continetur Præceptum Ecclesiasticum Confessionis.

Probatur etiam secunda pars. Quoniam in *cit. cap.* annua confessio præcipitur sub pœna carendi sepultura Ecclesiastica, & abstinendi ab ingressu in Ecclesiam; quæ pœna utraque gravis est; & consequenter denotat obligationem gravem.

28. Dixi in conclus. 1. *omnes homines baptizati.* Nam infideles non baptizati, ut Pagani, Turcæ, Judæi &c. haud obstringuntur præcepto Confessionis saltem qua Ecclesiastico; bene vero infideles baptizati, ut Calvinistæ, Lutherani, Zvvingliani &c. Ratio est: quia infideles primi generis non sunt, infideles autem secundi generis sunt Ecclesiæ subjecti per characterem Baptismi. Nec dicas, allegatum *cap.* loqui de solis fidelibus: hæretici autem non sunt fideles. Respondetur enim, nomine fidelium venire non eos duntaxat, qui formaliter fideles sunt per infusum habitum fidei, sed etiam alios quoscunque, Ecclesiæ ratione suscepti Baptismatis subjectos.

Dixi

Dixi 2. *usu rationis prediti*. Siquidem præcepto Confessionis non obligantur usu rationis carentes: cujusmodi sunt plene fatui, perpetuo amentes, infantes &c. Ratio est: quia id genus homines peccare nullatenus possunt ob defectum usus rationis, & per consequens nec afferre materiam confessionis.

Dixi 3. *& lethali culpa gravati*. Unde qui sola venialia habent, non tenentur confiteri, ne quidem in articulo mortis, per se loquendo. Ratio est: quia solum confiteri tenemur materiam necessariam confessionis, qualem non habemus, dum sola venialia habemus: prout suo loco monstrabitur. Confirmatur. Non tenemur confiteri peccata venialia de Jure Divino; ut constat ex Conc. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5. ubi docet, venialia in confessione taceri *citra culpam*: neque de Jure Ecclesiastico; cum per hoc non intendatur, nec imponatur fidelibus quoad confessionem peccatorum nova substantialiter obligatio, sed solum obligatio Juris Divini determinetur ad certum tempus &c. Per accidens tamen ad evitandam præsumptionem, & occurrendum periculo (si forte quis, maxime moribundus, versetur in malo statu, esto id non existimet) atque ad cavendum scandalum, nunquam, saltem in mortis articulo, omittenda est confessio peccatorum etiam venialium duntaxat. Gobat *tr.* 6. *cas.* 10. *num.* 253. & alii communiter.

29. Quæres primo, quænam regula serviat ad dignoscendum, an pueri, & puellæ rationis usu prædiți sint?

Respondetur cum Laymanno *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 5. *n.* 7. & aliis ipsum secutis, id colligendum esse non ex sola ætate, utrum scilicet septennium exegerint (post hoc enim præsumptio esse solet de usu rationis) sed multo magis ex ingenii, & educationis qualitate. Contingit enim, ut alii primum post, alii vero ante septennium rationis usum, & discretionem ad mortaliter peccandum sufficientem assequantur. Lessius *in Auctar. v. Confessarius c.* 6. hanc regulam statuit: pueri videntur capaces rationis, si sciant, quid eventurum sit male agentibus, quid bene agentibus; tunc enim concipiunt timorem Numinis, & affectum servitutis erga Deum. Teretius autem in libello, cui titulus, *Confessio, seu instructio idiota*, *c.* 2. §. 5. *q.* 2. apud Gobat istam assignat: si parentes, aut Pastores viderint, pueros discernere bonum, & malum; pudefieri de mendacio, de aliqua impudicitia commissa, laudare obedientiam &c. concludent, eos rationi uti, quemcunque ætatis annum attigerint.

30. Quæres secundo, an pueri, vel puellæ necdum septennes non solum possint, sed etiam teneantur confiteri ex præcepto Confessionis qua Ecclesiastico, si mortali peccato se oneratos agnoscant?

Respondetur, utranque sententiam, affirmativam scilicet, & negativam, esse probabilem. Negativam tenent Sanchez, Palao, Diana, Burghaber *centur.* 2. *cas.* 24. Ratio horum est: quia leges humanæ solum attendunt ad ea, quæ communiter contingunt: atqui sufficiens ad mortaliter peccandum rationis usus communiter non irradiat in pueris, & puellis ante septennium: consequenter &c. Affirmativam tuentur La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2026. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *art.* 1. *n.* 8. & alii. Ratio istorum est: quia in *cit. c. Omnis utriusque sexus*, sine ulla exceptione omnes fideles jubentur sua peccata confiteri, qui ad annos discretionis pervenerint: atqui etiam pueri, & puellæ peccati mortalis sibi conscii, esto necdum sint septennes, pervenerunt ad omnes discretionis, id est, ad eam ætatem, in qua inter bonum, & malum discernere norunt (alioquin mortaliter peccare non potuissent) ergo tenentur confiteri. Atque hæc posterior sententia videtur probabilior. Ad rationem prioris ajo, quod leges humanæ attendant solum ad ea, quæ communiter contingunt, ordinarie loquendo, & quando oppositum non indigitant; prout indigitare videtur Lex Ecclesiastica Confessionis, quippe obligationem confitendi mortalia referens ad annos discretionis, non materialiter, & physice, sed formaliter, & moraliter spectatos, hoc est, ad ipsam discretionem inter bonum, & malum: consequenter &c.

31. Dico secundo. Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis satisfit, quocunque anni tempore peragatur Confessio. Ita cum satis communi aliorum P. Reiffenstuel *in Theolog. Mor. tr.* 10. *dist.* 3. *n.* 15.

Probatur. Quia *in cit. cap. Omnis utriusque sexus* plus non præcipitur, quam ut quis semel in anno confiteatur; ergo qui semel in anno confitetur, satisfacit præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis. Sed quocunque anni tempore, seu parte, quis confiteatur, semel in anno confitetur; ergo &c.

32. Objicies. Parochi tempore Paschali sollicite expetunt a suis parochianis schedas peractæ tum confessionis testatrices. Item in Extravag. *Vices illius, de Treuga, & Pace* habetur: *De Jure tenetur parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* Ergo præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis implendum est determinato anni tempore, videlicet tempore Paschali, intra quod sumenda est sacra Communio.

Confirmatur. Parochi solent denunciare tanquam excommunicatos, qui non confitentur tempore Paschali; ergo eos judicant, & puniunt tanquam transgressores præcepti Ecclesiastici, confessionem annuam imponentis.

Respondetur ad object. cum P. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 16. Id totum fieri, & faciendum esse non per se, quasi tempore Paschali determinate obliget præceptum Ecclesiasticum Confessionis; sed per accidens, quia tunc urget præceptum Communionis, cujus dignæ perceptioni, quando non deest copia Confessarii, præmittenda est confessio Sacramentalis, nec sufficit sola contritio de peccato mortali commisso: prout suo loco dicemus.

Ad confirmat. dist. ant. Solent illos denunciare (ex commissione Episcopi) tanquam excommunicatos propter neglectum præceptum Communionis, quod tempore Paschali determinate obligat, trans. propter neglectum præceptum Confessionis, per se loquendo, neg. ant. & cons.

33. Quæres, quomodo annus, intra quem peragi confessio debet, sit computandus?

Respondetur, eum posse duplici modo computari, nimirum a prima die Januarii usque ad ultimam Decembris; & ab uno Paschate ad alterum. Prior modus est præferendus, si præcise spectemus verba Legis Ecclesiasticæ; posterior vero, si spectemus praxim. Ratio primi est: quia annus usualis ita communiter accipitur, itaque illum accipiunt omnia Jura, nisi aliud exprimant. Ratio secundi est: quia Pastores nullo alio tempore, quam Paschali solent a suis subditis exigere confessionem. Ita P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 19. & alii satis communiter.

CAPUT II.

In quo expediuntur nonnullæ Quæstiones.

SUMMARIUM.

34. *Non satisfit præcepto Confessionis per confessionem sive voluntarie, sive involuntarie nullam.* 35. *Qui non est confessus (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) anno elapso, tenetur id supplere anno currente.* 36. *Satisfacit tamen similis una confessione pro ambobus annis.* 37. *Etiamsi quis anno currente prævideat, se anno sequente ab instituenda confessione impeditum iri, non tamen tenetur eandem anticipare.* 38. *Secus est, si anno jam cœpto prævidet, se ita impeditum iri per reliquas illius partes.* 39. *Quas pœnas incurrat annuæ confessionis neglector?*

34. QUæres primo, an præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis satisfiat per confessionem invalidam?

Respondetur negative. Ratio est: quia Ecclesia imperat eandem confessionem, quam Christus; cum illa præcepto Divino Confessionis solum, & præcise addiderit determinationem temporis, quo a suis subditis peragi confessio debeat, & Sacerdotis, apud quem peragi debeat: atqui Christus imperat confessionem validam; ergo & Ecclesia: consequenter &c. Min. ostenditur: siquidem Christus imperando confessionem primario intendit reconciliationem hominis cum Deo, & recuperationem Divinæ amicitiæ per mortale peccatum dissolutæ: qui finis per confessionem invalidam non obtinetur: consequenter &c. Ex qua ratione fluit, præcepto Confessionis reipsa non satisfieri per confessionem invalidam, sive hæc sit invalida,

& nulla voluntarie, sive involuntarie: quia per neutram obtinetur prædictus finis; ut patet: & discrimen inter unam, & alteram in eo duntaxat situm est, quod per confessionem voluntarie nullam peccetur; non item per nullam involuntarie: quodque opposita sententia sit una ex damnatis, si feratur de confessione voluntarie nulla; ut liquet ex Decreto Alexandri VII. ubi configitur ista *propos. ord. 14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ:* Secus, si feratur de confessione involuntarie nulla. Ita cum Platelio, & aliis La Croix *lib. 6. par. 2. n. 2032. & seqq.*

35. Quæres secundo, an (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) non confessus anno elapso, obligetur virtute præcepti Ecclesiastici ad confitendum hoc anno, quamprimum commode potest?

Respondetur affirmative. Ita Card. de Lugo, Suarez, Vasquez, Bosco, Gormaz, & alii, quos refert, & sequitur La Croix *loc. cit. n. 2046.* Ratio est: quia tempus annuum, intra cujus decursum confessio peragenda injungitur, non assignatur tanquam terminus obligationis finiendæ, sed exequendæ, seu non ulterius differendæ; ergo, anno transacto, urget adhoc ea obligatio, & confessio, quæ anno præcedente omissa fuit, anno currente peragenda, & supplenda est, quamprimum commode potest: alias qui confessionem anno præterito intermisit inculpabiliter, modo inculpabilis fiet, & peccabit contra præceptum Ecclesiæ; qui vero illam intermisit culpabiliter, peccatum continuabit, & augebit. Ant. colligitur ex ipso Legis contextu; nam dicere, ut semel saltem in anno quis confiteatur, videtur æquivalenter idem, ac dicere, ut ultra annum confessionem non differat: veluti recte advertit P. Babenstuber *tr. 8. part. 6. disp. 5. art. 1. n. 19.*

Dices. Qui non audivit die Dominico Sacrum, non tenetur id supplere die aliquo subsequente; ergo similiter, qui non confessus est anno præcedente, non tenetur id supplere anno subsequente.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia in casu antecedentis cessavit finis præcepti, nempe religiosa hominis occupatio, in sanctificationem diei Dominici injuncta. E contra in casu consequentis nondum cessavit finis præcepti, nimirum reconciliatio hominis cum Deo: ut bene notat La Croix *loc. & n. citt.*

Instabis. Finis præcepti non cadit sub præceptum; ut habet commune axioma; ergo licet in casu consequentis necdum cessaverit finis præcepti, haud tamen infertur, adhuc extare obligationem confitendi, ut finis ille obtineatur.

Respondetur in primis, finem præcepti non cadere sub præceptum, quando in præcepto non exprimitur; adeoque quando obtinet rationem finis mere extrinseci: secus, quando in præcepto exprimitur, & una cum re, seu actione præcepta coalescit, evaditque finis intrinsecus; prout evenit in nostro proposito, ubi Christus, dum præcipit confessionem, etiam præcipit reconciliationem peccatoris cum Deo, cum præcipiat confessionem legitimam, & Sacramentalem, quæ est remissiva peccatorum, & reconciliativa hominis offendentis cum Deo offenso. Ita Augustinus Michel *tom. 3. tr. 3. fol. 237. n. 8.* La Croix *lib. 6. part. 1. n. 629.* & alii. Deinde allegatum axioma intelligi debet, quod plerumque sufficiat debite exequi rem præceptam, licet signare non adsit voluntas satisfaciendi præcepto, aut licet subditus, dum exequitur onus præceptum, intentionaliter non feratur in eandem, vel easdem causas finales, quas sibi præstituit Legislator, Authores *citt.* Revideri quoque possunt, quæ habentur *part. 1. n. 267. & seqq.*

36. Si petas, an ejusmodi pœnitens unica confessione satisfaciat postmodum pro duobus annis, nempe pro elapso, & currente?

Respondetur affirmative. Herincx *part. 4. art. 4. disp. 3. n. 107.* Sporer *de Pœnit. n. 536.* La Croix *lib. 6. part. 2. n. 1047.* & alii plurimi. Ratio est: quia unico actu obtinetur finis præcepti, ut respicientis utrunque annum, videlicet reconciliatio hominis cum Deo. Confirmatur. Ex opposita sententia sequeretur, quod per decennium non confessus teneretur anno currente undecies confiteri ad supplendas confessiones, decem annis antecedentibus omissas: sequela autem pugnat contra communem sensum DD. ipsamque praxim confessionalium; ergo &c.

Limitant tamen datam responsionem Sporer, La Croix, & alii plures, voluntque, eam non procedere in casu, quo quis anno currente post peractam confessionem in mortale lapsus sit. Ratio ipsorum est: quia tunc confessio censeretur peracta ad satisfaciendum obligationi præcedentis anni, nondum sublatæ; & superveniret nova obligatio anni currentis, per commissionem peccati mortalis contracta.

Sed probabilius videtur, nostram responsionem etiam tali casu procedere. Ita Herincx *loc. cit.* Bosco, & alii. Ratio est: quia, ut quis præcepto Confessionis satisfaciat, sufficit, quod confiteatur peccata mortalia, quorum tunc, quando confitetur, conscientiam habet, sive dein illa peccata sint commissa anno currente, quo confessionem peragit, sive anno elapso, quo confessionem omisit: consequenter &c. Ad rationem Adversariorum ajo, ex commissione novi mortalis resultare quidem, ac supervenire novam obligationem confitendi, non autem confitendi eo anno, quo præcepto Confessionis jam est satisfactum.

37. Quæres tertio, an, qui anno hoc currente prævidet, se anno sequente ab instituenda confessione impeditum iri, teneatur eam anticipare?

Respondetur negative. Ita cum Dicastillo, & aliis La Croix *lib. 6. part. 2. n. 2045.* Ratio patens est: quia anno currente nondum incipit obligatio confitendi pro anno sequente; ergo nemo potest, & consequenter nemo tenetur eam anticipato implere.

Dices. Qui non potuit confiteri anno præcedente, tenetur id supplere anno subsequente, ut proxime dictum; ergo etiam qui non potest confiteri anno subsequente, tenetur id præstare anno præcedente.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia in casu antecedentis obligatio confitendi jam existit anno præcedente, & existere pergit, donec impleatur; prout *n. præced.* ostensum manet. E contra obligatio confitendi in casu consequentis needum existit: consequenter &c.

38. Quæres quarto, an saltem, qui anno currente prævidet, se tempore Paschali, & reliquo ejusdem anni a facienda confessione impediendum fore, teneatur prævenire, eamque anticipare?

Respondetur affirmative. Ita cum Bosco, Frassen, & satis communi aliorum P. Marinus Panger in sua Theologia nuper edita *lib. 4. disp. 3. q. 4. n. 57.* Ratio est: quia quando obligatio alicujus præcepti, prout conjuncta cum exactione executionis, cadit in plures partes temporis, & non potest impleri in una, debet impleri in altera parte: sed obligatio Confessionis annuæ, prout conjuncta cum exactione executionis, cadit in plures partes temporis, imo in omnes totius anni; ergo &c. Min. relinquitur ex dictis *c. præced.* Maj. ostenditur a simili. Nam quia obligatio audiendi Missam die festivo, prout conjuncta cum exactione executionis, cadit in plures, imo omnes partes temporis antemeridiani, qui prævidet, se in una parte prædicti temporis impediendum fore ab auditione Missæ, tenetur hanc audire in alia ejusdem temporis; ergo &c.

Nostra tamen responsio, ejusdemque probatio accipiendæ sunt cum hac probabili exceptione: nisi quis prævideat, se a Confessione impeditum iri impedimento penitus liberante, & non mere excusante. E. G. Minister Cæsareus jubetur Mense Januario, vel Februario se conferre ad terras Turcarum, ibique morari per reliquum anni tempus: talis etsi prævideat defuturam sibi occasionem confitendi intra illius anni decursum; nihilominus probabiliter non tenetur confessionem anticipare in terris Catholicorum. Ratio est: quia licet illi non suffragetur in ordine ad omittendam confessionem impotentia confitendi in Turcia, utpote quæ est impedimentum mere excusans; suffragatur tamen eidem egressus extra territorium Ecclesiæ, qui est impedimentum penitus liberans. Revide, quæ diximus *part. 1. n. 440.* Hac exceptione animadversa, contra responsionem ad Quæsitum redditam,

Dices. Qui vovit jejunare proximo die Sabbati in honorem B. Virginis, & prævidet, occursurum tali die impedimentum, non tenetur prævenire, & suum votum implere die aliquo præcedente; ut tradidimus *p. 2. n. 441.* ergo neque &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia obligatio memorati voti, cum hoc sit editum in specialem venera-

venerationem B. Virginis (ut supponitur) est affixa diei Sabbatino, ante quem proinde non petit, nec potest impleri, ut *loc. cit.* deduximus. E diverso obligatio annuæ confessionis non est affixa certo diei, vel mensi temporis anni: consequenter potest, & debet impleri quocunque anni die, vel mense, quando non potest impleri reliquo tempore anni: id quod intendit, & ostendit ratio probativa responsionis.

39. Quæres quinto, quasnam pœnas incurrat annuæ confessionis neglector?

Respondetur, quod incurrat censuram Ecclesiasticam, ut vivus arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus careat sepultura Ecclesiastica: sic enim habetur in *cap. Omnis utriusque sexus* supra *cit.* Nec requiritur, ut neglexerit utrunque præceptum simul, Confessionis scilicet, & Communionis; sed sufficit, quod neglexerit alterutrum: adeoque etiam neglector solius confessionis annuæ præmemoratis pœnis subjacet. Ita cum Suarezio, & communi aliorum La Croix *lib. 6. par. 2. n.* 2035. Illarum tamen pœnarum sunt aliquæ moderationes animadvertendæ. Prima est, quod non incurrantur ipso facto, sed post sententiam Judicis Ecclesiastici; quia sunt de classe pœnarum ferendæ, non latæ sententiæ: prout colligitur ex verbo *arceatur*, ad Judicem directo. Nihilominus in multis Diœcesibus obtinet pœna excommunicationis latæ sententiæ, adversus neglectores annuæ confessionis fulminata per legem Synodalem. Secunda est, quod esto Judex, cognita causa, aditum Ecclesiæ interdixerit, non tamen quilibet aditus censeatur interdictus, sed ille duntaxat, qui fit ad cultum Dei inibi exercendum, puta ad fundendas preces, audiendas Missas, percipienda Sacramenta &c. Siquidem Ecclesia accipi debet formaliter, quatenus est locus sacer ad cultum Dei destinatus; non vero materialiter, & quatenus præcise locus est, in quo alia fieri solent; ut electiones, disputationes, collationes Doctoratus, comœdiæ sacræ &c. Ob has ergo ingredi Ecclesiam non prohibetur, alias ingressu ob prætactam causam Interdictus. Ita cum Alterio Augustinus Michel *tom. 3. tr. 4. part. 2. fol. 531. n. 19.* Tertia est, quod Ecclesia, etiam formaliter spectata, cum versemur in materia odiosa, & pœnali non comprehendat hic cœmeteria, aut ædificia Ecclesiæ contigua; nec oratoria privata, licet Episcopi authoritate approbata: horum igitur ingressus non censetur prohiberi, dum prohibetur ingressus Ecclesiæ. Quarta est, quod interdictus per *text. in c. 24. de sent. excom. in 6.* licentiam habeat Divinis interessendi in Ecclesia quatuor præcipuis anni festivitatibus, nempe in Domini Nativitate, Resurrectione, Pentecoste, & Assumptione B. Virginis. Quinta est, quod interdictus sepeliri in loco sacro possit, si ante mortem pœnitentiam egerit, vel saltem signa pœnitentiæ dederit, per *c. 20. de sentent. excom. in 6.* ubi id generatim traditur de interdicto personali. Author proxime *cit.* & apud ipsum Bonacina, Sayrus, ac Barbosa.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

40. VVenceslaus ad finem anni in mortalia lapsus, tenetur adhuc eodem anno confiteri, si ante non nisi venialia habuerit, & confessus sit. VVendelinus Parochus non potest imperare suis parochianis, ut confessionem Paschalem faciant sibi, & non Religiosis Mendicantibus, ab Episcopo approbatis. 42. VVilibaldus, mortalia confessus, non tenetur eodem anno adhuc semel confiteri, dum recordatur peccati mortalis in peracta confessione citra culpam omissi.

CASUS I.

40. *VVenceslaus, Philosophiæ Studiosus, ultra biennium peccato mollitiei deditus, sed per sedulam, ac devotam Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentationem ab eo abductus, castam vivere vitam incipit, novosque induere mores, adeo honestos, & laudabiles, ut non modo peccatis mortalibus, sed crebrioribus*

quoque venialibus per integrum fere annum supersedeat. Sed in fine corrumpit, dum semel, bis, ter in vitium mollitiei relabitur. In quæstionem nunc venit, an VVenceslaus vi præcepti Ecclesiastici adhuc ante finem illius anni teneatur ea peccata confiteri?

RESpondetur affirmative. Herincx *part. 4. tr. 4. disp. 3. q. 8. n. 102.* Sporer *loc. cit. n. 528.* & alii communiter. Ratio est: quia VVenceslaus ex una parte pro illo anno nondum satisfecit præcepto Ecclesiæ, cum sola venialia intra illum commisisse, & confessus fuisse ponatur, quæ (itidem cogita de peccatis mortalibus jam directe remissis) non cadunt sub præceptum Confessionis, quippe mortalium duntaxat confessionem imperans, secundum dicta *n. 28.* ex altera vero parte nunc gravatur mortalibus, quæ cadunt sub dictum præceptum nondum impletum, & adhuc impleru possibile intra durationem ejusdem anni: consequenter &c.

Dices. Si VVenceslaus elapso anno, quo adhuc peccatis mollitiei immersus erat, fuisset inculpabiliter oblitus unum, vel alterum confiteri, idque anno currente clavibus subjecisset, ad nullam amplius confessionem obligaretur, etiamsi de novo mortaliter peccasset, uti peccasse ponitur in Casu; ergo neque &c.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia in casu antecedentis jam implesset præceptum annuæ Confessionis; eo quod peccatum mortale, licet priore anno commissum, nondum tamen directe remissum, & idcirco clavibus necessario adhuc subjiciendum, esset confessus. Aliter res se habet in casu consequentis, & nostro.

Instabis. Esto peccata venialia non sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, & Confessionis, sunt tamen materia sufficiens; ergo dum quis ea confitetur, præcepto Confessionis satisfacit: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Hoc ipso quippe, quod venialia sint tantum materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, non cadunt sub præceptum Confessionis; adeoque illa sola (vel etiam mortalia jam directe remissa) afferens, & confitens non satisfacit præcepto Confessionis, cum isto non obligetur. Videri potest Sporer *loc. cit. n. 527.*

CASUS II.

41. *VVendelinus, certi cujusdam Oppidi Parochus, in Festo S. Josephi ex cathedra promulgavit, & præcepit omnibus, ac singulis parochianis suis, ut confessionem Paschalem sibi facerent ceu Parocho, & Pastori proprio; non parituris comminatus privationem sepulturæ, & viatici. Durus hic sermo insonuit in auribus parochianorum, eorum maxime, qui PP. Franciscanis, in eodemmet Oppido commorantibus, per plura jam annorum curricula, etiam tempore Paschatis, confiteri assueverant. Accedunt proinde illorum aliqui P. Guardianum, & sciscitantur ab eo, num Parocho hoc puncto, & passu obsequi teneantur? Qui se P. Guardianus geret?*

RESpondetur primo. P. Guardianus admonere, & inclinare poterit parochianos ad exequendam voluntatem sui Parochi, nisi forte in tali executione specialem difficultatem præsentiscant. Ita Gobat in *Theol. Experiment. tr. 6. n. 296.* & alii plures. Rationes congruentiæ assignabit sequentes. Prima est: quia convenit, ut Pastor, saltem semel in anno, proprias oves recognoscat. Secunda: quia parochianorum vita, & mores ordinarie sunt notiores Parocho, quam aliis Confessariis: quæ notitia non modicum præstare valet, & solet adjumentum pro illorum conscientiis facilius, ac fructuosius dirigendis. Tertia: quia se accommodando conservabunt cum Parocho pacem, omnibus votis exoptandam, quippe cujus ruptio magnas animorum perturbationes, inquietudines, aliaque pene innumera mala parere nata est: prout experientia condocemur.

Respondetur secundo. Quod si P. Guardianus advertat, suam admonitionem non profuturam, sed potius obfuturam conscientiis parochianorum, præsertim aliquorum, qui, utpote animos a Parocho aversos gerentes, magnam in executione voluntatis ejus difficultatem experturi prævidentur, cordate, & categorice (servato tamen, quantum fieri poterit, moderamine

inculpatæ tutelæ, & respectu erga Parochum) veritatem aperiat, dicatque, eos præcepto annuæ Confessionis satisfacturos, & consequenter nullis posse subjici pœnis, confitendo in Paschate PP. Franciscanis, ab Episcopo Diœcesano ad excipiendas confessiones approbatis, Responsio hæc sumitur ex Bulla Clementis X. quæ incipit: *Suprema Magni*, data *anno* 1670. *die* 21. *Junii*, in qua §. 4. sic statuitur: *Semel autem simpliciter approbatos* (intellige Regulares Mendicantes, de quibus Bulla loquitur) *posse in Diœcesi Approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illico certiorem reddere.* Ac postmodum §. 5. *Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit:* Omnis utriusque sexus: *quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos*. Ita altefatus Pontifex post Leonem X. Pium V. Paulum V. Clementem VIII. & alios SS. Pontifices, qui idipsum jam antea decreverant. Videatur Augustinus Michel *loc. cit. fol.* 527. *& seqq.* Ex quibus perspicuum fit; VVendelinum suo procedendi modo impegisse contra Bullam Clementinam, plane clarissimam, energicam, & continua praxi confirmatam: proindeque mandatum illius fuisse irritum, & comminationes pœnarum vanas sine viribus iras. Non piget hic transscribere verba P. Gobati, quæ habet *loc. cit. num.* 293. omnibus, & singulis Parochis bene ponderanda: *Commendandi omnino sunt Beneficiati, qui pro suarum prebendarum juribus claris, & integris, tanquam pro aris, & focis decertant; ad id enim eos (ut alia pertranseam) compellit juramentum, quo in aditu beneficii se obstringunt ad conservanda, quood licebit, jura illarum. Dico:* quoad licebit; *non autem licet in iis circumstantiis, in quibus superior Magistratus circumcidit illa jura; cum scriptum sit: Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, Hebr.* 13.

Dixi tamen in respons. *PP. Franciscanis, ab Episcopo Diœcesano ad excipiendas confessiones approbatis.* Non enim satisfacerent præcepto annuæ Confessionis parochiani confitentes Sacerdoti Franciscano (vel alteri Mendicanti Religioso) ab Episcopo, licet injuste, reprobato; ut liquet ex *prop.* 13. inter damnatas ab Alexandro VII. quæ sic habet: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Nunc contra 2. respons.

Dices primo, In *c. Omnis utriusque sexus* præcipitur, ut quis semel in anno confiteatur *proprio Sacerdoti* (id est, Parocho) *vel alteri de ejus licentia*; ergo non satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Franciscano sine licentia Parochi.

Respondetur, nomine proprii Sacerdotis, & Parochi venire quemlibet Sacerdotem, vi sui Officii ordinaria jurisdictione in talem pœnitentem præditum: uti sunt Episcopi, earumque Vicarii Generales, & maxime S. Pontifex omnium fidelium ordinarius Pastor, & Rector: quemadmodum exponit Laymann *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 10. *num.* 11. aliique communiter. Ex quo fit, ut confitens Franciscano, censeatur confiteri alteri de licentia proprii Sacerdotis, id est, Pontificis, qui concessit privilegium confitendi, etiam tempore Paschali, Franciscanis, aliisque Religiosis Mendicantibus: & consequenter non agit contra intentionem, & dispositionem prævallegati *cap.* nec violat præceptum annuæ Confessionis.

Dices secundo. Ergo peccavit Parochus ille, unaque Decanus, pietatis, & doctrinæ prærogativa insignis, qui singulis annis ante initium temporis Paschalis ex cathedra promulgare consuevit, ut parochiani sibi, suove Capellano confessionem Paschalem deponerent.

Respondetur, eum neutiquam peccasse, si discreto zelo processerit (prout ipsum processisse scio) dictos parochianos adhortando, suaviter inducendo &c. Relege primam, & secundam rationem in 1. *respons.* adductam. Secus dicendum foret, si processisset zelo indiscreto, illis id dispotice imperando, addita etiam comminatione pœnarum: quemadmodum in Casu processisse ponitur VVendelinus.

C A S U S III.

42. *VVilibaldus, pluribus peccatis mortalibus oneratus, tempore Paschali una cum aliis fidelibus S. Tribunal accessit, suaque peccata, quæ post debite excussas conscientiæ latebras memoriæ occurrerant, Confessori fideliter exposuit, obtentaque Sacramentali absolutione communionem Paschalem sumpsit. At paucis post diebus recordatur peccati mortalis, per oblivionem in confessione omissi. Quæritur, an VVilibaldus vi præcepti Ecclesiastici teneatur adhuc semel confiteri, antequam novum Pascha superveniat?*

Respondetur negative, Ita cum communi aliorum P. Henricx *loc. cit. n.* 104. Ratio est: quia VVilibaldus jam semel confessus est peccata mortalia, quæ post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrerunt; ergo jam implevit præceptum Ecclesiæ, utpote quod plus non exigit, quam ut quis semel in anno peccata sua mortalia, memoriæ occurrentia, clavibus subjiciat, Confirmatur. Qui confitetur peccata mortalia, quæ post diligens conscientiæ examen memoriæ occurrunt, satisfacit præcepto Christi, juxta Tridentin. *Session.* 14. *cap.* 5. ergo etiam præcepto Ecclesiæ; cum hoc illi nihil superaddat præter determinationem temporis annui, & designationem Sacerdotis, sive Confessoris.

Idem dicendum foret, si VVilibaldus aliquod ex mortalibus reticuisset ob justam causam. Ita Suarez, Lugo, Aversa, Dicastillo, & Bosco apud La Croix *loc. cit. n.* 2048. contra Gormaz, & alios. Ratio est: quia etiam tunc implesset præceptum Christi; ergo & Ecclesiæ. Nec refert, quod non exposuisset omnia mortalia, memoriæ occurrentia. Omnia quippe exposuisset, quæ exponere obligatus fuisset; quod sufficeret ad impletionem præcepti. Tali ergo casu suffragaretur VVilibaldo non quidem oblivio, sed alia justa causa.

Idem quoque dicendum foret, si VVilibaldus, peccato reservato gravatus, istud (expositis tamen aliis mortalibus) omisisset, quippe confessus Sacerdoti non habenti potestatem in reservata, aliumque, potestate in reservata præditum, acquirere non valens. Ita Herinex *loc. cit. n.* 105. contra alios. Ratio est: quia VVilibaldus in isto quoque casu confessus fuisset omnia mortalia, quæ confiteri hic, & nunc obligatus fuisset; ergo satisfecisset præcepto Confessionis. Nec dicas: Sed non fuisset confessus proprio Sacerdoti. Contra enim est, quod Sacerdos ille proprius respectu omnium mortalium, quæ a VVilibaldo tunc exprimi debuissent: id quod sufficeret, ut adimpleretur præceptum Ecclesiasticum Divini determinativum: prout bene animadvertit P. Herinex *loc. & n. cit.*

D I S P U T A T I O III.

De Præcepto annuæ Communionis.

De SS. Eucharistia ipsa differemus *par.* 5. *tr.* 3. impræsentiarum vero de Præcepto illam sumendi moderata brevitate sermocinabimur.

C A P U T I.

Quinam obligentur Præcepto Communionis; qualiter, & quando?

S U M M A R I U M.

43. *Communionis subjectum, & obligatio.* 44. *Proponitur, & solvitur objectio.* 45. *& seqq. An ad Sac. Communionem admittendi sint semifatui; non perpetuo amentes; furiosi; epileptici; energumeni; surdi, & muti?* 51. *& seqq. Ut præcepto annuæ Communionis satisfiat, ea sumi debet tempore Paschali; in propria Parochia, & e manu proprii Parochi; vel alieni cum proprii licentia expressa, vel tacita.*

43. Di-

43. Dico primo. Præcepto Communionis non solum qua Divino, sed etiam qua Ecclesiastico (1.) obligantur omnes homines baptizati, sufficiente rationis usu pollentes; idque (2.) sub mortali, DD. catholici universim.

Probatur prima pars. Tum ex illo *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis*: ubi indigitatur præceptum Divinum Communionis. Tum ex CC. Lateran. *c. Omnis utriusque Sexus, de Pœnit. & Remiss.* ac Trid. *Sess. 13. de Eucharist. can. 9.* in quibus exprimitur præceptum Ecclesiasticum Communionis.

Probatur etiam secunda pars. Siquidem in *cit. cap.* annua Communio præcipitur sub pœna carendi sepultura Ecclesiastica, & abstinendi ab ingressu Ecclesiæ: quæ pœna cum existat gravis, gravem quoque obligationem denotat; sicut advertimus de Præcepto Confessionis *n. 27.*

Dixi in conclus. 1. *Omnes homines baptizati*. Quæ particulæ exponendæ veniunt; sicut *n. 28.* de obligatis ad Confessionem expositæ fuerunt.

Dixi 2. *sufficiente rationis usu pollentes*. Unde præcepto Communionis non obligantur usu rationis carentes; ut fatui, perpetuo amentes, infantes &c. vel usu rationis quidem præditi, nondum tamen sufficiente ad dignam susceptionem hujus sacrosancti Sacramenti; ut pueri (vel puellæ) qui ex consuetudine Ecclesiæ fere non obligantur præcepto Communionis saltem qua Ecclesiastico, nisi post unum, aut alterum elapsum annum ab acquisito usu rationis. Et quoniam in aliis maturius, in aliis serius advenit usus rationis, ideo generalis regula quoad eos alia dari non potest, quam ut expectetur, donec sufficienter de tam sublimi Mysterio sint instructi, eidemque debitam reverentiam exhibere norint. Quæ quia nonnulli anno decimo primum, alii undecimo, vel duodecimo, aut adhuc tardius assequuntur, prudentis Parochi, aut Confessarii judicio alii citius, alii serius ad S. Communionem admittendi sunt, non tamen antequam semel, iterumque, vel sæpius confessionem fecisse sciantur. Quod intellige extra articulum mortis; nam cum versantibus in hoc articulo scrupulose agendum non est; sed si Sacramentorum Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis capaces existant, communicandi sunt. Ita cum aliis Sancti-Gallenses *tom. 9. tr. 4. q. 5. dub. 2.*

44. Objicies, Infantes (idem cogita de plene fatuis, & perpetuo amentibus, utpote qui infantibus æquiparantur) sunt capaces Eucharistiæ recipiendæ non tantum sacramentaliter (id est, quoad rem ipsam Sacramenti) sed etiam spiritualiter (id est, quoad effectum sacramenti, qui est augmentum gratiæ) ergo & ipsi obligantur præcepto Communionis Paschalis. Ant. sumitur inde, quod olim infantibus post susceptionem Baptismi præbitum fuerit Sacramentum Eucharistiæ a Sanctissimis Patribus (veluti refert, & testatur Conc. Trid. *Sess. 21. c. 4.*) utique cum effectu: alioquin illicite fuisset præbitum; ergo signum est, quod sint capaces talis Sacramenti non solum sacramentaliter, sed & spiritualiter recipiendi. Nec obstat, quod ipsis desit notitia, & voluntas suscipiendi Sacramentum, ut Sacramentum est. Siquidem talis defectus suppletur per fidem, & voluntatem Ecclesiæ, sicut in receptione Baptismi.

Respondetur, concedendo ant. intellectum de capacitate secundum se, & absolute sumpta; at negando cons. Nam ex tali capacitate solum infertur, Sacramentum Eucharistiæ infantibus præberi posse absolute loquendo; non autem, præberi debere: quia contrarium expresse tradit Trid. *loc. cit.* his verbis: *Denique eadem Sancta Synodus docet, parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem*. Imo hodie ne quidem potest illis (infantibus, plene fatuis, & perpetuo amentibus) hoc Sacramentum licite præberi: quia Ecclesia id non amplius permittit; eo quod ex una parte illis necessarium non sit, cum gratiam in Baptismo receptam amittere non possint (ut notat Trid. *loc. cit.*) & altera frequenter adsit periculum irreverentiæ. Nunc

45. Quæres primo, an semifatui, id est, debili, & imperfecto rationis usu præditi, ad SS. Eucharistiam sint admittendi?

Respondetur, esse admittendos *(1.)* tempore Paschatis, & *(2.)* in articulo mortis (dummodo tantum sapiant, quantum sufficit ad discernendum cælestem hunc cibum a profano, agnoscendumque, eum sibi utilem, & necessarium esse) non item *(3.)* aliis temporibus. Ratio primi est: quia semifatui obligantur præcepto Communionis Paschalis; cum hoc obstringat omnes baptizatos, qui ad annos discretionis pervenerunt, juxta *cap. Omnis utriusque sexus cit.* sed semifatui pervenerunt ad annos discretionis, ut supponitur; ergo obligantur præcepto Communionis Paschalis; ergo ad hanc admitti debent, quando aliunde nihil obstat. Ratio secundi est: tum quia præceptum Communionis etiam stringit in articulo mortis, supposita capacitate subjecti; prout infra *num. 61.* ex professo tradetur: tum quia Eucharistia semifatuis potest esse necessaria ad salutem, casu quo lethalis noxæ rei non possent confiteri, solamque elicerent attritionem, seu contritionem existimatam. Ratio tertii est: quia cum id genus homines tam ad peccandum, quam ad debitam huic Sacramento reverentiam exhibendam usu rationis exiguo polleant, neque indigentia persuadet, neque incapacitas majoris reverentiæ permittit, ut ad illud admittantur extra duos priores casus. Ita Laymann *lib. 5. tr. 4. c. 4. n. 4.* Illsung *tr. 6. disp. 4. art. 5. §. 1. num. 104.* & alii communiter.

Dixi per parenthesim: *dummodo tantum sapiant &c.* Alias quippe nullam omnino devotionem concipere possent, forentque accensendi infantibus, atque adinstar horum a perceptione sacri Epuli omni prorsus tempore arcendi. Laymann *loc. cit.*

46. Quæres secundo, quid sentiendum de non perpetuo amentibus, sive illis, qui, postquam aliquamdiu tempore vixerunt rationis compotes, in eam miseriam inciderunt?

Respondetur, eis SS. Eucharistiam *(1.)* non esse præbendam, nisi *(2.)* in articulo mortis: quamvis & in hoc casu quædam cautelæ, ac conditiones sint necessariæ. Bonacina *disp. 4. de Eucharist. q. 6. pun. 1. n. 4.* Amicus *disp. 28. sect. 3. n. 19.* Gobat *tr. 4. cas. 7. n. 135.* Ratio primi est: quia tanti Sacramenti dignitas postulat, ne extra casum extremæ necessitatis cuiquam præbeatur, nisi is ad illius susceptionem se actualiter disponere queat. Ratio secundi est: tum quia præceptum Communionis obligat etiam in articulo mortis, supposita capacitate subjecti: tum quia Eucharistia ejusmodi amentibus pariter potest esse necessaria ad salutem, sicut semifatuis. Nec dicas, eos esse incapaces ob carentiam voluntatis, quia desiderent sumptionem Sacramenti. Contra enim est, neg. assumptum; nam hoc ipso, quod ante amentiam extiterint rationis compotes, & vitam Christianam duxerint, censendi sunt interpretative petere, ut sibi ad mortem appropinquantibus administrentur SS. Eucharistia, & Extrema Unctio, ceu Sacramenta tunc maxime necessaria. Cautelæ porro, & conditiones, quæ in tali casu observari debent, sunt sequentes. Prima est, ut non constet, ejusmodi homines peccato mortali actualiter fuisse obnoxios, dum in amentiam inciderunt: tunc quippe prudenter credere haud possemus, eos rediisse ad statum gratiæ, esseque dispositos ad dignam susceptionem Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Quod si tantum probabile existat, lethali noxa gravatos ad eam miseriam devenisse, præsumendum est oppositum: quia juxta Regulam Juris quilibet præsumendus est bonus, nisi probetur, sive constet ipsum esse malum. Amicus *loc. cit. n. 20.* Secunda est, ut non credantur ante mortem recuperaturi usum rationis: tunc namque Communio eo usque differenda foret ad consulendum reverentiæ Sacramenti. Tertia est, ut non præsto sit periculum alicujus irreverentiæ Sacramento irrogandæ. Hinc Laymann *loc. cit. n. 4.* & alii plerique suadent, ut communicando prius porrigatur hostia non consecrata, experiundi ergo, quidnam sit acturus, cum eidem præbebitur consecrata.

47. Quæres tertio, quid sentiendum de maniacis, sive furiosis?

Respondetur cum discrimine. Vel enim furunt continuo (continuitate moraliter intellecta) vel per intervalla tantum? In priore casu Eucharistia illis præbenda non est, nisi in articulo mortis, supposito, quod aliquando rationis compotes christiane vixerint. Ratio est eadem, quæ de non perpetuo amentibus. Ubi tamen

itidem

itidem duplici cautela opus est. 1. Ne præbeatur Sacramentum furioso, qui præsumitur existere in statu disgratiæ. 2. Ne timeatur periculum irreverentiæ. Unde & hoc casu, quando metuitur tale periculum, communicando prius porrigi poterit, vel etiam debebit hostia non consecrata; sicut dictum est *num. præced.* de Communione non perpetuo amentis. Quod si antea usu rationis nunquam potiti fuissent, ne quidem articulo mortis communicandi forent; sicut decisum ivimus *n.* 43. de perpetuo amentibus. In posteriore casu haud minus Eucharistiæ capaces existunt tempore, quo insania abest, ac alii homines ab ea calamitate immunes: ut de se patet. Gobat *loc. cit. numer.* 150. & alii apud ipsum.

48. Quæres quarto, quid sentiendum de epilepticis?

Respondetur. Extra tempus paroxismi (1.) haud dubie possunt, &, si petant, etiam debent cælesti hoc Epulo refici: non item (2.) intra tempus paroxismi, esto credantur morituri, antequam ad se redeant. Gobat *loc. cit. num.* 157. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 3. *disp.* 6. *art.* 1. *num.* 13. & alii passim. Ratio primi est; quia ipse morbus, & affectus epilepticus de se nullum affert impedimentum, aut irreverentiam erga Sacramentum. Ratio secundi est: quia forte ex centenis ejusmodi paroxismo laborantibus non reperietur unus, de quo prudenter sperari possit, fore, ut hostiam deglutiat. Si tamen de hoc dubium esset in aliquali spe fundatum, posset experimentum capi præbendo antea hostiam non consecratam: quemadmodum de non perpetuo amentibus, & furiosis *n. n.* antecedentibus dictum relinquitur.

49. Quæres quinto, quid sentiendum de energumenis?

Respondetur, eos per se loquendo a cælesti Mensa non esse excludendos. Laymann *loc. cit. n.* 6. & alii communiter. Ratio est: tum quia id praxis obtinet: tum quia infessio dæmonis per se loquendo nullum ponit obicem, quin energumenus ad dignam Sacramenti Eucharistici susceptionem possit se rite disponere, & debitam eidem reverentiam exhibere.

Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens fieri potest, ut a S. Communione sint excludendi; puta si prævideantur hostiam sibi porrectam irreverenter tractaturi, lacerando, spuendo, in terram prolabendo &c.

50. Quæres sexto, quid sentiendum de illis, qui a nativitate surdi juxta, ac muti sunt?

Respondetur, præbendam eis esse Eucharistiam non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali, modo signis, & nutibus manifestent, se hunc cibum spiritualem a profano discernere. Gobat *loc. cit. n.* 130. Herincx *part.* 4. *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 16. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 663. & alii passim. Ratio est: quia Christus Dominus pie præsumitur tali discretione esse contentus; cum ex una parte plerumque perfectior sperari non possit, & ex altera id genus homines spirituali corroboratione, qualem ex sacri hujus Epuli perceptione acquirunt, vel maxime indigeant ad patienter, æquanimiter, ac meritorie exantlandas suas calamitates. Quod si Confessarius deprehendat, aliquem ejusmodi hominem esse præditum discretione non qualicunque, sed plane matura (prout subinde contingit) poterit eidem sæpius, vel saltem in Festis solemnioribus accessum ad S. Synaxim indulgere, imo etiam suadere. Aliter ratiocinandum de illis, qui non solum surdi, & muti, sed etiam cæci sunt. Nam his tribus calamitatibus simul onerati, æquiparantur perpetuo amentibus, & tam parum, quam isti (adeoque nec in articulo mortis) sunt communicandi; cum dignitatem, & excellentiam hujus Sacratissimi Sacramenti ne quidem in confuso apprehendere queant.

Quomodo procedendum sit cum ebriis in mortis articulo constitutis, relinquitur ex dictis *part.* 1. *n.* 737.

51. Dico secundo. Ut præcepto Ecclesiastico annuæ Communionis satisfiat, peragi debet tempore Paschali. Ita decisum extat in *cap. Omnis utriusque sexus*: nec alia probatione eget.

Porro nomine temporis Paschalis, sive Paschatis, hoc loco non solum venit dies Paschatis, sed etiam dies antecedentes, & subsequentes, plures, vel pauciores, pro diversitate locorum, aut consuetudinum approbatarum. Jure tamen communi intelliguntur quindecim dies, qui fluunt a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive: ut declaravit Eugenius IV. teste Navarro in *Manual. c.* 21. *n.* 45.

52. Quæres, an satisfaciat præcepto annuæ Communionis, qui hanc tempore Paschali sumit extra propriam Parochiam, aut ab alio, quam proprio Parocho?

Respondetur, eum non satisfacere, si id faciat absque consensu proprii Parochi. Ita P. Herinex *loc. cit. n.* 39. P. Beniamin Elbel *de Eucharist. num.* 126. & alii apud ipsos. Fundatur responsio in *c. Omnis utriusque sexus*, juncta Declaratione S. Congreg. de qua statim: item in consuetudine, vi cujus quilibet sub gravi culpa, & nullitate actus satisfactorii jubetur Communionem Paschalem accipere in propria Parochia, & e manu sui Parochi, nisi hic consentiat, ut illam alibi, vel ab alio accipiat. Nec dicas, hanc consuetudinem non esse obligatoriam saltem graviter, multo minus actus satisfactorii irritativam. Contra enim facit, partim declaratio S. Congregationis apud Gallemart ad Trid. *Sess.* 13. *can.* 9. ubi ait, Communionem Paschalem a proprio Parocho accipiendam esse, sicut, juxta *cap. Omnis utriusque sexus*, eidem annua confessio facienda est: atqui obligatio annuam confessionem faciendi proprio Parocho (præscindendo a Confessariis privilegiatis, uti sunt Religiosi Mendicantes secundum dicta *n.* 41.) est gravis, ejusque transgressio irritat actum satisfactorium; ergo &c. Partim quia plerique Episcopi severe prohibent, ne Communio die Paschatis alibi distribuatur, quam in Ecclesia Parochiali: & quando id permittunt, protestantur, per illam præcepto non satisfieri, sed, ut satisfiat, adhuc aliam Communionem in Ecclesia Parochiali obeundam esse. La Croix *loc. cit. n.* 631. Ratio quoque responsionis probativa omnino congrua hæc suffragatur: quia munus Parochi est pascere oves suas in loco propriæ Pascuæ (quod fit parochianis administrando Eucharistiam tempore Paschatis in propria Ecclesia) ut hac ratione saltem semel in anno tanquam Pastor a proprio grege recognoscatur.

Dixi in respons. *Si id faciat absque consensu proprii Parochi*. Hujus quippe consensum, & facultatem si parochianus obtineat, satisfacit præcepto Communionis Paschalis, in quacunque demum Ecclesia, aut Parochia eandem sumat, aut a quocunque Sacerdote: siquidem extra controversiam est, quod Parochus ejusmodi facultatem dare possit, dummodo de peracta Communione certior reddatur: ut notat Author proxime *cit.* & crebra praxis demonstrat. Sed

53. Petes, qualis consensus, & licentia Parochi hic requiratur?

Respondetur, non sufficere licentiam præsumptam, sed requiri expressam, vel saltem tacitam. Ita insinuat ex Lugone La Croix *loc. cit. n.* 634. Ratio est: quia licentia præsumpta non sufficit ad legitimandum quempiam actum, quando is, a quo danda præsumitur, est rationabiliter invitus non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam *circa omissionem petendæ licentiæ*: atqui Parochus in casu quæstionato rationabiliter censetur invitus posteriore quoque modo; ergo &c. Major videtur certa: quandoquidem talis præsumitur potius dissentire, seu non dare licentiam. Minor ostenditur, & declaratur. Nam Parochus habet jus, ut tanquam Pastor recognoscatur ab ovibus suis saltem semel in anno: sed hoc jure fraudatur, quando alius, ipso irrequisito, ejusmodi oves pascit, præbendo eisdem sacrum Epulum tempore Paschali; ergo Parochus patitur injuriam; ergo rationabiliter censetur invitus etiam quoad substantiam *circa omissionem petendæ licentiæ*. Similem vero injuriam non pateretur, si actus Communionis Paschalis peragetetur, sive S. Synaxis tempore Paschatis ovibus suis præberetur ab alio de ipsius licentia sive expressa, sive saltem tacita. De his licentiis ex professo tractabimus infra *tr.* 3. *disp.* 2. *de Voto Paupertatis*, ubi etiam doctrina hic tradita magis illustrabitur.

CA-

CAPUT II.

In quo variæ Quæstiones expediuntur.

SUMMARIUM.

54. Præcepto annuæ Communionis non satisfit per Communionem sacrilegam? 55. Qui anno, vel Paschate elapso non communicavit, tenetur id supplere, quamprimum potest. 56. Satisfacit tamen talis unica Communione pro duobus annis. 57. & 58. Qui anno currente prævidet, se anno sequente a Communione impediendum, non tenetur eam anticipare; uti nec, qui prævidet, se impediendum tempore Paschatis. 59. Secus est de eo, qui primis Paschæ diebus prævidet, se impediendum diebus cæteris. 60. An frequens, vel etiam quotidiana Communio permitti possit? 61. Quænam sint notanda circa Communionem, prout hæc obtinet rationem Viatici? 62. An, & qualiter Parochus obligetur suis parochianis ministrare Communionem? 63. Quasnam incurrat pœnas Paschalis Communionis neglector?

54. QUæres primo, an præcepto Ecclesiastico annuæ Communionis satisfiat per Communionem sacrilegam?

Respondetur negative. Ratio est: quia per Communionem sacrilegam non satisfit præcepto Divino Communionis: ergo neque Ecclesiastico. Cons. patet: quandoquidem præceptum Ecclesiasticum Communionis Divino per omnia est conforme, nihilque novi superaddit præter determinationem temporis Paschalis, quo communicandum &c. Ant. vero ostenditur: siquidem Christus imperat Communionem fructuosam, id est, talem, quæ sit cibus, & vita animæ: sed Communio sacrilega non est fructuosa; ergo &c. Confirmatur, Non solum Jure naturali, & Divino, sed etiam Ecclesiastico jubemur SS. Eucharistiam reverenter sumere; reverenter autem non sumit, qui sacrilege sumit. Ex ratione probativa responsionis fluit, præcepto Communionis reipsa non satisfieri per Communionem sive formaliter, sive materialiter duntaxat sacrilegam (ut si quis cum invincibili ignorantia communicaret in statu disgratiæ) quia neutra est fructuosa; adeoque per neutram obtinetur finis præcepto Communionis intentus quamvis aliunde inter utramque discrimen, idque geminum, intercedat. Primum est, quod per Communionem formaliter sacrilegam peccetur; non item per Communionem materialiter sacrilegam. Alterum est, quod sententia docens, satisfieri præcepto Communionis per Communionem formaliter sacrilegam, sit proscripta (de tali enim Communione intelligitur propositio *ord.* 55. inter damnatas ab Innocentio XI. quæ ita habet: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*) non item sententia docens, dicto præcepto satisfieri per Communionem materialiter tantum sacrilegam. La Croix *loc. cit. n.* 628, *& seq.* aliique communiter.

55. Quæres secundo, an is, qui (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) non communicavit anno, vel Paschate elapso, obligetur virtute præcepti Ecclesiastici ad supplendam communionem, quamprimum poterit?

Respondetur affirmative. Ita Navarrus *in Manual. c.* 21. *n.* 45. Henno *de Eucharist. disp.* 9. *q.* 2. *conclus.* 2. Elbel *loc. cit. n.* 127. & alii communius. Ratio est eadem, quæ supra *n.* 35. de præcepto Ecclesiastico Confessionis: siquidem & hic tempus annuum, ac Paschale, intra cujus decursum Communio peragenda imponitur, non assignatur tanquam terminus obligationis finiendæ, sed exequendæ, seu non ulterius differendæ; prout itidem colligitur ex verbis præcepti: *ad minus semel in anno, idque circa Festum Paschæ &c.* ergo &c. Revide, quæ habentur *n. cit.* Sed

Dices. Qui in casu quæstionato communionem intermisit, non potest amplius præceptum Ecclesiasticum communionis implere; ergo nec tenetur. Hoc argumentum similiter militat adversus præceptum Ecclesiasticum Confessionis in casu quæstionato, & resolute supra *n.* 35. *cit.*

Respondetur, dist. ant. Non potest amplius implere dictum præceptum quoad partem secundariam, id est, quoad circumstantiam temporis, minus principaliter intentam, con. quoad partem primariam, id est, quoad ipsam communionem, magis principaliter intentam, neg. ant. Præceptum Ecclesiasticum annuæ, & Paschalis Communionis est virtualiter duplex, seu continet divisibiliter duas partes, quarum una minus principalis est circumstantia temporis, & altera magis principalis ipsa Communio. Unde licet illa in casu sit observatu impossibilis; possibilis tamen, imo debita est ista. Revide, quæ diximus *part.* 2. *n.* 420. *in respons.* 2.

56. Si petas, an ejusmodi communicans postmodum satisfaciat unica communione pro duobus annis?

Respondetur affirmative. Ita (ni fallor) sentire debent omnes (si consequenter loqui, vel sentire velint) qui tenent, in simili casu satisfieri unica confessione pro duobus annis. Unde non assequor, quare P. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 642. *in fin.* sentiat, & tradat contrarium. Ratio nanque est eadem, quæ supra *num.* 36. de Confessione: siquidem & hic unico actu obtinetur finis præcepti, videlicet spiritualis refectio, & corroboratio animæ, Deinde ex opposita sententia pariter sequeretur, quod ille, qui communionem per decennium, v. g. neglexit, vel quomodolibet omisit, teneretur hoc anno, aut Paschate undecies communicare ad compensandas communiones antea omissas; de qua tamen obligatione Confessarii nullam mentionem facere, nec pœnitentibus eam inculcare solent.

Dices cum P. La Croix. Ecclesia singulis annis unam communionem assignat; ergo, ut satisfiat pro duobus annis, semper requiruntur duæ communiones.

Respondetur primo, retorquendo argumentum contra sic arguentem. Ecclesia singulis annis unam confessionem assignat; ergo ut satisfiat pro duobus annis, semper requiruntur duæ confessiones; quod memoratus Author *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2047. una nobiscum negat.

Respondetur secundo, neg. cons. Nam ex antecedente solum infertur, eum, qui anno elapso communionem intermisit, non implesse præceptum Ecclesiasticum Communionis pro illo anno (sicut qui confessionem omisit, non censetur implesse præceptum Ecclesiasticum Confessionis) uti nec impleret pro anno currente, si eodem communionem intermitteret: & per consequens dupliciter peccaret, quatenus non uni duntaxat, sed duplici obligationi, quarum una erat assignata anno præcedenti, & altera currenti, contraveniret. Cum quo tamen componitur, quod supposita non impletione obligationis respicientis annum præteritum, possit unica communione satisfieri & illi obligationi, & alteri respicienti annum currentem; prout ratio, & confirmatio responsionis ostendunt.

57. Quæres tertio, an, qui anno hoc currente prævidet, se anno sequente a communione impediendum fore, teneatur eam anticipare?

Respondetur negative. Ita denno sentire debent, qui idem nobiscum sentiunt supra *num.* 37. de Confessione. Ratio iterum est eadem, quæ ibi: siquidem anno currente nondum incipit obligatio communicandi pro anno sequente; ergo nemo potest, & consequenter nemo tenetur eam anticipato implere.

58. Quæres quarto, an, qui anno currente, v. gr. mense Januario, vel Februario, prævidet, se tempore Paschatis non habiturum occasionem communicandi, teneatur prævenire, & communionem anticipare?

Respondetur itidem negative. Ita Sant Gallenses *tom.* 9. *tr.* 4. *q.* 5. *dub.* 2. *n.* 5. & alii, quamvis in modo defendendi responsionem non conveniant nobiscum ex integro. Ratio nostra est: quia etsi primo mox anni die nascatur obligatio communicandi, nondum tamen datur exactio executionis, seu exequendæ obligationis: hæc quippe primum advenit tempore Paschali; ergo non tenemur hoc tempus prævenire, & ante illud communionem sumere: sicut in simili dictum de Voto *part.* 2. *n.* 421. *in respons.* 2.

Dices. Præceptum Communionis ante tempus Paschale impleri potest: cum illius obligatio in actu primo proximo jam existat quoad partem principaliter intentam, quæ est ipsa Communio; ergo impleri & debet.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Quia licet jam detur tunc obligatio, nondum tamen datur exactio executionis, utpote pro qua præstitutum est tempus Paschale. Relege dicta de Voto *part. & loc. citt.*

Instabis primo. Præceptum Confessionis in simili casu impleri non tantum potest, sed etiam debet ante tempus Paschale, prout relinquitur ex dictis *n.* 38. ergo similiter Præceptum Communionis.

Respon-

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia tempus Paschale non est designatum, ne quidem accessorie, pro implendo præcepto Confessionis; bene vero ita designatum est pro implendo præcepto Communionis. Unde ibi obligatio, prout conjuncta cum exactione executionis, cadit in omnes partes totius anni; non item hic.

Instabis secundo. Præceptum Communionis, quando non potuit impleri tempore Paschali, debet impleri postea, secundum dicta *n.* 55. ergo vicissim, quando prævidetur tempore Paschali futurum impletu impossibile, debet impleri antea.

Respondetur, neg. itidem conf. & parit. Disparitas est: quia in casu antecedentis jam aderat obligatio conjuncta cum exactione executionis, & nondum cessaverat; eo quod nondum cessaverit finis præcepti: at in casu consequentis nondum adest obligatio conjuncta cum exactione executionis &c.

59. Quæres quinto, an saltem, qui primis Paschæ diebus prævidet, reliquis ejusdem temporis diebus defuturam sibi occasionem communicandi, teneatur prævenire, & communionem anticipare?

Respondetur affirmative. DD. satis communiter. Ratio est: quia obligatio communicandi, prout conjuncta cum exactione executionis, cadit in omnes dies Paschæ; ergo si non possit impleri in uno, debet impleri in altero. Revide, quæ diximus *n.* 38. unaque reminiscere exceptionis ibidem factæ, etiam hic locum habituræ.

70. Quæres sexto, an frequens, vel etiam quotidiana Communio permitti possit?

Respondetur primo. Frequens Communio non solum permitti, sed etiam suaderi potest: dummodo prævideatur digne obeunda. Ita DD. communiter. Ratio est: quia frequens Communio, si digne obeatur, ex una parte maximam sumentibus confert utilitatem spiritualem; ex altera vero nulla tum irrogatur SS. Sacramento irreverentia, imo exhibetur debita reverentia. Ceterum ad Parochos, & Confessarios pertinet decidere, quanam frequentia possit quilibet ad tantum Sacramentum accedere, spectata uniuscujusque animi puritate, frequentiæ fructu, & ad pietatem processu: uti loquitur, & declarat Innocentius XI. in suo Decreto, edito *die* 12. *Febr. anno* 1679. quod incipit: *Cum ad aures*.

Dixi: *dummodo prævideatur digne obeunda* id est, in statu gratiæ, & cum actuali devotione, debitaque reverentia. Nam altefatus Pontifex confixit istam *prop. ord.* 56. *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis*. Cujus propositionis expositio videri potest apud P. Viva.

Respondetur secundo. Quotidiana Communio regulariter non est permittenda (præterquam Sacerdotibus) etsi in sumpturis supponatur status gratiæ. Ratio est: quia quotidianæ occupationes, quibus homines, præsertim in seculo degentes, distenduntur, & a devotionis spiritu distrahuntur, non compatiuntur condignam præparationem ad quotidie suscipiendum Sacratissimum hoc Sacramentum. Unde quotidianam ejus sumptionem ne Monialibus quidem regulariter permittit Decretum supra allegatum: sic enim loquitur: *Itidem Moniales quotidie Sac. Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis* (& per consequens non quotidie) *communicent*.

Dixi: *regulariter*. Nam idem Decretum ita pergit: *Sique vero* (Moniales) *puritate mentis niteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut digna frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur*. Quod per se loquendo etiam extendi potest ad personas in seculo degentes, si sint cælibes, negotiis secularibus parum, aut nihil intricatæ, & consimili mentis puritate niteant, spirituque devotionis ferveant: quod proinde pariter Superiorum, & Confessariorum discretioni relinquitur.

Dices contra 2. respons. Si homines, in statu gratiæ constituti, licet ceteroquin condigna præparatione, & actuali devotione destituti, quotidie communicarent, perciperent illum saltem fructum, quem SS. Eucharistia confert ex opere operato; ergo permittendi sunt quotidie communicare.

Respondetur, neg. conf. Siquidem propriæ utilitati præferenda est reverentia tanto Sacramento debita. Solum itaque minus devota Communio permittenda est, aut in magna necessitate; aut ratione alicujus solemnitatis; aut siquis diu caruit hoc Ferculo, nec possit hic, & nunc ulterius ad devotionem excitari; aut Sacerdotibus; ne Ecclesia frustretur fructibus Sacrificii. P. Viva in *cit. prop. n.* 13.

61. Quæres septimo, quænam, præter jam sparsim insinuata per decursum, sint notanda circa Communionem, prout hæc obtinet rationem Viatici?

Respondetur, non nisi sequentia. 1. Quilibet, in articulo, vel probabili periculo mortis (sive hoc ex morbo, sive aliunde, v. gr. ex puerperio, belligeratione, navigatione &c. impendeat) constitutus, tenetur non solum ex præcepto Ecclesiastico, sed etiam Divino recipere Viaticum. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 601. Augustinus Michel *de Eucharist. fol.* 229. *a num.* 3. & alii. Ratio est: quia secundum omnes datur præceptum Divinum Communionis; ergo aliquo tempore obligat. Atqui tempus magis congruum non potest assignari, quam articulus, vel periculum mortis; partim quia tunc maxime indigemus spirituali corroboratione adversus insidias diaboli; partim quia tunc prensanda est vita æterna, cujus (ut S. Mater Ecclesia loquitur) Eucharistia pignus est; ergo &c. Confirmatur. Concil. Nicænum, inter omnia Concilia Generalia primum, *can.* 13. statuit, ut cum iis, qui ex corpore decedunt, antiquæ legis regula observetur, ne aliquis necessario Viatico privetur. Ecce! lex sumendi Viaticum jam tunc fuit agnita pro lege antiqua; ergo pro lege ab Apostolis, & a Christo ad hos derivata: cum de lege Ecclesiastica, antecedente tempora Nicæni, non constet, teste Augustino Michel *loc. cit. num.* 4. Audiatur quoque Trident. *Sess.* 13. *c.* 6. ubi sic habet: *Consuetudo asservandi in Sacrario S. Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam Seculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam S. Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum diligenter in Ecclesia conservari, præterquam quod cum summa æquitate, & ratione conjunctum est tum in multis Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Ecclesiæ Catholicæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino, & necessarium morem statuit.*

2. Qui semel in periculo mortis Eucharistiam per modum Viatici sumpsit (1.) non tenetur amplius, perseverante eodem periculo, illam sumere: esto (2.) possit. Ratio primi est: quia jam satisfecit præcepto. Ratio secundi: quia manet necessitas se præparandi ad mortem. Laymann *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 5. & alii. Consultius tamen est, si eo casu Eucharistia, postquam semel per modum Viatici præbita est, sæpius petenti porrigatur sub ratione simplicis Communionis. Michel *loc. cit. fol.* 232. *num.* 7. An autem obstet, quod infirmus, Communionem sumpturus, non amplius sit jejunus, dicetur infra *n.* 73.

Quæres octavo, an, & qualiter Parochus obligetur suis parochianis ministrare Communionem?

Respondetur primo, certum esse, quod illam obligetur ministrare tam (1.) ex Justitia, quam (2.) ex Charitate, tempore Paschatis, & in articulo mortis. Michel *loc. cit. fol.* 240. *n.* 20. cum Reginaldo, & aliis. Ratio primi sumitur ex officio pastorali, quod Parochus gerit. Ratio secundi est: quia parochiani tempore Paschatis, & in articulo mortis obligantur communicare; adeoque subeunt in utroque casu necessitatem spiritualem; in qua proinde ut Parochus illis succurrat, Charitas jubet: imo quivis alius Sacerdos, præsertim in articulo mortis, supplere defectum Parochi ex virtute Charitatis obstringitur: prout omnes fatentur.

Respondetur secundo. Eadem obligatio etiam stringit Parochum extra prædictos casus; idque omni tempore, quo parochiani hoc Sacramentum devote, & rationabiliter, nempe non nimis frequenter, nec ultra suum statum, aut Sacramenti reverentiam, petunt. Ita *cit.* Michel cum aliis a se relatis. Ratio itidem sumitur tum ex officio Pastoris, ex quo Parochus tenetur procurare salutem animarum sibi concreditarum; tum ex officio Patris spiritualis, ex quo idem Parochus parochianis, ceu filiis suis spiritualibus, petentibus panem frangere obligatur.

63. Quæres nono, quasnam incurrat pœnas Paschalis Communionis neglector?

Respondetur, quod incurrat easdem, eademque ratione

tione moderatas, quas incurrit neglector annuæ Confessionis, ex dictis *n.* 39. quæ relege, & huc applica; nam *c. Omnis utriusque sexus*, ibi, & sæpius allegatum, loquitur pariformiter de utroque neglectore.

CAPUT III.

De Dispositione ad S. Communionem requisita.

Alia ad S. Communionem requiritur dispositio ex parte animæ, & alia ex parte corporis. De utraque in hoc *cap.* per duos tamen articulos, differemus.

ARTICULUS I.

Qualis ad S. Communionem requiratur dispositio ex parte animæ?

SUMMARIUM.

64. *Ut communicans recipiat effectum primarium Eucharistiæ, præter statum gratiæ nulla alia requiritur dispositio ex parte animæ.* 65. *& 66. Duo argumenta diluuntur.* 67. *An, & quomodo peccet, qui Eucharistiam sumit in peccato veniali constitutus, vel omni actuali devotione destitutus? Vel* 68. *antequam peregit pœnitentiam a Confessario impositam?* 69. *Quomodo se gerere debeat culpæ lethalis sibi conscius, antequam ad S. Eucharistiam accedat?* 70. *Qualiter intelligenda sint verba Apostoli:* Probet autem seipsum homo &c. 71. *Quid faciendum communicaturo, si dubitet, an sit justus?*

64. Dico. Ut communicans recipiat primarium effectum Eucharistiæ, qui regulariter, & per se est gratia secunda, seu augmentum gratiæ primæ, sufficit status gratiæ, seu absentia peccati mortalis; nec ex parte animæ requiritur alia dispositio, puta actualis devotio, aut absentia peccati venialis. Ita S. Thomas *q.* 79. *art.* 8. & alii Theologi satis communiter.

Probatur. Tum quia Conc. Trid. *Sess.* 13. *c.* 7. dispositionem ad hoc Sacramentum suscipiendum necessariam præscribens, non exigit aliam, quam absentiam peccati mortalis. Tum quia idem Sacramentum olim dabatur infantibus, & hodie in articulo mortis datur aliquando amentibus, secundum dicta *n.* 44. & *n.* 46. in quibus tamen nulla alia dispositio, quam status gratiæ locum habet. Tum quia in statu gratiæ constitutus non ponit Sacramento obicem: consequenter istud ex opere operato confert illi gratiam sanctificantem &c.

65. Objicies primo. Per nullum actum venialiter peccaminosum augetur gratia: sed susceptio Eucharistiæ, si præter statum gratiæ non accedat actualis devotio, & absentia peccati venialis, est actus venialiter peccaminosus; prout dicemus *n.* 67. ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Non augetur gratia ex opere operantis, con. ex opere operato, neg. major. Utique actus venialiter peccaminosus non potest esse causa meritoria gratiæ; potest tamen esse conditio applicativa Sacramenti, ut hoc, illo posito, effectum gratiæ sanctificantis conferat ex opere operato. Unde concessa minore (in nostris principiis) dist. est conf. eodem modo, quo distincta fuit major.

Dices. Eucharistia confert gratiam per modum nutrimenti; ergo, ut eam conferat, etiam ex opere operato, requiritur concursus vitalis suscipientis per actum devotionis, vel etiam charitatis. Conf. ostenditur: quia nutrimentum non nutrit, nisi vivens in ipsum agat vitaliter.

Respondetur primo, retorq. argum. Nam ex eo inferri posset, quod Eucharistia in infantibus, & amentibus non produceret gratiam ex opere operato; cum nec illi, nec isti possint elicere actum vitalem devotionis, aut charitatis: & consequenter nec infantes olim potuissent licite hoc S. Epulo cibari, nec modo possent amentes, quamvis non perpetuo tales, in articulo mortis.

Respondetur, concesso ant. de nutrimento spirituali, neg. conf. Probat. dist. Nutrimentum corporale non nutrit, nisi vivens in ipsum agat vitaliter, con. nutrimentum spirituale, neg. Discrimen inter hæc duo nutrimenta est, quod prius convertatur in substantiam aliti; ubi utique vivens active concurrere debet: posterius vero non convertatur in substantiam nutriti, sed e contra nutritum in se convertat; unde non indiget actione vitali suscipientis, utpote qui respectu talis nutritionis se tantum habet per modum patientis; quemadmodum notat P. Viva *num.* 17. super *prop.* 23. ex damnatis ab Alexand. VIII. quæ sic sonat: *Similiter arcendi sunt a S. Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

66. Objicies secundo. Ex nostra conclusione sequeretur, Sacerdotes, qui singulis diebus tepide, & absque devotione Sacrificium perficiunt, ingens augmentum gratiæ recepturos: sed hoc non videtur credibile; ergo &c. Min. prob. Siquidem experientia constat, quod ejusmodi Sacerdotes post tot Sacrificia maneant tepidi, & ad opera virtutum tardi, haud minus, ac si nunquam celebrassent; ergo non est credibile, quod per antecedentia Sacrificia, & sumptas in iis Communiones tantum gratiæ augmentum receperint.

Respondetur, neg. min. Ad probat. concedo ant. at neg. conf. Fieri quippe potest, & solet, ut homo in gratia crescat, in exercitio tamen virtutum tepescat; quia habitus infusus gratiæ, & charitatis (idem cogita de aliis habitibus infusis) formaliter, & per se non refrænat inordinatas passiones, nec vitiosos habitus, aut peccata venialia excludit: prout iterum advertit P. Viva *loc. cit. n.* 18.

67. Quæres primo, an, & quomodo peccet, qui Eucharistiam sumit in peccato veniali constitutus, aut omni devotione actuali destitutus?

Respondetur primo. Talis non peccat mortaliter. Ita DD. communiter. Ratio est: quia nec peccatum veniale (qualecunque demum sit) nec defectus actualis devotionis impedit effectum primarium hujus Sacramenti, nempe augmentum gratiæ: prout relinquitur ex dictis; ergo non apparet, unde gravis, & mortalis irreverentia Sacramento irrogetur, dum ab habente reatum venialis culpæ, vel carentiam actualis devotionis percipitur.

Respondetur secundo. Qui absque omni devotione, vel cum peccato veniali, sive habituali, sive actuali ad sumendum SS. Eucharistiæ Sacramentum voluntarie, & citra causam excusantem accedit, venialiter peccat. Ita cum aliis P. Viva *loc. cit. n.* 15. Ratio est; nam quocunque ex prædictis modis accedat, debitæ tanto Sacramento reverentiæ derogat; ergo venialiter peccat. Conf. fluit. Ant. ostenditur: siquidem ad hoc Sacramentum qui vult accedere, cavere debet, ne sine magna reverentia, & sanctitate accedat; veluti ordinat Trid. *sess.* 13. *capit.* 7. sed non ita accedit, qui absque ulla devotione actuali accedit; ut per se patet: neque qui accedit cum peccato veniali habituali, quod per actum doloris facile abolere posset; prout videtur indicasse Christus Dominus, dum, antequam Apostolis Eucharistiam porrigeret, eorum pedes lavit: neque qui accedit cum peccato veniali actuali; cum istud reverentiæ Sacramenti suapte natura magis adversetur, quam peccatum habituale; ergo &c. Ex quibus sequitur, a veniali irreverentiæ nota non esse excusandum, qui, licet in statu gratiæ existens, surgit v. g. a lusu, utut ceteroquin honesto, & immediate absque ulla præparatione Eucharistiam accedit: item qui accedit cum mendacio jocoso antea prolato; vel cum proposito jocose mentiendi post Communionem; vel (idque a potiori) cum voluntaria distractione, aut prolatione vanorum, aut nugatoriorum verborum inter accedendum ad Mensam Communicantium &c. imo in hoc postremo casu posset quis graviter peccare peccato scandali: ut consideranti patet.

68. Quæres secundo, an, aut qualiter peccet, qui, antequam peregerit pœnitentiam sibi a Confessario impositam, S. Synaxim accipit?

Respondetur primo, eum non peccare mortaliter, etiamsi pœnitentia imposita sit gravis: dummodo habeat propositum illam postea adimplendi. Ita DD. communissime. Sumitur ex *prop.* 22. inter damnatas ab Alexand. VIII. quæ ita habet: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Confirmatur ex ratione probativa responsionis secundæ jam jam subjiciendæ, a fortiori etiam hic valitura. Itaque.

Respon-

Respondetur secundo, eum nequidem peccare venialiter. Ita insinuat P. Viva super *cit. prop. num.* 10. & consentiunt DD. communiter. Ratio est: siquidem nec venialis indecentia apparet in hoc, quod ad fontem Misericordiæ accedat reus alicujus pœnæ; alias fere nunquam possemus ad Eucharistiam accedere absque veniali peccato, cum fere nunquam possit nobis innotescere, quod condignam de peccatis pœnitentiam egerimus, etsi pœnitentiam Sacramentalem executi simus; ergo &c. Confirmatur ex praxi Confessariorum, & pœnitentium: illi nanque istos adigere non solent ad pœnitentiam antea persolvendam; nec isti (nisi forte sint nimium simplices, & ex conscientia erronea procedant) sibi religioni ducere, quod communicent, priusquam pœnitentiam persolvant.

69. Quæres tertio, quomodo se gerere debeat culpæ lethalis sibi conscius, antequam ad Sacramentum Eucharistiæ accedat?

Respondetur. Tenetur sub peccato mortali confiteri, quando moraliter potest. Responsio est certa ex Trid. quod *Sess.* 13. *c.* 7. ita loquitur: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat &c.* Contra faciens sacrilegium perpetrat oppido grave; cum dignissimo huic Sacramento irreverentiam oppido gravem irroget.

Dixi: *quando moraliter potest*. Si enim moralis possibilitas prævie confitendi desit, & urgeat necessitas communicandi, susceptio Eucharistiæ culpa vacabit. Ubi tamen peccato mortali gravatus, super eo, si possit, elicere contritionem tenetur: nisi illud mortale jam sit indirecte remissum; quia in hoc casu nulla est necessaria contritio. Exemplum est, siquis peracta confessione jam accessit ad scamnum communicantium Eucharistiam sumpturus, & tunc recordatur peccati mortalis, quod oblitus est confiteri. Talis quippe nec tenetur recedere, quando recessus absque gravi nota, & scandalo fieri nequit; cum tunc censeatur adesse moralis necessitas communicandi: nec de peccato omisso conteri; quia supponitur jam ante Sacramentalem absolutionem elicuisse contritionem, vel attritionem ad illud quoque peccatum exporrectam; & consequenter ab eodem peccato reipsa jam fuit absolutus, esto indirecte tantum: quod plus non evincit, quam restare obligationem ejusmodi peccatum adhuc semel clavibus subjiciendi in finem obtinendæ super eo absolutionis directæ. Ita cum aliis a se relatis P. Gobat in *Theolog. Experiment. tr.* 4. *a n.* 253.

Porro hic discrimen est inter Laicum communicantem, & Sacerdotem celebrantem. Nam prior, dum in necessitate communicavit absque prævia confessione, non tenetur postea (uti nec Sacerdos more laico, & absque celebratione communicans) quamprimum confiteri: tenetur autem Sacerdos celebrans: prout videbimus *par.* 5. *tr.* 3. In præsenti vero

70. Quæres quarto, qualiter intelligenda sint verba Apostoli 1. *Cor.* 11. *Probet autem seipsum homo &c.*

Respondetur, sensum istorum verborum esse, quod homo ad S. Communionem accessurus debeat convenire, ac discutere conscientiam suam; & si in ea nullum lethalis culpæ reatum deprehenderit, possit (saltem absque gravi peccato) S. Synaxim sumere; si vero deprehenderit ejusmodi reatum, per præviam confessionem illum expiare teneatur. La Croix *loc. cit. n.* 541.

71. Sed quid faciendum communicaturo, qui dubitat (seu positive, seu negative) sitne in statu gratiæ constitutus, necne?

Respondetur. Consultum est, ut confessionem præmittat; cum hæc sit securissimum medium recuperandi statum gratiæ, a quo forte decidit: nulla tamen est obligatio; quoniam juxta valde probabilem, & in praxi tutam sententiam (prout videbimus *part.* 5. *tr.* 4.) non tenemur confiteri nisi peccata dubia: consequenter &c. Obligaretur nihilominus talis, si nollet confiteri, elicere contritionem (intellige semper perfectam) ne, si forte sit reipsa in statu disgratiæ, Sacramentum suo effectu primario, videlicet causatione gratiæ, frustretur. Vide, quæ diximus *part.* 1. *n.* 180.

ARTICULUS II.

Qualis ad S. Communionem requiratur dispositio ex parte corporis?

SUMMARIUM.

72. Ut communicans recipiat effectum primarium Eucharistiæ, debet esse naturaliter jejunus; alia tamen dispositio ex parte corporis ad præfatum effectum obtinendum non requiritur. 73. Quomodo communicaturus se gerere debeat quoad observationem jejunii? 74. Utrum peccet, qui ad S. Communionem (vel Confessionem) accedit gladio accinctus? 75. An jejunium frangat, & peccet, qui vinum ante S. Hostiam defluere sinit? 76. An peccet, qui post S. Communionem statim exspuit, vel cibum, aut potum sumit?

72. DIco. Ut communicans recipiat primarium effectum Eucharistiæ, debet esse (1.) jejunus jejunio naturali, ita, ut a principio diei naturalis, id est, a media nocte nihil omnino cibi, aut potus, ne quidem per modum medicinæ, sumpserit: alia tamen dispositio (2.) ad memoratum SS. Eucharistiæ effectum percipiendum ex parte corporis necessaria non est. Ita DD. communissime.

Probatur prima pars ex S. Augustino, qui *Epistol.* 118. ad Januarium ita loquitur: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam ceteri cibi; nam ideo per totum orbem mos iste servatur*. Idem traditur in variis Conciliis, ut in *Carthag.* 3. *Tolet.* 7. & aliis. Huic proinde mori qui morem non gerit, grave sacrilegium committit; eo quod Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento gravem irreverentiam inferat. Neque hic locum habet parvitas materiæ: prout ostensum manet *part.* 1. *n.* 693.

Probatur secunda pars negative; quia non potest ostendi, ubinam alia dispositio ex parte corporis, ceu ad dignam Communionem, & percipiendum ejus effectum primarium necessaria, præscribatur; ergo non est asserenda. Unde non impediunt ejusmodi effectum pollutio involuntaria, præcedenti nocte secuta; vel voluntaria quidem, sed per confessionem expiata: neque persolutio debiti conjugalis sive petiti, sive redditi: neque, & multo minus, immundities pure corporalis; quia spiritualis cibus, per se, & præscindendo a lege, nulla macula corporali inquinatur: eapropter a S. Convivio non excluduntur lepra, cancro, vel morbo Gallico infecti; male vestiti, illoti; mulieres menstruatæ &c.

73. Quæres primo, quomodo se gerere debeat communicaturus circa observationem jejunii, ad dignam Eucharistiæ sumptionem exacti?

Respondetur. Cavere debet, ne a media nocte Communionem precedente quidquam cibi, aut potus, etiam medicinalis tantum, ab extrinseco sumat, & degluttiat: quod tamen intellectum esto regulariter, & extra casum infirmitatis, ac necessitatis. Ita DD. communiter. Ratio est: quia alias infringeret jejunium naturale, quod regulariter, & extra prædictos casus ad dignam Eucharistiæ sumptionem ab Ecclesiæ exigitur. Unde siquis mane electuarium, v. g. vel aliudquid simile, licet modicissimum, sive per modum medicinæ, sive aliter, sive advertenter, sive inadvertenter, sumpserit, & in stomachum demiserit, eo die sub reatu gravis culpæ incurrendo Communionem intermittere tenetur, juxta communem DD. sensum, & doctrinam.

Dixi 1. *ne quidquam cibi, aut potus*. Ubi nomine cibi (idem cogita de potu) venit, quidquid a stomacho alterari, & saltem ea parte digeri potest, sicque in substantiam hominis aliquo modo converti. Ita cum Lugone, Dicastillo, & aliis P. Gobat *loc. cit. n.* 262. Ex quo fit, ut muscam v. g. deglutiens jejunium naturale frangat; cum ea habeat rationem cibi modo descripti: non autem deglutiens cretam, chartam, frustillum ligni, portiunculam auri &c. quoniam hæc, & similia nullo modo rationem cibi obtinent: quidquid contra sentiant Mezger, Babenstuber, & nonnulli alii.

Dixi 2. *etiam medicinalis tantum*: quia hoc jejunium Ecclesia non præcepit ob virtutem Temperantiæ, sed ob reverentiam Sacramenti, ut scilicet S. Ho-

stia

stia ante omnem profanum cibum, & potum, adeoque etiam medicinalem, in stomachum deveniat.

Dixi 3. *ab extrinseco sumas, & deglutias*. Unde qui sanguinem ex digito vulnerato sorberet, & deglutiret, teneretur a S. Communione abstinere: secus, si deglutiret sanguinem, vel alium humorem ex capite defluentem. Ratio disparitatis est: quia licet sanguis de se sit cibus, attamen rationem cibi solum retineret in priore, non autem in posteriore casu; quatenus in illo, non autem in isto, sumeretur ab extrinseco. Nec refert, an sumatur advertenter, & ex intentione, aut vicissim: siquidem intentio sumentis non potest sanguini tribuere, vel auferre rationem cibi ab in vel extrinseco sumpti: consequenter &c. Ita cum aliis a se relatis P. La Croix *loc. cit. num.* 565. Ubi etiam *n.* 566. subjungit, neque censeri ab extrinseco sumi, aut jejunio obesse, siquid, salivæ inseparabiliter permixtum, etsi necdum in eandem conversum, una cum illa in stomachum trajiciatur: ut siquis inter eluendum os unam, alteramve aquæ guttam, salivæ mixtam, deglutiat. Id ipsum alii tenent de reliquiis ciborum ex præterita cœna inter dentes hærentibus; quamvis deceat ejusmodi reliquias expuere.

Dixi 4. *quod intellectum esto regulariter*. Dantur quippe nonnulli casus, a generali regula superius statuta excepti; quos tamen, cum sacerdotes unice, vel saltem præcipue concernant, recensebimus *part.* 5. *tr.* 3.

Dixi 5. *extra casum infirmitatis*. Nam infirmi, quando periculose decumbunt, etsi non jejuni, communicandi sunt: id quod præcipitur in *can.* 92. *de Consecrat. dist.* 2. hisce verbis: *Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut, quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur*: quod utique fieri non posset, si infirmus deberet esse jejunus. Imo si periculum mortis perduret, sæpius communicari possunt non jejuni, sive dein S. Synaxis iisdem præbeatur iterum per modum Viatici, sive per modum simplicis Communionis. Ita cum Silvestro, Laymanno, & Fagundez Augustinus Michel *loc. cit. fol.* 227. *num.* 11. Ratio est: quia Canones super jejunio cum versantibus in mortis articulo quasi dispensantes, non loquuntur limitate, seu cum restrictione ad unam vicem.

Dixi 6. *ac necessitatis*. Hæc quippe legem non habet. Unde si SS. Eucharistiæ Sacramentum timeatur in Judæorum, vel Hæreticorum manus perventurum, igne consumendum, aliove modo indigne tractandum, ad præcavendam ejusmodi irreverentiam poterit, imo debebit a Sacerdote, aut, si nullus adsit, a laico non jejuno sumi, quia jejunium in Sacramenti reverentiam constitutum non debet cedere in ejus irreverentiam. Ita cum Vasquezio, Laymanno, Palao, & communi aliorum Augustinus Michel *loc. cit. n.* 13.

Qualiter se gerere debeat communicaturus, quando dubitat, an sit jejunus? dictum est *part.* 1. *num.* 180. hic autem ulterius

74. Quæres secundo, an peccet, qui ad S. Communionem accedit gladio accinctus? Eadem quæstio formari potest de accedente ad Sacramentalem Confessionem.

Respondetur negative, saltem per se loquendo. Ratio est: quia nulla lex extat, quæ jubeat deponi gladium ante Communionem, vel Confessionem; & consuetudo non videtur obligare. Ita Gobat *loc. cit. num.* 360. Imo Joannes Sanchez *disp.* 45. ait, quod Equites S. Joannis omnino deceat sic accedere ad Communionem: quoniam hoc signo profitentur suum Zelum pro tuenda Fide Catholica.

Dixi: *saltem per se loquendo*. Nam per accidens, puta ratione scandali, obmurmurationis &c. fieri potest, ut quis peccet, vix tamen plus, quam venialiter: quemadmodum notat idem Gobat, Tamburinus, & alii; pateque consideranti.

75. Quæres tertio, an jejunium frangat, & peccet, qui vinum post acceptam S. Hostiam sibi porrectum defluere sinit, antequam deglutiat Hostiam?

Respondetur negative, La Croix *loc. cit. num.* 573. Ratio est: quia sumptio illa vini, & Hostiæ censetur moraliter simultanea, & una. Nihilominus omnino condecet, ut communicans, quando commode potest, prævium illum vini defluxum impediat: quod fieri poterit retinendo vinum in ore, ut Hostia, linguæ superimposita, madefiat; vel, si palato jam sit agglutinata, solvatur, interveniente insuper adminiculo linguæ; atque ita simul cum vino in stomachum devehatur.

76. Quæres quarto, an peccet, qui post acceptam Communionem statim expuit; vel cibum, aut potum sumit?

Respondetur primo. Quamvis congruum sit, per aliquale temporis intervallum ejectione sputorum supersedere: si tamen constet, nullum Hostiæ fragmentum in ore residuum extare, non est illicitum statim expuere. Ita Herincx *loc. cit. n.* 53. & alii. Ratio est: quia Species Sacramentales resident in stomacho, licet forte necdum digestæ; sputa vero, seu salivæ ex capite in os defluunt, juxta Medicos, ipsumque S. Gregorium *Homil.* 10. *in Ezech.* aut certe ex pulmonibus ascendunt, non ex ventriculo, ubi Species Sacramentales, aliique cibi digeruntur: consequenter &c.

Respondetur secundo. Etiam congruum est, ut post S. Escam non illico sumatur profana, sed ut pietati vacetur, & Sacræ Species prius consumantur: nihilominus peccati reus non efficitur, qui post demissam integre Hostiam accipit aliquid cibi, vel potus, v. gr. ad famem, vel sitim, quam vehementem patitur, aliqualiter mitigandam: dummodo devotionem Sacratissimo huic Sacramento debitam statim subjiciat, & suppleat. Ita Herincx *loc. cit. num.* 52. La Croix *n.* 559. & alii. Ratio est: quia nullo Jure, quod adhuc vigeat, præscribitur certum quoddam intervallum, quo post Communionem a cibo, vel potu sit abstinendum; ergo &c. Confirmatur. Nulla in tali casu fit irreventia Sacramento; ergo non peccatur. Conf. fluit. Ant. ostenditur. Ea irreverentia in hoc sita foret, quod esca profana in ventriculo commisceretur sacræ, necdum digestæ: sed ista ratio non evincit fieri Sacramento aliquam irreverentiam; ergo &c. Minor hujus Syllogismi probatur. Qui paulo ante mediam noctem aliquid cibi, potusque sumpsit, licite, & citra Sacramenti irreverentiam potest statim communicare (juxta Navarrum *in Manual. c.* 21. *n.* 53. Henriquez, Laymann, Herincx, & alios satis communiter) quamvis non dormierit, nec cibum, vel potum digesserit; adeoque Esca sacra profanæ commisceatur, & vicissim; ergo ex tali commixtione nulla fit irreverentia Sacramento.

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

77. Xaverius incidens in periculum mortis tenetur adhuc communicare, seu sumere Viaticum, quamvis ante præcepto Communionis annuæ, sive Paschalis jam satisfecerit. 78. Xystus Sacerdos non adimplet præceptum Communionis Paschalis, dum hanc more laico accipit in aliena Parochia, & e manu Parochi non sui. 79. Xaveria, dum petit, & impetrat a suo Parocho licentiam alteri Sacerdoti, & in aliena Parochia pro Paschate confitendi, non censetur eo ipso petere, & impetrare licentiam ibidem etiam pro Paschate communicandi; & consequenter si nihilominus communicet, præceptum Communionis Paschalis non implet. 80. Ximenius unum duntaxat sacrilegium committit, dum peccato mortali gravatus, unaque non jejunus S. Eucharistiam sumit. 81. Ximinez non peccat, per se loquendo, quando post confessionem ad S. Eucharistiam accedit, quamvis præcedenti nocte involuntarie, vel voluntarie pollutus fuerit, aut debitum conjugale sine vel cum excessu, seu mera voluptatis gratia exercuerit. 82. Xantrophius ante Communionem sumendo tabacum non violat jejunium, nec peccat.

CASUS I.

77. Xaverius miles tempore Paschali, adhuc in hybernis agens, una cum aliis S. Synaxim sumpsit: at duobus post mensibus, jam in castris existens, periculosa infirmitate corripitur. Capellanus campestris pro suo munere admonet, & exhortatur Xaverium ut S. Viatico se muniri sinat. Quæritur, an Xaverius ex præcepto Communionis annuæ, & iterum communicare obligetur?

Respon-

charistiam accedere præsumat, & sic prævaricetur duplex præceptum, quorum uno, a peccato mortali immunis, & altero, jejunus accedere jubetur; nihilominus cum hæc duo præcepta non sint formaliter, sed materialiter tantum diversa, quippe habentia idem motivum (subintellige speciei infimæ) videlicet cultum, & reverentiam Sacramento debitam, eorum transgressio in uno, eodemque Communionis actu non duplicat peccatum sacrilegii. Revideantur, quæ diximus *part.* 1, *num.* 660.

CASUS V.

81. *Ximenez maritus in S. Tribunali se accusat* 1. *quod semel involuntarie pollutionem passus sit; & semel, in absentia uxoris eam voluntarie procuraverit.* 2. *quod debitum conjugale bis exercuerit, una vice ex legitimo fine, & cum moderamine, altera vice solius voluptatis gratia, & cum excessu.* 3. *quod quidem hæc in duabus successive Confessionibus fideliter expresserit; sed modo dubitet, an non peccaverit, utraque vice S. Synaxim sumendo; cum tamen duo priores actus nocte primam, & duo posteriores nocte secundam Confessionem, ac Communionem immediate antecedente, contigerint. Quæritur, an Ximinez, quamvis post utranque Confessionem Sacramentaliter absolutus, nihilominus communicando peccasse, & qualiter, censendus sit?*

Respondetur primo. Ximenez non peccavit communicando, saltem mortaliter. Ita DD. communiter. Ratio est: quia nulla culpa lethali de præsenti gravatus; nec aliunde, v. g. ob non servatum jejunium, indispositus fuisse supponitur; ergo communicando non posuit obicem Sacramento, neque hujus effectum primarium, impedivit: consequenter &c.

Respondetur secundo. Ximenez communicando nec venialiter peccavit per se loquendo. Et quidem quod attinet Communionem, quatenus hæc peracta est post pollutionem involuntariam, & debitum conjugale ex legitimo fine, cumque moderamine exercitum, conveniunt Authores. Ratio est: quia pollutio involuntarie non est peccaminosa; exercitium vero debiti conjugalis, si ex legitimo fine, & cum moderamine fiat, est actus virtutis; ergo non apparet, cur a S. Communione arceant, etiam sub veniali tantum, per se loquendo: consequenter &c. Quod autem attinet Communionem, quatenus peracta est post pollutionem voluntariam, & debitum conjugale ex mera voluptate exercitum, nobiscum sentiunt Laymann *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 15. Gobat *loc. cit. a n.* 353. Burghaber *cent.* 2. *cas.* 14. & alii plures ab ipsis relati. Ratio est: quia sicut alia peccata, quantumvis gravia, ita & peccatum pollutionis (adeoque etiam peccatum voluptatis per copulam conjugalem inordinate quæsitæ, quod solum veniale est) post absolutionem se habet perinde quoad reatum culpæ, ac si nunquam fuisset; reatus autem pœnæ forte restantis nullatenus remoratur susceptionem Eucharistiæ; ut supra *n.* 68. notatum: consequenter &c.

Lex Ecclesiastica, quæ actibus venereis sive licitis, sive illicitis deditos olim (ut volunt nonnulli) ad unum diem a S. Communione removebat, modo in desuetudinem abiit, atque omnino abolita est: prout testantur Burghaber, Gobat, & alii passim. Rationes porro, quæ in contrarium afferri solent, ad summum evincunt congruitatem, non vero obligationem a Communione abstinendi: prout notant Authores immediate *cit.* Sed

Dixi in 2. respons. *per se loquendo*: id est, præmemorati actus, etiam peccaminosi, quando reatus culpæ per Sacramentalem absolutionem est sublatus; secundum se (cum ut sic non amplius existant) Communionem ne quidem sub veniali impediunt. At quoniam effectus inordinatos (puta pravos in animo motus, turpes imagines, distractiones, & ad devotionem, ac reverentiam, cum qua SS. Eucharistiæ Sacramentum est suscipiendum, indispositiones) causare, & post se relinquere solent; ideo allaborandum est, ut hujusmodi effectus sedula animi recollectione, & exacta tum ad Confessionem, tum ad Communionem præparatione interimantur, vel supprimantur modo moraliter possibili: secus, peccatum venialis irreverentiæ non evitabitur. Laymann *loc. & n. cit.* aliique plures: atque in hoc sensu (eodem Laymanno interprete) accipienda videntur verba S. Hieronymi in *Apol.* ad Pamachium contra Jovinianum: *Illorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant.* Ratio insuper est: quia alioquin ad Sacratissimum hoc Sacramentum non accedetur cum magna reverentia, cum qua tamen ad illud est accedendum, ex dictis *n.* 67.

Imo etiam facta præfatorum effectuum suppressione, adhuc, saltem voluntarie pollutus, fornicatus &c. laudabiliter faciet (ubi nulla specialis causa communicandi intervenit) si pro humili recognitione tanti delicti illo die S. Communionem accipere supersedeat; quod etiam Confessarius quandoque præcipere poterit ad ostendendam peccati gravitatem, horroremque incutiendum. Ita cum aliis a se relatis Augustinus Michel *loc. cit. fol.* 225. *n.* 2.

Porro quoad conjuges tria adhuc animadvertenda veniunt. Primum est, quod per se loquendo vel maxime deceat, ut mutuo consensu nocte Communionem præcedente, vel saltem post noctis duodecimam, a carnali commercio, etiam moderato, in reverentiam tanti Sacramenti postmodum recipiendi, sese abstineant. Secundum est, quod, si alteruter conjugum petat, & urgeat debitum, ei sine tergiversatione reddendum sit: quia redditio debetur ex Justitia, cujus obligatio longe prævalet arbitrariæ devotioni. Tertium est, quod cavendum sit uxoribus, ne propter frequentiores Communiones, aut alias devotiunculas æquo sæpius debitum conjugale deprecentur, aut reddere recusent maritis; sicque istos in periculum pollutionis, vel etiam adulterii conjiciant. Ita Author proxime *cit.*

CASUS VI.

82. *Xantrophius, tabaco assuetus, simul, ac mane evigilat, eum usurpat, nec horam dein per totum fere diem elabi sinit, quin eundem sive in folio, sive in fumo, sive in pulvere per nares, aut os sumat; & tamen post illum sic sumptum sæpius S. Eucharistiam accedit. Quæritur, an violet jejunium naturale, & idcirco ab usu tabaci ante Communionem, si eam accedere velit, posthac abstinere teneatur?*

Respondetur negative, supposito, quod quæstio instituatur de usu tabaci solito, & ordinario. Ita Cardinalis de Lugo, Præpositus, Escober, Diana, & alii, quos refert, ac sequitur Burghaber *cent.* 3. *cas.* 45. Ratio est: quia Xantrophius, quocunque demum modo ex prædictis tabacum sumat, in morali æstimatione nihil cibi, aut potus in stomachum trajicere censetur; ergo non frangit jejunium naturale; & consequenter non est idcirco a S. Communione arcendus. Ant. ostenditur quoad singulos modos. Nam 1. quando tabacum in folio sumit, folium tabaci dentibus quidem conterit; sed contritum denuo exspuit: veluti supponitur. 2. quando eum sumit in fumo, solum fumum tabaci, qui cibus non est, respirando excipit. 3. quando eundem sumit per nares, pulverem tabaci tantum per nares attrahit, nihilque in stomachum demittit, nisi forte salivæ commixtum. Ergo &c.

Dixi: *si quæstio instituatur de usu tabaci solito, & ordinario.* Nam siquis folium tabaci non solum dentibus manderet, sed etiam deglutiret, omnino censeretur aliquid cibi (qualis utique juxta descriptionem supra *n.* 73. allatam est simile folium, licet dentibus contritum est, & diminutum) in stomachum trajicere; atque adeo frangere jejunium naturale &c. Verum hic modus sumendi tabacum non est ordinarius: de quo proinde nobis sermo non erat. Sed

Dices contra respons. Urbanus VIII. *die* 30. *Jan. an.* 1642. *in Constit.* quæ incipit: *Cum Ecclesia*, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibuit, ne quis in Ecclesia, aut ejus ambitu tabacum (per nares) sumeret. Idem, & sub eadem pœna fieri vetuit Innocentius X. *an.* 1650. in Basilica S. Petri, vel ejusdem atrio. Quæ prohibitiones, maxime cadunt in communicare volentes.

Respondetur, has, & alias id genus prohibitiones non fundari in fractione jejunii, quæ fiat per sumptionem tabaci; sed in scandalosis quibusdam tabaci abusibus, qui irrepserant, & abrogari debebant: cujusmodi abusus in nostris saltem partibus contingere non amant. Porro illæ prohibitiones non erant porrectæ ad nostras partes: vel dato, quod aliquæ etiam pro istis ema-

emanarint; de facto tamen haud amplius vigent, sed per contrariam consuetudinem abolitæ sunt: prout mihi omnino persuadet praxis doctorum, & piorum Virorum, qui ante celebrationem, aut Communionem tabaco citra scrupulum utuntur. Timoratiores tamen aliquanto saltem tempore, antequam ad sacrificandum, vel communicandum accedant, ab illius usu se abstinent: in quo ipsos laudo.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE POENIS ECCLESIÆ;

sive de Censuris, & Irregularitatibus.



Ancta, & solicita Mater Ecclesia, quo exactiorem filiorum, filiarumque suarum curam in tenenda salutis semita gerat, eos non solum monitis, & præceptis instruit, sed etiam minis, ac pœnis ad horum, aliorumque, ab ipsomet Deo sancitorum, præceptorum accuratam observationem compellere nititur. Quare, postquam de Præceptis cum Dei, tum Ecclesiæ hucusque actum est, restat, ut de pœnis quoque ab Ecclesia in antefatum finem statutis disseramus; utpote quarum notitia Officialibus Ecclesiasticis, Parochis, & quibuscunque Confessariis vel maxime necessaria est, ne potestatis suæ limites sive intra, sive extra S. Tribunal transgrediantur, aut quomodolibet hallucinentur. Præstabimus id per tres disputationes, quarum primam de Censuris in genere; alteram de iisdem in specie (ubi etiam de Depositione, Degradatione, & Cessatione a Divinis breviter agetur) ac tertiam de Irregularitatibus adornatum ibimus: siquidem hæc omnia vel sunt pœnæ Ecclesiasticæ, vel saltem cum iis affinitatem habent; quemadmodum patebit per decursum.

DISPUTATIO I.

De Censuris in Genere.

UT a nomine exordiamur, Censura in quadruplici potissimum significatione accipitur. Nam 1. significat dignitatem censoriam apud veteres Romanos celebrem, qua aliqui præfulgebant, & vi cujus tenebantur inquirere in mores civium, pravosque commeritis plectere pœnis, donec resipiscerent, & ad meliorem frugem redirent. 2. Significat correctionem ipsam, & quasi censionem, qua indigni ab honoribus arcebantur. 3. Significat sententiam correctivam Judicis Ecclesiastici: quo sensu Authores librorum ad calcem subjicere amant: *Omnia, quæ scripsi, S. Matris Ecclesiæ judicio, ac censuræ submitto.* 4. Significat pœnam quandam spiritualem, a Judice Ecclesiastico propter aliquod crimen contumacibus impositam. Atque in hac ultima acceptione ad nostrum pertinet institutum. Quo præscito, sit

CAPUT I.

De Natura, & Varietate Censuræ: itemque de Potestate, ac modo eam ferendi.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Censura?

SUMMARIUM.

83. *Censura definitur, & singula particula definitionis explicantur.* 84. *Depositio, Degradatio, Cessatio a Divinis, & irregularitas non sunt censuræ.* 85. *Censura essentialiter, & adæquate dividitur in* Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum. 86. *Aliæ illius divisiones sunt tantum accidentales.*

83. DIco primo. Censura est *pœna spiritualis, per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci, per potestatem Ecclesiasticam quorundam bonorum spiritualium usus aufertur, donec a contumacia recedat.* Ita DD. quoad rem ipsam communiter, quamvis in terminis vix unus alteri consonet.

Explicatur. Dicitur 1. *pœna:* quoniam censura infligitur in punitionem, & correctionem culpæ.

Dicitur 2. *spiritualis:* quia primario privat bonis spiritualibus; temporalibus vero non nisi secundario, & in ordine ad bonum spirituale tum censura ligati, tum aliorum: ut patet in censura excommunicationis, quæ excommunicatum privat communione externa cum fidelibus, & convictu humano.

Dicitur 3. *per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci &c.* ubi exprimitur tum subjectum, quod censura afficitur: tum causa, propter quam ea afficitur. De quibus *in cap. 2.*

Dicitur 4. *per potestatem Ecclesiasticam quorundam bonorum spiritualium usus aufertur.* Partim ut denotetur, censuratum non privari omnibus bonis spiritualibus, sed iis duntaxat, quæ sunt communia fidelibus, & publica, vel externa, quorumque administratio, & applicatio existit penes Ecclesiam: cujusmodi sunt Ecclesiæ Suffragia, Indulgentiæ, Jurisdictio Ecclesiastica, Sacrificia, Beneficia, & Officia Ecclesiastica, Sacramentorum usus activus, & passivus &c. Non ergo privatur censuratus bonis privatis, & internis, cuique homini propriis: veluti sunt dona gratiæ, Fides, Spes, Charitas, & aliæ virtutes, earumque operationes, utpote quæ non subsunt dispositioni Ecclesiæ. Partim, ut innuatur, per censuram non auferri ipsam potestatem spiritualem, quemadmodum fit per depositionem, degradationem &c. sed usum duntaxat, seu exercitium potestatis, & applicationem bonorum spiritualium alias communium fidelibus.

Dixi 5. *donec a contumacia recedat:* ut indicetur, quod censura sit pœna medicinalis, principaliter eo tendens, ut delinquens emendetur, & contumaciam ponat: quo facto, regulariter absolvendus est a censura, per *c. 3. de Offic. Ordin. & c. 1. de Sent. excom. in 6.*

84. Colliges, nec (1.) Depositionem, & Degradationem; nec (2.) Cessationem a Divinis; nec (3.) Irregularitatem esse censuram. DD. communiter. Ratio primi est: quia depositio, & degradatio non sunt pœnæ medicinales, seu constitutæ in eum finem, ut reus criminis a contumacia recedat; sed ut puniatur crimen, etiam mere præteritum, imo quandoque jam emendatum. Deinde depositio, & degradatio tollunt non tantum usum potestatis spiritualis, quemadmodum faciunt censuræ, sed ipsam quoque potestatem (ut supra advertimus) idque in perpetuum, & absque spe restitutionis: unde sunt pœnæ de se perpetuæ, non per absolutionem, ut censuræ, sed per dispensationem, & relaxationem legis auferibiles. Ratio secundi est: quia cessatio a Divinis non imponitur ad frangendam delinquentis contumaciam, sed in contestationem mœroris ob injuriam Ecclesiæ illatam. Porro qui censura ligatus celebrat, incurrit irregularitatem, secundum omnes: non item, qui celebrat tempore cessationis a Divinis; prout (teste Herincx *part. 2. tr. 2. disp. 6. num. 2.*) tenent DD. communissime, quando cessatio est particularis, & communius, quando est generalis; ergo signum est, quod cessatio a Divinis non sortiatur rationem censuræ. Ratio tertii est: tum quia non omnis irregularitas est pœna, ut constat in ea, quæ oritur ex defectu: tum quia tametsi sit pœna, veluti patet in illa, quæ incurritur ob delictum; non tamen est pœna medicinalis, quemadmodum censura; sed vindicativa: tolliturque non per absolutionem, ut censura, sed (si sit de se perpetua) per dispensationem. Unde quando in Bullis Pontificum, v. g. tempore Jubi-

Jubilæi, datur potestas absolvendi a censuris, non censetur comprehensa potestas dispensandi super irregularitate, tametsi hæc sit incursa propter delictum, habeatque rationem pœnæ; uti tradunt DD. communissime. Si dicas. Alexander VII. in Bulla indictionis Jubilæi, occasione suæ electionis concessi *an.* 1655. dedit potestatem absolvendi a censuris, & excepit irregularitatem; consequenter supposuit, hanc sub illis contineri; alias non fuisset opus exceptione. Ajo cum P. Herincx *loc. ac n. citt.* S. Pontificem id fecisse ad majorem cautelam, & ne forte aliqui sive ex ignorantia, sive ex inadvertentia censuram, & irregularitatem in dicto passu confunderent, atque ideo in exercitio potestatis sibi concessæ hallucinarentur, & excederent.

85. Dico secundo. Censura essentialiter, & adæquate dividitur in tres species, videlicet in *Excommunicationem*, *Suspensionem*, & *Interdictum*. Ita Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 13. *q.* 1. *art.* 1. *n.* 6. & alii communiter, paucis exceptis, qui cessationem a Divinis, & irregularitatem ex delicto, inter censuræ species computant.

Probatur ex *cap.* 20. *de Verb. Signif.* ubi Innoc. III. interrogatus, quid in literis Apostolicis nomine censuræ intelligatur? in hæc verba respondit: *Quærenti, quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in literis nostris apponimus, respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valet intelligi.* Quod responsum, cum sit dogmaticum, ac doctrinale, æquivalet declarationi universali; & consequenter complectitur omnes censuras: ut recte notant P. Herincx *loc. ac n. citt.* & P. Stephanus Erhart *in suis Thesib. de Censur. pag.* 5. Ergo divisio in memoratas tres species est adequata. Confirmatur. Cessatio a Divinis, & irregularitas etiam ex delicto, quas Adversarii censuris annumerant, non participant rationem censuræ (uti nec depositio, degradatio, vel quidquid simili cogitari potest) ex dictis *n.* 84. ergo excommunicatio, suspensio, & interdictum exhauriunt totum divisum: consequenter &c. Quodque eadem divisio etiam sit essentialis, ostenditur: siquidem tres illæ species non solum privant diversis bonis, sed modos quoque privandi formaliter, & essentialiter diversos exercent; veluti advertit P. Herincx *cit.* & patebit per decursum; ergo inter se essentialiter distinguuntur: consequenter &c.

86. Colliges, dari quidem (1.) alias adhuc divisiones censuræ; sed (2.) accidentales tantum. Ratio primi est: quia secundum omnes qualibet ex prædictis censuræ speciebus dividitur in eam, quæ est *a Jure*, & in eam, quæ est *ab Homine*: item in eam, quæ est *latæ*, & in eam, quæ est *ferendæ sententiæ*. Censura a Jure est, quæ per legem, vel statutum adversus peccata futura fulminatur: & hæc talis censura perpetuo durat, non minus, quam lex, vel statutum, quo infertur. Censura ab Homine est, quæ per præceptum, aut sententiam (generalem, vel particularem) Superioris, aut Judicis infligitur adversus peccata futura, vel præterita in eorum satisfactionem: atque ista censura expirat cum vita, vel officio eam ferentis, ita ut tunc non amplius incurratur, licet jam ante incursa perseveret, donec absolutione tollatur. Censura latæ sententiæ est, quam reus ipso facto, seu criminis perpetratione, ante Judicis sententiam condemnatoriam, incurrit. Censura ferendæ sententiæ est (vocatur etiam *comminatoria*) quam reus non ipso facto, seu delicto, sed primum post, & per actualem Judicis sententiam condemnatoriam incurrit. Unde autem dignosci valeat, utrum censura aliqua sit latæ, vel ferendæ sententiæ, dictum est *part.* 1. *num.* 346. Ratio secundi est: quia prior divisio se solum tenet ex parte causæ efficientis, & posterior ex parte modi, quem causa efficiens in iisdem infligendis adhibet; ergo eæ divisiones sunt accidentales tantum; sicut & differentiæ membrorum dividentium; nam sola diversitas causarum efficientium, aut modorum, quibus causant, non inducit differentiam essentialem in causatis.

Dices. Ex modis causandi diversis recte colligitur differentia essentialis causarum (inde enim supra *n.* 85. asseruimus, excommunicationem, suspensionem, & interdictum inter se essentialiter distingui) ergo etiam causatorum; ergo saltem censuræ latæ, & ferendæ sententiæ essentialiter inter se distinguentur; & consequenter divisio in eas erit essentialis, non accidentalis tantum.

Respondetur ad ant. & 1. conf. cum distinct. Idque tenet, quando modi illi causandi pertinent ad genus causæ formalis, con. efficientis, neg. Si ad genus causæ formalis pertineant (uti pertinent modi, quos in privando bonis spiritualibus exercent excommunicatio, suspensio, & interdictum) sunt formaliter, & essentialiter diversi, ex quibus proin recte arguitur essentialis differentia in causis, vel etiam in causatis: secus, si pertineant ad genus causæ efficientis, seu causam efficientem tantum afficiant &c. Unde neg. duæ posteriores conf.

ARTICULUS II.

Penes quos resideat potestas ferendi censuras?

SUMMARIUM.

87. *Potestas ferendi censuras alia est* ordinaria, *alia* delegata. 88. *Penes quos resideat ordinaria?* 89. *An Episcopus, extra suam diœcesim existens, valeat adversus suos subditos in diœcesi existentes censuram ferre?* 90. *Penes quos sit potestas delegata ferendi censuras?*

87. PRænotandum, potestatem ferendi censuras aliam esse *ordinariam*, aliam *delegatam*. Prior est, quæ alicui competit ratione officii (vel etiam ratione consuetudinis, præscriptionis &c.) quo fulget, & fungitur. Posterior est, quæ competit ex concessione, vel commissione habentis potestatem ordinariam. Potestas ordinaria suapte natura alteri delegabilis est; delegata vero subdelegari nequit, nisi id a delegante, vel Jure specialiter concedatur.

88. Dico jam primo. Potestas ordinaria ferendi censuras residet penes Prælatos Ecclesiasticos, jurisdictionem in foro externo non impeditam obtinentes. Ita DD. communissime. Et patet tum ex praxi: tum ex ratione; siquidem hæc talis potestas pertinet, & requiritur ad eorum officium, vi cujus tenentur improbos, & contumaces corrigere, & coercere: quod vel maxime fit per censuras.

Quare prædicta potestas residet 1. in S. Pontifice respectu omnium Christianorum; cum ipse sit Pastor totius Christiani Gregis. 2. In Conciliis Generalibus itidem respectu totius Ecclesiæ, & Provincialibus respectu suarum Provinciarum, *cap.* 29. *de Præbend. & Dignit.* 3. In Legatis a latere respectu Provinciæ suæ legationis, *cap.* 2. *de Offic. Legat. in* 6. 4. In Cardinalibus respectu proprium Ecclesiarum, *cap.* 11. *de Majorit. & Obed.* 5. In Patriarchis, Archi-Episcopis, & Episcopis respectu sibi subditorum: ut pluribus in locis Juris Canonici habetur. Excipitur tamen Episcopus mere titularis, non habens proprias oves, nec jurisdictionem in foro fori: hic quippe talis non pollet potestate ferendi censuras, utpote quæ non nudam consecrationem, sed officium pastorale consequitur. 6. In Vicario Episcopi, seu Provisore Generali: quia eandem cum Episcopo jurisdictionem exercet, & ordinariam pro foro externo contentioso, *cap.* 2. *de Consuet. in* 6. Nec obstat textus in *cap.* 2. *de Offic. Vicar. in* 6. ubi negatur Vicario Generali *potestas corrigendi excessus, seu aliquos a suis beneficiis, & officiis amovendi* absque speciali commissione. Siquidem textus semetipsum explicat per particulam identitatis *seu*, & indicat, quod potestas corrigendi per privationem beneficiorum negetur Vicario Generali, non alia. 7. In Capitulo Cathedrali, Sede Episcopali vacante, *cap. un. de Majorit. & Obed. in* 6. quia Episcopo succedit in jurisdictione Episcopali. Vide tamen, quod habetur *part.* 1. *num.* 426. 8. In Superioribus Religiosorum Ordinum, Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Præpositis, Prioribus Conventualibus (non item in Claustralibus) Guardianis, Rectoribus, respectu Regularium sibi subjectorum: siquidem omnes isti a S. Pontifice constituuntur ordinarii Pastores, & Judices suorum Religiosorum etiam in foro externo.

Dixi autem in conclus. *jurisdictionem in foro externo* (seu in foro fori) *obtinentes &c.* Nam jurisdictio fori interni ad ferendas censuras non sufficit; cum ferre censuram sit actus fori externi, & contentiosi.

Dixi præterea: *jurisdictionem non impeditam obtinentes &c.* Nam quando jurisdictio Superioris Ecclesiastici,

ſtici, alias, & de ſe cenſuras ferre potentis, eſt impedita (ſive per cenſuram, ſive per aliam legitimam prohibitionem) non poteſt is alios cenſura ligare; neque alteri poteſtatem ligandi delegare: quia, ut quis hic, & nunc agere poſſit, non ſufficit poteſtas agendi remota, & ligata, ſeu impedita, ſed requiritur proxima, & expedita: prout ex Philoſophia notum ſuppono.

89. Quæres, an Epiſcopus, extra ſuam diœceſim, exiſtens, valeat adverſus ſuos ſubditos in diœceſi exiſtentes cenſuram ferre?

Reſpondetur negative: niſi Ordinarius loci, in quo exiſtit, conſentiat: vel niſi delictum ſubditi ita ſit notorium, ut cognitione cauſæ judiciali non indigeat: vel niſi expulſus ſua diœceſi velit cenſuram vibrare contra injuſtos expulſores, eorumque fautores. *Clement. unic. de For. compet.*

90. Dico ſecundo. Poteſtas delegata ferendi cenſuras reſidet pœnes omnes, & ſolos, quibus fuerit commiſſa ab habente poteſtatem ordinariam: dummodo illius ſint capaces. Colligitur aperte ex *c. 7. de Offic. Ordinar. in 6.* Ratio inſuper eſt: quia poteſtas ordinaria (ex dictis *n. 87.*) eſt ejus naturæ, ut ab habente aliis delegari poſſit: conſequenter poteſtas delegata ferendi cenſuras reſidet penes eos, quibus ab habente ordinariam fuerit commiſſa.

Dixi: *dummodo illius ſint capaces*. Nam incapaces exiſtunt feminæ, laici, imo & Clerici conjugati, per *c. 2. de Cleric. conjug.* niſi a S. Pontifice ex plenitudine poteſtatis reddantur capaces: quod probabilius fieri non implicat etiam quoad feminas: licet enim hæ Jure Divino ſint incapaces poteſtatis Ordinis, non tamen eo Jure ſunt incapaces poteſtatis jurisdictionis, etiam Eccleſiaſticæ, & ſpiritualis. P. Pichler *lib. 5. Decretal. tit. 39. n. 4.* P. Erhart *cit. pag. 18.* aliique plures.

Dices. In *c. 12. de Majorit. & Obed.* datur poteſtas Abbatiſſæ ſuſpendendi Clericos ſuæ Eccleſiæ ab Officio, & Beneficio; ergo poteſtas ferendi cenſuras de facto exiſtit, ac exiſtere poteſt in feminis, & non tantum de abſoluta potentia S. Pontificis.

Reſpondetur, neg. conſ. Et ad ant. ajo cum P. Pichler *cit.* & aliis, illam ſuſpenſionem non fuiſſe veram, & proprie dictam cenſuram; ſed ſimplicem prohibitionem celebrandi in loco Abbatiſſæ ſubjecto, & meram ſubtractionem fructuum.

ARTICULUS III.

Quo modo ferendæ ſint cenſuræ?

Modus ferendi cenſuras in prima ſui diviſione biceps eſt, nimirum *eſſentialis*, & *accidentalis*. Prior ex natura rei ad valorem cenſuræ exigitur, & ſitus in eo eſt, quod voluntas Superioris cenſuram ferentis ſufficienter exprimatur. Poſterior Jure duntaxat humano præſcribitur, exigiturque ad ſolam licentiam cenſuræ, ſeu ut hæc abſque peccato feratur, aut integrum ſuum effectum ſortiatur. In quo autem conſiſtat, patefiet partim in primo, partim, & præſertim, in ſecundo §. Priorem modum alii appellant *Formam ſubſtantialem*; poſteriorem vero *Formam accidentalem*. Nunc ſit

§. I.

Deciditur Quæſtio quoad modum eſſentialem ferendi cenſuras.

SUMMARIUM.

91. Ad valorem cenſuræ requiritur, ut Superior, præcipiens ſub cenſura, manifeſtet voluntatem ſuam ſigno aliquo ſenſibili. Quod tamen 92. non neceſſario conſiſtit in verbis. 93. Requiritur præterea, ut verba, vel ſigna, queis cenſura fertur, ſint determinata tam quoad ſpeciem cenſuræ, quam quoad perſonam delinquentem, quæ cenſuratur. 94. Solvuntur oppoſita. 95. & ſeqq. An, & qualis monitio prærequiratur ad valorem, vel licentiam cenſuræ?

91. Dico primo. Ad valorem cenſuræ requiritur, ut Superior, præcipiens ſub cenſura, manifeſtet voluntatem ſuam ſigno aliquo ſenſibili. Bonac. *de Cenſur. diſp. 1. pun. 7. prop. 3.* Krimer *lib. 5. Decretal. tit. 39. num. 1741.* Erhart *loc. cit. pag. 46.* & alii communiter.

Probatur. Quia incurſio cenſuræ præſupponit in incurrente delictum, & contumaciam contra præceptum Superioris cenſuram inferentis; prout fluit ex definitione cenſuræ *n. 83.* allata: atqui nemo poteſt delinquere, aut contumax eſſe contra ejuſmodi præceptum, niſi ſigno aliquo ſenſibili ſibi manifeſtatum; ergo &c.

92. Quæres, an ſufficiat quodcunque ſignum ſenſibile, ſatis expreſſivum voluntatis Superioris, cenſuram ferentis?

Reſpondetur affirmative, ſpectata præciſe natura cenſuræ. Krimer *loc. cit. num. 1742.* Khamm *de Cenſur. in Gen. part. 1. n. 116.* & alii paſſim. Ratio eſt: quia ex natura cenſuræ in hac materia aliud non requiritur, quam ut ſufficienter innoteſcat voluntas Superioris præcipientis ſub cenſura: atqui hoc fieri poteſt per quolibet ſignum ſenſibile; adeoque non tantum per verba ore prolata, vel ſcripto exarata, ſed etiam per nutus &c. ergo &c.

Dixi: *ſpectata præciſe natura cenſuræ*. Nam de eo, quod Jure Eccleſiaſtico præſcriptum eſt, acturi ſumus §. *ſeq.* Hic autem

93. Dico ſecundo. Ad valorem cenſuræ præterea requiritur, ut verba, vel ſigna, quibus cenſura fertur, ſint determinata tam (1.) quoad ſpeciem (ſubintellige infimam) cenſuræ, quam (2.) quoad perſonam delinquentem, quæ cenſuræ ſubjicitur. Khamm *loc. cit. a n. 117.* Erhart *pag. 46.* & alii paſſim.

Probatur prima pars. Qui verba, vel ſigna, cenſuram non ſignificant ſpeculative tantum, ſed & practice, eamque ſuo modo efficiunt: atqui non poſſunt efficere effectum in genere, ſed in ſpecie tantum, v. g. excommunicationem, ſuſpenſionem ab officio &c. Unde Superior dicendo: *Petrum cenſura ligo*, nihil efficit: bene autem, dicendo: *Petrum excommunico &c.*

Probatur etiam ſecunda pars. Quia, ut proxime dictum, verba, vel ſigna cenſuram ſignificant practice, & ſuo modo efficiunt; ergo debent deſignare ſubjectum determinatum, in quo illam efficiant; cum cenſura ſolitarie, & abſque determinato ſubjecto produci, ac exiſtere nequeat. Atqui ejuſmodi ſubjectum aliud non eſt, quam perſona delinquens; ergo &c.

94. Objicies contra primam partem. Quando Superior dicit: *excommunico Petrum*, cenſura valet, ut ſupra aſſeruimus; & tamen verbum, *excommunico*, non eſt determinatum quoad ſpeciem cenſuræ; cum excommunicatio dividatur in majorem, & minorem; ergo &c.

Reſpondetur, neg. 2. membrum antecedentis. Ad rationem ejus probativam ajo, quod, licet excommunicatio antefato modo dividatur, nihilominus vox excommunicationis abſolute prolata ſonet excommunicationem majorem, quæ eſt ſpecies infima, *c. 59. de Sent. excom.*

Inſtabis. Vox *ſuſpenſionis*, abſolute prolata, non ſonat ſpeciem infimam ſuſpenſionis; ergo neque vox excommunicationis, abſolute prolata, ſpeciem infimam excommunicationis.

Reſpondetur, conceſſo antecedente, neg. conſ. Diſparitas eſt; nam in primis id in *c.* proxime allegato diſerte pronunciatur de voce excommunicationis; nullibi vero de voce ſuſpenſionis. Deinde tametſi excommunicatio dividatur in majorem, & minorem; ſola tamen excommunicatio major dicitur, & eſt excommunicatio ſimpliciter; cum ipſa ſola a communione fidelium ſimpliciter ſeparet: prout videbimus *diſp. ſeq.* Unde cum voces, abſolute, & ſimpliciter prolatæ (ſecundum Logicos) ſtent pro ſuo ſignificato ſimpliciter tali, idem aſſerendum eſt de voce excommunicationis. Dum autem ſuſpenſio dividitur in eam, quæ eſt *ab officio*, & in eam, quæ eſt *a beneficio*, dividitur in duas ſpecies, quarum utraque eſt ſimpliciter talis; ut proinde nulla extet ratio, ob quam vox ſuſpenſionis dicatur de ſe determinata ad unam potius, quam alteram ſignificandam.

Urgebis. Ergo ſi Superior dicat: *ſuſpendo Petrum*, nulliter agit.

Reſpondetur, conced. illatum. Quia verbum, *ſuſpendo*, non eſt determinatum quoad ſpeciem infimam ſuſpenſionis: quod tamen ſecundum hucuſque dicta ad validam cenſuræ inflictionem exigitur.

95. Dico tertio. Ad valorem cujuſcunque cenſuræ prærequiritur aliqua monitio. Concluſio in terminis, in quibus eſt propoſita, debet eſſe communis.

Probatur. Siquidem cenſura ex ſui inſtitutione, & natura

tura potest ferri, nisi contra inobedientes, & contumaces; ut sæpius dictum: sed inobedientes, aut contumaces non censentur, qui antea nullo modo sunt moniti, ut obediant; ergo &c.

Confirmatur ex *Matth.* 18. ubi dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus:* non autem dicitur quis Ecclesiam non audiisse, nisi fuerit ab illa præmonitus, ut audiat, & obediat; ergo &c. Atque hoc, ut dixi, inter DD. commune est, seu communiter admittitur. Sed

96. Quæres, qualis requiratur monitio ad censuram valide ferendam?

Respondetur primo. Quando fertur censura ipso facto incurrendam, & quæ sit latæ sententiæ, sufficit monitio communis (regulariter loquendo) involuta in ipsa sententia, præcepto, vel statuto, quo censura fertur. Reiffenstuel *lib. 5. Decretal. tit.* 39. Krimer *loc. cit. n.* 1717. Franciscus Schmier *lib. 5. tr.* 1. *cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 161. & alii passim. Ratio est: quia tunc ipsa sententia, præceptum, vel statutum obtinet sufficientem vim monitionis. Confirmatur ex *cap.* 26. *de Appellat.* ibi: *Nec Prælati (nisi Canonica commonitione præmissa) suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos, nisi forte talis sit culpa, quæ* NB. *ipso suo genere* (hoc est, per Gloss. ibid. ipso facto) *suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat;* ergo si pœnam hanc talem inducat ipso facto, non requiritur monitio specialis, & canonica, sed sufficit communis, & non Canonica.

Dixi per parenthesim: *regulariter loquendo*, & nisi ipsum Jus in casu aliquo particulari requirat monitionem specialem: uti facit *Clement.* 1. *de Decimis*, ubi Religiosi, qui decimas solvi Ecclesiis non permiserint, aut prohibuerint &c. suspenduntur ipso facto a beneficiis, administrationibus, & officii, præmissa tamen monitione, cum ibidem addatur: *nisi moniti intra mensem destiterint*. Et *Clement.* 2. *de Statu Monachor.* ubi illi, qui Visitatoribus in actu visitationis impedimento sunt, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, *nisi moniti resipiscant*. Schmier *loc. & numero citt.*

Respondetur secundo. Quando fertur censura non ipso facto incurrenda; sed quæ sit ferendæ sententiæ, requiritur monitio specialis, & Canonica. Pichler *loc. cit. num.* 9. Schmier *num.* 162. Khamm pag. 149. *num.* 150. Colligitur aperte ex *c.* 26. *de Appellat.* supra *cit.* ubi ad omnem censuram, quæ non incurritur ipso facto, sed primum post crimen commissum infligenda est, prærequiritur monitio specialis, & Canonica. Porro prævia monitio tam communis, quam specialis, ad valorem censuræ exacta, debet fieri cum mentione, & comminatione censuræ: hac quippe non expressa, delinquens tantum censetur contumax, & inobediens Ecclesiasticæ potestati directivæ, non coercitivæ in foro exteriori, unde manat censura: quemadmodum bene notat P. Erhart *pag.* 55.

Dices contra 2. respons. Quando Jus fert censuram comminatorie, & a Judice primum post admissionem criminis infligendam, is, qui crimen admittit, censetur sufficienter contumax, & inobediens; cum agat contra dispositionem Juris sibi (ut supponitur) cognitam; ergo sufficit etiam tunc monitio communis, & non requiritur specialis, ac Canonica, seu per Canones præscripta.

Respondetur cum P. Khamm *cit.* distinguendo ant. Censetur sufficienter contumax, & inobediens Juri censuram comminanti, con. Judici censuram inferenti, neg. ant. & cons. Contumax, & inobediens Judici, censuram inferenti, esse non censetur; nisi qui ab eo monetur, & post monitionem delinquit: sicut non potest censeri contumax, & inobediens Juri, censuram per seipsum inferenti, nisi qui ab eo monetur (puta per promulgationem statuti v. g. quo censura fertur) & post monitionem delinquit. Verbo. Qui infert censuram, monitionem præmittere debet; alias censuræ illatio non valebit ob defectum contumaciæ, & inobedientiæ in delinquente, utpote antea non monito, monitione scilicet proportionata, quæ sit facta a censuram inferente. Sed ulterius

96. Petes, an monitio specialis, quæ ex dictis ad censuram ferendæ sententiæ prærequiritur, debeat esse trina, vel sufficiat una?

Respondetur primo. Ad valorem censuræ sufficit una monitio, regulariter loquendo. Krimer *loc. cit. num.* 1718. Pichler *num.* 9. Erhart *pag.* 57. & alii satis communiter. Colligitur ex *cap.* 48. *de Sent. excom.* ubi supponitur (juxta *Gloss.* ibidem) validam esse sententiam excommunicationis, tametsi eam non præcesserit monitio Canonica, videlicet trina. Deinde in eodem *c.* præcipitur, ut excommunicatus absque trina monitione absolvatur: absolutio autem supponit valorem censuræ. Suffragatur quoque *c.* 5. *de Sent. excom. in* 6. argumento cujus similiter valida est sententia censuræ, modo antefato lata; ut habet *Gloss.* ibidem.

Dixi: *regulariter loquendo*. Excipitur enim casus, quo Judex fert sententiam excommunicationis majoris contra communicantes cum illo, quem ipse excommunicavit: similis quippe sententia, nisi eam præcedat trina monitio, est invalida, per *cap.* 3. 9. *&* 13. *de Sent. excom. in* 6. Quæ tamen exceptio non est porrigenda ad casum, quo Judex ita excommunicat communicantes cum excommunicato ab alio: siquidem illa constitutio solum facta est ad coercendam nimiam solicitudinem, & facilitatem, quam Judices habere possent circa observationem censurarum a se latarum.

Respondetur secundo. Ad licentiam censuræ, seu ut ista licite inferatur, prærequiritur trina monitio. Ita DD. communissime. Constat ex *cap.* 5. *de Sent. excom. in* 6. ubi censura aliter illata, pronunciatur injusta, id est, illicita propter non servatum Juris ordinem; ergo trina monitio est necessaria non quidem necessitate censuræ, seu ad ipsius valorem; sed necessitate præcepti, & ad illius licentiam. Unde Judex sine trina monitione censuram inferens, graviter delinquit (nisi id faciat necessitate pressus, ubi a culpa immunis erit) quia in re gravi negligit decreta, & sanctiones Juris Pontificii; nec servat privilegium a Jure concessum reo.

Interim monitio illa non necessario debet esse trina formaliter, sed sufficit, si sit trina virtualiter. Formaliter trina est, quando tres monitiones separatim fiunt, assignando pro quavis sufficiens tempus (nempe biduum) veluti si Prælatus moneat sub communicatione censuræ, ut Cajus satisfaciat Titio intra biduum, &, hoc transacto, rursus moneat ad aliud biduum & sic repetat tertio. Virtualiter trina est, quando Prælatus una monitione tribus æquivalente dicit: *admoneo te, ut satisfacias intra sex dies, valeatque pro trina monitione:* vel: *& hic sit terminus ultimus, ac peremptorius:* etenim simile quid addere debet Superior; alias reus sibi persuadere posset, alium adhuc terminum superesse, sicque non censeretur sufficienter contumax. Khamm *n.* 158. Erhart *pag.* 57. & alii passim.

Ut hactenus dicta clarius percipiantur, & vitetur contentio de nomine, oportet nosse, quod Jura, quando ad censuram ferendæ sententiæ exigunt monitionem *Canonicam*, per hanc ordinarie intelligant (licet non addant, aut exprimant) trinam (formaliter, vel virtualiter) & non unam duntaxat. Colligitur ex *cc.* supra allatis, & ratione: Siquidem Jura præscribunt monitionem Canonicam pro simili censura non ut valide tantum, sed etiam ut licite ferenda: licita autem ferri non potest nisi præmissa monitione trina formaliter, vel virtualiter; ut dictum, & ostensum manet. Ex quo tamen inferre haud licet, monitionem illam specialem, in quantum requiritur ad valorem ejusmodi censuræ, appellari *Canonicam* non posse, eo quod sic non trina, sed una sit necessaria. Contra enim est, quod adhuc illius appellationis capax existat, quatenus a DD. Canonibus ortum trahit, & juxta eos, etiam in quantum trina, necessaria est necessitate præcepti. Ita insinuant P. Pichler *loc. cit. num.* 9. & P. Bockin *lib.* 5. Decretal. (in forma Thesium producto) *tit.* 39. 10.

§. II.

Deciditur Quæstio etiam quoad modum accidentalem ferendi censuras.

S U M M A R I U M.

98. *Quinque sunt modi accidentales, sive ad solam censuræ licentiam exacti.* 99. *Singuli explicantur.*

98. DIco. Modus accidentalis, sive ad solam censuræ licentiam exactus, est quintuplex.

99. Explicatur. Nam 1. exigitur *monitio canonica, in quantum trina*: prout ostensum, & expositum est §. *praced.*

2. Exigitur *denunciatio*, quæ est quædam solemnitas, & ceremonia, a Jure præscripta, post censuræ sententiam adhibenda in promulgatione legis ferentis censuram. Ex quo fluit, denunciationem non esse necessariam necessitate censuræ, cum hujus essentiam præsupponat; sed necessitate præcepti tantum; & quidem non respectu cujuslibet censuræ (licet cuilibet addi possit, prout colligitur ex Jure Canonico) sed solum respectu excommunicationis latæ ab homine in certam personam, & latæ a Jure ipso facto, post sententiam declaratoriam criminis necessario, seu ex præcepto facienda est: alioquin excommunicatio non sortietur suum integrum effectum, nempe ut excommunicatus etiam vitetur a fidelibus, maxime post Concilium Constantiense, post quod obligatio vitandi excommunicatum non oritur, nisi excommunicato (quando 's non est notorius percussor Clerici) nominatim- & publice denunciato. Khamm *loc. cit. n.* 170. Erhart *pag.* 65. & alii passim. Ubi tamen nota, quod ille, qui ab Episcopo, vel Judice Ecclesiastico tanquam excommunicatus (excommunicatione v. g. a Jure lata) denunciandus est, prius legitime citari debeat, eique justa defensio, Jure naturæ omnibus concessa, indulgeri. Et hæc citatio adeo necessaria est, ut sine ea (nisi in plane notoriis, quæ nulla possunt tergiversatione celari) denunciatio suo valore, & effectu destituatur: quia contra inauditam partem nihil potest in Judicio definiri, *cap.* 1. *de causa possess. & propriet.* Idem habent textus, & Glossa *in Clement.* 3. *de Censib.* & *in Clement.* 2. *de Pœnis.* Idem quoque tradunt Authores, Laymaon *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 1. *c.* 5. *n.* 5. & 6. Engel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 39. *num.* 9. Khamm *n.* 175. & alii.

3. Exigitur, ut censura (sive sit excommunicatio, sive suspensio, sive interdictum) quando fertur per sententiam particularem, feratur in scripto (nisi habeatur privilegium, vel consuetudo in contrarium) quo exprimatur species censuræ, quæ infligitur, nomen illius, cui infligitur, & causa, ob quam infligitur, *c.* 1. *de Sent. excom. in* 6. Ratio hujus Constitutionis insinuatur *in eod. c.* ut nempe Judices non festinato, temerarie, & imprudenter ex quacunque levi causa unico verbo quempiam censuræ gladio jugulent; nam dum sententia scribitur, quid magis deceat, advertitur, mens componitur, & ita sedatur. Censura per sententiam particularem aliter, puta oretenus, lata (1.) tenet quidem, seu valida est; graviter tamen (2.) illicita. Ratio primi est: quia *in cit. capit.* præcipitur, ut aliter, quam scriptim excommunicatus, si ad Superiorem recurrerit, sine difficultate ab excommunicationis vinculo relaxetur, & absolvatur: relaxatio autem, & absolutio supponit valorem. Nec obstat *c. fin. de Sent. & re judicat. in* 6. ubi absolute affirmatur de omni sententia, quod sit nulla, si lata fuerit sine scriptura in causis summariis. Ajo enim cum communi aliorum, hoc *cap.* esse intelligendum de sententiis, quæ non sunt censuræ; nam istas clare excipit Pontifex in *pracit. c.* 1. Ratio secundi est: quia Episcopi, vel Judices sententiam censuræ sine scriptura ferentes agunt contra Jus Pontificium in puncto gravi; ob quod etiam Judices per mensem suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis, per *cit. cap.* 1. Quæ tamen pœna non afficit Episcopos (licet ex immediate dictis & ipsi graviter delinquant, si censuram per sententiam particularem sine scriptura ferant) quia in *cit. cap.* 1. quoad incursionem memoratæ pœnæ nulla eorum fit mentio: quando autem in censuris suspensionis, & interdicti non fit expressa mentio Episcoporum, isti illas non incurrunt: prout traditur in *cap.* 4. *de Sent. excom. in* 6. Porro antedictam censuram Episcopi, vel Judices proferre, seu legere ex scripto debent per seipsos, vel per suos Ministros, *cap.* 1. *cit.* Imo P. Krimer cum aliis a se relatis tradit, Judices (aliud secundum omnes est de Episcopis, ut mox patebit) haud satisfacere obligationi suæ, si censuram legi curent per suos ministros: quia (inquiunt) *cap. fin. de sent. & re judicat. in* 6. præcipitur Judicibus (excipiuntur tamen Episcopi ob suam, qua præfulgent, dignitatem) ut per se ipsos sententias proferant. Sed præferenda videtur sententia opposita P. Khamm *numer.* 162. & aliorum, qui volunt, etiam Judicibus permissum esse, ut sententias censurarum proferant per suos ministros. Ad *c. fin.* quod Adversarii supra pro se allegant, respondent, sub eo textu comprehendi quidem alias sententias secundum id, quod supra dictum) non tamen censuras; alioquin ex eodem textu convinceretur, sententiam censuræ, aliter latam, non solum illicitam, sed & invalidam fore, seu (ut loquitur Pontifex) *nullius penitus momenti* (sicut invalidæ sunt aliæ sententiæ) quod nec Adversarii concedunt propter *c.* 1. *cit.*

Dixi superius: *quando censura fertur per sententiam particularem &c.* Siquidem hæc sola præsumi potest procedere quandoque ex imprudentia, temeritate, vel odio erga censuratum; adeoque esse injusta: ad quam injustitiæ labem antevertendam, & avertendam Constitutio *cit. c.* 1. emanavit: ut jam supra notatum. Si enim censura feratur per sententiam generalem, vel legem, nulla opus est scriptura, cum illa sic lata præsumatur justa, *can.* 2. *dist.* 4.

4. Exigitur, ut censura, quando fertur per sententiam particularem, non feratur *die feriato*. Ratio est: quia ut censura feratur per talem sententiam, requiritur prævia judicialis cognitio causæ, *can.* 11. *caus.* 2. *q.* 1. quæ diebus feriatis institui nequit (extra casum necessitatis, vel pietatis) per *c. fin. de Feriis*. P. Erhart *pag.* 67.

5. Exigitur, ut eadem censura feratur interdiu, *ne Judicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris*; ut habet *cap.* 24. *de Offic. & Potest. Judic. deleg.* Interim nec iste, nec præcedens modus est necessarius necessitate censuræ (adeoque hæc aliter lata valet) cum talis necessitas neque ex authoritate, neque ex ratione ostendi queat; sed necessitate præcepti solum, graviter tamen obligantis; ut proinde ejusdem transgressio, citra causam excusantem facta, culpam gravem contineat: prout tradunt DD. passim, & fluit ex supra dictis.

CAPUT II.

De Subjecto censuræ, & Causa eam ferendi.

ARTICULUS I.

In quos censura ferri possit?

SUMMARIUM.

100. *Soli baptizati, viatores, usu rationis præditi, & censuranti subditi, sunt capaces censuræ.* 101. *Diluuntur argumenta contraria.* 102. *& seqq. An, & quomodo censurentur, aut censurari possint impuberes; subditi extra diœcesim existentes; peregrini; mandantes, & consulentes?*

100. DIco. Censura ferri potest in omnes; & solos homines (1.) baptizatos (2.) viatores (3.) usu rationis præditos, & (4.) censuranti subditos. Ita communis DD.

Ratio primæ partis est: quia Ecclesia non obtinet jurisdictionem in homines non baptizatos, utpote in quibus deficit fundamentum subjectionis relate ad jurisdictionem Ecclesiasticam, nempe character Baptismalis. Hinc Apostolus 1. *Cor.* 5. inquit: *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Ex quo fluit, Paganos, Judæos, Catechumenos &c. non posse affici censura Ecclesiastica: quia ob defectum Baptismi non subsunt jurisdictioni Ecclesiæ. Quare siquis eorum, v. g. Judæus, percuteret Clericum, non contraheret censuram excommunicationis. Aliud est de Hæreticis, ob rationem oppositam. Bonacina, Filliucius, Laymann, Illsung apud, & cum P. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 1. *art.* 2. *n.* 7.

Ratio secundæ partis est: quia Christus solum dedit Ecclesiæ jurisdictionem in homines viatores, & super terram existentes: ut patet ex illis verbis *Matth.* 16. quæ sunt: *Quodcunque ligaveritis super terram &c.* Unde Titius v. g. excommunicationem, quæ in ipsum lata est sub conditione, nisi intra mensem satisfecerit, non incurrit, si cum proposito non satisfaciendi e vita migret mense necdum elapso. Babenstuber *loc. cit. num.* 8. & alii?

Ratio

Ratio tertiæ partis est: siquidem pœna supponit culpam; culpa autem locum non habet in illis, qui usu rationis destituti sunt. Hinc infantes, perpetuo amentes &c. non sunt capaces censuræ. E diverso non perpetuo amentes (idem cogita de ebriis, dormientibus &c.) censuram non effugiunt, quando tempore, quo sui compotes exstiterant, posuere efficacem causam illius contrahendæ; quia usus rationis, liberaque voluntas solum requiritur ad opponendam causam censuræ, non vero ad ipsam censuram contrahendam. Unde Titius verb. grat. si adhuc sui compos impetet Cajo percussionem Clerici, incurrit excommunicationem tempore amentiæ, quo Cajus Imperium exequitur. Erhart *pag.* 24. Babenstuber *numer.* 10. & alii apud ipsos.

Ratio quartæ partis est: quia jurisdictio, & subjectio sunt correlativa: sed in ferente censuram requiritur jurisdictio; prout relinquitur ex dictis *n.* 88. ergo in patiente illam requiretur subjectio, Unde cum S. Pontifex in terris nemini sit subjectus, censura ligari a nemine potest; imo nec a semetipso: siquidem ferre censuram, secundum dicta *numer. cit.* est actus jurisdictionis coactivæ, & contentiosæ, qualem nullus erga seipsum exercere potest. Et licet obligetur suis legibus quoad vim directivam, haud tamen obligatur iisdem quoad vim coactivam, & coercitivam, qua censura fertur. P. Khamm *numer.* 54. & alii communiter. Porro Imperatores, Reges, & Principes fere omnes ex privilegio, vel consuetudine non possunt hodie feriri censura ab Episcopis, sed a solo Papa. Filliucius *tr.* 11. *de Censur. c.* 5. *n.* 134. Khamm *n.* 57. Pichler *lib.* 5. *Decretal. tit.* 39. *n.* 6.

101. Objicies contra 2. partem sequentia. Nam 1. Hæretici etiam post mortem jubentur anathematizari, *can. fin. caus.* 24. *q.* 2. ergo &c. 2. Excommunicati post mortem absolvi debent, si ante mortem signa pœnitentiæ dederint. *c.* 28. *de Sent. excom.* ergo etiam post mortem poterunt adhuc excommunicari, si in impœnitentia decesserint. 3. Ecclesia concedit indulgentias prō defunctis, & sic eos solvit a pœnis; ergo eosdem & pœnis ligare potest.

Respondetur ad singula. Et quidem ad primum dico, anathema in *cit. can.* non sumi pro vera excommunicatione; sed vel pro execratione, in quo sensu etiam accipitur, dum vibratur in mortuos: vel pro publica declaratione, quod Hæretici ut excommunicati decesserint, & idcirco nec sepultura sacra donandi, nec publicis Ecclesiæ precibus juvandi sint. Ad secundum ajo, neque absolutionem in allegato *cap.* esse vere talem, quæ directe ad mortuos tendat; hoc quippe modo vivos spectat, quatenus his impertit facultatem communicandi cum iis, qui pœnitentes decesserunt, in sepultura sacra, & publicis Ecclesiæ precibus: unde & similis absolutio respectu mortuorum potius est declaratio, quod nimirum ob prævie edita pœnitentiæ signa habeantur coram Deo pro absolutis; respectu vivorum vero dispensatio. Ad tertium dist. ant. Ecclesia concedit indulgentias pro defunctis per modum solutionis, & suffragii, exhibendo Divinæ Justitiæ satisfactionem ex communi Thesauro meritorum Christi, & Sanctorum, juxtaque rogando, ut Deus talem satisfactionem misericorditer acceptet, & defunctis pœnas purgatorii remittat, con. per modum absolutionis ab iis pœnis, sive per actum jurisdictionis, quos Ecclesia in defunctos exerceat, neg. ant. & cons. Nam ut quispiam pœna ligetur, actus jurisdictionis in ligante interveniat, necesse est. Nec obstat, si instes. Ecclesia concedendo indulgentias exercet actum jurisdictionis; ergo &c. Respondetur enim, dist. ant. Exercet actum jurisdictionis in Thesaurum Ecclesiæ, quem applicat, con. in defunctos, quibus eundem applicat, neg. ant. & cons.

102. Quæres primo, an pueri usu rationis præditi, sed adhuc impuberes, sint capaces censuræ?

Respondetur affirmative. Ita P. La Croix *lib.* 7. *n.* 42. P. Erhart *pag.* 24. & alii passim. Ratio est: quia nullo Jure eximuntur; nec suppetit fundamentum illos eximendi, si culpam, ob quam censura infligitur, vere commiserint. Imo nostra responsio clare supponitur in *c.* 1. *& ult. de Sent. excom.* ut patebit legenti.

Dices. Impubes non potest citari, aut in Judicio comparere ad se defendendum; *c. fin. de Judiciis in* 6. ergo neque censura affici; cum ante hujus incursionem cui libet præviasui defensio sit permissa.

Respondetur, neg. cons. saltem intellectam de censura latæ sententiæ: ad hujus quippe incursionem necesse non est impuberem citari, aut comparere in Judicio. Imo negat. eadem cons. potest etiam de censura ferendæ sententiæ, ad cujus incursionem prærequiritur citatio, & comparitio Rei in Judicio; nam licet impubes ipse personaliter non admittatur ad respondendum in Judicio; admittitur tamen medio procuratore, qui loco ipsius inibi respondeat. Notant tamen Suarez, Coninck, Khamm *n.* 53. quod communiter non expediat impuberes coercere censuris per sententiam, sed potius castigare virgis. Porro tametsi censuris ligari existant, non tenentur pro absolutione recurrere Romam (sicut nec senes, & mulieres, quibus in hoc passu æquiparantur) sed possunt absolvi a suis Episcopis: ita enim indulgetur in *citt. cc.* 1. *& ult. de Sent. excom.*

103. Quæres secundo, an subditi, etiam extra diœcesim existentes, possint a suo proprio Episcopo censura feriri?

Respondetur primo. Non possunt sive (1) per legem; sive (2.) per præceptum, aut sententiam generalem, vel particularem, si subditi existant extra diœcesim non solum physice, & quoad personam, sed etiam moraliter, seu quoad rem, circa quam operantur, & quoad ipsam quoque operationem, quam exercent. Prima pars est sat communis. Secundam tenet P. Khamm cum aliis a se relatis contra Laymannum huic parti universaliter adversantem, & contra La Croix, ac Pichlerum, volentes, quod consimiles subditi censura ipso facto incurrenda ligari a suo Episcopo possint per speciale præceptum, aut sententiam particularem. Prima pars habetur *in c. ult. de Const. in* 6. ibi: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, furtum extra diœcesim committentes, minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Confirmatur. Lex non fertur in personas absolute, sed dependenter a territorio, *l.* 9. *ff. de Just. & Jure.* ergo idem dicendum de censura, quæ fertur per legem. Ratio secundæ partis itidem sumitur ex *c. fin. cit.* utpote in quo pro ratione, cur Episcopus per legem censura afficere non possit subditos extra diœcesim furantes, redditur defectus jurisdictionis, se extra proprium territorium, vel diœcesim haud extendentis: cum ergo etiam præceptum, & sententia, in quantum sunt illativa censuræ, proficiscantur a potestate jurisdictionis, non tenebunt, dum ultra propriam diœcesim protenduntur: consequenter &c.

Dices contra hanc secundam partem. Præceptum præsertim speciale (idem esto judicium de sententia) respicit personam subditi secundum se, & independenter a loco; prout ipsimet concessimus *part.* 1. *n.* 415. ergo subditum ligat, ubicunque existat.

Resdondetur, explicando, & dist. ant. Præceptum simpliciter prolatum, quod egreditur a potestate dominationis, con. præceptum illativum censuræ, quod egreditur (& quidem necessario) a potestate jurisdictionis, neg. ant. & cons.

Alia argumenta, quæ militant etiam adversus primam partem, soluta sunt *part.* 1. *a num.* 414. Ubi etiam reperies discrimen inter Episcopum, & Superiorem Regularem; nam iste, si potestate ferendi censuras polleat, vinculo censuræ innodare potest suos Religiosos, ubicunque existant; secus, ac de illo hactenus ostensum est.

Porro licet Episcopus suos subditos extra diœcesim delinquentes censurare non valeat, si tamen ad illam revertantur, possunt de crimine, v. g. furto extra commisso, conveniri, & compelli per excommunicationem ad restituendum, ut hac ratione parti læsæ prospiciatur, & crimen delinquentium emendetur, P. Erhart *pag.* 28.

Respondetur ad quæst. secundo. Si subditi sint quidem physice absentes, seu extra proprium diœcesim, moraliter vero intra illam, a suo Episcopo feriri censura possunt. Ita Khamm *n.* 62. *&* 63. Erhart *pag.* 27. aliique satis communiter. Ratio est: quia similes subditi possunt a suo Episcopo lege ligari, ut docet Suarez *lib.* 3. *de LL. cap.* 32. & alii passim; ergo etiam

censuræ alias quippe non haberet plenam potestatem præcavendi sibi noxia. Imo alias facile contemneretur potestas Episcoporum, si esset in cujusvis arbitrio se ab illorum jurisdictione eximere, quantum ad delictorum punitionem. Ponamus enim, quod Cajus Augustanus, post commissum Augustæ furtum, aufugiat Passavium: non posset tunc Cajus excommunicari ab Episcopo Augustano, extra cujus territorium existeret; nec ab Episcopo Passaviensi, cujus non est subditus: consequenter &c.

Dices. Contumacia, ob quam censura imponitur, extra diœcesim consummatur in casu responsionis; ergo censura intra diœcesim lata non incurritur.

Respondetur, neg. conf. Quia satis est, quod intra propriam diœcesim perpetratum sit delictum, utpote cujus satisfactio, & emendatio per censuram intenditur. Deinde negari quoque potest ant. Nam etiam contumacia intra diœcesim consummatur, hoc ipso, quod delinquens censeatur adhuc moraliter præsens, & a contumacia nondum recesserit.

Duo adhuc circa doctrinam, in 2. *respons.* traditam, advertenda veniunt. Unum est, quod, ut quispiam dicatur esse moraliter præsens intra propriam diœcesim, non requiratur, delictum ibi fuisse reipsa commissum (quemadmodum in casu Caii supra contigisse ponitur) sed etiam sufficiat, si ibi commissum censeatur fictione Juris. Hinc Parochus extra diœcesim vagans contra statutum Episcopi id sub excommunicatione vetantis, excommunicationi subjacet: quia fictione Juris intra diœcesim delinquit; siquis enim non facit, quod facere tenetur, peccare dicitur, ubi facere tenetur, *l. 121. de diversis Reg. Jur.*

Alterum est, quod, si censura sit ferendæ sententiæ, contra reum, jam extra teritorium existentem, ferri sententia non amplius possit; neque, si sit latæ sententiæ, contra ipsum institui actio cum cognitione judiciali, & strepitu forensi: ut notat La Croix *lib. 7. num.* 43. & alii communiter; nosque insinuavimus *part. 1. numero* 413.

Porro, quæ diximus de subditis existentibus extra territorium, etiam procedunt de subditis existentibus intra territorium in loco per se, & ratione sui exempto; quia locus sic exemptus intra territorium, aut diœcesim, loco existenti extra eam æquiparatur, quantum ad usum jurisdictionis: prout notavimus *part. 1. numero* 417.

104. Quæres tertio, an peregrini, & advenæ in diœcesi, in qua commorantur, vel potius transeunt, censura ligari possint ab Episcopo illius diœceseos?

Respondetur, hujus quæstionis resolutionem totam fluere ex dictis *part. 1. a n.* 418. ubi etiam argumenta, quæ in contrarium afferri possunt, soluta extant. Revide ergo, quæ inibi habentur.

105. Quæres quarto, an non tantum facientes, seu committentes delictum sub censura vetitum, sed etiam mandantes, vel consulentes illud fieri, sint subjecti ejusmodi censuræ, eandemque, effectu secuto, incurrant?

Respondetur primo. Quando in lege, vel sententia continente censuram solum fit mentio facientium, vel committentium delictum, non vero mandantium, vel consulentium, hi censuram non incurrunt. Alterius *tom. 1. lib. 3. disp. 2. c. 2.* Mastrius in *Theol. Moral. disp. 13. q. 1. art. 2. n.* 20. & alii passim. Ratio est quia leges, & sententiæ continentes censuram sunt odiosæ, & pœnales; ergo stricte interpretandæ de causis delicti physicis, & non mere moralibus, cujusmodi sunt mandantes, & consulentes &c.

Dices. Quod quis facit per alium, per se facere censetur; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Idque verum est moraliter quoad culpam, & Juris fictionem, con. physice, & quoad pœnam semper, neg. ant. & conf. Physice, & ex natura rei non dicimus facere proprie, & in rigore, quod per alios facimus. Unde saltem in odiosis, & pœnalibus, quæ sunt strictæ interpretationis, veniuntque secundum naturam rei, non æquiparantur hæc duo: *facere per seipsum, & facere per alium*; consequenter &c.

Respondetur ad quæst. secundo. Quando in lege, vel sententia continente censuram fit etiam mentio mandantium, vel consulentium delictum, isti quoque censuram incurrunt, si in delictum sub censura prohibitum efficaciter, & cum contumacia influant. DD. communiter. Ratio est: quia nullo ex capite implicat mandantes, & consulentes censuræ subjici; ergo si subjiciantur, eandem æque incurrunt, ac facientes, seu committentes delictum. Hic proinde verificatur, quod habetur *c. 47. de Sent. excom.* ubi facientes, & consentientes dicuntur pari pœna plectendi.

Dixi: *Si in delictum &c. efficaciter, & cum contumacia influant*. Unde si mandant, antequam illiusmodi delictum reipsa perpetretur, mandatum vero, sinceroque animo retractet, idque mandatario innotescat, censuram non incurrit; quoniam non amplius efficaciter (multo minus cum contumacia) influit in delictum, licet istud mandatarius, non obstante mandati retractatione, nihilominus exequatur, mandatum enim præcise influit, quatenus formaliter existit, aut virtualiter perseverat: atqui, supposita retractatione, non amplius existit formaliter, nec perseverat virtualiter (imo nec habitualiter proprie loquendo) ergo &c. Porro consulens, si consilium revocet; idque manifestet (sive per se, sive per alium) illi, qui inde animum patrandi criminis concepit, esto (1.) adhuc influat in crimen si consilium datum sit verum; non tamen (2.) censuram incurrit. Ratio primi est: quia consilium influit propter motivum suggestum, v. g. utilitatis, commoditatis, voluptatis &c. Unde si sit verum, quantumcunque revocetur, nihilominus ratio motiva, per illud proposita, immota permanet, & influit æque efficaciter, ac si consilium non fuisset revocatum. Ratio secundi est: quia per seriam revocationem consilii (vel mandati) cessat, & moraliter destruitur inobedientia, ac contumacia; cum hic, & nunc pœnitens non possit amplius dici inobediens, ac contumax: sed qui non est inobediens, ac contumax, censuram haud incurrit; ergo &c. Atque hæc ratio evincit, mandantem, vel consulentem neque evadere obnoxios censuræ, quando revocatio mandati, vel consilii ante perpetratum crimen non pervenit ad aures illius, cui data sunt; quia licet etiam tali casu mandans, & consulens adhuc influant in crimen (si hoc sequatur) non influunt tamen cum contumacia, quippe per seriam revocationem, & pœnitentiam deposita, ac moraliter annullata.

ARTICULUS II.

Ob quam causam feratur, aut ferri possit censura?

SUMMARIUM.

106. *Exponitur status quæstionis.* 107. *& seq. Censura gravis ferri non potest (vel saltem non solet, regulariter loquendo) nisi ob culpam gravem, opere completam, & consummatam; non mere præteritam; ab Ecclesia sub incursione censuræ specialiter vetitam; ubi etiam argumenta opposita dissolvuntur.*

106. PRænotandum, quæstionem non procedere de causa finali censuræ, quæ debet esse correctio, & emendatio delinquentis, cui censura infligitur; sed de causa materiali, eaque proxima, quæ est ratio, ob quam quis censura ligari meretur. Unde postquam actum in præcedentibus est de causa censuræ effectiva, ac formali, nec non materiali remota, cujus nomine venit subjectum, quod censura innodatur, superest, ut impræsentiarum agamus etiam de causa materiali proxima, ob quam censura fertur, vel saltem per minas interminatur. Pro quo

107. Dico primo. Censura gravis ferri non potest, nisi ob culpam gravem. Krimer *loc. cit. n.* 1791. & alii communiter.

Probatur. Siquidem pœna gravis, & privans bonis magni momenti, supponit culpam gravem, ut inter utramque detur proportio, quam exigit rei natura, & *c. 5. de pœnis in 6. v. illud autem in med.* ac Trident. *Sess. 25. c. 3. de Reformat.* atqui censura gravis est talis pœna; ergo &c.

Confirmatur paritate analogica, hic omnino valitura. Medicus corporalis imprudenter, & crudeliter procederet, si curaturus levem corporis infirmitatem, applicaret antidotum nimis difficile, & asperum, verb. g. infirmum urendo, secando &c. ergo etiam Medicus spiritualis (Superior Ecclesiasticus) si curaturus levem animæ infirmitatem, uteretur medio nimis difficili,

& ar-

& arduo, cujusmodi est censura gravis. Quapropter merito incusantur levitatis, imprudentiæ, ac temeritatis Superiores illi, qui ob nævos undequaque leves evomere non verentur fulmina censurarum, haud pensantes, similem procedendi modum bono communi, & pacifico regimini noxium, non proficuum fore.

Dixi: *censura gravis*: cujusmodi reputatur excommunicatio major; uti & suspensio, ac interdictum, prout communiter feruntur. Siquis enim feriretur excommunicatione minori tantum, vel suspenderetur ab aliquo officio parvi momenti &c. posset sufficere culpa levis; quoniam & pœnæ essent comparative leves: prout ex dicendis *disp. seq.* perspicuum fiet.

108. Objicies contra conclus. Relaxatio comatum non est actio mortaliter, imo nec venialiter mala, sed indifferens; & tamen ob illam Clerici excommunicantur excommunicatione majori in *c. 4. de vita, et honest.* ergo censura, etiam gravis, non necessario supponit culpam gravem.

Respondetur, dist. primam partem ant. Relaxatio comarum secundum se, & absolute spectata, conc. spectata, veluti ad Clericos, & in ordine ad finem a Superiore intentum, verb. grat. vitandum scandalum, neg. sub hac enim posteriori ratione, & consideratione evadit materia gravis, potestque graviter prohiberi, & puniri; uti etiam prohibetur, & punitur in *cit. c.* Unde concessa secunda parte ant. neg. conf. Revideantur, quæ habentur *part. 1. n. 375.*

109. Dico secundo. Censura, esto possit ferri (1.) propter peccatum mere internum; regulariter tamen ferri non solet, nisi (2.) propter peccatum internum, & externum simul, atque (3) omnino consummatum. Primam partem tenet P. Franciscus Schmier *lib. 5. tr. 1. c. 3. a n. 134.* omnesque illi, qui nobiscum admittunt, quod Ecclesia actus mere internos præcipere, vel prohibere possit. Partem secundam, & tertiam concedunt DD. unamini consensu.

Probatur prima pars. Ecclesia potest præcipere, vel prohibere actus mere internos; ergo etiam transgressoribus proportionatas infligere pœnas &c. Conf. fluit Ant. solide probatum, & a contrariis argumentis vindicatum seperies *part. 1. a n. 314.*

Probatur secunda pars, tum ex communi sensu DD. quidum audiunt, incendiarios, simoniacos, usurarios, abortus procuratores &c. censuris subjici, passim id capiunt de illis duntaxat, qui similia non solum mente, sed & opere externo perpetrare ausi sunt: tum inde, quod, sicut Ecclesia militans est visibilis, & sensibilis, ita regulariter suo bono, & tranquillitati satis prospiciat, si satagat præcavere, vel eliminare crimina quæ sunt simul externa, ac fortiori marte, quam mere interna, militant adversus pacem, & disciplinam Ecclesiasticam.

Probatur etiam tertia pars. Quia leges pœnales (idem cogita de præceptis, & sententiis) stricte veniunt interpretandæ; eo quod odia sint restringenda, *cap. 15. de R. J. in 6.* atqui leges, queis feruntur censuræ, existunt pœnales, ut nemo ambigit; ergo stricte veniunt interpretandæ, videlicet de peccato consummato tantum.

Ubi tamen excipiendum: nisi *Lex, vel, Superior ferens censuram oppositum exprimat*: veluti nonnunquam fit; ut *in c. 1. de homicid. in 6.* ubi mandans aliquem occidi per assassinos, vinculo excommunicationis innodatur, licet occisio non sequatur. Similiter Religiosus ex Ordine Mendicantium *Clement. 1. de Pœnis.* excommunicatione feritur, si pro concione dicens populum dehortetur a solutione decimarum, quamvis dehortatio suum effectum non sortiatur. Sinck Gallenses *de Censur. in communi q. 3. conclus. 4.* & alii passim.

110. Colliges, quod non incurrat censuram Canonis, qui explodit bombardam in Clericum, & globo prætervolante aberrat. Filliucius *tr. 11. c. 6. num. 173.* Babenstuber *loc. cit. art. 3. n. 13.* aliique passim. Ratio est: quia non adest actio consummata per effectum; qualis principaliter vetatur sub censura excommunicationis: sub hac enim vetatur percussio Clerici, sive violenta in Clericum injectio manuum; quod accipiendum est cum effectu. Atqui dicto modo aberrans non censetur in Clericum violentas manus injicere cum effectu, ut patet; ergo &c.

111. Dico tertio. Censura proprie dicta ferri non potest propter delictum mere præteritum, & non conjunctum cum præsenti contumacia. DD. communiter.

Probatur. Siquidem censura (proprie dicta) ex sua ratione primaria est pœna medicinalis, medicina autem applicari non debet, nec potest prudenter, quando morbus jam est pulsus, & nullo modo amplius existit. Sed quando peccatum jam plene præteriit, & contumacia cessavit, morbus, ad quem sanandum censura imponitur, jam est pulsus, & nullo modo amplius existit; ergo &c.

Dixi: *censura proprie dicta*, seu talis, cujus violatio irregularitatem inducere nata sit. Quod addidi propter suspensionem, & interdictum personale, quæ ferri quandoque solent propter delictum præteritum, & ut sunt pœnæ ex sua ratione primaria vindicativæ. Sed sic late non sunt censuræ proprie dictæ, quarum transgressio secum trahere queat irregularitatem: prout advertit P. Khimm, & alii passim.

112. Objicies sequentia. Nam 1. Nicolaus Papa *c. fin. caus. 2. q. 1.* excommunicavit duos Episcopos, quod Lotario Regi in suis sceleribus faverint. 2. Gregorius *can. 2. caus. 5. q. 1.* excommunicavit Authorem cujusdam Libelli infamatorii, nisi se proderet; ad quod tamen obligari non poterat, & consequenter ob non proditionem sui non erat excommunicatus, sed præcise ob delictum antea commissum. 3. Innocentius Papa excommunicavit Arcadium Imperatorem, & Ambrosius Theodosium *can. 10. dist. 96.* ob culpas mere præteritas. 4. Sylverius Papa *can. 30. caus. 23. q. 4.* statuit anathema in eos, qui ipsum prætexto amicitiæ comprehenderunt, & in exilium relegarunt. 5. Denique non videtur convincere ratio probativa conclusionis; quoniam censura, licet infligeretur ob culpam mere præteritam, esset nihilominus medicinalis, quatenus nata esset & ipsummet reum, & alios a lapsu consimili futuro præservare.

Respondetur ad primum. Episcopi illi non fuerunt excommunicati, sed ab Officio Sacerdotali depositi: id quod fieri potest ob culpam mere præteritam; cum depositio non sit pœna medicinalis, sed vindicativa. Ad secundum. Gregorius, ibi prout textus indicat, mandavit, ne Author ille S. Synaxim accedere præsumat, nisi prius reparata, quam alteri injuriose abstulerat, fama: quod mandatum, quatenus erat accessus ad S. Synaxim prohibitorium, non egrediebatur limites simplicis prohibitionis, solumque continebat censuram (nempe excommunicationem ipso facto incurrendam) relate ad delictum futurum, seu ubi fuerit facta transgressio prædictæ prohibitionis per accessum ad S. Synaxim. Ad tertium. Arcadius, & Theodosius fuerunt excommunicati, donec posita contumacia resipiscerent, suorumque facinorum publicam satisfactionem exhiberent: qua exhibita, a vinculo excommunicationis illico liberati sunt. Ad quartum. Illi Personæ Pontificiæ comprehensores incurrerunt ipso facto excommunicationem jam statutam ante delictum perpetratum, adeoque istud non ut præteritum, sed ut futurum respicientem: unde Pontifex non tam illos excommunicavit, quam excommunicatos declaravit. Deinde potuisset Pontifex contra eosdem comprehensores novam excommunicationem fulminare non quidem ob delictum mere præteritum, sed continuatum, quatenus ab injusta detentione non desistebant, nec Personam Pontificiam in pristinam libertatem asserebant. Ad quintum. Censura proprie dicta debet esse specialiter, & ex primaria sua ratione medicinalis; quia per se primo intendit resipiscentiam Rei: quem finem assequi amplius non potest, quando delictum jam est plene præteritum, reusque, posita contumacia, resipuit: esto adhuc per relationem in argumento specificatam possit dici medicinalis communiter, & ex sua ratione secundaria: quod non sufficit ad censuram incurrendam; cum hoc modo quælibet alia pœna sit, & dici valeat medicinalis.

113. Dico quarto. Censura pariter ferri non potest nisi ob delictum ab Ecclesia sub incursione censuræ specialiter prohibitum. Est itidem communis DD.

Probatur. Quia potestas ferendi censuras non est Ecclesiæ a Christo commissa, nisi in subditos eidemmet Ecclesiæ inobedientes, & contumaces, juxta illud *Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, id est, si Ecclesiæ non fuerit obediens

diens post monitionem; adeoque eidem inobedientem juxta ac contumacem se exhibuerit: atqui talis inobedientia, & contumacia subsistere haud potest in delicto, quod non est contra præceptum Ecclesiæ, ab eaque specialiter prohibitum sub incursione censuræ; ergo &c. Ex quo fluit, nullam censuram incurri ob delictum sola lege naturali, aut Divina prohibitum: quia reus delicti, non specialiter, & sub incursione censuræ ab Ecclesia prohibiti, nequit intelligi contumaciter spernere authoritatem Ecclesiæ. Laymann *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 1. *c.* 5. *n.* 2. & alii passim, Ubi tamen Krimer *loc. cit. n.* 1782. Erhart *pag.* 41. & alii bene advertunt, non requiri inobedientiam, & contumaciam formalem, ac specialem (alias quoties quis delinqueret, & delinquendo censuram contraheret, toties duplex peccatum committeret: quod est procul a veritate) sed sufficere virtualem, & generalem, in eo sitam, quod aliquis sciat, quidpiam esse ab Ecclesia præceptum, vel prohibitum sub censura, aut Superiorem comminari censuram, & nihilominus contravenire non vereatur; cujusmodi inobedientia, contumacia, vel contemptus non constituit speciale peccatum, sed in actu percaminoso per modum circumstantiæ generalis imbibitur: prout suo loco dictum.

C A P U T III.

De absolutione a Censura.

PLerique Authores, antequam hic agant de absolutione a censura contracta, præmittere nonnullas quæstiones solent de causis excusantibus a censura contrahenda; cujusmodi sunt *ignorantia*, *involuntarium*, *metus*, & *impotentia*. Sed quoniam de istis jam sat tractatum est *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 1. *c.* 3. indeque persacile erui potest, an, & quando excusent, vel non excusent incursione censuræ, Lectorem illuc remittimus, nec ab quæ ibi dicta sunt, ducimus repetenda, ne citra rationem necessitatis, vel utilitatis simus onerose prolixi. Quare de sola absolutione a censura contracta impræsentiarum moderata brevitate differemus. Sit itaque

A R T I C U L U S I.

An sola, & qualis absolutio censuram tollat?

S U M M A R I U M.

114. *& seqq. Quid, & quotuplex sit absolutio a censura? ipsa sola censuram tollit: solvitur objectio, & subjungitur corollarium.* 119. *&* 120. *Etiam absolutio conditionata censuram aufert; solvitur objectio.* 121. *Qui absolutus est a censura ad reincidentiam, non relabitur in eandem, nisi novam committat culpam.* 122. *An licite detur absolutio a censura sub conditione de futuro?*

114. PRænotandum primo, quod absolutio a censura hic aliud non significet, quam actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, per quem dissolvitur vinculum censuræ, quo quis per eandem jurisdictionem ob delictum aliquod ligatus erat.

115. Prænotandum secundo, & absolutionem a censura aliam esse *absolutam*, aliam *conditionatam*. Absolutio absoluta est, quæ impenditur nulla addita conditione de futuro contingenti. Quando datur præcedente cognitione censuræ, & in perpetuum, dicitur absolutio absoluta *simpliciter*: quando autem datur præcedente dubio, vel ignorantia censuræ, dicitur absolutio *ad cautelam*; & sic solet a Confessariis communiter præmitti absolutioni a peccatis: quando denique datur pro determinato tempore, quo transacto absolutus a censura in eandem reincidat, dicitur absolutio *ad reincidentiam*. Absolutio conditionata est, quæ impenditur addita conditione de futuro contingenti; ut *absolvo te, si intra mensem restitueris*: atque hæc talis absolutio suum effectum non sortitur nisi post purificationem conditionis, ubi transit in absolutam. Absolutio, quæ impeditur sub conditione de præterito, vel præsenti; ut *absolvo te, si satisfecisti, aut satisfacere paratus es*, nominetenus quidem conditionata, reipsa autem absoluta est, & censeri debet: quia non suspendit effectum sed, si conditio subsistat, statim suas vires exerit, reumque a censura liberat; sicut e contrario vi sua illico destituitur, si conditio non subsistat.

116. Dico jam primo. Sola absolutio censuram contractam tollit. Ita DD. communiter, & colligitur *ex c.* 15. *de Sent. excom.*

Probatur præterea in hunc modum. Ligamen, & vinculum non tollitur, nisi per solutionem: sed censura est ligamen, & vinculum; ergo non tollitur, nisi per solutionem, sive absolutionem.

Confirmatur. Censura sine authoritate Ecclesiæ infligentis non contrahitur; ergo neque sine authoritate Ecclesiæ relaxantis, & absolventis tollitur *arg. c.* 1. *de R. J.* cum absolutio respondeat ligationi, & utraque ab eadem potestate jurisdictioni egrediatur.

117. Objicies. Si censura excommunicationis v. g. ferretur, his vel similibus verbis: *excommunico te, donec parti læsæ satisfaciat*, exhibita satisfactione tolleretur censura sine absolutione; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Tolleretur censura sine absolutione nova, seu de novo collata, transeat, sine omni absolutione simpliciter, neg. ant. Etiam tali casu censura relaxaretur beneficio absolutionis, non quidem collatæ tempore, quo posita satisfactione censura expiraret, sed collatæ tempore, quo censura lata esset; nam in hujus inflictione una involveretur absolutio; cum formula illa faceret hunc sensum: *excommunico te propter furtum v. g. quia modo parti læsæ satisfacere renuis; si vero mentem mutaveris, & satisfecerit, sis denuo absolutus*: quæ absolutio, posita satisfactione, sortiretur suum effectum, & reum a censura liberaret, licet nulla absolutio de novo impenderetur. Unde neg. conf. Semper enim censura tollitur per aliquam absolutionem, qualiscunque demum ea sit, seu, quocunque tempore conferatur.

Dixi in respons. *transeat*. Nam P. Viva super *prop.* 44. ex damnatis ab Alexandro VII. *num.* 5. contendit, necessariam fore novam absolutionem: quia (inquit) verba illa: *excommunico te, donec parti læsæ satisfacias*, non facerent sensum, quod tunc absolvaris pro tempore præstitæ satisfactionis; sed faceret sensum, quod non sis absolvendus ante præstitam satisfactionem; ubi proin adhuc absolutio necessaria foret. Sed oppositum videtur tenendum cum PP. Kham *loc. cit. n.* 10. Erhart *pag.* 27. & aliis, dicendumque, quod recitata verba facerent sensum in responsione ad objectionem designatum; & consequenter quod eo casu non esset necessaria nova absolutio. Ratio est: quia si verba illa non facerent hunc sensum, sed sensum a P. Viva prætensum, essent inutiliter posita; cum aliunde sciatur, absolutionem non fore impertiendam nisi præstita satisfactione.

118. Colliges, censuram semel contractam non desinere, tametsi eam ferens moriatur, aut officio suo defungatur; vel eandem patiens domicilium mutet, aut e vita migret: aut contumaciam ponat. Ita communis DD. Ratio est: quia censura est pœna, quæ, legitime inflicta, transit in rem judicatam: unde licet in fieri dependeat a jurisdictione infligentis, a subjectione hominis viatori, & hujus delicto, ac contumacia; non tamen ab iisdem amplius dependet in conservari, seu in facto esse: consequenter licet ejusmodi causæ, vel conditiones cessent, non tamen cessat, seu expirat censura jam contracta, donec absolutione tollatur.

Dices. Medicina post curationem infirmi cessare debet: sed censura est medicina; ergo post curationem infirmi, seu posita Rei contumacia cessare debet.

Respondetur, concessa majore, dist. min. Censura est medicina tantum, neg. medicina, & pœna simul, con. min. & dist. conf. Ergo post curationem &c. cessare debet, in quantum est medicina, con. in quantum pœna, subdist. cessare debet eodem modo, quo cessat, in quantum est medicina, neg. alio modo, con. conf. Censura, cum sit simul medicina, & pœna, quatenus est medicina, cessare debet seipsa post curationem infirmi; quatenus vero est pœna, cessare, seu tolli debet per actum judicialem absolutionis. Sicut enim censuratus fuit sensibiliter contumax, & inobediens Ecclesiæ, ita sensibiliter eidem subjacere debet in ordine ad absolutionem accipiendam; cum Ecclesia adversus illum acquisierit jus, quod per solam resipiscentiam, & contumaciæ depositionem non extinguitur; ad eum modum, quo per furtum acquiritur a Judice jus adversus furem, quod per meram restitutionem non abraditur. Huc facit, & doctrinam modo traditam irrefragabili[illegible] con-

firmat, ac stabilit, quod Alexander VII. proscripserit sequentem *prop. ord.* 44. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

119. Dico secundo. Non solum absolutio absoluta, sed etiam conditionata censuram aufert, licet. Est denuo communis DD.

Probatur. Siquidem non solum absolutio absoluta, sed & conditionata, legitime prolata, valet; ergo non solum illa, sed & ista a censura liberat. Conf. fluit Ant. ostenditur. Nam ad valorem absolutionis solum requiritur voluntas exterius expressa Superioris pollentis Jurisdictione, qua reum velit liberare a censura: atqui ejusmodi voluntas intervenit non tantum in absolutione absoluta, sed etiam in conditionata, legitime prolata; ergo &c.

Dixi: *licet aliter*. Nam absolutio conditionata non aufert censuram, antequam ponatur conditio: e diverso absoluta (sive sit talis simpliciter, sive solum ad cautelam, aut ad reincidentiam) statim, ac confertur, suum effectum operatur, & censuram tollit, ac destruit, prout relinquitur ex dictis.

120. Objicies, Absolutio a peccato, seu Sacramentalis, non valet, si conferatur sub conditione suspensiva effectus; ergo nec valet, & consequenter nec tollit censuram, absolutio a censura, dicto modo collata.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia Christus Dominus (quemadmodum constat ex continua traditione, & praxi Ecclesiæ) Sacramentum Pœnitentiæ sic instituit, ut noluerit ejus effectum suspendi per intentionem Ministri, sed voluerit eum tunc poni, quando cum debita intentione profertur forma super legitimam materiam. Aliud est de censura: nam hæc, sicut & ejusdem absolutio, est Juris humani, ac dependet a voluntate censurantis, & absolventis; in cujus proinde arbitrio positum est, velitne absolutionem conferre absolute, & ut statim suum effectum operetur, vel conditionate, ut eum non operetur nisi purificata conditione.

121. Quæres primo, an, qui per absolutionem ad reincidentiam a censura liberatus est, in eadem censuram relabatur, etiamsi non commiserit novam culpam?

Respondetur negative. Laymann *loc. cit. n.* 7. *in fine*, Navarrus, Palao, Coninck, Henriquez, Avila, & alii fat communiter contra Suarez, Filliucium, Hurtadum &c. Ratio est: quia censura primo non contrahitur fine culpa; prout relinquitur ex dictis *n.* 107. & ipsimet Adversarii concedunt; ergo neque secundo utroque modo contrahatur, & incipiat inexistere subjecto censura, quæ pro tunc in eo non erat.

Respondent Adversarii, absolutum a censura ad reincidentiam, relabi in eandem numero censuram, qua primo ligatus erat; consequenter non requiri novam culpam, cum nova censura non contrahatur.

Sed contra est. Absolutio ad reincidentiam statim valet, ac impenditur, cum sit absolutio absoluta; ergo censuram a subjecto vere aufert, & destruit, Atqui res semel destructa, naturaliter eadem numero non redit; prout suppono tanquam certum ex Philosophia; ergo &c.

Dices primo. Potest dari, saltem a S. Pontifice, absolutio a censura ad reincidentiam solum in ordine ad quosdam effectus, v. g. ut excommunicatus admitti possit ad restandum, valide acceptare collationem Beneficii &c. atqui tunc nulla requiritur nova culpa, ut absolutus reincidat in censuram; ergo &c.

Respondetur, neg. suppositum majoris, quod eo casu fieret vera absolutio a censura, de quali nostra responsio procedit: siquidem per absolutionem vere talem censura entitative (ut ita loquar) a subjecto aufertur, & destruitur: quod tamen ibi non contingeret; sed solum dispensaretur cum censurato, ut manente, & non obstante censura, illos actus exercere valeret. P. Khamm *de Censur. in genere part.* 2. *c.* 1. *n.* 2. *in not.* 2.

Dices secundo. Reus a Judice civili absolutus ab exilio ad tempus, transacto tali tempore, juste compellitur redire ad idem exilium fine nova culpa; ergo similiter &c.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia censura, cum sit pœna medicinalis, nunquam imponitur ob culpam mere præteritam, quemadmodum ostendimus supra *n.* 111. & consequenter, ut per reincidentiam de novo contrahatur, non sufficit culpa præterita, sed requiritur nova. Aliud est de pœna exilii, & aliis ejusmodi pœnis, utpote vindicativis: prout itidem constat ex dictis *n. cit.*

Ex quibus fluit, quod, si Superior a censura excommunicationis v. g. hisce, vel æquivalentibus verbis absolvat: *absolvo te ab excommunicatione, ita tamen, ut nisi intra mensem satisfeceris, in eam reincidas*, in eandem excommunicationem relabaris, si mense elapso culpabiliter non satisfacias; secus, si inculpabiliter, v. g. ob pauperiem, vel aliam impotentiam. P. Khamm *loc. cit. n.* 15.

122. Quæres secundo, an licite impertiatur absolutio a censura sub conditione de futuro, sicut secundum dicta *n.* 119. impertitur valide?

Respondetur negative, regulariter loquendo, Ita P. Khamm *loc. cit. n.* 10. P. Erhart *pag.* 86. & alii. Ratio est: quia non convenit, ut reus constituatur Judex suæ absolutionis: sed si absolveretur sub conditione de futuro, constitueretur judex suæ absolutionis; cum sic ipsius judicio relinqueretur, an ita satisfacerit, ut possit dici absolutus, nec ne? ergo &c. Interim si subesset causa rationabilis sic absolvendi censura affectum, talis absolutio nihil mali haberet: quia is absolvendi modus Jure naturali, nec positivo prohibitus est.

Sed responsio præcise intelligenda venit de absolutione sub conditione in futurum pendente; quia de ea sola quæstio erat proposita: non vero de absolutione sub conditione præterita, vel præsente, v. g. *absolvo te, si incurristi: si indigens* &c. similem quippe absolutionem non solum valde, sed & licite impertiri, nemo est, qui inficias eat: imò & absolutio Sacramentalis sic dari potest, & sæpe debet, v. g. *absolvo te* &c. *si materiam sufficientem attulisti: si es dispositus* &c. P. Khamm *loc. cit. n.* 2. & 10.

ARTICULUS II.

Quinam gaudeant potestate absolvendi a censura?

CUm hæc quæstio dicenda veniat de potestate absolvendi tum a censura, quæ a Jure, tum a censura, quæ ab Homine lata est, præsentem articulum claritatis gratia in binum paragraphum dispertimur. Si igitur

§. I.

Quinam possint absolvere a censura Juris?

SUMMARIUM.

123. *Quinam possint absolvere a censura Juris non reservata.* 124. & 125. *Proponuntur, & refutantur argumenta in contrarium.* 126. *Quinam possint absolvere a censura Juris reservata extra periculum mortis, & impedimentum perpetuum, vel diuturnum adeundi Romam; & quinam in tali periculo, vel impedimento: ubi etiam specificantur versantes in articulo, vel periculo mortis; uti & laborantes impedimento adeundi Papam.*

123. DIco primo. A censura Juris non reservata quacunque potest absolvere (1.) omnis, qui in censuratum obtinet jurisdictionem Episcopalem, vel quasi-Episcopalem; imo (2.) probabilius etiam Parochus, & quivis alius Sacerdos, potens censuratum absolvere a peccatis mortalibus. Idem cogita de censura non reservata, quæ est lata per Statutum diœcesanum. Prima conclusionis pars est communis. Secundam tenent cum D. Thoma, Suarezio, Navarro, Avila &c. P. Babenstuber *loc. cit. art.* 5. *n.* 3. P. Pichler *lib. & tit. cit. n.* 14. & alii plurimi contra alios non paucos.

Probatur utraque pars simul. Siquidem hoc ipso, quod talis censura nemini sit reservata, potestas absolvendi ab ea censetur concessa omnibus, quibus competit potestas absolvendi censuratum a peccatis, quibus annexa est *c.* 29. *de Sent. excom.* Accedit, quod alias Pontifices frustra censuras quasdam specialiter sibi reservarent.

124. Objicies primo. Modo *cit. c.* 29. loquitur tantum de absolutione a censura Excommunicationis minoris; ergo conclusio generaliter statuta de absolutione ab omni censura non reservata, ex illo male probatur: consequenter &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Explicite, con. etiam implicite, neg. ant. Implicite *cit. c.* comprehendit quoque absolutionem ab excommunicatione majori, & aliis

& aliis censuris non reservatis; cum adstruat hanc rationem: *quia Conditor Canonis ejus* (excommunicationis minoris) *absolutionem specialiter sibi non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*: quæ ratio, ut vides, etiam militat de aliis censuris non reservatis. Unde neg. utraque conf.

125. Objicies secundo specialiter contra secundam partem conclus. Sicut ad ferendam censuram, ita quoque ad absolvendum ab ea requiritur jurisdictio fori externi: sed hac tali jurisdictione Parochi, aliique Sacerdotes, Episcopis, & quasi-Episcopis inferiores, destituuntur; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Parochi &c. destituuntur jurisdictione fori externi, quæ ipsis competat immediate vi sui muneris, con. quæ ipsis competat ex concessione Juris, neg. min. Acquirunt ergo similem jurisdictionem (haud quidem in ordine ad ferendum censuras, sed in ordine ad absolvendum ab iis, si reservatæ non sint) ex concessione Juris facta in *cit.* c. 29. & ex eo, quod ferens censuram, hanc sibi non reservet.

Dices. Qui destituitur potestate ligandi, destituitur etiam potestate solvendi: sed Parochi (idem cogita de aliis Sacerdotibus &c.) destituuntur potestate aliquem censura ligandi, secundum dicenda *numer.* 143. ergo destituuntur etiam potestate aliquem a censura solvendi.

Respondetur, retorquendo argum. quia ex eo sequeretur, quod nec Confessarii Mendicantes haberet potestatem absolvendi seculares ab ullis censuris, cum eos nulla prorsus censura ligare possint. Itaque argumentum procedit solummodo, & ad summum (idque regulariter tantum) de potestate absolvendi, quæ competit immediate vi muneris; non item de potestate, quæ competit ex privilegio, qualem habent Confessarii Mendicantes in ordine ad absolvendum seculares a censuris reservatis extra Bullam Cœnæ; vel ex concessione Juris, qualem Parochis inesse contendimus in ordine ad absolvendum sibi subditos a censuris nemini reservatis.

Instastis. Potestas absolvendi a censuris non reservatis vel competit Parochis jure ordinario, vel jure extraordinario? neutrum dici potest; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Competit enim illis jure ordinario, estque ordinaria, ac alteri delegabilis: quia eam acquirunt ex generali concessione Juris (non autem ex privilegio, vel speciali delegatione Superioris) licet eandem non habeant immediate vi sui muneris. Pro hujus puncti majori dilucidatione utiliter relegas doctrinam traditam *part.* 2. *numer.* 461. & huc applicabis.

Manet ergo, quod etiam Parochis potestas absolvendi a censuris non reservatis competat, quantum est de Jure, & nisi forte consuetudo alicubi sit in contrarium.

126. Dico secundo. A censura Juris reservata regulariter absolvere potest (1.) Auctor illius (2.) Auctoris pleno jure Superior, vel Successor, vel ab eis ad hoc delegatus; sed (3.) nemo alius: nisi censuratus versetur in articulo, aut probabili periculo mortis; vel laboret impedimento perpetuo, aut diuturno adeundi Papam. Conclusio in terminis, in quibus proposita est, non habet, quem sciam, contradictorem.

Probatur prima pars. Nam *c. 1. de Reg. Jur.* dicitur: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*: sed censura fit, & nascitur per suum Auctorem; ergo etiam per eundem dissolvitur, sive dissolvi potest. Liquet præterea ex *c. 11. §. præterea, de Offic. Judic. Ordinar.*

Probatur secunda pars. Quia Superior ampliorem, & Successor æqualem cum Auctore censuræ obtinet potestatem in ordine ad absolvendum; qualem potestatem, cum tam in Auctore censuræ, quam in Auctoris Superiore, ac Successore sit ordinaria, iidem delegare possunt alteri cetera capaci, & si delegent, etiam iste, ceu delegatus, a censura absolvere valet; ergo &c.

Probatur denique pars tertia. Siquidem ad absolvendum a censura, requiritur jurisdictio spiritualis, & quidem fori externi: atqui hanc, præter hucusque allegatos, nemo alius habet; ergo &c.

Dixi tamen 1. *regulariter*: quæ particula limitans accommodatius exponetur §. *seq.* n. 128.

Dixi 2. *pleno jure Superior*: quod itidem explanabitur §. & n. *citt.*

Dixi 3. *nisi censuratus versetur in articulo, aut probabili periculo mortis*. Nam in tali articulo, vel periculo quilibet Sacerdos, etiam (saltem quando non est præsto, aut accersiri potest legitimus, & approbatus) excommunicatus, quamvis non toleratus, depositus, degradatus, irregularis, schismaticus, hæreticus, in diœcesi ægrotantis, vel alibi nunquam approbatus, a censura quomodocunque reservata absolvere valet: quemadmodum patet ex Conc. Trid. *Sess.* 14. *c.* 7. ubi ita determinat: *Ne hac ipsa occasione* (sermo est de reservatione Casuum) *aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt*. Ubi licet mentio solum fiat de articulo mortis, in quo versantur ægri desperati, & malefactores ad mortem proxime oppetendam judicialiter condemnati; id tamen a DD. communiter extenditur etiam ad probabile, & morale periculum mortis, in quali existere censentur ingressuri conflictum bellicum, suscepturi navigationem longam, & periculo naufragii expositam, castrandi, peste, maligna febri, vel alia mortifera contagione infecti, mulieres parturientes, præsertim ubi instat partus primus, vel etiam alii subsequentes, qui prævidentur futuri admodum difficiles &c. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 7. *n.* 410. Antonius VVhec *Thesib. de Reservat. Cas. n.* 99. & alii passim. Ubi tamen pœnitens a censura absolutus, si periculum mortis evaserit, tenebitur se sistere Superiori (cujus nomine venit non tantum ipse censurans, sed etiam quivis alius potestate absolvendi ordinaria, vel delegata præditus) ut non iterum absolvatur, sed ut debitam illi præstet obedientiam; vel, si adhuc indigeat, medicinam a simili crimine præservativam accipiat. Unde Confessarius super hac obligatione pœnitentem monere, imo juramentum vel promissionem (in foro interno sufficit firmum propositum) ab eo exigere debet, quod proxime oblata occasione se præsentare Superiori velit. Hoc si pœnitens facere culpabiliter omiserit, relabetur in censuram priori consimilem *c.* 22. *de Sent. excom. in* 6. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 412. VVech *n.* 113. & alii passim. Quæ tamen obligatio se præsentandi non datur, quando casus non habet annexam censuram, sed est reservatus simpliciter: siquidem Jus de priore duntaxat loquitur, non item de posteriore. P. Kamm *loc. cit. n.* 27. cum aliis a se relatis. Quod si præsto sit, aut accersiri possit Sacerdos legitimus, & approbatus, controvertitur inter Authores, an etiam tunc quilibet alius in mortis articulo a censura absolvere valeat? Sed huic controversiæ dirimendæ occasionem dabit Casus infra *n.* 150. afferendus, & decidendus.

Dixi 4. *vel laboret impedimento perpetuo, aut diuturno adeundi Papam*. In casu quippe similis impedimenti a censura alioquin Pontifici reservata suos subditos absolvere potest Episcopus (1.) vel per seipsum, vel (2.) per alium a se delegatum; non item (3.) alii Sacerdotes Episcopo inferiores, si ad Episcopum, ejus Delegatum, vel alium speciali facultate absolvendi præditum, pateat accessus. Ita Laymann *lib.* 1. *c.* 5. *part.* 2. *c.* 6. *n.* 5. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 372. Cherubinus Mayr in *tr. de Virt. Theol. n.* 117. & alii communiter. Ratio primi est: quia in simili contingentia casus alias Papalis evadit Episcopalis. *c.* 13. & 58. *de Sent. excomm.* Ratio secundi est; quia potestas absolvendi in tali emergentia competit Episcopo jure ordinario; prout fluit ex dictis *part.* 2. *n.* 461. ergo est delegabilis per *c. ult. de Offic. Judic. ordinar.* consequenter &c. Ratio tertii est: quia in *citt. cc.* 13. & 58. facultas illa absolvendi solis impertitur Episcopis: ut cum aliis notat Reiffenstuel *loc. cit. n.* 396. Quod si tamen accessus ad Episcopum, vel privilegiatum non pateat, jam quilibet Confessarius approbatus a censura reservata in dicta emergentia absolvere poterit. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 397. Gobat in *Theol. Experim. tr.* 7. *n.* 369. & plures alii apud ipsos. Ratio est: quia censura est pœna medicinalis, privans multis bonis spiritualibus; ergo convenit, ut posita correctione Rei, puta oblata satisfactione, auferatur: cum igitur non pateat accessus sive ad Pontificem, sive ad Episcopum, aut privilegiatum; communis Confessarius illam auferre poterit; accepta tamen cautione a reo (vel promissione, aut saltem proposito) quod, ubi primum potuerit, velit se præsentare illi, cui de Jure

competit

competit absolutio, *cap. 13. cap. 26. & c. 56. de Sent. excom.*

Ceterum impedimento perpetuo, vel diuturno adeundi Papam laborare censentur *Regulares utriusque sexus, senes, mulieres quæcunque, pueri, valde pauperes, claudi, cæci; valetudinarii, debiles &c.*

§. II.

Quinam possint absolvere a censura Hominis?

S U M M A R I U M.

127. *Quinam a censura Hominis generaliter lata absolvere possint? & 128. Quinam a censura Hominis specialiter lata.*

127. Dico primo. A censura Hominis lata generaliter, puta per præceptum, vel sententiam generalem, sine prævia citatione speciali, omnes illi absolvere possunt, qui possunt absolvere a censura Juris. Laymann *lib. 1. tr. 5. part. 1. c. 7. n. 3.* Babenstuber *loc. cit. n. 7.* & alii passim.

Probatur. Siquidem censura, hoc modo lata, se habet adinstar censuræ a Jure latæ; nec differunt aliter, quam quod illa post mortem naturalem, vel civilem ferentis non amplius incurratur; incurratur vero ista; veluti animadversum est *n. 68.* ergo quibus datur facultas absolvendi a censura Juris, iisdem censetur data facultas absolvendi a censura Hominis generaliter lata; præsertim cum hæc materia sit favorabilis, quam oportet ampliare quantum res ipsæ permittunt. Neque per talem absolutionem turbatur tribunal ferentis censuram; cum reus ab eo nominatim citatus nunquam fuerit. Unde qui possunt absolvere ex dictis *n. 123.* a censura Juris non reservata, iidem possunt absolvere a censura Hominis, generaliter lata, non reservata; & qui possunt absolvere ex *n. 126.* a censura Juris reservata, etiam possunt absolvere a censura Hominis, generaliter lata, reservata.

128. Dico secundo. A censura Hominis specialiter, seu per sententiam specialem lata, regulariter absolvere potest (1.) Auctor illius (2.) Auctoris pleno jure Superior; vel Successor, vel ab eis ad hoc delegatus; & (3.) nemo alius. Fluit hæc conclusio quoad singulas partes ex probationibus §. *præced.* ad conclusionem secundam adhibitis, hic quoque valituris.

Porro discrimen inter præsentem, & præcedentem assertionem est, quod ibi non turbetur tribunal ferentis censuram, quamvis alius præter præmemoratos a censura absolvat; cum reus nunquam fuerit nominatim citatus: turbaretur autem hic; cum censuræ per sententiam specialem non ferantur nisi reo nominatim citato a ferente, apud quem proinde (vel aliquem ex prædictis, idem tribunal facientibus) sicut causa est cœpta, ita finiatur, expedit, & oportet.

Dixi in conclus. *regulariter*. Dantur quippe nonnulli casus, in quibus ipsi quoque Auctori censuræ absolutio ab eadem interdicta, & restricta est. Primus extat *c. 29. de Præbend.* ubi a Conc. Provinciali jubentur suspendi, qui post secundam monitionem non emendant Ecclesiastica beneficia indignis conferentes: a qua suspensione solus Pontifex, vel unus ex quatuor præcipuis Patriarchis absolvere potest. Secundus colligitur ex *c. 26. de Offic. Judic. deleg.* ubi Delegato Sedis Apostolicæ interdicitur absolvere a se excommunicatum, qui sententiæ definitivæ parere contempserit, & ultra annum a sententia lata in illa excommunicatione persistiterit. Tertius traditur in *c. 19. de Sent. excom.* ubi incendiarius ab Ordinario excommunicatus, & ut talis denunciatus, dicitur remittendus ad Sedem Apostolicam pro obtinendo absolutionis beneficio. Quartus intimatur in *c. 10. de Clerico excom. c. 56. de Sent. excom.* & est, quod, quoties excommunicans in excommunicationem denunciatam incidit, vel ob defectum depositus, aut aliter jurisdictione privatus est, nequeat, a se excommunicatos absolvere: quia absolutio est actus jurisdictionis. Quintus indicatur in *c. 3. de Instit.* & est, quod Pontifex, quando ex certa scientia censuram ab Ordinario latam confirmat, hoc ipso absolutionem sibi reservet: quia hac tali confirmatione sententiam Ordinarii facit esse suam *arg. c. 3. de Confirmat. utili, vel inutili.* Ita P. Khamm *loc. cit. n. 31.* P. Erhart *pag. 91.* & alii.

Dixi præterea in conclus. *pleno jure Superior*: veluti est Pontifex respectu Ordinariorum, Ordinarii respectu suorum Vicariorum, Generales respectu Provincialium, Provinciales respectu Superiorum localium, delegantes respectu delegatorum &c. Quod si vero alter non sit pleno jure Superior ferentis censuram, sed in certis duntaxat casibus, in istis tantum, non item in aliis casibus censuram a suo respective Subdito latam tollere potest. Unde Archiepiscopus a suis Suffraganeis censuratos absolvere non potest extra actualem visitationem, & appellationem, *c. 10. de Præscript.* & *c. 5. ac 7. de Sent. excom. in 6.* P. Pichler *loc. cit. n. 14.* Porro Regulares Episcopo subjecti, si a suo Prælato Regulari censura ligentur, nequeunt ab Episcopo absolvi, nisi interposita appellatione: quia prima correctio competit Prælato Regulari, per *Gloss. in c. 7. de Offic. Judic. ordinar.* P. Erhart *loc. cit. pag. 93.*

A R T I C U L U S III.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

129. *Absolvens a censura debet esse Clericus.* 130. *Habens potestatem absolvendi a peccato reservato, censetur eo ipso habere quoque facultatem absolvendi a censuris annexis.* 131. *Invalide agit, qui vi, vel metu injusto adactus, censuratum absolvit.* 132. *Censuratus etiam absens absolvi potest.* 133. *Absolvens a censura non necessario exprimit causam, & speciem censuræ.* 134. *Habens potestatem absolvendi a censura, non potest eam promiscue exercere in utroque foro.* 135. *& seqq. An censuratus illicite, vel etiam invalide absolvatur, si non prius satisfaciat parti læsæ; vel absolutionem non petat; vel alleget falso causam motivam absolutionis?* 140. *Qualis ritus, & forma in absolutione a censuris servari, & adhiberi possit, ac debeat?*

129. Quæres primo, an absolvens a censura debeat esse Clericus?

Respondetur affirmative. Ita communis. Ratio est: quia laicus de facto non est subjectum capax (nisi S. Pontifex ex plenitudine potestatis eum habilitet) jurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ (prout constat ex alibi dictis) qualis ad absolvendum a censura requiritur. Non tamen est necesse, ut sit Sacerdos; sed satis est, quod sit Clericus prima saltem Tonsura initiatus. Esto enim talis non sit capax jurisdictionis Ecclesiasticæ, vi cujus absolvat a peccatis; est tamen capax jurisdictionis Ecclesiasticæ in ordine ad absolvendum a censuris.

130. Quæres secundo, an habens potestatem absolvendi a peccato reservato, censeatur eo ipso habere quoque facultatem absolvendi a censuris tali peccato annexis?

Respondetur affirmative. P. Erhart *loc. cit. pag. 103.* & alii communiter. Ratio est manifesta: quia alioquin potestas absolvendi a peccato foret inutilis, nec posset in actum redigi; cum absolutio a peccato præsupponat absolutionem a censuris.

131. Quæres tertio, an valide agat, qui censuratum absolvit, vi, vel metu injuste incusso ad absolvendum adactus?

Respondetur negative. P. Babenstuber *loc. cit. n. 9.* & alii passim. Ratio est: quia absolutio sic extorta Jure positivo *c. un. de iis, quæ vi, metusque causa fiunt in 6.* (quidquid sit de Jure naturali) pronunciatur irrita, & nulla; imo extorquentes in *cit. c.* subjiciuntur sententiæ excommunicationis: idque merito, ne alioquin authoritas, & nervus Ecclesiasticæ potestatis diminuatur.

142. Quæres quarto, an valide, vel etiam licite agat, qui absolvit censuratum absentem?

Respondetur affirmative. Ita habetur in *can. 8. caus. 2. q. 5.* Ratio quoque suffragatur: quia absens censura feriri potest; ergo etiam ab ea absolvi. Communiter tamen magis expedit, si censuratus absolvatur præsens: quia sic magis observatur reverentia censuræ debita, & censuratus magis humiliatur, cautiorque redditur. Si autem justa causa oppositum suadet, vel exposcat, absolutio a censura rectissime impeditur, vel etiam impendi debet absenti. Sic Superiores Generales, quando in Capitulis Generalibus impertiuntur absolutionem universalem a censuris, eam non ad præsentes duntaxat subditos, sed etiam ad absentes porrigere solent. Sic quo-

Sic quoque Confessarius, quando ex oblivione, aut inconsideratione pœnitentem non absolvit a censuris, n quibus absolvere poterat, & debebat, poterit, imo tenebitur absolvere absentem, si commode eum accersere, & præsentem habere nequeat. Babenstuber *loc. & n. citt.* Erhart *pag.* 109. aliique communiter.

133. Quæres quinto, an absolvens a censura, necessario debeat exprimere *(1.)* causam, & *(2.)* speciem censuræ?

Respondetur negative. P. Erhart *pag.* 112. & alii. Ratio primi est: quia id nec Jure naturæ, nec Jure aliquo positivo exigitur; alias Confessarii multoties male absolverent a censuris, usurpando communem solummodo formam, absolutioni a peccatis præmitti solitam, utpote in qua non fit mentio causæ, ob quam censura est contracta. Ratio secundi est: quia ipsa petitio absolutionis, a reo interposita, sufficienter determinat verba absolventis ad speciem censuræ. Unde si censura v. gr. excommunicationis ligatus, ab ea liberari roges, liberans valide aget, dicendo: *absolvo te a censura*, vel simpliciter: *absolvo te*; adeoque non expressa specie, vel etiam genere censuræ. Communiter tamen utraque solet exprimi; & quandoque debet, non ut absolutio valeat, sed ut reo debite innotescat. Exemplum est, si reus sit constrictus pluribus censuris, & Judex absolvere velit ab una, vel altera tantum, cum posset absolvere ab omnibus: hoc quippe casu (nisi Judex malit reo id aliter intimare) oportet exprimere in absolutione, an censura hæc, vel illa, seu ob hanc, vel illam causam contracta, tollatur: alias reus scire non poterit, quænam sublata sit.

134. Quæres sexto, utrum habens facultatem absolvendi a censura, possit illam semper exercere promiscue in foro tam in quam externo?

Respondetur negative. Ratio est: quia talis facultas subinde conceditur solum pro foro interno. Unde inspicienda est forma concessionis, indeque dijudicandum, sitne jurisdictio absolvendi restricta ad forum internum, vel etiam ad externum porrecta. Quod si indefinite, & sine expressa restrictione ad forum internum concessa sit, cum ampliatione ad forum quoque externum accipienda est: quia privilegium Principis est ampliandum. Eapropter cum *c. 29. de Sent. excom.* concedatur Parochis potestas absolvendi a censura Juris non reservata absque limitatione ad forum internum, etiam de externo capienda est, quod Jura præcipue respiciunt. Ceterum si absolutio fieret pro foro solum interno, ut etiam in externo prodesse queat, debet absolvens de ea fidem facere, vel personali testificatione ante Judicem, vel per scripturam authenticam, in qua testetur de absolutione, consignandam censurato coram testibus, & tabellione, in altera facie testimonium perhibentibus, illud instrumentum esse talis Sacerdotis &c. Nec autem videatur sigillum confessionis infringere, prævie moneat pœnitentem, dicendo, ita necessarium esse, ut in foro externo credi possit censuram esse sublatam. P. Erhart *pag.* 102. Unde schedula Confessarii pro foro externo, & contentioso non sufficienter probat absolutionem a censura: ut notat Pirhing ad *tit. de Senten. excom. n.* 80. Imo nec personalis testificatio Confessarii, vel scriptura antefato modo confecta, & exhibita necessitate Judicem ad absolutioni deferendum in foro externo, quin, observato rigore Juris valeat cum reo procedere perinde, ac si absolutus non fuisset: quamvis deferre possit. Sporer *de Pœnit. n.* 744. Pichler *loc. cit. num.* 13. & alii apud ipsos. Interim absolutio in foro interno collata suffragatur reo etiam in foro externo quoad alia, puta ut non teneatur se gerere tanquam excommunicatum, sed possit publice conversari cum hominibus, Divina Officia, & Sacramenta frequentare, omniaque facere, quæ facere possunt ab excommunicatione penitus alieni: modo testimonio Confessarii constet, censuram fuisse sublatam, & absit scandalum. Neque propter ejusmodi actus puniri a Judice debet. Sporer *loc. & n. citt.*

135. Quæres septimo, an Judex *(1.)* illicite, vel *(2.)* etiam invalide agat, si absolvat a censura reum, antequam hic parti læsæ satisfecerit? Ratio dubitandi sumitur ex *c.* 23. *de Verbor. Significat.* ubi statuitur, ut reus, antequam absolvatur, satisfaciat parti læsæ.

Respondetur primo. Tam licite, quam valide Judex absolvit censuratum in hisce casibus. 1. Si censuratus habeat probabilem opinionem, quod nullum damnum intulerit; adeoque nihil debeat. Ratio est: quia tunc nihil tenetur solvere juxta ejusmodi opinionem, quam sequi tuta conscientia potest: consequenter etsi nihil solvat, capax nihilominus est absolutionis tam licite, quam valide sibi impendendæ. 2. Si censuratus versetur in dubio invincibili, an damnum aliquod intulerit, & idcirco quidquam debeat? Ratio est: quia & tali casu nihil tenetur solvere; cum possessio stet pro libertate dubitantis. Quod si tamen sciret, se damnum intulisse, & solum opinaretur, se satisfecisse, vel de hoc dubitaret, ante præstitam satisfactionem absolvi licite non posset: quia tunc possessio staret pro obligatione satisfaciendi: prout relinquitur ex dictis *part.* 1. *n.* 86. 3. Si censuratus sit impotens ad satisfaciendum: modo præstet cautionem aut pignoratitiam, aut fidejussoriam; vel, ubi neutram præstare potest, saltem juret, se satisfacturum, redeunte potentia (imo in foro Sacramentali sufficit verum, firmumque propositum satisfaciendi, secundum Sporer, & alios, prout etiam nos jam iterato insinuavimus) Ratio est: quia Ecclesia non vult, ut censuratus, posita contumacia, relinquatur in censura, per *c.* 25. *Appellat.* atqui censuratus in hoc tali casu censetur posuisse contumaciam; ergo &c. 4. Si pars læsa remiserit injuriam. Ratio est: quia sic sublata est obligatio satisfaciendi parti læsæ; & Ecclesiæ pariter injuriatæ, v. gr. per percussionem Episcopi, satisfacit censuratus per hoc, quod se subjiciat clavibus, petendo absolutionem, & cavendo, jurando, promittendo, vel saltem proponendo, se a simili delicto, ob quale censura innodatus fuit, posthac abstenturum. 5. Si pars læsa condignam satisfactionem, a lædente oblatam, nolit acceptare. Ratio est: quia & tunc censuratus posuit contumaciam, fecitque, quantum facere obligatus erat. Navarrus *in Manual. c.* 27. *&* 28. Salmanticenses *de Censur. tr.* 10. *c.* 2. *pun.* 2. *n.* 20. *&* 21. Khamm *de Censur. in gen. part.* 2. *n.* 43.

Respondetur secundo. Judex illicite, & cum peccato mortali absolvit censuratum, quando hic prius culpabiliter non satisfecit. DD. communiter. Ratio est: quia graviter violat ordinem Juris; uti & Justitiam commutativam, vi cujus tenetur consulere bono partis læsæ.

Respondetur tertio. Nihilominus Judex, sive *(1.)* sit ordinarius, sive *(2.)* delegatus, etiam in simili casu absolvit valide. Ita cum Filliucio, Diana, Palao, Salmanticensibus, & aliis P. Khamm *loc. cit. n.* 45. Ratio utriusque partis est: quia talis absolutio in Jure nullibi irritatur: quod est signum, conditionem, vel modum parti læsæ prius satisfaciendi haud requiri ad substantiam, seu valorem absolutionis, sed ad licentiam duntaxat. Confirmatur primo de Judice delegato, & quoad secundam partem, quæ multos habet Adversarios. Satisfactio partis læsæ nullo Jure exigitur ad validam absolutionem, sed tantum ad licitam; ut primum diximus, & contrarium ostendi nequit; ergo quamvis delegatio potestatis ad absolvendum a censura fiat sub his terminis, v. g. *damus tibi potestatem absolvendi a censura, satisfacta parte, seu si satisfactum sit parti læsæ*, nihilominus valide absolvet delegatus, etsi censuratus præviam satisfactionem non præstiterit. Confirmatur secundo. Quando Procuratori conceditur facultas nomine alterius contrahendi matrimonium, præmissis denunciationibus valide, contrahit illis prætermissis; ergo idem dicendum in nostro casu. Ant. communiter admittitur. Cons. ostenditur. Ideo Procurator valide agit; quia denunciationes nullo Jure requiruntur ad valide contrahendum matrimonium: atqui etiam satisfactio partis læsæ nullo Jure requiritur ad valide absolvendum a censura (alias nec Judex ordinarius, omissa satisfactione, valide absolveret: quod est contra ipsosmet Adversarios, saltem plerosque) ergo &c.

Per quod tamen non imus inficias, absolutionem fore invalidam, si delegans exprimeret (prout tamen fieri non amat) in concessione potestatis, delegatum valide absolvere non posse, nisi parte læsa prius satisfacta: v. gr. si diceret: *Do tibi potestatem absolvendi ab hac censura, ita tamen, ut si parti læsæ satisfactum non sit, absolutio sit irrita, nulla, & invalida.* Ratio hujus patens est: quia delegatus alia potestate non gaudet, nisi ea, quæ, & quantum ipsi indulgetur a delegante.

136. Quæres octavo, an Judex *(1.)* illicite, vel etiam *(2.)* invalide absolvat censuratum, si hic absolutionem non petat? Ratio dubitandi sumitur *ex c.* 40. *de Sent.*

de Sent. excom. ubi dicitur: *Nisi* (censuratus) *gratiam absolutionis impleret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.*

Respondetur primo ad primam partem quæstionis. Judex illicite (saltem regulariter loquendo) & cum peccato mortali absolvit censuratum, quando hic scienter absolutionem non petit. Ita insinuat P. Busembaum *lib. 7. num.* 155. apud La Croix Ratio est: quia censuratus, scienter absolutionem non petens, censetur contemnere potestatem Ecclesiæ; ergo non debet audiri, sive absolvi, juxta *cap.* 40. *cit.* utique sub mortali stringens.

Dixi tamen: *saltem regulariter loquendo*. Nam licite impendi absolutionem censurato non petenti volunt Authores in hisce casibus. 1. Quando ea non cedit in præjudicium tertii. 2. Quando abest scandalum, & contemptus censurarum. 3. Quando ejusmodi absolutio magis, quam ipsa censura, qua reus est ligatus, medicinalis fore creditur animæ contumacis; ut si Judex prudenter sibi persuadeat, vel perspiciat, quod censuratus censuram non curet; nec sit positurus contumaciam, donec a censura absolvatur. Ita Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 13. *q.* 2. *art.* 5. *n.* 77. Khamm *loc. cit. n.* 13. & alii apud ipsos.

Dixi præterea: *scienter*. Nam si censuratus ideo solum absolutionem non petat, quia v. g. ignorat se esse censura ligatum, vel de ipsa non cogitat, licite (quando aliunde nihil obstat) absolvi poterit: hoc quippe casu censuratus non censetur contemnere potestatem Ecclesiæ. P. Erhart *pag.* 106.

Respondetur secundo ad secundam partem quæstionis. Judex valide absolvit censuratum, licet hic scienter absolutionem non petat. P. Babenstuber *l. c. art.* 4. *n.* 9. & alii apud ipsum. Ratio est: quia invitus potest censura affici; ergo etiam ab ea absolvi. Accedit, quod *c.* 40. *cit.* non liget potestatem, nec irritet actum absolventis; sed hunc tantummodo reddat illicitum, extra casus supra exceptos.

Intelligenda tamen veniunt, quæ in utraque responsione diximus, cum hac limitatione: nisi potestas absolvendi a censuris sit directe concessa in favorem censurati; quemadmodum concedi solet v. g. in Jubilæo. Tunc quippe censuratus non potest, sive valide, sive licite, absolvi invitus: ut gnaviter advertit P. Khamm *loc. c. n.* 51. cum aliis a se relatis. Ratio est: quia usus privilegii pendet ex voluntate illius, in cujus favorem directe concessum est, qualis in casu posito est censuratus; consequenter si is privilegio uti nolit, Judex, sive Confessarius vi ejusdem non habebit potestatem absolvendi.

137. Colliges, censuratum graviter peccare, si diu absolutionem a censura petere negligat. Ratio est: quia sic censetur contemnere potestatem Ecclesiæ, æque ab huius gremio lubens exulare: privat se insuper ex propria culpa receptione Sacramentorum, aliisque bonis spiritualibus: id quod absque gravi peccato fieri non potest, si mora sit notabilis. Imo si absolutionem per annum non petat, & sic in censura *insordescat* (ut Jura loquuntur) reddit se suspectum de hæresi, & inquisitioni hæreticæ pravitatis obnoxium: prout determinat *Trident. sess.* 25. *c.* 3. *de Reformat. in fin.* P. Erhart *pag.* 85.

138. Quæres nono, an censuratus, falso allegans causam motivam absolutionis, v. g. dicendo, se jam satisfecisse parti læsæ, cum tamen non satisfecerit, esto satisfacere potuisset, nihilominus valide absolvatur?

Respondetur negative. La Croix *lib.* 7. *numer.* 171. Khamm *n.* 49. & alii. Constat. ex *c.* 5. *de Offic. Judic. ordinar.* & *c.* 42. *de Sent. excom.* Accedit ratio: quia præsumi non potest (nisi constet de contraria intentione) quod Judex velit fraudem censurati fovere in detrimentum partis læsæ; cum nemo præsumendus sit velle illicite agere; ergo Judex in casu posito non intendit absolvere: consequenter &c.

Dixi: *nisi constet de contraria intentione*. Si enim Judex, doli conscius, adhuc intenderet absolutionem concedere, valide ageret: quia ad validam absolutionem a censura non requiritur essentialiter, ut causa motiva absolvendi existat; esto sic requiratur ad validam ligationem, seu ut aliquis censura valide ligari possit. Khamm *loc. cit. n. citt.*

139. Colliges, censuratum graviter delinquere, si culpabiliter omittat parti læsæ ante absolutionem satisfacere. Ratio est: quia transgreditur præceptivam ordinationem Juris in materia gravi.

140. Quæres decimo, qualis ritus, & forma in absolutione a censuris servari, & adhiberi debeat?

Respondetur. Absolvendus debet petere absolutionem; &, si incursio censuræ fuerit conjuncta cum detrimento alterius, debitam huic satisfactionem præstare: veluti relinquitur ex dictis. Queis peractis, quando impertienda est absolutio in foro externo, absoluturus, superpelliceo, & stola violacea indutus, jubeat absolvendum (siquidem hic sit excommunicatus) recitare Psalmum *miserere*, & ad singulos versus humeros pœnitentis denudatos (nisi sit femina) leviter flagello percutiat: postea subjungat preces in Rituali Romano ad hoc ordinatas, & tandem proferat formam in eodem Rituali expositam. Idem fere modus servatur in absolutione mortuorum, nisi quod sepulchrum virga percutiatur, quando corpus excommunicati, qui absolvitur, in eo tumulatum jacet; secus, ipsum corpus verberandum est. Hæ ceremoniæ si omitterentur, adhuc valeret absolutio; imo nec graviter foret illicita, nisi forte illa omissio contingeret in aliqua solemni absolutione, quæ impertiretur ad satisfactionem Ecclesiæ. Busembaum *loc. citat. numer.* 155. La Croix *num.* 156. Khamm *num.* 59. & alii passim. Dixi supra per parenthesim: *siquidem hic* (absolvendus) *sit excommunicatus*; nam pro absolutione suspensi, vel interdicti similes ceremoniæ nullibi præscribuntur, nec quæpiam earum adhiberi in praxi solet: ut cum Fabro notat Mastrius *disp.* 13. *q.* 3. *n.* 104.

In foro interno (prætermissis antefatis ceremoniis) hæc forma absolvendi est usitata: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis* (si absolvendus sit excommunicatus) *quam incurristi propter causam N. & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. amen.* Si vero absolvendus sit suspensus: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi propter causam N. & restituo te executioni tuorum Ordinum (Officiorum, Beneficiorum) in nomine Patris &c.* Si denique absolvendus sit interdictus: *Ego te absolvo a vinculo interdicti, quod incurristi propter causam N. & restituo te Divinis Officiis, & Sacramentorum administrationi, & susceptioni, nec non sepultura Ecclesiastica.* Si absolutio fiat potestate delegata, præmitti consueverunt hæc verba: *Authoritate Omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, &* (siquidem absolvens sit Delegatus Papæ) *Sanctissimi Domini nostri N. in hac parte mihi commissa, absolvo te &c.* Quod si absolvendus sit innodatus pluribus censuris, adhibentur verba in plurali, *ab omnibus censuris*, vel *ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis &c.* expressis simul causis, propter quas contractæ sunt, P. Pichler *loc. cit. n.* 13. Interim non omnia verba, præallegatis formis inserta, necessario esse adhibenda, relinquitur ex dictis, præsertim *n.* 133. Imo censuræ etiam auferuntur per communem formulam a Confessariis præmitti solitam absolutioni a peccatis: quamvis, si constet, pœnitentem esse certo ligatum censura, aliqua ex prææmemoratis formulis usurpanda sit.

141. Colliges primo, ad absolutionem a censura non requiri necessario verba vocalia, sed etiam sufficere scripta. DD. communiter. Ratio est: quia nec natura judicii, & sententiæ, qua censuratus absolvitur (utpote quæ non minus calamo, quam ore proferri potest) nec dispositio Juris, sive Divini, sive humani, postulat, ut absolutio a censuris impertiatur per verba ore prolata; ergo etiam sufficit, si impertiatur per verba scripto exarata. Aliud est de absolutione a peccatis: ut suo loco videbimus.

142. Colliges secundo, posse quempiam, pluribus censuris irretitum, absolvi ab una, vel altera, quin absolvitur a ceteris. Babenstuber, & Pichler *n. n. citt.* aliique communiter. Ratio est: qui nulla habet cum altera necessariam connexionem. Debet tamen absolvens animo saltem designare censuram (vel censuras) a qua velit absolvere: alias a nulla absolvet; cum non sit major ratio, cur tollatur una, & non alia: imo id debet etiam intimare censurato, vel absoluto, non ut absolutio valeat, sed ut absolutus sciat, a quanam censura sit liberatus. Revide, quæ habentur *n.* 133.

Dices. Unum peccatum (mortale) non potest tolli sine altero; ergo nec una censura sine altera.

Respon-

Respondetur cum P. Khamm *n.* 63. *neg.* conf. Disparitas est: quia censuræ non habent talem connexionem inter se, qualem peccata. Quodlibet enim peccatum trahit secum aversionem a Deo, quæ auferri non potest, nisi per conversionem ad Deum; quæ conversio incompossibilis est cum quolibet peccato; atque ideo unum tolli nequit, nisi tollatur & alterum. At censuræ dicunt ab Ecclesia separationem, vel privationem bonorum spiritualium, secundum quod causatæ sunt per diversas sententias; ideoque tolli bene potest una causa, seu sententia, ratione cujus aliquis excluditur ab Ecclesia, & bonis spiritualibus, quin tollatur altera.

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

143. *Zenobius Parochus propria authoritate suum parochianum, utut reum, excommunicando, agit invalide* 144. *Zeosius Episcopus valide interminat pœnam suspensionis sub disjunctione.* 145. *Zephyrinus debitor Zephyrinæ, & huic intra mensem solvere jussus sub excommunicatione, istam, dilata solutione ultra mensem, non incurrit, si creditrix ante eventum conditionis terminum solutionis prorogarit. Idem dicendum, si Zephyrinus interea legitime appellarit.* 146. *Zambranus, sub conditione, nisi intra bimestre restituat, excommunicatus, non facta intra tale tempus restitutione, censura reus evadit, licet ante eventum conditionis territorium, & domicilium mutaverit.* 147. *Zalander Episcopus male processit dum hominem advenam ob crimen, in sua Diœcesi sub excommunicatione vetitum, excommunicatum promulgavit.* 148. *Zoticus tot incurrit excommunicationes, quot vicibus moraliter interruptis Clericum graviter percussit.* 149. *Zamarchus, reipsa, & in mente Judicis innocens, juridice tamen probatus nocens, licite excommunicatur, non item valide.* 150. *Zachæus, in articulo mortis constitutus, non potest confiteri Sacerdoti simplici in præsentia proprii Parochi.* 151. *Zacharias Studiosus post seduto lectum tractatum de Censuris, proponit, sibique resolvi petit tria adhuc dubia, disputationem de Censuris in genere concernentia.*

CASUS I.

143. *Zenobius Parochus parochianum quempiam suum a Divinis, quibus interesse poterat, & debebat, sæpius abesse solitum, serio monuit, saniora ut consilia caperet, mandatis Ecclesiæ obtemperaret, & more aliorum, Divina posthac debita cum sedulitate, ac devotione frequentaret. Sed cum se pura monitione actum agere intelligeret, statuit severius antidotum arripere, & applicare. Unde refractarium advocat, advocato censuram excommunicationis interminat, & in contumacia perseveranti reapse infligit. Quæritur, an valide?*

RESpondetur negative. Ita DD. communiter. Ratio est: quia ad ferendam censuram requiritur in ferente jurisdictio fori externi, & contentiosi, ex dictis *num.* 88. atqui Zenobius (idem cogita de aliis Parochis) simili jurisdictione caret; ergo &c. Min. ostenditur: siquidem illam non obtinet immediate vi sui muneris; cum vi istius non sit Judex in foro externo, & contentioso, sed interno duntaxat, & pœnitentiali: neque ex concessione Juris; cum nullum extet ejusmodi concessionis vestigium; ergo &c.

Dices primo. Zenobius potest a censura Juris (vel etiam Hominis generaliter lata) non reservata absolvere, ex dictis *n.* 123. & 127. ergo etiam similem censuram ferre.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia potestatem absolvendi a censura non reservata obtinet ex concessione Juris; prout ostensum manet *n.* 123. & *seqq.* non vero potestatem ferendi censuram: & merito siquidem hæc non est ita officio Parochiali necessaria, sicut illa.

Dices secundo. In *c.* 2. & 3. *de Offic. Judic. Ordinar.* supponitur censura, a Sacerdote; & Plebano (Parocho) lata observanda esse; ergo &c.

Respondetur, quod ille Sacerdos simul fuerit Episcopus, & Plebanus Ecclesiæ Collegiatæ Præpositus, sub qua ratione ipsis inerat potestas (eaque ordinaria, & immediate in eorum munere fundata) ferendi censuram. Vel dici potest, potestatem ferendi censuram Plebano non quidem competiisse Jure communi, sed consuetudine, aut præscriptione acquisitam fuisse: id quod nostræ doctrinæ nullum generat præjudicium; cum similis potestas, qualitercunque demum Parochis acquisita, per contrariam consuetudinem, & Conc. Trid. *Sess.* 25. *de Reform. c.* 3. hodie sit abrogata, & translata in Episcopos. Krimer *loc. cit.* 1634. & alii.

Ex dictis fluit, nemini Parochorum vi sui muneris, aut concessione Juris competere potestatem aliquem parochianum declarandi, seu denunciandi, tanquam excommunicatum; eo quod nullus eorum gaudeat jurisdictione fori externi, aut jure in tali foro judicialiter quempiam citandi. Quare si aliquis pro excommunicato sit declarandus, id fieri debet per Episcopum, vel per Parochum (aut alium) sed ex speciali demandatione Episcopi. Possunt tamen Parochi, & debent parochianum, vi latæ sententiæ excommunicatum, arcere ab ingressu Ecclesiæ, & removere a Sacris. La Croix *loc. cit. n.* 21. & alii.

CASUS II.

144. *Zetsius Episcopus, ubi inaudiit, Titium Clericum, Officio, & Beneficio provisum, tempore nocturno armatum circuire per plateas, vetat eidem nocturnum e propriis ædibus exitum, & armorum gestationem sub pœna suspensionis in hunc modum prolata*: Si posthac e tuis ædibus (absque urgente causa) tempore nocturno egressus fueris, & arma gestaveris, ab Officio, vel Beneficio suspensus sis. *Quæritur, an pœna suspensionis, ita disjunctive prolata, teneat?*

REspondeturE affirmative. Ita P. Khamm *de Censuris in genere part.* 1. *n.* 139. P. Erhart *loc. cit. pag.* 47. P. La Croix *n.* 68. & alii apud ipsum. Ratio est; quia prolatio ejusmodi sententiæ, licet non distincte, & explicite, tamen confuse, & implicite est determinata ad unam partem, seu speciem censuræ; Episcopus enim intendit, ut Titius delinquens determinatam incurrat censuram, nempe suspensionem vel ab Officio, vel a Beneficio, quam ipse elegerit: atqui hoc sufficit ad valorem censuræ; ergo &c. Min. ostenditur a pari. In foro pœnitentiæ valide imponitur satisfactio sub simili forma disjunctiva: *Vel uno die jejuna, vel recita septem Psalmos pœnitentiales*; uti & in foro civili: *Vel solvas mille, vel sustineas exilium per sex annos*; ergo idem dicendum in impositione censuræ &c.

Sed quid si Titius, alterutram partem, sive speciem suspensionis eligere obligatus, neutram eligat? Ad hoc ajo, quod vel incidat in utranque; quia talis videtur esse intentio ferentis: vel, si unam non observet, censeatur virtualiter eligere altera; quando enim ex disjunctivis una pars destruitur, manet alteram. Authores *cit.*

Colliges, a fortiori validam fore censuram, hoc modo impositam: *Suspendo vos ab Officio, vel Beneficio*, si feratur ad Clericos, quorum alii habent Officium tantum; alii vero Beneficium. Tunc quippe suspensio per accommodam distributionem ad diversas personas refertur juxta proprias illarum rationes, & conditiones, ita ut suspensio ab Officio intelligatur imposita Clericis solo Officio provisis; & suspensio a Beneficio Clericis Beneficiariis. Idem dicendum de censura sic lata: *Excommunico vos, vel suspendo*, si feratur ad diversa genera personarum, videlicet ad Laicum, & Clericum: siquidem & tunc prolatio sententiæ efficit sensum distributivum accommodum, ut excommunicatio censeatur lata pro Laico, & suspensio pro Clerico. P. Kamm *loc. & n. cit.*

CASUS III.

145. *Zephyrinus Sacerdos Zephyrinæ prædiviti viduæ in bonis fortunæ damnum enorme intulerat; cumque damnificata compensationem posceret, nihil præter mala verba a damnificatore reportabat. Quare in animum induxit causam deferre ad Episcopum, & reipsa detulit, rogitans, ut is interposita sua authoritate remedium adhiberet, Zephyrinumque ad debitam restitutionem compelleret. Episcopus, unaque R. J. Princeps insignis, &*

intuitu

intuitu Justitiæ administrandæ, & precibus Zephyrinæ aliter non jubandæ perfacile flexus vitavit Zephyrinum, & de damno dato convictum, ac confessum ad illud reparandum condemnavit, addito excommunicationis fulmine, nisi intra mensem satisfaciat. *Tum vero Zephyrinus meliora dare verba, & demissis etiam precibus sollicitare Zephyrinam, ut terminum solutionis ad bimestre prorogaret: quod & obtinuit ante eventum conditionis. Jam quæritur, an Zephyrinus, dilata solutione ultra lapsum primi mensis, nihilominus incurrerit censuram, neutiquam suffragante prorogatione termini, quippe ab Episcopo ignorata?*

Respondetur negative. Suarezius, Filliucius, & alii, quos refert, & sequitur P. Khamm *loc. cit. n. 129.* Ratio est: quia cum censura fuerit lata ad instantiam creditricis, intentio ferentis commensurabatur voluntati instantis; ergo quoniam hæc terminum solutionis prorogavit, eundem una prorogasse censendus est Judex, sive Episcopus; siquidem Judex aliud non agit, quam ut partes ad concordiam reducat, *L. 1. §. 10. ff. de novi operis nunt.*

Confirmatur. Si Zephyrina obligationem solvendi Zephyrino absolute remisisset ante lapsum primi mensis, Zephyrinus non incurrisset excommunicationem, non præstita solutione ante mensem elapsum; ergo nec eandem incurrisse asserendus est, dum Zephyrina obligationem solvendi ad tempus remisit. Quare excommunicatio modo supradicto lata inbibitam habuit istam conditionem, *nisi creditrix debitum absolute, vel ad tempus remiserit.*

Dices primo. Actus, quo differtur, vel suspenditur sententia, est actus jurisdictionis: sed Zephyrina non potuit exercere actum jurisdictionis; ergo nec suspendere sententiam: consequenter &c.

Respondetur, dist. maj. Actus, quo suspenditur sententia potestative, & directe, est actus jurisdictionis, con. quo suspenditur sententia indirecte tantum, neg. maj. & concessa minore, dist. etiam cons. Ergo Zephyrina non potuit suspendere sententiam potestative, & directe, con. indirecte, neg. cons. Zephyrina indirecte tantum sententiam suspendit, quatenus terminum solutionis prorogando subtraxit causam, & materiam censuræ, in quam perfecto pollebat dominio, & qua non subtracta, Zephyrinus excommunicationem contra se latam contraxisset, si conditionem intra mensem a ferente præfixum non adimplesset.

Dices secundo. In casu posito non defuit contumacia præsumpta a Judice, utpote prorogationem termini ignorante; ergo censura non fuit evitata.

Respondetur, concessu antecedente, neg. cons. Siquidem contumacia præsumpta tantum ad censuram reipsa incurrendum non sufficit, sed requiritur contumacia realis, sive a parte rei talis: alioquin Zephyrinus etiam contraxisset censuram in casu, quo Zephyrina totum debitum simpliciter remisisset, inconsulto Judice; cum etiam tunc non defuisset contumacia præsumpta a Judice, ejusmodi remissionis inscio.

Colliges, Zephyrinum, si neque ad terminum prorogatum solverit Zephyrinæ, evasisse censuræ reum. Authores *cit.* Ratio est: quia tunc vere impleta fuit conditio, sub qua lata erat censura; siquidem terminus, quem primo constituerat Episcopus, & postmodum Zephyrina dilataverat, non erat appositus ad extinguendam obligationem solvendi, sed ad eam non ultra differendam absque consensu creditricis; & consequenter debitor illum non observans, censuram haud effugit, ubi tempus prorogatione concessum effluxit. Nec refert, quod Episcopus progationem ignorarit: quia consensus ejusdem in censuram incurrendam censetur virtualiter perdurasse, hoc ipso, quod ad instantiam Zepheryinæ illam tulerit, & intentionem in ferendo commensuraverit voluntati instantis, secundum dicta superius.

Sed quid si Casus ita contigisset, vel contigisse ponatur, ut Zephyrino competierit jus appellandi v.g. ad Archiepiscopum, & reipsa ante eventum conditionis appellaverit, non implorata, vel non impetrata prorogatione termini a Zephyrina?

Respondetur, quod in isto quoque casu non incurrerit censuram, solutione debiti ultra mensem, ab Episcopo præstitutum, dilata. P. Khamm *loc. cit. n. 123.* P. Erhart *pag. 48.* & alii communiter. Ratio est: quoniam legitima appellatio causam a Judice inferiori, a quo appellatur, eximit, & ad ejus Superiorem, apud quem interponitur appellatio, devolvit; ergo jurisdictionem inferioris Judicis circa ejusmodi causam suspendit; & per consequens constitutio, vel sententia, a tali Judice lata, suas vires exercere, & exercere non potest, tametsi terminus solutioni præfixus elabatur, & solutio ultra eum differatur. Ubi prælaudati Authores bene advertunt, assertum non solum procedere de appellatione formali, & juridica, sed etiam de virtuali, & æquivalente: ut 1. siquis nesciens, vel non potens appellare, committat se protectioni Sedis Apostolicæ, *c. 34. de Appellat.* 2. Si iter ad Sedem Apostolicam arripiat, *c. 1. eod. tit.* 3. Si Superior totum negotium ad se avocet: sic quippe jurisdictionem inferioris Judicis pro tali negotio ligat, & viribus exuit.

Debet tamen appellatio (idem est de prorogatione termini supra) ut vim suspendendi censuram habet, fieri tempore mediante inter sententiam sub conditione prolatam, & eventum conditionis. Unde si fiat post eventum conditionis, non potest amplius censuram, quippe jam contractam, & sola absolutione auferibilem, suspendere, ac impedire.

CASUS IV.

146. *Zambranus famulus furto sublegit suo Hero mille florenos, quin idcirco sive apud ipsum Herum, sive apud alios veniat in suspicionem patrati criminis, utpote ab omnibus, & singulis semper pro servo fideli habitus. Judex Ecclesiasticus, de tanto damno illato legitime informatus, contra reum, etsi incognitum, sententiam excommunicationis pronunciat hisce verbis*: Fur illorum mille florenorum, quiscunque fuerit, sit excommunicatus, nisi intra bimestre debitam restitutionem fecerit. *Zambranus interea nancifcitur occasionem deserendi territorium, in quo natus, & educatus fuerat, ac migrandi ad aliud, in eoque cum Zambrana, desponsata sibi uxore, figendi domicilium, tempore, inter prolationem censuræ, & fluxum bimestris medio. Quæritur, an Zambranus, mutato territorio, & domicilio, nihilominus contrahat censuram excommunicationis, si intra bimestre non restituat?*

Respondetur affirmative. Ita P. Krimer *loc. cit. num. 1678.* & alii apud ipsum. Ratio est: quia Zambranus, antequam forum mutavit, per sententiam a Judice latam præventus est: quo casu per fori mutationem jurisdictio in eum non tollitur, sed quoad hanc causam Judici subjectus manet, conformiter ad *L. 30. ff. de Judiciis*, ibi: *Ubi acceptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet.*

Dices. Si Judex hoc, vel simili modo censuram ferat: *Qui incestum commiserit, sit excommunicatus*, Titius v. g. foro jam mutato, committens incestum excommunicatione non ligatur; ergo nec Zambranus in casu nostro.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia Titius tempore, quo incestum committit, non amplius est subjectus priori domino ob mutationem fori factam ante perpetrationem criminis, *c. 5. de Sent. excom. in 6.* Aliter res se habet in nostro casu, quo Zambranus peccavit, & a Judice præventus est ante mutationem fori &c.

CASUS V.

147. *Zolander Episcopus, cum intellexisset, enorme quoddam crimen in suo territorio patrari, decretum ab Ecclesiæ valvas affixit, ut quicunque ex suis subditis tale facinus imposterum committere præsumpserit, ipso facto excommunicationis reus sit. Postea vero, cum cognovisset, hominem advenam, decreto pensi non habito, delictum tam severe prohibitum perpetrasse, eundem tanquam excommunicatum publice promulgari jussit. Quæritur, an Zolander recte processerit?*

Respondetur negative. Laymann *lib. 1. tr. 5. de Censur. part. 1. cap. 4. num. 5.* & alii. Ratio est: quia decretum Zolandri, sub excommunicationis sententia latum, se protendebat ad solos subditos, e quorum numero non erat ille advena ante perpetratum delictum;

Prout relinquitur ex dictis *part. 1. num. 438.* ergo tunc non stringebatur prohibitione Ordinarii censuram ferentis: consequenter &c. At postmodum ratione delicti sortitus est forum, & factus subditus; propereaque citati potuit, dum in territorio persistebat, & tunc demum, si contumax manserit, excommunicari.

CASUS VI.

148. Zoticus, homo efferati genii, a quopiam Clerico verbis lacessitus, verbera rependere statuit. Quod & fecit. Nam paucis post diebus antefato Clerico, sibi obviam facto, complura verbera, eaque gravia, inflixit, uno, eodemque iracundiæ æstu agitatus. Et licet, furore sedato, ac motibus animi compositis, firmiter proposuerit percusso deprecari, & satisfactionem præstitu possibilem offerre; nulla tamen hujus propositi executio est subsecuta, sed pristinos vindictæ motus reassumens, post aliquod temporis intervallum novis in eundem Clericum verberibus deseviit, ut nuper. Quæritur, an Zoticus unam duntaxat, vel plures mortem, & quot, excommunicationes contraxerit?

RESpondetur, Zoticum non unam duntaxat, sed (1.) duas contraxisse excommunicationes; haud tamen (2.) plures. Krimer *loc. cit. n.* 1707. Franciscus Schmier *lib. 5. tr. 1. c. 3. n. 121.* & alii passim. Colligitur ex variis textibus, qui habentur *Clement. 2. de sent. excom. & c. 29. eod. tit.* ac alibi. Ratio insuper primi membri est: quia Zoticus bis trangressus est legem, vi cujus percussio Clerici sub reatu excommunicationis prohibita est; ergo duas posuit causas excommunicationis contrahendæ: consequenter duas excommunicationes contraxit; cum duplicata causa etiam duplicetur effectus. Ostenditur ant. Siquidem Zoticus percussiones illas semel moraliter interrupit; quemadmodum positionem casus intuenti pervium est; ergo bis transgressus est legem &c. Ratio secundi membri est: quia licet Zoticus pluribus physice percussionibus sævierit in prædictum Clericum, illas tamen non nisi semel moraliter interrupit; prout itidem ex casu liquet; ergo non sæpius, quam bina vice, legem violavit &c. Revide, quæ tradidimus *part. 1. a n. 676.*

Dices primo contra primum membrum responsionis. Si Zoticus contraxisset duas censuras ejusdem rationis, seu homogeneas, duas nimirum excommunicationes, per secundam debuisset privari iisdem Ecclesiæ bonis, queis privatus est per primam: sed hoc fieri non potuit; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Debuisset privari &c. in actu secundo, neg. in actu primo, con. maj. Sed hoc fieri non potuit priore modo, con. posteriore modo, neg. min. & conf. Prima excommunicatio in actu secundo privavit Zoticum spiritualibus Ecclesiæ bonis; secunda vero in actu primo tantum, quatenus si Zoticus nondum illis bonis privatus esset per primam, iisdem privaretur per secundam. Simile quid accidit, si quis uno peccato mortali jam contaminatus, prolabatur in alterum. Nam per primum gratia sanctificante spoliatur in actu secundo; per alterum in actu primo, quatenus si illa nondum spoliatus esset per primum, spoliaretur ea per alterum.

Instabis. Saltem Zoticus memoratis bonis privatus fuisset magis per secundam excommunicationem, ac erat privatus per primam: sed hoc dici nequit; cum privatio totalis, qualis jam contigit per primam excommunicationem, non suscipiat magis, & minus: ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Privatus fuisset magis, ly *magis* referendo ad actum primum, con. ad actum secundum, neg. maj. Magis privatus fuit Zoticus illis bonis in actu primo per secundam excommunicationem, quatenus posita fuit nova causa, nempe excommunicatio, de se ablativa illorum bonorum; non autem in actu secundo, quoniam eadem causa ab actuali effectu privandi fuit impedita per aliam causam prævie positam, vi cujus Zoticus iisdem bonis jam totaliter in actu secundo privatus extitit. Unde dist. etiam min. Sed hoc dici nequit, id est, non potest dici, quod Zoticus magis fuerit privatus illis bonis, ly *magis* referendo ad actum secundum, con. ad actum primum, neg. min. & conf. Ad rationem probativam minoris ajo, quod privatio totalis non suscipiat magis, & minus, directe, & secundum se; bene autem indirecte, & in causa, quatenus, dum nova causa privativa ponitur, privatio in actu primo augetur, id est, duplici jam titulo subjecto inexistit, quæ antea uno duntaxat inerat. Considera, & perpende exemplum, ac paritatem supra allatam de homine, qui prius uno, postmodum altero peccato mortali illaqueatur &c.

Dices secundo. Duæ censuræ homogeneæ sunt duæ privationes ejusdem numero formæ: sed hæ nequeunt simul inexistere eidem subjecto; ergo nec illæ.

Respondetur, dist. maj. Sunt duæ privationes formales, neg. causales, con. maj. Sed hæ nequeunt simul inexistere eidem subjecto, si sint formales, cujusmodi sunt v. g. duæ cæcitates respectu ejusdem oculi, con. si sint causales, subdist. nequeunt simul inexistere, ita, ut ambæ in actu secundo suum effectum operentur, con. ut una suum effectum operetur in actu secundo, & altera in actu primo tantum, neg. min. & conf. Excommunicationes voco privationes causales, quatenus aliqua earum inflicta, & in censurato posita, in ipso veluti resultat formalis privatio quorundam bonorum spiritualium: adeoque non sunt privationes hujusmodi bonorum formaliter, sed causaliter. Unde licet duæ excommunicationes in eodem subjecto coexistant, non tamen infertur, quod in tali subjecto etiam coexistant duæ privationes formales; nam duplicatis excommunicationibus non duplicantur in actu secundo privationes formales relate ad idem subjectum, sed solæ causæ, sive tituli, quibus una privatio totalis, & formalis eidem subjecto inexistit.

Dices tertio. Zoticus per primam excommunicationem fuit separatus ab Ecclesia; ergo ab hac non potuit iterato excommunicari.

Respondetur, neg. ant. vel disting. Fuit separatus ab Ecclesia secundum quid, quatenus fuit separatus a communione fidelium, & quibusdam privatus bonis, quorum ii erant participes, con. simpliciter, neg. ant. & conf. Excommunicati enim manent Ecclesiæ vere subjecti, hoc ipso, quod insigniti sint charactere baptismali jugiter permanente, & indelebili.

CASUS VII.

149. Zamarchus defertur ad Judicem tanquam reus de incestu sub pœna ferendæ excommunicationis prohibito; cumque crimen sibi impositum negaret, producuntur ab accusatore in medium testes, & accusatus plene convincitur; quamvis a parte rei sit innocens, & ut talis ab ipsomet Judice scientia privata cognitus. Quæritur, quomodo Judex, ne hallucinetur, in isto casu se gerere debeat?

RESpondetur ad Casum primo. Judex debet omni modo allaborare, ut veritatem, quam sibi privatim perspectam habet, publice notificet: specialiter vero, si sit delegatus, tenetur, eum in finem, delegationem Superiori renunciare, & agere personam testis, per textum notabilem in *c. 40. de Testib.* Vix enim unquam continget, ut nullæ prorsus sint conjecturæ pro ipso reo, quæ juncta attestatione Judicis non faciant plenam probationem, aut saltem locum juramento suppletorio: vel ut falsitas testium, & calumnia actoris per certam scientiam Judicis detegi non possint. Et hoc quidem tanquam certum passim supponitur ab Authoribus. Sed controversia remanet, an Judex, si nullum prorsus remedium supperat, quo innocentia Zamarchi patula reddatur, possit sententiam excommunicationis adversus illum proferre? Ad hanc controversiam dirimendam

Respondetur ad Casum secundo, quod Judex tunc licite sententiam proferat. P. Kharum *de Censur. in gen. part. 1. n. 179.* P. Erhart *loc. cit. pag. 60.* cum Filliuccio, & aliis ab isto relatis. Ratio est: quia Judex qua talis gerit personam publicam; ergo juxta suum officium, adeoque licite agit, dum profert sententiam publicis documentis confirmatam, saltem quando aliunde nihil obstat, quod hujusmodi sententia iniquitate conspergat, veluti nihil obstare in præsenti casu, ex dicendis palam fiet. Confirmatur ex *c. 28. de Offic. & Potest. Jud. deleg.* ubi habetur, quod Ordinarius, cum teneatur sequi mandatum Judicis a S. Pontifice delegati, *etsi sciat sententiam injustam, exequi nihilominus teneatur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat*; ergo etiam Judex sententiam ferre potest in nostro casu, etsi noverit materialiter injustam; non

enim

enim videtur assignabilis ratio disparitatis, cur possit consimilis sententia executioni mandari, & non ferri.

Dices primo. Judex non potest pronunciare sententiam mortis adversus illum, quem ipse privata scientia novit innocentem, etsi per allegata, & probata sit nocens; ergo neque sententiam excommunicationis &c.

Respondetur, concesso antecedente cum Scotistis, & plerisque Recentioribus, neg. conf. & paritat. Disparitas est: quia Judex contra innocentem pronunciando sententiam mortis, infert eidem maximum, & irreparabile damnum vitæ: at pronunciando sententiam excommunicationis contra innocentem, non consciscit eidem damnum, sive dispendium bonorum spiritualium, quibus alias excommunicatio privat; cum excommunicatio contra talem lata a parte rei non valeat, & consequenter non privet antesatis bonis; prout infra dicemus. Deinde dato, non concesso, etiam excommunicationem insonti illatam valere, operarique in eo privationem bonorum spiritualium, adhuc tamen palmaris est disparitas inter casum argumenti, & nostrum. Nam vita hominis non est sub dominio Reipublicæ, sive Civilis, sive Ecclesiasticæ; adeoque neutra potest, aliquem absque sua culpa positive, & directe spoliare vita. E diverso bona spiritualia, quorum privationem excommunicatio inducit, subsunt dispositioni Ecclesiæ, quæ proinde iis spoliare etiam innocentem potest, si id exigat bonum publicum, quod semper, & in omnibus (quando aliunde nihil obstat) præferendum est privato.

Dices secundo. Judex certo sciens, se carere jurisdictione in reum, non potest contra eum proferre sententiam censuræ, licet per testes probetur, reum esse sub jurisdictione, & authoritate ipsius; ergo neque in nostra hypothesi &c.

Respondetur, omisso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia cum jurisdictio Judicis non dependeat a testibus, sed consequatur ejus officium, & superioritatem; hinc si tali officio, & superioritate careat respectu Rei, contra eum ferendo sententiam non agit ut persona publica, sed ut privata; adeoque non potest sequi scientiam publicam falsa præsumptione nixam, sed privatam in veritate fundatam amplecti tenetur. Ast veritas facti in publico Judicio dependet a testibus, utpote in quorum ore stat omne verbum: unde qui per testes convincitur in foro fori, & juridice reus est, condemnari potest, quando aliunde nihil obstat, ut in præsenti. Verbo. In casu antecedentis deest jurisdictio ex parte Judicis: in casu autem consequentis adest jurisdictio ex parte Judicis, & nihil deest ex parte Rei ad ferendam licite sententiam; quamvis enim in isto non inveniatur crimen reipsa perpetratum, est tamen de ipso juridice demonstratum.

Dices tertio. Judex in casu operaretur contra dictamen propriæ conscientiæ; imo committeret mendacium, quoniam per sententiæ prolationem declararet, reum patrasse tale crimen, quale scit eum non perpetrasse, seque eundem excommunicare, cum tamen revera non excommunicet secundum dicenda inferius; ergo non ageret licite.

Respondetur, neg. utrumque membrum antecedentis. Nam inprimis Judex solum operaretur contra propriam, eamque privatam, scientiam, non vero contra conscientiam; imo operatur juxta istam, non quidem ut formatam ex scientia, seu notitia privata (hæc enim impræsentiarum non venit attendenda) sed ut formatam ex scientia publica, quam solam eadem conscientia dictat esse tenendam, quando alia prohibitio non obsistit. Huc facit, quod diximus *part. 1. n. 179.* de sequente opinionem alienam contra propriam. Deinde Judex neque committeret mendacium: quia ferendo sententiam contra reum, non declararet, eundem crimen illud perpetrasse, sed sufficienter probatum esse, quod patrarit: atque hoc verum est. Similiter non diceret, se valide excommunicare (sic enim per inferius dicenda mentiretur) sed se excommunicare reum: quod itidem verum est, tametsi excommunicatio in foro conscientiæ, & reipsa non subsistat, sed in foro externo tantum, cui sententia Judicis unice innititur.

Dices quarto. Innocentius IV. *c. 1. de Sent. & re judic. in 6.* vetat condemnare eum, quem æterni Judicis tribunal reum non habet: sed innocentem æterni Judicis tribunal reum non habet; ergo &c.

Respondetur, Innocentium solummodo vetare, ne Judices præmio, vel expectatione præmii (ut ibi dicitur) se corrumpi sinant, ferantque ex simili motivo sententiam contra reum, cujus crimen in Judicio non satis probatum sit: sic quippe procedendo non solum Deum, & conscientiam præ oculis haberent; prout tamen ibidem facere jubentur.

Respondetur ad Casum tertio. Judex sententiam excommunicationis profert invalide, P. Engel *lib. 5. Decret. tit. 39. n.* 107. R. Reiffenstuel *eod. n.* 41. P. Konig *n.* 11. P. Schmalzgrueber *n.* 82. & alii satis communiter. Ratio est: quia ut subjectum aliquod censura excommunicationis (majoris) valide afficiatur, prærequiritur ex parte illius culpa mortalis non existimata tantum, sed vere commissa; cum censura sit vera pœna, quæ veram, & proportionatam supponere culpam debet: atqui Zamarchus non est reus hujuscemodi culpæ; ergo &c. Confirmatur. Ecclesia per inflictionem censurarum intendit solos punire, & coercere inobedientes, ac contumaces: atqui Zamarchus non est inobediens, ac contumax, sed reipsa omnino innocens; ergo &c. Et sane a benignitate S. Matris alienum est, hominem coram Deo innocentem spoliare bonis spiritualibus, quibus valida censura privat: consequenter &c.

Dices primo. In *can. 1. caus. 11. q. 3.* habetur: *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est*; ergo licet sententia, contra Zamarchum lata, sit injusta (nimirum objective, quatenus non præcipit justum) censeri nihilominus debet valida.

Confirmatur. Sententia in casu profertur licite; ut dictum *respons. præced.* ergo & valide; alias Judex frustra uteretur sua potestate.

Respondetur ad arg. neg. conf. Nec obstat *can.* allegatus, utpote in quo non dicitur, sententiam injustam esse servandam, sed timendam, idest, non superbe contemnendam. Unde Zamarchus, quando absque scandalo aliter non potest, tenetur præceptum Judicis exequi, & in foro externo se gerere tanquam excommunicatum abstinendo ab omnibus actibus, qui per censuram excommunicationis prohibentur; non quidem vi censuræ, utpote quæ in casu est nulla, & consequenter nullum ponit impedimentum, sed vi Juris Divini, & naturalis, ne potestati publicæ juridice, & legitime præcipienti resistatur.

Ad conf. neg. itidem conf. Siquidem ad validam sententiam non sufficit, quod Judex præcipiat licite, seu juste ex parte actus; sed requiritur, ut præcipiat justum, seu juste ex parte objecti. Sequelam probativam consequentis similiter nego: quia ex tali processu homines concludere possunt, Judicem rite, id est, secundum allegata, & probata, fuisse functum suo officio: id quod servit ad fovendam in Communitate tranquillitatem.

Dices secundo. Bona, quibus fideles per censuras privantur, subjacent dispositioni, & dispensationi Ecclesiæ; ergo hæc potest aliquem illis spoliare ob delictum probatum, quamvis non perpetratum.

Respondetur, explic. & dist. ant. Præfata bona subjacent dispositioni Ecclesiæ omnino liberæ, & independenti, neg. non omnino liberæ, & dependenti a rationabili, vel urgente causa, con. ant. Ergo potest aliquem illis spoliare &c. quando exigit bonum publicum, omitto; secus, neg. conf. Bonum publicum nec in casu, nec alias, saltem regulariter loquendo, exigit, ut innocens, per allegata tamen, & probata nocens, spiritualibus bonis privetur; sed satis habet, quod censuratus se exterius, seu in facie Ecclesiæ gerere debeat, ac si reipsa censuratus foret. Deinde dato, non concesso, quod Ecclesia, etiam præscindendo ab exigentia boni publici, innocentem bonis spiritualibus privare possit; id tamen non facit, utpote aliquid suæ pietati, & benignitati erga fideles contrarium.

Dices tertio. Nemo ob culpam, reipsa perpetratam, non tamen in Judicio probatam, affici censura potest; ergo a contrario ob culpam, in Judicio probatam, licet reipsa non perpetratam, affici quis censura potest.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. Ratio negandi est: quia argumentum a contrario non valet, nisi ad summum in causis præcisis: defectus autem probationis in Judicio non est causa præcisa, cur aliquis cesura feriri nequeat; cum præter illam dentur

 & aliæ,

& aliæ, de quarum classe vel maxime est defectus culpæ reipsa perpetratæ: consequenter &c,

Dixi: *transmisso antecedente*. Nam solum tenet de censura ferendæ sententiæ; eo quod Judex eam inferens, in ferenda sententia condemnatoria, cum exerceat actum publici, & forensis Judicii, scientiam publicam sequi debeat; unde si per hanc de culpa non constet, Judex nihil, seu invalide aget. At vero idem antecedens non procedit de censura latæ sententiæ: hæc quippe in foro conscientiæ incurritur ipsa perpetratione delicti, etiamsi istud in foro externo probari nequeat; & probatio solum necessaria est, ut censuratus publice denunciari valeat, P. Engel *loc. cit. n.* 109.

CASUS VIII.

150. *Zachæus peccato mortali, & censura Juris non reservata illaqueatus, calida febri corripitur; & postquam cum ea per unum, vel alterum diem conflictatus erat, deprehendit Medicus, statum ægri ad deteriora vergere. Unde curat, ut Zachæo, ceu periculose decumbenti, SS. Ecclesiæ Sacramenta administrentur. Comparet pro suo munere Parochus, S. Viaticum, atque Extremam Unctionem secum portans. Ante omnia autem adhortatur infirmum ad sinceram, & dolorosam confessionem de peccatis. Condicit infirmus; sed antequam Parocho confiteri incipiat, supervenit quidam alius Sacerdos, at simplex, seu pro excipiendis confessionibus necdum approbatus. Vertitur jam in quæstionem, an Zachæo sit integrum, malitne suam confessionem fateri Parocho, vel memorato Sacerdoti?*

Respondetur negative. Laymann *lib. 5. tr. 6. cap. 12. n. 14.* Sporer *de Pœnit. n.* 724. La Croix *libr. 6. part. 2. n.* 1562. (ubi tamen perperam citat Sporerum pro opposita sententia) & alii innumeri contra Henricx, & alios. Ratio est: quia quod propter necessitatem conceditur, non valet cessante necessitate, juxta *c. 78. de R. J. in 6.* ibi: *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa*: atqui facultas illimitata absolvendi in articulo mortis Sacerdotibus (non tantum curatis, sed etiam simplicibus; imo excommunicatis, degradatis, depositis &c.) est concessa propter necessitatem; quemadmodum indigitant verba Trid. *Sess. 14. c. 7.* ibi; *ne aliquis pereat*; ergo, cessante necessitate, ea concessio locum non habet. Sed in casu nulla est necessitas, ut Zachæus confiteatur Sacerdoti simplici; cum Parochus, jurisdictione, eaque ordinaria præditus, præsto sit; ergo &c. Confirmatur efficaciter ex *c. 22. de Sent. excom. in 6.* ubi ita habetur: *Eos, qui a sententia Canonis, vel Hominis (cum ad illum, a quo alias de Jure fuerint absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur &c.* Ecce! S. Pontifex Bonifacius VIII. hic supponit, quod moribundum a sententia excommunicationis absolvere non valeat alius, si absolutio peti poterat ab Ordinario; ergo nec Zachæum in casu absolvere valebit Sacerdos simplex, dum potest absolutio peti a Parocho. Referunt præterea Authores (quos inter Turrianus *in select. disput. cent. 2. Censur. Theol. dub.* 77.) ita declarasse Gregorium XIII. hac super re consultum.

Dices. Trid. *loc. cit.* ait, quod in articulo mortis, *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint*; ergo juxta mentem Concilii Zachæus etiam a Sacerdote simplici poterit absolvi.

Respondetur explicando, & dist. ant. Quando adest necessitas, con. secus, neg. ant. & cons. Nam in casu nulla intervenit necessitas, cum præsto sit proprius Parochus, a quo Zachæus beneficium absolutionis impetrare valet, Siquidem necessitas constituitur ex duobus, videlicet ex articulo mortis, & ex defectu Sacerdotis jurisdictione præditi: quod posterius cum in casu desit, necessitas in eo non intervenit; qualem tamen Conc. illimitatam absolvendi facultatem concedens, requirit; ut denotant verba, *ne aliquis pereat*.

Quod si tamen poneretur, Zachæum rationabiliter nolle, vel absque notabili difficultate, aut horrore non posse Parocho confiteri, censet P. Sporer *loc. cit. n.* 725. eum absolvi posse a Sacerdote simplici: quia tunc causalis Tridentini, *ne aliquis pereat*, suo modo locum haberet, Secus in nostro casu, in quo Zachæus ejusmodi difficultatem, aut horrorem sentire non supponitur, utpote jam inductus, & resolutus ad sinceram confessionem Parocho deponendam.

CASUS IX.

151. *Zacharias Studiosus, postquam sedulo legerat tractatum de Censuris, ex ore Professoris exceptum, & a se conscriptum, tria adhuc dubia habet, disputationem de Censuris in genere concernentia, eaque sibi eximi rogat; & sunt 1. An Judex, gravi metu, eoque injusto adactus, censuram ferens agat invalide? 2. An aliquis possit censuram ferre in propria causa? 3. Qualiter se gerere debeat, qui dubitat, an sit censura ligatus, necne? Quenam Zachariæ sunt dandæ ad hæc dubia resolutiones?*

Respondetur. Ad primum dubium danda est resolutio negativa cum Palao *de Censur. disp. 1. pun. 5. n. 2.* Krimer *loc. cit. n.* 1646. La Croix *n.* 71. & aliis. Supponitur autem talis Judex habere intentionem ferendi censuram. Ratio est: quia gesta per metum, utut gravem, & injustum, de Jure naturæ valent; cum metus non tollat, esto minuat, voluntarium; ergo illatio censuræ, prædicto modo extorta, Jure naturæ valet. Sed neque invalidatur Jure aliquo positivo, cum nullum tale assignari queat. Aliud est de absolutione censuræ sic extorta; nam licet & ista de Jure naturæ probabilius valeat; de Jure tamen positivo irrita est, ut ostendimus *num.* 131. Ratio disparitatis, cur Jus positivum invalidet unam, & non alteram, videtur esse, quod sæpe accidat, ut potentes Judicem cogant ad absolutionem censuræ; raro autem, ut ea liget. Unde Ecclesia merito statuit, talem absolutionem esse invalidam, non vero ligationem; cum Leges soleant considerare id, quod frequenter, non quod raro accidit. Deinde hic non est spectandus favor, v. g. excommunicati, qui eo indignus est; sed favor potestatis Ecclesiasticæ, quæ multum læderetur, si similis absolutio tanquam valida approbaretur: ligatio autem censuræ metu extorta potius firmat potestatem Ecclesiasticam, quam eandem enervet: ut recte notat P. Krimer *n.* 1647.

Ad secundum dubium itidem danda est resolutio negativa, propter *can. 27. caus. 23. q. 4.* Ratio quoque suffragatur: quia naturæ adversum videtur, eundem esse simul actorem, & Judicem. Intellige per modum judicii: valide enim, & licite Prælatus ferre censuram potest in propria causa contra eum, a quo violentiam patitur, *c. 6. de Sent. excom. in 6.* Nam cum vim vi repellere liceat, propriis quoque armis uti licebit. Idem est, quando causa adeo publica est, ut negari non valeat, *n.* 10. examinatione indigeat, Abbas *in c. 12. de Judiciis* nec & alii.

Ad tertium dubium ajo, quod cessante periculo scandali, non teneatur se gerere tanquam censura innodatum; sive dein dubium, quo laborat, sit (1.) Juris, sive (2.) facti. P. Khamm *part. 1. n.* 187. & alii apud ipsum. Ratio primæ partis, seu in dubio Juris promitur ex illo trito, quod favores sint ampliandi, & pœnæ restingendæ; ergo si Jus pœnam inducens sit dubium, in partem benigniorem interpretandum, atque trahendum venit. Ratio secundæ partis, seu in dubio facti sumitur ex illo altero noto axiomate, quod in dubio melior sit conditio possidentis: sed taliter dubitans possidet jus communicandi cum aliis fidelibus, & recipiendi Sacramenta; ergo ipsius conditio est melior; ut proinde in dubio facti eo jure non sit privandus? Ex primæ partis resolutione fluit, quod Cajus v. gr. dubitans, an excommunicatio contra se lata sit, necne? non teneatur se gerere tanquam excommunicatum, si, adhibita sufficienti diligentia in inquirendo veritatem, dubium perseveret. Ex secundæ vero partis resolutione fluit, quod nequ Titius v. g. si sciat quidem, excommunicationem esse latam contra graviter percutientes Clericum; dubitet tamen, an percussio a se facta fuerit gravis, se gerere ut excommunicatum obligetur? Et ideo tam Cajus, quam Titius, aliique ita dubitantes, a quolibet Confessario absolvi possunt.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Censuris in Specie. Ubi etiam de Depositione, Degradatione, & Cessatione a Divinis.

CAPUT I.

De Excommunicatione,

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Excommunicatio?

SUMMARIUM.

152. *Excommunicatio quid nominis?* 153. *Excommunicatio quid rei?* 154. *Excommunicatio dividitur in* majorem, & minorem. 155. *Excommunicatio major est pœna Ecclesiastica longe gravissima.*

152. EXcommunicatio, si nominis etymon spectes, significat exclusionem a communione, vel communicatione cum aliis, ex *can.* 32. & 107. *cauf.* 11. *q.* 3. Ut etiam constet, quid sit, secundum rem spectata,

153. Dico primo. Excommunicatio ut sic est *censura, privans hominem bonis spiritualibus, quatenus in iis fideles invicem communicant.* Ita reipsa Scotus *in 4. dist.* 29. *n.* 16. & alii communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *censura privans hominem bonis spiritualibus:* quæ particulæ tenent locum generis; cum per eas excommunicatio conveniat cum suspensione, & interdicto.

Dicitur 2. *quatenus in iis fideles invicem communicant:* ubi denotatur essentialis differentia excommunicationis a suspensione, & interdicto. Nam excommunicatio speciali quadam ratione subjectum suum privat bonis spiritualibus, quia iisdem privat non tantum absolute, & secundum se consideratis (ut suspensio, & interdictum) sed etiam consideratis veluti relative, & quatenus in illis fideles inter se communicant, ac vitam socialem, mutuamque testantur observantiam: quemadmodum notat P. Erhart *pag.* 116.

154. Dico secundo. Excommunicatio dividitur in *majorem*, & *minorem*. Prior est, quæ omnibus Ecclesiæ bonis communibus prætacta ratione privat: unde Scotus *loc. cit.* eam nominat *censuram, qua quis a communione fidelium simpliciter separatur.* Posterior est, quæ tantum usu passivo Sacramentorum prætacta ratione privat (juxta *c.* 59. *de Sent. excom.*) hoc est, susceptione Sacramentorum duntaxat, non administratione: adeoque per eam quis a communione fidelium tantummodo separatur *secundum quid;* ut habet itidem altefatus Doctor.

155. Colliges, excommunicationem majorem esse pœnam Ecclesiasticam longe gravissimam. Ratio ex dictis patens est: quia privat simpliciter omni jure communicandi cum aliis fidelibus. Atque hinc vocari solet *mors, gladius Episcopi, virga ferrea, nervus Ecclesiasticæ disciplinæ.* Quibus nominibus non meretur exaggerari excommunicatio minor; cum secundum quid duntaxat communione fidelium privet: ut immediate dictum, atque expositum est. Porro excommunicatio major nuncupatur etiam *anathema:* nec abs fundamento; siquidem anathema significat excisionem, vel separationem a reliquis partibus: solentque inter se non infrequenter confundi, & sumi promiscue, præsertim in Conciliis; quamvis differant, non quidem substantialiter, sed accidentaliter, quatenus inferendo anathemate adhibetur major solemnitas, ac in ferenda excommunicatione. Nam (ut habetur *c.* 106. *cauf.* 11. *q.* 3.) Episcopum anathematizantem cingunt, & circumstant duodecim Presbyteri, tenentes in manibus ardentes candelas, quas post latam sententiam in terram projectas pedibus conculcant ad ceterorum terrorem: addi præterea solent maledictiones, & execrationes verbales. Hinc Clericus depositus incorrigibilis jubetur primo excommunicari; contumacia vero ejus crescente, anathematis mucrone feriri, *c.* 10. *de Judiciis.*

ARTICULUS II.

De Effectibus Excommunicationis majoris.

EFfectus istius Excommunicationis, cpu pœnæ longe gravissimæ, extant valde multi, quorum aliqui dicuntur *mediati*, alii *immediati*. Mediati nuncupantur; & sunt 1. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicujus Ordinis, saltem sacri. 2. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, & insordescat, fit suspectus de hæresi, & contra eum, ut talem, procedi potest; quemadmodum determinat Trident. *Sess.* 25. *c.* 3. & nos jam advertimus *n.* 137. Et quidem de his effectibus nihil speciale ex professo amplius dicendum restat; plura vero de effectibus immediatis; quæ proinde, claritati consulere volentes, per plures §§. tradituri sumus. Sit igitur

§. I.

An, & qualis excommunicatus communibus Ecclesiæ suffragiis privetur?

SUMMARIUM.

156. *Excommunicati hodie alii sunt* tolerati, *alii* non tolerati. 157. *Quid sint communia Ecclesiæ suffragia?* 158. *Excommunicatis non toleratis nulla Ecclesiæ suffragia communia applicari regulariter possunt; sicut nec ipsi eadem petere.* 159. *Proponitur, & solvitur objectio.* 160. *Excommunicatis toleratis dicta suffragia applicari possunt; quamvis ipsi ea petere non possint.* 161. *Diluitur argumentum oppositum.* 162. *Peccat graviter, qui Ecclesiæ suffragia applicat excommunicatis non toleratis; secus, qui toleratis.* 163. *Excommunicati sive tolerati, sive non tolerati sine mortali peccato nequeunt eadem suffragia petere.*

156. PRænotandum primo, excommunicatos excommunicatione majori esse hodie in duplici differentia. Nam alii dicuntur *tolerati*, alii *non tolerati*. Tolerati dicuntur, quos ceteri fideles non tenentur vitare (unde etiam vocantur *non vitandi*) sed cum ipsis licite, si velint, communicare possunt. Non tolerati dicuntur, qui vitari debent (unde & *vitandi* appellantur) a ceteris fidelibus in iis, quæ per decursum recensebimus. Dixi: *hodie*. Siquidem olim nullus excommunicatus excommunicatione majori erat toleratus, sed omnes vitandi, *c.* 3. §. *excommunicatus, de Privileg. c.* 8. & *c.* 14. *de Sent. excom.* Ast hodie antiquiora hæc Jura ex parte abrogata sunt per Constitutionem Concilii Constantiensis (quæ incipit: *Ad evitanda scandala*) a Martino V. approbatam, & confirmatam, vi cujus nemo excommunicatus necessario vitandus est, nisi sit *nominatim, & publice denunciatus*; vel *percussor personæ Ecclesiasticæ adeo notorius*, ut factum nulla tergiversatione celari, nullove Juris suffragio excusari possit. Ubi tamen altefatus Pontifex protestatur, se ipsis excommunicatis, quando de solo eorum commodo agitur, nihil juris, aut favoris concedere; sed solis fidelibus non excommunicatis, quibus difficilis erat, & causa multarum anxietatum, obligatio abstinendi a communicatione cum excommunicatis quibuscunque. Quapropter omnes excommunicati, licet denunciati ut tales non sint, tenentur hodiedum, haud secus, ac olim, abstinere, & se non ingerere communioni cum aliis fidelibus in iis, in quibus eadem communio, seu communicatio de Jure prohibetur; esto hæc ipsis sit licita indirecte, & per accidens, quando cum eis alii fideles communicare volunt, vel expetunt. P. Pichler *loc. cit. n.* 25. & alii communiter.

157. Prænotandum secundo, quod per communia Ecclesiæ suffragia intelligantur quædam subsidia spiritualia, quibus Ecclesia suorum fidelium necessitates, præsertim spirituales, sublevare solet: cujusmodi sunt Sacrificium Missæ, quod nomine totius Ecclesiæ offertur; indulgentiæ, ex communi Ecclesiæ thesauro depromptæ; & orationes publicæ in Processionibus, Choro, aut alias nomine Ecclesiæ peragi consuetæ; non vero orationes, quæ funduntur proprio, seu privato nomine, licet ceteroquin authoritate Ecclesiastica approbatæ sint: ut ex Gibalino notat P. Krimer *loc. citat. n.* 1875. & nos jam insinuavimus *part.* 2. *num.* 265. Nam & tales orationes, sic fusæ, censentur inter

preces, & suffragia privata. Suffragia communia Ecclesiæ duplicem valorem habent; unum ratione personæ offerentis, & alterum ratione Ecclesiæ, cujus nomine offeruntur. Prior perditur, quando persona offerens est indigna, seu in statu disgratiæ constituta; non item posterior, quippe dependens ab Ecclesia, quæ est semper sancta, & grata Deo. Imo Sacrificium Missæ adhuc alium valorem superaddit ex meritis Christi: prout infra *n.* 294. declaratum ibimus. His prænotatis,

158. Dico primo. Excommunicatis non toleratis nullæ Ecclesiæ suffragia communia applicari possunt (regulariter loquendo) sicut nec ipsi eadem petere. Ita communis, & certa sententia.

Probatur tum ex *c.* 28. *& c.* 38. *de Sent. excom.* Tum ex ratione: siquidem Ecclesia, penes quam residet potestas ejusmodi suffragia dispensandi, sicut probis fidelibus, & obsequentibus, ea largiri, ita improbis, & refractariis juste denegare potest, ut tanto damno perculsi resipiscant, & de facto denegat in Juribus *cit.* utpote quibus, relate ad excommunicatos non toleratos, per Concilium Constantiense, vel aliud Jus ne quidem in minimo est derogatum.

Dixi in conclus. *regulariter*, ut exciperem feriam sextam Parasceves, ubi Ecclesia in Missa, prout hæc eo die celebratur, speciatim, & directe orare solet pro Hæreticis, & quibuscunque excommunicatis, dispensando in generali prohibitione; tum ut imitetur Christum, qui illo die publice oravit pro suis inimicis, & crucifixoribus, suæque passionis merita obtulit pro omnibus; tum ut demonstret suum Zelum, quo omnium salutem percupit.

Dixi præterea: *suffragia communia*, seu publica. Nam preces privatas fundere pro excommunicatis quibuscunque nullibi est vetitum. Hinc sancte facit Sacerdos celebrans, si in *Memento* recordetur excommunicatorum, licet non toleratorum, vel in aliis precibus privato nomine fusis. Idem cogita de operibus virtutum, ex privata intentione, vel devotione assumptis, v. g. eleemosynis, jejuniis, aliisque corporis castigationibus &c.

159. Objicies. Ecclesia non prohibet, nec forte prohibere potest, quod sibi valde proficuum, & honorificum novit: sed orare publice pro excommunicatis, etiam non toleratis, Ecclesia sibi valde proficuum, & honorificum novit; cum illi non raro inde emendati, & conversi sint; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Non enim cederet in emolumentum, & honorem Ecclesiæ, si vellet communia Suffragia æque excommunicatis quibuscunque, ac aliis fidelibus applicari; cum inde ejus authoritas a contumacibus, & rebellibus potius supprimeretur: uti vel obiter consideranti pervium fiet. Rationem minoris probativam explico, & dist. Non raro sunt conversi ob preces publicas directe, & per se fusas pro ipsa Ecclesia, ejusque emolumento, con. directe, & per se fusas pro ipsismet excommunicatis, eorumque resipiscentia, neg. Hinc dum Ecclesia ordinat Missas pro reductione Schismaticorum, & Hæreticorum, per se, & directe applicandæ sunt pro emolumento, augmento, & dilatatione ipsiusmet Ecclesiæ; non vero pro conversione Schismaticorum, & Hæreticorum (si sint de classe excommunicatorum non toleratorum) quamvis illarum applicatio indirecte, & ex consequenti etiam redundet in bonum istorum, quando inde convertuntur.

160. Dico secundo. Excommunicatis toleratis de facto (1.) probabilius applicari possunt communia Ecclesiæ suffragia: quamvis ipsi (2.) ea petere non possint. Ita P. Herincx *loc. cit. n.* 29. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *art.* 1. *n.* 22. *&* 23. aliique satis communiter.

Probatur ex Concilio Constantiensi, in quo (ut jam supra insinuatum) edita est hæc constitutio: *Ad evitanda scandala, & animarum pericula statuit S. Synodus, ut nemo deinceps quempiam ratione alicujus sententiæ, aut censura Ecclesiastica a Jure, vel ab Homine generaliter promulgata, in Sacramentorum administratione, receptione, aut aliis quibuscunque rebus Divinis, vel externis vitare, aut interdictum observare teneatur, nisi sententia, vel censura hujusmodi contra certam personam, Collegium, Ecclesiam &c. specialiter a Judice publicata, vel denunciata fuerit: excepto eo, qui ob sacrilegam manuum injectionem in Clericum, excommunicationem Canonis notorie incurrit, ut factum ejus nulla tergiversatione celari, & nullo Juris suffragio excusari possit; nam ab hujusmodi, etiam non denunciati, communione abstinendum.* Ecce! Concilium absolute concedit fidelibus, ut cum excommunicatis toleratis communicare possint tam in Divinis, quam in humanis; ergo & concedit fidelibus, ut possint pro iisdem excommunicatis offerre orationes publicas &c. Cons. prob. Nam hæc duo: *communicare cum aliquo, & preces publicas pro eo fundere*, ab Ecclesia sumuntur pro eodem, *c.* 28. *&* 38. *de Sent. excom.*

Confirmatur. Altefatum Concilium indulget omnem communicationem cum excommunicatis toleratis, quæ in commodum fidelium cedere potest: sed communicatio in communibus Ecclesiæ suffragiis cedere potest in commodum fidelium tum spirituale, tum temporale; cum per illam, ceu opus Charitatis; vel etiam Justitiæ, mereri possint, & recipere oblationes ab eis, vel pro eis factas; ergo &c. Accedit & aliud commodum, ab ipsomet Concilio expressum, quod fideles inde liberentur a scrupulis, queis angi possent, dum fluctuarent, an hi, vel illi excommunicati in orationibus publicis, & suffragiis sint vitandi: hos quippe scrupulos ut fidelibus Concilium eximeret, determinavit, solos nominatim excommunicatos, & denunciatos, atque notorios percussores Clericorum esse vitandos.

Probatur etiam secunda pars ex eodem Concilio, utpote quod excommunicatis toleratis non intendit directe ullum favorem præstare; cum expresse ita concludat: *Per hæc autem non intendimus, ipsos excommunicatos, suspensos, interdictos in aliquo sublevare, vel quomodolibet eis suffragari*: atqui magnum eis favorem directe præstaret, si ipsimet petere communia Ecclesiæ suffragia possent, ut patet; ergo &c.

161. Objicies. Excommunicati ipsa excommunicatione excluduntur a suffragiis Ecclesiæ; ergo contra intentionem Ecclesiæ, & institutionem excommunicationis nititur, qui illos talium bonorum participes efficere tentat.

Respondetur, neg. ant. Nam Jure antiquo (*c.* 14. *de Sent. excom.*) poterant suffragia Ecclesiæ offerri pro excommunicatis occultis (quippe non in publico, sed in occulto duntaxat vitandis; prout expresse habet *c.* immediate allegatum) quin aliquid fieret contra intentionem Ecclesiæ, & naturam excommunicationis: quidni igitur & modo possint eadem suffragia offerri pro excommunicatis toleratis, quin idcirco aliquid fiat contra intentionem Ecclesiæ (quippe id concedentis) aut institutionem censuræ.

162. Colliges primo, peccare graviter eos, qui suffragia communia applicant (1.) excommunicato non tolerato; secus (2.) si illa applicent excommunicato tolerato. Ratio fluit ex dictis: quia applicantes priore modo, contraveniunt, & quidem in re gravi, mandato Ecclesiæ: non item applicantes posteriore modo; cum sic applicare concessum sit a Concilio Constantiensi relato. Quare nec mortaliter, nec venialiter peccat, qui pro Hæreticis, vel aliis excommunicatis toleratis offert etiam directe Sacrificium Missæ: peccat vero, & quidem mortaliter, si illud sic offerat pro excommunicatis non toleratis. An autem agat insuper invalide, dicemus explicate *n.* 294.

163. Colliges secundo, ipsos quoque excommunicatos a peccato mortali non excusari, dum communia suffragia sibi applicari petunt. Ratio itidem fluit ex dictis: quia & ipsi in re gravi agunt contra prohibitionem Ecclesiæ. Nec refert, si sint de classe toleratorum. Siquidem & talibus id prohibitum manet Jure antiquo, utpote per Jus novum Constantiensis Concilii quoad hunc passum nullatenus immutato; ut dictum.

§. II.

An, & qualiter excommunicatus privetur usu Sacramentorum?

S U M M A R I U M.

164. Excommunicatus graviter peccat per se loquendo, dum administrat aliquod Sacramentum; omnia tamen administrat valide, excepto respective Sacramento Pœnitentiæ. 165. Num administrando incurrat aliquam pœnam? 166. Etiam recipiendo regulariter peccat graviter, quamvis recipiat valide, excepto Sacramento

Pœni-

Pœnitentiæ. 167. *Num recipiendo aliquam pœnam incurrat?* 168. *An, & qualiter Ministri Ecclesiæ teneantur excommunicatis Sacramenta denegare?*

164. Dico primo. Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, per se loquendo (1.) graviter peccat, dum administrat aliquod Sacramentum; omnia tamen (2.) administrat valide, excepto respective Sacramento Pœnitentiæ. Ita DD. communiter.

Probatur prima pars tum ex *c. fin. de Clerico excom. ministr.* tum ex ratione: siquidem in re gravi, imo gravissima, prævaricatur legem Ecclesiæ, ipsum a tali ministerio justissime arcentis.

Dixi: *per se loquendo*: id est, nisi excuset invincibilis ignorantia Juris, vel facti; periculum mortis, mutilationis, infamiæ, jacturæ honorum, scandali, alteriusve damni gravis: simile enim si interveniat, peccati labes abstergitur, vel (ut rectius loquar) non contrahitur. Ratio est: quia Ecclesia non censetur obligare per aliquam suam censuram cum tam gravi incommodo. Porro excommunicatus toleratus solum peccat administrando Sacramenta, si se ultro ingerat, & administret irrequisitus: secus, si administret requisitus. Id quod patet ex Constitutione Concilii Constantiensis supra recitata. Unde Sacerdos taliter excommunicatus licite celebrat, si a fidelibus, Missam audire volentibus, rogetur, vel invitetur ad celebrandum. Herincx *loc. cit. n.* 29. & alii passim.

Probatur secunda pars. Quia nullum Sacramentum, præterquam Pœnitentia, dependet a potestate jurisdictionis; ergo licet excommunicatus (si sit non toleratus) privetur potestate, vel potius usu jurisdictionis, nihilominus quodlibet Sacramentum conficit, & administrat valide.

Dixi: *excepto respective Sacramento Pœnitentiæ.* Hoc nanque a Sacerdote excommunicato administratur quandoque valide, quandoque invalide. Valide administratur, si administrans sit excommunicatus toleratus: quia Ecclesia talem non privat usu jurisdictionis, hoc ipso, quod indulget fidelibus communicationem cum illo in recipiendis ab eo Sacramentis. Invalide administratur, si administrans sit excommunicatus non toleratus: tali enim Ecclesia usum jurisdictionis aufert. Quod intellige extra casum necessitatis; nam in casu necessitatis, v.g. in articulo mortis, si deficiat copia alterius Sacerdotis, valide, & licite absolvit infirmum: quia Ecclesia pro tali casu non aufert illi usum jurisdictionis, nec eidem interdicit hujusmodi ministerium, sed magis præcipit, ne alioquin moribundus æternæ damnationis periculum subeat.

165. Quæres, quam pœnam incurrat excommunicatus, si Sacramenta ministret?

Respondetur, quod excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, si illicite ratione ipsius excommunicationis Sacramenta ministret, ad sui valorem exigentia exercitium Ordinis, incurrat irregularitatem. Ita colligitur ex c. 6. & c. *fin. de Cleric. excom. ministr.* Sed contra hoc

Dices. Quando excommunicatus non toleratus, extra casum necessitatis, absolvit pœnitentem, non solum illicite, sed & invalide agit; ergo non incurrit irregularitatem; cum hujus incursio supponat actionem efficacem, seu cum effectu conjunctam, qualis non est absolutio invalida.

Respondetur, neg. cons. Ad rationem probativam ajo, id esse verum regulariter, & in plerisque casibus, non vero in omnibus; uti verum non est in præsenti, utpote in quo irregularitas est de censu illarum pœnarum, quæ imponuntur ob actum attentatum; idque merito, ne alias excommunicatus non toleratus sit melioris conditionis, quam toleratus, quatenus ille, utpote non solum illicite, sed & invalide absolvens, nunquam irregularitatem contraheret; secus iste, ratione absolutionis illicitæ tantum. P. Khamm *de Censur. in specie n.* 34. P. Erhart *pag.* 141. & alii apud ipsos.

Dixi in respons. *illicite vi ipsius excommunicationis.* Nam si excommunicatus licite, vel illicite quidem, sed aliunde, quam vi censuræ, Sacramenta ministret, prædictam irregularitatis pœnam non incurrit: ut omnes fatentur.

Dico secundo. Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, per se loquendo (1.) graviter peccat, dum recipit aliquod Sacramentum; omnia tamen (2.) recipit valide, excepto Sacramento Pœnitentiæ. Est itidem communis DD.

Probatur prima pars. Siquidem ligatus excommunicatione minori peccat recipiendo aliquod Sacramentum per *c.* 59. *de Sent. excom.* ergo etiam, & a fortiori, ligatus excommunicatione majori; cum hæc illius effectus causet; idque in gradu intensiori; multoque plures. Quod autem tale peccatum sit grave, patet: quia militat adversus prohibitionem Ecclesiæ in puncto gravi.

Dixi: *per se loquendo.* Nam & hic a peccato excusat invincibilis ignorantia, periculum mortis &c. ut supra.

Probatur secunda pars. Quia valor Sacramentorum dependet ex institutione Christi, cui Ecclesia præjudicare nequit; ergo si ponantur, quæ ex tali institutione requiruntur, illorum valor subsistit. Sed quando excommunicatus recipit alia Sacramenta, præter Sacramentum Pœnitentiæ, ponuntur omnia, quæ requiruntur ex institutione Christi, videlicet materia, forma, & intentio (ut supponitur) ergo &c. Nec refert, si dicas, non poni dispositionem ex parte suscipientis, quippe scientis (ut supponitur) receptionem cujuslibet Sacramenti graviter sibi interdictam esse. Nam talis dispositio non requiritur ad Sacramenta (si Sacramentum Pœnitentiæ excipias) valide, sed licite tantum, & fructuose, seu cum effectu gratiæ recipienda.

Dixi: *excepto Sacramento Pœnitentiæ.* Hoc quippe excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, invalide recipit, saltem quando est conscius suæ excommunicationis, & Ecclesiasticæ prohibitionis de recipiendo, neque excusatus titulo gravis necessitatis. Ratio est: quia non ponit omnia, quæ ex institutione Christi requiruntur ad valide recipiendum istud Sacramentum. Vel enim recitet in confessione, se accedere excommunicatum? & sic non facit confessionem formaliter integram: vel non reticet? & sic non habet sufficientem dolorem; cum non doleat de hoc ipso peccato, quod committit accedendo in ejusmodi statu. Atqui tam confessio formaliter integra, quam dolor requiruntur ex institutione Christi ad Sacramentum Pœnitentiæ valide recipiendum: prout suo loco videbimus; ergo &c. Ita cum Bonacina, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 16. An autem excommunicatus valide recipiat idem Sacramentum Pœnitentiæ, si bona fide procedat; ut si confiteatur in casu necessitatis, v.g. ad evitandam infamiam, vel cum ignorantia inculpabili suæ excommunicationis, aut prohibitionis Ecclesiasticæ de accedendo ad Sacramentum &c. decidemus infra *n.* 295.

167. Quæres primo, an, qui in excommunicatione illicite recipit aliquod Sacramentum, incurrat aliquam pœnam?

Respondetur, quod (1.) nullam incurrat, nisi (2.) recipiat Sacramentum Ordinis. Ratio primi est: quia nulla illi statuta est in Jure. Ratio secundi est: quia *c.* 32. *de Sent. excom.* suspenditur ab exercitio Ordinis suscepti. Ita cum aliis a se relatis P. Krimer *loc. cit. n.* 1896.

168. Quæres secundo, an, & qualiter Ministri Ecclesiæ teneantur excommunicatis Sacramenta denegare?

Respondetur primo. Excommunicatis toleratis ea denegare non tenentur *(1.)* vi censuræ; bene tamen *(2.)* vi Sacramenti, quando id fieri absque illorum infamatione potest. P. Erhart *loc. & pagin. cit.* Ratio primæ partis est: quia communicatio cum ejusmodi excommunicatis concessa est etiam in sacris: prout ex dictis liquet. Ratio secundæ partis est: quia excommunicati etiam tolerati Sacramenta petendo, & recipiendo peccant; ergo & ministrantes; cum sic cooperentur ad indignam susceptionem Sacramentorum: licet in taliter cooperantes nulla pœna in Jure statuta reperiatur.

Respondetur secundo. Excommunicatis non toleratis tenentur Sacramenta denegare etiam vi censuræ, *c.* 15. & *c.* 18. *de Sent. excom.* Ratio est: quia communicatio cum id genus excommunicatis vetita est. Unde Sacramenta eisdem administrantes mortalis culpæ reatum contrahunt, ac insuper incurrunt excommunicationem minorem (sicut alii cum similibus excommunicatis communicantes) & ingressu Ecclesiæ interdicuntur *cap.* 8. *de Privileg. in* 6. Imo siquis nominatim excommuni-

municato, & denunciato a Pontifice aliquod Sacramentum administret, incurrit excommunicationem majorem Pontifici reservatam, *c.* 18. *de Sent. excom.* & si ministret excommunicato propter hæresim, vel ejus fautoriam, officio privandus est, nec restituendus absque indulto Sedis Apostolicæ, *c.* 13. *de Hæreticis*. P. Krimer *loc. loc. n.* 1897. *& seq.* aliique passim.

§. III.

An, & qualiter excommunicatus privetur Divinis Officiis, ac Ecclesiastica Sepultura?

SUMMARIUM.

169. *&* 170. *Quid hic intelligatur nomine D. Officiorum, & Sepultura Ecclesiastica?* 171. *&* 172. *Cuilibet excommunicato prohibita est communicatio in D. Officiis; & quidem sub mortali culpa, non tamen sub aliqua pœna, regulariter loquendo.* 173. *An, & qualiter peccent, & cui pœna subjaceant, qui cum excommunicato intersunt D. Officiis?* 174. *Quid agendum Sacerdoti sacrificanti, & fidelibus Sacrificio assistentibus, quando præsto est excommunicatus non toleratus?* 175. *Excommunicato non omnis D. Officiorum, & rerum sacrarum usus est vetitus.* 176. *& seqq. Excommunicatus privatur sepultura Ecclesiastica, assignatur peccatum, pœna, & qualitas sepelientium.* 179. *Quid faciendum, quando excommunicatus non toleratus, fuit in loco sacro sepultus?*

169. PRænotandum primo, nomine Divinorum Officiorum hic intelligi. 1. & principaliter Sacrificium Missæ. 2. Horas Canonicas, quatenus publice in Ecclesia recitantur. 3. Processionem, & quamcunque comprecationem publicam. 4. Solemnem benedictionem aquæ benedictæ, candelarum, olei, chrismatis, consecrationem templi, aut altaris; exequias, atque alias ceremonias Ecclesiasticas, quæ solemniter ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, a Ministris ad id ordinatis, peraguntur. Ad Divina Officia reducuntur res sacræ; ut concio, aqua benedicta, imagines &c.

170. Prænotandum secundo, Ecclesiasticam Sepulturam impræsentiarum accipi non tantum materialiter, seu pro loco, in quo cadavera tumulantur, sed etiam formaliter, seu pro actu, & ritu catholico, qui in eorum tumulatione impenditur. Unde in proposito non tantum ille dicitur Ecclesiastica sepultura donati, qui tumulatur in loco sacro, sed etiam, qui tumulatur in profano, adhibitis tamen ceremoniis apud Catholicos consuetis. His prænotatis,

171. Dico primo. Cuilibet excommunicato sive tolerato, sive non tolerato, prohibita est omnis communicatio in Divinis Officiis. Ita communissima, & certa DD. sententia.

Probatur ex *c.* 24. *de Sent. excom. in* 6. (ut alia re, omittam) ubi, dum quædam Divina tempore interdicti, ne indevotio populi excrescat, & Ecclesiis debita obsequia subtrahantur, fidelibus permittuntur, statim subjungitur: *dum tamen excommunicati non fuerint &c.*

Dixi: *excommunicato, sive tolerato, sive non tolerato.* Nam communicatio in Divinis Officiis utrique in *cit. c.* prohibita est. Unde non tantum excommunicatus non toleratus, sed etiam toleratus (nisi hic a fidelibus requiratur) illicite assistit Sacrificio Missæ, Horis Canonicis, Processionibus, & quibuscunque comprecationibus publicis &c. siquidem talis assistentia, ultronee præstita, per se, & directe cederet in favorem excommunicati: quod militat contra mentem Concilii Constantiensis, quippe excommunicatos, licite toleratos, in nullo relevare, nec aliquem eis favorem exhibere intendentis; prout relinquitur ex sæpe dictis. P. Krimer *n.* 1904.

172. Quæres primo, qualiter peccet, & an aliquam pœnam incurrat excommunicatus, dum absque legitima causa Divinis interesse Officiis præsumit?

Respondetur primo, quod peccet graviter. P. Khamm *loc. cit. n.* 46. & alii passim. Ratio est: quia præceptum Ecclesiæ transgreditur in re gravi. Ex quo fluit, excommunicatum esse deobligatum ab auditione Missæ, a publica recitatione Horarum Canonicarum, & aliis Divinis Officiis, ad quæ peragenda alioquin obligaretur: ut notat immediate allegatus Author. Potest tamen, imo tenetur (si antea obligatus fuerit) excommunicatus Horas recitare privatim. Ratio primi est: quia hac tali recitatione non censetur cum aliis fidelibus communicare; adeoque cessat ratio, ob quam publica recitatione supersedere jubetur, quatenus nimirum per eam cum aliis fidelibus communicaret contra prohibitionem Ecclesiæ. Ratio secundi est: quia excommunicatio, utpote pœna quædam, non debet delinquenti conferre favorem, & tollere obligationem moraliter, seu licite præstitu possibilem; ne alias ex suo delicto commodum reportet. Babenstuber *loc. cit. n.* 28. & alii communiter. Ne autem Horas privatim recitans censeatur cum aliis communicare, plures Authores arbitrantur, eum teneri, saltem sub veniali, omittere, *Dominus vobiscum*, & loco hujus dicere, *Domine exaudi orationem meam*: siquidem verba, *Dominus vobiscum*, quippe ad Sacerdotem, vel Diaconum pertinentia, proferret, nomine Ecclesiæ, & ut persona publica: id quod absque communicatione cum fidelibus fieri non posset. Nihilominus etiam oppositum videtur probabile, & docetur a non paucis: siquidem verborum illorum prolatio, absentibus aliis fidelibus, non censetur cum illis communicatio, sed privata pro iisdem oratio: sicut verba initialia Matutini, *Venite, exultemus Domino &c.* nullam censetur continere communicationem cum aliis &c. Communicare tamen excommunicatus judicaretur cum socio, siquem adhiberet in recitatione Horarum Canonicarum: quod proinde illi prohibitum est, *c.* 17. *caus.* 11. *q.* 3. quamvis ejusmodi communicatio, utpote privata, non videatur mortaliter peccaminosa. Imo si excommunicatus sit Episcopus, vel alius Prælatus, aut Dominus, habens Capellanum, vel famulum, quocum ante incursionem excommunicationis Officium Divinum persolvere solitus erat, nullatenus peccat, quando, etiam in statu excommunicationis constitutus, idipsum facit: quia famulus non privatur communicatione sui Domini excommunicati in iis, in quibus ei servire tenebatur ante incursionem excommunicationis, *c.* 101. *caus.* 11. *q.* 3. Neque hæc talis cooperatio famuli computatur inter ministeria Ecclesiastica, sed potius inter corporalia, quæ potest famulus Domino etiam excommunicato præstare, & vicissim Dominus non excommunicatus a famulo excommunicato exigere: prout infra *n.* 202. dicemus. P. Krimer *loc. cit. num.* 1907. *& seq.* aliique apud ipsum.

Respondetur secundo, Excommunicatus interessendo Divinis Officiis regulariter nullam incurrit pœnam. Ita cum Bonacina, Corneio, & aliis P. Khamm *num.* 52. Ratio est: quia nulla contra eum in Jure statuta legitur. Volunt quidem nonnulli apud P. Krimer *num.* 1904. quod incurrat excommunicationem minorem. Sed hoc absque solido fundamento asseritur: siquidem excommunicatio minor non imponitur excommunicato communicanti cum aliis, sed aliis communicantibus cum ipso, si sit excommunicatus non toleratus: prout bene notant Krimer *cit.* Erhart *pag.* 143. & alii passim.

Dixi: *regulariter*, Nam memorati Authores excipiunt duos casus. Primus est, quando Sacerdos excommunicatus procurat, ut coram se Missa celebretur: tunc enim (inquiunt) contrahit irregularitatem. Sed in Juribus, quæ citant, hæc pœna non reperitur. Alter casus est, quando publice excommunicatus assistit Sacrificio Missæ, monitusque, ut exeat ex Ecclesia, non obsequitur, sed exire renuit. Tunc quippe incurrit excommunicationem majorem, Pontifici reservatam. *Clement.* 2. *de Sent. excom.* Eandem excommunicationem incurrit interdictus denunciatus, qui monitus non recedit ab auditione Sacri: imo omnes illi, qui impediunt, ne prædicti post admonitionem recedant: prout iidem Authores deducunt ex *Clement.* 2. *cit.*

173. Quæres secundo, an, & qualiter peccent, ac cui pœnæ subjaceant, qui cum excommunicato intersunt Divinis Officiis?

Respondetur primo. Si intersint (1.) cum excommunicato tolerato, non peccant: peccant vero, & quidem graviter, per se loquendo, si intersint (2.) cum excommunicato non tolerato. Ita cum Salmanticensibus, Redingo, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 28. Ratio primi est: quia fidelibus communicatio cum ex-

com-

communicato tolerato per Concilium Constantiense concessa est in rebus etiam Divinis: quemadmodum constat ex dictis. Ratio secundi est opposita: siquidem communicatio cum excommunicato non tolerato prohibita manet (prout itidem ex dictis liquet) & quidem graviter, saltem in Divinis: veluti tradunt Bonacina *de Censur. disp.* 2, *q.* 2, *pun.* 3. *n.* 9. Concio *disp.* 10. §. 4. *dub.* 4. & alii communiter.

Dixi tamen: *per se loquendo*: nisi scilicet excuset vel ignorantia, vel levitas materiæ, vel quid simile.

Respondetur secundo. Si Divinis Officiis intersint (1.) cum excommunicato tolerato, nullam incurrunt pœnam; si autem intersint (2.) cum excommunicato non tolerato, contrahunt excommunicationem minorem. Ita DD. communiter. Ratio primæ partis fluit ex proxime dictis: quia sic communicantes nullam sibi culpam, adeoque nec pœnam, consciscunt. Ratio secundæ partis est: quia excommunicatio minor statuta est contra communicantes cum excommunicato excommunicatione majori, *c.* 15. *de Sent. excom.* Neque per Concilium Constantiense sublata noscitur relate ad communicationem cum excommunicato non tolerato.

Ubi tamen advertendum, hactenus dicta solum procedere de excommunicati (sive tolerati, sive non tolerati respective) præsentia, & assistentia formali ad Divina Officia cum aliis fidelibus; non item de mere materiali. Unde si excommunicatus ingrediatur Ecclesiam v. gr. dum ibi Divina peraguntur, non eo animo, ut intersit, sed solum, ut transeat, vel privatim, & seorsim oret, nec ipse peccat (consequenter nullius pœnæ reus efficitur) nec alii, qui pergunt interesse; uti nec Sacerdos, aliive Ministri, quando Officium continuant, quamvis excommunicatus sit de classe non toleratorum. Ratio est: quia in tali casu non censentur moraliter communicare cum excommunicato, licet cum ipso existant in eodem templo: neque excommunicatus ullibi arcetur a tali ingressu templi. Unde ejectio excommunicati, cujus executio præcipitur ostiariis in Jure, non est ejectio ab Ecclesia materiali, sed formali, id est, a cœtu, & participatione fidelium. Palao, Bonacina, Salmanticenses, Babenstuber *loc. & n. citt.* Erhart *pag.* 147. aliique passim.

174. Petes, quid agendum Sacerdoti sacrificanti, & fidelibus Sacrificio assistentibus, quando excommunicatus non toleratus ingreditur Ecclesiam, idem cum aliis Sacrum auditurus?

Respondetur, observanda esse sequentia. Monendus est excommunicatus, ut exeat. Si obsequi detrectet, expellendus est, vel etiam exportandus, quamvis sit Clericus: neque vim inferentes metuere habent excommunicationem Canonis; cum licita sit (adeoque & a pœna immunis) defensio Ecclesiasticæ jurisdictionis, & censuræ. Quod si, adhibita etiam vi, templo pelli nequeat, & Sacrum jam sit cœptum, celebrans ab ulteriori celebratione desistere tenetur, quando Canonem necdum inchoavit. Canone autem jam inchoato potest desistere, vel pergere juxta probabilitatem sententiarum. Quando autem jam consecravit, tenetur Sacrificium perficere usque ad sumptionem calicis inclusive; cum integritas Sacrificii, utpote de Jure Divino, prævaleat Juri Ecclesiastico. Ubi excommunicatus denuo monendus est, ut abeat. Si abire itidem renuat, Sacerdos recedere debet, & ea, quæ de Sacro restant, absolvere in Sacristia, vel alio loco decenti, *c.* 20. *de Sent. excom. in* 6. *& Clement.* 2. *eod. tit.* secus faciendo, præter peccatum mortale, & excommunicationem minorem, incurreret pœnam interdicti, vi cujus arceretur ab ingressu Ecclesiæ. Porro fideles Missæ assistentes, cum excommunicatus templo exire renuit, vel expelli nequit, obligantur abire, quando Sacerdos ex præfata causa in celebrando pergit; alias cum excommunicato in Sacrificio communicarent: quod sub reatu lethalis culpæ, & pœna minoris excommunicationis vetitum est; ut sæpe dictum. Avila, Bonacina, Laymann, Krimer *n.* 1905. Babenstuber *n.* 28. & alii communiter.

Colliges, excommunicato, etiam non tolerato, non omnem Officiorum Divinorum, & rerum sacrarum usum interdictum esse. Nam 1. potest (imo tenetur, ex dictis *n.* 172.) privatim persolvere pensum Canonicum. 2. Potest solus ingredi templum, quando Divina Officia non celebrantur, ibique preces privatas fundere seorsim, etiamsi contingat, alios quoque fideles existere in eodem templo, dummodo & ipsi privatim orent, & non cum simili excommunicato: quia orationes sic separatim fusæ non conjunguntur, nec adipiscuntur modum, & rationem unius orationis, ob solam præsentiam personalem orantium. Secus dicendum foret, si excommunicatus oraret cum aliis fidelibus, aut vicissim. 3. Potest excommunicatus, more laicorum, benedicere mensæ, munire se signo crucis, adorare Eucharistiam, imo ex probabili sententia eandem comitari, quando defertur ad infirmos absque recitatione Psalmorum &c. Item potest uti sacris Reliquiis, imaginibus, aqua benedicta, & aliis Sacramentalibus; nam licet aqua benedicta v. g. aliaque id genus Sacramentalia habeant ab Ecclesia benedictionem; potest tamen excommunicatus illis uti tanquam persona privata, non ut participet fructum, eis correspondentem ex benedictione Ecclesiæ (sic enim utendo peccaret) sed in quantum deserviunt privatæ devotioni, v. g. ut inde excitetur ad actum pœnitentiæ eliciendum &c. 4. Potest in principio concionis, aut sub pulsu Angelicæ salutationis inter alios genuflexus privatim orare. 5. Potest coram imagine, cui indulgentiæ sunt concessæ, preces fundere, non quidem animo, ut lucretur indulgentias (cum hoc ei sit prohibitum) sed ut illi reverentiam exhibeat, bonum aliquod impetraturus. 6. Potest interesse concioni: tum quia tunc excommunicatus non communicat cum aliis auditoribus, neque isti cum ipso, quoniam unusquisque ex illis seorsim audit: tum quia concio ordinatur ad resipiscentiam, & emendationem excommunicati; cujus proinde auditio eidem permissa est, *arg. c.* 43. *de Sent. excomm.* Imo 7. potest excommunicatus (toleratus) concionari, quando a fidelibus ad id invitatur; quemadmodum fluit ex sæpe dictis. Krimer *loc. cit. n.* 1913. Khamm *n.* 68. & alii ab ipsis relati.

176. Dico secundo. Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, privatur sepultura Ecclesiastica, adeo, ut neuter jus aliquod ad eam habeat, nisi prius a censura vel adhuc in vita, vel post mortem absolvatur. Ita denuo communis, & certa DD. sententia.

Probatur ex *c.* 12. *de Sepultur.* ibi: *Sacris est Canonibus institutum, ut, quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis: ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.* Ex quo liquet, excommunicato, sive tolerato, sive non tolerato, nullum competere jus ad sepulturam Ecclesiasticam, nisi prius a censura absolvatur: esto toleratus (secus dicendum de non tolerato) qui decessit, editis ante mortem signis pœnitentiæ, sepultura Ecclesiastica donari possit a fidelibus, etiamsi a censura non sit absolutus: quia enim poterant cum taliter excommunicato communicare ante mortem, poterunt & post mortem. Herincx *loc. cit. n.* 33. & alii passim. Quamvis (ut notant Salmanticenses apud P. Babenstuber *loc. cit. n.* 41. *prope fin.*) convenientius sit, si absolvatur, antequam sepeliatur; idque tum ob reverentiam censuræ: tum ut tollatur omnis dubitatio, an illi, sine absolutione sepulto, Ecclesiæ suffragia prosint. Quod si excommunicatus, licet toleratus, impœnitens decesserit, non videtur honorandus Ecclesiastica sepultura; cum enim a Regno Dei sit, vel præsumatur exclusus, erit incapax suffragiorum Ecclesiæ, propter quorum participationem fidelibus Ecclesiastica sepultura impertitur, Laymann *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 9. Excommunicatus porro non toleratus, si ante mortem signa pœnitentiæ dederit, vel adhuc in vita, vel saltem post obitum vinculo excommunicationis eximendus, & absolvendus est, ut Ecclesiastice sepeliri valeat: quandiu enim eo vinculo innodatus manet (utut pœnitens decesserit) non potest in ullo loco sacro (adeoque nec cœmeterio, nec in templo, nec in ambitu templi &c.) tumulari; imo, saltem probabilius, nec in loco profano cum consuetis Ecclesiæ ceremoniis; quoniam & hæc tumulatio tali ritu peracta rationem sepulturæ Ecclesiasticæ obtinet: uti tradunt Gibalinus *disquis.* 7. *q.* 2. *n.* 31. Krimer *n.* 1919. & alii contra alios, volentes, sepulturam in loco profano factam, etiam cum consuetis Ecclesiæ ceremoniis, non esse Ecclesiasticam, prout hæc prohibetur in *c.* 2. *de Hæreticis in* 6. Sed contra est, quod id solummodo verum sit loquendo de actu Ecclesiastice sepeliendi, secundum omnia inclusa in illo; non autem secundum ali-

qua,

qua, secundum quæ proinde etiam tumulatio in loco profano, cum consuetis tamen Ecclesiæ ceremoniis facta, potest, & debet dici sepultura Ecclesiastica, in *cit. cap.* excommunicatis denegata. P. Krimer *cit.*

177. Quæres, quantum peccent, & quam pœnam incurrant, qui excommunicatum non toleratum Ecclesiastice sepeliunt?

Respondetur primo, quod mortaliter peccent, sive dein illum sepellant in loco sacro, sive in profano, cum consuetis tamen Ecclesiæ ceremoniis. Ita P. Krimer *n.* 1916. *&* 1923. aliique. Ratio est: quia sive in uno, sive in altero loco sepeliatur, Ecclesiastice sepelitur, quando adhibetur pompa funebris inter Catholicos consueta; prout relinquitur ex dictis: sed excommunicatum non toleratum Ecclesiastice sepelire est fidelibus graviter prohibitum per *cit. cap.* 2. *de Hæreticis in 6.* & *cap.* 12. *de Sepultur.* & prohibitum manet etiam post Constitutionem Concilii Constantiensis; ergo &c.

Respondetur secundo. Qui excommunicatum non toleratum Ecclesiastice sepeliunt (1.) in loco sacro, feriuntur excommunicatione majori; quam tamen pœnam probabilius non incurrunt, qui illum Ecclesiastice, seu cum solùis Ecclesiæ ceremoniis, sepeliunt (2.) in loco profano. Prima pars continetur in *Clement.* 1. *de Sepultur.* Et licet ea excommunicatio non sit reservata juxta Gabilinum, Krimer, & alios; absolvi tamen, seu tolli non potest (subintellige: saltem licite) nisi prius præstita satisfactione ad arbitrium Episcopi, Erhart *pag.* 149. & alii. Excommunicationem tamen minorem ita sepelientes non videntur incurrere. Nam licet revera censeantur communicare cum excommunicato non tolerato, qualis communicatio sub pœna excommunicationis minoris alias prohibita est; quia tamen puniuntur excommunicatione majori in *cit. Clement.* videtur in hoc casu per eandem *Clement.* excommunicatio minor commutata in majorem: nec ulla ratio, vel authoritas suadet oppositum; cum odia restringi oporteat. Suarez *disp.* 12. *de Censur. sect.* 2. *n.* 13. Palao *disp.* 2. *pun.* 6. *n.* 16. Bonacina, Gibalinus, & alii contra Filliucium, Navarrum &c. Ratio secundæ partis est: quia hoc modo, seu in loco profano Ecclesiastice sepelientes, esto secundum dicta & ipsi graviter delinquant, non tamen censentur violare Constitutionem *Clement. cit.* utpote quæ, dum illam pœnam imponit, solum loquitur de sepelientibus in *cœmeterio*, adeoque in loco sacro: cumque ea Constitutio odiosa sit, & pœnalis, non extendi, sed restringi debet. Leander *disp.* 8. *q.* 12. Krimer *n.* 1923. & alii plures. Incurrunt ergo ita sepelientes, præter reatum mortalis culpæ, excommunicationem minorem tantum, quatenus cum excommunicato non tolerato communicant.

178. Porro nomine sepelientium veniunt non tantum illi, qui corpus in sepulturam immittunt, & terra cooperiunt; sed probabilius etiam illi, quorum authoritate, vel jussu corpus terræ mandatur. Andreas a Matre Dei, Filliucius, Salmanticenses, Erhart *pag.* 150. Babenstuber *loc. cit. num.* 42. Ratio est: nam qui opera manuum cadaver in tumulum demittunt, terraque obruunt, plerumque sunt homines rudes, ac censuræ ignari; & consequenter si Constitutio, censuræ illativa, non extenderetur ad mandantes, & procurantes sepelitionem, pene inutilis, & effectu cassa redderetur. Hinc mirandum non est (inquit P. Erhart *cit.*) quod in proposito fiat extensio ad casum sub proprietate verborum non comprehensum. E diverso non veniunt nomine sepelientium, qui corpus defuncti lavant, funus comitantur, vel portant, sepulchrum fodiunt &c. quamvis & isti graviter peccent, atque excommunicationem minorem incurrant, propter communicationem, eamque publicam, & graviter scandalosam, cum excommunicato non tolerato. Authores *cit.*

179. Petes, quid faciendum, quando excommunicatus non toleratus, qui impœnitens, & sine absolutione decessit, fuit sepultus in loco sacro?

Respondetur. Si ejus ossa ab ossibus aliorum fidelium ibidem tumulatorum discerni valeant, exhumanda, & foras procul a sepulchro projicienda sunt, *cit. cap.* 12. *de Sepult.* Si vero discerni nequeant, non debent exhumari cum aliorum fidelium ossibus, sed una cum istis in tumulo relinqui: siquidem minus malum est, ossa excommunicati in loco sacro manere, quam ossa fidelium inde ejici, *cap.* 12. *cit.* In utroque autem casu Ecclesia, vel cœmeterium polluitur, & reconciliari debet, antequam ibidem Divina celebrentur, aut aliorum fidelium corpora tumulentur; eo tamen discrimine, ut polluta Ecclesia censeatur etiam pollutum cœmeterium, quod est illi accessorium, illaque reconciliata censeatur reconciliatum & istud, non e contra, *cap.* 7. *de Consec. Eccles. vel altar.* & *cap. unic. eod. tit. in 6.* Salmanticenses, Khamm *loc. cit. n.* 79. Babenstuber *n.* 41. Imo si excommunicatus non toleratus, qui in loco sacro tumulatus fuit, exstiterit hæreticus, is, qui tumulavit, propriis manibus eundem extumulare debet (supposito, quod ejus ossa ab aliorum ossibus discerni queant) & locus, in quo tumulatus fuit, inexpiabilis manet, ita ut rationem sepulturæ Ecclesiasticæ recuperare amplius non valeat, juxta *cap.* 2. *de Hæreticis in 6.* Quod intellige *de loco adæquate cadaveri*. Nam reliqua Ecclesia v. g. potest expiari, ut in ea fidelium corpora sepeliri possint. Ita cum Bonacina, & aliis P. Krimer *n.* 1926.

Quod si ejusmodi excommunicatus pœnitens decesserit, & ante tumulationem (quemadmodum tamen fieri debuisset) beneficio absolutionis donatus non fuerit, non est idcirco exhumandus (quamvis ejus cadaver ab aliorum ossibus discerni valeat) sed adhuc (sepulchro virga percusso) absolvendus, postquam hæredes id petiverint. Henncx *n.* 34. & alii passim.

§. IV.

An, & qualiter excommunicatus privetur Beneficiis Ecclesiasticis, eorumque fructibus?

SUMMARIUM.

180. *Excommunicatus est incapax Beneficii acquirendi; neque quoad hoc eidem suffragatur ignorantia invincibilis de excommunicatione contracta, vel nondum sublata.* 181. *Diluitur argumentum oppositum.* 182. *An collatio Beneficii, excommunicato in actuali statu excommunicationis facta, sit ipso facto irrita?* 183. *Quid de acceptatione Beneficii?* 184. *Quantum peccet, & quam pœnam incurrat, qui confert Beneficium excommunicato?* 185. *Quomodo se gerere debeat excommunicatus ante, vel post collationem Beneficii?* 186. *An excommunicatus etiam sit inhabilis ad recipiendas pensiones?* 187. *Beneficiarius excommunicatus privatur omnibus fructibus sui Beneficii.* 188. *Proponitur, & solvitur objectio.* 189. *Præfata tamen fructuum privatio ab excommunicato non incurritur ipso facto, & ante sententiam Judicis: dummodo idem excommunicatus officium Beneficio annexum exerceat per seipsum, vel per alium.*

180. Dico primo. Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus (1.) est incapax Beneficii Ecclesiastici acquirendi: neque eidem quoad hoc (2.) suffragatur ignorantia invincibilis de excommunicatione contracta, vel nondum sublata. Prima pars est communissima, saltem de excommunicato non tolerato. Secundam tenent Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. Gibalinus *disquis.* 7. *quæst.* 7. *num.* 7. & alii quam plurimi.

Probatur prima pars; imo decisa extat in *cap.* 7. *de Cleric. excom. ministr.* ibi: *quod cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt; nec illi valent ea retinere licite, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum; cum ea non fuerint canonice consecuti.* Neque in hoc excommunicatus toleratus melioris esse conditionis censetur (quidquid contra sentiat P. Krimer, cujus argumentum infra refutabimus) quia enim consecutio Beneficii directe concernit favorem Beneficiarii, qualem favorem Concilium Constantiense excommunicato, etsi tolerato, conferre non intendit, ut sæpe diximus; hinc is, sicut vi Juris *cit.* æque est incapax Beneficii, ac excommunicatus non toleratus, ita incapax manet.

Probatur secunda pars. Nam licet ignorantia invincibilis excuset a culpa, & censura contrahenda: hanc tamen semel contractam non tollit; ergo nec tollit inhabilitatem ad Beneficium, quam censura inducit: consequenter &c.

Dixi in conclus. *acquirendi*. Siquidem excommunicatus non privatur Beneficio ante incursionem excommuni-

municationis legitime obtento, & possesso: quoniam hoc ex nullo Jure constat; quin potius in *cap. 53. de Appellat.* supponitur, excommunicatum manere dominum Beneficii, solisque privari fructibus, seu proventibus. Sanct-Gallenses *tom.7. tr.4. sect.2. q.3. conclus.5.* & alii communiter.

181. Objicies contra primam partem conclus. Concilium Constantiense concessit fidelibus potestatem communicandi cum excommunicatis toleratis; ergo & impertiendi Beneficium; ergo prima pars conclus. relate ad excommunicatos toleratos non tenet.

Confirmatur. Ideo per *cit. cap.7. de Cleric. excomm. ministr.* non potest excommunicatus Beneficium recipere; quia nequit in officio cum aliis communicare: sed hoc non est verum de excommunicato tolerato; ergo &c.

Respondetur ad object. dist. primum cons. Concessit potestatem Beneficium impertiendi, quantum est ex parte impertientis, seu conferentis, con. quantum est ex parte recipientis, neg. hanc, & alteram cons. Itaque conferens Beneficium haud quidem peccat contra prohibitionem Juris communis de non communicando cum excommunicatis toleratis in collatione Beneficiorum; & consequenter non incurrit pœnas contra Beneficium conferentes eo Jure statutas; cum illa prohibitio per Concilium Constantiense relaxata sit: peccat tamen contra Jus Divinum, vetans, ne Beneficia conferantur inhabilibus, atque indignis, quales, etiam post Concilium Constantiense, sunt, & manent excommunicati, licet tolerati; ut dictum. Neque concesso uno relativo, puta collatione, conceditur & aliud, puta receptio Beneficii, quando non militat æqualis ratio in utroque, uti non militat impræsentiarum, veluti ex dictis constat. Unde licet vi Juris Ecclesiastici, secundum se, & præcise spectari, collatio Beneficii relate ad excommunicatum toleratum non amplius sit prohibita; prohibita tamen, & irritata manet receptio Beneficii.

Ad confirmat. neg. min. Quia etiam excommunicato tolerato non est licitum in officio cum aliis communicare directe, & pro libitu, qualiter causalis illa accipienda venit; sed indirecte solum, & quando alii cum ipso communicare volunt.

182. Quæres primo, an collatio Beneficii, excommunicato in actuali statu excommunicationis facta, sit ipso facto irrita?

Respondetur affirmative. Colligitur ex *cap.7. de Clerico excom. ministr.* supra allegato. Ratio insuper suffragatur: quia Beneficium datur propter officium; adeoque supponit in eo, cui datur, capacitatem exercendi actus officio connexos: qui excommunicatus non habet ejusmodi capacitatem; cum eidem adempta sit facultas communicandi cum fidelibus, sine qua nullum officium, aut munus Ecclesiasticum exerceri valet; ergo &c. Quod dictum de collatione Beneficii, ob identitatem rationis etiam intelligendum venit de præsentatione, electione, institutione, confirmatione, impetratione literarum Apostolicarum ad Beneficia vacatura. Layman *loc. cit. cap. 2. num. 7.* Herincx *n. 39.* & alii passim.

183. Sed quid de acceptatione Beneficii? Ad hoc

Respondetur primo. Quando excommunicatus obtinuit Beneficium durante excommunicatione, illud invalide acceptat, etiamsi, dum acceptat, ab excommunicatione jam sit absolutns. Gibalinus *disquis.7. n. 32.* Bonacina, Leander, & alii passim. Ratio est: quia acceptatio valida supponit collationem validam: sed collatio Beneficii in casu non fuit valida; prout relinquitur ex dictis; ergo &c. Quare nova opus est collatione Beneficii, ut valide accepterur.

Respondetur secundo. Neque excommunicatus valide acceptat Beneficium sibi collatum ante incursionem excommunicationis, quando illud acceptat, dum est excommunicatione ligatus. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Layman *loc.cit.* 11. Babenstuber *n.33.* Bockn *num. 22.* & alii contra Franciscum Schmier; Khamm, Erhart &c. Ratio est: quia excommunicatus, dum excommunicatione ligatus est, nullum valet acquirere jus in Beneficio Ecclesiastico: sed si acceptatio in casu posito valeret, acquireret jus in Beneficio Ecclesiastico; ergo &c. Majorem Adversarii admittunt. Min. evincitur ex *c.17. de Prebend. in 6.* ibi: *Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur Beneficium, licet per collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipso Beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras &c.* Ubi, quemadmodum vides, aperte supponitur, per collationis ratihabitionem, seu acceptationem (ut ibidem Glossa loquitur) acquiri jus in Beneficio: consequenter &c.

Dices. Acceptatio nihil est aliud, ac declaratio propriæ voluntatis, quam excommunicatus habeat circa Beneficium sibi collatum: atqui excommunicatus potest suam voluntatem sic declarare; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Acceptatio nihil est aliud, ac declaratio propriæ voluntatis &c. efficacis, transf. inefficacis, neg. maj. Sed excommunicatus in casu potest declarare suam voluntatem efficacem, neg. min. inefficacem, con. min. & neg. cons. Excommunicatus, quandiu excommunicatio durat, non potest habere, adeoque nec declarare, voluntatem efficacem circa collatum sibi Beneficium, & acquirendum in eo jus: quod tamen requireretur, ut illud valide acceptaret.

148. Quæres secundo, quantum peccet, & quam pœnam incurrat, qui confert (idem cogita de præsentante, eligente &c.) Beneficium excommunicato?

Respondetur primo, quod peccet mortaliter, sive dein illud conferat excommunicato tolerato, sive non tolerato. Ita cum Rebuffo, Filliucio, & aliis P. Khamm *n.115.* Ratio est: quia sive uni, sive alteri conferat, violat Jus Divinum, quo graviter vetatur, ne Beneficium conferatur indigno. Imo si Beneficium conferat excommunicato non tolerato (secus si conferat tolerato) peccat insuper contra Jus Ecclesiasticum, vi cujus communicatio cum tali excommunicato, qualis in collatione Beneficii necessario intervenit, graviter interdicta est; ut patet ex sæpe dictis. Revideantur, quæ habentur *n.181. in respons. ad object.*

Respondetur secundo. Conferens Beneficium excommunicato tolerato, nullam incurrit pœnam; quia, ut dictum, non peccat contra Jus Ecclesiasticum, pœnæ illativum: at conferens excommunicato non tolerato, incurrit excommunicationem minorem; quia cum tali excommunicato communicat, quod ab Ecclesia sub reatu excommunicationis minoris vetitum est. Contrahit præterea ipso facto pœnam triennalis suspensionis a collatione illius Beneficii, quod taliter excommunicato scienter contulit, *cap. 7. de Election.* a collatione vero aliorum Beneficiorum non suspenditur ipso facto, sed suspendi debet, *cap. 7. de Cleric. excommun. ministr.* Dixi: *scienter*, propter illa verba: *Qui scienter &c.* in *cap.7.* immediate allegato, P. Khamm *n. cit.* & alii apud ipsum.

185. Quæres tertio, quomodo se gerere debeat excommunicatus ante, vel post collationem Beneficii?

Respondetur primo. Ante collationem Beneficii se honesto titulo excuset, si possit, ut sic collationem sibi intentatam eludat. Quod si id non possit, sed timeat manifestationem excommunicationis (occultæ, ut supponitur) adeoque impendeat periculum scandali, aut infamiæ, acceptet Beneficium cum intentione dispensationem (quæ æquivalebit legitimæ collationi) quamprimum petendi a S. Pœnitentiaria, quando Beneficii collatio ad Sedem Apostolicam spectat; vel ab Ordinario, si collatio ad istum pertineat. Ita colligitur ex *cap.7. cit. de Cleric. excom. ministr.* P. Erhart *pag. 115.* & alii communiter. Porro impetrata dispensatione requiritur nova acceptatio; eo quod prior fuerit invalida, secundum doctrinam traditam *n.183.*

Respondetur secundo. Post collationem Beneficii jam factam procurare debet absolutionem a censura, & Beneficium resignare in manus Collatoris, quando ad ipsum adhuc pertinet idem Beneficium conferre, vel alterius, qui Collatori in potestate conferendi successit, petita nova collatione; nam præcedens erat invalida, & vi provisionis canonicæ destituta. Oportet autem, ut resignatio simpliciter fiat; nec sufficit, si tantum fiat causa permutationis, aut absolute in favorem tertii. Krimer *loc. cit. num. 1945.* & alii communiter.

186. Quæres quarto, an inhabilitas, qua excommunicatus gravatur in ordine ad recipienda Beneficia, se etiam porrigat ad recipiendas pensiones?

Antequam respondeatur, præsciendum, pensionem (quantum attinet ad propositum) esse triplicem; videlicet

licet *mere spiritualem*, seu Clericalem, *mere temporalem*, seu laicam, *& mixtam*. Prima est; quæ fundatur in titulo spirituali, solerque conferri ob spirituale ministerium, v. g. Coadjutori Episcopi, Cooperatori Parochi, Concionatori &c. Secunda est, quæ fundatur io titulo temporali, & confertur propter obsequium aliquod temporale, v. g. filiis propter egregiam operam a parentibus in bello præstitam. Tertia est, quæ quidem non confertur propter ministerium spirituale; in eo tamen, cui confertur, statum Clericalem supponit, daturque ut plurimum loco Beneficii, v. g. Clerico resignanti, permutanti, lite cedenti, sustentationem sufficientem non habenti. Nunc ad quæstionem

Respondetur. Excommunicatus est incapax (1.) pensionis mere spiritualis; non item (2.) mere temporalis, & probabiliter (3.) nec mixtæ. Laymao *loc. cit. n.* 8. Erhart *pag.* 156. Babenstuber *n.* 31. & alii. Ratio primi est: quia pensio mere spiritualis non minus, ac Beneficium Ecclesiasticum, datur propter spirituale officium; ergo sicut excommunicatus est incapax Beneficii Ecclesiastici, quia ooo potest præstare officium, ita & incapax erit pensionis mere spiritualis. Ratio secundi, & tertii est: quia nec peosio mere temporalis, nec mixta datur propter obsequium, vel officium, quod præstare nequeat excommunicatus.

187. Dico secundo. Beneficiarius excommunicatus, sive toleratos, sive non toleratus, privatur omnibus fructibus sui Beneficii. Ita communissima DD.

Probatur ex *cap.* 53. *de Appellat.* ibi: *Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*: sed Beneficiario excommooicato, sive tolerato, sive non tolerato, Ecclesiæ communio denegatur; ergo &c. Quamvis igitur excommunicatus non privetur suo Beneficio ante incursionem excommunicationis legitime obtento, & possesso, secundum dicta *n.* 180. privatur tamen ejusdem fructibus, & proventibus, durationi excommunicationis correspondentibus.

188. Objicies. Si Beneficiarius privaretur fructibus sui Beneficii, non teneretur privatim recitare Horas Canonicas: sequela pugnat cum dictis *num.* 172. ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Siquidem propria culpa privatur fructibus Beneficii: consequenter a dicto onere oon eximitur, cum & titulus Beneficii adhuc perseveret, & damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi imputare debeat, juxta *Reg.* 86. *de Reg. Jur. in* 6. Unde hic locum non habet altera *Regula* 55. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & e contra.*

189. Quæres, an Beneficiarius excommunicatus privetur fructibus Beneficii ipso facto, & ante sententiam Judicis?

Respondetur negative: dummodo officium Beneficio annexum exerceat per seipsum, vel per alium. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 51. *n.* 12. Layman *loc. cit. n.* 9. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 39. & alii communius, ac probabilius, contra Suarez, Filliucium, & alios. Ratio est: quia pœna adeo gravis, qualis est privatio fructuum beneficialium, non est asserenda, nisi exprimatur in aliquo Jure: sed prædicta privatio, ut incurrenda ipso facto, in nullo Jure exprimitur; ergo &c. Maj. est decaorata. Min. prob. Nam si exprimeretur in aliquo Jure, hoc esset *cit. cap.* 53. *de Appellat.* ut voluot Adversarii; sed ibi non exprimitur; ergo &c. Min. ostenditur: siquidem verbum *subtrahuntur*, potius dicit actionem a Judice ponendam, quam inhabilitatem ipso facto contrahendam. Confirmatur efficaciter. Pontifex ibi directe respondit interrogationi sibi factæ: at interrogatio erat: *utrum si quis post Excommunicationis sententiam appellasset, possit Judex denunciare eundem, & ad tempus beneficiis Ecclesiasticis Clericum spoliare*? ergo responsio erat, quod possit eum spoliare, non autem, quod de facto spoliatus maneat, cum de hoc Pontifex non fuerit interrogatus.

Dixi tamen: *dummodo per seipsum, vel per alium exerceat officium Beneficio annexum*. Nam si istud nec uno, nec altero modo exerceat, ex naturali obligationi, adeoque ante sententiam Judicis, tenetur ad restitutionem fructuum, ratione officii perceptorum; utpote qui noo datur oisi propter officium.

Dices contra respons. primo. In *cit. cap.* 53. *de Appellat.* Pontifex comparat subtractionem fructuum cum privatione communicationis: sed hanc excommunicatus incurrit ipso facto; ergo & illam.

Respondetur, oeg. maj. Non enim ait Pontifex, subtractionem fructuum eo modo incurri, quo incurritur privatio communicationis; sed istam esse causam illius, quatenus qui sua culpa factus est inhabilis ad communicandum cum Ecclesia, seu fungendum officio Ecclesiastico, meretur etiam privari fructibus, qui propter officium dantur.

Dices secundo. Beneficium, ejusdemque fructus dantur propter officium, sicut merces propter opus; ergo cum excommunicatus noo possit facere officium (quando hoc petit communicationem cum aliis) nec poterit recipere fructus Beneficii: consequenter &c.

Respondetur, neg. suppositum cons. quod excommunicatus simpliciter ooo possit facere officium: potest enim hoc facere valide, quod sufficit, ut fructus Beneficii percipere possit.

§. V.

An, & qualiter excommunicatus privetur usu jurisdictionis?

SUMMARIUM.

190. *Excommunicatus privatur usu jurisdictionis Ecclesiasticæ.* 191. *An actus talis jurisdictionis valide, vel invalide exerceat?* 192. *Excommunicatus etiam privatur usu jurisdictionis secularis.* 193. *An sic privatus agat invalide?*

190. Dico primo. Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, privatur usu jurisdictionis Ecclesiasticæ tam inquam externæ, ita, ut neuter, per se loquendo, actum aliquem, a simili jurisdictione proficiscentem, exercere possit, saltem licite. Ita DD. communissime, & habetur in *can.* 4. *caus.* 24. *q.* 1. *c.* 24. *de Sent. & re judic.* ac alibi.

Probatur præterea conclus. in hunc modum. Præcisi a corpore Ecclesiæ ooo possunt, per se loquendo, exercere, saltem licite, ea, quæ intra corpus Ecclesiæ, ejusque nomine geruntur: sed excommuoicatus, sive toleratus, sive non toleratus, est præcisus a corpore Ecclesiæ; ergo &c.

Confirmatur. Excommunicato, sive tolerato, sive oon tolerato, omnis communicatio cum aliis fidelibus prohibita est; ergo & exercitium jurisdictionis in eos, utpote quod est præcipua portio illius communicationis.

Dixi 1. conclus. *tam in-quam externa*. Ea quippe privatio tam ad jurisdictionem fori interni, & pœnitentialis, quam externi, & contentiosi extenditur a Præposito *de Excom. q.* 2. *dub.* 11. Reginaldo *lib.* 32. *c.* 5. *n.* 27. & aliis passim: idque merito: tum quia Jura interdum loquuntur absolute, & simpliciter: tum quia ratio, propter quam excommuoicato adimitur usus jurisdictionis, non sumitur ex speciali natura actus judicialis externi, & contentiosi, sed ex natura suspensionis ab Officio, & Beneficio, quam excommunicatus incurrit, & quæ est eadem respectu usus cujusvis jurisdictionis.

Dixi 2. *ut neuter actum aliquem, a simili jurisdictione proficiscente, exercere possit, saltem licite.* Nam ejusmodi exercitium in *cit.* Juribus utrique excommunicato prohibitum est, & quidem sub mortali culpa ex genere suo: quamvis levitas materiæ eam ad venialem extenuare posset; ut si excommunicatus concederet licentiam io re parvi momenti. Filliucius *tr.* 12. *cap.* 6. *n.* 143. & alii communiter. Unum tamen discrimen, jam sæpe inculcatum, etiam hic notandum venit inter excommunicatum toleratum, & non toleratum. Nam licet toleratus graviter peccet *per se loquendo* (quos terminos in conclus. studio addidi) & quando se ultro, & irrequisitus ingerit actibus jurisdictionis; non tamen peccat loquendo per accidens, & quando id facit requisitus a fidelibus, utpote in quorum favorem illi usus jurisdictionis, a Jure communi ademptus, per Concilium Constantiense restitutus est, etiam io ordine ad licite agendum io tali casu: sicut enim fideles cum ejusmodi excommunicato licite communicant, ab eoque licite

cite petunt, ut fungatur suo officio in favorem ipsorum, ita idem licite fungitur; adeoque licite exercet suam jurisdictionem. E diverso excommunicatus non toleratus exercendo actum jurisdictionis graviter delinquit, sive dein id faciat requisitus: quia usus jurisdictionis illi ademptus manet etiam post altefatum Concilium: unde & fideles eum desuper requirentes graviter peccarent: prout relinquitur ex dictis.

191. Quæres, an excommunicatus saltem valide actus jurisdictionis Ecclesiasticæ exerceat?

Respondetur primo. Excommunicatus toleratus, nisi contra ipsum fiat exceptio, illos valide exercet. Coninck *disp.* 14. *num.* 89. Sanct-Gallenses *loc. cit.* & alii communiter. Ratio est: quia Ecclesia, cum post Concilium Constantiense talem excommunicatum toleret, fidelibusque permittat communicare cum ipso in humanis, & Divinis, censetur consequenter illi concedere, seu non auferre usum jurisdictionis in ordine ad eam communicationem: sed usu jurisdictionis præditus valide exercet actus talis jurisdictionis; ergo &c. Confirmatur. Jure antiquo Judex, qui erat excommunicatus occultus, retinebat usum jurisdictionis, quousque per exceptionem elideretur, *c.* 12. *de Except.* sed post Concilium Constantiense, & Jure novo excommunicatus toleratus perinde se habet, ac se habebat excommunicatus occultus Jure antiquo; ergo &c. Accedit, quod Concilium Constantiense intendat avertere plura incommoda, & pericula animarum, quæ non averterentur, si gesta per Judicem v. g. excommunicatum in Ecclesia publice toleratum irrita forent. Proceditque nostra responsio etiam in casu, quo excommunicatus toleratus a fidelibus non requiritur: siquidem Ecclesia etiam tali casu censetur illi usum jurisdictionis relinquere in ordine ad valide agendum; eo quod valor actorum ab ipso ex intentione Ecclesiæ cedat directe in favorem, & utilitatem fidelium, saltem in communi, ad tollendas multas anxietates. Licet igitur excommunicatus toleratus graviter peccet, si se ultro ingerat exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ, nihilominus & tali casu valide agit. Krimer *loc. cit. n.* 193. & alii ab ipso relati.

Dixi tamen in respons. *nisi contra ipsum fiat exceptio*, ad elidendum scilicet actum jurisdictionis; qua exceptione proposita, excommunicatus cessare debet: at excipiens tenetur excommunicationis speciem, & ejus Authorem manifeste probare intra octiduum; quod si non præstet, exceptio nihil operatur, *c.* 1. *de Except. in* 6. Ex quibus patet, excommunicatum toleratum valide exercere munus Episcopi, conferendo v. g. Beneficium; Legislatoris, ferendo legem, censuram &c. Judicis, judicando causam, decidendo litem &c. Parochi, & Confessarii, absolvendo, dispensando &c. Electoris, dando suffragium in electione &c. si nulla fiat contra ipsum exceptio; secus, si a fidelibus exceptio opponatur, ut supra.

Respondetur secundo. Excommunicatus non toleratus invalide exercet quoscunque actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, licet contra ipsum non excipiatur. Saytus *de Censur. lib.* 2. *c.* 6. & alii communiter. Ratio est: quia Ecclesia talem privat usu jurisdictionis, *canon.* 4. *caus.* 24. *q.* 1. & *cap.* 24. *de Sent. & re judic.* supra relatis: sed privatus usu jurisdictionis, invalide exercet actus talis jurisdictionis; ut de se patet; ergo &c. Ex quo fluit, excommunicatum non toleratum invalide exercere munus Episcopi quoad collationem Beneficii, præsentationem &c. Legislatoris quoad statuitionem legis, illationem censuræ &c. Parochi, & Confessarii quoad absolutionem (extra casum necessitatis) dispensationem &c. Electoris quoad dationem suffragii in electione &c. Excipitur electio S. Pontificis: hæc enim valida esset, etiamsi per excommunicatos non toleratos facta esset: quemadmodum constat ex *Clement. c.* 2. *de Elect.* & ratio est, ut evitentur pericula schismatum, & aliorum incommodorum, quæ alias in Ecclesia oriri possent.

192. Dico secundo. Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, privatur etiam usu jurisdictionis secularis, ita ut, per se loquendo, nullum actum talis jurisdictionis absque peccato exercere possit. Communissima DD.

Probatur hæc conclusio ratione adducta ad probandam conclusionem præcedentem: quia utrique excommunicato vetita est quæcunque communicatio cum aliis fidelibus; ergo etiam usus jurisdictionis secularis in eos. Similiter explicatio cæterorum terminorum est eadem, quæ ibi. Veruntamen

193. Quæres, an excommunicatus valide respective, ac invalide exerceat actus jurisdictionis secularis, sicut Ecclesiasticæ?

Respondetur affirmative. Ratio de excommunicato tolerato est eadem, quæ allata est *n.* 191. pro responsione prima, etiam hic una cum aliis ibi dictis applicanda. Neque circa hunc excommunicatum inter DD. dissidium est. Ratio de excommunicato non tolerato sumitur ex *can.* 4. *caus.* 15. *q.* 6. ubi Pontifex subditos a fidelitate Dominis excommunicatis præstanda eximit, præcipitque, ne eis obediant; ergo supponit, eorundem Dominorum præcepta pro tunc nullius esse valoris, ac efficaciæ. Confirmatur ex *c.* 6. *de Hæreticis in* 6. ubi Judicibus excommunicatis conceditur potestas peculiaris, nimirum jurisdictionis, in casu, quo alii deficiunt; ergo & hic supponitur, quod potestatem, sive usum jurisdictionis amiserint; alias non esset opus peculiari concessione. Accedit praxis, qua (ut ait Palao) receptum est, annullationem factam pro Judice Ecclesiastico, ad Judicem quoque secularem porrigi. Suarez, Palao, Coninck, Andreas a Matre Dei, Khamm, Erhart &c. contra alios non paucos.

§. VI.

An, & qualiter excommunicatus privetur communicatione forensi, & usu officii publici?

SUMMARIUM.

194. Excommunicatus privatur communicatione forensi, & usu cujuscunque Officii publici tam Ecclesiastici, quam secularis in ordine ad agendum. 195. An debeat repelli ab agendo, patrocinando, testificando &c. 197. Utrum, quando in Judicio agit, agat invalide?

194. Dico. Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, privatur communicatione forensi, & usu cujuscunque officii publici, tam Ecclesiastici, quam secularis, in ordine ad agendum, ita ut regulariter non possit, saltem licite, & absque peccato, sustinere personam Judicis, accusatoris, advocati, testis, tabellionis, procuratoris &c. DD. communissime.

Probatur conclusio (ut textus Juris huc facientes omittam) ex ratione generali: siquidem excommunicato, sive tolerato, sive non tolerato, omnis communicatio cum aliis fidelibus prohibita est, etiam in humanis: prout relinquitur ex sæpe dictis; ergo etiam, & vel maxime, communicatio forensis, utpote quæ inter id genus communicationes facile est, & censetur ab hominibus præcipua, maximique momenti; atque ideo sine peccato, eoque gravi ex genere suo, fieri non potest.

Dixi: *in ordine ad agendum*. Nam in ordine ad patiendum potest excommunicatus in Judicio forensi stare; quia potest accusari, citari, & conveniri ut reus. P. Engel *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *n.* 52. Sanct-Gallenses *loc. cit. conclus.* 6. & alii communiter. Ratio est: tum quia non favor, & commodum, sed incommodum excommunicati est ab aliis posse accusari, & conveniri in Judicio, ab ipso autem non posse accusari, & conveniri alios. Tum quia alias non solum multi fidelium privarentur suis emolumentis, sed ipse excommunicatus ex sua iniquitate commodum referret. Ex quo correlative sequitur, quod idem excommunicatus licite respondeat ad sibi objecta: partim quia alias non posset formari, & ferri legitimum judicium; partim quia Jus naturæ concedit cuilibet justam sui defensionem, quam proinde & Ecclesia nemini denegare intendit *cap.* 5. *de Except.* Neque tenetur excommunicatus constituere procuratorem, qui loco sui compareat, & respondeat in Judicio, esto talem constituere possit: prout clare innuitur in *cit. cap.* 5. Nec obstat *cap.* 7. *de Judiciis*, ubi dicitur, quod excommunicatus debeat in Judicio per alium respondere. Nam (ut habet Glossa ibidem) non est compellendus ad constituendum alium, si ipse respondere velit; sed tantum, si ipse respondere nolit: atque ad hoc posterius adigitur, ne (ut pergit allega-

tum c.)

rum *c.*) ex sua malitia commodum reportet, Judicium scilicet omnimodis eludendo.

Dixi praterea: *regulariter*. Excipitur enim causa fidei, in qua excommunicatus, quamvis alias non toleratus, licite testimonium dicit, accusat &c. per *c.* 5. *de Hæreticis in* 6.

195. Quæres nunc primo, an excommunicatus debeat repelli ab agendo, patrocinando, testificando &c.

Respondetur primo. Si sit excommunicatus toleratus, non debet necessario repelli (esto repelli possit, quando excommunicatio est notoria) donec pars altera desuper excipiat, ipsamque excommunicationem, quando needum est notoria, intra octo dies aperte demonstret; uti notavimus *n.* 191. *in respons.* 1. *ex cap.*1. *de Except. in* 6. Ratio est: quia cum taliter excommunicato communicare licitum est. P. Erhart *pag.* 165. & alii.

Respondetur secundo. Si sit excommunicatus non toleratus, repellendus est, etiamsi pars altera contra ipsum nullam opponat exceptionem. Author *cit.* & alii passim. Ratio est opposita: quia cum taliter excommunicato communicare illicitum est.

196. Quæres secundo, an excommunicatus, quando agit in Judicio, agat etiam invalide?

Respondetur primo, quod excommunicatus toleratus valide agat: idque non modo verum est, quando fungitur officio, non habente annexam jurisdictionem, cujusmodi est officium accusatoris, testis, advocati &c. sed etiam, quando fungitur officio, cui aliqua jurisdictio connexa est, quale est officium Judicis. Ratio est: quia excommunicatus toleratus post Concilium Constantiense non privatur usu jurisdictionis, sive Ecclesiasticæ, sive secularis; prout ostensum manet §. *præced.* ergo valide agit actum etiam Judicis, sive Ecclesiastici, sive secularis: quando scilicet contra ipsum non excipitur: quod addo propter limitationem supra factam.

Respondetur secundo, quod excommunicatus non toleratus invalide agat (1.) si exerceat actum officii, habentis annexam jurisdictionem; valide autem (2.) si exerceat actum officii, cui non est connexa jurisdictio, & nulla sit contra eum exceptio. Ratio primæ partis est: quia taliter excommunicatus privatur usu jurisdictionis tam Ecclesiasticæ, quam secularis. Ratio secundæ partis est: quia talia acta nullo Jure irritantur, quando non opponitur exceptio, juxta *cap.* 1. *de Except. in* 6. Quod si opponatur exceptio, hujusmodi quoque acta erunt invalida, regulariter loquendo, per *can.*6. *caus.*3. *q.* 4. Dico: *regulariter loquendo*. Nam & hic excipitur 1. causa fidei, in qua excommunicatus valide (uti & licite secundum dicta *n.* 194.) testimonium dicit, & accusat, per *cap.* 5. *de Hæreticis in* 6. *supra cit.* Excipitur 2. causa matrimonii, ubi similiter valide (& in casu necessitatis etiam licite) testem agit, *cap. fin. de Sent. & re judic.* P. Khamm *loc. cit. n.* 130. 131. & 139. aliique apud ipsum.

§. VII.

An, & qualiter excommunicatus privetur communicatione civili, seu politica cum aliis fidelibus?

S U M M A R I U M.

197. *Excommunicatus privatur omni communicatione civili, seu politica fidelium.* 198. *Quantum peccet, si cum fidelibus in actionibus civilibus communicet?* Et 199. *quantum peccent, & qualem pœnam incurrant fideles, si in prædictis actionibus communicent cum excommunicato?*

197. Dico, Excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus, privatur omni communicatione civili, seu politica fidelium. Ita DD. communissime.

Probatur; imo constat dum ex *c.*2. *de Except. c.*29. *c.* 41. *c.* 59. *de Sent. excom.* & aliis Juribus. Tum ex natura hujus censuræ, quippe ab Ecclesia sic institutæ, ut ea irretitus communicare non possit cum aliis fidelibus, quemadmodum nec isti cum ipso, si sit de classe excommunicatorum non toleratorum.

Ceterum actiones hujus civilis, seu politicæ communicationis comprehenduntur hoc versiculo:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *os* intelligitur osculum, amplexus, & quodvis aliud benevolentiæ signum, per verba, nutus, literas, nuncium, vel munera exhibitum. Per *orare* denotatur quilibet cultus Divinus, simul, seu communi opera præstitus; ut auditio ejusdem Sacri, simultanea recitatio Horarum &c. De hac communicatione actum est §.3. Per *vale* prohibetur quælibet honorifica salutatio, & probabilius etiam resalutatio; eo quod excommunicatus, quempiam illicite salutans, non habeat jus, ut resalutetur, sed in pœnam delicti tali humanitate privandus sit: veluti cum Bonacina, Salmanticensibus, & aliis notat P. Babenstuber *loc. cit. n.* 43. Per vocem *communio* vetatur omnis communicatio negotiorum, & exercitiorum, stabilis quoque cohabitatio, & contractus quicunque. Per vocem *mensa* interdicitur communis victus, seu cibus, & potus, per modum societatis sumendus; non vero conventio fortuita, & casualis in eadem domo, hospitio, aut mensa.

198. Quæres primo, quantum sit peccatum, si excommunicatus cum aliis fidelibus communicet in actionibus civilibus, & politicis?

Respondetur, esse mortale (1.) ex genere suo; licet (2.) in particulari, & in praxi plerumque solum sit veniale, secluso scandalo, & contemptu. P. Babenstuber *loc. cit. n.* 44. & alii ab ipso relati. Ratio primæ partis est; quia illud peccatum dicitur mortale ex genere suo, quod ex objecto, sive materia propria, seclusa alterius speciei malitia, est, vel esse potest graviter offensivum Dei; ut tenet communis DD. & nos tradidimus *part.* 1. *n.* 682. atqui communicatio excommunicati cum aliis fidelibus (quorum nomine hic veniunt omnes, ac soli baptizati) etiam in civilibus, & politicis potest esse graviter offensiva Dei ex propria sua materia, quando nimirum hæc existit gravis; ergo &c. Min. ostenditur, & declaratur in exemplo. Nam si excommunicatus statuat longo tempore sæpius cum alio fideli communicare, aut ineat cum eo pactum, quod necessario secum trahit frequentem, & diuturnam communicationem, aut suscipiat eundem in suam familiam, vel de ipsius familia fiat, graviter offendit Deum, etiam spectata præcise materia hujus communicationis; licet enim singuli actus ejuscemodi communicationis sint materia levis, multiplicati tamen, & moraliter inter se connexi (uti in exemplo connectuntur) per modum unius objecti voliti constituunt materiam gravem; ergo &c. Ratio secundæ partis est: quia communicatio in civilibus, & politicis ut plurimum est circa res levioris momenti. Aliud (secundum dicta in §§. *præc.*) sentiendum est de communicatione in rebus sacris, & spiritualibus, ac etiam in forensibus, iisque publicis: hæc enim regulariter est graviter peccaminosa; quia regulariter versatur circa materiam magni momenti. P. Khamm *de Censur. in gen. n.*9.

199. Quæres secundo, qualem culpam, & pœnam incurrant fideles, si communicent cum excommunicato in actionibus civilibus, & politicis?

Respondetur: Si communicent cum excommunicato non tolerato, incurrunt (1.) talem, ac tantam culpam, qualem, ac quantam incurrit ex dictis *n. præc.* excommunicatus communicando cum ipsis, & insuper (2.) pœnam excommunicationis, sed minoris tantum regulariter loquendo. Ratio primæ partis est: quia obligatio non communicandi est æqualis, & reciproca (quoad incursionem culpæ, non pœnæ) ut æqualiter afficiat non tantum excommunicatum, ne in aliorum societatem se ingerat, sed etiam alios fideles, ne excommunicati societatem admittant, & cum eo communicent; prout sparsim insinuatum est in §§. *præced.* & constat ex variis Juribus: consequenter &c. P. Erhart *pag.* 168. & alii communiter. Pars secunda deciditur in *c.*2. *de Except. c.*3. *de Sent. excom. in* 6. & aliis Juribus. Nec obstat verba *can.*17. *caus.*11. *q.* 3. quæ sunt: *& ipsi* (fideles) *simili excommunicationi subjacebunt*. Nam ly *simili* importat similitudinem, non æqualitatem, adeo, ut sensus sit, quod similiter excommunicationi subjaceant, non quidem majori, sed minori: prout notat P. Khamm *de Censur. in specie n.* 151. Sanct-Gallenses *de Excom. q.*2. *conclus.*1. & alii passim. Porro excommunicatus communicando cum fidelibus nullam contrahit pœnam, quippe solum statutam contra communicantes cum excommunicato (non tolerato) haud vicissim.

cissim: prout in ratione probativa primæ partis per parenthesim, uti & alibi jam insinuatum est.

Dixi in respons. *cum excommunicato non tolerato*. Nam qui communicat cum excommunicato tolerato, nullius culpæ, adeoque nec alicujus pœnæ reus efficitur: quoniam communicatio cum taliter excommunicato per Concilium Constantiense concessa est; ut sæpe audivimus.

Dixi præterea: *regulariter loquendo*. Dantur quippe casus, in quibus communicans cum excommunicato non solum mortaliter peccat, sed etiam excommunicationem majorem contrahit. Primus est, quando Clericus communicat cum excommunicato a Papa per sententiam particularem, & nominatim denunciato, ipsum sponte, voluntarie, & libere admittendo in Divinis, *c.18. de Sent. excom.* Secundus est, quando aliquis communicat cum excommunicato in crimine criminoso, id est, quando cooperatur crimini, & contumaciæ, ob quam lata fuit excommunicatio, eidem favorem, consilium, auxilium impendendo, *c.29. & 55. de Sent. excomm.* Tertius est, quando excommunicatio lata est simul contra participantes cum excommunicato. Verum ad hanc excommunicationem majorem incurrendam per *c.3. & 9. de Sent. excom. in 6.* requiritur, ut quando Pontifice inferior excommunicat participantes cum excommunicato a se (aliud est, si excommunicet communicantes cum excommunicato ab alio Judice, secundum dicta *n.97.*) eos nominatim exprimat, præmissa trina monitione, cum intervallo aliquot dierum &c. prout *n.* immediate *cit.* advertimus, & declaravimus. Non itaque sufficit generalis censura contra participantes, qua frequenter Judices solent uti. P. Khamm *loc. proxime cit. n.157.* & alii apud ipsum.

§. VIII.

Quas ob causas licita sit communicatio cum excommunicato, ac vicissim?

SUMMARIUM.

200. *Dantur causæ, ob quas fideles cum excommunicatis, etsi non toleratis, & vicissim hi cum illis licite communicant.* 201. *Exponitur status quæstionis.* 202. *Afferuntur, & sigillatim explicantur causæ, propter quas prædicta communicatio tam excomunicatis, quam fidelibus censetur licita?*

200. PRænotandum primo, & supponendum tanquam indubitatum, dari causas, ob quas fideles cum excommunicatis, etsi non toleratis, & vicissim hi cum illis licite communicent: siquidem Ecclesia, ceu benigna Mater, a cujus lege illa prohibitio communicandi proficiscitur, non præsumitur cum magno incommodo, & in omni casu obligare.

201. Prænotandum secundo, quæstionem, quam in §. movimus, verti, & agitari, de communicatione excommunicati tam tolerati, quam non tolerati cum fidelibus; non vero de communicatione fidelium cum utroque excommunicato, sed solum cum non tolerato; nam nec excommunicatus toleratus (nisi a fidelibus requiratur) nec non toleratus absque causa licite communicat cum aliis fidelibus; isti contra illicite quidem communicant cum excommunicato non tolerato, ubi nulla suppetit communicandi causa, non item cum excommunicato tolerato post Concilium Constantiense. His prænotatis, & suppositis,

202. Dico. Causæ, ob quas communicatio fidelium cum excommunicato, etsi non tolerato, licita est, & vicissim communicatio excommunicati tam tolerati, quam non tolerati cum fidelibus, sunt quinque, sequenti versiculo comprehensæ;

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Explicatur. Per vocabulum *utile* designatur notabilis utilitas spiritualis, aut temporalis, tum fidelium, tum etiam ipsius excommunicati. Hinc licet hortari excommunicatum, ut contumaciam ponat, & resipiscat, petere ab eo consilium, si non sit alius, a quo æque haberi possit; exigere debitam restitutionem &c.

Per vocem *lex* præcipue hic denotatur lex conjugalis; quæ præstat, ut conjuges sibi invicem communicent (quamvis alteruter, sive uterque sit excommunicatus) tam in petitione, & redditione debiti, quam in mensa, gubernatione domus, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis. Hæc quippe excommunicatio absolute indulgetur in *c.101. caus.11. q.3.* Et licet hoc indultum dirigatur ad solam uxorem, porrigi tamen ad ipsum quoque maritum censetur: siquidem in correlativis, quod dispositum est de uno, censetur etiam dispositum de altero, quando in utroque militat eadem ratio: sed hic militat eadem ratio in utroque conjuge, nempe periculum incontinentiæ (ob quod uxori illa communicatio indulgetur) cum idem utrique impendeat; ergo &c. Ex quo consectaneum est, quod conjux, etsi excommunicatus, teneatur reddere debitum conjugi excommunicato petenti; cum enim hic habeat jus petendi, in altero erit correspondens obligatio reddendi. Prædictæ tamen communicationis licentia restringi debet, & solet 1. Quando excommunicatio in conjuges lata est ratione matrimonii; ut si propter ortum de ejus valore dubium sub reatu excommunicationis inhibita illis sit cohabitatio. 2. Quando conjuges sunt divortio separati; per talem quippe separationem tollitur ratio mutuo communicandi.

Per nomen *humile* significatur humilitas subjectionis, quam habent liberi erga parentes (etiam emancipati, quando adhuc paterno pane sustentantur) Clerici erga Episcopum (quando in ejus famulatu existunt) mancipia, famuli, & famulæ erga Dominum; milites erga Belliducem &c. Omnes hi tales, sive ipsi, sive eorum Superiores, sive utrique, excommunicati sint, in actionibus tam Divinis, quam humanis, quæ ab inferiore erga Superiorem alias præstari solent, libere inter se communicare possunt per *c.101. caus.11. q.3.* & *c.31. de Sent. excom.*

Per particulas *res ignorata* indigitatur ignorantia Juris, vel facti; quæ (saltem si sit invincibilis) communicationem cum excommunicato, ut tali ignorato &c. a culpa excusat; prout relinquitur ex alibi dictis.

Per ly *necesse* datur intelligi quæcunque notabilis necessitas tam excommunicati, quam fidelium, sive sit spiritualis, & concernat animam, sive temporalis, & concernat corpus, famam, fortunam. Hinc licet excommunicatum ignorantem in via salutis instruere; indigenti eleemosynam dare, vel in casu indigentiæ ab eodem petere, & recipere; cum ipso communicare in alio loco, in quo adhuc est bonæ famæ, si alioqui esset infamandus &c. Atque hæc a DD. communiter admittuntur.

ARTICULUS III.

De Effectibus excommunicationis minoris, & quibusdam aliis hanc excommunicationis speciem concernentibus.

SUMMARIUM.

203. *Quare hæc excommunicatio appelletur* Minor? 204. *& seq. Quando incurratur?* 206. *Duos parit effectus.* 207. *Non privat administratione Sacramentorum.* 208. *& seqq. Peccat mortaliter, quia illa ligatus aliquod Sacramentum recipit; nullam tamen pœnam incurrit: omniaque Sacramenta valide suscipit.* 210. *& seq. Conferens Beneficium excommunicato excommunicatione minori, peccat mortaliter, sicut & recipiens; neuter tamen aliquam pœnam contrahit: collatio quoque est valida.* 212. *An electio talis excommunicati ad Beneficium sit irritanda, si facta sit cum ignorantia?* 213. *& seqq. Quis ab excommunicatione minori possit absolvere, & quid in tali absolutione observandum?*

203. HÆc excommunicatio appellatur *Minor* vel relate ad causam moraliter motivam, cum ob leviorem culpam quandoque contrahatur; vel relate ad effectus, cum paucioribus bonis privet, quam excommunicatio major. Unde & in hoc articulo breviores erimus, ac eramus in præcedenti, neque eum in §§. dividemus; cum non nisi paucæ, nec multum controversæ quæstiones hic decidendæ, & expediendæ occurrant: quæ sunt. 1. Ob quam causam excommunicatio minor incurratur? 2. Quot, & quosnam habeat effectus? 3. Quis ab ea possit absolvere?

204. Dico jam primo. Excommunicatio minor hodie, seu

die, seu post Concilium Constantiense non incurritur, nisi propter culpabilem communicationem cum excommunicato excommunicatione majori, eoque non tolerato, sive vivo, sive mortuo. Constat conclusio ex *c.15. & 29. de Sent. excom.*

Explicandi tamen sunt termini in eadem conclusione positi. Itaque

Dicitur 1. *propter culpabilem communicationem*. Si enim inculpabilis sit ea communicatio, puta ob invincibilem ignorantiam, vel inadvertentiam, nullam post se pœnam trahit; ut de se patet. Non tamen ad contrahendam hanc talem censuram requiritur, ut dicta communicatio sit mortaliter culpabilis, sed sufficere quoque potest, si sit culpabilis venialiter propter levitatem materiæ; ut dum quis una, alterave vice confabulatur cum excommunicato, quando non licet: haud tamen sufficit, si sit culpabilis venialiter ob imperfectionem actus præcise, v.g. ob imperfectum usum rationis: quia pœna hæc petit actum de se, seu in ratione actus, perfectum, qualis equidem censetur, quando attenuatur ob levitatem materiæ; non autem, si attenuetur ob imperfectum usum rationis: prout consideranti patet. Et licet peccatum veniale possit alias omitti in Confessione, non tamen illud, cui hæc censura annexa est, ne Sacramentum in ea recipiatur. Unde Confessarii ordinarie prius absolvunt ab omni vinculo excommunicationis (etiam minoris) deinde a peccatis. Sanct-Gallenses *de Excom. q.2. conclus.*1. Khamm *loc. cit. n.162.* & alii passim.

Dicitur 2. *cum excommunicato excommunicatione majori*. Non enim incurritur hæc censura per communicationem cum excommunicato excommunicatione minori: quia id nullo Jure statuitur; neque excommunicatio transit in tertiam personam. Sanct-Gallenses *loc.cit.*

Dicitur 3. *eoque non tolerato*. Nam communicans cum excommunicato tolerato hodie, seu post Concilium Constantiense nullam sibi culpam, adeoque nec pœnam, consciscit.

Dicitur 4. *sive vivo, sive mortuo*. Nam eadem est pœna communicantium cum excommunicato sive vivo, sive mortuo: prout relinquitur ex sæpe dictis.

205. Quæres, an culpabiliter communicans cum excommunicato excommunicatione majori semper incurrat excommunicationem minorem?

Respondetur negative. DD. communiter. Ratio est: quia dantur casus (quos recensuimus *n.199.*) in quibos incurrit excommunicationem majorem, in quam excommunicatio minor, alias contrahenda, censetur commutata: veluti advertimus *n.177.*

206. Dico secundo. Excommunicatio minor duos duntaxat effectus parit, unum directum, & immediatum, alterum indirectum, & mediatum, sive remotum.

Effectus directus, & immediatus hujus excommunicationis est privatio receptionis Sacramentorum, *cap.2. de Except. c.10. de Cleric. excom. ministr. & c.59. de Sent. excom.* Peccat ergo, qui in tali excommunicatione aliquod Sacramentum recipit. Sed

207. Quæres primo, an sic excommunicatus etiam privetur administratione Sacramentorum, ita ut ea saltem illicite administret?

Respondetur negative. Bonacina *de Censur. disp. 2. q.3. n.4.* Illsung *tr.7. disp.1. q.2. art.1. n.20.* & alii communius contra Laymanum, & alios, volentes, talem peccare venialiter. Ratio nostræ responsionis negativæ est: quia Jura excommunicatum excommunicatione minori non privant usu activo Sacramentorum, seu administratione, sed tantum usu passivo, seu receptione; prout legere est *in cit. c.10. de Cleric. excom. ministr.* ergo sic excommunicatus ea administrando solum nullo modo peccat. Confirmatur. Si peccaret etiam ea administrando, non tantum peccaret venialiter, sed mortaliter: quod Authores adversi negant. Seq. ostenditur: quia administratio Sacramenti est materia, seu objectum grave legis, sicut receptio; ergo si illa quoque sit prohibita, & exerceatur, erit mortaliter peccaminosa, sicut receptio.

Dices. In *cit. c.10.* dicitur de Sacerdote celebrante: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta*; ergo &c.

Respondetur cum Bonacina *cit.* Sacerdotem conferendo Sacramenta peccare, non in quantum ea administrat, seu confert, sed in quantum ea suscipit: id quod clare innuitur in eodem *c.* & alioquin sequeretur, quod etiam ministrando delinqueret mortaliter, sicut suscipiendo, contra Adversarios; ut proxime ostensum.

208. Quæres secundo, quantum peccet, & an aliquam pœnam incurrat, qui, minori excommunicatione ligatus, aliquod Sacramentum recipit?

Respondetur, quod (1.) peccet mortaliter; nullam vero (2.) pœnam incurrat. DD. communiter. Ratio primi est: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi, qualis censetur esse cujuslibet Sacramenti receptio. Deinde in *cit. c.10.* dicitur, quod Sacerdos, in minori excommunicatione celebrans, peccet *graviter*; non autem sic (imo nec aliter) peccat, in quantum sibi Eucharistiam ministrat; veluti patet ex dictis *n. præced.* ergo in quantum illam recipit. Ratio secundi est: quia nulla in Jure statuta reperitur. Unde licet Sacerdos in minore excommunicatione celebret, haud tamen reus irregularitatis efficitur, utpote, quæ ad sui incursionem requirit peccatum commissum ob activum exercitium Ordinis: sed ex eo, quod Sacerdos, prædicto modo excommunicatus celebret active, non committit ullum peccatum; peccat nanque solum ex eo, quod S. Eucharistiam recipiat, secundum dicta; ergo &c. P. Krimer *loc. cit. num.* 2022. haberurque expresse in *cit. cap.* 10.

209. Quæres tertio, an, in minori excommunicatione constitutus, Sacramenta recipiat saltem valide?

Respondetur affirmative: idque de ipso etiam Sacramento Pœnitentiæ verum est, si id ex causa a peccato mortali excusante, adeoque contritionem saltem imperfectam non impediente recipiat. Ita cum Salmanticensibus, & Illsung P. Babenstuber *loc. cit. n.11.* Ratio est: quia in Jure tantum prohibetur sic excommunicato Sacramentorum receptio; non autem irritatur, quando scilicet aliunde nullus ponitur obex, illorum valori obsistens.

Effectus indirectus, mediatus, seu remotus minoris excommunicationis est privatio electionis passivæ ad Beneficia, juxta *cit. c.10.* Cum enim excommunicatus privetur directe receptione Sacramentorum, indirecte, & consequenter etiam repellitur a receptione Beneficiorum, quæ ex institutione Ecclesiæ ad receptionem SS. Ordinum, celebrationem Missæ &c. ordinantur. Unde hic non intelligitur electio passiva ad alia munera, quæ nec immediate, nec mediate ad Sacramentorum receptionem ordinantur. Talia proin munera excommunicato excommunicatione minori licite conferuntur, ab eoque recipiuntur; non item Beneficia.

210. Quæres circa hunc effectum primo, quantum peccent eligentes, præsentantes, & conferentes Beneficium excommunicato excommunicatione minori, ipseque excommunicatus illud recipiens; & num aliquam pœnam incurrant?

Respondetur. Peccant (1.) mortaliter; nullam tamen (2.) pœnam incurrunt. Layman *lib.1. tr.5. part.2. cap.3. num.5.* & alii apud ipsum. Ratio primi est: quia in re gravi, qualis est electio, præsentatio, & collatio Beneficii, hujusque receptio, prævaricantur legem Ecclesiæ. Ratio secundi est: quia non constat, aliquam pœnam contra illos in Jure decretam esse.

Dices. Nec in sæpe *cit. c.10.* nec alibi fit mentio de præsentatione, & collatione Beneficii, sed de sola electione ad illud; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Non fit mentio explicite, con. implicite, neg. ant. & cons. Implicite fit mentio de præsentatione, & collatione Beneficii: quia præsentatio, & collatio sunt quædam virtualis electio; cui enim Beneficium confertur, ac qui ad illud præsentatur, præ aliis eligitur ad idem Beneficium obtinendum: ut recte notat P. Khamm *loc. cit. n.166.*

211. Quæres secundo, an electio excommunicati excommunicatione minori ad Beneficium (idem cogita de præsentatione, & collatione Beneficii) sit etiam invalida?

Respondetur negative. Ita P. Krimer *loc. cit. n.2023.* & alii communiter. Ratio est; quia in *cit. c.10.* dicitur irritanda per Judicem, ibi: *Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda &c.* ergo non est irrita ipso Jure. Unde quando Innoc. III. in *cap.7. de Cleric. excomm. ministrat.* electionem excommunicati vocat irritam, loquitur de excommunicato excommunicatio-

nicatione majori; nam hæc semper intelligitur, ubi simpliciter sermo est de excommunicatione: prout adnotavimus *n. 94.*

212. Petes, an ergo electio excommunicati excommunicatione minori ad Beneficium non sit irritanda, si facta sit cum ignorantia? Ratio dubitandi accipitur ex *cit. c. 10.* ubi dicitur irritanda, si fuerit facta *scienter*.

Respondetur primo. Quando soli electores laborarunt ignorantia, nescientes, quod eligendus ligerur excommunicatione minori, & existat inhabilis ad Beneficium, electio adhuc est irritanda. Laymann *loc. & n. citt.* La Croix *lib. 7. n. 195.* & alii apud ipsos, contra P. Khamm, & alios, ab eodem relatos. Ratio est: quia in hoc tali casu electus manet inhabilis ad persistendum in electione facta; cum enim ignorantia, utpote qua ipse non laboravit, eum non excuset quoad susceptionem Sacramentorum, neque excusabit quoad retentionem Beneficii, ad susceptionem Sacramentorum suapte natura, seu institutione ordinati. Unde talis electio non deficit a firmitate (ob quod a Jure decernitur irritanda) ratione eligentium, sed ratione eligendi, sive electi; ut fluit ex dictis. Accedit, quod *cit. cap. 10.* per irritationem electionis non intendat punire malam fidem eligentium, sed electi; ergo si hic fuerit in mala fide, licet illi fuerint in bona, electio nihilominus irritari debet in pœnam electi.

Respondetur secundo. Quando ipse eligendus laboravit ignorantia, nesciens, se esse excommunicatum, vel sibi interdictam esse acceptationem Beneficii, electio non est irritanda, sive dein electores id similiter nescierint, sive non. Ita præter Authores allegatos pro prima resp. insinuat Glossa in *cit. c. 10.* ubi ait, sensum horum verborum *esse: si tamen scienter talis*, id est, sciens minorem suam excommunicationem, & inhabilitatem, electus fuerit, electionem irritandam esse, sive electores id pariter sciverint, sive non; ergo a contrario si non sciverit minorem suam excommunicationem & inhabilitatem, electio irritanda non est; alias particula *scienter* (quæ juxta *cit. Gloss.* ad solum excommunicatum, & eligendum referri debet) in textu allegati *cap.* superflua foret; ut patet. Confirmatur. Idem *c.* per irritationem electionis faciendam solum intendit punire malam fidem electi; ergo si hic non mala, sed bona fide processerit, per dictam irritationem non est puniendus.

213. Dico tertio. Ab excommunicatione minori absolvere potest non tantum Episcopus, sed etiam Parochus, & quicunque Sacerdos, potens excommunicatum absolvere a mortalibus.

Probatur ex *c. 29. de Sent. excom.* ubi nostra conclusio sat aperte continetur, dum dicitur, quod non tantum Episcopus, sed quilibet *proprius Sacerdos* a tali excommunicatione, quippe non reservata, absolvere possit: atqui nomine *proprii Sacerdotis* hic non venit solus Parochus habens jurisdictionem ordinariam suum parochianum a mortalibus absolvendi, sed etiam Sacerdos habens jurisdictionem delegatam (sive a Parocho, sive ab alio delegare potente) sicut colligitur ex *cap. 12. de Pœnit. & remiss.* ergo &c. Atque in hoc conveniunt DD. Sed

214. Quæres primo, an etiam Sacerdos, potens absolvere excommunicatum a peccato veniali (non item mortali) possit eundem absolvere a censura excommunicationis minoris, illi peccato veniali annexa?

Respondetur affirmative. Ita D. Thomas in *4. dist. 18. q. 2. art. 5. q. 1. in corp.* ubi ait: *a minore excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis*, id est, a peccato, propter quod excommunicatio minor contracta est; ergo si contracta sit propter peccatum veniale, qui ab isto potest absolvere, poterit quoque absolvere ab illa. Confirmatur. Qui habet potestatem absolvendi a peccato mortali, censetur quoque habere potestatem absolvendi ab excommunicatione non reservata, illi peccato annexa, ex dictis *n. 123.* item qui habet potestatem absolvendi a peccato reservato, censetur eo ipso habere potestatem absolvendi ab excommunicatione, illi peccato annexa, ex dictis *n. 130.* ergo pariter, qui habet potestatem absolvendi a peccato veniali, habebit potestatem absolvendi ab excommunicatione, tali peccato annexa; alias quippe potestas absolvendi a peccato inutilis foret, nec posset exerceri; eo, quod absolutio a peccato præsupponat absolutionem ab excommunicatione: prout advertimus *n. 130. cit.* D. Thomam sequuntur Navarrus, Toletus, Salmanticenses, Khamm, Babenstuber, & alii plures contra alios.

215. Quæres secundo, quid sit observandum in absolutione ab hac censura?

Respondetur, nullam hic necessariam esse ceremoniam (e. g. flagellationem excommunicati, recitationem Psalmi *Miserere* &c.) etiamsi absolutio impertiatur in foro externo: neque certam, & determinatam formam; sed sufficere quæcunque verba, absolutionem exprimentia. Similiter in foro interno satis est, si absolvens dicat: *absolvo te ab excommunicatione &c.* consulto tamen utatur hac forma: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis minoris, quam incurristi propter participationem cum excommunicato excommunicatione majori, nominatim denunciato, (vel notorio percussore Clerici) & restituo te Sacramentis Ecclesiæ &c.* Quod si pluries eandem incurrerit, addatur: *quam toties incurristi.* Si dubitetur de excommunicatione incursa, adhibetur communis forma absolvendi: *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, in quantum possum, & tu indiges &c.* P. Khamm *loc. cit. n. 169.* & alii apud ipsum.

ARTICULUS IV.

Recensentur excommunicationes tam reservatæ, quam non reservatæ Pontifici, & subjiciuntur nonnullæ animadversiones circa illas.

SUMMARIUM.

216. Recensentur excommunicationes Pontifici reservatæ in Bulla Cœnæ. 217. & seqq. ostenditur, quinam possint, vel non possint ab illis absolvere. 221. Recensentur excommunicationes reservatæ Pontifici extra Bullam Cœnæ. 222. & seq. ostenditur, quinam ab illis absolvere possint. 225. Recensentur excommunicationes Juris non reservatæ, quarum adhuc 226. usus viget, & notitia est necessaria. 227. Quinam ab iis regulariter absolvere valeant?

De solis excommunicationibus majoribus hic sermo est; hæ quippe solæ dividuntur in reservatas, & non reservatas; cum non detur excommunicatio minor reservata: prout in confesso est apud omnes. Referam autem illas solum quoad rem ipsam, & sine deductione; subjiciam tamen nonnullas animadversiones, quas magis e re, & utiles, vel etiam necessarias judicavero.

Recensentur excommunicationes latæ, & reservatæ in Bulla Cœnæ.

216. Excommunicationes latæ 1. Contra Hæreticos, eorumque Credentes, & Fautores; ac Schismaticos; item eos, qui legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros Hæreticorum, de Religione tractantes, vel hæresim continentes.

2. Contra eos, qui appellant a Pontifice ad futurum Concilium.

3. Contra Piratas in mari Romano, eorumque Fautores.

4. Contra eos, qui surripiunt bona naufragorum.

5. Qui ponunt, augent, exigunt nova, & injusta tributa, pedagia, & gabellas.

6. Qui falsificant literas Apostolicas.

7. Qui deferunt equos, arma, aliaque instrumenta, usibus bellicis idonea, ad Turcas, aliosque infideles; item qui eis (etiam Hæreticis non toleratis) nunciant statum Reipublicæ Christianæ in hujus perniciem, aut alio modo consilium, auxilium favorem præstant.

8. Qui impediunt, ne Curiæ Romanæ victualia, aliaque necessaria deferantur.

9. Qui vulnerant, detinent, deprædantur &c. accedentes, vel recedentes a Romana Sede, vel in Curia Romana commorantes.

10. Qui vulnerant, detinent, spoliant &c. Romipetas, & peregrinos accedentes ad Urbem, vel ibi commorantes, aut ab ea recedentes.

11. Qui vulnerant, percutiunt &c. Cardinales, vel alios Prælatos, & Legatos Sedis Apostolicæ.

12. Qui percutiunt, spoliant &c. recurrentes ad Romanam Curiam pro suis negotiis.

13. Qui a gravamine, & executione literarum Apostolicarum frivole appellant, aut ad Curias seculares recurrunt, vel accedentes ad Romanam Curiam pro expeditione negotiorum, & gratiarum impediunt.

14. Qui causas a Judicibus Ecclesiasticis avocant, vel eorum cursum, & executionem literarum Apostolicarum impediunt.

15. Qui trahunt, vel trahi curant personas Ecclesiasticas ad seculare tribunal; item qui condunt quovis modo, vel quæsito colore Statuta libertati Ecclesiasticæ repugnantia, aut eisdem utuntur.

16. Qui impediunt, ne Prælati Ecclesiastici sua jurisdictione utantur.

17. Qui sine legitima Superiorum licentia usurpant, vel sequestrant redditus, fructus, & proventus ad Pontificem, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentes.

18. Qui imponunt decimas, collectas, aut alias onera personis Ecclesiasticis.

19. Judices seculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt.

20. Qui occupant bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, vel supremam ejus jurisdictionem usurpant. Ita in terminis has excommunicationes recenset. P. Pichler *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *n.* 16. Circa quas juvat subjungere sequentes animadversiones, Itaque

217. Animadverte primo, quod omnes, & singuli (excepto solo Pontifice) extra articulum, vel periculum mortis, & extra casum impedimenti perpetui, vel diuturni adeundi Romam (quod intellige cum moderatione, ac relatione ad dicta *n.* 126.) & nisi privilegio, vel speciali facultate absolvendi gaudeant, a prædictis excommunicationibus absolvant invalide, ac insuper excommunicationem incurrant ipso Jure. Quæ tamen excommunicatio, quam ita absolventes contrahunt, non est reservata, nisi absolvant sub prætextu privilegii, quod non habent: ut declaravit Clemens VIII. approbans decretum S. *Congreg. Episc. & Regular.* anno 1601. P. Pichler *loc. & n. cit.* aliique.

218. Animadverte secundo, Episcopos de facto non amplius posse pro foro interno absolvere ab hæresi formali, & completa (idem cogita de aliis criminibus in Bulla Cœnæ reservatis) etsi occulta, & needum ad forum contentiosum deducta, extra articulum mortis, & casum impedimenti perpetui, aut diuturni adeundi Romam, sine privilegio, & facultate specialiter a Pontifice obtenta. Ita mihi probabilior, si non omnino certa, sententia, quam tenent Suarez, Azotius, Sanchez, Palao, Pirhing, Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 7. §. 7. *a n.* 362. Viva *part.* 1. *damnat. Thes. in prop.* 3. *n.* 4. Cherubinus Mayr *de Virt. Theol. n.* 116. Antonius VVech *de Casib. reservat. n.* 115. & alii innumeri, contra Navarrum, Engel, Pichler &c. Ratio nostræ sententiæ est: quia licet Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. c.* 6. Episcopis prædictam absolvendi facultatem concesserit; huic tamen concessioni postea derogatum est per verba Bullæ Cœnæ, quæ sunt: *Ceterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus --- absolvi potest, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam NB. Episcopali, vel alia majori dignitate præditis --- per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis NB. Concilii decreto, verbo, literis, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum* &c. Ita præmemorata Bulla §. 22. utique ad nostrum intentum efficaciter. Nihilominus

Respondent Adversarii, negando, per recitata Bullæ verba Tridentino derogatum esse. Quod probare nituntur 1. Quia ad derogandum decretis Conciliorum Generalium debet aliqua eorum mentio fieri, prout deducunt Canonistæ ex *c.* 3. *de Capellis Monachorum*, & *cap.* 35. *de Rescriptis*: qualis tamen non fit in præallegatis Bullæ verbis, utpote in quibus Concilium Tridentinum non nominatur. 2. Quia per dispositionem generalem non derogatur priori specificæ, *arg. c. Generi. de Reg. Jur. in* 6. Tridentinum autem loquitur de hæresi occulta in specie, Bulla Cœnæ vero de hæresi in genere, Verum hæc duo effugia facile præcluduntur. Unde

Contra primum est, quod in casu nostro sufficiat mentio Tridentini, quæ fit per illam clausulam generalem in Bulla Cœnæ appositam: *non obstantibus cujusvis Concilii* decretis: oppositum quippe ex nullo Juris textu erui potest; præsertim quia illa verba: non obstantibus *cujusvis Concilii* decretis, non possunt respicere nisi facultatem a Tridentino Episcopis concessam absolvendi a casibus Pontificiis occultis; cum hoc Concilium solum, & nullum aliud eam facultatem contulerit: prout recte notant Viva *loc. & n. cit.* Augustinus Michel *de Pœnit. part.* 2. *fol.* 574. *n.* 34. aliique complures.

Contra secundum est: siquidem *cit.* Regula solummodo locum habet, quando dubitatur de intentione Legis, sive Legislatoris; non item quando constat de voluntate, & dispositione Legislatoris contraria: prout bene advertit P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 365. Atqui in proposito constat de contraria voluntate, & dispositione Legislatoris; præsertim pensando decretum Alexandri VII. in quo tanquam scandalosam proscribit hanc propositionem *ord.* 3. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. *die* 18. *Julii in Consistorio S. Congregationis Eminent. Card. visa, & tolerata est.* Qua damnatione licet Pontifex directe tantum feriat factum ultimis verbis comprehensum, seu quod allegata propositio in Consistorio Cardinalium visa, & tolerata fuerit; indirecte tamen ipsam quoque doctrinam verbis præcedentibus contentam ferire omnino censendus est, ita ut Pontificiæ damnationis sensus sit, illam doctrinam non esse talem, quæ in dicto Consistorio visa tolerari potuerit; alias Pontifex non fuisset adeo solicitus, ne ea propositio dicatur ibi tolerata; nec appareret, cur eandem *tanquam scandalosam* confixisset. Viva *loc. & n. cit.* Reiffenstuel *num.* 364. Michel *num.* 32. Cherubinus Mayr *n.* 115. aliique plures.

Quibus mature perpensis, contraria sententia vix aliquid veræ, & practicæ probabilitatis retinere videtur, maxime attenta damnatione recitatæ propositionis, qua permotus P. Khamm *de Cens. in gen. part.* 2. *n.* 82. eam sententiam, quam alias ut probabilem propugnarat, reprobat, rejicit, ac improbabilem pronunciat, Idem facit Augustinus Michel *cit. n.* 32. aliique plures. Unum, vel alterum argumentum, quo Adversarii nostram sententiam impetunt, ut suam ab improbabilitate vindicent, proponemus, & dissolvemus commodius infra, ubi prius aliquos terminos in animadversione positos explicatum iverimus: in qua

Dixi 1. *pro foro interno*. Nam pro foro externo, non obstante Bulla Cœnæ, non solum Inquisitores hæreticæ pravitatis, sed etiam Episcopi (saltem ubi non existunt præfati Inquisitores) tanquam Delegati Sedis Apostolicæ absolvere hodiedum possunt hæreticos (nisi sint Hæresiarchæ, aut Relapsi) ab hæresi, incursaque propter eam excommunicatione, *arg. cap.* 11. §. *si vero, de Hæreticis in* 6. ita docent Palao *de Fide tr.* 4. *disp.* 4. *pun.* 3. §. 1. *num.* 23. Pirhing *lib.* 5. *Decret. tit.* 7. *num.* 42. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 369. Cherubinus Mayr *num.* 114. aliique communiter. Quæ absolutio indirecte etiam prodest pro foro interno, quatenus sublata excommunicatione per absolutionem in foro externo impertitam, quivis deinde Confessarius approbatus (a fortiori & ipse Episcopus) a peccato hæresis absolvere potest; nam Pontifici nullum peccatum est reservatum, nisi simul annexam habeat censuram; qua proinde sublata cessat & reservatio: ut docent AA. communiter.

Dixi 2. *ab hæresi formali*. Nam hæresis materialis non est peccatum; neque, si de ea certo constet, absolutione indiget; prout relinquitur ex dictis *p.* 2. *n.* 72.

Dixi 3. *& completa*, id est, ex actu hæreseos interno, & externo, utroque mortaliter peccaminoso, conflata: siquidem casus reservatus non est adhærere in sola mente errori hæretico, quando ejusmodi adhæsio actu aliquo exteriori non proditur; neque exterius tantum negare fidem, non vero in mente. Similiter non est casus reservatus, quando alterutrum actus (internus vel externus) solum venialiter peccaminosus est, Ratio horum promitur ex dictis *n.* 107. & *n.* 109. quia excommunicatio, ob quam hæresis reservatur, non incurritur nisi propter peccatum mortale, idque consummatum. P. Viva *loc. cit. n.* 9. Pichler *lib.* 5. *tit.* 7. *n.* 19. & alii passim.

Dixi 4. *extra articulum mortis*. Nam in hoc non solum Episcopi, sed alii quoque Sacerdotes ab hæresi, eique annexa excommunicatione absolvere valent, secundum dicta *n.* 126.

Dixi

Dixi 5. *& casum impedimenti perpetui, aut diuturni adeundi Romam.* Siquidem in tali casu Episcopi (non item alii Sacerdotes Episcopis inferiores, etiamsi sint Religiosi Mendicantes secundum dicenda inferius) ab hæresi absolvere possunt sive per seipsos, sive per alios a se delegatos, secundum dicta *cit. n.* 126. Non tamen desunt Authores, qui talem absolvendi facultatem Episcopis denegant ex eo, quod in Bulla Cœnæ expresse prohibeatur, ne quis præter Pontificem absolvat a casibus in ea contentis, nisi constituros duntaxat in mortis articulo, Sed oppositum tenent alii communiter. Ratio est: quia in simili contingentia casus alias Papalis evadit Episcopalis, *c.* 13. *&* 58. *de Sent. excom.* Et quamvis horum *cc.* textus solum loquantur de excommunicatione ob Clerici percussionem, communiter tamen DD. hanc doctrinam ad omnes excommunicationes Pontifici reservatas extendunt; cum eadem sit in omnibus ratio, videlicet, *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, & illa fuerit excommunicatio antiquissima, ad quarum normam reliquæ omnes factæ videantur. Quare licet Bulla Cœnæ solum excipiat articulum mortis, Jus tamen Canonicum exceptionem hanc ampliavit ad casum necessitatis, seu impedimenti perpetui, aut diuturni adeundi Papam; idque merito, cum necessitas, a tali impedimento proveniens, æquiparari quodammodo possit periculo mortis, quandoquidem tempus, etiam diuturnum duntaxat, multis casibus fortuitis, & vitæ periculosis existit obnoxium. Suarez, Lugo, Palao, Viva *loc. n.* 5. & alii apud ipsos.

Dixi 6. *sine privilegio, & facultate specialiter a Pontifice obtenta:* cujusmodi singulis quinquenniis concedi solet Episcopis, præsertim Germaniæ, desuper supplicantibus, in quo etiam ordinarie datur facultas subdelegandi, adeo, ut Episcopi per seipsos, vel alios a se delegatos possint suos diœcesanos ab hæresi absolvere juxta tenorem ejusdem privilegii, P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 118.

Dices nunc contra respons. primo. Pontifex non consuevit sibi reservare casus tam frequenter occurrentes; cujusmodi est hæresis, saltem in Germania; eo quod ex una parte detur quasi perpetua necessitas absolvendi hæreticos ad Ecclesiam revertentes, ex altera vero sit nimia difficultas semper, & toties recurrendi Romam; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. universaliter sumptam: patitur enim exceptionem in illis saltem delictis, quæ sua pte natura important contumaciam adversus Ecclesiam; sicut importat hæresis. Ceterum allegatæ necessitati sufficienter, & facile occurritur petendo quinquennalem licentiam; veluti proxime dictum.

Dices secundo, Episcopi hodiedum possunt absolvere ab hæresi pro foro externo, secundum dicta superius; ergo etiam pro foro interno. Prob. conf. Siquidem supposita potestate absolvendi ab hæresi pro foro externo, inefficaciter Bulla Cœnæ prohiberet absolutionem pro foro interno; cum etiam juxta nos, facta absolutione pro foro externo, quilibet Confessarius, adeoque & Episcopus, pro foro interno absolvere valeat; ergo non est verisimile, quod præmemorata Bulla Episcopis ademerit potestatem absolvendi pro foro interno, & ab hæresi occulta.

Respondetur, Quando dicitur, Episcopos ab hæresi absolvere posse pro foro externo, id intelligendum venit de hæresi notoria, non vero de occulta; cum penitus occulta ad forum externum trahi haud valeant. Hoc autem supposito, luculenter patet, Episcopis adhuc efficaciter prohiberi absolutionem ab hæresi pro foro interno; cum sic ab hæresi occulta nunquam, ab hæresi publica vero non nisi post strepitum judiciarium, qui valde rarus est, possint pro foro interno absolvere; idque veluti indirecte solum, quatenus nempe per absolutionem in foro externo impertitam sublata est reservatio, itaque mutata materia, supra quam absolutio pro foro interno cadit. Ex quibus patet responsio ad argumentum in forma.

219. Animadverte tertio, alios Curatos, Episcopo inferiores, non posse absolvere ab hæresi formali, & completa (idem rursus cogita de aliis casibus in Bulla Cœnæ contentis) nisi 1. in articulo, vel periculo mortis. 2. Ex speciali concessione S. Pontificis. 3. Ex legitima delegatione, vel subdelegatione Episcopi. 4. Quando non potest adiri Papa, nec Episcopus, nec privilegiatus: quæ omnia liquent ex dictis *n. præced.*

220. Animadverte quarto, neque Regulares, sive Superiores, sive subditos, cujuscunque demum Religionis existant, posse seculares absolvere ab hæresi (idem denuo judicium esto de aliis casibus Bullæ Cœnæ) formali, & completa. Hanc animadversionem P. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 7. *n.* 427. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *disput.* 6. *art.* 4. *numer.* 32. & alii vocant communem, & certam. Patet ex decreto Alexandri VII. in quo proscripsit hanc propos. *ord.* 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter ipsam incursa.* Quare Regulares solum possunt absolvere ab hæresi seculares in iis casibus, in quibus secundum dicta *n. præced.* id possunt Sacerdotes, Curati non Regulares, Episcopo inferiores. Neque facultas absolvendi in casu impedimenti ad Papam accedendi Episcopis concessa porrigi ad Regulares potest, ut exerceenda circa seculares: prout advertimus supra, quando scilicet ad Episcopum, vel privilegiatum patet accessus.

Dixi: *seculares*. Nam controversia remanet, an Prælati Regulares vi suorum privilegiorum possint saltem Religiosos sibi subjectos ab hæresi absolvere? Affirmativam sententiam tenent Suarez, Rodriquez, Herincx *de Pœnit. disp.* 7. *q.* 3. *n.* 18. & alii plures. Sed omnino præferendam, & absolute tenendam censeo sententiam negativam, quam docent Jacobus a Graffis, Salmaticenses, Viva *ad prop.* 4. *Alex. VII. n.* 3. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1622. Babenstuber *loc. & n. citt.* Cherubinus Mayr *n.* 127. aliique apud ipsos. Ratio sententiæ negativæ hæc unica esto: siquidem in Bulla Cœnæ, quæ singulis annis promulgatur, ponuntur clausulæ quoad casus in illa contentos simpliciter derogantes omnibus privilegiis quorumcunque Ordinum etiam Mendicantium; ergo sicut ob similes clausulas privilegium quod Episcopis concessum erat relate ad suos subditos diœcesanos censetur revocatum, ita & revocata censebuntur privilegia, Prælatis Regularibus concessa relate ad suos subditos Religiosos.

Possunt tamen Prælati Regulares suos Religiosos absolvere ab hæresi, aliisque casibus Bullæ Cœnæ ex hoc capite; quia nempe Religiosi (vel Religiosæ) censentur laborare impedimento perpetuo adeundi Romam: prout insinuavimus *n.* 126. & tenent DD. communiter. Ratio hujus est: quoniam Episcopi, non obstante Bulla Cœnæ, possunt suos subditos diœcesanos Romam personaliter adire impotentes absolvere a recensitis casibus; ergo etiam Prælati Regulares (Ordinum Mendicantium, aut alias exemptorum) suos subditos Religiosos; cum ejusmodi Prælatis a S. Pio V. & alii Pontificibus (sive immediate, sive mediate, & per communicationem privilegiorum) concessa noscatur eadem potestas circa suos subditos, quæ Episcopis a Tridentino circa suos. Reissenstuel *loc. cit. num.* 420. Cherubinus Mayr *n.* 128. & alii passim. Quæ potestas absolvendi sicut in Episcopis, ita & in Prælatis Regularibus ordinaria est, & dici debet; eo quod non sit ipsis concessa tanquam Delegatis Papæ, sed tanquam Prælatis ordinariis, adeoque annexa eorundem officio, & dignitati, licet non immediate ex tali officio profluat. Revide, quæ diximus *part.* 2. *n.* 461. Ex quo fluit, ut illam aliis delegare possint, & soleant. Porro nomine Prælatorum Regularium in præsenti non solum veniunt Superiores Generales, & Provinciales, sed etiam Locales: prout insinuavimus supra.

Recensentur excommunicationes latæ, & reservatæ in reliquo Jure.

Contra Omnes.

221. Excommunicantur 1. percutientes Clericum. *c. Si quis suadente*, 17. *q.* 4.

2. Perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ. *c. Quærenti, de Offic. deleg.*

3. Falsarii literarum Apostolicarum. *c. ad falsariorum, de crim. falsi.*

4. Habentes literas Apostolicas falsas, & illas non destruentes. *c. dura, eod.*

5. Incendiarii a Judice excommunicati, & denunciati. *c. tua nos. de Sent. excom.*

6. Sacrilegi effractores Ecclesiarum. *c. conquesti. eod.*

7. Communicantes in crimine cum excommunicatis a Papa. *c. nuper. eod.*

8. Eligentes potentia insignem in Senatorem Romanum. *c. fundamenta. de Elect. in* 6.

9. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt, *c. quicunque de Sent. excom. in 6.*

10. Absoluti ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. *c. eos, qui, ibidem.*

11. Offendentes Cardinales. *c. felicis de pœn.*

12. Exigentes tributa a personis Ecclesiasticis, *c. Clericis, de immunit. in 6.*

13. Violantes interdictum modis prohibitis. *Clement. Gravis, de Sent. excom.*

14. Falsificantes monetam Regis Galliæ. *Extravag. Joan. XXII. Prodiens, de crim. falf.*

15. Exenterantes corpora Sanctorum. *Extravag. 2. de sepult.*

16. Violantes interdictum Sedis Apostolicæ, *Extravag. & fi. de pœn.*

17. Conspirantes in Personam Romani Pontificis, *ibidem.*

18. Dantes, & recipientes ob ingressum Religionis, *Extravag. Commun. 1. de Simon.*

19. Simoniaci in Ordine, & Beneficio, *Extravag. 2. eod.*

20. Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis, *Extravag. Grave, de Reliq.*

21. Dantes, & recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. *Extravag. 1. de Sent. excom. Bulla Bonifacij VIII. 1. & Greg. XIII. 24.*

22. Offendentes Rectores, seu Præsides Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, *Extravag. Joan. XXII. Dierum, de pœn.*

23. Occupantes bona Cardinalium tempore Conclavis. *Bulla 16. Leonis X.*

24. Mentientes personas in literis Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur. *Bulla Leonis X. 27.*

25. Impedientes executionem literarum S. Pœnitentiariæ. *Bulla Julij III. Rationi congruit. 1.*

26. Simulantes, & supponentes, se alios esse pro obtinendis Beneficiis a Dataria. *Bulla 12. Pauli IV. inter ceteras.*

27. Committentes duellum, & illud consulentes. *Conc. Trid. c. 19. Sess. 25. de Reform. Bulla Clem. VIII. 11. Illius vices.*

28. Mittentes literas, aut Nuncium in Conclave, vel inde recipientes. *Bulla Pii IV. 63. In eligendis.*

29. Occupantes bona Ecclesiarum, Montium Pietatis, seu alterius loci Pii; vel impedientes, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur. *Conc. Trid. c. 11. Sess. 22. de reform.*

30. Feminæ ingredientes clausuram Monasteriorum Regularium sub prætextu privilegii. *Bulla S. Pii V. 20. Regularium.*

31. Feminæ, & masculi ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis. *Greg. XIII. Bulla 28. Ubi gratia.*

32. Suadentes Papæ, ut alienet, vel infeudet loca Status Ecclesiæ. *Bulla S. Pii V. Admonet Nos.*

33. Capientes, & retinentes Christianos habitantes inter Turcas, & illorum bona diripientes, aut redimi gare cogentes. *Bulla S. Pii V. 149. Licet.*

34. Non revelantes conspiratores, & insidiatores contra Cardinales. *Bulla ejusdem Pontif. 94. Infelices.*

35. Publicantes indulgentias, & facultatem dantes eligendi Confessores iis, qui aliquid solvunt. *Bulla ejusd. Pontif. 99. Quam plenum.*

36. Accipientes, & retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii possessionem non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem. *Bulla ejusd. Pontif. 104. Durum nimis.*

37. Facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ. *Bulla Greg. XIII. 93. Inter Apostolicas.*

38. Diripientes animalia, & bona, vel illa furata ementes ex Statu Ecclesiastico. *Bulla ejus. Pontif. 98. Non sine.*

39. Violantes immunitatem Ecclesiasticam, nempe localem. *Bulla Greg. XIV. 7. Cum alias.*

40. Docentes posse fieri confessionem Sacramentalem in absentia per literas. *Bulla Clem. VIII. 87. Sanctissimus.*

41. Extrahentes frumentum, blada, legumina, & oleum extra Statum Ecclesiasticum sine licentia. *Paulus V. Bulla 12. inter gravissimas.*

42. Docentes, aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas. *Decreta S. Congregationis, & S. Officii, quæ emanavere annis 1665. 1666. 1679. & 1690.*

Contra Clericos.

43. Participantes in Divinis cum excommunicato a Papa. *c. Significavit de Sent. excom.*

44. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis. *Clem. Cupientes, §. Sane, de pœn.*

45. Commissarii, seu Delegati interponentes Decretum per gratiam, aut timorem, vel sortes, in alienatione bonorum Ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolose procurantes. *Bulla 2. Pauli II. Cum in omnibus.*

46. Prædicatores non servantes Decreta pro eis lata in Concil. Lateranensi. *Bulla Leonis X. 21. Superna.*

47. Retinentes Beneficia in confidentiam. *Bulla Pii IV. 85. Romanum Pontificem. Bulla S. Pii V. 85. Intolerabilis.*

48. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decretum S. Congreg. Episc. & Regul. a Clemente VIII. approbatum an. 1601.*

49. Trahentes Personas Ecclesiasticas ad forum laicale. *Bulla Martini V. 10. Ad reprimendas.*

50. Consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarum. *Conc. Trid. c. 11. Sess. 22. de Reform.*

Contra Regulares.

51. Administrantes Sacramenta extremæ Unctionis, & Eucharistiæ infirmis, vel Matrimonia solemnizantes sine licentia Parochi. *Clem. I. de privileg.*

52. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decretum Clement. VIII. ut supra.*

53. Euntes ultra mare sine licentia Superiorum. *Extravag. Ad nostram de Regular.*

54. Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes. *Extravag. Viam. ibid.*

55. Moniales exeuntes de Clausura absque licentia. *Bulla S. Pii V. 8. Decori.*

56. Superiores non denunciantes Religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. *Bulla Pauli V. 26. Romanus Pontifex.*

57. Minores de Observantia subornantes vota in electionibus. *Bulla S. Pii V. 128. Pastoralis.*

58. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. *Bulla Julii II. Virtute conspicuù, extra Bullarium.*

59. Tertiarii portantes habitum Minorum. *Bulla Leonis X. Licet alias extra Bullarium.*

60. Minores admittentes in eorum Ecclesiis tempore interdicti ad divina Fratres, & Sorores tertii Ordinis. *Clem. num ex eo de Sent. excom.*

61. Clerici Regulares Societatis Jesu, discedentes sine licentia a Societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem (excepto Ordine Carthusianorum) *Bulla Greg. XIII. 89. Ascendente.*

62. Clerici Regolares Congregationis de Somasche transeuntes ad arctiorem Religionem sine licentia Superioris (exceptis Religionibus Capuccinorum, & Carthusianorum) illorumque receptores. *Sixtus V. Bulla 4. equum.*

63. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum Ecclesiis. *Clem. Cupientes §. Sane de pœn. ut supra.*

Contra personas publicas.

64. Prælat. vexantes censuris commorantes in servitio Papæ. *Extravag. 3. de Privilegiis.*

65. Cardinales contravenientes in electione Pontificis Bullæ Julii II. 3. *Cum tam Divino.*

66. Cardinales revelantes ea, de quibus Papa eis silentium indixit. *Bulla Leonis X. 7. §. 31. Et quotiescunque.*

67. Episcopi, qui conferunt Beneficia contra præscriptum Bullæ S. Pii V. in eorum manibus resignata. *Bulla 58. Quanta.*

68. Cardinales ambientes Papatum, & simoniaci ejus causa. *Pauli IV. Bulla 16. Cum secundum.*

69. Cardinales simoniaci in Beneficiis. *Bulla S. Pii. V. 85. Hodie in Consistorio.*

70. Judices, Officiales Laici, ac Prælati Ecclesiastici, trahentes

trahentes personas Ecclesiasticas ad forum Laicale. *Bulla Martini* V. 10. *Ad reprimendas, ut supra.*

71. Domini temporales, qui in terris suis suppositis interdicto, cogunt celebrare, & audire Divina Officia. *Clem. Gravis, de Sent. excom.*

72. Officiales, ac Domini temporales, bannientes, seu facientes, & mandantes banniri, personas Ecclesiasticas. *Bulla Urbani* VI. 3. *Quia sicut.*

73. Officiales, Judices, & Domini temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. *Clem.* 1. *de pœn.*

74. Principes, & Domini temporales, concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. *Conc. Trid. Sess.* 25. *de Reform. c.* 19. *Bulla Clem.* VIII. 11. *Illius vices.*

75. Episcopi, & Inquisitores, eorumque substituti, qui faciendo, vel omittendo, contra diffamatos de hæresi, delinquunt in Officio. *Clem. Multorum.* §. *Verum de hæret.*

76. Officiales, & ministri Cameræ Apostolicæ non reddentes integra computa. *Bulla Pauli* VIII. 40. *Cum sicut.*

77. Gubernatores Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici, recipientes munera, præter comestibilia. *Bulla Pauli* II. 3. *Munera.*

222. Animadverte nunc primo, ab his excommunicationibus, si ex delicto occulto ortæ sint, absolvere posse Episcopos, non quidem vi Juris communi, eo ipso, quod ut sic Pontifici reservatæ sint; sed ex concessione Tridentini *Sess.* 24. *c.* 6. *de Reform.* ubi sic habet: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Et licet huic concessioni sit derogatum quoad Casus in Bulla Cœnæ reservatos, secundum dicta *n.* 218. non tamen noscitur eidem derogatum quoad Casus in reliquo Jure reservatos: consequenter &c. Imo vi dictæ concessionis possunt Episcopi generalem concedere licentiam suis Vicariis ab istis casibus, & censuris absolvendi; ut patet ex verbis: *per seipsos, aut Vicarium.* Nec obstant superaddita verba: *specialiter deputandum.* Siquidem Concil. per ea non intendit, quod Episcopi tantum possint suis Vicariis antefatam potestatem delegare pro hoc, vel illo casu particulari; sed solum innuit, eandem potestatem a se non concedi Vicariis, tanquam eorum muneri, & officio annexam, sicut concedit Episcopis. Et quamvis in *cit. Trid.* fiat mentio de solo Vicario; per id tamen non prohibetur, quo minus in casibus particularibus possint Episcopi talem facultatem committere aliis quoque Confessariis pro singulis vicibus: quia potestas Episcopis concessa, censetur ordinaria, quippe annexa eorum officio; ut proxime advertimus: consequenter delegabilis est. Ita P. Khamm *de Censur. in gen. part.* 2. *n.* 79. citans Salmanticens, & Fagundez.

223. Animadverte secundo, alios Curatos, Episcopo inferiores, non posse a prædictis excommunicationibus absolvere, nisi in casibus *n.* 219. specificatis. Ita communis DD.

224. Animadverte tertio, posse tamen ab iis absolvere Confessarios Regulares Ordinum Mendicantium extra Italiam quoscunque seculares ad se venientes, vi suorum privilegiorum a variis Pontificibus concessorum, & videndorum *in Compendio Privilegiorum V. Absolutio quoad seculares.* Unum recensuisse juverit, quod Paulus III. concessit Confessariis Societatis Jesu (& consequenter aliorum Ordinum habentium communicationem privilegiorum) in Bulla: *Cum inter cunctas.* ibi: *Concedimus quorumcunque utriusque Sexus Christi fidelium ad eos accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & a quibuscunque ex ipsis casibus resultantibus sententiis, & censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi, absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, plenam, ac liberam facultatem.* Hucusque Bulla, hodiedum in suo vigore, & valore tota persistens extra Italiam. Excipiunt P. Sporer in *Theol. Sacram. part.* 3. *c.* 6. *n.* 740. P. Erhart *loc. cit. pag.* 181. & alii communiter sententias particulariter inflictas, & casus locorum Ordinariis reservatos: de quibus *part.* 5. *tr.* 4.

Dixi: *extra Italiam.* Nam Confessarii Mendicantes intra Italiam, extra Urbem, seu Romam existentes, non valent absolvere ab omnibus omnino casibus prædictis. Excipiuntur enim quinque, & sunt. 1. Extractio reorum ex Ecclesia, vel Cœmeterio. 2. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem castitati contrarium. 3. Duellum in forma Tridentini. 4. Percussio Clerici, si non sit levis. 5. Simonia realis, & confidentialis beneficialis. Ita habet *Decretum S. Congreg. jussu Clem.* VIII. *editum an.* 1602. *die* 26. *Novembris,* & videndum apud Passerinum *de hominum Statibus, & Officiis,* q. 187. *art.* 1. *num.* 374. vi cujus proinde Bullæ Paulinæ supra recitatæ aliquo modo derogatum est, quatenus Confessariis Mendicantibus intra Italiam, extra Urbem degentibus, est restricta potestas, ut nequeant absolvere a quinque casibus specificatis, esto adhuc queant absolvere ab aliis non exceptis. Quod autem hoc Decretum non protendatur ad Confessarios Mendicantes, morantes extra Italiam, declaravit Urban. VIII. *in Decreto edito an.* 1628. *die* 17. *Novembris,* itidem extante apud Passerinum *loc. cit. num.* 376. Et ita sentiunt P. Stoz *lib.* 2. *num.* 60. Illsung. *tract.* 6. *disput.* 6 *n.* 220. Erhart *pag.* 181. & alii passim.

Dixi præterea: *seculares.* Nam privilegia Mendicantibus concessa absolvendi omnes fideles a prædictis casibus, & censuris, non porriguntur ad Religiosos (vel Religiosas) sive ejusdem, sive alterius Ordinis, utpote quibus non est permissum confiteri aliis Sacerdotibus, quam a Superiore deputatis. Ita enim declaravit Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis, edita anno* 1599. *die* 23. *Novembris:* prout videre apud P. Sporer *loc. cit. num.* 683. & 743. Debent ergo tales Religiosi (vel Religiosæ) ab enumeratis excommunicationibus absolvi per suos Superiores, vel horum delegatos. Quod autem Prælati Ordinum Mendicantium (vel alias Exemptorum a Jurisdictione Episcopi) gaudeant ea potestate relate ad suos Subditos, ostenditur: siquidem jurisdictio, quæ ante exemptionem competierat Episcopis in Regulares, per exemptionem translata est in proprios Superiores talium Regularium, eorumque Officii perpetuo annexa; ergo sicut Episcopi possent a dictis excommunicationibus (ex delicto scilicet occulto ortis) absolvere ejusmodi Regulares, si illis subjecti forent (per dicta *n.* 222.) ita & poterunt Prælati Regulares Mendicantes, vel aliter Exempti &c. Id quod de Prælatis Mendicantibus specialiter, & clare patet ex Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis,* 13. in Bullario Rodriquezii, edita pro Ordine Prædicatorum (& consequenter etiam favente aliis Ordinibus Mendicantibus propter communicationem privilegiorum) in qua dicitur. *Ne Prior Conventualis, & superiores Prælati dicti Ordinis, in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut seculares, existant, eisdem Priori Conventuali, & superioribus Prælatis, ut ipsi per seipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi, & dispensandi, hujusmodi* (loquitur de facultate concessa Episcopis in Trident. supra) *quam alias quascunque facultates, eisdem auctoritate, & tenore, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.* P. Herincx *de Pœnitent. disputat.* 7. *numer.* 14. *& sequenti.*

Explicantur hic a nonnullis Authoribus excommunicationes statutæ contra percussores Clericorum, & violatores immunitatis Ecclesiasticæ, ceu frequentiores in praxi, & sæpius, ac aliæ, incurri solitæ, adeoque scitu magis necessariæ: sed illarum explicationem commodius daturi sumus, *tract. seq. disp.* 1.

Recensentur excommunicationes Juris non reservata.

Contra Omnes.

215. SIc excommunicatur 1. qui ex Magistris, aut Scholaribus Bononiæ conducunt domos alterius Doctoris, aut Scholaris. *c. 1. de locato.*

2. Qui ratas habent collationes Ordinum, & Beneficiorum a schismaticis. *c. 1. de Schismat.*

3. Qui vexant Ecclesiasticos, quod non elegerint eum, pro quo rogabatur. *c. sciant. de Elect. in 6.*

4. Qui titulo regaliæ, aut defensionis occupant bona Ecclesiæ vacantis. *c. Generali, eod.*

5. Qui tanquam directores præsident electionibus Monialium, & discordias fovent. *c. Indemnitatibus, eod.*

6. Qui procurant, ut Conservatores Regularium se immisceant in aliis, quam in manifestis injuriis, & violentiis. *c. fin. de Offic. deleg. in 6.*

7. Qui extorquent absolutionem a censuris per vim, aut metum. *c. de his, quæ vi &c. in 6.* Et absolutio est nulla.

8. Qui ex Judicibus accedunt ad mulieres ex causa ficta ad excipiendum testimonium. *c. 2. de Judic. in 6.*

9. Qui ex Laicis compellunt Ecclesiasticos, ut sibi submittant jura Ecclesiæ. *c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6.*

10. Qui exigunt pedagia &c. ab Ecclesiasticis personis *c. 4. de censib. in 6.* Videtur tamen hæc excommunicatio nunc reservata in Bulla Cœnæ can. 18. P. Pichler loc. & n. citt.

11. Qui docent Jus Civile, vel Medicinam, Religiosos habitum dimittentes, *c. 2. Ne Clerici in 6.*

12. Qui sepeliunt hæreticos in loco sacro scienter. *c. 2. de Heret. in 6.*

13. Qui mandant interfici Christianum per assassinos. *c. 1. de Homicid. 6.*

14. Qui concedunt, vel concessas repressalias extendunt adversus Ecclesiasticos. *c. un. de Injur. in 6.*

15. Qui sequestrum ab Ordinario super Beneficio factum impediunt, vel fructus occupant. *Clem. un. de sequestr. possess.*

16. Qui tempore interdicti, vel interdictos nominatim, publice excommunicatos, aut usurarios manifestos sepeliunt in loco sacro. *Clem. 1. de Sepult.*

17. Qui impediunt Visitatores Monialium. *Clem. attendentes de Statu Monach.*

18. Qui scienter contrahunt Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Moniali. *Clem. un. de Consang.*

19. Qui impugnat literas Papæ non coronati. *Extravag. ult. de Sent. excom.*

20. Qui imprimunt libros absque licentia Superiorum. *Bulla 12. Leonis X.*

21. Qui edunt Glossas, & Scholia in Tridentinum. *Bulla 73. Pii IV.*

22. Qui asserunt, ante susceptionem Eucharistiæ non esse necessariam confessionem peccato mortali obstrictis. *Trid. Sess. 13. can. 11. de Euchar.*

23. Qui rapiunt mulieres, & rapientibus favent. *Trid. c. 9. Sess. cit.*

24. Qui cogunt, vel impendiunt mulieres ab ingressu Religionis. *Trid. Sess. 25. c. 9. de Regular.*

25. Qui vexant personas, res, & Officiales S. Officii. *Bulla 82. S. Pii V.*

26. Qui pingunt, deaurant &c. Agnos Dei a Pontifice benedictos. *Bulla 2. Greg.* XIII.

27. Qui non denunciant S. Officio, vel Ordinario, hæreticos, magos, sortilegeos, & hæreticaliter blasphemantes Deum, B. Virginem, & Sanctos. *Edictum S. Officii.*

Contra Clericos.

28. Qui se ingerunt in alterius Episcopatu ad Officium sine licentia proprii Episc. *c. Quoniam de Offic. Ordinar.*

29. Qui publice audiunt Medicinam, aut Leges, & Sacerdotes sunt Personatum habentes. *c. fin. Ne Clerici.*

30. Qui ex Sacerdotibus recipiunt præfecturas Sæcularium, & moniti non dimittunt. *c. Clerici eod.*

31. Qui procurant, ut alii occupent jura, & bona Ecclesiarum vacantium. *cap. Generali de Elect. in 6.* Sed in Trid. Sess. 22. c. 11. de Reform. Videtur hæc excommunicatio esse reservata. P. Pichler loc. & n. citt.

32. Qui in Sacris constituti contrahunt Matrimonium. *Clem. un. de Consang.*

33. Qui alienant, vel ultra triennium locant bona Ecclesiarum. *Extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. alien.*

34. Qui ficte resignant, vel permutant, Beneficia. *Bulla 58. S. Pii* V.

35. Qui in concionibus, vel disputationibus impugnant Montes Pietatis. *Bulla 11. Leonis* X.

Contra Religiosos.

36. Qui non adimplent disposita in Alexandri VII. Bulla, quæ incipit: *Felici*, in visitatione Monialium sibi subjectarum.

37. Qui audiunt, vel docent extra Claustra Jus Civile, vel Medicinam. *c. Non magnopere. c. super specula. Ne Clerici.*

38. Qui instituunt novum Ordinem (vel locum acquirunt, secluso privilegio) sine licentia Papæ. *c. un. de Relig. Dom. in 6.*

39. Qui ex Professis temere dimittunt habitum. *c. 2. Ne Clerici, in 6.*

40. Qui occupant decimas Ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibent. *Clem. 1. de Decim. Clem. Cupientes. de Pœnit.*

41. Qui adeunt Curias Principum ad nocendum suis Prælatis, vel Monasteriis. *Clem. Ne in agro. §. quia vero, de Statu Monach.*

42. Qui tenent arma intra Claustra sine licentia Abbatum, & sunt Monachi nigri. *ibid.*

43. Qui ex Professis contrahunt Matrimonium. *Clem. un. de Consang.*

44. Qui ex Mendicantibus recipiunt novas domos, vel receptas alienant, sine licentia Papæ, & privilegio. *Clem. Cupientes de Pœnit. cit.*

45. Qui non observant interdictum a Papa, vel Episcopo positum. *Clem. 1. de Sent. excom.*

46. Qui de Capuccinis recipiunt Minores de Observantia sine licentia Sedis Apostolicæ, aut Ordinis Generalis, & qui recipiuntur. *Bulla 20. Sixti* V.

Contra Episcopos, & Nuncios.

47. Qui veniunt ad Urbem, & inde recedunt sine licentia Papæ. *Extravag. 2. & 3. de Majorit. & Obed.*

48. Qui impetrant literas a Principibus ad dignitates. *Bulla 96. Pii* IV.

Contra Dominos temporales.

49. Qui prohibent subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, aut emant aliquid ab iisdem, neque eis bladum molant, aut alia obsequia præstent. *c. Eos, qui de Immun. Eccl.* Sed hæc quoque excommunicatio videtur reservata in Bulla Cœnæ §. 15. Pichler loc. & n. citt.

50. Qui se opponunt, vel impediunt Episcopos, vel Inquisitores in Officio inquisitionis. *c. Ut inquisitionis, de Heret. in 6.*

51. Qui concedunt repressalias contra Ecclesiasticos. *c. 1. de Injur. in 6.*

52. Qui retinent in Italia nomen Vicarii Imperatoris vacante Imperio. *Extravag. Si Fratrum Joann.* XXII. *Ne Sede vacante.*

53. Qui contra persecutores Cardinalium non servant statuta in c. Felicis, de Pœnis in 6.

54. Qui permittunt agitationes taurorum in terris suis, nempe periculosas. *Bulla 48. S. Pii* V.

Contra Magistratus, & Judices.

55. Qui post tertiam admonitionem negligunt reddere jus Ecclesiasticis. *can. Administrationes, caus. 12. quæst. 5.*

56. Qui faciunt servari statuta contra libertatem Ecclesiasticam. *cap. Noverit, de Sentent. excommun.* Sed & hanc reservare videtur Bulla Cœnæ §. 15. P. Pichler loc. & n. citt.

57. Qui extorquent pecuniam prætextu Officii Inquisitoris. *Clem. de Heret.*

58. Qui fovent usuras, & approbant. *Clem. unic. de Usuris.*

59. Qui auxilium non præstant Episcopo pro conservanda clausura Monialium. *Trid. Sess. 25. c. 5. de Regular.*

60. Qui

60. Qui ex Rectoribus Universitatum promovent ad Doctoratum, vel Professionem, eos, qui non emiserunt Professionem fidei *Bulla* 88. *Pii* IV.

61. Qui Cardinalibus Inquisitoribus in rebus ad Officium inquisitionis pertinentibus non obediunt. *Bulla* 1. *S. Pii* V.

62. Qui dant licentiam in Statu Ecclesiastico portandi pugiones, & arma tribus palmis breviora. *Bulla* 145. *S. Pii* V.

226. Animadverte primo, plures adhuc, imo (1) fere innumeras extare excommunicationes, præsertim non reservatas; earum tamen enumerationem (2.) non esse necessariam, dato etiam, quod possibilis foret. Primum membrum patet ex Scoto, qui *in 4. dist. 2. q. 1.* suo jam tempore scripsit, scriptumque reliquit sequens testimonium: *Quandoque erat possibile dicere numerum* (excommunicationum) *imo erat parvus numerus, quando fuerunt Decretales compilatæ sub Greg.* IX. *sed hodie quis numerare sufficiat? & cum crescat in infinitum, crescentibus moribus Capitum, non oportet circa hoc membranas implere.* Secundum desumitur ex Pichlero, qui *loc. & num. citt.* testatur, reliquas excommunicationes non reservatas haud amplius esse in usu: consequenter &c.

227. Animadverte secundo, ab excommunicationibus non reservatis, quæ adhuc vigent, & a nobis hic recensitæ sunt, posse absolvere non solum Episcopos, sed etiam Parochos, & quoscunque alios Confessarios, quæ pœnitentem illis innodatum absolvere possunt a mortalibus: id quod relinquitur ex dictis *n.* 123. Sed hoc intellige, nisi prædictas excommunicationes, & peccata, ex quibus oriuntur, Episcopus in sua diœcesi sibi reservet, prout reservat Ordinarius Augustanus, utpote qui reservat omnem casum, cui annexa est excommunicatio major, etiamsi hæc non sit ex reservatis Pontifici. Tunc quippe Parochi, aliique Confessarii illius diœceseos a præmemoratis excommunicationibus absolvere non possunt, nisi ex delegata potestate Episcopi reservantis. Et hæc est ratio, ob quam catalogum excommunicationum etiam non reservatarum contexere, vel potius a Pichlero jam contextum transcribere, & Confessariis communicare volui, ne forte, in simili diœcesi degentes, ob illarum ignorantiam potestatis suæ limites transgrediantur. Nunc sit

CAPUT II.

De Suspensione, & Interdicto: item de Depositione, Degradatione, & Cessatione a Divinis, Suspensioni, & Interdicto respective affinibus.

Suspensioni affines sunt Depositio, & Degradatio; Interdicto autem Cessatio a Divinis: prout redditur perspicuum ex dicendis. Propter quod consuevere Authores, post tractationem de Suspensione, & Interdicto, impræsentiarum etiam differere, breviter tamen, de Depositione, Degradatione, & Cessatione a Divinis, eorum vestigiis & nos insistemus, Interim, & prævie sit

ARTICULUS I.

De Suspensione.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Suspensio?

SUMMARIUM.

228. *Definitur Suspensio.* 229. *& seqq. deducuntur corollaria.* 233. *Suspensio præcipue est triplex, videlicet* ab Officio tantum, a Beneficio tantum, *&* ab utroque simul: *quibus a Scoto additur quarta species, nimirum* suspensio ab ingressu Ecclesiæ. 234. *Solvitur objectio.*

Dico primo. Suspensio est *censura privans Clericum functione, vel functionibus Ecclesiasticis, qua talibus.* Ita DD. reipsa communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *Censura*, loco generis, per quod convenit suspensio cum excommunicatione, & interdicto. Quamvis etiam per idem vocabulum insinuetur differentia suspensionis ab aliis pœnis (vel quasi pœnis) Ecclesiasticis, cujusmodi sunt Depositio, Degradatio, Cessatio a Divinis, & Irregularitas: item Suspensio vindicativa, seu illata in puram pœnam, & vindictam delicti mere præteriti &c. Hæ enim, & similes pœnæ non sunt ex sua ratione, saltem primaria, medicinales: & consequenter neque censuræ.

Dicitur 2. *privans Clericum*, ut indicetur, subjectum suspensionis esse solam personam Ecclesiasticam, seu Clericum, saltem per primam tonsuram in Ordine Clericali constitutum. Hinc non est suspensio proprie dicta, quando Prætor ab Officio, vel Magister a collatione Magisterii suspenditur. *Clement. cap. 2. de Magistris*. Idem cogita de suspensione, qua Abbatissa, vel rissa suspenditur a suo Officio &c.

Dicitur, 3. *functione, vel functionibus Ecclesiasticis:* partim ut denotetur, suspensionem non semper, & necessario pluribus, vel omnibus ejusmodi functionibus privare: partim ut indigitetur, suspensionem non privare ipso Officio, vel Beneficio, sed tantum functionibus Clerico ratione eorum competentibus. Per quod suspensio rursus differt ab irregularitate, utpote quæ privat Ordine suscipiendo (secundum dicenda *disp. seq.*) & a depositione, ac degradatione, quæ (ut dicemus infra *art.* 3.) privant tam privilegio Clericali, quam Officio, & Beneficio simpliciter: item ab excommunicatione minori; quia hæc privat usu passivo tantum Sacramentorum; suspensio autem usu activo, seu functionibus ad eorum administrationem requisitis.

Dicitur 4. *qua talibus*, ad differentiam suspensionis ab excommunicatione, & interdicto. Nam licet etiam excommunicatio privet Clericum functionibus Ecclesiasticis, id tamen solum præstat, quatenus hujusmodi functiones sunt quædam cum fidelibus communicatio, a qua excluditur excommunicatus: prout annotavimus *n.* 153. at suspensio illis privat, quatenus sunt functiones Ecclesiasticæ, absolute, & secundum se consideratæ. Porro interdictum solummodo privat functionibus Ecclesiasticis, in quantum hæ sunt quædam bona a fidelibus possidenda; ut videbimus *art. seq.* suspensio autem iisdem privat, quatenus sunt functiones Ecclesiasticæ, seu exercitia, ab Officio, vel Beneficio provenientia. Porro excommunicatio, & interdictum inducunt privationem plurium, quam suspensio: afficiunt præterea æque personas Laicas, ac Ecclesiasticas; suspensio autem solas Ecclesiasticas. Hinc Confessarii, dum absolvunt Laicos (vel feminas) omittunt absolutionem a suspensione, juxta Rituale Pauli V. Ita P. Erhart *pag.* 183. & alii passim.

229. Colliges primo, suspensionem, qua quis suspenditur a perceptione Sacramentorum, quia v. g. est in statu disgratiæ constitutus, non esse suspensionem proprie dictam, & quæ habeat rationem censuræ. Ita DD. communiter. Ratio est: quia perceptio Sacramentorum non est functio Ecclesiastica, Officio, vel Beneficio annexa.

230. Colliges secundo, nec inter proprias suspensiones numerari suspensionem impositam Clerico in foro Sacramentali pro pœnitentia, v. g. Sacerdoti, ut per aliquot dies celebratione Missæ suspendeat. Ratio est: quia inflictio censuræ est actus jurisdictionis fori externi, vel a Jure, vel ab Homine positus, non vero fori interni, & Sacramentalis. Ita denuo DD. communiter.

231. Colliges tertio, similiter non esse veram suspensionem, sed simplicem duntaxat prohibitionem, quando Superior suo subdito solum oretenus interdicit auditionem confessionum, celebrationem Missarum &c. Ratio est: quia ex dictis *n.* 99. censura non potest licite ferri verbis ore prolatis; Superior autem præsumendus non est velle peccare, adeoque nec velle censuram oretenus ferre: consequenter &c. Attamen si aliqua Religio v. g. gaudeat privilegio oretenus ferendi censuras, attendenda est gravitas delicti, ob quod interdicitur auditio confessionum, celebratio Missarum &c. & frequens usus, quo in ea Religione censuræ fulminantur. Nam quando delictum non est admodum grave, nec adeo frequens ferendi censuras usus in tali Religione, Superior (nisi de contraria intentione constet) censendus est antefatos actus simpliciter prohibere, non autem vere ab iisdem suspendere sub-

re subditum. Oppositum sentiendum, quando delictum est admodum grave, & usus ferendi censuras, ac speciatim suspensiones, valde frequens in illiusmodi Religione. Quod idem, & indubitanter, judicandum, quando Superior suspedit subditum in scriptis sub forma debita. Ita cum Avila, Navarro, & Salmanticensibus P. Khamm *de Suspens. n. 185. & seq.*

232. Colliges quarto, quod suspensio habenda sit pro vera censura, quando, omnibus expensis, dubium remanet, sitne lata ut censura, vel ut pœna. Krimer *loc. cit. n.* 2055. Ratio est: quia in lege odiosa benignior interpretatio est adhibenda; est autem benignior interpretatio, magisque favens subdito, suspensionem esse censuram, & non puram pœnam, cum illa, non item ista, obtineat principaliter rationem medicinæ, ad delinquentis correctionem, & salutem ordinatæ.

233. Dico secundo. Suspensio præcipue triplex est, videlicet *ab Officio tantum*, *a Beneficio tantum*, & *ab utroque simul*. Communis.

Explicatur. Prima est, qua Clerico executio suorum Ordinum, & jurisdictionis Ecclesiasticæ interdicitur. Secunda, qua Clericus fructus Beneficii percipere prohibetur. Tertia, qua Clericus impeditur tam ab executione Officii, quam a perceptione fructuum Beneficii.

Tertia hæc suspensionis species dicitur & suspensio *totalis*, qualis esse semper intelligitur, quæ fertur terminis indefinitis, & absolute prolatis, nisi oppositum aliunde colligatur; nam propositio indefinita ob suam indefferentiam æquivalet universali, quando nullum suppetit fundamentum illam restringendi (prout suppetit, si Superior dicat: *excommunico Petrum* v. g. secundum dicta *num 94.*) atqui in præsenti nullum suppetit fundamentum propositionem indefinitam restringendi; prout iridem constat ex *cit. n.* ergo &c. Duæ priores suspensionis species dicuntur, & sunt partiales; quia nimirum privant alterutro duntaxat illorum, quibus privat tertia, id est, actibus vel Officii tantum, vel Beneficii tantum. Præterea suspensio ab Officio alia est ab Officio in totum privans omni usu Officii; ut siquis suspendatur ab actibus Ordinis, & jurisdictionis: alia est ab Officio in partem, non omni, sed solum uno, vel altero Officii actu privans; ut siquis suspendatur solum a celebratione Missarum, vel auditione confessionum. Similiter suspensio a Beneficio aliquando privat omni administratione Beneficii, & fructuum perceptione; & est suspensio a Beneficio in totum: aliquando solummodo administratione certi Beneficii, & perceptione horum, vel illorum fructuum; estque suspensio a Beneficio in partem. Suspensio ab Officio, vel Beneficio in totum, vocari potest suspensio totalis in suo genere, & linea; suspensio autem ab Officio, vel Beneficio in partem, suspensio partialis in eodem genere, & linea. Porro sicut per suspensionem indefinite, & absolute prolatam intelligitur totalis simpliciter, videlicet ab Officio, & Beneficio simul; ita per suspensionem ab Officio tantum, vel Beneficio tantum, intelligitur totalis in suo genere, & linea, id est, a toto Officio, vel toto Beneficio, ob rationem supra allatam.

Dixi in conclus. *præcipue* Nam Scotus *in 4. dist. 25, q. 1. num. 13.* adhuc aliam suspensionis speciem assignat nempe *suspensionem ab ingressu Ecclesiæ*. Et licet hanc suspensionem, seu prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ alii ponant simpliciter, & absolute speciem interdicti; nihilominus etiam in aliquo sensu rationabiliter huc trahitur, & inter species suspensionis collocatur, conformiter ad *c. 20. de Sent. excom.* & *c. fin. de Offic. Ordinar. in 6.* in quorum posteriore habetur: *Alioquin Episcopi, & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ; ceteri vero ab Officio, & Beneficio tandiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis.* Ex quibus manifestum est, prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ aliquando sumi pro parte subjectiva, seu specie suspensionis; alias ibi debitus nexus non servaretur, ut consideranti patet. Accedit, quod prohibitio illa, quatenus reponitur inter species suspensionis, propriæ sit Clericorum (& ideo eam violantes in *cit. c. 20.* pronunciantur irregulares) consistens in eo, quod Clericus ipsa innodatus, in Ecclesia celebrare non possit, nec Divinis interesse Officiis; esto possit in Ecclesia orare, Sacramenta recipere, & jurisdictionem exercere, ibique, si pœnitens decesserit, sepeliri: prout colligitur ex *cit. capit. 20.* At quatenus prohibitio ab ingressu Ecclesiæ continetur sub interdicto, est quædam pœna, Clericisque, Laicisque communis, & plures operatur effectus; prout videbimus *artic. seq.* P. Erhart *pag. 185.*

234. Objicies. Omnis vera suspensio privat aliqua functione Ecclesiastica; prout fuit, imo expressum est in definitione suspensionis ut sic: sed suspensio a Beneficio tantum, non privat aliqua functione Ecclesiastica; ergo non est vera suspensio, seu vera species suspensionis.

Respondetur, neg. min. Quando enim dicitur, quod omnis suspensio privet aliqua functione Ecclesiastica, per hanc intelligitur usus alicujus juris Ecclesiastici, quo etiam privat suspensio a Beneficio, cum sic suspensus prohibeatur percipere fructus Beneficii: prout advertit sæpe laudatus. P. Khamm *loc. cit. numer.* 267.

§. II.

De Effectibus Suspensionis.

S U M M A R I U M.

235. *Suspensus ab Officio in totum privatur omni usu, seu functione Ordinis: non item suspensus ab Officio in partem.* 236. *& seqq. Deducuntur varia corollaria.* 241. *Suspensus a Beneficio in totum privatur omni administratione temporali Beneficii, & perceptione fructuum: non item suspensus a Beneficio in partem.* 242. *& seqq. Deducuntur itidem nonnulla corollaria.*

Licet aliqua, effectus suspensionis concernentia jam sint tacta in *§. præced.* ea ipsa tamen hic magis declarare oportet, & superaddere alia, quorum inibi nulla est facta mentio. Quare

235. Dico primo. Suspensus ab Officio in totum (1.) privatur omni usu, seu functione Ordinis, & jurisdictionis: non item (2.) suspensus ab Officio in partem. Communis.

Probatur prima pars: quia hæc talis suspensio non coarctatur ad aliquam Officii partem; ergo privat suspensum toto Officio, seu omni usu Officii; adeoque omni usu Ordinis, & jurisdictionis. Hinc fit, ut sic suspensus non possit exercere ullas actiones Clericis proprias, cujusmodi sunt omnes actiones jurisdictionis Ecclesiasticæ, omneque exercitium Ordinis, aut Officii proprii Clericis. Potest tamen exercere actus Ordinum Minorum eo modo, quo a Laicis fieri consueverunt; uti & Cantorum in Choro, dummodo non decantet quasi ex Officio Capitulum, aut Orationem; de Officiis enim Divinis, prout a Clericis, quatenus tales sunt, exercentur, intelligenda est suspensio: ut docet Abbas *in c. ult. de Clerico excom. minist.*

Probatur etiam secunda pars: quia pœnæ ultra proprietatem verborum non sunt protendendæ: sed suspensio est pœna; ergo non est protendenda ultra proprietatem verborum; ergo si ex verbis constet, suspensionem esse latam in partem tantum, ultra hanc non est protendenda. Ex quo fit, ut suspensus ab Ordine tantum, non censeatur suspensus a jurisdictione, aut vicissim. Sed hoc amplius dilucidare juvat per corollaria. Itaque

236. Colliges primo, suspensum ab Ordine tantum, posse ferre censuras, ab his absolvere, eligere, aliosque actus jurisdictionis, nullam functionem Ordinis includentes, exercere. Babenstuber *loc. cit. art. 2. n. 6.* & alii apud ipsum. Ratio est: quia sicut Ordo ipse, ac jurisdictio sunt separabiles, ita & exercitium Ordinis, ac jurisdictionis; ergo licet quis impeditus sit ab exercitio Ordinis (prout fit per suspensionem ab Ordine) non tamen censetur idcirco etiam impeditus ab exercitio jurisdictionis: consequenter &c.

Dices. Jurisdictio Ecclesiastica fundatur in Ordine; ergo cui prohibetur exercitium Ordinis, etiam censetur prohiberi exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. cons. Nam esto jurisdictio Ecclesiastica fundetur in Ordine, non tamen fundatur in exercitio Ordinis, nisi includat functionem Ordinis: per suspensionem vero ab Ordine non aufertur Ordo ipse, sed solum ejus exercitium impeditur; & consequenter non tollitur fundamentum;

jurisdi

jurisdictionis Ecclesiasticæ, neque impeditur ejusdem exercitium.

Dixi tamen in corollario: *actus jurisdictionis, nullam functionem Ordinis includentes*. Si enim hanc talem functionem includant, id est, si non solum sint actus jurisdictionis, sed etiam Ordinis, exerceri a taliter suspenso non valent: prout patet in absolutione Sacramentali a peccatis; quam proinde impertiri non potest ab Ordine suspensus.

237. Colliges secundo, suspensum a jurisdictione tantum, posse celebrare Missas, aliasque functiones Ordinis, jurisdictionis usum non supponentes, exercere. Illsung *tr. 7. disp. 1. q. 2. art. 2. n. 58.* & alii communiter, Ratio est: quia exercitium Ordinis est diversum ab exercitio jurisdictionis: prout relinquitur ex dictis; ergo quamvis hoc sit impeditum, non tamen censebitur impeditum & illud: consequenter &c.

Dixi autem rursus: *functiones Ordinis, jurisdictionis usum non supponentes*. Nam si hanc supponant, itidem a suspenso exerceri non possunt: quemadmodum denuo patet in absolutione Sacramentali, utpote quæ non solum est actus Ordinis, sed etiam jurisdictionis: consequenter &c.

238. Colliges tertio, suspensum ab actibus Ordinis superioris tantum, posse exercere (1.) actus Ordinis inferioris; non vero suspensum ab actibus Ordinis inferioris, posse exercere (2.) actus Ordinis superioris. Ita cum Suarezio Sanct-Gallenses *tom. 7. tr. 4. sect. 3. q. 2. conclus. 1.* & alii DD. communiter. Ratio primi membri est: tum quia Ordo inferior sicut in sui collatione, ita in sui exercitio a superiori independens est, neque istum præsupponit, aut includit: tum quia potest licere minus, cui non licet majus. Unde qui prohibetur exercere actus Presbyteratus tantum, non prohibetur exercere actus Diaconatus, Subdiaconatus &c. neque qui prohibetur exercere actus Diaconatus, prohibetur etiam exercere actus Subdiaconatus, aut Ordinum Minorum. Ratio secundi membri est: quia cui non licet minus, neque majus licet, quando illud sub isto continetur, per *c. 32. de Sent. excom.* ibi: *Cum majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora*. Unde qui prohibetur exercere actus Ordinum Minorum, etiam prohibetur exercere actus Ordinum Majorum, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus; item qui prohibetur exercere actus Subdiaconatus, etiam prohibetur exercere actus Diaconatus, & Presbyteratus &c.

239. Colliges quarto, suspensum a certo actu jurisdictionis, v. g. a collatione Beneficiorum, posse exercere reliquos. Herincx *loc. cit. n. 69.* & alii communiter, Ratio est: tum quia pœnæ, ut supra diximus, non sunt extendendæ ultra proprietatem verborum: tum quia prohibitio unius est tacita concessio alterius, quando aliunde nihil obstat, sicut nihil obstare noscitur in præsenti.

240. Colliges quinto, suspensum ab Officio tantum, non privari Beneficio habito, nec fructibus ejus, dummodo per se, vel per alium, Beneficii onera exequatur. Filliucius *tr. 17. c. 2. n. 20.* & alii passim. Ratio est: quia suspensio ab Officio, & suspensio a Beneficio sunt pœnæ diversæ, nec una necessario trahit alteram; per *c. 10. de Purgat. Canon.* ergo suspensus ab Officio tantum, relate ad Beneficium, seu fructus ex isto perceptibiles perinde se habet, ac si nullo modo suspensus esset: consequenter &c. Accedit, verba, quæ odium, & pœnam continent, extendenda non esse ultra id, quod sonant. Proceditque responsio etiam de fructibus, ita personali ministerio annexis, ut absque illo non concedantur, cujusmodi sunt quotidianæ distributiones Cathedralium, quæ ex *c. 32. de Præbendis* tantum cantantibus in Choro dantur. Henriquez, Palao, Sanchez, Avila, Andreas a Matre Dei, Salmanticenses *tr. 10. c. 5. punct. 2. n. 21. in fin.* Khamm *de Suspens. n. 244.* Erhart *pag. 161.* Ratio hujus ampliationis est: tum quia nullus extat in Jure textus, qui ejusmodi privationem expresse statuat: tum quia prædictæ distributiones dantur propter ministerium utile Ecclesiæ, & ab eadem acceptatum tanquam validum, quod præstat suspensus (ut supponitur) esto illud illicite præstet. Nec obstat, quod excommunicatus privetur fructibus Beneficii per *c. 53. de Appellat.* Nam in hoc ipso *cap.* extat expressus textus de excommunicato, nullibi de suspenso: insinuatur præterea ibidem ratio disparitatis; quia excommunicato denegatur communio Ecclesiæ, non item suspenso; ergo non est mirum, quod illi etiam subtrahantur fructus Beneficii, non autem isti.

Dixi in corollario: *Beneficio habito*. Nam absolute, & simpliciter suspensus ab Officio privatur Beneficio acquirendo, ita, ut istud eidem conferatur, ab eoque recipiatur illicite, secundum omnes, & invalide, juxta Palao, Bonacinam, Mastrium, Erhart *pag. 191.* aliosque plures. Ratio est: quia cum Beneficium detur propter Officium, repugnat, ut conferatur Beneficium illi, qui est suspensus ab Officio: adeoque suspensio ab Officio in totum, est virtualiter suspensio a Beneficio acquirendo, esto non privet acquisito, nec fructibus ejus. Dispar quippe est ratio circa acquisitionem ex una, & retentionem Beneficii ex altera parte. Nam qui Beneficium nedum habet, nullum adhuc jus obtinet in Beneficio, sed illud primum obtinere debet, cujus tamen obtinendi est incapax ab Officio simpliciter suspensus, secundum dicta: qui vero Beneficium jam habet, obtinet jus in Beneficio, & ad percipiendos ejusdem fructus: quo jure non privatur per suspensionem; ut vidimus.

Dixi præterea: *nec fructibus ejus, dummodo per se, vel per alium Beneficii onera exequatur*. Si enim hæc non exequatur, fructus percipere nequit, perceptosque tenetur Jure naturali restituere, utpote qui non dantur, nisi propter Officium.

241. Dico secundo. Suspensus a Beneficio in totum (1.) privatur omni administratione temporali Beneficii, & perceptione fructuum: non item (2.) suspensus a Beneficio in partem. Hæc conclusio quoad utranque partem probatur, sicut præcedens *n. 235.* statuta.

242. Colliges primo, suspensum a Beneficio absolute, privari fructibus omnium Beneficiorum, quæ possidet. Sanct-Gallenses *de Suspens. q. 2. conclus. 4.* & alii passim. Ratio est: quia non apparet, cur suspensio sic lata intelligatur potius de fructibus unius, quam alterius Beneficii; ergo, ut effectum sortiatur, intelligenda venit de fructibus omnium. Excipe: nisi (ut *AA. citt.* advertunt) oppositum rationabiliter ex intentione suspendentis, vel aliunde colligatur.

243. Colliges secundo, suspensum a Beneficio tantum, obligari ad satisfaciendum suo Officio, & ad exercendam jurisdictionem, vel administrationem spiritualem, ratione Officii sibi incumbentem, Laymann *de Suspens. cap. 1. n. 3. in corollar. 2.* aliique communiter. Ratio est: quia suspensio a Beneficio privat sola perceptione fructuum, & administratione temporali Beneficii, ergo ita suspensus retinet eandem obligationem, quam habuit ante incursionem suspensionis, ad satisfaciendum suo Officio quoad exercitium jurisdictionis, & administrationis spiritualis, solisque (idque in pœnam delicti) privatur fructibus titulo Beneficii alioquin perceptibilibus. Non tamen privatur commodo, quod provenit ex voluntariis oblationibus fidelium propter onera personalia factis: cujusmodi sunt anniversaria, stipendia Missarum, & similia, quæ non sunt fructus Beneficii. Sanct-Gallenses *loc. conclus. 3.*

244. Colliges tertio, suspensum a Beneficio, non privari (1.) Beneficio habito, imo nec (si sit suspensus a Beneficio tantum) habendo, ita, ut ad istud evadat *ipso Jure* inhabilis. Prima pars sumitur *ex c. 16. §. Ceterum de Elect. in 6.* & conceditur ab omnibus. Altera pars traditur a Suarezio, Laymanno, Palao, Erhart *pag. 193.* & aliis. Ratio est: tum quia suspensus a Beneficio tantum, actus sui Officii, ob quos Beneficium confertur, libere exercere potest; tum quia talis inhabilitas, ipso scilicet facto, & Jure incurrenda, nullibi in Jure statuta reperitur; ergo non suppetit fundamentum, ex quo collatio Beneficii, suspenso facta, dicatur *ipso Jure* nulla; quamvis infirmanda veniat ope Judicis.

245. Colliges quarto, suspensum a Beneficio non privari jure eligendi, aut conferendi Beneficia, quod ipsi ratione Beneficii competit. Suarez, Coninck, Laymann *loc. cit. n. 4.* Herincx *de Suspensione n. 72.* Erhart *pag. 195.* & alii passim. Ratio est: quia potestas eligendi, aut conferendi Beneficia, provenit quidem a Beneficio, electio tamen, aut collatio non est actus, nec fructus Beneficii, sed actus Officii, ex Beneficio competentis.

§. III.

§. III.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

246. *An Episcopi comprehendantur in decreto generali suspensionem continente, quando non sit eorum expressa mentio?* 247. *An Religiosi comprehendantur in decreto generali suspensionem adversus Clericos fulminante?* 248. *An integra Communitas suspendi possit?* 249. *An, & quantum peccet, qui actum per suspensionem sibi prohibitum exercet?* 250. *An exercendo agat etiam invalide?* & 251. *incurrat aliquam pœnam?* 252. *An peccent, & aliquam pœnam incurrant, qui cum suspenso communicant in iis, quæ ipsi per suspensionem sunt prohibita?*

246. QUæres primo, an Episcopi comprehendantur in decreto generali suspensionem continente, quando non sit eorum expressa mentio?

Respondetur cum communi negative. Ratio est: quia ipsi ob dignitatem, qua præfulgent, ad incursione suspensionis (uti & interdicti) generaliter latæ eximuntur per *c. 4. de Sent. excom. in 6.* Proceditque responsio, etiamsi necdum sint consecrati, sed tantum electi, & confirmati: uti tradunt Suarez, Sayrus Palao, Laymann *loc. cit. c. 2. n. 2.* & alii. Ratio est: siquidem alia privilegia, Episcopis concessa, extenduntur ad Episcopos confirmatos, etiamsi nondum consecratos; cujusmodi sunt privilegium de eligendo Confessore, *c. ult. de Pænit. & Remiss.* & *c. ult. de Privileg. in 6.* ergo etiam privilegium, de quo in præsenti: idque merito; cum privilegia, a Principe concessa, præsertim Juri communi inserta, ample sint accipienda. Peccant igitur ponendo actum sub pœna suspensionis (vel interdicti) prohibitum, pœnam tamen suspensionis (vel Interdicti) præfato modo statutam haud contrahunt. Secus est de pœna excommunicationis; quoniam in dicto *cap.* solum exprimitur suspensio, & interdictum, non item excommunicatio; idcirco quoad excommunicationem nihil speciale competit Episcopis.

247. Quæres secundo, an Religiosi comprehendantur in decreto generali suspensionem adversus Clericos fulminante?

Respondetur negative: idque verum est, tametsi prima tonsura, vel Ordinibus insigniti sint. Ita Ascanius Tamburinus *de Jur. Abbat. tom. 2. disp. 16. q. 2. n. 1.* Filliucius *tr. 18. n. 14.* Engel *lib. 5. Decret. tit. 39. n. 85.* & alii communius contra P. Erhart oppositam sententiam tradentem de Religiosis, prima tonsura, vel aliquo Ordine Initiatis. Ratio nostræ responsionis est: tum quia Religiosi, quamvis Ordinibus insigniti, in odiosis, in qualibus hic versamur, non veniunt nomine Clericorum. *Clement. 1. de Privileg.* Tum quia Jus nominare solet Religiosos, quando eos comprehendere intendit, *cit. Clement. 1. & Clement. de Vita, & honestat. Cleric.* aliasque, seu speciales pro illis statuit suspensiones, excommunicationes, aut interdicta: ut patet harum censurarum catalogos intuenti. Tum denique quia aliud vitæ genus censetur Regularium, aliud Clericorum secularium: unde & Jus Canonicum diversis in titulis de utrisque tractat &c.

248. Quæres tertio, an integra Communitas suspendi possit?

Respondetur affirmative. Bonacina *de Cens. in communi, disp. 1. q. 1. n. 11.* Salmanticenses *tr. 10. de Cens. c. 5. pun. 4. n. 41.* & alii passim. Ratio est: quia Communitas, v. g. Capitulum, est capax Officiorum, ac Beneficiorum; ergo iisdem privari potest: & consequenter suspendi. Confirmatur inductione de suspensionibus actu latis. Nam de suspensione ab Officio habetur *c. un. Ne Sede vacante, in 6.* & *in Trid. sess. 24. cap. 23.* De suspensione a Beneficio *Extravag. 1. de Elect.* De suspensione ab Officio, & Beneficio simul *c. 40. de Elect. in 6.* Ergo &c.

Dico primo. Integra Communitas non potest excommunicari; ergo nec suspendi.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia id prohibetur de excommunicatione *per c. 5. de Sent. excom. in 6.* nullibi de suspensione: & merito; siquidem illa est pœna longe major, quam ista, ut notat S. Thomas *in addit. q. 22. art. 5. ad 2.* quem vide.

Dices secundo. Suspensio ferri non potest ob culpam alienam, *arg. c. 2. de His, quæ fiunt a majori*, ibi: *Peccata suos Authores tenere debent, nec pœna est ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum*: atqui si integra Communitas suspendi posset, suspensio ferri posset ob culpam alienam; ergo &c. Min. prob. in casu, quo suspenderetur Communitas, cujus aliqua membra essent innocentia, seu non rea culpæ, ob quam suspensio ferretur.

Respondetur, concedendo majorem intellectam de suspensione, obtinente veram rationem censuræ, & neg. min. Ad prob. ajo, membra innocentia tunc non suspendi quoad se, suaque munera, quæ ut personæ particulares exercere possunt; sed solum quoad munera Communitatis ut talis, & quacum illa, ceu partes cum toto, moraliter coalescunt. Unde hæc talis suspensio adhuc ferretur ob culpam propriam, quatenus ferretur ob culpam Communitatis ut talis, & collective sumptæ, quæ ut sic censetur deliquisse, licet non singula ejusdem membra, destributive accepta, personaliter deliquerint. P. Erhart *pag. 188.*

249. Quæres quarto, an, & quantum peccet, qui actum per suspensionem sibi prohibitum exercet?

Respondetur, eum peccare per se loquendo, & quidem mortaliter ex genere suo. DD. communiter. Ratio est: quia exercendo similem actum transgreditur præceptum Ecclesiæ in re gravi ex genere suo.

Dixi 1. *per se loquendo*. Excusatur enim ab omni culpa, si sit suspensus toleratus, & exerceat actum per suspensionem (a qua pro tunc liberari nequit) alioquin prohibitum, non sua sponte, sed ad instantiam fidelium, suffragio *Extravag.* Concil. Constantiens. *Ad evitanda scandala*, sicut diximus de excommunicato tolerato *n.* 164. & alibi.

Dixi 2. *ex genere suo*. Nam dari hic potest parvitas materiæ, a mortali excusans: ut si suspensus ab ingressu Ecclesiæ, modico duntaxat tempore ibidem commoretur, dum peraguntur Divina.

250. Quæres quinto, an suspensus, exercendo actum per suspensionem prohibitum, etiam agat invalide?

Respondetur. Si sit suspensus non toleratus, & valor actus pendeat ab Ecclesia (1.) agit invalide; secus (2.) si sit suspensus toleratus, aut valor actus non pendeat ab Ecclesia. Ita P. Krimer *loc. cit. n.* 2075. & alii passim. Ratio primi membri est: quia Ecclesia intendit impedire, & reipsa impedit suspensum non toleratum ab exercitio actus per suspensionem prohibiri, quantum impedire potest: atqui si valor actus pendeat ab Ecclesia, hæc potest suspensum ab illius exercitio ita impedire, ut ne quidem valide agat; ergo &c. Quo fit, ut suspensus a totali jurisdictione, si sit non toleratus, invalide exerceat quoscunque actus jurisdictionis, v. g. invalide conferat Beneficia, fulminet censuras &c. siquidem valor ejusmodi actuum dependet ab Ecclesia, quæ suspensum non toleratum actuali eorundem exercitio privat. Ratio secundi membri est: quia Ecclesia, hoc ipso, quod suspensum toleret, non adimit ipsi usum jurisdictionis a se dependentis (idque in favorem fidelium; ut diximus de excommunicato tolerato *n.* 191.) & potestatem Ordinis a se non dependentis adimere non potest; ergo &c. Quo fit, ut suspensus toleratus valide (imo, si requiratur, etiam licite) absolvat: quia absolutio est actus jurisdictionis dependentis ab Ecclesia, cujus exercitium taliter suspenso non aufertur: valide item consecrat (esto sit suspensus non toleratus) quia consecratio est actus Ordinis, & characteris Sacerdotalis, ab Ecclesia post sui collationem, ac impressionem independentis.

251. Quæres sexto, an aliquam pœnam incurrat, qui censuram suspensionis (sive illicite, sive etiam invalide agendo) violat?

Respondetur. Qui violat censuram suspensionis ab Ordine sacro (1.) incurrit irregularitatem, si Officium ejusmodi Ordinis exerceat solemniter; non item (2.) qui violat censuram alterius suspensionis, v. g. a jurisdictione, aut Beneficio. Ita DD. communiter. Ratio utriusque partis est: quia de violante censuram prioris suspensionis ita constitutum reperitur *in c. 1. de Sent. excom. in 6.* nullibi vero de violante censuram cujuscunque alterius suspensionis.

Dixi: *ab Ordine sacro*. Nam qui violat censuram suspen-

suspensionis ab Ordine non sacro, non videtur contrahere irregularitatem. Est contra P. Krimer. Ratio hæc esto unica (ut omittam alias) siquidem ministrans in Ordine non sacro, a quo suspensus est, non videtur mortaliter peccare; ut tenet P. Erhart *pag.* 195. ergo nec effici reus irregularitatis; cum hæc (si sit ex delicto) supponat peccatum mortale: prout videbimus *disp. seq.*

Dixi præterea: *solemniter*. Nam si suspensus ab Ordine sacro Diaconatus v. g. caneret Evangelium sine stola, adeoque sine debita, & consueta solemnitate, non evaderet irregularis. Ratio est: quia irregularitas, cum sit quid pœnale, stricte interpretanda venit, ita, ut non censeatur contrahi, nisi a suspenso exercente actum Ordinis sacri proprie, & formaliter, qualiter non exercetur, dum sine dicta solemnitate peragitur.

252. Quæres septimo, an peccent, & aliquam pœnam incurrant, qui cum suspenso communicant in iis, quæ ipsi per suspensionem prohibita sunt?

Respondetur primo. Qui communicant cum suspenso tolerato, non peccant, si absit scandalum in populo. DD. communiter. Ratio promitur ex Constitutione Concilii Constantiensis *Ad evitanda scandala*, vi cujus cuilibet licet communicare cum censuratis toleratis. Unde sic suspenso (secluso scandalo) licite confiteris; licite item ab eo Missam, Eucharistiam, aliaque Divina petis.

Respondetur secundo. Qui communicant cum suspenso non tolerato, tunc solum peccant, quando, & quatenus eum inducunt ad illicitam violationem suspensionis, vel eidem cooperantur. Ita P. Herincx *loc. cit. n.* 76. aliique communiter. Ratio est: quia suspensio non privat functionibus Ecclesiasticis, quatenus dicunt communicationem cum fidelibus, quemadmodum excommunicatio, secundum dicta *n.* 153. ergo fideles, quando, & quatenus communicant cum suspenso, etsi non tolerato, nullius culpæ reatum contrahunt contra prohibitionem Ecclesiæ; sed tantum contra prohibitionem Legis naturalis peccato scandali (gravi, vel levi pro ratione materiæ) peccant, si, & quatenus ejusmodi suspensum inducunt ad violationem censuræ, vel ad eandem cooperantur. Eapropter licite audis Missam, quam Sacerdos ab Ordine suspensus (etsi non toleratus) celebrat; non autem licite ministras eidem ad Altare, vel ab eo Missam, Eucharistiam, aliave Divina petis: quia in priore casu non inducis, nec cooperaris ad violationem suspensionis; bene vero in casibus posterioribus.

Dices. Suspensus non toleratus Missam legendo peccat contra prohibitionem Ecclesiæ; ergo etiam fideles illam audiendo.

Respondetur, dist. ant. Peccat propter communicationem cum fidelibus, neg. propter exercitium functionis Ecclesiasticæ per suspensionem sibi prohibitum, con. ant. & cons. Nec suspensus, quamvis non toleratus, quatenus communicat cum fidelibus, nec fideles, quatenus communicant cum ipso in actionibus per suspensionem prohibitis, peccant contra prohibitionem Ecclesiæ, esto ille contra hanc talem prohibitionem delinquat exercendo actiones sibi per suspensionem vetitas; & isti contra legem naturalem, quando eundem ad tale exercitium inducunt, vel cooperantur; secus, quando non inducunt, aut cooperantur: ut dictum.

Respondetur ad quæst. tertio. Fideles communicantes cum suspenso, etiam non tolerato, nullam pœnam incurrunt, esto ad peccaminosam violationem suspensionis concurrant. DD. communiter. Ratio est: quia communicando præcise non peccant, communicando autem cum inductione, aut cooperatione peccant solum contra præceptum naturale, non vero contra præceptum Ecclesiasticum, a quo pœnæ temporales, de quibus hic quæstio moveri potest, statuuntur, & proficiscuntur: atqui nulla similis pœna præcepto Ecclesiastico statuta noscitur contra sic communicantes cum suspenso, etiam in crimine criminoso, id est, in crimine, ob quod ipse suspensus est; ergo &c.

§. IV.

Recensentur ex Pichlero loc. cit. *Suspensiones in Jure latæ.*

SUMMARIUM.

253. *Suspensiones latæ contra Episcopos.* 254. *Contra Capitula, & Communitates.* 255. *Contra Clericos privatos, & singulares.* 256. *Contra Regulares, Prælatos, & Subditos.*

Contra Episcopos.

253. SUspenduntur 1. qui primam Tonsuram conferunt infanti, illiterato, conjugato. *c. Nullus, de tempor. Ord. in* 6.

2. Qui ordinant simoniace. *c. penult. de Sim. Extravag.* 2. *eod.*

3. Qui sacrum Ordinem conferunt Religiosis non professis. *Bulla* 75. *S. Pii V.* exceptis Religiosis Societatis Jesu.

4. Qui ordinant Monachum sine licentia Abbatis: vel alium non subditum sine licentia proprii Ordinarii. *can. fin. dist.* 58. *& Trid. Sess.* 23. *c.* 8. *de Reform.*

5. Qui ordinant proprios subditos in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii. *Trid. Sess.* 6. *c.* 5. *de Reform.* Taceo suspensiones ferendæ sententiæ in male ordinantes a Jure decretas.

6. Qui Beneficiis privant commorantes in Curia Romana. *Extravag. Divina, de Privileg.*

7. Qui jura, & bona Ecclesiæ submittunt Laicis sine Capituli, & Papæ consensu, *c. Hoc consultissimo, de Reb. Eccl. non alien. in* 6.

8. Qui in proprium usum convertunt bona Beneficiorum vacantium, *c. fin. de Offic. Ord. in* 6. Sed tantum est suspensio ab ingressu Ecclesiæ.

9. Qui abutuntur potestate delegata in causa alienationis. *Bulla* 2. *Pauli* II.

10. Qui admittunt resignationes Beneficiorum contra formam præscriptam *in Bulla* 58. *S. Pii* V.

11. Qui negligunt procedere contra Simoniacos. *can.* 102. *caus.* 1. *q.* 1.

12. Qui sunt Inquisitores, & delinquunt in officio. *Clement.* 1. *de Heret.*

13. Qui procurant capi Ecclesiasticos, ut renuncient Beneficiis, vel citatos impediunt ab accessu ad Sedem Apostolicam. *Clement.* 2. *de Pœnis.*

14. Qui quoad fructus Beneficiorum vacantium non servant *Extravag.* 2. *Joan.* XXII. *de Elect.*

15. Qui confirmant, & conservant electum sine prævia inquisitione. *c. Provid. eod. in* 6.

16. Qui promoti ad Ecclesias accedunt non expeditis literis, ac non præstito fidelitatis juramento. *Extravag.* 1. *eod. X.*

17. Qui ob crimen concubinatus moniti a Synodo Provinciali se non emendant. *Trid. Sess.* 25. *c.* 14. *de Reform.*

18. Qui relaxant incendiariis pœnas a Jure inflictas. *can. Pessimam. caus.* 23. *q.* 8.

19. Qui publicant indulgentias, & facultatem eligendi Confessarios dant solventibus aliquid. *Bulla* 99. *S. Pii V.*

20. Qui non visitant limina Apostolorum tempore præscripto. *Bulla* 15. *Sixti V.*

21. Qui ingrediuntur Monasteria Monialium in casibus non necessariis. *Bulla* 28. *Gregorii* XIII.

Contra Capitula, & Communitates.

254. 22. QUæ occupant bona a Prælato relicta, vel obvenientia tempore vacationis. *c. Quia sæpe, de Elect. in* 6.

23. Quæ recipiunt Prælatum in Curia promotum absque literis Papæ. *Extravag.* 1. *eod.*

24. Quæ in Religionis ingressu a se admisso ex pacto recipiunt prandia, pastum, pecunias, jocalia. *Extravag. Sane, de Simon.*

25. Quæ in resignatione Beneficiorum non observant contenta *in Bulla* 58. *S. Pii V.*

Contra Clericos privatos, & singulares.

255. 26. QUi recipiunt Ordines sacros ante legitimam ætatem; vel non servatis interstitiis; vel extra tempora; vel censura irretiti; vel a

Schis-

Schismatico (quod communiter extendunt ad eos, qui ab excommunicato) vel ab eo, qui renunciavit Episcopatui; vel a proprio Episcopo in aliena diœcesi sine debita licentia; vel ab Episcopo Titulari tantum sine licentia Ordinarii proprii; vel ab alieno Episcopo sine licentia proprii. *c. vel non est compos. c. cum quidam, de tempor. Ordin. Bulla 7. Pii* II. *c. illorum, de Sent. excom. c.* 1, *&* 2. *de Schismat. c.* 1. *de Ordin. ab Episc. qui renunc. Trid. Sess. 6. c. 5. de Reform. Sess. 14. c. 2. de Reform. Sess. 23. c. 8. de Reform.*

27. Qui ordinantur sine, vel ficto titulo. *can. neminem. can. Sanctorum, dist. 70. Bulla* 33. *Urbani* VIII.

28. Qui ordinantur in Sacris post Matrimonium, etiam ratum tantum. *Extravag. Antiquæ, de Vot.*

29. Qui ordinantur in Sacris cum literis dimissoriis a Capitulo infra annum Sede vacante datis, & qui ordinantur per saltum. *Trid. Sess. 7. c. 10. de Reform. & Sess. 23. c. 14. de Reform.*

30. Qui impugnant personam electi, & in probatione deficiunt. *c. 1. de Elect. in 6.*

31. Qui electo a se Episcopo infra 8. dies non præsentant electionem, *c. cupientes, eod.*

32. Qui eligunt per abusum secularis potestatis. *c.* 13. *eod.* Sed est ferendæ sententiæ.

33. Qui eligunt indignum ad Episcopatum, vel Beneficium curatum: licet sint Compromissarii tantum. *c. Cum in cunctis. c. Compromissarius. eod. in 6.*

34. Qui postulant in Episcopum minores 27. annis, vel Religiosos Mendicantes, *Extravag. un. de Postulat. Prælat.*

35. Qui ab usurariis manifestis recipiunt oblationes, vel eos sepeliunt. *c. Quia in omnibus, de Usur.*

36. Qui publice utuntur virgata, vel partita veste sine causa. *Clemene. 2. de Vita &c.*

37. Qui occupant bona Ecclesiarum vacantium, vel a Prælatis relicta. *c. Quia sæpe, de Elect. in 6.*

38. Qui Ecclesias sibi commissas gravant alienis debitis. *c. 2. de solut.*

39. Qui recipiunt procurationes pro visitatione, officio non impenso. *c. Exigit. de Censib. in 6.*

40. Qui sunt notorii concubinarii. *c. fin. de Cohabit. Cleric.*

41. Qui celebrant Missam, & in ea non communicant, *can. Relatum, dist. 2. de Consecrat.*

42. Qui Missam jam inchoatam abrumpunt sine gravi causa. *can. 57. dist. 1. de Consecr.*

43. Qui simoniace ordinantur. *c. penult. de Simon.*

44. Qui sponte jurant de tenendo schismate. *c. 1. de Schismat.*

45. Qui celebrant coram excommunicato. *c. 18. & ibi Gloss. de Sent. excom. in 6.*

46. Qui in concionibus disputant de Immaculata Conceptione B. Virg. vel eam impugnant, vel de ea scribunt in vulgari lingua, *Bulla 114. S. Pii* V. *& Bulla 29. Gregorii* XV.

47. Qui recipiunt Prælatos, a Sede Apostolica promotos, sine literis. *Extravag. 1. de Elect.*

48. Qui rapiunt mulieres. *Trid. Sess. 24. c. 6. de Reform. Matrim.*

49. Qui nefandum Sodomiæ crimen exercent. *Bulla 78. S. Pii* V.

50. Qui aliquid faciunt in Judicio per gratiam, vel sordes in gravamen injustum partis, *c. 1. de Sent. & re judic. in 6.*

51. Qui ex Parochis jungunt sponsos alterius Parochiæ sine licentia proprii Parochi. *Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.*

52. Qui ex Conservatoribus Regularium se immiscent in aliis, quam manifestis injuriis, *c. fin. de Offic. deleg.*

53. Qui ex Superioribus Ecclesiarum non exigunt singulis annis rationem de adimpleto onere Missarum, *Bulla Innoc.* XII. *an.* 1697.

Contra Regulares, Prelatos, & Subditos.

256. 54. Qui ex Superioribus concedunt redditus, aut possessiones Monasteriorum aliis: vel aliquid ratione excessuum suorum Religiosorum acquirunt, & non satisfaciunt damnificatis: vel qui a Sacristis &c. non exigunt singulis annis rationem de adimpleto onere Missarum. *Clement. 1. de Reb. Eccles. Clement. 1. de Privileg. Bulla Innoc.* XII. *cit.*

55. Qui, tam Superiores, quam subditi, recipiunt alumnos ad Professionem ante expletum probationis annum: vel sibi appropriant decimas ad se pertinentes. *c. Non solum, de Regular. in 6. & Clement. 1. Decim.*

56. Qui nondum professi recipiunt Ordines sacros. *Bulla 75. S. Pii* V. nempe extra Societatem Jesu.

57 Qui mulieres introducunt intra clausuram Monialium. *Bulla 20. S. Pii* V.

58. Qui confitentibus non faciunt conscientiam de solvendis decimis. *Clement. Cupientes, de Pœnis.*

69. Qui non deferunt habitum a Regula præscriptum. *Clem. 1. de Stat. Monach.*

60. Qui ejiciuntur a Religione. *Bulla 26. §. 10. Urbani* VIII.

61. Qui faciunt apostasiam ab Ordine, & in ea recipiunt Ordines. *c. fin. de Apostat.*

Atque hæ Suspensiones partim sunt reservatæ: partim non reservatæ: id quod discernendum ex adjunctis Juribus.

ARTICULUS II.

De Interdicto.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Interdictum?

SUMMARIUM.

257. & seq. Definitur, & dividitur Interdictum 259. Proponitur, & diluitur argumentum in contrarium, una cum confirmatione. 260. & seqq. complura deducuntur corellaria.

257. Dico primo. Interdictum, prout huc pertinet, est *censura privans aliquibus Divinis, quatenus hæc sunt bona Ecclesiæ a fidelibus possidenda.* Ita DD. reipsa communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *censura*, quæ est genus commune interdicto cum excommunicatione, & suspensione.

Dicitur 2. *privans aliquibus Divinis*, ut denotetur, hanc censuræ speciem non privare omnibus Divinis, quemadmodum excommunicatio; sed solum quibusdam, nempe usu activo, & passivo Divinorum Officiorum, certorum Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ: veluti perspicuum fiet ex dicendis in §. *seq.*

Dicitur 3. *quatenus hæc sunt bona Ecclesiæ a fidelibus possidenda.* Queis verbis interdictum differt ab excommunicatione, quæ privat bonis spiritualibus, quatenus in iis fideles invicem communicant; & a suspensione, quæ privat functionibus Ecclesiasticis qua talibus: interdictum quippe sub neutro horum respectuum Divinis privat, sed quatenus ea sunt bona secundum se talia, & quæ a fidelibus haberi possunt. Excommunicatio præterea pluribus bonis privat, quam interdictum; suspensio autem (præterquam quod solos afficiat Clericos) privat usu duntaxat activo, non passivo Divinorum, ut interdictum.

258. Dico secundo. Interdictum prima sui divisione dispescitur in *Locale, Personale, & Mixtum.*

Explicatur. Locale est, quod immediate, & directe afficit locum, & non personas, ita, ut istis usus Divinorum non sit prohibitus in alio loco. Personale est, quod immediate, & directe afficit personas, eisque adhæret, quocunque ierint, aut ubicunque morentur, ita, ut ubivis arceantur a Divinis. Mixtum est, quod immediate, & directe afficit tam locum, quam personas. Hoc interdictum solet etiam nominari *deambulatorium*, eo quod ambulet cum persona; ut si Superior taliter sententiet: *Interdico Petrum, & quemcunque locum, in quo fuerit Petrus;* quo casu interdictum cum Petro quasi deambulat ad locum, quem fuerit ingressus, ita, ut, eodem ibi existente, ne quidem aliis, in eo loco degentibus, Divinorum usus concedatur: quemadmodum advertit Illsung *tr. 7. disp. 1. quæst. 2. num. 63.* & alii passim.

Dixi in conclus. *prima sui divisione.* Siquidem interdictum tam locale, quam personale subdividitur in *generale*, & *speciale*, seu *particulare*. Generale locale est, quod fertur in locum generalem plura loca sub se continentem; ut si interdicto supponatur Regnum, Provincia, Civitas, Diœcesis, Parochia plures habens Ecclesias &c. Generale personale est, quod fertur in totam aliquam

quam Communitatem, Collegium, Capitulum, ex pluribus personis constans, quatenus collective sumitur, & communitas est. Speciale locale est, quod afficit unum locum specialem, seu particularem, v. g. certam Ecclesiam in Parochia, vel plures determinatas. Speciale personale est, quod unam, vel plures personas determinatas qua singulares, & non qua membra communitatis, afficit.

Porro sicut suspensio, ita & interdictum aliud est *in totum*, aliud *in partem*, seu *totale*, & *partiale*. Primum est, quod causat omnes suos effectus: secundum, quod unum duntaxat, vel aliquos. Nam hæ duæ species censuræ (suspensio scilicet, ac interdictum) sunt alterius naturæ, ac excommunicatio: ista enim per potestatem ordinariam Judicis Ecclesiastici ferri non potest in partem; bene vero illæ: prout modo diximus, tenenturque a P. Babenstuber *loc. cit. art. 3. n. 9.* & aliis DD. passim.

259. Objicies contra conclus. Res inanimata non est capax interdicti, seu pœnæ medicinalis: sed locus est res inanimata; ergo non est capax interdicti; ergo non datur interdictum locale: & consequenter nec mixtum ex locali, & partiali.

Confirmatur. Divina Officia non minus exigunt certum tempus, in quo exerceantur, quam certum locum; ergo sicut non assignatur interdictum temporale, ita nec assignandum est locale.

Respondetur ad object. cum P. Khamm, dist. maj. Res inanimata absolute, & absque ordine ad homines non est capax interdicti, transeat. maj. cum ordine ad homines, neg. maj. Sicut enim propter benedictionem, & consecrationem locus est capax sanctitatis, ita, ut in eo negotia vana tractanda prohibeantur; sic propter causam rationabilem locus est capax interdicti, ita, ut in eo Divina pertractanda prohiberi possint. Appellatur igitur interdictum locale, haud quasi ordinaretur ad nullum hominem; sed quia immediate, & directe afficit locum, homines vero mediate solum, & indirecte, seu ratione loci, respicit.

Ad confirmat. neg. ant. & parit. Nam ex ordinatione SS. Canonum directe determinatur locus, nimirum Ecclesia, in qua Divina Officia (& non profana) exerceri possunt: unde ejusmodi locus gaudet suis privilegiis, & immunitatibus. At ex ordinatione SS. Canonum directe nullum determinatur tempus, in quo Divina Officia (& non profana) exerceri nequeant: licet autem propter certas circumstantias Divina Officia quandoque prohibeantur exerceri in certo tempore; ista tamen prohibitio directe ordinatur ad personas, & solum indirecte, seu tanquam conditio sine qua non, prohibetur ipsum tempus. Ita in terminis prænominatus Author, & apud Ipsum Alterius.

260. Colliges primo, sub interdicto generali civitatis etiam comprehendi illius suburbia, & ædificia continentia. Habetur in *c. 17. de Sent. excom. in 6.* Et ratio est: quia accessorium sequitur conditionem principalis: atqui suburbia, & ædificia continentia sunt accessoria relate ad civitatem; ergo sequuntur hujus conditionem: & consequenter &c. Accedit, quod alias sententia interdicti facile eluderetur, cum quilibet passim ex civitate posset egredi ad suburbia, & loca continentia pro celebrandis, aut participandis ibi Divinis. Salmanticenses *tr. 10. c. 6. n. 9.* & alii communiter. Porro per suburbia intelliguntur ædificia civitati contigua, vel prope illam existentia: per ædificia vero continentia intelliguntur illa, quæ, esto sita sint extra civitatem a muris separata, & nec ipsis, nec suburbiis contigua, existunt tamen civitati ita propinqua, ut populus ad ea facile confugere posset pro Divinis audiendis.

261. Colliges secundo, interdicta aliqua Ecclesia, censeri quoque interdicta ejus Capella, & cœmeterium contiguum; non autem e contra, interdictis Capella, & cœmeterio, censeri interdictam Ecclesiam. Sumitur ex *cit. c. 17. de Sent. excom. in 6.* Et ratio est: quia accessorium sequitur conditionem principalis, non e contra: sed Capella, & cœmeterium habent se ut accessoria respectu Ecclesiæ: non autem hæc ita se habet respectu illorum; ergo &c. Sanct-Gallenses *loc. cit. sect. 4. q. 1. conclus. 1.* & alii passim.

262. Colliges tertio, per interdictum generale, etiam ab Ordinariis promulgatum, quo interdicitur civitas, intelligi interdictas omnes illius civitatis Ecclesias, etiam exemptas Regularium. Sumitur ex Tridentino *Sess. 25. c. 12. de Reform.* Ratio est: quia licet Episcopus non habeat jurisdictionem per se, & directe in loca exempta Regularium, ne tamen ejus sententia reddatur frustratoria, aut eludatur, ideo ad illa quoque loca merito facta est extensio interdicti per sæpius *cit. c. 17. de Sent. excom. in 6.* & per ipsummet Tridentinum, quod *loc. alleg.* ad Regulares exemptos loquens ita habet: *Censuræ, & interdicta nedum a Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.* Ita cum Suarezio, Palao, Pignatello La Croix *lib. 7. num. 412.* Khamm *loc. cit. n. 368.* Erhart *pag. 204.* & alii passim.

263. Colliges quarto, interdicta communitate quapiam censeri interdictas omnes personas, ex quibus illa coalescit, sive præsentes, sive absentes sint, quando fertur interdictum. Ita cum Bonacina, & Salmanticensibus P. Babenstuber *loc. cit. art. 3. n. 7.* aliique passim. Ratio est: quia omnes illæ personæ sunt partes communitatis; ergo hac interdicta, censentur & ipsæ interdictæ. Secus est de personis, ex quibus communitas non coalescit; cujusmodi sunt exteri, & peregrini: cum enim non existant partes communitatis, non apparet ratio, ob quam sub ejus interdicto dicantur comprehensæ.

264. Colliges quinto, interdicto Clero non interdici populum, nec interdicto populo Clerum. P. Erhart *pag. 207.* & alii communiter. Ratio est: quia nomine Cleri veniunt solæ personæ Ecclesiasticæ, & nomine populi personæ seculares.

§. II.

De Effectibus Interdicti.

S U M M A R I U M.

265. *Interdictum privat omnibus Divinis Officiis.* 266. *Concio non sortitur rationem Divini Officii, & idcirco tempore interdicti non est prohibita.* 267. *Tempore interdicti Moniales Horas Canonicas communiter, & solemniter decantare, vel recitare non possunt.* 268. *Assignantur nonnullæ limitationes circa interdictum quoad celebrationem Divinorum Officiorum.* 269. *Interdictum insuper privat administratione, & susceptione certorum Sacramentorum.* 270. *& seqq. deducuntur corollaria.* 274. *Interdictum denique privat sepultura Ecclesiastica.* 275. *An in illis Festivitatibus, in quibus suspenditur interdictum locale generale, at conceditur facultas assistendi Divinis Officiis &c. censeatur laicis etiam permissa sepultura in loco sacro?*

265. Dico primo. Interdictum (absolute prolatum) privat omnibus Divinis Officiis, adeo, ut personis, sive generaliter, sive specialiter interdictis, & in loco interdicto, illa celebrare; aut iisdem interesse non liceat, *cap. 57. de Sent. excom. & cap. 16. eod. in 6.*

Porro nomine Divinorum Officiorum intelliguntur illa, quæ de se Ordinem sacrum requirunt, & a solis Clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, fieri permittuntur: cujusmodi sunt Sacrificium Missæ, decantatio, vel recitatio communis, & publica Horarum Canonicarum, Officii B. Virginis, Psalmorum, Litaniarum, & aliarum precum Ecclesiasticarum in loco ad id specialiter deputato, benedictiones publicæ olei, chrismatis, aquæ, cereorum, palmarum, nuptiarum, vestium, templi, vasorum, altaris, aliaque id genus, quæ a Ministris Ecclesiæ publice peragi, & ad cultum Divinum ordinari solent.

266. Quæres primo, an concio sortiatur rationem Divini Officii, & idcirco tempore interdicti sit prohibita?

Respondetur negative. Salmanticenses *tr. 10. de Cens. c. 6. pun. 5. n. 52.* Pichler *loc. cit. n. 50.* & alii passim. Ratio est: quia licet concio supponat in Concionatore Ordinem sacrum, non tamen refertur directe, & immediate ad colendum Deum, sed ad instruendum populum.

267. Quæres secundo, an tempore interdicti Moniales Horas Canonicas communiter, & solemniter decantare, vel recitare possint?

Respondetur negative. Ita Salmanticenses *loc. citat.*

Khamm

Khamm n. 499. Babenstuber n. 15. & alii satis communiter contra Pichlerum. Ratio est: quia recitatio Horarum Canonicarum de se supponit Ordinem sacrum, licet eum non supponat, nec supponere possit in feminis, petitque peragi a Ministris Ecclesiæ; ergo annumeratur Divinis Officiis tempore interdicti prohibitis. Quare dum Ecclesia Monialibus concedit recitationem Horarum Canonicarum, eam non concedit nisi cum onere, ut, quoties Ministris Ecclesiæ est prohibita, ex consequenti etiam Monialibus prohibita censeatur.

268. Quæres tertio, an nullæ limitationes quoad celebrationem Divinorum Officiorum extent circa interdictum?

Respondetur, extare aliquas. Et quidem 1. Bonifacius VIII. in *c. 24. de Sent. excom. in 6.* concedit tempore interdicti localis generalis omnibus Clericis, & Religiosis (personaliter non interdictis) facultatem quotidie celebrandi Missas, aliaque Divina peragendi, & eis assistendi in quibuscunque Ecclesiis, vel Monasteriis; servatis tamen quatuor conditionibus, nempe ut ista faciant voce submissa, januis clausis, sine pulsatione campanæ, imo & tintinnabuli *ad Sanctus*, ac *Elevationem*, atque exclusis nominatim interdictis, & denunciatis, subintellige, Clericis, vel Religiosis; nam de Laicis *cit. c.* non loquitur; hi proinde vi Juris communis exclusi manent, licet nullo personali interdicto gravati existant. P. Piculer *loc. & n. citt.* aliique passim.

2. In *eod. c.* suspenditur interdictum locale generale, ut Divina Officia celebrari possint in Festivitatibus Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis: idque solemniter sine ulla limitatione; nempe alta voce, apertis januis, pulsatis campanis, admissis etiam interdictis, modo, qui interdicto causam dedere, altari non appropinquent, faciendo scilicet in Missa oblationes, aut Eucharistiam sumendo. Ita Sanct-Gallenses *loc. cit.* & alii communiter. Quam concessionem postea Martinus V. & Eugenius IV. extenderunt ad Festum Corporis Christi, totamque ejus Octavam; & Leo X. ad Festum immaculatæ Conceptionis, pro sola tamen Hispania, ut testatur Filliucius *tr. 18. cap. 4. q. 8.*

Porro Religiosis Mendicantibus concessum est privilegium suspendendi interdictum in Festivitatibus Sanctorum sui Ordinis, in Festivitatibus Circumcisionis, Epiphaniæ, quatuor principalibus Deiparæ, Apostolorum, in Dedicatione propriarum Ecclesiarum, in Festo SS. Trinitatis, Natalis S. Joannis Baptistæ, S. Marci, S. Lucæ, omnium Sanctorum, & in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum; prout testantur Rodriquez, & Antonius a Spiritu S. apud P. Erhart *cit.* Neque hoc privilegium censetur revocatum a Trid. *Sess. 25. cap. 12. de Reform.* utpote quod inibi solum annullat privilegia concessa aliquibus Religionibus, virtute quorum simpliciter eximebantur ab observatione interdicti, in Ecclesia Matrice positi: virtute autem antefati privilegii Mendicantes non simpliciter eximuntur ab observatione interdicti, sed tantum secundum quid; & in ordine ad aliquem effectum, videlicet ut aliquibus diebus possint Divina Officia publice celebrare, exclusis tamen respective interdictis, ob quorum excessum interdictum est positum; ergo. &c. Ita *cit.* P. Erhart, & apud ipsum Miranda. Imo Clemens VIII. (apud P. Matthæcci in Officiali Curiæ Regularis *c. 20. num. 15.* P. Khamm *loc. cit. numer.* 520. & alios) post Trid. *an.* 1595. *die* 17. *Octobris* per Bullam, *Sacræ Seraphici*, concessit nostro Seraphico Ordini, *ut temporibus interdicti quacunque, etiam Apostolica authoritate appositi, Festa Sanctorum suorum, Francisci nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, Portiunculæ, Didaci, ac Martyrum, solemni ritu celebrare, perinde, ac si interdictum hujusmodi minime appositum esset, libere possit, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, Universalibus, Provincialibus, Synodalibus, Conciliis editis, Generalibus, vel Specialibus, &c.*

269. Dico secundo. Interdictum insuper privat administratione, & susceptione certorum Sacramentorum. *c. 43. de Sent. excom. c. 16. & c. 24. ead. in 6.* nimirum Ordinis, Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ extra casum, quo hæc moriturientibus præberi per modum Viatici solet. Nec dicas. Si Eucharistia tunc porrigi moriturientibus potest, etiam impertiri poterit Extrema Unctio? Contra enim est, neg. assumptum, & parit. Tum quia id permittitur in *c. 57. de Sent. excom.* quoad Eucharistiam, nullibi quoad Extremam Unctionem: tum quia major est obligatio Eucharistiæ, quippe orta ex præcepto Divino, quam Extremæ Unctionis; majorque necessitas illius, quam istius; cum utique cibus magis sit necessarius ad pugnam, quam membrorum unctio; ergo, licet moriturientibus administrari possit Eucharistia, interdicto haud obstante, non sequitur, posse etiam administrari Extremam Unctionem, regulariter, & per se loquendo. Nam excipiuntur duo casus, in quibus etiam Extrema Unctio ministrari infirmis potest. Primus est casus necessitatis; ut quando infirmus aliud Sacramentum recipere nequit; tunc quippe eidem, quamvis specialiter interdicto, licite impertitur Extrema Unctio, utpote succedens in locum Sacramenti Pœnitentiæ, ejusque quodammodo vices supplens, faciendo ex attrito contritum. Secundus est casus privilegii, quando nimirum Extremam Unctionem ministrans, vel suscipiens est munitus speciali privilegio, uti sunt Religiosi Mendicantes, eorumque familiares: prout testatur Illsung *tr. 7. disp. 1. q. 2. n. 67.* Nomine familiarium intelligit Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 11. vers. exceptis tamen iis*, illos, qui actualiter serviunt Religiosis, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorundem obedientia (non vi voti, sed vi muneris inserviendi) degunt. Imo etiam Sacramentum Ordinis tempore interdicti licite conferri potest in casu, quo tanta est penuria Sacerdotum, ut Sacramenta, per *c. 24. de Sent. excom. in 6.* tempore interdicti concessa, & inferius referenda, sine novis Sacerdotibus conferri commode non possint, neque aliquis ad locum non interdictum pro recipiendis Ordinibus mitti valeat: tunc quippe ii licite conferuntur in loco interdicto, etiam personis interdictis. Herincx *loc. cit. n. 94.* Babenstuber *n. 13.* & alii passim.

270. Colliges nunc primo, Sacramentum Eucharistiæ per modum Viatici tempore interdicti infirmis ministrari posse solemniter, per se loquendo, & secluso scandalo. Marchant *tom. 3. tr. 4. tit. 3. q. 2. §. 2. vers. notat.* Busembaum *lib. 7. c. 4. dub. 1.* aliique communiter. Ratio est: quia ea solemnitas (puta quod Eucharistia ad ægrotos deportetur cum lumine, campanula, comitatu fidelium &c.) tempore interdicti nuspiam prohibetur; nec est ratio, cur prohibeatur, cum non peragatur per modum Divini Officii, sed solum, ut concitetur populus ad devotionem erga Augustissimum hoc Sacramentum, & ad fundendas pro ægrotante preces.

271. Colliges secundo, tempore interdicti (1.) licite administrari, & recipi, etiam a sanis, Sacramenta Baptismi, & Confirmationis: idque (2.) cum consueta solemnitate, & cum propriis ceremoniis. Prima pars sumitur ex *c. 19. de Sent. excom. in 6.* & aliis Juribus; estque ita de Baptismo dispositum, quia est Sacramentum necessitatis; de Confirmatione vero, quia est complementum Baptismi, cum ministretur, & recipiatur ad roborandam fidem in collatione Baptismi susceptam. Ratio secundæ partis est: quia illa solemnitas, & ceremoniæ tempore interdicti non reperiuntur alicubi interdictæ.

272. Colliges tertio, similiter tempore interdicti licite ministrari, & recipi Sacramentum Pœnitentiæ non solum intra, sed etiam extra articulum mortis. Ita ob necessitatem hujus Sacramenti dispositum reperitur in *c. 24. de Sent. excom. in 6.* ubi ministratio, & receptio illius tempore interdicti etiam extra articulum mortis permittitur, correcto Jure antiquo, quod eam solummodo permittebat in articulo mortis.

Verum hucusque dicta intelligas velim cum hac limitatione: nisi ministrans, vel recipiens ejusmodi Sacramenta, sit specialiter interdictus, aut dederit causam interdicto. Talis quippe extra casum necessitatis illa ministrat illicite (non tamen invalide, quamvis sit denunciatus, & non toleratus, cum non privetur usu jurisdictionis, quemadmodum privatur excommunicatus non toleratus) illiciteque recipit (& Sacramentum Pœnitentiæ etiam invalide, ob defectum debitæ dispositionis) nisi prius satisfactionem ab Ecclesia dictatam præstet, vel si talem præstare nequeat, idoneam det cautionem de satisfaciendo; aut si neque hoc possit,

saltem

sultem juret, se pro viribus satisfacturum. Ita habetur in *cit. c.* 24. Et ratio est: quia neque in hoc *cap.* neque in alio, specialiter interdicto, aut præbenti causam interdicti favor aliquis est concessus, sed vi Juris communis quælibet Sacramentorum administratio, & receptio prohibita manet. Alterius *tom.* 2. *disp.* 4. *c.* 1. *in fin.* Bonacina, Suarez, Sayrus, & alii passim.

273. Colliges quarto, etiam Sacramentum Matrimonii tempore interdicti (1.) licite ministrari, ac recipi posse; dummodo (2.) omittantur benedictiones nuptiales. Secunda pars est communissima. Primam tenent Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 8. *num.* 2. Sanct-Gallenses *loc. & q. citt.* Herincx *n.* 95. & alii passim contra Bonacinam, Fillincium &c. Ratio primæ partis est; quia Matrimonium per se, & ex natura sua est contractus humanus, & politicus, cui in Lege nova ex institutione Christi per modum accessorii superaddita est ratio Sacramenti: atqui contractus humani, & politici tempore interdicti non prohibentur; ergo nec Matrimonium in ratione contractus; & consequenter nec in ratione Sacramenti, cum accessorium sequatur naturam sui principalis. & hoc permisso etiam illud censeatur permissum; quando aliunde nihil obstat. Confirmatur primo. Per censuram interdicti illorum duntaxat Sacramentorum usus prohibetur, quæ a Ministris Ecclesiæ conferuntur; prout Authores passim exponunt *c.* 43. *de Sen. excom.* atqui tale non est Sacramentum Matrimonii, quippe cujus ministri sunt ipsimet contrahentes; ergo &c. Confirmatur secundo ex *c.* 4. *de Feriis*, ubi dicitur, Matrimonium quolibet tempore contrahi posse. Neque respondere licet, posse contrahi quolibet tempore non prohibito. Nam contra est, quod in *cit. cap.* aliquid speciale concedatur Matrimonio, reliquis Sacramentis non concessum; sed si allata expositio valeret, nihil speciale concederetur Matrimonio; cum alia quoque Sacramenta possint ministrari, & recipi tempore non prohibito; ergo concessio *cit. cap.* intelligenda venit de tempore prohibito, seu tali, quo alia Sacramenta ministrare, & recipere non licet. Ratio secundæ partis est; quia benedictiones nuptiales computantur inter Divina Officia, & ad actum Ordinis pertinent, utpote faciendæ a solo Sacerdote; ergo tempore interdicti adhiberi licite non possunt sive intra, sive extra Sacrificium Missæ.

Dices primo contra primam partem. Sacramentum Matrimonii nec in *c.* 24. *de Sent. excom. in* 6. nec alibi excipitur; ergo tempore interdicti manet prohibitum *c.* 43. *de Sent. excom.*

Respondetur, neg. cons. Non enim erat necesse, ut exciperetur Matrimonium, cum sit seipso exceptum, seu ex ratione sua primaria contractus humanus, & politicus, cujus celebratio tempore interdicti nullibi vetatur; nam allegatum *c.* 24. & alia, in quibus tempore interdicti usus Sacramentorum prohibetur, loquuntur de Sacramentis, quæ conferuntur a Ministris Ecclesiæ, cujusmodi non est Matrimonium: id quod tutum patet ex proxime dictis. Deinde dato, non concesso, tempore interdicti prohibitam esse ministrationem, & receptionem Matrimonii, spectato Juris rigore, illi tamen prohibitioni de facto derogatum esse merito censent Sanchez *loc. cit. n.* 8. Salmanticenses *n.* 47. & alii complures;

Dico secundo contra secundam partem. Benedictiones nuptiales sunt accessoriæ Matrimonio; ergo si istud tempore interdicti licite celebratur, etiam licite adhibebuntur illæ.

Respondetur, dist. ant. Sunt accessoriæ Matrimonio, & simul obtinent rationem Divini Officii, con. sunt accessoriæ tantum, neg. ant. & cons. Quia esto non censeantur prohibitæ, quatenus sunt accessoriæ Matrimonio, censentur tamen prohibitæ, quatenus veniunt in censum Divinorum Officiorum.

Instabis. Concesso Baptismo, & Confirmatione tempore interdicti conceditur confectio chrismatis, esto non sit illis tantum accessoria, sed insuper computetur inter Divina Officia, ex dictis *n.* 265. ergo idem dicendum de benedictionibus nuptialibus, quamvis & ipsæ Divinis Officiis accenseantur.

Respondetur cum P. Khamm, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia chrisma est accessorium tanquam pertinens ad Confirmationis essentiam, & respectu Baptismi est necessarium sub gravi præcepto ad ejus decentem administrationem; cumque singulis annis renovari, & solummodo Feria V. hebdomadæ sanctæ confici possit, si tempore interdicti non conficeretur, nec Confirmatio valide, nec Baptismus decenter administrari posset. Unde concesso Baptismo, & Confirmatione tempore interdicti necessario censetur etiam concessa confectio chrismatis tanquam aliquid accessorium ad illa, dicto modo prærequisitum, quamvis simul sortiatur rationem Divini Officii. At vero benedictiones nuptiales nec sunt accessorium tanquam pertinens ad essentiam Matrimonii, nec requiruntur ad decentem ejus administrationem, sed utramque subsequuntur tanquam laudabilis ceremonia, quam Navarrus *in Manuali c.* 22. *n.* 83. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 10. *n.* 561. aliique plures (an etiam hos, patebit suo loco) de consilio tantum adhibendam autumant. Unde concesso Matrimonio tempore interdicti, nulla sequela datur; concessas quoque fore benedictiones nuptiales &c.

274. Dico tertio. Interdictum denique privat sepultura Ecclesiastica, adeo, ut corpora defunctorum in loco sacro (nam tumulare interdictum in loco non sacro nullibi vetatur; dummodo pompa funebris, & consuetæ ceremoniæ Ecclesiasticæ omittantur) tumulari non possint, regulariter loquendo, & secluso privilegio. *c.* 11. *de Pœnit. & remiss.* Estque hæc privatio tam generalis, ut etiam ad corpora infantium, & perpetuo amentium extendatur: idque ob incapacitatem loci, seu interdicti.

Dixi: *regulariter loquendo, & secluso privilegio.* Excipiuntur enim Clerici, quorum nomine hic veniunt omnes personæ Ecclesiasticæ, gaudentes privilegio Canonis, & fori, veluti sunt etiam Religiosi utriusque sexus; Hi proin omnes in loco, sive specialiter, sive generaliter interdicto, tumulari possunt (sine pulsu tamen campanarum, & Ecclesiastica solemnitate) nisi ipsimet personaliter interdicti sint, vel causam interdicto dederint, vel illud violaverint: quemadmodum habetur, & limitatur in *cit. c.* 11. Imo etiam tales sepultura Ecclesiastica donari, & in loco sacro tumulari possunt, quando non sunt nominatim denunciati, aut ante mortem dederunt signa pœnitentiæ: id quod fluit ex Constitutione Concilii Constantiensis *Ad evitanda scandala;* & advertunt Andreas a Matre Dei, Sbogar, Illsung, Erhart *pag.* 218.

275. Quæres, an in illis Festivitatibus, in quibus per *cap.* 24. *de Sent. excom. in* 6. suspenditur interdictum locale generale, ac conceditur facultas assistendi Divinis Officiis, & Sacramenta recipiendi tempore interdicti, censeatur Laicis etiam permissa sepultura in loco sacro?

Respondetur negative. Alterius *tom.* 1. *disp.* 6. *de Interd. c.* 2. *&* 3. Salmanticenses *tr.* 10. *de Cens. c.* 6. *n.* 73. Khamm *n.* 330. Erhart *loc. & pag. citt.* aliique plures contra alios. Ratio est: quia privatio Ecclesiasticæ sepulturæ est effectus interdicti diversus a privatione Divinorum Officiorum, & Sacramentorum; cum Clerici admittantur ad S. sepulturam, sed sine Officio; ergo quamvis *in cit. c.* 24. tollatur privatio posterior, non tamen eo ipso censetur tolli & prior.

Dices primo, Privilegium, in *cit. c.* 24. pro illis Festivitatibus concessum, est amplæ interpretationis; ergo extendendum ad sepulturam Ecclesiasticam, sive in loco sacro.

Respondetur, dist. ant. Est amplæ interpretationis, servata tamen proprietate verborum privilegii, con. ultra eam proprietatem, neg. ant. & cons. Nam si dictum privilegium extenderetur ad sepulturam Ecclesiasticam, fieret extensio ultra proprietatem verborum privilegii; cum sepultura Ecclesiastica, secundum se considerata, & quatenus præcise importat illationem cadaveris in terram sacram, non sortiatur rationem Divini Officii: prout ex proxime dictis liquet.

Dices secundo, Quibus communicamus vivis, mortuis quoque communicare possumus *can.* 6. *caus.* 24. *q.* 2. sed in Festivitatibus per supra allegatum *cap.* 24. assignatis, licite communicamus Laicis in Divinis Officiis; ergo etiam mortuis communicare possumus.

Respondetur, explicando, & dist. maj. Quibus communicamus vivis, mortuis quoque communicare possumus in iisdem actionibus, con. in diversis actionibus, neg. maj. & concessa minore, dist. cons. Possumus etiam communicare mortuis in Divinis Officiis.

con. in sepultura sacra, secundum se considerata, neg. cons. & suppositum, quod sepultura sacra præcise denegatur interdictis ob Divina Officia eidem annexa; denegatur eadem etiam secundum se considerata, quatenus Ecclesia locum interdictum speciali afficit incapacitate in ordine ad sepeliendos ibi fideles.

§. III.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

276. *Episcopi non comprehenduntur in decreto generali interdictum personale continente, quando non fit eorum expressa mentio.* 277. *Interdicto Clero, non censentur etiam Religiosi interdicti.* 278. *Interdici potest integra Communitas.* 279. *& seq. An, & quantum peccet, qui actum interdicto vetitum exercet? & num exercendo agat invalide?* 281. *An, & quas pœnas incurrant, qui censuram interdicti violant?* 282. *An peccent, & aliquam pœnam incurrant, qui cum interdicto communicant in iis, quæ ipsi per censuram interdicti sunt vetita?*

276. QUæres primo, an Episcopi comprehendantur in decreto generali interdictum personale continente, quando non fit eorum expressa mentio?

Respondetur negative. Ita communis. Ratio est: quia ob suam dignitatem sicut ab incursione suspensionis, ita & interdicti eximuntur per cap. 4. de Sent. excom. in 6. Proceditque responsio etiamsi necdum sint consecrati; sed solum electi, & confirmati. Revide, & huc applica, quæ diximus n. 246.

277. Quæres secundo, an, interdicto Clero, censeantur etiam interdicti Religiosi?

Respondetur iisdem negative; idque conformiter dictis n. 247. Ratio est eadem, eademque authoritas DD. quæ in cit. n. de suspensione allegata est. Confirmatur præterea in hunc modum. Interdicto Clero, non intelligitur interdictus populus; quia nomine Cleri non veniunt Laici: similiter interdictis Religiosis, non censentur interdicti Clerici seculares; ut tradunt DD. communiter; ergo etiam, interdictis iisdem Clericis, non censentur interdicti Religiosi, quamvis prima tonsura, aut Ordinibus initiati sint. Excipiuntur tamen illi Religiosi, qui segregati a ceteris possident aliquod Beneficium, v. g. Pastoratum, Canonicatum &c. Tales quippe unum cum Clericis secularibus Corpus, & Capitulum constituunt. Quod etiam applicandum venit de Suspens. n. 247.

278. Quæres tertio, an possit interdici integra Communitas, adeo, ut etiam innocentes in ea censeantur interdicti?

Respondetur affirmative cum P. Engel lib. 5. Decret. tit. 39. n. 86. & communi aliorum. Sumitur ex c. 11. de Sponsalibus, & c. 16. de Sent. excom. in 6. Ratio quoque suffragatur: quia integra Communitas est capax juris ad Divina Officia, Sacramenta, & Sepulturam sacram; ergo potest eo jure privari: & consequenter interdici, quando in contrarium non obstat aliqua legitima prohibitio, sicut nulla obstare noscitur in præsenti. Nec refert, quod in illa reperiantur innocentes. Siquidem hi tales non interdicuntur quoad se, & quatenus sunt particulares personæ, sed quatenus sunt partes, & membra Communitatis interdictæ, versanturque in loco interdicto: unde si exeant ad locum non interdictum, Divina pro libitu participare possunt, c. 16. cit. Revide, quæ diximus n. 248. & proportionaliter huc applica. Unum tamen in præsenti adhuc notandum venit, quod sermo sit de innocentibus doli capacibus (id quod pariter supposuimus de Suspens. n. 248.) isti quippe soli existunt membra Communitatis capacia prohibitionis Ecclesiasticæ, & consequenter interdicti per eam lati. Aliter sentiendum de innocentibus doli incapacibus: hi namque non sunt membra Communitatis capacia prohibitionis Ecclesiasticæ, & interdicti per eam lati; adeoque interdicta Communitate non censentur interdicti, nisi quod (secundum dicta n. 274.) prohibeantur tradi sepulturæ Ecclesiasticæ, quæ tamen prohibitio directe solos afficit Clericos sepulturos, non vero ipsos infantes, & perpetuo amentes, quippe (ut proxime dictum) ejusmodi prohibitionis incapaces.

Dices, consultius fore, ut culpabiles alicujus Communitatis excommunicentur, quam ut tota Communitas, ex culpabilibus, & inculpabilibus constans, interdicto supponatur; sic quippe inculpabiles conservarentur illæsi.

Respondetur, neg. assumptum. Ratio negandi est gemina. Prima est: quia cum culpabiles plerumque sint incerti, si in genere fulminaretur excommunicatio contra singulos culpabiles, ipsi nollent se agnoscere culpabiles; sed potius declinarent in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis; sicque facile eluderetur excommunicatio. Secunda est: quia Rectores, & Potentes, qui forte parum curarent suæ personæ excommunicationem, curare tamen vel maxime debent interdictum generale, metuentes, ne populus, ob eorum culpam interdicto suppositus, adversus illos exasperetur, jugumque excutiat. Engel loc. cit. n. 88, Pichler n. 48, & alii passim.

279. Quæres quarto, an, & quantum peccet, qui actum interdicto vetitum exercet?

Respondetur, peccare per se loquendo, & quidem mortaliter ex genere suo. DD. communiter. Ratio est: quia exercens similem actum transgreditur præceptum Ecclesiæ in re gravi ex genere suo. Particulas restrictivas, *per se loquendo*, & *ex genere suo*, habes explicatas n. 249.

280. Quæres quinto, an interdictus, exercendo actum, per censuram interdicti vetitum, etiam agat invalide?

Respondetur, resolutionem hujus quæstionis facile colligi ex dictis n. 250. quæ proin relegenda, & huc applicanda sunt. Sed

Dices. Suspensus ab Officio in totum, si sit de numero non toleratorum, invalide administrat Sacramentum Pœnitentiæ, secundum dicta in allegato n. ergo etiam interdictus non toleratus: quod pugnat cum dictis n. 272.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia præfato modo suspensus privatur ab Ecclesia usu jurisdictionis, sine quo data absolutio subsistere nequit. Oppositum est de interdicto, utpote cui, licet non tolerato, usu jurisdictionis haud adimitur; prout manat ex dictis §. præced.

Instabis. Specialiter interdictus, & nominatim denunciatus, adeoque non toleratus, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ æquiparatur excommunicato non tolerato, c. 3. & 4. de Cleric. excom. ministr. atqui excommunicatus non toleratus extra casum necessitatis invalide administrat Sacramentum Pœnitentiæ; ergo etiam interdictus non toleratus.

Respondetur, majorem esse veram de illicita administratione Sacramenti Pœnitentiæ, non item de invalida. Quare utrique quidem vetita est administratio Sacramenti Pœnitentiæ extra casum necessitatis, & sic uterque peccat, si illud administret extra talem casum; sed excommunicatus non toleratus insuper agit invalide, quippe usu jurisdictionis privatus; interdictus autem valide, ob rationem oppositam.

281. Quæres sexto; an, & quas pœnas incurrant, qui censuram interdicti violant?

Respondetur, Clerici, tam Regulares, quam seculares, si violent interdictum personale per solemnem actum Ordinis sacri, evadunt irregulares, cap. 20. de Sent. excom. in 6. 2. Si violent interdictum locale per celebrationem Missæ, & irregulares efficiuntur c. 18. eod. §. is vero, & privantur jure electionis activæ, ac passivæ, cit. c. 18. & c. 1. de Postul. Prælat. Incurrunt insuper 3. suspensionem ab Officio, & Beneficio, c. 18. de Excess. Prælat. Religiosi, etiam exempti 4. non servantes interdictum locale, quod servatur in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice, aut Parochiali illius loci, incurrunt excommunicationem. Clement. 1. de Sent. excom. Similiter 5. excommunicationem contrahunt, qui interdictum non toleratum sepeliunt in loco sacro, vel non interdictum in loco interdicto. Clement. 1. de Sepult. Denique 6. excommunicationem, & quidem Pontifici reservatam (qualiter reservatæ non sunt duæ priores) incurrunt Domini temporales, qui compellunt Clericum ad celebrandum in loco interdicto: item interdicti non tolerati, qui, postquam jussi sunt, non exeunt de templo, in quo celebratur Missa. Clement. 2. de Sent. excom. Hezinck loc. cit. n. 100. Engel a n. 98. Pichler n. 52.

Sed

Sed occasione modo dictorum duo breviter insinuanda est. Primum est. Quando Sacerdos celebrat in loco interdicto, expelli debet interdictus non toleratus; & si expelli nequeat, observari illa, quæ præscripsimus *de excom. n.*174. Quando autem Sacerdos celebrat in loco non interdicto; opera quidem danda est, ut antefato modo interdictus expellatur: si tamen hoc evinci nequeat, non tenetur idcirco Sacerdos a celebrando desistere; cum isthoc nullibi præcipiatur, sicut præcipitur in casu, quo excommunicatus non toleratus præsto est, & expelli nequit, secundum dicta *num.cit.* Ita cum aliis a se relatis P. Khamm *num.*505. 542. & 543. Alterum est. Interdictus non toleratus, quando impœnitens decessit, & contra prohibitionem Ecclesiæ in loco sacro tumulatus fuit, exhumandus est (si ejus corpus ab aliis discerni queat) sicut de excommunicato non tolerato dictum *n.*179. Ita Author proxime allegatus *n.*528. & alii apud ipsum.

282. Quæres septimo, an peccent, & aliquam pœnam incurrant, qui cum interdicto communicant in iis, quæ ipsi per censuram interdicti sunt vetita?

Respondetur primo. Qui communicant cum interdicto tolerato, non peccant. DD. communiter. Ratio est eadem, quæ de suspenso *n.*252. Relege ibi dicta.

Respondetur secundo. Qui communicant cum interdicto non tolerato, tunc solum peccant, quando, & quatenus eum inducunt ad illicitam violationem interdicti, vel eidem cooperantur. Est itidem communis. Ratio est: quia interdictum non privat Divinis, quatenus dicunt communicationem cum fidelibus, qualiter privat excommunicatum; ergo fideles, quando, & quatenus communicant cum interdicto, quamvis non tolerato, non peccant contra prohibitionem Ecclesiæ, sed solum contra prohibitionem Legis naturalis peccatu scandali, si, & quatenus ejusmodi interdictum inducunt ad violationem censuræ, vel ad eandem cooperantur. Hinc licite audis Missam Sacerdotis interdicti, etiam non tolerati; non tamen ab eo licite Missam petis, aut celebranti licite ministras: prout diximus de Sacerdote suspenso non tolerato *n.*252.

Dices primo. Sacerdos, præfato modo interdictus, peccat Missam celebrando; ergo etiam fideles illam audiendo.

Confirmatur. Sacerdos, etiam non interdictus, illicite celebrat coram fidelibus interdictis non toleratis; ergo etiam fideles non interdicti illicite audiunt Missam Sacerdotis interdicti non tolerati.

Respondetur ad argument. dist. ant. Peccat propter communicationem cum fidelibus, neg. propter ipsam celebrationem sibi per interdictum vetitam, con. ant. & neg. cons. Revide dicta de suspenso *n.*252. & huc applica.

Ad confirmat. similiter dist. ant. Illicite celebrat propter communicationem cum fidelibus interdictis, neg. propter *c.*24. *de Sent. excom.* ubi tempore Missæ interdicti non tolerati templo exesse jubentur, con. ant. & neg. cons. Nam fidelibus non interdictis nullibi vetatur auditio Missæ, quam celebrat Sacerdos interdictus, etiam non toleratus: dummodo eam non celebret in loco interdicto. Hoc quippe si fieret, & Sacerdos Missam celebrando, & fideles, etiam non interdicti personaliter, illam audiendo, peccarent propter violationem interdicti localis: imo Sacerdos in tali loco celebrans irregularitatem contraheret, *c.*18. *de Sent. excom. in* 6. §. *is vero*.

Dices secundo. Qui interdictum non toleratum sepeliunt in loco sacro, peccant, & excommunicatione feriuntur. *Clement. c. de Sepult.* supra allegata; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Peccant &c. propter communicationem cum interdicto qua talem, neg. propter tumulationem ipsius in loco sacro, *cit.* Clementina sub pœna excommunicationis prohibitam, con. ant. & neg. cons. Communicatio qua talis cum interdicto, etiam non tolerato, nullibi est prohibita; sicut prohibita est communicatio cum excommunicato non tolerato: prout relinquitur ex repetitim dictis.

Respondetur ad quæst. tertio. Fideles, qua communicantes cum interdicto, etiam non tolerato, vel ipsum ad violationem interdicti inducentes, aut eidem cooperantes, nullam incurrunt pœnam: quia ut sic vel omnino non peccant; vel non peccant contra Legem Ecclesiasticam; ut dictum *de Suspens. n.*252. incurrunt tamen aliquas pœnas (illas nempe, quas *n.*281. assignavimus) quatenus contraveniunt certis quibusdam prohibitionibus, iisdemque pœnalibus, Ecclesiæ, non ad communicationem cum interdictis evitandam, sed ad effectus hujus censuræ proprios magis urgendos ordinatis: quemadmodum pensanti dicta in proxime allegato *n.* pervium est.

Dices. Sacerdos, etsi non interdictus, nec alia censura irretitus, efficitur irregularis, si celebrat non exclusis personis nominatim interdictis, quando excludi possunt; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Si, & quatenus celebrat in loco interdicto, con. si celebrat in loco non interdicto, & quatenus per celebrationem communicat cum interdictis non toleratis, neg. ant. & cons. Responsio fluit ex hucusque dictis.

§ IV.

Recensentur, itidem ex Pichlero cit. Interdicta in Jure lata.

SUMMARIUM.

283. *Recensentur Interdicta localia.* 284. *Recensentur Interdicta personalia generalia contra Universitates.* 285. *Recensentur Interdicta personalia specialia contra personas singulares.*

Interdicta Localia.

283. 1. Contra Dominos temporales, quorum loca subjacent interdicto, si impediant, ne Legatus, vel Nuncius Papæ fungatur suo Officio: Item siquis injuriose percutit, capit, bannit Episcopum. *Extravag. Super Gentes, de Consuet. & Clem.* 1. *de Pœnis*.

2. Contra Civitatem, quæ supponitur interdicto, si hostiliter insequitur Cardinales. *c. Felicis, de Pœnis in* 6.

3. Contra Ecclesias tam secularium, quam Regularium, qui aliquem inducunt, ut juret, vel promittat ibi eligere sepulturam, si postea ibi sepeliatur jurans, vel promittens. *c.*1. *de Sepult. in* 6.

4. Contra Collegia, & Universitates, quæ exigunt gabellas &c. vel aliquid contra libertatem Ecclesiasticam. *Bulla* 93. *Gregor.* XIII.

Interdicta Personalia Generalia contra Universitates.

284. 5. Quæ usurariis locant habitationem, vel fœnus publice exercere sinunt. *c.* 1. *de Usuris in* 6.

6. Quæ concedunt, vel extendunt, repressalias ad Ecclesiasticos. *c. un. de Injuriis in* 6.

7. Quæ non servant circa fructus Beneficiorum vacantium statuta *in Extrav. unic. Ne quid Sede vacant.*

8. Quæ a sententia Papæ appellant ad futurum Concilium. *Bulla Cœnæ cas.*2.

9. Quæ ex Capitulis Cathedralibus infra annum Sede vacante concedunt dimissorias literas. *Trid. Sess.* 7. *c.* 10.

10. Quæ exigunt tributa ab Ecclesiasticis. *c. Quanquam, de Censib. in* 6.

Interdicta Personalia Specialia contra personas singulares.

285. 11. Quæ in ferendis censuris non observant formam a Jure præscriptam. *c.* 1. *de Sent. excom. in* 6.

12. Quæ violant interdictum locale, vel personale. *c. Episcoporum, de Privileg. in* 6.

13. Quæ dant causam interdicto locali. *c. si sententia, de Sent. excom. in* 6.

14. Quæ de manu Laici recipiunt Prælaturam, vel Dignitatem Ecclesiasticam. *can. Siquis deinceps, caus.* 16. *q.* 7.

15. Quæ ad Ecclesias Cathedrales promotæ intra unum mensem se non committunt itineri ad faciendam residentiam. *Bulla* 190. *Urbani* VIII. *cum Trid. Sess.* 23. *c.* 2. *de Reform.*

16. Si Clerici in Sacris constituti jaceant in crimine fornicationis. *can. Siqui sunt. dist.* 81.

17. Si Prælatus usurpet bona vacantium Beneficiorum. *Extravag. comic. supra cit.*

18. Siquis Ecclesiarum secularium Rector, vel Minister recipiat onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii, *Bulla 43. Urbani* VIII.

19. Si quis Prælatus edat Commentarios in Conc. Trid. *Bulla Pii IV. confirmatoria ejusdem Tridentini*.

20. Si quis Episcopus, vel Abbas bona Ecclesiæ alienet non servata forma. *Extravag. Ambitiosa, de Reb. Eccles. alien.*

21. Siquis Episcopus, vel inferior Prælatus exigat in Visitatione excessivam procurationem, & contra Jus, *cap. Excipit. de Censib. in 6. Trident. Seff.24. cap.3. de Reform.*

22. Siquis Ordinarius privet Beneficiis commorantes in Urbe, & qui talia Beneficia recipit, idem incurrit, *Extravag.3. de Privileg.*

23. Siquis Metropolitanus non moneat intra præscriptum tempus Pontificem, quod sui Suffraganei non resideant; vel antiquior ex Suffraganeis, si Metropolitanus non resideat. *Trid. Seff.6. c.1. de Reform.*

Quænam ex his Interdictis in Bulla Cœnæ, vel extra illam sint reservata, & quænam non, itidem colligi, & discerni debet ex subjunctis Juribus.

ARTICULUS III.

De Depositione, Degradatione, & Cessatione a Divinis.

SUMMARIUM.

286. *& seq. Quid sit Depositio, & quid Degradatio?* 288. *& seqq. Deducuntur duo corollaria.* 290. *Describitur Cessatio a Divinis.* 291. *Assignatur differentia inter Cessationem a Divinis, & Interdictum.* 292. *Quisnam Degradationem, Depositionem, & Cessationem a Divinis relaxare possit?*

286. Dico primo. Depositio simplex, verbalis, & specifice accepta, est *pœna Ecclesiastica, solis Clericis propria, qua vel ab Ordine, vel a Beneficio, vel ab Officio, vel a Beneficio, & Officio simul; vel ab omnibus tribus, Ordine, Beneficio, & Officio removentur in perpetuum*. P. Pichler *lib.5. Decret. tit.37. n.17.* In terminis; estqua descriptio reipsa communis.

Explicatur. Dicitur 1. *Depositio simplex, verbalis, & specifice accepta*: quia hic describi ab Authoribus solet, & respective debet, quatenus contra distinguitur *a Degradatione*; adeoqua quatenus accipitur specifice; nam generice accepta Degradationem complectitur; imo hæc dici *Depositio realis* solet: prout notat Author *cit.*

Dicitur 2. *Pœna Ecclesiastica solis Clericis propria*: quia ipsi soli habent Ordines, Beneficia, & Officia Ecclesiastica, queis ab Ecclesia privari possunt: quamvis Depositio, saltem minus proprie dicta, etiam porrigatur ad Religiosos non Clericos; uti & ad Abbatissas, quatenus & istæ obtinent Officium Ecclesiasticum, a quo removeri queunt.

Dicitur 3. *Vel ab Ordine*, Sacerdotali, Episcopali &c. intellige: *quoad exercitium*; nam Ordo ipse quoad substantiam, & character auferri nequit.

Dicitur 4. *Vel a Beneficio*, v. g. a Parochia, Canonicatu &c. ita, ut id penitus amittatur, & simul inducatur inhabilitas ad idem, & alia Beneficia acquirenda; per quod Depositio secernitur a *Privatione Beneficii*, utpote quæ relinquit habilitatem ad idem, vel novum Beneficium obtinendum.

Dicitur 5. *Vel ab Officio*, non tantum quoad usum, & exercitium, sed quoad ipsam etiam potestatem spiritualem.

Dicitur 6. *Vel ab omnibus tribus &c.* ubi indigitatur Depositio totalis, qualis etiam intelligitur, quando sententia Depositionis absolute, & sine addito profertur.

Dixi 7. *Removentur*, nimirum per sententiam Canonicam, vel condemnatoriam, vel, si hæc ab ipso Jure jam sit lata, criminis declaratoriam, ante cujus prolationem, cum sit pœna privans jure jam quæsito, non videtur actualiter incurri.

Dicitur 8. *In perpetuum*, id est, irremissibiliter de Jure ordinario. Per quod Depositio differt a Suspensione, utpote quæ est pœna medicinalis, & de se non perpetua. Differunt præterea ambæ etiam in hoc, quod Depositio auferat reo ipsam potestatem Officii, & titulum Beneficii; non item Suspensio.

287. Dico secundo. Degradatio est *pœna Ecclesiastica, qua Clericus solemniter, & authentice non tantum Ordine, Beneficio, & Officio, sed etiam Statu Clericali, id est, omnibus privilegiis Clericalibus, Fori, Canonis &c. privatur in perpetuum*. Quando hujus privationis sententia profertur solemniter, *Degradatio Verbalis*; quando autem fit sententiæ solemnis executio, *Realis* nuncupatur. Degradatio verbalis privilegia Clericalia Fori, & Canonis aufert solum quasi inchoative, & dispositive, quatenus ordinatur ad Degradationem realem (per quam eadem privilegia tolluntur actu, & formaliter) adeo, ut ad istam absque nova sententia procedi possit. Per quod differunt a *simplici Depositione*; nam hæc neutro modo privilegiis Clericalibus privat. Unde percutiens Clericum degradatum degradatione completa, id est, non solum verbali (hæc quippe ex dictis non aufert actu privilegia Clericalia) sed etiam reali, non incurrit excommunicationem; incurrit autem percutiens depositum. Differunt ulterius a Depositione, quod degradatus (degradatione scilicet utraque, & completa) recidat sub jurisdictionem Magistratus secularis, adeo, ut ab hoc instar Laici comprehendi, incarcerari, ac puniri possit supplicio etiam capitali: non item simpliciter depositus; hic nanque potestati Ecclesiasticæ etiamnum subjectus manet. Differunt etiam *a Suspensione*. 1. Quod sint pœna de Jure ordinario irremissibilis; non item Suspensio. 2. Quod (suo quævis modo) auferant privilegia Clericalia; non autem Suspensio. 3. Quod adimant degradato ipsam potestatem ratione Officii alioquin competentem, & ipsum titulum Beneficii: non sic Suspensio. Differunt quoque *inter se invicem*. 1. Quia diversimode privant privilegiis Clericalibus; ut dictum, & expositum est. 2. Quia Degradatio verbalis est actus jurisdictionis tantum, & ideo ab Episcopo, etiam nondum consecrato, a Capitulo Sede vacante, & a Vicario Generali ex speciali mandato fieri potest; Degradatio autem realis, seu actualis est actus Ordinis Episcopalis, ideoque non punibilis ab Episcopo, nisi consecrato. Engel *lib.5. Decret. tit.37. n.13.* Pichler *eod. lib. & tit. n.18.* Babenstuber *loc. cit. n.18. & seq.*

288. Colliges primo, degradatum (idem cogita de deposito) valide consecrare, si sit Sacerdos; non autem licite. Babenstuber *n.21.* & alii communiter. Ratio primi est: quia adhuc retinet characterem Ordinis, utpote qui semel impressus tolli nequit potestate Ecclesiastica. Ratio secundi est: quia Ecclesia ipsum privat (sicut potest) exercitio Ordinis.

289. Colliges secundo, degradatum (idem rursus cogita de deposito) si sit in Sacris constitutus, adhuc obligari ad recitandas Horas Canonicas, & servandam Castitatem. Salmanticenses *tr.10. c.5. n.60.* & alii communiter. Ratio est: quia cum non privetur charactere Ordinis, consequens est, quod neque eximatur ab oneribus Ordini annexis. Accedit, quod nemo ex sua culpa debeat referre commodum, vel occasione pœnæ, quam fuit ob proprium delictum, relevari ab obligatione aliunde contracta.

290. Dico tertio. Cessatio a Divinis (quæ & *Suspensio organorum*, vel *laudis Divinæ*, dicitur, juxta illud Psalmi 136. *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra*) est *simplex prohibitio Ecclesiastica, Clericis imposita, ut abstineant ab Officiis Divinis, & certorum Sacramentorum administratione, in aliquo loco, ad contestationem mœroris*. P. Pichler *lib.5. Decret. tit.39. n.54.* quasi in terminis, & alii quoad rem ipsam passim.

Explicatur. Dicitur 1. *Simplex prohibitio Ecclesiastica*: quia non afficit personas per modum veræ pœnæ, sicut censuræ; sed potius afficit suo modo locum, adeo, ut omnis Cessatio a Divinis sit, & dicatur *Localis*.

Dicitur 2. *Clericis imposita*: quia ad hos solos spectat Divina Officia peragere, & Sacramenta administrare. Interim tamen, si Cessatio a Divinis servetur in Ecclesia Matrice, eandem servare quoque tenentur Religiosi etiam exempti, in suis Ecclesiis; & quidem sub pœna excommunicationis per *Clement.1. de Sent. excom.* & Trid. *Seff.25. c.12. de Regul.* doceturque a P. Henncx *loc. cit. n.109.* ac aliis passim.

Dicitur 3. *Ut abstineant ab Officiis Divinis, & certorum Sacramentorum administratione*: per quas particulas

culas denotatur affinitas cessationis a Divinis cum Interdicto; nam sicut hoc privat omnibus Divinis Officiis, & aliquorum duntaxat Sacramentorum administratione, sic & illa. Quare tempore cessationis a Divinis licite administrantur Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Matrimonii, sine tamen benedictione nuptiali; sicut tempore interdicti: haud quidem immediate vi privilegii per *cap. 24. de Sentent. excomm. in 6.* concessi pro tempore interdicti; cum in eo nulla fiat mentio de cessatione a Divinis; sed vi consuetudinis tacite approbatæ, & antefatum privilegium extendentis ad tempus cessationis a Divinis. Pariter quemadmodum tempore interdicti publice celebrare licet Divina Officia in Festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, & Corporis Christi, secundum dicta *n. 268.* ita & licet tempore cessationis a Divinis: sed itidem non immediate privilegii, sed vi legitimæ consuetudinis &c. Khamm *loc. cit. a n. 553.* Babenstuber *n. 29. & seq.* aliaque apud ipsos.

Dicitur 4. *In aliquo loco*, videlicet aut generali, plura loca sub se continente, & dicitur *cessatio generalis*; vel particulari, & dicitur *cessatio particularis*, sive *specialis*.

Dicitur 5. *Ad contestationem mœroris*: ubi designatur Ecclesiasticæ hujus prohibitionis causa finalis, quæ est contestatio mœroris, ac doloris concepti ex gravissima injuria Ecclesiæ, aut honori Divino illata, ut hac ratione injuriosus cogatur ad desistendum ab injuria, & ad eam debita satisfactione reparandam.

291. Ex quibus patet differentia inter cessationem a Divinis, & Interdictum. Nam 1. cessatio a Divinis non est censura (quamvis in ea ferenda præmittere oporteat monitionem, aliasque servare conditiones in *c. 1. de Sent. excom.* præscriptas) qualis tamen est Interdictum. Unde Clerici violantes cessationem a Divinis non efficiuntur irregulares, sicut violantes interdictum. 2. Cessatio a Divinis non causat tot effectus, quot interdictum; nam licet privet omnibus Divinis Officiis, & administratione illorum Sacramentorum, quibus privat Interdictum; non tamen privat sepultura Ecclesiastica (qua privat Interdictum) dummodo ea non peragatur cum solemnitate Divinorum Officiorum: prout tradunt Suarez, Mastrius, Herincx, Erhart, Pichler, & alii passim. Ratio hujus est: tum quia opposito nullos extat clarus textus: tum quia sepultura secundum se accepta, id est, pro nuda translatione, seu depositione cadaveris in locum sacrum, non venit nomine Divinorum Officiorum: prout jam alibi advertimus. 3. Quia cessatio a Divinis ordinatur in alium finem, quam Interdictum.

292. Quæres, quisnam Degradationem, Depositionem, & cessationem a Divinis relaxare possit:

Respondetur. Degradationem realem solus Pontifex, verbalem vero, uti & Depositionem, ac cessationem a Divinis etiam Episcopus relaxare potest. Ita P. Pichler *lib. 5. Decret. tit. 37. n. 18. in fin.* & alii communiter. Quod insinuasse satis esto.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

293. *Aglibertus notorie excommunicatus in Archidiœcesi Viennensi, in alia Diœcesi, ubi illa excommunicatio non innotuit, non est necessario vitandus sive publice, sive privatim.* 294. *Pro Adalberto contrito, nondum tamen ab excommunicatione absoluto, Sacrificium Missæ offertur illicite, non tamen invalide; suffragari Ecclesiæ vero applicantur eidem tam invalide, quam illicite.* 295. *Albericus excommunicatus, in confessione nullam faciens mentionem censuræ, valide absolvitur, si bona fide procedat.* 296. *Augustinus Parochus male facit, dum hæreticum, hæresi immortuum, cum pompa, & ceremoniis apud Catholicos consuetis sepelit in cœmeterio Orthodoxis, & Heterodoxis communi.* 297. *Albanus excommunicatus, publice denunciatus, invalidat electionem Canonicam, ad quam concurrit, nisi ipsius votum superfit &c.* 298. *Ambrosius, excommunicatus non toleratus, valide contrahit:* 299. *Antonius Clericus, licet nullo adhuc Beneficio dotatus sit, si committat crimen, pro quo lata est suspensio ab omni Beneficio, efficitur inhabilis ad omne Beneficium.* 300. *Alcinous tempore interdicti nactus privilegium audiendi Missam, hanc non tenetur etiam diebus festivis.* 301. *Destructis Ecclesiis, & Civitate, non cessat interdictum illis impositum.* 302. *Anastasio interroganti resolvuntur nonnulla quæstiones de Censuris.*

CASUS I.

293. *Aglibertus, Viennensis Archidiœcesеos Sacerdos, ob perpetratum grande crimen excommunicatus, & Viennæ nominatim, ac publice denunciatus, profugit Augustam, ubi & suum delictum, & notam excommunicationis ob id sibi inustam latere autumat. Sed vix Augustam pertigerat, offendit in hospitio Apollonium, totius rei apprime gnarum. Quæritur, an Apollonius Aglibertum Augustæ vitare teneatur?*

Respondetur negative. Salmanticenses *tr. 10. de Cens. c. 3. n. 18.* Tamburinus *part. 2. lib. 9. de Excomm. c. 3. §. 2. a n. 22.* Burghaber *centur. 1. cas. 14.* & alii satis communiter. Ratio est: quia per *Extravag.* Concilii Constantiensis *Ad evitanda scandala*, illum duntaxat excommunicatum evitare tenemur, qui est publicus per notoriam denunciationem (nam juxta *cit. Extravag.* obligatio vitandi non oritur ex sola excommunicatione, sed ex illius notoria denunciatione, excepto casu, quo incurritur excommunicatio ob percussionem Clerici, ubi non requiritur aliqua denunciatio, sed sola notorietas facti) atqui Aglibertus Augustæ non est publicus per notoriam denunciationem; ergo &c. Confirmatur. Per *cit. Extravag.* intenditur evitatio scandali: sed ubi crimen non est publicum, ibi nec generat scandalum; ergo &c.

Dices. Apollonius Augustæ in occulto novit crimen excommunicationem, & denunciationem Agliberti; ergo saltem in occulto eum ibi vitare tenetur.

Respondetur, neg. conf. Nam ut excommunicatus vitari debeat, debet esse publicus per notoriam denunciationem, ut diximus; alias erit de classe excommunicatorum toleratorum, quales nec in publico, nec in occulto vitare tenemur. Atqui Aglibertus non est ita publicus Augustæ, esto sit Viennæ; ergo Augustæ est de classe excommunicatorum toleratorum: consequenter &c.

Instabis. Ergo si Aglibertus ab Episcopo Augustano approbaretur, & exponeretur ad confessiones excipiendas in Diœcesi Augustana, valide absolveret.

Respondetur, con. illatum: quia excommunicatus toleratus valide administrat Sacramenta: quamvis illicite, si se sponte ingerat: prout ostensum manet *n. 164.*

CASUS II.

294. *Adalbertus Comes tributa a Personis Ecclesiasticis exigit, ac extorquere nititur, ut ut reclamet Episcopus. Unde tandem ab hoc declaratur excommunicatus, & ut talis publice denunciatur. Hoc percussus fulmine Adalbertus oculos aperire, sui erroris enormitatem agnoscere, & pro obtinendo absolutionis beneficio, omni emendatione promissa, demississime instare. Sed quoniam non illico exauditur, nec desideratam absolutionem impetrare potest, studet saltem per contritionem se reconciliare Deo, & aliquot sacra legi, aliaque Ecclesiæ suffragia offerri pro suis peccatis curat. Quæritur, an Sacrificia Missæ, & communia Ecclesiæ suffragia pro Adalberto jam contrito valide, vel etiam licite offerantur?*

Respondetur primo. Sacrificia Missæ (1.) valide offeruntur pro Adalberto: non item (2.) alia suffragia Ecclesiæ. Ita P. Khamm *de Excom. n. 64. & n. 68.* aliique passim. Antequam vero hæc responsio probetur, notandum, quod Sacrificium Missæ (non item alia Ecclesiæ suffragia) communi valori Ecclesiæ superaddat adhuc alium valorem principaliorem ex meritis Christi, cujus personam gerit Sacerdos Sacrificium offerens: id quod clare patet in Sacerdote ab Ecclesia per excommunicationem præciso; hic quippe talis, si offert Sacrificium Missæ, non offert ut Minister Ecclesiæ, utpote a qua præcisus est, sed præcise (abstrahendo ab orationibus, & aliis Religionis ceremoniis) ut Mi-

ut Minister Christi, seu nomine Christi, cujus immediate, & per se, vi suæ ordinationis personam gerit. Hoc notato. Ratio primæ partis est; siquidem ea, quæ pure ab institutione Christi pendent, suntque immediatus actus Ordinis, non possunt ab Ecclesia auferri, vel impediri: sed valor Sacrificiorum Missæ, qui nomine Christi pro Adalberto offertur, ita se habet; ergo &c. Min. constat ex notando, Maj. probatur a pari. Sic Ecclesia non potest impedire, ne Sacerdos conficiat valide Sacramentum Eucharistiæ, quamvis hoc illi prohibere possit; ergo nec impedire potest, ne Sacrificium Missæ nomine Christi pro Adalberto valide offeratur, esto id prohibere possit, actuque prohibeat, ut infra videbimus. Ratio secundæ partis est; quia valor aliorum suffragiorum communium pendet a publica Ecclesiæ intentione; ergo sibi subjectos iis potest privare, & reipsa privat, dum ipsos excommunicationis vinculo innodat. Hinc licet Adalberto obveniant, & prosint Sacrificia Missæ quoad valorem, & fructum, qui provenit ex meritis Christi, etiam satisfactorium pro pœna temporali (cum supponatur per contritionem jam rediisse ad statum gratiæ) nihil tamen eidem prosunt alia Ecclesiæ suffragia; uti nec Sacrificia Missæ quoad valorem, & fructum, quem respectu non excommunicatorum operantur, ac producunt ex meritis Ecclesiæ, cujus nomine offeruntur.

Respondetur secundo, nec Sacrificia Missæ, nec alia Ecclesiæ suffragia licite offeruntur pro Adalberto, quantumvis contrito. Ita Filliucius *tr.12.c.2.n.45.* Herincx *loc. cit. n.26.* Erhart *pag.120.* & alii satis communiter contra Sayrum, Mastrium, Hermann &c. Ratio est; quia illicite offerrentur pro Adalberto non contrito; ergo etiam pro contrito. Ant. est certum etiam per Adversarios. Cons. ostenditur. Per contritionem non tollitur excommunicatio; prout constat ex *propos.* inter damnatas ab Alexandro VII. *ord. 44.* quæ sic sonat: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ*; ergo adhuc operabitur suos effectus; cum non constet, Ecclesiam in casu contritionis velle illos impedire, vel suspendere; imo mens contraria ejusdem Ecclesiæ sufficienter manifestatur in *c.28. de Sent. excom.* ubi Innocentius III. decidit, pro excommunicato (videlicet non tolerato) defuncto, licet ante mortem signa contritionis dederit, non esse oblationes recipiendas, nec orationes publicas fundendas, antequam ab excommunicatione absolvatur.

Dices primo. Repugnat pietati S. Matris Ecclesiæ velle, ut quis maneat privatus tantis bonis spiritualibus, ubi jam recuperavit Divinam amicitiam: sed Adalbertus ponitur jam recuperasse Divinam amicitiam, mediante scilicet contritione; ergo &c.

Confirmetur. Quando Judex aliquem secundum allegata, & probata reum, a parte rei tamen innocentem, excommunicat, non privatur is communibus Ecclesiæ suffragiis: quia non est credibile, Ecclesiam velle tantis bonis privare innocentem; ut arguebamus supra *n.149.* sed eadem ratio hic militat; ergo &c.

Respondetur ad argument. neg. maj. Imo cedit in majorem censuræ reverentiam, & timorem, quod non cessat aliter tam secundum se, quam secundum suos effectus, nisi authentica absolutione tollatur. Quare sicut juxta ipsosmet Adversarios non repugnat pietati Ecclesiæ ejusmodi excommunicatum excludere ab usu passivo, & activo Sacramentorum, ita nec repugnabit eundem excludere a communibus suffragiis, & orationibus.

Ad Confirmat. neg. min. Siquidem in casu assumpto innocens a parte rei non ligatur excommunicationis vinculo; adeoque hæc in eo nullos operari effectus potest. At in nostro casu Adalbertus, non obstante actu contritionis, excommunicatus manet, juxta propositionem damnatam, quam supra retulimus; & consequenter excommunicatio in illo operabitur suos effectus, donec absolutionis beneficio relaxetur.

Dices secundo. Adalbertus est conjunctus Ecclesiæ tanquam vivum ejus membrum; eo ipso, quod per contritionem sit restitutus in statum gratiæ; ergo ab illa, ceu Capite, recipiet communem influxum.

Respondetur, dist. cons. Recipiet communem influxum, id est, communicabit cum aliis fidelibus in orationibus, & suffragiis particularibus, con. in orationibus, & suffragiis communibus, neg. cons. Ab istis enim sicut per excommunicationem exclusus fuit, ita exclusus manet, quamdiu perseverat excommunicatio. Ut hæc responsio penitius intelligatur, graviter discernendum est inter communionem fidelium, quæ in charitate, seu gratia sanctificante fundatur, & ideo in Symbolo Apostolorum *Communio Sanctorum* appellatur; ac inter communionem, seu participationem fidelium in suffragiis, quæ Ecclesia pro fidelibus offert per suos Ministros. Prior quippe communio non pendet ex intentione operantis, sed ex sola societate bonorum sequitur virtute Charitatis, qua fit, ut, quo singula membra meliora sunt, eo totum corpus gratius reddatur Deo; sicque Deus singulariter, & speciali liberalitate respicit unumquemque justum propter consortium aliorum. Ab hac communione non excluditur excommunicatus vi censuræ, sed vi culpæ tantum, qua proinexpiata, protinus ad eam redit, efficiturque particeps, quamvis vinculo excommunicationis etiamnum irretitus sit. Posterior autem communio, seu participatio suffragiorum Ecclesiæ, sita in eo est, quod quis sit de classe illorum, pro quibus Ecclesia directe orat, sive in ordine ad satisfaciendum, sive impetrandum, sive de congruo merendum. Atque ab ista communione exclusus manet excommunicatus, donec ab excommunicatione absolvatur. Ita quasi in terminis sæpe laudatus P. Erhart *pag.124.* Unum, alterumve argumentum, quod adhuc opponi posset, solutum manet ex dictis *num.117. & seq.*

CASUS III.

295. *Albericus ob repetita furta, queis certam quandam viduam, antea sat bene habentem, vix non ad incitas redegit, ab Episcopo, apud quem a damnificata accusatus erat, excommunicationi subjicitur, ut sic ad salutariter pœnitendum, restituendum, partique læsæ satisfaciendum compellatur. Respondet huic intentioni optatus effectus; siquidem Albericus firmiter statuit ablata reddere, & commissa non amplius committere. Adit proinde Confessarium, furta confitetur, restitutionem spondet, nullam tamen faciens mentionem de vinculo censuræ. Quæritur, an nihilominus valide absolvatur?*

Respondetur affirmative, si Albericus bona fide procedat; ut si excommunicationis invincibiliter obliviscatur, vel credat, non esse necessarium, ut aliquam de ea mentionem faciat. Sanct-Gallenses *de Excomm. q.3. conclus.2.* Sporer *de Pœnit. n.633.* Herincx *de Censur. num.28.* & aliis satis communiter contra Silvestrum, Vasquez &c. Ratio est: quia excommunicatus per censuram non redditur incapax absolutionis, etsi prohibeatur eam accipere, priusquam absolvatur a censura; ergo valide absolvitur, si bona fide procedat, aliaque ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ requisita adhibeat. Confirmatur. Illa absolutio est valida, quæ a legitimo Ministro impenditur pœnitenti rite disposito: sed talis est absolutio in Casu; ergo &c. Maj. est certa. Min. ostenditur, & declaratur. Siquidem nec est defectus ex parte ministri, quippe cui usus jurisdictionis in ejusmodi pœnitentem nullo Juris textu probatur ademptus: neque ex parte ipsius pœnitentis, utpote qui supponitur bona fide procedere, & alia ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ necessaria afferre. Nec refert, quod excommunicatus dicatur in Jure Canonico remotus a participatione Sacramentorum; id namque intelligendum venit de participatione licita, non autem valida; alias idem excommunicatus alia quoque Sacramenta invalide reciperet: quod nemo admiserit.

Dices primo. Si Albericus procederet mala fide, invalide absolveretur; ergo etiam, dum procedit bona fide, esto hæc impediat peccatum.

Respondetur, dist. ant. Invalide absolveretur ob defectum dispositionis in pœnitente ad validam Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem requisitæ, con. ob defectum jurisdictionis in Confessario ad validam ejusdem Sacramenti collationem exactæ, neg. ant. & conf. Albericus bona fide procedendo nullum ponit obicem Sacramento Pœnitentiæ, cum non agat, seu peccet formaliter contra prohibitionem SS. Canonum, quippe cujus non recordatur, vel quam ignorat; idque invincibiliter; at procedendo mala fide graviter peccaret, sicque careret debita dispositione, quæ non tantum ad licitam, sed etiam ad validam Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem exigitur.

Dices

Dices secundo: Saltem Albericus invalide absolvetur, si ponatur esse excommunicatus non toleratus; ergo &c. Ant. prob. Excommunicatus non toleratus æqualiter arcetur ab usu passivo, & activo Sacramentorum: at si Sacerdos excommunicatus non toleratus (extra casum necessitatis) aliquem absolveret, ageret invalide, esto bona fide procederet; ergo etiam invalide absolveretur: & consequenter etiam Albericus in Casu &c.

Respondetur, neg. ant. Ad probat. ajo, majorem solummodo tenere de usu licito Sacramentorum; non autem de usu valido: id quod inde patet; quia Ecclesia excommunicato non tolerato, cum eum intendat punire, adimit usum jurisdictionis, sine quo absolutio subsistere nequit, non vero usum subjectionis, cum hoc vergeret in præjudicium Superioris: consequenter &c.

Instabis. Applicatio Suffragiorum, facta excommunicato non tolerato, est nulla: uti & electio, ac collatio Beneficiorum; ergo etiam receptio Sacramenti Pœnitentiæ.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Nam in Jure clare habetur, actus prædictæ applicationis, electionis, & collationis eo casu esse irritos: quod tamen in Jure nullibi exprimitur de receptione Sacramentorum: consequenter &c.

Dices tertio. Ecclesia separat excommunicatum a participatione Sacramentorum, quantum potest: sed potest eum separare a participatione Sacramenti Pœnitentiæ, ut hoc ne quidem valide recipiat; potest enim facere, ut excommunicatus nullius Sacerdotis jurisdictioni pro foro Pœnitentiæ subsit; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Quantum potest &c. & simul vult, con. quantum potest, & non simul vult, neg. maj. Ecclesiam velle excommunicatum separare a receptione etiam valida Sacramenti Pœnitentiæ, ex nullo Juris textu constat: imo nec apparet consonum Ecclesiæ tam piæ Matri, ut notat, & ostendit P. Sporer *cit.*

CASUS IV.

296. *Augustinus, certi cujusdam Oppidi, in quo Hæretici Catholicis permixti degunt, Pastor catholicus, Anthusianum perversissimum juxta, ac notorium hæreticum, hæresique immortuum, ad instantiam quorundam Catholicorum defuncti cognatorum, cum pompa, & ceremoniis, apud Catholicos consuetis, sepelit in cœmeterio, Orthodoxis, & Heterodoxis communi. Quæritur, an recte faciat?*

Respondetur negative. Ita Filliucius *tom. 1. tr. 22. c. 7. n. 229.* Krimer *loc. cit. n. 1915.* La Croix *lib. 7. n. 262.* & alii passim. Ratio est: quia talis hæreticus expresse privatur sepultura Ecclesiastica per *c. de Hæreticis*. Nec refert, quod fuerit de classe Hæreticorum toleratorum. Nam inde plus non sequitur, quam eum sepultura Ecclesiastica non privari vi excommunicationis; cum quo tamen stat, quod illa privetur vi notoriæ hæreseos per *c. cit.* Confirmatur responsio. Non licet catholicum excommunicationis vinculo irretitum honorare sepultura Ecclesiastica, esto sit de numero excommunicatorum toleratorum, nisi ante mortem dederit signa pœnitentiæ; ergo minus licebit hæreticum, quamvis toleratum, quando ante mortem nulla conversionis, & pœnitentiæ signa prodidit, quemadmodum nulla prodidisse ponitur Anthusianus.

Dices. Quibus licite communicamus in vita, etiam post mortem communicare non est illicitum: sed in vita licite communicamus cum Hæreticis toleratis; ergo cum iisdem etiam post mortem communicare non est illicitum: & consequenter &c.

Respondetur, hujus argumenti resolutionem fluere ex proxime dictis. Nam ex eodem præcise evincitur, non esse prohibitum Hæreticos toleratos Ecclesiastico ritu sepelire vi excommunicationis; cum quo tamen componitur, quod id facere sit interdictum vi notoriæ hæresis, & finalis impœnitentiæ; sicut excommunicatum toleratum catholicum, si impœnitens decesserit, illicitum est Ecclesiastice sepelire propter impœnitentiam, esto non sit illicitum propter excommunicationem, qua innodatus existit.

Instabis. Forte Anthusianus fuit solum hæreticus materialis; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Et talis fuisse ab Ecclesia in foro externo præsumitur, neg. secus, transeat ant. & neg. conf. Ecclesia in foro externo procedit cum Hæreticis materialibus, haud aliter, ac cum formalibus.

Urgebis. Ecclesia concedit, ut Hæretici tolerari sepeliantur in loco sacro, qualis est cœmeterium Catholicis, ipsisque commune; ergo censetur etiam concedere, ut ibi sepeliantur ritu catholico, & cum pompa funebri Ecclesiastica.

Respondetur cum P. La Croix *cit.* neg. ant. Sed Ecclesia id solum permittit; quia commode impedire non potest. Unde neg. etiam conf. Siquidem hoc Ecclesia absque difficultate impedit; & idcirco non tantum non concedit, sed neque permittit.

CASUS V.

297. *Albanus, Canonicus Cathedralis Capitularis, ab ipsomet S. Pontifice excommunicatus, & ut talis ab Episcopo de mandato excommunicantis nominatim, ac publice denunciatus, non veretur se ingerere actui electionis, quem Capitulum Cathedrale adornat, dum defuncto Decano alium subrogare, & eligere parat. Quæritur, an electio, ad quam Albanus una cum aliis Canonicis Capitularibus concurrit, vitietur, & irrita reddatur?*

Respondetur primo. Si suffragium Albani ita sit necessarium ad Canonicam electionem, ut alia suffragia sine illo sint insufficientia, electio est irrita, & nulla. Ita DD. communissime. Sumitur tum ex *c. 24. de Sent. & re judic.* ubi actus duorum Judicum, quorum unus erat excommunicatus, pronunciatur invalidus: tum ex ratione, quia electio est actus jurisdictionis, cujus usu Albanus, ceu excommunicatus non toleratus, privatus existit per dicta *n. 190.*

Respondetur secundo. Si suffragium Albani supersit, seu non sit antefato modo necessarium ad Canonicam electionem, hæc non invalidatur, sive dein alii electores (1.) reclament contra Albanum, sive (2.) in ejus concursum libere consentiant. Prima pars communiter admittitur. Secundam tradunt Palao, Andreas a Matre Dei, Coninck, Bonacina, Khamm *de Excom. n. 95.* Erhart *pag. 162.* & alii contra alios. Ratio primæ partis est: quia alii electores ob participationem cum excommunicato, quam declinare nequeunt, non debent suo jure privari. Ut autem iidem electores hoc in casu etiam licite procedant, debent electionem differre in alium diem, si sic affulgeat spes excludendi excommunicatum, & non urgeat necessitas eligendi; secus, si hæc urgeat; nam urgente tali necessitate, licite pergent, modo protestentur, se per hoc nullum jus eligendi velle concedere excommunicato, *can. 101.* & *102. caus. 11. q. 3.* P. Khamm *loc. cit. n. 96.* Ratio secundæ partis est: quia per consortium inhabilis non inhabilitantur alii electores; nam *utile per inutile non vitiatur*, ut habet *c. 37. de Reg. Jur. in 6.* ergo si, dempto Albani excommunicati voto, nihilominus majora in electum cadant, electio consistet valida. Sed contra hanc partem

Dices. Electio est actus individuus, nec valere potest, in quantum celebrata ab habilibus, & simul non valere, in quantum celebrata ab inhabilibus; ergo &c.

Respondetur primo, hoc argumentum retorqueri posse in casu, quo ad electionem concurrunt inhabiles ignoranter, & involuntarie admissi; nam siqua argumento vis inesset, evinceret, talem quoque electionem consistere validam non posse, in quantum celebraretur ab habilibus; adeoque totam fore invalidam, licet majora, ab habilibus data, in electum caderent: quod tamen Adversarii non concedunt.

Respondetur secundo, dist. ant. quoad primum membrum. Electio est actus individuus quoad formam, con. quoad personas eligentes, neg. ant. quoad hoc, & alterum membrum. Imo citra præjudicium sententiæ nostræ potest electio dici actus individuus etiam quoad ipsos electores, collective spectatos, quatenus acta a majori parte Capituli censentur acta a toto Capitulo.

Instabis. Electores in Casu nolunt sua suffragia, nisi cum suffragio Albani, concurrere, hoc ipso, quod in ejus concursum consentiant; ergo talis electio, etiam in quantum celebrata ab habilibus, non consistit valida.

Respondetur, dist. ant. Ut simul censeantur velle, sua suffragia esse irrita, sicut irritum est suffragium Albani, neg. secus, con. ant. & neg. cons. Electores potius præsumuntur velle operari, quantum possunt: consequenter &c.

CASUS VI.

298. *Ambrosius, Judex secularis, ab Ordinario Diœcesano ob violentam extractionem furis ex asylo publice denunciatur excommunicatus. Hanc confusionem ut evitet Ambrosius, statuit, domicilium, & territorium mutare, Quem in finem & suas ædes, & totam supellectilem vendit. Quæritur, an contractus venditionis, ab Ambrosio initus, teneat, firmusque consistat?*

Respondetur affirmative. Ita Panormitanus, Sayrus, Vasquez, Palao, & alii, quos refert, & sequitur P. Krimer *loc. cit. n.* 2002. Ratio est: quia licet contractus ille sit contra Jus prohibens, & idcirco illicitus; non tamen est contra Jus irritans, cum nullum tale assignari valeat; adeoque non potest censeri invalidus. Sed

Dices. Si Ambrosius peteret executionem contractus, repelleretur; ergo &c.

Respondetur cum P. Krimer *cit.* dist. ant. Repelletur ob nullitatem contractus, neg. ob censuram excommunicationis, qua innodatus vitari debet, con. ant. & neg. cons. Unde si absolveretur ab excommunicatione, posset agere pro obligatione sibi excommunicato facta, *arg. c. 5. V. cum autem de Pœnis in 6.*

CASUS VII.

299. *Antonius, Ordine Clericali initiatus, nullo tamen adhuc Beneficio dotatus, committit crimen, pro quo lata est suspensio ab omni Beneficio. Contingit autem paucis post diebus, ut Beneficiatus quispiam e vita migret; pro cujus proinde Beneficio obtinendo supplicat Antonius. Quæritur, an ad illud obtinendum, non obstante decreto suspensorio, sit habilis?*

Respondetur negative, Suarez *de Censur. disput. 27. sect. 1. n. 28.* Khamm *de Suspens. num.* 277. & alii. Ratio est: quia suspensio a Beneficio in Jure appellatur pœna Clericorum, non Beneficiatorum; ergo illius capaces sunt, eaque afficiuntur non solum Beneficiati, sed quicunque Clerici, qui crimen, ob quod lata est, commiserint. Unde, dum fertur suspensio ab omni Beneficio, non solet fieri exceptio Clericorum, actuali adhuc Beneficio destitutorum. Confirmatur a simili. Licet Clericus primæ tonsuræ nondum habeat Ordinem; si tamen committat crimen, ob quod lata est suspensio ab Ordine, hanc incurrit, & privatur Ordine suscipiendo, juxta communem; ergo etiam licet Clericus nondum habeat Beneficium, si tamen committat crimen, ob quod lata est suspensio ab omni Beneficio, eam incurrit, & privatur Beneficio acquirendo: consequenter Antonius &c.

Dices. Suspensio supponit in subjecto id, a quo suspendit: sed in Clerico, nullum adhuc Beneficium habente, suspensio a Beneficio non supponit, a quo suspendat; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Supponit id actu, neg. potentia, con. maj. Ex hoc argumento sequeretur, nec Clericum primæ tonsuræ (supra) posse suspendi ab Ordine suscipiendo: quod nemo dixerit.

CASUS VIII.

300. *Alcinous, homo secularis, & laicus, sed admodum devotus, nanciscitur tempore interdicti privilegium, vi cujus licite interesse Divinis queat. Sed evenit, ut in Festo S. Matthæi, & in Dominica illud consequente desiderium concipiat ad venationem exeundi. Quæritur jam, an, priusquam venatum exeat, teneatur audire Missam?*

Respondetur negative. Ita mihi probabilior sententia, quam propugnant Corneio *in 3. part. tr. 5. de Interdict. disp. 2. §. 2. dub. unic.* Coninck *disp. 7. de Interdict. dub. 2. n. 28.* Khamm *loc. cit. n.* 514. & alii. Ratio est: quia nemo tenetur uti privilegio immediate, & directe in suum favorem concesso; prout ostensum manet *part. 1. n.* 525. sed privilegium Alcinoi est tale, veluti patet intuenti Casum; ergo non tenetur eo uti: consequenter sicut, secluso privilegio, tempore interdicti non tenetur diebus antefatis audire Missam, ita nec munitus privilegio. Quare privilegium Alcinoo concessum plus non operatur, quam ut tempore interdicti licite possit audire Missam, non vero, ut eam audire teneatur &c.

Dices primo. Alcinous tempore interdicti tenetur audire Missam in Festivitatibus Natalis Domini, Paschalis, Pentecostes &c. ergo etiam in Festo S. Matthæi, & Dominica illud consequente.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia diebus in antecedente commemoratis ad audiendam Missam licentiatur Alcinous non tantum vi privilegii sui specialis, cujus meminit Casus, sed etiam vi privilegii communis, seu per Jus commune concessi, quo interdictum quasi omnino tollitur; & consequenter obligatio audiendi Missam pro illis diebus remanet tempore interdicti, ac si istud omnino abesset. At non ita tollitur interdictum diebus in consequente relatis privilegium speciale, sed manet in tantum, in quantum, si privilegiatus velit, se illius prohibitioni conformare possit. Verbo Privilegium illud Jure communi concessum, cum respiciat immediate, & directe Communitatem, non est tale, quo quis uti, vel non uti possit; bene autem privilegium Alcinoi, utpote quod immediate, & directe respicit favorem ipsius. Revide quæ diximus *part. 1. n.* 505.

Dices secundo. Quando, nullo existente interdicto, in carcere detento conceditur licentia die festo audiendi Missam, tenetur illam audire; ergo etiam Alcinous in Casu.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia carcer est impedimentum ipsius personæ, sicut infirmitas; adeoque sicut præceptum, cessante infirmitate, obligat hominem, qui infirmus erat, ad audiendam Missam; ita, cessante incarceratione, obligat hominem, qui incarceratus erat. At vero interdictum est impedimentum Juris, quod per privilegium non cessat, nisi, & in quantum privilegiatus velit.

CASUS IX.

301. *Anselmus, Sacerdos pius juxta, ac doctus, ante annum vix non dimidium in certa quadam Civitate præficitur Parochiæ. Sed, priusquam integer effluat mensis, omnes Ecclesiæ Civitatis, ipsaque etiam Civitas (nescio, qua de causa) interdicto supponuntur. Nec satis est, quod Ecclesia Militans suum spiritualem vibraverit gladium adversus antefatas Ecclesias, & Civitatem, sed insuper (ita permittente Divina Nemesi) adversus easdem arma capessunt Orthodoxæ fidei infensissimi hostes Calviniani, Civitatem obsident, capiunt, eamque una cum Ecclesiis diruunt, & solo æquant. Quæritur, an destructis Ecclesiis, & Civitate cesset interdictum, iisdem Ecclesiis, & Civitati impositum?*

Respondetur negative. Ita Sayrus *in Thesaur. Cas. lib. 5. c. 3. n. 14. & seqq.* Khamm *de Interd. a n.* 374. videturque esse communis sententia DD. Ratio est: quia, dum interdicuntur Ecclesiæ, & Civitas, interdictum non afficit muros, sed ipsum locum Ecclesiarum, & Civitatis; ergo licet muri Ecclesiarum, & Civitatis diruantur, non tamen idcirco tollitur, aut cessat interdictum. Confirmatur primo. Destructis Ecclesiis, & Civitate, non cessat causa interdicti, videlicet ne Divina exerceantur in loco, cui interdictum inhæret; ergo nec cessat ipsum interdictum. Confirmatur secundo a pari. Destructis Ecclesiis, & Civitate, non cessant privilegia concessa loco, in quo Ecclesiæ, & Civitas sitæ erant; ergo nec interdictum.

Dices primo. Quando Communitas, interdicto supposita, destruitur, seu dissolvitur, tollitur interdictum; ergo etiam tollitur, quando Ecclesiæ, & Civitas, interdicto suppositæ, destruuntur.

Respondetur, concesso ant. neg. cons. Quia per interdictum in Communitatem latum interdicuntur personæ, quatenus sunt partes illius Communitatis: unde sicut per dissolutionem Communitatis desinunt esse partes, licet maneant personæ, ita desinunt esse interdictæ. At vero per interdictum in Ecclesias, & Civitatem latum non interdicuntur parietes tanquam partes, supra quas cadat interdictum, sed ipse locus Ecclesiarum, &

Civitatis; unde dum perſtat locus, perſeverat & interdictum, licet parietes deſtruantur.

Dices ſecundo. Deſtructa Eccleſia, ceſſant indulgentiæ eidem conceſſæ; ergo & interdictum in eam latum.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas eſt: quia deſtructa Eccleſia ceſſat cauſa, cur indulgentiæ conceſſæ ſint hujuſmodi Eccleſiæ; nimirum ut fideles accendantur ad lucrandas indulgentias, & ad exercenda Divina in Eccleſia cum majori devotione. Quare cum ceſſante cauſa, ceſſet effectus, *cap. 60. de Appellat.* ceſſant quoque indulgentiæ. E diverſo deſtructa Eccleſia, non ceſſat cauſa interdicta, ut ſupra: conſequenter &c.

Dices tertio. Quando deſtruitur Eccleſia conſecrata, perit conſecratio, adeo, ut noviter ædificata indigeat nova conſecratione; ergo etiam quando deſtruitur Eccleſia, perit, ſeu tollitur interdictum.

Reſpondetur, neg. itidem conſ. Diſparitas eſt: quia conſecratio afficit ipſam individualem Eccleſiam, ex parietibus ceu ſuis partibus conſtructam; conſequenter hac deſtructa pereat, neceſſe eſt. At interdictum non afficit parietes, vel ipſam individualem Eccleſiam ex parietibus fabricatam, ſed locum Eccleſiæ; prout iterato audiviſti: conſequenter &c.

C A S U S X.

302. *Anaſtaſius, perlecto hoc de Cenſuris Tractatu, conqueritur, aliquos terminos per decurſum inſertos, & commemoratos, vel omnino non, vel obiter tantum explanatos eſſe. Percupit proin ſcire. 1. Quando in ordine ad abſolutionem a cenſuris delictum cenſeatur* publicum, atque ad forum contentioſum deductum; & quando occultum, atque ad forum contentioſum necdum deductum? 2. *Quando abſolutio cenſeatur dari* pro foro externo, *& quando* pro foro interno? 3. *Quid intelligatur per* nominatim excommunicatum, & denunciatum? 4. *Quid per* Priorem Conventualem, *& quid* per Clauſtralem? *Addit denique 5. idem Anaſtaſius, non eſſe motam, adeoque deciſam quæſtionem*, quinam poſſint excommunicare, ſuſpendere, & interdicere: *Quænam ad has Anaſtaſii quæſtiones danda ſunt reſolutiones?*

Reſpondetur, propoſitas ab Anaſtaſio quæſtiones ſic reſolvendas eſſe. Itaque 1. Delictum *publicum* in præſenti, ſeu in ordine ad abſolutionem non ſumitur pro qualitercunque notorio, ſed pro eo, quod ad forum contentioſum eſt deductum per accuſationem, vel denunciationem, una cum citatione, & (juxta multos) cum litis conteſtatione, coram legitimo Judice factam: prout colligitur tum ex particula copulativa *&*, vel *atque*, qualis in licentia abſolvendi conceſſa, vel denegata adhibetur; tum ex ratione: quia ad delictum publicum, prout hic ſumitur, neceſſaria eſt abſolutio etiam pro foro externo. Similiter delictum occultum non capitur impræſentiarum pro eo, quod latet, vel per teſtes probari non poteſt, ſed pro eo, quod nondum actu ad Judicium fuit delatum. Verbo: delictum publicum, atque ad forum contentioſum (in ſenſu jam inſinuato) deductum, inter ſe ex una parte; & delictum occultum, atque ad forum contentioſum non deductum, inter ſe ex altera parte, coincidunt impræſentiarum, ſumunturque promiſcue. Hinc cum in noſtra Germania crimen hæreſis, ſaltem toleratæ, ad forum contentioſum deduci non ſoleat, cenſetur in præſenti occultum; eo quod ipſi deſit notorietas Juris, quamvis non deſit notoreitas facti. P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 104. Porro quandonam crimen ſit, ac dicatur notorium notoreitate juris, & quando notorium notoreitate facti, expoſitum ivimus *part.* 2. *num.* 638. Revide ibi dicta.

2. *Pro foro externo* datur abſolutio a cenſura v. g. excommunicationis, quando quis reconciliatur Eccleſiæ coram Eccleſia, in ordine ad recuperandam cum ipſam communionem externam, tam publicam, quam privatam, & immunitatem a pœnis in foro fori infligendis. *Pro foro interno* datur abſolutio, quando quis coram Deo reconciliatur Eccleſiæ in ordine ad reparticipanda bona animæ, quibus per cenſuram erat privatus; ſed nondum coram Eccleſia, & cum publica ipſius notitia, ac poſitivo conſenſu: poteſtque hæc talis abſolutio impertiri in-vel extra confeſſionem. Si impertiatur priore modo, dicitur impertiri *in foro interno Pœnitentiæ Sacramentalis*, ſi impertiatur poſteriore modo, dicitur impertiri *in foro interno Pœnitentiæ Extra-Sacramentalis*, ſive dein impertiatur ſecrete, ſive publice, & coram aliis. Porro eadem abſolutio, ſive detur intra, ſive extra confeſſionem, dicitur dari *pro foro interno conſcientiæ*; poteſtque Judex eam acceptare pro foro etiam externo, ſi velit, eſto non teneatur, ſecundum dicta *num.* 134. Revideri etiam poſſunt, quæ habentur *part.* 1. *num.* 520. *in fin.* Emmanuel Rodriquez *Quæſt. Regul. tom.* 1. *q.* 61. *art.* 10. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 34. *num.* 29. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 105. & alii reipſa communiter, licet in terminis nonnihil diſcrepent.

3. *Nominatim excommunicatus, denunciatus*, adeoque non toleratus, & ex præcepto cenſuræ vitandus, ille eſt, qui non per ſolam legem, aut ſententiam generalem, ſed per particularem, expreſſo nomine proprio (aut ſignis æquivalentibus, quibus certo, & abſque ambiguitate deſcripta ſit perſona Rei) excommunicatur. Qui inſuper per Judicem competentem tempore Sacri publici, vel concionis denunciatur; vel per chartam loco publico affixam, aut alio ritu ſecundum Regionis conſuetudinem publicatur. Ita verbotenus P. Khamm *de Excomm. n.* 11. colligiturque ex ſæpe allegata Conſtitutione Concilii Conſtantienſis, *Ad evitanda ſcandala*, ibi: *a Judice publicata, & denunciata ſpecialiter, & expreſſe &c.* Unde nec ſufficit ſola excommunicatio nominatim facta, nec ſola denunciatio, aut publicatio; ſed requiritur denunciatio, & publicatio una cum excommunicatione nominatim facta. Quæ doctrina proportionaliter quoque applicanda venit de nominatim ſuſpenſo, & interdicto &c. ſiquidem præcitata Conſtitutio etiam de iſtis loquitur. Author *cit. n.* 12.

4. Inter *Priorem Conventualem*, & *Clauſtralem* plures intercedunt differentiæ, quarum unam, alteramve recenſuiſſe ſatis eſto. Itaque Prior Conventualis per electionem ad Prioratum aſſumitur; Clauſtralis vero per meram Abbatis, vel Prælati voluntatem, ſaltem ordinarie. Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 3. *diſput.* 9. *quæſt.* 3. *num.* 15. & 20. Porro Prior Conventualis obtinet omnimodam adminiſtrationem, & juriſdictionem in temporalibus, & ſpiritualibus pro foro in & externo, niſi ſpecialiter per Prælatum, ſeu Superiorem majorem ex cauſa legitima, vel per conſtitutiones, aut definitiones Ordinis in aliquo limitatam accipiat. E diverſo Prior Clauſtralis non obtinet adminiſtrationem bonorum Monaſterii, nec juriſdictionem, aut univerſalem curam in ſpiritualibus, & temporalibus; ſed ſolum circa obſervantias regulares, & qualem ei Abbas, ſive Prælatus in caſibus occurrentibus delegare voluerit: eſto habeat poteſtatem aliquam gubernandi, ut obediri ipſi in conſcientia debeat. Tamburinus *loc. cit. num.* 14. & *num.* 19. Suarez *de Relig. lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 19. ac alii. Unde Prior Conventualis eſt verus Prælatus, ſive Superior, & Abbati comparatur; non item Prior Clauſtralis, ſed hic comparatur Vicario cujuslibet Prioris Conventualis: & ſi habeat juriſdictionem aliquam contentioſam, non illa propria, & ordinaria eſt, ſed delegata ab Abbate, vel Prælato, cui ſubjicitur. Ita Authores *citt.* & alii. Priores Conventuales dantur in Monaſteriis PP. Dominicanorum, Carthuſianorum &c. Clauſtrales vero in Monaſteriis PP. Benedictinorum, Ciſtercienſium &c.

5. Quinam poſſint excommunicare, ſuſpendere, & interdicere, colligitur ex dictis *in diſp. præced. n.* 88. *& ſeqq.* Duo tamen addenda, & advertenda ſunt. Primum eſt, quod Canones, per quos Epiſcopis poteſtas interdicendi ſine judicio Capituli ablata erat, conſuetudine legitime introducta abrogati ſint; ut proin iidem Epiſcopi (ſimile forma judicium de aliis Prælatis ſub ſe Capitulum habentibus) ſine judicio, ſeu conſenſo Capituli tam Clericos, quam Laicos, ſibi ſubjectos, generaliter, & ſpecialiter, eorumque Eccleſias interdicere valeant. Ratio congruentiæ videtur eſſe, quod Epiſcopus non habeat juriſdictionem communem cum Capitulo, nec alia ad juriſdictionem pertinentia cum Capitulo conſtituat, vel deſtituat. Suarez *de Cenſur. diſp.* 36. *ſect.* 1. *num.* 6. & alii paſſim. Secundum eſt, quod Prælati Religionum poſſint quidem ferre in ſibi ſubjectos interdictum perſonale, non autem locale, ſaltem

de consuetudine, nisi in populum habeant jurisdictionem quasi Episcopalem. Ratio congrua videtur: quia similes Prælati potius jurisdictione in personas, quam loca polleat. Suarez *loc. cit. n.*2. Babenstuber *de Interdict. n.*19. & alii passim.

DISPUTATIO III.

De Irregularitatibus.

Quamvi Irregularitas censura non sit, communiter tamen a Moralistis pertractari post censuras solet, ob similitudinem, quam cum iis gerit: prout insinuavimus in principio hujus Tractatus. Vestigiis Moralistarum ut & nos insistamus, sit

CAPUT I.

De Irregularitatibus in Genere.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas?

SUMMARIUM.

303. *Quid importet Irregularitas vi nominis?* 304. *Irregularitas, quoad rem considerata, describitur;* & 305. *dividitur in varia membra.*

303. Irregularitas est nomen abstractum ab hoc nomine concreto *Irregulare*, quod significat idem, ac *extra regulam*; sicut nomen *Regulare* significat idem, ac *secundum regulam*. Unde vi nominis Irregularitas significat impedimentum quoddam ponens extra regulam. Prout autem ad materiam præsentem spectat, accipitur Irregularitas pro impedimento Canonico, quo irretitus ab Ordine Clericali, ejusdemque exercitio removetur, & sic ponitur extra classem illorum, quibus ad præmemoratum Ordinem ascendere, in eoque ministrare concessum est. In qua acceptione

304. Dico primo. Irregularitas est *impedimentum Canonicum, primo, & per se impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum qua talium; secundario autem, & per consequens usum eorum, ob reverentiam Divini ministerii.* Ita Sanct Gallenses *de Irregularit. q.*1. *conclus.*1. & alii reipsa communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *Impedimentum*, ut denotetur, irregularitatem, in genere sumptam, qualiter hic describitur, non esse pœnam; cum non omnis irregularitas oriatur ex culpa, pœnæ necessario præsupposita. Est proinde irregularitas impedimentum, seu inhabilitas quædam.

Dicitur 2. *Canonicum*. Quamvis enim irregularitas aliquo modo fundetur in Jure Divino, quatenus ejus figura quædam (ut notat Scotus *in* 4. *dist.*13. *q.* 2. §. *primo videndum*) præcessit in Lege Mosaica *Levit.*21. & Naturali, quatenus hoc dictat, non decere, ut manci, ac mutili *v. g.* ad Ordines, & præsertim ad Sacerdotium promoveantur; ex neutro tamen horum Jurium proxime suam trahit originem, sed ex solo Jure Canonico, *c.*12. *de Sent. excom. in* 6. Unde siqua incapacitas, seu inhabilitas ad Ordines proxime oriatur ex ipso Jure Divino, aut Naturali (qualem habet v. g. quisquis baptizatus non est, aut peccato lethali obstrictus) ea idcirco rationem irregularitatis, huc spectantis, non obtinet; quia a Jure Canonico non promanat: ut notat Suarez *tom.*5. *disp.*40. *sect.*1. *n.*3.

Dicitur 3. *Primo, & per se impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum qua talium*, seu quatenus sunt Sacramentum Ordinis. Ubi Irregularitas differt (taceo hic alias differentias jam relatas *n.*84.) ab Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto. Nam excommunicatio privat susceptione Ordinis, quatenus est communicatio cum aliis fidelibus. Suspensio per se, & directe non privat susceptione Ordinis, sed exercitio ejusdem. Interdictum privat Ordine, quatenus est bonum quoddam a fidelibus possidendum. Differt insuper Irregularitas a Depositione, & Degradatione: quia hæ per se, & directe respiciunt Ordinem susceptum; eaque propter Clericis tantum irrogantur. Sanct-Gallenses *citt.*

Dicitur 4. *Secundario autem, ac per consequens usum eorum*. Quia irregularitas ex se habet vim impediendi susceptionem Ordinum, ita tamen, ut, si subjectum sit incapax susceptionis futuræ, puta quoniam suscepit, saltem impediat Ordinum usum: sicut in Matrimonio affinitas primi, & secundi gradus per fornicationem contracta ex se dirimit matrimonium; at superveniens matrimonio jam contracto solum impedit ejus usum.

Dicitur 5. *Ob reverentiam Divini ministerii*. Ubi exprimitur causa finalis irregularitatis, unaque innuitur, nullam irregularitatem statui, saltem primario, in punitionem delicti, adeoque nullam ex ratione sua primaria esse pœnam: id quod constat de irregularitate, quæ imponitur ob defectum; imo & de irregularitate, quæ imponitur ob delictum; quandoquidem nec ista imponitur primario ad puniendum delictum, sed ad evitandam indecentiam, in eo sitam, quod persona, talis delicti rea, suscipiat Ordines, aut jam susceptos exerceat.

305. Dico secundo. Irregularitas dividitur. 1. in eam, quæ oritur, *ex Delicto*, & in eam, quæ contrahitur *ex Defectu*. 2. In *Totalem*, & *Partialem*. 3. In *Perpetuam*, & *Temporalem*.

Explicatur. Irregularitas ex delicto dicitur, quæ imponitur ad evitandam in Divino ministerio indecentiam, ex delicto profectam. Irregularitas ex defectu dicitur, quæ imponitur ad evitandam in Divino ministerio indecentiam, ex defectu profectam. Ceterum delicta, & defectus, ex quibus similes indecentiæ resultant, & irregularitates contrahuntur referemus *cap. sequenti*.

Irregularitas totalis est, quæ omni Ordine suscipiendo, & suscepti exercitio privat: quemadmodum se habet illa, quæ a Laicis contrahitur. Irregularitas partialis est, quæ ab homine jam in Clericum ordinato contrahitur, cumque non omni ministerio Ordinis privat, sed aliquo tantum, vel solum ascensu ad Ordinem superiorem. Sic Diaconus, cui sinister oculus erutus est, impeditur a susceptione Sacerdotii, licet in suo Ordine ministrare non prohibeatur; sicut colligitur *ex can. fin. dist.* 55. Similiter Sacerdos, cui pollex, vel medietas palmæ cum duobus minoribus digitis abscissa est, inhabilis fit ad celebrandum; non tamen ad alia Sacerdotis munera obeunda, v. g. ad confessiones excipiendas, *c.*2. *de Cler. ægrot.* Ita Navarrus *in Manual. c.*7. *n.*20. Molina *tr.*3. *disp.*70. *n.*14. Abbas *in cit. c.*2. *n.*2. ubi tradit regulam in præsenti observandam, quod nimirum deformitas, vel debilitas, Clerico superveniens, eum inhabilem reddat respectu illius duntaxat officii, quod ob talem infirmitatem, vel debilitatem rite exercere nequit. Irregularitas absolute, & simpliciter prolata, ac imposita supponit pro totali, nisi aliud ex circumstantiis, vel subjecta materia colligatur.

Irregularitas perpetua appellatur, quæ ex se semper durare nata est, donec vel dispensatione, vel alio modo ex recensendis *art.*4. tollatur. Irregularitas temporalis appellatur, quæ ex se durare nata est ad tempus tantum, in cujus termino seipsa cessat: cujusmodi est illa, quæ ex defectu ætatis, vel ex morbo, aut infamia facti contrahitur; his quippe cessantibus cessat etiam irregularitas inde contracta, quin ex dispositione Juris, vel a Pontifice, vel ab alio specialiter relaxetur.

ARTICULUS II.

De Causis Irregularitatis.

SUMMARIUM.

306. *Assignatur causa efficiens Irregularitatis.* 307. *Nulla incurritur Irregularitas nisi in casibus Jure expressis.* 308. *Adstruitur causa materialis remota Irregularitatis.* 309. Et *materialis proxima.* 310. *Qualis requiratur actus ad incurrendam Irregularitatem, quando imponitur ob actum proprium?* 311. & *seq. Invincibilis ignorantia non excusat ab incursione Irregularitatis; bene vero dubium invincibile.* 313. & *seq. Quænam sit causa formalis, & quænam finalis Irregularitatis?*

306. Dico

306. Dico primo. Causa efficiens Irregularitatis est solus S. Pontifex, aut Concilium Generale ipsius authoritate congregatum, & confirmatum. DD. communiter.

Probatur. Quia irregularitas est impedimentum Canonicum, seu Jure Canonico communi introductum: prout ex illius definitione patet; ergo statui non potest nisi ab eo, qui obtinet potestatem condendi JusCanonicum commune: sed talem potestatem obtinet solus S. Pontifex, aut Concilium Generale, ipsius authoritate congregatum, approbatum, & confirmatum; ergo &c.

307. Colliges, nullam incurri irregularitatem, nisi in casibus per Jus Canonicum expressis, tametsi ceteroquin militet similis, vel eadem ratio in uno, ac in altero casu; adeoque illam nunquam infligi per sententiam Judicis. Ita colligitur *ex c. 18. de Sent. excom. in 6.* & communiter docetur ab Authoribus. Unde scienter, & absolute rebaptizans; & is, qui sic rebaptizatur, irregulares evadunt: non item scienter, quamvis absolute, reconfirmans, aut qui sic reconfirmatur. Similiter qui scienter in Ecclesia interdicta celebrat, irregularitatem contrahit: non vero, qui celebrat in Ecclesia polluta, juxta *c. 18. cit.* Ratio horum, & similium est: quia pro uno casu expressa est in Jure Canonico irregularitas; non autem pro alio. Interim negari vix potest, aliquas irregularitates sine Jure expresso fuisse introductas ex communi DD. consensu, & diuturna Ecclesiæ consuetudine: siquidem consuetudo est optima Legum interpres, & constitutiva Juris, si debitis conditionibus vestita sit. Ita cum Laymanno P. Reiffenstuel *lib. 5. tit. 37. n. 67.* & patebit *n. 320. 344. & 374.*

308. Dico secundo. Causa subjectiva, seu materialis remota irregularitatis, est omnis, & solus homo capax Ordinis, & Juri Canonico communi subjectus. Mastrius *in Theol. Moral. disp. 13. q. 5. art. 1. n. 132.* & alii passim.

Probatur. Quia irregularitas est impedimentum Canonicum, & privatio quædam capacitatis ad suscipiendos Ordines, atque in susceptis ministrandum, Jure Canonico communi introducta; ergo supponit in subjecto capacitatem Ordinis, ceu formæ, qua privat, & subjectionem ad Jus Canonicum commune, quo introducta est. Ex quo fluit, omnes masculos baptizatos, Pontifice inferiores, septennium supergressos, ligari posse irregularitatibus in Jure expressis: quia omnes sunt capaces Ordinis, & Juri Canonico subjecti. Secus est 1. de S. Pontifice: quia ipse, secundum dicta *part. 1. num. 383.* non est subjectus Juri Canonico quoad vim coactivam, qua imponitur irregularitas. 2. De pueris, septennio minoribus, etsi in ipsis malitia suppleat ætatem: quoniam & ipsi (idem cogita de perpetuo amentibus) non ligantur Constitutionibus Canonicis, saltem regulariter loquendo, per dicta *tit. part. 1. n. 402. & seq.* 3. De masculis non baptizatis: quia nec sunt capaces Ordinum, nec subduntur Juri Canonico. 4. De feminis, licet baptizatis; utpote quæ propter sexum Ordinis Ecclesiastici incapaces existunt. Et quando vel illi, vel istæ, irregulares nuncupantur, id intelligendum venit de irregularitate, ex Jure Divino orta, de qua non agimus in præsenti. Nec dicas. Mutilatus v. g. etiam ante Baptismum est irregularis irregularitate orta ex Jure Canonico; ergo &c. Contra enim est, neg. ant. vel dist. Est sic irregularis fundamentaliter, con. formaliter, neg. ant. & cons. Fundamentaliter irregularis dici potest, quatenus laborat defectu, propter quem, suscepto Baptismate, formaliter, & actualiter irregularis evadit irregularitate Ecclesiastica, seu ex Jure Canonico orta.

309. Dico tertio. Causa materialis proxima, & unica irregularitatis est delictum, vel defectus, de quibus *in c. seq.* Ita DD. communiter.

Probatur. Siquidem nulla in Jure reperitur statuta irregularitas, nisi ob delictum, vel defectum; ergo delictum, & defectus sunt unica ratio (videlicet objectiva) ob quam omnis irregularitas statuitur; & consequenter existunt causa materialis proxima, & unica irregularitatis.

310. Quæres primo, qualis requiratur actus ad incurrendam irregularitatem, quando imponitur ob actum proprium?

Respondetur primo. Ut irregularitas, sive ex delicto, sive ex defectu, incurratur ob proprium actum, debet is (1.) esse externus, & (2.) opere consummatus. DD. communiter. Ratio primi membri est: quia licet Ecclesia posset, non tamen solet actus mere internos irregularitate plectere. Unde non efficitur irregularis, qui habet solam voluntatem alterum occidendi. Ratio secundi membri est: quia *odia sunt restringenda. Reg. 15. Jur. in 6.* Quare irregularitatem non contrahit, qui animo trajiciendi hominem exonerat sclopetum, & globo prætervolante aberrat.

Dices contra primum membrum. In Bullis quibusdam, vel privilegiis confertur facultas dispensandi super irregularitate mentali; ergo supponitur, dari irregularitatem mentalem, seu sola mente contractam.

Respondetur, nomine irregularitatis mentalis intelligi irregularitatem occultam, quæ in Judicio probari non possit; non vero internam, seu propter actum pure internum incursam.

Respondetur ad Quæsitum secundo. Irregularitas ex delicto non incurritur ob proprium actum, nisi hic sit mortaliter peccaminosus. Neque irregularitas ex defectu incurritur ob proprium actum, nisi iste sit graviter defectuosus, quamvis non debeat esse peccaminosus. Idem cogita de irregularitate, quæ non ob proprium actum, sed ob defectum aliunde resultantem contrahitur: siquidem & hic defectus debet esse notabilis, & gravis vel naturaliter, vel moraliter. Ratio totius responsionis est: quia irregularitas est grave incommodum, & difficulter relaxatur; ergo non incurritur, nisi ob delictum, vel defectum gravem. Scotus *in 4. distinct. 15. quæst. 2.*

311. Quæres secundo, an ignorantia invincibilis excuset ab incursione irregularitatis?

Respondetur primo. Ignorantia invincibilis non excusat ab incursione irregularitatis ex defectu. Ita Omnes. Ratio est: quia hæc talis irregularitas est merum impedimentum, sive inhabilitas ad Ordines suscipiendos, & ministrandum in iis: atqui ejusmodi impedimentum, sive inhabilitas etiam contrahitur ab ignorantibus: prout constat in impedimentis Matrimonii mere talibus, seu non pœnalibus; ergo &c.

Respondetur secundo. Neque ignorantia invincibilis excusat ab incursione irregularitatis ex delicto: dummodo ipsum non ignoretur, aut semiplene tantum advertatur, aut non consummetur opere. Ita Cardenas *in 2. Crisi differt. 75. n. 37.* La Croix *liq. 7. num. 482.* Pichler *lib. 5. Decret. tit. 37. n. 25.* & alii satis communiter. Ratio est: quia irregularitas, etiam ex delicto orta, secundum rationem suam primariam non est pœna, sed inhabilitas in reverentiam Eucharistiæ, & ob decentiam Status Ecclesiastici primario, & per se statuta, licet etiam se habeat per modum pœnæ, talisque sit quoad rationem suam secundariam: atqui similis inhabilitas incurritur etiam ab ignorantibus, prout ipsimet Adversarii, saltem plerique admittunt de impedimentis Matrimonii pœnalibus, seu rationem pœnæ in conceptu suo secundario involventibus; ergo &c. Unde licet quis invincibiliter ignoret, delictum, quod perpetrat, esse ab Ecclesia specialiter prohibitum sub incursione irregularitatis; hanc nihilominus incurrit. Quando autem *c. 2. de Constit. in 6.* dicit, pœnam ab invincibiliter ignorantibus non incurri, intelligendum venit de pœna, quæ est talis vel pure, vel saltem secundum rationem suam primariam.

Dixi in respons. *dummodo ipsum non ignoretur, aut semiplene tantum advertatur, aut non consummetur opere.* Nam si horum aliquid interveniat, vel nullum committitur peccatum, vel non tale, cui annexa sit irregularitas, secundum dicta *n. præced.*

312. Quæres tertio, an invincibiliter dubitans, sitne suus actus obnoxius irregularitati, hanc incurrat, aut incurrisse censendus sit?

Respondetur negative, excepto casu, quo quis dubitat, an homicidium, quod constat esse commissum, a se, vel ab alio sit commissum? Ita P. Hetinex *de Irregular. n. 120. & seq.* P. Pichler. *loc. & n. cit.* aliique passim. Ratio est: quia nulla incurritur irregularitas, nisi in casibus Jure expressis, *c. 18. de Sent. excom. in 6.* sed nullibi in Jure exprimitur irregularitas contra præfato modo dubitantem (præterquam in casu homicidii jam excepto, & mox explicando) ergo &c. Quare si

re si dubites, sive dubio Juris (an scilicet a Jure in tuum actum statuta sit irregularitas?) sive dubio facti (an nempe ejusmodi actus, cui a Jure annexa noscitur irregularitas, a te sit positus?) & hoc tuum dubium, adhibita ad inquirendam veritatem debita diligentia, vincere nequeas, non efficeris, vel censendus es irregularis; neque teneris te gerere ut talem, modo ex principio aliquo reflexo, v. g. quod in dubio libertas, & immunitas ab irregularitate sit in possessione &c. formes resolutionem practicam de non contracta irregularitate &c.

Dices. Ignorantia non excusat ab incursione irregularitatis, secundum dicta *n. praeced.* ergo nec dubietas; cum hæc videatur minus excusare, ac illa.

Respondetur cum P. Pichler *cit.* neg. cons. & parit. Disparitas est: quia in casum dubium nulla regulariter a Jure statuta reperitur irregularitas: at in casibus, ubi ignorantia excusare deberet, supponitur, certo statutam esse in aliquem actum a Jure irregularitatem, & ignorans nullibi ab ea eximitur.

Dixi in respons. *Excepto casu, quo quis dubitat* (dubio facti) *an homicidium, quod constat esse commissum, a se, vel ab alio sit commissum?* Talis quippe dubitans se gerere ut irregularem debet (sed solum in ordine ad abstinendum a SS. Ordinum exercitio, & celebratione Missæ, adeoque hæc irregularitas non totalis; sed partialis duntaxat est) prout expresse decisum extat in c. 12. & 18. *de Homicidio*. Quæ tamen decisio, cum sit odiosa, extendi haud debet ad casus non expressos, c. 15. *de Reg. Jur. in 6.* licet ratio decisionis (nempe: *quia in dubio tutior pars est eligenda*) sit universalis, & in aliis quoque materiis, ac casibus militet. Nam in odiosis non valet argumentum a paritate rationis, quando habetur expressa decisio pro uno, & non pro aliis casibus: prout insinuavimus supra *n.* 307. Unde illa ratio decisionis, quamvis sit generalis secundum se, & spectato verborum cortice, solum tamen obtinet rationem præcepti relate ad casum *in citt. cc.* expressum; relate vero ad alios casus tantum habet rationem consilii. P. Pichler *loc. cit. n.* 26.

313. Dico quarto. Causa formalis Irregularitatis est modus essentialis, ex natura rei ad valorem ejusdem irregularitatis statuendæ requisitus, & in eo situs, quod mens Pontificis illam statuentis sufficienter exprimatur, ac innotescat. Dixi: *modus essentialis*. Nam in imponenda irregularitate non solet adhiberi modus accidentalis, saltem talis, qualis in ferendis censuris secundum dicta *a n.* 98. adhiberi solet, & debet. Porro cum Irregularitas solo Jure imponatur; Jus autem antiquum vocabulo *Irregularitas* vix aliquando expresse utatur (ut testantur Sanct-Gallenses *loc. cit. conclus.* 3.) binas juvat adstruere Regulas, ex quibus cognosci valeat, quando censenda sit Jure imposita irregularitas, & quando non? Esto igitur

Regula prima. Quando Jura imponunt impedimentum, sive inhabilitatem ad Ordines ipso facto incurrendam; ut si dicant: *Non aspiret, vel promoveatur ad Ordines: prohibeatur ordinari: nemo illum ordinet &c.* censentur imponere irregularitatem. Secus judicandum, quando imponunt pœnam a Judice infligendam: tunc quippe non censentur loqui de irregularitate; utpote quæ nunquam a Judice imponi solet.

Regula secunda. Quando Jura statuunt impedimentum ipso facto contrahendum, & directe ipsam susceptionem Ordinum impediens, censentur statuere irregularitatem, v. g. si Lex dicat: *Quisquis hoc fecerit, talemve defectum habuerit, nunquam ordinetur:* præsertim si illud impedimentum etiam ad Laicos porrigatur, & sine culpa, quamvis non sine causa, incurri dicatur. At quando verba Juris directe vetant solum usum Ordinis, nunquam statuitur irregularitas (& talis forma reperitur *in c. 1. de Ordin. ab Episc. qui renunc.*) sed potius fertur suspensio, aut depositio, quæ directe impediunt Ordinis usum. Sanct-Gallenses *loc. cit.* & apud ipsos Coninck.

314. Dico quinto. Causa finalis Irregularitatis est reverentia Divini ministerii, vel evitatio irreverentiæ, & indecentiæ, quæ SS. Eucharistiæ, & Statui Ecclesiastico inferretur, si persona tali delicto, vel defectu (unde irregularitas ortum ducit) gravata susciperet Ordines, aut in susceptis ministraret. Patet ex definitione Irregularitatis, ejusque expositione supra *n.* 304.

ARTICULUS III.

De Effectibus Irregularitatis.

SUMMARIUM.

315. & seq. Assignantur duo effectus Irregularitatis. 317. Irregularis illicite, non autem invalide recipit; & exercet Ordines. 318. Alia Sacramenta etiam licite recipit. 319. Adstruitur tertius effectus Irregularitatis. 320. Collatio Beneficii, facta irregulari, est invalida. 321. Qualiter irregularitas impediat retentionem Beneficii? 322. Quantum peccet irregularitate ligatus, si absque dispensatione Ordines suscipiat, vel exerceat, aut Beneficium acceptet?

315. Dico primo. Effectus primus Irregularitatis est impedire susceptionem Ordinis Ecclesiastici: id quod patet ex definitione Irregularitatis. Sed

Quæres, an irregularis etiam prohibitus sit suscipere primam Tonsuram?

Respondetur affirmative. Sanct-Gallenses *loc. cit. q.* 2. Illsung *tr. 7. disput.* 1. *q.* 1. *art.* 4. *n.* 76. Herincx *loc. cit. n.* 114. & alii communiter. Ratio est: quia licet prima Tonsura non sit Ordo, stricte loquendo, juxta communem Theologorum, est tamen dispositio ad Ordines; at per se impedito a susceptione formæ merito censetur prohibita susceptio dispositionis ad illam. Accedit, quod in Jure Canonico etiam prima Tonsura quandoque veniat nomine Ordinis; ut *in cap.* 11. *de ætate, & Qualitate, & Ordine præficiend.* ac alibi.

316. Dico secundo. Secundus effectus Irregularitatis est impedire usum, seu exercitium Ordinis suscepti. Patet itidem ex definitione Irregularitatis. Quando autem Irregularitas impediat omne exercitium Ordinis, & quando aliquod duntaxat, relinquitur ex dictis *numer.* 305.

317. Quæres, an irregularis non solum illicite, sed etiam invalide recipiat, ac exerceat Ordines?

Respondetur negative. Suarez *disp.* 40. *sect.* 2. *n.* 1. La Croix *lib.* 7. *n.* 443. & alii communiter. Ratio est: quia Ecclesia irregularitate ligato solum interdicit susceptionem, & exercitium Ordinum; non vero ipsum reddit, imo (si primam Tonsuram excipias) nec reddere potest absolute incapacem ad eorum susceptionem & exercitium; quoniam valor Ordinum, & actuum inde dependentium, cum sit Juris Divini, non subjacet potestati Ecclesiæ, ut illum impedire queat, quando omnia, per Jus Divinum requisita, adsunt. Dixi tamen: *si excipias primam Tonsuram*: hæc quippe ortum traxit ex institutione Ecclesiæ; quapropter eadem Ecclesia posset irregularem simpliciter, & absolute incapacem efficere ad illam suscipiendam: quamvis id non faciat: prout cum Palao recte notat La Croix *libr.* 7. *n.* 443.

Dices contra rationem probativam responsionis. Si Ecclesia non posset valorem actuum ab Ordine dependentium impedire, sequeretur, quod non posset facere, ut Sacerdos irregularis invalide absolveret a peccatis: sequela autem est absurda; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Ratio negandi est: quia absolutio a peccatis non est actus solius Ordinis, sed & jurisdictionis, ab Ecclesia dependentis: unde si Ecclesia vellet, posset irregulari jurisdictionem non concedere, vel concessam revocare: quo casu is utique absolveret invalide. Interim ex nullo Juris textu, nec aliunde constat, quod Ecclesia irregularem jurisdictione, ejusve usu de facto privet. Ex quibus, & aliis hucusque dictis,

318. Colliges, quod irregularis non solum valide, sed etiam licite recipere possit 1. omnia Sacramenta, excepto Ordine: quia solius Ordinis receptio ipsi vi irregularitatis prohibita est. 2. Quod possit omnia munia obire, quæ non sunt munia Ordinis nec ad hujus susceptionem spectant: quia sola munia Ordinis, & ad eum suscipiendum spectantia, irregulari interdicta sunt. Hinc potest licite inservire sacrificanti more Laicorum, baptizare non solemniter &c. 3. Quod possit exercere omnes actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, qui non sunt simul actus Ordinis, licet forte susceptionem Ordinis præsupponant: quia irregularis ab Ecclesia de

facto

facto non privatur jurisdictione, vel usu ejusdem. Unde licite potest excommunicare, ab excommunicatione absolvere, potestatem a peccatis sibi concreditos absolvendi alteri delegare &c, cum hi, & consimiles actus non sint actus Ordinis: haud tamen potest licite ipse absolvere a peccatis; quia hæc absolutio simul est actus Ordinis. Ita Sanct-Gallenses *loc. cit.* Herincx *n.* 117. *& seq.* La Croix *num.* 434. *&* 435. aliique communiter.

319. Dico tertio, Tertius effectus Irregularitatis (si ea totalis sit) est impedire receptionem, & retentionem Beneficii Ecclesiastici, Patebit ex Juribus infra citandis. Sed

320. Quæres primo, an collatio Beneficii facta irregulari, ad cujus functiones est inhabilis, non solum illicita, sed etiam invalida sit?

Respondetur affirmative. Ita communior, & tutior sententia, quam tenent Busembaum *lib.* 7. *n.* 432. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *art.* 1. *n.* 7. & alii quam plurimi, Ratio est: quia, cum Beneficium detur propter Officium, repugnat, ut conferatur Beneficium illi, qui est inhabilis ad Officium: sed irregularis est inhabilis ad Officium; ergo &c,

Dices. Irregularitas ipsa non incurritur, præterquam in casibus Jure expressis; prout audivimus supra *num.* 307. ergo nec effectus aliquis eidem tribuendus est, nisi Jure expressus, Atqui nullo Jure satis exprimitur, collationem Beneficii factam irregulari esse invalidam; ergo &c. Hoc argumentum reddit sententiam contrariam omnino probabilem. Nihilominus ut nostra, eaque (ut diximus) communior, ac tutior sententia manuteneatur,

Respondetur, neg. subsumpt. Nam id sufficienter exprimitur per *c.* 2. *de Cler. pugnantib. in duello*, & per *Trid. Sess.* 14. *c.* 7. Hæc quippe Jura non accipienda sunt de mera prohibitione, ita, ut præcise non liceat conferre irregulari Beneficium; sed de invalidatione collationis, seu ut illi Beneficium conferatur etiam invalide; sic enim (teste Suarezio) obtinet usus, & consuetudo, optima Legum interpres. Unde potest dist. subsumpt. Collationem Beneficii factam irregulari esse invalidam, non satis exprimitur in Jure, spectatis præcise terminis, queis utitur Jus, transf. spectata etiam interpretatione terminorum, quæ fit per usum, & consuetudinem, neg. subsumpt.

321. Quæres secundo, qualiter irregularitas impediat retentionem Beneficii?

Respondetur, quod eam non impediat, seu invalidet ipso facto, seu ante sententiam condemnatoriam, sed primum post ipsam, Illsung *loc. cit. n.* 77. Herincx *n.* 116. La Croix *n.* 439. & alii communiter. Ratio est: quia nullo Jure exprimitur actualis, & ipso facto incurrenda privatio Beneficii jam obtenti, ac possessi; imo contrarium luculenter habetur *in c.* 5. *Ne Clerici, vel Monachi*, & *c.* 10. *De Excess. Prælat.*

Dices, Jo *c.* 1. *de Homicid.* Assassinus, in *c.* 10. *de Hæret. in* 6. Hæreticus, & in *can.* 8. *caus.* 1. *q.* 1. Simoniacus ipso Jure privatur Beneficiis; ergo &c.

Confirmatur ex Trid. *Sess.* 14. *c.* 7. supra allegato, ubi decernitur, eum, qui patravit homicidium voluntarium, debere perpetuo carere omni Ordine, & Beneficio Ecclesiastico.

Respondetur ad argum. explicando, ac dist. *citt.* Jura. Et illa privatio inducta est vi irregularitatis, neg. vi criminum qualificatorum, con. ant. & neg. cons.

Ad Confirmationem (omissa responsione aliorum) ajo, Tridentinum loqui de Ordine suscipiendo, & Beneficio obtinendo; non autem de jam obtento, & possesso: id quod patet ex terminis præcedentibus a Concilio adhibitis: *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit* (irregularis) *nec illi aliqua Beneficia Ecclesiastica conferre liceat.*

Instabis. Si Tridentinum loquatur de Ordine suscipiendo, & Beneficio obtinendo, sequitur, quod irregulari valide conferatur Beneficium, sicut Ordo: sequela pugnat cum dictis *n. præced.* ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Siquidem non est in potestate Ecclesiæ, collationem, ac susceptionem Ordinis invalidare, quando omnia, ex Jure Divino requisita, adhibentur; prout annotavimus *n.* 317. est autem in potestate ejusdem Ecclesiæ invalidare collationem, ac receptionem Beneficii: quodque eam reipsa invalidet, relinquitur ex dictis *n. præced.*

Quapropter Beneficiatus irregularis, si Beneficium retinere velit, solum tenetur petere dispensationem super irregularitate, ut illud per omnia rite administrare valeat. Quod si dispensationem petere nolit, aut impetrare non possit, potest Beneficium resignare in favorem tertii; idque etiam supposita accusatione de irregularitate, & lite pendente: quia, priusquam lata sit sententia condemnatoria, retinet adhuc titulum, & jus in Beneficio. Poterit præterea retinere fructus beneficiales, si per se, vel per alium suo officio satisfecerit. Dicastillo, Reding, Babenstuber *loc. cit. n.* 8. La Croix *n.* 439. & alii passim,

322. Quæres tertio, quantum peccet irregularitate ligatus, si absque dispensatione Ordines suscipiat, vel exerceat, aut Beneficium acceptet?

Respondetur, eum peccare mortaliter. Ita Scotus in 4. *dist.* 13. *q.* 1. *ex cap.* 10. *de Cleric. excom. ministr.* aliique communiter. Ratio est: quia agit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi; ut consideranti patet. Imo Beneficium acceptat invalide; hoc ipso, quod ejus collatio sit invalida, juxta nostram, & communiorem sententiam *n.* 320. traditam, & stabilitam. Non tamen, quamvis Ordines suscipiat, aut in iis ministret, novam incurrit irregularitatem: quemadmodum cum communi notat Mastrius *loc. cit. n.* 129. quoniam id nullibi in Jure expressum est.

ARTICULUS IV.

De Modis, quibus Irregularitas contracta tollitur.

§. I.

Quot, & quinam sint Modi, quibus Irregularitas contracta tollitur?

SUMMARIUM.

323. *Assignantur, & explicantur Modi, quibus tollitur Irregularitas.* 324. *Fit, & solvitur objectio.*

323. Dico. Tres sunt Modi, quibus Irregularitas contracta tollitur, nempe *Ablatio causæ, Professio Religiosa, & Dispensatio.*

Explicatur. Per ablationem, sive remotionem causæ tollitur irregularitas temporalis. Sic irregularitas ex defectu ætatis tollitur per adventum legitimæ ætatis, irregularitas ex defectu libertatis, per adeptionem libertatis: irregularitas ex defectu scientiæ per consecutionem scientiæ: irregularitas ex defectu visus per acquisitionem, vel recuperationem visus: irregularitas ex obsessione dæmonis per hujus expulsionem: irregularitas ex non redditis rationibus per earum redditionem, & debitorum solutionem: irregularitas ex conjugio per dissolutionem vinculi matrimonialis: irregularitas ex militia per desertionem militiæ: irregularitas ex Officio forensi (quale gerunt Curiales Justitiæ, imo & Judices in criminalibus) per resignationem, vel amissionem Officii. Sed hæc duo posteriora exempla intelligas velim, si miles in bello neminem occiderit, vel mutilaverit, & Curialis Justitiæ, aut Judex non fuerit effective cooperatus ad causam effusi sanguinis. Nam horum quidpiam si intervenerit, contraxere irregularitatem ex defectu lenitatis, non aliter nisi dispensatione auferibilem. Ita Suarez, Bonacina, Dicastillo, & alii, quos refert, & sequitur La Croix *loc. cit. num.* 462.

Per Professionem Religiosam (emissam scilicet in Religione approbata) tollitur irregularitas de se perpetua, orta ex defectu natalium; sed relate ad Ordines duntaxat, non relate ad Prælaturas obtinendas: quemadmodum habetur in *c.* 1. *De filiis Presbyt.* Sanct-Gallenses *loc. cit. q.* 3. *conclus.* 4. Herincx *num.* 176. & alii communiter. Quapropter ut Religiosus, ex defectu natalium irregularis, ad Prælaturas legitime promoveri valeat, opus est dispensatione, quam impertiri possunt Generalis, & Provincialis in Capitulo Generali, aut Provinciali respective, vel etiam in Capitulo intermedio; non item extra hæc Capitula, juxta tenorem Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit: *Circumspecta*, ad quam se referunt nostra Statuta Generalia *c.* 2. §. 3. Herincx *n. cit.* Kerckove super præfata Statuta *c.* 7. §. 2. *a n.* 1. & alii.

Per

Per Dispensationem tollitur irregularitas itidem de se perpetua, undecunque demum orta, quando ejus vinculum ab habente legitimam potestatem (ordinariam, vel delegatam) dispensandi relaxatur. Non ergo irregularitas aufertur per absolutionem, sicut censuræ, peccata &c. sed per dispensationem, sicut alia id genus Impedimenta Ecclesiastica. Porro ut beneficium dispensationis legitime impendatur, aliqua observanda veniunt. Itaque 1. irregularis debet dispensaturo manifestare circumstantias suæ personæ, &c. delicti, ob quod irregularitate innodatus est. 2. Debet eundem informare de omnibus irregularitatibus, si pluribus irretitus sit. 3. Quando dispensat ipsa S. Pontifex, valide dispensat, etiamsi nulla dispensandi causa adsit; non autem licite: prout ostensum est *part.* 1. *n.* 505. At quando dispensat Episcopus, vel privilegiatus, requiritur justa causa etiam ad valide dispensandum: prout itidem constat ex dictis *part.* 1. *n.* 510. 4. Tenetur dispensaturus dispensando super irregularitate ex delicto, imponere salutarem pœnitentiam: quemadmodum colligitur ex Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in irregularitatibus, *imposita salutari pœnitentia*. 5. Licet in Jure certa verborum forma pro dispensatione impertienda non præscribatur, congrue tamen hæc adhibebitur. *Dispenso tecum super irregularitate* (vel irregularitatibus, si plures sint auferendæ) *in quam* (vel in quas) *ob talem causam* (vel tales causas, eas exprimendo) *incurristi, teque habilem redde ad suscipiendos, & exercendos Ordines, ac Officia, in nomine Patris &c.* Sed hæc forma solum adhiberi debet, quando de irregularitate constat: quando autem de ea dubitatur, datur dispensatio ad cautelam tantum; ut *dispenso tecum, si forte incurristi &c.* Neque taliter, seu posteriori ratione dispensando imponi pœnitentia solet, imo subinde imponi non potest; ut si detur dispensatio in generali; quemadmodum cum suis subditis nostri Superiores dispensare solent in Visitationibus: quia tunc Rei, si forte aliqui sint, non cognoscuntur. P. Herincx *loc. cit. n.* 196. *& seq.*

324. Objicies contra conclus. Irregularitas etiam tollitur per susceptionem Baptismi; ut DD. tradunt communiter; ergo dantur quatuor Modi, quibus tollitur Irregularitas.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Irregularitas orta ex Jure Divino, qualem inducit defectus ipsiusmet Baptismi, con. Irregularitas orta ex Jure Ecclesiastico, de qua sola hic nobis sermo est, secundum dicta *num.* 308. neg. ant. & sub data distinctione, conf. Siquidem irregularitas, ex Jure Ecclesiastico orta, & semel contracta, haud tollitur, nisi tribus modis hucusque expositis; non item quarto modo, seu per susceptionem Baptismi, cum ante eam nulla talis irregularitas contrahatur, secundum dicta *n. cit.*

Inst. bis. Si Judæus v. g. homicidium patrasset, & postea susciperet Baptismum, non evaderet irregularis; ergo susceptio Baptismi tollit irregularitatem, etiam ex Jure Ecclesiastico provenientem.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. vel dist. Susceptio Baptismi tollit irregularitatem &c. contractam, neg. tollit, vel (ut rectius loquar) impedit contrahendam, transeat. Neque hoc præjudicat nostræ conclusioni, utpote signanter statutæ de Modis, quibus tollitur irregularitas *contracta*. Dixi: *transeat*. Nam Baptismi susceptio solum impedit irregularitatem contrahendam *ex delicto*, quatenus nullum delictum, cui alioquin annexa est irregularitas, ante Baptismi susceptionem perpetratum, inducit aliquam irregularitatem, quæ, suscepto Baptismate, contrahatur: non vero impedit irregularitatem contrahendam *ex defectu*, si hic perseveret post Baptisma susceptum; ut patet in bigamo, qui manet, vel (proprie loquendo) evadit irregularis post susceptum Baptisma, cum etiam eo suscepto perseveret defectus, quatenus bigamus neque tunc potest repræsentare Christum, tanquam unicum Sponsum unius Sponsæ, nimirum Ecclesiæ.

§. II.

Quinam possint super Irregularitate dispensare?

SUMMARIUM.

325. & seq. Pontifex potest, non tamen semper solet, dispensare in omni irregularitate. 327. & seq. Episcopi quid possint, & qua potestate? 329. & seq. Quid possint Prælati Regulares Mendicantes circa suos Religiosos; & num aliquid circa Seculares?

325. Dico primo. S. Pontifex potest dispensare in omni irregularitate. P. Sporer *tr.* 5. *in* 5. *Præcept. Decal. cap.* 3. *a num.* 237. & alii communissime.

Probatur. Nam omnis irregularitas oritur ex Jure communi Pontificio; ergo quælibet per Pontificem, seu illius Juris Conditorem, relaxari, ac tolli potest; cum res per causas, per quas nascitur, etiam dissolvi valeat.

326. Quæres, an idem Pontifex etiam soleat dispensare in irregularitatibus?

Respondetur affirmative, præterquam in aliquibus, in quibus id raro facere solet: ut 1. in irregularitate bigamiæ, præsertim veræ; cum illa ex Apostolica traditione descendat. 2. In irregularitate ex homicidio voluntario, & illicito, nisi crimen ita existat occultum, ut in Judicio nec probatum sit, nec probari possit. 3. In irregularitate ex defectu corporis, qui sit valde deformis, ut in populo scandalum generare queat, si eo affectus ad ministerium altaris accedat. Ceterum an deformitas sit magna, vel parva, ad Episcopum pertinet judicare, si ordinandus sit secularis vel Regularis non exemptus, per *c.* 2. *de Corpore vitiatis ordinandis, vel non*: si vero sit Regularis exemptus, ad Prælatum Regularem; licet Episcopus quoad collationem Ordinum illius judicio stare non teneatur. P. Pichler *lib.* 1. *tit.* 20. *n.* 2. *in fin.* Certum est autem, requiri majorem deformitatem, ut quis a ministerio Ordinis suscepti debeat repelli, quam ad Ordinem suscipiendum non admitti. Ita Laymann *de Irregularit. c.* 9. *a n.* 1. Sanct-Gallenses *loc. cit. q.* 3. *conclus.* 4. & alii.

327. Dico secundo. Episcopi possunt cum suis subditis dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto orta: exceptis irregularitatibus ex homicidio voluntario, & hæresi contractis.

Probatur, & explicatur conclusio. Nam Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de Reform.* ita habet: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Sunt verba jam superius *n.* 222. recitata, & ex parte explicata. Sed ut penitius explicentur, & intelligantur, adhuc aliquarum particularum expositionem superaddo. Itaque

Dicitur 1. *In Diœcesi sua: in foro conscientiæ.* Quæ tamen particulæ tantum referuntur ad potestatem absolvendi a reservatis; quam proinde solam Episcopis ad suam Diœcesim, & forum conscientiæ restringunt; non vero ad potestatem dispensandi super irregularitatibus; unde Episcopi super istis dispensare cum suis subditis possunt etiam extra Diœcesim, & pro foro externo. Suarez, Sanchez, Palao, Pignatelli, quos refert, & sequitur La Croix *lib.* 7. *n.* 470.

Dicitur 2. *Ex delicto &c.* Nam Episcopi non possunt vi prætactæ concessionis dispensare super irregularitatibus ex defectu contractis: quia Trident. signate loquitur de irregularitatibus ex delicto ortis. Dixi tamen; *vi prætactæ concessionis*. Nam vi alterius concessionis quandoque, seu in aliquibus irregularitatibus, etsi ex defectu ortis, dispensare valent; ut in irregularitate, quæ oritur ex bigamia similitudinaria, relate ad Ordines Sacros, *c.* 1. *Qui Clerici, vel voventes*; & in irregularitate, quæ annexa est illegitimitati, relate ad Ordines Minores, *capit.* 1. *De filiis Presbyterorum*.

Mastrius

Mastrius *loc. cit. numer.* 188. *& seqq.* aliique communiter.

Dicitur 3. *Occulto*. Nam in irregularitatibus ex delicto publico, & ad forum contentiosum deducto, prognatis, dispensare Episcopi non valent: nisi forte ejusmodi delictum in illo foro jam esset punitum, judiciumque finitum; quemadmodum cum aliis a se relatis limitat P. La Croix *loc. cit. n.* 476. De cetero adjectivum *occultus* hic in ordine ad dispensationem accipiendum venit eodem modo, quo accipitur in ordine ad absolutionem secundum dicta *n.* 302.

Dicitur 4. *Excepta irregularitate ex homicidio voluntario*, directe nimirum, & simpliciter; prout Authores passim interpretantur: idque merito; quoniam odia sunt restringenda, & favores ampliandi, quantum permittit verborum proprietas. Quare Episcopus potest dispensare in irregularitate contracta ob illicitam mutilationem occultam; cum hæc irregularitas non possit dici contracta ex homicidio, qualem excipit Trid. supra. 2. In irregularitate contracta ob homicidium occultum, causa defensionis factum, cum excessu tamen moderaminis inculpatæ tutelæ; quia non censetur directe, & simpliciter voluntarium, 3. In irregularitate contracta ob homicidium occultum casuale non mere tale, puta cum eo, qui improvide e tecto dejecit tegulam, & occidit hominem; siquidem & tale homicidium, quamvis supponatur mortaliter culpabile, non tamen est directe voluntarium. P. Sporer *loc. cit. a n.* 247. aliique communiter. Nec dicas, quod in ejusmodi casibus mutilans, vel occidens evadat insuper irregularis ex defectu lenitatis; ergo Episcopus saltem in hac irregularitate dispensare non poterit. Contra enim est, neg. ant, sed contrahit solam irregularitatem ex delicto; siquidem in nullo Jure exprimitur, quod per unum, eundemque simplicem actum incurratur duplex irregularitas, etiam diversæ rationis, seu quarum una sit ex delicto, & altera ex defectu: prout cum Tamburino, & aliis recte advertit P. Sporer *loc. cit. n.* 245. Quare irregularitas ex defectu lenitatis solummodo incurritur ob mutilationem, & homicidium licitum; veluti dicemus infra *art.* 2. §. 4.

Dixi 5. *Excepta irregularitate ex hæresi*, etiamsi detur (quod tamen pro Germania negant P. Pichler *lib.* 5. *tit.* 7. *n.* 5. P. Cherubinus Mayr *n.* 109. & alii plures) irregularitatem ex hæresi etiam occulta oriri. Ratio exceptionis est; quia potestas absolvendi (& consequenter etiam dispensandi) supra per *Trid.* Episcopis concessa, postmodum revocata est relate ad Casus Bullæ Cœnæ; prout ostensum ivimus *n.* 218. atqui hæresis etiam occulta est Casus Bullæ Cœnæ: prout itidem constat est dictis *n. cit.* ergo &c. Videatur Mastrius *loc. cit. num.* 187. Unde licet irregularitas, ex hæresi orta, non excipiatur in concessione Tridentini supra, excipi tamen necessario debet ex capite primum dicto.

328. Quæres, an Episcopi potestatem dispensandi super irregularitatibus, a Tridentino sibi concessam, possint delegare aliis?

Respondetur affirmative. Ita Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 2. *a n.* 10. Palao *disp.* 6. *pun.* 7. *num.* 7. La Croix *lib.* 7. *n.* 469. cum aliis a se citatis. Ratio est: quia potestas illa a Jure annexa est eorum Officio; adeoque censetur Ordinaria, & consequenter delegabilis.

329. Dico tertio. Prælati Regulares, saltem Mendicantes, possunt dispensare cum suis Subditis, sive Religiosis, in omni irregularitate orta ex delicto, quoad forum conscientiæ, excepta illa, quæ ortum traxit ex homicidio voluntario publico. Ita Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regul. q.* 24. *art.* 13. Herinex *de Irregularit. num.* 195. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 37. *n.* 97. & videre est passim in Compendiis Privilegiorum. Possuntque hanc potestatem dispensandi delegare, & committere alicui Confessario subdito; ut docet Portel *v. abortus*, *n.* 12. *de Dubiis Regularibus*. Ratio est: quia antedicta potestas est annexa eorum officiis; adeoque censetur ordinaria, & delegabilis: sicut *n. praced.* dictum de potestate dispensandi competente Episcopis.

330. Dixi tamen: *cum suis Subditis, sive Religiosis*. Nam potestatem dispensandi cum Secularibus super irregularitatibus, etsi ex delicto contractis, nullam habent Regulares, etiam Mendicantes, sive Superiores, sive inferiores Confessarii: quia ejusmodi potestas relate ad Seculares nullibi reperitur Regularibus concessa, juxta communem DD. Nititur quidem Nonnemo concessionem dictæ potestatis elicere ex Bulla: *Cum inter cunctas*, recitata superius *num.* 224. in qua Paulus III. concessit Confessariis Societatis Jesu *potestatem absolvendi quoscunque utriusque sexus fideles ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, etiam Sedi Apostolica reservatis, & a quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla Cœna Domini*. Verum contra est 1. Si antedicta potestas deduci posset ex memorata Bulla, sequeretur, quod Confessarii Societatis, & aliorum Ordinum Mendicantium cum Secularibus dispensare valerent etiam super irregularitate orta ex delicto homicidii voluntarii, utpote quæ non continetur in Bulla Cœnæ, sicut nec delictum, cui est annexa: atqui sequela pugnat contra veritatem; & contra ipsummet illum Scriptorem, utpote qui solum probare conatur, Regularibus Mendicantibus competere potestatem dispensandi cum Secularibus super irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, super quibus dispensare possunt Episcopi; hi autem nequeunt dispensare super irregularitate orta ex homicidio quidem occulto, sed directe, & simpliciter voluntario, secundum dicta *n.* 327. ergo &c. Contra est 2. Quod allegata Bulla solum indulgeat potestatem absolvendi, qualis exercetur circa peccata, & censuras, aliasque pœnas Ecclesiasticas, quæ absolutione tolluntur; non vero potestatem dispensandi, qualis exercetur circa irregularitates, etiam ex delicto ortas, utpote quæ & ipsæ beneficio dispensationis relaxari debent. Id quod patet ex ipsis Bullæ verbis. Nec dicere fas est, in præfata Bulla sub potestate absolvendi etiam comprehendi potestatem dispensandi; ideo præsertim, quia alioquin illa verba: *& pœnis Ecclesiasticis*, nullum operarentur effectum, nisi scilicet denotarent irregularitates ex delicto, earumque dispensationes.

Respondetur enim, neg. assumpt. Ad rationem probativam ajo, verba illa adhuc operari suum effectum: significant nanque (sicut quando inseruntur in Bulla Jubilæi) pœnas quasdam personales jurisdictionem fori interni, & conscientiæ respicientes, quas imponere solent pœnitentes sibimetipsis, vel quæ eis injunguntur a Confessario, vel quæ inveniuntur in Sacris Canonibus pœnitentialibus, queis fideles per aliquod tempus arcentur ab usu Sacramentorum: ut notant Navarrus, Henriquez, Avila, Viva *de Jubilao q.* 10. *art.* 1. *n.* 4. & alii. Quibus rite pensatis, hæc respective singularis sententia censetur vera probabilitate destitui.

CAPUT III.

De Irregularitatibus in Specie.

Irregularitates in specie aliæ oriuntur ex delicto, aliæ ex defectu; & dividuntur in varia membra juxta varietatem delictorum, & defectuum, ex quibus promanant. Quare ut ordinate procedamus, Capur istud in duos articulos, & hos in plures §§. dispescemus. Sit igitur

ARTICULUS I.

De Irregularitatibus ex delicto.

Delicta, ob quæ contrahitur irregularitas, sunt 1. Injustum, & voluntarium homicidium. 2. Injusta, & voluntaria mutilatio. 3. Iteratio Baptismi. 4. Illegitima susceptio, vel usurpatio Ordinum. 5. Violatio censuræ. 6. Culpa, cui annexa est infamia.

§. I.

De Irregularitate ex injusto, ac voluntario homicidio.

SUMMARIUM.

331. *Irregularitatem contrahit, qui committit, sive physice, sive moraliter, homicidium injustum, & directe, vel saltem indirecte voluntarium, cumque gravi peccato conjunctum*. 332. *& seqq. Proponuntur, ac resolvuntur argumenta opposita*. 335. *& seqq. Deducuntur*

corol-

corollaria, conclusionis declaratoria, & in praxi scitu summopere necessaria.

331. Dico. Irregularitatem contrahit, qui committit; sive physice, sive moraliter, homicidium injustum, & directe, vel saltem indirecte voluntarium, cumque gravi peccato conjunctum. Sumitur ex *Trid. Sess. 14. c. 7.* & *Sess. 24. c. 6. de Reform.* aliisque Juribus passim.

Explicantur termini conclusionis. Dicitur 1. *Committit*, nimirum effective; nam solus animus, vel conatus occidendi non sufficit, si occisio, undecunque demum, impediatur. Eapropter irregularis non est, qui alteri venenum propinavit, vel vulnus lethale inflixit, quando sequela mortis per artem, vel per miraculum impedita fuit: ut habet communis DD.

Dicitur 2. *Sive physice*, id est, ponendo actionem positivam de se occisivam, v. gr. percutiendo, glande plumbea petendo, porrigendo venenum &c. quando inde sequitur occisio hominis, vel fœtus jam informati anima rationali adhuc in utero materno existentis.

Dicitur 3. *Sive moraliter*, puta mandando, consulendo, consentiendo (dommodo mandatum, consilium, aut consensus efficaciter influat in homicidium, ejusque causa moralis existat) vel non impediendo homicidium, quod quis ex Justitia impedire tenetur: unde Magistratus, aut Medicus, salario conductus, si mortem subditi, aut ægroti, non impediant, cum possent, irregularitatis vinculo innodantur; quia illam ex pacto saltem tacito, adeoque ex Justitia impedire tenentur.

Dicitur 4. *Homicidium*. Nam si reipsa homicidium non fiat, etsi impediatur generatio hominis, irregularitas non incurritur: ut patet in procurante abortum fœtus nondum animati anima rationali. Nec obstat, quod Sixtus V. in Constitutione *Effrænatam* extenderit pœnam irregularitatis ad procurantes abortum fœtus etiam non animati. Nam ea Constitutio abolita est a Gregorio XIV. per Constitutionem *Sedes Apostolica*, & ad Jus commune reducta: prout cum Filliucio advertit P. Babenstuber *loc. cit. art. 2. n. 5.* & cum Piascio P. Pichler *lib. 5. Decret. tit. 12. n. 24.*

Dicitur 5. *Injustum*, seu peccaminosum contra virtutem Justitiæ. Siquis enim faciat homicidium justum, seu legibus Justitiæ conformatum, irregularitatem, de qua hic sermo est, non incurrit: sicut nec ille, qui non impedit homicidium, quod ex sola charitate impedire teneretur; quia, cum non peccet contra Justitiam, haud committit homicidium rigorose tale, & cui annexa irregularitas est: prout advertimus *part. 2. num.* 576.

Dicitur 6. *Directe, vel saltem indirecte voluntarium*. Siquidem secundum Jura per homicidium sive uno, sive altero modo voluntarium, irregularitas contrahitur: quemadmodum quoad homicidium directe voluntarium expresse habetur in *c. 1. de Homicid.* & quoad homicidium indirecte voluntarium desumitur (per argumentum a contrario) *ex c. 13. eod. tit.* Quod autem homicidium, irregularitatis ex delicto inductivum, debeat esse voluntarium, traditur luculenter in *cit. c.* 13. & de se patet; quoniam homicidium non voluntarium culpa vacat, adeoque hanc talem irregularitatem, utpote cui culpa, sive delictum necessario præsupponitur, inducere nequit.

Dixi 7. *Cumque gravi peccato conjunctum:* quia irregularitas, cum sit grave incommodum, & difficulter relaxetur, quando contrahitur ex delicto, necessario supponit delictum grave. Revideantur, quæ diximus *n.* 310. *in respons.* a.

332. Objicies contra hucusque dicta primo. In *c. 1. de Homicid. in 6.* ipso facto excommunicationem incurrit, qui mandaverit aliquem occidi per assassinos, *quamquam mors ex hoc forsan non sequatur*; ergo neque ad irregularitatem incurrendam requiritur actualis sequela mortis.

Respondetur, neg. conf. Siquidem a casu expresso ad non expressum, præsertim dissimilem, in odiosis non est facienda extensio. Deinde nunquam incurritur irregularitas, nisi in Jure exprimatur; prout sæpe audivimus: sed nullibi in Jue exprimitur, quod incurratur irregularitas ob homicidium attentatum, vel demandatum, non tamen executioni mandatum; nisi in proxime *cit. c. 1. quoad assassinos*.

333. Objicies secundo. Si mandans fieri homicidium, incurrat irregularitatem, etiam incurret homicidium jam factum ratihabens: sequela autem communiter negatur; ergo &c. Prob. seq. ex *c. 10. de R. J. in 6.* ibi: *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur*; & quidem etiam in delictis, per *L. 1. ff. de vi, & vi armat. §. 14.* & *c. 33. de Simon.*

Respondetur, neg. seq. Ad prob. ajo, ratihabitionem in delictis æquiparari mandato quoad culpam, quatenus non solum mandans, sed etiam ratihabens homicidium graviter delinquit; non vero quoad pœnam, præsertim irregularitatis, cum id in Jure non sit expressum.

334. Objicies tertio. Qui non impedit homicidium, cum posset, & teneretur, æquiparatur homicidæ, *c. 6. de Homicid. §. 2.* & *c. 47. de Sent. excom.* ergo omnis, etiam negative concurrens, seu non impediens homicidium, cum posset, & teneretur, licet ex charitate tantum, efficitur irregularis.

Confirmatur. Siquis perspectam sibi haberet innocentiam Rei, coram Judice de capitali crimine accusati, & diceret, sibi non constare de innocentia illius, evaderet irregularis, morte Rei secuta; ergo etiam non impediens mortem proximi, quam tamen posset, & teneretur, licet ex sola charitate, impedire, irregularitatem contrahit.

Respondetur ad argum. neg. conf. Ad ant. dico, in *cit. c. 6.* non esse sermonem de præcise non impedientibus homicidium, sed de concurrentibus ad illud consilio, vel auxilio, quales non solum contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam delinquunt, verique homicidæ, & pœnæ irregularitatis obnoxii, reputantur. In *c. 47.* autem sermo est de non impedientibus percussionem Clerici in ordine ad excommunicationem incurrendam: qui casus, cum sit dissimilis, & specialiter in Jure expressus, non debet porrigi ad casum incurrendæ irregularitatis non expressum: prout supra advertimus.

Ad Confirmat. nego itidem conf. & suppositum, quod similis præcise non impediret (per puram scilicet omissionem defensionis) homicidium; quia ad istud positive (seu per omissionem defensionis, cum actu positivo mendacii perniciosi conjunctam) cooperaretur, graviterque peccaret non solum contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam, & peccato veri homicidii, irregularitatis inductivi.

335. Colliges ex dictis primo, non esse immunem ab irregularitate homicidii injusti, directe voluntarii, qui subita percitus ira hominem interficit, licet id ante exortam iræ passionem non intenderit. Ita cum Molina, Suarez, Diana, Tamburino, & satis communi aliorum P. Sporer *loc. cit. n. 251.* & seq. contra Salmanticenses, Reding, Babenstuber &c. Ratio est: quia talis facit homicidium voluntarium, cum passio iræ non tollat libertatem (id quod hic supponitur) uti & directe voluntarium, cum exerceat actionem positivam eo animo, ac intentione, ut mors alterius sequatur, licet hanc intentionem antea non habuerit; ergo contrahit pœnam irregularitatis a Jure annexam homicidio directe voluntario. Confirmatur. Homicidium illud non est mere casuale, quod culpa vacet, prout ipsimet Adversarii fatentur; nec indirecte, seu in causa tantummodo voluntarium, cum non fiat præter intentionem occidendi; ergo est voluntarium directe, & in se. Revideantur, quæ diximus *part. 2. num. 577. 579. & 581.* Sed

Dices. Juxta Trid. *Sess. 14. c. 7. de Reformat.* homicidium directe voluntarium est, quod per insidias, per industriam, vel ex proposito committitur: sed qui ex ira hominem interficit, id non facit aliquo ex prædictis modis; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Quia id facit ex proposito, prout ly *ex proposito* homicidium sic factum contradistinguit ab homicidio casuali (non mere tali, ut infra *n. 337.* exponemus) quemadmodum a Concilio ibi accipitur, ut patet ex verbis subsequentibus: *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu fuisse commissum narretur &c.* Talis proinde in ira occidit hominem non casu, & præter intentionem occidendi, sed deliberate (deliberatione sufficiente ad voluntarium directum) & ex proposito, seu intentione occidendi: consequenter &c.

Ex quo

Ex quo consequitur, quod Episcopus super ejusmodi irregularitate dispensare non valeat, per dicta *num.* 327.

336. Colliges secundo, omnes illos contrahere irregularitatem homicidii injusti, indirecte saltem voluntarii, ex quorum culpa, virtuti Justitiæ adversa, & theologice gravi, interimitur homo. Ita DD. communiter, & sumitur ex *cap.* 7. *de Homicid.* ubi Presbyter, qui puerum castigandi gratia percussit in capite, unde is mortuus est; & *c.* 8. *eod.* ubi Clericus non removendo falcem a tergo, in quod alius more regionis insiliens lethaliter est vulneratus; & *c. fin. eod.* ubi mandans aliquem verberari, licet expresse vetuerit occidi (mandatarius tamen fines mandati excedens occidit) irregulares pronunciantur. Similiter irregularis pronunciatur *c.* 8. *&* 12. *de Homicid.* qui, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, occidit injustum aggressorem. Et (ut universalius loquar, & veluti regulas tradam) irregulares evadunt, quicunque dant operam rei etiam licitæ, seu exercent opus de se quidem licitum, haud tamen sufficientem adhibent diligentiam, ut caveant homicidium; cujus sequelam timent, adeoque prævident, saltem probabiliter, & amoliri tenentur: qualiter se gerit, qui exonerat sclopetum in loco, ubi solet esse magna hominum multitudo, & frequentia; vel qui projicit tegulam ex tecto, nec voce, nec signo monens prætereuntes &c. & inde homo occiditur. Filliucius *tr.* 20. *c.* 3. *n.* 54. *& seq.* aliique communiter. Irregulares item evadunt, qui dant operam rei illicitæ, si hæc prohibita sit tanquam periculosa, & mortis facile inductiva: ut si imperitus Chirurgus, aut Medicus, vel Clericus (in Majoribus constitutus) aut Religiosus peritus quidem, at sine necessitate, exerceat artem chirurgicam, vel medicam (cum incisione, vel adustione conjunctam) adhibita etiam omni diligentia ad cavendam mortem, quando hæc nihilominus sequitur, *c.* 16. *de Homicid.* & *c.* 9. *Ne Clerici, vel Monach.* Quod autem ad incurrendam irregularitatem homicidii, sive directe, sive indirecte voluntarii, requiratur culpa, Justitiæ adversa, relinquitur ex dictis *n.* 331. Quod eadem culpa debeat esse gravis, patet ex *n.* 310. Quod denique debeat esse theologica, inde evincitur; quia irregularitas ex delicto est pœna spiritualis: consequenter supponit culpam, quæ afficit animam coram Deo. Molina *tr.* 3. *disp.* 77. *n.* 6. & alii passim, maxime Theologi. Nec obstat, si dicas. In *c.* 8. *&* 12. *de Homicid.* Clerici declarantur irregulares, licet culpa eorum valde probabiliter non fuerit mortaliter peccaminosa. Ajo enim cum Pichlero *loc. cit. num.* 23. *in fin.* quod, licet forte eorum culpa coram Deo non fuerit gravis, talis tamen præsumpta fuerit ab Ecclesia, & in foro Ecclesiastico, ac externo (quia dederant operam rei illicitæ, nec adhibuerant diligentiam sufficientem ad cavendum homicidium) atque idcirco pro eo foro fuerint declarati irregulares, quamvis tales reipsa, & in foro interno haud extiterint, si non mortaliter deliquerint.

337. Colliges tertio, e diverso ab irregularitate homicidii injusti liberos esse, qui exercent opus de se licitum, ex quo sequitur mors hominis, quando, ne sequatur, debitam adhibent diligentiam. Filliucius *loc. cit.* Bonacina *disp.* 7. *q.* 4. *pun.* 7. *n.* 8. Babenstuber *n.* 19. & alii passim. Ratio est: quia tunc sequela mortis nullo modo est voluntaria, adeoque nec theologice imputabilis, aut inductiva irregularitatis ex delicto. Non enim est voluntaria directe; ut de se patet: nec indirecte; quia, cum opus, ex quo sequitur, sit licitum, non potest intelligi esse voluntarium in ratione operis illiciti, nisi propter omissionem diligentiæ debitæ (quæ tamen omissio hic non intervenit, ut supponitur) consequenter &c. Itaque non fiunt irregulares. 1. Qui (licet Clerici, vel Religiosi sint) ægroto aliquid bona fide præstant, aut subministrant in levamen, vel in remedium, existimantes, id minime obfuturum; ut si eundem revolvant in lecto, & in aliud latus vertant, quo facilius quiescere, vel cibum capere possit, esto contingat mortem inde accelerari. 2. Qui, servato moderamine inculpatæ tutelæ, occidit injustum suæ, vel alterius vitæ (aut bonorum) aggressorem. 3. Qui filium (aut discipulum) disciplinæ causa moderate verberat, licet is propterea infirmetur, ac moriatur. 4. Qui reparando tectum, dejicit tegulas, aut lapides, unde transeuntium quispiam fortuito obteritur. 5. Peritus Medicus, vel Chirurgus, si ex remedio, quod applicat, mors infirmi sequatur. 6. Clericus, vel Religiosus, qui artem chirurgicam, vel medicam, quam probe callet, exercet citra incisionem, vel adustionem, quamvis accidat ægrotum inde mori &c. Ratio horum, & aliorum similium est: quia omnes hi tales dant operam rei licitæ, & cum insuper moralem diligentiam adhibeant (ut supponitur) ne mors sequatur, non committunt homicidium injustum, &, sive directe, sive indirecte voluntarium: consequenter irregularitatem ex delicto homicidii non incurrunt, etiamsi mors sequatur. Porro ab irregularitate ex delicto homicidii immunes etiam sunt, qui dant operam rei illicitæ quidem, non tamen ideo prohibitæ, quia est periculosa, quamvis ex eorum operatione mors eveniat, modo ejus eventum adhibita morali diligentia præcavere satagant. Salmanticenses *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 34. Filliucius *loc. cit. num.* 69. Babenstuber *n.* 25. & alii communiter. Exemplum esset, siquis tempore interdicti pulsando campanam dejiceret, eoque hominem inferius existentem contereret: vel si Religiosus quispiam contra prohibitionem suæ Regulæ equitando infantem in platea jacentem protereret. Ratio est: quia licet hujusmodi opus sit malum, & peccaminosum, non tamen est tale in ratione homicidii, si ad hoc præcavendum debita adhibeatur diligentia: consequenter &c.

Dices. In *can.* 6. *&* 8. *dist.* 50. pro irregularibus, & ad susceptionem, usumque Ordinum inhabilibus, reputantur, qui ob sui defensionem commisere homicidium. Item in Conc. Trid. *Sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.* sic habetur: *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad Sacrorum, & Altaris ministerium &c. jure quodammodo dispensatio debeatur &c. Episcopus dispensare possit.* Ergo ex homicidio casuali, vel ob necessariam defensionem facto incurritur irregularitas.

Respondetur cum P. Pichler *n.* 30. Et quidem ad 1. ajo, sermonem ibi non esse de defensione necessaria, sed incauta, & inculpatæ tutelæ moderamen excedente. Ad 2. dico, Concilium loqui de eo, qui commisit homicidium non mere casuale, sed indirecte, seu in causa (quatenus non sufficienter cavit homicidium, vel excessit moderamen in sui defensione) voluntarium, ex quo utique contrahitur irregularitas, sed ab Episcopo dispensabilis, secundum dicta *num.* 327. Atque ita Concilium explicant Declarationes Cardinalium subjunctæ *Sess. cit. n.* 3. & *in Remissionibus lit. Grata* & apud Gallemart.

§. II.

De Irregularitate ex injusta, & voluntaria mutilatione.

S U M M A R I U M.

338. *Quid intelligatur per mutilationem?* 339. *Quid intelligatur nomine membri, ex cujus abscissione contrahitur irregularitas?* 340. *Qui alteri, vel etiam sibi ipsi membrum proprie dictum injuste amputat, irregularis efficitur.* 341. *&* 342. *Deducuntur duo corollaria.*

338. PRænotandum primo, mutilationem non esse sitam in eo, quod quis vulneret, sanguinem fundat, vel membrum debilitet, ac inutile reddat; sed in eo, quod membrum amputet, vel abscindat: quemadmodum insinuatur in *can.* 47. *caus.* 1. *q.* 1. & aliis Juribus.

339. Prænotandum secundo, nomine membri, ex cujus abscissione contrahitur irregularitas, intelligi partem corporis humani, non qualemcunque, sed talem, quæ peculiarem, & notabilem functionem habet; uti sunt pes, manus, auris, oculus, lingua, genitalia, mamilla feminæ &c. Unde aliæ partes, quæ illiusmodi functionem non habent, sed tantum præmemoratis partibus, ut eas in suis functionibus totalibus adjuvent, conjunctæ sunt, nomine membri impræsentiarum non veniunt; veluti dens, auricula, id est, cartilago aurium, prominentia nasi, digitus &c. quarum proinde abscissio non inducit irregularitatem, saltem in abscindente, nisi hic sibi ipsi abscindat: ut mox declarabimus. His prænotatis,

340. Dico, Irregularitatem contrahit, qui (1.) alteri, vel etiam (2.) sibi ipsi membrum, in *pranot.* 2. descriptum; injuste amputat. Prima pars sumitur ex *can. 4. & fin. dist. 55. c. 5. Ne Clerici, vel Monachi, c. fin. de Homicid. in 6. & Clement. un. eod.* ubi mutilatio quoad irregularitatem contrahendam æquiparatur homicidio. Imo & secunda pars inde deducitur: siquidem etiam sibi ipsi membrum abscindens vere se mutilare dicitur; ob veram autem mutilationem, sive in alieno, sive in proprio corpore factam, statuta est a Jure irregularitas.

Explicantur breviter termini conclusionis. Dicitur 1. *Membrum in pranot. 2. descriptum*, seu tale, quod propriam, & notabilem functionem habet. Nam aliud membrum, ejusmodi functionem non habens, abscindens in alieno corpore, irregularis haud efficitur: cum non sit membrum simpliciter, ob cujus abscissionem imposita est pœna irregularitatis; sed potius pars, vel instrumentum membri. Dixi: *abscindens in alieno corpore*. Nam abscindens membrum, etiam non habens peculiarem, & notabilem functionem, v. gr. digitum, vel articulum digiti, in proprio corpore, irregularitatem non effugit; quippe pro tali casu constitutam in *can. 4. 5. & 6. dist. 55.* item in *c. 3. de Corpore vitiatis*: idque propter sævitiam, ac crudelitatem, quam ejusmodi abscindens erga seipsum exercet, esto nullam sui corporis partem proprie dictam amputet: ut notant Filliucius *loc. cit. numer.* 14. Babenstuber *num.* 12. Pichler *num.* 26.

Dicitur 2. *Injuste*, seu cum peccato injustitiæ, eoque gravi; si enim aliquis sibi ipsi, vel alteri membrum abscindat ob justam causam, v. g. ad conservandam vitam totius corporis, non fit irregularis: prout omnes fatentur.

Dicitur 3. *Amputat*. Nam ex vulneratione sive sui, sive alieni corporis, nemo irregularis evadit; cum hoc nullibi in Jure expressum sit: uti neque ex debilitatione membri in proprio, vel alieno corpore; tum quia & hoc nullibi in Jure expressum reperitur; tum quia debilitatio membri non est mutilatio, & membrum debilitatum, atque ad functiones ineptum redditum, in morali æstimatione manet membrum corporis, *can. 47. caus. 1. q. 1.* P. Pichler *n. cit.* & alii passim.

341. Colliges primo, quod hanc irregularitatem incurrant omnes, qui vel ipsimet mutilant, vel ad mutilationem cooperantur, physice, aut moraliter, cum peccato mortali injustitiæ; sicut de homicidio diximus in *§. præced.* Ratio est: quia irregularitas ex mutilatione quoad incursionem æquiparatur in Jure irregularitati ex homicidio; esto non æquiparetur quoad relaxationem, seu dispensationem; nam in irregularitate ex homicidio directe voluntario, quamvis occulto, Episcopus dispensare non potest, bene autem in irregularitate ex mutilatione injusta, si hæc sit occulta: prout tradidimus *n.* 327.

342. Colliges secundo, probabilius non evadere irregularem, qui alterutrum duntaxat ex testiculis abscindit; bene vero, qui abscindit utrunque. Salmanticenses *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 23. Babenstuber *loc. cit. n.* 11. & alii communius. Ratio est: quia singuli non exercent diversas functiones, sed ambo simul concurrunt ad eandem; adeoque singuli non sunt membra, sed pars membri: consequenter &c. Nec effugit irregularitatem, qui ambos sibi testiculos amputat, aut amputari procurat, Zelo Justitiæ; quia Zelus hic talis illicitus est, & injustus, *can. 4. & 5. dist.* 55. Filliucius *tr.* 20. *c.* 1. *n.* 33. Henricx de Irregularit. *n.* 145. Babenstuber *loc. cit. n.* 10. Uti nec ille, qui id facit ad conservandam suavitatem vocis; quoniam & talis mortaliter peccat; prout suo loco dicemus.

§. III.

De Irregularitate ex iteratione Baptismi.

S U M M A R I U M.

343. *Ex culpabili, absoluta, & seria iteratione Baptismi, saltem si ea sit publica, tam rebaptizans, eidemque ex officio ministrantes, quam rebaptizari se permittens, irregularitatem contrahunt.* 344. *Solvitur objectio.* 345. *Irregularitas etiam aliquando incurritur ob indignam susceptionem Baptismi.*

343. Dico. Ex culpabili, absoluta, & seria iteratione Baptismi, saltem si ea sit publica, tam rebaptizans, eidemque ex officio ministrantes, quam rebaptizari se permittens, irregularitatem contrahunt. Ita statuitur *can. 59. dist.* 50. & *c. 2. de Apostatis*.

Explicatur. Dicitur 1. *Ex culpabili &c.* Si enim iteratio Baptismi peragatur inculpabiliter, puta ex inculpabili ignorantia, sive Juris, qua ignoretur, iterationem Baptismi esse prohibitam, sive facti, qua ignoretur, Baptismum jam esse collatum, nulla contrahitur irregularitas: quia cum hujusmodi ignorantia excuset a delicto, etiam excusare censetur ab irregularitatis pœna delicto annexa. Quod si tamen aliquis non ignoret legem, qua vetatur iteratio Baptismi, sed solam pœnam irregularitatis, ab ista non est immunis: prout constat ex dictis *n.* 311.

Dicitur 2. *Absoluta &c.* Nam rebaptizans sub conditione (idem cogita de sic rebaptizato, vel sic rebaptizanti ministrante) non facit se irregularitatis reum: esto ceteroquin peccet gravi peccato sacrilegii, si temere procedat, nempe sine prævia, & debita inquisitione, sitne Baptismus antea collatus, vel non? Ita cum Navarro, Suarez, Palao, & aliis La Croix *lib.* 7. *n.* 483. Ratio est: quoniam verba Legis pœnalis accipienda sunt stricte, & cum certo effectu, saltem intentato: sed rebaptizans sub conditione non dicitur baptizare stricte, & cum certo effectu, etiam intentato tantum; imo non magis baptizat, quam non Baptizat; dum enim dicit: *Ego te baptizo, si non es baptizatus*, etiam dicit, saltem mentaliter: *Ego te non baptizo, si es baptizatus*; ergo &c.

Dicitur 3. *Et seria*. Nam siquis rebaptizaret, vel rebaptizaretur jocose tantum, vel irrisorie, absque animo conficiendi, vel suscipiendi Baptismum, nullam contraheret irregularitatem; quippe contra illos duntaxat statutam, qui serio, & ex animo Baptismum iterant: id quod confirmatur, & robur accipit ex immediate dictis. Sanct Gallenses *de Irregularit. q. 4. conclus.* 1. & alii passim.

Dicitur 4. *Iteratione Baptismi*. Siquidem ex iteratione aliorum Sacramentorum initerabilium, Confirmationis nimirum, ac Ordinis, non incurritur irregularitas. Scotus *in 4. dist. 7. q. ult.* communiter receptus, contra Navarrum, & quosdam alios. Ratio est: quia non incurritur irregularitas, nisi in casibus a Jure expressis; ut sæpe dictum, & inculcatum est: atqui a Jure nullibi exprimitur irregularitas contra iterantes alia Sacramenta initerabilia, a Baptismo distincta; ergo &c. Min. ostenditur. Nam Canones a Navarro allegati, ut primus *dist.* 68. qui Ordinem, & septimus *de Consecrat. dist.* 5. qui Confirmationem concernit, solum determinant, Ordinem, & Confirmationem non debere iterari, sicut nec Baptismum; nullam vero mentionem faciunt de incurrenda irregularitate, casu quo iterentur: prout legenti pervium erit: consequenter &c.

Dixi 5. *Saltem si ea sit publica*. Nam Pontifex videtur requirere, ut delictum iterationis sit publicum, seu notorium; quoniam *in cit. c. 2. de Apostatis* ait, Acolythum, quando in præsenti casu ministrando deliquit, & delictum ejus est occultum, posse ad ulteriores Ordines promoveri, nulla facta mentione dispensationis. Quod Laymann *loc. cit. c. 2. n. 1.* Sanct-Gallenses proxime relati, Krimer *lib. 5. Decret.* 2209. & alii plures, etiam extendunt ad rebaptizantem, & rebaptizatum: nec sine fundamento; partim quia oppositum nullo Jure probatur; partim quia ejusmodi extensio rebaptizanti, & rebaptizato favorabilis est. Contraria tamen sententia (teste Laymanno *cit.*) communior est (saltem relate ad rebaptizantem, & rebaptizatum) ac procul dubio tutior, doceturque a Scoto *in 4. dist. 6. q.* 8. Hostiensi, Avila, Babenstuber &c.

Dixi 6. *Tam rebaptizans, eidemque ex officio ministrantes, quam rebaptizari se permittens &c.* Hi quippe a Jure irregularitati subjiciuntur; ita tamen, ut ea irregularitas respectu rebaptizantis, & ministrantium sit partialis duntaxat, solum nempe prohibens ascensum ad Ordines superiores; respectu rebaptizati autem totalis: ut cum Suarezio tradit Laymann *loc. cit. n. 1. & 2.* Ex quo fluit, irregulares non fieri in simili casu parentes, compatres, aliosque rebaptizanti cooperantes: siquidem in tales nulla a Jure statuta legitur irregularitas; cum

cit.

cit. cap. 2. de Apostatis, solum loquatur de Acolytho; adeoque illos duntaxat tangat, qui rebaptizanti inserviunt tanquam ministri ex officio: qualiter se non habent parentes, compatres &c. ut patet.

344. Objicies. In neutro *citt.* pro conclusione Jurium, nec alibi, satis exprimitur irregularitas contrahenda a rebaptizante; ergo saltem hic nullam contrahit.

Respondetur, neg. ant. Satis quippe exprimitur *in c. 2. de Apostatis*, ubi irregularitas statuitur contra ministrum rebaptizantis; adeoque, & a potiori, etiam statuta censetur contra ipsum rebaptizantem: idquod sumitur a consuetudine, optima Legum interprete. Laymann *loc. cit. n.* 1. Unde distingui potest ant. distinctione superius *n.* 320. adhibita. Non satis exprimitur &c. spectatis præcise terminis, queis utitur Jus, transeat, spectata insuper interpretatione terminorum, quæ fit per consuetudinem, & tam hic, quam alibi vel maxime attendenda est, neg. ant. & cons.

345. Quæres, an aliquando irregularitas incurratur ob indignam susceptionem Baptismi?

Respondetur affirmative. Idque contingit in duplici casu. Unus est, dum quis adultus ab hæretico sic declarato, ac denunciato Baptismum suscipit extra casum necessitatis, *c. 9. caus.* 1. *q.* 7. ubi hæc irregularitas contra sic baptizatum statuta reperitur in odium Hæreticorum, & ad extirpandam cum ipsis communicationem. Alter est, dum quis susceptionem Baptismi differt usque ad ægritudinem, & periculum mortis: talis quippe, in pœnam negligentiæ, post susceptum in illo statu Baptismum irregularis evadit, adeo, ut ordinari non possit, *c.* 1. *dist.* 57. nisi id exigat vel caritas hominum ad Sacerdotium promovendorum; vel ipsius studium, ac fides probabilis reddatur post Baptismum, sicque præsumptio, de non vere, & voluntarie suscepta fide, purgetur, ac elidatur. Laymann *loc. cit. n.* 3. *&* 4. Krimer *n.* 2211. Babenstuber *n.* 33.

§. IV.

De Irregularitate ex abusu Ordinis, & violatione censuræ.

S U M M A R I U M.

346. *Irregularis evadit, qui furtive se ordinari curat.* 347. *Solvitur objectio.* 348. *Clericus, qui exercet aliquem actum proprium Ordinis majoris, secundum substantiam sibi prohibitum &c. irregularis efficitur.* 349. *& seqq. Deducuntur tria correllaria.*

346. Dico primo. Irregularis evadit, qui furtive ordinatur (id est, qui, ordinante Episcopo, se per dolum ordinandis immiscet) saltem quoad hunc effectum, ne ad Ordinem superiorem ascendere possit, *c.* 1. *de Eo, qui furtive &c.* Item Clericus, qui in Ordine non suscepto ministrat scienter, & solemniter: ut si Diaconus v. g. Missam celebrare, Sacramentaliter absolvere, extreme inungere, vel sine commissione Sacerdotis baptizare, attentet, aut præsumat, *c.* 1. *&* 2. *de Cler. non ordinato ministr.* Dicitur autem 1. *Clericus:* quia Jus loquitur de solo Clerico; neque, cum ejus dispositio sit odiosa, extendi ad Laicum debet. Unde si Laicus Missam celebraret, esto gravissime peccaret, non tamen pœnam irregularitatis incurreret. Causa vero, cur in Jure Clerico, alieni Ordinis ministerium usurpanti, irregularitas decreta sit, non item Laico, videtur esse; quia talis usurpatio frequentior esse solet in Clericis, quam in Laicis. Laymann *loc. cit. cap.* 3. *n.* 3. Sanct-Gallenses *q.* 5. *n.* 2. & alii passim. Dicitur 2. *Scienter*, id est, cum sufficienti advertentia, & notitia, quod tali Ordine careat, & carenti ejus exercitium sit interdictum: alioquin sicut a culpa saltem mortali, ita quoque ab irregularitatis pœna immunis erit. Dicitur 3. *Solemniter*, id est, tanquam ex Officio, & cum ceremoniis, ac ornamentis propriis illius Ordinis, cujus actum exercet. Quare irregularis non evadit Clericus, qui, inferior Subdiacono, in Officio solemni cantat Epistolam sine manipulo, vel, inferior Diacono Evangelium sine stola; eo quod non usurpet propria ornamenta Ordinis, quem exercet, quale respectu Subdiaconi est manipulus, & respectu Diaconi stola. Sanct-Gallenses *loc. & n. citt.* aliique communiter. Alia porro limitatio insinuabitur infra in Minorista.

347. Objicies. In *c.* 1. *de Cleric. non ordinato ministr.* dicitur: *Siquis baptizaverit, vel aliud Divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Ubi, ut vides, solum fit mentio de collatione Baptismi, & exercitio Divinorum Officiorum: atqui absolutio Sacramentalis, administratio Extremæ Unctionis &c. non comprehenduntur sub collatione Baptismi, vel exercitio Divinorum Officiorum; ergo &c.

Respondetur, neg. min. quoad secundum membrum: comprehenduntur enim in præsenti materia sub exercitio Divinorum Officiorum juxta communem DD. sensum; & consequenter irregularitas, de qua hic loquimur, satis exprimitur in *cit. c.*

348. Dico secundo. Clericus, qui exercet aliquem actum proprium Ordinis majoris, secundum substantiam sibi prohibitum, ita, ut dicatur violare censuram majoris excommunicationis, vel suspensionis ab Ordine, vel interdicti personalis, aut localis, irregularis efficitur. Sumitur partim *ex Tit. de Cler. excom. ministr.* partim *ex cap.* 1. *de Sent. & re judic. in* 6. partim *ex c.* 20. *de Sent. excom. in* 6.

Explicantur termini conclusionis. Dicitur 1. *Qui exercet actum &c.* Non enim irregularis evadit, qui censuram violat susceptione Sacramentorum, etiam Ordinis. Ratio est: quia, etsi talis violet censuram, non tamen eam violat per actum Ordinis: quod tamen ad incursionem irregularitatis requiritur. P. Krimer *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *n.* 2218.

Dicitur 2. *Ordinis.* Nam Clericus excommunicatus, vel suspensus, non evadit irregularis si (quamvis illicite) exerceat actum solius jurisdictionis. Sanct-Gallenses *loc. cit. n.* 3. *in illat.* 2. Porro licet Jura, & specialiter *c.* 20. *de Sent. excom. in* 6. sine distinctione inter Ordines istthanc irregularitatem statuat; ut patet ex verbis: *Si* (Clericus) *Divinis se ingerat, in suo agens Officio;* distinctionem tamen videtur introduxisse Ordines majores inter, & minores ipsa consuetudo, vi cujus munia Ordinum minorum passim obeuntur a Laicis etiam solemniter: quod Minoristas videtur excusare a peccato mortali, & consequenter ab incursione irregularitatis, licet solemniter in censura exerceant actus suorum Ordinum. Ita tradidimus *n.* 251. & tenent Sayrus *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 4. Laymann *loc. cit. n.* 4. Babenstuber *n.* 40. Quod si tamen cum P. Reiffenstuel oppositum tenere malis, & Minoristis censuratis in casu posito imponere irregularitatem, dicere hoc ipso debes, eos in censura exercendo solemniter actum quempiam suorum Ordinum graviter delinquere; quoniam irregularitas ex delicto non incurritur nisi ob delictum grave, secundum dicta *n.* 310.

Dicitur 3. *Secundum substantiam sibi prohibitum.* Unde Episcopus, suspensus a Pontificalibus, non fit irregularis, quando celebrat Missam cum apparatu Episcopali: quia vi talis suspensionis actus celebrandi non est ei prohibitus secundum substantiam, sed tantum secundum solemnitatem accidentalem. Laymann *loc. & n. citt.* Babenstuber *n.* 43. aliique apud ipsos.

Dicitur 4. *Ut dicatur violare censuram majoris excommunicationis, vel suspensionis ab Ordine &c.* Si enim violet censuram excommunicationis minoris tantum, vel alterius suspensionis, quam ab Ordine sacro, nullam contrahit irregularitatem: prout relinquitur ex dictis *n.* 208. & *n.* 251.

349. Colliges nunc primo, irregularem evadere Sacerdotem, qui censura ligatus Sacramentaliter absolvere præsumit. Bonac. Salmanticens. Babenstuber *n.* 42. Ratio est: quia exercet actum proprium Ordinis Sacerdotalis.

350. Colliges secundo, Parochum non fieri irregularem, si in censura assistat matrimonio; bene autem, si benedicat nuptias. Henriquez, Avila, Laymann *loc. & n. citt.* aliique passim. Ratio est: quia assistere matrimonio non est actus Ordinis; qualis tamen est benedicere nuptias.

351. Colliges tertio, immunem esse ab Irregularitate Sacerdotem, vel Diaconum, qui, censuræ vinculo irretitus, in Choro, vel Ecclesia cantat lectiones, responsoria, vel etiam Orationem, seu Collectam, modo id non faciat tanquam Hebdomadarius *cum Dominus vobiscum.* Abbas *in cap. ult. de Excess. Prælat. n.* 5. Sanct-Gallenses *loc. & n. citt. in illat.* 3. aliique communiter. Ratio est: quia sic cantare non est actus Ordinis; cum eodem modo cantare soleant & alii Ordinibus carentes:

tes: veluti constat de Monialibus. Secus dicendum foret, si apponeretur *Dominus vobiscum*: quoniam ita cantare est actus proprius Sacerdotis, vel Diaconi.

§. V.

De Irregularitate ex culpa, cui annexa est infamia.

SUMMARIUM.

352. & seq. Quid, & quotuplex sit infamia? 354. Culpa tam propria, quam aliena, cui annexa est infamia, irregularitatem inducit. 355. Crimen, antequam evadat publicum, non causat infamiam, & irregularitatem formaliter. 356. & seqq. Deducuntur nonnulla alia corollaria. 359. Quis in hac irregularitate dispensare valeat? 360. An possit etiam Princeps, vel Magistratus secularis irregularitatem ex infamia contractam auferre?

352. PRænotandum primo, infamiam (quæ significat privationem, vel diminutionem bonæ famæ) aliam esse *Juris*, aliam *Facti*. Infamia Juris est, quæ authoritate Legis, vel Canonis propter delictum irrogatur (prout hic de infamia sermo est) ita, ut incurratur vel ipso Jure, & absque sententia condemnatoria Judicis, vel per istam primum infligatur. Necesse autem non est, ut in sententia fiat mentio infamiæ, modo in ea exprimatur crimen: prout cum communi notat P. Pichler *lib. 5. Decret. tit.* 37. *n.* 12. Infamia facti est, quæ vel ex publica commissi criminis evidentia, vel etiam communiter vulgata opinione apud viros graves, & prudentes contrahitur, licet nulla Lex, nullus Judex, hominem tale quid patrantem, declaret infamem, *L.* 1. & 4. *ff. de His, qui not. infam.* Dixi: *apud viros graves &c.* Non enim sufficit ad infamiam facti, quando opinio illa solummodo ortum traxit a fæce populi, vel hominibus levibus, *cap.* 27. *de Testib.* & *c.* 24. *de Accusat.*

353. Prænotandum secundo, infamiam Juris subdividui in eam, quæ *ex proprio*, & in eam, quæ *ex alieno delicto* contrahitur. Infamia ex proprio delicto est, quando quis ob culpam a seipso commissam notatur infamia, vel ipso Jure, vel post sententiam condemnatoriam Judicis incurrenda. Ipso Jure infames evadunt, qui prostituendo corpus pro quæstu lenocinium exercent: qui quæstus causa histriones agunt, vel turpes ludos exhibent: qui Matrimonium cum duabus simul habent: qui sunt usurarii publici: qui perjurium promissorium in contractibus faciunt: qui rapiunt feminam Matrimonii ineundi gratia: qui suscipiunt duellum: qui exercent sodomiam ex consuetudine &c. His, aliisque id genus delictis ipso Jure vel Canonico, vel Civili annexa est infamia. Patet ex *can.* 17. *caus.* 6. *q.* 1. & aliis Juribus numerose allegatis a P. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 37. *n.* 55. Per sententiam condemnatoriam Judicis infames efficiuntur, qui prævia accusatione condemnantur de delicto publico; uti est crimen læsæ Majestatis, proditionis, falsi, adulterii &c. *L.* 7. *ff. de Publ. Jud.* vel etiam de delicto privato furti, rapinæ, injuriæ, expilatæ hæreditatis. *L.* 7. *cit.* & *L.* 5. 8. *ac* 12. *C. ex quib. caus. infam.* item de dolo in contractu Societatis, Mandato, Deposito, & Tutela commisso, ac de calumnia, vel prævaricatione in publico Judicio perpetrata. *L.* 1. & 6. *ff. de His, qui not. infam. ac L.* 22. *C. Ex quib. caus. infam.* P. Pichler *loc.* & *n. cit.* aliique passim. Infamia ex alieno delicto est, quando quis ob culpam alterius, cui conjunctus est, notatur infamia. Hoc genere infamiæ laborant 1. Filii, & Nepotes eorum, qui in aliquem S. R. E. Cardinalium violentas manus injecerunt, *c.* 5. *de Pœnis in* 6. 2. Filii eorum, qui de crimine læsæ Majestatis condemnati sunt, *L.* 5. §. 1. *C. ad L. Jul. Majest.* 3. Filii, & nepotes Hæreticorum, si via virili descendant; si via feminea, filii, & non nepotes, *c.* 2. & 15. *de Hæreticis in* 6. Sed hoc ultimum videtur solum procedere, attento rigore Juris, & in illis Regionibus, in quibus consuetudo in contrarium non invaluit. Nam in nostra Germania, ubi hæresis impune grassatur, non tantum filii, & nepotes, sed ipsi quoque parentes hæretici, ab hæresi absoluti, & orthodoxæ Ecclesiæ membris coadunati, sicut ad civilia munia, sic etiam ad Ecclesiastica Officia, & Beneficia, ac Ordines absque dispensatione admittuntur, Less. *de J.* & *J. lib.* 2. *c.* 34. *n.* 121. & Sanct-Gallenses *loc. cit. quæst.* 6. *in fin.* His præmissis,

354. Dico, Culpa, tam propria, quam aliena, cui annexa est infamia, sive Juris, sive facti, irregularitatem inducit. DD. communissime.

Probatur. Tum ex Jure; nam ita expressum reperitur in *c.* 17. *caus.* 6. *q.* 1. & *c. ult. dist.* 51. Tum ex ratione: siquidem ob sanctitatem, & puritatem ministerii Ecclesiastici merito judicatur esse indecens ad sacras illius functiones admittere homines, delicti alicujus adeo gravis, sive proprii, sive alieni, infamia contaminatos. Confirmatur. Infames excluduntur a dignitatibus, tum Ecclesiasticis, tum profanis, obtinendis, *c.* 87. *de R. J. in* 6. & *L.* 2. *C. de Dignit.* ergo æque, imo magis decet, ut excludantur ab Ordinibus suscipiendis, & exercendis, atque a Beneficiis Ecclesiasticis: quia Ministros Dei specialiter convenit integritate nominis splendescere; eaque de causa Apostolus 1. *ad Timoth.* 3. scriptum reliquit: *Oportet autem illum* (Episcopum) *& testimonium habere bonum ad iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.*

355. Colliges primo, patrando crimen occultum, quod ipso Jure ut infame damnatum est, infamiam, & irregularitatem in infamia fundatam, contrahi radicaliter, seu fundamentaliter solum; accedente vero publicatione (extra, vel intra judicium) actualiter, seu formaliter. Ita Panormitanus *ad c.* 4. *de Temporib. Ordinat. n.* 4. VViestner *de Pœnis*, *n.* 55. & alii contra P. Franciscum Schmier *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 507. Ratio est: quia infamia consistit in privatione, vel diminutione bonæ famæ; prout tenent omnes, & nos insinuavimus supra *n.* 352. ergo pœna infamiæ cum suis effectibus complete, & actualiter incurri nequit ante criminis publicationem.

Dices cum *cit.* P. Schmier. Si delicti manifestatio esset in casu necessaria, vix daretur differentia inter infamia Juris, & facti; cum utraque sinistram notam, & opinionem apud homines ad actualem sui incursionem exposceret.

Respondetur, neg. assumptum. Licet enim in puncto specificatam conveniant; differunt tamen tum ex parte causæ efficientis; ut liquet ex earum descriptionibus: tum ex parte causæ illas auferentis; quemadmodum patebit infra *n.* 358.

356. Colliges secundo, incarceratos, & accusatos de aliquo crimine, quod ipso Jure annexam habet infamiam, si ex tali accusatione oriatur aliqua evidentia facti, non esse ordinandos, donec se canonice purgaverint. Ratio est: quia ante ejusmodi purgationem reputantur infames. Quod si tamen vulgo constaret de calumnia, & quod revera nulla adsit infamia, nihil vetaret promotionem ad Ordines. Forsan tamen abstinendum foret ratione scandali, usque dum per purgationem omnis infamiæ macula abstersa sit. Gibalinus *de Irregular. c.* 5. *consect.* 8. *n.* 21. & alii.

357. Colliges tertio, confessionem propriam extrajudicialem, coram uno, vel altero factam, v. g. se jactando de delicto aliquo perpetrato, non constituere delictum publicum, & notorium; adeoque nec inducere infamiam. Ita communis, & certa sententia. Ratio est: quia hæc talis confessio nec parit evidentiam facti; nec, & multo minus, notorietatem Juris: prout rem vel obiter consideranti pervium erit.

358. Colliges quarto, irregularitatem, ortam ex infamia Juris, esse de se perpetuam, & non tolli nisi dispensatione: ortam vero ex infamia facti, esse temporalem, & tolli etiam sine dispensatione, seu modis a dispensatione diversis. Hinc Judæus, & Gentilis ante Baptismum Jure nostro Civili infamis, etiam post Baptismum manet infamis, & consequenter irregularis, donec impetret dispensationem. Salmanticenses *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 86. Babenstuber *loc. cit. n.* 49. & alii. E diverso alius ante Baptismum infamis infamia facti tantum, cessat esse infamis, adeoque & irregularis, per, ac post susceptum Baptismum. Ratio hujus est: quia sicut per hoc Sacramentum tolluntur omnia peccata ante commissa, ita etiam tollitur, quidquid ortum habet ex hujusmodi peccatis, in quantum peccata sunt: consequenter &c. Filliucius *tr.* 19. *c.* 8. *n.* 227. Bonacina *disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 6. & alii communiter. Tollitur porro infamia facti (& consequenter irregularitas ei annexa) per emendationem vitæ, saltem triennio continuatam: veluti colligitur ex *c.* 4. *dist.* 56. & *c.* 4. *caus.* 35. *quæst.* 6. Ratio quoque est: quia infamia facti, cum resultet ex

facto

facto inhonesto, de quo viri graves perperam sentiunt, utique rursus purgatur facto contrario, seu emendatione vitæ, de qua viri graves bene sentiunt, ut idcirco sesquiorem opinionem, antea conceptam, libenter deponant. P. Schmier *loc. cit. a n.* 549. & alii ab ipso relati.

Dices. Irregularitas, ex defectu natalium orta, licet sit a Jure statuta, & de se perpetua, tollitur (saltem relate ad Ordines) sine dispensatione (videlicet per Professionem Religiosam, secundum dicta *n.* 329.) ergo etiam irregularitas ex infamia, licet sit a Jure statuta, & de se perpetua, aliter, ac per dispensationem, tolli potest.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Tollitur sine dispensatione speciali, con. sine dispensatione generali, in favorem eminentissimi Status Religiosi pro eo casu impertita, neg. ant. & cons. Quemadmodum censuræ propriæ non tolluntur nisi per absolutionem vel specialem, vel generalem, secundum dicta *n.* 117. ita irregularitas perpetua non aboletur nisi per dispensationem vel specialem, vel generalem.

359. Ceterum in irregularitate ex infamia dispensare potest Pontifex, etiam infamia non sublata. Ratio est: quia irregularitas est infamiæ annexa Jure Pontificio. Potest quoque Pontifex tollere infamiam Jure Canonico introductam, Ratio est: quia per quas causas res nascitur, per easdem dissolvi potest. Porro Episcopus, quamvis non valeat dispensare, ut infamis ascendat ad Ordines superiores; valet tamen dispensare, ut Ordines jam susceptos exerceat, quando delictum, ex quo infamia resultavit, minus est adulterio, & infamis pœnitentiam egit. Salmanticenses *loc. cit. n.* 87. Babenstuber *n.* 50. & alii plures, se fundantes *in c. 4. de Judiciis*. Denique irregularitas, quæ contracta est ex delicto alieno, nempe parentum, juxta Authores immediate relatos, tollitur per professionem Religiosam (mediante scilicet dispensatione generali, ut supra) Ratio videtur esse: quia irregularitas hæc talis magnam habet affinitatem, & similitudinem cum irregularitate ex defectu natalium; imo in certo sensu dici potest irregularitas ex defectu natalium; ergo cum irregularitas ex defectu natalium tollatur per professionem Religiosam, & ipsa tolli censenda est; præsertim cum id cedat in majorem commendationem status Religiosi, sitque irregulari favorabile.

360. Sed potestne etiam Princeps, vel Magistratus secularis irregularitatem ex infamia contractam auferre?

Respondetur primo. Non potest, si infamia, cui annexa est irregularitas, statuta sit solo Jure Canonico. Communis. Ratio est: quia potestas secularis est infra Jus Canonicum: consequenter &c.

Respondetur secundo. Si infamia illa sit statuta utroque Jure, Civili, & Canonico, distinctione opus est. Vel enim a Jure Canonico statuta est specialiter, & æque principaliter, per aliquam constitutionem; vel generaliter solum, per approbationem Juris Civilis. Si primum; Princeps secularis itidem auferre irregularitatem nequit, quemadmodum nec ipsam infamiam, quippe ex foro seculari ad Ecclesiasticum translatam. Opus proinde hic quoque erit dispensatione Superioris Ecclesiastici. Si secundum; Princeps, vel Magistratus secularis irregularitatem indirecte abolere potest: quia potest directe abolere infamiam, utpote magis principaliter ad forum Civile pertinentem, & ad forum Ecclesiasticum non nisi minus principaliter, ut proinde eadem infamia, in priore foro abolita, censeatur etiam abolita in posteriore: abolita autem infamia, seu fundamento, corruat quoque, necesse est, irregularitas, seu fundamentum; id quod est auferri irregularitatem consequenter, & indirecte. Quapropter ob infamiam sic statutam irregularis, si per Rescriptum Imperatoris, vel alterius supremi Principis, aut Magistratus, in pristinum gradum existimationis suæ restituatur, absque dispensatione Ecclesiastica promoveri ad Ordines potest. VViestner *ad Tit. de Pœnis, n.* 63. Schmier *loc. cit. a n.* 546. & alii apud ipsos.

ARTICULUS II.

De Irregularitatibus ex defectu.

Defectus, ob quos contrahitur irregularitas, sunt præcipue sequentes. 1. Defectus corporis. 2. Defectus animæ. 3. Defectus Sacramenti. 4. Defectus ætatis. 5. Defectus libertatis. 6. Defectus natalium. 7. Defectus lenitatis. Dixi: *præcipue*: dantur quippe adhuc alii quidam defectus, irregularitatis inductivi; sed ad jam enumeratos reduci possunt, & solent: quorum plerosque breviter insinuavimus *num.* 323. & de uno, ibi non commemorato, expresse disseremus infra *cas.* 399.

§. I.

De Irregularitate ex defectu corporis, & animæ.

SUMMARIUM.

361. *Defectus corporis, qui impedit congruum exercitium Ordinis &c. inducit irregularitatem.* 362. *& seqq. determinatur, quinam sic sint, vel non sint irregulares.* 365. *Isthæc irregularitas impedit susceptionem Ordinum absolute; non vero eorum exercitium.* 366. *Etiam defectus ex parte animæ irregularitatem inducit.* 367. *& seq. Quando hæc irregularitas sit temporalis, & cesset sine dispensatione; & quomodo in ea, ubi dispensatio est necessaria, Papa dispensare valeat?*

361. Dico. Omnis defectus, seu vitium corporis, quod vel impedit congruum exercitium Ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, inducit irregularitatem. Hanc conclusionem, tanquam generalem in præsenti materia Regulam, statuit P. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 20. *num.* 9. cum Panormitano, Navarro, Pirhing, & aliis. Sumitur *ex can. 1. & 2. dist. 49. & dist. 55. fere tota*: imo *ex toto fere tit. de Corpore vitiatis ordinandis, vel non.*

362. Colliges primo sic irregulares esse *mutilatos*, *debilitatos*, & *deformatos*. Quinam veniant nomine mutilatorum, constat ex dictis *num.* 338. *& seq.* Nomine debilitatorum veniunt, qui quidem habent omnia membra, sed unum, vel plura, quæ ad sacrum ministerium requiruntur, prorsus inutilia. Nomine deformatorum intelliguntur, qui habent notabilem maculam in vultu, aut deformitatem in aliquo membro, non facile occultabilem, unde aspicientibus vel generatur horror, vel movetur risus. Nec refert, an similes defectus orium traxerint a natura, vel ab extrinseco (ut advertit P. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 20. *num.* 5.) vel ab ipsomet defectuoso, seipsum mutilante (debilitante, vel deformante) dummodo per mutilationem non commiserit grave peccatum injustitiæ; hoc quippe si contigisset, non contraxisset istam irregularitatem, de qua in præsenti, sed aliam (nempe ex injusta mutilatione sui, vel alterius) expositam *art. præced.* §. 2. Atque ex his ulterius

363. Colliges secundo, ex defectu corporis irregulares esse, mutos, cæcos (hoc est, utroque oculo destitutos) surdos (nempe auditu in utraque aure privatos) claudos, qui non nisi baculo fulti accedere ad altare valent; manu aliqua orbatos; habentes linguam valde ligatam, aut penitus præcipitem; manum aridam, vel indice, aut pollice carentem; laborantes morbo gravi, continuo, moraliter incurabili; uti sunt paralytici, leprosi, epileptici, seu morbo caduco correpti, lue Gallica, seu venerea infecti (si hoc foris appareat) amentes, furiosi, lunatici, phrenetici, arreptitii, seu a dæmone obsessi &c. Item truncatos naribus, vel auriculis; monoculos cum notabili turpitudine; fœdam in vultu cicatricem circumferentes, aut oculos valde distortos; pigmæos; admodum deformiter claudicantes &c. Laymann *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *cap.* 7. Babenstuber *tr.* 4. *disput.* 3. *art.* 3. §. 1. Pichler *lib.* 1. *Decretal. titul.* 20. *num.* 1. & alii passim. Ratio est: quia omnes hi tales vel omnino non possunt, vel non possunt congrue, & sine notabili dedecore, aut horrore adstantium, Ordines exercere.

364. Colliges tertio, irregulares e diverso hac irregularitate non esse, surdastros, seu graviter audientes; luscos, seu oblique intuentes citra magnam deformitatem; potentia videndi in uno duntaxat oculo carentes (dummodo talis oculus non sit omnino erutus, vel destructus, aut notabiliter deformatus) Nec refert, si forte defectus ille inexistat oculo sinistro, seu Canonico (sic dicto, quod ad legendum Canonem Missæ præcipue adhiberi soleat, & respective debeat) modo

defectum patiens sine inconvenientia legere possit Canonem oculo dextro: item habentes linguam blæsam; aut (citra notabilem deformitatem) in una manu sex digitos; vel carentes uno digito, ad sacras functiones non necessario; ambobus testiculis orbatos, seu eunuchos: modo non castraverint seipsos, aut castrari curaverint, vel permiserint cum gravi peccato injustitiæ; hoc namque si fecissent, incurrissent irregularitatem, non quidem ex defectu (de qua hic sermo est) sed ex delicto, seu injusta mutilatione, secundum dicta *n.* 342. Authores immediate relati, & alii communiter. Ratio est opposita: siquidem hi tales, aliique consimiles congrue, & sine notabili dedecore, aut horrore adstantium, Ordines exercere possunt.

365. Colliges quarto, quod irregularitas, ex defectu corporis contracta, impediat (1.) susceptionem Ordinum absolute; non vero (2.) eorum exercitium. Quare illa irretitus nullum omnino Ordinem, ne quidem primam Tonsuram, licite suscipere potest, etiamsi v. g. ad solum Presbyteratum careat membro necessario, vel parte membri (pollice e. g. vel indice) & sit integer, ac valeat membris ceteris, ad officia aliorum Ordinum decenter obeunda requisitis. Sumitur hæc pars *ex can. 1. dist. 36. can. 59. dist. 50. can. 4. dist. 55. & c. 3. de Corpore vitiat. ordinand. vel non*, ubi generaliter prohibetur, ne præfato modo irregularis ad Clericatum promoveatur: atqui sub Clericatu comprehenduntur omnes Ordines, etiam prima Tonsura; ergo &c. E diverso innodatus eadem irregularitate, illos duntaxat Ordines exercere prohibetur, ad quorum functiones debite peragendas ineptus est, *cap. 2. de Cleric. ægrot.* Ratio insuper est: quia talis, cum Ordines jam susceperit, ac possideat, habet jus quæsitum ad eos exercendos; adeoque est melioris conditionis, ac ille, qui nondum est ordinatus. P. Pichler *loc. cit. n.* 3.

366. Dico secundo. Etiam defectus ex parte animæ, nimirum (1.) defectus scientiæ, & (2.) defectus usus rationis, inducunt irregularitatem. DD. communiter. Prima pars sumitur ex *can. 1. dist.* 36. altera vero ex *can. 2. dist.* 33. Ratio insuper utriusque partis est: quia lumen naturale dictat, neminem esse admittendum ad munus aliquod, qui necessaria ad illius exercitium vel ignorat, vel applicare non valet.

367. Colliges primo, irregularitatem ex defectu scientiæ non esse de se perpetuam, sed temporalem (quando defectus ille non radicatur in natura perpetuo incapaci) & cessare seipsa, ac sine dispensatione, post acquisitam sufficientem scientiam, in cujus defectu unice fundatur: prout insinuatum est *n.* 323. Durante autem illo defectu Papa dispensare potest, ut eo laborans Ordines recipiat, dummodo supersedeat eorundem exercitio, donec sibi comparaverit debitam scientiam. Salmanticenses *loc. cit. n.* 78. Babenstuber *num.* 9. & alii passim. Quanta porro scientia in ordinando sit necessaria, dicemus *part. 6. tr. 1. disp.* 2.

368. Colliges secundo, etiam irregularitatem ex defectu usus rationis (nisi & talis defectus radicetur in natura perpetuo incapaci) esse temporalem, & cessare seipsa, & citra dispensationem, ubi primum sufficiens rationis usus supervenerit: quemadmodum *n. præced.* dictum est de irregularitate ex defectu scientiæ. Unde isto quoque defectu durante Papa dispensare potest, ut eo laborans (v. g. infans, vel puer) Ordinibus initietur, modo dein non permittatur eos exercere, antequam sufficientem rationis usum adeptus sit.

Dixi tamen in utroque corollario: *nisi defectus radicetur in natura perpetuo incapaci*. Nam defectus in tali fundamento radicatus, inducit irregularitatem perpetuam, non aliter, ac dispensatione Pontificis auferibilem. Imo quamvis Pontifex irregularitatem (in quantum proprie irregularitas est, & impedimentum Jure Canonico introductum) valeat auferre, vel auferat, non tamen idcirco efficit, nec efficere potest, ut defectu scientiæ, vel usus rationis, in natura perpetuo incapaci radicato, affectus (v. g. stultus natus, perpetuo amens &c.) licite ad Ordines promoveri queat. Ita Filliucius *tr. 19. n.* 186. & cum eo Babenstuber *cit.* Ratio est: quia sic defectuosus duplici impedimento Ordines suscipiendi gravatur; uno per Jus Canonicum inducto, nimirum irregularitate, & altero ex natura rei profecto, inhabilitate scilicet naturali: quorum prius tantum, non item posterius, tollere Papa potest.

§. II.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti, sive ex bigamia.

SUMMARIUM.

369. *Bigamia est triplex.* 370. *Irregularitas ex bigamia, & ex defectu Sacramenti sumitur promiscue,* 371. *Laborantes defectu Sacramenti, sive bigamia aliqua, existunt irregulares.* 372. *& seq. Declaratur, quinam sint irregulares ex bigamia vera, quinam ex interpretativa, & quinam ex similitudinaria; & quinam non.* 376. *Papa in omni tali irregularitate valet dispensare: item quid possint Episcopus, & Prelati Regulares?*

369. PRænotandum primo, *bigamiam* (nonnulli *digamiam* vocant) esse triplicem, nempe *veram*, *interpretativam*, & *similitudinariam*. Vera (seu proprie dicta) est, quando quis duo (vel plura) matrimonia valide contrahit, & per copulam carnalem consummat. Interpretativa dicitur, quando quis revera quidem unicum matrimonium contrahit, sed fictione Juris, & Interpretatione duplex, illudque consummat: ut siquis contrahat valide, aut invalide, cum vidua a marito suo prius cognita; vel cum femina ab alio prius corrupta, eamque affectu maritali cognoscat; vel accedat ad propriam uxorem, postquam hæc commisit adulterium seu sponte, seu vi oppressa. Similitudinaria nuncupatur, quando quis, antea nunquam conjugatus, post Professionem Religiosam contrahit, vel potius contrahere attentat matrimonium cum una, eaque virgine, ac maritali affectu consummat, *can. 24. caus. 27. q. 1. c. 24. de Cler. conjug. & c. 2. Qui Clerici, vel voventes.* Appellatur hæc bigamia *similitudinaria* ob similitudinem inter matrimonium spirituale (ex solemni voto Castitatis cum Deo, & Ecclesia contractum) ac carnale.

370. Prænotandum secundo, irregularitatem ex bigamia, & defectu Sacramenti (videlicet Matrimonii) pro eadem, ac promiscue sumi. Quia enim matrimonium ex sui institutione significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ, tanquam unici Sponsi cum unica Sponsa, eaque immaculata, *c. 5. de Bigamis non ordin.* & bigamus inidoneus est ad ejusmodi conjunctionem repræsentandam, dicitur irregularis ex defectu Sacramenti, seu potius significationis Sacramenti: prout jamjam patebit. Itaque his præmissis,

371. Dico. Laborantes defectu Sacramenti, sive bigamia aliqua ex prædictis, irregulares sunt; atque idcirco licite, & sine certis pœnis, non ordinantur. De bigamia vera constat *ex can. 2. dist. 33. & c. 2. ac 3. de Bigamis.* De interpretativa *ex can. 9. 10. 13. 15. dist. 34. & c. 3. ac 4. cit. tit. de Bigamis.* De similitudinaria *ex can. 24. caus. 27. q. 1. c. 4. de Cleric. conjug. & c. 2. Qui Clerici, vel voventes.* Dicitur autem: *non licite ordinantur:* quod de omni Ordine venit intelligendum. Dicitur præterea: *sine certis pœnis*. Nam Episcopus, bigamum scienter ordinans, incurrit suspensionem a celebratione Missæ per annum, & a collatione Ordinum, quos tali contulit; sed probabilius per sententiam primum, *can. 2. dist. 55. & c. 2. de Bigamis.* Ordinatus vero ipse, in Majoribus jam existens, ab exercitio Ordinum susceptorum suspendendus, & ab ulteriorum susceptione impediendus est, *c. 2. cit. & seqq.* Porro Minoribus tantum Initiatus amittit ipso Jure omne privilegium Clericale (vel, ut rectius loquar, nullum consequitur) prohibeturque Clericorum habitum gestare, & tonsuram, *c. un. de Bigamis in 6*, Ita P. Pichler *lib. 1. tit. 21. n. 4.* & alii communiter.

372. Colliges primo, vera bigamia etiam laborare, qui adhuc in infidelitate existentes, & necdum baptizati, duxere duas uxores; vel unam ante, & alteram post susceptum Baptisma. Tales proin ex vera bigamia irregulares sunt, non quidem ante, sed post susceptionem Baptismatis. P. Schmier *lib. 1. tr. 4. c. 6. a n.* 127. P. Pichler *loc. cit. num.* 3. aliique passim. Et sumitur doctrina corollarii ex *can. 2. ac 3. dist.* 26. Ratio insuper est: quia irregularitas bigamiæ introducta est ob defectum Sacramenti Matrimonii, seu significationis

ejus-

ejusdem, qui defectus contrahitur per duplex Matrimonium, sive dein hoc sit initum ante, sive post susceptionem Baptismatis; nam Matrimonium, etiam in ratione puri contractus, significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, unius cum una, *per text. ad Ephes.* 5. quamvis non tam perfecte, sicut in ratione Sacramenti.

373. Colliges secundo, interpretativa bigamia laborare, & ex ea irregulares esse. 1. Qui conjugali, vivente uxore, ducunt adhuc aliam; & sic polygami efficiuntur. 2. Qui, prima uxore mortua, ducunt aliam, sed invalide ob impedimentum dirimens; & (quod etiam in priore casu requiritur, ac supponitur) affectu maritali eam cognoscunt. 3. Qui cum duabus contrahunt invalide, & cum utraque affectu maritali congrediuntur. 4. Qui ante Clericatum uxorati, & postmodum in Clericatu constituti, ducunt (vel potius ducere attentant) aliam quamcunque, & cum ea copulam conjugalem, seu affectu conjugali exercent. P. Schmier *loc. cit. a n.* 153. P. Pichler *n.* 1. & alii. Possunt præterea revideri, quæ diximus *n.* 369. & Jura conclusioni subjuncta.

374. Colliges tertio, bigamia similitudinaria laborare, & inde irregulares esse non solum Religiosos (de quibus *n.* 369.) sed etiam Clericos seculares in Majoribus constitutos, qui ante susceptionem SS. Ordinum non conjugati, post eorum susceptionem contrahere attentant matrimonium cum una, eaque virgine, ac illud affectu maritali consummant. P. Schmier *loc. cit. n.* 172. P. Pichler *loc. & n. citt.* aliique communius, ac probabilius, contra P. Babenstuber, & nonnullos alios, volentes, quod tales Clerici evadant quidem irregulares, non tamen ex bigamia similitudinaria. Sed doctrina nostri corollarii promitur ex Juribus pro conclusione allegatis, juncta paritate de Religiosis, utpote qui in simili casu fiunt irregulares ex bigamia similitudinaria, quatenus antea per votum solemne Castitatis contraxere Matrimonium spirituale cum Deo, & Ecclesia, habens similitudinem cum Matrimonio carnali, quod postea inire attentant: atqui etiam Clerici, in Majoribus constituti, antea per votum solemne Castitatis Ordinibus annexum (juxta ipsosmet Adversarios, vel juxta alios, per præceptum Ecclesiæ: quod in ordine ad decisionem hujus controversiæ videtur esse perinde) contraxere illiusmodi Matrimonium spirituale cum Deo, & Ecclesia; ergo &c. Confirmatur. Tales Clerici non possunt repræsentare conjunctionem Christi cum Ecclesia, tanquam unius Sponsi cum una Sponsa; ergo sunt bigami, & ex aliqua bigamia irregulares. Atqui non sunt irregulares ex bigamia vera, vel interpretativa, quemadmodum fatentur Adversarii; ergo ex similitudinaria. Nec obstat, si dicas, in Jure de solis Religiosis mentionem fieri. Ajo enim, dispositionem Juris etiam extendi ad Clericos ex consuetudine, optima Legum interprete: consequenter &c. Revide, quod diximus *n.* 320. & 344.

375. Colliges quarto, nullo modo bigamos, adeoque nec ex aliqua bigamia irregulares fieri, aut esse, qui cum duabus (vel pluribus) contrahunt sponsalia de futuro tantum, licet cum iisdem carnaliter congrediantur. 2. Qui cum duabus ineunt Matrimonium, sed cum una tantum consummant. 3. Qui ducunt viduam, nec a suo marito, nec ab alio, carnaliter cognitam. 4. Qui ducunt feminam, a se, sed non ab aliis, prius cognitam; siquidem tali casu non est facta, vel fit divisio carnis in plures. 5. Qui (sive soluti, sive ligati) cum meretrice una (vel pluribus) sunt fornicati; quia per copulam fornicariam non significatur conjunctio Christi cum Ecclesia. P. Pichler *loc. cit. num.* 2. & alii passim.

376. Colliges quinto, quod S. Pontifex super irregularitate, ob quamcunque demum bigamiam contracta, dispensare valeat; quia proxime oritur ex solo Jure Canonico. Super irregularitate porro ex bigamia similitudinaria dispensare etiam Episcopus potest, saltem si bigamus pœnitentiam egerit, *c. 4. de Cleric. conjug. & c. 1. Qui Clerici, vel voventes.* Eadem dispensandi potestas (& non major, secluso speciali privilegio) extenditur ad Superiores Regulares, qui pollent in suos subditos jurisdictione quasi Episcopali; uti sunt Abbates exempti, Generales, Provinciales &c. Ita P. Engel *lib. 1. tit. 21. n. ult.* P. Pirhing *ibid. n.* 32. P. Schmier *loc. cit. n.* 198. & alii passim.

Dices primo. In *c. 2. de Bigamis*, dicitur: *In bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad Sacros Ordines promoveri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere*; ergo nec S. Pontifex super irregularitate, ob bigamiam statuta, dispensare valet, saltem relate ad Ordines Sacros, sive Majores.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo; ibi solummodo insinuari difficultatem dispensandi ob reverentiam S. Pauli, in cujus præcepto (*1. ad Timoth. 3.*) irregularitas bigamiæ fundatur.

Instabis. Pontifex non potest dispensare super præcepto Divino; ergo neque super irregularitate in eo fundata. Atqui præceptum S. Pauli est Divinum; ergo super eo, & fundata in eodem irregularitate Pontifex dispensare non potest.

Confirmatur. Pontifex non potest tollere defectum Sacramenti; cum non possit immutare significationem Sacramenti, utpote quæ est Juris Divini; ergo nec potest tollere irregularitatem bigamiæ, ex illo defectu ortam.

Respondetur ad instantiam, omisso primo enthymemate, neg. ant. ad subsumptum. Nam ordinatio illa de bigamis non processit a S. Paulo, ut ab Apostolo, Jus Divinum promulgante; sed ut ab Antistite Ecclesiæ, Jus Humanum statuente: siquidem Apostoli, tanquam Ecclesiæ Prælati plura statuerunt, a Jure Divino distincta, pro fidelium directione: quemadmodum liquet ex Canonibus Apostolorum, & *ex 1. ad Corinth. 7.* ubi altefatus Apostolus inquit: *Ceteris ego dico, non Dominus &c.*

Ad Confirmat. con. ant. & neg. cons. Sicut enim (secundum dicta *n.* 359.) Pontifex potest, manente infamia, tollere irregularitatem ex ea profectam; ita, manente defectu Sacramenti, potest auferre irregularitatem ex eo ortam, cum non nisi Jure Pontificio sit annexa.

Urgebis. Esto Pontifex valeat tollere irregularitatem, ex defectu Sacramenti ortam, non tamen potest facere, ut eo defectu laborans licite suscipiat Ordines; ergo &c. Prob. ant. Quamvis Pontifex valeat tollere irregularitatem, ex defectu scientiæ, & usus rationis ortam, non tamen potest facere, ut tali defectu laborans licite suscipiat Ordines, secundum dicta *n.* 368. ergo similiter &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. dist. ant. (distinctione *in cit. n.* jam adhibita) quando defectus ille radicatur in natura perpetuo incapaci, con. secus, neg. ant. & cons. Disparitas inter illum casum (quo, & quando defectus radicatur in natura perpetuo incapaci) ac præsentem est, quod irregularis ex defectu scientiæ, & usus rationis, tunc laboret duplici impedimento suscipiendi Ordines, nimirum inhabilitate naturali, quam Pontifex auferre non potest, & irregularitate, quam auferre potest: prout *n. cit.* dictum. At irregularis ex defectu Sacramenti, uno duntaxat impedimento, nempe irregularitate, gravatur, quod, utpote Canonicum, per potestatem Pontificis tolli potest: defectus enim Sacramenti ex se, seu ex natura sua nullam inducit inhabilitatem ad Ordines suscipiendos, vel exercendos, esto præbeat fundamentum, & rationem congruam statuendi irregularitatem; quemadmodum idcirco per Jus Canonicum de facto statuta est.

Dices secundo. Episcopus potest dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto contracta; ergo etiam in irregularitate bigamiæ, quando hæc est contracta ex delicto occulto; licet non possit, quando est contracta ex delicto publico, vel ex mero defectu: consequenter &c.

Respondetur primo, irregularitatem bigamiæ, unico simplici actu contractam, non esse duplicem, sed simplicem, seu unam specie, & numero, etiamsi oriatur ex delicto, & defectu simul; sicut supra *n.* 327. tradidimus de irregularitate ex homicidio illicito, ac injusto; dicique simpliciter irregularitatem ex defectu, utpote in quo principaliter fundatur, esto subinde delictum supponat; sicut irregularitas ex homicidio injusto dicitur simpliciter irregularitas ex delicto, licet supponat defectum lenitatis Christianæ. Unde in illa Episcopus non potest, in ista autem potest dispensare, quando delictum, quod præsupponit, est occultum. Quod si quis sit alterius sententiæ, & admittat, in ejusmodi casibus binas contrahi irregularitates, unam ex delicto, & alteram ex defectu; cum taliter sentiente

Respondetur secundo, dist. ant. Episcopus potest dispensare in irregularitate ex delicto occulto contracta,

 si ea

a ea sit ex mero delicto (quomodo erit solum una) vel primario ex delicto, & secundario tantum ex defectu (quomodo juxta opinionem dicto modo sentientium erit duplex) con. si sit ex mero defectu (adeoque una) vel primario ex defectu, & tantum secundario, materialiter, ac quasi concomitanter ex delicto, neg. ant. & conf. Irregularitas bigamiæ primario est, & inscribitur irregularitas ex defectu, licet ponatur adjunctam habere alteram ex delicto; nam hæc, ceu accessoria, sequitur naturam illius, ceu principalis, & æque, ac ipsa, potestatem dispensandi Episcopalem supergreditur, quamvis ex delicto occulto traxerit originem. Idem cogita de aliis irregularitatibus, de quibus in hoc articulo partim jam egimus, partim adhuc acturi sumus; quippe quæ & ipsæ sunt vel ex mero defectu, vel primario ex defectu. Oppositum e diametro ferendum est judicium de irregulatitatibus *in art. praeced.* ventilatis, utpote quæ sunt primario ex delicto, licet forte una, & secundario fundentur in defectu: in istis proin, si delictum existat occultum, Episcopus dispensare valet, etiam juxta sententiam, duas in uno actu, v. g. injusti homicidii, irregularitates admittentium: cum enim Episcopo sit concessa potestas dispensandi super hujus generis irregularitatibus, in quantum oriuntur ex delicto (occulto) censetur eidem consequenter etiam concessa potestas dispensandi super iis, in quantum oriuntur ex defectu; quoniam hic ratio defectus, ceu accessoria, sequitur rationem, seu naturam delicti, ceu principalem. Hanc responsionem insinuat P. Sporer *tr. 5. in 5. Præcept. Decal. cap. 3. n. 245.*

§. III.

De Irregularitate ex defectu ætatis, libertatis, & natalium.

S U M M A R I U M.

377. Defectus ætatis requisitæ ad Ordines, inducit irregularitatem: non item 378. ætas senilis. 379. Etiam defectus libertatis, seu servitus tam improprie, quam proprie dicta, irregularitatem inducit: non item 380. subjectio erga parentes. 381. & seq. Similiter irregularitatem inducit defectus natalium, & quinam eo laborent? modo 383. ejusmodi defectus sit certus. 384. Quibus modis hæc irregularitas tollatur?

377. Dico primo. Defectus ætatis, requisitæ ad Ordines, inducit irregularitatem. Ita DD. communiter, & constat *ex can. 1. dist. 50. ac cap. ult. de Tempor. ordinat.* Hæc tamen irregularitas non perpetua, sed temporalis duntaxat est, & solum durat tandiu, quandiu durat defectus; quo proin cessante cessat & ipsa sine dispensatione. Durante autem eo defectu Pontifex dispensare potest. Quænam porro ætas ad quemvis Ordinem sit necessaria, dicemus *part. 6. tr. 1. disp. 2.*

378. Quæres, an ætas senilis inducat irregularitatem?

Respondetur negative, per se loquendo. Ita cum Filliucio, & communi aliorum P. Babenstuber *loc. cit. n. 8.* & constat *ex can. 3. dist. 77.* atque ex etymologia nominis; nam vocabulum Presbyteri v. g. denotat personam Senis, ceu (per se loquendo, & ceteris paribus) aptiorem quacunque alia ad Ordines. Et (quod rei caput est) nullibi in Jure reperitur statuta ejuscemodi irregularitas.

379. Dico secundo. Etiam defectus libertatis inducit irregularitatem, adeo, ut illum patientes licite ordinari non possint, donec libertatem consequantur. Patiuntur vero libertatis defectum non tantum servi proprie dicti (seu mancipia) qui libertate personali, & juribus inde pendentibus omnino exuti, & sub plena potestate suorum dominorum constituti sunt (quales tamen in Lege nova, & inter Christianos non amplius existunt) sed etiam improprie dicti (cujusmodi adhuc hodie quam plurimi dantur etiam inter Christianos) quibus libertas personalis, & jura inde pendentia solum restringuntur, & adimuntur secundum quid, quatenus tenentur suis dominis operas, & servitia præstare, nec absque eorundem consensu (expresso, vel tacito) possunt a loco, aut fundo emigrare; solentque vocari servi *adscriptitii*, si glebæ, vel agro colendo sint adscripti, seu addicti; & *originarii*, si ex adscriptitiis nati sint. Sanct Gallenses *de Irregularit. q. 11. concl. 2.* Schmier *lib. 1. tr. 4. cap. 6. sect. 6. §. 1. & 2.* aliique passim. Quoad servos prioris generis patet conclusio ex tota *dist. 54.* & toto *tit. de Servis non ordinand.* Quoad servos vero posterioris generis *ex cap. 10. & 21. ead. dist. 54.* Ratio insuper est: quia ejusmodi personæ serviles non sunt expeditæ ad serviendum Deo in officiis spiritualibus, juxta illud Evangelii: *Nemo potest duobus dominis servire &c.* Ut ergo licite Ordines suscipiant (vel Religionem intrent) a suis dominis manumitti, & plena libertate donari debent (sive dein id fiat soluto pretio, sive gratis, sive expresse, sive tacite) adeo, ut Episcopus dispensare non valeat, *cap. 2. de Servis non ordin.* & Papa non soleat contra voluntatem dominorum. P. Schmier *loc. cit. n. 574.*

380. Quæres, an, quod de servis dictum, etiam porrigi debeat ad filiosfamilias, ita, ut nec isti absque consensu patris promoveri ad Ordines possint?

Respondetur negative. Ita cum communi P. Engel *lib. 1. tit. 18. n. 7.* Schmalzgrueber *ad eund. tit. n. 3.* & alii. Ratio est: quia licet rationi consentaneum, & decens sit, ut filius, Statum Ecclesiasticum assumpturus, requirat consensum patris; id tamen non probatur necessarium: quoniam *liberi* (post annos discretionis) *liberum habent arbitrium, & in electione propositi* (seu Status Regularis, vel Clericalis) *sequi parentum non coguntur voluntatem, cap. 12. de Regular. in fin.*

381. Dico tertio. Omnes, defectu natalium laborantes, seu illegitimi, sunt irregulares, *cap. 1. de Filiis Presbyteror. extra, & in 6.* Introducta est hæc irregularitas, 1. Ob reverentiam Ordinis Ecclesiastici. 2. In detestationem paterni criminis. 3. Propter periculum, ac timorem, ne filii paternæ incontinentiæ imitatores existant. Procedit autem conclusio etiam de illegitimis occultis: quia Jus non distinguit inter ipsos, & publicos; nec erat ratio distinguendi, quemadmodum immediate dicta pensanti palam erit.

382. Ceterum illegitimi in genere sunt, & dicuntur, qui non sunt procreati ex legitimo toro, id est, ex Matrimonio vel vere, vel saltem putative valido. Si nati sint ex parentibus solutis, inter quos tamen potuit validum consistere Matrimonium vel tempore conceptionis, vel tempore nativitatis, vel tempore intermedio, appellantur *naturales*, vel *nothi*: si vero sint nati ex parentibus, inter quos nullo prædictorum temporum potuit consistere validum Matrimonium, vocantur *orti ex coitu damnato*, seu *spurii*; cujusmodi sunt adulterini, sacrilegi, incestuosi. P. Pichler *lib. 1. tit. 17. n. 2.* & alii passim.

383. Quæres primo, utrum illegitimitas dubia inducat irregularitatem?

Respondetur negative. Konig *lib. 1. tit. 17. num. 8.* VViestner *eod. n. 5.* Schmalzgrueber *ibid. num. 2.* & alii communiter. Ratio est: tum quia dubius de illegitimitate est in possessione sui honoris: tum quia in Jure non exprimitur, aliquem in dubio illegitimitatis esse reputandum pro irregulari; nulla autem contrahitur irregularitas nisi in Jure expressa; ut constat ex sæpe dictis. Ex quo infertur infantes expositos, quorum parentes ignorantur, non esse habendos pro illegitimis, ac irregularibus, saltem juxta communiorem, & probabiliorem sententiam, a nobis traditam *part. 1. n. 110.* Revideatur.

384. Quæres secundo, quibus modis tollatur irregularitas, ex defectu natalium contracta?

Respondetur primo. Tollitur per Professionem Religiosam, ita, ut illegitimus habilitetur ad Ordines; non vero ad Prælaturas sui Ordinis Religiosi, *c. 1. & fin. de Filiis Presbyter.* An vero eadem Professio etiam habilitet professum ad Beneficia? disceptatur inter Authores. Nam aliqui id simpliciter negant de Beneficiis tam curatis, quam non curatis: alii de solis Beneficiis curatis: alii simpliciter affirmant de utrisque. Tertia hæc sententia videtur probabilior, quam cum Palav tenent PP. Schmier *lib. 1. tr. 4. cap. 6. sect. 1. n. 58.* & Pichler *loc. cit. n. 7.* Ratio est: quia in *cit. c. fin.* Religiosi, per professionem ad Ordines habilitati, solum excluduntur a Prælaturis; ergo ad cetera Beneficia tacite judicantur idonei, eo quod exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, *arg. L. 12. in pr. ff. de Jud.*

Quæ

Quare illegitimus per Professionem Religiosam non solum efficitur habilis ad Ordines, sed etiam ad Beneficia curata, & non curata, personatus, & dignitates, saltem spectato Jure, & seclusa consuetudine in contrarium. Nec obstat textus *cit. c. fin.* utpote solum exaudiendus de Clericis secularibus, quibus nec sacra professio, nec alius modus, quo abstergatur natalium macula, suffragatur: ut notant Authores *citt.*

Respondetur secundo. Tollitur praeterea irregularitas natalium per matrimonium subsequens a parentibus filii naturalis post ejus conceptionem, vel nativitatem legitime contractum. Tunc enim defectus natalium per Matrimonium penitus abolerur, & fit, ut filius sic legitimatus admittatur sine dispensatione ad Ordines, Beneficia, Dignitates, & Prælaturas Ecclesiasticas (excepta solum Dignitate Cardinalitia, a qua removetur per specialem Constitutionem, editam a Sixto V: *An.* 1590. & incipientem: *postquam*) Patet *ex c. 6. Qui filii sint legit.* ubi liberi, per subsequens Matrimonium legitimati, quoad omnia æquiparantur legitime natis. Konig, Schmier, & alii passim.

Respondetur tertio. Tollitur denique eadem irregularitas per dispensationem S. Pontificis: prout omnes fatentur. Episcopus vero non habet potestatem dispensandi, super tali irregularitate, nisi ad Ordines Minores, & Beneficia simplicia, *c. 1. de Filiis Presbyteror. in 6.* Eapropter quando desideratur dispensatio super irregularitate natalium ad Ordines Sacros, & Beneficia curata, ea non ab Episcopo, sed a Pontifice petenda, & impetranda est; etiam defectus existat occultus; quia hæc irregularitas, licet ordinarie supponat delictum paternum, proxime tamen, & immediate resultat ex defectu personali, accenseturque irregularitatibus ex defectu, in quibus Episcopus vi Tridentini (nisi, & in quantum, aliunde acceperit potestatem) dispensare non valet, licet ponatur defectus esse occultus. Revideantur, quæ diximus *n.* 327.

§. IV.

De Irregularitate ex defectu lenitatis.

S U M M A R I U M.

385. Ex defectu lenitatis irregulares efficiuntur, qui authoritate publica, & in Judicio justo ad realem occisionem, aut mutilationem hominis concurrunt directe, propinque, & efficaciter. 386. & seq. Afferuntur exempla sic irregularium, & non sic irregularium. 388. Quando hæc irregularitas incurratur in bello? 389. & seqq. Solvuntur objectiones, & deducuntur rollaria.

Quoniam Ecclesia judicavit, inconveniens esse, ut Christi assecla, qui prius alienum sanguinem fuderit, vel ad mortem, aut mutilationem hominis concurrerit, incruentam Deo hostiam offerat, & Agnum mansuetissimum (Christum) in altari tractet, hanc irregularitatem statuit, forte indocta exemplo ipsius Dei, qui in veteri Testamento noluit sibi templum ædificari, & consecrari a Davide, eo quod multum sanguinis, quamvis licite, fudisset, sed a Salomone pacifico. *2. Reg. c. 7. & 1. Paral.* 22. Unde hæc irregularitas nuncupari solet irregularitas *ex defectu lenitatis*, nimirum Christianæ. Nunc

385. Dico primo. Ex defectu lenitatis irregulares efficiuntur, qui authoritate publica, & in Judicio justo ad realem occisionem, aut mutilationem hominis concurrunt directe, propinque, & efficaciter. Conclusio sumitur *ex can. 1. dist. 51. can. 28. & 29. caus. 23. q. 8. c. 5. & 9. Ne Cleric. vel Monach. c. 21. de Homicid. & c. 2. eod. in 6.*

Explicantur termini conclus. Dicitur 1. *Authoritate publica, & in Judicio justo.* Quia si reus authoritate privata, vel non servato Juris ordine contra Legis præscriptum occidatur, vel mutiletur, contrahitur irregularitas ex delicto voluntarii homicidii, vel mutilationis, de qua egimus *art. præced. §§. 1. & 2.* non autem ex defectu lenitatis, de qua impræsentiarum.

Dicitur 2. *Ad realem occisionem, aut mutilationem hominis.* Non enim sufficit ad hanc irregularitatem incurrendam vulneratio, fustigatio, aut flagellatio, etiam sanguinolenta, sed requiritur realis (seu reipsa, & effectiva secuta) occisio, vel mutilatio hominis in sensu exposito supra *n.* 338. sive dein sit, sive non sit conjuncta cum effusione sanguinis.

Dicitur 3. *Concurrunt directe.* Unde irregularis non evadit Judex Ecclesiasticus Clericum degradatum tradens Curiæ seculari secundum Leges puniendum (licet hæ statuant pœnam mortis) interposita tamen intercessione, ut, citra mortis periculum, temperetur sententia; quia non influit directe in pœnam mortis, sed solum in privationem privilegii Clericalis.

Dicitur 4. *Propinque.* Nam remote tantum cooperantes, ut opifices, qui furcam ædificarunt, funes, aut scalam confecerunt &c. nullam contrahunt irregularitatem.

Dicitur 5. *Efficaciter.* Qui enim hoc modo in occisionem (vel mutilationem) non influunt, ab irregularitate immunes manent: cujusmodi sunt *v. g.* comportantes ligna, ut reus jam suffocatus comburatur; assistentes supplicio præcise spectandi gratia &c.

386. Ex quibus fit, ut ex defectu lenitatis certo irregulares reddantur. 1. *Judex* mortis, vel mutilationis sententiam proferens. 2. *Assessores, & Consiliarii*, suo suffragio, vel consilio promoventes. 3. *Accusator*, vel *Denunciator*, si iste agat criminaliter. 4. *Advocatus*, & *Testes* contra reum stantes. 5. *Notarius* scribens, subscribens, dictans, recitans sententiam. 6. *Ministri Justitiæ* sententiam exequentes, & alii ad sententiæ executionem propinque cooperantes; ut satellites, reum custodiæ causa ad locum supplicii comitantes, applicantes, vel tenentes scalam ad illum suspendendum &c. Ratio istorum est: quia omnes hi tales modis in conclusione allatis existunt causa (physica, vel moralis) mortis, aut mutilationis.

387. Fit a contrario, ut ab irregularitate ex defectu lenitatis (præter jam recensitos in explicatione conclus.) vel certo, vel saltem probabiliter sint liberi. 1. *Inquisitores hæreticæ pravitatis*, eorumque *Consiliarii* &c. licet convictos de hæresi jubeant occidi; sic Paulo IV. & S. Pio V. volentibus. 2. *Prælati Ecclesiastici* (sive sint Episcopi, sive alii) *jus gladii habentes*; qui causas sanguinis delegant Laicis sive in generali, sive etiam in particulari circa hunc, vel illum reum; cum hac, vel simili clausula, *ut cognita causa administrent Justitiam*; modo non suadeant, vel mandent, ut talis reus morte, vel mutilatione plectatur; si enim hoc non faciant, non ipsi, sed eorum Delegati, vi officii sibi demandati, existent causa supplicii: ut proinde hic locum non habeat *Reg. 72. in 6. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.* 3. *Professor* in Schola explicans Leges pœnam mortis, vel mutilationis inferentes; aut *Jurisperitus*, qui, privatim interrogatus (idem cogita de Consiliario taliter interrogato) etiam de aliquo reo in particulari, an pœnam mortis, vel mutilationis sit promeritus, generatim respondet, & docet, quidnam Leges in tali casu statuant; aut suadet, eundem pœna mortis, vel mutilationis plectendum (quidquid quoad hoc ultimum contra sentiat P. Pichler *lib. 5. tit. 12. n. 32.* & alii quam plurimi) quia esto tunc Jurisperitus influat in pœnam, non tamen insluit authoritate publica, prout ad contrahendam hanc irregularitatem requiritur juxta ipsosmet Adversarios; qui proinde hic inconsequenter loqui convincuntur. Ita ergo ex P. Babenstuber *loc. cit. §. 3. n.* 14. & luculenter traditum reperio a P. Krimer *lib. 5. cit.* 12. *n.* 881. Aliud est de Prælato Ecclesiastico jus gladii obtinente: hic quippe si suaderet, vel juberet, hunc individuo reum affici pœna sanguinis, per superius dicta irregularis evaderet; quia non esset causa pœnæ quomodocunque, sed ut Minister Justitiæ, agens authoritate publica, qua pollet. 4. *Confessarius, reum comitans ad locum supplicii*; si eum moneat verbo, vel facto, ut celerius, vel breviori via incedat, ut scalas ascendat, manus ligandas præbeat, cervicem inclinet ad excipiendum carnificis ictum &c. quia hæc omnia Confessarius agit extrajudicialiter, & sine authoritate publica, licet inde mors acceleretur. Molina, Palao, Laymann, Hurtado, Diana, Krimer *loc. cit. n.* 883. Pichler *loc. & n. citt.* Idem dicendum, si Confessarius Judici præcipiat etiam comminando denegationem absolutionis, ut certum in particulari malefactorem puniat pœna sanguinis secundum Leges promerita: vel si obliget reum ad ma-

nifestandum coram Judice crimen morte dignum, ad cujus manifestationem is Jure naturæ obstringitur. Ratio est eadem. Palao, Vasquez, Reginaldus, Salmanticenses, Kriner *loc. cit. n.* 881. Babenstuber *n.* 13. *& seq.* Imo quamvis Confessarius præsumeret reum obligare ad fatendum simile crimen, quod is fateri non tenetur, adhuc irregularitatem non contraheret, saltem ex defectu lenitatis: quia non faceret id judicialiter, & authoritate publica. Dixi tamen: *saltem ex defectu lenitatis*. Nam si Confessarius procederet mala fide, & obligando reum mortaliter peccaret peccato injustitiæ, evaderet irregularis ex delicto homicidii voluntarii, morte secuta: prout fluit ex dictis *art. praced.* §. 1. 5. *Clericus* (vel alius) denuncians reum capitalis delicti *civiliter* tantum, hoc est, suam, vel suorum, nempe consanguineorum, affinium, amicorum, aut suæ curæ commissorum, utilitatem intendens, puta ut res sibi, vel illis furto sublectas recuperet, aut damnum illatum reparet; modo expresse protestetur, se non intendere vindictam publicam. Ita *ex c.* 2. *de Homicid. in* 6, P. Schmier *loc. cit.* §. 3. *a n.* 360. & alii apud ipsum. 6, Denique *spectatores* letalis executionis, tametsi sint Clerici: quia præcise spectando, vel interessendo executioni, ad hanc non cooperantur (ut supra insinuatum) neque præstant authoritatem publicam. Nec obstat, quod *c.* 9. *Ne Clerici, vel Monach.* prohibeatur Clericis, ne intersint, ubi exercetur vindicta sanguinis, & quidem eo modo, quo ipsis prohibetur sententiam sanguinis ferre. Nam textus (ut notat Gonzalez apud Pichler *cit.*) exaudiendus venit de præsentia authoritativa ad executionem cooperante, Deinde ibi non exprimitur Irregularitas, sed mera prohibitio, quæ vel penitus est abrogata, vel (secluso gravi scandalo) non graviter obligatoria; quemadmodum advertunt DD. passim.

338. Dico secundo. Ex defectu lenitatis illi quoque irregulares efficiuntur, qui in bello justo offensivo ex authoritate publica per seipsos, seu proprio facto aliquem occidunt, vel mutilant. Conclusio constat ex *can.* 1. *dist.* 51. *c.* 24. *de Homicid.* ac aliis Juribus.

Explicantur termini conclus. Dicitur 1. *In bello justo ex authoritate publica*. Nam qui in bello injusto, aut privata authoritate faciunt alterutrum, contrahunt irregularitatem ex delicto: prout in simili dictum supra *num.* 331.

Dicitur 2. *Offensivo*. Si enim bellum foret *defensivum*, etiam propria manu occidentes, aut mutilantes, ab irregularitate immunes essent, *per c.* 2. *de Immunit. Eccl. & Clem. un. de Homicid.* paritate ducta ab iis, qui contra aggressorem privatum sine incursione irregularitatis se defendere possunt defensione etiam occisiva, ut cum communi DD. dicemus *n. seq.* Herincx *de Irregularit. q.* 7. §. 8. *n.* 152. & alii passim.

Dicitur 3. *Per seipsos, seu proprio facto*. Qui enim pugnæ intersunt, neminem tamen occidunt, aut mutilant per seipsos, sive Laici, sive Clerici sint, irregulares non fiunt, quamvis a commilitonibus plurimi occidantur, aut mutilentur, *cap.* 24. *de Homicid.* Nec obstat, si dicas, *c. hoc*, cui doctrina ista præcipue innititur, non loqui de bello justo *offensivo*, sed *defensivo*. Nam licet illud bellum ab initio fuerit *defensivum*, postea tamen migravit in *offensivum*, quatenus fideles exeuntes e castro persecuti sunt hostem; prout cum Suarez, Pirhing, & aliis advertit Reiffenstuel *libr.* 5. *Decret. tit.* 12. *n.* 119. Ex quo fit, ut nec Duces, nec alii quicunque, etiam Clerici, qui sua præsentia, aut cohortatione animum addunt pugnantibus in bello justo, licet offensivo, irregulares evadant, si ipsimet neminem occidant, vel mutilent; prout tradunt Salmanticenses *tr.* 10. *c.* 9. *n.* 19. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 118. Babenstuber *loc. cit.* §. 3. *n.* 3. & alii passim.

389. Objicies primo. In *Clem. un. de Homicid.* illi duntaxat excusantur ab irregularitate, qui, mortem aliter evitare non valentes, adeoque ob necessariam suæ vitæ defensionem, injustos aggressores interfecerunt: sed milites valuissent mortem aliter evitare, si nempe militiæ non dedissent; ergo interficientes aliquem in bello etiam defensivo, non sunt dicendi ab irregularitate liberi.

Respondetur, *Clement. cit.* loqui de defensione privata, a qua non fit bona extensio ad defensionem publicam Reipublicæ in materia odiosa, qualis est incursio irregularitatis. Porro non videtur credibile, quod Ecclesia voluerit statuere irregularitatem adversus pugnantes, & occidentes in bello defensivo; cum sic homines metu irregularitatis incurrendæ absterrerentur a dando nomen militiæ, & bellando bellum justum, ipsius Ecclesiæ, vel patriæ defensivum.

390. Objicies secundo. *In cap.* 5. *de Pœnis* dicuntur Clerici enormiter peccare, *qui personaliter exercent conflictum, & qui alios incitant ad pugnandum*; ergo fiunt irregulares.

Respondetur, ibi non statui irregularitatem, sed depositionem, & tantum pro casu, quo Clerici pugnant, vel incitant ad pugnandum in bello injusto; prout explicat Glossa, & cum ea DD. communiter. Unde neg. cons. Accedit, ex eo, quod Clericis prohibita sit pugnæ societas in bello offensivo, vel etiam defensivo, in quo personalis eorum opera non est necessaria, haud inferri irregularitatem, nisi hæc exprimatur: quemadmodum recte notant Reiffenstuel *loc. cit. n.* 121. Pichler *n.* 34. & alii.

391. Objicies tertio. Quando plures concurrunt ad aliquod factum, v. g. ad occisionem hominis, omnes censentur causa, saltem moralis, homicidii, licet non omnes in istud physice influant; & hinc in bello injusto pugnantes fiunt irregulares etiam illi, qui proprio facto, seu per seipsos neminem interficiunt; ergo idem sentiendum de pugnantibus in bello justo, saltem offensivo.

Respondetur, neg. cons. & parit. Quamvis enim omnes, qui concurrunt ad homicidium licitum in bello etiam justo, coalescant, & evadant una causa homicidii, non tamen adversus omnes, etiam moraliter solum concurrentes, Ecclesia irregularitatem statuit, sicut adversus concurrentes in bello injusto: idque merito; cum illi aliàs absterrerentur a bellis justis: quod vergeret in grave præjudicium Reipublicæ; ut dictum.

392. Colliges primo, ab irregularitate ex defectu lenitatis immunes esse omnes illos, quos *n.* 337. ab irregularitate & delicto homicidii liberos pronunciavimus. Ratio est: quia non procedunt authoritate publica: prout ibi dicta vel obiter consideranti perspicuum fiet.

393. Colliges secundo, in irregularitate, quæ modis expositis provenit ex defectu lenitatis, nullum præter Papam (secluso speciali privilegio) dispensare posse. Fluit ex dictis *n.* 327. & traditur a Bonacina, Palao, Salmanticensibus, & aliis, quos recitat, ac sequitur P. Babenstuber *loc. cit. n.* 15.

C A P U T III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

394. Bertrandus joco explodens sclopetum solo pulvere nitrato onustum in faciem socii, non evadit irregularis, post quadraginta dies morte iasi secuta. 395. Basilius Parochus ad evitandam infamiam, & periculum vitæ, potest a censuris, & peccatis absolutus celebrare, & functiones necessarias obire, si dispensationem super irregularitate obtinere, vel alium substituere nequeat; 396. Non solum Basilianus, militis occisor, sed etiam alii ad occisionem cooperantes, efficiuntur irregulares; 397. Tam Brandanus, quam alii duo ejus complices, hominem trucidantes, se reputare irregulares debent, licet dubitetur, quisnam illorum lethiferum vulnus inflixerit. 398. Berengarius, qui commisit crimen, de Jure ut infame damnatum, & in uno loco publicatum, non tenetur se gerere irregularem in alio loco, ubi idem crimen non est publicum. 399. Baldus, carnificis filius, ut licite suscipiat Ordines, nulla dispensatione eget. 400. Bertholdus Clericus non fit irregularis, dum perversos quosdam homines, variorum criminum, mortem promeritorum, jam reos, & adhuc plura in magnum Reipublicæ præjudicium meditantes, ad Judicem defert, esto per hunc postmodum ad mortem condemnentur. 401. Bethulius Sacerdos non incurrit irregularitatem, dum cives, & rusticos congregat, & tanquam Dux eorum hostes patriam injuste vastantes partim interficit, partim in fugam agit.

CA-

CASUS I.

394. Bertrandus Studiosus cum quibusdam suorum condiscipulorum in campos, & prata ambulatum egreditur, secum portans sclopetum pulvere nitrato onustum: cumque illud per jocum in faciem unius ex sociis exploderet, iste non tam vi explosionis, quam inopinati terroris, quo perculsus est, in terram prolabitur morituriemi similis. Accersitur extemplo Chirurgus, qui, statu læsi probe deprehenso, spem vitæ exiguam dedit, applicavit nihilominus medicamenta, effecitque, ut æger quadraginta dies superviveret, & una cum aliis per integram septimanam scholas repeteret, victurus (ut credebatur) adhuc diutius, si, juxta præscriptum Chirurgi, debitam suiipsius curam gessisset. Quæritur, an Bertrandus sit censendus irregularitatem contraxisse?

RΕspondetur negative. Burghaber *cent.* 3. *cas.* 95. La Croix *lib.* 7. *n.* 292. & alii. Ratio est: quia læsio in casu non fuit ex se gravis, & lethifera; ergo nec inductiva irregularitatis. Cons. traditur a Cajetano, Scoto, Lessio, Suarezio, & aliis ex *can.* 36. *dist.* 50. Ant. ostenditur. Avila ab Authoribus *cit.* & aliis receptus docet, non esse censendum vulnus lethale, si vulneratus post triduum ab accepto vulnere pedibus ambulaverit; ergo nec, & multo minus, in nostro casu læsio censenda est lethalis, cum læsus post factam læsionem non tantum pedibus ambulare, sed & Scholas per integram septimanam frequentare potuerit. Confirmatur. Bertrandus non contraxit irregularitatem ex delicto homicidii directe, vel indirecte voluntarii; neque ex defectu lenitatis; ergo nullam. Cons. patet: Ant. ostenditur, Non enim ex prima radice, quia non habuit, nec habuisse præsumi potest intentionem occidendi; cum nulla vel suspicio mortis inferendæ in mentem venerit, nec posuerit causam de se illativam mortis, utpote qualis non est explosio sclopeti solo pulvere nitrato onusti, juxta omnes, teste Burghabero *cit.* Neque ex secunda radice: quia nemo fit irregularis ex defectu lenitatis, nisi qui committit homicidium (vel mutilationem) justum agendo authoritate publica: atqui hoc dici nequit de Bertrando, veluti per se patet; ergo &c.

Dices. Si plures vulneraverint Titium v. g. sed singuli leviter, isque ob multum sanguinem, ex illis tot levibus vulneribus effusum, moriatur, omnes evadunt irregulares; ut docet cum communi aliorum P. Sporer *tr.* 5. *in* 5. *Præcept. Decal. c.* 3. *n.* 101. ergo etiam Bertrandus evasisse irregularis censendus est, secuta morte læsi, quamvis læsio de se non fuerit gravis.

Respondetur, dist. ant. Et hoc ideo, quia singulorum vulnera coaluerunt in unum vulnus lethale, sicut plura furta parva coalescunt in unum furtum magnum, con. secus, seu aliunde, neg. ant. & cons. Nam læsio, quam causavit Bertrandus, non fuit de se gravis, sive formaliter (prout relinquitur ex dictis) sive objective, seu effective, qualiter gravis fuit læsio in casu objecto ex singulorum vulneribus in effectu coalescentibus causata.

Jura, quæ hic opponi possent, supponunt, vel præsumunt culpam gravem commissam; qualem tamen non intervenisse in nostro casu, satis certum est, inquit La Croix *cit.*

CASUS II.

395. Basilius, certi cujusdam Oppidi Parochus, advertens concubinam suam prægnantem, suadet ei, ut abortum faciat, ni malum utrique ingens parere velit. Acceptat illa consilium, & abortum fœtu jam animato, procurat, ut sic & se, & Basilium infamia alioquin incurrenda eripiat. Verum enimvero Basilius incidit in scyllam, dum vult vitare charybdim. *Patrato quippe aborto probe agnoscit, se, utpote impedimento irregularitatis innodatum, Missas celebrare, aliasque functiones solitas obire non posse; &, si omittat, impendere sibi gravissimum dispendium famæ, imo periculum vitæ propter crimen abortus idcirco facile evulgandum. Quæritur, quid Basilius intra hasce angustias conclusus agat, ut ejusmodi scopulos declinet, & se, suamque famam incolumem conservet?*

RΕspondetur. Basilius tenetur quamprimum petere dispensationem super irregularitate; & interea, donec adveniat dispensatio, loco sui substituere, qui functiones parochiales obeat. Quod si neutrum sit facto possibile, ad evitandam infamiam, & periculum vitæ, poterit, a censuris, & peccatis absolutus, celebrare, & functiones necessarias obire, non obstante irregularitatis impedimento. Ita Navarrus *in Manual. c.* 27. *n.* 239. Sporer *loc. cit. n.* 255. La Croix *n.* 437. & aliis. Ratio est: quia præceptum Ecclesiasticum, irregulari prohibens celebrationem Missæ, & exercitium aliarum functionum, cessat obligare, quando observari nequit citra grave dispendium famæ, aut periculum vitæ; prout relinquitur ex alibi dictis: sed Basilius non potest illud observare citra grave dispendium famæ, & periculum vitæ, ut ponitur in casu; ergo &c.

CASUS III.

396. Basilianus, & quidam alii Jurium Studiosi, dum nocturno tempore per plateas armati circumeunt, incidunt in milites, eosque primo contumeliosis verbis, postea armis, & verberibus adoriuntur, ac tandem unum ex illis lethali vulnere sauciant; qui & brevi post moritur. Hoc intellecto, Basilianus, militis occisor, fuga dilabitur; reliqui vero asylum se recipiunt. Quæritur, an non solum ille, sed & ipsi pro irregularibus se reputare, ac gerere debeant?

RΕspondetur affirmative. Barbosa *in c.* 18. *de Homicid. n.* 9. Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *pun.* 15. §. 6. *n.* 4. Filliucius *tr.* 20. *c.* 4. *q.* 7. aliique communiter, & sequitur ex dictis *n.* 231. Ratio porro hæc esto: quia in *can. fin. caus.* 23. *q.* 8. illi duntaxat a pœna irregularitatis ex delicto homicidii immunes pronunciantur, qui occisum nec impugnarunt, nec vulnerarunt, nec ad occisionem cooperati sunt: in casu autem posito etiam reliqui cooperati sunt ad occisionem saltem moraliter, quatenus ex eorum comitatu aggressio facta est, & occisor animosior redditus: consequenter &c.

Dices. Juxta *L.* 11. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* quando plures concurrerunt ad alicujus mortem, & constat, quisnam occiderit, hic solus pro homicida reputatur, & ut talis punitur; non item alii cooperantes: atqui in nostro casu constat, quisnam occiderit; ergo &c.

Respondetur majorem solummodo tenere spectata dispositione Juris Civilis; non vero spectata dispositione Juris Canonici, utpote quod etiam cooperantes ad occisionem, seu homicidium injustum, pœna irregularitatis afficit *per c. fin. cit.* Videri potest P. Sporer *loc. cit. n.* 103. Sed

Instabis. *Cap.* 18. *de Homicid.* Presbyter aliquis ab irregularitate liber declaratur, supposito, quod vulnus ab ipso inflictum malefico, ornamenta Ecclesiæ asportanti, non exstiterit lethale, licet idem maleficus postmodum a parochianis fuerit interemptus; ergo major supra tenet etiam spectata dispositione Juris Canonici.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Simulque supposito, quod Presbyter ille parochianis ad interemptionem malefici non fuerit cooperatus, con. supposito, quod fuerit cooperatus, neg. ant. & cons. Allegatum cap. nobis suffragatur, non refragatur: ut legenti patebit.

CASUS IV.

397. Brandanus, & duo alii Studiosi, non tam Palladi, quam Baccho dediti, omnes pene pecunias, a parentibus pro annuo victu solvendo, & aliis ad prosequenda studia necessariis comparandis, submissas, intra spatium aliquot hebdomadarum immodicis commessationibus, & compotationibus abligurinnt. Et quoniam non audent parentibus scribere, vel alio modo supplicatum ire pro nova pecunia, conspirant, & statuunt, certi cujusdam mercatoris filium, e nundinis (ut noverant) reducem, & pecunias ex venditis mercibus redactas, secum ad patrios Lares reportantem, in via aggredi, ac deprædari. Unde larvati in quapiam silva se abscondunt, prædam præstolantur, & occurrentem ex insidiis invadunt, dum strictis in antefatum filium gladiis irruunt, eumque graviter sauciant, sauciatum interficiunt, & pecuniis, aliisque rebus exspoliant. Quæritur, an omnes tres irregulares existant,

quan-

quando dubitatur, quisnam illorum lethiferum vulnus inflixerit?

RESpondetur affirmative. Ita P.Sporer *loc.cit. n.*100. & alii communiter. Sumitur responsio *ex c.*12. *& c.*18. *de Homicid.* imo etiam *ex d.l.*11. *cit. ad L. Aquil.* praxi Tribunalium in foro seculari, ubi omnes tres non solum ut prædones, sed etiam ut homicidæ tractarentur, ut punirentur; esto aliter in tali foro procederetur, si de occisore constaret, secundum dicta *n. preced.* Ratio proin responsionis est: quia tam Brandanus, quam reliqui duo ejus socii, ac complices habentur pro veris homicidis etiam in Jure Civili, licet forte unus duntaxat vulneraverit lethaliter, quatenus ad mortem injuste inferendam communi consilio, & conspiratione concurrerunt; ergo tam Brandanus, quam reliqui duo pro irregularibus reputandi, & habendi sunt; cum in tali dubio non sit major de uno, quam de aliis. Nec licet affirmare, quod nullus eorum irregularitatem contraxerit. Nam in contrarium faciunt tum mors ipsa injuste illata, tum Jura pro tali casu in omnes irregularitatem statuentia: prout relinquitur ex dictis. Confirmatur. Si constaret, solum Brandanum lethaliter vulnerasse, nihilominus etiam reliqui duo de Jure Canonico irregulares forent: prout *n. preced.* decisum; ergo etiam, imo a fortiori, dum dubitatur, quisnam illorum lethaliter vulneraverit.

Dices. Odia sunt restringenda, & melior est conditio possidentis, *c.*15. *& c.*65. *de R.J. in* 6. ergo in dubio nunquam incurritur irregularitas.

Respondetur, allegatas Regulas procedere in aliis pœnis; vel etiam in irregularitate oriunda ex alia radice, v.g. ex mutilatione; aut ex homicidio quidem, sed quando non constat de corpore delicti: non autem in irregularitate oriunda ex homicidio, quando constat de corpore delicti, & solum dubitatur (dubio facti) de exceptione; siquidem Jura *cit.* ita dubitantem omnino irregularitate plectunt, partiali tamen, secundum dicta *n.*312. quæ revidere poteris.

CASUS V.

398. *Berengarius in Civitate, in qua Theologia navat operam, committit crimen, de Jure infame damnatum: cumque illud paulatim divulgari, & publicum fieri animadvertat, confusionis declinandæ causa inde abit, suamque in patriam remigrat, ubi de crimine nihil constabat. Solo patrio redditus, meliores induere mores; imo Clericalem assumere Statum decernit. Hæret tamen dubius, an Ordines licite suscipere possit ob infamiam in loco studii contractam, utpote cui, saltem pro eo loco, in quo publicum evasit, annexam esse irregularitatem non ignorat. Estne Berengarius in sua quoque patria pro irregulari habendus, ut sine prævia dispensatione nequeat ordinari?*

RESpondetur negative. Abbas *in c.*4. *de Temp. Ordinat. n.*4. Layman *lib.*1. *tr.*5. *part.*5. *c.*4. *n.*9. Reiffenstuel *lib.*5. *Decret. tit.*37. *n.*57. & alii communiter. Ratio est: quia ibi delictum, quamvis de Jure infame, non est publicum, ibi delinquens non est actualiter, & formaliter infamis: sed delictum Berengarii, quamvis de Jure infame, non est publicum in ipsius patria, ut supponitur; ergo delinquens, seu Berengarius, non est ibi actualiter, & formaliter infamis; adeoque nec ex infamia irregularis: consequenter &c. Revideantur, quæ diximus *n.*355.

Si tamen foret probabile periculum publicationis delicti, abstinendum esset a susceptione Ordinum, vel petenda dispensatio; tum ratione scandali, secuta publicatione orituri; tum ratione inhabilitatis ad exercendos Ordines tunc contrahendæ, quoniam irregularitas ex infamia non solum arcet ab Ordinum susceptione, sed etiam ab eorum exercitio: prout cum Palao, Avila, Coninck, & aliis tradunt Salmanticenses *tract.*10. *cap.*8. *num.*76.

CASUS VI.

399. *Baldus, nominatissimi carnificis filius, nolens sequi conditionem patris, quippe multis ex causis sibi displicitam, studia literarum capessit, in quibus etiam, cum perspicaci polleat ingenio, adeo insignem facit progressum, ut plerosque suorum condiscipulorum supergrediatur. Concipit propterea animum una cum aliis ad SS. Ordines ascendendi. Quæritur, an, ut licite ordinari valeat, dispensatione egeat?*

RESpondetur negative. Palao *disp.*6. *pun.*20. *num.*6. Schmier *lib.*1. *tr.*4. *c.*6. *n.*535. & alii ab ipsis relati. Ratio est; quia omnis infamia inductiva irregularitatis (prout hæc importat Canonicam inhabilitatem ad Ordines suscipiendos &c.) debet oriri ex delicto proprio, vel alieno parentum &c. cum nulla alia, cui irregularitas annexa sit, ex Jure assignari queat: atqui infamia, qua laborat Baldus, non oritur ex delicto proprio, vel alieno parentum, sed ex horum conditione, & officio; ut patet; ergo &c. Confirmatur. Nulla incurritur irregularitas, nisi in casibus Jure expressis; ut sæpe repetitum: atqui in & pro casu Baldi nulla irregularitas est Jure expressa (ubinam enim extat simile Jus?) ergo &c.

Quare Baldus ad summum est infamis in ordine ad alios quosdam effectus, puta ne possit promoveri ad Officia secularia, sive plebea, sive honorata, ubi talis viget consuetudo; non item ne possit promoveri ad Ordines, seu tali infamia, quæ inducat irregularitatem, acceptam pro impedimento Canonico suscipiendi Ordines &c.

Dices. Pater Baldi, etiamsi mortua conjuge, deponeret officium, non posset absque dispensatione Ordinibus initiari; ergo nec Baldus ejusdem filius.

Respondetur, dist. ant. Ob irregularitatem ex defectu lenitatis contractam, con. secus, neg. ant. & cons. Cum pater Baldi, ceu nominatissimus carnifex, supponatur non unum duntaxat (quod tamen sufficeret) sed multos vi sui officii occidisse, effectus est irregularis ex defectu lenitatis; non item Baldus, utpote qui officium patris nunquam exercuisse, nec aliquem interfecisse supponitur.

CASUS VII.

400. *Bertholdus Clericus, quoniam novit, perversos quosdam homines plura crimina morte digna, & in magnum Reipublicæ præjudicium, ac damnum redundantia perpetrasse, & adhuc plura machinari, ut malis ulterioribus viam præcludat, suam notitiam Judici seculari communicat; qui, facta inquisitione malefactores, pluribus præsumptionibus, atque indiciis gravatos, carceri mancipat, torturæ subjicit, & malefacta confessos morti adjudicat. Quæritur, an Bertholdus malefactores ad Judicem deferendo evaserit irregularis?*

RESpondetur negative. Pirhing *lib.*5. *tit.*12. *n.*109. Reiffenstuel *eod. n.*86. & alii communiter. Sumitur *ex c.*8. *de Accusat.* ubi accusator, *qui pro pace hoc fecerit*, id est (ut hunc textum glossantes exponunt) *pro bono publico*, a pœnis Ecclesiasticis eximitur. Ratio insuper est: quia non videtur credibile, quod Ecclesia, benignissima Mater, irregularitate liget illos, qui exercent opus, quod Lege Naturali (absolute, & non tantum hypothetice, seu ex suppositione officii, ut in Judice v. g. contingit, obligante) vel Divina exercere tenentur; cujusmodi est aversio grandis mali a Republica, Superiore, proximo: atqui Bertholdus exercuit tale opus, ut patet intuenti casum; ergo &c.

CASUS VIII.

401. *Bethulius Sacerdos, dum feroces hostium turmas totam fere provinciam inundare, spoliare, devastare, ædificia flammis, & incolas ferro immolare conspicit, in defectu aliorum, res Martiales callentium, congregat cives, & rusticos, congregatos ad ausa animat, animatos ordinat, & cum ipsis adversus hostes procedit, eos invadit, repellit prosternit, vincit, multisque interfectis, reliquis vero in fugam actis, patriam ab ulteriori clade, ac calamitate liberat. Quæritur, an Bethulius irregularitatem incurrat?*

RESpondetur negative. Suarez *de Cens. disp.*47. *sect.* 5. *n.*1. Schmier *lib.* 1. *tr.*4. *c.*6. *sect.* 4. *num.*425. Schmalzgrueber *lib.*5. *tit.*12. *n.*123. & alii passim.

Sumitur

Sumitur *ex cap. 2. de Immunit. Eccles.* ubi habetur, quod tempore necessitatis, quando civitas v.g. hostiliter oppugnatur, etiam Clerici obligentur ad agendas vigilias, & custodiendam civitatem: supposita autem tali obligatione, censentur immunes ab irregularitate, etiamsi ad hostium internecionem concurrant; prout fluit ex dictis *n. præced.* Ratio præterea est: qoia defensio patriæ, vel civitatis longe plus præmii, & favoris meretur, quam defensio vitæ propriæ, vel personæ privatæ. *L. 3. Cod. de Princip.* cum ergo qui defendit propriam, vel alterius vitam occidendo iniquum aggressorem irregularis non fiat. *Clement. un. de Homicid.* multo minus irregularis fieri censendus est, qui defendit patriam, vel civitatem, cujus est membrum, adversus injustos aggressores, etiam hos, vel plures eorum occidendo.

TRACTATUS TERTIUS.

DE PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS, certo hominum Statui accommodatis.



INscribitur hic Tractatus *de Præceptis particularibus certo hominum Statui accommodatis*; quoniam omnia, in eodem pertractanda, vel directe, & formaliter, vel saltem indirecte, & illative præcepta sunt, certo hominum generi, ac Statui appropriata. Porro Status hominum juxta primam sui divisionem triceps est, nempe *Clericalis*, *Regularis*, & *Laicalis*; quem proinde sic divisum, seu omnem trinum in præsenti Tractatu, una cum præceptis cuilibet accommodatis, & propriis, per tres disputationes declaraturi sumus. Ad rem ut veniamus, sit

---

DISPUTATIO I.

De Statu Clericali.

INter præcipua Ecclesiæ decora, & ornamenta computatur Status Clericalis. *Propterea vocantur Clerici* (inquit S. Hieronymus ad Nepotianum) *vel quia sunt de sorte Domini; vel quia Dominus sors, sive pars est Clericorum.* His applicant Doctores illud Salomonis effatum: *Multitudo Sapientium sanitas est populi. Sap. 6.* Symbolum sapientiæ scimus esse *salem*: hinc Christus Apostolos, & eorum Successores (puta Episcopos, Sacerdotes, Clericos) *Matth. 5.* comparavit *sali*, quod saliant, & condiant animos fidelium, salutaribus eos doctrinis ad veram sapientiam imbuendo, & a putore vitiorum, ac hæresum conservando. Statuitur nunc circa commendatissimum hunc Statum

---

CAPUT I.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

HÆc materia adeo ampla est, ut de ea integrum, spissumque librum conscribere possemus. Sed quoniam ad Canonistas potius, quam Theologos spectat, eandem sub brevitate transcurremus, nihil tamen omissuri, quod a Theologo Morali desiderari queat.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

SUMMARIUM.

402. *Beneficium Ecclesiasticum est* jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis ratione spiritualis officii, authoritate Ecclesiastica pro persona Ecclesiastica constitutum. 403. *Excluduntur nonnulla a ratione Beneficii stricte dicti; & hoc* 404. *in plura membra dividitur.*

402. DIco primo. Beneficium Ecclesiasticum (vel Præbenda Ecclesiastica) est *jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis ratione spiritualis officii, authoritate Ecclesiastica pro persona Ecclesiastica constitutum.* Ita DD. communiter ex *can. 2. dist. 70.* & *c. 10. de Præbend.*

Explicatur. Dicitur 1. *Jus*, nimirum reale, non personale; siquidem non persona, sed ipsa res Ecclesiastica Beneficiato immediate devincta est in ordine ad fructus, seu redditus ex ea capiendos, *arg. cap. 3. caus. 12. q. 2.* Quod tamen jus non sortitur rationem dominii (hoc quippe manet penes Ecclesiam; prout constat ex *c. ult. de Pecul. Cleric.*) sed & simile usufructui, quatenus (juxta *c. 3. cit.*) tribuit facultatem *re aliena utendi fruendi, salva* (respective) *ejus substantia*: in quo consistit ususfructus; veluti dicemus *part. seq.* Addidi per parenthesim: *respective*, ut indicarem, Beneficiato licere amplius, ac communi, seu mero usufructuario. Ille enim fundum Ecclesiasticum veluti suum, more tamen boni patrisfamilias, curare, & administrare potest, faciendo v.g. ex terra prædiali terram vineatoriam *cap. ult. de Pecul. Cleric.* Tale quid non licet mero usufructuario. Unde non diximus absolute, jus Beneficiati esse usumfructum, sed usufructui simile, quatenus præcipue tribuit facultatem percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ; nec permittit Beneficiario, ut fundum aliter immutet, quam in ordine ad majorem utilitatem ex fructibus hauriendam, P. Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 2. cap. 3. a n. 11.* Porro idem jus Beneficiati in se quidem temporale est, fit tamen spirituale propter officium, vel ministerium sacrum, cui est annexum; & ideo *jus spirituali annexum* dicitur. Ipsi autem fructus, ac proventus sunt, & manent aliquid mere temporale. Id quod relinquitur ex dictis *part. 2. de Simonia.*

Dicitur 2. *perpetuum*. Nam ad naturam Beneficii Ecclesiastici requiritur 1. ut semel institutum perpetuo duret, nec mortuo Beneficiato extinguatur, sed vacet tantum, & alteri conferri debeat. 2. Ut conferatur in titulum perpetuum, ita ut Beneficiatus in eo *investiatur* (quemadmodum loquuntur Practici) neque invitus ab eodem amoveri valeat, nisi in pœnam delicti, & ex causa in Jure expressa, per *text. in cit. can. 2. dist. 70.* & *cap. 5. de Cleric. ægrot.* Nec obstat, quod Parochiæ, Monasteriis pleno jure incorporatæ, sint stricte dicta Beneficia, & conferri soleant ad tempus, ac Vicariis ad nutum Superioris amovibilibus, juxta *Gloss.* receptam *in Clement. 1. de Excess. Prælat.* Non, inquam, obstat; nam illa incorporatio habet per se modum collationis perpetuæ, & Abbas, vel Prælatus Monasterii est principalis Rector, ac Beneficiatus talis Parochiæ, quæ proin obtinet rationem stricte dicti Beneficii relate ad Abbatem, vel Prælatum; esto relate ad Vicarium temporaliter expositum sortiatur potius rationem Beneficii manualis tantum. P. Engel *lib. 3. tit. 5. n. 1.*

Dicitur 3. *percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis*, ut Beneficium distinguatur a *Canonia*, quæ, simpliciter sic dicta, tantum est jus habendi stallum, seu sedem in Choro, & vocem in Capitulo; nam siquis simpliciter in Canonicum recipiatur, antequam ei redditus Canonicales assignentur, dicitur habere Canoniam, sed non Beneficium, vel Præbendam; ut patet in Canonicis supernumerariis: quamvis iisdem, ubi facultas se obtulerit, adjicienda sit Præbenda, *cap. 9. & 19. de Præbend.* Ipsa quoque vox in Capitulo ex usu plurium Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum non ad solam concessionem Canoniæ, sed tunc primum concedi solet, ubi quis residentiam primi anni absolvit, & juxta Trid. *Sess. 22. de Reform. c. 4.* majoribus Ordinibus insignitus est. P. Engel *loc. & n. citt.*

Dicitur 4. *ratione spiritualis officii*, id est, propter obligationem præstandi functionem spiritualem, qualis

v.g. est

v. g. eſt recitatio, vel decantatio Breviarii, prædicatio Verbi Divini, lectio Miſſarum, adminiſtratio Sacramentorum &c. Atque hoc officium ſpirituale eſt quaſi fundamentum Beneficii; cum Beneficium detur propter officium, idque ſpirituale, *c. fin. de Reſcript. in* 6. Unde jus percipiendi redditus, quod Miniſtri Eccleſiæ ſeculares habent, Beneficium, de quo hic, dici non poteſt. P. Engel, ubi ſupra.

Dicitur 5. *authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum*: ſiquidem omne Beneficium requirit authoritatem Eccleſiæ, ſeu Prælati Eccleſiaſtici, jus percipiendi redditus ex bonis Eccleſiaſticis officio ſpirituali annectentis; atque ita Beneficium erigentis. Unde ſiquis donet fundum aliquem Eccleſiæ, & in eo conſtituat certos redditus Clericis dandos cum onere ſingulis annis legendi has, vel illas Miſſas, non erit Beneficium Eccleſiaſticum, niſi accedat approbatio Superioris Eccleſiaſtici; ſed tantum pia donatio, vel pium legatum. Reiffenſtuel *lib.* 3. *tit.* 5. *n.* 16. & alii communiter. Ceterum erigere Beneficia majora ſolus Papa poteſt; minora vero, quamvis curata (modo non habeant annexam juriſdictionem in foro externo) etiam Epiſcopus *can.* 3. *diſt.* 80.

Dicitur denique 6. *pro perſona Eccleſiaſtica*, id eſt, primam ſaltem Tonſuram habente; quia Laicus eſt incapax juris Beneficialis, *c.* 7. *de Reſcript.* & *c.* 2. *de Inſtit.* P. Schmier *loc. cit. n.* 24. & alii paſſim.

403. Colliges, ob defectum perpetuitatis ſtricte Beneficia non eſſe. 1. *Manualia*, quæ nimirum ita conferuntur, ut ad nutum conferentis, vel alterius Papa inferioris, auferri valeant; ſecus, ac *Titularia*, ſeu quæ conferuntur in titulum perpetuum, & noſtra definitione comprehenduntur. 2. *Commendam temporalem*, quando adminiſtratio Beneficii cuipiam committitur ad tempus, non in perpetuum. 3. *Vicarium temporalem*, quando ad tempus alicui committitur adminiſtratio Eccleſiæ Parochialis, & cura animarum, per quam differt a Commenda temporali. 4. *Capellaniam ſimplicem*, quæ habet annexam obligationem legendi hebdomadatim, vel annuatim unam, vel plures Miſſas in aliqua Capella, vel Altari pro certis redditibus, aut ſtipendio, & non eſt erecta legitimi, ſeu Eccleſiaſtici Superioris authoritate, vel non confertur in titulum perpetuum. Aliud eſt de *Capellania collativa*, quæ eſt erecta Superioris Eccleſiaſtici, puta Epiſcopi authoritate, & confertur in titulum perpetuum: hæc quippe ſortitur rationem ſtricte dicti Beneficii ſupra deſcripti. 5. *Penſionem Clericalem*, quæ eſt jus percipiendi certos fructus ex alicuo Beneficio conceſſum alicui Clerico ad tempus, vel etiam ad vitam Penſionarii, quo mortuo expirat. 6. *Præſtimonium*, ſeu jus percipiendi ſtipendium ex redditibus Eccleſiaſticis, Clerico pauperi, vel ſtudiis operam navanti pro certo tempore collatum. Quod ſi tamen Præſtimonium conferretur in titulum perpetuum, foret ſtricte dictum Beneficium. P. Schmier *loc. cit. n.* 20. & alii ab ipſo relati.

Dices. Beneficium Manuale eſt perpetuum, adeo, ut ſemel erectum ſemper durare exigat; ergo non eſt, cur excludatur a ratione Beneficii ſtricte dicti, & ſupra deſcripti.

Reſpondetur, diſt. ant. Eſt perpetuum perpetuitate ipſius Beneficii tantum, con. perpetuitate etiam ipſius Beneficiati, neg. ant. & conſ. Utraque enim perpetuitas ad naturam Beneficii ſtricte dicti requiritur, ſecundum dicta *n.* 402. & traditur a P. Pichler *lib.* 3. *tit.* 5. *n.* 2. ac aliis paſſim.

404. Dico ſecundo. Beneficium *n.* 402. deſcriptum dividitur 1. in *Seculare*, & *Regulare*. 2. in *Simplex*, & *Qualificatum*. 3. in *Collativum*, *Electivum*, & *Patronatum*, ſeu *Mixtum*. 4. in *Compatibile*, & *Incompatibile*.

Explicatur. Beneficium Seculare dicitur, quod per ſe conferri debet Clericis ſecularibus, hoc eſt, nullius Religioſi Ordinis Regulam profeſſis. Beneficium Regulare dicitur, quod per ſe conferri debet Regularibus. Beneficia Regularia a quibuſdam rejiciuntur inter Beneficia Manualia. Sed rectius accenſentur Titularibus, & perpetuis, ſecundum id, quod diximus *n.* 403.

Beneficium Simplex dicitur, quod nulla peculiari Juris prærogativa, ſeu qualitate affectum eſt: cujuſmodi ſunt Capellaniæ Collativæ, & Canonicatus, qui tamen, præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, appellari ſolent *Beneficia Simplicia Majora*. Beneficium Qualificatum dicitur, quod peculiarem Juris prærogativam, ſeu qualitatem habet adjunctam: puta *Dignitatem*, *Officium*, *Perſonatum*, vel *Curam animarum in foro Sacramentali*. Dignitas (proprie, & ſpecifice accepta) eſt præeminentia una cum juriſdictione fori externi: & reſidet in Epiſcopis, Vicariis Generalibus, Abbatibus, Provincialibus &c. Officium (prout hic accipitur) eſt obligatio adminiſtrandi res Eccleſiaſticas, ſine præeminentia, ac juriſdictione: & reſidet in Cuſtode, Sacriſta &c. Perſonatus eſt præeminentia, ſeu præcedentia, v. g. in Choro, & Proceſſionibus, ſine juriſdictione, & adminiſtratione: ac reſidet in Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum Præpoſitis, Senioribus, Scholaſticis &c. Cura animarum in foro Sacramentali importat obligationem adminiſtrandi Sacramenta, & prædicandi Verbum Divinum: ac reperitur in Parochis, Vicariis perpetuis &c. qui proinde *Curati*, eorumque Beneficia *Curata* nuncupantur.

Beneficium Collativum eſt, quod a Prælato, vel alia Perſona Eccleſiaſtica, citra alterius nominationem, aut præſentationem, libere confertur. Beneficium Electivum eſt, quod prævia electione a majore parte ſuffragantium obtinetur per Confirmationem Superioris. Beneficium Patronatum, ſeu Mixtum eſt, quod ad præviam nominationem, & præſentationem Patroni, ſecuta inſtitutione Canonica, acquiritur.

Beneficium Compatibile eſt, quod in uno, eodemque Clerico aliud Beneficium compatitur. Beneficium Incompatibile, quod in eodem Clerico non compatitur aliud Beneficium. Sed de his duobus membris dividentibus ex profeſſo plura inferius.

ARTICULUS II.

De Collatione Beneficiorum.

§. I.

Quinam poſſint Beneficia conferre?

SUMMARIUM.

405. *Beneficium Eccleſiaſticum de via ordinaria obtineri non poteſt ſine inſtitutione Canonica.* 406. *Hæc inſtitutio alia eſt* neceſſaria, *alia* libera. 407. *Papa conferre poteſt omnia Beneficia Eccleſiaſtica in toto mundo, ſi velit uti plenitudine poteſtatis ſuæ.* 408. *Quænam Beneficia conferre valeat Epiſcopus?* 409. *An Capitulum Cathedrale, Sede Epiſcopali vacante, poſſit conferre Beneficia?* 410. *Et quænam Vicarius Generalis Epiſcopi?* 411. *Laicis non competit poteſtas conferendi Beneficia.* 412. *An etiam Beneficia nondum vacantia conferri poſſint ab Epiſcopo? &c.* 413. *Quo tempore Beneficia vacantia ſint conferenda?*

405. PRænotandum primo, Beneficium Eccleſiaſticum non poſſe obtineri ſine inſtitutione, ſeu proviſione Canonica, *c.* 1. *de R. J. in* 6. Quod tamen intellige de via, & modo ordinario, ac immediato conſequendi Beneficium. Nam modo extraordinario, ac mediato Beneficium etiam poteſt obtineri per præſcriptionem (adeoque ſine Canonica inſtitutione) modo interveniat titulus coloratus inſtitutionis, collationis &c. reipſa invalide propter defectum occultum, qui ſit Juris Eccleſiaſtici tantum. Ita communis cum Sanchez *lib.* 7. *Moral. c.* 27. *a n.* 88. propter clarum textum *Regula Cancell.* 36. quæ inſcribitur *de triennali poſſeſſione*, ibi: *Siquis quæcunque Beneficia Eccleſiaſtica, abſque Simoniaco ingreſſu, ex quovis titulo, Apoſtolica, vel Ordinaria collatione — aut inſtitutione eorum, ad quos iſta pertinent, per triennium pacifice poſſederit (dummodo — ſe non intruſerit*, id eſt, dummodo non careat titulo, vel hunc non habuerit ab eo, cujus eſt Beneficium conferre) *ſuper iiſdem Beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari nequeat &c.* ergo per triennalem, & pacificam poſſeſſionem, ac præſcriptionem, titulo, & bona fide inſtructam, acquiritur jus, & ſtabilis titulus in Beneficiis. Aliter ſentiendum de conſuetudine: per hanc enim, eſto longiſſimam, acquiri nequit Beneficium abſque Canonica inſtitutione, *c.* 3. *de Inſtit.*

406. Prænotandum ſecundo, inſtitutionem Canonicam aliam eſſe *neceſſariam*, aliam *liberam*. Inſtitutio neceſ-

necessaria (solet plerumque nominari Institutio simpliciter sine addito) est *concessio Beneficii facta ad præsentationem Patroni*; & quia hæc præsentatio tribuit jus ad rem, ideo talis Institutio, ac concessio Beneficii dicitur *necessaria*. Potestas instituendi præsentatos de Jure communi pertinet ad Episcopum Diœcesis primario, *c.3. de Instit.* Dein ejus loco ad Vicarium Generalem, etiam sine speciali mandato, *cit. c.3.* per verba, *qui hoc de Jure possunt* &c. Demum, Sede Episcopali vacante, ad Capitulum Cathedrale, *c.1. de Instit. in 6.* vel potius ad Vicarium Capituli. Ex Jure tamen speciali præscriptionis, aut consuetudinis, aliquando spectat ad inferiores Prælatos, vel Collegia. Porro sicut præsentatus habet jus ad rem, seu ad Beneficium, ita institutus habet jus in re, seu in Beneficio, *arg. c.17. & 28. de Præbend. in 6.* Institutio libera est concessio Beneficii facta citra præsentationem, & ad arbitrium Institutoris (seu Collatoris) adeoque non præsupponit in instituendo jus ad rem, præsentatione acquisitum, veluti supponit Institutio necessaria; unde & *libera* nuncupatur, ac nomine usitato *Collatio*; de qua in hoc *art.* nobis præcipue sermo erit, Nunc ad quæstionem in §. propositam.

407. Dico primo. Papa de Jure communi habet amplissimam potestatem conferendi Beneficia Ecclesiastica, & quidem omnia per totum Orbem, licet hac plenitudine potestatis uti non semper soleat, *cap. 2. de Præbend. in 6.* Et ratio est: quia ipse est Ordinarius Ordinariorum, & jurisdictione universali pollet.

408. Dico secundo. Episcopus confirmatus de Jure communi obtinet potestatem conferendi omnia Beneficia suæ Diœcesis, Pontifici non reservata, exceptis respective Canonicatibus, & Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Textus, & DD. *in can. 10. & 11. cauf. 16. q. 7. c. 16. de Offic. Ordin. cap. 2. de Instit. cap. 12. §. fin. de Hæret.* ibi: *Ad Episcopi Officium tam institutio, quam destitutio Sacerdotum noscitur pertinere*. Nunc termini conclusionis

Explicantur. Dicitur 1. *Episcopus*: adeoque etiam Archiepiscopus, Patriarcha, & Cardinalis in suis Diœcesibus: item Prælatus jurisdictione quasi Episcopali in aliquo territorio instructus.

Dicitur 2. *confirmatus*: quia collatio Beneficiorum non est actus Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis, quam Episcopus confirmatus, licet necdum consecratus, exercere potest, *c. 15. de Elect.*

Dicitur 3. *de Jure communi*: quia sunt, qui de Jure speciali, privilegii, consuetudinis, præscriptionis &c. potestatem conferendi Beneficia habent.

Dicitur 4. *Pontifici non reservata*: si enim Beneficia Pontifici reservata sint (uti sunt, quæ specificantur in Concordatis Germaniæ) a potestate Episcopi censentur extracta; cum reservatio Beneficiorum Papalis sit avocatio Beneficiorum vacaturorum a Collatore Ordinario ad Pontificem.

Dicitur 5. *exceptis respective Canonicatibus, & Dignitatibus Ecclesiarum Catredalium, & Collegiatarum*. Nam Canonicatus, & Dignitates, Ecclesiarum Cathedralium de Jure probabilius essent conferendi ab Episcopo, & Capitulo simul, ita ut Episcopus unam, & Capitulum alteram vocem constituat, *c. 15. de Concess. Præbend.* Collegiatarum vero Ecclesiarum a Prælato immediato, & Capitulo per præsentationem, quamvis jus instituendi resideat penes Episcopum. P. Pichler *lib. 3. tit. 5. num. 44. in fin.* & alii. Veruntamen aliud plerumque, vel saltem sæpius obtinet de Jure speciali, vi cujus Canonicatus conferuntur ab aliis, v. g. a Pontifice alternative, ab ipsis Canonicis vel capitulariter, vel *per turnum*, ut vocant, ita ut unus post alterum, incipiendo a Seniore, conferat Canonicatum in suo mense vacantem &c. id quod praxis demonstrat.

409. Quæres primo, utrum Capitulum Cathedrale, Sede Episcopali vacante, possit conferre Beneficia?

Respondetur negative, loquendo de collatione Beneficiorum, quæ privative spectabat ad Episcopum viventem. Sumitur ex *c. un. Ne Sede vacante in 6.* Ratio traditur a Glossa *in c. 14. in verbo Capitulo*: quia fructus, & jura Episcopatus debent fideliter custodiri, & reservari futuro Successori, *can. 37. cauf. 12. q. 2. & c. 4. de Offic. Ordin. Judic. Ordin.* sed jus conferendi Beneficia est jus Episcopatus; ergo debet fideliter custodiri, & reservari Episcopo Successori: quod non fieret, si Capitulum sibi illud arrogaret, & usurparet conferendo Beneficia, quorum collatio privative spectabat ad Episcopum viventem; cum id vergeret in magnum Episcopi Successoris præjudicium. Ita jam resolvimus *part. 1. n. 426.* juxtaque addidimus, qualiter se gerere Capitulum debeat, si, Sede Episcopali vacante, contingat vacare Beneficium liberæ collationis. Ex ratione adducta fit, ut Capitulum, Sede vacante, nec possit præsentare ad Beneficia, quando jus præsentandi privative competierat Episcopo. Reiffenstuel *lib. 3. tit. 5. n. 181.* & alii apud ipsum. Oppositum est tenendum de institutione in Beneficiia; nam Capitulum, Sede vacante, potest (secundum dicta *n. 406.*) instituere præsentatos, alias instituendos ab Episcopos, & confirmare electos, alias confirmandos ab Episcopo, *c. 1. de Instit. in 6.* & *c. 14. de Majorit.* Ita cum Garcia, & communi aliorum P. Krimer *lib. 3. tit. 9. n. 861. & seq.* ubi etiam assignat rationem disparitatis: siquidem collatio Beneficii (idem cogita de præsentatione ad illud) est quædam liberalitas, & donatio, *cap. 9. de Præbend.* quæ, cum respiciat commodum Episcopatus, sine præjudicio Episcopi Successoris fieri non potest; ut dictum. Contra institutio præsentati, & confirmatio electi non sunt donationes, sed actus necessarii, si præsentatus, vel electus sit idoneus, per *can. 32. cauf. 16. q. 7. & cap. 3. de Elect.* in actibus autem necessariis, seu necessariæ jurisdictionis Capitulum Episcopo succedit; eosque, Episcopo defuncto, exercere valet sine præjudicio Successoris. Ob eandem rationem Capitulum, Sede vacante, potest admittere resignationem Beneficiorum ex causa necessitatis factas, puta in pœnam delicti, vel ob inhabilitatem resignantis. Reiffenstuel *loc. cit. n. 196.*

Dixi in respons. *loquendo de collatione Beneficiorum, quæ privative spectabat ad Episcopum viventem*. Si enim collatio spectet ad Episcopum, & Capitulum simul, mortuo Episcopo (imo aliter effecto inhabili) potest Capitulum ejusmodi Beneficia conferre, per expressum *text. cit. cap. un. Ne Sede vacante in 6.* Ratio insuper est: quia Episcopus, & Capitulum, quoad ea, quæ illis conveniunt communiter facienda, sunt membra unius corporis mystici; proindeque uno ipsorum inhabili effecto, succedit alterum; cum jura corporis mystici, seu Universitatis conserventur in uno superstite. P. Reiffenstuel *loc. cit. num. 186.* Pichler *num. 45.* & alii passim.

410. Quæres secundo, quid juris competat Vicario Generali Episcopi circa collationem Beneficiorum?

Respondetur. Vicarius Generalis absque speciali mandato nequit conferre Beneficia ad liberam Episcopi collationem spectantia: quia similis collatio, ut dictum, est species donationis, quam regulariter rei alienæ administrator facere non potest, *cap. fin. de Offic. Vicar. in 6.* Præsentatus tamen instituere non prohibetur; nam, cum ex præsentatione jus acquiratur ad Beneficium, institutio hæc talis accensetur (prout itidem ex dictis constat) actibus Justitiæ, & non donationis, *cit. cap. 1. de Institut. in 6.* Barbosa *de Offic. Episcop. alleg. 54. n. 70.* Engel *lib. 3. tit. 5. num. 61.* & alii communiter.

411. Quæres tertio, an Laicis competere possit potestas conferendi Beneficia?

Respondetur negative, secluso privilegio Apostolico. Ita DD. communiter. Ratio est: quia Beneficium est jus spirituali officio annexum; consequenter ejusdem collatio requirit in Collatore potestatem spiritualem, qualem tamen Laici non habent vi Juris sibi generaliter concessam (sicut habent sibi concessam potestatem præsentandi ad Beneficia) *c. 2. & 3. de Judic.* ergo Beneficia conferre non possunt (esto ad illa præsentare possint) nisi muniti privilegio Apostolico. Quod procedit de personis laicis utriusque sexus.

412. Quæres quarto, an etiam Beneficia nondum vacantia conferri valeant ab Episcopo, vel alio, qui sit Pontifice inferior?

Antequam ad hanc quæstionem respondeatur, sciendum est, Beneficium posse triplici modo vacare, videlicet 1. *de Jure tantum*. 2. *de Facto tantum*. 3. *de Jure, & Facto simul*. De Jure tantum vacare dicitur, quando quis illud possidet titulo Canonico destitutus; ut si in Beneficium, quod nullus obtinet in titulum, se intrudat, vel retineat Beneficium, in ejus possessione pergendo, dum tamen eodem propter delictum ipso

Jure privatus existit. De Facto tantum vacare dicitur, quando quis titulo quidem Canonico munitus est, Beneficium tamen ipsum non possidet; quia tamen vel possessionem nondum est adeptus, vel per vim ab illa expulsus. De Jure, & Facto simul vacare dicitur, quando alicui nec titulus Canonicus, nec possessio suffragatur; veluti contingit, si Beneficiatus moriatur, professionem Religiosam emittat &c. Beneficium, quod vacat secundo modo, sive *de Facto tantum*, non censetur proprie vacare; cum taliter privato detur regressus ad illud: uti tradunt Canonistæ *in tit. de His, quæ vi, & in tit. de Restit. Spoliat.* Krimer *lib. 3. tit. 8. n. 804. & seq.* Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 2. c. 3. n. 98.* aliique passim. Hoc præscito

Respondetur primo. Si Beneficium vacet de Jure, & Facto simul, ab Episcopo (vel alio, potestate conferendi ceteroquin prædito) conferri potest. Krimer *loc. cit. n. 815.* & alii DD. communiter. Ratio promitur ex *c. 2. de Concess. Præbend.* ubi dicitur, nulla Beneficia conferenda esse, antequam vacent; ergo si vacent, conferri poterunt. Atqui Beneficium, quod vacat de Jure, & Facto simul, propriissime vacat; ergo &c.

Respondetur secundo. Si Beneficium vacet de Jure tantum, potest quidem ab Episcopo &c. conferri, non tamen possessio concedi, nisi prius vocato possessore (quando hujus possessio non est notorie injusta) & prævia cognitione, an non forte eidem competat adhuc jus aliquod in Beneficio, *c. 28. de Præbend. in 6.* Ratio primi est: quia Beneficium vere, & proprie vacans, conferri potest, *arg. cit. c. 2. de Concess. Præbend.* sed Beneficium vacans de Jure tantum, vere, & proprie vacat; ergo &c. P. Schmier *loc. & n. cit.* aliique passim. Ratio secundi est: quia contra alium prius non auditum nihil unquam statuendum est (nisi forte in manifeste notoriis) propter generale periculum, ne quis injuste suo jure privetur. Gonzalez, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur P. Krimer *lib. 3. tit. 5. n. 326.*

Respondetur tertio. Si Beneficium vacet de Facto tantum, vel omnino non vacet, ab Episcopo conferri non potest; & si conferatur, collatio est ipso Jure nulla, *c. 1. 2. & 7. de Concess. Præbend.* P. Schmier *loc. & n. cit.* item *n. 147.* aliique ab ipso relati. Ratio est: quia si Beneficium vacet de Facto tantum, Beneficiato adhuc competit titulus, & aditus, vel regressus ad illud, & possessionem ejus; si autem omnino non vacet, suffragatur Beneficiato adhuc titulus, & possessio; ergo &c. Sed

413. Petes, an saltem ab Episcopo &c. promitti possit Beneficium non vacans (vel vacans de Facto tantum) conferendum in eventum, quo illud vacare contigerit?

Respondetur negative: sed promissio est illicita, & ipso Jure invalida; sive dein versetur circa Beneficium certum, sive incertum. Engel *lib. 3. tit. 8. n. 4.* Pichler *eod. n. 6.* Schmier *loc. cit. n. 147.* & alii communiter. Sumitur ex textibus in *cap. 2. 3. 11. 13. de Concess. Præb.* & *c. 2. eod. in 6.* item ex Trid. *Sess. 24. c. 14. de Reform.* ubi prohibitæ, & sublatæ sunt omnes *gratiæ expectativæ* in materia Beneficiorum. Ratio est: partim ut hoc modo coerceatur avaritia, ac ambitio præmature Beneficiis inhiantium; partim ut evitetur ansa optandi, & captandi mortem Beneficia possidentium, vel possessurorum: qua de causa etiam pacta circa hæreditates viventium in Jure Civili *l. 15. & l. ult. Cod. de Pactis*, reprobata, & annullata sunt.

Dices primo. Consuetudo, etiam timoratorum, obtinet, ut Beneficia proxime vacatura tam in specie, quam in genere, id est, tam certa, quam incerta, promittantur, vel oretenus, vel per signaturam; ergo saltem consuetudo ejusmodi promissionem cohonestat.

Respondetur explic. ac dist. ant. Et per illas promissiones solum tribuitur spes ad Beneficia, con. & tribuitur jus ad Beneficia, neg. ant. ac dist. similiter cons. Consuetudo cohonestat ejusmodi promissiones, ut collativas spei ad Beneficia, con. ut collativas juris ad ea, neg. cons. Nam promissiones Beneficiorum vacaturorum, in quantum spectantur ut collativæ juris ad illa, reprobatæ, & irritatæ sunt per Jura superius allegata; adeoque nullam pariunt obligationem Fidelitatis, aut Justitiæ in promittentibus sive per vocem, sive per signaturam: id quod patet ab experientia, qua constat, Beneficia sic promissa aliquibus, postmodum citra scrupulum collata fuisse aliis.

Dices secundo. Valet promissio Beneficii sub his generalioribus terminis concepta, & facta, *conferam tibi Beneficium, cum potero*: vel, *quamprimum se facultas obtulerit*; ut habet textus in *cap. 14. de Concess. Præbend.* ergo saltem valet promissio Beneficii incerti, v. g. proxime vacaturi; præsertim quod similis promissio non præbeat ansam optandi, & captandi mortem alienam.

Respondetur, itidem explic. & dist. ant. Valet illa promissio, spectato Jure antiquiori, con. spectato Jure noviori, antiquioris correctorio, neg. ant. Allegatum *c. 14.* est Jus antiquius, fuitque correctum a Jure noviori, quale est *cap. 2. eod. in 6.* Unde neg. cons. Et ad rationem probativam ajo, quod, licet promissio Beneficii incerti non præbeat occasionem adeo propinquam: optandi, & captandi mortem alienam, quemadmodum promissio Beneficii certi, præbeat tamen aliquam, nutriatque simul avaritiam, ac ambitionem; & idcirco fuerit similiter a Jure in *cit. c. 2.* reprobata, ac irritata.

414. Quæres quinto, quo tempore Beneficia vacantia sint conferenda?

Respondetur primo. Si Beneficia sint collativa, seu liberæ collationis, conferri debent intra sex menses, a die cognitæ vacationis computandos, *c. 2. & 5. de Concess. Præbend.* Sed hoc intellige extra casum intervenientis impedimenti: siquidem impeditis non currit tempus. Excipe præterea Beneficia Monasteriis pleno jure incorporata; nam in his terminus sex mensium non observatur, eo quod nunquam proprie vacare dicantur, cum respectu eorum Rector principalis sit Prælatus, & exercens curam animarum tantum Vicarius, ad nutum Prælati amovibilis, *Clement. un. de Suppl. neglig. Prælat.* P. Engel *lib. 3. tit. 5. n. 64.* Quod si ordinarius Collator intra semestre, observari debitum, non conferat Beneficium, devolvitur collatio ad Superiorem hisce modis. 1. Quando ordinarius Collator, inferior Episcopo, vel Capitulum Cathedrale moram commisit, devolutio collationis fit immediate ad Episcopum, *cap. 2. de Concess. Præbend.* 2. Quando Collator est ipse Episcopus, & quidem jure proprio, ac ordinario, præfixumque collationi terminum negligit, fit devolutio immediate ad Capitulum, & ab isto primum ad Archiepiscopum, *c. 2. cit.* immediate vero ad Archiepiscopum, quando Episcopus est Collator jure extraordinario, puta privilegii, delegationis, devolutionis &c. Eadem devolutio, & eodem modo locum habet in casu, quo ordinarius Collator Beneficium confert indigno: quia pro illa vice amittit jus conferendi per *c. 32. de Præbend. in 6.* cum idem sit, imo pejus, promovere inhabilem, ac promovere nullum. P. Pichler *lib. 3. tit. 8. n. 11.*

Respondetur secundo. Si Beneficia sint electiva, pariter conferri debent intra sex menses a die cognitæ vacationis, per *cap. 2. de Concess. Præbend. & c. 26. de Elect. in 6.* Excipiuntur Beneficia Cathedralia, & Regularia, sumpta pro Episcopatibus, & Abbatiis saltem: hæc quippe conferri debent intra tres menses, *c. 41. de Elect.* Quod si intra semestre (vel trimestre) cessante legitimo impedimento non fieret electio, aut provisio, jus eligendi, aut providendi, pro illa vice amitteretur ipso Jure, & devolveretur ad proximum Superiorem, cujus nimirum est confirmare electum, Author *cit. lib. 1. tit. 6. n. 13.* Videri hic etiam possunt Engel ad *tit. de Elect. n. 13.* & Reiffenstuel *eod. a n. 278.*

Respondetur tertio. Si Beneficia sint patronata, & Patronus Ecclesiasticus, tempus a Jure præfixum sunt itidem sex menses a die cognitæ vacationis; quatuor autem, si Patronus sit Laicus: idque non obstante, quod Patroni ob controversiam super jure præsentandi, intra dictum tempus non finitam, habuerint impedimentum, *c. 3. 22. & 27. de Jur. Patronat.* item *cap. un. eod. in 6. & c. 5. de Concess. Præbend.* Quod si intra allegatum tempus non præsentent Patroni, vel, quando plures sunt, non conspirent, Beneficium pro illa vice fit liberæ collationis, ab Episcopo, vel alio, cujus fuisset instituere præsentatum, faciendæ, *c. 3. cit.* nisi Patroni probaverint impedimentum, v. g. absentiæ, ignorantiæ &c. vel nisi jus instituendi obtinens gratuito admittat præsentationem post lapsum temporis, *arg. c. 2. & 4. de Suppl. neglig. Prælat.* Ita denuo P. Pichler *lib. 3. tit. 38. n. 17.*

§. II.

§. II.

Quibus Beneficia conferri possint, aut debeant?

SUMMARIUM.

415. *Beneficia incompatibilia alia sunt* simpliciter, *alia* secundum quid *talia*. 416. *Quis hic censeatur* indignus, *quis* dignus, *& quis* dignior? 417. *Non possunt regulariter uni Clerico conferri duo, vel plura Beneficia incompatibilia.* 418. *Adstruuntur causæ dispensandi super pluralitate Beneficiorum incompatibilium.* 419. *Gravis est obligatio Beneficia, etiam simplicia, conferendi dignioribus.* 420. *Solvuntur argumenta opposita.* 421. *Assignantur causæ, ob quas Beneficium licite conferri potest digno, omisso digniore.* 422. *Collatio Beneficii illicite facta digno, prætermisso digniore, valet in utroque foro.* 423. *Etiam Prælaturæ Regulares dignioribus conferendæ sunt præ dignis.*

DUæ hic quæstiones enodandæ sunt. Prima, an eidem Clerico plura Beneficia simul conferri possint? Secunda, an Beneficia debeant conferri dignioribus? Pro resolutione primæ quæstionis

415 Prænotandum primo, Beneficia dividi in Compatibilia, & Incompatibilia, ex dictis *n.*404. Incompatibilia alia sunt *simpliciter*, alia *secundum quid* talia. Beneficia simpliciter incompatibilia (vocantur etiam incompatibilia *primi generis*) sunt, quæ ita inter se pugnant, ut, plene obtento secundo, amittatur ipso Jure, & vacet primum: cujusmodi sunt (attenta dispositione Jurium recentiorum) duæ Dignitates, duo Personatus, duo Officia, duo Beneficia curata, duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, seu idem servitium eodem tempore, & in eodem loco requirentia, ut duo Canonicatus in eadem Ecclesia &c. Beneficia secundum quid incompatibilia (vocantur etiam incompatibilia *secundi generis*) sunt, quæ quidem inter se pugnant, non tamen ita, ut, obtento secundo, amittatur ipso Jure, & vacet primum, licet Beneficiatus, si utrunque pergeret retinere, per sententiam cogendus esset, ut alterutrum dimitteret: qualia sunt, quorum quodlibet præbet congruam sustentationem; sive dein sint ambo simplicia; sive unum simplex, & alterum qualificatum: imo etiam duo simplicia, exigentia incompossibilem residentiam, licet singula non sufficiant ad congruam sustentationem. Konig *lib.*3. *tit.* 5. *n.* 11. Schmier *loc. cit. n.*78. & alii passim. Porro duplici ex capite nascitur incompatibilitas Beneficiorum. 1. Quando ex Jure communi, consuetudine, statuto, vel fundatione requirunt residentiam incompossibilem, aut servitium incompossibile. 2. Quando unum eorum sufficit ad congruam sustentationem Beneficiati. P. Krimer *lib.*3.*tit.*5. *num.*304. & alii. Nunc pro resolutione secundæ quæstionis

416. Prænotandum secundo, *dignum* respectu Beneficii Ecclesiastici, esse, qui obtinet omnes qualitates Jure requisitas ad illius ministerium rite obeundum (sicut a contrario *indignus* est, cui aliqua ex ejusmodi qualitatibus deest) *digniorem* vero, qui comparatione aliorum Competitorum præstantioribus eminet qualitatibus, seu (ut habet Tridentinum *Sess.*24. *c.*1. *de Refor.*) qui, omnibus pensatis, creditor fore Ecclesiæ *utiliori*: unde majorem dignitatem pro varietate circumstantiarum facere potest modo major probitas vitæ, modo major Zelus animarum, modo major scientia, modo major dexteritas agendi, & prudentia, modo major nobilitas, & potentia (qualis est apud Magnatum, & Principum filios) præsertim in locis Hæreticorum, vel etiam aliis, ubi Ecclesiæ indigent potenti protectione. Reiffenstuel *lib.*1. *Decret. tit.*6. *n.*235. *& seq.* Pichler *ibid. n.* 29. aliique communiter.

Dixi: *Comparatione aliorum Competitorum*, seu eorum, quibus Beneficium conferri potest sive de via ordinaria, puta quia spectant ad Corpus Capituli, Diœcesos &c. sive de via extraordinaria, quatenus gaudent indulto eligibilitatis v.g. &c. nam eum aliis comparatio institui nec debet, nec potest. Ratio est: quia comparatio solum institui potest, & debet inter dignos, ac pensari, quisnam ipsorum sit dignior, & utilior Ecclesiæ: sed alii (præter Competitores) non sunt de classe dignorum; eo quod illis aliqua qualitas Jure requisita desit, v.g. qualitas eligibilitatis &c. ergo &c. Ita insinuat P. Pichler *loc. & n. citt.* Nunc *ad* 1. *quæst.*

417. Dico primo. Non possunt regulariter uni Clerico conferri duo, vel plura Beneficia incompatibilia, undecunque eorum incompatibilitas oriatur. Conclusio est communis, & certa.

Probatur; imo patet *ex cap.* 5. 7. 14. 17. *&* 28. *de Prabend.* ex *Clement.* 3. *& Extravag. Execrabilis. Joannis XXII. eod.* ex *c.*9. *de Concess. Prabend.* & ex *can.*1. *dist.*89. ubi expresse habetur: *Singula Ecclesiastici Juris Officia singulis quibusque personis sigillatim committi jubemus &c.* ac tandem ex Trid. *Sess.*24. *c.*17. *de Refor.* ubi pluralitatem Beneficiorum (videlicet incompatibilium) ex professo reprobat, & postea subjungit: *Statuit* (S. Synodus) *ut imposterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur.* Suffragatur etiam ratio, eaque multiplex. Nam 1. per pluralitatem Beneficiorum, eidem Clerico collatorum, minuitur cultus Divinus; cum is, qui plura Beneficia possidet, nec bis recitet Horas, nec bis celebret Sacrum. 2. Ecclesia cum animarum detrimento suis Operariis destituitur. 3. Fundatores sua intentione fraudantur. 4. Pluribus aliis, æque aut magis idoneis, præcluditur via ad Beneficia. Lessius *de J. & J. lib.*2. *c.*34. *n.*137.

Dixi tamen 1. *regulariter*. Nam Papa (non item Episcopus, vel alius Papa inferior) ex justa causa dispensare potest, ut unus Clericus duo, vel plura Beneficia de se incompatibilia simul obtineat, & retineat: veluti praxis demonstrat.

Dixi 2. *Beneficia incompatibilia*. Nam Beneficia compatibilia, saltem duo, uni conferre licet; cum nec Jus, nec ratio obstet. An etiam tria, quatuor &c. controversum est. Negat id cum Garcia, & aliis P. Reiffenstuel *lib.*3. *tit.*5. *n.*268. ob Declarationes S. Congr. Trid. quales a Garcia plures assignantur: quarum secunda (ut alias idem continentes reticeam) sic habet: *Episcopus potest conferre secundum Beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem: sed si duo non sufficerent, non posset conferri tertium absque dispensatione Apostolica.* Affirmat cum Lessio, & Konig P. Schmier *loc. cit. n.*87. Rationem probativam sumit ex Concil. Trid. quod *loc.* supra *cit.* permittit, ut Clerico habenti unum Beneficium, congruam sustentationem non præbens, conferatur adhuc alterum (subintellige *simplex*; nam qualificatum superaddere non licet) una cum primo ad congruam sustentationem sufficiens: hoc ipso enim (loquit *cit.* Author) altefatum Concilium censetur etiam permisisse, ut in casu, quo duo Beneficia jam collata necdum tribuerent congruam sustentationem, possit superaddi tertium, quartum &c. Sed sententia negans videtur præferenda, & dicendum, quod tria, quatuor &c. Beneficia, esto singula non sufficiant ad congruam sustentationem, eidem Clerico conferri nequeant, vi Tridentini allegati, juncta Sacr. Congregationis declaratione, cui omnino deferendum est. Posset tamen id fieri non solum vi Pontificiæ dispensationis, sed etiam vi legitime introductæ consuetudinis, siqua talis alicubi vigeret: prout admittit ipse Reiffenstuel *cit. n.*272.

418. Quæres, quænam sint causæ dispensandi super pluralitate Beneficiorum incompatibilium, seu ut quis duo, vel plura hujusmodi Beneficia legitime adipisci, ac retinere valeat?

Respondetur, quod sint sequentes. 1. *Necessitas Ecclesiæ*, quando est penuria idoneorum Beneficiatorum, adeo, ut singulis Beneficiis non possit provideri de singulis Beneficiatis, seu Ministris idoneis. 2. *Utilitas Ecclesiæ* (non Beneficiati) quando nimirum unus plus creditur profuturus fidelibus sua scientia, prudentia, industria, Zelo, potentia, quam plures alii: ex quo capite in Germania plures Episcopatus ex dispensatione Pontificia conferri solent Filiis Principium; quia sic potentiores evadunt, & Ecclesias efficacius defendere possunt adversus insolentias, ac insultus Hæreticorum. 3. *Singularia alicujus merita in Ecclesiam: qui enim præsunt Presbyteri, duplici honore* (id est munerum largitione; ut interpretatur S. Hieronymus in *c.* 15. *Matth.*) *digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 247. *& seq.* Nunc *ad* 2. *quæst.*

419. Di-

419. Dico secundo. Beneficia (1.) saltem curata; imo etiam (2.) simplicia, conferenda sunt dignioribus sub obligatione gravi ex genere suo. Prima pars est communis, & certa. Secunda est probabilior, quam tenent D. Thomas 2. 2. q. 63. *art.* 2. Viva *super prop. damnat*, mox allegandam *n.* 9. *&* alii plurimi.

Probatur prima pars ex Concil. Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de Reform.* ubi ait, *quod alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent &c.* Et quoniam nonnulli Authores verba Concilii in sinistrum sensum detorquere ausi sunt, Innocentius XI. confixit hanc *propos. n.* 47. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc* Digniores, *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit Digniores, ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Et licet Trid. *loc. cit.* solum loquatur de Episcopatibus, & Cardinalatibus; postmodum tamen in *c.* 18. *ead. Sess.* determinat idipsum de Beneficiis curatis inferioribus, puta Parochialibus. Nec refert, quod in hoc posteriori *cap.* loquatur de promovendis ad Beneficia Parochialia per *Concursum*, seu speciale examen, ad quod vocandi sunt, vel admittendi, qui Beneficia prensant. Nam id communiter extenditur ad alias quoque collationes, quæ non prævio Concursu (quia forte non est in usu) fiunt: & merito; cum sit eadem ratio, & non obscure deducatur ex *cit. propos. damnat.*

Confirmatur ex *c. un. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminut. conferantur*, ubi Innocent. III. ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in persona magis idonea dispensare.* Quod pro conclusione afferri clarius posset?

Probatur eadem pars ratione deprompta ex D. Thoma *cit.* Quia si dignior prætermittatur, & assumatur dignus, fit acceptio personarum, & violatur Justitia saltem distributiva; cum Beneficia sint bona communia, & præmia meritorum, quorum Episcopi, aliique Collatores non domini, sed dispensatores duntaxat existunt juxta Apostolum 1. *Cor.* 4. atqui acceptatio personarum, & violatio Justitiæ distributivæ, est peccatum mortale ex genere suo, præsertim in spiritualibus; ut notat D. Angelicus *loc. cit.* ergo &c. Deinde peccatur peccato scandali, quatenus Ecclesiis providendo de dignis, postbabitis dignioribus, pauciora peccata caventur; & ideo Trid. in *c.* 1. supra dicit, aliorum peccatis communicare, qui dignos dignioribus anteferunt. Denique peccatur contra venerationem Ecclesiæ debitam: sicut enim quilibet præstantiores famulos requirit, qui in sua domo sibi deserviant; ita præstantiores Ministros debet ad inserviendum Ecclesiæ promovere, ut ejus honori, & dignitati consulatur; Collator enim Beneficii se habet instar Oeconomi, atque idcirco ad illum spectat digniores reperire, qui Ecclesiæ deserviant, & in salutem animarum incumbant.

Dixi in hac probat. quod Collator peccet contra Justitiam *saltem distributivam*. Nam si conferat Beneficium per Concursum, peccat etiam contra Justitiam commutativam; imo etiam si conferat extra Concursum, non quidem relate ad digniorem prætermissum, sed relate ad Communitatem inde damnificatam, quam tamen Collator ex proprio munere, atque adeo ex contractu, vel quasi contractu tenetur servare indemnem; quod non censetur facere eidem præficiendo Beneficiatum, Parochum v. g. minus dignum, posthabito magis digno. P. Viva *loc. cit. n.* 18. Sed de hoc iterum *p. seq.*

Probatur nunc etiam secunda pars conclus. Quia licet Conc. Trid. aliaque Jura loquantur de Beneficiis curatis, extendi tamen recte possunt ad Beneficia simplicia, præsertim quæ sunt majoris momenti, uti sunt Canonicatus &c. cum etiam hic si conferantur dignis, postpositis dignioribus, contingat acceptio personarum, & violatio Justitiæ distributivæ, peccetur que contra venerationem Ecclesiæ debitam: prout recte notat P. Viva *citt.*

Dixi in conclus. sub obligatione gravi *ex genere suo*, ut indigitarem, dari hic posse parvitatem materiæ. Unde si Beneficium, etiam curatum, conferatur digno, prætermisso parum, seu non notabiliter digniore, non delinquitur mortaliter: cum ea modica differentia non videatur inducere periculum gravis incommodi, vel damni in Ecclesiam, aut subditos redundaturi ex promotione minus digni, quæ tamen ratio fuit sub gravi culpa præcipiendi prælationem dignioris. Lugo *de J. & J. disput.* 36. *sect.* 3. *num.* 21. Sanchez *lib.* 2. *Consil. c.* 2. *dub.* 1. *num.* 17. & alii plures. Pariter a mortali Collator excusari potest; si tenue quodpiam Beneficium simplex conferat digno, omisso digniore. Ita cum Lugone, & aliis P. Viva *loc. cit. num.* 9. Ratio est eadem.

520. Objicies. Sequeretur ex conclus. primo, quod etiam Patronus, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, teneretur præsentare digniorem; &, secundo, Resignans resignare digniori. Tertio, sequeretur onus grave, & anxietatibus, scrupulisque plenum, si esset obligatio, & quidem gravis ex genere suo, Beneficia semper conferendi dignioribus; præsertim quia non debet, nec potest continuo censeri dignior, qui est sanctior, doctior, vel nobilior, sed qui, omnibus pensatis, judicatur fore Ecclesiæ utilior, secondum dicta *num.* 416. Ergo &c.

Respondetur ad singula membra object. Et quidem ad primum, con. seq. Nam eadem incommoda, & damna pullulare nata sunt ex prælatione minus digni, sive dein hæc prælatio fiat immediate ab ipsomet Collatore, sive a Patrono, & ob præsentationem ab eo factam. Ad secundum con. iisdem seq. Nam licet Resignans Beneficium digno, prætermisso digniore, non peccet contra Justitiam distributivam (eo quod ipse non sit distributor, sed translator proprii juris) communicat tamen peccatis aliorum, si Beneficium curatum, vel saltem contra venerationem Ecclesiæ debitam, si Beneficium sit simplex. Ad tertium neg. seq. Licet enim Beneficia, cum conferantur primario in bonum Ecclesiæ, & secundario in præmium meritorum, conferenda sint potius illi, qui censetur Ecclesiæ utilior, humano tamen modo inquirendum, & judicandum est, deponendo coram Deo omnem passionem, ac humanum affectum, solumque respiciendo Divinam gloriam, emolumentum Ecclesiæ, & salutem animarum. Quod si post præmissam ejusmodi inquisitionem, & considerationem dubium remaneat, quisnam ex Competitoribus sit dignior, Beneficium conferri poterit alicui ex æque dignis ad arbitrium. Et sane si obligatio conferendi Beneficia dignioribus tantas anxietates, & scrupulos involveret, ut onus Collatoribus moraliter importabile foret, idem eveniret in casu, quo Beneficia conferuntur per *Concursum*; & consequenter neque tali casu digniores dignis præferendi essent: quod expresse repugnat Tridentino supra *cit.*

421. Queres primo, num extent aliquæ causæ, ob quas Beneficium licite conferri possit digno, omisso digniore?

Respondetur, tres assignari a Pichlero *lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 29. *in fin.* Prima est, si dignior fructuosius occupetur aliquo munere inferiori; aut ex industria servetur ad Prælaturam eminentiorem, vel Beneficium præstantius brevi vacaturum. Secunda est, si dignior prævideatur non diu administraturus Prælaturam, vel Beneficium, v. g. ob senium, debilem, aut infirmam complexionem; vel ob voluntatem brevi iterum resignandi antea manifestatam; quia crebræ mutationes potius obsunt, quam prosunt Ecclesiis. Sed hic negari potest suppositum, quod talis sit dignior; ut patet consideranti. Tertia est, si nulla sit spes, quod quis, v. g. in actu electionis, suo suffragio profuturus sit illi, quem judicat digniorem, ut si videat, reliquos Suffragatores inclinare in alium, quem ipse reputat minus dignum. Si tamen per suum suffragium judicato a se digniori posset multum prodesse, v. g. in ordine ad aliam electionem, illud eidem dare teneretur sub gravi obligatione.

422. Quæres secundo, an collatio Beneficii illicite facta digno, prætermisso digniore, sit saltem valida?

Respondetur esse validam, & quidem in utroque foro, ut rescindi non possit. Engel *lib.* 1. *tit.* 6. *num.* 47. Reiffenstuel *ibid. num.* 248. & alii passim. Sumitur ex *c.* 19. *&* 32. *de Elect.* ubi refertur electio minus digni, omissis dignioribus, &, stantibus aliis, confirmanda

censo-

censetur. Idque merito: cum alioquin quælibet fere collatio (vel electio) impugnari posset sub prætextu, quod sit facta minus digno, præterito digniore; sicque porta pateret innumeris litibus. Secus dicendum de collatione, quæ fit indigno: hæc quippe vel ipso facto irrita est, vel saltem irritanda; prout distincte, & explicate tradit P. Pichler *lib. 1. tit. 6. n. 26.* quem utiliter videbis.

423. Quæres tertio, an etiam Prælaturæ Regulares dignioribus conferendæ sint præ dignis?

Respondetur affirmativè. P. Viva *loc. cit. n. 17.* & alii communiter contra paucos. Ratio est: quia licet Prælaturæ Regulares stricte loquendo Beneficia non sint, cum non habeant adjunctam utilitatem redituum Ecclesiasticorum; sunt tamen quasi Beneficia: & (quod rei caput est) eadem incommoda, & damna sequerentur, si conferrentur minus dignis, quæ sequuntur ex collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum facta minus dignis.

Nec obstat, quod Prælatura Regularis non sit perpetua, sicut Beneficium. Nam licet hoc ut plurimum sit verum, non tamen ad rem facit, nec tollit incommoda, quæ ex collatione talis Prælaturæ, facta minus digno, oriri nata sunt. Si enim liceret primo triennio v. g. Prælaturam Regularem conferre minus digno, liceret & secundo, tertio, quarto &c. triennio; atque ideo semper haberetur Pastor minus idoneus ad oves pascendas: consequenter &c. P. Viva *loc. & n. citt.*

ARTICULUS III.

De Residentia in Beneficiis.

§. I.

An omnes Beneficiati teneantur in suis Beneficiis residere, quanto tempore, & quo Jure?

SUMMARIUM.

424. Quid sit Residentia in Beneficio, & quotuplex? 425. Regulariter tenentur residere omnes Beneficiati. 426. Quid intelligatur per locum Beneficii, in quo Beneficiatus residere tenetur? 427. Beneficiati non tenentur residere toto anni tempore. 428. An dentur causæ & quænam, solito longiorem Beneficiati absentiam excusantes? 429. Habentes Beneficia curata, tenentur residere Jure Divino, & Naturali, conditionato tamen; habentes autem Beneficia simplicia, Jure Ecclesiastico tantum. 430. & seqq. solvuntur objectiones.

424. PRænotandum, quod Residentia in Beneficio sit *commoratio Beneficiati, moraliter saltem continua, in loco Beneficii, ad præstandum ibi personaliter servitium Ecclesiasticum.* Ad quam proinde requiritur 1. personalis commoratio, seu mansio in loco, sive *vera*, ut Beneficiatus ipse ibi physice habitet; sive *ficta*, ut fictione Juris ibi habitare, seu præsens esse censeatur, quamvis ex legitima causa physice sit absens. Krimer *lib. 3. tit. 4. n. 85.* Requiritur 2. commoratio *formalis, & obsequiosa*; nec sufficit *materialis, & otiosa*: quia Beneficium datur propter Officium, non propter materialem præsentiam, & otium. Neque, regulariter loquendo, satisfacit Beneficiatus, si substituat alium, qui in loco sui vices, & Officium peragat: prout habetur expressum in Trid. *Seff. 24. de Reform. c. 12.* Dixi tamen: *regulariter loquendo*. Nam Constitutioni altefati Concilii derogatum est quoad Psalmodiam personalem Canonicorum Cathedralium in plerisque Ecclesiis Germaniæ per consuetudinem contrariam. P. Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 2. c. 3. n. 333.*

425. Dico jam primo. Residere tenentur regulariter omnes Beneficiati, nimirum non solum obtinentes Prælaturam, Dignitatem, Personatum, Officium, Canonicatum, aut Beneficium curatum; *c. 1. 6. & 39. de Cleric. non resident. c. 13. 30. & 35. de Præbend.* ac Trid. *Seff. 23. c. 1. & Seff. 24. c. 12. de Reform.* sed etiam obtinentes Beneficium simplex qualecunque, *can. fin. dist. 92. & c. 6. 10. ac 35. citt.* Ratio universalis redditur in *c. fin. de Rescript. in 6.* ibi: *Beneficium datur propter Officium*, personaliter nempe præstandum: consequenter &c.

Dixi: *regulariter*, seu vi Juris communis. Nam in Beneficiis simplicibus (exceptis tamen Canonicatibus, ac Præbendis Ecclesiarum Cathedralium respective, & Collegiatarum) obligatio residendi ubique fere locorum per contrariam consuetudinem abolita est, ut proinde id genus Beneficiati non teneantur personaliter residere, & per seipsos functiones obire, sed possint loco sui alios substituere, qui obeant; nisi forte contra excipiatur in fundatione Beneficii. Ita cum Garcia, Vallensi, Barbosa, Fagnano, Felino, & aliis testatur P. Schmier *loc. cit. n. 364.*

426. Quæres, quid intelligatur per locum Beneficii, in quo Beneficiatus residere tenetur?

Respondetur, intelligi districtum, intra quem Beneficium est situm: qualis respectu Parochi est Oppidum, in quo sita est Parochia; respectu Canonici Civitas, ubi consistit Ecclesia Cathedralis, aut Collegiata; respectu Episcopi Diœcesis &c. ut adeo Parochus teneatur residere intra limites Parochiæ; Canonicus in Civitate, vel prope eam; Episcopus intra fines suæ Diœceseos. Certis tamen, & principalibus anni temporibus Episcopus juxta Trid. *Seff. 23. de Reform. c. 1.* in ipsa Ecclesia Cathedrali præsentem se sistere obligatur. P. Konig *lib. 3. tit. 4. n. 20.* & alii communiter.

427. Dico secundo. Beneficiati non tenentur toto anni tempore residere. Ita DD. communiter.

Probatur, & declaratur conclusio. Nam Episcopis, & Canonicis tum Cathedralibus, tum Collegiatis indulgetur a Trid. *Seff. 23. c. 1. & Seff. 24. c. 12. de Reform.* ut singulis annis abesse possint per duos, vel tres menses sive continuos, sive interpolatos: modo menses unius anni non connectant, & continuent cum mensibus alterius anni, juxta Declarationem Cardinalium, quam refert Fagnanus in *c. 9. de Cleric. non resident. n. 40. & seqq.* quia talis absentia non censeretur *brevis* (qualis a Trid. permittitur) sicut censetur brevis relate ad duos, vel tres menses ejusdem anni, non connexos cum mensibus alterius anni. Unde Episcopus, vel Canonicus indulgentia Tridentini abuteretur, si abesset ab Episcopatu, vel Ecclesia pro anno currente mensibus Octobri, Novembri, & Decembri, ac pro sequente mensibus Januario, Februario, & Martio. P. Reiffenstuel *lib. 3. tit. 4. n. 37.* & alii passim. Vult præterea Synodus *cit.* ut Episcopi facultate sibi indulta non utantur tempore Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Adventus, & Nativitatis Domini (nisi tunc eos alio avocent munia Episcopalia) & ut Canonici non omnes, aut plerique simul absint, ne, præsertim in principalioribus anni Festis, cultus Divinus detrimentum patiatur. Reiffenstuel *loc. cit. n. 34. & 117.* Pichler *lib. 3. tit. 4. n. 11.* & alii communiter. Respectu Parochorum tempus absentiæ brevius esse debet, v. g. unus, vel ad summum duo menses; & ita quidem, ut discessio a Parochia fiat cum licentia Ordinarii in scriptis obtenta, & substituto interim Vicario idoneo, *cit. Seff. 23. c. 1.* Unde tres menses censentur tempus breve relate ad Episcoporum, vel Canonicorum absentiam; sed non relate ad absentiam Parochorum. Reiffenstuel *loc. cit. n. 67. & seqq.* His tamen non obstantibus, potest Parochus ex causa, quam judicat legitimam, uno, alterove, imo quinque, sex, vel septem diebus abesse sine licentia Ordinarii, nisi hic talem absentiam specialiter prohibuerit, aut prohibeat. Ita proxime nominatus Author cum aliis a se relatis *loc. cit. n. 79.* Ratio est: quia ex tam modica proprii Pastoris, constituentis interea idoneum Vicarium, absentia non censetur ovibus morale aliquid periculum imminere: consequenter &c.

428. Quæres, an dentur causæ, & quænam, longiorem Beneficiati absentiam excusantes?

Respondetur, dari, & præcipue quatuor, assignatas a Trid. *Seff. 23. c. 1. de Reform.* Prima est *Christiana Charitas*, ut si Beneficiatus absit ad componendam pacem, ad convertendos peccatores &c. Secunda est *urgens necessitas*; ut si Beneficiatus mutet auram recuperandæ sanitatis gratia &c. Tertia est *debita Obedientia*; ut si Superior Ecclesiasticus Beneficiatum avocet ad peragendum negotium pro bono Ecclesiæ, vel Reipublicæ. Quarta est *evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*; ut si Beneficiatus alibi defendat jura suæ Ecclesiæ, vel Beneficii; negotium in utilitatem Regni, vel Provinciæ expediat &c. Semper tamen debet substitui alius, qui interea Beneficio debite præsit. P. Krimer *lib. 3. tit. 4. a num. 114.* His quatuor causis superaddi potest quinta, videlicet *legitima consuetudo*, vi cujus plures absentiæ menses conceduntur v. g. in Canoni-

eatibus, præsertim Germaniæ: sic alicubi per tres, alibi per quatuor, alibi per sex duntaxat menses Canonici præsentes esse debent, ita, ut nihilominus fructus præbendales totius anni percipiant: quia nempe Tridentinum vel nunquam est receptum, vel contraria consuetudine denuo abolitum: sicut ex eadem causa iidem Canonici, saltem Cathedrales, psallere possunt per Vicarios. Ita insinuat P. Schmier *loc. cit. n.* 362. & categorice tradit P. Pichler *in suo Candid. abbreviat. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 6.

429. Dico tertio, Episcopi, Parochi, aliique Beneficia curata obtinentes 1. Jure Divino, & Naturali, conditionato tamen, tenentur personaliter residere; obtinentes vero Beneficia non curata, seu simplicia 2. Jure Ecclesiastico solum. P. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 4. *a n.* 10. P. Pichler *eod. (in Candito ampliore) n.* 4. & 10. & alii apud ipsos.

Probatur prima pars. Et quidem de Jure Divino ex Concil. Trid. *Sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* ubi PP. Concilii sic ajunt: *Cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere &c.* De Jure autem Naturali ex hac ratione; nam Pastor vi Officii, adeoque Jure Naturali, tenetur gregi suo invigilare, & præstare munia pastoralia; quæ præstare nequit, nisi personaliter resideat, juxta contextum Tridentini supra; ergo Beneficiatus non solum Jure Divino, sed & Naturali obligatur personaliter residere; cum quis eadem obligatione obligetur ad medium, qua obligatur ad finem, absque eo medio non obtinibilem.

Probatur etiam secunda pars. Siquidem Beneficia non curata tantum erecta sunt propter cultum Divinum, qui, quantum est de Jure Divino, & Naturali, æque exhiberi, seu præstari potest per idoneum Vicarium, ac per ipsummet Beneficiatum; ergo Beneficiati, illa habentes, non Jure Divino, & Naturali, sed Ecclesiastico duntaxat, & ex primæva Fundatorum intentione per SS. Canones approbata, obligantur personaliter residere, suaque munia peragere per seipsos.

430. Objices primo contra primam partem. Si obligatio residendi, & personaliter munia pastoralia præstandi, in Beneficiis curatis esset Juris Divini, & Naturalis, sequeretur, Pontificem non posse dispensare super pluralitate ejusmodi Beneficiorum: sequela autem pugnat contra experientiam, qua constat, S. Pontificem sæpenumero dispensasse, v. g. uni plures Episcopatus, aut Parochias conferendo: ergo &c.

Respondetur, dist. seq. maj. Si esset Juris Divini, & Naturalis absoluti, & in qualibet hypothesi, con. conditionati, & in thesi solum, neg. seq. maj. & concessa minore, eodem modo distinguendum est cons. Obligatio residendi, & munia pastoralia personaliter præstandi in Beneficiis curatis est quidem Juris Divini, & Naturalis, sed conditionati tantum, nisi videlicet justa causa excuset, & in thesi, id est, in genere, & abstrahendo a certis circumstantiis: in quali Jure Pontifex dispensare potest, vel declarare, illud in hypothesi, seu in occurrentia talis causæ, vel circumstantiarum non obligare.

431. Objicies secundo contra eandem partem. Diœceses, & Parochiæ sunt erectæ ab Ecclesia; ergo obligatio in iis residendi descendit tantum ab Ecclesia, non ex Jure Divino, & Naturali.

Respondetur, neg. cons. Præsupposito enim, quod pro certo districtu, nimirum Diœcesi, vel Parochia, constitutus sit ab Ecclesia Episcopus, vel Rector animarum, Christus, & Natura illos obligat ad residendum; cum alias non possent debite munia sua pastoralia præstare, ut dictum.

432. Objicies tertio contra secundam partem. Quilibet obligatur Jure Naturali præstare ea, quæ ipsi incumbunt ex Officio: sed residere in Beneficiis etiam non curatis, & annexa eis munera personaliter obire incumbit Beneficiatis ex officio; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. Sed sufficit (quantum est ex natura rei, & de Jure Divino) si munia illa obeant per substitutum, vel procuratorem (ut loquitur P. Schmier *loc. cit. n.* 30.) nisi forte Fundator expresserit oppositum; quod regulariter non fit. Dispar ergo est ratio inter Beneficia curata & non curata; nam munia illorum, cum pastoralia sint, ex natura rei, & de Jure Divino, ab ipsomet Pastore personaliter obiri debent, nisi justa causa excoset; prout relinquitur ex dictis: at munia istorum, cum pastoralia non sint, etiam per alium (spectata rei natura, & Jure Divino) obiri valent: quemadmodum advertit, & latius exponit P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 16.

§. II.

Quænam sint emolumenta Beneficiatorum residentium, & quænam pœnæ non residentium?

SUMMARIUM.

433. Emolumenta temporalia Beneficiatorum debite residentium sunt fructus annui, & distributiones quotidianæ. 434. & seq. An illa percipiant, quando ex justa causa non resident? 436. An quotidianæ distributiones, seu portiones Beneficiatorum non residentium accrescant præsentibus? 437. An præsentes absentibus possint suas portiones remittere? 438. Assignantur pœnæ Beneficiatorum culpabiliter non residentium.

433. Dico primo. Duo sunt emolumenta (temporalia) Beneficiatorum debito tempore, & modo residentium, nempe *Redditus annui*, seu *fixi*, & *Distributiones quotidianæ*, seu *Præsentiæ*, ut vocant.

Explicatur. Redditus annui, seu fixi sunt fructus, qui residentibus dantur annuatim absque respectu ad singulas interessentias, seu præsentias in Choro, vel Divino Officio. Distributiones quotidianæ, seu Præsentiæ sunt fructus, qui dantur intuitu cujuslibet interessentiæ, seu præsentiæ personalis (veræ, vel fictæ) in Choro, vel Officio Divino; sive dein a fidelibus specialiter sint fundati, ut portiones funebres in Anniversariis sive ex communi massa, & collectione fructuum, Ecclesiæ Beneficiatæ quotannis obvenientium, designati, ut inter præsentes in Divinis Officiis dividantur. Fructus (sive annui, sive quotidiani) qui consistunt in frumento, vino, piscibus, & similibus rebus ad victum specialiter ordinatis, vocantur fructus *grossi*, seu *victualia*: communiter tamen soli fructus annui sic nuncupari solent; eo quod frequentius, ac quotidiani, in ejusmodi rebus siti sint. Nunc

434. Quæres primo circa primum emolumentum, an Beneficiati lucrentur fructus annuos, si ultra tempus concessum ex justa causa non resideant?

Respondetur affirmative. Ita P. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 134. item *n.* 165. & alii communiter. Ratio est: quia absentes ex justa causa, in ordine ad effectum percipiendi redditus annuos, fictione Juris censentur præsentes. *c.* 15. *de Cleric. non resid.* Unde siquis absit causa studiorum in aliqua Universitate, vel generali Studio fructus Beneficii annuos percipere potest: modo studeat Theologiæ, vel Juri Canonico, *c.* 12. *Cleric. non resident.* & *c. ult. de Magistr.* quæ causa reducitur ad quartam ex supra *n.* 428. enumeratis; siquidem Ecclesiæ vel maxime interest, viros habere literatos, *c.* 34. *de Elect. in* 6. Similiter percipere fructus annuos suarum Præbendarum possunt duo Canonici, sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ, quos assumit Episcopus ad se juvandum in suo munere, v. g. in visitatione Diœcesis, *cit. c.* 15. *de Cleric. non resident.* siquidem & hæc causa reducitur, ac pertinet ad quartam causam proxime specificatam. Idem est, siquis absit ex aliis causis *n.* 428. *cit.* nominatis; vel etiam ex alia, quæ videatur Episcopo justa. Ubi tamen semper requiritur licentia ejusdem Episcopi, vel Prælati; & substitutio Vicarii, quando Beneficiatus est curatus. P. Krimer *lib.* 3. *tit.* 4. *n.* 117.

435. Quæres secundo circa secundum emolumentum, an Beneficiatus etiam lucretur distributiones quotidianas, si justa de causa non resideat, vel Officio Divino non intersit?

Respondetur, causas, quæ ex dictis in *n. præced.* & *n.* 428. Beneficiatum suffragantur in ordine ad effectum lucrandi fructus annuos, non suffragari eidem in ordine ad effectum lucrandi etiam distributiones quotidianas; sed requiri alias in ordine ad hunc effectum a Jure specialiter approbatas: quales sunt tres assignatæ in *c. un. de Cleric. non resident. in* 6. Prima est *infirmitas*, sive jam præsens, sive quæ Medici judicio timetur secutura

ex ac-

ex accessu ad Ecclesiam; ut podagra, febris &c. litem ortum traxerit, aut tractura sit exculpa, v. g. ex intemperantia Infirmi. Ubi tamen Authores requirunt, ut si missis Beneficiatus tempore sanitatis solitus sit comparere in Choro, & interesse Divinis: item ut tempore infirmitatis corporaliter resident in loco Beneficii, cap. un. eit. & c. 30. de Elect. in 6. Secunda est justa, & rationabilis corporis necessitas, cui nempe Beneficiatus causam culpabilem non dederit; ut si sit injuste excommunicatus, incarceratus, sanguine minutus &c. Tertia est evidens utilitas Ecclesiæ, ejus scilicet, de cujus distributionibus quæritur, non alterius sive particularis, sive universalis: ut si Beneficiatus agat Romæ, vel alibi negotium suæ Ecclesiæ, Capituli, vel Beneficii. Hæ propter causæ, & non aliæ, Beneficiatum constituunt præsentem fictione Juris in ordine ad lucrandas distributiones quotidianas. Ita cum aliis a se relatis ostendit, & fuse deducit P. Reiffenstuel lib. 3. tit. 4. a num. 185. Quibus tamen superaddi posse consuetudinem legitime introductam censet Pichlerus in Candidat. abbreviat. lib. 3. tit. 4. n. 8. modo Concilium Tridenti non sit antegressa; nam consuetudines antegressas idem Concilium sustulit. Sess. 24. c. 12. de Reform. Sic alicubi lucrantur distributiones, qui quadraginta annis inservierunt Ecclesiæ frequentando Divina, esto nunc absint, & non amplius frequentent.

Dices. Distributiones quotidianæ deputantur æque in sustentationem Beneficiatorum, seu Canonicorum, ac reditus annui; ergo ex iisdem causis, ex quibus Beneficiatus fingitur præsens relate ad percipiendos redditus annuos, etiam fingitur præsens relate ad percipiendas distributiones quotidianas.

Respondetur, dist. ant. Deputantur in sustentationem &c. ex alio tamen titulo, nempe propter singulas interessentias in Choro, & Divinis Officiis, con. ex eodem titulo, ex quo redditus annui, neg. ant. & conf.

436. Quæres tertio, an quotidianæ distributiones, seu portiones Beneficiatorum, tam realiter, quam ficte absentium, accrescant præsentibus?

Respondetur, accrescere, si certa quantitas sit assignata omnibus, qui præsentes sunt, v. g. decem, vel duodecim floreni. Trid. Sess. 21. c. 3. de Reform. non autem accrescere, si singulis præsentibus sit determinata certa quantitas, v. g. cuilibet florenus, vel triginta cruciger; tunc enim portiones absentium remanent in massa Ecclesiæ, arg. Trid. Sess. 22. de Reform. c. 3. Et hoc modo conciliatur dispositio Concilii, in dictis duobus locis facta. Reiffenstuel loc. cit. n. 182. & seqq. Schmier lib. 3. tr. 1. part. 2. n. 387. aliique passim.

437. Quæres quarto, an præsentes absentibus possint suas portiones remittere?

Respondetur. Non possunt loquendo de portionibus, quæ præsentibus accrescere nequeunt secundum dicta n. præced. quia remissio cederet in præjudicium Ecclesiæ. At loquendo de portionibus, quæ præsentibus accrescere queunt per dicta citm. distinguendum est. Vel enim præsentes jam perceperunt illas portiones, vel non? Si primum; remittere possunt absentibus; eo quod tunc jam acquisierint earundem dominium. Si secundum; remittere non possunt: quia remissio in Trid. Sess. 24. de Reform. c. 12. in V. distributiones, tunc interdicitur ad avertendum periculum collusionis, & majoris remissionis, ac negligentiam in Divinis. Garcia de Benefic. part. 3. c. 2. a n. 427. Schmier loc. cit. a num. 390. & alii.

438. Dico secundo. Pœna culpabiliter non residentium in Beneficiis curatis est privatio fructuum alioquin percipiendorum, adeo, ut si percepti fuerint, ante omnem sententiam debeant restitui, id est, erogari in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes. Trid. Sess. 23. c. 1. de Reform. ubi exasperavit pœnam in Sess. 6. c. 1. de Reform. statutam. Porro Episcopi, si privatione fructuum ad residendum non moveantur, denunciandi sunt Papæ, ut is remedium afferat: Trid. Sess. 6. cit. Inferiores vero Curati ab Episcopo citandi sunt vel personaliter, vel per edictum, & quidem ter, & non nimis festinanter, monendique comminatorie ad residendum, c. 8. 10. 11. & fin. de Cleric. non resident. Item Trident. Sess. 23. c. 1. cit. Quodsi intra sex menses non pareant, neque compareant citati, in arbitrio Episcopi est eos vel statim privare Beneficiis, vel prius sequestratione fructuum, aut censuris ad residendum compellere, & postmodum, in sua adhuc contumacia persistentes, iisdem privare, c. 2. 3. 4. & 11. tit. cit. Pœna Canonicorum, & aliorum, qui in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Dignitatem, Prebendam, vel Portionem obtinent, est hæc: primo anno privandi sunt dimidia parte fructuum, computatis etiam illis, quos forte eo anno ratione Præbendæ, & residentiæ, ut non sufficientis, fecerunt suos: secundo anno omnibus fructibus, quos eodem lucrati sunt: tertio anno, si contumaciter absint, contra eos procedendum est juxta SS. Canonum Constitutiones. Trid. Sess. 24. c. 12. de Reform. id est, citandi sunt; & vel immediate privandi Canonicatibus, si se refractarios exhibuerint, vel censuris &c. ad residendum cogendi, c. 4. 8. & 11. de Cleric. non resid. expectatis tamen post ultimam citationem sex mensibus. Ita fere verbatim. P. Pichler in suo Cand. abbreviat. lib. 3. tit. 4. n. 9. & 10.

ARTICULUS IV.

Expediuntur residuæ Quæstiones huc pertinentes:

SUMMARIUM.

439. *Quid sit Unio Beneficiorum, & quænam circa eandem notanda?* 440. *An Prælati Episcopo inferiores, v. g. Abbates, Beneficia unire possint?* 441. *Quid sint Divisio, Dismembratio, ac Suppressio Beneficii, & quænam circa illas notanda?* 442. *Quid sit Resignatio Beneficii, & quænam circa eam notanda?* 443. *Quid sit Permutatio Beneficii, & quænam notanda circa illam?* 444. *Quid sit jus Patronatus, & quænam circa illud notanda?*

439. QUæres primo, quid sit Unio Beneficiorum, & quædam circa eandem notanda?

Respondetur primo. Unio Beneficiorum (vel Ecclesiarum) est duorum (vel plurium) Beneficiorum a legitimo Superiore facta annexio. Reiffenstuel lib. 4. tit. 12. n. 36. Potest fieri duobus præcipue modis, videlicet æque principaliter, & accessorie. Priore modo fit, quando duo Beneficia ita uniuntur, ut acquirant quidem unum Rectorem, sed quodlibet retineat suam naturam, & titulum, qualitates, & prærogativas, nec unum alteri subjiciatur. Posteriore modo fit, quando Beneficium minus dignum annectitur magis digno tanquam accessorium principali, adeo, ut illud hujus quasi naturam, titulum, qualitates, & prærogativas induat, propriis exutum. Beneficium, sive Ecclesia sic unita vocatur filialis, sive filia, & cui unitur mater. P. Schmier lib. 3. tr. 1. part. 2. c. 3. a n. 90.

Respondetur secundo. Unire, juxta formam Juris communis, Beneficia, & Ecclesias sibi subjectas potest Episcopus, exceptis infra recensendis. Sumitur ex c. 8. de Excess. Prælat. Requiritur tamen justa causa, qualis est evidens Ecclesiæ vel necessitas, vel utilitas; ut si Beneficia sint adeo tenuia, ut duo Beneficiati inde sustentari nequeant, vel alias tam idonei Ministri non habeantur. Trid. Sess. 7. c. 6 de Reform. & c. 13. de Prebend. Requiritur præterea consensus Capituli: quia unio Beneficiorum est quædam alienatio.

Dixi in respons. juxta formam Juris communis, id est, si unio fiat principaliter in favorem Ecclesiæ, & ut in perpetuum duret, de quo uniendi modo impræsentiarum sermo est. Nam unire principaliter in favorem Beneficiati, & ad tempus duntaxat, puta ad ejus vitam, solus Pontifex, non item Episcopus potest: quia talis unio, cum fiat contra formam Juris communis, est quædam quasi dispensatio in eodem Jure, quæ potestatem Episcopi transcendit. Pirhing lib. 3. tit. 5. n. 205. Dixi insuper: Beneficia & Ecclesias sibi subjectas, exceptis &c. Nam hodie vetitum est Episcopo unire Beneficia unius Diœcesis cum Beneficiis alterius; Beneficia curata, & Ecclesias Parochiales Monasteriis, Dignitatibus, Hospitalibus, Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aut Beneficiis simplicibus: item collativa patronatis, Trid. Sess. 14. c. 9. Sess. 24. c. 13. & Sess. 25. cap. 9. de Reform. P. Pichler in Candid. abbreviat. lib. 3. tit. 5. num. 10.

440. Petes, an etiam alii Prælati, Episcopo inferiores, v. g. Abbates, Beneficia unire possint?

Respondetur, quod non possint absque consensu proprii Episcopi, juxta textum apertum in c. 8. de Excess. Prælat. Quod intellige, nisi virtute specialis privilegii, aut præscriptionis gaudeant potestate uniendi, nam jura Episcopalia

præscribi ab inferioribus valent. *c. 15. de Præscript.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 66.*

441. Quæres secundo, quid sint Divisio, Dismembratio, ac Suppressio Beneficii, & quænam circa illas notanda?

Respondetur primo. Divisio, seu Sectio Beneficii, quæ opponitur Unioni, est, quando ex uno Beneficio fiunt duo (vel plura) ita, ut, divisis fructibus, impositisque, duo instituantur Beneficiati. Dismembratio Beneficii est ejus diminutio, dum salva illius unitate, & titulo, pars fructuum, quibus abundat, applicatur alteri. Suppressio Beneficii est totalis ejusdem extinctio. P. Reiffenstuel *loc. cit. a n. 21.*

Respondetur secundo. Divisio Beneficii permissa est Episcopo ex justa causa, & cum consensu Capituli, quemadmodum *n. præced.* diximus de Unione. Constat ex *c. 8. de Præbend. c. 3. de Eccles. ædif.* & Trid. *Sess. 21. c. 4. Reform.* Imo ubi necessitas urget, v. g. si parochiani magnam persentiscant difficultatem in adeundo Ecclesiam suam Parochialem, & hæc parhent sufficientes redditus ad duos Parochos congrue sustendandos, præcepta est Episcopo divisio, *cit. c. 3.* Dismembratio itidem fieri potest ab Episcopo; at similiter non sine justa causa necessitatis, vel utilitatis, nec sine consensu Capituli, *c. 10. de Præbend. & un. §. fin. Ut Benefic. Ecclesiast. sine diminut.* Suppressio etiam conceditur Episcopo ex justa causa, quæ fere est sola tenuitas, & insufficientia redditunm, & cum consensu Capituli, *c. 12. de Constitut.* & Trid. *Sess. 24. c. 15. de Reform.* P. Pichler *loc. proxime cit. n. 12. & seqq.*

442. Quæres tertio, quid sit Resignatio Beneficii, & quænam circa eam notanda?

Respondetur primo. Resignatio Beneficii est libera, & spontanea dimissio juris, quod quis habet in vel ad Beneficium. Alia est *Tacita*, alia *Expressa*. Prior fit, quando Beneficiatus assumit statum cum Beneficio incompatibilem; ut si in Minoribus constitutus ineat Matrimonium: vel quando ponit actum, ex quo Jura præsumunt animum resignandi, aut ipso facto inducunt privationem Beneficii. Posterior fit verbis expresis, vel per scripturam. Et hæc subdividitur in *puram*, & *non puram*. Pura dicitur, quando Beneficium resignatur sine ulla adjecta conditione, pactione, aut modo. Non pura dicitur, quando adjicitur conditio, pactum, vel modus: ut si fiat in favorem certæ personæ; si fiat cum reservatione certæ pensionis, & fructuum &c. si fiat cum reservatione regressus casu, quo Successor mortuus, Religionem professus, aut ad aliam dignitatem evectus fuerit; si fiat ex causa permutationis, seu ut resignans obtineat Beneficium resignatarii. P. Schmier *lib. 1. tr. 2. c. 6. a n. 12.* & alii passim.

Respondetur secundo. Ut Resignatio Beneficii licite fiat, requiritur justa causa, *c. 10. de Renunciat. & Constitut. Quanta Ecclesiæ S. Pii V.* Tales causæ sunt debilitas virium, defectus scientiæ, malitia plebis, suo Præsuli se opponentis &c. imo respectu inferiorum Beneficiatorum sufficiunt causæ minores, & fere quælibet; prout experientia testatur in Germania. P. Engel *lib. 1. tit. 9. n. 5. & 6.* Ut etiam valide fiat Resignatio Beneficii, & firma consistat, requiritur 1. ut resignans (sive sanus, sive infirmus) viginti dies, a die, quo legitimus Superior resignationem acceptavit, computandos supervivat. Ita enim habet *Regula 18. Cancellariæ* (quæ vocatur *Regula de viginti*) & praxis Curiæ Romanæ. 2. Si Beneficium sit patronatum, vel electivum, vel litigiosum, & Beneficiatus resignare velit in favorem certæ personæ, opus est consensu Patroni, vel Eligentium, aut resignatio fieri debet in favorem collitigantis. P. Pichler *in Candid. abbreviat. lib. 1. tit. 9. n. 2.* 3. Si Beneficium non sit litigiosum, sed tale, respectu cujus Beneficiato competit jus in re, resignatio ordinarie fieri debet in manibus legitimi Superioris, & cum ejus consensu, *c. 4. & 8. de Renunciat.* ac *7. de Consuetud.* quia res, per quas causas nascitur, per easdem & dissolvitur, *c. 1. de R. J.* Dixi autem: *respectu cujus Beneficiato competit jus in re.* Nam jus ad rem, & electione, vel præsentatione quæsitum, dimittere sine consensu Superioris nemo prohibetur. Dixi præterea: *ordinarie.* Nam Beneficiatus, Episcopo inferior, potest sine consensu Superioris suum Beneficium resignare Religionis ingrediendæ causa, *c. 10. de Renunciat.* Secus est de ipso Episcopo: hic enim petere licentiam a Papa debet, *c. cit.* P. Reiffenstuel *lib. 1. tit. 9. a n. 21.* Dixi denique: *legitimi Superioris*; qui respectu resignationis puræ est ille, penes quem residet potestas instituendi, & destituendi, seu deponendi Beneficiatum; uti est Episcopus, & Sede Episcopali vacante Capitulum; non vero Vicarius Generalis sine speciali mandato *c. 2. de Offic. Vicar. in 6.* Respectu autem resignationis non puræ, quæ fit in favorem certæ personæ, vel cum reservatione regressus, spectato Jure communi legitimus Superior est solus Papa; eo quod resignatio in favorem certæ personæ sit prohibita, *arg. c. 1. de Concess. Præbend.* & *c. fin. de Pactis*, resignatio vero cum reservatione regressus in Beneficium assignatum per Trid. *Sess. 25. c. 7. de Reform.* & per *Constitut. S. Pii V.* quæ incipit: *Romani Pontificis.* P. Pichler *loc. cit. n. 5.* Porro respectu resignationis non puræ, quæ fit cum reservatione pensionis, vel fructuum, Episcopus censetur eatenus Superior, quatenus potest ex justa causa imponere Beneficiato Successori pensionem moderatam, ac temporalem, quæ (1.) duret ad vitam talis Beneficiati, & eo extincto expiret velut obligatio personalis; imo probabilius (2.) etiam ad vitam Antecessoris, seu Pensionarii. Prima pars est communis DD. & sumitur *ex c. 21. & 30. de Præbend.* Altera vero traditur a Pichlero *in Candid. abbreviat. lib. 3. tit. 10. n. 3.* & aliis, sumiturque ex *c. 3. de Transact.* ubi prohibetur, ne census, seu Pensio, quæ vitam ejus, qui solvit, excedat, & transeat ad successores, donec moriatur Pensionarius, imponatur *absque Episcopali auctoritate*; ergo Episcopo id permittitur ex justa causa. Justæ autem causæ sunt 1. *Bonum pacis*; ut si duo litigent super eodem Beneficio, & unus velit illud alteri relinquere sola pensione contentus. 2. *Subsidium alimentationis*; ut si Beneficiatus sit senex, morbidus &c. & Beneficium, quod etiam inutilis, assumpto coadjutore, posset retinere, velit resignare, modo sibi solvatur pensio. 3. *Remuneratio* insignium in Ecclesiam meritorum &c. Nec obstat prædictis, quod Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferri debeant. Nam per ejusmodi pensionem non oneratur ipsum Beneficium, sed tantum persona Beneficiarii. De Resignatione *ex causa permutationis* patebit ex jam jam dicendis. Unde

443. Quæres quarto, quid sit Permutatio Beneficii, & quænam notanda circa illam?

Respondetur primo. Permutatio Beneficii est *Cessio unius Beneficii pro alio*: sive est *contractus realis*, *quo Beneficium aliquod datur ea lege, ut vicissim detur aliud Beneficium.* Potest igitur Beneficium permutari cum Beneficio (servatis conditionibus infra recensendis) non autem cum alia re, etiam spirituali, & sacra, absque authoritate S. Pontificis, *c. 5. de Rerum permutat.* multo minus pro re temporali; quia committeretur Simonia Juris Divini, & Naturalis; prout relinquitur ex dictis *part. 2. n. 362.* & sumitur ex *c. fin. de Pactis.* Eadem Simonia committeretur, si conveniretur de compensatione temporali, v. g. pecuniaria, pro dimisso Beneficio pinguiori, seu redditus ampliores ferente, per *c. fin. cit.* Navarrus *in Manual. c. 23. n. 100.* Engel *lib. 3. tit. 9. n. 4.* Reiffenstuel *ibid. n. 29.* aliique communiter. Sed contra hoc ultimum

Dices primo. Compensatio pecuniaria solum fieret pro excessu redditu͏um, qui est aliquid mere temporale; ergo non committeretur Simonia, præsertim Juris Divini, & Naturalis; cum non daretur res temporalis pro spirituali, vel spirituali annexa.

Respondetur, neg. ant. Nam Beneficiati non sunt domini fundorum beneficialium, ex quibus percipiunt redditus, nec redditu͏um futurorum, quos nondum perceperunt; sed tantum Beneficiorum, seu tituli, & juris ad percipiendum redditus, quod jus est spirituali Officio annexum; nec ista annexio ab Episcopo, minus ab ipsis permutantibus tolli potest: & quia Beneficiati permutantes non habent aliud jus, illud jus spirituali annexum dant, vel promittunt pro pecunia; atque ideo committunt Simoniam Juris Divini, & Naturalis, *arg. can. 7. caus. 1. q. 3.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 30. & seqq.* Unde ut ejusmodi permutatio labe simoniaca non conspergatur, opus est authoritate S. Pontificis, jus ad fructus futuros, vel excessum fructuum separantis a titulo spirituali: quod ipse potest, & solus. Revideantur, quæ diximus *part. 2. n. 362. cit.*

Dices secundo. In *c. 6. de Rer. Permut.* approbatur permutatio duarum Ecclesiarum, in qua excessus redditu͏um,

quos

quos una Ecclesia præbebat majores, per pecuniam fuit compensatus; ergo &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Nam Ecclesiarum illarum Parochialium, quæ pleno jure (id est, quoad jura spiritualia, & temporalia simul) fuerant incorporatæ duobus Conventibus, fundi, ex quibus aliqui, ad unam Ecclesiam pertinentes, importabant ampliores redditus, erant aliquid mere temporale, ac insuper in Conventuum dominio: unde ibi aliquid mere temporale (videlicet fundi illi meliores) pecunia compensabatur: Ast Beneficiati nullius rei, præterquam juris, ac tituli beneficialis dominium obtinent; & ideo si pro hoc paciscantur de compensatione pecuniaria, conveniunt de dando spirituali, seu spirituali annexo pro temporali: consequenter &c.

Respondetur ad quæst. secundo. Permutatio Beneficii cum Beneficio ut licite fiat, requirit justam causam. *c. 5. de Rer. Permutat.* Justæ autem causæ sunt insalubritas aeris, aversio populi, imperitia linguæ &c. & propter has, ac alias id genus causas, si bonum publicum spectent, Episcopus Beneficiatis, etiam invitis, permutationem imperare valet, sed cum præjudicio, quantum fieri potest, minimo innocentis, permutare jussi. P. Pichler in Candid. ampliore *lib. 3. tit. 19. num. 7.* Ut etiam licite fiat permutatio, requiritur 1. Ut permutantes habeant jus in re, seu in Beneficiis, vel saltem jus ad rem, seu ad Beneficia, *c. 6. de Except.* res quippe aliena permutari nequit. 2. Si Beneficia sint Patronata, vel electiva, requiritur consensus habentium jus præsentandi, vel eligendi: quia permutatio non debet vergere in præjudicium aliorum. Requiritur 3. Authoritas, & consensus legitimi Superioris, ad quem spectat institutio, vel collatio. *c. 5. ac 7. de Rer. permutat.* & *c. un. eod. in 6.* Imo si permutantes sine authoritate legitimi Superioris procederent, non solum agerent nulliter, sed insuper committerent Simoniam Juris Ecclesiastici, & incurrerent excommunicationem, per *cit. c. 5.* & *Extravag. 2. de Simon. inter Comm.* Licitum tamen est permutare volentibus prævie inter se conferre; at cum relatione ad futurum Superioris consensum. Quod si Superior resignationes permutantium acceptarit, non est ipsi integrum Beneficia resignata conferre aliis, quam permutantibus; cum non resignent absolute, sed conditionate, *c. un. cit.* & *Clement. un. eod.* Quare si permutatio, etiam ex alia causa, non sortiatur effectum, liber datur reditus ad Beneficia præhabita, *c. 8. de Rer. permut.* Pichler *loc. cit. in fin.*

444. Quæres denique quinto, quid sit jus Patronatus, & quænam circa illud notanda?

Respondetur primo. Jus Patronatus est potestas nominandi, seu præsentandi Clericum instituendum ad Beneficium Ecclesiasticum, subintellige *vacans*, secundum dicta *n. 412.* Unde per SS. Canones *Patronus* appellatur, qui jure præsentandi gaudet. Hoc jus, quatenus respicit præsentationem, est jus spirituali annexum, *c. 16. de Jur. Patronat.* nimirum institutioni præsentati faciendæ a Prælato in Beneficio Ecclesiastico, quæ institutio est actus jurisdictionis spiritualis, ad quem ordinatur præsentatio. Dividitur idem jus in *Ecclesiasticum*, & *Laicum*: item in *Personale*, & *Reale*. Ecclesiasticum est, quod vel alicui competit ratione Ecclesiæ, Dignitatis, Beneficii, & Loci pii, v. g. Episcopo, Decano, Religiosi &c. vel, quod ex bonis Ecclesiasticis, ad fundandam, construendam, aut dotandam Ecclesiam applicatis, acquisitum est. Laicum, seu *Seculare* est, quod alicui vel competit ex titulo seculari, v. g. ex donatione; vel quod ex bonis patrimonialibus, in fundandam &c. Ecclesiam applicatis, acquisitum est, sive dein acquirens sit Clericus, sive Laicus. Si proveniat partim ex titulo Ecclesiastico, partim ex Laico, est, & dicitur *Mixtum*. Personale (nominatur etiam *Principale*) est, quod inseparabiliter adhæret personæ, v. g. Fundatoris, & hæredum, independenter ab aliqua re. Reale (quod etiam nuncupatur *Accessorium*) est, quod inseparabiliter adhæret rei temporali, v. g. castro, prædio &c. ita, ut devolvatur ad omnem illum, ad quem ea res transit, sive dein transeat titulo hæreditatis, sive alio. P. Reiffenstuel *lib. 3. tit. 38. a n. 45.* P. Pichler *ibid. a n. 2.* & alii.

Respondetur secundo. Juris patronatus capaces existunt non tantum Ecclesiastici, sed etiam Laici, *c. 3. 7. 10. ac 25. de Jur. Patronat.* imo & feminæ, *c. 7. cit. c. fin. de Concess. Præbend.* In his namque Juribus personæ Laicæ, sive mares sint, sive feminæ, generaliter habilitantur ad jus præsentandi, nullibi vero ad jus conferendi Beneficia &c. unde sine speciali Papæ privilegio sunt capaces illius, non vero istius juris: prout jam supra *n. 411.* insinuavimus. Insuper Hæretici in nostris partibus, quamvis in foro Ecclesiastico non tolerentur, tamen vi consuetudinis per conniventiam Papæ præsentare valent. Quale porro tempus faciendæ præsentationi a Jure præfixum sit respectu Patroni tum Ecclesiastici, tum Laici, relinquitur ex dictis *n. 414.* Quod denique, ut præsentatio sit valida, debeat præsentari dignus, & ut sit etiam licita, dignior præ digno, constat ex dictis *n. 420. & 422.*

Atque has quæstiones in præcedentibus articulis ex industria dissimulavi, ne forte, si illas aliis quæstionibus ibi discussis intersererem, Lectoris memoriæ, animoque confusionem ingenerarem: quod confidebam non fore, si easdem in peculiari articulo, ac separatim proponerem &c.

CAPUT II.

De Horis Canonicis.

EX dictis *part. 2. a n. 260.* constat, quid sit *Oratio in genere*: item quod alia sit *interna*, alia *externa*, & *vocalis*; alia porro *privata*, alia *publica*. Inter Orationes publicas principem sibi locum vendicant *Horæ Canonicæ*, sic dictæ, quod pro certis diei horis, & quidem per SS. Canones constitutæ sint. Insigniuntur eædem Horæ aliis præterea nominibus, ac titulis. Nam 1. nuncupantur *Officium Divinum*, quatenus ad laudandum Deum aptissime deserviunt: *Pensum Ecclesiasticum* (vel *Canonicum*) quia sunt opus, solutio, ac veluti tributum a personis Ecclesiasticis Deo quotidie pendendum: *Breviarium*, quia sunt quædam Summa, & compilatio eorum, quæ ad Dei laudem, & gratiarum actionem, nostramque institutionem pertinent. Definiuntur a Sanct-Gallensibus *tom. 7. tr. 1. sect. 2. q. 2.* quod sint *Oratio, & Laus Dei, mente, ac voce expressa, per Ecclesiam determinata, & a certis personis Ecclesiasticis quotidie persolvenda*. De facto, seu juxta hodiernum usum, ac consuetudinem Ecclesiæ Romanæ; qua Laudes cum Matutino in unam Horam contrahuntur, enumerantur septem, ita præsertim distributæ ad repræsentanda septem Passionis Dominicæ Mysteria, secundum Glossam *c. 1. de Celebrat. Missar.* ibi:

Hæc sunt, septennis propter quæ psallimus Horis:
Matutina *ligat Christum, qui crimina purgat;*
Prima *replet sputis: causam dat* Tertia *mortis:*
Sexta *cruci nectit: latus illi* Nona *bipertit:*
Vespera *deponit: tumulo* Completa *reponit.*

Ad Quæstiones ut progrediamur, sit

ARTICULUS I.

Quinam obligentur ad Horas Canonicas recitandas?

SUMMARIUM.

445. Omnes Clerici, in Majoribus constituti, obligantur ad Horas Canonicas, etsi nullum habeant Beneficium. 446. Quomodo ad illas obligentur ipso die Ordinationis? 447. Personæ Religiosæ Choro deputatæ, & ad Horas Canonicas in eo dicendas obligatæ, tenentur easdem recitare privatim, si a Choro absint. 448. Quid sentiendum, si Religiosus, Choro deputatus, transeat ad Statum Conversorum, aut vicissim? 449. & 450. Beneficiati, fructus, etsi solum tenues, ex Beneficio percipientes, tenentur dicere Horas, licet nullo adhuc Ordine Majore sint insigniti. 451. Quodnam Beneficium sit dicendum tenue? 452. & seqq. Qui possidet duo Beneficia, satisfacit, si uno die semel recitet Horas; non vero, si recitet per alium.

OBligatio recitandi Horas Canonicas non est propria solis Beneficiatis, quemadmodum obligatio residendi in Beneficiis, de qua actum est *cap. præced. art. 3. §. 1.* sed iisdem communis cum aliis quoque personis Ecclesiasticis; veluti patebit per conclusiones. Itaque

445. Dico primo. Omnes Clerici, in Majoribus

Ordinibus constituti, licet nullum Beneficium Ecclesiasticum habeant, obligantur ad Horas Canonicas recitandas. Sumitur ex *c. 1. de Celebrat. Missar.* Sed quia in hoc *cap.* de solis Presbyteris mentio fit, ideo obligationem istam, quatenus omnes Clericos, Sacris initiatos, adstringit, potius in generali Ecclesiæ consuetudine, vim Legis obtinente, fundatam esse notat D. Bonaventura in *4. dist. 34. part. 1. art. 4. q. 1.* & alii passim. Cum enim præcipuum munus ministerii spiritualis sit, orare pro populo, jure optimo sancitum est, vel saltem consuetudine introductum, & receptum, ut Clerici, majore aliquo Ordine insigniti, Horas Canonicas persolvant.

Explicantur nunc breviter termini conclusionis. Dicitur 1. *Omnes Clerici*: adeoque etiam excommunicati, suspensi, interdicti, depositi, degradati &c. Hi proinde cuncti ad Horas, saltem privatim recitandas (quod addo propter excommunicatos) obstricti sunt: partim quia perseverat in ipsis fundamentum hujus obligationis, videlicet Sacer Ordo; partim quia non convenit, ut ex sua iniquitate commodum reportent. Bonacina *de Horis Canonic. disp. 1. q. 2. pun. 3. n. 3.* aliique communiter.

Dicitur 2. *In Majoribus Ordinibus constituti*. Nam Minoristæ Horas dicere non tenentur vi Ordinum, & quando non sunt dotati Beneficio aliquo Ecclesiastico: siquidem nullum Jus, sive scriptum, sive consuetudinarium eos obligat. Laymann *lib. 4. tr. 1. c. 4. n. 5.* cum communi.

446. Colliges, Clericum eodem mox die obligari ad onus Breviarii, quo suscepit Subdiaconatum, ita, ut jam teneatur dicere non quidem totum Officium diei, sed Horas correspondentes tempori, quod sequitur (sequela non physice, aut mathematice, sed moraliter æstimata) post Ordinationem. Unde si ordinatus sit mane circa horam nonam, tenetur recitare Sextam, & Nonam, Vesperas, & Completorium: si circa Undecimam, Vesperas tantum, & Completorium, Idem cogita de inceptione obligationis ad Horas Canonicas, ex Beneficio Ecclesiastico, vel Professione Religiosa oriundæ secundum dicenda. Ratio autem corollarii est: quia statim, ac Sacer Ordo suscipitur, ponitur fundamentum, & causa antefatæ obligationis: consequenter hæc statim incipit. P. Sporer in *Append. part. 1. Theol. Sacram. §. 1. n. 6.* & alii passim. Quod si Clericus Horas, post tempus Ordinationis ex obligatione recitandas, anticipasset, seu dixisset ante tempus Ordinationis, teneretur easdem repetere. Bonacina *loc. cit. pun. 5. n. 11.* Stoz *lib. 1. part. 3. n. 401.* La Croix *lib. 4. n. 1187.* Cherubinus Mayr *in tr. de Oratione &c. n. 44.* Ratio est: quia obligationi nondum contractæ satisfieri nequit solutione anticipata, nisi specialis conventio, de qua tamen hic non constat, inter creditorem, & debitorem id permittat.

447. Dico secundo, Omnes Religiosi professi (utriusque Sexus) ad Chorum deputati, & ad Horas Canonicas in eodem dicendas obligati, tenentur has tales Horas recitare privatim, si eas cum, vel sine culpa non recitent in Choro, quamvis nullo Sacro Ordine initiati sint: nisi forte alicubi contrarium obtineat de consuetudine. Conclusio in terminis, in quibus proposita est, tenetur a DD. communiter, esto discrepent circa quantitatem obligationis, de qua in *art. seq.* Ratio probativa denuo sumitur ex legitime præscripta consuetudine, vim Legis habente (& respectu FFr. Minorum insuper ex eorum Regula *c. 3.*) veluti supra dictum de eadem obligatione relate ad Clericos non Religiosos.

Explicantur termini conclusionis. Dicitur 1. *Omnes Religiosi*: adeoque etiam ad triremes damnati, captivi, fugitivi, apostatæ, ejecti &c. per se loquendo, & nisi ratione impotentiæ physicæ, vel moralis excusentur; quia in omnibus his talibus perseverat fundamentum obligationis, videlicet Ordo Religiosus; & in plerisque culpa existeret causa, vel occasio lucri: quod citra absurdum admitti nequit.

Dicitur 2. *professi*. Nam Religiosi necdum professi, seu adhuc Novitii, quando non sunt Ordine aliquo Majore insigniti, Horas dicere non tenentur: quia in odiosis non veniunt nomine Religiosorum, sed æquiparantur secularibus.

Dicitur 3. *ad Chorum deputati*. Hinc ab illa obligatione immunes sunt Religiosi Societatis Jesu, nondum in Sacris constituti; Religiosi Militares, & Hospitalarii; Fratres Laici, seu Conversi: hi quippe non ad Chorum frequentandum, sed ad alia respective munia obeunda destinati sunt. Nec obligantur ad alias preces fundendas vi professionis suæ, nisi ejusmodi obligatio injungatur in eorum Regulis; quemadmodum in Regula nostra Seraphica *c. 3. cit.* imponitur Fratribus Laicis obligatio invicem singularum Horarum Canonicarum dicendi certa *Pater noster*.

Dicitur. 4. *& ad Horas Canonicas in eodem dicendas obligati*. Si enim ad Chorum sint quidem deputati, non tamen ad Horas Canonicas, sed alias preces ibidem dicendas obligati, palam est, non esse obligatos ad Horas illas privatim recitandas: ut patet de Monialibus tertii Ordinis S. P. N. Francisci, utpote quæ a tempore immemoriali, & credibiliter a principio suæ introductionis nihil præter Officium B. Virginis in Choro persolvere fuerunt. P. Henno *tr. in Decal. disp. 1. quæst. 3. art. 1. conclus. 2.* & P. Cherubinus Mayr *loc. cit. numer. 38. ac seq.*

Dicitur 5. *nisi forte alicubi contrarium obtineat de consuetudine*. Hinc si in loco quopiam vigeat quidem consuetudo Horas dicendi publice, & intra Chorum, non vero privatim, & extra Chorum, obligatio illas privatim dicendi censetur vel nunquam extitisse, vel abolita esse per consuetudinem, utpote quæ non solum habet vim inducendi, sed etiam auferendi obligationem; prout relinquitur ex alibi dictis.

448. Colliges, Religiosum Choro deputatum, nondum tamen Sacris Ordinibus initatum, si legitima Superioris authoritate transeat ad Statum Conversorum, hoc ipso absolvi ab obligatione dicendi Horas Canonicas sive publice, sive privatim; & vicissim Religiosum Conversum, ac Choro non deputatum ad illas dicendas adstringi, si transferatur, seu evehatur ad Statum Choristarum. Sanct-Gallenses *loc. cit. dub. 1. prope finem*, Sporer *n. 20.* & alii passim. Idque probat praxis non infrequens in nostra Religione Seraphica, in qua plures, antea ad Statum Choristarum elevati, ex virtute Humilitatis petiere ad Statum Conversorum redigi; alii e diverso, antea de numero Conversorum, præ desiderio publice laudandi Deum inter Choristas referri: quorum etiam petitionibus a Superioribus satisfactum legimus. Ratio insuper corollarii est: quia mutato legitima authoritate Statu, etiam censentur mutata officia, Statui annexa.

449. Dico tertio, Omnes, qui Beneficium Ecclesiasticum, sive simplex, sive curatum, actu possident, fructusque ex eo percipiunt vel in re, vel saltem in spe propinqua, & moraliter certa, obligantur ad Horas Canonicas dicendas, sive sint, sive non sint in Sacris Ordinibus constituti. Ita communis DD. Ratio est, tum quia quilibet obligatur ad Officium, propter quod ipsi datum fuit Beneficium; atqui Beneficium datur propter Officium, sub quo vel maxime comprehenduntur Horæ Canonicæ; tum quia sic receptum est usu, & consuetudine Ecclesiæ; estque conforme intentioni Fundatorum: tum denique quia ita constituitur, vel potius supponitur in Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. & in Bulla S. Pii V. de quibus *art. seq.*

Explicantur termini conclus. Dicitur 1. *Beneficium Ecclesiasticum*, id est, authoritate legitimi Superioris Ecclesiastici pro persona Ecclesiastica constitutum, & quod saltem ex parte sua habeat perpetuitatem ex parte Beneficiati; adeoque non sit Beneficium in eo rigore, in quo illud definivimus, & juncta explicatione accepimus *cap. præced. n. 402. & seqq.* Nam etiam habens Beneficium Manuale (quod e classe Beneficiorum rigorose talium *n. 403.* eliminatum ivimus) ad Horas Canonicas persolvendas obligatur vi talis Beneficii, licet hoc ex sua duntaxat parte, non item ex parte Beneficiati, perpetuum existat: ut habet communis DD. & insinuatur in Bulla S. Pii V. inferius allegandа. Itaque adstringuntur ad Horas Canonicas Clerici ex titulo Beneficii 1. qui habent *Præstimonia (seu Portiones Præstimoniales)* in titulum perpetuum collata, prout in Hispaniis communiter conferri solent testibus Fagnano, & Garcia apud Reiffenstuel *lib. 3. Decret. tit. 5. n. 83.* 2. Qui habent *Capellanias collativas*; vel *Vicarias perpetuas*; vel *Commendas perpetuas*. 3. Qui habent *Beneficia Titularia* quæcunque, vel etiam *Manualia*; ut dictum. E diverso non adstringuntur ad Horas Canonicas dicendas Clerici habentes-

habentes *Præstimonia temporalia*, *Capellanias simplices*, *Vicarias temporales*, vel *Commendas temporales*, vel *Pensiones &c.* Ratio est: quia Clerici prioris generis habent Beneficia, saltem ex se perpetua; non item Clerici posterioris generis. His tamen solet injungi obligatio recitandi alias preces. Sic S. Pius V. in Bulla *art. seq.* afferenda imponit Pensionariis recitationem Officii Mariani, nisi sponte elegerint, vel alio titulo teneantur recitare Horas Canonicas, prout cum Garcia, Suarez, & aliis limitat P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 51. Quod tamen intellige de Pensionariis, habentibus pensiones titulo Clericali acquisitas; nam si habeant pensiones titulo seculari acquisitas, ad nihil tenentur vi illarum pensionum, quamvis habentes sint Clerici. P. Mayr *cit.* Similiter præstimonia temporalia habentes solent ex intentione Fundatorum, & Superiorum Ecclesiasticorum ejusmodi præstimonia erigentium obstringi ad persolvendum Officium parvum B. Virginis, vel fundendas alias preces: prout innuit P. Schmier *lib.* 3. *tr.* 1. *part.* 2. *c.* 3. *a n.* 20. & alii.

Dicitur 2. *sive simplex*, *sive curatum*: siquidem quoad obligationem dicendi Horas absolute, & simpliciter loquendo nulla est facienda distinctio inter Beneficium simplex, & curatum, sive authoritatem Juris, sive rationem spectemus; imo tam Concilium Lateranense, quam S. Pius V. in Bulla sua signate ponit utrunque.

Dicitur 3. *actu possident.* Non enim sufficit solus titulus Beneficii ad obligationem dicendi Horas inducendam, Laymann *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 3. & alii communiter, Ratio est: quia non censetur quis plene, & perfecte habere Beneficium ante actualem hujus possessionem; adeoque neq est obligandus ad Horas, cum hæc obligatio, utpote sat gravis, restringenda, non amplianda sit, nisi Legislator ipse eam ampliet; quod non fit in proposito, esto fiat supra, ubi (insistendo Bullæ S. Pii V. & communi DD. sensui) diximus Beneficium, etiam minus stricte dictum, cujusmodi est Manuale, ad Horas dicendas Beneficiatum obstringere. Excipe tamen in præsenti: nisi stet per ipsum Beneficiatum quo minus Beneficium actu possideat, adeoque ipse in culpa, & causa sit actualis non possessionis. Hoc quippe casu habetur fictione Juris pro possidente, *arg. c.* 26. *de Prabend. in* 6. & consequenter non erit liber ab obligatione recitandi Horas, quantum ex hoc capite: idque merito; cum alias Ecclesia propter ipsius culpam privaretur debito servitio. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *c.* 19. *n.* 7. & 8. Sanct Gallenses *loc. cit.* aliique communiter.

Dicitur 4. *fructusque ex eo percipiunt vel in re, vel saltem in spe propinqua, & moraliter certa*; secus enim ad D. Officium non attinebuntur. Bonacina *de Horis Canonic. disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *n.* 25. Laymann *loc. cit. n.* 4. aliique passim. Ratio est: tum quia alias non censentur habere Beneficium complete, & quoad omnem effectum: tum quia non videtur credibile, quod benigna Mater Ecclesia quemplam obliget ad Officium absque omni stipendio aut recepto, aut recipiendo; cum qui Altari deservit, de Altari vivere debeat, juxta Apostolum 1. *Cor.* 9. Excipe rursus: nisi ipse Beneficiatus sit in culpa, quominus fructus percipiat; ut si sit verb. grat. excommunicatus: talis quippe ab Horis, privatim, & prout ipsi permissum est, dicendis non excusatur: prout advertimus *tractat. praced. numero* 172. Modo nonnullæ quæstiones expediendæ sunt. Itaque

450. Quæres primo, an etiam teneantur ad Horas, qui habent Beneficium tenue, seu ferens tenues redditus?

Respondetur affirmative, supposito, quod tale Beneficium sponte acceptarint. Ita Garcias *de Benef. part.* 3. *c.* 1. *n.* 39. Azorius *lib.* 10. *c.* 3. *q.* 3. Valentia *in* 2. 2. *disp.* 69. *q.* 2. *pun.* 10. §. 7. Suarez *lib.* 4. *de Horis Canonic. c.* 21. *n.* 3. & *seqq.* ubi dicit esse communem sententiam, & Authores pro ea stantes longa serie enumerat. Ratio est 1. Quia Beneficium etiam tenue, seu ferens tenues redditus, vere est Beneficium; ergo ad Horas obligat, sicut Beneficium ferens sufficientes redditus. Cons. constat: quia omne Beneficium vere tale eam obligationem imponit. Ant. prob. Beneficium tenue confert verum jus spirituale, seu spirituali annexum, quod est principale in Beneficio; ergo licet accessorium (videlicet redditus) sit tenue, est simpliciter verum Beneficium. Unde etiam reddit Beneficiatum eodem modo exemptum, ac privilegiatum, sicut Beneficium pingue: item suspensus a Beneficio, æque est suspensus a Beneficio tenui, ac a pingui. Confirmatur. Beneficium confertur propter Officium (sub quo vel maxime comprehenduntur Horæ Canonicæ) juxta *c. ult. de Rescript. in* 6. ubi Jus non distinguit inter Beneficium pingue, & tenue; ergo accipi debet de utroque. Accedit, quod Glossa in *cit. c.* probet, Officium esse veluti asseclam, & comitem Beneficii; unde inquit: *privatus Officio, & Beneficio privatus intelligitur.* Ratio est 2. Quia in *can.* 2. & 3. *dist.* 91. præcipitur, ut Clericus, qui ab Ecclesia sibi commissa commode non sustentatur, quærat sibi victum, & vestitum ex artificio, & agricultura post sui muneris, & officii pensum persolutum; ergo Clericus, Beneficio tenui provisus, tenetur pensum Canonicum persolvere: id quod supponitur in *cit. can.* & aperte pronunciatur in Glossa *cit. can.* 2. ubi dicitur: *Sicut vir tenetur ministrare necessaria uxori, quæ tamen talis est, quod ei debitum reddere non valet; ita iste* (Clericus, qui non percipit necessaria ab Ecclesia) *tenetur officiare Ecclesiam, licet pauper sit, & dicere cum Apostolo; scio abundare, & esurire &c.* Ratio est 3. Siquidem scienti, & volenti non fit injuria; ergo Beneficiatus nullam patitur injuriam, dum propter Beneficium tenue, scienter: ac libere acceptatum, ad Horas Canonicas obligatur; sicut nullus patitur injuriam, qui sciens, ac volens ducit uxorem tenuiter dotatam, si eandem alere teneatur; vel qui sciens, ac volens dat nomen militiæ, ex qua tenuiter vivit, si militare cogatur. Unde S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 13. *c.* 4. §. 1. in hæc verba scribit: *Tenentur ex præcepto ad Horas Canonicas quilibet Clerici Beneficiati, etiam non existentes in Sacris: nec excusare se possunt ratione exiguitatis Beneficii, si ex eo non participent necessaria; sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud intitulari.*

Dices primo. Receptum est proverbium, *parum pro nihilo reputatur*; ergo qui tenue, ac modicum habet Beneficium, nullum habere censetur: consequenter &c.

Confirmatur ex *c.* 19. *de Prebend. in* 6. ubi Pontifex statuit, ut, quibus de Beneficio uno congruam sustentationem ferente provisum est, non possit provideri de alio; possit vero provideri iis, quibus provisum est de Beneficio parvo, & congruam sustentationem non ferente; ergo Beneficium parvum habetur in Jure pro nullo: consequenter &c.

Respondetur ad argum. primo, quod nimium probet: probat enim, ejusmodi Beneficiatum toto anno nunquam esse obligatum ad Horas Canonicas recitandas, etsi nullum aliud onus annexum habeat: hoc autem non facile quis dixerit.

Respondetur secundo; transmisso antecedente, & sensu allegati proverbii (nunquid enim qui die Veneris v. g. parum carnis voluntarie comedit, aliquid comedere censetur) neg. cons. Siquidem ex antecedente plus non sequitur, quam modicos fructus, cum parum prosint, communiter parvi æstimari, & reputari quasi pro nihilo: neutiquam vero sequitur, parvum Beneficium censeri nullum Beneficium, utpote quod principaliter metiri debet ex jure spirituali, & privilegiis, quæ affert; non vero ex redditibus, qui se habent accessorie solum.

Ad Confirmat. ajo, quod & ipsa nimium probet; ut patebit proxime dicta consideranti. Deinde concesso antecedente, neg. cons. Aliud quippe est, quod uni regulariter non possint conferri duo Beneficia, quorum quodlibet seorsim ad congruam sustentationem sufficit, & aliud, quod parvum Beneficium, cui alterum adjicere permittitur, non sit verum Beneficium, utpote cujus veritas æstimari præcipue debet ex jure spirituali, ac privilegiis annexis, ex redditibus vero non nisi accessorie; ut dictum.

Dices secundo, Qui Altari deservit, de Altari vivere debet, juxta Apostolum supra; ergo cum habens Beneficium tenue non vivat (videlicet congrue) de Altari, sive de redditibus Ecclesiæ, non tenetur Altari, sive Ecclesiæ deservire, præsertim subeundo tantum onus, quantum est quotidiana recitatio Horarum.

Confirmatur. Æquitas, & Justitia postulat, ut stipendium labori correspondeat; ergo &c.

Respondetur primo, ex argum. & confirm. sequi, Ecclesiam ne quidem posse tali Beneficiato imponere

ptu, vel inobedientia hoc faciat &c. sed qui pensum Canonicum, ad quod obligatus est, vel totum, vel quoad notabilem partem, etiam uno duntaxat die voluntarie, & citra causam excusantem omittit, violat præceptum Ecclesiæ in materia gravi; ergo peccat graviter.

Confirmatur. Qui die festo omittit totam Missam, vel notabilem ejus partem, peccat mortaliter, tametsi id non faciat ex contemptu; ergo etiam qui omittit totum pensum Canonicum, vel notabilem ejus partem.

Dixi in conclus. *obligatio gravis ex genere suo:* siquidem juxta omnes in præsenti locum obtinet parvitas materiæ. Sed

455. Quæres primo, quænam respectu Divini Officii dicenda sit pars notabilis, & quænam non notabilis?

Respondetur, partem notabilem censeri integram Horam parvam, aut quantitatem ei æquivalentem, v. g. integrum nocturnum cum suis lectionibus: partem vero non notabilem, quod, rem moraliter æstimando, inferius, seu minus est. Ita post Lessium. Tamburinum, Gobat, & alios Herincx *de Horis Canon. n.* 7. Sporer *loc. cit. n.* 94. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *num.* 382. La Croix *lib.* 4. *n.* 1202. Ratio est: quia recitatio integræ Horæ parvæ notabiliter, recitatio vero partis illa minoris non notabiliter censetur conducere ad finem Ecclesiæ præcipientis, ut statis diei intervallis Deo peculiaris cultus, idque in memoriam certorum mysteriorum, hoc genere Orationis exhibeatur. Nomine autem parvæ Horæ veniunt omnes præter Matutinum cum Laudibus. Ex quibus fit, ut mortaliter peccet, qui de parva Hora recitat aliquid valde modicum, verb. grat. hæc verba: Deus in adjutorium &c. vel etiam Gloria Patri &c. Ratio est: quia, rem moraliter æstimando, censetur integram Horam omittere. La Croix *loc. & n. cit.* Fit præterea, ut etiam peccet mortaliter, qui interruptim in toto Officio omittit tantum, quantum æquat integram Horam parvam. Ratio est: quia partes diversæ spectantes ad unum ejusdem diei Officium coalescunt, & conficiunt tandem notabilem quantitatem, seu æquivalem uni Horæ. P. Stoz *loc. & n. cit.*

456. Quæres secundo, an omittens omnes Horas unius diei, unum duntaxat peccatum committat?

Respondetur affirmative, si omissio procedat ex eadem moraliter intentione omittendi. Filliucius *tr.* 23. *c.* 7. *n.* 248. Bonacina *de Horis Canon. disp.* 7. *quæst.* 5. *pun.* 1. *n.* 8. Herincx *loc. cit. n.* 8. aliique satis communiter. Ratio est: quia omnes Horæ ejusdem diei moraliter coalescunt, & constituunt unum integrum pensum, eodem præcepto impositum. Unde omittens satisfacit in confessione, si dicat, se peccasse graviter per omissionem Divini Officii uno die factam: nec tenetur exprimere, se omisisse omnes septem Horas; cum hoc non plurificet, sed tantum aggravet peccatum. P. Babenstuber *loc. cit. n.* 50. & Authores in respons. memorati.

457. Quæres tertio, an plura committat peccata, qui semel omittit Horas, ad quas tenetur ex diversis titulis, puta Majoris Ordinis, Sacræ Religionis, Beneficii?

Respondetur negative. Ita mihi probabilior sententia, quam amplectuntur Diana *tr.* 12. *resolut.* 22. Salas *tom.* 2. *part.* 2. *tr.* 13. *disp.* 3. *sect.* 2. 17. Herincx *loc. cit. n.* 9. & alii contra alios. Ratio est: quia illi plures tituli respiciunt unum, idemque motivum Virtutis Religionis, videlicet ut laudetur Deus; ergo &c. Sed

Dices. Qui in Sacris Ordinibus constitutus est, & simul Beneficio provisus, omittendo Horas peccat contra Virtutem Religionis ratione Ordinum, & contra Virtutem Justitiæ ratione Beneficii, quod datur cum onere recitandi Horas; ergo ejusmodi Beneficiatus omittendo Horas committit duo peccata etiam specie diversa.

Respondetur, neg. ant. quoad secundum membrum: sed solum peccat contra Virtutem Religionis. Neque enim titulus Beneficii ad Horas dicendas obligat ex Justitia, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ ad Virtutem Religionis spectante; cum, saltem regulariter, in fundatione Beneficiorum nullum interveniat pactum super recitando Breviario: veluti testatur Filliucius *tr.* 24. *num.* 157. Solum ergo Ecclesia, attendendo congruentiam, ut quis laudet Deum pro illis, quorum opibus sustentatur, onus recitandi Horas imposuit.

Instabis. Concil. Lateranense *n. seq.* recitandum ait, quod Beneficiatus, si non recitet Horas, *fructus non faciat suos*, imo eos *injuste* percipiat; ergo censetur præhabere obligationem Justitiæ ad Horas recitandas.

Respondetur, neg. conss. Nam ideo fructus non facit suos, & consequenter si eos nihilominus percipiat, injuste percepit; quia non adimplet conditionem ab Ecclesia ex motivo Religionis impositam, ut fructus lucretur, & percipere possit. Quapropter obligatio Justitiæ in Beneficiato non præsupponitur in ordine ad recitandas Horas, sed primum consequitur ex suppositione non adimpletæ conditionis in ordine ad fructus, ceu alienos, non percipiendos: quod bene notandum. Verum hæc responsio majorem accipiet lucem ex dicendis infra *n.* 462.

458. Dico secundo. Obligatio recitandi Horas Canonicas insuper tanta est, ut, qui illa premuntur ex Beneficio Ecclesiastico, sive curato, sive simplici, teneantur restituere fructus, saltem omissioni Horarum correspondentes, si elapso primo semestri post aditam Beneficii possessionem illas culpabiliter omiserint. Ita Hodie communis. Conclusio constat ex Concil. Lateranensi, quod sub Leone X. celebratum *Sess.* 9. *de Reform. Curiæ.* §. *statuimus*, ita habet: *Statuimus, & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis Officii, & temporis; sed eos tanquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.* Quam Constitutionem innovavit, & declaravit S. Pius V. in sua Bulla edita *anno* 1571. quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi Concilio*, ubi inquit: *Statuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, vel Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat &c.* Nunc

Explicantur termini conclus. Dicitur 1. *qui illa* (obligatione recitandi) *premuntur ex Beneficio Ecclesiastico.* Nam Clerici non Beneficiati, vel Religiosi, qui tantum ratione Sacri Ordinis, vel vi suæ Regulæ, aut consuetudinis Horas Canonicas recitare tenentur, peccant quidem, si omittant, non tamen obligantur ad aliquam restitutionem; eo quod nihil recipiant ab Ecclesia tanquam stipendium laboris, quod restituere debeant, si pensum Canonicum omittant.

Dicitur 2. *sive curato, sive simplici.* Nam Constitutio Concilii Lateranensis supra exprimit utrunque.

Dicitur 3. *fructus, saltem omissioni Horarum correspondentes*, ita ut, qui omittit totum pensum Canonicum, teneatur omnes fructus restituere: qui solum Matutinum cum Laudibus, dimidiam partem fructuum: qui (recitatis Matutino, & Laudibus) Horas reliquas, itidem dimidiam partem fructuum: qui unam Horam parvam sextam partem fructuum. Sic enim clare, & expresse determinat S. Pius V. in Bulla proxime recitata. Quare autem addiderimus adverbium *saltem*, patebit ex dicendis infra *num.* 461.

Dicitur 4. *si elapso primo semestri &c.* Nam licet Beneficiatus statim post aditam Beneficii possessionem teneatur Horas Canonicas persolvere secundum dicta *num.* 446. & omittendo peccet; non tamen adstringitur ad aliquam restitutionem primo semestri, a die captæ possessionis computato, sed primum post illud: prout determinat, & indulget Concil. Lateranense supra.

Dicitur 5. *culpabiliter omiserint.* Quia altefatum Concilium illos duntaxat Beneficiatos condemnat ad restitutionem fructuum, qui D. Officium *legitimo impedimento cessante* non dixerint: sed quoties Beneficiati a culpa excusantur, legitimum habent impedimentum; ergo tunc non obligantur ad restitutionem fructuum. Quænam autem sint impedimenta legitima, sive causæ excusantes a recitatione Horarum Canonicarum, dicetur *art.* 4.

459. Objicies primo. Famulus mercede conductus, etsi ter, aut quater in anno laborem diurnum omittat non obligatur ad restituendam partem salarii, illis diebus correspondentem; ergo nec obligabitur Beneficiatus, qui ter, aut quater in anno pensum Canonicum non persolvit.

Respon-

Respondetur, trasmisso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia salarium famuli non diurno, sed annuo labori affigitur saltem regulariter, & ordinarie; ergo cum eadem, moraliter rem æstimando, obsequia Domino præstet famulus, si aliquot dies per annum otiose transigat, facile liberari potest a restitutione salarii correspondentis. At vero fructus quotidiani quotidiano Officii penso annexi sunt; prout aperte constat ex Concil. Lateranensi, & S. Pio V. supra.

Dixi: *transmisso antecedente*. Si enim merces labori diurno affigatur, operarius, qui diem otiose transigit, Jure naturali tenetur mercedem diurnam restituere.

460. Objicies secundo. Si Beneficiatus teneatur restituere fructus correspondentes culpabili omissioni Horarum, sequitur, quod etiam teneatur ad proportionatam restitutionem fructuum, quando partem duntaxat levem alicujus Horæ omittit, v. g. dimidium Psalmum, vel aliquot versiculos: sequela autem videtur nimis dura; quia sic multi intra paucos respective dies obligationem restituendi etiam gravem contraherent, quatenus singulis diebus aliquas negligentias in recitandis Horis per leves omissiones admittunt; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. & suppositum, quod cuilibet Psalmo, aut versiculo correspondeat aliqua pars fructuum, quæ sit restitutioni obnoxia: siquidem S. Pius V. supra solum pro omissione cujuslibet integræ Horæ obligationem restituendi assignavit: idque merito, ne alioquin animæ Beneficiatorum nimis illaquearentur, plurimisque exponerentur scrupulis.

Dices. Saltem tenerentur ad restitutionem, qui in singulis Horis partem levem omitrit, adeo, ut omissio respectu totius constituat quantitatem gravem.

Respondetur, neg. assumptum, & suppositum, quod leves omissiones coalescant, & constituant quantitatem gravem relate ad restitutionem, esto coalescant, & constituant quantitatem gravem relate ad culpam per dicta *n.* 455. Ratio discriminis est: quia cum singulæ omissiones leves divisim nullam inducant obligationem restituendi, in ordine ad hanc disparate se habent; adeoque moraliter coalescere nequeunt in aliquod totum, oneri restitutionis obnoxium. E diverso singulæ omissiones seorsim, & divisim continent levem culpam; & per consequens tanquam partes coalescere possunt in unum moraliter totum relate ad culpam gravem constituendam.

Instabis. Furta parva possunt coalescere, & constituere quantitatem sub mortali restituendam; ergo etiam parvæ omissiones in Divino Officio.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia furta parva, etiam divisim spectata, sunt obnoxia restitutioni sub culpa faciendæ; adeoque non est mirum, quod simul spectata tandem coalescant in unam summam gravem sub mortali restituendam. At vero leves omissiones divisim, & seorsim non inducunt obligationem alicujus restitutionis faciendæ, ut dictum; consequenter &c.

Urgebis. Non apparet, cur furta parva sint seorsim obnoxia restitutioni, & non etiam leves omissiones in Divino Officio.

Respondetur, neg. assumptum, vel dist. Præcise attento Jure naturæ, transeat, insuper attento Jure positivo Ecclesiæ, neg. assumptum. Obligatio restituendi rem furto ablatam stringit furem de Jure naturali Justitiæ absolute, & antecedenter ad dispositionem Juris positivi: e diverso obligatio restituendi fructus beneficiales in casu stringit Beneficiatum ex Jure naturali Justitiæ hypothetice solum, & consequenter ad dispositionem Juris positivi Ecclesiastici. Cum ergo Ecclesia non obliget Beneficiatum ad aliquam restitutionem pro levibus omissionibus, nec Jus naturale Justitiæ eundem obligare censendum est: consequenter &c. Hæc responsio clarior redditur ex dicendis *n.* 462.

461. Quæres jam primo, an Beneficiatus, omnes Horas Canonicas culpabiliter omittens, obligetur ad omnes omnino fructus restituendos, qui illi diei, vel diebus, quibus fit omissio, quocunque titulo respondent?

Respondetur affirmative. Ita sententia, spectato rigore Concilii Lateranensis, & S. Pii V. supra, multo probabilior, quam tenent Azotius *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 14. *q.* 3. Garcias *de Benef. part.* 3. *c.* 1. *n.* 28. Malderus *de Just. & Relig. tr.* 10. *c.* 2. *dub.* 4. Reginaldus *lib.* 30. *tr.* 3. *c.* 4. *sect.* 4. *n.* 46. Suarez *lib.* 4. *de Horis Canonic. cap.* 30. *num.* 6. Palao *tr.* 7. *disp.* 2. *punct.* 7. *n. num.* 8. aliique innumeri contra Thomam Sanchez, Medinam, Lessium, & alios. Ratio probativa sumitur ex Constitutione Concilii Lateranensis, & præsertim ex Bulla S. Pii V. supra, ubi S. hic Pontifex dicit, se, ut evidentius, atque expressius declaret, quæ habenda sit ratio restitutionis pro omissione D. Officii, statuere, *ut, qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dicerentur, amittat*. Jam sic. Fructus, qui præcise recitationi Horarum respondent, non sunt fructus, qui respondent *illi diei, vel diebus absolute*, ut loquitur Pontifex; ergo Beneficiatus, culpabiliter omittens omnes Horas Canonicas, non solum tenetur restituere fructus correspondentes recitationi Horarum, sed etiam correspondentes aliis titulis, ac functionibus. Accedit, quod Pontifex in *cit.* Bulla præmittat, se velle evidentius, & expressius circa declarationem illius *ratæ* (pro omissione scilicet Horarum in ordine ad restitutionem fructuum) disponere: sed si admittatur interpretatio Adversariorum, volentium, solum fructus recitationi Horarum respondentes debere in casu restitui, nec evidens, nec expressa est declaratio, imo obscura, sicut in puncto præcipuo erat ipsa Constitutio Concilii Lateranensis; ergo &c. Confirmatur. Pontifex in sua Bulla eodem modo loquitur de Beneficiato curato, & simplici; de utroque enim dicit, quod fructus diebus, quibus pensum Canonicum non persolvit, correspondentes, non faciat suos, eosque tanquam injuste perceptos restituere teneatur: atqui Beneficiatus simplex omnes omnino fructus tenetur restituere, prout fatentur Adversarii; ergo etiam Beneficiatus curatus. Porro in opposita sententia, aut nullum, aut modicum sortiretur effectum Bulla S. Pii V. quoad præsens punctum: tum quod restitutionem fructuum Horis Canonicis correspondentium non multum curarent Beneficiati curati, quibus provisum esset de Beneficiis pinguibus: tum quod plerique sibi facile persuaderent, se propter alia, quæ præstarent, officia fructus beneficiales ex integro mereri.

Dices. Non potest præsumi de mente Pontificis, quod Parochum verb. gr. qui pœnitentium audit confessiones, concionem habet ad populum, ægrotos invisit, & Sacramenta ministrat, velit obligare ad restitutionem omnium omnino fructuum, toti diei, vel diebus, quibus forte Breviarum omittit, correspondentium, sicut obligat Beneficiatum simplicem ejusmodi onera non portantem; ergo &c.

Confirmatur. Recitatio Horarum non est causa adæquata fructuum toti diei correspondentium; ergo ob solam omissionem Horarum non amittuntur fructus totius diei.

Respondetur ad argum. neg. maj. vel potius suppositum, quod de mente Pontificis tantum præsumamus; sed constat nobis mens Pontificis satis aperte: prout relinquitur ex hucusque dictis. Neque Pontificia illa dispositio, æqualiter, ac sine discrimine Beneficiatum curatum inter, & simplicem facta, æquitati naturali, aut S. Matris Ecclesiæ benignitati contraria, vel dissentanea videri debet: quia, ut notat Reginaldus *loc. cit.* sufficiebat ad imponendam obligationem restituendi omnes fructus quocunque titulo respondentes, quod Parochus, aliusve Beneficiatus curatus Officii Canonici omissione graviter peccaverit, licet cetera munia sit rite executus: sicut & idcirco sufficienter dignus est æterno supplicio, tametsi in nullo alio deliquerit, juxta illud Jacobi 2. v. 10. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Ad confirmat. neg. conf. Nam satis est, quod sit aliqua causa, eaque gravis (qualis procul dubio est) qua deficiente Ecclesia non velit, ut Beneficiatus fructus lucretur, suosque faciat.

Nihilominus opposita sententia videtur etiam probabilis, & in praxi tuta. Ratio ejus probativa hæc esto (tacitis aliis, quæ veram probabilitatem eidem non afferunt) quia Pontifex in Bulla dicit, amitti *fructus* a non recitante Horas; fructus autem intelliguntur in Jure, qui remanent, deductis expensis: prout sentiunt Jurisperiti universim ex *l.* 1. *C. de Fructibus, & litium expensis*. Accedit praxis timoratorum, hanc sententiam passim sequentium; ex qua arguere licet, rigorem Bullæ Pia-

læ Pianæ vel non omnimoda receptione, vel contraria consuetudine temperatum esse. Unde cum Parochis, & aliis Beneficiatis curatis, si Horas aliquoties ex culpa omiserint, non nimis rigide agendum est, sed sequenda potius hæc sententia, ceu mitior, licet minus probabilis, ac opposita; præsertim si Confessarius videat, restitutionem omnium fructuum prorsus difficilem illis accidere.

462. Quæres secundo, an obligatio restituendi fructus Beneficiatis, Horas omittentibus, incumbat in conscientia, & ante sententiam, etiam declaratoriam, Judicis?

Respondetur affirmative. Sumitur ex Decreto Alexandri VII. damnantis hanc propositionem n. 20. *Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.* Ratio quoque suffragatur: quia quod alienum est, & injuste retinetur, restituendum est in foro conscientiæ, & ante quamcunque sententiam, etiam declaratoriam, Judicis: sed fructus illi sunt alieni, & a Beneficiatis non recitantibus injuste retinentur, juxta Constitutionem Concilii Lateranensis, & S. Pii V. supra; ergo &c.

Dices primo, Lex pœnalis non obligat ante sententiam declaratoriam Judicis; secus enim, cum velit, ut reus pœnam in seipsum exequatur, non esset attemperata fragilitati humanæ: sed Decretum S. Pii V. (idem cogita de Constitutione Concilii Lateranensi) de fructibus restituendis proditum, est lex pœnalis; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Lex pœnalis privativa, id est, inferens pœnam privativam (aut positiva, inferens pœnam positivam) con. (& de tali lege pœnali procedit ratio probativa majoris) Lex pœnalis negativa, seu inferens pœnam negativam, neg. maj. Sed Decretum S. Pii V. est lex pœnalis privativa (vel positiva) neg. negativa, con min. & neg. cons. Restitutio fructuum non constituitur tanquam pœna privativa (aut positiva) sed tanquam pœna negativa in eos, qui D. Officium prætermittunt; siquidem non privat fructibus jam acquisitis, id est, in absolutum acquirentis dominium translatis, sed acquirendis tantum, ita, ut sensum faciat; *non concedimus tibi fructus Beneficii, nisi horarias preces recitaveris.* Unde idem Decretum ab aliis non incongrue nuncupari solet *Lex conditionalis*. Revide, quæ diximus *part.* 1. *n.* 346, *&* 354.

Instabis. Ponamus, quod Parochus v. g. mane decantaverit Sacrum, dixerit ad populum, confessiones exceperit, Eucharistiam administraverit &c. & tempore pomeridiano, contra suum propositum tempore antemeridiano habitum, omittat culpabiliter pensum Canonicum: hoc casu Parochus privaretur etiam fructibus jam acquisitis quoad partem correspondentem prædictis sacris functionibus, juxta probabiliorem sententiam *n. præced.* deductam; ergo non tantum pœnam negativam, sed etiam privativam subire cogeretur; quæ, ut ipsimet immediate fassi sumus, non stringit ante sententiam declaratoriam Judicis: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. quod privaretur fructibus jam acquisitis, seu in absolutum ipsius dominium translatis. Nam, ut recte notat Bonartius *c.* 11. *n.* 9. *de Obligat. Horar. Canonicar.* & alii, nullus Beneficiatus, adeoque nec Parochus in casu obtinet absolutum dominium fructuum, etiam antea promeritorum, nisi postquam preces Canonicas recitaverit; eo quod sub hac lege, & conditione ab Ecclesia concedantur. Igitur siquis legem, seu conditionem illam non impleverit, & onus subire noluerit, eo ipso spoliatus manet jure percipiendi fructus, quoscunque demum, ex suo Beneficio, licet ceteros labores annexos præstiterit.

Dices secundo. Ex nostra responsione sequitur, quod obligatio restituendi fructus, Beneficiato, Horarum neglectori, incumbens in conscientia, & ante sententiam Judicis, oriatur tam ex Jure naturali Justitiæ, quam ex Jure positivo Ecclesiæ: sequela autem non videtur admittenda; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. Oritur enim memorata obligatio ex utroque Jure; modis tamen diversis. Ex Jure positivo Ecclesiæ oritur, quatenus Concilium Lateranense, & S. Pius V. ordinavere ut Beneficiatus, qui post primum semestre ab aditu Beneficii elapsum Horas Canonicas culpabiliter omittit, fructus non faciat suos, sed eos pro rata omissionis teneatur erogare modis infra *n.* 464. specificandis. Ex Jure autem naturali Justitiæ eadem obligatio oritur supposita ordinatione Ecclesiæ, volentis, ut Beneficiatus, Horarum neglector, fructus non faciat suos; hinc enim consequitur, quod eosdem, ceu alienos, Jure naturali Justitiæ dimittere, ac restituere obligetur. Ita insinuat Augustinus Michel *de Horis Canonic. pun.* 6. *n.* 4. nec reipsa videntur dissentire alii: imo sic conciliari posse reor sententias prima fronte, ac secundum speciem sibi contrarias, quarum una contendit, obligationem restituendi in Beneficiato existere Jure positivo Ecclesiæ; & altera, Jure naturali Justitiæ.

Instabis. Si antefata obligatio restituendi esset de Jure naturali Justitiæ, Ecclesia non posset Beneficiatos, pensum Canonicum primo semestri ab aditu Beneficii culpabiliter omittentes, ab onere restitutionis liberare.

Respondetur, dist. assumptum. Si esset de Jure naturali Justitiæ absolute, & antecedenter ad dispositionem Juris positivi Ecclesiastici, transeat. si hypothetice, & consequenter ad dispositionem Juris positivi Ecclesiastici, neg. assumptum. Responsio, seu explicatio responsionis liquet ex primum dictis.

463. Quæres tertio, an obligatio restituendi fructus, quæ ex dictis Beneficiato incumbit, semper sit gravis, semperque sub mortali stringat? Ratio dubitandi est: quia Beneficiatus secundum dicta non tenetur restituere fructus, nisi omittat integram Horam, saltem parvam; adeoque nisi mortaliter peccet: ex quo videtur consectarium, quod idem Beneficiatus semper sub mortali obligetur ad restitutionem fructuum. Veruntamen hoc non obstante,

Respondetur negative: esto secundum omnes obligatio illa sit gravis ex genere suo. Ratio responsionis est: quia licet obligatio restituendi in Beneficiato semper præsupponat omissionem pensi Canonici mortaliter malam; mensuranda tamen insuper est ex quantitate fructuum, ad quorum restitutionem Beneficiatus condemnatur, vel (ut clarius loquar) licet obligatio restituendi, absolute, & quasi generice considerata, impræsentiarum fundetur in omissione pensi Canonici mortaliter culpabili, obligatio tamen restituendi tanta, vel tanta, seu in ratione gravis, vel levis, fundatur in quantitate materiæ (id est, fructuum) perceptæ, & restituendæ; cui proinde commensuratur, adeo, ut gravis, quando materia, quæ percepta est, & restitui debet, existit notabilis; levis vero quando materia percepta, & restituenda, non existit notabilis.

Dices. Ex mortali peccato furti recte arguo obligationem gravem restituendi; ergo similiter ex mortali peccato, per omissionem pensi Canonici commisso.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia fur in casu antecedentis censetur abstulisse quantitatem notabilem rei alienæ; alias enim non peccasset mortaliter peccato furti in effectu: at Beneficiatus in casu consequentis non supponitur percepisse quantitatem notabilem fructuum; ex qua tamen obligatio restituendi, in ratione gravis obligationis, impræsentiarum desumenda est, ut dictum. Unde paritas solum procederet, si Beneficiatus quoque supponeretur percepisse quantitatem fructuum notabilem &c.

464. Quæres quarto, cuinam Beneficiatus, qui Officium Divinum culpabiliter omisit, teneatur fructus restituere?

Respondetur, quod teneatur eos ad fabricam Beneficii applicare, vel in pauperes erogare, Ita expresse determinat Concilium Lateranense, & S. Pius V. supra. Ubi per particulam *vel* denotatur, esse positum in arbitrio Beneficiati, malitne antefatos fructus in anteriorem, vel posteriorem finem expendere. Porro per *fabricam* Beneficii non solum intelligitur fabrica illius Ecclesiæ, in qua fundatum est Beneficium, sed etiam ædes, in quibus habitat Beneficiatus, vel alia in utilitatem ejus Beneficii exstructa, & generaliter quidquid ad stabiliter augendos Beneficii fructus comparari, emi, aut meliorari potest, ut agri, fundi &c. Nomine *pauperum* hic veniunt omnes egeni non illius duntaxat loci, in quo situm est Beneficium, sed cujuscunque alterius; item Monasteria, Ecclesiæ, Hospitalia, animæ in purgatorio (quatenus ex portione restituenda procurantur pro eis Missæ legendæ) & aliæ causæ piæ. Bonacina, Filliucius, Palao, Gobat, Salmanticenses, Babenstuber

tr. 5. disp. 2. art. 3. n. 61. Cherubinus Mayr loc. cit. n. 62. Quod si Beneficiatus ipse sit egenus, potest prædictos fructus sibi ipsi applicare per modum eleemosynæ, juxta Authores immediate allegatos, aliosque passim. Hoc tamen cum Palao limitat P. Mayr cit. n. 63, nisi Beneficiatus peccaverit in confidentiam hujus facultatis, id est, omiserit Horas ideo, quia præscivit, se posse illos fructus sibi ceu indigo reservare. In tali proinde casu Beneficiatus non poterit memoratos fructus applicare sibi, esto sit pauper. Ratio sumitur a simili: quia Pontifex etiam a privilegio compositionis excludit sub spe compositionis furantes.

ARTICULUS III.

Quo ritu, & modo recitandæ sint Horæ Canonicæ?

SUMMARIUM.

465. *Quale Officium ad Horas obligati teneantur recitare?* 466. *An, & quantum peccent, si Officium unius diei commutent cum Officio alterius?* 467. *Quomodo Horæ sint recitandæ?* 468. *Licet absque omni causa unum Nocturnum separare ab alio: dummodo separatio non sit nimia, seu nimis longa.* 469. *Nullum est peccatum celebrare Missam, non recitato Matutino, tametsi id fiat sine causa, & ex mera libertate.* 470. *Horæ Canonicæ, dum privatim recitantur, non exposcunt sibi certum locum, & corporis situm, quo persolvantur.*

TAm ritus, seu forma Horas Canonicas recitandi, quam modus potest esse vel substantialis, vel accidentalis tantum: prout palam fiet ex dicendis. Igitur

445. Dico primo. Qui obligantur ad Horas Canonicas, tenentur generatim loquendo recitare illud Officium, quod pro ea die, qua recitant, præscribitur in ipsorum Breviariis, & per horum Rubricas, sive generales, sive particulares, servato ritu ibi indicato: sive dein adstringantur ad Breviarium Romanum, sive non. Ad Breviarium Romanum, ejusque ritum, a S. Pio V. editum, & a Clemente VIII. recognitum, atque correctum, Jure novo adstringuntur omnes, præterquam illi, qui vel a prima Ecclesiæ, aut Ordinis institutione, per Sedem Apostolicam approbata, vel ex consuetudine, ducentis annis prædictum S. Pii V. Breviarium antegressa, alio Breviario usi sunt: ut Benedictini, Præmonstratenses, Dominicani, Clerici Mediolanenses, Leodicenses &c. His proinde talibus S. Pius V. in sua Bulla (Romano Breviario una cum Bullis Clementis VIII. & Urbani VIII. præfixa, cujus initium: *Quod a nobis.*) dat optionem sua Breviaria, eorumque ritus retinendi, vel ex consensu Episcopi, & Capituli (aut, si Monasterium sit exemptum, de consensu sui Prælati, & Capituli) Romanum acceptandi: quo tamen semel accepto non possunt absque licentia Papæ ad sua Breviaria regredi: quia per illam acceptationem censentur Pontificiæ concessioni renunciasse. Sanct Gallenses *loc. cit. dub. 4. conclus. 4.* & communis. Non tamen prohibentur ex suis Breviariis proprios Diœceseos, aut Ordinis Patronos retinere, & de iisdem juxta ritum Romanum orare; veluti tradunt DD. passim.

466. Quæres, an, & quantum peccet, qui Officium Canonicum unius diei commutat cum Officio Canonico alterius diei?

Respondetur primo. Qui Officium ordinarium unius diei commutat cum Officio extraordinario, & valde brevi, alterius diei; ut si hodie, dum deberet recitare de Festo Officium de Sancto, quod constat novem Psalmis; vel de Feria, quod constat duodecim; vel de Dominica, quod constat octodecim, recitet Officium Paschale, vel Pentecostale, mortaliter peccat, nec satisfacit præcepto recitandi. Ita DD. communiter. Sumitur tum ex Decreto Alexandri VII. in quo proscripsit hanc *prop. ord. 34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto:* tum ex ratione; quia talis nec formaliter, nec æquivalenter præstat rem præceptam; cum nec servet formam, seu ritum ordinarium, utpote quem commutat in extraordinarium, nec quantitatem materiæ recitandæ, utpote quam commutat in multo minorem; ergo &c. Confirmatur. Nemo dixerit, præcepto recitandi Vesperas satisfacere illum, qui Vesperas Sabbati Sancti recitat pro Vesperis alterius diei; ergo similiter &c.

Respondetur secundo. Etiam mortaliter peccat, neque præcepto recitandi satisfacit, qui Officium ordinarium unius diei commutat in ordinarium alterius diei, sive dein hoc sit brevius, sive æquale, aut quasi æquale: supposito, quod commutatio fiat advertenter, & citra justam causam. Ita Bonacina *de Horis Canon. disp. 1. q. 3. pun. 1. n. 17.* Palao *disp. 2. pun. 1. §. 1. num. 17.* Stoz *lib. 1. part. 3. n. 388.* Cherubinus Mayr *loc. cit. n. 104.* & alii multi contra alios æque multos, præsertim quando Officium, præpostere assumptum, est æquale, vel quasi æquale. Ratio fundamentalis est: siquidem qui non recitat hoc determinatum Officium de tali Sancto, de tali Feria &c. constans ex his certis Psalmis, Lectionibus, Hymnis &c. non exhibet opus ab Ecclesia, & quidem sub gravi obligatione, impositum; ergo graviter peccat, neque præcepto recitandi satisfacit. Cons. constat. Ant. ostenditur. Nam dum S. Pius V. præcipit recitationem Officii Canonici, non intendit Officium indeterminatum, & quasi in genere, seu præcise ut constans septem Horis generatim, sed quasi in specie, & in individuo, seu ut constans his certis Psalmis &c. & non aliis: ait enim altefatus Pontifex in sua Bulla: *Hoc nostrum Breviarium præcipimus observari, statuentes, quoscunque, qui Horas Canonicas dicere debent, ad dicendum ex hujus Romani Breviarii præscripto, & ratione omnino teneri, neminemque nisi hac forma satisfacere posse;* ergo &c.

Respondent Adversarii primo, Pontificem per allegata verba solum præcipere, ut Horæ recitentur juxta formam Breviarii Romani, & non alterius antiquitatis: quod etiam fit, dum quis recitat unum Officium ordinarium pro alio, seu cadente in alium diem. Sed

Contra est. Pontifex duo præcipit, nempe ut observetur forma Breviarii Romani veluti in genere, ita, ut Horæ dicantur, prout continentur in Breviario Romano; & ut observetur forma Breviarii Romani in specie, & in individuo, seu ut Horæ dicantur, quatenus constant ex Psalmis &c. in ipso Breviario per tempora, & dies distributis: primum quippe denotatur per particulam *ratione*, alterum vero per particulam *præscripto:* veluti graviter advertit P. Stoz *loc. cit. n. 390.* Neque id inficiari vel ipsimet Adversarii possunt, utpote qui ultro, & unanimiter concedunt, scienter mutantem Officium unius diei cum Officio alterius diei delinquere saltem venialiter contra Bullam S. Pii V. & verba ex eadem proxime allegata; eo quod non servet formam Breviarii specificam iisdem verbis præscriptam.

Respondent igitur secundo aliter, & ajunt, Pontificem quidem præcipere utranque formam, genericam scilicet, & specificam, sed dissimiliter: priorem quippe (inquiunt) præcipit ut substantialem; posteriorem vero ut accidentalem. Quo fit, ut, qui recitat Horas juxta aliud Breviarium, quam Romanum, mortaliter peccet, nec satisfaciat præcepto recitandi; eo quod non ponat, quod Pontifex substantialiter præcipit: peccet vero venialiter solum, & præcepto recitandi adhuc satisfaciat, qui recitat Horas juxta Breviarium Romanum, esto non observet diem, in quem incidit Festum, vel Officium; eo quod ponat, quod Pontifex substantialiter præcipit.

Verum contra est. Pontifex utranque formam suo præcepto intendit, & complectitur ut substantialem; hoc ipso, quod absolute, & sine discrimine subjungat, aliter, ac ibi præscribitur, Officium recitantem non satisfacere præcepto. Videatur P. Stoz *loc. & n. cit.* hanc AA. responsionem adhuc alio fundamento, & latius confutat.

Respondent tertio alii, quod mortaliter quidem peccet, qui frequenter unum Officium cum alio commutat: non item, qui id facit semel, iterum, vel aliquoties; sic enim (inquiunt) peccati duntaxat venialis se reum constituit. Rationem discriminis afferunt: quia mutatio frequens continet virtualem, eumque gravem, contemptum Legis Ecclesiasticæ, non item mutatio infrequens. Ita Sporer *loc. cit. n. 118. & seq.* Babenstuber *n. 89. & 92.* Pfeiffer, ac alii. Verum hæc responsio videtur deterior, ut immediate præcedens. Unde

Contra est cum P. Stoz *loc. cit. n. 395.* Si prima mutatio non excedit culpam venialem, nec secunda, & reli-

reliquæ excedent, etiam ut conjunctim sumptæ per modum unius collectionis: non enim mera, & sola actus venialiter mali repetitio, seu multiplicatio, quantumcunque frequens sit, facere potest, ut grave fiat, quod est leve, quando materiæ actuum repetitorum non coalescunt, uti non coalescunt in proposito, ubi qualibet suo est actus dies, cujus proinde lapsu expirat, & obligare desinit: alioquin sequeretur, eum, qui primo die Quadragesimæ comedit carnem in quantitate modica, & ad mortale peccatum insufficiente; idque continuat per plures dies, adeo, ut dicatur frequenter quid modicum carnis absumpsisse, tandem mortalis culpæ reum evadere: quod est falsum; quia singulæ illæ comestiones sunt, & manent venialiter peccaminosæ, cum materiæ comestæ nunquam coalescant in unam, quæ ad peccatum mortale sufficiat, sed quælibet suum determinatum diem respiciat, quo sumi non debuisset. Neque frequens transgressio legis arguit ejusdem contemptum, sive formalem, sive virtualem specialem (nam virtualem generalem qualibet voluntaria legis transgressio, etsi levissima, involvit; prout alibi advertimus) aliàs qui frequenter dicunt mendacia jocosa, aut officiosa convincerentur legem de non mentiendo contemnere, & mortaliter peccare: idem eveniret in exemplo proxime allato de frequenter, & distinctis Quadragesimæ diebus modicam carnis portiunculam devorante &c. utraque autem sequela est falsa; ergo &c.

Dices. Qui mutat ritum Officii ordinarii, & pro tali die persolvendi, e. g. Festum semiduplex recitando ut duplex, aut vicissim, non peccat mortaliter, si absit intentio inducendi novum ritum; ergo nec mortaliter peccat, qui mutat ritum Officii in nostro casu.

Respondetur, omisso antecedente, neg. conf. & paritas. Disparitas est: quia in casu antecedentis recitatur Officium juxta utramque formam substantialem, genericam, & specificam; cum non solum recitetur Officium, quatenus constat septem Horis in Breviario Romano contentis; sed etiam quatenus constat his Psalmis, Lectionibus, & Hymnis tali die dicendi, esto mutetur ritus semiduplicis in duplex, aut vicissim: quæ proin mutatio solum accidentalis est, & culpam venialem non excedit. E diverso in casu consequentis, hactenus ventilato, non observatur forma substantialis specifica, cum non recitetur Officium, quatenus constat ex his Psalmis &c. pro tali die coordinatis, quamvis observetur forma substantialis generica &c.

Diximus autem in nostra responsione *in supposito, quod commutatio fiat advertenter*. Si enim fiat ex errore inculpabili, vel leviter solum culpabili; omnis vel saltem gravi culpa vacabit: prout fatentur omnes. Et quamvis tali quoque casu præceptum recitandi reipsa non impleatur; cum non ponatur materia in specie, seu individuo præcepta: nulla tamen, errore animadverso, videtur consurgere obligatio die illo quidpiam repetendi, seu adhuc dicendi Officium in eum diem incidens; siquidem Ecclesia, ceu benigna Mater, ejusmodi repetitionem, seu suppletionem, pie creditur non exigere ab illo, qui Officium Canonicum bona, vel saltem non mortaliter mala fide pro tali die persolvit, quamvis aliter, ac fieri reipsa debuisset. Ita DD. passim.

Diximus præterea: *& citra justam causam*. Ut 1. si mutes locum, etsi solum transeunter: similis quippe loci mutatio tribuit facultatem recitandi Officium loci, in quo jam existis, quamvis a tuo diversum: ut constat *ex tr. de Legib.* P. Stoz *loc. cit. num.* 386. & alii communiter. Quod tamen intelligendum: nisi sis Religiosus: hic quippe obligatur ad Breviarium sui Ordinis, ubicunque demum existat; cum obligatio ad illud oriatur et Professione, cujus vinculo Religiosus manet obstrictus, quocunque ierit, P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 100. cum Palao, Tamburino, & aliis. 2. Si sis Capellanus Episcopi: teneris enim te conformare Episcopo quoad pensum Canonicum persolvendum, festorum legendum &c. veluti declaravit S. Congregatio Rituum *An.* 1605. P. Stoz *loc. & n. c.* cum communi aliorum. 3. Si sis Capellanus apud Moniales: sicut enim tunc potes legere Missam de Sancto, quem Moniales per Proprium suum celebrant, ita & poteris Officium horarium de eodem recitare. Accedit, quod æquiparetis Beneficiato, qui Officium Ecclesiæ, cui adscriptus est, recitare potest, ubicunque tandem sit. Tamburinus, Gobat, Clericatus, & alii. 4. Si sis munitus privilegio recitandi aliud Officium, e. g. Officium de V. Sacramento Feria V. vel de immaculata Conceptione B. Virginis die Sabbati: sic enim non mutas Officium, ad quod teneare, sed recitas id, quod ex privilegio occurrit tali die, cui Officium Feriæ, aut Festi simplicis tunc incidentis cedit. P. Stoz *loc. & n. cit.* Ubi etiam pro simili causa adducit societatem in recitando, seu si recites Breviarium cum socio ejusmodi privilegium habente: hoc quippe casu (inquit *cit.* Author) poteris recitare Breviarum socii, quamvis a tuo diversum. Veruntamen societas in recitando non videtur sufficere ad mutationem Breviarii, nisi insuper accedat alia causa; qualis esset, si socius suum Breviarium recitare non posset absque magno suo incommodo, nisi a te correcitante adjutus: tunc enim, ne privilegium suo effectu cassum redderetur, extendi quoque posset ad socium, tanquam necessarium privilegiati correcitativum. Rodriquez *QQ. Regul. tom.* 1. *quæst.* 42. *artic.* 4. La Croix. *lib.* 4. *numer.* 1256. Cherubinus Mayr *loc. cit. num.* 106.

Ex his, vel aliis id genus causis, quando nulla tibi suffragatur, & nihilominus Officium unius diei sciens permutas pro Officio alterius, graviter delinquis, nec præcepto Ecclesiæ satisfacis: id quod hactenus ostensum ivimus.

Sed petes, an opposita sententia, quæ recitantem unum Officium ordinarium pro alio ordinario a mortali absolvit, censenda sit etiam probabilis?

Respondetur, esse censendam probabilem, quando Officium, quod pro altero assumitur, est æquale, vel quasi æquale; ut si Officium unius Martyris recitetur pro Officio Confessoris, vel plurium Martyrum in hodiernum diem incidente. Laymann *lib.* 4. *tractat.* 1. *cap.* 5. *n.* 5. Lessius *de Justit. lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 12. *n.* 72. Sbogar *tr.* 91. *n.* 17. & alii apud ipsos. Ratio hujus probabilis sententiæ est: quia Pontifex in assignanda forma specifica pro recitatione Breviarii videtur maxime respexisse ad quantitatem materiæ recitandæ; ergo si hæc in Officio mutato sit moraliter æqualis, forma specifica Breviarii censetur substantialiter observari, juxta illud Legistarum: *Forma reipsa servatur, si per æquipollens id fiat L. fin. ff. Mandati*, & *l. Si mater, C. de Institut. & Substitut.*

Dixi: *quando Officium, quod pro altero assumitur, est æquale, vel quasi æquale*. Nam si Officium, quod pro altero assumitur, sit notabiliter brevius, v. g. si quis recitet de Sancto, dum recitare deberet de Dominica, opposita sententia, docens nempe, talem satisfacere præcepto recitandi, nec peccare mortaliter, non videtur mihi intrinsece, & vere probabilis, esto a multis ut probabilis sustineatur. Ratio est: quia talis non tantum non formaliter, sed neque æquivalenter præstat sensu præceptum; cum non tantum non servet formam specificam, seu individualem, quatenus non recitat Officium determinatum, constans his Psalmis, Lectionibus &c. pro eo die occurrentibus (quæ forma secundum immediate dicta probabiliter substantialis non est) sed neque quantitatem materiæ recitandæ, utpote quam commutat in notabiliter minorem: atqui non servans vel solam quantitatem materiæ recitandæ, si ea sit notabilis, non satisfacit præcepto recitandi, peccatque mortaliter; ergo &c. Unde Laymann *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 5. & alii censent, hunc talem Officii commutatorem obligari saltem ad supplendum excessum, qui reperitur in Officio Dominicæ supra Officium Festi, v. g. repetendo novem Psalmos primi Nocturni, ut juxta probabilem sententiam proxime relatam peccatum mortale evitet.

467. Dico secundo. Horæ Canonicæ recitandæ sunt *vocaliter, cum debita intentione, & attentione, integre, continue, ordinate, tempore præfixo*. Sumitur *ex cap.* 9. *de Celebrat. Missar.* ubi Innocentius III. ait: *Districte præcipimus in virtute Obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter, & devote*. Per ly *studiose* denotat *officium oris*; & per ly *devote*, *officium cordis*: ut habet Glossa *in cit. c.* Porro ad officium oris rite obeundum, seu ad studiosam recitationem Horarum requiritur, ut fiat vocaliter integre, continue, ordinate, tempore præfixo: ad officium vero cordis,

seu ad

seu ad recitationem devotam, ut fiat cum debita intentione, & attentione, Ita DD. communiter, & in specie P. Babenstuber *loc. cit. n. 96.*

Explicantur nunc singulæ particulæ conclus. Dicitur 1. *vocaliter*: quia recitatio Divini Officii debet esse vocalis (ut patet ex ejus definitione in principio hujus §. allegata) ita ut verba voce exprimantur, etiamsi non audiatur ab aliis, quando recitatio peragitur solitarie, seu sine socio, vel sociis; nec opus est, ut recitans seipsum audiat: quia alias si esset surdus, aut fieret notabilis strepitus, non posset Officium persolvere. Sufficit ergo, quod posset se audire, si non obstaret externum impedimentum. P. Abreu *lib. 8. in Decal. n. 144.* & alii passim. Quod si quis recitet cum socio, ambo ita verba proferre debent, ut ea mutuo percipiant; nec sufficit, quod percipere possent, si non esset impedimentum externum: quia quilibet debet communicare in illa parte, quam recitat alter, & non ipse; hæc autem communicatio necessario supponit auditionem talis partis. Ita cum communi Reginaldus *lib. 4. c. 10. n. 87.*

Dicitur 2. *cum debita intentione, & attentione*. Eadem autem intentio requiritur, & sufficit ad recitationem Orationis Canonicæ, qualis requiritur, & sufficit ad recitationem Orationis ut sic. Revidenda igitur sunt quæ diximus *part. 1. n. 369. & seq.* Sed remanet quæstio, ibi non discussa, an vere probabilis sit sententia, quæ docet, ad substantiam Orationis, & Divini Officii non requiri attentionem internam; ad quam proinde oportet adhuc respondere; id quod etiam præstituri sumus infra *n. 550.* in Casu.

Dicitur 3. *integre*; ea scilicet integritate, ut non solum nihil omittatur, sed etiam ut omnia verba sine truncatione, seu mutilatione proferantur. Ex quo fit, ut omissio, vel etiam truncatio verborum, ex qua sequitur variatio sensus, si fiat advertenter, & in materia notabili, culpam gravem contineat; levem vero, si fiat in materia non notabili. Quod si truncatio verborum non variet sensum, raro culpam mortalem involvet; imo etiam veniali vacabit, si fiat inadvertenter, v. g. ex naturali balbutie, linguæ præcipitantia, etiam vel ex consuetudine inveterata, & veluti in naturam versa, Filliucius *tr. 23. c. 6. q. 9. n. 242.* Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 3. n. 4.* Babenstuber *loc. cit. n. 98.* & alii passim.

Dicitur 4. *continue*, id est, sine interruptione; nam continuitati hic requisitæ opponitur interruptio, non quidem Horæ ab Hora (hæc quippe secundum omnes est licita) sed partis Horæ a parte ejusdem Horæ. Et quidem si absque justa causa, & per notabile intervallum, continuitatis moralis destructivum, fiat interpolatio partium ejusdem Horæ, peccatur; quia consuetus orandi modus non servatur: haud tamen plus, quam venialiter; quia singuli Psalmi, imo & versus Psalmorum, quantumcunque sejungantur, retinent suum sensum; ergo si intra tempus, a Jure præscriptum, ceteræ partes superaddantur, & cum iis reuniantur (unione scilicet per aggregationem) non contingit gravis deordinatio. Aliud est de interruptione Missæ; hæc enim non est sola Oratio, sed etiam Sacrificium, cui plus debetur: uti & de interruptione absolutionis, præsertim Sacramentalis; utpote quæ si notabiliter interrumperetur, amitteret suam significationem, & redderetur invalida, Tamburinus *loc. cit. n. 11.* Sporer *num. 136.* Stoz *n. 410.* & alii satis communiter. Imo Matutinum, etiam sine causa a Laudibus, quibuscum unam Horam (magnam) juxta modernam consuetudinem constituit, separari potest: prout ex usu, & praxi constat. Quodsi interpolatio partium, etiam de consuetudine non separabilium, fiat ex justa causa, v. g. itineris instituendi, negotii perficiendi, Charitatis, vel etiam Eutrapeliæ, seu affabilitatis erga proximum exercendæ &c. immunis ab omni culpa erit. Hinc non peccat Confessarius, si in Confessionali otiosus sedens, & pœnitentes expectans, inchoet Matutinum, tametsi prævideat, se aliquoties interpellatum iri. P. Gobat *in Theolog. Experimen. tr. 5. n. 671.* & alii passim.

Dicitur 5. *ordinate*, id est, sine inversione ordinis *in c. 1. de Celebrat. Missar.* sic præscripti, ut prius recitentur Matutinum, & Laudes; dein Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Hic tamen ordo (secluso scandalo, & contemptu) non obligat graviter; cum non pertineat ad substantiam Officii, Unde si illum invertas etiam inter Horas diversorum dierum, verb. gr. hodie sub Vesperum Matutinum crastinum anticipando, nondum persoluto hodierno Completorio, solum venialiter peccas. Imo nullatenus, quando rationabilis causa subest. Hinc si mane non habeas ad manus Breviarium, absque omni peccato potes recitare Horas ex Diurnali, vel ex memoria, postea recitaturus Matutinum ejusdem diei; ea quippe carentia Breviarii est causa sufficiens ejusmodi inversionis: qualis causa etiam est; si a Superiore, Confratre, vel Amico invitaris ad recitandam Primam, & nondum recitaveris Matutinum. Ita cum communi aliorum P. Babenstuber *loc. cit. a n. 104.*

Dicitur 6. *tempore præfixo*, nempe per Jus Ecclesiasticum, vel consuetudinem. Hoc tempus incipit ab hora duodecima unius noctis, & durat usque ad horam duodecimam alterius noctis immediate subsequentis. Et ideo licet, qui intra tale spatium Horas recitat, satisfaciat præcepto quoad substantiam, & mortaliter non peccet; nihilominus quia Horæ ipsæ antedictum tempus ita inter se partiuntur, ut Matutinum cum Laudibus (nisi pridie sit anticipatum) Prima, Tertia, Sexta, & Nona vendicent sibi tempus antemeridianum; Vesperæ vero (regulariter loquendo) cum Completorio tempus pomeridianum; a veniali non excusatur, si Horas, quibus assignatum est antemeridianum, recitet tempore pomeridiano, aut vicissim, idque sine rationabili causa: sicut enim ordo, ita & tempus est modus præceptum recitandi afficiens, seu circumstantia observatu necessaria. Quod si causa rationabilis accedat, dilationem, vel præventionem cohonestat: cujusmodi causæ esse possunt probabile periculum superventuræ occupationis; vel major devotio; vel etiam major commoditas. Hinc extra omnem culpam eris, si totum Officium differas in tempus pomeridianum ex ratione, quod tempus antemeridianum sit tibi aptius ad studia continuanda &c. Stoz *loc. cit. n. 412.* La Croix *n. 1313.* & alii.

Dixi: *nisi (Matutinum) pridie sit anticipatum*; ut innuerem, Matutinum cum, vel sine Laudibus (aliud sentiendum de aliis Horis) recitari posse sub vesperum diei præcedentis; veluti constat ex consuetudine jam pridem introducta. Sed quoniam vesper in hieme citius advenit, quam in vere; & prius in his, ac in æstate, ideo Matutinum inchoari potest, quando sol est propinquior occasui, quam meridiei, quacunque demum hora id contingat. Sed ut specifice, & ad securam praxim tibi deserviam, adnecto tabulam ex P. La Croix *loc. cit. n. 1314.* quam ad horas nostri horologii a se accomodatam testatur idem Author. Itaque Matutinum inchoari potest

10. Januarii hora 2. cum quadr.
13. Februarii med. 3.
1. Martii hora 2. cum 3. quadr.
18. Martii hora 3.
4. Aprilis hora 3. cum quadr.
30. Aprilis med. 4.
10. Maii hora 3. cum 3. quadr.
8. Junii hora 4.
1. Augusti hora 3. cum 3. quadr.
21. Augusti med. 4.
7. Septembris hora 3. cum quadr.
24. Septembris hora 3.
11. Octobris hora 2. cum 3. quadr.
20. Octobris med. 3.
18. Novembris hora 2. cum quadr.
15. Decembris hora 2.

Sic pridie Matutinum recitari potest, ita tamen, ut una tali recitatione non satisfiat simul pro ea die, qua recitatur, & pro altera subsequente: siquidem Alexander VII. damnavit hanc *prop. n. 45. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsente, & crastino.* Porro si assignata temporis spatia pro Matutino anticipando, notabiliter præveneris, ad ejusdem Matutini repetitionem obligaberis; secus, si parum prævenneris: esto venialiter peccaveris, si id feceris sine justa causa, P. Cherubinus Mayr *loc. cit. num. 152.* & alii passim.

Dixi præterea superius: *regulariter loquendo*. Excipitur enim tempus Quadragesimale, ubi (præterquam in primo triduo, & diebus Dominicis) Vesperæ dicendæ sunt

sunt ante meridiem, saltem in Choro: veluti fumitur ex *c. 49. de Consecrat. dist.* 1. continua praxi Ecclesiæ, & consensu DD. qui dum solum excusant aliter recitantes extra Chorum, omnino supponunt obligationem ita recitandi in Choro. Dixi: *saltem in Choro*. Nam extra Chorum optio datur, malitne quis Vesperas tempore Quadragesimæ ante, vel post meridiem recitare prout immediate insinuatum, & ostenditur ex eo, quod *cit.* c.49. loquatur de recitatione publica, non privata. Burghaber *centur.* 3. *cas.* 83. & apud ipsum Lessius, Sanchez, Laymann & alii.

468. Quæres primo, an sine ulla causa licite separetur unus Nocturnus ab alio?

Respondetur affirmative: dummodo separatio non sit nimia, seu nimis longa. Ita mihi probabilius Leza na *Summ. tom.* 1. *c.* 12. *n.* 16. Abreu *loc. cit. num.* 142. Cherubinus Mayr *n.* 129. Ratio est: quia (ut testatur, & ex probatis Authoribus refert, ac explicat P. Mayr *cit. n.* 129. *&* *n.* 38.) olim, videlicet in Ecclesia primitiva unus Nocturnus ab alio laudabiliter separari consueverat; & hodie, seu nostro ævo, nulla extat Lex prohibens ejusmodi separationem: idque merito; siquidem unus Nocturnus (cum suis Lectionibus, & complete sumptus; prout de eo hic quæstio, & hujus resolutio procedunt) constituit respective aliquod totum, Horæ parvæ quodammodo æquivalens: consequenter &c.

Dixi tamen: *dummodo separatio non sit nimia &c.* Unde P. Abreu *loc. & n. citt.* concedit, separationem illam durare citra culpam posse per duas, vel tres horas (per tot enim, & non plures durare solebat in Ecclesia primitiva) haud vero per integram noctem, nisi justa subsit causa. Quare si anticipando Matutinum recites unum Nocturnum, licite recitationem interrumpis, etiam sine causa, modo post duas, vel tres horas subjungas reliquos duos Nocturnos, vel saltem alterum, & tandem, eodem intervallo interjecto, non majore, tertium: illicite vero (in defectu justæ causæ) si eosdem Nocturnos primum subjungas die subsequenti. Nec dicas, Matutinum sine causa licite separatur a Laudibus etiam tota nocte; ergo & unus Nocturnus ab alio. Contra enim est, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: tum quia Matutinum, licet de facto unam cum Laudibus Horam constet, est in se aliquod totum majus, & perfectius, quam unus Nocturnus: tum, & præcipue, quia separationem Matutini a Laudibus per tantum temporis spatium licitam reddit hodierna consuetudo legitime introducta; non vero separationem unius Nocturni ab alio; quæ proinde ut per tot horas licite protelетur, alia suppetat causa, necesse est.

469. Quæres secundo, an sit peccatum, saltem veniale, celebrare Missam, nondum recitato Matutino?

Respondetur negative. Ita Tamburinus *in Opusc. de Sacrif. Miss. lib.* 1. *c.* 7. §. 2. *n.* 3. Gobat. *loc. cit. n.* 667. (citans Saurezium, Corro, & Leandrum) ac novissime Cherubinus Mayr *n.* 136. contra permultos Theologos veteres, volentes esse veniale. Ratio est: quia omne peccatum, etiam veniale, essentialiter est deviatio ab aliqua lege: nulla autem potest ostendi lex, a qua deviet celebrans Missam ante recitationem Matutini; veluti patebit ex solutione argumentorum, quæ ab Adversariis adduci in contrarium solent; ergo &c. Confirmatur. Matutinum neque est necessaria dispositio ad celebrationem Missæ: neque habet connexionem, vel ordinem ad illam; ergo non apparet, cur præmitti debeat.

Dices primo. Celebrationi Missæ non præmittere recitationem Matutini, in Rubrica Missalis numeratur inter defectus Missæ; ergo est peccatum saltem veniale.

Respondetur, explic. & dist. ant. Numeratur inter defectus Missæ, quorum tamen aliqui sunt contra præceptum, aliqui solum contra consilium, con. quorum omnes sunt contra præceptum, neg. ant. & conf. Siquidem celebrare Missam ante recitatum Matutinum est unus ex defectibus contra consilium duntaxat militantibus; sicut celebrare Missam post nocturnam pollutionem voluntariam, confessione Sacramentali expiatam; quod tamen fieri etiam sine veniali posse, cum communi aliorum tradidimus *n.* 81.

Dices secundo. Consuetudo omnium fere timoratorum obtinet, ut Matutinum dicatur ante celebrationem Missæ; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Consuetudo &c. introducta, & recepta sub obligatione, neg. sub consilio, con. ant. & neg. cons. Etiam consuetudo obtinet, ut in Quadragesima legatur Missa ante Vesperas; & tamen nec venialiter peccat, qui illam istis postponit: prout ipse fatebere.

Dices tertio. Julius III. in Brevi ad S. P. Ignatium dato concessit PP. Jesuitis privilegium, vi cujus libere, & absque conscientiæ scrupulo valeant celebrare Missam, nondum recitato Matutino; prout refert P. Illsung *tr.* 5. *disp.* 1. *q.* 1. *art.* 4. ergo, præciso privilegio, peccarent, agendo videlicet contra legem, a qua per privilegium eximuntur.

Respondetur, allegatum privilegium fuisse datum ad eximendos Viris Religiosis, & timoratis scrupulos, quos concipere potuissent, aut possent ob authoritatem DD. tanto numero contradicentium, & in quæstionato puncto culpam mortalem, vel ad minimum venialem agnoscentium: id quod satis colligitur ex verbis Brevi insertis: *ut libere, & absque conscientia scrupulo &c.* Unde dictum privilegium solum est exemptio a lege veluti hypothetice, seu ex hypothesi, si existeret lex, sive obligatio dicendi Matutinum ante celebrationem Missæ. Accedit dari privilegium posse, quod non sit contra legem: prout advertimus *part.* 1. *n.* 518. *& seqq.* Revide ibi dicta.

470. Quæres tertio, an Horæ Canonicæ exposcant sibi certum locum, & corporis situm, quo persolvantur?

Respondetur primo. Si Horæ Canonicæ persolvantur privatim, non exposcunt sibi certum locum, per se loquendo; adeoque præcepto Ecclesiæ satisfit, in quocunque demum loco recitentur. Ratio est: tum quia Deus ubique præsens est, & laudari potest, etiam in locis immundis, & sordidis, in quibus homines necessitati naturæ satisfacere fuerunt: tum quia nullibi in Jure præscribitur determinatus locus pro Horis Canonicis privatim dicendis: esto Ecclesia, aliusve locus sacer sit ceteris convenientior. Ex quo fit, ut non pecces, si recitationem Horæ jam cœptæ continues in loco ad exonerandum ventrem deputato; vel etiam ibidem Horam incipias, ac compleas. Tamburinus *in Decal. lib.* 2. *c.* 5. §. 6. Gobat *loc. cit. n.* 687. Sporer *n.* 184. quamvis putent, venialem culpam non evitari, quando ejusmodi locus sordidus sine delectu ad Horas dicendas eligitur, cum absque omni incommodo eligi posset locus mundus.

Dixi tamen: *si persolvantur privatim*. Aliud est, si persolvantur publice: prout videbimus *n. seq.* Dixi præterea: per se *loquendo*. Nam per accidens, ut si locus esset expositus distractionibus, non esset ad orandum aptus; cum impediret attentionem ad debite orandum requisitam. Authores *citt.* aliique passim.

Respondetur secundo. Neque ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ requiritur certus corporis situs in Horarum Canonicarum recitatione, saltem quando hæc privatim peragitur. Unde non peccas, sive stando, sive deambulando, sive sedendo, sive genuflectendo illas persolvas. Ratio est: quia Rubrica, dum v. g. genuflexionem præscribit, non imponit præceptum, sed solum suggerit consilium, ut majorem in recitantibus excitet devotionem: vel si imponat præceptum, istud præcise dirigit ad recitantes Officium in Choro, neque eosdem obligat nisi sub veniali. Laudabiliter tamen facit, qui Horas etiam privatim recitans se accomodat Choro, præsertim in Feriis Majoribus, & Triduo Sancto, preces flexis genibus, ubi id Rubrica præscribit, persolvendo. P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 158. & alii communiter.

ARTICULUS IV.

Expediuntur nonnulla Quæstiones huc pertinentes, aut reducibiles.

SUMMARIUM.

471. Quænam specialiter notanda sint circa recitationem Horarum in Choro? 472. Quænam circa earum recitationem cum socio? 473. Quænam Officia a Personis, Breviario Romano alias adstrictis, particulariter recitari debeant, & qualiter? 474. & seqq. Non tenentur,

nentur, Breviario Romano utentes, recitare Officium B. V. & Defunctorum; nec Psalmos Pœnitentiales, ac Graduales, diebus per Rubricas per annum præfixis, saltem extra Chorum: bene vero Officium Defunctorum 2. Novemb. & Litanias Majores in Festo S. Marci, & Feriis Rogationum. 476. Matutinum Defunctorum, & Litaniæ Majores non possunt anticipari.

471. QUæres primo, quænam specialiter notanda sint circa recitationem Horarum Canonicarum in Choro?

Respondetur primo. Ut populus Christianus non modo precibus juvaretur, sed etiam ad devotionem excitaretur, pia, & solicita Mater Ecclesia Canonicis (tum Cathedralibus, quam Collegiatis) & Regularibus sub gravi obligatione injunxit persolutionem Horarum Canonicarum publice, & in templis peragendam. *Clement.* 1. *de Celebrat. Missar.* Unde Prælati tam Canonicorum, quam Regularium sub mortali (nisi ea obligatio alicubi sit sublata, vel temperata, puta ob tenuitatem stipendii, paucitatem ministrorum &c.) tenentur curare, ut Officium Divinum publice, & in templo, seu choro recitetur, vel decantetur respective: quia vi sui officii graviter obligantur ad invigilandum, ut Communitates, quibus præsunt, exequantur illa, ad quæ eædem Communitates graviter obligantur. P. Babenstuber *loc. cit. n.* 3. & alii communiter. Imo etiam Beneficiati singuli, & in particulari tenentur (per se loquendo) sub mortali Chorum frequentare, ibique Divinum Officium decantare, vel recitare: non vero singuli Regulares, quamvis Choro deputati. Ratio disparitatis est: quia Beneficiati, etiam singuli, tenentur Choro adesse ex præcepto Ecclesiæ (*cap.* 1. *de Celebrat. Missar.*) & ratione stipendii, quod propter hoc officium ex suis Beneficiis percipiunt: quæ obligatio est mortalis ex genere suo, tametsi ejus prævaricatio possit esse venialis ex parvitate materiæ, quæ secundum omnes hic obtinere locum potest. At Religiosi singuli solum obligantur ad existendum, & psallendum in Choro vi suæ Regulæ, vel Constitutionum Ordinis non obligantium sub reatu culpæ (præsertim mortalis) sed tantum pœnæ. Sanct-Gallenses *de Horis Canon. dub.* 3. *conclus.* 4. & alii passim.

Dixi tamen bis per parenthesim: *per se loquendo*. Dantur enim causæ a celebratione, & frequentatione Chori, vel etiam Ecclesiæ excusantes sive in perpetuum, & simpliciter, sive ad tempus, & secundum quid. Prima est consuetudo contraria, introducta v. g. ob tenuitatem stipendiorum, vel paucitatem ministrorum &c. Salmanticenses *tom.* 4. *tr.* 16. *cap.* 1. *pun.* 1. *num.* 3. & alii. Aut consuetudo, quæ pluribus in locis viget, ut certa aliqua die, vel festivitate Officium in Oratorio privato, vel Capitulo recitetur. Bonacina *loc. cit. q.* 3. *pun.* 5. & alii. Secunda causa est gravis necessitas; ut si sit periculum, ne templum collabatur &c. Babenstuber *loc. cit. n.* 8. cum communi aliorum. Tertia est impossibilitas; ut si templum sit collapsum, aut quomodocunque destructum, ac dirutum: vel si non quatuor saltem in Choro commode possint convenire; quia pauciores, quam quatuor non faciunt Chorum: quemadmodum cum aliis notat Carolus Macignus de *Horis Canon. c.* 56. *n.* 24. Et hoc verum censeo non modo de Religiosis (in quo Authores unanimiter consentiunt) sed etiam de Beneficiatis; ut tenet Menochius apud Sporer *loc. cit. num.* 18. quia ratio adducta militat pro utrisque. Nec obstat, quod Beneficiati strictius obligentur ad Chorum, quam Religiosi. Siquidem strictior quoque obligatio ad Chorum merito cessare censetur, quando Chorus servari non potest, prout servari alioquin solet, & debet: quemadmodum avenit, dum tres, vel duo tantum convenire possunt. Sed contra responsionem ad Quæsitum redditam, ejusque extensionem

Dices. Si responsio bene probaretur ex *Clement.* 1. *ibid. cit.* sequeretur, quod non solum Beneficiati, sed etiam Religiosi graviter obligarentur ad celebrandum, & frequentandum Chorum; cum eadem *Clement.* loquatur de utrisque.

Respondetur, explic. & dist. seq. idque verum est de Religiosis in communi, con. in particulari, neg. seq. *Clement.* illa loquitur præcise de Communitatibus tam Beneficiatorum, quam Religiosorum; non vero de Beneficiatis, & Religiosis in particulari. Unde quod Beneficiati etiam in particulari sub mortali ex genere suo teneantur frequentare Chorum, non item Religiosi, aliunde probatum ivimus. Sed contra hoc ipsum

Instabis. Licet Religiosi in particulari non obligentur sub culpa, saltem gravi, vi suæ Regulæ, & Statutorum ad frequentandum Chorum, ita tamen obligantur ex generali consuetudine, & FFr. Minores insuper ex sua Regula, *cap.* 3.

Respondetur, neg. assumpt. Nam esto Religiosi etiam singuli, ac in particulari ex generali consuetudine, & FFr. Minores insuper ex sua Regula graviter obligentur ad Horas Canonicas persolvendas, secundum dicta; non tamen sic obligantur ad easdem choraliter persolvendas.

Respondetur ad quæst. secundo, in resolutione hujus dubii, quænam sit pars notabilis relate ad recitationem publicam Horarum? non convenire Authores. Nam Suarez, Salmanticenses, & alii existimant, unum integrum psalmum esse partem, seu materiam notabilem, cujus omissio ad peccatum mortale sufficiat respectu Officii publice recitandi; esto non sufficiat respectu ejusdem privatim dicendi, secundum dicta *n.* 45. Ratio ipsorum est: quia recitatio publica est gravior, & dignior, quam privata: consequenter minor pars censenda est notabilis comparate ad illam, ac ad istam. Oppositum sentiunt Bonacina *loc. cit. q.* 5. *pun.* 1. *n.* 3. Tamburinus §. 2. *n.* 12. Babenstuber *n.* 13. & alii, voluntque, eandem partem censeri notabilem in recitatione publica, quæ (*secundum dicta n. cit.*) censetur notabilis in privata. Ratio Babenstuberi (cui merito videtur insufficiens ratio Tamburini) est; quia, licet recitatio publica D. officii ob solemnitatem, & ceremonias sit gravior, & dignior privata; ipsum tamen Officium, quod publice recitatur, non est gravius, & dignius illo, quod privatim recitatur; ergo eadem quantitas requiritur, & sufficit ad constituendam materiam notabilem in una, ac in altera recitatione; siquidem ea quantitas metienda est ex D. Officio secundum se considerato, & non ex circumstantiis illis extrinsecis, quamvis ex istis valeat facilius oriri scandalum, ratione cujus omissio unius psalmi, imo etiam versiculi, *Deus in adjutorium &c.* mortalis reddatur. Verum hoc mere per accidens est; neque oritur ex præcepto Ecclesiæ ad Horas obligante, sed ex Jure Naturali, & Divino scandalum vetante. Atque hæc posterior sententia videtur omnino præferenda.

Respondetur tertio. Quoad ritum, & formam Breviarii observanda sunt in Choro, quæ extra Chorum observanda diximus supra *a n.* 465. Modum recitandi Breviarium quod attinet, similiter requiritur, ut illud recitetur *vocaliter, cum debita intentione, & attentione, integre, continue, ordinate, tempore præfixo:* sicut tradidimus de ejus recitatione extra Chorum *num.* 467. Relege ibi dicta. Sed & accipe hic quædam specialia. Itaque 1. Qui tarde venit ad Chorum, cum reliquis pergere potest, & quandoque debet, modo omissa (nisi sint modica) postea repetat privatim. Augustinus Michel *de Horis Canon. pun.* 3. *num.* 25. & alii passim. 2. Qui tempore cantus pro aliquo D. Officio necessaria procurat, v. g. thus, vel prunas affert, librum circumfert, psalmum inquirit &c. satisfacit quidem suæ obligationi quoad assistentiam in Choro, & (si Canonicus sit) lucratur integras distributiones; tenetur tamen privatim repetere, quæ nec cecinit, nec recitavit, nec audivit: siquidem revera quoad ejusmodi omissa non communicavit in recitatione cum Choro. Bonacina *loc. cit. q.* 3. *pun.* 2. *n.* 13. Palao *de Horis Canon. disp.* 3. *pun.* 4. *n.* 7. & alii contra alios. 3. Versus, qui interveniente organo, aliove instrumento musico decantantur, aut ab uno clare sunt pronunciandi, ut a ceteris audiantur; aut a quolibet privatim recitandi: quia quod organo, aut alio instrumento decantatur, vel pulsatur, non cantatur, vel recitatur vocaliter. Bonacina *n.* 11. Michel *loc. & n. citt.* aliique passim. 4. Qui propter tussim, strepitum, aliudve impedimentum aliqua, ab aliis cantata, aut recitata, non percipit, si exigua sint, v. g. aliquot versiculi, non tenetur repetere: quia Chorus supplet; secus, si non sint exigua, ut si non perciperet integrum psalmum: quia tantum supplere Chorus non censetur. Bonacina *n.* 20. Palao *n.* 6. Michel *loc. & n. citt.*

Respon:

Respondetur quarto. Recitatio publica Horarum Canonicarum debet peragi in Ecclesia, sive in Choro, secundum dicta *in respons.* 1. & cum debita alternatione, ita, ut quis intelligibili voce recitet, vel cantet partem Officii ad se pertinentem, & percipiat partem, quam recitant, vel cantant alii Conchoristæ conficientes alterum Chori latus: quia Conchoristæ, ut censeantur persolvere integrum Officium, debent in partibus, quas alternatim recitant, invicem communicare; quod fieri non potest, nisi stantes ex uno latere Chori intelligibiliter recitent suam partem, & stantes ex altero latere suam; atque ita se mutuo percipiant, ac partem, quam ipsi non recitant, percipiendo suam efficiant. Sporer *loc. cit. n.* 106. & alii communiter.

472. Quæres secundo, quænam specialiter notanda sint circa recitationem Horarum Canonicarum cum socio?

Respondetur primo, Non tantum duo, sed etiam plures simul recitare Breviarium possunt, modo non constituant nisi duo latera chori, ita, ut ex uno latere sit unus, vel plures, & ex altero unus, vel plures; sive dein faciant numerum parem, sive imparem. Ex quo fluit, non esse licitum Horas sic recitare, ut unus dicat unum versum, alter alterum, tertius tertium &c. Hoc quippe foret contra praxim Ecclesiæ, in publico Choro servari solitam, quam in Choro privato imitari oportet. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 25. n. 2.* Filliucius *tr. 23. n.* 241. & alii communiter. Porro antiphonæ, & versiculi psalmorum sunt alternatim dicendi, prout ordo tetigerit; lectiones autem omnes possunt ab uno legi ceteris audientibus, ut fit in Choro publico, quamvis etiam alternatim legere liceat: Capitula vero, & Collectas præstat ab uno dici, qui fungatur quasi munere Officiatoris hebdomadarii. Augustinus Michel *loc. cit. n.* 30. & alii.

Respondetur secundo, Oratio cum socio, cum & ipsa ex natura sua sit alternativa, sic peragenda venit, ut unus audiat, quæ alter recitat, & ad ea, quæ audit, attendat: alias non communicat in illa parte, quam ipse non recitat; prout dictum est supra de recitatione alternativa in Choro publico. Ex quo fit, ut surdus, vel admodum surdaster cum alio recitare Officium non possit. Suarez *loc. cit. n.* 15. & alii communiter. Haud tamen est necesse, ut quis audiat omnes, qui existent ex altero latere Chori, sed sufficit, quod audiat unum: quia per talem quoque auditionem communicat in parte, quam ipse non recitat. Michel *loc. cit. n.* 28. & alii. Deinde recitationem cum socio non licet sic deproperare, ut quis versiculis anterioribus a socio necdum finitis innectat posteriores; veluti notat idem Michel *n.* 29. & in confesso est apud omnes.

Respondetur tertio. Non refert, cum quali socio Horas recites, puta an cum Clerico, vel Laico, cum obligato, vel non obligato ad illas, cum habente, vel non habente intentionem, & attentionem ad rite orandum requisitas &c. Nam esto hujuscemodi recitatio respectu socii non sortiatur rationem veræ orationis, sortitur tamen respectu tui (si aliunde nihil desit) utpote qui partem, quam ipse non recitas, vere tibi communem officis per auditionem correcitantis. Laymann *lib. 4. tr. 1. c. 5. n.* 8. Sporer *n.* 107. & alii passim.

473. Quæres tertio, quænam Officia a Personis, Breviario Romano alias adstrictis, particulariter recitari debeant, & qualiter?

Respondetur primo. Omnes Beneficiati, & Regulares utriusque Sexus, præter Officia Calendario Romano inserta, tenentur singulis annis celebrare Festa Dedicationis, & Patroni Titularis suarum respective Ecclesiarum sub ritu duplici primæ classis, & cum Octava. De Beneficiatis supponitur *in Rubric. General. de Octavis n.* 1. De Regularibus constat *ex Decreto S. Congreg. Rit. edito 3. Junii* 1682. ibi: *Regulares tenentur celebrare sub ritu duplici primæ classis cum Octava Festum de Dedicatione, & Titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur.*

Respondetur secundo. Omnes Personæ Ecclesiasticæ, tam Seculares, quam Regulares, ad Horas Canonicas obligatæ, tenentur præterea sub ritu duplici primæ classis recitare Officium de Patrono Principali Loci, Regni, vel Provinciæ, ubi morantur; nec non de Titulari Ecclesiæ Cathedralis; quamvis aliter, & aliter. De Personis Ecclesiasticis Secularibus itidem supponitur *in* *Rubric. General. loc. & n. citt.* De Regularibus vero liquet *ex Decreto S. Congregat. edito 20. Martii* 1683. quod sic sonat: *Regulares tenentur quidem celebrare sub ritu duplici primæ classis Festum de Patrono Principali Loci, Regni, seu Provinciæ, & de Titulari Ecclesiæ Cathedrali; sed ad eorum Octavas non tenentur*: subintellige: nisi forte de ipsis in Decreto aliquo authentico S. Congreg. expressa inseratur mentio per modum præcepti: prout limitat P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 114. Ex quibus patet, quare in respons. addiderim: *quamvis aliter, & aliter*. Nam Seculares non solum tenentur commemorata Festa celebrare sub ritu prædicto, sed etiam eorum Octavas (sub ritu in Rubricis præscripto) non item Regulares: siquidem isti, non autem illi, a celebratione Octavarum eximuntur; ut patuit.

Porro quæ de celebratione Octavarum tam in hac, quam in præcedenti responsione diximus, accipienda sunt cum restrictione, quam Rubricæ *loc. & n. citt.* exprimunt hisce verbis: *Nisi illa Festa venerint in Quadragesima, quo tempore omittitur Officii cujuscumque Octava. Quodsi aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulo ante Quadragesimam venerit, & per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente Quadragesima nihil amplius fit de ea, nec commemoratio. Et idem servetur de Octavis, nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes, & dies 17. Decembris.*

Respondetur tertio. Eædem Personæ tam Seculares, quam Regulares, tenentur præterea celebrare Festum Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis sitæ in Diœcesi, in qua commorantur: sed iterum aliter, & aliter. Quoad Seculares patet *ex Decreto S. Congreg. edito 2. Maii* 1619. ibi: *Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis celebranda quidem est in Diœcesi sub ritu primæ classis, sed sine Octava, præterquam in ipsa Civitate.* Quoad Regulares patet *ex Decreto S. Congreg. edito 1. Aprilis* 1662. quod est sequentis tenoris: *Regulares tenentur quidem celebrare Festum de Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis; sed sub duplici secunda classis sine Octava.*

Respondetur quarto. Ad Festa Diœcesana Patronorum minus Principalium celebranda obligantur quidem Personæ Ecclesiasticæ Seculares, Choro adstrictæ, *juxta Decretum S. Congreg. editum 8. Septembris* 1603. non vero Regulares, nisi sint descripta in Calendario Romano, vel in Proprio ejusmodi Regularium: id quod expresse habetur *in Decreto ejusdem S. Congreg. edito 24. Januarii* 1682. cujus verba sunt. *Regulares non tenentur recitare Officia de Patronis minus Principalibus, nisi sint descripta in Calendario Romano, vel in Proprio dictorum Religiosorum.* Possunt tamen iidem Religiosi Officium de ejusmodi Patronorum Festis recitare, ac celebrare (nisi forte id ipsis aliunde sit prohibitum) imo laudabiliter faciunt, si celebrent, præsertim quando incidunt in diem, in quo populus labore servili supersedet. Ita cum Gavanto, Lohnero, & Gobato La Croix *lib. 4. n.* 1258. Modo (prout recte notat P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 116.) illa celebrent secundum Rubricas *pro Festis ad libitum* præscriptas: id est, modo illa non transferant in alium diem; neque celebrent die Dominica, aut infra Octavam: sic enim procederent *adversus Decretum S. Congreg. editum 11. Augusti* 1691.

Atque hæc pauca ad respondendum quæstioni propositæ insinuasse satis esto. Plura si desideres, adi Rubricistas, quorum est de similibus ex professo, & enucleatius disserere.

474. Quæres quarto, an, ad Horas Canonicas obligati, teneantur etiam recitare Officium B. Virginis, & Defunctorum: item Psalmos Pœnitentiales, ac Graduales, diebus in Rubricis per annum præfixis?

Respondetur. Qui utuntur Breviario Romano, non tenentur, saltem extra Chorum. Sanct-Gallenses *loc. cit. dub. 4. concl.* 5. Herincx *de Horis Canonic. q. 2. n.* 13. & alii communiter. Ratio est: quia S. Pius V. in Bulla *A Nobis*, alibi jam citata, obligationem illam, siqua fuit, expresse sustulit.

Dixi 1. *Qui utuntur Breviario Romano*. Nam de aliis, qui alio utuntur Breviario, nullam facit mentionem altefatus Pontifex. Unde respectu eorum obligatio, siqua antea erat, remanere censetur. Tales igitur, ut secure procedant, accommodare se consuetudini debent; quæ si etiamnum denotet obligationem gravem, sub gravi culpa ad antedicta Officia, & Psalmos tenebuntur: sub levi autem, vel nulla, quando eadem consue-

tudo inouit obligationem levem, vel nullam: prout recte advertit, & suadet P. Cherubinus Mayr *loc. cit. num.* 111.

Dixi 2. *saltem extra Chorum*. Siquidem pro Choro obligationem, si qua extitit, intactam reliquit idem Pontifex: imo, dum obligationem extra Chorum relaxavit, expresse declaravit, se id fecisse, & factum velle *sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. Mariæ semper Virginis in Choro dici consueverat, ita, ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium*. Quare & hic aspicienda est consuetudo Ecclesiarum, ac Ordinum circa recitationem Officii Mariani in Choro; uti & circa recitationem Officii Defunctorum, ac Psalmorum supra commemoratorum. Ubi tamen bene notant Sanct-Gallenses, & Henricx *cit.* quod, etsi penes Chorum ponatur esse gravis obligatio, ea tamen non ita descendat ad singulos, etiam Choro adstrictos, & in eodem existentes, ut, si prædicta Officia dicere negligant, vel voluntarie distracti persolvant, mortaliter delinquant; sed ad illos duntaxat, qui in causa sont, ut eadem Officia in Choro penitus omittantur, puta ad Prælatos, & Superiores.

475. Quæres quinto, an, ad Horas Canonicas obligati, teneantur saltem recitare Officium Defunctorum secunda Novembris, & Litanias majores, seu omnium Sanctorum, in Festo S. Marci, ac tribus diebus Rogationum?

Respondetur affirmative. Herincx *loc. cit. num.* 14. *& seq.* Reiffenstuel *in Theol. Moral. tr.* 6. *dist.* 1. *q.* 3. *num.* 36. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *a n.*416. & alii satis communiter. Ratio quoad Officium Defunctorum est: quia istud hodiedum ex recepta Ecclesiæ praxi reputatur pro parte Officii illius diei, eaque notabili; consequenter omitti nequit sine reatu gravis culpæ, ne quidem extra Chorum. Neque Pontifex auferendo obligationem dicendi Officia Defunctorum per annum, credendus est voluisse comprehendere Officium hoc solemne, utpote quod, postposita etiam Octava omnium Sanctorum, in suo Calendario sub ritu duplici reponi curavit, ipsamque diem nominari *Commemorationem omnium fidelium Defunctorum*. Ratio quoad Litanias est: siquidem & ipsæ sunt pars notabilis Officii illorum dierum: imo earum recitatio præcepta est *can.* 2. *de Consecrat. dist.* 3. neque relaxata per Bullam Pianam, utpote in qua de illis nulla fit mentio. Quare siquis Processioni non interfit, tenetur easdem sub gravi culpa privatim dicere: & si interfit Processioni, non satisfacit, nisi attendat, ac insuper vel præcinat, vel præcinentibus respondeat: ut notant Stoz *loc. cit. n.*418. La Croix *lib.* 4. *n.*1292. & alii passim.

476. Petes, an Matutinum Defunctorum, & Litaniæ majores anticipari, seu pridie dici possint, sicut Matutinum Officii Canonici secundum dicta *n.*467.

Respondetur negative. De Matutino Defunctorum controversia dirimitur per expressum, & luculentum Decretum S. Congreg. Rit. quod emanavit *die* 1. *Sept. an.* 1607. estque hujus tenoris: *Matutinum Defunctorum pro generali eorum Commemoratione recitandum est mane die secunda Novembris, non vero pridie vesperi*. Viso hoc Decreto P. La Croix oppositam sententiam, quam antea *lib.* 4. *n.*1292. cum satis communi Moralistarum tradiderat, retractavit *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1066. Quod procul dubio & alii fecissent, si præcitati Decreti notitiam habuissent. De Litaniis resolutio sumitur inde, quod privatim recitandæ (prout de iis hic præcise quæstio est) succedant in locum assistentiæ ad Processionem; ergo sicut Processio est affixa diei, & anticipari nequit, ita & Litaniæ: imo etiam de ipsis in Rubrica ad Festum S. Marci expresse habetur, quod *hodie* sint recitandæ, id est, in ipso Festo S. Marci. Unde cum tam in Festo S. Marci, quam in Feriis Rogationum dicitur, Litanias ab illis, qui Processioni non intersunt, recitandas esse post Laudes, ly *post* non denotat immediatam successionem, seu quasi Litaniæ Laudibus pridie dictis statim subjungi debeant, aut possint; sed quod illarum recitatio non debeat istarum recitationem præcedere: quod vel maxime in nostra quoque sententia observatur. Ita cum Tamburino, & communi aliorum P. Stoz *loc. cit. n.*412.

A R T I C U L U S V.

Quænam Causæ a recitatione Horarum Canonicarum excusent?

S U M M A R I U M.

477. Recensentur, & explicantur causæ excusantes a Breviario. 478. Qui non potest recitare Breviarium, nisi cum socio, tenetur hunc adhibere, si eum facile habere possit. 479. Impotens recitare majorem partem Breviarii, potens autem recitare minorem, ad hanc tenetur. 480. Ægrotus non tenetur ad recitationem Horarum, quando Medicus desuper consultus dubitat, an ægritudo sit gravis, vel levis?

477. Dico. Quinque sunt causæ generales a recitatione Horarum Canonicarum excusantes, nempe *Occupatio*, *Infirmitas*, *Impotentia*, *Ignorantia*, *Metus*.

Explicatur. Excusat 1. Occupatio, quando hæc est gravis, & necessaria, quæque in aliud tempus sine magno incommodo proprio, vel alieno transferri non potest, nec conjungi cum recitatione Horarum. Unde qui tota die occupatus esset in excipiendis confessionibus infirmorum periculose decumbentium; vel tota die laboraret in sedandis gravibus inimicitiis, tumultibus, aut rixis ad arma concurrentium; vel in impediendo gravi scandalo, ita, ut præcise suppeteret tempus capiendi cibum, & somnum, non teneretur recitare Horas. Sanchez *lib.* 7. *Consil. Moral. cap.* 2. *dub.* 52. Layman *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 1. Sporer *loc. cit. n.*161. Ratio est: quia Ecclesia non censetur velle ad Horas obligare cum tanto incommodo, & gravamine.

Excusat 2. Infirmitas, quæ tamen & ipsa debet esse gravis, seu notabilis, hoc est, talis, ut ex recitatione Horarum immineat aliquod in valetudine malum non parvæ considerationis, v. g. cruditas stomachi, magnus dolor, aut gravedo capitis, virium lassitudo &c. Abreu *loc. cit. n.*146. Herincx *n.*42. Reiffenstuel *n.*77. Ratio itidem est, quod benigna Mater Ecclesia non censeatur cum tanta severitate persolutionem Horarum a nobis exigere, quin ejusmodi infirmitate velit condescendere fragilitati humanæ. Neque ex eo, quod æger cum aliis loqui, aut fabulas, vel historias profanas legere possit, recte infertur, quod etiam possit, aut teneatur loqui cum Deo per recitationem Horarum: hoc enim mentem collectam requirit, qualem habere ægro difficile accidit; illud vero mentem distrahit. Sporer *loc. cit. n.*158. Stoz *n.*402. & alii apud ipsos.

Excusat 3. Impotentia, modo sit involuntaria. Ratio est: quia ad impossibile nemo obligatur. Dixi: *modo sit involuntaria*. Nam impotentia voluntaria sive directe, & in se, sive indirecte, & in causa, non excusat. Hinc a peccato mortali liber pronunciari non poterit, qui redditus est impotens ad Horas persolvendas, eo quod studiose, vel cum præviso periculo omissionis reliquerit Breviarium in loco patulo, & furtis exposito. Augustinus Michel *loc. cit. pun.* 1. *num.* 9. & alii communissime.

Excusat 4. Ignorantia (inadvertentia, oblivio) Qualis autem ignorantia excuset, & qualis non, relinquitur ex dictis *part.* 1. *a n.*576. Relege, & huc applica.

Explicat 5. Metus: de quo pariter revidenda, & huc applicanda sunt, quæ diximus *part.* 1. *n.* 600. *& præcedentibus*.

Dixi in conclus. *causæ generales*. Nam præter causas recensitas, & hactenus expositas extat adhuc alia causa excusans, sed specialis, & locum habens in solis Beneficiatis, nullo alio titulo, quam Beneficii ad Horas obligatis; estque inculpata carentia fructuum beneficialium. Similes quippe Beneficiati, si citra suam culpam nullos ex Beneficio fructus (sive in re, sive saltem in spe propinqua, & moraliter certa) percipiant, a recitatione Horarum deobligantur: veluti ostendimus supra *n.*449. An etiam tenuitas fructuum beneficialium ejusmodi Beneficiatos a prædicto onere relevet, decisum reperies *n.*450. Porro quænam causæ Beneficiatos excusent a Choro, ut nihilominus annuos fructus, vel etiam quotidianas distributiones lucrifaciant, tradidimus *n.*434. *&* *n.*435.

Ut au-

Ut autem enumeratæ causæ a recitatione Breviarii excusent, debent esse moraliter certæ, seu certo sufficientes. Quod si a recitatione Breviarii se eximere volens, de earum sufficientia dubitet, consulat Virum rei peritum, v.g. Professorem Theologiæ, Confessarium, Medicum &c. Hi enim, licet ob defectum jurisdictionis in lege recitandi Breviarii dispensare non possint; possunt tamen declarare, num causa exemptionis allegata sufficiat, nec ne? Quæ declaratio, si nemo alius æque peritus contrarium afferat, certitudinem moralem facit: prout in simili diximus *n.*19. Si vero & illi dubitent, recurrendum erit ad Superiorem pro impetranda dispensatione, majoris saltem securitatis gratia: quod addo ob dicenda inferius *n.*480.

Porro super obligatione recitandi Breviarii cum omnibus, & singulis ad illud obstrictis dispensare potest S. Pontifex valide sine, & licite cum rationabili causa: siquidem ea obligatio descendit ex Jure Ecclesiastico tantum, in quo Pontifex prædicto modo dispensare potest: veluti ostensum est *part.*1. *n.*505. At Episcopus ne quidem valide cum Clericis sibi subjectis dispensare potest regulariter loquendo, & in perpetuum: quia præceptum recitandi Horas est Juris Pontificii, in quo Episcopus, seu inferior, dispensare non potest, ne quidem valide, per dicta *part.* 1. *n.* 510. Potest tamen Episcopus dispensare, etiam in perpetuum, cum ejusmodi Clericis, quando laborant impedimento perpetuo, vel diuturno, adeundi Romam; vel extra talem casum ad aliquod tempus, modo rationabilem sic dispensandi causam habeat: estque hæc potestas dispensandi ordinaria in Episcopo, adeoque delegabilis alteri; cum eam tribuat consuetudo. Sic reipsa Tamburinus *in Decal. lib.*2. *c.*5. §.8. *n.*24. La Croix *loc. cit. n.*1233. Babenstuber *n.*78. & alii. Superiores Regulares, saltem a jurisdictione Episcoporum exempti, & independentes, super antedicta obligatione ex rationabili causa dispensare possunt cum Religiosis sibi subditis, etiam in perpetuum: quia Religiosi censentur laborare impedimento perpetuo adeundi Romam; ergo sicut Episcopi cum suis Clericis, simili impedimento laborantibus, possunt dispensare in perpetuum; ita & Superiores Regulares cum suis Religiosis; siquidem potestas dispensandi Superiorum Regularium relate ad suos Religiosos æquiparatur potestati dispensandi Episcoporum relate ad suos Clericos: prout relinquitur ex sæpe dictis. Omitto privilegia, quorum bina refert Cherubinus Mayr *loc. cit. n.*211. Id tamen ex illis annoto, quod dispensatio, quæ super recitatione Breviarii impenditur, plerumque non sit (nec esse debeat) pura, sed admixtam habeat commutationem in aliud onus notabile, v.g. in Officium Marianum, Rosarium &c. quale onus sub mortali adimplendum erit; quemadmodum promitur ex illo trito Juris: *Subrogatum induit naturam ejus, cui subrogatur.* Nunc aliquot quæstiones circa prædicta resolvendæ veniunt. Itaque

478. Quæres primo, an, qui solus non potest recitare Breviarium, potest autem cum socio, teneatur eum adhibere?

Respondetur affirmative, si eundem facile habere possit. Suarez *lib.*4. *de Horis Canonic. c.*28. *a num.*13. Bonacina *disp.*1. *q.*6. *pun.*2. *n.*8. Sporer *loc. cit. n.*181. Babenstuber *n.* 76. & alii satis communiter. Ratio est: quia obligatus ad aliquem finem, censetur etiam obligatus ad medium pro tali fine obtinendo necessarium, quando istud procuram non est admodum difficile: atqui adsciscere sibi socium correcitantem non est admodum difficile; cum supponatur facile haberi posse; ergo &c. Aliud esset, siquis socium facile habere nequiret: ut fieret, si Clericus (sive Beneficiatus, sive non Beneficiatus) deberet illum pretio conducere: hoc quippe medium esset nimis difficile, planeque extraordinarium; ad quod proinde procurandum nulla extat obligatio. Ita cum Tamburino, & aliis Gobat *loc. cit. n.*713. De Beneficiato tamen pingue Beneficium habente permulti sentiunt contrarium: sed absque solido, & stringente fundamento. Lege Sporerum *cit. num.* 183. & considera.

Dices. Recitare Breviarium cum socio est privilegium: privilegio autem uti non tenemur; ergo &c.

Confirmatur. Qui prævidet, se die crastina a recitatione Matutini impeditum iri, non tenetur illud anticipare, seu pridie recitare: quia concessio anticipationis est privilegium, quo uti non tenetur; ergo &c.

Respondetur ad argum. neg. maj. Nam si recitatio Breviarii cum socio esset privilegium, esset privilegium contra legem; prout contendunt Adversarii: atqui hoc est falsum; cum ejusmodi recitatio non sit exemptio a lege, sed potius conformitas cum lege instituente Chorum publicum, inquit recte P. Gobat *loc. cit. n.*713. & cum eo P. Sporer *n.* 181. Et amabo! ubinam aliquando fuit, aut est prohibita recitatio Breviarii cum socio? certe nullibi. Quare miror, quod P. Babenstuber *cit.* concedat, ejusmodi recitationem privilegiis accenseri.

Ad confirmat. con. ant. una cum causali; at neg. cons. Ratio disparitatis est: quia anticipatio pridiana Matutini sortitur rationem privilegii, quo uti non tenemur; prout recte arguitur in confirmatione: non autem recitatio cum socio; prout ex dictis liquet: consequenter &c.

479. Quæres secundo, an impotens recitare majorem partem Officii (vel totum Officium) potens autem recitare minorem, ad hanc teneatur?

Respondetur affirmative. Ita de facto communis, & certa omnium DD. sententia. Nam Innocentius XI. confixit hanc *prop. n.*54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.* Ratio quoque est: quia licet præceptum recitandi Horas sit unicum, versatur tamen circa materiam dividuam, seu constantem partibus divisibilibus; Prima enim v.g. dividi potest a Tertia, hæc a Sexta &c. ergo obligatio recitandi impleri potest, & debet quoad unam partem, seu Horam, licet impleri non possit quoad alteram: ut patet in simili de solutione debiti, quæ tametsi fieri non possit quoad totum debitum v. g. centum florenorum, aut majorem ejus partem v. g. septuaginta florenorum; fieri tamen debet quoad partem præstitu possibilem v. g. triginta florenorum; quia præceptum Justitiæ de solvendis centum non solum respicit totum aggregatum, sed etiam singulas ejusdem partes inter se dividuas. Neque obstat illud procardicon: *major pars trahit ad se minorem;* quippe solummodo intelligendum de majori parte personarum, seu suffragiorum in aliquid communi consensu conspirantium: prout jam alibi advertimus, & colligitur ex *c.*1. *de His, quæ fiunt a majori parte Capituli.* Ad dignoscendum vero, utrum, & quando teneare ad partem minorem, impotens recitare majorem, hanc veluti regulam suggerit ex Illsung, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.*75. Quotiescunque ex Divino Officio recitare potes, quantum sufficit ad omissionem mortalem, ad illud recitandum obligaris. Ita quando potes recitare omnes Psalmos alicujus Horæ, v. g. Nonæ, non vero Capitulum, Responsoria, & Collectas, ad illos recitandos obligaris. Ratio est: quia licet Psalmi, præcise spectati, non sint Hora integra, & formata, sunt tamen pars notabilis totius Officii divisibiliter præcepti. E diverso, quando tantum recitare potes partem non notabilem, & insufficientem ad mortalem omissionem, ad eam non obligaris: hinc quando unum duntaxat Psalmum Nonæ v. g. recitare potes, ad eum non obligaris. Ratio est: quia talis pars in præsenti relate ad finem præcepti non censetur æstimabilis.

480. Quæres tertio, an ægrotus teneatur ad recitationem Horarum, quando Medicus desuper consultus dubitat, an ægritudo sit gravis, vel levis?

Respondetur negative. Tamburinus *lib.*2. *in Decal. cap.* 5. §. 8. *num.* 13. Gobat *loc. cit. num.* 478. Sporer *num.*159. Cardenas *in* 2. *Crisi dissert.* 33. *art.*3. *n.* 22. & alii. Ratio est: quia non solum grave incommodum, sed etiam periculum talis incommodi, ex Horarum recitatione incurrendi, excusat, seu liberat ab obligatione recitandi, juxta communem Moralistarum: atqui in casu quæstionis subest periculum ejusmodi gravis incommodi; siquidem dubitare, an ægrotus absque gravi incommodo valeat Horas recitare, nec ne? est reipsa asserere, saltem virtualiter, subesse periculum gravis incommodi, si recitet; ergo &c. Quare licet consulendum sit, ut in simili casu ad majorem securitatem petatur dispensatio, secundum dicta *num.* 477. non tamen petere nolenti imponenda est obligatio. Sed

Dices. In dubio, an hæc, vel illa circumstantia deobliget a præcepto, manet præceptum in possessione;

atqui in præsenti dubium est, an ægritudo deobliget a recitatione Horarum; ergo præceptum recitandi manet in possessione, eritque observandum.

Respondetur, explic. & dist. maj. Nisi ipsum dubium inferat periculum gravis incommodi, con. si inferat, neg. maj. Sed dubium est, an ægritudo deobliget &c. & hoc ipsum dubium infert periculum gravis incommodi, con. non infert periculum gravis incommodi, sive nocumenti, neg. min. & cons. Explicatio responsionis ex dictis liquet.

CAPUT III.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Decimas.

§. I.

Quid sint Decimæ, quotuplices, & quo Jure debeantur?

SUMMARIUM.

481. *Decimæ possunt accipi* objective, *&* formaliter. 482. *& seq. Quid sint, & quotuplices?* 484. *Spectatæ quoad substantiam debentur Jure Naturali, & Divino; spectatæ vero quoad determinationem quotæ Jure Ecclesiastico tantum in Lege nova.* 485. *& seqq. Solvuntur objectiones, & refellitur doctrina P. Reiffenstuel.* 487. *Declaratur, quid referat, num decimæ secundum determinationem quotæ debeantur Jure Divino, vel Ecclesiastico tantum?*

481. PRænotandum, decimas accipi posse *objective*, id est, pro ipsis fructibus. qui Decimatori pendendi sunt; & *formaliter*, id est, pro jure decimandi, seu exigendi illos fructus. Porro decimæ objective acceptæ adhuc dupliri modo considerari valent, nempe 1. *quoad substantiam*, seu quatenus præcise significant quandam vagam, & indeterminatam portionem fructuum; & 2. quoad determinationem quotæ, seu quatenus significant portionem fructuum determinatam, id est, partem decimam, Decimatori singulis annis pendendam.

Dico nunc primo. Decimæ simpliciter Ecclesiasticæ objective spectatæ (prout de ipsis præcipue nobis sermo est) sunt *decima pars fructuum, juste acquisitorum, Ministris Ecclesiæ propter ministerium spirituale solvenda.* DD. reipsa communiter.

Explicatur, Dicitur 1. *Decimæ simpliciter Ecclesiasticæ.* Has quippe solas Authores plerique omnes impræsentiarum definiunt: non vero decimas *secundum quid tantum Ecclesiasticas*, aut *mere Laicales*, & *Secularizatas*. Decimæ secundum quid Ecclesiasticæ sunt, & dicuntur, quæ authoritate Pontificia Laicis sunt in feudum concessæ, adeo, ut ipsis sola earum utilitas, seu jus utile decimandi competat, proprietate, & jure directo, quod est quasi radix exigendi decimas ob sacrum, & spirituale ministerium, penes Ecclesiam retento. Mere Laicales, & Secularizatæ dicuntur, quæ authoritate Pontificia sunt separatæ (prout tamen rarissime fit) a titulo spirituali, & jure ministerii sacri, ipsa etiam proprietate in Laicos translata. P. Pichler *in Cand. abbrev. lib.3. tit.30. n.1.* & alii passim.

Dicitur 2. *objective spectata.* Nam formaliter spectatæ sunt *jus, seu facultas petendi decimam partem fructuum juste acquisitorum propter ministerium spirituale.*

Dicitur 4. *decima pars*: hanc quippe, & non aliam, puta octavam, aut duodecimam, Ecclesia solvendam statuit.

Dicitur 4. *fructuum*, nempe vel naturalium, vel industrialium, vel mixtorum: veluti patebit ex dicendis *num. seq.*

Dicitur 5. *juste acquisitorum*. Nam injuste acquisita non pertinent ad acquisentem, sed legitimo domino restituenda sunt; & sicut ex iis dari non debent, aut possunt eleemosynæ, ita nec decimæ.

Dicitur 6. *Ministris Ecclesiæ*. His enim in subsidium, & sustentationem pendi decimæ debent: veluti patebit per decursum.

Dicitur 7. *propter ministerium spirituale solvenda*, ut exprimatur titulus spiritualis, & sacer, ob quem decimæ Ministris Ecclesiæ pendi debent. Quo etiam fit, ut jus decimas exigendi, in eo titulo fundatum, existat spirituale, vel potius spirituali annexum. P. Franciscus Schmier *lib.3. tr.1. cap.3. sect.1. n.16.* aliique passim.

482. Dico secundo. Decimæ dividuntur 1. in *Reales, Personales*, & *Mixtas*. 2. *Majores*, & *Minores*.

Explicantur membra dividentia. Decimæ reales (quas etiam *Prædiales* vocant) dicuntur, quæ penduntur ex fructibus naturalibus, id est, talibus, quos ipsa rei natura ex se producit, quin industria hominis *notabiliter* cooperetur; uti sunt fœtus animalium, lana ovium, fructus arborum, herbæ pratorum &c. Decimæ personales appellantur, quæ penduntur ex fructibus industrialibus, quos non ipsa res ex se, sed hominis, illa re seu instrumento utentis, industria profert: cujusmodi sunt lucra, seu fructus, ex pecunia, vino, frumento, aliisque rebus sua natura sterilibus, parti. Decimæ mixtæ nuncupantur, quæ penduntur ex fructibus mixtis, ad quorum productionem natura simul, & industria hominis *notabiliter* cooperantur; uti sunt vinum (quatenus obtinet rationem fructus) oleum, caseus, butyrum &c. Neque tertium hoc membrum dividens negari potest, nisi quis contra communem Theologorum negare velit dari fructus mixtos, de quibus *part. seq. tr.2. disp.1.* Decimæ personales fere per universalem, saltem Germaniæ, consuetudinem sunt abrogatæ, iisque subrogati creduntur reditus stolæ, ut vocant, qui Parochis ob singula fere ministeria præberi in sustentationem solent, P. Pichler *loc. cit. n.2.*

Decimæ majores dicuntur, quæ solvuntur ex frumento, vino, oleo &c. minores vero, quæ ex animalibus, fœno, oleribus, pomis arborum, lino, canabe, rapis, napis, cœpis, milio, variisque leguminibus, ut fabis, pisis, ciceribus, lentibus, lupinis &c. quo etiam pertinent decimæ *carnaticæ* (Blutzehend) ex animalium partu, puta de agnellis, vitulis, suculis, pullis. Reiffenstuel *lib.3. tit.30. n.5.* & alii passim. Atque hæc decimarum distinctio omnino usitata est, præsertim in Germania, ubi sæpe Episcopo, Monasterio &c. majores, Parocho autem, vel Vicario minores decimæ penduntur.

483. Dico tertio. Decimæ quoad substantiam spectatæ debentur (1.) Jure Naturali, & Divino; spectatæ vero quoad determinationem quotæ, seu decimæ partis (2.) Jure Ecclesiastico tantum in Lege nova. Prima pars est communissima. Alteram partem tenent Lessius *de J. & J. lib.2. c.39. dub.1. num.6.* Palao *part.2. tr.10. pun.1. num.4.* Herincx *part.3. tr.4. disp.3. quæst.7. num.56.* Franciscus Schmier *loc. cit. a num.33.* aliique recentiores Theologi, & Canonistæ communiter contra Veteres, ac ex recentioribus contra Reiffenstuel *loc. cit. num.7.*

Probatur prima pars. Et quidem de Jure Naturali in hunc modum. Lex Naturalis Justitiæ exigit, ut laborantibus, & spiritualia Ecclesiæ ministrantibus præbeatur necessaria vitæ sustentatio; cum generatim evidenti ratione naturali oporteat stipendium accipere ab iis, quibus servitium aliquod necessarium ministratur: sic tributa Regibus pro Republica sollicitis; sic stipendia Ducibus, & militibus pro patria strenuis; sic sportulæ, & salaria Judicibus, & Advocatis pro patria vigilantibus præstantur. Atqui Clerici, & Ministri Ecclesiæ in gratiam fidelium obsequium maxime necessarium impendunt, prædicando Verbum Divinum, exercendo animarum curam, administrando Sacramenta &c. ergo Lex Naturalis Justitiæ exigit, ut ipsis præbeatur necessaria vitæ sustentatio, seu decimæ quoad substantiam spectatæ. Ostenditur eadem pars etiam de Jure Divino ex clarissimis S. Script. textibus. Nam 1. *Cor.9. v.7.* ait Apostolus: *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et *v.13. Nescitis*, inquit, *quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant? ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Accedit effatum Christi apud Matthæum *c.10. v.10. Dignus est enim operarius cibo suo:* & *Luc.10. v.7. Dignus est enim operarius mercede sua.*

Proba-

Probatur etiam secunda pars conclus. Certa quota fructuum, seu decima pars qua talis, nec est determinata a Jure Naturali, prout fatentur ipsimet Adversarii; nec a Jure Divino, cum de hoc nullus S. Scripturæ novi Testamenti textus extet; ergo determinata est, & debetur Jure Ecclesiastico tantum.

Confirmatur. Quod est de Jure Naturali, aut Divino, non potest tolli, vel mutari per privilegium, aut consuetudinem, *c.13. de Restit. Spoliat.* & *c.11. de Consuet.* Adversariis ultro subscribentibus: sed decimæ quoad determinationem quotæ possunt tolli, & mutari per privilegium, ac aliis, quam de Jure communi debeantur, applicari; prout constat ex Trid. *Sess. 25. c. 13. de Refor.* uti & per consuetudinem; veluti constat ex *c. 20. & 32. de Decimis*, imo ex multiplici, & authentica praxi; ergo &c.

Respondet P. Reiffenstuel *loc. cit. §. 4. n. 87.* Pontificem ad plures alias consuetudines tacere, quæ contra Jus Divinum, & Naturale vigent, esseque hic locum illi Juris sententiæ: *Multa per patientiam tolerantur, quæ si in Judicium deducta fuerunt, tolerari non debent.*

Verum contra est, quod consuetudo tollendi, & mutandi decimas qua tales, & secundum quotam determinatam, non modo sciatur, & toleretur a SS. Pontificibus, sed etiam approbetur; veluti perspicuum erit legenti *præcit. cc. 20. & 32. de Decimis*: quod tamen facere non possent, si decimæ, antefato modo acceptæ, forent de Jure Naturali, & Divino: sicut non possunt approbare consuetudinem, qua Parochis, & Beneficiatis auferantur decimæ secundum substantiam, & ad congruam eorum sustentationem necessariæ, *c. 9. X.* & *c. 2. §. ubi autem eod. in 6.* quia nimirum hoc modo spectatæ debentur Jure Naturali, & Divino, secundum dicta.

Dixi tamen in conclus. *in Lege nova*. Nam in Lege veteri (sed Mosaica duntaxat) decimas, etiam secundum determinationem quotæ spectatas, fuisse Juris Divini, constat ex *Levit. 27. v. 30.* & *Malach. 3. v. 10.* At ante Legem Mosaicam nullum extabat præceptum Divinum de pendendis decimis, secundum determinatam quotam acceptis. Et quamvis Abraham decimas qua tales obtulerit Melchisedecho, *Gen. 14.* non tamen id fecit ex obligatione, sed spontanee in gratiarum actionem pro victoria obtenta. Similiter Jacob libera voluntate Deo decimas vovit, dicens: *Cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Gen. 28.*

484. Objicies jam primo contra secundam partem conclus. Decimæ, etiam quatenus denotant determinatam quotam, erant Juris Divini in Lege Mosaica; veluti proxime fassi sumus, & a nemine DD. Catholicorum negari potest; ergo etiam in Lege Evangelica. Cons. prob. Quia præceptum de solvendis decimis, etiam quoad determinationem quotæ, viget in Lege Evangelica, sicut in Mosaica.

Respondetur, con. ant. neg. cons. Probat. dist. Illud præceptum adhuc viget, quatenus antiquum, & Divinum, neg. quatenus novum, & Ecclesiasticum, con. Præcepta Judicialia veteris Testamenti, inter quæ etiam refertur præceptum de solvendis decimis, sunt extincta (causaliter in morte Christi, & formaliter in die Pentecostes, in quo Lex nova solemniter promulgata fuit) adeo, ut jam formaliter, & qua talia non amplius extent: esto adhuc aliqua (inter quæ præceptum de Decimis) extent materialiter, quatenus Ecclesia eidem materiæ, in veteri quoque Testamento præceptæ, indidit novam vim obligandi, antiqua prædicto modo cassata. Itaque præceptum de solvendis decimis quoad determinationem quotæ, in Lege Evangelica vim obligandi totam proxime, & immediate sortitur ab Ecclesia. Revide, quæ diximus *part. 1. a n. 239.*

485. Objicies secundo. Ecclesia, SS. Pontifices, & SS. Patres declarant, decimas esse Juris Divini sine distinctione inter spectatas quoad substantiam, & quoad determinationem quotæ; ut in *c. 2. de Decimis*, ibi: *Ex mandato Divino debentur*; & in *can. 47. caus. 16. q. 1.* ibi: *Decimas a populo Sacerdotibus, & Clericis esse reddendas, Divinæ Legis sanxit authoritas.* Idem asserit S. Hieron. (ut aliorum PP. conformiter loquentium citatione supersedeam) in *can. fin. caus. 16. q. 1.* relatus, ubi inquit: *quæ* (decimæ) *Divini Juris esse noscuntur.* Ergo decimæ non solum quoad substantiam, sed etiam quoad determinationem quotæ debentur Jure Divino.

Confirmatur. Verba secundum propriam significationem accipi debent; decimæ autem proprie significant decimas quoad determinationem quotæ, seu decimæ partis: consequenter &c.

Respondetur ad argum. explic. & dist. ant. Declarant, decimas esse Juris Divini secundum utranque acceptionem, modo tamen diverso, con. eodem, neg. ant. & cons. Decimæ secundum substantiam debentur Jure Divino immediate, & originaliter; secundum quotam vero mediate tantum, & exemplariter in Lege nova (prout loquitur P. Schmier *cit. n. 39.*) in quantum eadem decimarum solutio, etiam secundum quotam, quæ in Lege Mosaica a Deo præceptive imposita erat, in Lege quoque Evangelica ad exemplum Legis Mosaicæ, & præcepti Divini ab Ecclesia de novo imposita est. Nec talis nuncupandi modus videri debet peregrinus, aut inusitatus. Sic quippe etiam Canones Ecclesiæ appellantur Jus Divinum, *c. 3. dist. 20.* quatenus ex sacris Literis promanant, & authoritate Ecclesiæ, immediate a Deo accepta, concinnati sunt. Sic pariter a SS. PP. præceptum Jejunii Quadragesimalis vocatur quandoque Divinum; quia eosdem dies Dominus per semetipsum sacro jejunio consecravit &c.

Ad confirm. neg. min. Nam vocabulum *decima* in propria significatione utrunque includit, videlicet tam substantiam decimarum, quam determinationem quotæ: sicut etiam in Lege Mosaica jam includebat; ubi utique in proprio sensu veræ erant hæ propositiones: *decimæ, prout denotant congruam sacrorum Ministrorum sustentationem, & spectantur secundum substantiam, sunt debita Jure Divino, & Naturali simul; prout vero denotant determinationem quotæ, seu decimæ partis, Jure Divino tantum.*

Instabis cum P. Reiffenstuel *loc. cit. §. 1. n. 15.* Distinctio in decimas quoad substantiam, & quoad determinationem quotæ, nullibi reperitur in jure; ergo non est adstruenda.

Respondetur, dist. ant. Nullibi reperitur in Jure explicite, trans. implicite, neg. ant. & cons. Quamvis Jura, & sacræ Paginæ ejusmodi verbis explicite non utantur, clarum tamen fundamentum præbent ita distinguendi; cum expresse dicant, decimas pro sustentatione Ministrorum destinatas esse: hoc nanque posito, jure fieri potest distinctio inter partem pro sustentatione necessariam, & inter partem determinate decimam; siquidem pars determinate decima per se ad sustentationem non requiritur, eo quod in hunc finem persæpe sufficeret minor quantitas fructuum, v. g. pars duodecima, vel decima quarta, experientia testimonium perhibente, qua condocemur, multos Clericos, qui copiosas habent decimas, ingentes congregare divitias. Itidem Jura docent, Clericis nulla ratione auferri posse decimas, in quantum hæ sunt necessariæ ad congruam eorum sustentationem, adeoque in quantum spectantur secundum substantiam; posse vero auferri, in quantum important decimam partem qua talem, seu in quantum spectantur secundum determinatam quotam: veluti relinquitur ex dictis *n. 483.*

Urgebis cum eodem Authore *n. 16.* Pontifices, & Concilia, dum dicunt, decimas etiam hodie deberi de Jure Divino, adhibent eundem loquendi modum, quem Lex Mosaica; ergo quemadmodum in Lege Mosaica decimæ secundum determinationem quotæ debebantur de Jure Divino immediate, & originaliter, pariter sic debebuntur in Lege Evangelica.

Respondetur, neg. ant. vel dist. spectato præcise verborum cortice, trans. spectato sensu per verba intento, neg. ant. & cons. In Lege Mosaica clarum extabat præceptum Divinum de decimis antefato modo pendendis. *Levit. 27. v. 30. & Malach. 3. v. 2.* quod tamen per introductionem Legis Evangelicæ fuit cassatum, nullumque aliud ab ipsomet Deo subrogatum: uti vidimus supra *n. 483.*

486. Objicies tertio. Si Ministris Ecclesiæ solum vi Juris Ecclesiastici debeantur decimæ secundum quotæ determinationem, sequitur, quod ad illas solvendas obligatus non peccet contra Justitiam, quotam, sive quantitatem determinatam, minuendo, v. g. dando non decimam, sed duodecimam, vel vigesimam partem: sequela autem est absurda; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Nam hoc ipso, quod Ecclesia stipendium, & alimenta suis Ministris in parte decima fructuum constituerit, hæc jam debetur ex Justitia: sicut per se quidem, & Jure naturali subditi solum debent Principibus tantum tributum, quantum ad decentem eorum statum conservandum, & defenden-

dam Rempublicam requiritur; si tamen Princeps in hunc finem semel certam tributi quantitatem ex justa causa determinaverit, ea debetur ex Justitia, secundum communem DD. sententiam.

487. Quæres, quid ergo referat, num decimæ secundum determinationem quotæ debeantur Jure Divino, vel Ecclesiastico tantum?

Respondetur, utique referre aliquid, & quidem multum. Nam si decimæ, præfato modo spectatæ, Jure solum Ecclesiastico debeantur, poterit parochianus, ad eas pendendas de Jure communi obligatus, contra excipere, vel propter consuetudinem loci, vel legitimam præscriptionem, vel privilegium Papæ; secus, si decimæ sic sumptæ deberentur Jure Divino, utpote adversus quod nulla consuetudo, præscriptio, vel privilegium Papale prævalere potest. Ita Augustinus Michel *de Decimis pun.1. n.11.* & alii.

ARTICULUS II.

Quibus pendendæ sint Decimæ, & a quibus?

SUMMARIUM.

488. Decimæ de Jure communi, & recentiori principaliter debentur Parocho. 489. Cuinam Parocho debeantur? 490. Utrum Ecclesiæ Baptismali, vel Parochiali? 491. Quid de decimis novalium? 492. Quinam obligentur ad decimas tam reales, quam personales? 493. An ad easdem obligentur quoque pauperes? 494. An dominus agri v.g. qui culpabili negligentia agrum colere intermisit, nullosque idcirco percepit fructus, teneatur Parocho ad aliquam restitutionem pro decimis, quas recepisset, si ager cultus fuisset? 495. Qualiter peccet, qui, ad decimas obligatus, easdem defraudat?

488. Dico primo, Decimæ de Jure communi, & recentiori principaliter debentur Parocho, ita ut hic habeat intentionem fundatam in Jure quoad omnes decimas suæ Parochiæ. DD. communiter propter textus in *c.4. 13. 18. 29. & 30. de Decimis*.

Explicatur, Dicitur 1. *Debentur Parocho*: quod pariter intellige de Beneficiatis curatis, qui populo Sacramenta, & alia spiritualia ministrant: siquidem administratio curæ animarum est præcipua radix percipiendi decimas.

Dicitur 2. *principaliter*. Nam etiam Beneficiatis non curatis, Ecclesiæ deservientibus per ministeria sacra, attribuuntur aliquæ decimæ, *c.21, 22. & 26. de Decimis*, nempe secundario.

Dicitur 3. *de Jure communi*. Siquidem Jure speciali vel privilegii, vel præscriptionis, vel consuetudinis, vel incorporationis &c. etiam ad alios non Parochos decimæ pertinere possunt, puta ad Episcopos, Monasteria &c. quibus, præsertim in Germania, sæpius pendendæ sunt decimæ majores, Parocho, aut Vicario minoribus duntaxat assignatis: quemadmodum annotavimus *n.482.*

Dicitur 4. *& recentiori*. Olim quippe ante divisionem Parochiarum Decimæ cujuslibet diœcesis pertinebant indivisum ad Clerum, & colligebantur ab Episcopo, qui dein cum proportione easdem distribuebat inter Clericos Ecclesiæ Ministros; prout legere est in *can.1. caus.16. q.7.* ibi: *Decimas sub manu Episcopi esse censemus, ut ille, qui ceteris præest, omnibus juste distribuat &c.*

Dicitur 5. *ut Parochus habeat intentionem fundatam in Jure*, videlicet contra quemcunque, etiam Clericum, Monasterium, imo & Episcopum, adeo, ut emergente dubio, vel lite de decimis, onus probandi non Parocho, sed aliis jus decimandi sibi arrogantibus, incumbat. Revideatur Reiffenstuel *loc. cit. n.100.*

Dicitur 6. *quoad omnes decimas suæ Parochiæ*. Nam decimæ ex prædiis limitaneis, quæ intra nullius Parochiæ limites existunt, debentur Episcopo: sicut & eidem debetur quarta pars decimarum de Ecclesiis inferioribus, *c.13. de Decimis*; quamvis hoc posterius debitum passim per consuetudinem exoleverit. P. Schmier *loc. cit. n.46. & seq.* Pichler *in alleg. Cand. abbreviat. lib.3. tit.30. n.3.* & alii.

489. Quæres primo, cuinam Parocho solvendæ sint decimæ?

Respondetur primo. Decimæ personales (siquis earum usus alicubi adhuc vigeat) solvendæ sunt Parocho, in cujus Parochia solvere obligatus domicilium obtinet, per textus in *can.56. caus.16. q.1. c.10. & 20. de Decimis*, ad *c. fin. de Parochiis*. Ratio est: quia Parocho domicilii incumbit obligatio spiritualiter curandi, & pascendi omnes intra districtum suæ Parochiæ domicilium obtinentes; licet forte ad recipienda Sacramenta alios sese conferre soleant; ergo æquum est, ut ipsi intuitu spiritualis curæ pendantur decimæ personales. Quod si ad solvendas decimas adstrictus obtineat domicilium in duabus Parochiis æque principale, inter utrumque Parochum decimæ personales dividendæ sunt, P. Schmier *loc. cit. n. n.52.* & alii apud ipsum.

Respondetur secundo. Decimæ reales, quæ debentur ex prædiis, solvendæ sunt Parocho, intra cujus limites Parochiales prædia consistunt, per *c.13. 16. 18. 29. & 30. de Decimis*. Ratio est: quia hujusmodi decimæ sunt onus prædiis, in divisione Parochiarum impositum, juxta *can.1. caus.13. q.1.* ergo debentur illi Parocho, intra cujus Parochiam prædia sunt sita. Confirmatur. Decimæ personales debentur Parocho, intra cujus Parochiam personæ ad decimas obstrictæ existunt, & domicilium obtinent; quia sunt onus personis ibi habitantibus inhærens; ergo decimæ reales prædiales debentur Parocho, intra cujus Parochiam prædia consistunt: quia sunt onus prædiis ibi sitis inhærens. Engel *lib.3. tit.30. n.6.* Gonzalez *ad cit. c.18. de Decimis*, & alii passim. Idem dicendum de Decimis realibus, quæ ex fructibus, & fœtibus pecorum pendendæ sunt, *arg. c.4. de Decimis*. Itaque & ipsæ, ubi in usu sunt, debentur Parocho, intra cujus limites Parochiales pecora pascuntur; ita, ut, si diversis anni temporibus in diversis Parochiis alantur, decimæ inter Parochos illarum Ecclesiarum dividendæ sint, servata proportione temporum: nisi aliud consuetudo obtineat. P. Engel *loc. & n. cit.* P. VVex *de Decimis q.5. n.6.* & alii passim.

491. Quæres secundo, utrum decimæ Ecclesiæ Baptismali, an vero Parochiali communi Jure debeantur?

Respondetur, quod debeantur Ecclesiæ Parochiali. Suarez *de Decimis c.24. n.4.* VVex *loc. cit. a n.5.* & alii communiter. De decimis personalibus patet: quia debentur illi Ecclesiæ, in qua Sacramenta suscipi, & Officia Divina ab adultis frequentari debent, qualis est Ecclesia Parochialis, tametsi præter eam extet alia Ecclesia Baptismalis, ad quam tamen matricem, aut primariam baptizandi deferri debeant. Accedit, quod *textus cc. n. præced. in respons.1.* allegatorum concepti, & proditi sint de Ecclesiis Parochialibus. Quoad decimas reales sumitur *ex Juribus n. præced. in respons.2.* adductis, utpote in quibus omnibus sermo est de Ecclesiis Parochialibus. Et si textus quædam sint, qui de Ecclesiis Baptismalibus loquuntur, ut in *can.57. caus.16. q.1.* possunt, & debent intelligi de Ecclesiis Baptismalibus, quæ simul sunt Parochiales, *arg. can.58. cit. caus. & q.* ut advertit P. Schmier *loc. cit. n.61.*

491. Quæres tertio, cui debeantur decimæ Novalium? Antequam hæc quæstio resolvatur, sciendum, quod aliud sit *Novale proprie dictum*, & aliud *improprie dictum*. Primum est terra, quæ ab immemoriali tempore sterilis, & inculta jacuit, nunc autem ad culturam redigitur; ut si ex silva extirpata, vel palude siccata fiat ager, *c.21. de V.S.* Secundum est, quando in terram antea jam cultam inferuntur alii, seu novi fructus; ut si ex vinea fiat ager, aut vicissim; vel ager prius frumento consitus postea conseratur pisis, rapis &c. *c.30. de Decimis*. P. Engel *loc. cit. n.7.* Nunc

Respondetur primo. Decimæ Novalium proprie dictorum pertinent ad Parochum, intra cujus Parochiam Novalia consistunt. Ita P. Engel *loc. & n. cit.* P. Pichler *in Cand. abbrev. lib.3. tit.30. n. 5.* aliique communiter. Atque ita decisum extat *in c.25. & 29. de Decimis*; cum Parochus habeat intentionem fundatam ad omnes decimas suæ Parochiæ.

Respondetur secundo. Decimæ Novalium improprie dictorum post mutatam culturam pertinent ad eum, ad quem spectant decimæ, ex fructibus certæ speciei, vel ex certis fundis provenientes. Sumitur responsio ex *c.4. & 30. de Decimis*, ac *c.31. de Privileg.* estque reipsa communis DD. veluti testatur P. Pichler *loc. cit. n.7.* ubi & illam declarat hisce fere verbis, ac exemplis. Ponamus (inquit) in aliqua Parochia decimas majores spectare ad aliquod Hospitale, minores vero ad Parochum: hoc casu, si in agro v.g. in quo prius seminari solebant certæ species fructuum, decimas majores con-

res constituentium, uti sunt triticum; spelta, siligo &c. nunc seminentur species fructuum, decimas minores constituentium, uti sunt olera, rapæ, linum, &c. decimæ ex his spectant ad Parochum; sicut vice versa, si in agro, quo prius solebant seminari species fructuum, minores decimas constituentium, serantur nunc species fructuum, majores decimas constituentium, ex his decimæ ad Hospitale spectant. Dein ponamus (inquit idem Author) quod decimæ ex certis fundis, hortis v.g. provenientes ad Parochum, provenientes vero ex aliis certis, & determinatis fundis, campis v.g. ad Hospitale pertineant: tali casu quodcunque genus fructuum, in hortis crescentium, ad Parochum, crescentium vero in campis, ad Hospitale pertinet.

492. Dico secundo. Ad decimas reales pendendas obligantur per se omnes (1.) qui prædia, fundos, vel alias res frugiferas titulo non spirituali intra fines alicujus Parochiæ possident, *c.4. 6. 8. de Decimis*, &c. *fin. de Parochiis*, ad personales vero (2.) qui in aliqua Parochia, in qua etiamnum hujusmodi decimarum usus viget, Sacramenta, aliaque Divina percipere debent, *c.20.23. & 28. de Decimis*. Hanc conclusionem, seu regulam generalem, statuit P. Franciscus Schmier *loc.cit. n.111. & seq.* Neque reipsa dissentiunt alii. Dictum est autem: *per se*: nisi scilicet immunitatem a tali obligatione consecuti sint speciali Jure *privilegii Apostolici*, *consuetudinis*, *præscriptionis &c.* Sed ut ad particularia descendamus; ex dictis

Fit 1. ut ad decimas reales etiam obligentur Ethnici, Pagani, Judæi, aliique infideles non baptizati, si intra limites alicujus Parochiæ possideant res, vel prædia prius decimis obnoxia, *c.16. de Decimis*. & 18. *de Usuris*. Ratio quoque est: quia præstatio decimarum realium est onus rebus, vel prædiis, eorumque fructibus immediate annexum, quod transit ad quemcunque possessorem; siquidem res transit cum suo onere, *c. 5. de Pignor.* Monera *de Decimis c. 5. a n. 36.* Reiffenstuel *loc. cit. n.42.* Babenstuber *tr.6. disp.2. art.1. n.5.*

Fit 2. ut infideles baptizati, seu Hæretici obligentur ad decimas reales, & personales. Abbas *in cit. c. 16. de Decimis, n.6.* Pirhing *lib.3. tit.30. n.36.* Zoesius *ibid. n.16.* Ratio est: quia, cum ratione suscepti Baptismatis subsint Ecclesiæ, tenentur obtemperare ejus constitutionibus, quibus præstatio decimarum imponitur, Sacramentaque a Ministris Catholicis recipere, contumacia, & erronea secta derelictis. Nec refert, quod de facto recipere non soleant. Hoc quippe per accidens est, & provenit ex propria ipsorum culpa, ex qua reportare commodum non debent, *l.22. ff. de Furtis*.

Fit 3. ut ex Catholicis ad decimas tam reales, quam personales per se, & de Jure communi obligentur omnes Seculares, Imperator, Reges, Principes &c. itemque plebei divites, & pauperes, saltem quando hi (quod addo propter dicenda *n. seq.*) communi duntaxat necessitate, & egestate laborant. Sumitur ex *c.42. caus.16. q.1.* & *Extravag. unic. de Decimis inter communi*. P. VVex *cit. q.4. n.6.* Augustinus Michel *de Decimis pun.2. n.1.* Franciscus Schmier *loc.cit. n.127.*

Fit 4. ut ipsimet quoque Clerici, sive curati, sive non curati (si penes alium jus decimandi existat) teneantur solvere decimas reales non solum ex fundis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, sed etiam beneficialibus, si, priusquam ad Ecclesiam devenerint, onere decimarum fuerint affecti, *arg. can. 44. & seqq. caus. 16. q. 1.* Secus dicendum de fundis beneficialibus, antea oneri decimarum non obnoxiis: ut proinde hic locum habeat, quod *in cap.2. de Decimis* dicitur: *Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant*, videlicet de fundis, & fructibus beneficialibus, oneri decimationis, antequam Clericis pro sustentatione assignarentur, non subjectis: sic enim sunt loco decimarum; de decimis autem non solvuntur aliæ decimæ, *c.2. cit.* Istud vero *c.* sic intelligendum esse, inde colligitur, quod tratur exemplo Levitarum veteris Testamenti, qui præter decimas nihil aliud, tanquam dotem sui ministerii, possidebant. Videantur Reiffenstuel *loc. cit. n.49.* & Augustinus Michel *pun.2. n.7.* Ad decimas vero personales, ex lucris temporalibus oriundas, tenentur, quidem Clerici non curati; cum ipsis incumbat obligatio Sacramenta a suis respective Parochis recipiendi: non item Parochi ipsi, aliique Clerici curati, ob rationem oppositam. Pirhing *lib. 3. tit. 39. num.40.* Konig *ibid. n.7.* Schmier *loc. cit. num. 119.*

Fit 5. ut etiam Religiosi, sive exempti sint a jurisdictione Episcopi, sive non, teneantur ad decimas tam personales, quam reales, spectato Jure communi. Ita cum Suarezio, Laymanno, & communi aliorum P. Reiffenstuel *loc. cit. n.53.* Quoad decimas reales sumitur ex *c.4. de Decimis*, & *c.2. §. ceterum, eod. in 6.* Quoad decimas personales eruitur ex *can.6. & 7. caus.16. q.1.* ubi, spectato Juri communi, & abstrahendo a privilegiis, etiam Religiosi asseruntur subjecti Pastoribus, seu Parochis locorum, ab iisque Sacramenta, & alia Divina percipere obligati; quemadmodum olim reipsa percipiebant. Hodie tamen omnes Religiosi aliquo saltem modo a solvendis decimis sunt exempti per privilegia, partim Juri communi inserta, partim specialiter concessa, prout videre est apud Reiffenstuel *loc. cit. a n.62.*

493. Quæres primo, an ad decimas obligentur etiam pauperes?

Respondetur primo. Obligantur omnino, quando communi tantum necessitate laborant, ita, ut solutis etiam decimis, se, suosque adhuc utcunque alere possint. DD. communiter, & a nobis jam insinuatum est supra *num. præced.* Ratio est: quia hujusmodi sortis pauperes obligantur ad pendendum tributa Principi, cui subjecti sunt in gubernatione temporali; ergo etiam, & a potiori obligabuntur ad pendendum decimas Ecclesiæ, cui subjiciuntur in gubernatione spirituali.

Respondetur secundo. Non obligantur, quando laborant, aut datis decimis laboraturi essent, extrema necessitate. Ita denuo communis DD. Ratio est: quia in extrema necessitate omnia sunt communia, *arg. l.2. ff. ad Leg. Rhod. §. cum in ead.* adeo, ut quis, in hac tali necessitate constitutus, etiam alienum accipere, ac retinere valeat; prout videbimus *part. seq. tr.2. disp.2.*

Respondetur tertio, Obligantur tamen, quando laborant necessitate gravi solum; aut ad eam ex præstatione decimarum se reducendos prævident. Ita Abbas *in c.7. de Decimis n.5.* Engel *loc. cit. n.58.* Reiffenstuel *n.55.* Augustinus Michel *n.38.* & alii contra Babenstuber *loc. cit. num.9.* & alios. Ratio est: quia nemo dixerit, quod gravi solum inopia pressus possit aliena jura invadere, & propria authoritate sibi usurpare, aut aliorum bonis suam inopiam sublevare; cum confixa sit ab Innoc. XI. hæc *propos. ord. 36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Atqui decimæ sunt jura Ecclesiæ, bona Clericorum &c. ergo &c. Accedit, quod opposita sententia in praxi sit periculosa, & millenis fraudibus in evidentissimum Status Clericalis detrimentum obnoxia; veluti quivis, dolosum rusticulæ plebis genium sibi perspectum habens, facile apprehendet: imo actum omnino erit de decimarum sincera præstatione, si quilibet tuta conscientia eas retinere possit: dum judicat sibi necessaria ad sui, suæque familiæ sustentationem; ita enim ex egena plebe judicabunt plerique, etiam communi duntaxat necessitate laborantes, præsertim tempore sterilitatis; & sic plerumque ab iis nihil decimarum Parochi consequentur.

Dices. Non est credibile, piam Matrem Ecclesiam velle, ut cum tanto fidelium incommodo decimæ exigantur; ergo &c.

Confirmatur. Parochi alias tenentur subvenire Parochianis, gravi necessitate pressis, per dationem eleemosynæ; ergo non possunt esse rationabiliter inviti, quando ipsimet Parochiani fructus decimarum, ad sui, suorumque sustentationem necessarios, in hunc finem retinent.

Respondetur ad argum. neg. ant. Siquidem Ecclesia omnino velle censenda est, ut & tales pauperes recognoscant universale Dei dominium per solutionem decimarum; tum quia non minus ipsi, ac divites, Sacramenta, aliaque Divina a Parochis recipiunt: tum quia decimæ quoad substantiam sunt Juris Divini, cui Ecclesia non intendit (imo nec potest formaliter, & directe) derogare, sed magis ejus executionem per assignationem decimæ partis frugum promovere, & perurgere.

Ad conf. transmisso antecedente (de quo videri potest, quod diximus *part. 2. num. 154.*) neg. conf. Ratio negandi est: quia Parochianorum non est dijudicare, quibus pauperibus, de quibus bonis, &

quales, ac quantas eleemosynas elargiri teneantur Parochi; quod tamen tali casu facere comprobarentur. Satisfaciant ergo ipsi prius suo debito non tam erga hominem, quam erga Deum, & hujus supremum in omnes res dominium per decimarum præstantionem regnoscant: quo facto, Parochi jam noverint, quid sibi ex virtute Misericordiæ agendum incumbat; præsertim si Parochiani fidem eis necessitatem (nisi forte eandem jam alias sibi perspectam habeant) fiducialiter, ac filialiter aperiant.

494. Quæres secundo, an dominus agri v. g. qui culpabili negligentia agrum colere intermisit, nullosque idcirco percepit fructus, teneatur Parocho ad aliquam restitutionem pro decimis, quas recepisset, si ager cultus fuisset?

Respondetur negative. Ita Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.*2. *c.*36. *n.*18. Bonacina *de Præcept. Eccles. disp. ult. q.*5. *pun.*3. *n.*11. Augustinus Michel *loc.cit.n.*35. & alii. Ratio est: quia obligatio restituendi, quæ stringit ex culpa, supponit læsionem Justitiæ (videlicet commutativæ) prout videbimus *part. seq. tr.* 2. *disp.* 1. sed talis colonus negligendo culturam agri, non deliquit contra Justitiam; cum quivis re sua abuti, vel non debite uti possit citra aliorum injuriam; ergo &c. Confirmatur. Decimæ tantum debentur ex supposito, quod creverint fructus: atqui in casu nulli crevere fructus; ergo nec debentur decimæ: consequenter &c. Advertunt DD. *citt.* quod Parochi, ad quos pertinent decimæ, possint dominos fundorum admonere, ut fundos colant; & si admonitionem pensi non habuerint, ad culturam cogere implorato desuper Officio Magistratus Ecclesiastici, aut Secularis, *arg. cap.*32. *de Decimis.* Sed contra respons.

Dices. Si dominus agri (vel alius) fructus sive jam separatos, sive adhuc pendentes, perderet, v. g. conculcando, comburendo &c. teneretur Parocho ad restitutionem pro decimis; ergo similiter in casu quæstionato.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia in casu antecedentis jam adsunt fructus, de quibus debentur decimæ ex Justitia; contra quam proinde virtutem illorum destructor peccat, & consequenter oneri restitutionis obnoxius evadit. Oppositum ob oppositam rationem dicendum in casu consequentis: prout relinquitur ex dictis.

495. Quæres tertio, quale peccatum committat, qui, ad decimas obligatus, easdem defraudat?

Respondetur, quod committat (1.) peccatum mortale ex genere suo; & quidem (2.) duplex specie distinctum. Ita DD. universim. Ratio primi est: quia defraudator decimarum transgreditur præceptum Ecclesiæ in puncto gravi ex genere suo, & nisi parvitas materiæ excuset: id quod vel inde patet, siquidem Ecclesia decimarum defraudatoribus intentat pœnam excommunicationis; jubetque, ne absolvantur, si illas solvere detrectent: veluti mox audiemus. Ratio secundi est: quia defraudator decimarum peccat non solum contra Justitiam, sed etiam contra Religionem; quæ sunt virtutes specie distinctæ: sed peccans contra duas virtutes specie distinctas, committit duplex peccatum specie distinctum, prout relinquitur ex alibi dictis; ergo &c. Maj. ostenditur. Et quidem quod peccet contra Justitiam, clare deducitur ex Concil. Trid. *Sess.* 25. *c.* 12. *de Reform.* ubi post alia subjicit: *Qui vero decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur*; ergo juxta Concilium decimas defraudans peccat contra Justitiam, utpote quæ sola restitutionem imperat. Quod etiam peccet contra Religionem, inde sumitur: quia decimæ introductæ sunt in recognitionem supremi, & universalis dominii, quod Deus habet, *c.*26. *de Decimis*, ubi dicitur: *quas* (scilicet decimas) *Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcipit, suas esse decimas, & primitias asseverans.* Et paulo post: *cum Deo debita sit solutio decimarum in tantum, ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, Laici si forte moniti reddere noluerint, Ecclesiastica sint districtione cogendi.* Ergo decimæ debentur etiam ex virtute Religionis; & consequenter eas defraudans, cum reddere teneatur, contra hanc quoque virtutem delinquit. Confirmatur. Ex illa virtute debetur quælibet materia præcepta, cujus (virtutis) honestatem Legislator intendit: sed Legislator decimarum, nempe S. Pontifex, & Ecclesia intendit, præter honestatem Justitiæ, etiam honestatem Religionis; cum intendat eundem finem, quem Deus intendebat in Lege Mosaica, ut supra insinuatum; ergo &c. Revide, quæ diximus *part.*1. *n.*267. Sed contra hoc

Dices. Si defraudator decimarum peccaret contra Religionem, committeret sacrilegium: sequela autem non videtur admittenda; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Quia sacrilegium est *peccatum irreligiositatis, quo aliquid sacrum qua tale violatur*, ex dictis *part.*2. *n.*334. decimæ autem (objective spectatæ) non sunt res sacra proprie loquendo; veluti colligitur ex dictis *cit. par.*2. *n.*333. & alioquin fur eas (sive adhuc in agro v. g. sive jam in horreo Parochi existentes) auferens patraret furtum sacrilegum: quod videtur omnino negandum conformiter dictis in simili *cad. part.*2. *n.* 336. *respons.* 2. Sunt igitur decimæ solummodo res debita Ministris Ecclesiæ propter Deum, seu supremum, & universalem rerum Dominum; adeoque ex motivo Religionis, quæ est *virtus moralis, inclinans ad exhibendum cultum Deo, seu primo rerum omnium principio, vel aliis propter ipsum*: veluti constat ex dictis *part.*2. *tr.*2. *disp.* 1. *c.*1. *in princip.* Neque omne peccatum, quod militat adversus virtutem Religionis, eo ipso sortitur rationem sacrilegii. Relege, quæ diximus *cit. part.*2. *n.*333. & 428.

ARTICULUS III.

Expediuntur breviter, quæ concernunt Primitias, & Oblationes.

§. I.

Quid sint Primitiæ, & quænam circa illas notanda veniant?

SUMMARIUM.

496. *Describuntur Primitiæ, & termini descriptionis explicantur.* 497. *Assignantur, quæ circa illas notanda veniunt.* 498. *Quomodo differant a Decimis?*

496. DIco primo. Primitiæ sunt *primi fructus ex terra provenientes, Deo ut Largitori omnium bonorum ejusque Ecclesiæ Ministris semel tantum offerendi.* DD. communiter.

Explicantur termini conclus. Dicitur 1. *primi fructus*, non primitate, & ordine dignitatis, ut debeant esse optimi; sed primitate, & ordine temporis, ut debeant esse illi, qui primo colliguntur ex terra, noviter ad culturam, & fertilitatem redacta.

Dicitur 2. *ex terra provenientes*: cujusmodi sunt fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum &c. conformiter *ad c.*18. *Numer.* ibi: *Universa frugum initia, quæ gignit humus &c.* Per quod Primitiæ discrepant a *Primogenitis*, utpote quæ sunt primi fructus, seu partus animalium.

Dicitur 3. *Deo ut Largitori omnium bonorum &c.* ubi denotatur finis Primitiarum, qui est gratiarum actio, Deo pro frugibus terræ persolvenda.

Dicitur 4. *semel tantum offerendi*; adeoque non annuatim, quemadmodum decimæ, seu fructus pro decimis pendendi.

497. Dico secundo. Circa Primitias hæc pauca veniunt notanda. 1. Quod in veteri Testamento fuerint debitæ Jure Divino. *Exod.*23. in novo autem Jure Ecclesiastico tantum *c.*6. *dist.* 30. 2. Quod earum quantitas consistat in quadragesima, vel saltem sexagesima parte fructuum. 3. Quod de Jure Communi præstandæ sint Parochis, intra quorum fines prædia sunt sita. 4. Quod Juri Ecclesiastico ubique fere locorum quoad præstationem primitiarum per consuetudinem contrariam derogatum sit, adeo, ut obligatio eas solvendi vel ex toto abrogata, vel in aliam transfusa sit. Posse autem præfato Juri etiam impræsentiarum per contrariam consuetudinem derogari, clare supponitur in *can.*6. *cit.* Nec obstat, quod primitiæ fuerint institutæ, & ordinatæ in signum gratitudinis erga Deum; gratitudo autem consuetudine contraria tolli nequeat. Non, inquam, hoc obstat: siquidem sublatis primitiis non censetur sublata ipsa quoque gratitudo erga Deum (quam utique eidem semper debemus, & variis modis exhibere valemus) sed tantum certum gratitu-

dinis

dinis signum, ad quod Deus non amplius obligat in novo Testamento, sed sola Ecclesia, cujus obligationi per consuetudinem contrariam procul dubio derogari potest, actuque derogatum esse, ex dictis constat. P. Engel *lib.* 3. *tit.* 30. *n.* 62. aliique communiter.

498. Colliges, quomodo Primitiæ differant a Decimis. Nam 1. Decimæ quotannis pendendæ sunt, non item Primitiæ. 2. Decimæ consistunt in decima parte fructuum; Primitiæ autem in quadragesima, vel sexagesima. 3. Decimæ deputatæ sunt proxime, immediate, & absolute pro stipendio Ministrorum Ecclesiæ; Primitiæ vero remote tantum, mediate, & veluti conditionate, id est, nisi iisdem Ministris aliunde congrua sustentatio præbeatur, sicut tamen de facto præbetur, & præberi debet per decimas, propter sacra ministeria, quæ fidelibus impendunt. Atque hæc videtur esse ratio, cur Authores communiter non distinguant inter Primitias quoad substantiam, & quoad determinationem quotæ; sicut tamen distinguunt inter decimas dictis modis consideratas, excepto P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 175. qui tamen eandem distinctionem impugnaverat *de Decimis n.* 15. quod miror. Videatur P. Krimer *lib.* 3. *Decretal. tit.* 30. *n.* 2625. *& seq.*

§. II.

Quid sint Oblationes, & quænam circa illas notanda veniant?

S U M M A R I U M.

499. *Describuntur Oblationes specifice, & proprie acceptæ.* 500. *Assignantur, quæ circa illas notanda veniunt, & specialiter, ad quem pertineant.*

499. Dico primo. Oblationes specifice, & proprie acceptæ (prout huc pertinent) sunt *dona, quæ fideles intuitu Religionis per se, vel per alios offerunt ad altare, devotam imaginem &c. in vel extra Ecclesiam, in cippo, vel ad mensam.* Sumitur *ex can.* 8. *caus.* 10. *q.* 1. Dicitur: *Oblationes specifice, & proprie acceptæ.* Nam *generaliter, & improprie acceptæ* denotant omne id, quod Deo, vel intuitu Dei offertur Ecclesiis, aut Ministris Ecclesiasticis. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 179. & alii passim.

500. Dico secundo. Circa Oblationes notanda veniunt *seqq.* 1. Quod per se loquendo nulla sit obligatio eas faciendi: prout cum S. Thom. Barbos. Pirhing, & communi aliorum tradit Reiffenstuel *loc. cit. n.* 181. Ratio est: partim quia nomen *Oblatio* de se significat munus gratuitum: partim quia non extat aliqua Lex illas præcipiens. Per accidens tamen possunt fieri obligatoriæ, puta ex promissione, vel voto: ex indigentia Ecclesiarum, vel Parochorum, aliunde congruam sustentationem non habentium: ex consuetudine, a populo animo se obligandi introducta: ex præscriptione; ut si Parochus longo tempore, puta decennio, ejusmodi oblationes tanquam sibi debitas bona fide exegerit, Parochianis non reclamantibus. Videantur de hoc Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 183. & Pichler *lib.* 3. *tit.* 39. *n.* 54. 2. Quod omnes Oblationes, sive deponantur ad altare, sive ad devotam imaginem, sive in Ecclesia Parochiali, sive in alia Ecclesia, sive in Capella, sive in alio loco sacro, intra limites alicujus Parochiæ sito, de Jure Communi pertineant ad Parochum, etsi forte alius ibidem Divina celebret. Sumitur ex *can.* 13. *&* 14. *caus.* 16. *q.* 1. ac aliis Juribus. Azorius *part.* 1. *lib.* 7. *c.* 29. *q.* 13. Engel *loc. cit. n.* 68. & alii passim. Dixi tamen: *de Jure Communi.* Nam attendenda est vel maxime consuetudo, & intentio offerentium, quæ pluries solet esse alia, & contraria. Hinc si Neomysta celebret Primitias, oblationes ipsi cedunt: si deponantur ad imagines miraculosas, cedunt Ecclesiis, vel Sacellis, ubi ejusmodi imagines consistunt, pro conservanda, vel reparanda fabrica, aut ornatu illarum Ecclesiarum, Sacellorum, vel imaginum: idem est, si deponantur in cippis, mensis, capsulis, in hunc talem finem expositis. P. Pichler *loc. cit. n.* 55. Porro Oblationes, quæ deponuntur in Ecclesiis Regularium (tametsi nulla habeant jura Parochialia) ex privilegio spectant ad sustentationem eorundem Regularium ibi Deo servientium: nisi constet de alia intentione offerentium, volentium v. g. ut applicentur ad ornatum Ecclesiæ, Sacelli, altaris, imaginis miraculosæ &c. *c.* 1. *de Statu Monach.* & *c.* 16. *de Excessib. Prælat.* ubi disertis verbis statuitur, quod nec Ordinarii locorum, nec Parochi possint Regularibus circa oblationes apud eos depositas præjudicare. Non ergo est necesse, ut Regulares speciali privilegio, aut præscriptione muniti sint, vi cujus oblationes in suis Ecclesiis factas sibi attribuere valeant; veluti putat Azorius *loc. cit.* sed possunt id per privilegium in Corpore Juris clausum: prout relinquitur ex modo dictis. Engel *loc. cit. n.* 69. Pichler *n.* 55. & alii communiter.

C A P U T IV.

De Immunitate Ecclesiastica.

A R T I C U L U S I.

Quid, & quotuplex sit Immunitas Ecclesiastica?

S U M M A R I U M.

501. *Immunitas Ecclesiastica describitur.* 502. *Est triplex, nimirum Personalis, Realis, & Localis.*

501. Dico primo. Immunitas Ecclesiastica ut hic est *jus, quo Ecclesiæ, & alia loca sacra, nec non Personæ Ecclesiasticæ, ac res ipsarum sunt liberæ, & immunes a muneribus, & oneribus secularibus, atque ab actibus earum sanctitati, & reverentiæ debitæ repugnantibus.* Descriptio traditur verbatim a P. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 49. *n.* 4. atque ex eo.

Explicatur breviter in hunc modum: Dicitur 1. *jus*, quod obtinet locum generis. Dicitur 2. *quo Ecclesiæ, & alia loca sacra, nec non Personæ Ecclesiasticæ, ac res ipsarum*, ut quævis species Immunitatis Ecclesiasticæ comprehendatur. Dicitur 3. *sunt liberæ a muneribus, & oneribus secularibus*: quod verificatur in Immunitate Personali, & Reali. Dicitur 4. *atque ab actibus earum sanctitati, & reverentiæ debitæ repugnantibus*: quod verificatur in Immunitate Locali. Amplior horum terminorum explicatio patebit ex dicendis per decursum. Hic autem

502. Dico secundo veluti illative. Immunitas Ecclesiastica est triplex, videlicet *Personalis, Realis, & Localis*. Prima est, qua gaudent Personæ Ecclesiasticæ; & præcipue consistit in privilegio *Fori*, vi cujus ad forum secularem trahi nequeunt; & in privilegio *Canonis*, vi cujus illicitum est violentas iisdem injicere manus. Secunda est, qua gaudent res Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum, ita, ut exactionibus Secularium non subjaceant. Tertia est, qua gaudent Ecclesiæ, Cœmeteria, & alia loca sacra, adeo, ut actus profani, & ejusmodi loca dedecentes ibidem exerceri prohibeantur, ac maxime, ut Rei illuc confugientes sint securi, ac per violentiam inde abstrahi non possint. Verum cum pluribus explicemus, quæ hasce Immunitatis Ecclesiasticæ Species concernunt, de iisdem per distinctos articulos singulatim tractare juverit. Sit ergo

A R T I C U L U S II.

De Immunitate Ecclesiastica Personali.

S U M M A R I U M.

503. *Personæ Ecclesiasticæ vi immunitatis personalis, prout complectentis privilegium Fori, sunt exemptæ a jurisdictione seculari in causis tam criminalibus, quam civilibus.* 504. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 507. *Deducitur corollarium.* 508. *& seq. Sunt insuper vi ejusdem immunitatis liberæ ab oneribus personalibus, quæ titulo jurisdictionis a Magistratu seculari imponuntur: esto ad similia onera subeunda alio titulo adstringi valeant.* 510. *Eædem Personæ Ecclesiasticæ vi immunitatis personalis, prout complectentis privilegium Canonis, exemptæ sunt, ne quis violentas eis manus injiciat &c.* 511. *& seq. Exponitur, quinam in can. 29. Siquis suadente &c. intelligantur per particulam, siquis; & quid significetur per particulas, violentas manus injecerit?* 513. *Persona Ecclesiastica non potest privilegio Canonis, vel Fori renuntiare.*

Hæc

HÆc Immunitas complectitur duplex privilegium, *Fori* nempe, & *Canonis*: prout annotatum est *n. prec.* Unde de illa sub utraque consideratione hic agendum venit.

503. Dico igitur primo. Personæ Ecclesiasticæ vi Immunitatis personalis, prout complectentis privilegium *Fori*, sunt exemptæ a foro, & jurisdictione seculari in causis tam criminalibus, quam civilibus, adeo, ut a Judice seculari citari, conveniri, judicari, aut puniri nullo modo possint, per se, & regulariter loquendo. Conclusio est communis DD. & habetur in *can.* 2. 6. 15. & aliis *caus.* 11. *q.* 1. ac in Trid. *Sess.* 25. *c.* 20. *de Reform.* Et ratio est: quia fas non est, ut Divini muneris Ministri, & Personæ Ecclesiasticæ temporalium Potestatum, ac Dominorum subdantur arbitrio.

Dixi: *Personæ Ecclesiasticæ*, Quarum nomine comprehenduntur in primis omnes Clerici, in Majoribus Ordinibus constituti, imo & Minoribus, vel prima duntaxat tonsura initiati, modo habeant complete unam saltem conditionem ex requisitis a Trid. *Sess.* 23. *c.* 6. *de Reform.* id est, modo 1. habeant Beneficium Ecclesiasticum; vel 2. gestent habitum, & tonsuram, ac insuper deserviant alicui Ecclesiæ de mandato, aut saltem permissione Episcopi; vel 3. gestens habitum, & tonsuram, ac insuper versentur in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, existentes quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos. Deinde comprehenduntur omnes Regulares utriusque Sexus, tam Professi, quam etiam Novitii (utpote qui in favorabilibus æquiparantur Professis) etiamsi nullis sint Ordinibus insigniti, vel existant de classe Fratrum Laicorum, seu Conversorum. Item Fratres, & Sorores tertii Ordinis S. Dominici, & S. Francisci (etiamsi claustrales non sint, nec vota substantialia Religionis emiserint) qui collegialiter, vel cum claustralibus vivunt, habitumque gestant, & (si mulieres sint) votum simplex continentiæ ediderunt. Secus est de Tertiariis, qui, vel quæ dispersim, & in propriis domibus vivunt: tales quippe personis secularibus accensentur. Ita decrevit Leo X. *Constit. Dum intra* 22. edita in Concil. Lateranensi: prout videre est apud Rodriquez *tom.* 2. *QQ. Regul. q.* 65. *art.* Kerckove *super Statuta nostra General. c.* 7. §. 25. *n.* 9. *& seq.* Engelbertum Pauck *in* 3. *Vinea Seraph. c.* 12. *n.* 15. & alios. Comprehenduntur denique etiam Eremitæ, qui sub obedientia Episcopi, vel Prælati Regularis illius Ordinis, cujus habitum gestant, vivunt vitam solitariam, a secularibus curis segregati. Aliter denuo pronunciandum de illis Eremicolis, qui absque authoritate Prælati Ecclesiastici, vel Regularis habitum eremiticum, vel religiosum portant, vitamque ducunt arbitrariam, licet in solitudine, seu eremo morentur. Rodriquez *loc. cit. q.* 63. *art.* 4. Engel *lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 129. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 25. *&* 28. aliique passim.

Dixi præterea in conclus. *per se, & regulariter loquendo*. Excipiuntur enim plures casus, in quibus Personam Ecclesiasticam citari, vel adduci posse ad Tribunal seculare, vel ab eo puniri, SS. Canones, ac Pontifices concedunt, vel permittunt. Casus primus est, quando Clericus est vasallus alicujus Laici in causa feudali. P. Pichler *lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 21. Secundus est, quando Clericus non convenitur nomine proprio, sed alieno alicujus Laici, cujus est tutor, curator, procurator &c. Author *cit.* Tertius est, quando Clericus succedit in causam jam cœptam coram Judice seculari, v. g. si Clericus sit hæres alicujus Laici, & lis ratione hæreditatis jam fuerit contestata cum Laico defuncto: quia Judicium finiri debet, ubi est cœptum, *l.* 30. *ff. de Judic.* & Clericus defuncto succedens nomine illius agit. Covarruvias *QQ. pract. c. c.* 8. Farinacius *de Inquisit. q.* 8. *n.* 4. 6. Sanct-Gallenses *tom.* 7. *tr.* 1. *sect.* 3. *q.* 4. *dub.* 3. *conclus.* 4. VViestner *lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 159. & alii communius. Quartus est, quando Clericus adversus Laicum actionem civilem instituit; tunc quippe coram Judice seculari comparere debet: quia Actor sequitur forum Rei, *cap.* 5. *&* 8. *de For. compet.* Quintus est, quando Clericus in flagranti crimine, Reipublicæ pernicioso, puta in furto, rapina, homicidio &c. deprehenditur, vel de eodem perpetrando suspectus est, quæ suspicio fundetur in gravi præsumptione; ut si noctu armatus incedat &c. Tunc enim a Ministris Potestatis secularis capi potest, ut Judici suo Ecclesiastico tradatur, Ita Abbas *in cap.* 10. *de Judiciis n.* 12. Sanct-Gallenses *loc. cit.* & alii. Sextus est, quando Clericus debitor fugam capit, aut meditatur: tunc nanque a Judice seculari (imo ab ipsomet creditore) retrahi, vel retineri potest, ut Judici Ecclesiastico sistatur, & per eum ad solutionem compellatur: dummodo debitum sit alicujus momenti, & Clerico fuga dilapso aliunde solvi non possit. Sanct-Gallenses *loc. cit.* & alii, rationem dantes: quia Clericus in hoc tali casu perinde se habet, ac si cum aliena pecunia aufugeret, sic autem aufugiens retrahi posset secundum omnes, & per ipsum Jus naturale, per quod vim vi repellere licet. Septimus tandem casus est, quando Clericus privatur privilegio fori; ut si realiter degradatus tradatur brachio seculari: si per sententiam Judicis Ecclesiastici declaratus sit reus assassinii: si abjecto habitu Clericali enormibus delictis (puta seditioni, latrociniis, aut iniquis bellis) se immisceat; vel per annum artem ignominiosam histrionis, mimi, parasiti exerceat, & ab Episcopo ter admonitus non resipiscat &c. Videantur Sanct-Gallenses *loc. cit.* Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *art.* 1. *n.* 65. & præsertim Pichler *loc. cit. n.* 22.

504. Objicies nunc contra conclus. primo. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita est. Rom.* 13. ergo & Personæ Ecclesiasticæ Principibus secularibus: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Nam textus in ant. allatus exaudiri debet in sensu accommodo, ita, ut quilibet suo competenti Magistratui, seu Superiori subjaceat, Ecclesiasticus Ecclesiastico, & Secularis Seculari.

505. Objicies secundo. S. Paulus appellavit ad Cæsarem, dicens: *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Actor.* 25. ergo Cæsarem agnovit pro Judice.

Respondetur, dist. cons. Agnovit pro Judice incompetente, con. competente, neg. cons. Prælegit tamen, necessitate compulsus Cæsarem potius pro Judice (quamvis incompetente) quam Festum Præsidem; quia ab illo potius, quam ab isto, utpote Judæorum pecuniis corrupto, sententiam impartialem expectare poterat.

506. Objicies tertio. In *l.* 25. *&* 33. *C. de Episcop. & Cleric.* Clerici subjiciuntur seculari Potestati: & Imperatores Catholici etiam Romanos Pontifices deposuerunt, ut Henricus IV. Benedictum X. ergo &c.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, Leges illas a Justiniano sancitas propter defectum jurisdictionis in ferente fuisse irritas; veluti probe agnovit Fridericus Imperator in *Authent. Cassa, C. de SS. Eccles.* & *Authent. Statuimus, C. de Episc. & Cleric.* Imo Justinianus ipse aliter sensit, & disposuit in posteriori Lege, nempe *Novell.* 123. *c.* 21. Porro Imperatores, in ant. commemorati, miserunt falcem suam in alienam messem, & injuriose invaserunt solium Pontificale quippe solum via facti, non juris procedentes.

507. Colliges, Clericum a seculari Judice citari, aut compelli non posse ad testandum in causa aliqua, etiamsi in ea non agatur de pœna sanguinis. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. Sanct-Gallenses *loc. cit. conclus.* 2. & alii communiter. Ratio est: quia similis citatio, & compulsio ad testandum est actus jurisdictionis, qua non pollet Judex secularis in Clericum; prout relinquitur ex dictis. Quare si res poscat, ut Clericus in Judicio seculari compareat, & testificetur, ad id faciendum rogandus, non cogendus est authoritate seculari. Quo facto annuere, & gratificari potest (aut etiam ex charitate tenetur) saltem in causis civilibus, cum licentia sui Ordinarii, vel etiam sine illa, ubi consuetudo sic obtinet. Sanct-Gallenses *loc. cit.* & alii apud ipsos. Idem respective dicendum de Religioso in casu consimili.

508. Dico secundo. Personæ Ecclesiasticæ vi immunitatis personalis, prout complectentis privilegium *Fori*, sunt insuper liberæ ab oneribus personalibus, quæ titulo jurisdictionis a Magistratu seculari imponuntur. Ita communis DD. *ex cap.* 1. *de Immunit. Ecclesiar. &c. in* 6. *cap.* 4. *de Censib. in* 6. *can.* 40. §. *placet*, *caus.* 16. *q.* 1. *can.* 19. *caus.* 23. *q.* 8. ac aliis Juribus, in quibus Magistratui seculari omnis est adempta jurisdictio erga Personas Ecclesiasticas.

Ceterum *onera personalia* dicuntur, quæ personis subditis imponuntur sine respectu ad earum bona: quorum

rum nomine impræsentiarum veniunt census personales, seu *capitationes* (hapsf Steur) *viatica*, & *telonia* personis imposita, *angariæ*, & *parangariæ*, seu operæ (sharverer frundienst) ire ad bellum, agere vigilias, præbere militibus hospitium &c. Ab his ergo, & aliis consimilibus muneribus, ac oneribus personalibus Personæ Ecclesiasticæ vi immunitatis personalis sunt liberæ, adeo, ut ad illa (sive per se, sive alios earum sumptibus constitutos) præstanda titulo jurisdictionis a Magistratu seculari adigi non possint. Sed

509. Quæres, an saltem ad similia onera subeunda Personæ Ecclesiasticæ adigi valeant alio titulo?

Respondetur affirmative. Et ejusmodi titulus potest esse publica, & extraordinaria necessitas; ut si Personæ Laicæ solæ non sufficiant ad agendas excubias, ad hospitationem militum &c. Tali quippe casu etiam Personis Ecclesiasticis ejusmodi onera imponi possunt, cum approbatione tamen Episcopi, *c. 2. de Immunit. Eccles. &c.* prout *art. seq.* amplius declarabitur. Krimer *lib. 3. tit. 49. n. 3803.* Pichler *ibid. n.* 28. & alii passim.

510. Dico tertio. Personæ Ecclesiasticæ vi immunitatis personalis, prout complectentis privilegium *Canonis*, exemptæ sunt, ne quis violentas eis manus injicere possit sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda &c. Ita habetur expresse (ut alia Jura taceam) in *can. 29. caus. 17. q. 4.* (unde privilegium, & excommunicatio *Canonis* suam accipere nuncupationem) cujus tenor est: *Siquis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Sed pro majori hujus textus, & conclusionis dilucidatione,

511. Quæres primo, quinam intelligantur in *cit. can.* per particulam *siquis*?

Respondetur, intelligi omnes baptizatos usu rationis præditos (excepto Papa) si causam, ob quam lata est hæc censura, præbuerint. Porro sub eadem particula comprehenduntur non tantum *facientes*, sed etiam consulentes, vel mandantes percussionem, seu violentam manuum injectionem in Clericum; vel in eam consentientes, vel non impedientes, si ex Officio, seu Justitia impedire teneantur: prout expresse habetur *in c. 6. &c. 47. de Sent. excomm.* adeoque non minus, ac ipsimet *facientes*, excommunicationem *Canonis* incurrunt, effectu percussionis, seu injectionis manuum secuto. Quod tamen intellige: nisi ante sequelam talis effectus mandatum, consilium &c. serio retractarint; tunc quippe (si retractatio ad antes executoris non pervenerit) ab incursione censuræ immunes erunt, utpote ad quam requiritur contumacia, qualis post seriam retractationem non amplius adest. Revide, quæ diximus *n.* 105.

512. Quæres secundo, quid in *eod. can.* significetur per verba: *manus violentas injecerit*?

Respondetur, significari graviter injuriosam, ac contumeliosam tractationem Personæ Ecclesiasticæ, sive de in ejusmodi tractatio contingat circa corpus talis personæ, aut res corpori adjacentes; ut si occidatur, mutiletur, vulneretur, verberetur, in publica custodia violenter detineatur, per vim vestibus, peculio &c. spolietur (secus, si hæc sine vi, & clam auferantur) sive circa honorem, ut si eadem Persona conspuatur, aqua, luto, pulvere conspergatur; vel equus, cui insidet, occidatur, vulneretur, percutiatur, violenter retineatur &c. *cap. 29. de Sent. excomm.* Ita cum aliis a se relatis Sanct Gallenses *loc. cit. dub. 4. n. 4.*

513. Petes, an Persona Ecclesiastica valeat privilegio *Canonis*, vel *Fori* renunciare?

Respondetur cum communi DD. negative. Sumitur *ex can. 33. 42. 43. caus. 11. q. 1. & cap. 12. de Foro compet.* Ratio ibi redditur: quia geminum hoc privilegium principaliter concessum est in favorem, ac reverentiam Status Ecclesiastici; cui proinde nemo privatus renunciare potest. Unde nec peccatum sacrilegii, ac injustitiæ, nec censuram excommunicationis effugit, qui Clericum, etsi consencientem, percutit.

ARTICULUS III.

De Immunitate Ecclesiastica Reali.

SUMMARIUM.

514. Assignantur res, seu bona, de quorum immunitate hic sermo est. 515. Ecclesia, & Loca Religiosa quoad bona sua consecrata, vel benedicta, ac Personæ Ecclesiasticæ quoad sua bona titulo spirituali acquisita, gaudent immunitate reali, seu sunt exempta ab exactionibus, & oneribus secularibus: imo etiam. 516. quoad bona titulo temporali acquisita. 517. & seq. Solvuntur objectiones. 519. Dantur tamen plures tituli, quibus ad similia onera adstringi valent. 520. Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ Personæ non sunt exempta quoad sua bona ab oneribus per Magistratum secularem iisdem bonis antiquitus certo, & stabili modo impositis.

514. PRænotandum, res, seu bona, de quorum immunitate hic loci sermo est, vel pertinere ad ipsas Ecclesias, & Loca Religiosa, vel ad Personas Ecclesiasticas dominii capaces. Porro utraque hunc adbocin duplici differentia. Nam ex pertinentibus ad Ecclesias aliqua sunt consecrata, vel benedicta, & sic ad Divinum cultum immediate ordinata, ut ipsæ Ecclesiæ materiales, seu templa, eisque adjuncta cœmeteria, calices, paramenta sacra &c. alia sunt non consecrata, vel benedicta; ut prædia, fundi, reddicus annui, pecuniæ, & hujusmodi, quocunque demum justo titulo acquisita. Item ex pertinentibus ad Personas Ecclesiasticas, aliqua eisdem Personis obvenerunt titulo spirituali, puta intuitu Beneficii Ecclesiastici (& vocantur *beneficialia*) vel intuitu laboris spiritualis in prædicando verbum Dei, in administrando Sacramenta &c. habiti (& appellantur *quasi patrimonialia*) alia autem titulo temporali, ac profano, v. g. ex hæreditate, donatione, opificio, contractu &c. (nuncupanturque *patrimonialia*) quorum amplior, & dilucidior explicatio dabitur *part. seq. ubi de dominio Cleric.* Nunc impræsentiarum

515. Dico primo. Ecclesiæ, & Loca Religiosa (1.) quoad bona sua consecrata, vel benedicta, ac Personæ Ecclesiasticæ (2.) quoad sua bona titulo spirituali acquisita, gaudent immunitate reali, seu sunt exemptæ ab exactionibus, & oneribus secularibus, DD. communiter.

Probatur prima pars tum ex *c. 4. dist. 19. & c. 34. de Consecr. dist. 1.* tum ex ratione: quia ejusmodi bona ut sic, & quatenus, ac quandiu consecrata, vel benedicta sunt, nullam temporalem habent utilitatem, quæ in æstimationem venire possit: quandoquidem ad Divini cultus ministerium dedicata, nullis aliis usibus humanis, & profanis applicari debent; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars: siquidem ea bona, sive titulum acquirendi, sive Personas acquirentes spectemus, spiritualitatem, atque exemptionem præseferunt; ergo potestati seculari subjecta esse non possunt. Confirmatio accedet ex textu Juris mox referendo, & a potiori hic robur habituro.

516. Dico secundo. Ecclesiæ, & Loca Religiosa etiam (1.) quoad bona sua non consecrata, vel benedicta; & Personæ Ecclesiasticæ (2.) quoad bona, titulo temporali acquisita, de Jure gaudent immunitate reali, seu sunt exemptæ ab exactionibus, & oneribus tum realibus, tum mixtis, titulo jurisdictionis a Magistratu seculari noviter impositis. Conclusioni in terminis, in quibus est proposita, DD. communiter subscribunt, &

Probatur quoad utranque partem simul primo authoritate. Nam in *cap. 4. de Censib. in 6.* (ut omittam alia Jura) habetur: *Cum igitur Ecclesia* (quarum nomine veniunt quælibet Loca Religiosa) *Ecclesiasticæque Personæ, ac res ipsarum ---- a secularium personarum exactionibus sint immunes; constitutionem felicis recordationis Alexandri Papæ quarti, Prædecessoris nostri (qui statuit Ecclesias, & Personas Ecclesiasticas ad pedagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel solvendum talia, pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, seu transmittunt) volentes --- adjuvare, adjicimus districtius inhibendo --- ut nec Collegium, nec Universitas, nec aliqua etiam singularis Persona, cujuscunque sit dignitatis, conditionis, aut status, a præfatis Ecclesiis, aut Personis pro*

nis pro personis ipsis, aut rebus prædictis talia exigat, vel extorqueat &c.

Probatur secundo ratione. Accessorium sequitur suum principale, *c. 41. de R. J. in 6.* sed bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum habent se tanquam accessorium quid relate ad Ecclesias, & Ecclesiasticas Personas; hæ vero tanquam quid principale; ergo illa istas, earumque conditionem sequuntur. Atqui Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ Personæ juxta omnes sunt exemptæ a jurisdictione Secularium; ergo etiam res, & bona ipsarum debent esse exempta ab oneribus, & exactionibus Secularium, quæ titulo jurisdictionis imponuntur; cum jurisdictio immediate, & principaliter exercentur non in res, & bona, utpote jussionis incapacia, sed in personas, quæ onera, & exactiones præstare jubentur.

Ceterum *onera realia* sunt, quæ ipsis rebus, seu bonis imponuntur sine respectu ad personas ea possidentes, v.g. fundis, agris, domibus &c. atque appellantur *tributa*, & *contributiones ordinariæ* (ordinari Steur und anlagen) Quo referuntur etiam *Accisa* (aufshlag) quæ imponuntur rebus usu consumptibilibus vendendis, ut vino, cerevisiæ, carnibus &c. item *Indebita* (umgeld) quando ultra accisas, seu *gabellas pecuniarias* de potulentis, vino, vel cerevisia, certa quantitas, v.g. de singulis urnis sex mensuræ, Magistratui, vel Principi Seculari pendenda est. *Onera mixta* dicuntur, quæ vel exigunt laborem personalem simul, & sumptus, ut ire ad bellum propriis expensis; vel imponuntur subditis cum respectu ad ipsorum bona, aut redditus annuos, adeoque personis immediate, rebus mediate, ut *collecta*, & *contributiones extraordinariæ* (*Extraordinari*-Steur und anlagen) nam *collecta* a *tributis* in stricta acceptione differunt per hoc, quod illæ non habeant præstationem seu pensitationem certam, ac annuam, sicut ista, sed incertam, ob causam, vel necessitatem occurrentem. Huc etiam referuntur præstatione *teloniorum* ob bona impositorum, nempe *vectigalia* (zoll) quæ exiguntur de bonis per terram, & *portoria* (mauthen) quæ petuntur de bonis per aquas in-vel exsportatis, aut advectis. Item *pedagia*, *quidagia* (velhgelder) *potenagia* (bruhengelder) *pontivegia* (uberfuhrgelder) quæ petuntur a transeuntibus per vias, pontes fixos, vel pensiles, aut navigia: *vectigal dilapidationis* (pflasterzull) &c. Krimer *lib. 3. tit. 49. n. 3795.* Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 3. cap. 4. sect. 3. n. 214.* Pichler *loc. cit. n. 26.* quasi in terminis, aliique passim.

517. Objicies nunc primo contra utranque partem concl. Qui sentit commodum a Communitate, sentire debet & onus: sed Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ Personæ sentiunt commodum a Communitate; ergo sentire debent & onus.

Respondetur, explic. & dist. maj. Nisi adsit justa causa, vel privilegium eximens ab onere, con. secus, neg. maj. & concessa minore, eodem modo disting. est cons. Revideri possunt, quæ diximus *part. 1. n. 392.*

518. Objicies secundo contra secundam partem conclus. Clerici negotiatores non sunt immunes a vectigalibus, portoriis, gabellis &c. *arg. cit. c. 4. de Censib. in 6.* ergo qualitas Clericalis non eximit a tributis, & contributionibus.

Respondetur, dist. cons. Non eximit &c. per se, & regulariter, neg. per accidens, & irregulariter, con. cons. Ecclesia Clericos negotiatores in Jure Canonico hisce oneribus subjicit, si post trinam admonitionem Episcopi a negotiatione non destiterint: tunc quippe, & non antea amittunt immunitatem a prædictis oneribus: prout colligitur ex *cap. 16. de Vit. & honest. Cleric.* quod tamen per accidens est, nec probat, qualitatem Clericalem de se non eximere ab ejusmodi oneribus. Videantur Sanct Gallenses *loc. cit. dub. 2.*

519. Quæres primo, an saltem similia onera Ecclesiis, & Ecclesiasticis Personis imponi possint aliis titulis, a jurisdictionis secularis titulo diversis?

Respondetur affirmative. Nam id fieri potest 1. *Titulo dominii particularibus*; ut si Ecclesia, vel Ecclesiastica Persona acquisierit a Laico rem feudalem, vel emphyteuticam, adstringitur procul dubio ad onera feudi, vel ad canonem emphyteuticum, laudemium &c. cum res cum suo onere reali transeat, *cap. 5. de Pignorib.* 2. *Titulo pacti, vel reservationis*; ut si Ecclesia, vel Ecclesiastica Persona acceperit, & acceptaverit a Laico fundum aliquem addito pacto, ut singulis annis, vel in certis necessitatibus eidem Laico, vel alteri quandam pensionem solvat, ad ejusmodi onus portandum omnino attinetur; cum enim quilibet sit rei suæ moderator, & arbiter, *l. 21. ff. mandati*, de illa disponere pro libitu potest, eamque cum, vel sine onere in alium transferre. 3. *Titulo publicæ, & extraordinariæ necessitatis*, cui sublevandæ non sufficiunt facultates Laicorum: simili quippe casu etiam Ecclesiis, ac Personis Ecclesiasticis aliqua contributio imponi potest, Ad quod hodie requiritur consensus Papæ; ut colligitur ex Bulla Cœnæ Domini: nisi forte periculum esset in mora; tunc quippe sufficeret consensus Episcopi cum suo Clero. Et tali consensu posito determinatio, & exactio contributionis, uti & coactio Ecclesiarum, atque Ecclesiasticarum Personarum illam negantium, a Superioribus Ecclesiasticis, non vero a Laicis, facienda est, *cap. 4. & 7. de Immunit. Eccles.* Videantur Engel *lib. 3. tit. 49. num. 27.* Reiffenstuel *ibid. a num. 253.* Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 3. cap. 3. sect. 3. a num. 258.*

520. Quæres secundo, an Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ Personæ quoad sua bona etiam sint exemptæ ab oneribus, per Magistratum secularem iisdem bonis antiquitus, id est, antequam ad Ecclesias, & Ecclesiasticas Personas devenirent, certo, & stabili modo impositis?

Respondetur negative. Ita Engel *loc. cit. n. 25.* Pichler *lib. 3. tit. 49. n. 30.* & alii contra alios. Sumitur 1. *ex can. 21. caus. 23. q. 8.* ubi Urbanus Papa sic ait: *de exterioribus suis (quæ palam cunctis apparent) Ecclesia tributum reddit -- NB. quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defensare debent, Imperatoribus persolvendum est.* Sumitur 2. *ex c. 79. de R. J. in 6.* ibi: *Nemo potest plus juris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur*; ergo siquis in Ecclesiam, vel Ecclesiasticam Personam transferat bona, prius obnoxia tributis, & collectis a Magistratu seculari impositis, ea transferre aliter non potest nisi cum tali onere, cum nec ipse sine eo illa possideat. Unde hic subintrat illud brocardicon *ex cap. 5. de Pignorib.* & *l. 20. §. 1. ff. de acquir. rer. domin.* desumptum, & jam supra allegatum: *Res transit cum suo onere.* Ex quibus evincitur, ut Jura, de immunitate Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum ab oneribus realibus Secularium generaliter loquentia, sint accipienda in sensu, seu generalitate accommoda, id est, ea duntaxat, quæ respicit onera, seu tributa noviter imposita.

Dices primo. Quando dispositio venit in eum statum, a quo initium ducere non potuit, evanescit, *l. 98. ff. de V. O.* & *l. 85. §. 1. ff. de R. J.* sed quando fundus v. g. transfertur in Ecclesiam, vel Personam Ecclesiasticam, exactio tributorum venit in eum statum, a quo initium ducere non potuit; ergo &c.

Respondetur primo, majorem non tenere universaliter; nam (ut alia exempla omittam) utique valor Matrimonii non evanescit, si alteruter conjugum incidat in amentiam, adeoque deveniat in statum, in quo Matrimonium valide inire non poterat. Unde in *cit. l. 85. §. 1.* expresse habetur: *non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt.*

Respondetur secundo, explic. & dist. maj. Dispositio evanescit &c. quando dependet ab hac conditione, nisi res devenerit in alium statum, trans. quando non ita dependet, neg. maj. & concessa minore, eodem modo disting. cons. Quod tributum a Magistratu Seculari ex titulo jurisdictionis fuerit impositum fundo sub ista conditione, *nisi fundus devenerit ad Ecclesiam, vel Personam Ecclesiasticam*, nullum extat vestigium, aut solidum fundamentum asserendi: consequenter &c.

Dices secundo. Quando fundus transfertur in Ecclesiam, aut Personam Ecclesiasticam, cessat ratio adæquata exigendi tributa, videlicet subjectio talis fundi, quippe a jurisdictione, & potestate laica jam extracti; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Siquidem adæquata ratio exigendi tributa *antiqua* non est subjectio fundi, vel Personæ fundum possidentis, sed impositio oneris semel facta, cum quo onere fundus transit, esto hujusmodi impositio tempore, quo facta est, seu in suo fieri antefatam subjectionem necessario præsupposuerit.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Immunitate Ecclesiastica Locali, seu Jure Asyli.

HÆc Immunitas duos operatur effectus, videlicet 1. ne in Ecclesiis, Cæmeteriis, vel aliis locis sacris, actus profani, & ejusmodi loca dedecentes exerceri queant, 2. Ut Rei illuc confugientes sint securi, & per violentiam inde abstrasti non possint: prout annotavimus *n.* 502. Quæ dicenda forent circa primum effectum, jam anticipato expedita sunt partim *in part.* 2. *n.* 337. partim alibi. Unde impræsentiarum solummodo agendum superest de illis, quæ alterum ejusdem immunitatis effectum concernunt.

§. I.

Quænam Loca gaudeant Immunitate Locali, seu Jure Asyli?

SUMMARIUM.

521. *Specificantur, & explicantur Loca immunitate Locali, seu Jure Asyli gaudentia,* 522. & 523. *Solvuntur argumenta opposita.* 524. *Immunitas Localis etiam se extendit ad Sacerdotem portantem Eucharistiam extra Ecclesiam, adeo, ut reus ad illum confugiens reperiat asylum.*

521. DIco, Immunitate Locali, seu Jure Asyli gaudent omnia Loca Sacra, & Religiosa, ut Ecclesiæ, Cæmeteria, Monasteria, Hospitalia, Oratoria, Palatia Episcoporum &c. Sumitur ex Juribus in conclusionis explicatione citandis. Itaque

Explicantur singula Loca modo specificata. Dicitur 1. *Ecclesia*, seu *Templa*, & *Sacella* quæcunque, authoritate Episcopi ad cultum Divinum, ad publicum scilicet Sacrificium, & Sacramentorum usum, destinata, etsi nondum perfecte constructa, sed tantum construi cœpta, v. g. per erectionem Crucis, aut positionem primi lapidis; adeoque licet nondum consecrata, vel benedicta sint, nec Divina in eis celebrata fuerint, aut celebrentur. Sumitur ex *cap. 9. de Immunit. Eccles.* ubi immunitas localis fundatur in sola destinatione Loci ad cultum Divinum legitime facta: dicit enim ibi Gregorius IX. Ecclesia, *obsequiis Divinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda*. Ex quo fit, ut etiam Templa polluta, aut interdicta jus asyli retineant; cum adhuc maneant ex se deputata ad Divinum cultum. Pirhing *lib. 3. tit. 49. n.* 3. Reiffenstuel *ibid. n.* 28. & alii passim. Porro extenditur jus asyli ad totam Ecclesiæ fabricam, non modo interiorem, sed exteriorem quoque, puta ad Sacristiam, turrim, tectum, atrium, januam, valvas &c. adeo, ut & ille reus, qui ascendit in turrim, aut tectum Ecclesiæ (Monasterii, Hospitalis, Palatii Episcopalis &c.) vel januam, aut valvas apprehendit, immunitate potiatur, *c.* 20. & 36. *caus.* 17. *q.* 4. Et ratio est: quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa censentur, *l.* 43. *ff. de Rei vindicat.* Laymann *lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 2. & alii communiter. Idem jus asyli extenditur ad spatium terræ per quadraginta passus Ecclesiæ majori (id est, *Matrici*, seu *Metropolitana*, vel *Cathedrali*) & per triginta passus Ecclesiæ minori adjacens, *can. 6. caus.* 17. *q.* 4. uti & ad domos Clericorum (non vero Secularium) intra dictum spatium existentes, *can. 17. caus.* 17. *q.* 4. Videatur Reiffenstuel *loc. cit. n.* 31. 34. & *seqq.*

Dicitur 2. *Cæmeteria*, legitime erecta; sive sint templis contigua, sive ab eis separata; sive benedicta, sive non, *c. fin. de Immunit. Eccles.* P. Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 3. cap. 4. sect. 1. n.* 35. Pichler *lib. 3. tit. 49. n.* 9. & alii passim.

Dicitur 3. *Monasteria, Domus*, & *Habitacula Religiosorum*; cum sint Loca Religiosa, & Divino cultui deputata, *arg. c. 4. de Relig. Dom.* item horti, areæ, stabula animalium, domus famulantium, & ædes intra septa Monasterii existentes, *arg. can.* 10. & 20. *caus.* 17. *q.* 4. Aliud est de villis, domibus, aut ædibus, ad Monasteria quidem jure dominii pertinentibus, non tamen intra eorum septa consistentibus: quia ut sic nec loca Religiosa sunt, nec locis Religiosis continua, vel contigua; prout recte advertunt Reiffenstuel *loc. cit. n.* 46. Schmier *num.* 38. & alii apud ipsos contra Dianam, & Rodriquez.

Dicitur 4. *Hospitalia*, authoritate Episcopi erecta cum altari ad celebrandum: siquidem & ipsa sunt loca Religiosa; neque in profanos usus converti possunt, *arg. c. 4. de Relig. Dom.* & *l. 35. C. de Episc. & Cleric.* P. Engel *lib. 3. tit. 49. n.* 10. aliique communiter.

Dicitur 5. *Oratoria*, authoritate Episcopi erecta, & in perpetuum Divino cultui deputata, tametsi privata sint, seu in privata domo consistant; item tametsi necdum benedicta, vel consecrata sint, *arg. c. 4. de Relig. Dom.* Secus dicendum de Oratoriis privata authoritate erectis, quamvis Papa vel Episcopus facultatem dederit in illis celebrandi; quia per hoc non censentur immutabiliter, ac in perpetuum Divino cultui deputata, sed possunt pro arbitrio dominorum in profanos usus, v. g. in cameras converti. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. c. 9. n.* 10. Pichler *loc. & n. citt.*

Dixi 6. *Palatia Episcoporum*, saltem si penes Ecclesiam Cathedralem intra quadraginta passus sint constituta, *c. 29. caus.* 17. *q.* 4. Oppositum videtur sentiendum, si ab Ecclesia Cathedrali longius, aut penitus sejuncta sint, seu distent. Ratio est; nam licet *cit. can.* 29. non faciat expressam mentionem determinatæ distantiæ, innovat tamen canones antiquiores, per quos illa distantia erat determinata, quin ampliorem constituat; ac insuper supponit, Residentiam Episcopalem non procul ab Ecclesia Cathedrali consistere, ad mentem *can. penult. dist.* 41. P. Konig *lib. 3. tit. 49. n.* 8. P. Schmier *loc. cit. n.* 42. & alii contra alios.

522. Objicies nunc contra dicta primo. In *c. 9. de Immunit. Eccles.* dicitur: *Ecclesia, in qua Divina mysteria celebrantur - - - nullo Jure privilegium immunitatis adimitur*; ergo a contrario bene videtur inferri, idem privilegium adimi Ecclesiæ, in qua Divina mysteria non celebrantur.

Respondetur, neg. conf. Nam illa verba, *in qua Divina mysteria celebrantur*, exponi, ac intelligi debent quoad celebrationem non actualem, sed aptitudinalem, ita, ut sensum faciant, *celebrari possunt*: quod verificatur, quamprimum Ecclesia Divino cultui destinata est, & construi cœpta per erectionem Crucis, aut positionem primi lapidis, Panormitanus *in cit. c. n.* 5. Fagnanus, & alii.

523. Objicies secundo. Qui manibus apprehendit januam Monasterii Monialium, non censetur moraliter esse in Monasterio; alias violaret clausuram Monialium; ergo neque hic censetur moraliter esse in Monasterio, Ecclesia &c. qui manibus apprehendit ejus januam; & consequenter non gaudet immunitate Ecclesiastica, seu Jure Asyli &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia in materia pœnali, & odiosa, qualis est violatio clausuræ, strictam fieri oportet interpretationem: latam vero in materia favorabili, qualis est immunitas Ecclesiastica, utpote quæ est privilegium Ecclesiæ, seu Principis Ecclesiastici in Jure communi insertum, & nemini in particulari præjudicans, *cap. 30. de Privil. cap. 16. de V. S.* & *c. 15. de R. J. in 6.* Ex eadem ratione non polluitur, vel violatur Ecclesia per effusionem seminis, aut sanguinis factam ad illius januam, valvas &c. licet ibi habeatur immunitas.

524. Quæres, an immunitas Localis se etiam extendat ad Sacerdotem portantem Sacramentum Eucharistiæ extra Ecclesiam, v. g. ad infirmum, vel in processione, adeo, ut reus ad illum confugiens reperiat asylum?

Respondetur affirmative. Panormitanus *in c. 10. de Celebrat. Missar.* Navarrus *in Manuali c. 25. n.* 15. Engel *loc. cit. n.* 12. Sannig *lib. 3. Decret. tit. 49. cap. 2. n.* 4. & alii. Ratio est: quia esto talis extensio non habeatur ex Jure (cum utique Sacerdos portans non sit locus sacer) habetur tamen ex consuetudine, & communi sensu in æquitate fundato. Quare si reus quispiam dicti Sacerdotis vestem, vel hastam Baldachini apprehendat, imo se tantum associet, ac immisceat eundem, & Venerabile comitantibus, inde per vim abripi non potest. Videatur Reiffenstuel ubi supra, *num.* 48. & 49. referens pro nostra respons. geminam declarationem *S. Congreg.* recte tamen cum communi DD. excipiens *num.* 50. casum, quo Venerabile portatur ad reum in carcere detentum.

§. II.

Quænam Personæ gaudeant Immunitate Locali, seu Jure Asyli, & quænam non?

S U M M A R I U M,

525. *Asseritur, & exponitur, quænam personæ gaudeant Jure Asyli.* 526. *& seqq. Solvuntur objectiones,* 529. *An Clerici, & Religiosi etiam gaudeant immunitate locali contra suos Judices Ecclesiasticos?* 530. *An reus ex lictorum manibus, vel carcere elapsus gaudeat asylo, si ad locum sacrum confugiat?* 531. *An reus, qui captivus ducitur per cæmeterium, vel alium locum sacrum, & inde egredi recusat, possit per lictores extrahi?* 532. *Recensentur crimina excepta in Bulla Gregoriana, quorum Rei beneficio Asyli privantur.* 533. *Ostenditur, non dari alia delicta excepta, præscindendo a Constitutione Benedicti XIII. & quænam in hac excipiantur?*

525. Dico primo. Immunitate Locali, seu Jure Asyli gaudent omnes personæ utriusque sexus, saltem baptizatæ, quæ, aliquo crimine, mortem, mutilationem, aut pœnam æquivalentem, vel carcerem, aut vincula promerito, gravatæ, ad Ecclesiam, aliumve Locum Religiosum confugiunt: modo illud crimen non sit de classe exceptorum, seu Asylo privantium. Sumitur conclusio *ex l. 1. & 6. C. de His, qui ad Eccl. ex can. 29. caus. 17. q. 4.* & ex *Constit. Gregorii XIV. Cum alias, edita an.* 1591.

Explicatur. Dicitur 1. *omnes:* adeoque etiam excommunicati, suspensi, interdicti &c. quia hæ censuræ non operantur alios effectus, quam in Jure expressos, qualis non est privatio immunitatis: item banniti, proscripti, milites desertores, qui, militia actu deserta, pœnæ, vel capturæ vitandæ ergo, in asylum se recipiunt: aliud est, si militiam nondum actu deseruerint, sed solum ab ea se liberare, & subducere intendant confugiendo ad locum asyli; hoc quippe casu a Ducibus repeti, &, nisi reddantur, occupari possunt, modo iidem Duces, antequam id faciant, juramentum præstent de impunitate, videlicet de non infligenda morte, vel æquivalente, aut alia valde gravi pœna, *arg. c. 6. de Immunit. Eccles.* Idem esto judicium de servis, per *cit. c. 6.* Hæretici ob aliud crimen, quam hæresim (hæc nanque est de genere criminum exceptorum, ut infra videbimus) confugientes ad asylum, similiter proteguntur; cum nullo Jure excludantur, P. Pichler *loc. cit. n. 10.* & alii communiter.

Dicitur 2. *saltem baptizata.* Nam circa personas non baptizatas, ut sunt Judæi, Pagani, Ethnici, non conveniunt Authores. Ego sentio cum P. VViestner *lib. 3. tit. 49. n. 76. & seq.* P. Schmier *loc. cit. n. 68.* ac aliis, adhibendo distinctionem: vel enim ad Ecclesiam confugiunt animo se serio convertendi ad fidem Catholicam, vel non? Si primum; asylo gaudent; secus, si secundum. Promitur assertum *ex cit. l. 1. C. de His, qui ad Eccles.* ubi infideles non baptizati, si Baptismum *simulate* petant, asylo excluduntur; ergo non excluduntur, si Baptismum petant *serio:* quæ Lex Civilis, cum non tantum nihil disponat contra Sanctiones Canonicas, sed insuper per *cit. cap. 6. de Immunit. Eccles.* satis clare recipiatur, ac canonizetur hisce verbis: *juxta Sacrorum Statuta Canonum, & traditiones Legum Civilium &c.* apprime servit ad decisionem quæstionis propositæ.

Dicitur 3. *quæ aliquo crimine &c.* quo etiam referri debent debitores civiles, quando periculum subeunt, ne in vincula, vel carcerem conjiciantur: siquidem & ipsi nomine reorum veniunt, *cap. 10. de V. S.* & nullibi asylo excluduntur, præterquam (si debita culpabiliter contraxerint) in Constitutione S. Pii V. cui tamen per posteriorem Constitutionem Gregorii XIV. supra mentionatam derogatum est. Fagnanus *in c. 6. de Immunit. Eccles. n. 58.* Pichler *loc. & n. cit.* aliique passim.

Dicitur 4. *modo illud crimen non sit de classe exceptorum &c.* quæ particulæ explanabuntur inferius, ubi crimina excepta, & asylo privantia referemus. Interim contra statutam, & modo expositam conclusionem

526. Objicies primo. Excommunicatis (idem respective cogita de suspensis, & interdictis) denegatur ingressus in Ecclesiam; ergo a fortiori privilegium Ecclesiæ, sive asylum.

Confirmatur primo. Excommunicati excluduntur a fidelium participatione; ergo & ab immunitate fidelibus concessa.

Confirmatur secundo. Excommunicati (sive sint Hæretici, sive Catholici) existunt Ecclesiæ rebelles, & contumaces; ergo non sunt digni protectione Ecclesiæ.

Respondetur ad arg. dist. ant. Denegatur illis ingressus in Ecclesiam formalis, hoc est, ut intersint Divinis Officiis &c. con. materialis, neg. ant. & cons. Revide, quæ diximus n. 173.

Ad 1. confirm. dist. itidem ant. Excluduntur a fidelium participatione quoad casus Jure expressos, con. quoad casus Jure non expressos, neg. ant. & cons. Nam excommunicatos privari immunitate Ecclesiastica, nullo Jure exprimitur.

Ad 2. confirm. dist. cons. Ergo non sunt digni protectione Ecclesiæ, attendendo delicta adversus Ecclesiam commissa, con. attendendo Ecclesiæ pietatem, & loci, asylo gaudentis, sanctitatem, neg. cons. Privilegium asyli, cum sit locale, non tam respicit personam delinquentis, quam sanctitatem loci, pro quo conceditur.

527. Objicies secundo. Ecclesia nequit judicare infideles Baptismate carentes, quippe sibi non subjectos; ergo nec valet iisdem indulgere privilegium immunitatis localis, licet in Ecclesiam animo se convertendi confugiant.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Nam privilegium præter legem, quale est jus asyli, concedi etiam potest non subdito: prout tradidimus *part. 1. n.* 522.

528. Objicies tertio. Clerici, & Religiosi non gaudent jure asyli; ergo non omnes personæ, licet baptizatæ, eodem gaudent. Ant. prob. Quia in Constitut. Gregoriana supra allegata, quæ est norma immunitatis asyli, tantum fit mentio *Laicorum;* ergo Clerici, & Religiosi censentur exclusi: cum expressio unius speciei sit exclusio alterius, per *text. & Gloss. in l. 15. ff. de except. rei judic.*

Respondetur, neg. ant. saltem intellectum de jure asyli contra Judices Laicos. Ad prob. ajo, in altefata Constitut. Gregor. non fieri mentionem solorum Laicorum, ut excludantur Clerici, & Religiosi, sed ut Laici quoque, queis (non item Clericis, & Religiosis) Judices Laici sub prætextu privilegiorum immunitatem localem denegare, eosdemque ex asylo extrahere præsumebant, deinceps protegantur. Verum circa Clericos, & Religiosos adhuc

529. Quæres primo, an etiam gaudeant immunitate locali contra suos Judices Ecclesiasticos?

Respondetur primo. Gaudent eatenus, ut e loco sacro extrahi, & brachio seculari extrahi nequeant, secundum Leges Civiles puniendi. Ita videntur velle Declarationes Cardinalium, quas refert Pignatelli *tom. 6. consult. 4. n. 101. & n. 110.* Ratio est: quia Laici a nullo prorsus Judice (si Papam excipias) e loco sacro extrahi, & Curiæ Seculari tradi possunt, secundum Leges Civiles puniendi; ergo nec Clerici, & Religiosi, qui utique non debent esse deterioris conditionis, ac Laici; imo præ istis merentur protegi ab Ecclesia, utpote cujus speciales se servos, & ministros exhibent. Konig *lib. 3. tit. 49. n. 11.* Schmalzgrueber *ibid. a num.* 165. Schmier *loc. cit. n. 62. & seq.* Pichler *ubi supra n.* 12.

Respondetur secundo. Non gaudent autem immunitate Ecclesiastica eatenus, ut extrahi e loco sacro non possint puniendi correctione, & pœna Ecclesiastica secundum Canones. Authores *citt.* Ratio est: tum quia non est credibile, quod Pontifex per immunitatem tollere velit debitam morum correctionem, & pœnas a SS. Canonibus præscriptas; cum neque Laicos in loco sacro existentes, aut illuc confugientes eximat a pœnis Ecclesiasticis ad ipsorum correctionem ordinatis: tum quia Clerici, & Religiosi juxta *c. 24. de Sent. excom.* & *c. 2. de Regular. in 6.* possunt corrigi, castigari, & incarcerari intra fines ipsius Ecclesiæ; ergo &c.

Dices contra 1. respons. primo. Clerici, & Religiosi delinquentes puniri solent gravibus pœnis carceris, etiam perpetui, verberationis, triremium &c. *cap. 1. de Calumn.* ergo &c.

Respondetur, & explic. & dist. ant. Puniri pœnis prædictis solent per Judicem Ecclesiasticum, & secundum Canones, ac Statuta Ordinis, con. per Judicem

Lai-

Laicum, & secundum Leges Civiles, neg. ant. & cons.

Dico secundo contra eandem respons. Sequeretur, quod Religiosi, utpote qui ut plurimum commorantur in suis Monasteriis, jure asyli gaudentibus, nunquam, vel non nisi raro possent affici pœnis commeritis: sequela autem videtur absurda; cum vergeret in magnum præjudicium Ecclesiasticæ, & Claustralis disciplinæ; ergo &c.

Respondetur, dist. seq. A Judice Laico, & secundum Leges Civiles, con. a Judice Ecclesiastico, & suo Superiore, ac secundum Canones, Ordinisque Statuta, neg. seq. & distinctione applicata minori, cons.

530. Quæres secundo, an reus ex lictorum manibus, vel carcere elapsus gaudeant asylo, si ad locum sacrum confugiat?

Respondetur affirmative, supposito, quod non sit gravatus crimine excepto. Panormitanus *in c. 6. de Immunit. n. 32.* Schmier *loc. cit. n. 55.* & alii communiter. Ratio est: quia etiam talis transfuga in nullo Jure privatur asylo. Nec dicas, privari per regulam spoliatorum, vi cujus spoliatu ante omnia restituendum, quod ipsi ablatum est: sed Judex Laicus in casu posito fuit spoliatus jure sibi jam quæsito in personam Rei; ergo &c. Respondetur enim, restitutionem non deberi spoliato, quando ex ea sequeretur damnum irreparabile, v. g. in vita, aut membris, vel saltem manifestum periculum talis damni: prout liquet *ex cap. 13. de Restit. spoliat.* Contrarium tamen dicitur practicari in Gallia: quemadmodum legere est apud *cit.* P. Schmier.

531. Quæres tertio, an reus, qui captivus ducitur per cæmeterium, vel alium locum sacrum, & inde egredi recusat, possit per lictores extrahi? Ratio dubitandi est: quia talis non censetur ad locum sacrum ex industria confugisse, sed casu illuc delatus fuisse. Verum hoc non obstante,

Respondetur ad quæsitum negative, Ita Fagnanus *in c. 6. de Immunit. n. 86.* Schmier *loc. cit. n. 58.* & alii. Sumitur tum *ex can. 28. caus. 17. q. 4.* ubi disjunctive prohibetur, *ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde vi abstrahere:* tum ex ratione; quia privilegium immunitatis localis concessum est ob sanctitatem loci, & ad avertendam ab eo violentiam, qualis etiam a lictoribus inferretur in casu posito; ergo &c.

532. Dico secundo. Immunitate Locali, seu Jure Asyli non gaudent personæ reæ alicujus criminis excepti in Bulla Gregoriana, ubi sic habetur: *Ut Laicis, ad Ecclesias, Locaque Sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cæmeteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in Personam ipsius Principis rei; immunitas Ecclesiastica non suffragetur &c.* Quibus verbis octo, ut computanti patebit, continentur, ac specificantur crimina excepta, & a beneficio asyli reos excludentia, quæ modo singula breviter exponere oportet. Itaque asylo non gaudent.

1. *Publici latrones*, qui nempe in publicis viis rapinæ causa homines ex insidiis adoriuntur, & resistentes interficiunt, *c. 6. de Immunit.*

2. *Viarum grassatores*, qui & ipsi in publicis, & frequentatis viis rapinæ causa homines ex insidiis aggrediuntur; non tamen interficiunt: per quod differunt a publicis latronibus, *cit. c. 6. de Immunit.*

3. *Depopulatores agrorum*, seu qui segetes agrorum, fructus vinearum &c. malitiose devastant. Et quamvis *in c. 6. cit.* solum fiat mentio *depopulatorum nocturnorum*; in Constit. tamen Gregoriana, Jus novius continente, fit extensio *ad quoscunque depopulatores* sine restrictione *ad nocturnos*; ut proinde juxta communionem DD. vi ejusdem *depopulatores etiam diurni* asylo excludantur. Atque hæc tria crimina, ut asyli privationem operentur, debent esse notoria notorietate Juris, vel Facti: veluti advertit P. Pichler *in Cand. abbrev. lib. 3. tit. 49. n. 5.*

4. *Committentes homicidium, vel mutilationem* (intellectam juxta sensum *part. 1. n. 338.* allatum) *in Ecclesia, Cæmeterio*, aliove Loco, jus asyli habente, *c. fin. de Immunit.* Nec refert, quod is, qui occidit (vel mutilat) sit extra Ecclesiam, & jaculo, seu glande trajiciat existentem in Ecclesia: quia adhuc vere dicitur commissum homicidium (vel mutilatio) in Ecclesia. Similiter non refert, quod lethaliter vulneratus in Ecclesia, moriatur extra eam: siquidem & hoc casu delictum homicidii censetur communi æstimatione in Ecclesia commissum. Secus, si extra Ecclesiam ab homine itidem extra existente vulneratus se recepisset in Ecclesiam, in eaque mortuus fuisset: quia in ordine ad incurrendam privationem asyli non tam attenditur locus secutæ mortis, quam locus causæ ad mortem inferendam effective positæ, & applicatæ. Ita cum communi aliorum Sanct-Gallenses *tom. 7. tr. 1. sect. 3. q. 4. dub. 1.*

5. *Occidentes proditorie suum proximum*, id est, occidentes suum proximum non solum ex proposito, & per insidias, sed sub specie amicitiæ, sive simulando amicitiam, fidelitatem &c. ita, ut proximus nihil tale suspicetur: vel occidentes per insidias eum, cui ratione status, conditionis, muneris specialiter sunt obligati ad amicitiam, aut fidelitatem; ut si parens occidat prolem, conjux conjugem, familiaris familiarem, caupo hospitem, famulus dominum &c. Vide super hoc Reiffenstuel *loc. cit. n. 116.* Schmier ubi supra *a num. 80.* & Pichler *in suo Candid. ampliore lib. 3. tit. 49. n. 17.* ubi late ostendit, solutis etiam argumentis in contrarium, ad homicidium proditorium, ut privet asylo, non sufficere occisionem per industriam, & insidias factam, sed requiri occisionem factam sub specie amicitiæ, vel per insidias ab obligatum ad amicitiam &c. id quod immediate assertum, atque exemplificatum ivimus.

6. *Assassini*, hoc est, illi, qui pro pecunia, vel alia re temporali, data, vel saltem promissa, occidunt hominem: ubi non solum conductus pretio, & physice occidens, sed etiam conducens, & moraliter occidens evadit reus assassinii asylo privantis. Videatur Reiffenstuel *loc. cit. a n. 130.*

7. *Hæretici*, qui propter ipsum hæreseos crimen ad locum asyli confugiunt: quod tamen in nostra Germania, ubi crimen certarum hæresum nihil timet a Judice Seculari, non procedit. Pichler *loc. cit. n. 14.*

8. *Rei læsæ Majestatis in Personam ipsius Principis* (quo nomine veniunt omnes in sua jurisdictione, Superiorem non recognoscentes, plenumque in suo territorio jus obtinentes) cui sunt subditi. Ut crimen læsæ Majestatis asylo privet requiritur 1. ut committatur in personam ipsius Principis, utpote quæ sola in constitutione Gregoriana exprimitur. 2. Ut exerceatur per actionem Principi injuriosam, vel damnosam, v. g. eum percutiendo, vulnerando, hostiliter insequendo capiendo, in carcerem tradendo, aut has, vel alias similes actiones mandando, consulendo &c. 3. Ut perpetretur a talis Principis subdito ratione originis, vel domicilii; adeoque ut perpetrans sit subditus antecedenter ad delictum perpetratum, & non primum fiat subditus ratione delicti perpetrati in territorio Principis: prout cum Haunoldo notat P. Krimer *lib. 3. tit. 49. n. 3757.*

533. Quæres, an præter crimina modo recensita, & exposita extent adhuc alia, a beneficio asyli excludentia?

Respondetur negative, præscindendo a Constitutione Benedicti XIII. quæ incipit: *Ex quo*, edita in Concilio Romano celebrato *an. 1725.* Ratio est: quia sæpe allegata Constitutio Gregorii XIV. omnia dubia circa materiam immunitatis localis occurrentia tollere, & tanquam norma reducere volens omnia *ad unam eandem formam*, statuit, ut præcise enumerata octo crimina a beneficio asyli excludant, *non alia*, etsi *æquipolleant in Jure expressis*, vel adsit *paritas, identitas, aut majoritas rationis*. Unde non privantur asylo blasphemi, perjuri, simoniaci, sodomitæ, raptores virginum, percussores Clericorum, duellantes, incendiarii, committentes delictum in Ecclesia (Cæmeterio, vel alio loco immuni) ab homicidio, & mutilatione diversum: item occidentes prope Ecclesiam sub spe immunitatis &c. P. Krimer *loc. cit. n. 3758.* & alii passim.

Dixi tamen: *præscindendo a Constit. Bened. XIII. &c.* utpote in qua declaratur; aliqua delicta, de quibus post Constitutionem Gregorianam inter DD. dubitabatur, num asylo priventur? eodem privare, adjectis insuper

per novis, & asylo tunc non privantibus delictis, quorum reis immunitas denegatur. Declaratur igitur, & respective determinatur de novo in altefata Constitutione Benedictina, quod non gaudeat asylo 1. Latro publicus, & viarum grassator, etiamsi unicam duntaxat grassationem in via publica, aut vicinali commiserit, secuta occisione, vel mutilatione. 2. Qui stans in Ecclesia, vel Cœmeterio occidit, vel mutilat existentem extra, aut vicissim stans extra occidit, vel mutilat existentem intra Ecclrsiam, vel Cœmeterium. 3. Qui ad Ecclesiam, vel alium locum immunem confugienti vim infert, eumve violenter inde extrahit, & abducit. 4. In crimine assassinii non modo mandatarius (qui in ipsamet Gregoriana Constitutione a beneficio asyli luculenter excluditur) sed etiam mandans data vel promissa mercede, modo assassinium reipsa patratum fuerit. 5. Qui (nunc sequuntur delicta prius jure asyli certo non privantia) interficit proximum suum animo præmeditato, ac deliberato. 6. Qui falsificat literas Apostolicas. 7. Minister Montis pietatis, publici telonii, aut banci, pro Principis, privatarumque personarum depositis destinatus, si furtum, aut falsitatem in prædictis locis committat, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 8. Qui conflat, adulterat, vel tondet quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum externorum, vel qui ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas ita scienter expendit, ut fraudis conscius, ac particeps censeri possit. 9. Qui sub nomine Curiæ se se introducit in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinam, eamque reipsa committit cum homicidio, & mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit. Hucusque Constitutio Benedicti XIII. fere in terminis. An autem in nostris partibus (æque, ac Constitutio Gregorii XIV.) recepta, ac in usum deducta sit? quæstio, ac dubium remanet: cujus tamen resolutio non ex libris, aut scholis petenda, sed ex particulari singulatum Diœcesium observantia, & praxi desumenda est.

§. III.

Expediuntur nonnullæ aliæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

534. *Quænam prærogativa sint concessæ ad asylum legitime confugientibus?* 535. *Quid notandum, & faciendum, quando reus ex asylo injuste fuit extractus?* 536. *Adstruitur modus extrahendi reum ex asylo, quo non gaudet ob crimen exceptum.* 537. *Ad quemnam Judicem pertineat decisio dubii, quo dubitatur, an reus commiserit crimen, ab immunitate exceptum, nec ne?*

53+ QUæres primo, quænam prærogativæ sint concessæ ad asylum legitime confugientibus?

Respondetur. Rectores locorum, jure asyli gaudentium, tenentur 1. hujusmodi confugas recipere, *c. 6. de Immunit.* & receptis 2. providere de necessariis ad victum, vestitum &c. si ipsimet non habeant bona propria, vel, si habeant, iis frui non possint, nec ab amicis, aut labore industriali illa sibi comparare, *arg. l. 6. C. de His, qui ad Eccles.* 3. Nemo prohibere, aut impedire potest, ne existentibus in asylo ejusmodi necessaria afferantur, *per cit. l. 6.* 4. Concedendus insuper ipsis est exitus extra locum asyli (si reverentia loco debita sic exigat) ad proximam domum v. g. pro sublevanda necessitate naturæ, *cap. 28. caus. 17. q. 4.* 5. Non sunt spoliandi rebus, quas secum ad locum asyli detulere; cum & ipsæ gaudeant immunitate. Excipe: nisi respectu earundem deliquerint; ut si res alienas, vel alteri obligatas, aut arma prohibita illuc tulerint. Ita cum commoni Sanct Gallenses *loc. cit. dub. 1.* 6. Quamdiu commorantur in loco asyli, nequeunt vinculis constringi, vel incarcerari, vel extrahi, vel ad mortem, aliamve pœnam corporalem, v. g. mutilationem, fustigationem, exilium &c. condemnari, *c. 28. & l. 6. citt.*

535. Quæres secundo, quid notandum, & faciendum, quando reus ex asylo injuste fuit extractus?

Respondetur primo. Ejusmodi extractio est nulla, omnesque actus inde secuti suo valore, & firmitate destituuntur. Ratio est: quia reus in asylo existens versatur extra jurisdictionem Judicis secularis; consequenter invitum extrahens, non actum jurisdictionis, sed tyrannidem exercet, violentiam, & injustam quodammodo rapinam. Unde examen est nullum, nec reus tenetur respondere; tortura injuste, & nulliter infligitur, confessio per eam extorta nullius prorsus momenti est; adeoque damnatio ad mortem fit injustissime: quia hæc omnia jurisdictionem in reum exigunt, quam sacrilega, & injusta captura non tribuit. Suarez *de Relig. lib. 3. tom. 1. c. 13. a n. 12.* Pellizarius *tr. 8. cap. 5. n. 39.* Laymann *lib. 4. tr. 9. c. 3. n. 15.* & alii passim.

Respondetur secundo. Reus debet restitui in locum asyli, unde fuit extractus, *can. 7. caus. 17. q. 4.* ibi: *Ecclesiæ igitur illæsum revoca, quem irreligiosissimus rapuisti.* Ratio est: quia qui aliquem propria libertate spoliat, illum statim remittere debet, *l. 1. & 2. ff. de liber. hom. exhib.* sed extrahens in casu spoliat reum propria libertate; ut patet; ergo &c. Porro idem extrahens spoliat ipsam quoque Ecclesiam, utpote quæ est in possessione tuendi confugam, ex qua dum deturbatur, ut fit per similem extractionem, revera spoliatur; cui proinde ante omnia restituendum, quod ipsi male ablatum, videlicet persona extracti, *c. 6. & seq. de Restit. spoliat.* P. Schmier *loc. cit. n. 110.* & alii communiter.

536. Quæres tertio, quisnam sit modus extrahendi reum ex asylo, quo non gaudet ob crimen exceptum?

Respondetur. Modum ejusmodi, Gregorianæ Constitutioni consonum, tradit Marchant *tom. 3. part. 3. Tribunal. Sacram. tr. 2. tit. 3. quæst. 3. conclus. 3.* hisce verbis: Aliquo ob superiora (*n. 532.* expressa) delicta, quæ a beneficio immunitatis reum excludunt, ad Ecclesias, vel loca sacra, ac Monasteria confugiente: monetur Episcopus, vel aliquis Ecclesiasticus, loco Episcopi facultatem habens, qui requisitus (si de delicto manifeste constet) per se, vel per alium Ecclesiasticum cum superpelliceo reum educat extra Ecclesiam, & Curiæ seculari exponat. Quod si noluerit egredi (supposito delicto manifesto) tunc Ministri Curiæ secularis, reverentiæ, Ecclesiæ, & locis sacris debitæ, memores, minori, quo id fieri poterit, tumultu eum extrahere curent. In casu autem, quo delictum est dubium, reus tradatur carceri Ecclesiastico, si ibi fuerit, vel propinquo, &, si opus fuerit, opportuna custodia per Curiam secularem adhibita bene custodiatur, donec de crimine plene constet, & tunc primum tradatur Curiæ seculari, ut de eo disponat. Ita Author *cit.* & alii passim ex Constitutione Gregorii XIV. a qua parum abludit Constitutio Benedicti XIII. quoad præsens punctum: abludit, inquam, quatenus pro casu, quo moraliter credibile, non vero penitus certum est, crimen esse exceptum, permittit, & jubet reum extradi Judici seculari exigenti, modo iste in forma Juris valide se obliget ad eum Ecclesiæ restituendum, si postea diluantur indicia, ex quibus delictum apparebat exceptum.

539. Quæres quarto, ad quemnam Judicem pertineat decisio dubii, quo dubitatur, num reus commiserit crimen, ab Immunitate exceptum, nec ne?

Respondetur, quod pertineat privative ad Judicem Ecclesiasticum. Ita DD. plerique ex *can. 11. & 32. caus. 17. q. 4.* Ratio est: tum quia sic statuitur in Constitutione Gregoriana §. 5. tum quia causa immunitatis, ob reverentiam locorum sacrorum introductæ, est Ecclesiastica, ac causis spiritualibus connexa; adeoque a solo Judice Ecclesiastico cognoscibilis, *c. 2. & 3. de Judiciis*, ac 12. *de Sent. excomm. in 6.*

Dices. Utriusque Curiæ, Ecclesiasticæ, & Secularis, interest nosse, an crimen, a reo perpetratum, sit de classe exceptorum, & asylo privet, nec ne? ergo decisio præfati dubii non pertinet privative ad Judicem Ecclesiasticum.

Respondetur, neg. conf. Nam ex antecedente plus non sequitur, quam etiam Curiæ Seculari concedendam esse discussionem criminis, sed privatam duntaxat, non vero authenticam causæ decisionem; quæ proin competit privative Curiæ Ecclesiasticæ, per rationes probativas immediate adductas. P. Schmier *loc. cit. n. 107.*

ARTI-

ARTICULUS V.

De Pœnis in violatores immunitatis Ecclesiasticæ statutis.

SUMMARIUM.

538. *Violatores immunitatis personalis, ac realis præter peccatum sacrilegii, & injustitiæ, ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.* 539. *Quinam in specie censeatur ejusmodi violatores?* 540. *An prædicta excommunicatio sit de reservatis in Bulla Cœnæ?* 541. *Quis ab excommunicatione* Canonis *absolvere possit?* 542. *Etiam violatores immunitatis localis præter peccatum sacrilegii, & injustitiæ incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, tenenturque reum restituere in locum asyli &c.* 543. *Quinam in specie censeantur violatores talis immunitatis?* 544. *Num hæc excommunicatio sit reservata in Bulla Cœnæ?*

538. Dico primo. Violatores Immunitatis personalis, ac realis non modo gravissime peccant peccato sacrilegii, & injustitiæ, sed etiam tenentur restituere omnia, tanquam injuste acquisita: ac ipso Jure, & facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. Sumitur *ex capit. 4. & 7. de Immunit. capit. 4. de Censib. in 6. Clement. un. & Extravag. quod olim int. Commen. Bulla Cœnæ*, & *Bulla Urbani* VIII. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* in qua ultima etiam reprobatur consuetudo immemorialis, prætextus privilegii Apostolici, & prætextus non factæ promulgationis, aut receptionis Constitutionum Apostolicarum.

539. Quæres primo, quinam in specie censeantur violatores immunitatis personalis, & realis?

Respondetur. Violatores immunitatis personalis, prout complectentis privilegium fori, censentur quicunque Laici, etiam Imperatoriæ, aut Regalis dignitatis, Personas, causasque Ecclesiasticas ad suum tribunal trahentes, vel trahi facientes, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore; violatores autem ejusdem immunitatis personalis, prout complectentis privilegium Canonis, censentur omnes, & singuli, qui (sive Laici sint, sive Clerici) violentas manus Personæ Ecclesiasticæ injiciunt; violatores denique immunitatis realis censentur, qui tributa, tallias, collectas, & exactiones alias, per se, vel per alios, directe, vel indirecte imponunt Ecclesiis, aut Ecclesiasticis Personis, aut bonis earum, vel ab iisdem exigunt extra casus, in quibus id permissum esse tradidimus *numer.* 519. Patet ex Juribus immediate relatis, & ex dictis supra *artic.* 2. *ac* 3.

540. Quæres secundo, an excommunicatio, quam violatores binæ hujus immunitatis incurrunt, sit de reservatis Papæ in-vel extra Bullam Cœnæ?

Respondetur, Excommunicatio, quam incurrunt violatores immunitatis personalis, prout complectentis privilegium fori, uti & immunitatis realis, esse de reservatis in Bulla Cœnæ: id quod patet ex eadem Bulla. Unde ab illa extra articulum mortis absolvere nemo potest præter Papam; imo nec in articulo mortis, nisi violatores præstent satisfactionem, aut cautionem, si possint, vel si non possint, habeant saltem propositum satisfaciendi, & promittant posthac stare mandatis Ecclesiæ. At excommunicatio, quam incurrunt violatores immunitatis personalis, prout complectentis privilegium Canonis, sive percussores alicujus Personæ Ecclesiasticæ, est de classe excommunicationum Papæ reservatarum extra Bullam Cœnæ: veluti patebit intuenti catalogum hujusmodi excommunicationum, quem assignavimus *n.* 221. Sed

541. Petes, quisnam ab excommunicatione Canonis absolvere possit?

Antequam huic petito satisfiat, notandum, percussionem Clerici, seu Personæ Ecclesiasticæ triplicem statui a DD. nempe *levem*, *gravem*, & *enormem*. Levis dicitur, quæ, quamvis mortaliter peccaminosa sit (alias quippe non sufficeret ad incurrendam hanc censuram) in comparatione tamen percussionis gravis, & enormis, spectatis loci, temporis, & modi circumstantiis, ac personæ tam percutientis, quam patientis qualitatibus, censetur modica, seu non vergere in magnum opprobrium Status Ecclesiastici, vel magnum fidelium scandalum, cujusmodi est, quæ fit pugno, manu, palma, digito, baculo, pede, aut lapide, nullam maculam, aut carnis sugillationem relinquentibus; ac insuper sine abscissione membri, effractione dentis, evulsione multorum capillorum &c. Gravis dicitur, quæ vel ex circumstantiis modi, temporis, loci, personarum, vel ex sua natura in magnum Status Ecclesiastici opprobrium vergit, aut graviter affligit corpus Personæ Ecclesiasticæ: ut si Clerico in publica platea impingatur colaphus, dens excutiatur, capilli in notabili copia evellantur; vel si percutiatur fuste, sugillationem carnis relinquente &c. Hæc percussio vocatur etiam *mediocris*, id est, inter levem, & enormem media, quatenus de utraque aliquid participat. Enormis, seu *atrox* dicitur, quæ fit cum valde magna læsione corporis, v. g. mutilatione membri, evulsione barbæ, elisione dentium, vulneratione ingentem sanguinis effusionem causante; vel quæ valde excedit in modo, ut si Clericus calcetur pedibus; vel quæ fit in personam valde excellentem, v. g. Episcopum, Abbatem, Superiorem, aliumve Clericum in dignitate constitutum, aut etiam inferiorem, sed jam sacris vestibus indutum ad peragenda Divina &c. Porro an in casibus particularibus percussio sit levis, *gravis*, vel enormis, judicio, & arbitrio Episcopi, vel Prælati, consideratis diligenter circumstantiis, pro foro externo decidendum relinquitur; pro foro autem interno arbitrari spectat ad Confessarium, potestate absolvendi præditum. Quod si & ipsi dubitent de qualitate percussionis, judicium ferent in partem mitiorem, & reo faventem: veluti recte tradunt Kerckove *super nostra Statuta General. capit.* 6. §. 15. *numer.* 2. Mezger *tractat.* 8. *disput.* 39. *articul.* 4. *numer.* 14. Babenstuber *tractat.* 4. *disput.* 2. *articul.* 1. *numer.* 18. & alii contra Engel, Pichler, alios. Rationem dant: quia *in obscuris minimum est sequendum*, per *Reg.* 30. *in* 6. & *in dubiis magis favendum est, reo quam actori*, juxta *Reg.* 11. *in* 6. Decretum, quod Adversarii pro opposita sententia allegant, non est authenticum; veluti advertit, ac ostendit P. Kerckove *cit.* Nunc ut petito satisfiat,

Respondetur. Ab excommunicatione Canonis, spectato Jure communi, absolvere extra articulum motis nemo potest præter S. Pontificem: id quod liquet ex *can.* 29. *caus.* 17. *q.* 4. At ex privilegio, vel speciali concessione absolvere quoque possunt 1. *Legati a Latere* universos ad se recurrentes pro utroque foro, & quæcunque fuerit percussio, *c.* 9. *& ibi gloss. de Offic. Legat.* 2. *Legati Missi*, seu *Nuncii Apostolici* subditos suæ Provinciæ (non alios) ad quam missi sunt, & quandiu in illa morantur, *c.* 4. *&* 9. *eod.* 3. *Episcopi* suos diœcesanos pro foro interno, si percussio sit occulta, & necdum ad forum contentiosum deducta, *ex Trid. Sess.* 24. *c.* 6. vel notoria quidem, sed levis duntaxat, pro utroque foro *ex c.* 17. *de Sent. excom.* Similiter pro utroque foro absolvere possunt iidem Episcopi Clericos (non alios) Clericum suæ Communitatis, vel Collegii, in quo commorantur, percutientes, etsi percussio gravis, & notoria sit, *ex c.* 9. *de Vita, & honest.* item impuberes, etiam post pubertatem absolvi petentes, *c. fin. de Sent. excom.* & laborantes impedimento perpetuo, vel diutno adeundi Papam, vel ejus Legatum, *c.* 6. *&* 13. *eod.* quamvis percussio enormis, atque notoria existat. 4. *Prælati Regulares*, etiam Locales, suos Religiosos se mutuo percutientes, si percussio sit levis, vel gravis, *c.* 2. *&* 50. *eod.* si vero percussio sit enormis, quando etiam pro hoc casu obtinent privilegium, sicut obtinent Mendicantes, ex dictis *n.* 224. & alibi 5. *Religiosi Mendicantes* extra Italiam quoscunque seculares (sive Clericos, sive Laicos) pro foro interno, si percussio, licet enormis, sit occulta, & necdum ad forum contentiosum deducta. Revide, quæ diximus *cit. num.* 224. Mezger *loc. cit. num.* 15. *& seq.* aliique communiter.

542. Dico secundo. Violatores immunitatis localis non solum committunt duplex peccatum sacrilegii, & injustitiæ, sed etiam tenentur restituere Reum loco asyli, unde abstractus est, cum omnibus rebus inde ablatis, ac hodie ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. Sumuntur hæc *ex can.* 3. 6. 8. 10. *caus.* 17. *quæst.* 4. & specialiter quoad pœnam excom-

municationis ex Constitutione Gregorii XIV. sæpe allegata, quæ §. 8. sic habet: *Declaramus, eum (violator immunitatis localis) ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, aut immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per Sacros Canones, & Conciliorum Generalium, nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ.* Accedit, & maximum pondus addit Declaratio S. Congregationis edita *an.* 1617. & relata a Jacobo Pignatelli *tom. 2. consult.* 59. quæ ita sonat: *absolutio a censuris ob violatam immunitatem Ecclesiasticam, juxta Constitutionem Gregorii* XIV. Cum alias nonnulli, *est Sedi Apostolicæ reservata.*

543. Quæres primo, quinam in specie censeantur violatores immunitatis localis?

Respondetur. Ejusmodi violatores censentur Judex secularis mandans reum ex asylo extrahi, & ministri extrahentes; item qui extrahere conantur, ac attentant, & quicunque cooperantur, adeoque ut quis censeatur violator hujus immunitatis, & excommunicationi obnoxius, sufficit, quod extractionem Rei attentaverit, aut ad eam cooperatus fuerit, quamvis effectus, seu actualis extractio non sit reapse secuta; prout expresse habetur in Bulla altefati Pontificis, in qua declaratur, quod omnes, & singuli, *quamvis Dignitate prædit, qui contra tenorem Constitutionis, seu Bullæ aliquid* NB. *attentare præsumpserint,* ipso facto excommunicati sint, Ita DD. communiter.

544. Quæres secundo, an excommunicatio, quam violatores immunitatis localis incurrunt, sit reservata in Bulla Cœnæ?

Respondetur negative. Ratio est: quia in dicta Bulla non fit illius mentio, sed reponitur inter excommunicationes reservatas extra Bullam Cœnæ; prout patebit legenti catalogus excommunicationum reservatarum *n.* 216. *&* 221. allatos; ergo non debet censeri antefato modo reservata; præsertim cum opporteat odia restringere, non ampliare. Confirmatur. Confessarii Mendicantes extra Italiam hodiedum possunt absolvere violatorem immunitatis localis, puta extractorem Rei ex Ecclesia, vel Cœmeterio; cum tamen non possint absolvere ab ulla excommunicatione contenta intra Bullam Cœnæ; veluti patet ex Bulla Pauli III. cujus verba recitavimus *n.* 224. ergo signum est, quod ea excommunicatio non sit de reservatis in Bulla Cœnæ. Et hæc sententia etiamnum est secure practicabilis (quidquid cum aliis in contrarium sentiat P. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 49. *n.* 123.) & tenetur a Palao, Bonacina, multisque aliis relatis P. VViestner *lib.* 3. *tit.* 49. *n.* 184. Decreta SS. Pontificum (idem cogita de Declarationibus S. Congreg.) quæ adduci ab Adversariis in contrarium solent, vel loquuntur de excommunicatione incursa ob violationem immunitatis personalis, & realis; vel extra Italiam non protenduntur. Revide, quæ diximus *n.* 224. Interim licet Mendicantes hic obtineant potestatem absolvendi, illa tamen uti non debent, antequam violator asyli reum loco, unde eum abstraxerat, restituerit, feceritque satis Ecclesiæ læsæ, juxta communem.

Alias pœnas, queis a Jure tam Canonico, quam Civili præterea subjiciuntur immunitatis Ecclesiasticæ violatores, adducere supersedeo: quia vel non sunt in usu, vel a nostro foro alienæ. Lege desuper, si placet, Authores per decursum relatos, Reiffenstuel, Pichler &c.

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

545. Constantinus Sacerdos non acquisivit jus ad Parochiam proxime vacaturam, quam ei Episcopus conferre jurato promisit. 546. Conradus Parochus peccat contra præceptum residendi in Beneficio, dum omnia fere munia per Cooperatorem obit. 547. Conradinus Parochus, Religionem ingressus, tempore Novitiatus adhuc lucrifacit fructus beneficiales. 548. Carpophorus, Minoribus initiatus, & insignitus Canonicatu in quadam Ecclesia Cathedrali, ubi consuetudo obtinet, ut novis Canonicis primo anno nulli redditus, aut distributiones obveniant, non excusatur a recitatione Horarum. 549. Caprasius, adhuc in Minoribus agens, sed Beneficio dotatus, mortaliter peccat omittendo Horas, esto habeat intentionem non percipiendi, vel retinendi fructus. 550. Cosmas Canonicus, Horas sine omni attentione interna, peragens, mortaliter peccat; potest tamen probabiliter percipere fructus. 551. Castilius de modo recitandi Horas tria dubia proponit, quæ etiam ad ipsius instantiam resolvuntur. 552. Castilianus Parochus super recitatione Breviarii a P. Guardiano Lenzfridano dispensari nequit. 553. Cornelius rusticus multipliciter delinquit contra præceptum pendendi decimas; haud tamen idcirco potest a Parocho propria authoritate decimis spoliari, aut interdici aditu Ecclesiæ, & perceptione Sacramentorum. 554. Crescentianus, in die Parasceves personam Judæi sustinens, non incurrit excommunicationem Canonis, dum ex interno odio graviter percutit Crescentium Clericum, personatum Christum. 555. Cleophas, Superior Regularis, non contrahit pœnam excommunicationis, dum ex asylo extrudit Chrysostomum Monasterio damnosum. 556. Capistranus, Judex secularis, male procedit irruendo in ædes Cajetani Clerici, indeque extrahendo ejus concubinam; sicut & requirendo ab ipso expensas in captura, & custodia concubinæ factas; licite autem, supposita extractione, illam sistendo ad suum tribunal.

CASUS I.

545. *Constantinus Sacerdos, postquam Nepotem Episcopi, suæ instructioni, & moderationi concreditum, ultra biennium sedulo, & accurate literis, moribusque imbuerat, supplicat Episcopo pro Parochia sibi conferenda, ubi aliquam vacare contigerit: utque securius, ac certius sui voti damnetur, implorat, ac impetrat ea in causa patrocinium alicujus præpotentis, Episcopoque familiaris Domini, Episcopus non tam precibus Constantini, quam intercessione antedicti Domini flexus, jurato promittit Parochiam proxime vacaturam conferre Constantino. Quæritur, an Episcopus ad conferendam Constantino Parochiam proxime vacaturam sit obligatus, saltem vi juramenti promissioni adjecti?*

Respondetur negative. Ita P. Pichler *lib.* 3. *tit.* 8. *n.* 6. & alii communiter. Ratio est: quia promissio Beneficii proxime vacaturi (in quantum est collativa juris ad illud, prout in Casu accipitur) solitarie, & absque juramento facta, non solum est irrita, sed etiam illicita ex dictis *n.* 413. ergo juramentum illi additum non valet, adeoque nec aliquam obligationem producit. Conf. ostenditur: siquidem *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*; ut dicitur *c.* 58. *de R. J. in* 6. atqui juramentum in Casu pugnat contra bonos mores, cum versetur circa rem, seu actionem prohibitam, nempe circa promissam collationem Parochiæ proxime vacaturæ; ergo non est obligatorium.

Dices. Valet, & servari debet juramentum, quod servari potest absque præjudicio tertii: sed juramentum Episcopi in Casu servari potest absque præjudicio tertii: quia ejusdem observantia, cum respiciat tempus, quo aliunde vacabit Beneficium, nemini aufert suum jus; ergo servari debet.

Confirmatur. Valet juramentum adjectum pacto de futura successione in bonis viventis, per Jus Civile reprobato; ergo etiam valebit juramentum adjectum promissioni, per Jus Canonicum reprobatæ, qualis est promissio Beneficii vacaturi.

Respondetur ad arg. explic. & dist. maj. Si juramentum insuper servari possit absque alio peccato, con. secus, neg. maj. sed juramentum Episcopi in Casu servari potest absque præjudicio tertii, & insuper absque alio peccato, neg. secus, trans. min. & conf. Promissio Beneficii proxime vacaturi non solum irritata, sed etiam prohibita est per Jus Ecclesiasticum, quo adstringuntur Episcopi, & alii Papa inferiores; adeoque promittendo & nulliter, & peccaminose agunt: consequenter etiam jurando, cum juramentum nequeat esse vinculum iniquitatis. Dixi: *trans. min.* Potest enim simpliciter negari; cum juramentum in Casu servari non valeat sine præjudicio tertii, id est, Ecclesiæ, seu Juris Ecclesiastici.

Ad con-

Ad confirm. neg. conf. & parit. Disparitas est: quia Jus Civile pactum de futura successione in bonis viventis solum reprobat irritando, non autem prohibendo; consequenter juramentum appositum stare potest per se, & servari sine peccato, adeoque servari debet. Ast Jus Canonicum promissionem Beneficii vacaturi non solum reprobat irritando, sed etiam prohibendo; consequenter juramentum adjectum, cum versetur circa rem prohibitam, corruat, necesse est.

Instabis. Si Beneficium vacaturum sine peccato promitti non possit (ob quod juramentum promissioni adjectum pronunciavimus irritum) expresse, nec poterit tacite: sed potest tacite; ut patet, siquis recipiatur in Canonicum, quin ei statim Præbenda obveniat; tali quippe Præbenda proxime vacatura promittitur, *c. 9. & 19. de Præbend.* ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Nec poterit promitti tacite, promissione, quæ fiat ab Homine, transf. quæ fiat a Jure, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf. Locuti enim hucusque sumus de promissione Beneficii, quæ fiat ab Homine Papa inferiore, non vero de promissione, quæ fiat a Jure, qualis intervenit, dum quis obtinet Canoniam absque Præbenda; tali namque Præbenda proxime vacatura tacite addicitur non a Conferente Canonicatum, sed ab ipsomet Jure; ut supra. P. Krimer *lib. 3. tit. 8. n. 386.*

CASUS II.

546. *Conradus, parentibus æque divitibus, ac nobilibus ortus, & post absoluta literarum studia SS. Ordinibus initiatus, aspirat ad Parochiam, qualem etiam brevi ab Episcopo obtinet sat pinguem. Parochiale hoc Beneficium nactus, & munia Parochialia, sibi ceu quieta (ne dicam otiosa) vita assueto, nimis onerosa conspicatus, conducit Cooperatorem pro salario admodum liberali, per quem eadem munia fere omnia obit, ac perficit. Quæritur, an Conradus tuta conscientia id faciat?*

RESpondetur negative: sed peccat contra præceptum residendi in Beneficio. Garcias *part. 3. de Benefic. c. 2. n. 53.* Engel *lib. 3. tit. 4. n. 15.* Reiffenstuel *ibid. n. 85.* & alii communiter. Ratio est: quia residere in Beneficio, est Ecclesiæ deservire per se ipsum *ex c. 3. & 4. de Cleric. non resid.* sed hoc non præstat Conradus omnia fere munia obeundo per Cooperatorem, ut patet; ergo non residet modo per Jura præscripto; ergo peccat contra præceptum residendi. Confirmatur. Ne Beneficiatus, præsertim curatus, peccet contra præceptum residendi, debet residere formaliter, ac obsequiose, & non tantum materialiter, ac otiose, cum Beneficium detur propter Officium; prout advertimus *n. 424.* atqui id non facit Conradus in Casu; ergo &c.

Dices. Si Conradus non satisfaciat præcepto residendi, non potest percipere emolumenta Beneficiatorum residentium; imo incurrit pœnas non residentium.

Respondetur, seq. probabiliter negari posse. Ratio negandi est: quia licet Conradus non satisfaciat suæ obligationi in foro conscientiæ, cum non resideat modo per Jura præscripto; in ordine tamen ad amissionem emolumentorum, seu fructuum, aliasque pœnas evitandas sufficienter residere videtur, quatenus corporaliter residet, suisque sumptibus alimentat Cooperatorem, & curat, ut per eum munia Parochialia rite peragantur: sic enim obtinetur finis præcepti, videlicet cura animarum, rectaque gubernatio Parochianorum, quamvis non modo debito: quod videtur sufficere ad effugiendas pœnas, utpote restringendas, esto non sufficiat ad affugiendam culpam. Ita cum Garcia, & aliis P. Reiffenstuel *loc. cit. n. 87.* licet oppositum sit in rigore probabilius, & securius; prout judicat P. Engel *loc. cit. n. 16.* & alii.

Porro per responsionem ad Casum redditam non intendimus inficias ire, quin Parochus, si legitime impeditus sit, possit (vel etiam teneatur) constituere idoneum Cooperatorem, aut Vicarium, qui loco sui munia Parochialia obeat. Imo, cessante etiam legitimo impedimento, potest ad gerendam accuratiorem animarum curam, & officia Parochialia majori cum fructu administranda, Cooperatorem conducere, quocum munia dividat, vel etiam onerosiora eidem demandet; uti sunt tempore nocturno, vel pluvioso adire infirmos, Divina officia peragere in Ecclesiis filialibus &c. sic enim habet recepta consuetudo, optima Legum interpres: dummodo Cooperatore (ut jam insinuavimus) utatur discrete, nimirum tanquam socio laboris, & non tanquam homine, qui solus portet onus diei, & æstus: quemadmodum in Casu fecisse ponitur Conradus, utique merito culpandus. Reiffenstuel *loc. cit. n. 86.* cum Barbosa, & aliis.

CASUS III.

547. *Conradinus biennio Parochus, cum pericula salutis ex frequenti consortio secularium præsertim mulierum, expertus esset, decrevit Religionem intrare, ut in ea, veluti in asylo, securior viveret. Et quoniam singulari affectu semper ferebatur erga Religionem Seraphicam, hanc præ ceteris suo scopo assequendo idoneam ratus, P. Provincialem adiit, pro admissione supplicavit, acceptoque susceptionis verbo, a Reverendissimo D. Ordinario substitui in Parochia Vicarium petiit; eoque obtento, sacro Religionis habitu donatus, annum Novitiatus inchoavit. Quæritur, an Conradinus tempore Novitiatus etiamnum lucrifaciat fructus beneficiales?*

RESpondetur affirmative. Ita P. Franciscus Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 2. c. 3. num. 368. & seq.* estque communis sententia per praxim confirmata. Ratio insuper est: quia Conradinus pro tempore Novitiatus Parochiam retinet, nisi eandem sponte resignet, teneturque ex Parochiæ fructibus Vicario congruam præbere sustentationem, *c. 4. de Regular. in 6.* ergo signum est, quod fructus Parochiæ etiamnum faciat suos; alioquin ex iis sustentare Vicarium haud posset, ut de se patet. Videatur etiam *c. 34. de Elect. in 6.*

Si petas, an Conradinus in Casu etiam lucretur redditus Stolæ?

Respondetur affirmative. Ratio est: quia nec Jura *citt.* nec alia quidpiam excipiunt præter ea, quæ personalem exigunt præsentiam, quemadmodum exigunt distributiones quotidianæ. La Croix *lib. 4. num. 934.* & alii apud ipsum.

CASUS IV.

548. *Carpophorus, Minoribus initiatus, potitur Canonicatu in quadam Ecclesia Cathedrali, ubi consuetudo obtinet, ut novis Canonicis primo anno nulli redditus, nullæque distributiones obveniant, sed partim accrescant Canonicis antiquioribus, partim ad fabricam Ecclesiæ applicentur. Hinc recogitans corde illud Apostoli* 1. Cor. 9. *Qui Altari deservit, de Altari vivere debet, argumentum a contrario format, concluditque, se quippe de Altari non viventem, haud obligari ad Altari, seu Ecclesiæ deserviendum per Horarum recitationem: proindeque Breviario per illius anni decursum Ferias vacationum pro libitu indulget, esto non ignoret, id sedulo a sui similibus recitari. Quæritur, an Carpophorus contra præceptum recitandi Horas delinquat?*

RESpondetur (supposita justitia allegatæ consuetudinis) affirmative. Azorius *lib. 10. c. 4. q. 4.* Salmanticenses *tr. 16. c. 2. pun. 3. n. 45.* Babenstuber *loc. cit. num. 44.* & alii apud ipsos contra Tamburinum, Laymannum. Sporerum &c. Ratio fundamentalis est; siquidem voluntarie consentiens in aliquam obligationem, tenetur eandem subire, esto nullam inde mercedem recipiat: sed Carpophorus voluntarie consensit in obligationem recitandi Horas Canonicas; hoc ipso, quod voluntarie acceptaverit Beneficium, cui de se annexa est obligatio recitandi, & præsciverit (quemadmodum præscivisse supponitur) se per decursum primi anni fructibus cariturum; ergo &c. Confirmatur primo. Ex dicta causali Carpophorus secundum omnes tenetur assistere in Choro, aliaque Beneficii onera sufferre, quamvis nullas idcirco distributiones, aut fructus percipiat; ergo etiam tenetur recitare Horas &c. Confirmatur secundo. Qui voluntarie suscepit sacros Ordines, quorum susceptioni annexa est obligatio recitandi Horas, tenetur has recitare, licet nullum propter earum recitationem stipendium assignatum habeat; ergo similiter Carpophorus &c. Revide, quæ diximus supra *n. 450.*

C A S U S V.

Caprasius, adhuc in Minoribus agens, sed Beneficio satis pingui dotatus, quoniam est dives opum, non tam ex redditibus beneficialibus, quam ex hereditate paterna coacervatarum, perfrequenter Horas omittit, cum intentione tamen fructus beneficiales correspondentes non percipiendi, vel retinendi, utpote queis ad congruam suæ vitæ sustentationem non indiget. Quæritur, an Caprasius ea intentione Horas omittendo nihilominus mortaliter peccet?

REspondetur affirmative, Ita Cardinalis de Lugo *lib. 5. Respons. Moral. dub. 6, n. 2.* Sporer *loc. cit. n. 21.* Babenstuber *n. 45.* & alii passim. Ratio est: quia Caprasius, esto velit carere fructibus, haud tamen satisfacit, imo graviter contravenit fini ab Ecclesia in erectione quorumlibet Beneficiorum intento, qualis finis est exhibitio Divini servitii etiam per Horarum recitationem præstanda; ergo mortaliter peccat. Confirmatur, Parochus tenetur animarum sibi concreditarum curam gerere, & non gerendo mortaliter peccat, etsi nolit percipere fructus propter ejusmodi curam obventuros: quia nempe propter illam Parochiæ sunt erectæ; ergo etiam &c.

Dices. Obligatio recitandi Breviarium Beneficiato, adhuc in Minoribus constituto (uti est Caprasius) incumbit ob perceptionem fructuum; ergo si ejusmodi Beneficiatus perceptione fructuum abstineat, illa obligatio cessat.

Respondetur primo, hoc argumento, si bene pensetur, probari, Beneficiatum neque teneri ad recitationem Horarum, si ex propria culpa nullos fructus perciperet; cum & tunc fundamentum prædictæ obligationis, videlicet perceptio fructuum, corrueret: sequela autem est absurda, & communi DD. sensui contraria, ex dictis *n. 449.*

Respondetur secundo, transmisso antecedente, dist. cons. Si abstineat involuntarie, quemadmodum fit in casu per *n. 449.* allato, con. si abstineat voluntarie, quemadmodum fit in casu præsenti, & immediate præcedenti, neg. cons.

C A S U S VI.

550. *Cosmas, Ecclesiæ cujusdam Collegiatæ Canonicus, esto sit corpore in Choro præsens, & cum aliis psallat, corde tamen totus quantus alibi esse, & negotia a D. Officio prorsus aliena versare amat. Quæritur 1. An mortaliter peccet? 2. An teneatur ad restitutionem fructuum Horis correspondentium?*

REspondetur primo ad primam quæstionem, & membrum Casus, Cosmam mortaliter peccare, neque præcepto de recitandis Horis facere satis. Ita Authores innumeri, quorum complures retuli *part. 2. n. 270.* Ratio est 1. Quia recitatio Horarum, per quam satisfiat præcepto Horas recitandi, & evitetur peccatum mortale, debet esse vera oratio: sed Cosmas in Casu non vere orat; ergo &c. Maj. admittitur communissime. Min. prob. Nam Cosmas mente totaliter distractus orat; ergo non vere orat: cum vera oratio sit elevatio mentis in Deum, juxta illud *Joan. 4. Veri adoratores adorant Patrem in Spiritu.* Confirmatur: Si Cosmas non haberet intentionem saltem virtualem orandi Deum, vel integre, ac ordinate ponendi veram orationem, tanquam actum humanum, & moralem, non satisfaceret præcepto recitandi Horas, nec evaderet peccatum mortale; prout fatentur ipsimet Adversarii; ergo neque satisfacit, aut peccatum mortale evadit, dum non adhibet attentionem internam, ne virtualem quidem, in orando (uti non adhibere ponitur) cum intentio virtualis absque simili attentione nec primo elici, nec continuari valeat: prout ostensum ivimus *part. 2. n. 270. cit.* Revide ibi dicta. Ratio est 2. Quia dato, non concesso, essentiam orationis consistere posse sine attentione interna, hæc tamen præcipitur ab Ecclesia *in c. 9. de Celebrat. Missar.* pro recitatione Horarum; præcipitur quippe ibi directe in virtute obedientiæ, ut D. Officium diurnum pariter, & nocturnum persolvatur *studiose*, & *devote*: ubi studium designat curam debitæ prolationis externæ, seu verborum, devotio autem internam animi devotionem; prout explicat Glossa *ibid.*

Dices primo contra respons. ejusque probat. primam, Forma extremæ Unctionis est vera oratio, nimirum deprecatoria, tametsi absque omni attentione interna proferatur; ergo substantia orationis consistere potest absque interna attentione: consequenter &c. Cons. patet. Ant. prob. Quia alioquin Sacramentum extremæ Unctionis, absque interna attentione collatum, non esset validum.

Confirmatur. Qui coram Principe humano recitat sermonem vocalem, quem scit esse accommodatum ad aliquid petendum, idque facit ex intentione manifestandi suam indigentiam, is vere dicitur orare Principem, quamvis animo sit distractissimus; ergo idem judicandum de illo, qui ita se gerit coram Deo.

Respondetur ad argum. neg. ant. Ad prob. concedo seq. Ratio concedendi est: quia confectio valida cujuscunque Sacramenti debet esse actio humana, exercita in Nomine, & Persona Christi; quod non verificatur, si mente omnino distracta exerceri ponatur. La Croix *lib. 6. part. 1. numer. 84.* Unde non video, cur hic Author proposito argumento multum fidat *lib. 4. num. 1341.*

Ad confirm. neg. similiter ant. Nec refert, quod Princeps judicet se vere orari; in hoc quippe decipitur: qualis tamen deceptio in Deum, utpote cor hominis intuentem, cadere nequit.

His responsionibus rite perceptis, ac penetratis plura alia similia argumenta, quæ adhuc opponi possent, facili negotio dissolvuntur. Sed

Dices secundo contra respons. ejusque probat. secundam. Allegatum *c. 9. de Celebrat. Missar.* intelligendum venit de devotione solum externa; ergo exinde non deducitur, quod Ecclesia in recitatione Horarum requirat, & quidem præceptive, attentionem internam:

Respondetur, neg. ant. Ratio negandi est: quia devotio externa ibi præcipitur in verbis præcedentibus; *hæc, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus.* ubi prohibentur actiones devotioni etiam exteriori repugnantes. Quare per verba subsequentia, & præsertim per particulam *devote* præcipitur devotio interna; ut supra dictum.

Atque hanc sententiam in praxi omnino tenendam, & sequendam censeo, licet opposita a multis, & magni nominis DD. defendatur ut probabilis.

Respondetur nihilominus secundo ad secundam quæstionem, & membrum Casus, quod Cosmas ad nullam restitutionem obligetur. Toletus *lib. 2. c. 12. n. 6.* Malderus *tr. 10. c. 2. dub. 2. q. 4.* Henriquez *lib. 9. c. 25. n. 5.* Sanchez *lib. 2. Consil. Moral. c. 2. dub. 85.* Sporer *de Horis Canon. n. 88.* & alii plurimi. Ratio est: quia Concilium Lateranense, & S. Pius V. supra, dum propter culpabilem omissionem Horarum imponunt restitutionem fructuum, tantum loquuntur (ut legenti patebit) de non recitante, seu Horas absolute omittente; atqui Cosmas in Casu non potest dici Horas non recitare, seu absolute omittere; cum illas externe compositus recitet, licet interne distractus sit; ergo &c. Confirmatur. Verba Legis in odiosis, & pœnalibus stricte accipienda sunt; ergo cum verba Lateranensis, & S. Pii V. sint pœnalia, stricte accipienda sunt de absolute omittente Horas, non vero de recitante cum internis distractionibus; præsertim cum etiam tali externa persolutione precum, seu Horarum populus adhuc ædificetur, sicque fini ab Ecclesia intento aliqualiter satisfiat, per dicta *n. 471.*

Dices. Idem est recitare Horas sine ulla attentione interna, ac illas omnino non recitare; ergo sicut Beneficiatus illas omnino non recitans tenetur ad restitutionem fructuum, ita etiam recitans sine attentione interna.

Confirmatur. Recitatio Horarum non est vera oratio, si animo voluntarie distracto peragatur; ergo Ecclesia propter eam fructus non concedit &c.

Respondetur ad argum. dist. ant. In ordine ad culpam, trans. in ordine ad pœnam non percipiendi fructus, aut perceptos restituendi, neg. ant. & cons.

Ad conf. dist. itidem ant. Non est vera oratio simpliciter, id est, tam interne quam externe, qualis requiritur ad evitandam culpam, con. secundum quid, seu externe saltem, qualis requiritur, & sufficit ad effugiendam pœnam non percipiendi fructus, aut perceptos restituendi, neg. ant. & cons.

Instabis.

Instabis. Ergo etiam Beneficiatus recitans Horas cum distractionibus externis, potest percipere fructus.

Respondetur, neg. illatum. Nam taliter recitans, ne externe quidem vere orare censetur; populumque potius scandalizat, quam ædificet; adeoque fini Ecclesiæ nullo modo satisfacit: consequenter merito ab eadem æquiparatur Horas penitus omittenti.

Et hæc in favorem Cosmæ probabiliter dixisse sufficiat. Interim cum opposita sententia, quam tenent Suarez, Palao, & graves DD. sitque probabilis, aut forte probabilior, Confessarius recte faciet, Cosmam, si rigorem ferat, ad restitutionem obligando. Quod ut suavius, & minori cum onere præstet, percontetur ex eo, an non interea post illas Breviarii recitationes solitus sit eleemosynas largiri, & quantitas? Si sic, & eleemosynarum quantitas sit æqualis, seu commensurata quantitati fructuum restituendorum, Cosmas obligationi sibi impositæ jam satisfecisse dicendus est: quia ex una parte datur optio fructus beneficiales restitutioni obnoxios expendendi in pauperes, vel in fabricam Ecclesiæ, secundum dicta *n.* 464. ex altera vero parte censetur fuisse intentio Cosmæ, saltem implicita, obligationi jam habitæ satisfaciendi, licet de hoc expresse non cogitaverit. La Croix *lib.* 4. *numer.* 1215. & alii apud ipsum. Dixi autem: *post illas Breviarii recitationes*. Nam per donationes eleemosynarum antea factas non potuit satisfieri obligationi restituendi, quippe necdum contractæ. Unde Alexander VII. proscripsit *seq. propos. ord.* 33. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.*

CASUS VII.

551. *Castilius non solum in Theologia Morali, sed etiam in Rubricis bene versatus, utilis, & eruditis discursus gratia, sequentia dubia in medium affert. 1. An qui per errorem sive culpabilem, sive inculpabilem hodie recitavit Officium, quod primum aliquo ex posterioribus diebus recitandum erat, v. g. de S. Dominico, sit obligatus ad idem Officium denuo repetendum illo ipso die, quo vere occurrit? 2. An, qui hodie non recitavit Officium legitimum, v. g. de S. Francisco, teneatur illud repetere, & supplere alio die? 3. Quomodo se gerere debeat, qui ex errore recitavit hodie Vesperas de festo cras non incidente? Quænam ad hæc dubia resolutiones danda sunt?*

Respondetur. Ad primum dubium danda est resolutio affirmativa, Gobat *loc. cit. n.* 640. Stoz *n.* 398. & alii communius. Ratio est: quia Ecclesia onus recitandi Officium alligavit certo diei; non enim dum præcepit recitationem illius, præcise intendit, ut semel recitaretur in anno, sed ut determinate recitaretur hoc die, & non alio; ergo qui illud eo die, quo recitari ex præscripto Ecclesiæ deberet, non recitat, haud satisfacit obligationi de recitando tali Officio: consequenter tenetur (per se loquendo, & nisi oppositum de mente Ecclesiæ præsumi possit, uti non potest præsumi in casu præsenti) ejus recitationem repetere, & supplere eo die, quo cadit. Nec quidpiam suffragatur, si error forte fuerit inculpabilis: siquidem inde non fit, ut obligatio, alteri affixa diei, hodie exsolvi valeat; quemadmodum patet a simili, siquis jejunet hodie, bona fide putans esse Vigiliam, cum tamen hæc cras occurrat: talis quippe non satisfacit obligationi crastinæ, sed tenetur cras jejunium repetere, haud minus, ac si hodie non jejunasset.

Ad secundum dubium danda est resolutio negativa. Tamburinus *in Decal. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *n.* 29. Gobat *loc. cit. n.* 638. Sporer *n.* 126. & alii. Ratio est: quia obligatio recitandi Officium de S. Francisco est alligata huic diei, puta quarto Octobris (nisi forte alicubi authoritate Ecclesiæ secundum Rubricas in alium diem transferatur) ergo die illo transacto expirat, nec amplius stringit: consequenter suppleri non debet; imo nec potest cum effectu satisfactionis: sicut si hodie sit Vigilia, & non jejunes hodie, putans eadem Vigiliam incidere in diem crastinum, haud teneris, imo nec potes cum effectu satisfactionis, jejunium cras iterare.

Ad tertium dubium ajo, quod si ille suum errorem altero primum die, quo Festum cadit, advertat, debeat se conformare, & Matutinum, ac reliqua de Festo occurrente dicere: quia error non continuandus, sed corrigendus est, quantum fieri potest. Si vero errorem adhuc hodie advertat, distinguendum est. Vel enim error fuit culpabilis, vel inculpabilis? Si culpabilis; Vesperæ de Festo cras occursuro omnino dicendæ, & supplendæ sunt, cum hujusmodi error a tali onere non excuset: si inculpabilis; præsumi pie potest de benignitate S. Matris Ecclesiæ, quod non obliget ad iteratam recitationem Vesperarum: quamvis sit laudandus, qui iterat. Sed

Dices. Talis, licet errore inculpato laboraverit, non satisfecit præcepto recitandi; prout relinquitur ex dictis *n.* 466. ergo obligatur ad iteratam recitationem Vesperarum.

Respondetur enim, concesso antecedente, neg. conf. Quia oppositum pie præsumitur de voluntate Ecclesiæ ut dictum, & judicant Authores allegati, Lugo, Tamburinus, Gobat, Sporer ac alii passim.

CASUS VIII.

552. *Castilianus Sacerdos, & ultra quadraginta jam annos Pastor animarum suæ curæ concreditarum fidelissimus, utpote quas pavit verbo, & exemplo, paulatim incipit viribus, ad onera, & munia sua obeunda requisitis, destitui: præsertim vero conqueritur, se non parvam sentire difficultatem in recitando Breviario. Quod dum inaudit Capellanus, suadet ei, ut curet super hoc onere secum dispensari illudve in aliud onus suis viribus magis commensum commutari. Acceptat consilium Castilianus, & literas supplices pro impetranda dispensatione, vel commutatione exarat, ac mittit ad P. Guardianum Lenzfridanum. Quæritur, an P. Guardianus petito Castiliani annuere, & gratificari valeat?*

Respondetur negative. Ita P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 216. & alii communiter. Ratio est: quia nec P. Guardianus, nec alius Prælatus Regularis qua talis obtinet facultatem aliam dispensandi super recitatione Breviarii, vel hoc commutandi, quam cum Religiosis sibi subjectis; cum in Privilegiis Regularium de nulla alia fiat mentio; neque ex consuetudine, vel alio titulo amplior facultas, & quæ porrigi ad Clericos Sæculares possit, Prælatis Regularibus (multo minus Confessariis inferioribus, etsi Mendicantibus) inesse comprobatur. Recurrere ergo Castilianus debet ad suum Reverendissimum Ordinarium, nisi difficultas, quam in Horis recitandis persentiscere solet, præbeat causam certo exemptivam a recitatione: hoc quippe casu nulla dispensatione, vel commutatione opus erit. Porro an difficultas Castiliani tanta sit, ut de se, & certo sufficiat ad ipsum a recitando Breviario excusandum, dijudicare, & declarare poterit non solum P. Guardianus, sed quilibet Confessarius, imo & Medicus, aut alius rei intelligens. Revide, quæ diximus *n.* 477.

CASUS IX.

553. *Cornelius rusticus, verum plus æquo tenax, subinde fructus deteriores pro decimis elegit; subinde non integros reddidit; subinde a solo separatos, & collectos in agro reliquit, Parocho desuper non monito, & semel eosdem proprio suo horreo illatos, omnino detinuit, & pendere recusavit. Queis tandem irritatus Parochus Cornelio decimas eripere per vim attentavit, ac resistentem aditu Ecclesiæ, & perceptione Sacramentorum interdixit. Quæritur 1. Qualiter judicandus sit Cornelius? 2. An Parochus legitime processerit?*

Respondetur primo, Cornelium in singulis actionibus recensitis peccasse graviter, vel leviter pro ratione materiæ, seu damni, & injuriæ Parocho illatæ. Itaque peccavit, pro decimis eligendo, & dando fructus deteriores. Ratio est, quod ab Ecclesia in sustentationem Parochi determinata sit illa pars, quæ inter fructus ordine est decima; ergo citra injuriam damnosam eligi non potest alia deterior, v. g. alius manipulus, ordine octavus, vel septimus, decimo deterior. Eligendus igitur pro decimis est manipulus decimus, sive dein sit ceteris deterior, sive melior, prout fors tulerit, *c.* 2. *caus.* 16. *q.* 7. P. Schmier *lib.* 3. *tr.* 1. *part.* 3. *c.* 3. *n.* 165. & alii passim.

Peccavit idem Cornelius fructus prædiales (de qui-

bus in casu sermo est) non integros reddendo, sed detrahendo v. g. æstimationem seminis, expensas factas in colendo agro &c. Ita expresse habetur in *c. 26. de Decimis:* & docetur a Reginaldo *l. 19. n. 101:* aliisque communiter. Antequam vero assignetur ratio probativa, notandum, duplicem esse acceptionem fructuum prædialium; unam *naturalem*, secundum quam omne illud fructus appellatur, quod e terra gignitur, quamvis aliquo impendio constet; & alteram *juridicam*, secundum quam illud solum in fructibus computatur, quod superest detractis expensis. *L. 3. ff. soluto Matrim.* Ratio nunc asserti est; quia decimæ prædiales (& aliæ reales) ab Ecclesia imperantur eo modo præstandæ, quo præstari debeant in Lege Mosaica: sed in hac debeant præstari naturaliter, seu juxta acceptionem naturalem fructuum; cum tunc juridicæ subtilitates necdum essent excogitatæ, & nomina vulgari sensu acciperentur; ergo &c. Accedit quod in aliis quoque pensitationibus, & tributis, sine detractione sumptuum, fructus præstari soleant. *arg. L. 27. in princ. ff. de Usufruct.* Et certe si hoc tempore, ubi fruges subinde vix æquant impensas (juxta illud tantum: *lucrum aratri aratrum consumit*) fructus prædiales juridice computarentur, aut nullæ prorsus decimæ Parochis quandoque obtingerent, aut non nisi tenuissimæ.

Idem (ut jam insinuatum) de aliis decimis realibus, seu solvendis ex aliis rebus, quam prædiis, sentiendum est. Unde quando decimæ solvendæ sunt ex elocatione ædium, ex molendinis, piscinis, aliisve rebus, non possunt deduci expensæ in earum reparationem, aut meliorationem factæ. *c. 22. & 28. de Decimis.*

Aliter sentiendum de decimis personalibus: hæ quippe in Lege Mosaica erant incognitæ; ut testatur Toletus cum communi DD. & primum fuerunt introductæ, ac additæ in Lege Evangelica, sensu a Juristis tunc usitato, seu juxta acceptionem juridicam, juxta quam fructus censentur illi tantum, qui remanent sumptibus detractis: sicut & aliæ pensiones a decimis diversæ, v. g. donationis, legati &c. Ecclesiæ faciendæ computantur. *cit. c. 28. de Decimis* Hinc mercator non ex toto pretio mercium, sed tantum ex lucro decimas debet.

Peccavit prætetea Cornelius, non quidem (1.) relinquendo fructus in agro, sed (2.) non monendo Parochum. Ita Laymann *lib. 4. tr. 6. c. 5. num. 2.* & alii apud ipsum. Ratio primi est: quia Jure communi nihil tale statutum reperitur, saltem clare, vi cujus fideles teneantur fructus devehere in horreum Parochi; ergo hæc obligatio, cum sit satis onerosa, non est asserenda: nisi forte aliud obtineat de consuetudine. Ratio secundi est: quia decimæ, quæ ex terra, seu solo oriuntur, statim atque a solo separatæ, & collectæ sunt, Parocho offerri debent, *c. 7. de Decimis*, & *c. 22. Exodi*, ibi: *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere;* ergo tunc statim monendus est Parochus, ut illas auferat; sic enim exigit fidelitas. Quod si Parochus auferre negligat, periculum decimarum ipsius erit, non parochiani. Dixi: *quæ ex solo oriuntur.* Nam fœtus animalium dandi sunt, quando non amplius indigent lacte matris: aliæ denique decimæ tempore consueto, vel per conventionem constituto, præstari debent: pro quibus universalior, & melior regula dari non potest, quam ut caveatur, ne mora sit damnosa Parocho, inquit Illsung *tr. 5 disp. 2. q. 3. art. 4. n. 250.* Nec est necesse, ut Parochus sive has, sive illas decimas eo tempore exigat, aut sibi solvi petat: siquidem dies ipsa, sive tempus solutionis pro creditore interpellat. Laymann *loc. cit. n. 1.* & alii communiter.

Respondetur secundo. Parochus in neutro casu bene processit. In primis enim erravit, & peccavit, propria authoritate decimas sibi debitas invadendo, & Cornelio reluctanti extorquere attentando. Pirhing *de Decimis n. 26.* VVex *ibid. q. 8. n. 13.* Babenstuber *loc. cit. art. 2. n. 4.* & alii passim. Ratio est: quia non tantum res sibi non debitas invadere, sed etiam debitas privata authoritate extorquere a possessore renitente haud licet per textus in *c. 5. 6. & 7. de Restit. spoliat. ac l. 7. C. unde vi.*

Insuper erravit, & peccavit Parochus Cornelium propria authoritate interdicendo aditu Ecclesiæ, & perceptione Sacramentorum, saltem omnium. Fagundez *de Primit. & Oblat. lib. 4. c. 1. n. 8.* Laymann *loc. cit. n. 3.* Reiffenstuel *num. 39.* Ratio est: quia Concil. Trid. *Sess. 25. cap. 12. de Reform.* jubet, ut parochianus, in solvendis decimis morosus, deferatur ad Episcopum, per quem compellatur ad solutionem earum, & si eandem dare detrectaverit, post trinam admonitionem Canonicam excommunicetur: id quod per Parochum, quippe jurisdictione fori externi destitutum, non potest fieri. Accedit, quod Parochus non debeat esse Judex in propria causa. Dixi: *saltem omnium.* Nam si crimen Cornelii notorium esset, v. g. notorietate facti, ut si publice protestatus esset, se scire debitum decimarum, nolle tamen ex odio erga Parochum, aliove simili motivo, illi satisfacere, utique potest, imo debet Parochus Sacramentum Eucharistiæ eidem denegare: ut notat Laymann *loc. cit. numer. 4.* & patebit ex alibi dicendis.

Ceterum ut amplius pateat, quomodo numeratio decimarum, de qua supra aliquid tactum est, fieri debeat, juvat transcribere verba P. Francisci Schmier *loc. cit. a n. 180.* ubi ita habet: numeratio decimarum sic facienda est, ut ex frumento semper decimus manipulus; ex vino decima amphora; ex fructibus arborum decima mensura; ex pecorum fœtibus decimum caput præstetur. Quod si post decimum manipulum v. g. remaneant adhuc aliquot infra decem, de isto residuo infra decem nec illo anno quidpiam penditur, nec anno sequenti compensatur; eo quod obligatio decimarum singulis annis terminetur, nec plus debeat solvi, quam decima pars ex decem. Per hoc tamen non prohibetur decimator facere numerationem manipulorum de uno agro in alium; adeo, ut, si in uno tantum collecti sint septem, vel octo manipuli, in altero plures, cum illis conjungendi, & ex cumulo decimus quisque manipulus sit detrahendus: siquidem agri, quatenus sunt decimabiles, collective magis, quam distributive considerantur. Quamvis nec hoc casu videatur æquum, ut decimatio fiat a specie unius agri ad speciem alterius agri notabiliter diversam, v. g. ab avena, vel hordeo ad triticum: quia non licet facere computationem seu numerationem continuam in fructibus adeo disparatis. Ita cum P. Friderich, Universitatis Ingolstadiensis olim Professore insigni, sæpe laudatus P. Schmier in terminis.

CASUS X.

554. Crescentianus, Rhetorices Studiosus, a Crescentio Clerico Seculari irritatus, erga hunc concepit, fovitque occultum in pectore odium septimanis non paucis, in omnem interea occasionem intentus, qua illud proderet: cumque inaudisset, Crescentium in die Parasceves sub Processione personam Christi acturum, ut pareret, quod hactenus parturierat, ipse personam Judæi assumpsit, & personatum Christum, quem probe cognoverat, acriter percussit, caputque ipsius, ac tergum validis verberibus sat crudeliter dedolavit. Quæritur (an Crescentianus incurrerit excommunicationem Canonis?

RESpondetur, quod probabilius non incurrerit. Ita P. Pichler *lib. 5. tit. 39. n. 37.* Ratio est: quia ut hæc censura incurratur, percussio Clerici debet eidem, & Statui Clericali esse *exterius* graviter injuriosa: sed talis non fuit in illis circumstantiis percussio, qua Crescentianus percussit Crescentium; ergo &c. Min. patet pensatis circumstantias. Maj. ostenditur: siquidem ex dictis *n. 109.* censura regulariter non incurritur, nisi delictum, ob quod lata est, sit omnimode perfectum: atqui percussio Clerici non est omnimode perfecta, nisi sit graviter injuriosa etiam *exterius*; ergo &c.

Dices. Ideo percussio in Casu non fuisset Crescentio exterius graviter injuriosa; quia hoc ipso, quod egerit personam Christi in die illo, censebatur in sui percussionem consensisse: sed hæc ratio nulla est; partim quia Clerico, etiam in sui percussionem consentienti, ac præsertim Statui Clericali, adhuc fit injuria, ex dictis *n. 513.* partim quia Crescentius non consenserat in percussionem adeo excessivam, & ex odio procedentem; ergo &c.

Respondetur, neg. causalem maj. Sed ratio est, quod etiam prudentes, consideratis temporis, sanctæ consuetudinis, & Crescentii antedicto modo personati circumstantiis, non apprehenderint excessum percussionis, ut ut gravem, pro excessu contra Justitiam, sed potius pro

tius pro excessu contra Modestiam, vel etiam Charitatem. Unde illa percussio in morali hominum æstimatione, ac exterius non censetur fuisse gravis in ratione injuriæ, & læsæ Justitiæ, quamvis censeatur fuisse talis in ratione læsæ Modestiæ, vel etiam Charitatis erga proximum, seu Crescentium percussum.

C A S U S XI.

555. Cleophas, in quodam Conventu Regularium Prior Chrysostomum Studiosum, qui commensalem suum lethali vulnere læserat, confugientem ad asylum admittit, & per aliquot dies, imo hebdomades, humaniter tractat. Sed quoniam successu temporis advertit, quod Chrysostomus, ceu homo inquietus, & injuriosus, Regulares perturbet, iisque damna tum temporalia, tum spiritualia inferat, eundem amandat, atque extrudit a Monasterio; qui & a satellitibus capitur, ac de mandato Judicis (nam læsus interea obierat) carceri mancipatur. Quæritur, an Cleophas excommunicationem contrahat?

Respondetur negative. Ratio est primo: quia jus servandi propriam habitationem est naturale, præferendum Juri Ecclesiastico, quo gaudet reus confugiens ad Monasterium, ne alias, quod Regularibus, ac Ecclesiæ conceditur in favorem, retorqueatur in dispendium. Ratio est secundo: quia excommunicatio fertur in sæpe *cit.* Bulla Gregorii XIV, *contra præsumentes*, quales sunt illi, qui temere, & dolose reos ex asylo expellunt: atqui in dicto casu Cleophas non expellit reum temere (nam agere temere est agere sine rationabili causa. *l. eum, qui temere. ff. de Judic.*) & dolose (dolo enim dicitur agere, qui malo animo operatur. *l. dolo. ff. de dolo*, nec dolosus habetur, qui utitur jure suo. *Reg. 55. de R. J.*) ergo &c. Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 38.* Salmanticenses *tom. 4. tr. 18. de Privil. c. 3. pun. 3. n. 118.* Pelizarius *tom. 8. cap. 5. sect. 1. n. 54.*

C A S U S XII.

556. Capistranus, Judex Secularis, cum ex certis testimoniis rescivisset, Cajetanum Clericum vivere in concubinatu, cum apparitoribus suis in ejus ædes irruit, concubinam extraxit, extractam suo tribunali sistit, & ream inventam per mensem in custodia detineri jussit. Mense elapso liberam dimisit, addita prohibitione, ne posthac Cajetano cohabitaret, vel ejus domum amplius accederet. Porro a Cajetano requisivit expensas tam in captura, quam in custodia concubinæ factas. Quæritur, an Capistranus licite processerit?

Respondetur primo. Capistranus illicite processit (1.) irruendo cum apparitoribus in ædes Cajetani, indeque extrahendo concubinam; sicut & (2.) requirendo ab ipso expensas in captura, ac custodia concubinæ factas. Laymann *lib. 4. tr. 9. c. 4. n. 11.* Burghaber *centur. 3. cas. 86.* Sanct-Gallenses *de Immunit. dub. 3. conclus. 3.* & alii communiter. Ratio primi est: quia Capistranus irruendo in ædes Cajetani, & concubinam inde extrahendo, usurpavit violentiam adversus Ecclesiasticum: id quod Judici Seculari non licet. Ratio secundi est: quia Capistranus Cajetanum condemnando in expensas judicium tulit, saltem indirecte, de crimine Cajetani, qui tamen, ceu persona Ecclesiastica, Foro, & Judicio laicali non suberat.

Respondetur secundo. Capistranus, supposita extractione concubinæ, probabilius non processit illicite, eandem ad suum tribunal sistendo. Ita Covarruvias *qq. practic. c. 34. n. 2. circa fin.* Julius Clarus *qq. practic. c. 6. n. 6.* Burghaber *loc. cit.* & alii contra communiorem. Ratio sumitur ex *l. Siquis uxori, ff. de furtis in princ.* ubi dicitur, quod socius criminis non gaudeat privilegio socii; ergo licet Cajetanus gavisus sit privilegio exemptionis a jurisdictione laicali, non sequitur eodem gavisam quoque esse concubinam. Confirmatur. Si duobus fratribus, quorum unus est Clericus, alter Secularis, obveniat hæreditas, solus Clericus a solutione tributorum exemptus est; ergo idem sentiendum est circa punctum delicti, duobus, vel pluribus communis, in ordine ad exemptionem a foro seculari. Accedit praxis Judicum secularium, qui passim (ut fatentur ipsimet Adversarii, Menochius, Laymann, Sanct-Gallenses &c.) contra concubinas, & mulieres suspectas procedere solent: quæ praxis non videtur improbanda; modo (secundum dicta) caveatur violenta illarum extractio ex ædibus Clerici, ex Ecclesia &c.

Dices primo. Juxta regulam generalem traditam a DD. in *l. Nulli C. de Judic.* quando duo, vel plures simul delinquunt, omnes ab eodem Judice judicandi sunt: cum autem Judex Ecclesiasticus sit dignior Laico, ad ipsum pertinebit in nostro casu utrunque reum judicare: consequenter &c.

Respondetur, hoc argumentum retorqueri posse ex dictis in ratione probativa. Deinde ut Leges Legibus concilientur, dici potest cum P. Burghaber *cit.* legem, ab Adversariis allegatam, esse intelligendam, quando causam nullam, vel saltem non commodam patitur divisionem; qualis non est causa, de qua in casu sermo erat.

Dices secundo. Capistranus ante omnia tenebatur concubinam restituere in ædes Cajetani, saltem si hæ gaudebant jure asyli; ergo etiam supposita extractione concubinæ illicite processit, eam sistendo ad suum tribunal.

Respondetur, neg. ant. Nam dato, quod ædes Cajetani gavisæ sint jure asyli (ut si ab Ecclesia non fuerint dissitæ ultra viginti passus, secundum dicta *n. 521.*) non tamen eo gaudebant, nisi respectu confugarum, gravatorum aliquo crimine, mortem, mutilationem, aut pœnam æquivalentem, vel carcerem, aut vincula promerito; prout tradidimus *n. 524.* tale autem crimen non est concubinatus: quamvis sit sufficiens, ut persona ejusdem rea in simplici custodia detineri, vel alia etiam pœna mitiori, præsertim spirituali, plecti valeat. Videatur P. Engel *lib. 5. tit. 16. a n. 21*

DISPUTATIO II.

De Statu Regulari.

Quantæ perfectionis, dignitatis, ac eminentiæ Status iste existat, percipere vel inde licet, quod in eodem constituti, seu Regulares, longe strictiori attineantur obligationis vinculo ad Deum laudandum, ad illi serviendum, ad ipsum amandum, in suo quisque Cœnobio, ac si mansissent in Seculo. Quamobrem & educantur, non uti Seculares, sed modo speciali sustentantur a Deo, ad instar Tribus Leviticæ, de qua *Deut. 10.* scriptum est: Eleazarus *separavit Tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius: quamobrem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis; quia ipse Dominus est possessor ejus.* Quod Regularibus aptissime accomodatur: sicut illud, quod *Deut. 7.* legitur: *Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* De perfectissimo hoc, ac eminentissimo Statu per plura Capita differemus.

C A P U T I.

Quid, & quotuplex sit Status Regularis.

S U M M A R I U M.

557. & seq. Describitur Status Regularis, & assignantur requisita ad ejus substantiam. 559. & seq. Equites Hispani S. Jacobi &c. & Tertiarii Ordinis S. Francisci, qui non emittunt tria vota substantialia Religionis, veris Religiosis accenseri nequeunt. 561. Status Regularis substantialiter est unicus; accidentaliter vero multiplex. 562. Hæc accidentaria multiplicitas, seu varietas Ordinum Religiosorum est Ecclesiæ Catholicæ valde proficua. 563. Necessario secum fert inæqualitatem accidentariæ perfectionis inter dictos Ordines. 564. Nemo per se loquendo tenetur Religionem ingredi, vel profiteri.

557. Dico primo. Status Regularis, seu Religiosus (Ordo Religiosus, sive Religio: hæc quippe ipsa coincidunt, & accipiuntur promiscue)

miscue) *est fidelium ad Christianæ vitæ, & Charitatis perfectionem tendentium, editis tribus votis voluntariæ Paupertatis, perfectæ Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ, stabilis in communi, & secundum certas Regulas vivendi modus, ab Ecclesia debite approbatus*, Ita DD. communiter. Ex qua descriptione

558. Colliges primo, ad Regularis Status substantiam quatuor requiri. Primum est *speciale studium* voluntariæ Paupertatis, perfectæ Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ: siquidem per istas tres virtutes homo se, suaque omnia plene consecrat Deo, per Paupertatem quidem res temporales, per Castitatem corpus, per Obedientiam vero animam: quod est tendere ad perfectionem Christianam, ad quam Religiosus tendere specialiter obligatur, cum Religio dicatur, & sit *Status perfectionis*. Secundum sunt *vota dictarum virtutum*, eaque ex se perpetua; quia ad naturam Religiosi Instituti requiritur stabilitas irrevocabilis, & irretractabilis, saltem ex parte voventis: quod Ideo additur; quia ad substantiam Status Religiosi non requiruntur vota *solemnia*, in quibus fit mutuus contractus, vi cujus tam Religio se obligat Religioso, quam Religiosus Religioni, sed spectato saltem Jure novo, sufficiunt *simplicia*, in quibus se aliquis Religioni, non autem Religio ipsi se obligat, modo Religio acceptet vota: prout fit in Scholasticis Societatis Jesu, qui juxta Bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino*. editam an. 1584. sunt veri Religiosi, quamvis Superiorum authoritate iterum dimitti queant. Tertium est *submissio* in potestatem, & jurisdictionem alicujus Superioris, ad servandas certas Regulas, & memorata vota compellere potentis. Quartum est *approbatio Ecclesiæ*, scilicet S. Pontificis, talem modum vivendi non solum tolerantis, aut quomodocunque approbantis, sed approbantis in vim veræ Religionis. Præter hæc quatuor nihil aliud ad essentialem perfectionem Status Religiosi desideratur: illis nanque positis, remotis ceteris, consurgit immutabile vitæ Institutum fidelium ad perfectionem Christianæ Charitatis tendentium &c. Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 1. n.15.* alii communiter.

559. Colliges secundo, Equites-Hispanos S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ &c. (aliud sentiendum de Equitibus Teutonicis, Melitensibus &c. prout infra patebit) non esse Religiosos stricte, & proprie dictos. Engel *de Regular. numer.* 8. Pirhing *ibid. num.* 5. & alii passim. Ratio est: quia non vovent Castitatem perfectam, sed conjugalem duntaxat, addita obligatione certis diebus abstinendi a copula conjugali; ut Authores scribunt; ergo carent uno ex requisitis ad substantiam Status Religiosi: Accedit, quod Christus ipse *Matt.* 19. a perfectis Discipulis, de quarum classe vel maxime sunt Religiosi proprie dicti, non modo uxores non duci, verum etiam ductas relinqui velit. Quando autem iisdem Equites a Summis Pontificibus appellari subinde solent Religiosi, id in sensu latiore accipiendum est. Porro ex privilegio Apostolico veniunt nomine personarum Ecclesiasticarum, & harum juribus, ac privilegiis fruuntur.

560. Colliges tertio, etiam Tertiarios S. Francisci, qui non emittunt (aliud est de emittentibus) tria vota substantialia Religionis, accenseri haud posse veris Religiosis; sive dein degant in Statu Cælibatus, sive in Statu Conjugii. Ratio fluit ex immediate dictis. Quando autem iidem Tertiarii accenseantur personis Ecclesiasticis; immunitate Ecclesiastica gaudentibus, relinquitur ex dictis *n.* 503.

561. Dico secundo. Status Regularis, seu Religio, superius descripta, licet substantialiter sit unica, cum omnes Ordines Religiosi in antedictis substantialibus conveniant; accidentaliter tamen, nempe secundum speciales fines, & Regulas tanquam media ad illos pervenicndi, est multiplex. Sic alia Religio est *Contemplativa*, quæ ex instituto suo principaliter ordinatur ad contemplationem rerum cælestium, Deoque vacandum per orationem, sacram lectionem &c. uti Religiones SS. Benedicti, Bernardi, Brunonis &c. Alia est *Activa*, quæ ex instituto suo principaliter ordinatur ad vitam activam, seu ad vacandum proximo propter Deum per opera Charitatis, & Misericordiæ vel corporalia, vel spiritualia; uti Ordines Militares Equitum Teutonicorum, Melitensium seu Rhodiensium &c. qui habent tria vota substantialia, Fratrum Misericordiæ &c. Alia est *Mixta*, quæ utranque vitam, contemplativam, & activam, complectitur; uti Ordines Dominicanorum, Franciscanorum, Jesuitarum &c. Alia rursus Religio est *Clericorum*, nempe Regularium, quæ ex instituto suo principaliter ordinatur ad obeunda ministeria Clericis propria: alia *Monachorum*, quæ ex instituto suo principaliter ordinatur ad vivendam vitam solitariam: alia *Mendicantium*, cujus professores nequeunt ex primæva institutione bona immobilia, etiam in communi, possidere; ut Dominicani, Franciscani, Carmelitæ &c. quamvis omnes ex dispositione Trid. *Sess.* 25. *c.* 3. *de Regular.* bona immobilia, eorumque dominium in communi obtinere, & habere possint, exceptis *Minoribus*, id est, Franciscanis, suam Regulam sine relaxatione Pontificia, & stricte observantibus, ac Capuccinis; quibus accensetur *Domus professa* Jesuitarum.

562. Colliges primo, Ecclesiæ Catholicæ sicut maximo ornamento, ita valde proficuam esse hanc Ordinum Religiosorum accidentariam varietatem. Siquidem hac ratione quam plurimis patet via ad statum perfectionis, quibus alioquin fuisset præclusa; nam qui non est idoneus ad unum genus vitæ, est saltem idoneus ad aliud: consequenter &c.

463. Colliges secundo, quod eadem varietas Ordinum necessario secum ferat inæqualitatem accidentariæ perfectionis inter eosdem. Nam Ordo *vitæ contemplativæ* est perfectior Ordine *vitæ activæ*: quia, Christo Domino teste, meliorem partem elegerit Maria Magdalena, quæ vitæ contemplativæ, quam Martha, quæ vitæ activæ dedita erat. Porro Ordo *vitæ mixtæ* in perfectione supergreditur Ordinem non modo vitæ pure activæ, sed etiam pure contemplativæ; tum quia proximius accedit ad doctrinam, & exemplum Christi, atque Apostolorum: tum quia præstantius est contemplari cælestia, eaque simul in aliorum salutem transfere, quam tantum vacare contemplationi, propriæque saluti; sicut melius est, majorisque virtutis argumentum, lucere simul, & illuminare, quam lucere tantum.

564. Colliges tertio, neminem per se loquendo teneri Religionem ingredi, vel profiteri. Trid. *Sess.* 25. *c.* 18. *de Regular.* Ratio est: quia Consilia, etiam Evangelica, qualia sunt virtutes voluntariæ Paupertatis, perfectæ Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ, non obligant ad sui sequelam; & Christus ipse hanc arduam vitæ rationem in cujuslibet libera electione constituit *Matth.* 19. ubi inquit: *si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & sequere me*. Unde Trid. *loc. cit.* excommunicationis fulmine ferit cogentes feminam ad ingressum, vel professionem Religionis. Dixi: *per se loquendo*. Excipiuntur enim duo casus in Jure expressi. Primus est, siquis sponte Religionem voverit: talis quippe ad votum implendum compelli potest. Secundus est, si conjux conscius dispositionis Juris consentiat, ut alter Religionem ingrediatur: tunc nanque compelli ad ingressum & ipse potest. Ita, cum Lessio Sanct-Gallenses *tom. 7. tr. 2. sect. 2. dub. 2. in fin.*

CAPUT II.

De Novitiatu Regularium.

UT quis a Seculo, & laxiori vita ad Religionem, & strictiorem disciplinam media professione transire valeat absque suo, & Religioni discrimine, vel detrimento, præmittenda est probatio, Novitiatus, & tyrocinium Religiosum, in quo tam recens conversus præsentiscat Religionis onera, & gravima post Professionem absque spe relaxationis sufferenda, quam Religio capiat de moribus, & indole conversi experimentum, sitne ad Statum, quem per Professionem amplecti intendit, vere idoneus, nec ne? Hæc probatio, & Novitiatus durare debet per annum, ut jam jam videbimus. Sit igitur

ARTI-

ARTICULUS I.

Qualiter annus Novitiatus transigi debeat, ut viam sternat ad Professionem?

SUMMARIUM.

565. Annus Novitiatus debet transigi integre integritate mathematica, & continue. 566. Solvitur objectio. 567. Assertio etiam procedit de Religiosis ad aliam Religionem transeuntibus. 568. Quando annus Novitiatus censeatur interrumpi? 569. Idem tamen annus non necessario transigendus est in Monasterio, vel Habitu Religioso. 570. & seqq. Solvuntur objectiones.

565. Dico primo. Annus Novitiatus (idem cogita de anno decimo sexto ætatis) regulariter, & spectato Jure novo (1.) transigi debet integre integritate mathematica, seu a momento ad momentum, & (2.) continue, seu absque interruptione. Ita DD. communiter, paucis exceptis, quoad primam partem respective contradicentibus.

Probatur prima pars tum ex Concil. Trid. *Sess. 25. c. 15. de Regular.* ibi: *Nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum Habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Atqui reputatur minus tempus anno, si non omnes istius horæ sint mathematice, seu a momento ad momentum completæ; ergo &c. Tum ex ratione: quia mathematica temporis computatio toties requiritur, quoties cedit in favorem illius, cujus interest: sed impræsentiarum mathematica computatio cedit in favorem cum Religionis, tum Novitii, quorum interest; cum enim (ut loquitur Peyrinus *tom. 2. q. 3. c. 1. §. 4. n. 96.*) qualibet hora fungi nascantur, potest dari in illa hora talis occasio, quæ & Religioni suadeat, ut Novitium expellat, & Novitio, ut sponte egrediatur; ergo &c.

Dixi in concl. *regulariter*; nam ex privilegio Pontificio oppositum fieri potest, ac solet in articulo mortis; veluti dicemus infra *n. 640.* Dixi præterea: *& spectato Jure novo:* siquidem spectato Jure antiquo aliter ratiocinandum foret; quemadmodum videre est apud Kerckove *super nostra Statuta General. cap. 1. §. 11. num. 1.* Krimer *lib. 3. tit. 31. n. 1676.* & alios Authores passim.

Probatur secunda pars itidem ex Trid. *cit.* Nam quoties in aliquo decreto determinatur *tempus*, id necessario debet esse continuum; ut habet *Glossa in fine rubricæ, ff. de divers. & tempor. Præscript.* & *c. 2. v. per annum de temp. Ordin. in 6.* cum ergo Tridentinum supra petat integrum Novitiatus annum ad Professionis valorem, is necessario debet esse continuus.

566. Objicies contra primam partem. In moralibus parum pro nihil reputatur; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Quando Lex non aliter disponit, transf. quando aliter disponit, neg. ant. & conf. Quando Lex generaliter loquitur, quemadmodum loquitur Lex Tridentini supra, etiam minimum includit.

567. Quæres primo, an annus Novitiatus debeat compleri etiam a Religiosis, de una Religione ad aliam transeuntibus?

Respondetur affirmative. Ita Rodriquez *tom. 3. q. 15. art. 11.* Kerckove *loc. cit. n. 6.* & alii communiter. Ratio est: quia Trid. supra absolute, & sine exceptione statuit, ut Professionem antecedat integer annus probationis, sive Novitiatus: cum ergo hujusmodi Religiosi in illa Religione, ad quam transierunt, Professionem emittere debeant (supposito, quod in eadem perseverare velint) necesse est, ut integrum probationis annum præmittant. Confirmatur. Tales Religiosi intendunt profiteri diversam Religionem; ergo eandem probatum eant, necesse est, & vicissim probentur a Religione (per integrum annum a Tridentin. præscriptum) cum sæpe contingat aptum uni Religioni, esse ineptum alteri.

Dices. Leo X. apud Rodriquez *loc. cit.* transeuntibus de una Religione ad aliam concessit privilegium faciendi Professionem ante annum probationis de consilio Discretorum monasterii, in quo profiteri intendunt; ergo licet spectato Jure Tridentini teneantur præmittere Professioni integrum annum, non tamen tenebuntur virtute dicti privilegii.

Respondetur cum Rodriquez, illud privilegium in Religionibus non practicari, & sic per non usum esse sublatum. Imo cessat per ipsum Trid. quod universaliter decernit, nullam imposterum Professionem valere, cui non sit præmissa probatio, seu Novitiatus per integrum annum.

568. Quæres secundo, quandonam censeatur interrumpi annus probationis, sive Novitiatus?

Respondetur. Interrumpi censetur, quando Novitius desinit morali judicio esse in probatione, & dici potest mutasse statum suum. Id autem fieri potest non modo per absolutam desertionem Religionis, sed etiam per dimissionem solius Habitus sine Superiorum licentia factam. Unde qui dimisso Religionis Habitu egreditur animo non revertendi, licet post modicum tempus v. g. post unam, alteramve horam facti pœnitudine ductus revertatur, tenetur Novitiatum de novo inchoare, & repetere. Ratio est: quia hoc ipso censetur mutasse statum, quem per ingressum assumpserat; & exercuit actum continuationi probationis contrarium. Ita cum Suarezio, Sanchezio, & aliis P. Kerckove *loc. cit. n. 13. ac seq.* Imo Statuta nostra generalia *c. 1. §. 11. n. 2.* indicant, annum Novitiatus in nostra Religione interrumpi per quemcunque egressum e Conventu sine licentia Superiorum, etiamsi Habitus retineatur; ajunt enim: *Nec Novitii Conventum exeat ullo modo sive cum Habitu, sive sine illo, nisi ratione translationis ad alium Conventum, aut inevitabilis causæ, authoritate R. P. Ministri cum consilio P. Guardiani, & Discretorum approbande: alias vel omnino dimittantur, vel annum probationis de novo incipere cogantur.*

569. Dico secundo. Annus Novitiatus non necessario transigendus est (1.) in Monasterio, vel (2.) in Habitu Religioso: adeoque Novitiatus valeret, viamque ad Professionem sterneret, tametsi non transigeretur modis immediate dictis, accedente scilicet Superiorum licentia. Primam partem docent Pignatelli *tom. 3. consult. 39. n. 9.* Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 1. c. 3. n. 143.* Pichler *lib. 3. tit. 31. n. 7.* Secundam tradunt Kerckove *loc. cit. §. 7. n. 5.* Krimer *lib. 3. tit. 31. n. 2673.* Pichler *loc. & n. cit.* aliique quam plurimi.

Probatur prima pars tum *ex cap. 17. de Regular.* ubi textus, in rem nostram faciens, omnino luculentus extat: tum ex ratione; siquidem Religionis onera experiri quis potest, quantum necesse est, etiam extra Monasterium; ergo &c.

Probatur similiter secunda pars tum *ex c. 3. de Regular. in 6.* tum ex hac ratione; quia nec Jure antiquo, nec Tridentini novo aliquid præceptorie, & irritatorie statuitur circa prærequisitam gestationem Habitus; ergo &c. Ant. ostenditur Non enim Jure antiquo; nam *cap. 13. de Regularib.* habetur, quod Habitus non facit Monachum, adeoque non pertineat ad substantialia Religionis. Nec Jure novo Tridentini; prout videbimus *in respons. ad object. 2.* infra.

Confirmatur. Religiones in Anglia, Hibernia, & aliis id genus locis hæresi infectis, de consilio doctissimorum Virorum probant suos Novitios in Habitu sæculari; neque id hactenus reprobatum est a Pontifice citra dubium sciente, aut alio quocunque; ergo signum est, Habitum non esse de substantia Novitiatus.

570. Objicies contra secundam partem primo. Si Novitius non portet Habitum suæ Religionis, non potest ejusdem asperitates satis experiri, utpote magna ex parte consistentes in portatione Habitus, præsertim quando hic est rigidus, & asper; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. dico, non requiri, ut Novitius experiatur omnes, & singulas asperitates Religionis, modo vivat sub jugo Obedientiæ: id quod patet in casu, quo Novitius statim post ingressum Religionis evadit infirmus, & per totum fere tempus decumbit in lecto; talis quippe non experitur austeritates Religionis saltem omnes, & tamen juxta communem DD. exacto Novitiatus anno valide Professionem emittit.

571. Objicies secundo. Concil. Trid. supra *c. 15.* statuit, ut, qui minore tempore, quam per annum *post susceptum Habitum* in probatione steterit, facere Professionem ne quidem valide possit; ergo Concilium suppo-

nit,

nit, Novitiatum, ut viam ad Professionem ſternat, neceſſario eſſe tranſigendum in Habitu.

Reſpondetur, neg. conſ. & ad ant. ajo, quod Concilium per ſignate allegata verba non præcipiat Habitus geſtationem, & multo minus Novitiatum ſine ea tranſactum invalidet, ac inſufficientem judicet ad emittendam Profeſſionem (alioquin id, cum ſit punctum graviſſimi momenti, & Juris antiqui correctorium, debuiſſet ſpeciatim exprimere (ſed illam ſolummodo tanquam quid ordinatum ſupponat pro tempore, quo Novitiatus inchoatur.

572. Objicies tertio. In noſtra Regula ſpecialiter præcipitur, ut Novitii induantur Habitu, certam formam præſeferente; ergo geſtatio Habitus ſaltem in noſtra Religione eſt de ſubſtantia Novitiatus.

Reſpondetur, neg. conſ. Licet enim noſtra Regula obliget Novitios (de Jure communi non obligatos) ad certam formam Habitus portandi, ut declaravit Clemens V. non tamen cenſetur idcirco irritaſſe Novitiatum aliter tranſactum, ſeu portationem Habitus præſcripſiſſe tanquam aliquid Novitiatus ſubſtantiale: alias Miniſtri Provinciales, etiam ſuppetente juſta cauſa, non poſſent ſuper Habitu Novitiorum diſpenſare; quod tamen poſſunt juxta declarationem altefati Pontificis dicentis: *Niſi recipientibus quoad Habitum Novitiorum (ſicut dicit Regula) ſecundum Deum aliter videatur*. Lege Kerkove *cit.*

Interim Authores, etiam noſtræ ſententiæ Patroni, unanimi calamo atteſtantur, quod, licet Jure communi geſtatio Habitus, & commoratio in Monaſterio Novitiis non præcipiatur ſub culpa, vel nullitate Novitiatus, indeque ſecuturæ Profeſſionis, nihilominus nemo eorum ſine juſta cauſa permittendus ſit annum probationis aliter tranſigere, quam in Habitu Religioſo, ac Monaſterio: ſic enim ipſi magis probare poſſunt Religionem, & Religio ipſos,

ARTICULUS II.

Expediuntur aliæ Quæſtiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

573. *Quænam requiratur ætas, & ſufficiat ad Novitiatum valide inchoandum?* 574. *Novitii gaudent privilegiis Profeſſorum.* 575. *Non tamen tenentur per ſe, & directo ſub peccato ſervare Regulam ſuæ Religionis: neque* 576. *confiteri determinato Sacerdoti a Superiore aſſignato.* 577. *Nec tenentur, ſi ad ſeculum revertantur, ſolvere expenſas ordinarias, quas pro ipſis Monaſterium fecit in victu, veſtitu &c. niſi de illis ſolvendis interint cum Monaſterio pactum, vel talis vigeat conſuetudo.* 578. *Quænam notanda ſint circa Decretum Trid.* Seſſ. 25. de Regular. c. 16. *Novitiorum de ſuis rebus diſpoſitionem concernens,*

573. QUæres primo, quænam requiratur, & ſufficiat ætas ad Novitiatum valide inchoandum?

Reſpondetur, requiri, & de Jure communi ſufficere pubertatem completam, adeo, ut inchoans Novitiatum compleverit (& quidem mathematice, ſeu de momento ad momentum, quin malitia defectum ætatis ſuppleat) annum decimum quartum, ſi ſit mas; duodecimum vero, ſi ſit femella. Kerckove *loc. cit.* §. 1. *n.* 31. Krimer *n.* 2660. & alii apud ipſos. Sumitur partim ex *Clement. ult. de Regular.* juncta Gloſſa ad verbum *ætate:* partim ex Statutis Martini V. *in c.* 2. noſtræ Regulæ, ubi dicitur: *Statuimus, & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem, niſi annum decimum quartum compleverit*. Quæ ordinatio etiam concernit receptionem ad alios Ordines; cum quoad præſens punctum circa noſtrum Ordinem nihil ſpeciale fuerit ſtatutum. Accedit ratio: ſiquidem annus Novitiatus datur ad experiendas auſteritates Religionis, præſertim majores, & ſubſtantiales, quarum claſſe eſt obſervantia Caſtitatis, cujus difficultatem experiri non poſſunt impuberes, poſſunt vero puberes; ergo requiritur, & ſufficit pubertas ad Novitiatum legitime inchoandum.

Dixi: *de Jure communi*. Quid autem obtineat de Jure ſpeciali, ſeu ſpecialibus Conſtitutionibus Religionum, ipſæ noverint. In Societate Jeſu nemo poteſt admitti ad Novitiatum, ſeu ad probationem, ante expletum decimum quintum ætatis annum: veluti perhibet P. Krimer *loc. cit. n.* 2667. Sed contra noſtram Reſponſ.

Dices. Ut Profeſſio valeat, debet præmitti annus Probationis, quam immediate ſequatur Profeſſio: cum ergo hæc non valeat niſi poſt annum ætatis decimum ſextum completum, nec valebit probatio, niſi poſt annum ætatis decimum quintum completum. Ant. oſtenditur ex *Trid. Seſſ.* 25. *de Regul. c.* 16. ibi: *Finito tempore Novitiatus, Superiores, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e Monaſterio ejiciant;* ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. & ad prob. conſ. Non enim ſtatuitur in relato textu Concilii, quod aſſumitur in argumento, & probandum erat: ibi enim non dicitur, quod annus Novitiatus, ſeu probationis, ſic antecedere debeat Profeſſionem, ut hæc illo expleto immediate ſequatur; ſed tantum ordinatur, ut habiles a Profeſſione non retardentur: *habiles*, inquam, quales non ſunt, qui necdum complevere annum ætatis decimum ſextum, qualem non compleſſet, qui annum Novitiatus inchoaſſet anno ætatis decimo quarto, cum primum ingrederetur annum decimum ſextum. Porro allegatum Concilium non prohibet, ne Profeſſio etiam habilium juſtis de cauſis differi poſſit, veluti advertit P. Krimer *n.* 2666. cum aliis a ſe relatis.

574. Quæres ſecundo, an Novitii gaudeant privilegiis, quibus gaudent eandem Religionem, in qua Novitii degunt, Profeſſi?

Reſpondetur. Novitii (præterquam quod gaudeant privilegio *Fori*, & *Canonis*, ſecundum dicta *n.* 503.) gaudent privilegiis ſuæ quiſque Religionis, niſi particulari Jure, vel conſuetudine iis priventur. Reiffenſtuel *lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 115. & alii communiter. Ratio eſt: quia ſecundum communem, & notam Regulam favores ſunt ampliandi, & proxime accingendus in materia favorabili habetur pro accincto: cum igitur Novitii ſint in via ad Profeſſionem, ac onera Religioni ſuo modo ferre debeant, in favorabilibus recte habentur pro accinctis, & æquiparantur Religioſis profeſſis, adeo, ut gaudeant horum privilegiis, indulgentiis &c. Imo potiuntur indulgentiis ſpecialibus, iiſque plenariis, in die, quo ſacro Habitu donantur, ex conceſſione Pauli V. per Bullam: *Romanus Pontifex*, editam die 23. Maii, anno 1606.

575. Quæres tertio, an Novitii teneantur ſub peccato ſervare Regulam ſuæ Religionis?

Reſpondetur, non ſic obligari per ſe, & directe. Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 10. *n.* 7. Rodriquez *QQ. Regul. tom.* 1. *q.* 21. *art. fin.* La Croix *lib.* 4. *n.* 61. Ratio eſt; quia nondum ſunt Religionis vera membra, utpote qualia primum efficientur per Profeſſionem; ergo licet in favorabilibus veris Religionis membris æquiparentur, non tamen æquiparentur in oneroſis, ſeu odioſis, quippe reſtringendis, non ampliandis. Confirmatur. Ad finem probationis Religioni, & Prælato ſufficit, quod in Novitios, Regulæ, vel Statutorum tranſgreſſores, proportionatis pœnis animadvertere poſſint; quod procul dubio poſſunt, & Novitii ejuſmodi pœnas acceptare, ac ſuſtinere obligantur obligatione hac naſcente partim ex eo, quod ſe Religioni gubernandos tradiderint, ſub cujus gubernationis conditione erudiuntur, ac ſuſtentantur a Religione; partim quia Eccleſia hanc juriſdictionem cenſetur SS. Ordinibus conceſſiſſe, ut ſpiritum Novitiorum probare poſſint. Ergo &c.

Dixi: *per ſe, & directe*. Nam per accidens, & indirecte omnino obligantur: ut ſi ſuis tranſgreſſionibus perturbarent Conventum, diſciplinam clauſalem diſſiparent, aut alias ſcandalum crearent &c.

576. Quæres quarto, an Novitii teneantur neceſſario confiteri Sacerdoti per Prælatum, vel Statuta deputato, ita, ut confeſſio alteri facta, & abſolutio ab eodem impenſa, ſuo valore deſtituatur?

Reſpondetur negative, Sed poſſunt valide confiteri, & abſolvi a peccatis, etiam in Religione reſervatis, abſque licentia Prælatorum Religionis, per Sacerdotes tam Regulares, quam Seculares, per quos potuiſſent abſolvi, ſi manſiſſent in ſeculo. Ita Rodriquez *loc. cit. q.* 2. *art.* 11. Miranda *tom.* 2. *q.* 34. *art.* 16. Ponel, Lezana, Diana, quos refert, & ſequitur Kerckove *loc. cit.* §. 7. *n.* 4. Ratio fluit ex dictis *n. præced.* & eſt, quod Novitii necdum ſint vera membra Religionis, neque in

odio

odiosis veniant nomine Religiosorum: atqui esse adstrictum ad confitendum certo, & determinato Sacerdoti, est quid odiosum, cum restringat libertatem ad confitendum aliis; ergo &c. Confirmatur. Novitii non tenentur sub peccato ad Regulam, & alia Statuta Religionis; ergo nec ad Statutum de facienda confessione determinato Sacerdoti, qualis in nostro Ordine est ipse instructor, seu Magister Novitiorum, per Statuta Generalia ad id officii genus deputatus.

Dices. Novitius per ingressum Religionis mutavit domicilium, quod habebat in seculo, & loco ejusdem acquisivit aliud in Religione, ubi subjicitur alteri Pastori spirituali; ergo huic parere debet præsertim quoad usum Sacramentorum.

Confirmatur. Prælatus Religionis ratione probationis obtinet plenum jus super Novitium quoad omnia, quæ sunt necessaria pro recta gubernatione illius: atqui pro tali gubernatione necessarium est, ut designetur certus Sacerdos, cui Novitius confiteri teneatur; ergo &c.

Respondetur ad argum. neg. ant. quod Novitius domicilium seculare ita mutaverit, ut illud reliquerit, & amiserit; nam solummodo mutavit, quatenus insuper acquisivit novum. Unde Novitius, quandiu Novitius est, duplex domicilium habet; adeo, ut vi prioris adhuc retineat subjectionem ad suum Episcopum, seu Ordinarium, præsertim in foro confessionis, quod voluntarium est; & vi posterioris sit subjectus Prælato Religionis in iis, quæ finem probationis concernunt, ac gaudeat favoribus Religionis, possitque absolvi a Confessario solum approbato per Prælatum Religionis, & non per Episcopum; quemadmodum a tali Confessario absolvi possunt Religiosi professi: prout suo loco dicemus.

Ad confirm. neg. min. Esto enim per se loquendo videatur Novitio utilius, si confiteatur certo Sacerdoti, id tamen ad finem probationis, & rectam Novitii gubernationem necessarium non est; alias male in aliquibus Religionibus, & Monasteriis permitteretur Novitiis libertas, & optio confitendi Sacerdoti) suæ saltem Religionis(cui maluerint.

577. Quæres quinto, an Novitius, qui ex Monasterio egreditur, & revertitur in seculum, teneatur solvere expensas (consuetas scilicet, ac ordinarias) quas pro ipso Monasterium fecit in victu, vestitu, morbis, & aliis necessariis?

Respondetur negative: nisi forte animo simulato fuerit ingressus; vel de illis solvendis inierit cum Monasterio pactum, aut talis vigeat consuetudo. P. Engel *lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 51. Reiffenstuel *ibid. n.* 127. *& seq.* aliique satis communiter. Ratio est: tum quia alias Novitius ob prætensionem expensarum a libero egressu retineretur: tum quia redditus (vel eleemosynæ) Monasterii non solum ad sustentandos Professos, sed etiam Novitios ordinati sunt: tum denique quia subministratio victus, vestitus, & aliorum necessariorum, simul respicit favorem Monasterii; partim quod eadem subministrando Novitium, sitne dignus profiteri, nec ne? probatum erat; partim quod ab ipso recipiat servitia. Nec refert, si expensæ forte excedant servitia Novitii. Siquidem hoc mere per accidens est; cum vicissim neque in Novitio, si ejus servitia valorem expensarum transcenderent, jus propterea aliquid exigendi competeret.

Dixi 1. *nisi forte animo simulato fuerit ingressus*, puta non probandi Religionem, sed acquirendi v. g. interea sustentationem &c. Tunc quippe juxta communem teneretur expensas, utpote quas veluti sufuratus fuisset, refundere; saltem in casu, quo obsequia Monasterio præstita, & ab aliis Conventus Religiosis non præstanda, pretio expensarum inferiora forent. Augustinus Michel *de Statu Relig. q.* 2. *pun.* 2. *n.* 13.

Dixi 2. *vel de illis solvendis inierit cum Monasterio pactum, aut talis vigeat consuetudo*: veluti in multis Monasteriis, præsertim Monialium, contingit. Simili proinde casu Novitius (vel Novitia) solvere expensas debet: id quod promitur ex Trid. *Sess.* 25. *de Regular. c.* 16. ubi vetatur, ne Novitius quidquam det Monasterio, aut istud ab illo recipiat, præterquam *pro victu, & vestitu*; ergo pro victu, & vestitu aliquid dare, & accipere licet: consequenter de dando, & accipiendo pactum inire; quo inito consurgit obligatio, *c.* 1. *&* 3. *de Pactis*. Ita præter PP. Engel, & Reiffenstuel præcitatos, Sanchez *lib.* 6. *Moral. c.* 10. *n.* 4. Pithing. *lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 65. & alii. Qui tamen omnes monent, unum hic scopulum declinandum esse Monasterio, & Prælato Regulari, ne videlicet Novitium egredi volentem ab egressu retardent, si prædictas expensas solvere non velit, aut non valeat (hoc quippe libertati, quæ Novitio ad egrediendum competit, manifestum crearet præjudicium) sed permittant egredi, & postea primum adversus egressum agant, quemadmodum agerent adversus alium debitorem secularem chirographarium.

578. Quæres sexto, quænam notanda sint circa Decretum Trid. *Sess.* 25. *de Regular. c.* 16. Novitiorum de suis rebus dispositionem concernens, ac ita sonans? *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio, antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque piæ causæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat, intra duos menses proximos ante Professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta Professione: aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris, expressa renunciatio, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.*

Respondetur, notanda præcipue esse sequentia. Primo notandum est, imo patet ex ipsis Concilii verbis, Novitiis potestatem disponendi, ac renunciandi bonis, & juribus suis esse aliquantum restrictam, atque præscriptam determinatam formam, quam observare debeant in abdicatione suorum bonorum, & jurium, si hanc validam esse velint. Finis Concilii erat, consulere libertati Novitiorum, & occurrere extortis Professionibus, quæ plane non infrequentes forent, quatenus iidem Novitii, factis suorum bonorum, aut jurium abdicationibus, & renunciationibus, non nisi difficillime ad seculum redire possent. Augustinus Michel *loc. cit. pun.* 3. *n.* 2. *&* 4. ac alii.

Secundo notandum est, ac itidem liquet ex verbis Concilii, antefatam formam consistere in duobus punctis copulative observandis. Unum punctum est, ut fiat abdicatio, vel renunciatio cum licentia Episcopi, in cujus territorio fit abdicatio, vel renunciatio: aut ejus Vicarii, aut Capituli Sede vacante, aut alicujus ab ipsis delegati. Palao *tr.* 16. *disp.* 1. *pun.* 17. *n.* 10. & alii passim. Porro licentia hæc Episcopi requiritur tam in Monasteriis exemptis, quam non exemptis: siquidem quoad præsens (& subsequens) punctum, omnia Monasteria habentur pro Episcopo subjectis. Et prudenter sic statutum est, ut majori cum libertate, seclusa omni clandestina seductione, Novitiorum renunciationes fiant; præterquam quod Novitii, pro tempore Novitiatus, necdum plene Religioni sint subjecti. Sanchez *lib.* 7. *Summa c.* 5. *n.* 74. Rodriquez *qq. Regular. tom.* 2. *q.* 47. *art.* 14. Augustinus Michel *loc. cit. n.* 3. Quamvis, teste Pichlero *lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 8. solemnitas ista de licentia Episcopi in multis Religionibus non sit usu recepta. Alterum punctum est, ut renunciatio fiat intra duos menses proximos ante Professionem; quod tempus computandum est de momento in momentum, non secus, ac annus probationis, cujus pars est; ita, ut unico die ante duos ultimos menses facta renunciatio non valeat: quemadmodum, teste Barbosa apud Augustinum Michel *loc. cit. pun.* 3. *n.* 3. conclusit sacra Cardinalium Congregatio Trident. die 20. Jan. an. 1617. Et licet contingat, quacunque demum ex causa, Professionem differri ultra annum Novitiatus mathematice completum, non tamen propterea invalidabitur renunciatio cum licentia Episcopi ultimis duobus mensibus ordinarii Novitiatus facta: veluti cum communiori tenent Sanchez *loc. cit. n.* 81. Donatus *tom.* 2. *Praxis Regularis tr.* 6. *q.* 10. Michel *loc. & n. citt.* Quia dilatio hujusmodi Professionis est per accidens, & rara: Leges vero, & Constitutiones respiciunt ea, quæ per se, & regulariter fiunt. Eadem tamen renunciatio, esto valeat, non sortitur suum effectum, nisi secuta Professione: sicut enim cuicunque alteri renunciationi a Novitio factæ, ita & ipsi, seu renunciationi immediate dictæ inest ex dispositione Juris hæc tacita conditio: *si Professio secuta fuerit*. Palao *loc. cit. pun.* 14. *n.* 14. *& seq.*

Tertio est notandum, quod nomine *renunciationis*, ac *obligationis* (in Decreto supra) veniant omnes contractus, & actus inter vivos, quibus Novitius perdit, aut periculo exponit patrimonium, vel legitimam suam, aut magnam ejus partem, vel considerabili aliquo se

Jure privat. Unde comprehenduntur omnes donationes momentosæ, remissiones debitorum, & obligationum notabilium, renunciationes, & donationes jurium, privilegiorum &c. tametsi fiant cum expressa vel tacita conditione secuturæ Professionis. Laymann *lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 8. Pirhing. *lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 83. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 135. Ratio est: quia per celebrationem horum, & aliorum id genus actuum læditur, vel diminuitur libertas Novitii quoad egressum e Religione, contra mentem Concilii supra. E diverso non veniunt nomine *renunciationis*, ac *obligationis* testamenta, & aliæ dispositiones mortis causa, ut codicilli, donationes mortis causa &c. Similes quippe actus nullo modo lædunt libertatem Novitii, cum eosdem ante Professionem revocare pro libitu possit. Neque illi contractus onerosi inter vivos, quibus, re moraliter æstimata, tantum acquiritur, quantum datur; cujusmodi sunt emptio, permutatio, locatio &c. Ratio est eadem: quia neque per celebrationem hujusmodi contractuum libertas Novitii violatur: prout consideranti patet. Neque tandem donationes modicæ, sive Monasterio, sive aliis fiant: siquidem & in his cessat finis Tridentini, cum propterea egressus e Religione non reddatur Novitio difficilis. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. c.* 5 *n.* 28. Lezana *tom.* 1. *c.* 24. *de Novitiis*, *n.* 35. & alii communiter. Plura super his qui desiderat, legat P. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 129. vel Augustinum Michel *cit. pun.* 3. *per tot.*

Quod Novitius, etiam citra causam, deserere sine peccato, saltem mortali, Religionem possit; non autem Religio ipsum rejicere, patebit ex dicendis *part.* 4. *tr.* 2. *disp.* 2.

CAPUT III.

De Professione Regularium.

IN *præced. cap.* de via ad Professionem Regularem, seu de Novitiatu; in præsenti autem de ipsa Professione tractandum venit: quod itidem per duos articulos præstituri sumus. Sit proinde

ARTICULUS I.

Quænam conditiones requirantur ad Professionem valide, & licite emittendam?

SUMMARIUM.

579. *Professio Religiosa describitur; &* 580. *dividitur in* expressam, & tacitam. 581. *Quænam conditiones requirantur ad illam valide; & quænam* 582. *Ad licite emittendam?*

579. PRænotandum primo, Professionem Regularem esse *promissionem libere factam, & legitime acceptatam, qua quis sese adstringit certa Religioni ab Ecclesia approbatæ.* Quare Professio hæc coalescit ex promissione, & promissionis acceptatione: cum enim sit sacer quidam contractus, consistere nequit, nisi promissio acceptetur. Porro ista acceptatio fieri duplici modo potest. 1. Ut Religio acceptet quidem promissionem, non tamen reciproce se obliget promittenti ad ipsum perpetuo retinendum: sic fit in Societate Jesu, ubi Novitii exacto Novitiatus biennio edunt vota simplicia tantum. 2. Ut Religio & acceptet promissionem, & vicissim se obliget promittenti ad ipsum perpetuo retinendum: sic fit in aliis Religionibus, in quibus Novitii finito Novitiatus anno edunt vota solemnia.

580. Prænotandum secundo, Professionem dividi in *expressam*, & *tacitam*. Expressa est, quæ emittitur verbo, vel scripto, vel alio simili modo. Tacita est, quæ emittitur aliquo facto, ex quo animus profitendi elicitur: ut siquis post peractum Novitiatus annum gestet Habitum Professis proprium, *c.* 22. *de Regular.* vel exerceat actum solis Professis competentem. Professio tacita hodie est rarissima extra casum, quo expressa fuisset nulliter emissa. His præmissis,

581. Dico primo. Ad Professionem valide emittendam sequentes præcipue conditiones requiruntur.

1. Requiritur, ut profiteri volens, sit baptizatus, vel baptizata. Ita DD. unanimiter. Ratio est: siquidem nec Ecclesia, nec Religio quæcunque obtinet, aut acquirere potest jurisdictionem in non baptizatum, quandiu talis est; ergo non intendit, imo nec potest eum ad Professionem, & Statum Regularem recipere.

2. Requiritur, ut sit bene compos rationis, id est, non mente captus, non furiosus &c. *c.* 15. *de Regular.* ubi subjungitur ratio hisce verbis: *cum alienatus non consentiat, & per hoc non valeat consentire.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 70.

3. Requiritur, ut anno integro, & non interrupto post susceptum Habitum in probatione steterit. Conc. Trident. *Sess.* 25. *c.* 15. *de Regular.* & relinquitur ex dictis *n.* 565.

4. Requiritur, ut compleverit, & quidem mathematice, annum ætatis decimum sextum. Trid. *loc. cit.* & constat itidem ex dictis *n.* 565.

5. Requiritur, ut, si sit conjux, matrimonio consummato ligatus, obtineat consensum alterius conjugis, exceptis casibus in Jure expressis, & in *Art. seq.* recensendis. Ratio est: quia per consummationem matrimonii traditur corpus conjugi; consequenter alteri, nempe Religioni per Professionem, tradi amplius non potest, *cap.* 3. *& capit.* 12. *de Convers. Conjug.* Dixi: *matrimonio consummato ligatus.* Nam ante consummationem matrimonii uterque conjugum, altero etiam reluctante, Religionem ingredi, & profiteri potest: quia nondum fuerunt facti una caro, *c.* 2. *&* 7. *de Convers. Conjug.* ubi ambobus conceditur bimestre a contracto matrimonio, ut interea non teneantur reddere, sed valeant deliberare, malintne matrimonium consummare, vel eo non consummato, vitam secularem cum Regulari commutare. DD. communiter

6. Requiritur, ut, si sit Episcopus jam confirmatus, vel consecratus, impetret licentiam Papæ, *c.* 18. *de Regular.* Ratio est: quia Episcopus, jam confirmatus, vel consecratus, est obstrictus suæ Ecclesiæ, fere sicut maritus suæ uxori; tenetur que, ad exemplum Christi, pro illa animam suam ponere: maritus autem non potest uxorem deserere absque ejus consensu, ne quidem sub prætextu Religionis ingrediendæ, secundum immediate dicta; ergo nec Episcopus suam Ecclesiam sine ejus consensu, quem sibi reservavit Papa in *cit. cap.* 18. Sanct Gallenses *loc. cit. sect.* 2. *dub.* 1. *numer.* 1. & alii passim.

7. Requiritur, ut Professio sit libera a metu gravi, & ad ipsam extorquendam injuste incusso. Sicut enim matrimonium nequit valide contrahi, quando similis metus intercedit, cum conjuges per illud ponantur in statu perpetuo, *c.* 14. *de Sponsal.* ita neque potest valide emitti Professio, per quam Professus & ipse ponitur in statu perpetuo, *c.* 1. *de His, quæ vi, metusve causa.* P. Schmier *loc. cit. n.* 109.

8. Requiritur animus profitendi, id est, se vere obligandi. Siquidem sine tali animo consistere nequit vera promissio; adeoque nec vera, & valida Professio. Sanct Gallenses *loc. cit. dub.* 3. *n.* 3.

9. Requiritur, ut Professio fiat cum consensu ejus, cujus est incorporare Religioni. Ratio est: quia alias deest legitima acceptatio promissionis, ad valorem Professionis exacta: prout fluit ex ipsa descriptione Professionis *n.* 579. allata.

10. Requiritur, ut Professio fiat in Religione approbata: prout itidem ex descriptionem Professionis liquet, & ex *c. un. de Voto.* Unde siquis, in manibus Episcopi profiteretur, seu emittere vota substantialia Religionis, non efficeretur verus Religiosus. Videri super hoc possunt Sanct Gallenses *loc. cit. numer.* 6.

11. Requiritur, ut emittantur tria vota substantialia, cuilibet Religioni communia: quia sine istis, copulative sumptis, non potest consistere verus Status Regularis; ergo nec vera Professio Regularis. Revide, quæ tradidimus *n.* 558.

12. Requiritur, ut Professioni nulla apponatur conditio, substantiæ Religionis contraria: quemadmodum fieret, siquis ea lege profiteretur, ut possit retinere suarum rerum proprietatem, vivere secundum suum arbitrium &c. quia enim adjectio talis conditionis essentiam Religionis evertit, reddit Professionem nullam. Augustinus Michel *de Statu Relig. q.* 2. *pun.* 4. *n.* 17. & alii passim.

Hæ sunt

Hæ sunt conditiones ad Professionis valorem requisitæ, quarum aliqua si desit, professurus (vel professura) laborat defectu, seu impedimento substantiali, & dirimente, seu invalidante Professionem, in quacunque demum Religione emissam. Quænam porro conditiones sint necessariæ ad valorem Professionis in hac, vel illa Religione particulari, noverint in tali Religione viventes. Id tamen notandum venit, non posse constitui impedimentum aliquod substantiale, seu dirimens Professionem, nisi cum ratihabitione, & approbatione Pontificis: veluti notant Sanct-Gallenses *loc. cit.* Ubi tamen recte addunt, quod possit Prælatus protestari, se nolle aliquem in corpus Religionis admittere, si hoc, vel illud impedimentum, seu defectum habeat, adeo, ut Professio, substante impedimento, sit irrita, non præcise, quod impedimentum subsit (quia forte essentiale non est) sed quod animus admittendi desit.

581. Dico secundo. Ad Professionem licite emittendam requiruntur præcipue hæ conditiones.

1. Requiritur, ut profiteri volens, si sit servus (sive proprie dictus, seu mancipium, sive improprie dictus, seu homo originarius, aut adscriptitius tantum) obtineat a domino suo licentiam amplectendi Statum Regularem. Constat ex *can.* 12. *caus.* 16. *q.* 1. ubi dicitur, *neminem servorum suscipi* (posse) *ut sit cum eis Monachus, nisi cum domini proprii licentia*. Imo si sit servus proprie dictus (quales tamen apud Christianos non amplius dantur) probabilius profiteretur etiam invalide absque licentia domini. Ratio est: quia talis servus est sub jure, & proprietate domini quoad ipsam quoque personam, adeo, ut ipsa ejus persona sit domino debita; ergo non potest se tradere Religioni per Professionem validam; cum hoc implicet ex natura rei. Ita Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 5. *numer.* 49. Azorius *part.* 1. *lib.* 12. *c.* 1. *q.* 3. Kerckove *loc. cit.* §. 1. *num.* 28. & alii contra alios.

2. Requiritur, ut non sit corpore vitiatus, v. g. cæcus, mutus, surdus, deformiter claudus, aut gibbosus &c. item ut non sit lepra, morbo caduco, aut gallico affectus; vel ita infirmus, aut debilis, ut onera Religionis portare, aut munera obire nequeat. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 180. *art.* 10. & alii. Ratio est: quia *turpis est pars, quæ non congruit suo toti*; quod in simili casu eveniret.

3. Requiritur, ut non sit infamis. Ita statuere Sixtus V. *in Constit. Cum de omnibus*, & Clemens VIII. *in Constit. Regularis disciplinæ*. Ratio est: quia sic Religio infamaretur. Kerkove *loc. cit. c.* 1. §. 1. *n.* 42. & & alii passim.

4. Requiritur, ut non sit reus criminis, cui gravis pœna, mortis, mutilationis, ex illi &c. præstituta sit. Sixtus V. *in præcit. Constit.* Ratio est: quia contra talem criminosum militat præsumptio, quod non tam ex motivo conversionis, quam ex timore supplicii Religionem intrare, & profiteri velit. P. Schmier *loc. cit. num.* 101.

5. Requiritur, ut non habeat parentes constitutos in gravi necessitate, cui aliter succurri non possit, nisi per ipsum in seculo manentem. Ratio est: quia opus consilii, ut est Religiosa Professio, postponendum operi præcepto, quale est alimentatio parentum, seipsos alimentare impotentium. Idem dicendum de parente, si filius simili necessitate premeretur: quæ tamen obligatio ad fratres, & sorores extendenda non est. Sanct-Gallenses *loc. cit. dub.* 1. *n.* 6. & alii passim.

6. Requiritur, ut non sit obligatus ad ratiocinia, vel prius satisfecerit suis principalibus. Ita cum communi P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 72. Sumitur partim ex *can.* 1. *dist.* 53. ibi: *Qui ratiociniis publicis sunt obligati, si monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a ratiociniis absoluti fuerint*. Partim ex allegatis Constitutionibus Sixti V. & Clementis VIII. in quibus indefinite, & universaliter prohibetur, *ne reddendis ratiociniis* (adeoque sive publicis, sive privatis solum) *obnoxii, & obligati recipiantur*. Ratio est: tum ne contingat inde Religionem litibus, aliisque incommodis vexari; Professos vero ipsos temporalibus curis nimium involvi: tum ne fiat præjudicium, & fraus iis, quibus obligati sunt &c. Ceterum ad ratiocinia publica obligati dicuntur, qui propter publicam administrationem alienorum bonorum temporalium; ad privata vero, qui propter privatam, aliis adstringuntur ad rationes reddendas. Prioris generis sunt Curiales, id est, procurantes negotia, & officio Curiæ; ut Quæstores, tributorum Collectores, Urbium Præfecti, militum Commissarii &c. Posterioris generis sunt Tutores, Curatores, Testamentorum Executores &c.

7. Requiritur, ut non sit ære alieno gravatus. Sed de ista conditione ex professo acturi sumus *tr. seqq. disp.* 1.

Atque hæ sunt potissimæ conditiones ad Professionem licite emittendam exactæ; quarum defectus sunt, & dicuntur impedimenta impedientia (sicut defectus conditionum ad valide profitendum exactarum impedimenta dirimentia) seu illicitam tantum reddentia Professionem, in quacunque Religione emittatur. Quod intellige post Constitutionem Clementis VIII. supra, quæ circa præsens punctum Constitutionem Sixti V. in qua aliqua ex illis pro impedimentis dirimentibus determinata, & declarata fuerant, temperavit, & absolutam inhabilitatem sustulit.

ARTICULUS II.

Expediuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

583. *Tres sunt casus, quibus conjux, etiam consummato matrimonio, potest Religionem intrare sine consensu alterius.* 584. *Quid sit observandum conjugi, qui alteri ad ingrediendam Religionem consensum præbuit?* 585. *Liberi licite ingrediuntur Religionem absque consensu parentum.* 586. *Filius, non attenta parentum gravi necessitate, Religionem professus tenetur egredi ad egentibus succurrendum.* 587. *Illegitimi licite ad Religionem admittuntur, spectato Jure communi.* 588. *Quid sit, & importet solemnitas Professionis, & votorum, quæ in ea emittuntur.*

583. QUæres primo, quinam sint casus in Jure expressi, quibus conjux, consummato etiam matrimonio, potest Religionem intrare, & profiteri absque consensu alterius?

Respondetur, esse tres sequentes. Primus est, si vir per vim ab uxore intra primum bimestre extorserit copulam: tunc quippe uxor, non obstante hac tali violenta consummatione, potest Religionem ingredi, & profiteri, qualitercunque vir reclamet. Ratio est: quia uxori gravis est illata injuria, ratione cujus non debet privari jure suo. Abbas in *c.* 2. *de Convers. conjug.* Silvester *verb. divortium*, *q.* 5. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 22. *n.* 6. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 32. *n.* 6. & alii. Idem dicendum, si per metum gravem extorta sit copula: quia est similis injuria. Sanct-Gallenses *sect.* 2. *dub.* 1. *n.* 2. Nec obstat, quod juxta receptam DD. sententiam, etiam per consummationem vi extortam efficiantur conjuges una caro, & matrimonium prorsus indissolubile. Hoc, inquam, non obstat: quia solummodo verum est in ordine ad illum effectum, ut conjux, qui vi extorsit consummationem, post Professionem conjugis Religiosæ non possit libere transire ad alias nuptias, quippe adhuc ligatus vinculo prioris matrimonii; non vero, ut possit impedire transitum ad Religionem, sponsæ, intra primum bimestre vi cognitæ, a Jure concessum. Augustinus Michel *loc. cit. q.* 2. *pun.* 1. *n.* 15.

Secundus casus est, si unus conjugum commiserit adulterium: siquidem & tunc alter, seu innocens, Religionem intrare potest, licet nocens reluctetur, *c.* 15. 16. & 17. *de Convers. conjug.* Sed ut hoc ordinarie fiat, debet prius fieri separatio authoritate Judicis, causa cognita, *c.* 3. *de Divortiis*, adeo, ut Judex debeat declarare, crimen adulterii, de se inductivum divortii, esse commissum (nisi tale crimen sit publicum, & notorium &c.) Et hoc partim, ut evitetur scandalum; partim ut ingressus nequeat repeti, & cogi ad redeundum. *loc. cit. n.* 17. cum communi.

Tertius casus est, quando alter conjugum incidit in hæresim, & judicio Ecclesiæ facta est separatio modo immediate dicto. Neque innocens tenetur tunc amplius recipere nocentem, licet ad Fidem redire volentem, vel etiam actu reversum, sed potest eundem repudiare, & libere Religionem intrare, *c. fin. de Convers. Conjug.* Si autem non fuerit facta separatio authoritate Judicis, seu Ecclesiæ, sed proprio ipsius innocentis arbitrio, & authori-

thoritate, tenetur is emendatum recipere, nec potest Religionem intrare, *c. 6. de Divortiis*. Aliud est de adultero in casu præcedenti; nam innocens talem haud tenetur amplius recipere, etiamsi propria authoritate ab eodem se separaverit ratione adulterii notorii ab ipso commissi, *cauf.* 33. *q.* 2. Ratio disparitatis est: quia adulterium ex sua natura causat divortium perpetuum; non vero hæresis; adeoque ut hæc ejusmodi divortium causet, requiritur authoritas Ecclesiæ, & sententia declaratoria criminis, per quam fiat separatio. Videatur P. Schmier *lib. 4. tr. 2. c. 5. n.* 105. *& n.* 113.

584. Quæres secundo, quid sit observandum conjugi, qui alteri ad ingrediendam Religionem consensum præbuit?

Respondetur, quod & ipse teneatur Religionem ingredi, si sit juvenis, vel senex quidem, sed de incontinentia suspectus propter mores. Si autem sit senex, & non suspectus de incontinentia, sufficit, quod emittat votum Castitatis in manibus Episcopi, *c. 4. c. 8. & c.* 13. *de Convers. conjug.* Reiffenstuel *lib. 3. tit. 32. n.* 13. *& seq.* aliique communiter. Hanc obligationem si non observet, inducendus est, ut id faciat. Quod si facere detrectet, & periculum incontinentiæ subeat, potest, imo tenetur Episcopus Professionem alterius, cum illius consensu editam, quoad effectum reddendi debitum suspendere, & conjugem professum restituere conjugi in seculo existenti, quoadusque hic moriatur: quo mortuo revivistit jus Professionis, utpote valide emissæ, & Professus tenetur reverti ad Monasterium, *c. 1. de Convers. conjug.* Reiffenstuel *n.* 23. Michel *n.* 17. & alii passim. Quæ tamen restitutio solum facienda est, si conjus, dum alteri licentiam intrandi Religionem dedit, ignoraverit, & ignorasse præsumatur dispositionem Juris, vi cujus & ipse ad intrandam Religionem, vel vovendam Castitatem adstringatur. Nam si dispositionem Juris noverit, vel nosse præsumatur, eamque observare nolit, & incontinenter vivat, compellendus est ad ingressum Monasterii, non ut ibi profiteatur, sed ut ibi commoretur, ceu in loco magis securo, magisque ad servandam continentiam idoneo: prout colligitur *ex c.* 18. *de Convers. conj.* & docetur a Sanch. *de Matr. lib. 7. disp.* 33. *n.* 14. Sanct-Gallensibus *loc. cit. n.* 1. aliisque communiter. Dixi: *& ignorasse præsumatur:* quod locum obtinet in uxore, non item in marito; nam in illa, non in isto, ignorantia Juris toleratur, *R. 13. de Reg. J. in 6.* Unde maritus, sive sciverit, sive nescivcrit dispositionem Juris, restitutionem uxoris, cum licentia prævie data professæ, prætendere non potest; eo quod ipse dispositionem Juris præsumatur scivisse, quando uxori licentiam intrandi Religionem dedit. Michel *loc. cit. n.* 19. Pichler *lib. 3. tit. 32. n.* 3. & alii.

585. Quæres tertio, an liberi licite possint Religionem ingredi, irrequisitis, vel invitis parentibus?

Respondetur affirmative per se loquendo. Sanct-Gallenses *loc. cit. n.* 6. Schmier *lib. 3. tr. 1. part. 1. c. 3. n.* 106. & alii communiter. Ratio probativa extat in *c.* 12. *de Regular.* quia liberi post annos discretionis, & pubertatis (ante quam ætatem ingressus Religionis illis non permittitur, secundum dicta *n.* 573.) *liberum habent arbitrium & in electione propositi* (seu status) *sequi parentum non coguntur voluntatem*. Confirmatur ex D. Hieronymo, qui *Epist. ad Heliod.* inquit, quod oporteat *per calcatum pergere patrem, per calcatam pergere matrem, & ad vexillum crucis evolare*. Quo etiam collimat illa Salvatoris nostri sententia apud S. Lucam *c.* 14. prolata: *Qui non odit patrem suum, & matrem suam, non est me dignus*. Quare liberi nec minis, nec precibus, nec lacrymis, nec lamentis parentum, aut propinquorum cedere debent, & absterreri, vel averti a Religionis ingressu.

586. Quæres quarto, an filius, non attenta gravi necessitate parentum, Religionem ingressus, & professus, teneatur egredi ad egentibus succurrendum?

Respondetur affirmative, si aliter succurri nequeat. Laymann *lib. 4. tr. 5. c. 4. n.* 2. Sanct-Gallenses *loc. cit. n.* 6. & alii apud ipsos. Ratio est: quia talis licite ingredi, ac profiteri non poterat, obligatione subveniendi jam contracta; ergo ea usque tum permanente, debet egredi; debetque Prælatus vel facultatem egrediendi concedere, vel Monasterium tenebitur egentes sustentare. Ubi tamen Professio, cum sit valide emissa, non solvitur, sed tantum quoad executionem suspenditur, donec parentum indigentiæ subventum sit.

Sed quid si parentes post Professionem filii ex improviso in gravem necessitatem, seu egestatem incidant?

Respondetur, quod filius in tali casu non teneatur, imo nec possit egredi, repugnante Prælato; quia, obligatione subveniendi necdum existente, absolute mutavit statum, nec subest amplius patriæ potestati, sed Prælati. Unde illi obligationi supervenienti non tenetur satisfacere, nisi in quantum potest, salvo suo statu Regulari; sicuti juxta omnes filius conjugatus non tenetur parentibus graviter egentibus succurrere, nisi salvo suo statu conjugali. Videantur Authores *citt.* Interim advertunt DD. passim, quod etiam talis Religiosus, quatenus salvo statu Regulari potest, pium studium, & curam parentibus subveniendi adhibere debeat, implorando opem Patronorum, Prælati &c.

687. Quæres quinto, an liberi illegitimi licite ad Religionem admittantur?

Respondetur affirmative, spectato Jure Communi: idque verum est etiam de spuriis. Laymann *lib. 4. tr. 5. c. 10. n.* 4. Rodriquez *tom. 1. QQ. Regular. q. 13. art.* 3. & alii. Sumitur ex *c. 1. de Filiis Presbyterorum*, & ex Bulla Gregorii XIV. quæ incipit, *circumspecta*, in qua altefatus Pontifex determinat, ac declarat, *eos, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad Habitum, & Professionem Regularem admitti posse*. Vult tamen idem Pontifex, ut, antequam recipiantur, eorum vita, & mores diligenter inquirantur, ipsique bonam indolem, & virtutis speciem præseferant &c.

Dixi: *spectato Jure Communi*. Nam quorundam Ordinum, & Monasteriorum Statuta illegitime natos suscipi vetant.

588. Quæres sexto, in quo consistat, & quid importet solemnitas Professionis, & votorum, quæ in ea emittuntur?

Respondetur primo. Antefata solemnitas consistit in eo, quod Religiosus in Ordine a Sede Apostolica approbato, juxta formulam ab Ecclesia præscriptam, emittendo tria vota substantialia, obliget se irrevocabiliter Religioni, & Religio vicissim se ipsi de nunquam dissolvendis, aut irritandis votis ab eo emissis. Sanchez *lib. 5. Moral. c. 1. n.* 11. & alii passim. Quare tametsi vota simplicia Societatis æque proprie Religiosi hominis sint constitutiva, atque sunt solemnia aliorum Ordinum, ab his tamen in eo deficiunt, quod emittantur a vovente, acceptenturque ab Ecclesia, volente quidem, ut vovens, quantum est ex se, Religioni obligetur irrevocabiliter, nolente tamen, ut vicissim Religio obligetur in perpetuum ad non relaxanda vota ipsius.

Respondetur secundo cum Sanct Gallensibus *loc. cit. sect. 1. dub. 2. corollar.* 3. & aliis, solemnitatem Professionis importare aliquid statui Regulari mere extrinsecum, & accidentale. Ratio est: tum quia alias sequeretur 1. Scholasticos, & Coadjutores Societatis Jesu non esse substantialiter Religiosos; eo quod non emittant vota solemnia; quod est contra Bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino:* tum quia sequeretur 2. eum, qui in eadem Societate prius emittit vota simplicia, & postmodum solemnia, esse prius Religiosum unius speciei, & postmodum alterius; quod est absurdum, cum sic Societas probaretur esse Ordo, & Institutum duplicis speciei essentialis. Videantur Sanct Gallenses *citt.*

CAPUT IV.

De Votis Regularium.

TRia sunt vota substantialia, & communia Regularium, nimirum *Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis:* dequorum dignitate, & eminentia sic pronunciat Joannes XXII. *in Extravag. Sp V. S. cap.* 1. prope finem: *Magna quidem est Paupertas, sed major Integritas* (seu Castitas) *maximum autem bonum Obedientia, si custodiatur illæsa: prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, & animo*.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Votis Obedientiæ, & Castitatis: ubi etiam de Clausura Regularium.

QUoniam complura, quæ geminum hoc votum concernunt, pertractata jam sunt alibi, præsertim *part.* 1. *tr.* 2. & *part.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. impræsentiarum breves erimus, unoque articulo, in §§. non dividendo, complectemur, quod dicendum restat.

SUMMARIUM.

589. *Ad quænam Regularis teneatur vi voti Obedientiæ?* 590. *An Regularis, quando dubitat, num actio, a Superiore præcepta, sit honesta, nec ne? teneatur præcipienti obedire?* 591. *Ad quænam Regularis teneatur vi voti Castitatis?* 592. *Quænam sint notanda circa Clausuram Regularium?*

589. DIco primo. Regularis vi voti Obedientiæ tenetur ad omnia, quæ Superior præcipit secundum Regulam, & Constitutiones sui Ordinis. Ratio est: quia ad omnia illa sese obligavit Regularis, emittendo Professionem secundum Regulam, & nuncupando votum Obedientiæ.

Dixi: *secundum Regulam*. Nam 1. Regularis non tenetur obedire Superiori præcipienti *contra Regulam* (nisi is in ista forte possit dispensare, & legitima causa dispensandi subsit) Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *n.* 24. & alii communiter. Nec præcipienti *supra, aut infra Regulam:* nisi in casibus infra referendis. Ceterum *secundum Regulam* dicitur præcipere Superior, quando præcipit, quæ vel expresse in Regula continentur, vel saltem implicite, cujusmodi sunt, quæ ad Regulæ observantiam necessaria sunt. *Contra Regulam* dicitur præcipere, quando præcipit, quæ contentis in Regula positive adversantur. Supra Regulam dicitur præcipere, quando majora, ac duriora imperat, quam Regula exigat; ut sit injungat crebras mortificationes per flagella, & cilicia, longas abstinentias, & similia, quæ non sunt juxta Regulam. *Infra Regulam* dicitur præcipere, quando jubet laxiora, quam præscribat Regula. Sive ergo Superior præcipiat contra, sive supra, sive infra Regulam, subditus licite, & impune non paret. Ratio est: quia Superior non est Auctor Regulæ, sed tantum Custos, solumque obtinet potestatem, ut subditos secundum Regulam perficiat, non vero, ut eosdem obliget ad Regulæ contraria, aut alia, quæ ad illam nec explicite, nec implicite spectant; uti sunt, quæ sunt supra, vel infra Regulam. Sanct-Gallenses *loc. cit. sect.* 3. *dub.* 3. *n.* 3. Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 5. *q.* 6. *n.* 55. 59. *&* 63. aliique passim. Addidi tamen supra: *nisi in casibus &c.* Nam licet longæ abstinentiæ, & extraordinariæ mortificationes, ac similia, de se censeantur esse supra Regulam, & ordinarie præcipi non possint; haud tamen censentur excedere Regulam, nec supergredi potestatem præceptivam Superioris in hisce casibus. 1. Si injungantur in pœnam commissi criminis. Laymann *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 2. & alii, 2. Si Regulari putentur necessaria ad servanda vota; sic præcipitur Monialibus clausura, etiamsi eam non voverint; cum judicetur moraliter necessaria ad observantiam Castitatis. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10, *c.* 8. *n.* 8. Palao *disp.* 4. *pun.* 4. *n.* 5. & alii passim. 3, Si id postulet publica necessitas; ob hanc quippe causam Episcopus suis subditis jejunia, orationes, vigilias &c. præcipere potest, & solet; ergo etiam, & a fortiori, Prælatus Regularis suis Subditis, utpote in quos non tantum jurisdictionem Ecclesiasticam obtinet, sed etiam potestatem dominativam ob votum Obedientiæ. Sanchez *lib.* 6. *Summæ, cap.* 2. *num.* 45. & alii. Insuper Superior præcipere potest, quæ sunt infra Regulam, modo non sint peccaminosa, & causa, ob quam præcipiuntur, sit secundum Regulam, verb. grat. ut obedientia exerceatur. Busembaum *lib.* 4. *n.* 95, & alii.

590. Quæres, an Regularis, quando dubitat, num actio, a Superiore præcepta, sit honesta, nec ne? teneatur præcipienti obedire, & actionem præceptam exequi?

Respondetur affirmative. Ita D. Bonaventura *in* 2. *dist.* 39. *art.* 1. *q.* 3. *in fine*. Palao *part.* 1. *disp.* 3. *pun.* 13. *n.* 3. & alii communiter. Ratio est: quia *in dubio melior est conditio possidentis:* Superior autem est in possessione jurisdictionis; ergo &c. Ne autem Subditus tali casu peccet, deponat, necesse est, suum dubium saltem practicum, quando deponere nequit speculativum, seseque practice resolvat, ac judicet, actionem præceptam sibi esse licitam: id quod præstitu facile erit dependenter ab immediate allegato principio: *In dubio melior est &c.*

Videtur tamen limitanda responsio in casu, quo Subditus per exhibitionem obedientiæ vel seipsum, vel alterum exponeret periculo gravis incommodi subeundi in vita, honore, fama, divitiis &c. ut si Superior te interrogaret de gravi delicto, sive proprio, sive alieno, & tu prudenter dubitares, an juridice interroget &c.? probabilius non tenereris interroganti respondere, & veritatem aperire. Ita Lessius *lib.* 2. *de Just. c.* 41. *dub.* 9. *n.* 76. Sanct-Gallenses *loc. cit. in respons. ad* 1. *Quæsit.* P. Elbel *in part. prælim. n.* 173. & alii. Ratio est: quia tunc tua (vel alterius) possessio, qua possides tuam vitam, famam &c. est certa, debetque prævalere adversus dubiam possessionem, qua Superior possidet jus, & potestatem præcipiendi; ut proinde subintret *Reg.* 11. *Jur. in* 6. ibi: *In dubio potius favendum est reo, & ei, de cujus damno agitur.*

591. Dico secundo. Regularis vi voti Castitatis adstringitur ad perpetuo, ac illimitate abstinendum ab omni actu venereo interno, & externo, sive is sit sola delectatio morosa, sive pravum desiderium, sive contactus lascivus sui ipsius, aut alterius, absque ulla exceptione, sive impudicus aspectus, sive verba, oscula, colloquium ex libidinoso affectu profecta; pollutio voluntaria, aut fornicatio re perpetrata, vel animo desiderata. Ita Lessius *loc. cit. numero* 78. & alii communiter.

592. Quæres, quænam notanda sint circa *clausuram*, quam Ecclesia ordinavit ad Castitatem in Regularibus conservandam?

Respondetur primo, nomine Monasterii (sive sit Virorum, sive Mulierum) in quo introducta est, & viget clausura, intelligi totum illud spatium, quod ambitur, & clauditur muris, sive septis Monasterii. Hinc sub clausura comprehenduntur non tantum officinæ, & habitacula interiora, sed etiam horti, & similia, quæ intra Monasterii muros, sive septa consistunt; secus de hortis, domibus, prædii &c. extra sitis. Ratio est, quia horti prioris, non vero posterioris generis, censentur esse pars Monasterii. Sanchez *in Decal. lib.* 6. *c.* 17. *n.* 14. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 35. *n.* 27. & alii passim. Pariter sub clausura comprehenditur Sacristia, quando ad eam non patet ingressus nisi per claustra Monasterii: secus quando ad eam patet ingressus per solam Ecclesiam. Lezana *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 11. Kerckove *super nostra Statut. General. c.* 4. §. 5. *n.* 10. & alii apud ipsum. Ratio est: siquidem situata priore modo, censetur pars Monasterii; situata autem posteriore modo, pars Ecclesiæ: consequenter &c. Quod si Sacristia duas habeat portas, unam posita in Ecclesia, & alteram in claustro Monasterii, censetur quidem potiori jure pars Monasterii, quam Ecclesiæ; consuetudo tamen hodierna obtinet, ut sub clausura non comprehendatur. Kerckove *loc. cit. numero* 11. & alii. Eodem modo videtur discurrendum de Choro.

Respondetur secundo, observationem clausuræ Virorum duas in partes distribui: alia quippe est observatio, quæ fit non egrediendo extra claustrum; & alia, quæ fit non admittendo intra illud feminas. Jam

Circa primam clausuræ partem notandum venit Viros Religiosos, stricto quodam, ac proprio præcepto obligari ad non egrediendum e clausura absque licentia Superioris expressa, vel tacita, vel rationabiliter præsumpta. Ita DD. communissime. Oritur autem dicta obligatio non tam ex Regulis Ordinum, quam ex consuetudine, & usu eorum instar legis recepto; nam in omnibus Ordinibus pro gravi piaculo reputatur, absque Superioris facultate extra Monasterii septa, & claustrum exire. Ita Sanct-Gallenses *loc. cit. sect.* 4. *dub.* 6. & alii passim. Potest tamen hæc clausuræ violatio esse venialis ex levitate materiæ: ut si Religiosus per communem portam sine licentia Superioris interdiu exiret, paulo post reversurus; talis quippe non foret illico mortalis peccati damnandus per se loquendo, id

do, id est, seclusis mortali intentione, contemptu, scandalo, & speciali præcepto talem quoque egressum graviter vetante. Navarrus *comment. 4. de Regul. num. 35.* Barbosa *in Conc. Trid. Sess. 25. cap. 4. n. 3.* Reiffenstuel *lib. 3. tit. 35. n. 69.* & alii communiter. Ratio est: quia similis e clausura egressus nullibi in Jure vetatur sub gravi culpa Viris Religiosis, sicut (secundum dicenda) vetatur Monialibus. Dixi autem: *si interdiu exiret, paulo post reversurus.* Quia si Religiosus non tantum ad paucas horas, sed ad longius tempus citra præhabitam Superioris licentiam egrediatur, atque emaneat, peccatum mortale haud effugiet: non tamen incurret casum reservatum, si interdiu hoc faciat; secus, si noctu, & furtive, etsi ad modicum tempus emaneat; nam præceptum clausuræ, quatenus interdicit nocturnam egressionem, utpote periculosiorem, magis, & strictius obligat, estque simile illi, quo ad clausuram adstringuntur Moniales, & quo istis graviter inhibetur egressus e claustro etiam ad parvum tempus; veluti immediate insinuavimus, & infra probatum ibimus. Requiritur vero ad incursionem casus reservati, ut egressio Religiosi sit & nocturna, & furtiva copulative: unde si alterutrum deficiat, casus reservatus non incurretur. Sanct-Gallenses *loc. cit.* cum communi aliorum.

Circa secundam clausuræ partem notandum venit, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & S. Pontifici reservata, interdici mulieribus, ne claustra Virorum ingrediantur; ipsis vero Monasteriorum Superioribus, ac Regularibus sub eadem pœna, & insuper sub pœna privationis Officiorum, quæ de præsenti obtinent, ac inhabilitatis ad eadem, & alia imposterum obtinenda, nec non suspensionis a Divinis, ne illas introducere, vel admittere præsumant. Ita S. Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Regularium Personarum*, & Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *Ubi gratia.* Excipiuntur tamen ab ejusmodi prohibitione 1. puellæ needum septennes: non item satur puberes: quia in prioribus, non autem in posterioribus cessat causa motiva legis prohibentis. Excipiuntur 2. Imperatrices, Reginæ, earumque filiæ, etsi sint nuptæ Viris inferioris conditionis; sicut & Archi-Ducissæ, ac Electrices S. R. Imperii: quia hujusmodi Personæ, cum sint speciali nota digne, non comprehenduntur sub generalibus verbis Legis, nisi exprimantur. *arg. c. 81. de R. J. in 6.* Kerckove *loc. cit. c. 4. §. 5. n. 4.* cum aliis a se relatis. Excipiuntur 3. Fundatrices Monasteriorum, adeo, ut quælibet Fundatrix Monasterium a se fundatum (non item aliud a se non fundatum) ingredi possit: quia pro ipsis militat specialis ratio, ob quam merito censentur sub generali prohibitione non comprehensæ, sunt enim Monasteriorum a se fundatorum quasi Dominæ. Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. c. 7. n. 6.* Kerckove *loc. cit. n. 5.* & alii. Interim declaravit Cardinalis Prænestensis Protector Ordinis Minimorum (apud *cit.* Kerckove) *nullas mulieres debere vocari Fundatricas, nisi locum, sive fundum situs Monasterii concesserint, aut Monasterium propriis sumptibus fabricari fecerint, sive redditibus ad victum, & vestitum Fratrum dotaverint.* Porro tam Imperatrices &c. quam Fundatrices possunt in clausuram secum ducere honestum, & decentem comitatum aliarum feminarum, quamvis privilegio ingrediendi non gaudentium: quia non est verisimile, quod introitus Monasterii illis non aliter indultus sit, quam sine ejusmodi comitatu. Ita DD. communiter, & constat ex praxi. 4. Extant nonnullæ causæ, ob quas feminæ, ceteroquin ab ingressu prohibitæ, licite ingredi claustra Virorum possunt, quas exprimit alte fatus Pontifex S. Pius V. in alia Constitutione hujus tenoris: *Decet Romanum Pontificem --- significantes nihilominus, quod propter hoc, & prædictas literas, non intelleximus, nec quod mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria, & loca Regularium, & eorum claustra, quando in eis Missæ, & alia Divina Officia celebrantur, ac dum Processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt; sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis Catholicis Personis accedere libere, & licite possint, & valeant. Similiter, quod quando Divinum verbum in Claustris Monasteriorum, & Regularium locorum proponitur, vel per aliam quamcunque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ, perpetuo concedimus, ut dictæ mulieres una cum aliis secularibus personis ingredi possint, & egredi per portam Claustri Monasteriorum, & locorum Regularium hujusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur e Monasterio, sicque volumus, & indulgemus.*

Respondetur jam ad quæst. tertio, etiam observationem clausuræ Mulierum, seu Monialium, dupliciter spectari posse; nempe quatenus Monialibus e Claustro egredi prohibitum est; & quatenus nemo intra idem claustrum admittendus est.

Circa primam hujus clausuræ partem notandum venit, omnes Moniales professas, cujuscunque demum Religionis existant, etiam Conversas, & Tertiarias, speciali, eoque strictissimo præcepto obligari ad clausuram, ita, ut nulli earum extra septa Monasterii, quocunque prætextu, etiam ad breve tempus, sine justa causa, & legitima licentia egredi liceat, *c. un. de Statu Regular. in 6.* Eandem clausuram severe præcipit Trident. *Sess. 25. c. 5. de Regular.* hisce verbis: *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire e Monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda.* Item S. Pius V. in Motu proprio, qui incipit: *Decori, & honestati*; & alio, qui incipit: *Circa Pastoralis Officii.* Ac denique Gregorius XIII. in Motu proprio, cujus initium: *Deo sacris Virginibus.* Ex quibus fit, ut Monialis, etiam ad modicum tempus, verb. grat. ad quadrantem horæ, sine legitima licentia egrediendo, & commorando extra clausuram, mortaliter peccet, tametsi egressus sit diurnus, sive fiat interdiu. Sumitur præcipue ex Trid. *cit.* uti & ex ratione disparitatis Viros inter, & feminas; nam respectu harum egressus e claustro, quamvis de die fiat, periculosior est, quam respectu illorum. Sanct-Gallenses *loc. cit. dub. 6. & 7.* aliique passim. Ceterum causæ, ob quas Monialibus exeundi extra clausuram licentia dari potest, sunt præcipue sequentes. 1. Omne periculum impendens, ob quod communis cohabitatio impossibilis redditur, verb. grat. periculum pestis, lepræ, aut similis morbi contagiosi. 2. Incendium, inundantia aquarum, incursus hostium, maxime hæreticorum, & infidelium. 3. Quando commune bonum Religionis egressum postulat, verb. grat. ut Monialis fiat alterius Monasterii Superiorissa, vel Novitiarum Magistra; vel quando ob alterius Monasterii reformationem necessarius est idem egressus. Sanchez *lib. 6. Moral. c. 15. n. 45.* Rodriquez *tom. 1. QQ. regul. q. 49. n. 5.* & alii passim. Sime autem causa concedendi Monialibus exitum extra clausuram, sufficiens, & legitima, nec ne? cognoscere, & dijudicare, indeque concedere, vel denegare exeundi licentiam, penes solum loci Ordinarium, seu Episcopum est relate ad Monasteria non exempta, per Trid. supra *Sess. 25. de Regular. c. 5.* relate vero ad Monasteria exempta, penes Episcopum, & Superiorum Regularem simul: id quod luculenter exprimitur in Motu proprio S. Pii V. *Circa Pastoralis Officii*, supra allegato, ubi §. 1. postquam allegatæ sunt causæ exeundi, & præter alias posita quoque certa infirmitas, additur: *Quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbata sit, a præfatis Monasteriis exire, sed nec in prædictis contra illa, nisi ad prædictum tempus stare licere.* Veruntamen Sanchez, & Palao apud P. La Croix *lib. 4. n. 69.* recte pronunciat, attendendam hic esse consuetudinem, qua cujus in pluribus locis relate ad Monasteria exempta sufficit licentia solius Superioris Regularis. Porro licentia egrediendi non oretenus, sed scriptotenus concedenda est; ita enim expresse requirit S. Pius V. in supra *cit.* Motu proprio: *Decori, & honestati.* In quo Motu idem Pontifex in Moniales egrediendo clausuram violantes, eisque licentiam, vel auxilium præstantes, duplicem statuit pœnam. Una est *excommunicatio major* Papæ reservata, & ipso facto. Altera est *privatio* dignitatum, & officiorum tunc obtentorum, ac *inhabilitas* ad illa, & ad alia imposterum obtinenda. Prior fertur

tam

tam in Moniales egressas, quam in licentiam concedentes, cooperantes, & egressas receptantes. Posterior vero Moniales tantum egressas, & Superiores licentiam dantes involvit. Ita Sanct Gallenses *loc. cit. dub. 7. q. 5.*

Circa secundam hujus clausuræ partem notandum venit, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, prohiberi omnibus personis, cujuscunque generis, conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, ne intra septa Monasterii Monialium ingrediantur, sine licentia, ob casum aliquem necessitatis in scriptis obtenta ab Episcopo, vel Prælato Ordinis, cui Monasterium subjectum est. Ita Conc. Trid. *Sess. 25. de Regular. cap. 5.* Quoad hoc est observandum 1. quod Trid. absolutionem prædictæ excommunicationis non reservaverit, nec pœnas statuerit Monialibus admittentibus personas taliter ingressas, quamvis admittendo graviter peccent. Observandum 2. quod Gregorius XIII. in Motu proprio, qui incipit: *Ubi gratia*, excommunicationis pœnam Pontifici reservatam, ac ipso facto incurrendam infligat ingredientibus in Monasteria Monialium, intuitu alicujus facultatis, vel privilegii sibi concessi; recipientes vero, & admittentes eadem pœna, & insuper privatione, & inhabilitate omnium dignitatum, & officiorum percellat. Sanct Gallenses *loc. cit.* Excipiuntur tamen ab hac quoque prohibitione pueri, & puellæ, necdum septennes (aliud est de fatuis adultis) Imperatores, & Reges, eorumque uxores, filii, & filiæ: Electores S. R. Imperii, & Archiduces, eorumque uxores, & proles. Fundatores item, & Fundatrices. Ita Reiffenstuel *loc. cit. a n. 39.* cum aliis a se relatis; & patet ex dictis supra. Causæ, ob quas personis, ab ingressu ceteroquin prohibitis, in claustra Monialium ingredi permittitur, debent esse alicujus necessitatis sufficienter apparentis. Hinc ex sententia Cardinalium, quam referunt Rodriquez *tom. 1. QQ. Regul. qu. 47. art. 11.* & Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 16. n. 67.* ingredi non potest mater ad professioni filiæ interessendum, vel ad eam morti proximam invisendam; eo quod hæ causæ non sint necessitatis; imo plerumque nec utilitatis, cum sæpe præsentia matris affectum ad mundum, & sanguinem refricet, ac morituentem majori tristitia afficiat. E diverso ingressus permittitur 1. Visitatoribus pro Capitulo culparum, quando aliter fieri non potest: pro visitatione officinarum, cellarum, supellectilis &c. 2. Confessariis ad excipiendas confessiones infirmarum, & administranda iis Sacramenta, aliter haud administrabilia; vel ad assistendum agonizantibus; vel ad sepeliendas defunctas: quo posteriore casu Confessarium comitari possunt sex Fratres; in casibus vero anterioribus unus tantum. 3. Medicis, & Chirurgis, ad Monialibus infirmis medendum. 4. Fabris, & operariis pro constructione, conservatione, aut reparatione alicujus ædificii necessariis. 5. Famulabus secularibus ad coquendum, pinsendum, aliave agenda, quando non adsunt Moniales, per quas similia peragi valeant. Ita cum aliis P. Reiffenstuel *loc. cit. a n. 52.* Neque in his, & aliis id genus casibus necessaria est licentia Episcopi, vel Prælati Regularis, sed sufficit licentia Abbatissæ, vel Superiorissæ, prout constat ex legitima consuetudine, & traditur a Miranda *de Sanctimonialibus qu. 2. art. 17. concl. 1.* Rodriquez *loc. cit. q. 46. art. 2.* Reiffenstuel *n. 60.* & aliis.

Petes, an transgredientes clausuram modice, v. gr. duos duntaxat pedes, aut etiam passus ponendo extra, vel intra clausuram, excusentur a mortali, & pœnis contra transgressores statutis?

Respondetur affirmative. Ita Graphis *de Casib. reservat. cap. 5. n. 45.* La Croix *lib. 1. n. 673.* & alii contra Sanchez, Sanct Gallenses, & alios. Ratio est: quia finis præcipuus Legis, clausuram statuentis, est cavere pericula personarum Religiosarum inhabitantium in Claustris circa observantiam Castitatis; cui fini in casu posito non contravenitur notabiliter. Deinde nulla adest hic dispositio Juris, per quam decidatur contrarium.

ARTICULUS II.

De Voto Paupertatis.

Cum dicenda de hoc Voto calamum nonnihil liberaliorem exposcant, præsentem articulum in tres §§. partiri juvat.

§. I.

Ad quid obligetur Regularis ex Voto Paupertatis, & qualiter peccet, si illud violet?

SUMMARIUM.

592. Ad quid obligetur Regularis ex voto Paupertatis? 594. Qualiter peccet, si illud violet? 595. Quanam quantitas requiratur, & sufficiat ad constituendum peccatum mortale contra Paupertatem Religiosam?

593. Dico primo. Regularis vi voti Paupertatis nullius rei temporalis externæ proprietatem, seu dominium (excipiuntur Scholastici Societatis Jesu) habere in particulari potest; uti nec usum a Superiorum voluntate independentem, *cap. 2. 4. 6. de Statu Monach. cap. 5. de Regular.* & *Concil. Trident. Sess. 25. cap. 2. de Regular.*

Dixi autem 1. *nullius rei temporalis externæ &c.* Nam dominio rerum, & jurium spiritualium, aliorumque, quæ sunt alterius ordinis, quam res temporales externæ, seu bona fortunæ, non exuitur per votum paupertatis. Hinc retinet dominium famæ, & honoris; potest præterea possidere jus eligendi, titulum Beneficii, jurisdictionem &c.

Dixi 2. *in particulari*, sive dein Regularis ille sit Superior, sive subditus; neuter enim est capax dominii rerum fortunæ, adeo, ut nec panis, quo vescitur, nec vestimenti, quo operitur, dominus existere valeat. Communitates tamen Religiosæ omnes, etiam Mendicantium (exceptis Franciscanis de Observantia, & Capucinis, ac Domibus Professis Societatis Jesu quoad bona immobilia) capaces sunt dominii rerum temporalium sive mobilium, sive immobilium. Trid. *loc. cit. cap. 3.*

Dixi 3. per parenthesin: *excipiuntur Scholastici Societatis Jesu*. His quippe ad tempus, neque quandiu Superioribus visum fuerit, rerum suarum dominium relinquitur; sed ita vinculatum, ut de illis absque facultate Superiorum disponere nihil omnino possint, saltem licite. Verum de his omnibus explicatius, & enucleatius *part. 4. tr. 1. disp. 3.* ubi de dominio Religiosorum.

Dixi 4. *uti nec usum a Superiorum voluntate* (id est, licentia) *independentem*. Qualis autem Superiorum licentia requiratur, & sufficiat, ne Religiosus contra Paupertatem peccet, patebit ex dicendis §. *seq.* Hic autem

594. Dico secundo. Transgressio Paupertatis pertinet ad speciem sacrilegii (ad quam etiam pertinet transgressio Obedientiæ, ac Castitatis, secundum dicta *part. 2. numer. 336.*) & aliquando præterea ad speciem furti, ac injustitiæ, puta si Religiosus sine licentia Superioris aliquid accipiat, retineat, expendat, absumat ex bonis Religiosæ Communitatis. Ita DD. communiter. Ratio patens est: quia in hoc casu Religiosus usurpat alienum, rationabiliter invita Communitate Religiosa, in cujus dominio, & jure illa bona existunt; idque sine debita subordinatione, & dependentia a voluntate Superioris; ergo evadit fur contra Justitiam, & proprietarius contra votum Paupertatis. Quod si, inconsulto Superiore, aliquid acceptet a persona extranea, & seculari, peccat quidem peccato sacrilegii contra votum, non autem peccato furti contra Justitiam, siquidem non accipit alienum invito domino, ut patet. Ubi tamen distinctio adhibenda est, an scilicet id, quod a persona illa accipit, accipiat ad usum irrevocabilem, vel revocabilem a dante? Si primum; peccat contra votum, & Justitiam, haud secus, ac si aliquid acciperet ex bonis Monasterii; quia res accepta ad usum irrevocabilem, statim acquiritur Monasterio, & in hujus dominium venit; de qua proinde par est ratio, ac de aliis rebus Monasterii. Si secundum; solum committit peccatum sacrilegii, non injustitiæ, ob rationem primum insinuatam. Ex quibus ita se habentibus fluit, transgressionem Paupertatis Religiosæ esse peccatum mortale ex genere suo. Idem esto judicium de transgressione Obedientiæ. Porro transgressio Castitatis est mortalis ex toto genere suo, quatenus secundum se omnem respuit parvi-

tatem materiæ; prout alibi dictum. Sed impræsentiarum

595. Quæres, quænam quantitas requiratur, & sufficiat ad constituendum peccatum mortale contra Paupertatem Religiosam?

Respondetur, regulam aliquam universalem statui nullam posse, sed pendere ex circumstantiis, dissolutione disciplinæ, scandalo aliorum, copia, vel inopia dantis, frequentatione actuum, arbitrio viri prudentis. Interim ut saltem aliquid determinate dicamus, cum distinctione hanc regulam assignamus; nam violatio paupertatis vel est peccatum sacrilegii, & injustitiæ simul, vel sacrilegii tantum? Si primum; ea quantitas sufficit ad peccatum mortale contra Paupertatem, quæ sufficit in furto; cum tunc transgressio veram habeat rationem furti, ut proxime diximus. Id tamen advertendum, quod, cum Religiosi a Religione habeantur ut filii a Patre, ideo sicut major quantitas requiritur ad furta filiorum, ita etiam aliquanto major quantitas requiratur ad furta Religiosorum, si hæc fiant ex bonis Monasterii: idque præsertim verum est in esculentis, & poculentis, in quibus Religio non solet esse tam vehementer invita quoad substantiam, quam in pecunia, cujus furtiva acceptio omnium sensu continet maximam turpitudinem. Si secundum, seu si violatio voti Paupertatis solam importet culpam sacrilegii, regula præfata non tenet; cum gravitas sacrilegii non tam debeat desumi a gravitate damni illati, sicut in furto, quam a dissolutione, & detrimento disciplinæ Religiosæ: unde hic aliæ etiam circumstantiæ computari debent, & juxta eas quantitas prudentis Viri arbitrio determinari.

§. II.

Quænam licentia Superioris requiratur, & sufficiat, ne Religiosus contra Paupertatem peccet?

SUMMARIUM.

596. *Ne Religiosus aliquid acceptando &c. contra Paupertatem delinquat, indiget licentia Superioris.* 597. *Triplex est licentia, videlicet* expressa, tacita, & præsumpta. 598. & 599. *Etsi Superior commode adiri possit, ac peti licentia expressa, hac tamen, ne Religiosus contra Paupertatem delinquat, non requiritur, sed sufficit tacita: imo & rationabiliter præsumpta; modo Superior non censeatur esse invitus quoad substantiam &c.* 600. & *seqq. Solvuntur objectiones.* 603. *A potiori sufficit licentia rationabiliter præsumpta, quando Superior commode adiri nequit.* 604. *Licentia Superioris concessa ad usus rerum superfluos, vanos, aut turpes est valida, & excusat subditum saltem a vitiis injustitiæ, & proprietatis.* 605. & *seqq. Solvuntur objectiones, & deducuntur corollaria.* 609. *Licentia Superioris, metu, dolo, vel fraude extorta, non excusat Religiosum a transgressione Paupertatis: sicut neque* 610. *Licentia debita solum, regulariter loquendo.* 611. *Solvitur objectio.* 612. *Licentia, a Superiore majori denegata, a minori vero concessa, valet & Subditum Religiosum a transgressione Paupertatis excusat.*

596. PRænotandum primo, & tanquam indubitabile supponendum, Religiosum, ne aliquid acceptando, retinendo, expendendo, contra Paupertatem delinquat, indigere licentia Superioris, utpote cujus voluntati per omnia subjicitur, & subordinatur. Unde solum in quæstionem vocatur, qualis debeat esse illa licentia? Propter quod

597. Prænotandum secundo, licentiam esse præcipue triplicem, videlicet *expressam*, *tacitam*, & *præsumptam*. Quid sit expressa, liquet ex termino. Tacitam, & præsumptam permulti confundunt; sed male. Nam licentia mere præsumpta est, quæ nec est in se, nec in alio, sed esset, si peteretur. E diverso licentia tacita, vel est in alio, nimirum in licentia expressa, aut universali, vel etiam in seipsa. In expressa licentia existere censetur, quando id, de cujus licentia agitur, in expresso contentum, aut cum eo connexum, vel ipsi accessorium est. Hoc modo si Superior subdito concedat imagines, rosaria, & similia, probe sciens, subditum non indigere iis omnibus, censetur tacite præbere facultatem illa pie expendendi. In licentia universali existere censetur, quando in Religione aliqua viget consuetudo non accipiendi licentiam expressam pro certis rebus, Superiore conscio, & libere non contradicente. Atque hoc modo Religiosi iter agentes, vel extra claustra in studiis versantes, permittuntur facere eleemosynas aliquas moderatas, imo & donationes aliquas leves consanguineis vel amicis &c. In seipsa existere censetur, quando subditus re aliqua temporali utitur, Superiore conscio, & libere non contradicente, esto ceteroquin vigeat in Religione consuetudo petendi licentiam expressam pro usu talis rei.

Dixi iterato: *Superiore libere non contradicente:* si enim præcise non contradicat ex metu, ne subditi, negata licentia, querelis, & murmurationibus domum impleant, aut alia grandiora mala machinentur, vel attentent, taciturnitas, seu non contradictio Superioris nihil suffragabitur, nec ejusmodi Subditos a violatione paupertatis excusabit; cum tunc Superior non tam positive consentiat, quam potius se permissive solum habere intelligatur, ut scilicet per patientiam tolerato minore malo, evitetur id, quod majus est.

598. Dico nunc primo. Non requiritur licentia expressa, sed sufficit tacita, ne subditus peccet contra Paupertatem, etiamsi Superior commode adiri posset, & licentia expressa peti. Ita DD. communiter.

Probatur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. ubi tenet, Religiosum, etsi nullam habeat commissionem a Superiore, posse tamen de bonis Monasterii dare eleemosynam ex licentia probabiliter præsumpta; ergo multo magis ex licentia tacita, cum hæc secundum omnes facilius sufficiat, ac ista. Quodsi talis licentia sufficere possit ad bona Monasterii modo præfato alienanda, a fortiori sufficiet ad aliquid Monasterio acquirendum de bonis aliunde oblatis. Itaque hic locum obtinet illa Juris Regula: *taciti, & expressi eadem est efficacia.*

599. Dico secundo. Etiam licentia, rationabiliter præsumpta, in rigore præcepti sufficere potest: dummodo Superior non censeatur esse invitus quoad substantiam, esto modus ei æqualiter displiceat. Ita D. Thomas *loc. cit.* Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 4. Palao *tr.* 16. *disp.* 3. *punct.* 23. *num.* 8. & reipsa alii plurimi.

Probatur (præterquam quod jam sequatur ex immediate dictis) hac ratione: quia illa licentia sufficit, quæ facit, ut acceptio, usurpatio, vel expensio rei non fiat nomine proprio, sed cum dependentia, respectu, & subordinatione ad voluntatem Superioris: atqui id facit licentia rationabiliter præsumpta, dum subditus sibi fundate persuadet, Superiorem, si rogaretur facile consensurum, & quoad rem ipsam, ejusque acceptionem, usurpationem, vel expensionem absolute non esse invitum, licet sit invitus quoad modum; ergo &c.

Confirmatur ex *leg.* 46. §. 7. *ff. de Furt.* ubi dicitur, non esse reum furti, qui aliquid accipit, probabiliter credens, dominum consensurum, si peteret; ergo similiter &c.

Dixi in conclus. 1. *Licentia rationabiliter præsumpta:* quæ præsumptio diversa est pro diversitate objecti, Instituti, Personæ &c. difficilius enim præsumi potest in acceptione, aut expensione pecuniarum, quam esculentorum, aut similium regularum. Præterea minus præsumi potest in Religione, in qua disciplina stricte servatur, quam in alia, in qua laxius vivitur: minus etiam a Religioso Juvene, quam Sene, & Viro magnæ authoritatis. Regula veluti generalis pro rationabili præsumptione servire potest, dum quis scit, Superiorem passim sine difficultate dare solere licentiam pro his, aut aliis rebus accipiendis, retinendis, consumendis &c.

Dixi 2. *Dummodo Superior non censeatur esse invitus quoad substantiam*, non solum circa rem ipsam, sed etiam circa acceptionem ejusdem hoc modo, id est, Superior debet credi nec esse invitus quoad substantiam *circa rem ipsam*, nec quoad substantiam *circa omissionem petendæ licentiæ*; si enim Superior daturus quidem esset sine difficultate licentiam, ubi hæc peteretur rationabiliter tamen crederetur eam nolle concedere

nisi

nisi actu petatur, licentia præsumpta haud sufficiet ad aliquid licite accipiendum, retinendum &c. quia qui ita consensurus existimatur pro casu, quo rogaretur licentia, pro eo casu, quo non rogatur, præsumitur dissentire, seu non concedere licentiam: consequenter &c.

Dixi 3. *Esto modus ei aliqualiter displiceat*; nam displicentia solius modi non afficit substantiam receptionis, aut dispositionis: unde licet talis receptio, vel dispositio involvere culpam venialem possit adversus obedientiam, vel reverentiam Superiori debitam, nullam tamen includet adversus paupertatem. Palao *citat. numer. 9.*

Censetur autem Superior invitus *quoad modum tantum*, quando non solet quidem negare licentiam, cum petitur; urget tamen, & desiderat, ut subditus utatur debito candore, & confidentia, petendo licentiam expressam, ubi commode potest: seu quando ostendit, optare se quidem, ut semper petatur licentia expressa, interim tamen frequenter connivet, & dissimulat, quamvis sciat, subditos quandoque eam expresse non petere. Invitus absolute, seu *quoad substantiam* censetur esse, quando, cum petitur licentia, eam communiter negat: seu quando efficaciter urget petitionem licentiæ expressæ, palam protestando, omnem prorsus præsumptionem in materia paupertatis sibi esse simpliciter contrariam, adeoque falsam, & nullam. Nunc contra conclusionem

600. Objicies primo. Præsumptus consensus Superioris non sufficit, ut quis valide absolvat subditos non suos: *e. g.* licet a proprio Parocho concedenda credatur licentia, ut Parochiani ejus confiteri possint alteri Sacerdoti, per hoc tamen iste jurisdictionem non acquirit, vi cujus illos valide absolvat; ergo neque in proposito sufficiet similis consensus Superioris ad licitum usum rerum, salva paupertate.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia in absolvendo, vel alio simili actu exercendo requiritur specialis potestas ad agendum, qualis est sola jurisdictio de præsenti, quæ non habetur per hoc, quod Superior eam daret, si peteretur, sed quod eam hic, & nunc, seu actu det. Contra in nostro casu non requiritur, ut subditus habeat specialem potestatem ad agendum, sed satis est, quod censeatur agere Superiore non invito, adeoque nomine alieno, non proprio: id quod etiam salvatur per respectum, & subordinationem ad voluntatem Superioris præsumptam.

601. Objicies secundo. Superiores solent punire subditos, licentia præsumpta libere utentes; ergo eorum consensus rationabiliter præsumi nequit.

Respondetur, dist. cons. In modum, con. in substantiam, neg. cons. Modum non approbant, & quandoque puniunt; idque merito, cum sæpius contineat, vel continere natus sit culpam venialem; ut supra dictum.

602. Objicies tertio. Sic nimia libertas, & laxitas in Religiosorum vitam inveheretur; quia vix est excogitabilis casus, in quo non possit subditus præsumere, se obtenturum licentiam, si eam peteret, saltem a Superiore mediato, v. g. a Provinciali, Generali, Nuncio Apostolico, aut ipsomet Pontifice; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad rationem probativam dico, Superiores majores, & mediatos esse invitos quoad substantiam *circa omissionem petendæ licentiæ*: cum enim ad eos non soleat fieri recursus, nisi in causis gravioribus, & Superioris immediati potestatem excedentibus, ansa præberetur ad res etiam majoris momenti sine expressa licentia accipiendas, & retinendas, non sine ingenti Religiosæ Paupertatis, & Disciplinæ detrimento; quod cum avertere Superiores graviter obligentur, merito censentur inviti quoad substantiam *circa omissionem petendæ licentiæ*; unde talis licentia præsumpta non suffragatur: ut constat ex supra dictis.

603. Colliges, a potiori sufficere posse licentiam rationabiliter præsumptam, quando Superior commode adiri nequit, & necessitas ad aliquid accipiendum, vel expendendum urget. Hoc corollarium est conforme communi Theologorum sensui, & nititur benigna interpretatione Voti Paupertatis, cujus obligatio non censetur se porrigere ad casum, quo licentia expressa haberi moraliter non potest. Tenetur tamen subditus, qui aliquid cum licentia præsumpta accepit, postmodum, si Superior adiri queat, licentiam petere rem acceptam retinendi, nisi forte præsumere ratihabitionem tacitam Superioris, aut licentia præsumpta uti possit, & velit, secundum hucusque dicta. Quod si rem cum licentia præsumpta acceptam, consumpserit, ad nihil amplius tenetur vi voti; neque opus est, id manifestare Superiori ex postfacto; nam ratihabitio non potest esse utilis de præterito, quantum attinet ad usum proprietarium, vel non proprietarium.

604. Dico tertio. Licentia Superioris concessa ad usus rerum superfluos, vanos, aut turpes, est valida, & excusat subditum saltem a vitiis (1.) injustitiæ, & (2.) proprietatis. Ita Illsung *tr. 4. disp. 2. quæst. 3. art. 4. §. 2. num.* 207. Ininger *pag.* 74. La Croix *lib. 4. num.* 114. & alii plures apud ipsum contra P. Schmalzgrueber *ad tit. de Statu Monach. n.* 25. Lessium, Palao, & plurimos alios.

Probatur prima pars primo: quia licentia, quæ a potestate valida proficiscitur, est valida: sed licentia usus turpis, vani, superflui (dummodo non redundet in grave detrimentum bonorum Religionis, vel Monasterii) proficiscitur a potestate valida Superioris; cum nullus textus Juris, vel ratio convincens afferri queat, unde probetur ea potestas Superiori adempta; ergo &c.

Probatur eadem pars secundo. Si subditus cum tali licentia emat superflua, nemo facile ejusmodi emptionem pronunciaverit invalidam: similiter si superflua recipiat ab externo, valide ea acquirit Religioni, vel Monasterio; ita, ut in neutro casu adsit obligatio restituendi; ergo etiam licentia, qua in emendo, vel recipiendo superflua utitur, debet censeri valida, & a peccato injustitiæ excusare.

Probatur secunda pars; nam tunc solum subditus peccatum proprietatis committit, quando bona temporalia possidet, usurpat, vel expendit authoritate propria, & independenter a licentia Superioris: sed hoc non facit in nostro casu, utpote in quo habet licentiam a Superiore valide concessam; veluti ex immediate dictis ostensum manet; ergo &c.

Potest autem Superior ejusmodi licentiam dupliciter concedere. 1. expresse, & determinate ad usum illicitum: quo casu cooperatur ad malum, & cooperando peccat. 2. implicite, & indeterminate, dum nempe subdito præstat facultatem certis quibusdam rebus utendi, præscindendo ab usu licito, vel illicito; & in hoc casu non cooperatur subdito ad peccatum, sed mere se habet permissive, si subditus res, sibi concessas, in usum illicitum detorqueat: siquidem hoc modo concedendo licentiam, solum vult ex parte sua auferre impedimentum, ne subditus contra paupertatem peccet; de cetero propriæ ipsius conscientiæ relinquit dispositionem, & usum rerum sibi concessarum; unde si subditus excedat in modo utendi, vel alias illicite illas impendat, sicque nihilominus contra paupertatem, aut aliam virtutem peccet, nulla culpa in Superiorem redundat: sicut nulla culpa refunditur in mutuatorem, si mutuatarius rem, sibi indeterminate, & generaliter ad quoscunque usus mutuatam, in usum turpem, vel alias illicitum impendat.

Dixi in conclus. *saltem a vitiis injustitiæ, & proprietatis*. Nam si res vanæ, & superfluæ ratione sui repugnarent statui Paupertatis secundum magis, vel minus rigorosam illius professionem diversis Religiosis Familiis consuetam, subditus, modo præfato licentiatus, non effugeret peccatum contra Paupertatem. Ratio hujus est: quia votum Paupertatis præter obligationem requirendi licentiam Superioris, secundum varios Canones inducit etiam obligationem non habendi superflua, & Statui promissæ Paupertatis disconvenientia: sed licentia Superioris non potest efficere, ut res superfluæ, vanæ, aut alias Statui Paupertatis repugnantes, non sint superfluæ, non vanæ, non repugnantes; ergo &c. Quod si subditus res sibi concessas applicet non ad usum superfluum, vanum, aut Statui Paupertatis repugnantem, sed ad usum alium, quantumvis illicitum, vel etiam turpem, v. g. si modica pecunia, suæ liberæ dispositioni relicta, meretricem conducat, iniquissime quidem agit; quia tamen (ut recte notat La Croix *cit.*) statum pauperis conservat, contra votum Paupertatis peccare nulla ratione convincitur.

§. III.

Expediuntur nonnulla alia Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

613. Religiosus invitatus ab externo ad prandium, peccat contra Paupertatem, si sine licentia Superioris comedat, & bibat: aut 614. libros v. g. accipit, & ad usum retinet, licet eos in cubiculo palam expositos habeat. 615. An Religiosus delinquat contra votum Paupertatis, qui res ad usum sibi concessas commutat cum aliis rebus, vel donat, aut commodat personis extraneis, domesticis &c.? 616. Religiosus salva paupertate non potest etiam de licentia Superioris habere proprium peculium, v. g. privatam supellectilem, vestes, libros &c. spectato rigore Concilii Tridentini. 617. Quibus pœnis transgressores Paupertatis plectantur?

613. QUæres primo, an Religiosus, invitatus ab externo ad prandium, vel merendam peccet contra Paupertatem, si sine licentia Superioris comedat, & bibat?

Respondetur affirmative. Ita Tamburinus *in Decal. lib.* 8. *tr.* 1. *cap.* 2. §. 5. *n.* 10. Amicus *de Just. disp.* 14. *n.* 57. La Croix *loc. cit. n.* 105. contra Card. de Lugo *de Just. disp.* 5. *n.* 51. ubi vult, ejusmodi Religiosum non peccare, si cibos consumat in præsentia invitantis. Rationem dat: quia talis conviva habet se potius passive, quam active, eo quod non tam conviva per seipsum, quam invitans per convivam cibos consumat. Verum hanc doctrinam, & rationem jam olim rejeci *in Thesib. de Restitut. pag.* 25. ubi *cit.* Author ex eadem ratione a restitutione liberat comedentem mala fide cibos furtivos ab amico suo sibi appositos. Nam ne quidem apparenter verum est, ejusmodi convivam, cibos ultro acceptando, ori ingerendo, absumendo, & in suam utilitatem convertendo, solum passive concurrere in genere moris, seque solum habere per modum instrumenti, & cibos absumere nomine mere alieno, ut rem consideranti non potest non esse pervium; & probatur sic contra Adversarium: siquidem juxta eum si Religiosus sine licentia Superioris acceptet cibos, ab externo missos, eosque consumat in Monasterio, habet se positive, agitque nomine proprio, & non ut merum alterius instrumentum; ergo etiam si illos acceptet, & consumat foris in præsentia invitantis; quid enim ad hoc facit præsentia, vel absentia alterius? Certe qui cibos loco domini distribuit inter pauperes, agit ut instrumentum domini, sive hic sit præsens, sive absens; ergo etiam in nostro casu si Religiosos se solum haberet ut instrumentum, pro tali reputandus foret, sive concedens cibos esset præsens, sive absens. Itaque indubitabile censeo, peccare contra Paupertatem Religiosum, qui esculenta, vel poculenta ab externis sine licentia Superioris saltem præsumpta acceptat, ubicunque demum illa absumat, domi, aut foris, in præsentia, vel absentia dantis.

Dices. Quando externus in honorem Religiosi, ad se invisentis, accendit pretiosa aromata, instituit Musicam, exhibet artificiosas picturas, eumque pretioso curru secum per plateam domum deducit, nemo Religiosum arguit alicujus peccati contra Paupertatem; ergo nec in nostro casu argui debet.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod Religiosus in 1. & 2. casu habeat se mere passive. Exemplum in 3. casu non facit ad rem; nam visio picturæ non constituit objectum Paupertatis. In ultimo casu excusatur quis a licentia præsumpta Superioris. E contra res se habet, vel habere supponitur in nostro casu: consequenter &c.

614. Quæres secundo, an Religiosus, qui ab externis libros, aut similia accipit, eosque palam in cubiculo expositos, ad usum retinet, inscio Superiore, peccet contra Paupertatem?

Respondetur affirmative. Ita cum communi Tamburinus *loc. cit. num.* 2. Ratio est: quia alias sequeretur, Religiosos impune posse quidvis accipere ab externis, modo illud Superioris conspectui, & liberæ ejusdem dispositioni non subducant: quod sine gravissimo Religiosæ Paupertatis, & disciplinæ laxamento sustineri non potest. Quare publicus usus, & retentio non sufficit, ut Superior censeri possit illico consentire, & tacitam ad ejusmodi usum præbere licentiam, ex eo, quod videat, aut videre possit, & non auferat res expositas; relinquit enim conscientiæ subditi, an eas cum, vel sine licentia detineat, usurpet &c. Et hæc *per se loquendo* intelligi velim; nam, ut recte advertit Tamburinus *cit. num.* 3. rigor temperandus ex eo est, quod sæpenumero tacita, vel præsumpta Superioris licentia suffragari valeat: circa quod consuetudines cujuslibet Religionis aspici debent.

615. Quæres tertio, an Religiosus peccet contra votum Paupertatis, qui res ad usum sibi concessas, e. g. Breviarium, pileum &c. commutat cum aliis ejusdem, aut majoris bonitatis rebus; vel donat, aut commodat personis extraneis, domesticis &c.?

Respondetur cum distinctione. Vel enim res illi concessæ sunt ad quoscunque usus suo statui non incongruos; vel ad usum duntaxat unum, & determinatum? Si primum; per se patet, quod illas permutare, donare, vel commodare possit. Si secundum; rursus patet, quod non possit: sic enim potestas de talibus rebus disponendi ad alios usus censetur Religioso adempta: nisi forte emergat casus, in quo prudenter licentiam Superioris præsumere possit; tunc enim discurrendum erit secundum dicta superius de usu licentiæ præsumptæ. Unde si Religiosus portionem vini, quæ singulis ex quotidiano dimenso datur, defraudando genium, comparcat, non potest de ea pro suo libitu disponere, v. g. bono amico, consanguineo, aut pauperi dare, vel vendere, & pecuniam inde redactam in suos usus convertere, nisi accedat licentia Prælati saltem tacita, vel præsumpta. Cum enim ex vi voti Paupertatis sit in sua particulari persona dominii incapax, sic comparcendo nihil acquisivit sibi proprium, sed remansit id in bonis Monasterii: consequenter &c. Schmalzgrueber *loc. cit. numer.* 21. & alii communiter.

616. Quæres quarto, an Religiosus salva Paupertate possit ex licentia Superioris proprium habere peculium, puta privatam supellectilem, vestes, libros &c.?

Respondetur negative. Ratio est: quia Trident. *Sess.* 25. *capit.* 2. *de Regular.* expresse statuit, *ut deinceps nemini Regularium, tam Virorum, quam Mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Quod quidem Decretum non solum prohibet Religiosis peculium juris perfecti cum facultate de eo libere, & independenter ab alio disponendi (nam hoc, utpote ex se cum voto Paupertatis aperte pugnans, jam ante Concilium Tridentinum Religiosis illicitum erat) sed etiam peculium juris imperfecti, tribuentis administrationem, possessionem, vel detentionem, & usum dependentem ab alio, ita ut ad ejus arbitrium restringi, revocari, & omnino auferri possit. Atque hoc ex vi Tridentini. Ubi tamen nolim inficias ire, rigori præallegati Decreti consuetudine contraria derogari posse, & reipsa multum derogatum esse, dum Superiores Religiosis suis non tantum extra, sed etiam intra Monasterium degentibus, passim concedunt peculia, ad usus necessarios, & honestos impendenda, ita tamen, ut ea pro suo libitu revocare, vel omnino auferre queant; nam peculia irrevocabilia, utpote voto Paupertatis ex sua natura, & indole repugnantia, non est integrum concedere subditis Religiosis, seu Paupertatem Religiosam professis. Ita Lessius *lib.* 2. *de Instit. cap.* 4. *n.* 30. Schmalzgrueber *loc. cit. a n.* 51. & alii.

617. Quæres quinto, quibus pœnis transgressores voti paupertatis plectantur?

Respondetur 1. Proprietarius expellendus esset ex Conventu, *cap.* 6. *de Statu Monach.* Verum hæc pœna, ne Religiosis præbeatur occasio vagandi, mutata est in pœnam carceris, in quem proinde proprietarius detrudi, & juxta delicti qualitatem puniri debet. Laymann loco mox citando, & alii passim. 2. Privatur voce activa, & passiva per biennium, aliisque pœnis juxta Religionis suæ Constitutiones subjacet. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* 3. Repellitur proprietarius a sepultura Ecclesiastica, *cap.* 2. & 4. *de Statu Monach.* & quid-

quid pecuniæ apud eundem repertum fuerit, totum, spectando rigorem Juris, una cum illo humandum foret: at, quoniam pars pecuniæ abunde significat perditionem proprietarii, ex æquitate sufficit, si hæc sola cum proprietario sepeliatur: ut recte advertit Laymann *lib. 4. tr. 5. c. 7. n. 22.* & alii post ipsum.

Hæ tamen pœnæ non sunt statutæ cuicunque vitio proprietatis, sed solum retentioni. Unde non satis est aliquid sine licentia Superioris accepisse, vel expendisse, nisi etiam probetur retinuisse. Laymann *cit.* aliique passim. Porro non incurruntur ante sententiam Judicis; prout de privatione vocis activæ, & passivæ colligitur ex verbis: *deprehensus, convictusque fuerit*; & de privatione Ecclesiasticæ sepulturæ, ac reclusione in carcerem, per se clarum est.

CAPUT V.

De Privilegiis Regularium.

PRivilegia oppido multa SS. Pontifices concessere Religiosis, præsertim Mendicantibus; quorum omnia cum singillarim prosequi haud valeamus, aliqua tantum delibabimus tum commuoia omnium Religiosorum, tum specialia Mendicantium. Et quamvis non singula, quæ referemus propric privilegia, sed aliqua prærogativæ, gratiæ, favores, aut indulgentiæ appellari deberent, prout patebit consideranti; nihilominus ad evitandam vocabulorum varietatem, indeque sequi natam confusionem, solo privilegii vocabulo usuri sumus.

ARTICULUS I.

Recensentur nonnulla Privilegia communia Regularium.

SUMMARIUM.

618. *Regulares per emissionem; imo & 619. Per renovationem Professionis Religiosæ consequuntur perfectissimam remissionem pœnæ omnium peccatorum suorum antea commissorum, & quoad culpam remissorum. 620. & seqq. Consequuntur præterea per eandem emissionem omnium aliorum votorum saltem personalium (idem cogita de juramentis piis) antea nuncupatorum commutationem: liberantur ab irregularitate ex defectu natalium relate ad Ordines: a macula quoad actus temporales: a patria potestate, & ne possint exheredari: ab obligatione sponsalium, & matrimonii rati.*

DE Privilegiis Fori, & Canonis, quæ Clericis Secularibus, & Regularibus cumulative competunt, actum est *disput. præced.* hic autem de Privilegiis, quæ Regularibus qua talibus privative competunt, sermo est.

618. Dico itaque primo. Regulares per emissionem Religiosæ Professionis consequuntur plenam, & perfectam remissionem pœnæ propter peccata quæcunque, ante commissa, & quoad culpam jam remissa, debitæ. Est sententia moraliter certa; nec scio Authorem, qui contradicat.

Probatur primo. SS. Patres, Hieronymus, Anselmus, Bernardus &c. apud Laymannum *lib. 4. tr. 5. c. 10. n. 1.* Professionem vocant alterum Baptisma: atqui non sic vocari potest quoad remissionem culpæ; cum non sint alia remedia a Christo ad tollendum culpæ reatum instituta, nisi Sacramenta (in re, vel saltem in voto suscepta) ergo quoad remissionem pœnæ, nempe temporalis, propter peccata quoad culpam jam remissa etiamnum debitæ.

Ubi recte advertit Kerckove *super nostra Statuta General. c. 1. §. 14. n. 22.* nullo modo sustineri posse, quod per Professionem Religiosam, secundum se spectatam, remittantur peccata quæcunque etiam quoad culpam; imo id asseri absque nota temeritatis non posse censet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 13. n. 5.* Siquidem temerarium est, aliis mediis, præterquam Sacramentis, attribuere vim remittendi peccata quoad culpam, etiamsi hæc mortalia sint.

Probatur conclus. secundo. Homo justus ex meritis Christi plene satisfacit Deo pro pœnis suorum peccatorum, si faciat tantum, quantum potest; prout videtur certum, & indubitabile (quid enim plus requiret misericors Deus, ad opera satisfactoria toties excitans in Scripturis?) id autem facit homo, dum omnes suas facultates ex & internas per Professionem Religiosam in perpetuum consecrat Deo, maxime dum derelinquit, & Eidem stabiliter tradit animi sui libertatem, qua nihil in homine excellentius, ipsique charius est; ergo &c.

Confirmatur. Assumptio Religionis per Professionem supergreditur omne genus satisfactionis, *per text. in c. 8. caus. 33. q. 2.* ita ut Glossa *ibid. in verb. Monasterium* dicat, quantamcunque pœnitentiam, propter peccata residuam, & adhuc subeundam, per ingressum, id est, Professionem Religionis penitus exsolvi; ergo &c.

Licet vero Religionem Profitentibus concessa sit a Paulo V. indulgentia plenaria, id tamen non evincit, remissionem pœnæ plenam, de qua diximus, principaliter ab indulgentia provenire, sed ab excellentia, vi, & merito ipsius Professionis, quæ uti suiipsius est traditio Deo beneplacitissima, ita ab Eodem acceptatur pro solutione adæquata; quod nobis sufficienter innuitur per SS. Patrum, & Doctorum unanimem consensum. Unde hæc remissio est longe certior, quam quæ alias, seu communiter fit per indulgentiam plenariam, quoniam ad hujus, nempe indulgentiæ, valorem plures requiruntur conditiones, quarum una deficiente tota corruit: in Professione autem sola vera voluntas, qua quis se Deo consecrat, & status gratiæ sufficiunt. Quod tamen cum Palao limitat Augustinus Michel *tom. 1. fol. 649. n. 3.* & vult esse verum *regulariter* tantum; non vero, ubi peccata Professi sunt plura, & graviora, actus autem Professionis valde tepidus, ac remissus. Et forte hac de causa Religionem Profitentibus conceditur plenaria indulgentia exigens solum opus Religionis (alias requirens plures conditiones, ut dictum) quæ sane necessaria oon esset, si omnes indiscriminatim virtute ipsius Professionis plenariam pœnarum remissionem obtinerent.

619. Quæres, an pœna, peccatis quoad culpam remissis debita, etiam remittatur per Professionis renovationem?

Respondetur, probabiliter remitti, supposito, quod renovatio fiat serio, & fervide. Laymann *loc. cit. n. 2.* Kerckove *n. 23.* Mezger *tr. 8. disp. 39. art. 5. n. 4.* & alii plures. Ratio est; nam vota, quæ in Religione eduntur, ideo afferunt plenam pœnæ remissionem, quia homo per ea se totum perfecte mancipat Divino obsequio; ergo si iterum, seu per Professionis renovationem, taliter se mancipet Deo, Ejusque obsequio; poterit eundem effectum iterato consequi. Ceterum Professio renovari potest toties, quoties libuerit: prout edisserit S. Bernardinus Senensis *in Quadrages. tr. 2. serm. 24. art. 1.* cujus verba sunt: *Hæc libertas non solum datur in illa hora, qua ipsum votum emittitur, sed etiam in omni tempore, quo sibi vovisse placet, & in quo cum hac complacentia votum implet.* Indulgentiam tamen specialem pro Religiosis in communi, Professionem reiterantibus sive determinato die, sive pro libitu, non scio concessam. Religiosis autem nostri Ordinis de Observantia, suam Professionem semel in anno, die nimirum 16. Aprilis, renovantibus, indulgentiam plenariam, eamque perpetuam, clementissime largitus est modernus S. Pontifex Clemens XII. an. 1735. die 30. Martii per Breve: *Cum sicut*, quemadmodum testatur Directorium Aracælitanum PP. Franciscanorum ibidem, impressum pro an. 1736.

620. Dico secundo. Regulares per emissionem Religiosæ Professionis insuper consequuntur commutationem omnium votorum saltem personalium (idem cogita de juramentis piis, id est, soli Deo factis) sive in seculo, sive in Novitiatu nuncupatorum, adeo, ut ejusmodi vota ipso Jure expirent, non per irritationem, aut redemptionem, aliamve relaxationem, sed per veram solutionem, spectata natura ipsius operis in perpetuum Deo præstandi. Uode oulla requiritur intentio, qua Regularis profitens ejusmodi commutationem ipse facere, vel sibi fieri velit. Laymann *lib. 4. tr. 5. c. 10. n. 3.* & alii passim. Ratio est: quia per Professionem Religiosam omnes profitentis facultates, ac vires in perpetuum, & irrevocabiliter Deo devo-

devoventur; adeoque eminenter præstatur, quidquid per particulares obligationes præstari posset, Deoque plenissime satisfit, ad eum modum, quo homo homini obstrictus debitis, huic plenissime satisfacere censendus est, si omnia bona sua ei offerat, seque ipsum in perpetuum servum addicat.

Dixi in conclus. *votorum saltem personalium*. Nam vota realia, si non sint facta soli Deo, sed in utilitatem hominis quoque directa, huic intimata, & ab eodem acceptata (idem rursus cogita de juramentis non piis, id est, in hominis utilitatem nuncupatis) per Religiosam professionem non tolluntur, sed exsolvi debent vel prævie ab ipsomet profiteri volente, vel ab ipsius hæredibus. Ratio est: quia in simili casu homini acquisitum est jus, & commotatio voti cederet in ejus præjudicium: consequenter &c. Quod dicendum de votis mixtis, colligitur ex dictis *part. 2. n. 425.*

621. Dico tertio. Regulares per emissionem Religiosæ Professionis liberantur ab irregularitate ex defectu natalium relate ad Ordines; non vero relate ad Prælaturas, *c. 1. de Filiis Presbyt, & c. 1. dist. 65.* Abstergunt præterea maculam quoad actus temporales, ita, ut damnati de crimine furti v. g. aut perjurii, postea ad testandum in Judicio, aliosque similes actus legitimos exercendos admitti valeant. Colligitur *ex Authentica de Monachis, collat. 1.* Laymann *loc. cit. n. 4.* & alii communiter.

622. Dico quarto. Regulares per emissionem Religiosæ Professionis liberantur a patria potestate; cum penitus transeant in potestatem Superioris Regularis, Delent insuper maculam ingratitudinis erga parentem commissæ, vi cujus alioquin potuissent exhæredari, seu privari legitima portione hæreditatis. Ita habetur in Novellis Justiniani Imperatoris apud Gratianum *c. ult. caus. 19. q. 3.* & docetur a Sanchezio *lib. 5. Moral. c. 5. n. 33.* & aliis passim.

623. Dico tandem quinto. Regulares per emissionem Religiosæ Professionis absolvuntur ab obligatione sponsalium, sique contraxere; cum reddantur inhabiles ad matrimonium incundum; imo & ab obligatione, ac vinculo matrimonii rati, nondum consummati, *c. 1. de Convers. conjug.* & *Trid. Sess. 24. can. 6.* Sed de hoc ex professo, *part. 6. tr. 2.*

Atque hæc præcipue intellecta sunto de Regularibus, Professionem solemnem, seu vota solemnia emittentibus. Quid juris de emittentibus vota simplicia in Societate Jesu, tradunt Laymann, & Sanchez *citt.* aliique ejusdem Societatis, quos vide.

ARTICULUS II.

Recensentur nonnulla Privilegia respective specialia, & propria Regularium Mendicantium.

SUMMARIUM.

624. & seqq. Recensentur complura privilegia Religiosorum Mendicantium. 634. Quinam sint casus, in quibus Religiosi Mendicantes Episcopis sunt subjecti?

624. DIco. Regulares Mendicantes (eorumque Ecclesiæ, Monasteria, Oratoria, Hospitia, & Grangiæ) ab Episcoporum, seu Ordinariorum jurisdictione, ac legibus exempti sunt, & immediate subjecti Sedi Apostolicæ, certis casibus exceptis, Rodriquez *to. 2. QQ. Regul. q. 64. art. 2. & seq.* Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 105. num. 11. & 12.* Reiffenstuel *lib. 1. tit. 31. §. 4.* Herincx *de Legib. disp. 3. q. 11. num. 154.* La Croix *lib. 4. num. 168.* & alii passim. Sumitur ex *cap. 16. & cap. 17. de Excess. Prælat.* atque ex pluribus locis Tridentini. Porro Fratres Minores, & Prædicatores (consequenter alios quoque Mendicantes, cum illis privilegiorum communicationem habentes) exemit Sixtus IV. in Bulla: *Regimini universalis*, data an. 1474. reperiunda in Bullario Cherubini inter Constitutiones altefati Pontificis. Idem fecere & alii SS. Pontifices. Ex quibus

625. Fit 1. ut Regulares Mendicantes non possint ab Episcopis feriri censuris, nisi in casibus a Papa concessis. Patet ex *cit.* Bulla: *Regimini universalis.*

Fit 2. ut non possint prohiberi, seu impediri ab Episcopis, ne ostiatim mendicent, & eleemosynas quærant cum licentia suorum Superiorum per loca Diœcesis, in qua obtinent Conventus. Liquet ex Decreto S. Congreg. Card. Concilii Trid. Interpretum, edito an. 1621. videndo apud Matthæucci *in Officiali Curiæ Regularis V. Officialis quoad exemptionem ab Ordinarii jurisdictione.*

627. Fit 3. ut Episcopi non possint in Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis Mendicantium, in quibus nulla animarum cura circa Seculares exercetur, visitare Sacristias, Paramenta, Vasa sacra, Altaria, & cetera hujusmodi, aut etiam Tabernaculum, seu pyxidem, in qua SS. Eucharistiæ Sacramentum asservatur. Liquet itidem ex Decreto S. Congreg. Card. videndo apud eundem Matthæucci *loc. cit. num. 41.* Quod si in Ecclesiis antefatorum Regularium cura animarum circa Seculares exerceatur, possunt Episcopi (per se loquendo) visitare illud Altare, quod est deputatum pro cura animarum; item Baptisterium, & Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, ex decisione Romana ann. 1631. die 5. Aprilis edita, quam refert Barbosa apud P. Sannig *in Schola Theolog. tom. 3. tr. de Privileg. dist. 2. quæst. 5. num. 8.*

628. Fit 4. ut Regulares Mendicantes non teneantur (nisi habeant curam animarum circa Seculares; prout excipit Trident. *Sess. 24. cap. 2. de Reform.*) accedere Synodum Diœcesanam, Patet *cap. 17. de Excess. Prælat.* Nec Decretis in illa factis subjiciuntur; prout cum communi aliorum tradit Sannig *cit.* & fluit ex doctrina generali conclusionis. Atque hoc verum est, licet hujusmodi Decreta forte sint confirmata a S. Pontifice: quia per hanc talem confirmationem non censentur extracta a ratione Decretorum Episcopalium (nisi oppositum constet de mente Confirmantis) sed tantum in ratione talium stabilita, & roborata.

629. Fit 5. ut Regulares Mendicantes non obligentur ad jejunia Diœcesana, ad vota a populo facta, aut alias ejusmodi observantias ab eodem introductas, licet accesserit confirmatio Episcoporum. Rodriquez *in Addit. ad Summam Moral. tit. 4. cap. 110.* Sannig *cit.* & alii. Quia nullibi extat dispositio, aut lex aliqua positiva, ejusmodi obligationem imponens: esto iidem Regulares obligari possint ratione legis naturalis scandalum, alioquin forte dandum, vetantis.

630. Fit 6. ut Regulares Mendicantes libere, & citra licentiam Episcoporum possint celebrare Missas in propriis, & alienis Ecclesiis per Bullam S. Pii V. *Etsi Mendicantium* 17. Kalend. Junii ann. 1567. (quæ habetur in Bullar. Cherubin. tom. 2. pag. 227.) etiam tempore, quo Parochi ipsimet in suis Ecclesiis celebrant, ex eadem Bulla, & Decreto S. Congreg. Regular. die 10. Octobr. ann. 1586. edito, in quo sic statuitur: *Ordinarii non impediant Fratres pulsare campanas ad Matutinum, Horas, & Missam, antequam pulsetur campana majoris Ecclesiæ, præterquam in die Sabbati sancti.* Matthæucci *loc. cit. V. Officialis quoad celebrationem Missar. numer. 2.* Quantum vero ad conciones, hora, qua vel ipse Episcopus prædicat, vel ab alio solemniter prædicante concionem audit, debent Regulares concionibus in suis propriis Ecclesiis supersedere, si ille sic disposuerit, *per Clement. 2. de Sepult. in 6.* Imo Episcopus prohibere valet Regularibus, etiam Mendicantibus, ne in suis Ecclesiis prædicent tempore, quo in Ecclesia Parochiali prædicatur. Patet ex *Sess. 24. c. 4.*

631. Fit 7. ut Regulares Mendicantes, semel ab Episcopo simpliciter approbati, possint in Diœcesi ejusdem, quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum, confessiones audire absque ulla Parochi, vel ipsius Episcopi licentia. Sic habetur expresse in Bulla Clem. X. *Superna*, edita ann. 1670. die 2. Augusti.

632. Fit 8. ut possint Regulares Mendicantes in suis Ecclesiis benedicere Aquam lustralem, Cineres, Palmas, Candelas, Herbas, Ova &c. etiam pro Secularibus: siquidem nulla lex extat, quæ Seculares obliget ad ejusmodi rerum benedictionem determinate a Parocho petendam. Matthæucci *in Officiali Curiæ Ecclesiasticæ c. 7. n. 25.* Possunt præterea iidem Regulares benedicere domos Secularium (præterquam in Hebdomada Sancta; prout excipit cit. Author *num. 24.*) vestes, lectos &c. Id quod constat ex continua praxi. Possunt denique

iidem Regulares (sed Superiores duntaxat) benedicere non tantum suarum, sed etiam aliarum Ecclesiarum quarumcunque Paramenta, Ornamenta, & alia ad Divinum cultum pertinentia, ubi Unctio Chrismatis non intervenit, ex Privilegio concesso ab Innoc, VIII. Prioribus S. Hieronymi, in quo nostri, & alii Superiores Ordinum Mendicantium communicant. Nec obstant Declarationes Card. in contrarium: quia hæ dicto Privilegio non derogant: veluti ostendit Reiffenstuel *lib. 3. tit. 40. n.* 52. quem vide.

633. Fit 9. ut Regulares Mendicantes possint in suis Ecclesiis sepelire quoscunque Seculares, si vel hi ipsi, vel eorum hæredes id petierint; esto nec Parochus, nec Episcopus desuper requiratur. Rodriquez *tom. 3. QQ. Regul. qu. 99. & qu. 58. art.* 2. Pirhing *lib. 3. tit. 28. n.* 36, Sannig *eod. lib. & tit, n,* 5, Patet *ex Extravag.* 2. 6. *Hujus modi de Sepult.* ubi statuitur, *ut Fratres Ordinum S. Dominici, & S. Francisci in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis, liberam (ut sequitur) habeant sepulturam: videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis,*

Hæc Privilegia Regularium Mendicantium impræsentiarum recensuisse satis esto; nam alia non pauca partim jam inseruimus, partim adhuc inseremus per decursum in propriis, & particularibus materiis, Porro an Privilegiis hucusque recensitis, & quibus gaudeant Regulares non Mendicantes, ipsi noverint. Sed

634. Quæres, quot, & quinam sint illi casus, in quibus Religiosi Mendicantes Episcopis sunt subjecti?

Respondetur, universim quinquaginta duos enumerari a Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat.* 105. ex quibus aliquos magis practicos adducemus, Itaque

Casus I. est. Regulares etiam Mendicantes, extra Claustra degentes, si delinquant, ab Ordinario loci, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi possunt. Ita expresse Trid. *Sess. 6. c. 3. de Reform.* Quod tamen intelligendum venit de degentibus extra Claustra permanenter, ut si commorentur extra illa v. g. studiorum causa, juxta Trid. *Sess. 25. c. 4. de Regular.* non vero de degentibus extra Claustra veluti transeunter tantum, v. g. per aliquot dies, vel etiam per duos, aut tres menses, ut cum suorum Superiorum licentia interea prædicent populo Verbum Dei, vel invisant Parentes, consanguineos, amicos &c. Tales proinde non comprehenduntur a Trid, supra *Sess. 6. c. 3. de Reform.* Id quod depromitur ex eodem Concil. *Sess. 23. c. 2. de Reform,* juxta quod aliquantisper absentes (nempe per duos, vel tres menses) *ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt*; ut loquitur textus ibidem. Reiffenstuel *lib. 1, tit. 31. n.* 111, *& seq,* cum aliis a se relatis,

Casus II. Quando Regularis Mendicans intra Claustra permanenter degens, sed extra illa transeunter existens notorie delinquit cum scandalo populi, debet a Superiore suo ad instantiam Episcopi, & intra tempus ab isto præfixum, severe puniri, Episcopusque de punitione executioni mandata reddi certior: alioquin Superior per suum Superiorem majorem privandus est officio, & jus puniendi delinquentem devolvitur ad Episcopum, Ita decrevit Trid. *Sess. 25. c. 14. de Regular.* & tradit cum aliis Barbosa *loc. cit, a n,* 18,

Casus III. Regularis Mendicans, si apostatet, vel ejiciatur e Religione, jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi existit, plene subjicitur. Patet ex Decreto S. Congreg. Concilii Trid. an. 1624. die 21. Septemb. edito, & refertur *tom. 4. Bullarii Romani, Constit, 28. Urbani* VIII.

Casus IV. Regularis Mendicans puniri ab Episcopo potest tanquam desertor sui Instituti, quando sine legitimo mandato, in scriptis obtento, a suo Conventu recedit, etiam prætextu accedendi Superiores. Trident, *Sess. 25. c. 4. de Regular.*

Casus V, Regulares Mendicantes tenentur servare dies festos, quos Episcopus in sua Diœcesi servandos præceperit. Trid. *Sess. 25. c, 12. de Regular.*

Casus VI. Tenentur iidem Regulares (nisi specialiter exempti sint; ut Patres Societatis, Carmelitæ Discalceati &c.) vocati interesse Processionibus publicis, possuntque ad interessendum ab Episcopo compelli. Trid. *Sess. 25. c. 13. de Regular.*

Casus VII. Componere controversias de præcedentiis, in publicis Processionibus, & sepeliendis defunctorum corporibus ortas, pertinet ad Episcopos, omni appellatione remota, & non obstantibus quibuscunque. Trid. loco immediate *cit.*

Casus VIII. Regulares Mendicantes non possunt confessiones Secularium audire, nisi ab Episcopis per examen, aut alias idonei judicentur, & approbationem obtineant. Trid. *Sess. 23. c. 15. de Reform.*

Casus IX. Regularis Mendicans, qui sponsos alicujus Parochiæ sine licentia Parochi conjungere, aut benedicere præsumpserit, ipso Jure tandiu suspensus existit, quandiu ab Ordinario Parochi non absolvitur, Trid. *Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.*

Casus X. Episcopi possunt prohibere, ne Regulares Mendicantes peragant Sacrificium Missæ in domibus privatis, & Oratoriis non dedicatis præcise ad divinum cultum (juxta Trid. *Sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebrat. Missæ,*) esto iidem Episcopi celebrationem Missæ justa de causa concedere valeant (non obstante Decreto immediate allegato) prout ostendit Reiffenstuel *loc. cit. n.* 136,

Casus XI. Non licet Regularibus Mendicantibus, etiam in propriis Ecclesiis, SS. Eucharistiæ Sacramentum publice (id est, cum solemnitate, seu in Monstrantia, ut S. Hostia videri possit) adorandum exponere, nisi ex causa publica ab Ordinario recognita, & approbata. Ita decrevit S. Congreg. Rituum an. 1628. die 26. Februarii, & refert Lantusca *in Theatro Regular. V, Eucharistia n.* 1.

Casus XII. Regulares Mendicantes non possunt extra Claustra, & ambitum suorum Monasteriorum, instituere Processiones sine licentia Ordinarii (nisi eis consuetudo, vel Privilegium aliquod Apostolicum speciale suffragetur) & contrarium attentantes ab eodem Ordinario puniri, ac impediri valent, Barbosa *loc. cit. n.* 77. Reiffenstuel *n.* 140,

Casus XIII. Regulares Mendicantes subjiciuntur Episcopis in iis, quæ sunt Ordinis Episcopalis; ut in petitione Chrismatis, consecratione Ecclesiarum, susceptione Ordinum &c. *c, 19. §. Chrisma, de Præscript.* Unde non possunt recipere Ordines (secluso speciali Privilegio) nisi ab Episcopo illius loci, intra cujus Diœcesim eorum Monasteria sunt sita. Trid. *Sess. 23. cap. 10. de Reform.*

Casus XIV. Regulares Mendicantes subjiciuntur Episcopis, quoad editionem librorum de rebus sacris, adeo, ut sine approbatione Ordinarii, in fronte libri apponenda, nullum imprimere, aut imprimi facere possint. Trid. *Sess. 4. in Decreto de Editione librorum*, Concionem tamen aliquam v. g. si quantitatem libri non attingat, imprimere absque Ordinarii approbatione non videtur iisdem Regularibus prohibitum; quoniam Concil. *cit.* loquitur de editione libri. Azorius *part. 1, lib. 8, cap. 17. quæst, 4.* Reiffenstuel *num.* 144. & alii.

Casus XV, Regulares Mendicantes non possunt sine licentia Ordinarii publicare Indulgentias, Roma obtentas. Trid. *Sess. 21. c. 9. de Reform.* & *Sess. 25. in Decreto de Indulgentiis*, Quod tamen intelligendum venit de Indulgentiis noviter obtentis; non vero de Indulgentiis antiquitus impetratis; veluti advertunt Bonacina *to. 3. disp. 2. de Bulla Cœnæ q. 3. punct. 30. n. 9,* Reiffenstuel *loc. cit, n.* 145. & alii.

Casus XVI. Regulares Mendicantes in Ecclesiis alienis prædicare non possunt sine petita, & obtenta Episcopi benedictione. Trid. *Sess. 5. c. 2. §. Regulares vero, de Reform.* Ut vero prædicare possint in propriis Ecclesiis, sufficit benedictio ab Episcopo petita, licet non sit obtenta: dummodo non accedat expressa ejus prohibitio. Fagnanus *in c. 19. de Offic. Jud. Ordinar,*

Casus XVII. Episcopi, in sua quisque Diœcesi, & Territorio, possunt inquirere, & procedere contra Confessarios Ordinum Mendicantium solicitantes in Confessione. Ita post Pium IV, & Paulum V, decrevit Gregorius XV. in Bulla: *Universi*, edita an. 1622. quam refert Bullarium Romanum *tom. 3. Constitut.* 32. dicti Pontificis, & Barbosa *loc. cit. allegat.* 105. *n.* 60. Quando autem censeatur committi peccatum ejusmodi solicitationis, relinquitur ex dictis *part. 2. n.* 669.

Casus XVIII. Regulares Mendicantes subsunt Episcopis quoad renunciationes Novitiorum. Ita Trident, *Sess.*

Seff.25. de Regular. c.16. ubi renunciationes, & obligationes a Novitiis factæ, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ, decernuntur irritæ, si non fiant cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, infra duos menses ante Professionem. Revideantur dicta superius *n.578.*

Casus XIX. Regulares Mendicantes subjecti sunt Episcopis quoad Judicium super nullitate Professionis Religiosæ. Unde siquis eorum prætendat, se, vi, aut metu adactum, Religionem intrasse, ante debitam ætatem Professionem emisisse &c. & idcirco Habitum dimittere velit, audiri non debet, nisi intra quinquennium a die Professionis, causas, quas prætendit, deduxerit coram suo Superiore, & Episcopo. Trid. *Seff. 25. c.19. de Regular.* Et hoc ipsum obtinet, quando Religio cogitat Religiosum dimittere tanquam nulliter professum; prout, teste Fagnano ubi supra *n.27.* declaravit Sacra Congregatio.

Casus XX. Regularibus Mendicantibus non licet die Sabbatino majoris Hebdomadæ in suis Ecclesiis pulsare campanas, antequam hæ pulsentur in Ecclesia Cathedrali, vel Majori. Ratio congrua est, ut tali Ecclesiæ, seu Matrici, debitus honor exhibeatur. Ita habetur *in Constit.* Leonis X. quæ incipit: *Sacro approbante*, §. *Et ut debitus*. Eapropter si in Ecclesia Regularium Mendicantium, vel alia inferiore, prædicto Sabbati die citius absolvatur actus solemnis, citiusque in Missa intonetur *Gloria in Excelsis*, quam in Cathedrali, vel Majore, campana (aliud est de tintinnabulo) pulsari non debet ad illud *Gloria*, donec id fiat in Ecclesia Cathedrali &c.

Plures ejusmodi Casus videri possunt apud Barbosam, & Reiffenstuel *cit.*

ARTICULUS III.

An, ac quomodo Regulares in suis Privilegiis communicent; & quænam Privilegia, ipsis antea concessa, sint revocata a Tridentino?

SUMMARIUM.

635. Regulares Ordinum Mendicantium omnes habent communicationem mutuam omnium privilegiorum ordinariorum; communicant insuper privilegia Ordinum non Mendicantium; non autem hi privilegia Ordinum Mendicantium, regulariter loquendo. 636. Defendi omnino potest, quod Regulares Ordinum Mendicantium habeant communicationem in illis quoque Privilegiis, quæ Societati Jesu concessa sunt cum expressa restrictione, ne aliis communicentur. 637. Quænam privilegia Regularium sint a Tridentino revocata, & quænam non?

635. Dico primo. Regulares Ordinum Mendicantium omnes habent (1.) communicationem mutuam omnium privilegiorum ordinariorum, *ad instar, æque principaliter*, ac *directe* concessam: communicant insuper (2.) privilegia Ordinum non Mendicantium; non autem hi (3.) privilegia Ordinum Mendicantium, regulariter loquendo. Prima pars est communissima, uti & secunda, sumiturque ex variis Bullis Pontificum, præsertim ex illa Clementis VIII. cujus initium: *Ratio Pastoralis*, edita an. 1597. die 20. Decembris, quam per extensum recitat P. Reiffenstuel *lib.5.tit.33.n.57.* Tertiam partem tradunt Tamburinus *tom.1.de Jure Abbat.disp.17.quæst.1.* Pichler *lib.5.tit.33. n.13.* & alii satis communiter. Ratio est: quia Bullæ Pontificum, concedentes Religiosis Mendicantibus communicationem in privilegiis non Mendicantium, nullam faciunt mentionem de reciproca communicatione, seu quod etiam Religiosi non Mendicantes vicissim communicent in privilegiis Mendicantium; ergo id asseri non debet, maxime cum inclusio unius sit exclusio alterius. Neque afferri potest Bulla quædam specialis, qua talis communicatio impertiatur.

Dixi autem in prima parte conclus. *privilegiorum ordinariorum*. Nam neque Regulares Mendicantes habent mutuam communicationem Privilegiorum *extraordinariorum*: quia sub generali locutione, quali utuntur Pontifices, dum privilegiorum communicationem concedunt, non veniunt illa, quæ speciali nota, & mentione sunt digna; uti privilegia extraordinaria, *argum. c.81. de R. J. in 6.* Hinc non habent ejusmodi communicationem 1. in illis Privilegiis, quæ locum certum determinate respiciunt, vel certæ Ecclesiæ in honorem alicujus Sancti, vel ob specialem rationem concessa sunt; ut indulgentia Portiunculæ, indulgentia in Festo S. Francisci Seraphici, vel S. Antonii Paduani &c. indulgentia pro defunctis Altari privilegiato annexa. Neque 2. in illis in quorum concessione specialiter cavetur, ne aliis communicentur; uti sunt quædam Societati Jesu concessa a Gregorio XIII. circa receptionem Ordinum. Sed de his videbimus *num. seq.* Neque tandem 3. & multo minus in illis, per quorum communicationem præjudicium subiret observantia Regularis; uti sunt Privilegia habendi proprium, testandi &c. Ordinibus Militaribus concessa.

Dixi præterea in tertia parte conclus. *regulariter loquendo*: nisi nempe cum Congregatione Cassinensi, vel Lateranensi, vel alia ex duodecim Congregationibus, quibus id indultum est, communicationem habeant.

636. Quæres, an defendi valeat, quod Regulares Ordinum Mendicantium habeant communicationem in illis quoque Privilegiis (videlicet ordinariis; nam de extraordinariis quæstio non procedit) quæ Societati Jesu concessa sunt cum expressa restrictione, ne aliis communicentur?

Respondetur affirmative. Ita Diana, Rodriquez, Donatus, Miranda, Herincx apud, & cum P. Reiffenstuel *lib.3.tit.32.n.64.& seq.* Ratio est: quia SS. Pontifices, Gregorii XIII. a quo similia Privilegia sunt indulta, Successores, nempe Clemens VIII. & Gregorius XIV. sine ulla limitatione, & non obstantibus quibuscunque *clausulis, privilegiorum restrictivis, reservativis, exceptivis &c.* concessere Mendicantibus confirmationem omnium (nempe ordinariorum) Privilegiorum: prout videre est apud Reiffenstuel *cit.* Porro Benedictus XIII. fel. Record. an. 1727. 5. Nonas April. dum edidit Bullam, *Summe decet*, nostrorum Privilegiorum confirmatoriam, diserte meminit *num.5.* quod communicationem Privilegiorum in specie etiam extendat ad illa, quæ sunt *Societatis Jesu*. Quid clarius? quid efficacius pro stabilimento nostræ sententiæ desiderari potest? Loquitur enim altefatus Pontifex non generalibus duntaxat terminis, sed specificis, facitque specialem mentionem de Privilegiis Societatis Jesu: atqui non de extraordinariis, ut omnes fatentur; ergo de ordinariis, cum prædicta tamen restrictione concessis. His vel obiter consideratis, propatula est nullitas argumenti, quod in contrarium affert P. Pichler *lib.5. tit. 33. num.13.*

637. Dico secundo. Illa Privilegia Regularium a Tridentino sunt revocata, adeo, ut nec pro foro interno amplius valeant, quibus altefati Concilii Decreta (1.) expresse, & specifice derogant; non vero illa (2.) quibus prædicto modo non derogant.

Probatur prima pars; imo est certa ex Trid. *Seff.25. c.20. & 22. de Regular.* atque ex damnata ab Alexandro VII. *prop. ord.36.* hujus tenoris: *Regulares possunt in foro conscientiæ in privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata a Concilio Tridentino.*

Probatur etiam secunda pars (quam tenent Rodriquez *tom.1. QQ. Regular. quæst.8. art.7.* Suarez *lib.8. de LL. cap.18. in fin.* Pichler *lib.5. tit.33. num.26.*) tum quia sicut per clausulam generalem Legis derogatoriam non derogatur specialibus statutis, & locorum consuetudinibus, ita nec privilegiis particularibus in Corpore Juris non contentis; cum genus non deroget speciei, bene tamen species generi; ut sæpe audivimus: tum quia alias frustra addidisset Concilium in aliquibus Decretis clausulam expresse derogatoriam privilegiorum contrariorum; ergo &c. Confirmatur. Regulares passim utuntur privilegiis suis a Tridentino non expresse revocatis; ergo signum est, quod non debeant censeri revocata.

Porro plura Privilegia in specie, quibus derogatum non est per Tridentinum, jam adduximus per decursum, & adhuc nonnulla adducemus in propriis materiis.

CAPUT

CAPUT VI.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

638. *Democritus Religiosus, dum in confessione se accusat de transgressione votorum, non tenetur specialiter exprimere neglectum tendentiam ad perfectionem.* 639. *Demetrius Guardianus Vicario suo invalide subdelegat facultatem investiendi Candidatum.* 640. *Demophilus, Seraphicæ Religionis Novitius, graviter decumbens, potest ante expletum Probationis annum ad Professionem admitti; modo debitam ætatem habeat.* 641. *Dalmatius Religiosus brevi post Professionem contra hujus valorem reclamans audiri debet, si præscripta a Tridentino conditiones concurrant.* 642. *Davinius Franciscanus non potest a suo Superiore præcipi, ut tempore pestis præsit Parochiæ, a Davino proprio Parocho desertæ.* 643. *Dympnæ Moniali, periculose decumbenti, Episcopus non potest dare licentiam extra clausuram grediendi ad recuperandam sanitatem.* 644. *Dativus Franciscanus sine læsione Paupertatis suæ scripta donat alteri, Superiore irrequisito.* 645. *Quæ notanda sint, dum Danfredus in Habitu Franciscanorum, & in eorum templo sepelitur.*

CASUS I.

638. *Democritus Religiosus magnum præ se tulit fervorem pietatis, quamdiu intra domesticos parietes operam navavit studiis; ast, his absolutis, cum non raro conversaretur cum secularibus, paulatim tepescere occœpit, & inprimis parum curare venialia, deinde etiam in mortalia prolabi per votorum suorum transgressiones non infrequentes. Et quamvis ejusmodi peccata, præsertim mortalia, fideliter semper aperuerit Confessario; nullam tamen unquam fecit mentionem de neglecta tendentia ad Religiosam perfectionem, ad quam tamen vi sui Status sub mortali se obligatum non ignorabat. Quæritur, an Democritus præceptum Confessionis nihilominus rite adimpleverit?*

RESpondetur affirmative. Ita cum aliis a se relatis P. Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 14. *q.* 1. *n.* 8. Ratio est: quia obligatio tendendi ad perfectionem, quæ Religioso vi sui Status incumbit, imbibitur in obligatione servandi vota, & constitutiones suæ Religionis; sicut obligatio obediendi Deo, eidem placendi, & in ipso constituendi ultimum finem, quæ cuilibet, etiam seculari incumbit, imbibitur in obligatione servata mandata Dei; ergo quemadmodum secularis transgrediendo mandata Dei non committit speciale peccatum contra obligationem obediendi, & placendi Deo; ita nec Religiosus transgrediendo sua vota: consequenter &c. Confirmatur ex Trid. *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 1. ubi *præcipit, ut omnes Regulares, tam Viri, quam Mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant, & componant, atque in primis, quæ ad suæ Professionis perfectionem, ut Obedientiæ, Paupertatis, Castitatis, & siquæ alia sunt alicujus Regulæ, ac Ordinis pecularia vota, & præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, & victum, ac vestitum conservanda pertinentia fideliter observent.* Quibus verbis non obscure innuitur, quod obligatio tendendi ad perfectionem Religiosam imbibatur, & consistat in obligatione servandi vota &c.

CASUS II.

639. *Demetrius, in certo quodam Fratrum Minorum Conventu Guardianus, accipit mandatum a P. Ministro Provinciali Demetrianum, Ordinis Candidatum, sacro Habitu donandi, investiendique, servatis de Jure servandis. Quare Demetrius, ut morem gerat, adventanti Demetriano præscribit triduanam præparationem, diem vero quartam pro investitione designat. Interea ipse (nempe Demetrius) se confert ad Gratiosum quendam Dominum, cujus Nominis sacra dies agitur, potestate Demetrianum investiendi relicta P. Vicario; qui proinde actum investitionis peragit. Quæritur, an valide?*

RESpondetur ad hunc Casum (forte nunquam factum, fieri tamen possibilem) negative. Ratio est: quia habens potestatem pure delegatam, non potest eandem subdelegare, ac committere alteri: sed Demetrius habuit potestatem pure delegatam investiendi Demetrianum; ergo non potuit eandem subdelegare, ac committere alteri, nempe P. Vicario; consequenter hic sine legitima potestate processit, & investivit Demetrianum; adeoque invalide. Maj. constat ex decantata Juristarum regula, qua delegatus nequit subdelegare, nisi id ipsi a delegante concedatur. Min. ostenditur; quia munus investiendi Candidatos in nostra Religione competit Jure ordinario solis Ministris Provincialibus, Generalibus &c. non vero Guardianis; prout tradunt Rodriquez *tom.* 3. *QQ. Regular. q.* 9. *art.* 1. Marchant in *Exposit. literali nostræ regulæ pag.* 112. Kerckove *loc. cit. c.* 1. *§.* 2. *n.* 1. aliique communiter; ergo &c.

Eodem modo ratiocinandum foret, si P. Guardianus committeret P. Vicario potestatem recipiendi Novitios ad Professionem; talis quippe Professio esset similiter nulla, ob rationem proxime datam.

Colliges, idem ferendum esse judicium de investitione (vel professione) alicujus Tertiarii (vel Tertiariæ etiam in Seculo viventis) simili modo facta: siquidem & ipsa esset invalida; cum potestas etiam tales Personas investiendi (vel ad professionem recipiendi) jure ordinario competat solis Provincialibus, Generalibus &c. non vero Guardianis. Unde ut hi actum investitionis (vel professionis) circa Tertiarios legitime peragant, indigent delegata potestate Provincialis; neque istam P. Vicario, vel aliis Patribus subdelegare valent, nisi id a delegante concedatur. Kerckove *loc. cit. c.* 7. *§.* 25. *n.* 2. & alii passim. Ex quo fluit, non solum investitionem Demetriani in Casu, sed etiam investitionem alicujus Tertiarii, eo forta modo factam, esse repetendam, annumque Novitiatus de novo inchoandum: cum enim prima investitio fuerit invalida, dies post eam transacti non poterunt computari cum diebus anni in Novitiatu transigendi. Idem quoad repetitionem tenendum de professione.

CASUS III.

640. *Demophilus, Seraphicæ Religionis Novitius, postquam annum pene dimidium in Probatione exegerat, incidit in morbum; cujus statum ubi Medicus probe deprehendit, spem vitæ exiguam dedit. Quo comperto Demophilus P. Guardianum solicitat, ut sibi ad impetrandas indulgentias plenarias, profitentibus concessas, liceat anticipare Professionem. Quæritur, an P. Guardianus petito Demophili annuere, eumque, necdum expleto Probationis anno, ad Professionem emittendam admittere possit?*

RESpondetur affirmative, supposito, quod Demophilus annum ætatis decimum sextum jam compleverit. Ita Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regular. q.* 15. *art.* 6. Sanchez *lib.* 5. *Moral. c.* 4. *n.* 16. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 182. Kerckove *loc. cit. c.* 1. *§.* 11. *n.* 7. & alii communiter. Sumitur ex indulto S. Pii V. quod incipit: *Summi Sacerdotis cura*, concesso Monialibus Ordinis S. Dominici, & videndo apud P. Reiffenstuel *cit.* vi cujus possunt antefati Ordinis Novitiæ, in mortis articulo (vel periculo) juxta judicium Medici constitutæ, valide profiteri, & lucrari indulgentias ab aliis profitentibus obtinibiles, tametsi integrum Novitiatus annum necdum peregerint; modo habeant ætatem ad valide profitendum requisitam; ergo idem pronunciandum de Demophilo nostræ Religionis Novitio, utpote qui participat, seu communicat in privilegio antedicto. Sed

Dices primo. Hoc privilegium est revocatum a Gregorio XIII. per Bullam: *In tanta negotiorum mole*, utpote per quam revocavit, quidquid concesserat S. Pius V. super statu, ac regimine Monachorum, ac Monacharum contra Jus, & Decreta Conc. Trident. ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam esto Gregorius XIII. revocaverit &c. quæ pertinent ad regimen Monasticum, non tamen censendus est revocasse, quæ pertinent ad professionem in articulo mortis emittendam; hæc enim vere comprehendi sub regimine non potest. Ita cum

Rodri-

Rodriquezio P. Kerckove *loc. & n. cit.* Vel dic, ideo antedictum privilegium non censeri a Gregorio XIII. revocatum, quia est indultum pro casu aliquo particulari, & rarius eveniente, ad alicujus Novitiæ (vel Novitii) consolationem; cum Legislator non respiciat, quæ raro, sed quæ communiter contingunt. *L. Nam ea, ff. de Legib.* S. Thomas 2. 2. q. 120. *art.* 1. *in Corpore.* Peyrinis *tom.* 2. *Privilegior. ad Constit. VIII. S. Pii V.* §. 2. *n.* 2. Kerckove *loc. & n. cit.*

Dices secundo. Vel Demophilus in Casu faceret veram professionem, vel non: neutrum potest sustineri; ergo &c. Prob. min. Non enim primum; alias Monasterium (si esset capax hæreditatis) succederet in bonis Demophili sic professi, & mortui; quod tamen passim DD. negant, traduntque succedere parentes, qui veniunt ab intestato. Neque secundum; cum sic indulgentiam plenariam non obtineret.

Respondetur, neg. min. & dico, quod faceret professionem in certo sensu, statim inferius exponendo, veram, haudquidem absolutam, sed conditionatam dependentem a sequela mortis, qua eveniente illa transit in absolutam, operaturque effectum indulgentiæ plenariæ; non autem prius, cum nec Demophilus aliter se intendat obligare, nec Religio ejusmodi obligationem aliter acceptare; imo id clare patet ex ipso Indulto S. Pii V. & verbis eidem insertis: *Ut pro consolatione animæ suæ, sic decedentes, indulgentiam, & alias gratias consequi possint, ita tunc professis decedentibus plenam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in forma Jubilæi elargimur.* Ad prob. neg. seq. primi membri: quia professio illa, etiam in ratione professionis conditionatæ, solum valet quoad effectus spirituales, ut hos operetur conditione impleta; non vero quoad effectus temporales, qualis est successio Monasterii in bonis temporalibus Demophili defuncti: quia S. Pius V. antefatum privilegium solummodo indulsit pro spirituali consolatione alicujus Novitiæ (vel Novitii) non vero ut vel Monasterium, vel ipse sic profitens, si forte supervivat, aliquod aliud emolumentum inde percipiat. Sequelam alterius membri dist. Non obtineret indulgentiam plenariam, si professio in nullo sensu vera professio foret, con. si sit vera professio in aliquo sensu (immediate scilicet declarato) subdist. non obtineret indulgentiam plenariam ante mortem, aut hac non secuta, con. tempore mortis secutæ, neg.

Instabis. Ergo Demophilus, si convalesceret, deberet iterato profiteri, ubi reliquum tempus Probationis exegisset.

Respondetur, illatum conc. Ratio est: quia prius facta professio solum fuisset conditionata dependens a sequela mortis; quæ conditione non impleta recidisset in nihilum: imo, etiam in ratione professionis conditionatæ, solum valuisset relate ad indulgentiam, & effectus spirituales, non vero simpliciter, & relate ad quoscunque effectus, etiam temporales; ut dictum: consequenter &c. Kerckove *loc. cit. a n.* 8.

C A S U S IV.

641. *Dalmatius, in antiquissimo, & celeberrimo Monasterio Novitius, exacto Probationis anno, Professionem emittit. Sed brevi post facti pœnitens, contra valorem actus excipit, & reclamat. Causam rogatus allegat duritiam Parentis, sibi ex Novitiatu ad Seculum reduci, citra dubium plus, quam antea experiendam. Quæritur, an Dalmatius jure reclamet?*

REspondetur affirmative: dummodo observet conditiones a Concilio jam jam referendo præscriptas. Ita DD. communissime, innixi Tridentino, quod *Sess.* 25. *de Regul. c.* 19. sic statuit: *Quicunque Regularis prætendit, se per vim, vel metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque Habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum Habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si Habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, seu ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur: interim vero nullo Privilegio sui Ordinis juvetur.* Ex quibus Concilii verbis liquet, Dalmatio competere jus reclamandi contra valorem Professionis. Liquet præterea, ut reclamationem legitime instituat, tres conditiones requiri. Prima est, ut intra quinquennium a tempore Professionis computandum reclamet: quam conditionem a Dalmatio observatam esse exprimitur in Casu per particulas: *brevi post*. Et ratio hujus conditionis a Dalmatio necessario observanda est; quia ponitur laborasse impedimento metus gravis ex Parentis duritia orti, quale adducit Tridentinum, quodque est de classe impedimentorum temporalium, queis laborantes si reclament post quinquennium, non amplius audiuntur in foro externo, licet (si impedimentum reapse subsit) in foro conscientiæ, & coram Deo professione non teneantur, nisi eam voluntarie (sive expresse, sive saltem tacite) ratificaverint. Secus dicendum, siquis gravetur impedimento perpetuo Professionis annullativo: talis quippe etiam post quinquennium, imo quovis tempore reclamare potest, & audiri debet: veluti cum Portel, Lezana, Pellizario, Tamburino, & communi aliorum tenet, & ostendit P. Kerckove *loc. cit. c.* 1. §. 1. *n.* 99. Secunda conditio est, ut causam Professionis irritativam coram suo Superiore, & Episcopo deducat: adeoque Judex ordinarius super ejusmodi irritatione, ac nullitate est Prælatus Monasterii, seu Ordinis, in quo quis professus est, & simul Episcopus illius Diœceseos, in qua consistit Monasterium, licet hoc sit exemptum, secundum dicta *n.* 634. *Cas.* 19. Tertia conditio est, ut non dimiserit Habitum ante hanc deductionem, videlicet mala fide, & animo discedendi; secus quippe si fecerit, nullatenus est admittendus ad ullam causam allegandam &c. Hæc, inquam, liquent ex Concil. *cit.* & docentur ab Augustino Michel *loc. cit. fol.* 646. *n.* 19. ac aliis passim.

Sed quid si Superior, & Episcopus dubitent, an causa coram se a Dalmatio allegata, & deducta, sufficiat ad irritandam professionem; ut si dubitent, an metus, ex duritia Parentis ortus, extiterit vere gravis &c.

Respondetur, quod tunc debeant sententiam ferre in favorem Religionis, & Dalmatium obstringere ad perseverandum in ea. Ratio est: tum quia Religio actu possidet, ipsique se tradidit profitens per verba obligationem inducentia: tum quia præsumptio fori externi stat pro verbis professionis; & ita, dum certo non constat de contrario, standum est, etiam in foro interno, huic præsumptioni.

C A S U S V.

642. *Davinus Parochus, ubi in vicinis oppidis, ac pagis grassari pestiferam luem comperit, & prævidit, illam proxime super se quoque, suosque parochianos irrituram, statuit salutem in prædibus quærere. Ne autem concreditas sibi oves tempore adeo calamitoso absque omni Pastore, & pabulo spirituali relinqueret, adiit Monasterium PP. Franciscanorum, septem inde horis dissitum, ejus Superiorem enixe rogitans, ut ex suis Conventualibus dignaretur mittere, qui parochianis usque ad cessationem pestis succurreret, oblata ad hunc favorem facilius impetrandum liberali eleemosyna. Superior non multum cunctatus, præcepit Daviniano Subdito suo, ut quantocius ad antefatam Parochiam se conferret, eique usque ad reditum Pastoris proprii præesset. Quæritur, an Davinianus suo Superiori parere obligatus fuerit?*

REspondetur negative. Ratio est: quia sicut Lex, ita & præceptum humanum, secundum se, & præcise spectatum, non obligat cum periculo vitæ, juxta communissimam DD. atqui præceptum Superioris est humanum, ut patet; ergo non obligat cum periculo vitæ. Sed impositum erat Daviniano in talibus circumstantiis, in qualibus subesset periculum vitæ; ergo eundem non obligat.

Confirmatur. Neque lex, neque præceptum humanum valet, si præcipiat aliquid nimis arduum, & moraliter impossibile; quemadmodum cum communi aliorum advertimus *part.* 1. *n.* 205. sed præceptum Superioris in Casu præciperet Daviniano aliquid nimis arduum, & moraliter impossibile, quatenus eundem adigeret ad propriam vitam discrimini objectandam; ergo &c.

Dices primo. Religiosi, præsertim Fratres Minores, possunt

possunt a Superiore obligari, ut tempore pestis inserviant sibi invicem; ergo etiam ut inserviant extraneis.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia ad primum obstrinxere sese per Professionem, & promissionem Regulæ, vi cujus tenentur (præsertim in nostro Ordine, juxta *c. 6. Reg.*) sibi invicem hæc mutua ministeria, & pietatis obsequia, ad conservationem Religionis spectantia, exhibere. Quare hæc obligatio non oritur ex præcepto Superioris, secundum se, & præcise spectato, sed ut conjuncto cum præcepto naturali obstringente ad præstandum id, quod voluntarie promissum est. Similis autem obligatio, quæ scilicet ex præcepto etiam naturali ortum erabat, non datur in Religiosis erga extraneos: quod intellige extra casum necessitatis; nam in hoc, ut si Parochi deessent, qui infirmis Sacramenta ministrarent, vel ob multitudinem infirmorum non sufficerent, Religiosi lege naturali Charitatis obstringerentur ad supplendas Parochorum vices, & ministranda infirmis Sacramenta. Ita Mastrius *in Theol. Moral. disp. 14. q. 1. n. 27.* & alii apud ipsum.

Dices secundo. Parendum est Superiori, quamvis indiscrete præcipienti; ergo licet in Casu Superior videatur indiscrete præcepisse, eidem nihilominus parendum est.

Respondetur, explic. & dist. ant. Si illa indiscretio se præcise teneat ex parte actus, vel modi, quo res aliqua præcipitur, con. si se etiam teneat ex rei, quæ præcipitur, quatenus hæc est nimis ardua, aspera, moraliter impossibilis &c. prout evenit in Casu, neg. ant, & cons.

Dices tertio. Franciscani tenentur obedire suo Superiori in omnibus, quæ non sunt contra animam, & Regulam ipsorum; prout legere est *in c. 10. Reg.* atqui assistere pestiferis, etiam extraneis, non est contra animam, aut Regulam ipsorum; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Quatenus *ly in omnibus* supponit suppositione absoluta, neg. suppositione accommoda, id est, quatenus denotat omnia, quæ non sunt nimis ardua, & moraliter impossibilia, con. maj. & distinctione applicata minori, neg. cons. Assistere pestiferis in Casu censetur aliquid nimis arduum, & moraliter impossibile, esto non sit contra animam, aut Regulam, cujus Davinianus professionem emisit: consequenter &c. Ita quoad rem P. Herinex *de Statu Religioso q. 6. n. 63.* ubi de Fratrum Minorum Obedientia differens ait: *Non sunt injungenda notabiles austeritates, aliaque virtutes heroica Statum vitæ Evangelicæ, in Regula promissæ, notabiliter excedentes; id enim foret irrationabile; imo id noluit S. Franciscus; ut habet Expositio sine titulo.*

C A S U S VI.

643. *Dympna Monialis morbo laborat non quidem contagioso, sed adeo periculoso, ut, nisi e Monasterio amoveatur, de ejus vita judicio Medici omnino desperatum sit. Quæritur, an Dympna extra Monasterium, & Clausuram de licentia Ordinarii egredi, vel transferri possit in alium locum, sanitatis recuperandæ gratia?*

Respondetur negative, Rodriquez *tom. 1. QQ. Regular. q. 49. art. 3.* Sanchez *lib. 6. Moral. c. 15. n. 39.* Sanct-Gallenses *tom. 7. tr. 2. sect. 3. dub. 7.* & alii contra alios. Ratio est: quia SS. Canones causam egrediendi volunt esse communem, & publicam, non vero privatam alicujus Monialis necessitatem; hæc quippe communi bono Religionis est postponenda. Revideantur, quæ diximus supra *n. 592. in respons. 3.* Confirmatur. Similis concessio egrediendi vergeret in maximum Clausuræ detrimentum; cum enim morbi periculosi frequentiores sint, & aviditas Monialium exeundi extra Clausuram maxima, hæc facile inducerent Medicos ab judicandum, egressionem ad certius evitandum vitæ periculum esse necessariam. Unde & praxis stat in oppositum, vi cujus Monialibus in ejusmodi casu egressio, & transitus ad alium locum, sive Secularem, sive Regularem, etiam ejusdem Ordinis, non permittitur. Verum

Dices primo. Lex Ecclesiastica non obligat cum periculo vitæ: sed lex servandi Clausuram est Ecclesiastica; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Si spectetur præcise secundum se, con. ut conjuncta cum lege naturali, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons. Lex Ecclesiastica servandi Clausuram est conjuncta cum lege naturali adstringente ad præstandum id, quod promissum est. Revide dicta *num. præced. in respons. ad 1. argum.*

Dices secundo. Siquis Monialem occisurus invaderet, essetque opus egressu e Clausura vitam tuendi causa, integrum ei foret egredi; ergo idem illi licebit ob simile vitæ periculum ex præsentaneo morbo consurgens.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia periculum illud mortis violentæ a principio extrinseco provenit, & egressu cessat; conque casus ille sit rarissimus, non præbet occasionem fingendi causas egressuum, & Clausuram violandi; at vero periculum ex morbo consurgens est frequentissimum, & ab intrinseco proveniens, nec egressu statim cessat, sed Monialem ipsam comitatur, aperitque viam ad frequentiam egressuum, & violationem Clausuræ.

Dices tertio. Gregorius XIII. (ut refert Navarrus apud Sanct-Gallenses *loc. cit.*) indulsit cujusdam Monasterii Monialibus liberum egressum, quoties morbo periculoso ita laborarent, ut Medici judicarent necessarium egressum ad tuendam vitam; ergo sentit, hanc causam esse sufficientem, & justam egrediendi cum licentia Ordinarii.

Respondetur, neg. cons. Sed requiritur dispensatio S. Pontificis super egressu, qualem in causa antecedentis impertitus est Gregorius XIII. ad alias tamen Moniales, & casus, etsi similes, non extendendam. Itaque morbus periculosus potest esse causa sufficiens cum Moniali aliqua, vel aliquibus dispensandi super egressu extra Clausuram, sed Pontifici tantum; non autem Episcopo, vel Superiori Regulari; hi quippe in Jure Canonico dispensare nequeunt, nisi ex causis sibi concessis, qualis non est privata necessitas alicujus Monialis; ut ex dictis constat.

C A S U S VII.

644. *Dativus Franciscanus, postquam triennio Philosophiam, & sexennio Theologiam in sua Provincia docuerat, e Lectorum censu eliminatus præesse jubetur. Et quoniam judicat, sua manuscripta, discipulis intra prædictum temporis spatium tradita, sibi posthac usui non fore, donat ea Cognato suo, actuali Theologiæ Studioso; idque non petita, nec præsumpta Superioris licentia. Quæritur, an Dativus peccet contra votum Paupertatis?*

Respondetur negative, Diana *tr. de Paupert. Relig. resol. 25.* Marchant *tom. 3. Tribunal. Sacram. part. 2. tr. 2. tit. 1. q. 3.* Kerckove *loc. cit. c. 3. §. 5. n. 11.* ac alii, quibus & ergo jam olim subscripsi *in meis Thesib. de J. & J. pag. 276.* Ratio est: quia manuscripta sunt quasi pars scientiæ, & doctrinæ acquisitæ; ergo sicut Religiosus, juxta communem, est dominus suæ scientiæ, & doctrinæ, potestque eam communicare, cuicunque libuerit, sic etiam erit dominus manuscriptorum, poteritque de iisdem libere disponere, & secum, quocunque ierit, asportare, aliis donare, vel legare: esto si id non fecerit ante obitum, illa pertineant ad Conventum, adeo, ut ea auferens, vel distrahens absque Superioris licentia peccet contra Paupertatem, & Justitiam.

Dices primo. Licet Dativus obtineat dominium in ipsa sua manuscripta, non tamen obtinet dominium in chartam, cum hæc sit de classe rerum externarum, & temporalium, quarum dominio se abdicavit nuncupando votum Paupertatis, secundum dicta *numer. 593.* ergo &c.

Respondetur, dist. ant. quoad 2. partem. Non obtinet dominium in chartam directe, quemadmodum obtinet in ipsa manuscripta, con. indirecte, neg. ant. & cons. Dativus (idem est de aliis Religiosis) nuncupando votum Paupertatis abdicavit quidem se dominio cujuscunque rei externæ, & temporalis; hoc tamen non obstante, potest ei indirecte aliquod competere in talem rem, quatenus directe est dominus alicujus rei non externæ, respectu cujus illa, seu externa est quid

acces-

accessorium, necessario requisitum, sicut in proposito charta respectu manuscriptorum.

Dices secundo. Superior Religioso prohibere potest, ne sua scripta secum deferat, alteri donet, vel leget; ergo nullum in ea dominium habet.

Respondetur primo per retors. Superior prohibere potest, ne Religiosus suam doctrinam oretenus alteri communicet; ergo non est dominus suæ doctrinæ; quod est contra communem.

Respondetur secundo, neg. cons. Quia solum sequitur, quod tunc Religiosus, si justo Superioris mandato contraveniat, peccatum inobedientiæ committat; sicut si ore suam doctrinam contra Superioris prohibitionem alteri communicet: non vero, quod proprietarius evadat: consequenter &c.

C A S U S VIII.

645. Danfredus Comes, morti proximus, ex devotione, quam erga S. Franciscum, & Franciscanos per totum suæ vitæ decursum gessit, concipit desiderium in Sacro eorum Habitu moriendi, fruendique sepultura in eorundem Ecclesia. Quare pro gemino hoc favore obtinendo supplicat P. Guardiano Conventus eo in loco siti; qui & annuit. Quæritur, quænam in isto, aliove consimili casu notanda veniant?

Respondetur, notanda venire præcipue sequentia. Notandum igitur venit 1. Quod Danfredus nostro donatus Habitu lucretur indulgentiam plenariam, a Leone X. concessam in tali Habitu morientibus: imo in finem ejusmodi indulgentiam lucrandi non est necesse, ut quis illum Habitum ante mortem induerit, sed sufficit, quod eundem petierit, & sibi morienti superimpositum habuerit; prout declaravit idem Pontifex, Ita Hieronymus Rodriquez *resol.71. num.9.* & alii passim. Notandum venit 2. Quod Parochus Danfredi defuncti, quando hujus cadaver deportatur ad Ecclesiam PP. Franciscanorum, non possit cum stola, & cruce ingredi in talem Ecclesiam; nec officium, & functiones circa defunctum ibi peragere; sed teneatur ad januam Ecclesiæ funus dimittere, & relinquere Franciscanis cum debitis ceremoniis sepeliendum. Ita decrevit Clemens X. per Bullam: *Nuper pro parte*, quæ habetur *in Bullar. Cherub. tom.5. pag.566.* & servari mandavit Sacra Rit. Congreg. die 2. Aug. an. 1698. apud Matthæucci *in Officiali Curiæ Regularis V. Officialis quoad exequias, n.5.* Notandum venit 3. Quod Franciscani non possint cogi ad exeundum ultra limites suæ Ecclesiæ pro excipiendo funere, sed sufficiat, quod ad januam consistentes illud expectent, & excipiant. Ita decrevit Sacra Rit. Congreg. die 13. Julii an. 1675. apud P. Lantusca *in Supplemento V. Associatio Cadaverum, ad instantiam Ordinis Min. Observant. S. Francisci.* Notandum venit 4. Quod hæredes defuncti non sint obligati (quidquid hic contra sentiat P. Pichler) ut præter Officia, & Missas, quæ in Ecclesia Franciscanorum, apud quos Danfredus elegit sepulturam, ratione Exequiarum celebrantur, etiam in Ecclesia Parochiali celebrari faciant cunctas, vel aliquas. Ita constituit Urbanus VIII. per Bullam: *Nuper pro parte*, reperiundam *in Bollar. Cherub. tom.5. pag.66.* Hæc, inquam, sunt potiora, quæ in præsenti, vel simili casu notanda veniunt. Plura nosse si desideres, vel indigeas, videbis P. Reiffenstuel *lib.3. tit.28. a n.34.*

D I S P U T A T I O III.

De Statu Laicali.

Licet hic Status Regulari, & Clericali inferior sit, in suo tamen genere perfectus est, & regiam ad Astra viam demonstrat. Videtur huc allusisse Apostolus 1. *Cor.*15. ubi inquit: *Alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia Stellarum; Stella enim differt a Stella in claritate.* Constat idem Status duplici classe Personarum, nempe *Judicialium*, & *Extrajudicialium*; quarum pro in utrarunque obligationes in hac disputatione exponemus, exceptis iis, quas per decursum jam exposuimus, aut imposterum exposituri sumus alibi, præsertim *part. seq.*

C A P U T I.

De Personis Judicialibus.

A R T I C U L U S I.

De Judice.

Quoniam de Judice plures decidendæ occurrunt quæstiones, hunc articulum, ut clare procedamus, in §§. dispertimur. Sit ergo

§. I.

Quid, & quotuplex sit Judex? quid, & quotuplex Jurisdictio?

S U M M A R I U M.

646. & seqq. Judicis definitio (uti & Judicii cum ejus partibus) divisio, & differentia ab Arbitro, (ac Judicii ab Arbitrio) Arbitratore, & Vicario. 651. *Jurisdictionis definitio, divisio, ac differentia a potestate patria.*

646. Dico primo. Judex est *persona publica, ad id constituta, ut secundum legis præscriptum, vel loci consuetudinem populo jus dicat.* Patet *ex cap.10. de V.S. & l.78. ff. de Judiciis.* Dividitur in *Supremum*, & *Subalternum*. Supremus est, cui competit jurisdictio simpliciter suprema, & nulli alteri Potestati subordinata; qualem obtinet Papa pro foro Ecclesiastico, & Imperator (vel alius in suis terris Superiorem non recognoscens) pro foro Civili. Subalternus est, cui non competit jurisdictio simpliciter suprema, sed summæ Potestati subordinata; qualem pro foro Ecclesiastico obtinent Episcopi respectu suarum Diœcesium, & pro Seculari Principes, ac Status Imperii respectu suarum Ditionum. Dividitur præterea Judex in *Ordinarium*, & *Delegatum*. Prior est, qui habet jurisdictionem ordinariam, ac propriam, hoc est, ratione officii proprii sibi competentem, & nomine proprio exercibilem. Posterior est, qui habet jurisdictionem delegatam, vel *a Jure*, & vocatur *Delegatus Juris*, qualis in multis causis, præsertim relate ad Religiosos exemptos ex dictis *n.634.* constituitur Episcopus; vel *ab Homine*, & appellatur *Delegatus Hominis*, seu Judicis Ordinarii. Porro si Delegans sit supremus Princeps, Papa, vel Imperator, is, qui delegatur, nuncupatur *Delegatus Principis*; non item, si Delegans supremo Principe sit inferior: si alicui omnes causæ universim, vel saltem in aliquo genere subalterno, v. g. omnes causæ decimales, committantur, dicitur *Delegatus ad universitatem causarum*; si vero una, vel plures, sed certo numero, vel intra certas personas, nominatur *Delegatus specialis*, seu simpliciter, & proprie dictus: & hic subdelegare non potest, nisi id ipsi a Delegante concedatur; potest vero subdelegare, qui est Delegatus ad universitatem causarum, vel a supremo Principe: prout ostendit P. Reiffenstuel *lib. 1. tit. 29. num. 57. & seqq.*

647. Colliges primo, Judicium ex *cit. cap.10. de V. S.* recte describi, quod sit *legitima causæ, inter actorem, & reum controversæ, per Judicem facta discussio, & definitio.* Dicitur *legitima*, quod debeat observari Juris ordo, & forma a legibus præscripta. *Discussio* denotat accuratam, & exquisitam cognitionem causæ eum in finem, ut lis, seu controversia, & actio litigiosa, per sententiam finiatur, quod significatur per vocabulum *Definitio*. *Causa* designat ipsam materiam, quæ in Judicio tractatur, & modo *casus*, modo *factum* appellatur.

648. Colliges secundo, quod tres sint partes substantiales Judicii. Prima est *litis contestatio*, quæ dicitur basis, & fundamentum Judicii; quæ enim a citatione, per quam minus stricte inchoatur Judicium, usque ad litis contestationem geruntur, vocantur præparatoria Judicii. Altera sunt *probationes* ex parte Actoris, & *exceptiones*, seu responsiones ex parte Rei. Tertia est *sententia*, & ejusdem executio ex parte Judicis.

649. Col.

649. Colliges tertio, Judicem ab *Arbitro*, & Judicium ab *Arbitrio* differre. Arbiter quippe (Echid-Kichter) describitur *vir bonus, qui constituitur ad aliquod negotium arbitrandum, seu æstimandum, vel terminandum*. Si eligatur libero Partium consensu ad litem dirimendam, vocatur *Arbiter compromissarius*, vel *voluntarius*: unde & Arbitrium dicitur *Compromissum*, *l.1.ff. de Receptis, qui Arbitrium*. Si vero constitui debeat ex præscripto legis, statuti, vel Judicis, appellatur *Arbiter Juris*, vel *necessarius*. Arbiter compromissarius nullam obtinet jurisdictionem; obtinet vero jurisdictionem aliquam Arbiter Juris, non quidem ordinariam, vel delegatam, qualem obtinet Judex, sed quasi mediam inter utranque; ergo sive uno, sive altero modo accipiatur, a Judice differt; sicut & Arbitrium a Judicio, cum hoc exerceri aliter non valeat, quam interventu Judicis jurisdictione ordinaria, vel saltem delegata præditi. Arbitrium tamen aliquam cum Judicio similitudinem, & affinitatem habere dicitur *l.1.cit.* quatenus lites dirimit, & ordinem, ac formam Judicii requirit. Differt præterea Judex, & magis, ab *Arbitratore*, & Judicium ab *Arbitramento*. Arbitrator (Echid-Mann) est vicinus Arbitro, ac dicitur ille, *qui assumitur ad complananda negotia extrajuditialia, v.g. contractus*: & per *Arbitramentum* (sic nominatur ejus sententia) secundum æquitatem naturalem sine ullo Judicii ordine, ac forma judiciali, v. g. citatione Partium, examine testium &c. & sine jurisdictione pronunciat, quid sentiat; cui pronunciato, ac Arbitramento stare tenentur Partes, nisi illud velint submitti vero Judici. Ex quo patet, quod Arbitrator a Judice multum differat; sicut & Arbitramentum a Judicio. Differt præterea Arbitrator (quod dictum esto occasionaliter) a *Mediatore*, & *Amicabili Compositore*, quia hic potius dat consilium, quam edicat sententiam; ille vero sententiam pronunciat, cui Partes (ut diximus) stare obligantur.

650. Colliges quarto, Judicem Delegatum qualemcunque (de Ordinario hic non est quæstio) differre a Vicario per hoc, quod Vicarius quidem nomine, & vice alterius exerceat jurisdictionem, sed eandem cum suo Principali; Delegatus vero distincta a jurisdictione Principalis, seu Delegantis; nam delegatio nihil aliud est, quam unius, vel plurium causarum terminandarum ab alio facta commissio, per *c.3. & 40. de Offic. & Potest. Judic. Deleg.* Unde & tales Judices a Practicis nuncupari solent *Commissarii*.

651. Dico secundo. Jurisdictio est *potestas publica de causis controversis jus dicendi, ordinata ad gubernationem subditorum*. Alia est *simplex*, & sine imperio, quæ respicit causas civiles, sine jussione, coercitione, & jure exequendi sententiam: alia est *imperium*, quæ exercetur per jussionem, & coercitionem. Imperium aliud vocatur *merum*, consistens in potestate gladii adversus facinorosos exercenda, *l.3.ff. de Jurisdict.* vocaturque a Practicis *Jurisdictio Alta*, vel *Judicium Sanguinis*: aliud *mixtum*, quod conjunctum est cum jurisdictione simplici, licet principaliter in jussione, vel coercitione consistat; & appellatur *Jurisdictio Bassa*. Porro alia jurisdictio (consequenter & Judex) est *Ecclesiastica*; alia *Politica*, seu *Secularis*. Prior Personas sacras, vel res sacras, aut spirituale, spiritualive annexas respicit, sive pro *foro interno*, sive *externo*, & a solis personis Ecclesiasticis exerceri potest. Posterior in solos laicos, & circa res profanas exercibilis est. Alia denique jurisdictio vocatur *voluntaria*, quæ exercetur in volentes, ac sine contentione Partium, & coercitione: cujus actus sunt v. g. concedere privilegia, legitimare, dispensare, absolvere, administrare Sacramenta &c. Alia *contentiosa*, quæ exercetur in invitos, vel cum aliqua contentione Partium, aut coercitione: cujus actus sunt ferre leges, vel statuta, causas civiles, vel criminales definire &c.

652. Colliges, jurisdictionem esse potestatem diversam a *potestate patria, dominica* (vel *dominativa*) & *œconomica*. Ratio est: quia jurisdictio est potestas publica, id est, publica authoritate Juris, vel Principis, aut Magistratus acquisita; non sic potestas patria &c.

§. II.

Quandonam Judex contra crimina, & criminosos licite procedat per inquisitionem?

S U M M A R I U M.

653. Quid, & quotuplex sit Inquisitio? 654. & seqq. Quænam ad quamlibet inquisitionem instituendam requirantur? 659. Qualis sit servandus ordo, dum instituitur Inquisitio?

653. PRænotandum, quod Inquisitio sit *criminis, vel criminosi, vel utriusque, per Judicem ex officio procedentem legitime facta investigatio*. Dividitur in *generalem*, *specialem*, & *mixtam*. Generalis est, quando nulla persona, aut delicto nominato, inquiritur generatim, an v. g. in aliqua Diœcesi, Provincia, Monastario &c. fiant aliqua delicta, an serventur leges, & statuta &c. quemadmodum fieri amat in Visitationibus, ordinarie quidem non in ordine ad puniendum, sed ad cognoscendum vitam, & mores subditorum, & tunc *Paterna* dicitur; quandoque tamen etiam ad puniendum delinquentes, & tunc *Judicialis* appellatur. Specialis est, quando in particulari de determinato delicto, determinataque persona inquiritur, v. g. an Titius istud homicidium perpetrarit? Mixta est, quando inquiritur de persona determinata, v. g. de Titio, non tamen de determinato delicto; vel econtra, quando inquiritur de delicto determinato, v. g. de homicidio, quod forte commissum est, sed non de persona determinata. Porro quando is, qui creditur esse reus, jam est in manibus Judicis, seu *constitutus*, ut ajunt, duplex alia Inquisitio habet locum, nempe *mansueta*, & *severa*. Mansueta (de qua in hoc §.) fit per solas interrogationes ordinate, & accurate, non tamen captiose, propositas reo super certis articulis. Severa (de qua in §. *seq.*) fit per tormenta, & cruciatum corporis; vocaturque in Jure *Quæstio*, in Praxi autem *Tortura*. Nunc

654. Dico primo. Inquisitio generalis, non solum paterna, sed etiam judicialis, licite, & laudabiliter instituitur, tametsi nulla præcesserit infamia, aut denunciatio. Ita cum communi DD. P. Pichler *lib. 5. tit. 1. n.28.* Sumitur ex *c.1. de Offic. Judic. Ordin.* & ex Trid. *Sess.7. c.8. de Reform.* Ratio est: quia, præterquam quod hac tali inquisitione nemini inferatur injuria, insuper cavetur, ne invalescat noxia libertas impune peccandi, legesque transgrediendi. Ubi tamen Authores universim advertunt, quod Subditis, a Superiore in Visitatione v. g. interrogatis, non liceat manifestare eos, qui occulta crimina perpetrarunt, aut quæ juridice probari non possunt; ne scilicet per ejusmodi manifestationem citra causam, & injuste infamentur. Sed

655. Quæres, an ad instituendam inquisitionem generalem requiratur saltem aliqua suspicio, vel præsumptio, vel confusa delatio, vel aliqualia indicia, in aliquo loco fieri delicta?

Respondetur ad hoc quæsit. cum distinctione inter inquisitionem paternam, & judicialem; nam ad priorem nihil simile requiritur; bene vero ad posteriorem. Ita cum Passerino P. Krtckove *supra nostra Statuta General. c.6. §.1. n.2.* & P. Pichler *loc. & n. citt.* Ratio distinctionis, & disparitatis est: quia inquisitio judicialis ordinatur ad vindictam, non vero paterna; ergo licet hæc, ex unanimi DD. consensu, nullam prærequirat suspicionem, præsumptionem &c. prærequiret tamen illa, utpote quæ alias, seu in prædictum finem ordinata, & a Judice qua tali instituenda, a temeritatis nota excusari non posset.

656. Dico secundo. Ut rite instituatur Inquisitio specialis a Judice, prærequiritur accusatio, vel denunciatio, vel diffamatio, seu infamia, vel saltem legitima indicia contra personam, in quam inquiritur. S. Thomas 2. 2. *q.67. art.3.* Babenstuber *tr.5. disp.8. art.2. §.1. n.4.* & alii communiter. Sumitur *ex cap.21. & 24. de Accusat.* Ratio insuper est 1. Quia sine accusatore (vel denunciatore, ubi accusator deficit). nemo est condemnandus, *c.17. caus.2. q.1.* & infamia (seu fama, scilicet mala, habetur loco accusatoris, vel denunciatoris, *cit. c. 24.* infamiam autem adæquant, & quandoque superant indicia verisimilia, *c. 11. de Purgat. Canon.*

Ratio

Ratio est 2. Quia quilibet, in cujus vitam juridice inquiritur, conqueri jure valet, gravem sibi injuriam irrogari, si ceteroquin gaudeat fama integra; hanc quippe ejusmodi inquisitio lædere, & diminuere valde solet. Ceterum ut infamia hic sufficiat, non a malevolis, sed a providis, & honestis personis ortum ducere debet, & volare per majorem Communitatis partem. Babenstuber *loc. cit. n.* 5. & alii passim. Interim nomine infamiæ venit etiam illa notitia, qua crimen dicitur notorium Jure, qualiter notorium est per confessionem Rei coram Judice qua tali: prout ex Lessio notat Illsung *tr. 4. disp. 2. q. 1. art. 6. n.* 25. Ubi etiam cum communi aliorum addit, in criminibus valde enormibus, & Reipublicæ, vel privato alicui, valde perniciosis, uti læsæ Majestatis, hæresis &c. sufficere indicia minora, & suspiciones, probabiles tamen, quam in non sic enormibus, & perniciosis.

657. Quæres, quænam præterea requirantur ad inquisitionem specialem a Judice prælato modo instituendam?

Respondetur. Requiritur 1. Ut constet de corpore delicti. Sumitur ex *l. 1. §. 24. & l. 5. §. 2. ff. S. C. Silaniano*, atque ex communi sensu, & praxi. Constabit autem de corpore delicti, si illud sit *permanens*, seu vestigia post se relinquens, uti homicidium, incendium, furtum cum effractione &c. per inspectionem ocularem, vel per testes; si vero sit *transiens*, seu nulla post se relinquens vestigia, uti adulterium, incestus &c. per conjecturas probabiles, & proximas, vel etiam per confessionem utriusque complicis. Ita cum aliis a se relatis P. Reiffenstuel *lib. 5. tit. 1. a num.* 201. Requiritur 2. (quantum est de Jure) Ut reus citetur 3. Ut præsenti communicentur capitula, seu puncta inquisitionis cum circumstantiis, dicta testium, &, si inquisitus petat, etiam horum nomina, nisi ex manifestatione iis grave impenderet periculum. 4. Ut super illis examinatus pariter audiatur, ejusque exceptiones, & defensiones percipiantur. Liquent posteriora hæc tria requisita ex *cit. c. 21. & c. 24. de Accusat.* atque ex eo, quod nemo inauditus, & subtracta defensione, condemnandus sit. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 207. Pichler *n.* 30. & alii passim.

658. Dico tertio. Circa instituendam inquisitionem mixtam sine expressione, & determinatione personæ, eodem modo ratiocinandum est, quo ratiocinati sumus *n. 654. & seq.* de inquisitione generali: circa instituendam vero inquisitionem mixtam cum determinatione personæ, eodem modo, quo de inquisitione speciali, per dicta *n. 656.* Ita P. Babenstuber *loc. cit. n. 3. & 4.* aliique apud ipsum. Ratio est: quia inquisitio mixta justa priorem considerationem reducitur, & pertinet ad inquisitionem generalem; juxta posteriorem vero ad specialem; ergo &c.

659. Quæres, quisnam sit servandus ordo, dum instituitur inquisitio?

Respondetur, primo interroganda esse personalia super Rei nomine, patria, conditione &c. dein realia, prius generaliora, postmodum magis propinqua facto, demum specialia, & specialissima quoad causas, & circumstantias delicti, non autem alia, nisi sint connexa, vel indiciata. P. Pichler *loc. cit. n.* 32. quem vide.

§. III.

An, & quando Judex reum licite examinare possit per torturam?

S U M M A R I U M.

660. & 661. Tortura licite adhibetur, si debitæ conditiones observentur. 662. Reus, semel competenter tortus, & nihil confessus, non potest iterum torqueri, nisi nova criminis indicia superveniant. 663. Si reus, per testes legitime convictus, crimen neget, non potest, ut illud fateatur, torqueri. 664. Qui, injuste tortus, crimen fassus est, condemnari nequit.

660. Dico primo. Licitum est aliquando Judici reum examinare per torturam. Ita habet universalis Tribunalium praxis. Ratio est: quia hoc genus examinis est sæpe necessarium ad supplendum defectum plenæ probationis, præsertim in criminibus valde gravibus, & occulte perpetratis, quando jam adest semiplena saltem probatio. Nec refert, quod subinde aliqui metu tormentorum confiteantur delicta, quæ nunquam commiserunt, sicque puniantur innocentes; alii e diverso superent vim tormentorum, negentque crimina, quæ commiserunt, & recedant impuniti. Non, inquam, refert: quia id utere per accidens est; nec sufficit, ut hoc genus inquisitionis, tanquam medium ad veritatem indagandam inidoneum, aut Christianæ pietati, & charitati adversum, aboleri debeat: alioquin etiam abolendum foret genus inquisitionis mansuetæ v. g. per testes; cum & isti interdum mentiantur in Judicio &c. prout cum Sayro bene advertit, & instat P. Babenstuber *loc. cit. n.* 7.

661. Dico secundo. Tortura adhiberi non debet 1. Nisi tale sit delictum, quod mereatur pœnam relegatione majorem: unde sufficit, si mereatur pœnam mortis, mutilationis, vel triremium; non vero, si solum mereatur mulctam pecuniariam, pœnam relegationis, seu exilii &c. 2. Nisi adsint indicia valde urgentia, vel saltem semiplena probatio delicti contra reum. 3. Nisi reus per alias probationes plene convinci nequeat. 4. Denique attendi debet, an reus non sit persona torqueri prohibita; cujusmodi sunt senes decrepiti, homines furiosi, valetudinarii, mulieres prægnantes, & (nisi crimen sit valde atrox, v. g. læsæ Majestatis, proditionis, hæresis &c.) Magistratus majores, Nobiles, Doctores. Ita P. Pichler *loc. cit. n.* 33. & alii passim, quos vide: nolim quippe immorari; cum similia, utpote in foro duntaxat seculari locum habentia, accuratius nosse pertineat ad Criminalistas, non Moralistas. Nihilominus adhuc

662. Quæres primo, an reus, quando, semel competenter tortus, nihil fuit confessus, possit iterum torqueri?

Respondetur negative: nisi nova criminis indicia superveniant. Layman *lib. 3. tr. 6. c. 5. n.* 10. Herincx *part. 3. tr. 3. disp. 6. q. 2. n.* 30. & alii communiter. Ratio est: quia per illam constantiam in toleranda tortura censentur elisa indicia prius habita. Secus dicendum, si nova indicia superveniant: siquidem hæc non minus sufficere possunt ad torturam reiterandam, ac indicia priora ad illam primo inferendam. Authores *cit.*

663. Quæres secundo, an reus, qui per testes legitime convictus est, sed crimen fateri detrectat, possit torturæ subjici, ut illud fateatur?

Respondetur, regulariter non posse. Ita cum Lessio, Reding, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 11. Ratio est: quia tortura adinventa, & instituta est ad supplendum defectum plenæ probationis; in casu autem posito non adest defectus plenæ probationis: consequenter &c. Talis proinde reus sine confessione criminis condemnandus est. Dixi tamen: *regulariter*. Nam Lessius apud P. Babenstuber *cit.* excipit binos casus. Unus est, quando reus, ut executionem justæ sententiæ impediat, ad superius Tribunal malitiose appellat: tunc enim, si crimen sit atrox, & expediat reum ibi puniri, tortura adhiberi potest ad exprimendam ab illo criminis confessionem, atque hoc modo præcludendam viam injustæ appellationis. Alter est, si adsit semiplena probatio, vel sufficientia indicia, quod reus habuerit complices, vel alia adhuc crimina perpetrarit?

664. Quæres tertio, an judex, qui confessionem criminis injuste extorsit, v. g. extorquendo exemptum a tortura, vel sine sufficientibus indiciis, vel in illatione torturæ notabiliter excedendo, possit reum sic confessum condemnare?

Respondetur negative. Sayrus *in Clavi Regia lib. 12. c. 16. n. 26. & 28.* Herincx *loc. cit. n. 31. & seq.* aliique communiter. Ratio est: quia cum Judici non competat jus antefato modo confessionem extorquendi, examinatio illa non potest censeri legitima, & justa; ergo nec confessio criminis erit legitima, & justa, seu juridica. Quare in prædictis (& aliis id genus casibus) tenetur Judex non tantum sententiam retractare (si hæc sit injusta *quoad substantiam*) sed etiam compensare damna condemnato illata: quia violavit, & quidem formaliter (ut supponitur) jus alienum, haud aliter, quam retractatione sententiæ, & compensatione damnorum resarciendum. Quod si Judex ponatur materialiter solum, & sine formali peccato injustitiæ jus alienum læsisse, ad nullam compensationem damnorum obligabitur saltem in foro conscientiæ; cum tunc nec intulerit formalem injuriam, nec aliquid commodi acceperit, ut suppo-

supponitur. Tenebitue tamen sententiam materialiter injustam revocare, si citra suum grave incommodum possit, suggerendo nimirum parti læsæ, ut appellet; vel, si appellare nequeat, causæ revisionem, aut in integrum restitutionem postulet. Dixi supra: *si sententia sit injusta quoad substantiam*, Nam si tantum sit injusta *quoad modum*, non tenebitur Judex eam revocare, sed tantummodo resarcire damna ex indebito, & formaliter peccaminoso modo procedendi consecuta. Layman *lib.3. tr.4. c.2. a n.10.* Mezger *tom.3. tr.13. disp.47. art.1. n.11.* Babenstuber *loc. cit. n.13. & 33.*

§. IV.

An Judex semper debeat ferre sententiam secundum allegata, & probata?

S U M M A R I U M.

665. *Quid intelligatur nomine* causarum criminalium (majorum, *&* minorum) *& quid nomine* civilium? 666. *Quo se gerere debeat Judex, ut liberet probatum reum, quem ipse privatim scit innocentem.* 667. *Judex nunquam potest condemnare reum, nisi is de crimine sit juridice convictus, aut illud confessus.* 668. *In causis civilibus, & criminalibus minoribus Judex potest, & condemnare reum, per publicas probationes convictum, licet ipse privatim sciat esse innocentem: non item* 669. *in causis criminalibus majoribus.* 670. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 673. *Extenditur doctrina tertia conclusionis ad carnificem, & alios Justitia ministros.*

665. PRænotandum primo, quæstionem præcedere in *causis triminalibus*, & *civilibus*. Potrn causæ criminales aliæ sunt *majores*, aliæ *minores*. Majores dicuntur, ubi agitur de pœna mortis, vel mutilationis: minores vero, ubi agitur de pœna exilii tantum, aut corporis afflictiva; vel de privatione officii, beneficii, & bonorum fortunæ. *Causa civiles* dicuntur, ubi solum controvertitur de interesse Actoris.

666. Prænotandum secundo, quod Judex, si sciat privatim innocentem, quem testes, aut aliæ probationes reum, vel debitorem faciunt, omnes vias, & rationes inire debeat, quibus liberet innocentem: puta repellendo actorem, vel accusatorem; deterrendo testes, & severe minando, si contra veritatem aliunde sibi certo cognitam deponant; examinando per intervalla, ut videat, an testes non vacillent; extrahendo judicium; aperiendo carcerem, si id commode, & absque scandalo fieri possit; vel denique causam remittendo ad Judicem superiorem (si talem recognoscat) & deposita persona Judicis assumendo officium testis, si putet reum ac ratione liberari posse. Si vero Judicem superiorem non recognoscat, sed ipsemet respective supremus sit, poterit, & debebit uti authoritate absoluta, pœnamque innocenti condonare. Quibus rite perpensis liquet, contingere moraliter vix posse, ut non suppetat aliqua via innocentem liberandi. Data tamen hypothesi nullam suppetere, quæritur hic præcipue, an Judex possit, vel etiam teneatur condemnare, quem privata scientia novit innocentem, si is secundum allegata, & probata sit nocens? Antequam vero huic non tam practicæ, quam speculativæ quæstionis satisfaciam,

667. Dico primo. Sive vertatur causa criminalis, sive civilis, Judex in ferenda sententia debet procedere secundum allegata, & probata, adeo, ut nequeat condemnare reum, antequam de crimine juridice fuerit convictus, aut illud confessus, quamvis privata scientia certo sciat esse nocentem. Communis.

Probatur tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem; nam *Deutr. 17.* dicitur: *In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur:* ubi præcipitur, ne sine duorum saltem testimonio aliquis condemnetur; subjungitur enim: *nemo occidatur uno contra se dicente testimonium.* Ratione vero (eaque universaliter, & in causis quibuscunque concludente) quia Judex tenetur procedere secundum allegata, & probata propter veritatem haustam ex publicis documentis, *cap. 2. caus. 2. quæst. 1.* ergo non sufficit privata scientia. Et sane gravissima damna, atque pericula injustarum condemnationum orirentur, si Judicibus ad eas palliandas, insuperhabitis, aut neglectis probationibus, prætendere liceret scientiam criminis, simulque obire officium Judicis, & Accusatoris.

668. Dico jam secundo. In causis civilibus, & criminalibus minoribus Judex potest, & tenetur condemnare reum, per publicas probationes convictum, licet ipse privata scientia sciat esse innocentem. Layman *lib.3. tr.6. cap.2. num.8.* Reiffenstuel *lib.1. tit.32. n.46.* Mezger *loc. cit. n.9.* Babenstuber *n.16.* & alii communius.

Probatur. Judex potest, & debet procedere in ferenda sententia secundum potestatem, quam ipsi Respublica dare potuit, & dedisse prudenter præsumitur: atqui Respublica Judici in memoratis causis & dare potuit, & dedisse prudenter præsumitur potestatem condemnandi reum per publicas probationes convictum, licet ipse privata scientia sciat esse innocentem; ergo &c. Major est certa. Min. ostenditur. Nam in primis Respublica potuit dare ejusmodi potestatem; cum ipsa obtineat authoritatem disponendi de fortunis suorum subditorum, hosque privandi suis officiis, & beneficiis, si gravis ratio urgeat, & bono publico expediat: prout ipsimet Adversarii fatentur, & patet in usucapione, ubi bona unius legitime præscripta adjudicantur alteri. Deinde eandem potestatem actu dedisse prudentee præsumitur; cum quam plurimum intersit, ut in dictis causis secundum allegata, & probata procedatur, & feratur sententia.

Nonnulla argumenta, quæ hic opponi possent, soluta revide superius *n.149.*

669. Dico tertio. In causis criminalibus majoribus Judex non potest, & consequenter non tenetur condemnare reum, per publicas probationes convictum, si eundem privata scientia sciat esse innocentem. Ita Lyranus *cap.23. Exodi.* Reiffenstuel *loc. & num. citt.* Gormaz *tom.2. disput.18. sect.1. num.809.* Marinus Panger *lib.3. disput.3. quæst.12. num.97.* & alii innumeri contra Div. Thomam, ejusque Asseclas passim.

Probatur primo. Potestatem quippe illam arrogare sibi non potest Judex, quam ei nec Deus, nec Respublica dedit: sed potestatem occidendi (vel mutilandi) a parte rei innocentem nec Deus, nec Respublica Judici dedit; ergo &c. Maj. est certa. Min. ostenditur: Non enim Deus dedit, utpote qui *Exodi 23.* expresse præcipit: *Insontem, & justum non occides.* Neque Respublica, imo hæc dare non potuit, cum ipsa non sit domina hominum quoad vitam, & membra.

Probatur secundo. Humana authoritate occidere innocentem directe, & ex proposito, est intrinsece malum; ergo in nullo casu, adeoque nec in præsenti, potest esse licitum.

Confirmatur. Judex Ecclesiasticus certus, Bertham v. g. quæ Judicio repetit Cajum tanquam maritum, non esse uxorem Caji, non potest Cajum cogere ad conjugaliter convivendum Berthæ, quamvis ponatur per testes probatum, ipsum esse maritum Berthæ; sic enim cogeret ad id, quod est intrinsece malum, nimirum ad carnalem copulam cum femina non sua; ergo nec Judex secularis in nostro casu potest cogere carnificem ad occidendum hominem, qui est a parte rei innocens, licet per publica testimonia sit probatus nocens; quia cogeret ad id, quod est intrinsece malum: consequenter &c.

670. Objicies primo. Jodex, cum sit persona publica, tenetur sequi scientiam publicam; ergo &c.

Respondetur, dist. antec. Si non habeat scientiam privatam publicæ contrariam, con. si habeat, subdist. tenetur sequi scientiam publicam in causis civilibus, & criminalibus minoribus, con. in causis criminalibus majoribus, neg. ant. & cons. Disparitas ex dictis liquet.

Instabis. Scientia privata in Judice se habet per accidens, imo est prorsus inutilis; ergo etiam relate ad causas criminales majores tenetur Judex sequi scientiam publicam.

Respondetur, dist. ant. In ordine ad reum condemnandum, vel juridice absolvendum, con. in ordine ad eum præcise non condemnandum, neg. ant. & cons. Judex vi suæ scientiæ privatæ utique non potest condemnare, vel absolvere reum juridice, & per sententiam definitivam; potest tamen, & tenetur, scientia publica contraria non obstante, illum non condemna-

demnare &c. Videatur Reiffenstuel *loc. cit. numer.* 49.

671. Objicies secundo. Non est ita intrinsece malum, etiam directe occidere innocentem, ut id in nullo unquam casu homini sit licitum, cum quis hoc modo propriæ vitæ tuendæ causa licite occidat furiosum, a quo invaditur; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. intellectum de innocente tam materialiter, quam formaliter tali. Ad rationem probativam, & exemplum allatum ajo, utique id esse licitum; quia illiusmodi aggressor est injustus, & nocens, non quidem formaliter, sed materialiter. At neg. cons. Siquidem reus in nostro casu nec formaliter, nec materialiter injustus, aut nocens est; uti supponitur. Revide, quæ diximus *part.* 2. *n.* 582.

672. Objicies tertio. Si Judex esset certus certitudine unice acquisita per Sacramentum Pœnitentiæ, posset reum, per publicas probationes convictum, licite condemnare ad mortem; ergo id etiam potest in casu conclusionis.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia Secretum, seu Sigillum Confessionis ex institutione Sacramenti est Juris Divini, eoque uti non licet etiam ad salvandam vitam innocentis, sic præcipiente Deo, qui est dominus vitæ hominum: unde tali casu non condemnaretur, & occideretur innocens authoritate humana, sed Divina: quod utique licet. Aliter res se habet in nostro casu, utpote in quo procederetur authoritate mere humana: veluti relinquitur ex dictis.

Unius adhuc, alteriusve argumenti solutionem reperies superius, *n.* 149. Hic autem

673. Colliges, idem, quod modo tradidimus de Judice, etiam tenendum esse de carnifice, aliisque Justitiæ ministris, ad exequendam Judicis sententiam deputatis; videlicet nec tales in casu ternæ conclusionis posse fungi suo officio, sed debere ab executione sententiæ, per Judicem secundum allegata, & probata latæ, se abstinere, si reum privata scientia noverint innocentem. P. Panget *loc. cit. n.* 98. & alii passim. Rationes sunt eædem, quæ de Judice.

§. V.

An Judici liceat acceptare munera?

S U M M A R I U M.

674. *Quid sint munera* improprie, *& quid* proprie *talia?* 675. *Judex, si non habeat sufficiens salarium, non peccat, accipiendo munera improprie dicta: peccat autem* 676. *accipendo proprie dicta.* 677. *Solvitur objectio.* 678. *Tenetur ista restituere danti, si ea acceperit pro ferenda sententia justa; secus, si pro sententia injusta, & hæc jam sit lata.*

674. PRænotandum, munera alia esse *improprie*, alia *proprie talia*. Nomine munerum improprie talium veniunt *sportulæ*, & *xenia*. Sportulæ dicuntur, quæ obtinent rationem stipendii pro sustentatione, vel mercedis pro labore in cognitione, & discussione causæ impenso; solentque æqualiter exigi ab utraque parte litigante. Per xenia intelliguntur munuscula leviora, quæ solent offerri in modica quantitate, ac fere consistunt in esculentis, & poculentis, intra paucos dies consumptibilibus. Munera proprie talia appellantur, quæ offeruntur in majori quantitate, & juxta communem æstimationem pretiosa habentur, aptaque ad animum Judicis inflectendum. Hoc præmisso,

675. Dico primo. Judex licite acceptat munera improprie talia, nempe (1.) xenia, & (2.) sportulas, si aliunde non habeat salarium sufficiens, suoque labori respondens. Prima pars est communis propter expressum textum *in l.* 8. *ff. de Officio Præsidis*. Secundam partem tradunt Lugo *disp.* 37. *sect.* 9. *n.* 125. Pichler *lib.* 1. *tit.* 32. *n.* 10. & alii, tanquam in legitima consuetudine fundatam. Ratio præterea utriusque partis est: quia acceptatio xeniorum remotum duntaxat, ac improbabile; acceptatio autem sportularum (cum hæ ab utraque parte litigante æqualiter accipiantur) omnino nullum censetur inducere periculum pervertendæ Justitiæ. Nec obstat illud *Ecclesiast.* 20. *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum*. Intelligendum quippe venit de xeniis, & donis, in notabili quantitate oblatis, ita, ut per illa designentur munera proprie dicta; non vero de xeniis, & donis parvæ quantitatis, seu prout xenia presse sumuntur, & superius descripta sunt.

Dixi tamen; *si aliunde non habeat salarium sufficiens, suoque labori respondens.* Nam si Judex habeat justum, suoque labori commensuratum salarium, non potest licite aliquid accipere in pretium, verb. grat. ut justam sententiam ferat, litigantes audiat, vel causæ decisionem non differat; sique aliquid acceperit, tenetur restituere, quando id datum est timore injuriæ, alias non dandum. Ratio est: quia hoc casu nullum accipiendi, vel retinendi titulum, aut jus habet, sed jam antea obligatus est ex Justitia ad prædicta munia obeunda. Hinc dici solet, *opera Justitiæ non posse esse venalia*, id est, opus, vel omissio, quod jam antea alicui ex Justitia debitum est, non potest eidem constituto pretio vendi. Ita cum Lessio, & Laymanno P. Josephus Seybold *in Thesib. de Republica Christiana fol.* 578.

676. Dico secundo. Judex (spectato saltem Jure positivo) illicite acceptat munera proprie talia. Communis.

Probatur tum ex Jure Divino; nam *Deut.* 16. habetur: *Non accipies personam, nec munera; quia munera excæcant oculos Sapientum*. Tum ex Jure humano tam Canonico, *c.* 10. *de Vit. & Honest. Cleric.* quam Civili, *l.* 3. *ff. de L. Jul. repetund. & Authent. Novo Jure. C. de pœna Judicis*, ubi & munera serio prohibentur, & transgressoribus severæ pœnæ statuuntur.

Dixi: *spectato saltem Jure positivo*. Nam Cardinalis de Lugo, Pichler, Seybold, & alii permulti docent, munerum acceptionem etiam de Jure naturali esse illicitam. Rationem dant: quia acceptio munerum præjudicat rectitudini Judiciorum, Justitiæ, & bono communi; siquidem humano modo impossibile videtur, ut Judex, qui lite pendente accepit ab uno litigantium magnum donum, verb. grat. mille florenos, vasa argentea, vel aurea, domum, vineam &c. postea in decursu causæ, & prolatione sententiæ non multum propendeat in favorem tam liberaliter offerentis. Nec obstat (inquiunt) quod forte aliquis Judex adeo rectus, vel rusticus (quemadmodum Lugo nominat) reperiatur, qui post accepta dona condemnet donatorem: quia hoc inter casus rarissimos ponendum est; argumentatio autem fit a communiter contingentibus. Confirmant id exemplo de fornicatione Jure naturali illicita, quod alias proles plerumque evidenti periculo malæ educationis exponeretur.

677. Objicies nunc contra conclus. Si Judici non sit licitum acceptare munera, neque litiganti erit licitum illa offerre: sequela est contra praxim; ergo &c. Prob. autem seq. Quia offerens sic cooperaretur peccato alieno.

Respondetur, dist. seq. Non erit litiganti licitum illa offerre pro obtinenda sententia injusta, con. pro obtinenda sententia justa, subdist. si non sit prudens metus causam, de se justam, perdendi, con. sic enim offerens peccato alieno cooperaretur; si sit prudens metus ejusmodi causam perdendi, neg. seq. sic enim offerens alieno peccato non cooperaretur; sicut non cooperatur peccato alieno, nec peccat, qui solvit usuras, quando aliter nequit obtinere mutuum.

Instabis. Judex potest allici blanditiis, & precibus ad ferendam sententiam justam, secluso etiam metu de ferenda sententia opposita; ergo & muneribus.

Respondetur, omisso antecedente, neg. cons. Disparitas est; quia munera majore pollent vi, quam blanditiæ, & preces, ad movendum, & in alteram partem inflectendum Judicis animum. Hinc illa sunt in Jure prohibita; non vero istæ.

678. Quæres, an Judex munera acceptare teneatur danti restituere?

Respondetur. Si illa acceperit (1.) pro sententia justa, tenetur restituere; secus, si acceperit (2.) pro sententia injusta. Ratio utriusque membri, & disparitas est: quia Judex ad sententiam justam ferendam aliunde (ut hic supponitur) obligatur titulo Justitiæ; adeoque pro illa nequit accipere pretium, cum hoc sit compensatio cujusdam indebiti: e diverso sententia injusta ex una parte est munera offerenti indebita, ex altera vero eidem utilis, & delectabilis; ipsi vero Judici laboriosa, & periculosa: consequenter qua talis (quamvis non qua mala, & peccaminosa) censetur

pretio æstimabilis. Sed hoc secundum responsionis membrum intelligendum venit de immunitate ab obligatione restituendi post sententiam injustam jam latam; nam ante sententiam, uti ante quodvis aliud peccatum, datur obligatio rescindendi contractum, & restituendi, quod acceptum est, Navarrus *in Manual. c.* 17. Lessius *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 8. *a n.* 52. & alii passim.

ARTICULUS II.

De Accusatore, Testibus, Reo, & Advocato.

§. I.

Expediuntur, quæ concernunt Accusatorem.

SUMMARIUM.

679. *Differentia* Accusatoris *ab* Actore. 680. *&* 681. *Quid sit* Accusatio, *& quomodo differat a* Denunciatione? 682. *Quinam accusare possint?* 683. *Regulariter non datur obligatio accusandi*. 684. *Quinam possint accusari?*

679. QUi in causis civilibus *Actor*, in criminalibus *Accusator* dicitur. Unde Actor est, qui in civilibus jus suum prosequitur: Accusator vero, qui in criminalibus delictum defert publicæ punitionis gratia; & dividitur in Accusatorem *formalem*, & *virtualem*. Formalis dicitur vera persona accusans. Virtualem faciunt infamia de crimine, & criminoso, evidentia facti, indicia violenta &c. Omisso hic Accusatore virtuali, de solo formali agemus, & dicta de ipso ad Actorem quoque proportionaliter accommodari poterunt. De tali igitur Accusatore hæc communiter, & præcipue quæruntur. 1. Quid sit Accusatio? 2. Quis accusare possit? & 3. Quis accusari? Ad singula ut respondeam.

680. Dico primo. Accusatio est *delatio criminis, apud Judicem in ordine ad vindictam publicam solemniter facta*. Consistit autem hæc talis solemnitas tum in oblatione libelli, in quo tamen omittitur conclusio, seu petitio certæ pœnæ; tum in inscriptione Accusatoris, qua iste se obligat ad pœnam *Talionis*, si in probatione defecerit. Sed vi hodiernæ consuetudinis neutra est necessaria; nam loco primæ adhibetur querela verbalis, qua nimirum Accusator reum verbabiliter accusat, Notario statim omnia in scriptum redigente: & loco secundæ, saltem in foro Civili, imponitur pœna arbitraria, petiturque cautio de prosequenda lite usque ad finem Judicii; uti & de expensis, damno, ac injuria causatis accusato, si Accusator delictum non sufficienter probaverit, quam cautionem si præstare non valeat, arrestandus, vel carcere detinendus est. Sanct Gallenses *tom.* 6. *tr.* 4. *q.* 2. *dub.* 1. *conclus.* 1. Reiffenstuel *lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 11. & alii passim.

681. Colliges, quomodo Accusatio differat *a Denunciatione Judiciali*, non solum *privata*, sed etiam *publica*. Denunciatio privata est, quando quis ex alieno delicto inique gravatus ad Judicem recurrit persequendo suum interesse, & satisfactionem, eo quod de Jure actionem proprie dictam non habeat, uti læsus infra dimidium; vel quando oppressus a potentiore denunciat Judici suum gravamen, ut ex officio remedium afferat. Publica est, quæ tendit ad vindictam, vel pœnitentiam publicam, pro avertendo damno communi Reipublicæ, vel Ecclesiæ, per crimen læsæ. Itaque Accusatio a Denunciatione privata differt, quod finis Accusationis sit publica vindicta, & punitio criminis; qualem finem non intendit Denunciatio privata. A Denunciatione publica differt Accusatio, quod (licet utraque tendat ad vindictam, & pœnitentiam publicam) Denunciator non teneatur se inscribere ad pœnam Talionis, ad crimen plene probandum, & ad causam judicialiter prosequendam, sicut Accusator, quantum est de Jure scripto; sed satisfaciat, si Judici suggerat indicia, & probationes, vel nominet testes. Videatur Laymann *lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. *a n.* 4.

682. Dico secundo, Accusare possunt omnes, qui non specialiter prohibentur, *l.* 8. *ff. de Accusat.* Prohibentur autem accusare de Jure Canonico. 1. Clerici in Judicio seculari. 2. Laici Clericos, nisi crimen sit immane, & cedat in grave præjudicium Ecclesiæ. 3. Pagani, & Hæretici non tolerati Christianos, & Catholicos. 4. Inimici capitales, vel alias valde infensi. 5. Excommunicati. Habentur ista *in c.* 9. *Ne Clerici. c.* 2. 3. 4. *&* 25. *caus.* 2. *q.* 7. *c.* 2. 3. 4. *caus.* 3. *q.* 5. *cap.* 1. *caus.* 6. *q.* 1. *cum* 7. *de Judic. & c.* 10. *de Accusat.* De Jure Civili accusare prohibentur 1. Pupilli, mulieres, milites, quos ultimos tamen praxis admittit. 2. Magistratus. 3. Infames, & suspectæ fidei; quibus accensentur pauperes, nisi eos honesta vita judicio Judicis purget a suspicione infamiæ. 4. Valde conjuncti sanguine, vel specialiter ad gratitudinem obligati, uti se habent liberi respectu parentum; fratres, aut sorores invicem; libertus respectu patroni; alimenta accipiens respectu præbentis; servus, & vassallus respectu domini. Sumuntur hæc *ex l.* 8. *& seqq. ff. de Accusat. l.* 13. *&* 18. *C. de His, qui accusare*. Interim esto hi tales prohibeantur accusare; haud tamen prohibentur denunciare, vel simplicem querelam deponere apud Judicem, ut is inquisitionem instituat. Imo etiam permittuntur (exceptis fere solis excommunicatis, & capitalibus inimicis) accusare, quando suam, vel suorum (nempe conjunctorum usque ad quartum gradum) causam persequuntur, *l.* 11. *ff. de Accusat.* & quando crimen est vald atrox, aut in grave præjudicium Reipublicæ, vel Eccl siæ cedit, & accusans nec a reo per exceptionem, ne a Judice repellitur. Ita, sed fusius, P. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 15. P. Pichler *lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 13. & alii Juri periti passim. Ubi tamen circa ultimum bene notan Sanct-Gallenses *cit. conclus.* 2. quod Clerici, quando criminaliter accusare permittuntur, & prævident, accusatum forte pœna capitis plexum iri, debeant protestari, se eam non intendere; hoc quippe si omitterent, irregulares evaderent.

683. Quæres, an detur obligatio accusandi?

Respondetur, regulariter non dari. Ratio est: quia omnia mala, ad quæ impedienda, vel tollenda videtur necessaria accusatio, satis accommode propulsantur per judicialem denunciationem, & quandoque etiam per privatam monitionem, aut correctionem. Accedit, quod accusatio soleat adjuncta habere varia, eaque gravia incommoda, & incommodorum pericula, puta deficiendi in probatione, consciscendi sibi odia, inimicitias, expensas &c. ergo ejus obligatio censetur merito non dari, quando aliud medium non ita periculosum suppetit, quo mala impendentia avertantur, & propulsentur.

Dixi: *regulariter*. Nam si ex omissione accusationis immineret Reipublicæ grave damnum, quod nec denunciatione, nec alio modo averti posset, utique teneretur quis arripere remedium accusationis, posthabito etiam proprio damno forte subeundo; modo crimen probare valeret: quia bonum publicum privato anteferendum est. Reiffenstuel *loc. cit n.* 33. & alii passim. Idem dicendum, si ex crimine, quod quis novit, impendeat grave damnum personæ privatæ tertiæ. Sed quoad hoc videri, & huc applicari debent regulæ, quas tradidimus *part.* 2. *n.* 149.

684. Dico tertio. Accusari regulariter possunt omnes, *l.* 12. *pr. ff. de Accusat.* Excipiuntur 1. Legati, & qui Reipublicæ causa absunt, item Magistratus majores, quorum officium est temporale, *l.* 12. *cit.* multo magis ipsi supremi Principes, Superiorem non recognoscentes; ut Papa, Imperator, Reges. 2. Absentes a loco Judicii in ordine ad pœnam relegatione majorem, *c.* 5. *caus.* 2. *q.* 8. & *l.* 3. *ff. de Pœnis*. Sed hoc de rigore Juris scripti; nam vi hodiernæ consuetudinis accusari etiam absentes possunt. 3. Mortui, *l.* 6. *ff. de publ. Judic.* excepto crimine hæresis, *c.* 8. *de Hæret. in* 6. & crimine læsæ Majestatis, *l.* 7. *&* 8. *C. ad L. Jul. Majest.* In ordine ad bona Fisco applicanda. 4. Semel in Judicio absolutus, modo non intervenerit prævaricatio, vel collusio. *l.* 7. 11. 14. *ff. & c.* 6. *de Accusat.* 5. Condemnatus, & pœna delicto commensurata punitus, super eodem crimine, *c. fin. de Exception. in* 6. & *c.* 5. *de Pœnis in* 6. Ita P. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 34. P. Pichler *n.* 15. & alii.

§. II.

Expediuntur, quæ concernunt Testes.

SUMMARIUM.

685. *Quid sit testis?* 686. *Quinam testari possint?* 687. *An testes inhabiles, vel minus idonei nunquam admitti possint, vel soleant ad aliquid probandum?* 688.

Quan-

Quando detur obligatio testandi? 689. Ad plenam probationem regulariter requiruntur, & sufficiunt duo testes. 690. Queis qualitatibus debeant esse instructi? 691. Qualiter peccet, qui falsum testimonium dicit?

685. PRænotandum, quod Testis judicialis (de quo hic unice sermo est) *ex c. 1. de Testib.* definiatur *persona idonea, quæ ad instantiam Partis evocatur, & examinatur a Judice ad faciendam fidem de re controversa.* Ut vero quispiam (aut quæpiam) ejusmodi personæ prærogativa gaudeat, nec a Lege, nec a Canone repellatur, necesse est, *l. 1. §. 1. ff. & c. 1. de Testib.* Unde testis idoneus etiam nuncupari solet *omni exceptione major*, quatenus contra eum nulla exceptio legitima fieri potest. Existimat tamen cum Mascardo, & aliis P. Pichler *lib. 2. tit. 20. n. 2.* quod Testis omni exceptione major superet testem simpliciter idoneum, sicut gradus comparativus positivum, majorisque sit authoritatis, & fidei, quam simpliciter idoneus, & cui præcise non interdicitur testificatio. Hoc prænotato, quæritur 1. Quis possit ferre testimonium? 2. Quis debeat? 3. Quot testes faciant probationem plenam? 4. Quale peccatum committat, qui testimonium falsum dicit?

686. Dico jam primo. Testimonium ferre possunt omnes, quibus non deest aliqua ex qualitatibus, per hosce versiculos expressis:

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides: in testibus ista requires.

Explicetur. *Conditio* excludit servos proprie dictos; quia Jure Civili habentur pro mortuis. *l. 7. ff. de Testib.* & respective Clericos, ac Regulares, quatenus coram Judice seculari non possunt licite testari absque licentia Superioris; quamvis eorundem testimonium valeat, *c. 51. de Testib.* Quod si Clericus in causa criminali sanguinis testimonium ferat contra reum, insuper irregularis evadit, etiam præmissa protestatione, utpote quæ in præsenti nullam vim operandi, aut juvandi obtinet: veluti cum communi docent Sanct-Gallenses *loc. cit. dub. 2. conclus.* 1.

Sexus excludit mulieres: hæ enim propter fragilitatem, & ingenii mutabilitatem de Jure Canonico non possunt esse testes in causis criminalibus. *Gloss. in c. 10. de V. S.* in causis tamen civilibus non admodum arduis etiam Jus Canonicum admittit feminas ad testandum. Jus vero Civile eas admittit in quibuscunque causis, præterquam in re feudali, *lib. 2. feud. tit. 32.* & in testamento solemni, *§. Testes autem. Instit. de Testam.*

Ætas excludit impuberes ob immaturitatem judicii, *l. 3. §. 5. ff. de Testib.* & minores ante completum annum ætatis vigesimum in causis criminalibus, & civilibus admodum arduis, *l. 20. ff. eod.* nisi sint causæ difficilis probationis, ubi etiam impuberes admittuntur tam in criminalibus, quam in civilibus.

Discretio excludit furiosos, & mente captos, extra tempora, quibus habent lucida intervalla.

Fama excludit infames infamia Juris, quales sunt histriones, adulteri, contrahentes incestuosas nuptias, polygami &c. item damnati per sententiam Judicis tanquam fures, raptores &c. *c. 9. caus. 3. q. 5. c. 13. & 54. de Testib.* Infames vero infamia facti repelluntur a dicendo testimonio in causis criminalibus tantum; in civilibus autem admittuntur: prout non obscure colligitur *ex c. 54. de Testib.*

Fortuna excludit personas pauperes, & viles, *c. 7. caus. 2. q. 1.* & *l. 3. §. 1. ff. de Testib.* nisi vita eorum, & fama integra judicio Judicis tollat suspicionem corruptionis, quæ ex nimia egestate, & vilitate præsumitur, *per c. 8. de Testib.*

Fides excludit 1. Judæos, paganos, apostatas, & hæreticos non toleratos, contra Christianos, & Orthodoxos, *c. 25. & 26. caus. 2. q. 1. ac l. 21. C. de Hæret.* 2. Perjuros (etsi pœnitentiam egerint) & pecunia corruptos, *c. 24. caus. 2. q. 7.* 3. Inimicos Rei capitales, *l. 3. ff. de Testib.* 4. Domesticos accusatoris, *c. 1. & 12. caus. 3. q. 5. ac l. 3. & 6. ff. de Testib.* Domestici autem alicujus dicuntur non tantum uxor, filii, & servi, sed etiam liberti, famuli conductitii, & alii familiares, saltem si eis aliquo modo imperare possit, 5. Consanguineos descendentes, & ascendentes; item collaterales, & affines usque ad quartum gradum: hi enim nec pro se, nec contra reum audiuntur. *cit. l. 3. ff. de Testib. & c. 10. caus. 3. q. 5.* Videatur Engel *lib. 2. tit. 20. a n. 10.* vel Reiffenstuel *ibid. a n. 29.* ubi hæc omnia per extensum ventilat.

687. Quæres, an recensiti testes inhabiles, vel minus idonei nunquam admitti possint, vel soleant ad aliquid probandum?

Respondetur, quod (nisi Jure naturali inhabiles sint) admitti possint, & soleant in hisce actibus. 1. Quando veritas aliter obtineri nequit, 2. Quando agitur de peccato vitando, verb. grat. de impediendo matrimonio propter suspicionem impedimenti. 3. In criminibus exceptis, atrocibus, & valde perniciosis; uti sunt crimina læsæ Majestatis, Simoniæ, hæresis &c. 4. Si deponant pro innocentia Rei in criminalibus. 5. Si deponant contra producentem. 6. Si a Partibus rogentur, vel non repellantur sive a Judice, sive a Parte, contra quam producuntur. In his, inquam, casibus illiusmodi testes admittuntur. Interim quantam mereantur fidem, plerumque Judicis dispectioni, ac arbitrio relinquitur, adeo, ut defectus suppleri possit numero, gravitate, vel excellentia contestis, conjecturis, & præsumptionibus &c. Videatur Pichler *lib. 2. tit. 20. n. 15.*

688. Dico secundo. Testimonium ferre quis tenetur, quoties id prævidetur necessarium ad avertendum grave malum Reipublicæ, vel etiam alicujus hominis privati. Sanct Gallenses *loc. cit. dub. 2. conclus.* 2. Babenstuber *n. 42.* & alii passim.

Probatur, & declaratur. Nam in primis quilibet civis, ceu membrum Reipublicæ, ex virtute non solum Charitatis, sed etiam Justitiæ legalis, tenetur, si possit, ab illa avertere grave malum. Deinde quilibet obligatur obligatione Charitatis sublevare proximum, in gravi necessitate constitutum; quemadmodum eveniret, si is esset accusatus tanquam nocens, & tu scires esse innocentem: tenereris quippe de ejus innocentia (supposito, quod hæc aliter detegi non posset) perhibere testimonium etiam non jussus, vel non requisitus.

689. Dico tertio. Ad legitimam, plenamque in Judicio probationem regulariter requiruntur, ac sufficiunt duo testes, *c. 3. caus. 2. q. 5.* ibi: *Testimonio duorum, vel trium testium quilibet jure convinci, ac damnari poterit. Et Matthæi 18. In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Quare non sufficit unus testis; cum juxta vulgatum *unus testis sit nullus testis*, & tres non sunt necessarii; siquidem adducti textus continent propositiones disjunctivas, ad quarum veritatem sufficit, si alterutra pars subsistat, & verificetur.

Dixi tamen: *regulariter*. Nam in quibusdam casibus sufficit unus testis; & in quibusdam tres, vel plures requiruntur. Unus sufficit. 1. Quando non agitur de præjudicio tertii; ut si investigetur, num Ecclesia sit consecrata? num aliquis sit baptizatus, vel confirmatus? num petierit Confessarium &c.? *c. 110. dist. 4. de Consecrat. cap. 7. & 8. caus. 26. q. 6.* Sufficit 2. Quando agitur de peccato impediendo, v. g. ne contrahatur matrimonium in gradibus prohibitis, *c. 22. de Testib. & c. 12. de Sponsal.* Sufficit 3. in causis levioribus: sic damnantur cæsores lignorum, fures pomorum &c. ad testimonium solius custodis, maxime, si adhuc alia indicia adsint. Excipit Lessius: nisi reus neget: tunc enim (inquit) ejusmodi testimonium solummodo sufficit ad inquirendum, & examinandum, non vero ad reum immediate condemnandum. Sufficit 4. in iis, quæ pertinent ad ejus, qui testatur, officium; ut si testimonium perhibeat Officialis publicus, & juratus in rebus ad Officium pertinentibus; Chirurgus, vel Medicus in dubio, an vulnus sit lethale &c.? Pichler *loc. cit. n. 34.* Sufficit 5. si Papa, vel Imperator, vel alii Principes Superiorem non recognoscentes de facto proprio testantur. Sanct-Gallenses *loc. cit. conclus.* 3. Sufficit 6. Quando versamur in antiquis, & alia probatio haberi non potest; aut si aliæ conjecturæ, præsumptiones, vel juramentum suppletorium &c. accedat. E contrario non sufficiunt duo testes, sed plures requiruntur. 1. In contractu matrimoniali, ubi requiruntur duo, vel tres præter Parochum. 2. In Codicillo, ad quem requiruntur quinque. 3. In Testamento solemni, ad quod requiruntur septem &c.

690. Quæres, quibus nam conditionibus, & qualitatibus testes, ut probent in Judicio, debeant esse instructi?

Respondetur. Debent 1. esse jurati; secus quippe iis non creditur in præjudicium alterius, de quo dum agitur, duo saltem testes requiruntur ex proxime dictis. 2. Debent deponere de sensu; nempe se vidisse Titium verb. grat. occidentem, audivisse blasphemantem &c. 3. Debent testari de uno, eodemque facto, ut sint contestes: testes nanque singulares, ut vocant, non plene probant. 4. Debent esse idonei, & omni exceptione majores &c. Babenstuber *loc. cit. num.* 41. & alii communiter.

691. Dico quarto. Qui sciens falsum testimonium dicit in Judicio, multiplici scelere se obstringit.

Explicatur. Nam 1. cum deposuerit (ut supponitur) de non dicendo falso juramentum, fit perjurus, & peccat contra virtutem Religionis. 2. Constituit se reum mendacii contra virtutem Veracitatis. 3. Delinquit contra virtutem Justitiæ commutativæ, saltem respectu Rei, quem fama, fortunis, vel vita injuriose privat. Unde etiam statim mendacium retractare tenetur, &, nisi fecerit, restitutioni, & compensationi omnium damnorum obnoxius erit. Quod si non sciens, sed bona fide, verb. grat. ex lapsu memoriæ, falsum dixerit, haud equidem peccavit, tenetur tamen, veritate agnita, dictum suum quantocyus revocare, vel ex Charitate, vel etiam ex Justitia, quando ex ejus testimonio sequi natum est alteri damnum, & sperat revocationem fore ejusmodi damni impeditivam, eamque facere possit absque gravi suo incommodo. Sanchez *lib. 6. Consil. c. 5. dub.* 21. & alii passim.

§. III.

Expediuntur, quæ concernunt Reum, & Advocatum.

SUMMARIUM.

692. Reus, si sit certus, se juridice interrogari, tenetur respondere. 693. Obligationes Advocati. 694. Utrum Clerici, & Religiosi possint agere Advocatos?

692. Dico primo. Si Reus sit certus, quod Judex juridice, & servato Juris ordine interroget, tenetur ad interrogata respondere, nulla adhibita amphibologia, non solum in causis civilibus, & criminalibus minoribus, sed etiam, saltem probabilius, in criminalibus majoribus: prout docuimus *part.* 2. *n.* 491. Revide ibi dicta.

Dixi autem: *si certus sit &c.* Nam si dubitet, an Judex juridice interroget, probabilius non tenetur respondere. Relege, quæ tradidimus *disp. præced. n.* 591. in limitatione responsionis ibi datæ. De Reo iterum aliquid inseremus infra *in Casibus*.

693. Dico secundo. Advocatus (vel *Causidicus*) tenetur clientibus pro suæ causæ defensione ad ipsum recurrentibus opportunum consilium, & auxilium præbere, eorum causas discutere, &, si justas cognoverit, earum merita, id est, omnia, quæ ad illas sive *de Jure*, sive *de Facto* conferunt, diligenter conquisita, & ordinate digesta in Judicio proponere, easdemque contra Adversarios legitimæ defensionis viribus tueri. P. VViestner *lib. 1. tit. 37. n. 72. ex l. 14. C. de Advocatis diversorum Judiciorum*. Ratio sumitur ex natura officii, quod Advocatus fungitur, & vi cujus describitur *patronus causæ, Parti litiganti in Judicio assistens*. E contra tenetur idem Advocatus abstinere a fallaciis, & falsis allegationibus; a studiosa litis protractione; a conviciis, & sarcasmis; a collusione cum Parte adversa, ei revelando arcana causæ sibi concreditæ, aut iis cognitis ad Partem adversam transeundo; a pacto de *quota* litis sibi solvenda, aut de *palmario*, seu de aliquo extraordinario ultra salarium, in eventum victoriæ, dum lis adhuc durat, vel priusquam inchoetur; a defensione causæ certo injustæ &c. In omnibus his casibus, si Advocatus Clienti, vel Adversario, vel utrique injuste nocuerit, tenetur ad restitutionem. Ita Silvester *v. Advocatus q.* 9. Pirhing *lib. 1. tit.* 37. *n.* 22. & alii passim. Quod autem causam etiam minus probabilem suscipere, & propugnare licite possit Advocatus, relinquitur ex dictis *part. 1. n.* 173.

694. Quæres, an Religiosi, & Clerici possint Advocatos agere?

Respondetur. Religiosi non possunt in foro seculari esse Advocati, præterquam si pro utilitate sui Monasterii, accedente Superiorum consensu, litigantibus assistere velint, *c. 25. caus. 16. q. 1. & c. 2. de Postulando*. In quo ipso tamen casu excipiuntur FF. Minores S. Francisci per *Clement. Exivi, 1. de V. S.* Clerici, si sint constituti in Majoribus, nequeunt obire munus Advocati in Judicio seculari (bene vero in Judicio Ecclesiastico, & Curia Romana) nisi in causa propria suæ Ecclesiæ, & personarum aut conjunctarum, aut miserabilium, *c. 1. & 3. de Postulando*. Si vero sint constituti in Minoribus tantum, possunt advocare etiam in foro seculari: modo Beneficium Ecclesiasticum non habeant, & causas criminales adversus reum, ac delinquentem non suscipiant, *cit. c. 1. de Postulando*. P. Krimer *lib. 1. tit. 37. a n.* 3639. & P. Schmier, *lib. 2. tr. 1. c. 2. a n.* 190. ubi hic etiam recenset alios, quibus advocare vetitum est.

ARTICULUS III.

De Procuratore, Assessore, Referendario, & Notario.

SUMMARIUM.

695. & 696. Procuratoris descriptio, officium, & differentia ab Advocato. 697. Descriptio, & officium Assessoris. 698. Quid intelligatur nomine Referendarii, & qualiter differat a Judice, & Assessore? 699. Quid sit Notarius?

695. Dico primo. Procurator (judicialis) est *persona, quæ causas alienas in Judicio, mandato, & nomine Domini administrat*. Schmier *loc. cit. n.* 225. Officium illius consistit in hoc, ut negotium sibi demandatum fideliter agat, nihilque ex necessariis omittat, nec Principali suo sive per dolum, sive per culpam, seu omissionem diligentiæ, juxta naturam negotii requisitæ, præjudicium, aut damnum creet, atque finito negotio rationes reddat Domino, eique restituat, quæ consecutus est. Communis DD.

696. Colliges, Procuratorem inter, & Advocatum magnam intercedere affinitatem; nam uterque alienas causas in Judicio prosequitur &c. Hinc non raro inter se confundi solent, & appellari promiscue: imo hodie plerumque Advocati solent simul constitui Procuratores; quia facilius est Partibus, tum ad sumptus, tum ad alias incommoditates evitandas eundem habere Procuratorem, & Advocatum. P. Engel *lib. 1. tit. 38. n.* 1. Differunt tamen in rigore per hoc præcipue, quod Procurator partes absentis sustineat, & litis contestatione efficiatur Dominus litis, causamque in Judicio prosequatur ut Dominus, non minus, ac ipse Principalis: Advocatus autem Parti litiganti, in Judicio præsenti, patrocinium præstet, causam legitime deducendo secundum Jura. Quæ differentia indigitatur per illas particulas: *nomine Domini*, in descriptione Procuratoris positas. Engel *loc. & n. cit.* Schmier *num.* 260. & alii.

697. Dico secundo. Assessor est, *qui assidet, vel assistit Judicis, suggerendo Jura, & dando consilium*: unde & *Consiliarius* nuncupatur *l. 1. C. de Offic. Assessor.* Imo Jure hodierno Assessores (idem est de Consiliariis) sunt veri Judices, neque nudam duntaxat causarum cognitionem, sed Jurisdictionem quoque obtinent, & sententias ferunt: quamvis hoc dependeat ex singulorum Dicasteriorum Ordinationibus, & praxi. Schmier *loc. cit. a numer.* 451. Pichler *lib. 2. tit. 1. num.* 4. & alii.

698. Dico tertio. Referendarius est, cui a Judice committuntur Acta litigantium discutienda eo fine, ut postmodum eorundem merita, & fundamenta referat Judici, & Assessoribus, qui propter multitudinem causarum non possunt ipsimet discutere; sicque eos instruat ad ferendam sententiam. Differt Referendarius a Judice, & Assessore, quod ipse non ferat sententiam, sicut Judex, vel etiam Assessor secundum dicta *n. præced.*

699. Dico quarto. Notarius est (appellatur etiam *Secretarius, Tabellio, Scriba publicus, Actuarius,*

Proto-

Protocollista) qui ea, quæ intra, vel extra Judicium dicuntur, & fiunt, authoritate publica annotat, conscribit, atque in Acta, vel in Protocollum (sic vocatur liber Actorum) congerit. Ita sumitur ex c. 1. *de Probat.* & tradunt DD. communiter.

CAPUT II.

De Personis Extrajudicialibus.

HIc equidem, seu in hoc secundo capite brevissimus ero, more aliorum Moralistarum, qui impræsentiarum & de paucis duntaxat Personis Extrajudicialibus, & pauca stylo conciso tractare solent; eo quod de aliis Personis agatur alibi, & de iis ipsis, de quibus agitur in præsenti, pleraque itidem alibi pertractentur.

ARTICULUS I.

De Medico, Pharmacopæo, & Chirurgo.

SUMMARIUM.

700. Quibus modis peccare possit Medicus? 701. Quibus Pharmacopola; & 702. Quibus Chirurgus?

700. DIco primo. Medicus peccat 1. Si homini sano præscribat, vel præbeat medicamenta ad Venerem notabiliter provocantia; eo quod illum sic exponat periculo proximo, vel saltem valde propinquo, peccandi contra Castitatem. Ægro tamen ejusmodi medicamenta præbere non prohibetur, si judicet necessaria ad pellendam ægritudinem: tum quia in ægro non est periculum carnaliter, etiam voluntate tantum, delinquendi adeo propinquum, sicut in sano; tum quia si forte insurgat aliqua tentatio, est mere per accidens, & intenditur sola curatio ægritudinis. La Croix *lib.* 4. *n.* 1537. & alii. Peccat 2. Si absque sufficienti peritia morbum curare tentet. 3. Si agnito morbi periculo opportune non adsit, aut necessariam curationem negligat, aut Medicos alios adhiberi non permittat. 4. Si occurrent gravi, & insolito mordo, speciali studio operam non impendat. 5. Si ægrotantem pauperem, in periculo constitutum, cum facile posset, sanare recuset; eo quod nullum, vel non nisi tenue salarium ab illo sibi obventurum prævideat. 6. Si infirmum facile, & absque sufficienti causa necessitatis declaret liberum a jejunio. 7. Si non præscribat medicinas securiores, secundum dicta *part.* 1. *n.* 166. vel illicitas, verb. grat. pollutionem, incantationem &c. 8. Si non moneat infirmum de periculo, ne is forte sine Sacramentis decedat. Azorius *part.* 1. *lib.* 2. *c.* 17. Busembaum *lib.* 4. *n.* 1532. apud La Croix, aliique communiter. Ratio horum omnium sumitur ex officio Medici.

701. Dico secundo. Pharmacopæus, seu Pharmacopola peccat 1. Si medicamenta sine sufficienti peritia, aut sedulitate conficiat. 2. Si in potionibus immisceat mel loco sacchari. 3. Si contra præscriptum Medici scienter præbeat unum medicamentum pro alio, præsertim quando inde imminet ægro periculum damni. 4. Si subministret pharmaca ordinata ad non pariendum, vel ad fœtum expellendum. 5. Si vendat pharmaca inutilia &c.

702. Dico tertio. Chirurgus peccat 1. Si temere, & debita peritia destitutus, vulnera curare tentet, cum periculo errandi. 2. Si Medicum, quando gravitas vulneris exigit, non consulat. 3. Si curationem protrahat majoris lucri accipiendi gratia. 4. Si postulet mercedem justo majorem. 5. Si venam aperiat, vel aliud remedium adhibeat, procurandi abortus causa. Hanc, & præcedentem conclus. cum communi tradit Busembaum *loc. & n. cit.* Ratio itidem sumitur ex officio cum Pharmacopæi, tum Chirurgi.

ARTICULUS II.

De Mercatore, Bibliopola, Aurifabro, Sartore, Sutore, & aliis Opificibus.

SUMMARIUM.

703. Adstruuntur modi, quibus peccare potest Mercator, item 704. Biblipola. 705. Aurifaber. 706. Sartor, Sutor, & alii Opifices.

703. DIco primo. Mercator peccat 1. Si emat res furtivas. 2. Si contractum ineat, de cujus justitia dubitat. 3. Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio minore, vel cariore vendat ignoranti. 4. Si rem carius, quam supremo pretio vendat. 5. Si mercis defectum gravem occultum non aperiat, pondus, & mensuram imminuat. 6. Si merces veteres, & inutiles novis, ac utilibus immisceat, & utrasque eodem pretio distrahat. 7. Si venenum, vel alia prohibita vendat cum prævisione, vel suspicione pravi usus. 8. Si tempore debito, cum possit, non solvat creditoribus, cum gravi eorum damno. 9. Si juret falso, se tanto pretio merces comparasse. 10. Si paratus sit quodcunque pretium, etiam injustum, ab emptore accipere &c.

704. Dico secundo. Bibliopola peccat 1. Si vendat libros prohibitos, vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro &c.

705. Dico tertio. Aurifaber (sive Argentarius) peccat 1. Si scienter, aut alias mala fide emat res furtivas. 2. Si emat v. g. pretiosum lapillum pro communi, vel vendat communem pro pretioso. 3. Si auro, vel argento plus æris misceat, quam ars requirit, & emptoribus mixtionem non significet, nec pretium diminuat. 4. Si æs pro auro, vel argento vendat &c.

706. Dico quarto. Sartor, Sutor, aliique Opifices peccant 1. Si plus materiæ exigant, quam opus perficiendum requirat; vel retinent sine consensu domini partes residuas alicujus momenti. 2. Si jurent, se tali, vel tali tempore, aut die opus absoluturos; cum tamen dubitent, vel etiam certo prævideant, id esse impossibile, vel saltem non futurum. 3. Si absque sufficienti causa necessitatis die festivo laborent, vel laborare jubeant, aut permittant suos famulos &c. Ita per omnia P. Busembaum *loc. cit. n.* 1639. & alii communiter. Ratio autem harum quatuor conclusionum est: quia in omnibus illis actionibus violatur aliqua virtus, & plerumque Justitia: ut consideranti patebit.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

707. Euphrosina ob acerbitatem tormentorum, quibus subjecta fuit, imponendo sibi falsum crimen capitale mortaliter deliquit, & revocare tenetur. 708. Eutyches de crimine capitali, vero quidem, sed occulto accusatus, potest illud negare; neque accusatori, ex tali negatione forte infamato, tenetur resarcire famam. 709. Epiphanius fur, ne suspendatur, licite rumpit vincula, effringit carcerem, & aufugit. 710. Emericus, & Emerentianus graviter peccant contra Charitatem, dum renuunt agere testes pro Emerano quunquaginta idcirco aureorum jacturam patienti.

DE Judice, Advocato, & Medico tres Casus resolutos invenies *part.* 1. *n.* 190. & duobus sequentibus: de Mercatore autem, Aurifabro, & aliis emptoribus, aut opificibus complures afferemus, & decidemus *part. seq.* Unde restat in præsenti solum, ut proponamus, & resolvamus aliquot Casus, qui concernunt præcipue Reum, Accusatorem, & Testes. Sit ergo

CASUS I.

707. Euphrosina tanquam saga conjicitur in carcerem, & subjicitur tormentis, quorum acerbitatem

tum ferre non posset, fatetur se ream, licet sit innocentissima. Quo facto anxia heret, an crimen non perpetratum sibi imponendo graviter deliquerit, & revocare teneatur; eo quod prævideat, se extremo supplicio mulctandam, ni revocet. Quid Euphrosinæ judicandum, quid agendum?

RΕspondetur, quod Euphrosina mortaliter deliquerit, teneaturque crimen sibi falso impositum revocare, ne alioquin morti adjudicetur. Ita cum Covarruvia, Molina, & aliis P. La Croix *lib.* 4. *n.* 1523. Ratio (meo judicio) convincens est: quia non licet homini (utpote qui non est dominus suæ vitæ) positive cooperari ad propriam mortem; cum hoc sit intrinsece malum: atqui Euphrosina sibi imponendo crimen non perpetratum, & illud non revocando positive cooperatur (nempe moraliter) ad propriam mortem; ergo &c. Min. ostenditur. Si alius quis Euphrosinæ, licet consentienti, imponeret falsum crimen, ob quod ea condemnaretur ad mortem, censeretur positive cooperari ad mortem Euphrosinæ; ergo etiam ipsa Euphrosina in Casu censetur positive cooperari ad propriam mortem: consequenter &c. Neque hanc talem positivam cooperationem impedit, aut a mortali excusat acerbitas tormentorum respectu Euphrosinæ; sicut non impediret, aut excusaret respectu alterius, qui, ne subderetur tormentis, Euphrosinæ ejusmodi falsum crimen affingeret.

Dices. Non tenetur quis vitæ conservandæ gratia admittere, ac pati abscissionem cruris verb. grat. quippe nimis acerbam; ergo nec sustinere vim tormentorum, utpote similiter plus, quam nimis acerbam; consequenter &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia in casu antecedentis, dum quis præeligit mortem, ad hanc non cooperatur positive, sed eam mere permittit: at vero in casu consequentis intervenit positiva ad mortem cooperatio; qualis cum sit intrinsece mala, ut dictum, a peccato, etiam mortali, propter acerbitatem tormentorum excusari nequit.

Opposita sententia, docens, quod Euphrosina crimen non perpetratum ob tormentorum acerbitatem sibi imponendo, idque non revocando, mortaliter haud delinquat, agnoscitur tanquam vere probabilis, & practice tuta a gravissimis DD. Angelo, Silvestro, Soto, Toleto, Lessio, Laymanno; Tannero &c. Sed quoniam præter rationem objectam, & jam solutam (quæ mihi momentosa non videtur) haud afferunt aliam, adstipulari non ausim, neque talem sententiam ut vere, & certo probabilem pronunciare. Nihilominus in casu necessitatis, in quo sententiam, etiam tenuiter, aut dubie probabilem, sequi licet secundum dicta *part.* 1. *n.* 126. non vererer illam sectari: ut si adverterem, quod Euphrosina ad revocationem vix, aut ne vix quidem inclinari posset, ei, revocare nolenti, absolutionem non denegarem &c. Interim cum Rei plerisque in locis post prælectam mortis sententiam adigi soleant ad iteratam criminis confessionem, Euphrosinam ad veniale peccatum evitandum, quale etiam juxta hanc sententiam alioquin committeretur, instruerem ad utendum his, vel aliis id genus terminis: *confiteor, quod crimen, ob quod ad mortem fui condemnata, jam semel libere fassa sim:* vel sic: *fateor, quod crimen, propter quod ad mortem condemnata sum, juxta meam jam antea factam confessionem perpetrarim &c.*

Occasione dictorum petes, an Judex Euphrosinam in casu, quo post exantlatam primam torturam crimen retractasset, iterato torquere posset?

Respondetur affirmative: idque verum censeo, tametsi nova criminis indicia non supervenerint. Ratio est: quia prima criminis confessio non censetur illico vi tormentorum mere extorta. Imo quamvis Euphrosina crimen, quod confessa esset in secunda tortura, denuo retractaret, adhuc semel, seu tertio torqueri posset: siquidem nec talis confessio censeretur mere extorta vi tormentorum. At post toleratam tertiam torturam amplius torqueri non deberet (nisi alia, seu nova criminis indicia accessissent) sed absolvi, si crimen, quod in tali quoque tortura erat confessa, denuo retractaret: quia tunc demum rationabiliter præsumeretur, confessionem vi tormentorum fuisse coactam, adeoque nullam. Ita cum Lessio, Laymanno, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 10.

CASUS II.

708. *Eutyches ab Eutychiano deprehensus in flagranti scelere capitali, & statim ad Judicem delatus, advertit accusatorem in probatione deficere; hæret tamen dubius, & nosse desiderat. 1. An scelus, quod reipsa perpetravit, negare possit? 2. An, si ex negatione sceleris aspergatur accusatori infamia calumniæ, amissam famam ei restituere teneatur? Quid Eutycheti dicendum?*

RΕspondetur primo ad primum membrum Casus affirmative. Sotus *lib.* 4. *de just. disp.* 43. *n.* 4. Burghaber *cent.* 3. *cas.* 10. & alii communiter. Ratio est; quia cum scelus Eutychetis sit occultum, quippe nemini præterquam Eutychiano notum, injuste de eodem accusator; ergo talis accusatio non tribuit Judici jus Eutychetem desuper interrogandi. Atqui Judici non habenti jus interrogandi interrogatus respondere non tenetur, neque scelus, de quo interrogatur, fateri; ergo &c. Accedit, quod ex dictis *part.* 2. *n.* 491. non sit improbabile, reum, de crimine capitali etiam juridice interrogatum, non teneri respondere, & veritatem fateri; ergo multo minus, quando non interrogatur juridice. Ceterum tunc Judex interrogat juridice, quando id facit servato Juris ordine; cum nempe vel præcessit infamia, vel adsunt indicia expressa, vel habetur probatio semiplena: prout cum aliis advertit P. Babenstuber *loc. cit. n.* 48. Interim ne Eutyches, ad respondendum forte compulsus mentiatur, debet uti amphibologia, qua interrogantem eludat, verb. grat. dicendo: *non commisi crimen*, in mente subintelligendo, *quod fateri tenear*.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus negative. Ita cum communi Burghaber *loc. cit.* Ratio est: quia quilibet obtinet jus defendendi suam famam contra injustum infamatorem: atqui Eutychianus in Casu est injustus infamator Eutychetis; prout relinquitur ex proxime dictis; ergo hic obtinet jus defendendi suam famam contra illum, unaque avertendi irreparabile damnum, quod incurreret, nisi crimen negaret: consequenter id jure, & citra læsionem Justitiæ, citraque obligationem restituendi Eutychiano famam, ex criminis negatione forte ablatam, negare poterit.

CASUS III.

709. *Epiphanius, multorum, & gravium furtorum reus, tandem a satellitibus capitur, jussu Judicis carceri mancipatur, & vinculis arcto constringitur, post aliquod temporis intervallum extremo supplicio perimendus. Ast præter opinionem Judicis, & aliorum Justitiæ ministrorum; ruptis vinculis, carcereque effracto, elapsus, salutem, quam in patibulo perdere debuisset, in pedibus quærit, & invenit. Quæritur, an Epiphanius peccet?*

RΕspondetur negative, supposito, quod nullo juramento, vel voto sese ad oppositum obstrinxerit, Laymann *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 10. Elbel *tr. proœm. num.* 311. & alii passim. Ratio est: siquidem Respublica non potest reo prohibere conservationem suæ vitæ, quamdiu hanc sine alterius injuria conservare potest: cum talis conservatio sit Juris naturalis; ergo nec prohibere potest media ad vitam conservandam ordinata, & necessaria. Atqui ejusmodi media in Casu sunt ruptio vinculorum, effractio carceris, ipsa fuga; ergo &c. Maj. est certa. Min. ostenditur, & declaratur; nam ruptio vinculorum, & effractio carceris sunt media ordinata, & Epiphanio necessaria ad capessendam fugam, utpote sine quibus hæc præclusa foret: ipsaque fuga ad conservandam vitam, utpote quam perderet, si non fugeret; ergo &c.

Dices primo. Carceris effractores gravissime puniuntur a legibus, *l.* 1. *ff. de Effractor.* & *l. penult. ff. de Custodia, & exhibit. reorum*; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. ajo, præcitatas leges vel fundari in præsumptione, quod effractores vim intulerint custodibus carceris, vel illuc spectasse, ut timore enormis, & alterius pœnæ post effractio-

nem

nem de novo subeundæ reos deterrerent ab attentanda effractione. Per quod iisdem reis non adimitur jus naturale conservandi vitam; & alias præceptum manendi in carcere, oblata occasione evadendi, esset nimis durum, ac superans conditionem humanam.

Dices secundo. Epiphanius effringendo carcerem intulit vim potestati publicæ; ergo peccavit.

Respondetur, neg. ant. Nam publica potestas non residet in vinculis, & lapidibus, sed in Judice, aliisque Justitiæ ministris: his proinde non licet vim inferre, licet vero illis in Casu posito; sicut qui feris dilaniandus objiceretur, posset se pro viribus contra eas tueri. Unde neg. etiam cons.

Colliges, alios (nisi sint ministri Justitiæ, aut specialiter a Magistratu prohibiti) posse ejusmodi reo non tantum (1.) consulere fugam, sed etiam (2.) præbere instrumenta, queis vincula rumpat, carceremque effringat. Authores *cit.* Ratio primi est: quia ejus, quod est tibi licitum, possum esse suasor, & author, ut facias, nisi ratione officii, vel aliunde specialiter prohibeat. Ratio secundi est: quia si licet consulere finem, haud apparet, cur non etiam liceat subministrare media ad illum consequendum necessaria.

Dixi tamen: *nisi sint ministri Justitiæ, aut specialiter a Magistratu prohibiti.* Nam illi ex officio, & ex quasi contractu cum Republica tacite saltem inito tenentur curare, ne reus elabatur; cui obligationi contravenirent, si fugam suaderent &c. sicut & isti suæ prohibitioni a Magistratu impositæ. Imo omnibus, & singulis (solo reo excepto) potest, & censetur Magistratus prohibere ipsam saltem carceris effractionem, & proximam, ac immediatam cooperationem ad illam: alias quippe publica reorum custodia consistere salva nequaquam posset; quod vergeret in summum præjudicium, & perniciem Reipublicæ, bonique communis. Nec dicas, quod Magistratus non possit imponere ejusmodi prohibitionem; sicut secundum dicta non potest prohibere ipsi reo, ne effringat carcerem, capessat fugam &c. Contra enim est, neg. assumptum, & parit. Quia in prohibitione aliis imposita non reperitur tanta durities, & inhumanitas, quanta interveniret in prohibitione imposita reo: consequenter istam humana potestas non valet imponere; valet autem imponere illam. Augustinus Michel *tom. 1. folg.* 252. *n.* 5.

Colliges præterea, reum peccare, si ministros Justitiæ, aut a Magistratu prohibitos &c. pecuniis, aut muneribus corrumpat, ut aperiant, vel effringant carcerem, sicque præbeant liberum captivo egressum: non autem peccare, si solum eorundem animos sibi benevolos reddat, ut inde faciliorem occasionem elabendi nanciscatur. Ita Michel *loc. & n. cit.* aliique communiter. Ratio prioris est: quia corruptio ex eorum parte involvit prævaricationem liberam obligationis ex officio, aut legitima prohibitione Magistratus contractæ, quæ prævaricatio sine peccato scandali procurari non potest. Ratio posterioris est: quia supposito semel ex dictis jure ad fugam, reus etiam obtinet jus utendi mediis ad illam idoneis, quæ cum alterius peccato non sunt conjuncta: in tali autem casu non interveniret peccatum, seu cooperatio illicita ministrorum Justitiæ, aut alias prohibitorum, prout consideranti patet; ergo &c.

CASUS II.

710. *Emeranus in præsentia Emerici, & Emerentiani mutuos dedit Eusebio quinquaginta aureos, post dimidium annum sibi restituendos: cumque Eusebius suapte sponte restitutionem præfixo tempore non faciat, Emeranus eandem petit, & urget. Sed quoniam Eusebius restituere renuit, imo præfracte negat, & pernegat, se quidquam pecuniæ mutuo accepisse ab Emerano, hic rem ad Judicem defert; adpromittens duos adducere testes, qui in datione mutui præsto fuerint, nempe Emericum, & Emerentianum. Verum quia hi ambo muneribus ab Eusebio corrupti erant, se subtrahunt, & occultant, ne a Judice citentur, & ad ferendum pro Eusebio testimonium adigantur. Quæritur, an, & qualiter Emericus, & Emerentianus peccent, dum in Casu munus testium subterfugiunt?*

Respondetur, quod peccent, & quidem mortaliter contra virtutem Charitatis. Ita Sanct-Gallenses *loc. cit. dub.* 2. *conclus.* 2. & alii communiter. Ratio est: quia (ut constat ex alibi dictis) quivis, si commode possit, ex Charitate tenetur sub mortali avertere grave damnum a proximo: sed Emericus, & Emerentianus commode possunt ab Emerano avertere grave damnum, nempe jacturam quinquaginta aureorum, modo verum pro eo ferant testimonium; ergo &c. Ad restitutionem tamen, seu compensationem damni, Emerano ex negato testimonio orti, non obstringuntur; eo quod solum peccent contra Charitatem, ex cujus violatione non contrahitur obligatio restituendi. Imo licet fuissent a Judice citati, jussique testimonium perhibere, adhuc non obligarentur ad restitutionem, etiamsi illud perhibere detrectassent: siquidem neque hoc casu peccassent contra Justitiam commutativam, ex cujus solius læsione resultat obligatio restitutionis; sed contra Justitiam legalem duntaxat, & obedientiam. Nec dicas, Si Emericus, & Emerentianus tulissent falsum testimonium, verb. grat. dicendo, se non fuisse præsentes in datione mutui, tenerentur ad restitutionem; ergo etiam dum recusant verum ferre testimonium. Contra enim est, neg. conf. & parit. Nam in casu antecedentis peccassent contra Justitiam commutativam, quatenus Emerano positive intulissent injuriam damnosam; non vero in casu consequentis.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

PARS QUARTA.

DE JURE, ET JUSTITIA,

Restitutione, & Contractibus.



Æc Pars complectetur tres Tractatus, quorum primus materiam *de Jure, & Justitia*; alter *de Restitutione*; & tertius *de Contractibus* explanabit. Omnes istos tres Tractatus jam olim, videlicet *an.* 1718. & 1720. in forma Thesium evulgatum ivi. Quod Benevolo Lectori insinuare debeo, ob rationem in Operis Proœmio adductam. Non pauca tamen superaddam, quæ e re præsenti, & dum moralia sector, fore judicavero. Speciatim vero post singulas disputationes subjungam Casus conscientiæ; uti & in Partibus anterioribus facere solitus eram.

TRACTATUS PRIMUS.

DE JURE, ET JUSTITIA.

DISPUTATIO I.

De Natura, & Speciebus Juris.

ANtequam ad alia, quæ naturam Juris circumstant, aut quomodolibet concernunt, progrediamur, de Jure ipso secundum se, suamque naturam, & species considerato, scitu necessaria prælibanda sunt: quod quidem, ut claritati melius consulamus, per tria capita præstituri sumus.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Jus.

SUMMARIUM.

1. *Diversa juris acceptio.* 2. *Jus proprietatis definitur.* 3. *Ejusmodi jure gaudens non potest in illius usu citra injuriam impediri ab aliis.* 4. *Jus proprietatis etiam dividitur.* 5. *Qualiter* jus ad rem, & jus in re *inter se distinguantur.*

1. PRænotandum, Jus diversimode accipi. 1. *Pro scientia Juris*, quæ a Jurisconsulto *lib.* 1. *ff. de J. & J.* appellatur *ars æqui, & boni*; estque ipsa Jurisprudentia, ad quam spectat tradere regulas justi, & æqui, seu Justitiæ directivas. 2. *Pro Lege*, quæ passim Jus nuncupatur. 3. *Pro sententia Judicis*: unde Judex, sententiam ferens, dicitur Jus dicere. 4. *Pro loco*, in quo administratur Justitia: unde ortum est, ut quis dicatur in Jus vocari, in Jure comparere &c. Sed hæ Juris acceptationes ad nostrum institutum non spectant. 5. Sumitur *pro jure activo*, seu *potestativo*, quod est radix obligationis, ac titulus, quem respicit Justitia ex parte alterius: & vocatur Jus proprietatis. 6. Denique accipitur pro eo, quod est justum; nam jus dictum est, quia justum est, *can.* 2. *dist.* 1. De Jure in hac sexta acceptione tractabimus *disp.* 4. de Jure vero in acceptione quinta hic agendum est.

2. Dico igitur primo. Jus proprietatis activum *est libera potestas circa aliquid disponendi principaliter in proprium commodum.*

Explicatur. Dicitur 1. *libera*: tum ut denotetur, solam naturam rationalem, uti libertatis, ita & juris esse capacem: tum ut excludatur jus pietatis (idem cogita de aliis hujuscemodi juribus) quo pater v. g. filium obstrictum tenet ad opera, pietatis, & reverentiæ filialis sibi præstanda; hoc siquidem liberum dici non potest, cum non dependeat a libera voluntate patris, neque ab eo remissibile sit; sicuti jus proprietatis comparatum verb. grat. emptori ex emptione domus, vel alterius rei.

Dicitur 2. *potestas*: quod vocabulum accipi debet in significatione propria, seu prout dicit potentiam, sive facultatem cum authoritate conjunctam; non vero in significatione impropria, seu pro mera licentia: siquidem talis etiam Fratribus Minoribus, quamvis nullum jus proprietatis habentibus, ad utendum rebus sibi donatis conceditur: prout suo loco videbimus.

Dicitur 3. *circa aliquid disponendi*. Ubi notandum quod hic disponere sit aliquid commune ad actus possidendi, obtinendi, fruendi, utendi &c.

Dicitur 4. *principaliter in proprium commodum*. Per quas particulas removetur jus jurisdictionis: quia hoc principaliter, & per se attendit, ac respicit bonum obligati.

3. Colliges, ejusmodi jure gaudentem non posse in illius usu licite, & citra injuriam impediri ab aliis. Ratio patens est: siquidem hoc ipso, quod jus faveat uni, simul gravat alios, ut eum in usu sui juris non turbent, rem debitam tradant, non auferant, ablatam restituant, destructam reparent &c. Quod si non observent, illicite agunt, illique injuriam inferunt, utpote quæ nihil aliud est, quam juris alieni violatio. Unde aliqui in definitione Juris addunt has particulas: *cujus violatio constituit injuriam*: quas tamen nos consulto omisimus, duplici ratione ducti. Una est, quod sic ignotum explicetur per æque ignotum; ut recte advertit P. Corbinianus Kaam *in Epitom. Canonico-Moral. pag.* 95. Altera est, eaque præcipua, quod tali modo comminatur circulus vitiosus; cum injuria ponatur in definitione Juris, & hoc similiter in definitione injuriæ poni debeat, utpote quæ aliter definiri, seu describi non potest: prout consideranti parebit.

4. Dico secundo. Jus modo definitum dividitur in *jus in re*, & in *jus ad rem*.

Explicatur, Jus in re, seu reale est, vi cujus res ipsa, sive persona, ad instar rei considerata, mihi devincta est: jus ad rem vero, vi cujus mihi solum alterius persona qua talis devincta est: unde etiam *jus personale* appellatur. Tunc autem censetur mihi res esse devincta, quando onus, respondens meo juri, moraliter inhæret ipsi rei, eamque inseparabiliter comitatur, ita, ut cum illo onere, seu vitio transeat ad quemcunque possessorem, possimque illam persequi, vindicare, & repetere, quocunque devenerit. Persona mihi divincta censetur, quando onus, respondens meo juri, ipsi personæ obligatæ, ejusque ossibus inhæret.

Differunt hæc duo jura 1. *quasi a priori*, quatenus *jus ad rem* est tantum via, facitque, ut res sit solum mea in spe, eamque mihi appropriat in æquivalenti duntaxat, id est, loco rei obligationem rem mihi tradendi: *jus in re* vero est terminus, & facit, ut aliquid sit meum in re, mihique appropriat rem ipsam, ut est in se. Unde *jus in re* longe fortius, & efficacius est, quam *jus ad rem*, & hoc ab illo quasi perimitur, & eliditur; ut patet, siquis rem venditam Cajo, sed nondum traditam, per secundum contractum vendat Titio, & tradat; nam hæc secunda venditio, cum traditione conjuncta valet, & Titium vere constituit dominium rei; Cajo autem nihil aliud juris remanet, quam ut venditorem possit convenire ad interesse, quantum scilicet sua intererat, rem alteri venditam non fuisse.

Differunt 2. *etiam a posteriori*, seu ab effectu civili; nam *jus ad rem* solum parit actionem personalem, quæ vocatur *condictio*; *jus in re* vero parit actionem realem, quæ generali appellatione vocatur *rei vindicatio*: cujus novem species, seu actiones reales rerum singularum persecutoriæ enumerantur. Prima est *rei vindicatio spe-*

tio specifice accepta, qua rem nostram corporalem, & singularem a quocunque possessore repetimus, Secunda est *actio confessoria*, qua quis prædio suo servitutem dicit competere. Dicitur *confessoria*; quia est quasi assertoria juris, & servitutis, cujus vindicandæ gratia quis confitetur, seu intendit apud Judicem. Tertia secundæ opposita est *actio negatoria*, qua quis negat, servitutem alteri in re sua competere. Quarta est *actio publiciana*, qua rem bona fide, ac justo titulo acceptam, & ante usucapionem amissam, ab eo repetimus, qui infirmiori jure eandem possidet. Quinta est *actio rescissoria*, qua intendit Actor, Adversarium non usucepisse, quod revera usucepit. Quæ tamen actio non semper realis est, sed quandoque etiam personalis: ut notat Josephus Adamus Aytlinger in *Institut. lib. 4. tit. 6, part. 2. n. 64.* Sexta est *actio Pauliana*, qua res in fraudem creditorum alienatæ revocantur. Hæc actio non realis, sed personalis est: prout colligitur ex eo, quod creditores, qui eandem movent, non se fundent in jure reali, sed tantum personali; quia non se jactant dominos, nec dominium aliquod prætendunt, sed improbitatem debitoris sui arguunt. Accensetur tamen ab Imperatore Justiniano actionibus realibus propter affinitatem, quam habet cum actione rescissoria, quæ realis est. Author *cit. num. 84.* Septima est *actio hypothecaria*, quæ datur creditori hypothecario, & ejus hæredibus, adversus debitorem, & ejus hæredes, ac quemcunque rei oppignoratæ possessorem, ad consequendam illius rei possessionem, eamque retinendam, donec debitum solutum sit, vel alienandam. Octava est *actio Serviana*, qua locator prædii rustici res, a colono expressa conventione sibi obligatas, persequi potest. Nona denique est *actio quasi Serviana*, quæ conceditur aliis creditoribus (præter locatorem) res sibi tacite, vel expresse obligatas persequi volentibus. Hæ duæ actiones *Serviana* scilicet, & *quasi Serviana* sunt membra dividentia actionis hypothecariæ: prout consideranti patebit. Actionibus istis rerum singularium persecutoriis accedit vindicatio rerum universalium, qualis est *petitio hereditatis*.

Differunt 3. quod ad acquirendum jus personale, seu ad rem sufficiat aliquis titulus Juris, quales sunt emptio, stipulatio, donatio, legatum, electio &c. ad jus vero reale acquirendum ordinarie requiratur traditio, juxta *l. nunquam, ff. de acquir. rer. dom. & l. traditionibus, C. de pactis.* Atque hoc ex Juris dispositione rationi valde consono.

Dixi autem: *ordinarie*. Nam 1. pignus contrahitur nuda conventione ante traditionem, *l. 1. ff. de pignorat. action.* 2. Per solam collationem, & acceptationem acquiritur jus reale in Beneficia Ecclesiastica ante actualem traditionem, *c. 17. de præbend. in 6.* 3. In hæreditatem obtinetur jus reale si solum adeatur. *l. cum hereditas, ff. de acquir. vel amitt. possess.* Additur autem hæreditas, dum acceptatur verbo, vel facto. *Inst. de hered. qualit. & different. §. ult.* 4. Nec requiritur traditio, quando aliquid donatur, venditur, aut relinquitur Civitatibus, Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut in redemptionem captivorum *l. ut inter Divinum. C. de SS. Eccles.* 5. In societate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium sunt, continuo communicantur, *l. 1. & 2. ff. pro socio.*

CAPUT II.

De præcipua Juris specie, seu Dominio.

SUMMARIUM.

6. Definitur dominium proprietatis. 7. Sub illud non solum res corporeæ, sed etiam incorporea cadunt. 8. Dividitur in varias species, quæ & singulæ exponuntur. 9. & seqq. Proponuntur, & dissolvuntur septem objectiones, & nonnullæ instantiæ.

NUnc Juris species declaremus, necesse est. Principem inter illas locum obtinet Dominium; de quo proinde in hoc capite disseremus. Quare

6. Dico primo. Dominium proprietatis est *jus reale disponendi de re aliqua tanquam sua, principaliter in proprium commodum.*

Explicatur. Dicitur 1. *Jus reale*: quod ponitur loco generis; nam jus reale est aliquid commune prædicabile in quid de dominio, & aliis juribus, v. g. usufructu, usu, habitatione &c. quæ similiter sunt jura realia, non tamen dominia.

Dicitur 2. *disponendi de re aliqua tanquam sua.* Ubi indicatur differentia dominii ab aliis juribus realibus usufructus, usus &c. quorum possessores neque faciunt rem suam, neque de ea tanquam sua disponere possunt. Removetur præterea jus Tutoris, utpote qui non potest disponere de rebus pupilli tanquam suis.

Dicitur 3. *principaliter in proprium commodum.* Per quas particulas dominium proprietatis differt a dominio jurisdictionis.

7. Colliges, dari dominium non solum rerum corporearum, quæ tangi possunt; ut sunt homo, aurum, ager &c. sed etiam incorporearum, seu quæ tangi non possunt; ut sunt jus hæreditatis, jus eligendi, fama, honor &c. nam etiam harum rerum homo dominus agnoscitur a Theologis passim: prout dicemus *disp.* 3. quamvis a Jureperitis, saltem plerisque, soleat tantum nominari *quasi dominus.* Unde illæ particulæ *de re aliqua*, in definitione dominii positæ accipiendæ sunt generatim, seu prout significant aliquid commune ad res corporeas, ac incorporeas: imo & ad personas instar rerum consideratas.

8. Dico secundo. Dominium proprietatis dividitur 1. in *plenum*, & *non plenum*. Plenum est jus perfecte disponendi de re, ita scilicet, ut de eadem re disponendi jus nemo alius habeat. Non plenum est jus disponendi de re restrictum, ita, ut etiam alius, vel alii jus disponendi de illa habeant. Et hoc aliud est *directum*, aliud *indirectum*, seu *utile*. Directum habet is, penes quem sola, seu nuda manet rei proprietas: & tale habet dominus in re sua, quam alteri dedit in feudum, vel emphyteusin. Utile habet, qui habet jus utendi fruendi, separatum quidem a proprietate rei, at stabile, & universale cum jure vindicandi rem ipsam: & tale jus habet Vasallus, Emphyteuta, Libellarius, Superficiarius. Unde dominium utile continet sub se tanquam species *feudum*, *emphyteusin*, *libellum*, & *superficiem*. Ubi tamen advertendum, feudum (idem est de emphyteusi, libello, & superficie) tripliciter sumi posse: nimirum pro *re*, quæ datur in feudum: pro *ipso contractu feudi*, de quo *in materia de Contract. infra tr. 3. disp. 2.* & pro *jure*, quod acquiritur per hunc contractum: atque in ista ultima acceptione est species dominii utilis. Advertendum præterea, quod dominium utile, licet dominium appellari possit, ac mereatur, secundum dicenda *n. 21.* dici tamen non possit pars *subjectiva*, seu species dominii *proprietatis*, hoc ipso, quod sit jus separatum a *proprietate rei*; sed potius pars potentialis, veluti patebit consideranti, quæ habentur infra *n. 309.* Ex quo liquet, divisionem dominii proprietatis in directum & indirectum, seu utile haud esse divisionem rigori Dialectico commensam.

Dividitur dominium 2. in *naturale*, & *civile*. Naturale (quod etiam *habituale* vocari solet) est, quando alicujus res secundum se, & quoad substantiam est subjecta, absque eo, quod actualem dispositionem circa illam ponere possit: & tale remanet uxori in rebus dotalibus stante matrimonio. Civile (quod etiam *actuale* nuncupant) est, quando alicui dispositio, dominio connexa, secundum effectus civiles conceditur: quale residet in marito respectu dotis stante matrimonio.

Dividitur dominium 3. in *universale*, & *singulare*. Illud competit cuilibet hæredi circa universalitatem jurium, fundatque petitionem hæreditatis, *ff. & C. de heredit. petit.* Istud competit aliis dominis circa res singulas, fundatque duplicem actionem, videlicet rei vindicationem, si pro objecto habeat rem corpoream; & actionem confessoriam, si pro objecto habeat rem incorpoream. Una adhuc, alterave dominii divisio, huc pertinens, aut reducibilis, patescet ex dicendis per decursum.

9. Objicies primo contra secundam conclusionem, & definitionem dominii pleni. Pupillus, furiosus, prodigus, habent plenum suorum bonorum dominium, & tamen ne quidem valide possunt de illis disponere: ergo dominium plenum a nobis non recte definitur jus reale perfecte disponendi de re; sed addi debet: *nisi lege prohibeatur:* uti addit P. Babenstuber *tr. 7. disp. art. 1. num. 5.* & alii plures cum Theologi, tum Juris periti.

Respon-

Respondetur, dist. ant. quoad secundum membrum. Ne quidem valide de suis bonis disponere possunt, in actu primo, seu ex defectu juris, & potentiæ disponendi, neg. in actu secundo, & præcise ex defectu alicujus conditionis requisitæ, con. ant. & neg. cons. Prohibitio, vi cujus prædictæ personæ de suis bonis ne quidem valide disponere possunt, saltem voluntate propria, & physice sua, non adimit potentiam disponendi, quæ sola ingreditur substantiam dominii; sed illam tantum ligat, ne in actum secundum redigi valeat: quod non obest essentiæ dominii, sed solum actuali ejusdem usui, ac exercitio.

10. Objicies secundo. Debitor manet plenus dominus rei, creditori in pignus traditæ, & tamen de ea perfecte disponere nequit; cum eadem non possit destruere, vel alienare; ergo adhuc dominium plenum non bene definitur.

Respondetur, neg. ant. quoad primum membrum. Nam debitor, dum creditori rem in pignus tradit, eidem jus reale in tali re consignat, quod plenitudinem dominii in debitore remanentis tollit, utpote quæ consistere non potest cum jure reali, seu potestate circa eandem rem disponendi in altero existente: prout patet ex definitione dominii pleni superius allata. Quare ultro concedimus, debitorem de re in pignus data perfecte disponere non posse, donec per solutionem debiti illam redimat: quod est alterum membrum antecedentis. At negamus cons.

Dices. Licet pupillus, furiosus, prodigus, non possint disponere de rebus suis, manent nihilominus pleni earum domini, ut supra dictum; ergo similiter debitor retinet plenum dominium rei, in pignus datæ, quamvis de ea disponere nequeat.

Respondetur, neg. cons. & parit. Nam prohibitio, vi cujus recensitæ personæ de rebus suis disponere non possunt, est mera conditio extrinseca, impediens tantum actualem juris, & dominii usum, non autem diminuens dominium substantialiter, & in actu primo consideratum. At jus reale, quod creditor in re oppignorata obtinet, pertinet ad actum primum, ipsamque dominii plenitudinem aggreditur, & tollit: consequenter &c.

Instabis. Si res, in pignus data, sit fructifera, debitori fructificat; ergo plenum illius dominium est penes debitorem.

Respondetur, neg. cons. Nam ex antecedente plus non sequitur, quam debitorem esse rei oppignoratæ dominum non solum directum, sed etiam utilem; haud vero esse dominum plenum, cum illa non spectet ad ipsum pleno jure, quippe creditori realiter devincta.

11. Objicies tertio. Qui possidet majoratum, fidei commissum, aliudve simile bonorum vinculatum (ut vocant) perfectum, & plenum ejus dominium habet, non tamen potest ad libitum cum illo disponere, e. g. alienando extra Familiam; ergo &c.

Respondetur, neg. primam partem antecedentis. Siquidem majoratus est bonum Familiæ, tanquam personæ fictæ; & ideo Caput Familiæ illum non possidet pleno jure, sed restricto; cum etiam reliquis de Familia jus aliquod reale in eodem competat. Idem dicendum de fideicommissis, & aliis bonis vinculatis. Atque hæc responsio habet pro se clarum textum in *l. fin. §. sed quia C. communia de legat.*

Instabis. Majoratus non est bonum vacans; ergo habet dominum: atqui non potest alius designari, quam possessor majoratus, seu primogenitus; ergo &c.

Respondetur, primogenitum habere quidem dominium directum, & utile majoratus, non tamen plenum; quia etiam penes familia pars juris, & dominii residet.

12. Objicies quarto. Manet quis plenus dominus prædii, licet alteri in eo constituta sit servitus, quæ est jus reale alterius non tollit in domino plenitudinem dominii: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Si illa servitus sit notabilis, ut usufructus, habitatio, vel similis, neg. si non sit notabilis, ut est, v. g. servitus tigni immittendi, con. ant. Ergo jus reale alterius non notabile, in domino non tollit plenitudinem dominii, con. notabile neg. cons. Servitus, & jus reale non notabile in genere moris habetur pro nihilo; consequenter plenitudinem dominii in domino existentis non censetur tollere, vel diminuere, Secus est de servitute, & jure reali notabili.

13. Objicies quinto. Quando quis rei suæ possessionem amittit, potest manere plenus dominus rei amissæ, quin tamen de ea disponere valeat; veluti evenit in casu, quo res est in manibus possessoris bonæ fidei, cui, quamdiu talis est, competit jus re possessa utendi, fructusque ex eadem percipiendi; ergo ne nostra definitio dominii pleni manca sit, addi debent hæ particulæ *aut vindicandi*. Ita sane nonnulli existimant.

Respondetur, neg. ant. Ratio negati patet ex definitione, & explicatione dominii pleni, quod secundum nos comprehendere debet dominium directum, ac utile simul, & quidem pleno jure, ita ut alteri jus nullum in eadem re competat. Unde negatur etiam cons. imo illas particulas in definitione dominii pleni apponi nec debere, nec posse triplex ratio persuadet. Prima est: quia notitia vindicationis plus obscuritatis habet, quam notitia dominii. Secunda: quia sic committeretur circulus vitiosus: siquidem rei vindicatio definitur per dominium; est enim *actio in rem, qua quis in judicio petit, se rei controversæ dominum declarari.* Unde si vicissim dominium definiretur per ordinem ad vindicationem, circulus fieret. Tertia est: quia adjectis illis particulis, sensum disjunctivum facientibus, definitio dominii pleni etiam conveniret emphyteusi, feudo &c. nam emphyteutæ, vassallo &c. Similiter competit rei vindicatio; quamvis dominia plena non habeant, sed tantum jura realia, a dominiis plenis contradistincta.

14. Objicies sexto. Princeps, vel Magistratus legitimus habet dominium altum in omnia bona privatorum sibi subjectorum, vi cujus exigente publica necessitate, de iis disponere possit; ergo nullus privatus habet dominium plenum rei suæ, si definitio dominii pleni supra a nobis data subsistat,

Respondetur, neg. cons. Siquidem ad hoc, ut quis censeatur plenus dominus rei suæ, satis est, quod nulli alteri competat dominium, seu jus reale ejusdem ordinis in tali re. Unde dominium *altum* Principis, vel Magistratus, quippe altioris, & alterius ordinis, quam sit dominium *bassum* privatorum, non obstat, quo minus censeatur quis habere dominium plenum rei suæ, sed tantum jus, seu dominium bassum alicujus alterius privati, quod ei simul in eadem re competeret,

14. Objicies septimo. Ex nostra definitione dominii pleni sequitur, quod Deus non sit plenus dominus v, g. panis, sed hoc est absurdum; ergo & id, ex quo deducitur. Seq. majoris prob. Ille non est plenus dominus alicujus rei, qui de ea non potest perfecte, idest ad omnem usum disponere: sed Deus de pane non potest perfecte, seu ad omne usum disponere; cum non possit illum comedere, aut alienare; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Ad prob. dist. maj. Qui non potest de aliqua re disponere perfecte, sive ad omnem usum possibilem, non est plenus dominus illius, con. ad omnem usum tam possibilem, quam impossibilem, neg. seq. maj. Sed Deus de pane non potest disponere ad omnem usum possibilem, neg. ad omnem usum tam possibilem, quam impossibilem, con. min. & neg. cons. Impossibile est, ut Deus panem manducet, aut ejus dominium a se abdicet. Unde per hoc rationem pleni dominii, etiam relate ad panem, non amittit: imo ex eo, quod nullius rei dominium a se abdicare valeat, omnium rerum plenissimus dominus comprobatur,

---

CAPUT III.

De aliis Juris realis speciebus seu servitutibus.

SUMMARIUM.

16. & 17. *Servitus ut sic definitur, & diversimode dividitur.* 18. & *seqq. afferuntur descriptiones usufructus, usus, & habitationis.*

NOn est hic sermo de Servitute, qua unus homo alterius hominis dominio passive subiicitur; sed de Servitute, qua dominus in re sua aliqua pati, vel non facere tenetur. De qua proinde quæritur, quid & quasnam sub se species contineat?

16. Dico primo. Servitus ut sic, & prout impræsentiarum sumitur, est *jus reale in re aliqua constitutum, vi cujus libertas, domino in re sua alias competens, ita minuitur,*

nuitur, ut in ea aliquid pati, vel non facere teneatur. Aybliuger in *Instit. lib. 2. tit. 3. part. 1. n. 1.* & alii reipsa communicet.

Explicatur. Dicitur 1. *jus &c.* non relate ad prædium serviens; nam respecto hujus est potius diminutio juris: sed relate ad personam, seu prædium dominaus: atque jus, hoc modo consideratum, est correlativum cum debito passivo, seu subjectione prædii servientis.

Dicitur 2. *ut in ea aliquid pati, vel non facere teneatur.* Quibus verbis indicatur, servitutem esse aliquid communius, & latius patens, quam sit ususfructus, usus, & habitatio; nam omnis quidem usufructus, sicut etiam usus, & habitatio, est servitus; siquidem fundus, v.g. usufructuario ad fruendum, domus usuariu, & habitatori ad usum & habitationem servit: non autem e contra omnis servitus est ususfructus, usus, aut habitatio; ut consideranti species servitutis infra enumerandas patebit.

17. Dico secundo. Servitus multipliciter dividitur.

Dividitur enim 1. in *realem*, & *personalem*. Realis est, quæ proxime, & immediate respicit utilitatem prædii: personalis vero, quæ utilitatem personæ. Servitus realis transit ad hæredes, & quoscunque possessores prædii: personalis autem cum persoua, cui data est, extinguitur, nisi nominatim etiam ipsis hæredibus concessa sit.

2. Servitus realis subdividitur in *urbanam*, & *rusticam*. Urbana est, quæ prodio urbano; & rustica, quæ prædio rustico debetur. Dicitur autem prædium urbanum, quod habitationis, & hominis gratia constitutum est, sive dein intra, sive extra urbem existat: uti plerumque sunt ædificia ad inhabitandum, ad exercenda commercia, ad custodienda arma &c. comparata; quo etiam referuntur horti, ad hominis recreationem destinati. Prædium resticum appellatur, quod non est constructum pro habitarione hominis: cujusmodi sunt edificia in urbe, vel ruri extructa ad reponendos fructus, ad stabulanda pecora &c.

Servitutis urbanæ species sunt 1. Servitus *oneris ferendi*, qua vicini paries, aut columna onus mearum ædium sustinere cogitur. 2. Servitus *tigni immittendi*, qua possum tignum, vel aliquid aliud immittere in ædes vicini, ut in iis quiescat. 3. Servitus *stillicidii*, qua vicinus meus tenetur aquam pluviam stillatim de meo recto cadentem in suam aream, vel hortum admittere. 6. Servitus *altius non tollendi*, vi cujus vicinus in utilitatem vicini probibetur ædes elevare. 5. Servitus *luminibus non officiendi*, vi cujus vicinus meus non potest aliquid ædificare, quod mihi prospectum, vel lumen impediat.

Rusticæ servitutis species sunt 1. Servitus *itineris*, quæ est jus eundi per fundum alienum, sive dein quis pedes incedere velit, sive equo, aut lectica vehi. 2. Servitus *actus*, quæ est jus agendi jumentum, aut vehiculum ducendi per fuodum alienum. 3. Servitus *via*, quæ est jus eundi, agendive, ac omne, quod ad utilitatem prædii nostri pertinet, trabendi, ducendique per prædium nostrum. Ex quo patet, quod servitus *via* sit jus pinguius *itinere*, & *actu*; nam qui servitutem *via* habet, potest currum lapidibus, trabibusque onustum trahere; non vero ille, qui *actum* habet, aut *iter*. 4. Servitus *aquæductus*, quæ est jus ducendi aquam per fundum alienum. 5. Servitus *aquæhaustus*, quæ est jus hauriendi aquam ex puteo vicini. Aliæque plures, quas videre potes apud Juris peritos: nobis enim non vacat omnes, & singulas recensere, aut explanare, cum earum notitia ad forum Theologicum non multum faciat.

3. Servitus realis subdividitur in *affirmativam*, & *negativam*. Affirmativa est, vi cujus aliquid possum in fundo vicini facere, ceteroquin nonconcessum: ut ire, agere, ducere aquam &c. Negativa est, vi cujus vicinus tenetur actum aliquem omittere, quem alias juxta libertatem prædii sui exercere posset: uti est servitus *altius non tollendi*, *luminibus non officiendi &c.*

4. Subdividitur servius realis in *continuam*, & *discontinuam*. Continua est, quæ semel constituta, ulteriori non indiget exercitio: cujusmodi est servitus *tigni immittendi*; si enim semel tignum in parietem tigni immiserim, ut ibi quiescat, non est necesse, ut singulis annis id faciam; sed tandiu servitus perseverat, quandiu tignum immissum in pariete manet. Discontinua est, quæ semel constituta, ulteriori indiget exercitio: qualis est servitus *itineris*: si enim per certum tempus tali servitute non utar, eandem amitto.

5. Servitus personalis subdividitur in tres species, videlicet, in *usumfructum*, *usum*, & *habitationem*.

18. Ususfructus est *jus reale aliena re utendi fruendi, salva ejus substantia*. Dicitur *jus reale*; quod acquiritur vel conventione, vel Legis dispositione: & ideo ususfructus alius est *Legalis*, alius *conventionalis*. Legalem haber verb. grat. pater in bonis adventitiis filii: conventionalem vero habet is, cui datur ex testamento, donatione, aut alio contractu. Quamvis autem ususfructus sit jus reale, eo quod competat adversus quemcunque possessorem rei usufructuariæ, est tamen simul etiam jus, seu beneficium personale, quatenus inhæret personæ, & ossibus usufructuarii, nec transmitti ad hæredes, vel alio modo alienari potest. Quod si usufructuarius usumfructum vendere, vel aliter alienare attentaret, incideret in *pœnam commissi*, eumque perderet. Non tamen prohibetur cedere alteri utilitatem, seu fructus loco sui percipiendos: sicut Clericus, licet jus decimandi non possit vendere, vel alienare laico, utpote cujus hic incapax est, potest tamen eidem cedere decimas loco sui colligendas.

Dicitur 2. *utendi*: per quod ususfructus differt a pignore, & deposito: pignoratarius enim, aut depositarius non possunt uti re oppignorata, aut deposita; sed utendo furtum committerent, & tenerentur restituere valorem usus; ut dicitur §. 6. *Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.*

Dicitur 3. *fruendi*, ut excludatur usus juris; nam mero usuario non competit perceptio, & fruitio fructuum saltem eorum, qui ultra sustentationem familiæ su, persunt.

Dicitur 4. *aliena re*; nam in re propria non datur ususfructus *formalis* (de quo impræsentiarum agitur) sed *causalis* duntaxat, ideo sic dictus, quod dominio conjunctus sit, ab eoque velut effectus a sua causa dependeat.

Dicitur 5. *salva ejus substantia*, ut indicetur obligatio usufructuarii: tenetur enim salvam conservare rei substantiam; tenetur præterea proprietario præstare cautionem (excipitur pater habens usumfructum in bonis adventitiis filii, qui huic nullam cautionem præstare obligatur) se ipsius re usurum, & fruiturum juxta boni viri arbitrium, eamque finito tempore restituturum. Unde qui habet usumfructum gregis, tenetur loco capitum demortuorum substituere ex fœtibus totidem capita, ut grex integer permaneat: similiter qui habet usumfructum vineæ, vel silvæ non cæduæ, tenetur loco palmitum, & arborum emortuarum alias substituere. Porro ex eo, quod usufructuarius salvam rei usufructuariæ substantiam conservare debeat, colligitur, usumfructum proprie talem, & prout impræsentiatum accipitur, in rebus ipso usu consumpibilibus proprie constitui non posse.

19. Usus, qui est altera servitutis personalis species, definitur, quod sit *jus reale utendi tantum re aliena, salva ejus substantia*. Dicitur 1. *jus reale utendi*: per quod convenit cum usufructu. Dicitur 2. *tantum*, ut usus ab usufructu distinguatur. Dicitur 3. *re aliena*, ut removeatur usus rei propriæ, qui causalis duntaxat est, quemadmodum diximus de usufructu. Dicitur *salva ejus substantia*; nam sicut usufructuarius, ita & usuarius rem, sibi in usum cencessam, obligatur integram conservare, cautionem præstare, quod ea arbitratu boni viri uti velit, & finito tempore restituere. Excluditur præterea per prædictas particulas usus, seu quasi usu illarum rerum, quæ ipsu usu consumuntur.

20. Habitatio, tertia servitutis personali species, est *jus reale inhabitandi alienas ædes, salva earum substantia.* Termini definitionis partim seipsis noti sunt, partim jam constat ex dictis de usufructu, & usu: unaque innuunt, habitationem esse quasi mediam inter usumfructum, & usum; nam est jus pinguius, quam sit usus, & minus pingue, quam ususfructus. Jus pinguius ex eo comprobatur, quod habitator domum, sibi in usum concessam, alteri locare possit: non item usuarius. Jus minus pingue usufructu est: quia usufructuarius potest horreum v. g. & cellam ad frumentum, & vinum servandum extruere: quod non potest habitator. Atque per hoc patet, quomodo istæ tres servitutis per-

sona-

sonalis species inter se differant. Conveniunt vero 1. quod sicut usursructus, & usus constitui possunt tam inter vivos, quam ultima voluntate, ita similiter habitatio. 2. quod in omnibus tribus præstanda sit cautio. 3. quod nulla ex se transeat ad hæredes. Et hæc omnia quæ per decursum disputationis dicta sunt, quasi verbatim habentur in meis *Thesib. an.* 1720. impressis.

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

21. *Forbeianus rectius judicat, quam Forbeius, dum ille contra hunc contendit, quod dominium utile, etiam secundum Leges, & Jura appellari dominium possit, ac mereatur.* 22. *Firmatus varias de usufructu quæstiones resolvere jussus, quid ad singulas respondeat?* 23. *Firminus usufructuarius, si Religionem bonorum, & redditum stabilium incapacem profiteatur, ususfructus ad proprietarium revertitur; si vero profiteatur Religionem antefatorum bonorum, & redditunm capacem, totus ususfructus Religioni incorporatur.*

CASUS I.

21. *Forbeius, & Forbeianus, Juris utriusque Studiosi, liberam auram captandi ergo per prata ambulatum eunt: utque tempus inter ambulandum utiliter collocent, varios ex Jurisprudentia discursus miscent. Inter alia contendit Forbeius, quod dominium utile secundum Leges, & Jura, non mereatur appellationem dominii: oppositam sentit, & evincere nititur Forbeianus. Quæritur, utrius opinio sit præferenda?*

Respondetur, præferendam esse opinionem Forbeiani, & tenendum, quod dominium utile, etiam per Leges, & Jura, appellari, dominium possit, & mereatur. Ita sensi in meis Thesibus supra allegatis *pag.* 17. & adhuc sentio, Ratio est: quia licet in rigore, & stricta acceptione ille principaliter, & simpliciter dicatur dominus, penes quem est rei proprietas; ut habetur *l. 1. C. de jure emphyt.* ipse tamen Emphyteuta, cui competit dominium utile, appellatur etiam dominus fundi emphyteutici in *l. possessorus. C. de fund. patrimon.*

Confirmatur. Ille dicendus est dominus rei, cui conceditur *rei vindicatio utilis:* sed hæc in variis Legibus conceditur Emphyteutæ, uti & Vassallo, ac Superficiario; ergo Emphyteuta, Vassallus, & Superficiarius dicendi sunt domini rerum, quæ ipsis in emphyteusin, feudum &c. datæ sunt.

CASUS II.

22. *Firmatus Religiosus, in quadam universitate SS. Theologiæ, & SS. Canonum Studiosus, antequam sub finem anni Scholastici vacantiarum causa ad suum Monasterium dimittatur, a Professoribus (ut testimonium varietatis de annuo, quem ille nactus est, in studiis profectu Reverendissimo D. Præsuli ejus perscribere queant) examinatur, & præter alia interrogatur sequentia. 1. An ususfructus possit dici species dominii utilis? 2. Quos fructus usufructuarius percipere valeat? 3. Quousque ususfructus duret? 4. Quibus modis finiatur? Quid Firmatus ad singulas hasce quæstiones dicet?*

Respondetur. Firmatus ad primam quæstionem dicet, quod ususfructus non possit dici species dominii utilis. Ita decisum extat in meis Thesibus *pag.* 25. & colligitur ex sequentibus signis 1. quia ususfructus numeratur inter servitutes 2. quia puro usufructuario non conceditur rei vindicatio utilis, sed solum actio confessoria. 3. quia usufructuarius non potest rem alteri locare, etiam ad breve tempus, nec servitutem in ea alteri constituere &c. quæ tamen omnia possunt Emphyteuta, Vassallus &c. quibus dominium utile competit: quippe proinde utuntur rebus sibi concessis, non tam alienis, quam potius ut suis, & jure dominii.

Ad secundam quæstionem Firmatus dicet, quod usufructuarius percipere valeat fructus a re jam separatos; non item adhuc pendentes, si tunc, dum adhuc pendent, ususfructus finiatur; nam hi posteriores censentur adhuc pars rei, ex qua nascuntur, & cui adhærent; unde licet jam sint maturi, & tamen adhuc e re pendeant, dum ususfructus finitur, non cedunt usufructuario, aut hæredibus ejus, sed pleno jure ad rei proprietarium devolvuntur.

Ex quo deducit Tamburinus de *Contractib. tr.4. c.3. a §. 6.* quod coloni, & usufructuarii Clericorum non teneantur solvere gabellas, aut ferre onera, quæ imponunt fructibus etiamnum pendentibus; bene vero, quæ imponuntur præceptis, & separatis a solo: quia quandiu pendent, sunt bona exempta, post separationem autem profanantur, & bona laica fiunt.

Pro meliori responsionis intelligentia advertendum, quod alii sint fructus, qui ex sua natura, & sponte separantur a loco, in quo nascuntur; cujusmodi sunt, v. g. partus animalium; & hi statim, atque separantur, in dominium usufructuarii transeunt: alii vero, per se loquendo, solent manu, factoque hominis separari, excutiendo, secando &c. quorum proin usufructuarius non evadit dominus, nisi illos per se, vel per alium separet, aut saltem colligat; nec satis est, si vento decutiantur, aut decidant.

Porro nomine fructuum veniunt in fundo segetes, fœnum, virgulta, arbores cæduæ; at non frugiferæ, vel consitæ recreationis gratia: in pecoribus lana, pili, lac, fœtus: in servis operæ, & merces propter operas; non tamen fœtus ancillæ, idque propter dignitatem naturæ humanæ; nam iste ad proprietatem, non ad usufructuarium pertinet, §. 3. *Inst. de rer. divis.*

Dices. Soluto Matrimonio fructus rei dotalis dividuntur inter hæredes mariti, & uxorem, *l.7. §.1. & 2. ff. sol. matrim.* Similiter colonus jus percipiendorum fructuum transmittit ad hæredes, *§. ult. Inst. de loc. cond.* Idem est de possessore bonæ fidei. Ergo etiam usufructuarius jus percipiendi fructus poterit transcribere hæredibus, vel saltem his tribuenda erit aliqua illorum portio; cum iniquum videatur, ut proprietarius percipiat fructus, alieno labore, scilicet usufructuarii, quæsitos.

Respondetur, neg. conf. Disparitas quoad primum est, quod marito debeantur fructus propter onera matrimonii, quæ si pro aliquo tempore sint lata, subest adæquata causa illos petendi; usufructuario autem obveniant fructus etiam propter perceptionem: unde si hæc non sequatur, nec ipsi, nec ejus hæredibus cedunt. Disparitas quoad secundum est, quod colonus percipiat fructus ratione contractus, in quo etiam hæredes succedunt; usufructuarius vero illos percipiat vi servitutis personalis, in qua hæredes non succedunt. Disparitas quoad tertium est: quia hæres succedit bonæ fidei possessori in justa existimatione dominii, atque adeo etiam in jure percipiendi fructus; at hæres non succedit usufructuario in usufructu, cum hic per illius mortem (naturalem) extinguatur: consequenter nec in jure percipiendi fructus. Neque in hoc cernitur aliqua iniquitas. Nam hæredes usufructuarii possunt expensas, fructuum causa factas, deducere: & insuper quando ususfructus constituitur, fructibus ad falcem jam maturis, hi omnes citra iniquitatem acquiruntur usufructuario, licet manuum alienarum labore creverint; ergo similiter nihil iniquitatis in eo est, quod proprietarius, usufructu finito, percipiat fructus, labore usufructuarii quæsitos. Ayblinger *lib.2. tit.4. part.1. n.45.*

Aliter se habet usus, seu jus mere utendi; hoc enim admodum tenue est: siquidem qui habet jus utendi tantum fundo alieno præcise habet jus sumendi ex eo olera, fœnum, & ligna ad usum quotidianum, & suam, suæque familiæ necessitatem; eorum tamen nihil vendere, vel donare alteri potest. Similiter qui usum pecorum habet, nec lana, nec fœtibus, nec lacte uti potest, nisi forte in quantitate modica: solum fimus ei conceditur ad stercorandos agros proprios, non alienos. Quæ omnia habentur *Inst. & ff. de usu, & habitat.*

Ad tertiam quæstionem Firmatus dicet, usumfructum ordinarie concedi, & durare, quandiu usufructuarius vivit, licet quandoque solum detur in diem, seu ad certum tempus. Quod si concedatur Monasterio, Collegio, Civitati, vel alteri personæ fictæ, & immortali, ut vocant, durat centum annis, *l. 8. ff. de usu, & usufr. leg.*

fr. leg. quia eousque longissima hominis vita de facto durare censetur. Excipe: nisi Civitas aratrum patiatur, id est, evertatur: tunc enim usufructus extinguitur, etiamsi centum anni necdum affluxerint. Ayblinger *loc. cit. n.* 40.

Ad quartam quæstionem Firmatus, dicet, usumfructum finiri 1. per lapsum termini præfixi; ut immediate insinuatum. 2. per mortem civilem, quæ contingit per *maximam*, & *mediam capitis diminutionem*, ut vocant; quia tamen nemo fit servus pœnæ, ut notat Molina, ideo solum media capitis diminutio locum habet, aut potius maxima confunduntur cum media, quam omnet ii patiuntur, qui salva libertate jus civitatis amittunt, ut sunt, qui damnantur ad bestias, ad metalla &c. 4. per professionem usufructuarii emissam in Religione, bonorum, ac redditurum incapaci: prout dicetur *n. seq.* 5. per delictum usufructuarii, puta si rem usufructuariam notabiliter deterioret. 6. per consolidationem, aut confusionem, quando scilicet usufructus ad prioprietarium, aut proprietas ad usufructuarium quocunque modo pervenit; nemo enim potest habere usumfructum formalem (de quo impræsentiarum sermo est) in re propria; ut supra notatum. 7. denique per interitum rei usufructuariæ; ita ut, si res tota pereat, etiam totus usufructus intereat, quippe sine suo fundamento subsistere non potens. Quod si pars duntaxat rei pereat, & pars remaneat, videndum, an pars remanens antiquam rei appellationem retineat, nec ne? Si primum; usufructus non expirat, cum nondum censeatur suo fundamento destitui: prout patet in casu, quo ponitur filius mihi usumfructum suarum ædium concessisse, quæ tamen deinde, usque ad inferiorem contignationem tantum, incendio perit; hic enim usufructus non finitur, quia pars remanens antiquam appellationem domus retinet. Si secundum; usufructus expirat: prout patet in præallato exemplo, quando ponitur domus perire usque ad aream; cum pars remanens antiquam domus appellationem tunc amittat, fundamentum usufructus cessat; & consequenter etiam ipse usufructus durare amplius non potest. Ita per omnia meæ Theses *citt. pag.* 25. *& seqq.*

CASUS III.

23. *Firminus, juvenis Genere Illustris, sed rerum inops, interpellat D. Patruum valde opulentum pro subsidio ad vitam convenienter suo statui ducendam necessario. Annuit Patruus, & Nepoti ad dies vitæ concedit usumfructum in quadam arce, & appartinentibus vineis, agris, ac pratis. Firminus postquam biennio fructus ex antefatis bonis perceperat, rerum temporalium, seculiqua pertæsus, animum ad bona spiritualia convertit, & adiicis, statuitque Religionem ingredi. Sed antequam hoc sanctum propositum executioni mandet, percontatur, quid post emissam in Religione professionem futurum sit cum usufructu? an is expiret, & cum rei proprietate consolidetur, sicque ad proprietarium, Patrum nempe suum, revertatur, vel Religioni incorporetur?*

Respondetur primo, certum esse, quod usufructus expiret, si usufructuarius professionem faciat in Religione bonorum, & reddituum stabilium incapaci, quales ante Tridentinum erant omnes Ordines Mendicantes, post illud vero solus Ordo FFr. Minorum, & Societas Jesu quoad Domos professas, ut vocant: cum enim non solum tales professi in particulari sint usufructus incapaces, quippe voto paupertatis legati, sed ipsa quoque Religio in communi, quippe vi sui instituti bona propria possidere impotens; ad hæredes vero usufructus ex se transire non possit; omnino expiret, & cum re proprietate consolidetur, necesse est: siquidem deficiente subjecto nec ipse amplius subsistere, & perseverare potest.

Respondetur secundo. Si usufructuarius professionem emittat in Religione bonorum, & reddituum stabilium capaci, usufructus tam conventionalis, quam legalis manet, & integre incorporatur Religioni, seu Monasterio, ad vitam professi. Ita Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *c.* 3. Ininger in suis Thesibus de Dominio *pag.* 35. Cælestinus Mayr *de I. & I. q.* 5. *art.* 3. §. 1. *n.* 11. Ayblinger *loc. cit. n.* 53. & alii. Ratio est: quia in *Authent. Ingressi C. de SS. Eccles.* generaliter, & indiscrinatim dicitur, quod professus omnia jura transferat in Monasterium.

Dixi: *ad vitam professi*: quia enim usufructus competit Monasterio non ratione sui, sed ratione professi, hinc solum durat, quandiu professus vivit; hoc autem extincto & ille extinguitur, cumque rei proprietate consolidatur.

Dices primo. Professio Religiosa assimilatur morti; ergo per illam usufructus extinguitur, sicut extinguitur per istam.

Respondetur ad ant. assimilationem illam non esse adæquatam, nec Religiosos censeri mundo mortuos in omnibus. Hinc non procedit quoad usumfructum, seu quoad comedendum, ut loquuntur: quia utique Religiosi indigent necessariis vitæ subsidiis, quibus non indigent vita physice privati. Ita Glossa in *Authent. idem est, C. de bonis, quæ lib.*

Instabis. Etiam Religiosus professus in Religione bonorum, & reddituum stabilium incapaci, indiget necessariis ad sustentationem vitæ; ergo etiam cum ipso usufructus ad Monasterium transibit.

Respondetur, neg. cons. Nam id fieri non potest ex alio capite, quatenus nimirum usufructus tunc non invenit subjectum aptum, in quo possit perseverare; ut supra in *respons.* 1. ostensum: consequenter corruere debet, & cum rei proprietate consolidari.

Dices secundo. Usufructus est jus, seu beneficium personale; ergo non potest in Monasterium transferi.

Respondetur, dist. cons. Non potest in Monasterium transferri, via alienationis, con. via communicationis seu extensionis ad plures possessores, neg. cons. Alienatio utique pugnat cum natura, & essentia usufructus; non autem communicatio, seu extensio ipsius ad plures possessores: ut patet, si usufructus legetur filiis Titii v. g. tunc enim fieri potest, ut in principio solum competat uni, subnascentibus deinde pluribus liberis, extendatur indivisim ad omnes. Similiter evenit in proposito; nam Professus, quod hactenus possederat solus in particulari, nunc pergit possidere cum ceteris in communi; sicque usufructus, qui petit competierat uni, nunc extenditur indivisim ad omnes in Religiosa Communitate degentes. Quo modo non contingit usufructus mutatio substantialis, sed accidentalis duntaxat, quatenus jus particulare unius fit commune pluribus.

Dices tertio. Per professionem religiosam patris cessat patria potestas; ergo etiam usufructus, concessus patri, v: g. in bonis adventitiis filii intuitu patriæ potestatis; cessante enim causa cessat effectus: consequenter &c.

Respondetur primo, argumentum ipsis Adversariis solvendum esse, utpote qui nobiscum concedunt, patrem retinere usumfructum in bonis adventitiis filii, etiamsi per professionem filii solvatur patria potestas.

Respondetur secundo directe, transmisso antecedente, neg. cons. & rationem probativam dist. Cessante causa cessat effectus, si hic ab illa dependeat tam in facto esse, quam in fieri, con. si solum dependeat in fieri, neg. Patria potestas est solum causa usufructus legalis, qualem obtinet pater in bonis adventitiis filii, in fieri, non autem in facto esse, seu in conservari.

Dixi: *transmisso antecedente*, Nam potestas patria per professionem Religiosam non solvitur adæquate, sed eatenus tantum, quatenus vergeret in præjudicium Monasterii, eidemque onerosa foret, quod hic non evenit; adeoque in præsenti non cessat. Unde licet detur, usumfructum etiam in conservari dependere a patria testate, non tamen sequitur, illum cessare, sicut nec cessat ista ob rationem immediate insinuatam.

Dices quarto. Pater emancipator tantum retinet medietatem usufructus in bonis filii emancipati; ergo etiam si pater Monasterium ingrediatur, retinebit tantum medietatem usufructus; & consequenter hæc tantum incorporabitur Monasterio, non vero totus usufructus.

Respondetur, neg. cons. Nam in emancipatione ipse pater filium e potestate dimittit; unde Jus statuit, ut non nisi medietatem usufructus retinere posset. At vero per ingressum Religionis ipsa Lex filium e patris potestate eximit: utpote Monasterio favorem præstaret, voluit, usumfructum totum, qui antea patri in bonis advertentiis filii competierat, una cum persona patris

incorpo-

incorporari Monaſterio: veluti colligitur ex *Authent. Ingreſſi cit.* Ita quoad omnia mex *pag.* 30. *& ſeqq.*

DISPUTATIO II.

De Modis, quibus jus, vel dominium acquiri ſolet.

MOdus acquirendi jus, vel dominium nihil aliud eſt, quam titulus, ſeu cauſa, ex ſe habilis ad illud conferendum: eſtque multiplex, ut mox videbimus. Interim notandum, res, quarum dominium poteſt, & ſolet acquiri, eſſe in triplici differentia. Nam aliquæ actualiter alicujus dominio ſubſunt: aliquæ adhuc ſunt indiviſæ, & communes: aliquæ dominium, vel poſſeſſionem, quem habuere, amiſerunt. De rebus primi generis nullus nobis hic ſermo erit, utpote quarum dominium translatione, & traditione acquiri, inſinuavimus in *diſp. præced. c.* 1. & in præſenti ſupponimus. Res autem ſecundi, & tertii generis veniunt in dominium *Venatione, Piſcatione, Aucupio, Inventione, Acceſſione, Alluvione, Commixtione, Confuſione, Specificatione, & Præſcriptione.* De iſtis proinde modis, quibus prædictæ res acquiruntur, & in dominium tranſeunt in præſenti diſputatione agendum venit. Sit ergo

---

CAPUT I.

De Venatione, Piſcatione, & Aucupio.

HI tres Modi reſpiciunt animalia, & bona ſe moventia; ſicut e diverſo *Inventio*, de qua in *cap.* proxime ſecuturo, reſpicit bona inanimata, & non ſe moventia.

ARTICULUS I.

Quænam animalia fiant primo capientis?

SUMMARIUM.

34. *Diverſitas animalium.* 25. *Animalia natura ſua manſueta non fiunt primo capientis.* 26. *Animalia natura ſua fera, ſed cicurata, etiamſi aufugerint, manent in dominio, & proprietate ſui domini, quandiu retinent conſuetudinem revertendi; hac vero amiſſa tranſeunt in dominium primo capientis.* 27. *Animalia omnino fera, & ſilveſtria, quæ domino carent, fiunt primo capientis.* 28. *& ſeqq. Deducuntur corollaria.*

24. Prænotandum, animalia alia eſſe natura ſua manſueta; ut oves, boves, canes &c. alia natura ſua fera, & ſilveſtria; ut lepores, leones, perdices, piſces &c. Et licet pleraque horum cicurari non poſſint, dantur tamen aliqua, quæ ſolent aſſuetudine manſueſcere, & cicurari; ut cervi, columbæ, accipitres: ſicut econtra nonnulla, natura ſua manſueta, degenerare ſolent in ſilveſtria; ut ſues, & captæ in ſilvis relictæ. Præterea animalium alia naturali libertate fruuntur; ut cervi, damæ, lynces in montibus, & ſylvis; piſces in fluminibus, & lacubus: alia concluſa tenentur: ut feræ, & aves in hortis, caveis, vivariis; piſces in ſtagnis, & piſcinis &c. Nunc

25. Dico primo. Animalia natura ſua manſueta, ſive domeſtica, non fiunt primo capientis, etiamſi domini ſui cuſtodiam, & conſpectum egreſſa, longius aberrent. Ita habetur §. *gallinarum. Inſtitut. de rer. diviſ.* Et

Probatur hæc ratione: quia animalia, quæ non ſunt libera, non ſunt capientis: ſed ejuſmodi animalia non ſunt libera; cum propter naturalem indolem, & conſuetudinem revertendi, cenſeantur adhuc intra moralem ſui domini poteſtatem conſtituta; ergo non fiunt capientis; ac proinde permanent in dominio, & proprietate ſui domini, eique, ubicunque reperta fuerint reſtitui debent. Unde etiam, dum ovem a lupo, vel gallinam a vulpe captam, ex eorum faucibus eripuiſti, reſtituere obligaris, licet jam mortuas; imo earum pelles, vel aliquid, pretio æſtimabile, reſiduum fuerit: etſi non prohibearis pro labore, induſtria, vel impenſis, eo caſu factis, titulo negotii utiliter geſti, juſtam exigere compenſationem, quam etiam dominus ex conſuetudine, vel officio gratitudinis facere tenetur. *l. Pomponius, ff. de acquir. rer. dom.*

26. Dico ſecundo. Animalia natura ſua fera, ſed hominum induſtria, aut quocunque modo cicurata, etiamſi aufugerint, manent in dominio, & proprietate ſui domini, quandiu retinent conſuetudinem revertendi; hac vero amiſſa tranſeunt in dominium primo capientis: ex §. *pavonum. Inſtit. de rer. diviſ.*

Probatur: quia in priori caſu nondum cenſentur libera, ſed etiamnum intra moralem ſui domini poteſtatem conſtituta: bene vero in poſteriori; ergo in illo fiunt, in iſto non fiunt primo capientis. Quanto autem tempore opus ſit, ut per ſuam abſentiam cenſeantur amiſiſſe conſuetudinem revertendi, regula generalis ſtatui nulla poteſt; cum aliqua indigeant longiore, aliis e diverſo ſufficiat brevius: unde oportet illorum naturas, & indoles una cum circumſtantiis attendere, indeque dijudicare, num conſuetudinem revertendi exuerit, necne?

27. Dico tertio. Animalia omnino fera, & ſilveſtria, quæ domino carent, fiunt primo capientis, *leg.* 1. §. 1. *ff. de acqir. poſſeſſ.* & §. 12. *Inſtitut. de rer. diviſ.*

Probatur: quia animalia libera, & quæ ſub nullius poteſtate exiſtunt, fiunt primo capientis, & in ejus dominio tandiu permanent, quandiu illa intra ſuam cuſtodiam coercet: quod ſi ex hac denuo evadant, cenſentur redire ad naturalem ſuam libertatem, iterumque fieri primo capientis. Dicuntur autem animalia ad naturalem libertatem reverti, quando fuga eo dilabuntur, ut facili negotio reduci nequeant: ſi enim facile comprehendi, & ex fuga retrahi poſſunt, intra moralem ſui domini poteſtatem adhuc conſtituta cenſentur: ut habent Leſſius *lib.* 2. *c.* 5. *dubit.* 6. *n.* 31. Babenſtuber *tr.* 7. *diſp.* 2. *art.* 2. *n.* 4. & alii paſſim.

28. Colliges primo, peccare contra Juſtitiam peccato furti, & conſequenter oneri reſtitutionis obnoxium fieri, qui diripit leporem, cervum, damam, aut aliud animal ſilveſtre e ſeptis, piſces e piſcinis, aves e caveis, quibus concluduntur. Ratio eſt: quia hujuſmodi animalia non ſunt libera, ſed in cuſtodia ſui domini detenta; ergo ſi ei auferantur, furtum committitur, & obligatio reſtituendi contrahitur. Aliud eſt, ſi illa animalia e ſeptis, piſcinis, caveis evaſerint, ſeſeque ita e ſui domini cuſtodia proripuerint: ut nulla ſpes amplius affulgeat, fore, ut revertantur, aut recuperari valeant: tunc enim, cum cenſeantur ad ſuam libertatem naturalem rediiſſe, tranſeunt in dominium primo occupantis, quin ulla priori domino irrogetur injuria.

29. Colliges ſecundo, examen apum ex alveari tuo erumpens, & avolans tandiu permanebit in tuo dominio, quandiu verſabitur in tuo conſpectu, & facile comprehendi poterit; uti habetur §. 14. *Inſtit. de rer. diviſ.* Quod ſi diſparuerit, ut ejus proſecutio impoſſibilis, vel multum difficilis exiſtat, erit primo capientis. Ratio hujus eſt: quia cum apes ſint de genere animalium ſilveſtrium, cenſentur hoc modo naturalem libertatem aſſecutæ: conſequenter &c. Nec refert, quod forte adhuc ex tua arbore pendeant, vel in cavitatem arboris, in horto tui vicini ſitæ, ſeſe receperint. Nam per hoc non probantur perſeverare in tuo dominio, aut tranſiiſſe in dominium vicini; ſicut nec aves ſunt, vel fiunt tuæ, tuive vicini, per hoc, quod in arbore veſtra nidificent. Cenſetur ergo adhuc liberæ, fiuntque primo capientis. Poteſt nihilominus contingere, ut quis in tali caſu apes faciat ſuas, puta ſi eaſdem ſuæ arboris cavitati veluti alveari incluſas velit: prout ex Lugone, & Haunoldo docet La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 267. quia ſic illas apprehendit animo poſſidendi: quod ſufficit ad acquirendum dominium.

30. Colliges tertio. Si columbæ Caji ſeſe aſſocient columbis Titii, & una in hujus columbarium involent, amiſſa conſuetudine revertendi ad columbarium Caji, cedunt Titio, & in ipſius dominium tranſeunt. Ratio eſt: quia ſic cenſentur extra Caji poteſtatem poſitæ, & naturalem libertatem adeptæ: conſequenter fiunt Titii primo capientis; idque (veluti ſuppono) ſine fraude: ſi enim in capiendo fraudem adhibeat, e. g. ſi in ſuo columbario ſpargat extraordinarias illecebras, quibus Caji columbæ attrahantur, & eo intrare veluti compellantur, illarum dominus non evadit: cum enim ſint anima-

animalia domestica, vel saltem mansuefacta, tam parum sine injuria e potestate proprii domini abduci possunt, quam canis, & gallina: nisi hoc ipsum fortassis ex communi consuetudine, & mutuo consensu tacitam approbationem alicubi accepisset. Herincx *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 4. *n.* 144. Jninger *pag.* 147. La Croix *loc. cit. n.* 366.

31. Colliges quarto, feras, quæ in circumseptis saltibus admodum magnæ amplitudinis, & vastitatis continentur, ita ut nunquam captæ, vel quasi captæ fuerint, non esse in illius dominio, ad quem pertinet saltus, quamvis ipse solus inibi venandi jus habeat. Quod idem dicendum de piscibus lacuum valde magnæ amplitudinis, ex quibus aqua non deduci, nec pisces pro libitu extrahi possunt. Ita colligitur *ex l.* 3. §. *item feras, ff. de acquir. possess.* Et ratio est: quia custodia tam ampla non adimit ejusmodi animalibus suam naturalem libertatem, eorumque captura multum difficilis, atque anceps est. Unde similem feram, vel piscem inde extrahens, aut capiens, non committit furtum rei, cum non auferat rem alienam, seu quæ sub alterius dominio est; sed solum facit injuriam domino saltus, aut lacus, in quantum hic unicus habuit jus, & spem illa animalia capiendi (quod est committere quasi furtum usus) cui proinde non tenebitur restituere secundum æstimationem rei, seu feræ, captæ, sed solum secundum æstimationem spei, ejusmodi feram capiendi. Layman *lib.*3. *de Just. & Jur. tr.*1. *c.* 1. *n.*12. Sporer *tr.*6. *in Decal. c.*1. *n.* 146. Babenstuber *loc. cit. num.*9.

32. Colliges quinto, cujusnam sit fera ab uno vulnerata, aut laqueo irretita, ab altero autem capta, aut laqueo exempta. Si enim fera ita vulnerata est, aut laqueo intricata, ut vel statim moriatur, vel moraliter certo ventura sit in manus vulnerantis, aut laqueum ponentis, statim fit huius, quamvis alius præveniat, eamque manibus prius apprehendat. Ratio est: quia vulnerans, aut laqueum ponens, jam censetur feram prius apprehendisse, ideoque ejus possessionem, & dominium comparasse mediante instrumento, vel laqueo, *l.* 55. *ff. de acquir. rer. dom.* Quod si fera viva remaneat, seseque a laqueo extricare possit, erit tota primo capientis. Ratio est: quia nondum a quoquam alio capta censetur. Hoc tamen intellige, si vulneratio existat mera occasio, ut fere ab altero capiatur: si enim existat causa, ut alter feram capiat, alias non capturus, æquitas poscit, ut eam juxta quantitatem causalitatis datæ inter se dividant. Molina *disp.* 42. *numer.* 1. Megger *tr.*11. *disp.*27. *art.* 1. *n.* 5. Herincx *loc. cit. n.* 141. Si denique fera lethaliter vulnerata fugiat, & vulnerans ejus persequendæ curam negligat, vel ineluctabiliter quidem hæreat in laqueo, dominus tamen in eximendo moram faciat, ita ut moraliter certo vel interea computrescat, vel aliis feris in prædam cedat, possum illam inventam, aut laqueo exemptam mihi servare titulo boni derelicti. Ininger *pag.* 146.

ARTICULUS II.

Resolvuntur varia Quæstiones huc pertinentes, aut reducibiles.

SUMMARIUM.

33. *An licita sint columbaria?* 34. *An Princeps facultatem venandi subditis prohibere possit?* 35. *Qualiter peccet subditus venando, piscando, aucupando, contra prohibitionem Principis?* 36. *Quot, & quibus modis captura animalium possit esse illicita?* 37. *An illicite venans, piscans &c. obligetur ad aliquam restitutionem?* 38. *An, & qua pœna affici venatores possint in foro externo?* 39. *An Princeps, vel Magistratus prohibere possint suis civibus, ne pascant, vel lignentur in pascuo, vel silva communi?* 40. *Qualiter cives contra facientes peccent?* 41. *An cives alterius Reipublica peccent contra Justitiam &c. quando lignantur, vel pecora pascunt in locis alienæ Communitatis?* 42. *An silva, vel pascuo, ad dominum privatum spectante, alius quis uti possit citra peccatum furti &c.?*

33. QUæres primo, an licita sint columbaria?

Respondetur affirmative. DD. communissime. Ratio est: tum quia columbæ communiter non inferunt notabile damnum: siquidem non solent eruere grana latentia, ut gallinæ; sed solum vescuntur granis in superficie jacentibus. Tum quia, si etiam subinde damnum aliquod inferant, illud satis compensant; eo quod non magis vescantur seminibus bonis, quam malis, ex quibus lolia, & similia nascerentur. Tum quia si manerent silvestres, fugerent manus coquorum, magisque multiplicatæ damnum segetibus afferrent. Ob quas rationes columbaria merito a Republica permittuntur.

34. Quæres secundo, an Principes, vel Magistratus facultatem venandi sive in locis alias communibus, sive etiam ad privatos pertinentibus, subditis prohibere, sibique reservare possint?

Respondetur affirmative. Est itidem communissima DD. Ratio suffragatur: quia bono publico, uti & privatis singulorum commodis magis prospicitur, quando jus venandi in commune prohibetur; nam si omnibus, & singulis impune liceret venari, brevi ob nimis frequentem, & non raro intempestivam venationem ingens ferarum inopia fieret, & maxima passim ferarum solitudo: unde necesse foret, vel omnino illis carere, vel manu pretio a vicinis provinciis coemere. Melius igitur est subditis, jus venandi certis reservari, a quibus semper, & quavis indigentia occurrente, moderato pretio comparari possint carnes ferinæ, quam ut iis omnino oporteat carere, vel easdem aliunde excessivis sumptibus comparare. Accedunt adhuc aliæ causæ talem reservationem legitimantes. Prima esse potest, si subditi ex communi, & tacito consensu ultro tale jus suo Principi cedant. Secunda est necessitas, aut tranquillitas, quatenus alias foret periculum, ne subditi avocarentur ab exercitio agriculturæ, opificiorum &c. otio se dederent; prædis, & latrociniis assuescerent; ex continua tractatione, usuque armorum ad seditiosos motus proni evaderent. Tertia potest esse necessitas ipsius Principis ad condignam cum sui, tum suæ aulæ sustentationem ex venatione quærendam. Imo Lessius *lib.* 2. *c.* 5. *dubit.* 7. *num.* 36. & alii apud ipsum, etiam solam Principis recreationem pro causa sufficiente agnoscunt. Quarta, si Princeps in terris, justo bello occupatis, hoc onus Communitati imponat. Quinta, & forte communissima causa est titulus diuturnæ, & legitimæ præscriptionis. Quod diximus de facultate venandi, etiam cum proportione intelligendum venit de facultate piscandi, & aucupandi.

35. Quæres tertio, qualiter peccet subditus, venando, piscando, aucupando, contra prohibitionem Principis?

Respondetur, eum peccare (nisi cum P. Ininger *pag.* 144. dicere malis, prohibitionem hujusmodi esse mere pœnalem, vel ex intentione Legislatoris, vel saltem ex acceptatione populi) non solum contra Obedientiam, sed etiam contra Justitiam, si lædat jus Principis, justo titulo acquisitum; ordinarie tamen, & secluso notabili damno, non plus, quam venialiter. Ratio est: quia venatio (idem cogita de piscatione, & aucupio) ejusmodi ferarum Jure naturali licita, & concessa est: consequenter non potest censeri gravis injuria contra jus acquisitum Principi; nec præceptum Principis potest gravem obligationem Justitiæ inducere, nisi quatenus grave, & notabile damnum infertur; seu quatenus ejus jus, & facultas certa capiendi, notabiliter læditur, impeditur, vel diminuitur. Unde quantitas culpæ Theologicæ, sicut & obligationis ad restituendum, metiri debet ex quantitate damni; hoc enim si grave sit, puta si venator, venatione nimis frequenti, magnam alieno solo solitudinem inferat, graviter delinquitur, indeque resultat gravis obligatio reparandi damnum emergens, quantum scilicet fundus factus est vilior, & minoris æstimationis. Quod si damnum solummodo sit leve, ut si in vasto quodam saltu unum duntaxat, vel alterum v. g. cervum prosternat venator, non peccat mortaliter, nec obligatur ad restitutionem, nisi sub veniali: imo Palao *de Just. in gen. pun.* 17. *n.* 4. arbitratur, ejusmodi damnum in morali hominum æstimatione nullum esse, & consequenter nullam in conscientia parere obligationem restituendi: quamvis, ut recte advertit P. Ininger *pag.* 145. talis venator fera capta privari possit in partem pœnæ, & satisfactionis propter injuriam, & transgressionem legis.

36. Quæres quarto, quot, & quibus modis captura animalium possit esse illicita?

Respon-

Respondetur, quinque sequentibus. 1. *ratione personæ*. Sic Clericis prohibetur venatio tumultuosa, frequens, & immodica in *c. 1. & 2. de Clerico venat.* ac a potiori Religiosis *c. 1. §. porro. de Statu Monach. in Clementinis*. Quieta tamen, & quæ sine magno armorum strepitu, hominum clamore, canum latratibus, citra scandalum exerceri potest, nec Clericis, nec Religiosis alicubi noscitur interdicta.

2. *ratione temporis*: ut si instituatur diebus festivis, & jejuniorum; sicque existat causa, ut vel non audiatur sacrum, vel non servetur jejunium, juxta *can. 13. dist. 86.* Quod si idcirco nec negligatur sacrum, nec violetur jejunium, venatio (idem est de piscatione, & aucupio) illis diebus licite exercetur vi consuetudinis legitime introductæ: modo (ut limitavimus *part. 2. numer. 542.*) non fiat cum magno apparatu, & strepitu.

3. *ratione publicæ utilitatis*, in cujus gratiam interdicitur nonnunquam venatio illis mensibus, quibus feræ sunt gravidæ; aucupium eo tempore, quo aves prolificationi vacant; piscatio, seu captura piscium nimis minutorum; vel quæ fit per injectionem escarum, quibus pisces emoriuntur, & aquæ inficiuntur.

4. *ratione loci*: ut si peragatur in alieno saltu, lacu, vel prædio contra voluntatem domini; prædio utendi, & alios quoscunque ab ejusmodi usu impediendi, per §. *feræ Instit. de rer. divis.*

5. *ratione damnorum*, quæ inde causantur hominibus privatis, quando nimirum venantes equis, canibus, suisque pedibus conculcant sata, dissipant sepes, destruunt vineas &c.

37. Quæres quinto, an prædictis modis illicite venans, piscans &c. obligetur ad aliquam restitutionem?

Respondetur primo. Venatio, piscatio &c. illicitæ *ratione personæ, temporis*, aut *publicæ utilitatis*, nullam inducunt obligationem restituendi. Ratio est: quia ut illicitæ ratione personæ, vel temporis, solum opponuntur virtuti Religionis; & ut illicitæ ratione publicæ utilitatis adversantur Obedientiæ vel Justitiæ legali: quarum læsio ad nullam restitutionem obstringit: prout dicetur *tr. 2. disp. 5.* Tertium tamen limitandum est, ita ut solummodo verum sit, quando per prohibitionem venationis &c. ratione publicæ utilitatis factam, nec ipsi Principi, nec alicui alteri jus quæsitum, aut collatum est: alias enim, si tale jus simul læderetur, peccaretur contra Justitiam commutativam, & consequenter obligatio restituendi contraheretur: prout *num. 35.* insinuatum.

Respondetur secundo. Ex venatione, piscatione &c. ut illicitis *ratione loci*, nascitur obligatio ad aliquam restitutionem. Ratio est: quia, qui venatur, piscatur, aucupatur, in loco prohibito, peccat contra Justitiam commutativam in eum, cui soli, excluso quocunque alio, competit Jus rigorosum ibi venandi &c. eique infert una cum damno stricte dictam injuriam.

Dixi tamen: *ad aliquam restitutionem*: quia non tenetur ad restitutionem animalis capti, utpote cujus efficitur dominus, juxta *cit. §. feræ. Instit. de rer. divis.* siquidem tale animal, cum nullius sit, transit in dominium primo capientis; ut dictum. Nec refert, quod silva, in qua capitur fera, sit in alterius dominio. Nam cum feræ non sint pars fundi, neque fructus ejusdem, ideo fundo possesso, non censentur hoc ipso possideri feræ, quæ vagantur in illo fundo. Tenetur ergo solum ad restitutionem, seu compensationem damni, in eo siti, quod sic domino saltus, vel territorii captura ferarum ut difficilior, & jus venandi jam non amplius tanti æstimabile &c. Id quod pariter insinuatum supra *n. 35.* Ex quo ipso *num.* reflecti hic quoque potest ad sententiam P. Palao ibi relatam.

Respondetur tertio, certum omnino esse, quod venans, piscans, vel aucupans teneantur ad restitutionem *ratione damnorum*, quæ aliis culpabiliter, & injuste intulerunt. Ratio patula est: quia omnis, qui alterum injuste damnificat (agendo contra Justitiam commutativam, quemadmodum hic contingeret) obligatur illatum damnum reparare titulo injustæ damnificationis: prout dicetur *n. seq. disp. 1.* Unde Principes, & alii, quibus jus venandi &c. competit, per se loquendo tenentur illata subditis, damna compensare; ut si eorum sata conculcent, vineas destruant &c. contra jus rigorosum, seu Justitiæ commutativæ. Lugo *tom. 1. de Just. sect. 6. numer. 63.* Babenstuber *loc. cit. n. 19.* & alii passim.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam excusari a restitutione Principes possunt, quando subditi in ejusmodi damna libere consenserunt: quod dupliciter contingere potuit. 1. quando prædia, in quibus damna patiuntur, cum tali onere præviso acceptarunt. 2. quando damna sunt modica, & venatio v. g. tantum commodi illis affert, quantum detrimenti, eo quod per eandem arceantur, & e medio tollantur bestiæ agris noxiæ: tunc enim censentur in damna sibi causanda consentire, & causata remittere. Ita cum aliis Babenstuber *loc. cit.*

38. Quæres sexto, an, & qua pœna affici venatores possint in foro externo?

Respondetur primo. Siquis feram, sui agri, aliarumve rerum vastatricem, trajiciat, posito, quod eam arcere, damnumque sic avertere nequeat, nulla pœna affici potest. Ratio est: quia talis utitur jure suo, quod ipsi, & cuilibet alteri a natura concessum est in defensionem rerum suarum contra nocivas feras; ergo nulla pœna citra injuriam plecti potest. Confirmatur. Nulla æquitas poscit, ut feræ alantur a subditis, sive damno subditorum; neque Principes id prætendere, vel exigere possunt vi juris alti, quod habent in bona subditorum; nam tale jus illis aliter non competit, quam pro casu necessitatis, qualis hic non supponitur, nec videtur facile occurrere posse.

Respondetur secundo, Si quis citra prædictam causam contra legis prohibitionem venetur, distinctio adhibenda est, Vel enim hoc facit frequenter, vel solum una, aut altera vice? Si primum; plecti potest pœna etiam corporali: idque propter contumaciam, & contemptum legis, aut Legislatoris. Si secundum; tali pœna puniri non potest; tunc enim crimen non est tam grande, ut sit luendum in corpore: sed alia mitiori, e. g. mulcta pecuniaria, privatione instrumenti venatorii, aut simili, Ininger *pag. 145.* Ubi tamen non displicet exceptio Haunoldi, concedentis, ejusmodi venatorem posse puniri etiam pœna capitis propter unicum actum venationis, ex gravissima causa, v. g. ad cavenda latrocinia, expresse sub tali pœna prohibitum: in hoc enim casu pœna videtur omnino proportionata delicto, quippe tam severe prohibito, & usque adeo ex circumstantiis aggravato.

Nunc restat, ut aliquas quæstiones de dominio lignorum, & pascuorum resolvantur; nam licet ad istud caput, utpote in quo ex professo agimus de domino animalium, & bonorum se moventium, proprie non pertineant, commode tamen huc reducuntur propter affinitatem materiæ, & connexionem doctrinæ.

39. Quæres igitur septimo, an Principes, vel Magistratus prohibere possint suis civibus, ne pascant, vel lignentur in pascuo, vel silva communi?

Respondetur, posse, saltem secundum certum modum, & mensuram, puta ne tali loco, tali tempore pascant; ne talem exscindant stirpem; ne majorem molem lignorum auferant. Ratio est: quia id potest esse multum conducibile bono publico: atqui potestas Principis se porrigit ad omnia, quæ bono publico conducibilia sunt; ergo &c.

Dixi tamen: *saltem secundum certum modum, & mensuram*. Nam simpliciter, & absolute id prohibere civibus non potest; cum singuli habeant jus inde sumendi necessaria, quo spoliari citra suum consensum non possunt, nisi fors aliunde sibi illa facile comparare valerent. Lessius *dubit. 13. n. 54.* Babenstuber *n. 20.* & alii passim.

40. Quæres octavo, qualiter civis peccet, qui contra prohibitionem Principis pascit, aut lignatur in loco communi ad suam Rempublicam pertinente?

Respondetur, eum venialiter tantum peccare, nisi communitati inferat enorme damnum, per quod aliorum civium portiones notabiliter diminuantur: veluti contingeret, si multas stipes notabiles incideret; grandiores arbores ædificiis idoneas sterneret &c. Ratio responsionis est: quia in rebus hisce communibus non censetur notabilis injuria committi per eos, qui alias jus habent, uti sunt cives, & membra Reipublicæ; nec Princeps per suam prohibitionem censetur statim imponere gravem obligationem abstinendi a lignando, pascendo

pascendo &c. nisi damnum notabile inferatur. Unde licet ejusmodi civis secundum doctrinam in *tr.* proxime secuturo tradendam, teneretur, per se loquendo, sub veniali resarcire damnum, aliis civibus illatum, prudenter tamen præsumere potest, eos nullam restitutionem desiderare; sed (sicut & ipsum Principem) esse contentos, quod delinquens, si deprehendatur, subeat pœnam lege constitutam. Lessius *dubit.* 14. *n.* 55. Sporer *n.* 165. Babenstuber *num.* 20. Et videri possunt, quæ dicta sunt superius *n.*35.

41. Quæres oono, an cives alterius Reipublicæ peccent contra Justitiam, & committant peccatum furti, ac per consequens ad restitutionem obligentur, quando lignantur, vel pecora pascunt in locis alienæ Communitatis?

Respondetur affirmative, per se loquendo. Ratio est: quia lædunt jus alienæ Communitatis, eamque injuste damnificant. Dixi tamen: *per se loquendo*: quando enim consuetudo invaluit, ut illa altera Communitas similiter lignetue, aut pascat, in silvis, & pascuis ejus Communitatis: cujus prædicti cives membra sunt, videtur fieri mutua compensatio (dummodo non inferant damnum extraordinariom) sicque tolli obligatio restituendi, remanente tamen obligatione solvendi mulctam, siqua pro deprehensis in simili furto taxata sit. Lessius, & Sporer *loc. cit.* item Illsung *n.*242. & alii.

42. Quæres decimo, an silva, vel pascuo privato, seu ad dominum privatum spectante, quis alius uti possit citra peccatum furti, & obligationem restituendi?

Respondetur negative: nisi forte & hic consuetudo introducta alicubi excuset. Ratio est: quia utens violaret jus commutativum privati illius domini; adeoque injuste eundem damoificaret: id quod fieri non potest absque peccato furti &c. Quod idem dicendum, siquis utatur silva, vel pascuo communi, cuipiam privato locatis: siquidem Communitas per contractum locationis in talem privatum transtulit jus adversus singulos alios de Communitate, ita, ut ipse solus, aliis exclusis, re illa communi uti valeat; consequenter siquis alius eadem utatur, jus alienum iovadit, illudque resarcire tenetur. Babenstuber *loc. cit. num.* 23. & alii apud ipsum.

CAPUT II.

De Inventione, Accessione, Alluvione, Commixtione, Confusione, & Specificatione.

ARTICULUS I.

Expediuntur Quæstiones circa Inventionem.

§. I.

Quomodo acquiratur dominium rerum inventarum, quæ non habent dominum?

SUMMARIUM.

43. *Res inventa quintuplicis præcipue generis sunt.* 44. *Res derelicta, seu pro derelictis habita, fiunt inventoris &c.* 45. *Quid requiratur, ut inventor censeatur rei inventæ dominium acquirere?* 46. *Quando præsumi posse, dominum velle rem suam haberi pro derelicta?* 47. *& seqq. Cujus sunt bona vacantia; mineralia, ac venæ metallicæ; & thesaurus inventus?*

43. PRænotandum, res inventas quintuplicis præcipue generis esse. Nam 1. aliquæ nullum unquam dominum habuere; ut gemmæ, & margaritæ in mari, vel littore repertæ. 2. Aliquæ quidem dominum habuerunt, sed habere desierunt; vel quod dominus ipse earum dominium a se abdicaverit sine animo illas ultra possidendi; & dicuntur bona derelicta, cujusmodi sunt missilia a Principe, vel alio in populum sparsa: vel quod remanserint post domini mortem, nullo hærede relicto; & vocantur bona vacantia. Quo etiam pertinent illa, quæ mari dio submersa, fortuito extracta, aut ejecta sunt. 3. Res qædam latent, & nascutur io visceribus terræ; ut venæ metallicæ, & diversa mineralia. 4. Sunt thesauri inventi. Definitur autem thesaurus in *l. nunquam, ff. de acquir. rer. dom.* quod sit *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Ubi nomine pecuniæ veniunt etiam aliæ res nobiles, ac pretiosæ; ut monilia, torques aurei, vel argentei &c. 5. Denique sont res quæpiam, quarum dominus extat, aut extare præsumitur, sed ignoratur; & vocantur bona incerta: cujusmodi est *v. g.* anulus aureus in publica via repertus, & similia. De bonis quinti generis agemus in §. *seq.* de bonis vero aliorum generum in præsenti. Itaque

44. Dico primo. Res derelictæ, seu pro derelictis habitæ, fiunt inventoris, nisi earum dominium lege aliqua humana cuipiam alteri addicatur. Est communis.

Probatur: quia res derelictæ perinde se habent, ac si io nullius nuquam dominio fuissent; ergo sicut tunc fierent ioventoris, ita etiam nunc, seu in casu, quo earum dominus dominium a se abdicavit, noluitque amplius esse in sua potestate.

45. Ubi adverte, ad hoc, ut quis dicatur rem aliquam invenisse, & inveniendo illius dominium acquisivisse, non esse satis, quod eam viderit; sed insuper requiri, ut etiam apprehenderit apprehensione aliqua corporali. Unde quandiu non fit ejusmodi apprehensio, licet ab illo oculis usurpata sit, habetur pro derelicta, & transit in dominium alterius prius apprehendentis.

46. Quæres, quandonam præsumi possit dominus velle rem suam pro derelicta haberi, si non expresse constet de illius animo?

Respondetur, esse recurrendum ad coojecturas. Si enim domious rem perditam recuperare posset, & negligat: vel si res non sit magni pretii, & ideo non videatur dominus curam inventoris, ac solicitudinem in ea restituenda exigere, habebitur pro derelicta, nec erit oneri restitutionis obnoxia. Haunoldus *tr.* 5. *cap.* 1. §. 1. *n.* 5. Idem dicendum putat P. Babenstuber *loc. cit. n.*25. io casu, quo dominus rem amissam nec ipse per se facile recuperare potest, nec alius nomine repetiturus existimatur. Sed merito contradicit Haunoldus *loc. cit.* Nam per se loquendo adhuc talem rem inventam restituere teneberis. Ratio hujus est: quia domious rei suæ dominium non amittit, nisi ipse consentiat, sive eam pro derelicta habeat: atqui in casu posito dominus non censetur consentire, nec rem pro derelicta habere, quio potius illam libentissime recuperaret, quocunque modo posset; ergo &c. Confirmatur. Bona naufragantium, quæ urgente tempestate, navis levandæ causa, in mare projiciuntur, non sunt habenda pro derelictis, prout fatetur Babenstuber *num.* 26. ergo sola difficultas in re recuperanda non illico iofert, rem haberi posse pro derelicta: consequenter &c. Potest tamen inventoc suæ operæ, & periculi æstimationem a domino exigere, & interea, donec satisfactionem accipiat, rem inventam loco pignoris detinere; vel, si jam reddiderit, actionem negotii utiliter gesti contra illum instituere.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam si dominus nec rem ipsam, nec consequenter illius restitutionem desiderare advertatur, recidit in id, quod in ipsa responsione diximus, videlicet in eo casu rem habendam esse pro derelicta, & oneri restitutionis non amplius obnoxia.

Dico secundo. Bona vacantia, si defunctus fuit laicus, Jure communi fisco Principis, vel Reipublicæ cedunt, per *l. vacantia. C. de bonis vacant.* Si defunctus fuit peregrinus, bona mobilia per Episcopum loci, in quo discessit, sunt applicanda ad pias causas, juxta *Authent. Omnes peregrini. C. communia de Success.* Ubi etiam hospes, io cujus æde peregrioum mori contigerit, siquid ex istiusmodi bonis subtraxerit, condemnatur ad restitutionem in triplo faciendam Episcopo, & per hunc iis, quibus visum fuerit, non obstante statuto aliquo, consuetudine, vel privilegio, vi quorum antehac contrarium practicabatur. Haunoldus *loc. cit. n.*3.

48. Dico tertio. Mioeralia, & venæ metallicæ inventæ in loco publico, seu communi, de Jure naturæ, & Genoium (1.) pertinent ad inventorem: inventæ autem in fundo alieno (2.) ad domioum fundi.

Probatur prima pars: quia nunqnam fuerunt in alicujus dominio: & consequenter Jure naturæ, & Gentium sunt primo occupantis: atqui ioventor illa primo occupat, ut supponitur; ergo fiunt inventoris.

Probatur secunda pars: quia metalla, & mineralia non minus adhærent terræ, atque ex illa virtute

solis producuntur, quam herba, creta, lapides, aqua, & similia; ergo sicut ista pertinent ad dominum fundi, seu partes fundi, ita similiter illa, tanquam partes, & fructus fundi spectabunt ad dominum fundi.

Dixi: *de Jure naturæ, & Gentium*. Nam Jure humano, & positivo solent ejusmodi mineralia, & metalla ad cameram Principis, aut Reipublicæ applicari saltem quoad partem aliquam majorem, vel minorem, altera parte inventori relicta.

49. Dico quarto. Thesaurus inventus, spectato Jure naturæ, & Gentium, similiter transit in dominium inventoris, etiamsi latuerit in agro, sed fundo alterius.

Probatur. Tum quia thesaurus censetur in nullius dominio existere; ergo fit inventoris, seu primo occupantis. Tum quia thesaurus non est pars agri, seu fundi, sicut mineralia, & venæ metallicæ; ergo dominus agri, non est hoc ipso dominus thesauri: consequenter thesaurus ei non cedit, sed potius tanquam libera debetur inventori titulo inventionis, & occupationis.

Dixi rursus: *spectato Jure naturæ, & Gentium*. Nam Jure civili multa statuta sunt circa acquisitionem dominii in thesaurum. 1. Siquis magica arte thesaurum reperiat, etiam in fundo proprio, totus thesaurus per sententiam Judicis adjudicatur fisco. 2. Siquis in proprio fundo thesaurum reperiat arte, & modo licito, eum facit integre suum. 3. Si inveniat in loco, seu fundo alterius; idque casu seu absque animo, & industria illum quærendi, lucratur medietatem; alteram medietatem tenetur dare domino fundi, etiam (saltem probabilius) in foro conscientiæ; cum hæc constitutio, utpote æquitati naturali admodum conformis, non sit mere pœnalis juxta sat communem, & probabiliorem DD. sententiam. Ex quo consequitur, quod si fundus habeat duos dominos, unum directum, alterum utilem, illa pars thesauri, quæ debetur domino fundi, inter utrunque proportionaliter dividenda sit; prout habet Molina *tr.1a. disp.56.* Babenstuber *loc. cit. n.31.* & alii. 4. Si thesaurum in alieno fundo quæsiverit, ac invenerit de industria, & absque consensu domini, is totus spectabit ad dominum fundi, cique tradi debebit, non quidem ante, sed post sententiam Judicis: quia hæc constitutio, quippe facta ad puniendam audaciam, & temeritatem criminis, est pœnalis: prout patet ex *l. unic. C. de thesauris*, ibi: *totum locorum domino reddere compellatur*: detractis tamen expensis, quas fecit. Ita cum aliis P. Sporer *loc. cit. n.171.*

§. II.

An dominium rerum inventarum transeat ad inventorem?

SUMMARIUM.

50. *Aliqua tanquam certa supponuntur.* 51. *Statuitur conclusio.* 52. *& seqq. Diluuntur argumenta contraria,* 59. *Deducitur corollarium pro praxi.*

50. TRia tanquam certa supponenda sunt, Primum est, quod si res inventa sit ex bonis Ecclesiæ, licet nescias, cujus Ecclesiæ determinate sit, eam retinere non possis, sed tenearis reddere Prælato Ecclesiastico, ejusque dispositioni subjicere. Secundum est; quod dum tibi constat, rem, a te inventam, esse unius e duobus, ignoras autem, cujus ex illis sit, æquitas naturalis postulet, ut cuilibet restituas partem rei majorem, vel minorem commensuratam conjecturis, & rationibus, quæ magis, minusque fortes respective pro utroque militant. Tertium est, inventorem rei amissæ esse obligatum, ut diligentia moraliter sufficiente inquirat dominum: unde tutus in conscientia non est, si rem inventam studiose occultet, & dissimulet, paratus ceteroquin reddere, si repetatur; imo oportet vulgare inventionem magis, minusque pro diversa æstimatione, & dignitate rei inventæ, ut sic aliqua rei fama ad dominum pervenire possit. Quod si neglexerit, tenetur rem inventam, seu possessor malæ fidei, dare pauperibus, casu, quo dominus non comparet: ut colligitur ex *c.5. de usuris*. Restat igitur solummodo difficultas de bonis non Ecclesiasticis, seu quæ non sunt alicujus Ecclesiæ, iisque similiter incertis, id est, quorum dominus ne quidem sub indeterminatione scitur; & quæritur, an inventor, si adhibita morali diligentia dominum non reperit, ea retinere possit, vel vero teneatur erogare pauperibus, aut ad aliam piam causam applicare? Quam quæstionem ut decidam,

51. Dico. Inventor ejusmodi rem inventam tenetur ex Justitia, saltem regulariter loquendo, dare pauperibus, aut ad aliam piam causam applicare. Ita Scotus in *4. dist.15.q.2.* Mastrius *in Theol. Mor. disp.3. q.2, art.1. n.52.* & alii Scotistæ communiter, quibus & ego subscripsi *in meis Thesib. pag.59.* contra Sotum, Dianam, Medinam, Haunoldum, Illsung, Kaam, Babenstuber &c.

Probatur hac ratione. Ejusmodi res inventa etiamnum existit in dominio sui domini, esto hic ignoretur; prout liquet ex descriptione boni incerti supra præmissa; ergo cum ipsi restitui non possit, ratio naturalis postulat, ut reddatur iis, quibus ipse vult: atqui rationabiliter præsumitur velle, ut reddatur pauperibus, vel ad aliam piam causam applicetur; cum sic illi saltem emolumentum spirituale inde obvenire possit; ergo &c.

Dixi in conclusione, *saltem regulariter loquendo*. Nam in Turca, hæretico, vel alio perverso, & desperabundo homine antefata voluntas non videtur posse præsumi: quamvis aliqui non improbabiliter putent, etiam in illis ejusmodi voluntatis præsumptioni locum esse. Ratio ita putantium est: quia, licet rei perditæ in pauperes distributio talibus forte non afferat fructum meritorium, neque impetratorium boni spiritualis, potest tamen illis prodesse saltem temporaliter, quatenus Deus per ejusmodi distributionem, ceu opus Misericordiæ, moveri potest ad illos in bonis temporalibus prosperandos. Quod probabiliter sufficit, ut etiam in talibus voluntas illa præsumi valeat; esto oppositum nobis appareat probabilius. Nunc

52. Objicies contra conclusionem primo, Ratio naturalis potius dictat, bona, quorum dominus, facta sufficienti inquisitione, inveniri hic, & nunc non potest, esse asservanda, idque dominum ita velle rationabiliter præsumitur, ut scilicet hac ratione, si forte post aliquod tempus compareat, rem amissam recuperet; ergo inventor non obligatur ex Jure naturali, nec potest rem inventam dare pauperibus. Ita arguit P. Babenstuber *tr.7. disp.2. art.2. §.4. n.38.* Sed

Respondetur, neg. ant. Id enim solummodo procedit in casu, quo necdum adhibita fuit debita diligentia in inquirendo dominum; non autem in nostro casu, in quo supponitur facta moraliter sufficiens domini inquisitio, & nullum ipsius deprehensum vestigium. Tunc enim longe rationabilius præsumitur dominus nolle, ut res ab inventore asservetur: siquidem alias contingere potest 1. ut res interea casu, vel fortuito pereat: vel 2. ut inventor eandem bona fide consumat, indeque ditior non evadat: aut 3. ut eam, antequam dominus compareat, legitime præscribat. Quidni igitur dominus malit, rem inventam tunc dari pauperibus, ut lucrum inde certum saltem spirituale, & forte etiam temporale (ut supra insinuavimus) reportet; quam asservari ab inventore, tot obnoxiam periculis ad legitimum dominum non amplius revertendi?

Dices primo. Voluntas illa mere præsumpta, & interpretativa non est meritoria; ergo nullum fructum, præsertim spiritualem, operari potest.

Respondetur, dato antecedente, dist. cons. Nullum fructum meritorium operari potest, con. Impetratorium, neg. cons. Fructus impetratorius domino inde obveniet, quatenus Deus per illam distributionem, seu opus Misericordiæ, motus, eum certo prosperabit sive temporaliter, sive spiritualiter.

Dixi: *dato antecedente*. Nam licet illa voluntas, si supponatur esse mere præsumpta, & interpretativa sine actuali desiderio talis piæ applicationis, non possit esse meritoria, aut fructus meritorii operativa, tamen hujusmodi esset, si prædictum desiderium accedat: prout sæpenumero accedere præsumendum est saltem in hominibus catholicis, & bonæ voluntatis.

Dices secundo. In inventore thesauri non debet recurri ad præsumptam voluntatem domini, ita, ut juxta istam inventor teneatur illum applicare; ergo neque in inventione alterius rei.

Respondetur, concesso antec. neg. cons. Disparitas est, quod thesaurus ob antiquitatem temporis habeatur pro re derelicta, statimque, sine præscriptionis benefi-

beneficio, transeat in dominium inventoris, quantum est de Jure naturæ, & Gentium; quantum vero de Jure Civili, aliter respective statutum novimus ex dictis *n.*49. At vero aliæ res inventæ, de quibus in proposito, & quas incertas nominamus, non habentur pro derelictis (alias pariter, sine beneficio præscriptionis, statim in dominium inventoris transirent: quod tamen ipsis etiam Adversariis non probatur) sed suum adhuc dominum habere censentur, juxta cujus proinde voluntatem prudenter præsumptam expendi debent. Sed de hoc iterum infra *in respons.*2. *ad object.*3.

53. Objicies secundo. Esto dominus desideret, ut res inventa detur pauperibus, non tamen idcirco comprobatur inventorem obligare, ut illam det pauperibus; ergo licet inventor possit, non tamen tenetur rem inventam pauperibus erogare. Ita denuo P. Babenstuber *loc. cit.*

Respondetur, neg. ant. Nam quilibet prudens censetur velle ex re sua lucrum percipere; quod quis impræsentiarum dominus non potest, nisi obligando inventorem ad rem inventam pauperibus, aut aliis piis causis applicandam, rationabiliter præsumitur eum ad id faciendum obligare.

Dices. Talis obligatio rem inventam erogandi pauperibus, est obnoxia periculo transgressionis, & peccati contra illam; ergo est noxia generi humano: consequenter &c. Ita Illsung.

Respondetur, dist. ant. & cons. Idque provenit ex mera malitia inventoris, nolentis restituere, quod restituere obligatur, cons. secus, neg. Nullatenus inde sequitur, quod dominus inventorem obligare aut non possit, aut non velit; alias etiam eundem obligare aut non posset, aut non vellet ad rem sibi restituendam in casu, quo ab ipso tanquam legitimus rei inventæ dominus agnoscitur: quia etiam tum sæpe fit, ut inventor rem inventam retineat; adeoque obligatio restituendi sit obnoxia periculo transgressionis, & peccati contra illam ex inventoris malitia perpetrandi.

54. Objicies tertio. In Jure idem censetur *dominum ignorari, & rem nullius esse*: atqui res, quæ nullius est, fit primo occupantis, qualis in proposito est inventor; ergo &c. Ita P. Corbinianus Khamm *in Epitom. Canonico-Morali pag.*155.

Respondetur primo, hoc argumento probari, rem inventam simpliciter habendam esse pro derelicta, statimque transire in dominium inventoris, sicut res derelicta transit: quod est omnino falsum, & contra ipsosmet Adversarios, utpote qui & ipsi ultro fatentur, inventorem non illico evadere rei inventæ dominum, sed possessorem duntaxat, donec illam beneficio legitimæ præscriptionis suam faciat.

Respondetur secundo, majorem solummodo veram esse, quando dominus ita ignoratur, ut ejusdem comparitio ob temporis antiquitatem amplius prudenter sperari nequeat: veluti evenit cum domino thesauri, v.g. ut supra *n.*43. audivimus, est *vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*; id est, non habere censeatur. Unde thesaurus hoc ipso censetur nullius esse, quod ejusdem dominus ignoretur, seu ob temporis antiquitatem compariturus amplius prudenter sperari nequeat. Secus est, si in notitiam domini veniri possit, & soleat, ut in proposito; nam sæpe contingit, ut etiam post adhibitam sufficientem inquisitionem ab inventore, is, qui rem amisit, aliquanto post tempore, v.g. quarto, quinto, sexto die &c. compareat. Unde in nostro casu non apparet vel minima ratio dicendi, rem amissam hoc ipso in nullius existere dominio, quod ejusdem dominus adhuc ignoretur. Et sane capere nequaquam possum, quod Adversarii contendant, rem amissam, domino post sufficientem inquisitionem non invento, censeri liberam, & nullius dominio amplius subjectam, cum tamen omnes uno ore fateantur, quod is, a quo amissa est, etiam multo post sufficientem sui inquisitionem comparens, illam forte adhuc extantem, & necdum usucaptam, repetere, & vindicare possit.

55. Objicies quarto. Avis e cavea evolans acquirit suam naturalem libertatem, & fit primo capientis; ergo etiam res amissa redit ad statum, quem habuit ante rerum divisionem, & fit primo occupantis. Ita rursus P. Khamm *cit.*

Respondetur primo, etiam hoc argumento probari, rem amissam extrahi e dominio illius, qui eam amisit, sicque fieri omnino liberam; sicut avis, e cavea elapsa, libera evadit: quod tamen falsum esse, ipsimet Adversarii admittere debent; cum alias inventor non solum rei inventæ possessor, sed etiam dominus per solam inventionem, & occupationem evadere comprobaretur.

Respondetur secundo, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia avis est animal suapte natura omnino ferum, & silvestre (de tali enim ave antecedens intelligi debet; alias non simpliciter concedendum foret) adeoque liberum: consequenter tandiu solum, & non ultra, in alicujus dominio permanet, quandiu intra illius custodiam coercetur. At vero res inanimata (qualis supponitur esse res inventa) simili aliqua libertate gaudere non potest; ipsamque etiam indifferentiam, & communitatem, propter introductam rerum divisionem, amisit, inque potestatem certi domini (ut supponimus) redacta est, in qua veluti modo mortuo quiescit, donec vel per consensum ipsiusmet domini, vel per potestatem aliquam altiorem cuipiam alteri approprietur.

56. Objicies quinto. Nemo tenetur restituere spiritualiter, dum non potest temporaliter; alias debitor ad solvendum impotens teneretur v.g. orare pro creditore, quod *in tr. seq.* rejiciemus; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Nemo tenetur spiritualiter restituere, dum non potest temporaliter, id est, non tenetur restituere aliquid spirituale pro aliquo temporali, prout in exemplo de oratione allato eveniret, con. non tenetur restituere ipsum temporale, ex cujus restitutione lucrum aliquod spirituale consequatur, prout evenit in proposito, neg. ant. & cons. Ideo enim spirituale pro temporali, aut e contra, restituere nemo tenetur; quia inter illa non potest resultare æqualitas quæ tamen est finis intrinsecus Justitiæ commutativæ restitutionem præcipientis. Resultat autem æqualitas in proposito, dum quis rem inventam, quam reddere domino, quippe ignorato, non potest, reddit pauperibus, non quidem inter rem inventam, & fructum spiritualem ex ejus restitutione domino obvenientem, sed inter acceptum, & restitutum; fere sicut si Cajus v.g. Titio debeat 100. florenos, & hos, defuncto Titio, reddat ejusdem hæredibus.

57. Objicies sexto. Non facile quispiam tolleret bona ista, si nihil inde reciperet, quam molestam domini inquisitionem, & onus expendendi in pauperes; ergo dominus ob periculum, ne res sua omnino relinquatur in statu interitus, non censetur velle inventori tale onus imponere. P. Khamm *cit.*

Respondetur, neg. ant. Neque enim sive inquisitio domini tam molesta, sive onus rem inventam pauperibus erogandi tam arduum existimandum est, quin a Charitate imponi possint, & reipsa imponi prudenter censeantur: si enim alia incommoda ex Charitate erga proximum sufferre cogimur, quidni & illud? Unde communiter periculum non est (ipsa etiam experientia teste) ut talia bona non tollantur, seu relinquantur in statu interitus, cum homines passim sibi persuadeant, obligatos se esse ad illa tollenda ex præcepto Charitatis erga proximum.

58. Objicies septimo. Nostræ sententiæ contraria est consuetudo, & praxis etiam piorum, ac timoratorum hominum, quæ est optima legum, & obligationum interpres; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Norunt enim Confessarii, quod inventores magis conscientiosi bona inventa retinere formident; Confessariorum consilia desuper requirere soleant: imo antequam hoc faciant, ex bonis repertis eleemosynam largiantur; pro domino invincibiliter ignorato sacra legi procurent &c.

59. Colliges, quod licet Confessarius pœnitentem inclinare debeat ad sequelam nostræ sententiæ, & ad rem inventam pauperibus erogandam; nihilominus cum sententia contraria non careat sua probabilitate, prout etiam fatetur Mastrius, & alii nostræ sententiæ defensores, pœnitenti, rem inventam retinere volenti, absolutio deneganda non sit. Ubi tamen advertendum venit, inventorem non illico evadere rei inventæ dominum, sed possessorem tantum, donec tam legitime præscripserit. Unde si durante præscriptionis tempore dominus rei compareat, & res adhuc extet vel in se, vel in æquivalenti, illi restitui debet: completa vero præscriptione inventor fit irrevocabiliter dominus sine onere quidquam restituendi, etiamsi res inventa adhuc extet.

ARTICULUS II.

Expediuntur Quæstiones circa Accessionem, Alluvionem, Commixtionem, Confusionem, & Specificationem,

§. I.

Quænam notanda sint de Accessione?

SUMMARIUM.

60. Quid, & quotuplex sit Accessio? 61. Accessio naturalis, quæ fit per nativitatem, tribuit dominium; uti & 62. Accessio industrialis; ubi tamen excipitur pictura.

60. DIco primo Accessio est, quando res quæpiam ideo fit alicujus, quia accedit alteri rei, quæ est ipsius, vel bona fide ipsius esse creditur. Alia est *naturalis*, alia *industrialis*. Naturalis dupliciter fit, videlicet *per nativitatem*, quæ locum habet in viventibus; ut in partu ancillæ, in fœtibus pecorum, in plantis, & arboribus, quæ in nostro solo nascuntur: & per *alluvionem*, de qua in §. *seq.* Industrialis est, quæ fit per nostram industriam, puta per plantationem, insitionem, inædificationem, intexturam, scriptionem, picturam &c.

61. Dico secundo. Accessio per nativitatem tribuit dominium. Hinc dominus pecorum, fit dominus fœtuum, qui inde nascuntur; dominus ancillæ, fit dominus partus, qui ex illa suscipitur, §. *sed & siquis, instit. de ingen.* Nec refert, utrum animal, vel ancilla tua conceperit ex animali, aut servo tuo, vel alieno: item an pater prolis sit servus, aut liber: quia partus sequitur ventrem. Est tamen discrimen inter partum animalis, & ancillæ, quod ille pertineat ad usufructuarium, hic vero ad dominum directum: quia partus ancillæ non numeratur inter fructus; ut notatum est supra *n.22.*

62. Dico tertio. Etiam accessio industrialis dominium tribuit. Unde si alienam purpuram intexas tuæ vesti, gemmam alienam inseras tuo annulo, purpura, & gemma tuæ fiunt, quamvis tibi incumbat obligatio præstandi æstimationem purpuræ, & gemmæ, §. *si tamen instit. de rer. divis.*

Excipitur pictura, quæ non cedit tabulæ, sed e contra, nisi forte tabula foret multo pretiosior pictura: quod ipsum etiam extenditur ad scripturam, §. *siquis instit. de rer. divis.* Unde siquis pinxerit in tua tabula, vel tela, pictura non ad te, sed ad pictorem pertinet una cum tabula; cujus tamen tabulæ is tenetur tibi æstimationem præstare.

§. II.

Quænam notanda sint de Alluvione.

SUMMARIUM.

63. Quid sit Alluvio? 64. & seq. Proprie accepta tribuat domino fundi dominium partis adjectæ; non item improprie accepta. 66. Qui si insula alicubi nascatur, vel fiat?

63. DIco primo. Alluvio, quæ (ut supra insinuatum) est modus contentus sub accessione tanquam species illius, proprie dicitur incrementum latens, quando scilicet flumen paulatim, & insensibiliter aliquid glebæ adjicit fundo adjacenti.

64. Dico secundo. Alluvio, hoc modo accepta, confert domino fundi dominium partis adjectæ, §. *præterea, Instit. de rer. divis.* Nec opus est hic nova apprehensione illius partis, utpote quæ, cum sit quid accessorium, satis censetur apprehendi cum suo principali, sive fundo. Unde recte inferunt DD. propter alluvionis incrementum non esse emphyteutæ augendum canonem, vel alia onera; eo quod post alluvionem maneat eadem emphyteusis, idem usus, & idem dominium.

65. Quod si alluvio accipiatur latius pro incremento patente, domino fundi non confert dominium, nisi alter dominus partem a suo solo avulsam habeat pro derelicta, §. *præterea cit.* Similiter si vi, aut violentia fluminis, & uno quasi impetu, pars, ex fundo alieno avulsa, meo fundo accedat, non evado illius dominus, donec longiori tempore meo fundo stabiliter adnascatur, & cum eodem coalescat, §. *quod si vis. Instit. de rer. divis.*

66. Si insula alicubi *nascatur* (quod contingit, quando in aquis nova terra apparet, aut detegitur) *vel fiat* (quod contingit, quando flumen in cornua divisum undique cingit terram jam antea ex aquis extantem) ita distinguendum est. Si nascatur in mari, fit primo occupantis. Si nascatur in medio flumine, dividi debet secundum proportionem spatii correspondentis inter eos, qui in utraque parte ripæ habent prædia. Si alterutri ripæ nascatur proprior, illius dominio accrescit, cujus prædium est in ea ripa. Quod etiam intellige de augmento, quo insula postmodum extenditur, ut proprius respiciat prædium alicujus alterius: quia hoc tale augmentum accrescit rei, quæ jam habet dominum, adeoque cedit in hujus utilitatem, Molina *tom.1.tr.2. disp.57.* Lugo *tom.1. disp.6. sect.13.* Babenstuber *tr.7.disp. 2. art. 2. n.43.* Si vero insula fiat, manet illius, cujus est fundus. Ininger *pag.133.*

§. III.

Quænam notanda sint de Commixtione?

SUMMARIUM.

67. Quid sit Commixtio, seu permixtio, & quando fiat? 68. Quidnam operetur, præsertim circa pecunias?

67. DIco primo. Commistio, seu permixtio fit, quando corpora solida, & quæ etiam post mixturam a se invicem discreta manent, suamque singula speciem retinent, inter se miscentur; ut frumentum & frumentum &c.

68. Dico secundo. Si commixtio facta sit utriusque domini consensu, casu, aut unius duntaxat voluntate, quivis manet suæ materiæ dominus, ita tamen, ut, quando materiæ commixtæ separari, ac discerni non possunt (licet de se discernibiles sint) competat alteri contra miscentem actio realis, & vindicatio quantitatis sibi competentis: qualitatis vero compensatio fieri debet officio Judicis, §. *Instit, de rer. divis.* Peculiare quid statutum est de pecuniis; nam qui alienam pecuniam suæ ita miscet, ut discerni nequeat, sive bona, sive mala fide id faciat, fit dominus totius summæ, cum obligatione tamen personali refundendi alteri pretium æquivalens, *l.78. de solut.* Quod Cardinalis de Lugo etiam extendit ad commixtionem frumenti, & similium corporum: quæ tamen extensio est contra communem, & videtur sibi contrarium habere *cit.* §. 28. *Instit.* Idcirco alii rectius dicunt, de sola commixtione pecuniæ id statutum esse ob quotidianum illius usum in commerciis humanis, ne scilicet ejusdem dominium incertum sit.

§. IV.

Quænam notanda sint de Confusione?

SUMMARIUM.

69. Quid sit Confusio, & quando contingat? 70. Qualem eadem effectum habeat?

69. DIco primo. Confusio fit, quando duorum dominorum materiæ liquidæ, aut liquefactæ, sive ejusdem, sive diversi generis, ita miscentur, ut ab invicem arte humana, sive via ordinaria separari nequeant; ut si vinum commisceatur vino &c.

70. Dico secundo. Quando similis confusio fit utriusque domini consensu, vel casu fortuito, totum fit indivisum utriusque, nisi forte unius portio sit nimium inæqualis alteri. *Instit. de rer. divis. §. si duorum.* Quando autem fit unius tantum consensu, & cum intentione acquirendi dominium, videndum, an res bona, vel mala fide gesta sit? Si mala fide; tota massa cedit læso sine obligatione refundendi quidquam miscenti, *l.53. ff. de Reg. Jur.* Si bona fide; tunc, ubi contingit spe-

git spe-

git specificatio, patebit ex infra dicendis, penes quem sit dominium: ubi vero non fit specificatio, tota massa manet utrique domino communis, dummodo utriusque portio sit æqualis; nam si illius, a quo confusio fit, portio sit notabiliter major, ipse solus dominus efficitur; si valde modica, dominium rei confusæ pertinebit ad dominum, cujus portio exsuperat.

§. V.

Quænam notanda sint de Specificatione?

S U M M A R I U M.

71. *Quid sit Specificatio, & quid ad eam requiratur?* 72. *Qualem habeat vim tribuendi dominium, & quando?*

71. Dico primo, Specificatio est introductio novæ formæ (unde etiam *Formatio* dicitur) in materiam. Ad quam tamen non sufficit quæcunque variatio accidentalis, sed requiritur tanta, ut ex ea in morali hominum æstimatione resultet nova species entis, quamvis forte talis non sit secundum considerationem physicam: unde qui ex spicis excutit frumentum, non facit speciem moraliter novam, sed solum latentem detegit; uti neque, qui lanam nativam tingit; bene vero, qui format ex trabibus domum, ex metallo vas, aut imaginem, ex granis frumenti farinam, ex uvis vinum &c.

72. Dico secundo. Quando res per specificationem facta potest reduci ad priorem statum, tunc dominus materiæ, evadit etiam dominus illius speciei: sic quia scyphus, ex tuo argento fabrefactus, potest resolvi in priorem massam argenteam, etiam dominus scyphi efficeris. Teneberis tamen specificatori, si formam bona fide introduxerit, præstare æstimationem suæ operæ, & formæ. Quando res reduci ad priorem statum non potest, sed, sublata forma, usum perdit, distinctione opus est. Vel enim specificator formam in tuam materiam introduxit bona, aut mala fide? Si bona; ipse rei formatæ dominus evadit: hinc qui bona fide ex tuis uvis vinum expressit, vini dominus efficitur, quamvis teneatur tibi refundere pretium uvarum. Si vero mala fide res gesta est, species semper pertinet ad dominum materiæ sine ulla obligatione quidquam refundendi. Ita habetur *Instit. de rer. divis. §. 25. & aliis ibidem.*

C A P U T III.

De Præscriptione.

HIc Modus jus, sive dominium acquirendi, omnium ceterorum celeberrimus est; justumque sibi pro condigna sui discussione tractatum exposceret. Sed quoniam ad forum Juridicum potius, quam Theologicum pertinet, tam late excurrere nobis non permittitur. Moderata ergo brevitate utemur, nec futuri adeo longi, ut Jurisperitis, nec tam breves, quemadmodum plerique Theologi.

A R T I C U L U S I.

Quid, & quotuplex sit Præscriptio?

S U M M A R I U M.

73. *Exponitur Præscriptio generatim accepta.* 74. *Suam primævam originem debet Juri Civili.* 75. *Definitur, & definitionis particulæ explicantur.* 76. *Differt varie a consuetudine.* 77. *Distribuit dominium tam directum, quam utile.* 78. *Dividitur.* 79. *&* 80. *Deducuntur corollaria.*

73. PRænotandum primo, præscriptionem posse supponere vel pro exceptione, vel pro usucapione. Si supponat priori modo, est effectus usucapionis, eo quod ex hac nascatur: siquidem eo ipso, quod quis rem alienam legitime usuceperit, conceditur ipsi exceptio, qua pristinum dominum, rem usucaptam in judicio reposcentem, repellere possit, eidem opponendo, usucapionem esse legitime completam, seque dispositione, & beneficio Juris rei usucaptæ dominum evasisse.

Si supponat posteriori modo, latius patet, quam usucapio. Nam præscriptio versatur non solum in iis, quæ per usum acquiruntur, sed etiam in iis, quæ per non usum comparantur: cujusmodi sunt v. g. extinctio actionis personalis, quam alter mihi intentare poterat, & extinctio servitutis, quam alter in meo prædio v. g. habebat; contra utranque enim præscribitur per non usum illorum habentium tale jus. At usucapio, prout ex ipsa nominis etymologia liquet, solummodo locum habet in illis, quæ per usum comparantur; adeoque consistit solum in acquirendo; præscriptio autem etiam in se liberando. Et hæc in rigore vera esse, nemo inficias ibit. Nihilominus moribus hodiernis nulla inter præscriptionem, & usucapionem distinctio fieri solet saltem a Theologis, quibus cum etiam nos faciemus, sumendo utranque promiscue, alteramque cum altera confundendo.

74. Prænotandum secundo, præscriptionem, seu usucapionem introductam esse Jure Civili; ut habetur *princ. Instit. de usucap.* & approbatam Jure Canonico: idque propter sequentia motiva. 1. Ne passim longo tempore dominia quarundam rerum essent incerta, *L. 1. ff. de usurpat. & usucap.* 2. Ut lites facilius terminarentur *l. ult. ff. pro suo*, quæ pene immortales forent, si liceret, post diutinam rerum possessionem, eas repetere a bonæ fidei possessoribus. 3. Ne possessores ejusmodi tenerentur continuo timore rem amittendi, *L. cum notissimi. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* unde fieret, ut nemo auderet fundos colere; vel si coleret aliquis, negligenter eosdem coleret, timens, ne non sibi, sed aliis laboraret. 4. Ut hac ratione segnities ac desidia hominum exacueretur, sicque redderentur ad suas res curandas, & jura prosequenda accuratiores, dum viderent, negligentiam puniri ademptione dominii. *c. 5. de præscript.* His præmissis,

75. Dico primo. Præscriptio est *modus acquirendi, quo jus, vel liberationem privilegio temporis nanciscimur*. Ita P. Franciscus Schmier *lib. 1. tr. 2. c. 1. n. 30.* & alii ab ipso relati.

Explicatur. Dicitur 1. *modus acquirendi*: quæ verba subeunt locum generis, & præscriptionem convenire significant cum aliis modis jus, vel dominium acquirendi.

Dicitur 2. *jus, vel liberationem*; nam omnis præscriptio, vel parit jus nondum habitum, vel jam habitum perimit. Hinc si alterum volens mihi reddere obligatum mediate, vel immediate, puta, rem, aut personam ipsam mihi subordinando, actus possessorios per tempus, a Legibus præscriptum, exerceam, jus reale, vel personale, pro diversitate possessionis, antea non habitum acquiro. Si vero ab obligatione, qua alteri obstrictus sum, me extricare cupiens, illo jus suum quærere, & exercere negligente, tempus legitimæ præscriptionis compleam, ab obligatione, extincto alterius jure, me libero.

Posui autem in definitione *jus, vel liberationem* indefinite, & generatim; nam per præscriptionem acquiri potest jus tam reale, quam personale: item jus, quod est, vel non est dominium. Similiter liberationem consequi possum ab obligatione correspondente juri reali, & personali; aut correspondente juri obtinenti, vel non obtinenti rationem dominii.

Notandus hic etiam venit diversus loquendi modus, cum per præscriptionem jus novum acquirimus, & cum jus, quod alter in nos habuit, extinguimus. Si enim de acquisitione sermo sit; nominativo, vel accusativo utimur, dicendo e. g. præscripta est servitus; præscripsi rem, jurisdictionem &c. Si vero jus alterius extinctum esse significare volumus, in dativo loqui solemus, e.g. præscriptum est juri, actioni &c.

Dicitur 3. *privilegio temporis nanciscimur*: per quæ verba circumscribitur essentialis, & specifica differentia præscriptionis ab aliis modis acquirendi jus, vel dominium; nam hi non nituntur prærogativa temporis, sed traditione, occupatione &c. Dixi: *circumscribitur &c.* Non enim putandum est, quod præscriptio vim adimendi dominium uni, & attribuendi alteri habeat ex, vel a decursu temporis, tanquam a principio constituente illi hanc vim, sed quod eam habeat authoritate Juris publici supposito tanti temporis cursu, tanquam conditione sine qua non, eaque magis principalis, & ad quamlibet præscriptionem in omni rigore necessaria. Neque

aliquid novi est, quod in rebus, præsertim moralibus, & juridicis, in quibus sæpe differentiæ essentiales nos latent, easdem per effectus, vel conditiones necessario requisitas, circumscribamus.

76. Colliges primo, præscriptionem a consuetudine multifariam, multisque modis discrepare. Nam 1. præscriptio jus proprietatis, & privatum personis privatis tribuit: at consuetudine acquiritur jus legale toti Reipublicæ, & Communitati qua tali. 2. Præscriptio dat jus uni contra jus, quod alter habet: at consuetudo dat jus contra legem, vel præter, aut secundum legem. 3. Præscriptio perficitur a privatis, vel Communitatibus, privatorum instar consideratis, sine consensu illius, contra quem præscribitur: at consuetudo perficitur a Communitate qua tali, & firmatur per consensum Principis, seu Legislatoris, qualis semper, saltem legalis, accedere debet, 4. Præscriptio requirit aliquas conditiones, infra recensendas, & declarandas, quales, saltem omnes, aut eodem modo acceptas, non exigit consuetudo &c. Videri possunt, quæ habentur *part. 1. n. 458.*

77. Colliges secundo, quod præscriptio non solum dominium utile, sed etiam directum tribuat præscribenti. Ita communis contra paucos, volentes, in præscriptione rerum immobilium solum acquiri dominium utile. Ratio corollarii est: quia in *l. 3. ff. de Præscript.* & alibi absolute, ac sine distinctione asseritur, quod præscriptio tribuat dominium: cum ergo Lex non distinguat, neque nos distinguere debemus, sed illam accipere in suppositione absoluta, & de omni dominio sive utili, sive directo.

Dices primo. Cui datur actio, datur etiam jus agendi: sed pristino rei præscriptæ domino datur actio: ergo etiam jus agendi: consequenter &c. Min. prob. Præscriptio suppeditat præscribenti, seu possessori exceptionem, *l. 11. C. de Præscript. long. temp.* ergo supponit ex parte domini pristini actionem; quia exceptio est actionis exclusio.

Respondetur, neg. min. Ad prob. explico, & dist. ant. Præscriptio suppeditat præscribenti exceptionem impropriam, & facti, con. propriam, & juris, neg. ant. Ergo supponit ex parte domini pristini actionem apparentem tantum, con. veram, & cum effectu in Judicium deducibilem, neg. cons. Sola exceptio propria, & juris, supponit jus agendi, veramque actionem; impropria autem, & facti tantum non supponit aliquod jus agendi, & consequenter nec veram actionem, sed apparentem duntaxat, quæ per illam (videlicet exceptionem facti) statim excluditur, & infringitur.

Dices secundo. In *l. 13. §. 1. ff. de Jurejur.* datur præscribenti actio utilis circa rem præscriptam; ergo præscriptio non tribuit dominium directum, sed tantum utile, quod actio utilis consequitur, & concomitatur.

Respondetur, ex *cit. l.* nihil adversum nos concludi. Nam 1. io ea non dicitur, præscribenti competere *tantum*, sed *etiam*, actionem utilem: sic enim textus sonat: *Julianus ait, eum, qui juravit, fundum suum esse, post longi temporis præscriptionem, etiam utilem actionem habere.* Unde potius supponit, præscriptione etiam acquiri dominium directum. 2. Ibi sermo non est de rei vindicatione, quæ convenit ratione præscriptionis, sed de actione, quæ convenit ratione præstiti juramenti, quæ est actio in factum. 3. Non infrequenter in Jure actio utilis sumitur, non prout opponitur directæ, sed prout opponitur inefficaci: ut in *l. 1. §. ult. ff. de aqu. pluv. arcend.* & in *l. 10. princ. ff. si servit. vindic.* Atque hoc sensu illam accipi in allegato textu contendit La Croix *lib. 3. part. 2. n. 476.* Ergo &c.

Dices tertio. Res mobiles facilius, & firmius acquiruntur, quam immobiles, *l. 8. §. 13. ff. de acquir. vel amitt. possess.* ergo erat ratio, quæ poterat Legislatorem movere ad aliter disponendum circa præscriptionem rerum mobilium, quam immobilium, ita, ut illarum dominium tam directum, quam utile, harum vero utile duntaxat, a præscribente acquireretur.

Respondetur, con. totum; inde enim nihil sequitur contrarium doctrinæ nostræ: nam etsi ratio illa Legislatorem inducere potuisset ad ita disponendum, de facto tamen induxisse quomodo probas? Fuit ergo Legislator contentus posuisse discrimen in tempore, quod statuit sufficere brevius ad præscriptionem rerum mobilium, quam immobilium: prout videbimus infra *art. 7.*

78. Dico jam secundo. Præscriptio superius descripta dividitur 1. in *positivam*, & *privativam*. Prior est, qua jus uni acquiritur, & alteri adimitur; sive dein jus in altero præexistens transferatur in præscribentem, sive penitus extinguatur, & simile de novo in præscribente producatur. Posterior est, qua nullum jus præscribenti acquiritur, jus tamen alterius, contra quem fit præscriptio, perimitur, & annullatur.

Dividitur præscriptio 2. in *memorialem*, & *immemorialem*. Memorialis est, cujus initium non supergreditur memoriam hominum: immemorialis e diverso, cujus initium supergreditur hominum memoriam.

Memorialis subdividitur in *ordinariam*, & *extraordinariam*. Ordinaria est, quæ tempore ordinario, puta tribus, decem, aut viginti annis completur: extraordinaria, quæ completur tempore extraordinario, puta triginta, quadraginta, vel pluribus annis, complectendo etiam præscriptionem centenariam. Quod totum clarius fiet infra *art. 7. cit.* ubi de tempore ad præscribendum exacto per totum discurremus.

79. Colliges primo, non obesse præscriptioni immemoriali, etiamsi constet, possessionem fundi v. g. non fuisse ante longissima quædam tempora, puta ante ducentos, sexcentos, aut mille annos, modo illius initium excedat memoriam hominum, de facto existentium.

80. Colliges secundo, determinari non posse, quantum temporis ad præscriptionem immemorialem sit necessarium, & sufficiens: siquidem certum est, non universim requiri centum annos: quia constat, impositiones, quas Nobiles a suis subditis accipiunt, longe minoris esse temporis; & tamen dicuntur esse temporis immemorialis. Certum itidem est, non semper sufficere tempus centum annorum: quia possent aliqui hominum esse ultra centum annos, & contrarii meminisse. In genere ergo ad præscriptionem immemorialem tantum requiritur tempus, ut hujus initium dici valeat hominum, de facto existentium, memoriam supergredi: prout in ipsa præscriptionis immemorialis descriptione expressimus. Ita Molina *tr. 2. de J. & J. disp. 79. n. 3.* Konig *ad tit. de Præscript. n. 3.* Franciscus Schmier *loc. cit. a n. 61.*

ARTICULUS II.

An Præscriptio etiam valeat in foro conscientiæ?

SUMMARIUM.

81. *Referuntur variæ opiniones DD. antiquorum.* 82. *Statuitur sententia affirmativa modernorum DD.* 83. *& seqq. diluuntur argumenta contraria.* 90. *&* 91. *Præscriptio non est contra Jus naturæ, aut Gentium*, 92. *Lex, illam inducens, non est pœnalis &c.*

81. MUlti, a Molina citati, docuere, præscriptionem solum prodesse pro foro externo, ita scilicet, ut pristino domino denegetur quidem in Judicio actio contra præscribentem, rem præscriptam restituere nolentem, non tamen ut tollatur obligatio naturalis illam, ubi alienam esse constiterit, restituendi. Alii limitarunt hanc doctrinam, eique ex parte duntaxat subscripserunt, distinguentes inter rem, quæ possidetur titulo oneroso, v. g. emptionis, permutationis &c. & inter rem, quæ possidetur titulo gratuito, v. gr. donationis, legati &c. Præscriptionem rei, priori modo possessæ, dixerunt etiam prodesse pro foro conscientiæ; præscriptionem vero rei, possessæ posteriori modo, pro solo foro externo. Denique juxta alios ad valorem, & consistentiam præscriptionis pro foro interno, requiritur negligentia domini in repetendo rem suam a bonæ fidei possessore. Contra quos omnes

82. Dico. Legitima præscriptio valet, & præscribentem absolute liberat ab onere restituendi rem præscriptam, etiam in foro interno, seu conscientiæ. Ita Scotus in 4. *dist. 17. quæst. 3. art. 2.* aliique tam Theologi, quam Juristæ sine numero.

Probatur primo ratione Scoti *cit.* Legislator intuitu boni publici potest velle, & reipsa vult, ut præscriptio transferat dominium in præscribentem, nulla remanente obligatione, quidquam restituendi; ergo &c. Ap[…]

quoad

quoad primum membrum, seu quod Legislator possit id velle boni publici causa, constat; nam ipse habet dominium altum in bona subditorum, vi cujus dominium bassum potest adimere uni, & attribuere alteri, quando adsunt causæ rationabiles, emolumentum boni publici concernentes; quales pro introductione præscriptionis recensuimus supra *n.* 74. Aut. quoad secundum membrum, seu quod Legislator de facto, & reipsa ita velit, ostenditur ex *l.* 1. *ff. de Usucap.* ibi: *Bono publico introducta est usucapio, ne diu, & fere semper quarundam rerum incerta essent dominia.* Ubi significatur 1. quod præscriptio transferat dominium; & 2. exprimitur præcipuum motivum, ac finis ob quem Legislator vult per eam dominium transferri: qui finis revera non obtineretur, nisi præscriptio etiam valeret in foro conscientiæ; nam maneret adhuc incertitudo dominiorum, dum Lex, & Judex pro tribunali sedens præscribentem a rei præscriptæ restitutione absolverent, Confessarius vero ad eam condemnaret.

Probatur secundo ex Conc. Lateranensi relato in *c. fin. de Præscript.* ibi: *Quoniam omnia, quod non ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis, cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Ex quibus verbis ita arguo. Concilium improbat solam præscriptionem cum mala fide; quia lex illam approbans non posset servari sine peccato mortali; ergo Concilium censet, exercitium præscriptionis, cum bona fide conjunctæ, esse immune a peccato (consequenter illud approbat etiam pro foro conscientiæ) alias, cum loquatur dogmatice, debuisset legem, seu consuetudinem præscribendi absolute rejicere.

83. Objicies primo. Si ita expedit ad bonum commune vi præscriptionis transferri dominia, veluti innuimus in *probat.* 1. sequitur, præscriptionem ipso Jure naturæ, & independenter ab aliqua lege positiva esse modum acquirendi dominium: sed hoc non admittimus; veluti constat ex dictis *n.* 74. ergo &c. Seq. maj. prob. Quia lumen naturæ dictat, id, quod valde expedit, seu conducibile est bono communi, fieri oportere; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Ad prob. neg. ant. Siquidem plura alia extant, quæ bono communi multum expediunt, non tamen idcirco censentur esse de Jure naturæ, sed legibus duntaxat positivis suam debent originem, & existentiam. Unde ex eo, quod lumen naturæ dictet, multum expedire bono publico, si vi præscriptionis transferantur dominia, plus non sequitur, quam rationi valde consonum esse, ut id sub legis obligatione ponatur, non autem, ut ipso Jure naturæ immediate institutum esse censeri debeat.

84. Objicies secundo. Lex, quæ fundatur in præsumptione culpæ, cessat, quando nulla intervenit culpa: atqui Lex præscriptionis fundatur in præsumptione culpæ, saltem juridicæ, per *c.* 5. *de Præscript.* ubi indicatur, præscriptionem esse introductam in pœnam negligentiæ, & desidiæ prioris domini; ergo si hic negligentiam, & desidiam nullam commiserit, Lex præscriptionis cessat: consequenter &c.

Respondetur, dist. maj. Si culpa, in qua Lex fundatur, sit causa adæquata, vel primaria legis, con. si sit causa solum inadæquata, & secundaria, neg. maj. Sed Lex præscriptionis fundatur in præsumptione culpæ, quæ sit causa adæquata, vel primaria legis, neg. quæ sis causa inadæquata, & secundaria tantum, con. min. & neg. conf. Princeps ratio introducendi præscriptionem erat dominiorum certitudo, & litium alias pene immortalium exterminatio. Deinde dato, non concesso, quod Lex præscriptionis primario intendat præcavere, aut punire dominorum negligentiam; quia tamen universalis est, & in finem universalem tendens, non illico cessare convincitur, quando talis negligentia solum abest in quibusdam casibus. Videri possunt, quæ habentur *part.* 1. *n.* 366.

85. Objicies tertio. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*; ut dicitur *Reg.* 48. *in* 6. Atqui hoc fieret, si præscriptio uni adimeret, & alteri attribueret dominium; ergo &c.

Confirmatur primo. A Jure naturali alienum est, aliquem citra suam culpam privari re sua: atqui hoc sæpius contingeret per præscriptionem; ergo &c.

Confirmatur secundo. *Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest*, ut habet *Reg.* 11. *ff. de R. J.* sed hoc eveniret in casu, quo præscriptio in præscribentem transferret dominium, domino ignorante, vel alia ex causa impedito, ne rem suam persequi possit; ergo &c.

Respondetur ad object. neg. min. Nam Lex præscriptionis, dum dominium uni aufert, & alteri confert, procedit ex justis causis, & consequenter juste, ac citra injuriam antiqui domini. Nec etiam hic patitur jacturam in rebus *suis*, utpote quæ non amplius in illius dominio existunt, sed authoritate Juris in dominium alterius translatæ sunt.

Ad primam confirmat. dist. maj. Si privatio sit mere pœnalis, seu punitiva, con. si sit legalis, & dispositiva ob bonum publicum introducta, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf.

Ad secundam confir. similiter ajo, illam regulam non procedere in iis, quæ vi, & authoritate Legis fiunt.

86. Objicies quarto. Licet juxta Conc. Trid. *Sess.* 25. *c.* 19. *de Regul.* Religiosus obtendens, se vi, aut metu adactum, adeoque invalide professionem fecisse, post elapsum a die professionis quinquennium non amplius audiatur, nec permittatur ad seculum regredi, ipse nihilominus votis suis stare, aut in Religione perseverare non obligatur in foro conscientiæ; ergo signum est, tempus quinquennii ad præscribendum contra talem Religiosum, non procedere in foro interno, sed externo tantum; ergo idem dicendum erit de aliis præscriptionibus.

Respondetur, neg. suppositum consequentis, quod tempus illud quinquennii datum sit ad præscribendum contra Religiosum; siquidem Concil. de illo nullam mentionem facit, sed solum vult, quod Religiosus, propter præsumptionem ratificatæ Professionis intra illud quinquennii spatium, in Religione exacti, audiri postea amplius non debeat, quantumcunque contra valorem professionis reclamet: adeoque ei solum denegat actionem in foro externo; non autem facit, nec facere potest Religiosum, qui reipsa Religiosus non est; cum ad hoc, seu ut quis Religiosus fiat, necessario requiratur consensus personalis ipsiusmet profitentis, quem Ecclesia supplere nullatenus potest: prout in confesso est apud omnes. At quoad translationem dominiorum rerum temporalium Respublica habet jus altum, vi cujus ob bonum commune potest, etiam sine voluntate domini, disponere, & dominium ab uno in alterum transferre: id quod fecit inducendo præscriptionem.

87. Objicies quinto. Etiamsi Lex infra dimidium læsis actionem deneget, tamen in foro conscientiæ manet obligatio restitutionis; ergo pariter manebit obligatio restituendi rem præscriptam, tametsi Jus contra præscribentem rei vindicationem deneget.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est, quod Jus, quando infra dimidium læso actionem negat, erga lædentem solum se habeat negative. E contra præscribenti positive assistit, præscriptionem approbando, rei præscriptæ dominium attribuendo, & possessorem securum reddendo.

88. Objicies sexto. Quando Judex per sententiam, falsam præsumptionem subnixam, adjudicavit alicui rem quampiam, tunc talis nihilominus, cognita falsitate præsumptionis, tenetur in conscientia rem sibi adjudicata restituere; ergo etiam, qui rem aliquam præscriptione obtinuit, quando postmodum venit in notitiam, eam vere fuisse alterius, tenetur ad restitutionem.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est, quod Judex per sententiam suam non intendat, nec possit transferre dominium, sed solum secundum allegata, & probata declarare, cujus ex litigantibus res sit: unde si sententia innitatur falsæ præsumptioni, vim nulla obtinet; & consequenter is, cui res per illam adjudicata fuit, in foro conscientiæ ad restitutionem obstringitur At vero Princeps, seu Legislator per Legem præscriptionis, ob bonum publicum sancitam, potest, & intendit rei dominium ab uno in alterum transferre.

89. Objicies septimo. Imperator Justianus in *Novella nona princ. V. habeat*, præscriptionem appellat *impium præsidium*, & *improbam temporis allega-*

 tionem;

tionem; ergo saltem pro foro conscientiæ nihil prodesse potest.

Respondetur, Imperatorem loqui de præscriptione soli temporis lapsui innixa, & aliis requisitis destituta, adeoque informi, monstrosa, & peccaminosa, quæ utique præscribenti nihil patrocinatur, maxime in foro conscientiæ,

90. Colliges primo, præscriptionem non esse contra Jus naturæ præceptivum, vel prohibitivum; nam nulla dispositio, præsertim humani Juris, adversus illud prævalere potest, secundum dicta *part.1. n.477.* Unde negandum est, communionem, & divisionem bonorum esse de Jure naturæ præceptivo: sic enim SS. Canones, & justæ Principum Leges, quæ amore boni publici præscriptionem approbant, approbarent aliquid Juri naturæ contrarium: quod absurdum esset. Quapropter præscriptio potius est juxta Jus naturæ, quatenus hoc illam permittit, & approbat tanquam aliquid bono communi valde expediens,

91. Colliges secundo, neque præscriptionem pugnare cum Jure Gentium. Nam licet hoc dictet, & velit, nemini auferendam rem suam, eo ipso, quod bonorum, & dominiorum divisionem introduxerit; tamen etiam dictat, & vult, ut pareamus Reipublicæ (alias Juri naturæ contrarium vellet) adeoque etiam Legi, qua præscriptio, intuitu communis boni, introducta est.

92. Colliges tertio, Legem, cui præscriptio suam debet originem, non esse tantum pœnalem, sed authoritativam, & dispositivam. Ratio est 1. quia, sicut ex dictis constat, non est præcise, aut primario lata ad culpam, seu segnitiem pristinorum dominorum puniendam; sed præcipue ob exigentiam boni communis, per dominiorum certitudinem, & nimiarum litium exterminationem maxime promovibilis. Ratio est 2. quia lege pœnali communiter non amittitur dominium ante sententiam: sed præscriptio statim, ac completa est, dominium adimit uni, & attribuit alteri, absque interventu sententiæ; ergo &c.

ARTICULUS III.

Quænam res præscribi possint, vel non possint?

SUMMARIUM.

93. *Recensentur conditiones ad præscribendum exactæ.* 94. *Statuitur regula generalis rerum, jurium &c. præscriptibilem, & impræscriptibilium.* 95. *Quænam res, jura &c. in particulari simpliciter (saltem a certis personis) imprascriptibilia sint? & 96. quænam secundum quid duntaxat?*

POstquam in duobus præcedentibus articulis naturam præscriptionis investigavimus, progredimur modo ad examinandas illius conditiones, hisce versiculis comprehensas:

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus,
Lege requisitum possessio tempus adæquet.

93. Prima conditio immediate afficit materiam, seu objectum præscriptionis, estque aptitudo, seu habilitas passiva in rebus præscriptibilibus prærequisita: de qua in hoc articulo discurremus. Ceteræ conditiones (de quibus in articulis subsequentibus) immediate ipsam præscriptionem concernunt, & ejusdem conditiones simpliciter nuncupari solent; haud quidem in eo sensu, quasi omnes, collective sumptæ, ad quamlibet præscriptionem in specie sint necessariæ (nam hujus contrarium patebit per decursum) sed quod immediate se teneant ex parte ipsiusmet præscriptionis, ut dictum. Nunc pro resolutione propositæ quæstionis

94. Dico, Quæ sunt Jure naturæ illicita: item quæ competunt Jure Divino, & quæ Jure humano, sive Ecclesiastico, sive Civili, possideri, aut alienari sunt omnino prohibita, præscribi non possunt vel simpliciter, vel saltem tempore ordinario: cetera possunt. Est Regula generalis, ex qua fluit, quod in particulari præscribi absolute nequeant

95. 1. *Usura* v. g. & *Simonia*: quia sunt Jure naturæ prohibitæ, & illicitæ.

2. *Potestas S. Pontificis, ejusque jurisdictio*: quia est Juris Divini. Item *exercitium Ordinis sacri*. Ubi tamen distinguendum inter actus Ordinis, & dispiciendum, an certum Ordinem Jure Divino, an solum humano (videlicet Ecclesiastico) exigant? Nam si Divino, prout Ordo Sacerdotalis exigitur ad absolutionem Sacramentalem, is, qui tali Ordine caret, simpliciter; si autem humano, absque privilegio Apostolico est incapax exercitii talis Ordinis: ut proinde ex defectu possessionis legitimæ, nullius temporis præscriptione jus ad actus hujusmodi exercendos tribui possit talem Ordinem non habenti.

3. *Res sacra*, id est, ad cultum Dei rite, & solemniter consecratæ, ac sacris usibus applicatæ; ut templa, tabella, calices, altaria, vestes, & ornamenta sacra, cœmeteria, & cinerum conditoria: item monasteria, & alia loca sacra, ac religiosa,

4. *Res sanctæ*, illæ scilicet, quæ speciali sanctione ab injuria, & violatione hominum sunt defensæ, ac munitæ: quas inter connumerantur muri, & portæ civitatum, utpote quarum violatio capitalis est; item Imperium Romanum &c.

5. *Res publicæ*, seu publicis usibus deputatæ; ut sunt plateæ, forum, pontes, fontes, publicæ viæ, theatra, stadia, scholæ, curiæ, portus &c.

6. *Homo liber*, qui nullo unquam tempore præscribi potest, ut fiat servus, etiamsi possessor bona fide illum emerit, putans esse servum,

Dicta in his quatuor posterioribus Numeris habentur *l.9. ff. de Usucap.* ibi: *Usucapionem recipiunt, maxime res corporales, exceptis rebus sacris, sanctis, publicis, populi Romani, & Civitatum*. Et ratio generalis est: quia harum rerum nemo dominus esse potest: consequenter nec eas præscribere, cum præscriptio sit adjectio dominii,

Duo tamen hic breviter advertenda occurrunt. Primum est, quod, licet cœmeterium, & aliæ res sacræ præscribi non possint, jus tamen sepulchri (idem cogita, & cum grano salis applica ad alia hujuscemodi jura) præscriptione acquiri possit; quia etiam possideri a privatis potest: prout recte notant P. Konig *ad tit. de Præscript. n.8.* & habetur *l.6. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Alterum est, quod, licet homo liber præscribi nequeat, servus tamen contra dominum suam libertatem præscribere valeat, si per viginti annos se gesserit pro libero, *l. fin. C. de long. temp. præscript.* idque favore libertatis statutum est. Imo putant aliqui apud Pirhing *de Præscript. n.12.* ad ita præscribendam libertatem sufficere decennium inter decentes; eo quod libertas non debeat esse deterioris conditionis, quam aliæ res.

7. *Hæreditas*, vel *alia res communis*. Hanc enim, antequam inter hæredes, vel socios divisa fuerit, unus eorum, etiam per possessionem longissimo tempore continuatam, præscribere nequit contra reliquos cohæredes, vel socios, quin istis suas portiones reddere teneatur, *l.10. ff. quemad. servit. amitt.* Et ratio est; quia non suo tantum, sed omnium cohæredum, vel sociorum nomine censetur rem communem possidere.

8. *Res, & actus meræ facultatis, proprie tales, l.2. ff. de via public.* Dixi: actus meræ facultatis *proprie tales*, hoc est, ii, qui libero cujuslibet arbitrio ita sunt permissi, ut ex jure prohibendi non possit in alterum æstimabilis utilitas redundare. Hujus generis sunt ire per viam publicam, audire commune balneum, Ecclesiam, forum &c. stante enim natura viæ publicæ v.g. non potest tua specialiter interesse, ne vadam per viam publicam, cum non obstante mea abstinentia per eam vadere quivis alius possit. Et hujusmodi actus nullo unquam tempore præscribi possunt. Actus vero meræ facultatis, *improprie tales*, omnino præscribi valent; servata tamen in modo præscribendi distinctione inter actus affirmativos, & negativos. Sed super hoc videri potest P. Schmier *loc. cit. a n.74.* Id solum ex allegato Authore nota, actus meræ facultatis improprie tales esse, qui libero alicujus arbitrio ita sunt permissi, ut ex jure prohibendi possit (quemadmodum jam insinuavimus) in alterum æstimabilis utilitas redundare: veluti fuor ire ad certum hospitium cerevisiæ emendi gratia, ire ad molendinum, ut frumentum teratur &c. Nam tua notabiliter interesse potest, ut in tuo hospitio cerevisia ematur, in tuo molendino frumentum teratur &c.

9. *Res pupillares*, sive eæ mobiles sint, sive immobiles, quæ neque ordinaria, neque extraordinaria præscriptione acquiri possunt, ita, ut tempus pupillaris

ætatis

ætatis ad tempus præscriptionis computetur: prout similiter ex *l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* sumitur. Atque hoc verum est, etiamsi contra defunctum præscriptio jam inchoata fuisset; cum tempore pupillaris ætatis dormire dicatur omnis præscriptio. *L. 3. C. quibus non objic. long. temp. præscript.* Excipitur: nisi tempus præscriptionis compleatur, pupillo adhuc in utero existente; nam tunc adversus defunctum, non adversus pupillum præscriptio compleri censeretur: nec enim Jura ob incertum posthumi nascituri eventum voluerunt præscriptionem impedire, sed beneficium restitutionis in integrum, quod posthumo nato concessum est, sufficere crediderunt, *L. 45. ff. de Min. L. unic. C. si advers. usucap.*

10. *Jura Ecclesiastica, & Spiritualia*, qualia sunt Jura decimandi, eligendi, vel conferendi beneficia Ecclesiastica, cognoscendi, & judicandi causas Ecclesiasticas, ac Clericorum &c. præscribi a Laicis nequeunt; quia ab iis possideri non possunt, *cap. 7. de Præscript.* Unde emergit communis ille, & diversus loquendi modus, quod quidem Laici præscribere decimis possint, nequeant autem decimas præscribere. Ratio hujus est; quia dum decimis præscribunt, præscribunt libertatem ab iis solvendis, cujus capaces sunt Laici: ut vero præscribere possent decimas, necessario deberent posse præscribere jus decimandi, cujus tamen, cum sit spirituale, possidendi absque privilegio Apostolico capaces non existunt. Idem dicendum de jure eligendi ad Prælaturas Ecclesiasticas, conferendi beneficia Ecclesiastica &c.

11. *Exemptio ab obedientia*, quam subditi debent Episcopo v. g. aut alteri Superiori legitimo: hanc enim præscribere nequeunt, quandiu se fatentur subditos, & pro talibus se gerunt, *cap. 12. de Præscript.* Unde exemptio ab obedientia non potest præscribi nisi mediate, & consecutive, sublata nimirum prius per præscriptionem subjectione: quod utique fieri potest, non quidem respectu S. Pontificis (nam huic fideles omnes Jure Divino subjecti sunt) sed respectu aliorum Superiorum, in quibus jurisdictio Jure humano residet. Hoc tamen, ut bene advertit P. Engel §. 2. *de Præscript. n. 7.* intelligendum non est extinctive, quasi ab obedientia per præscriptionem se ita eximere subditi possint, ut nulli amplius Superiori subjaceant, sicque evadant homines acephali sine Capite, & Superiore, quod absurdum foret; sed translative tantum, ita nimirum, ut vi præscriptionis eximantur a jurisdictione unius Superioris, & transferantur in potestatem, ac jurisdictionem alterius: id quod contingere duplici modo potest. 1. Ut quis eximatur a jurisdictione unius Episcopi v. g. & transferatur in jurisdictionem alterius. 2. Ut quis eximatur a jurisdictione omnium Episcoporum, & Prælatorum inferiorum, solique subjiciatur S. Pontifici. Idem cogita de exemptione a jurisdictione Superiorum temporalium.

Atque hæc exempla rerum, jurium, & obligationum simpliciter imprascriptibilium adduxisse satis esto. Plura si desideras, consule Juristas. Nunc oportet etiam afferre aliqua exempla rerum secundum quid imprascriptibilium, id est, imprascriptibilium præscriptione ordinaria tantum. Itaque

96. 12. Præscribi tempore ordinario nequeunt *Res Ecclesiæ*, sive Romanæ, sive alterius Romana inferioris. Quanto autem tempore ad sui præscriptionem indigeant, commodius discutietur infra.

13. *Res Civitatis.* Ubi tamen distinguendum inter illas, quæ ad communem usum omnium de ea civitate deserviunt; & inter illas, quæ ad communem usum non pertinent. Res prioris generis nullo unquam tempore præscribi possunt; quia nequeunt possideri. Res vero posterioris generis non possunt usucapi tempore ordinario, sed extraordinario, puta spatio 100. annorum. *L. 23. C. de SS. Eccles.*

14. *Res Minorum*, quæ non nisi tempore extraordinario præscribi possunt. *L. 3. Cod. de Præscript. 30. vel 40. ann.*

15. *Res furtive, aut vi possessa*, quæ tempore ordinario nec a fure, aut invasore, nec a tertio quodam bonæ fidei possessore præscribi possunt, donec vitium purgatum fuerit; quia Lex impedimento est, & ubi Lex usucapionem inhibet, bona fides possidenti nihil prodest. *L. 24. pr. ff. de Præscript.* Proceditque hoc, etiamsi per mille manus res illa ambulasset; quia vitium (furti, aut violentiæ) rem ipsam afficit: res autem quævis transit cum suo vitio, quo est affecta. *L. 11. Cod. de acquir. vel retin. poss.* Unde dominus talem rem a quocunque, ut ut bonæ fidei, possessore vindicare posset, nullo restituto pretio, præterquam expensis in sustentationem animalis v. g. factis.

Dixi: *donec vitium* (furti, aut violentiæ) *purgatum fuerit.* Quod fieri tripliciter potest. 1. Per lapsum 30. annorum; nam si tanto tempore hujusmodi res possessæ fuerint a tertio bonæ fidei possessore, puta ab emptore, vitium rei ignorante, præscribi etiam res furtivæ possunt. *L. 4. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* 2. Si fur esset hæres illius, cui furatus est. *L. 42. ff. de Usurpat. & Usucap.* ibi: *Idem juris est, cum is, qui rem furtivam vendidit, postea domino hæres existit.* 3. Si res redierit ad dominum, aut ad eum, qui eandem ante furtum bona fide possederat; & denuo bona fide ab alio possidetur. *L. 84. ff. de Furt.*

16. *Res possideri, aut alienari omnino prohibitæ.* Nam si prohibeantur possideri, deest possessio; si alienari, plerumque deficit titulus, ad præscriptionem ordinariam necessarius. An autem res ita alienari prohibitæ præscribi possint præscriptione extraordinaria, dissident Authores. Opinionem affirmativam tenent Hanoldus *tom. 1. tr. 5. n. 363.* & alii. Ratio hujus sententiæ est: quia præscriptio extraordinaria præsumptionem tituli pro se habet: prout infra dicetur. Negativam e contrario defendunt P. Schmalzgrueber *ad tit. de Præscript. n. 40.* & plures apud ipsum: quos vide.

Dixi: *res omnino prohibitæ alienari.* Nam si solum sint prohibitæ alienari sine certis solemnitatibus; uti sunt res Ecclesiæ, pupillorum, minorum &c. constat ex dictis, quomodo præscribi possint, vel non possint.

ARTICULUS IV.

De bona Fide necessaria ad præscribendum.

§. I.

An ad omnem præscriptionem necessaria sit bona Fides, & qualis?

SUMMARIUM.

97. & 98. *Quid, & quotuplex sit bona fides?* 99. *Insistendo dispositioni Juris Canonici ad omnem præscriptionem rerum, & jurium, non solum in principio, sed etiam in prosecutione ejus, necessaria est bona fides Theologica.* 100. & *seqq. Solvuntur objectiones.* 107. *Ad præscriptionem, saltem ordinariam, etiam necessaria est fides bona Juridica &c.?* n. 108. & *seq. Solvuntur objectiones.* 111. *An mala fides respectu unius impediat præscriptionem respectu alterius?* 112. *An, & quomodo mala fides Authoris noceat, & bona prosit successori ad præscribendum?*

97. PRænotandum primo, bonam fidem relate ad res præscriptibiles recte definiri, quod sit *justa credulitas, qua quis sibi persuadet, rem, quam possidet, non esse alienam, aut non injuste a se detineri*: relate vero ad jura præscriptibilia, quod sit *justa credulitas, qua quis sibi persuadet, se juri alieno, suæque obligationi non contravenire.*

98. Prænotandum secundo, bonam fidem sub utraque relatione prædicta spectatam, dividi in bonam fidem *Theologicam*, & *Juridicam*. Prior est, quæ a vitio conscientiæ, seu peccato, & posterior, quæ a vitio Juris, præscriptionis impeditivo, immunis est. Nunc

99. Dico primo. Insistendo dispositioni Juris Canonici, ad omnem omnino præscriptionem tam (1) rerum, quam (2) jurium, non solum in principio, sed etiam in prosecutione usque ad complementum ejusdem, necessaria est bona fides Theologica. Ita DD. communiter, si bona fides accipiatur in sensu per prænotata insinuato.

Probatur prima pars ex Concil. Lateranensi relato in *cap. fin. de Præscript.* cujus verba adduximus *n. 82.* & sunt: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque*

bona

bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nullo temporis parte rei habeat conscientiam alienæ, videlicet cum peccato conjunctam: quod addo; quia conscientia rei alienæ quandoque a peccato separari, & cum bona fide componi potest: prout per decursum patebit. Similiter *in Reg. 2. Jur. in 6.* dicitur: *Possessor malæ fidei, ullo tempore non præscribit*. Ratio autem motiva, cur Jus Canonicum ita determinaverit, est periculum animæ, occasio peccandi, origo injustitiæ, quæ in admissione præscriptionis cum mala fide succrescere nata forent, dum non tantum furtis, & rapinis laxarentur habenæ, verum etiam furibus, & raptoribus loco supplicii compendium quæreretur, cum grandi injuria, & jactura dominorum innocentium.

Probatur etiam secunda pars. Quia nulla præscriptio, conjuncta cum peccato, concedenda est juxta *c. fin. cit.* atqui etiam in præscriptione jurium, si sit malæ fidei, intervenit peccatum; cum pariter iniquum sit, & contra conscientiam, jus alienum hic, & nunc alteri debitum, velle extinguere, vel etiam in se transferre, quam rem alienam, deficiente titulo, velle sibi attribuere; ergo &c.

Respondebis forte, quod textus Juris Canonici, in prima probatione adducti, bonam fidem in præscriptione exigentes, loquantur tantum de præscriptione rerum, non jurium &c.

Contra est, quod, licet primus textus nihil exprimat de præscriptione jurium, in his tamen ratio decisionis sit eadem, quæ in rebus, cum in omnibus peccatum fiat, si eum mala conscientia possideantur. Quapropter cum agatur de absurdo, seu peccato evitando, ob rationis paritatem citati textus constitutio extendenda est. P. Schmalzgrueber *loc. cit. num. 62.* Deinde secundus textus loquitur generaliter, & sine restrictione; ergo generaliter, etiam de præscriptione jurium, intelligi debet.

Dixi: *insistendo dispositioni Juris Canonici*. Nam Jure Civili sufficit, quod ab initio bona fides adfuerit; nec requiritur, ut omni temporis momento eadem adsit. *L. unic. C. de Usucap. transform.* ibi: *Hoc tantummodo observando, ut in his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat, secundum quod exigit longi temporis præscriptio*. Ubi vides, Jure Civili ad præscriptionem longi temporis, seu ordinariam non requiri bonam fidem, nisi ab initio; nec obstare præscriptioni, si currente illo tempora mala fides superveniat. Imo ad præscriptionem longissimi temporis, seu extraordinariam eodem Jure ne quidem ab initio bona fides exigitur, per *L. 3. & 4. C. de Præscript. 30. ann.* ubi sola temporis continuatio sufficere dicitur. At Jure Canonico aliter, ut vidimus, statutum, & dispositio Juris Civilis hac in parte penitus cassata, & sublata est, per *c. fin. cit. &c.*

100. Objicies primo præcipue contra primam partem conclus. Canones, qui reprobant præscriptionem, vel mala fide coeptam, vel continuatam, obtinent solum in Italia, & terris Romano Pontifici subjectis; ergo nihil derogant Legibus Imperialibus: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. Siquidem quotiescunque Jus Civile a Canonico corrigitur in materia spirituali, aut peccaminosa, toties etiam in Imperio fideles omnes Juri Canonico se accommodare debent; quia in iis, quæ pertinent ad animæ salutem, vel eidem contraria sunt, subduntur jurisdictioni, & Legibus Ecclesiæ.

101. Objicies secundo. Consuetudo introduci potest etiam cum peccato, iterando videlicet actus Legi contrarios; ergo similiter præscriptio.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia præscriptio principaliter importat acquisitionem sive juris, si sit positiva, sive libertatis a jure in altero præexistente, si sit privativa; & per illam authoritate Legis directe sequitur commodum præscribenti: unde siquis præscribere cum mala fide, & peccato posset, commodum directe ex suo peccato reportaret: sicque authoritas præstaretur peccatis; imo hæc propositis etiam præmiis foverentur: id quod ob nullam boni publici causam cohonestari potest. Secus est de consuetudine; nam hæc primario obtinet vim legis non scriptæ, introductæ ad Jus inter subditos constituendum, in sensu exposito *part. 1. n. 464. & seq.* & deobligatio ab observatione legis præexistentis non nisi secundario, indirecte, & per accidens sequitur: prout similiter *loc. cit.* expositum manet: consequenter &c.

102. Objicies tertio. Si ad omnem præscriptionem necessaria sit bona fides Theologica, sequitur, quod non possit præscribi contra ullam legem rite promulgatam: atqui hoc est falsum, & contra communem DD. sensum, passim admittentium præscriptionem adversus legem tam Canonicam, quam Civilem; ergo non ad omnem præscriptionem necessaria bona fides Theologica. Seq. maj. prob. Siquidem præscriptio contra legem, rite promulgatam, deberet fieri per actus legi contrarios, adeoque peccaminosos, & cum bona fide Theologica incompossibiles.

Respondetur, dist. seq. maj. Sequitur, quod contra legem præscribi non possit ab iis, qui contra illam, rite promulgatam, & agnitam, agunt, con. ab eorum successoribus, neg. seq. maj. & distinctione applicata minori, conf. Soli illi priores necessario laborant defectu bonæ fidei Theologicæ; & idcirco ipsi præscriptionem contra legem (intellige præscriptionem proprie dictam, & a consuetudine contra distinctam) inchoare, ac inducere nequeunt. At eorum successores possunt esse in bona fide; possunt enim credere, antecessores suos habuisse justam causam, & titulum legem non observandi: & consequenter præscriptionem contra legem inchoare, continuare, & complere valent, quantum est ex parte bonæ fidei, & si ex requisitis ceteris nullum desit.

103. Objicies quarto textum *c. fin. §. in aliis, ut lit. non contest.* ubi decreto Judicis missus in possessionem causa rei servandæ, tandem rem ipsam præscribit: sed talis necessario caret bona fide, cum rem alienam esse sciat; ergo ad præscriptionem non semper requiritur bona fides.

Respondetur, neg. min. Nec refert, quod rem alienam esse sciat; quia, non obstante tali scientia, illam adhuc juste possidet, quatenus suffragante legis, & Judicis authoritate, adeoque justo titulo possidet. Unde scientia rei alienæ tunc solummodo malam fidem constituit, quando habet conjunctum peccatum, seu notitiam vitiosæ, id est, legitimo titulo destitutæ, possessionis. Videatur P. Franciscus Schmier *loc. cit. capit. 5. num. 27.*

104. Objicies quinto contra secundam partem *cap. 1. de Præscript.* ubi Episcopus jurisdictionem in locum, a se ad unitatem fidei conversum, præscribit triennio, licet sciat, illum alterius Episcopi jurisdictioni subjectum esse; ergo præscriptio juris procedit cum mala fide.

Respondetur, neg. conf. & suppositum, quod talis Episcopus mala fide laboret: cum enim Jus ipsum eidem præstet authoritatem possidendi, & præscribendi jurisdictionem in similem locum, ea possessio, & præscriptio injusta, & malæ fidei esse non potest.

105. Objicies sexto. Dominus fundi servientis præscribit libertatem a servitute rustica (contrarium de servitutibus urbanis decisum extat in Jure, prout videri potest apud P. Schmier *cit. num. 30.*) licet noverit, eam deberi domino prædii dominantis: atqui in hoc casu deficit bona fides, cum adsit scientia juris alieni; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Licet enim dominus prædii dominantis habeat jus ejusmodi servitutis, & dominus prædii servientis id noverit, non tamen hic, seu dominus prædii servientis, continuando possessionem, in mala fide constituitur; quia talis servitus non debetur domino prædii dominantis, nisi eam petat; consequenter si non petat (uti hic supponitur) non debetur: adeoque dominus prædii servientis, in possessione illius servituris pergendo, nihil alieno juri, suæque obligationi contrarium agit, per quod constituatur in mala fide, præscriptionis impeditiva.

Simili ratione delinquens præscribere potest actioni ad pœnam adversum se, ipsique etiam pœnæ, tametsi sciat actionem adversum se competere, pœnamque pro culpa a se patrata debitam esse. *L. 2. C. de Vectig. & Commiss.* eo quod pœna similiter non debeatur, nisi exigatur: unde si non exigatur, ad illam se ultro offerre non obligatur; consequenter se non offerendo non peccat, nec in mala fide constituitur.

Aliud

Aliud est in debitis, quæ solvere aliquis non in modum pœnæ, sed in compensationem damni, aut alia quacunque ratione obligatur: qualia sunt non solum contracta definite, seu cum adjectione certi diei; sed etiam contracta indefinite, nimirum non expresso termino in conventione. Nam in prioribus dies interpellat pro homine, seu creditore: consequenter, isto etiam non exigente, debitor ad solutionem obstringitur, *cum dies venit*; secus erit in mora culpabili: in posterioribus vero manet obligatio illa solvendi, quandiu prudenter præsumi non potest eorundem remissio: nisi forte ex consuetudine determinatum esset aliquod tempus pro termino solutionis, quo elapso inchoari talis debiti præscriptio posset. Ita communis DD.

Nihilominus de debitis indefinite contractis res non adeo certa est, quemadmodum forte autumas. Nam etiam hic præscriptionem cum scientia juris alieni fieri posse, probabilius videtur P. Schmier *loc. cit. a n. 40.* Ayblinger *in Instit. ad tit. de præscript. n. 42.* & quibusdam aliis magni nominis Authoribus. Ratio fundamentalis est: quia Jus Canonicum tantum irritat præscriptionem, conjunctam cum peccato injustitiæ; prout etiam fatentur Authores contrarii: atqui si debitum indefinite contractum sit, adeoque debitor a die non interpelletur, scientia juris alieni non inducit peccatum injustitiæ; quia licite differri solutio potest, usquedum a creditore petatur; ideo enim debitor indefinite contraxit, quod noluerit ad solutionem ultroneam se obligare; ergo etiam tunc cum scientia juris alieni præscriptio fieri potest. Sufficit ergo, ne debitor contra Justitiam delinquat, quod sit paratus ad solvendum debitum, si creditor exigat.

106. Objicies septimo. *Can. 15. §. potest. caus. 16. qu. 3.* habentur hæc verba: *Bona vero fides non ad tractum medii temporis, sed ad initium possessionis refertur; sufficit enim in initio cujusque bona fide possidere cœpisse, etiamsi medio tempore scientiam rei alienæ habuerit*; ergo etiam juxta Jus Canonicum non est necessaria bona fides, saltem pro toto tempore, quo currit præscriptio.

Respondetur, neg. cons. Nam textus ille non est authenticus, sed Corpori Juris insertus a Gratiano, qui secundum Leges Civiles locutus est; ac proinde textus Canonici authoritatem non obtinet.

107. Dico secundo. Ad legitimam præscriptionem, saltem ordinariam, etiam est necessaria bona fides Juridica, nimirum non ducens ortum ex errore Juris certi, & clari, ut ut invincibili, & Theologice inculpabili: nisi persona præscribens sit talis, in qua ejusmodi error toleretur. Ita rursus DD. communiter contra paucos.

Probatur. Præscriptio vim suam obtinet a Legibus; ergo non valet, nisi habeat, quæ ad ipsam Legibus requiruntur: sed Legibus requiritur, ut non procedat ex ignorantia Juris certi, & clari, saltem quando præscriptio est ordinaria; ergo &c. Min. patet, ex *l. 31. pr. ff. de Usucap.* ibi: *Nunquam in usucapionibus Juris error possessori prodest:* & *l. 4. ff. de Juris, & facti ignor.* ibi: *Juris ignorantia in usucapionibus negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.*

Dixi 1. *ex errore Juris*. Nam error, seu ignorantia invincibilis facti, si nihil aliud obstet, præscriptionem non impedit, prout expresse habetur *in l.* proxime *cit.* Est autem error Juris, cum nescio, quid in Jure circa aliquam actionem debite faciendam constitutum sit; facti vero, cum puto non adesse illam circumstantiam, sub qua scio, actum prohibitum esse, cum tamen adsit.

Dixi 2. *Juris clari, & certi*. Nam si Jus sit obscurum, & dubium, ejusdem ignorantia præscriptioni non obest. Ratio est: quia quando circa aliquod Jus sunt diversæ opiniones probabiles, veluti sunt circa Jus obscurum, & dubium, seu controversum, possum quamlibet bona fide, & conscientia sequi: consequenter &c. Unde error Juris obscuri, & dubii, non est error Juris simpliciter dicti, cum de ratione hujus sit esse certum, & manifestum, *can. 2. dist. 4.* sed tantum error Juris secundum quid, & improprie dicti; ut proinde non tam dicendus sit error Juris, quam facti: imo errori, vel ignorantiæ facti ex communi DD. calculo comparatur.

Dixi 3. *ad præscriptionem saltem ordinariam*. Nam licet P. Krimer *ad tit. de Præscript. n. 2354.* & quidam alii putent, errorem Juris etiam obesse præscriptioni extraordinariæ; contrarium tamen longe verius est, & omnino tenendum, quod talis ignorantia, si invincibilis, & Theologice inculpabilis existat, extraordinariæ præscriptioni impedimentum non afferat. Haunoldus *loc. cit. n. 203.* Konig *ad tit. de Præscript. n. 37.* Schmier *n. 135.* Schmalzgrueber *n. 68.* & alii satis communiter. Ratio est: quia error, seu ignorantia Juris non obstat præscriptioni extraordinariæ ex dispositione Juris Civilis, cum secundum hoc ne quidem error conscientiæ, seu peccatum præscriptioni, maxime extraordinariæ, obicem ponat; ut supra visum: neque ex dispositione Juris Canonici, utpote quo Civile correctum non est quoad malam fidem, quæ oritur ex invincibili ignorantia Juris; sed solum quoad malam fidem, quæ est conjuncta cum peccato.

L. 7. C. de agricol. censit. quam Adversarii in contrarium adducunt, loquitur de præscriptione ordinaria; ut notat P. Schmier *loc. cit. n. 139.* Nec obstat, quod in præscriptione nunquam prodesse dicatur ignorantia Juris per *l. 31. ff. de Usucap.* supra recitatam. Nam ly *nunquam* accipi debet secundum subjectam materiam, & intelligi de ignorantia Juris relate ad præscriptionem ordinariam, de qua sola ibi sermo est. Imo tametsi intelligeretur relate ad præscriptionem extraordinariam, adhuc sensus Legis consistere salvus posset citra nostræ doctrinæ præjudicium: quoniam non volumus, errorem Juris prodesse præscriptioni extraordinariæ, sed solum non obesse, id est, non constituere malam fidem Juridicam, præscriptionis extraordinariæ impeditivam. Author proxime *cit. n. 138.*

Dixi 4. *nisi persona præscribens sit talis, in qua ejusmodi error toleretur*. Tales personæ cogitari possunt v. g. milites, minores 25. annis, mulieres, rustici &c. non habentes copiam peritorum, quos consulant: his enim sicut alia quædam Juris beneficia prosunt, quid prosint aliis, sic & beneficium præscriptionis; ita ut, licet error Juris in aliis malam fidem Juridicam inducat, sicque præscriptioni ordinariæ obicem ponat; in recensitis vero personis toleretur, neque malam fidem Juridicam constituat: consequenter &c.

108. Objicies nunc contra conclus. primo. Ignorantia Juris, eo ipso, quod sit invincibilis, de quali loquimur, non est culposa; ergo non inducit malam fidem: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Non est culposa Theologice, con. Juridice, neg. ant. Ergo non inducit malam fidem Theologicam, con. Juridicam, neg. cons. Bona fides Theologica ad omnem quidem præscriptionem est necessaria, non tamen sufficiens, nisi etiam accedat bona fides Juridica; qualis tamen cum ignorantia Juris manifesti consistere nequit: prout relinquitur ex dictis.

Dices. Leges reprobantes præscriptionem procedunt solum ex præsumptione malæ fidei Theologicæ, qualem non constituit invincibilis ignorantia Juris; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam in *l. 24. ff. de Usucap.* Jurisconsultus aperte pronunciat, *bonam fidem* (scilicet Theologicam) *nihil operari, ubi Lex inhibet usucapionem:* atqui cum ignorantia Juris clari, ut ut invincibili, Lex inhibet usucapionem, & præscribere volentem in mala fide ficta constituit, sicque ad præscribendum inhabilem reddit: prout patet ex textibus in probatione adductis; ergo &c.

109. Objicies secundo. Donatarius contra repetentem domum, ex donatione invalida, adeoque cum ignorantia Juris acquisitam, se defendit præscriptione, *cap. 4. de empt. & vendit.* ergo præscriptio cum ignorantia Juris fieri, & valere potest.

Respondetur, dist. cons. Præscriptio extraordinaria, tricenaria, vel quadragenaria, de quali in textu *cit. c.* agitur, con. ordinaria, de quali nobis impræsentiarum sermo est, neg. cons.

110. Objicies tertio. Si usufructuarius, existimans, partum ancillæ suum esse, eundem vendat, committit errorem aperti Juris; & tamen emptor potest ancillæ partum præscribere. *§. 5. Inst. de Usucap.* ergo error Juris clari non vitiat præscriptionem.

Respondetur, dist. cons. Error Juris clari, existens in alio, quam præscribente, con. existens in ipsomet præscribente, seu præscribere volente, neg. cons. Error Ju-

ris in casu posito inexistit venditori, scilicet usufructuario; hinc facit, ut usufructuarius præscribere nequeat; non autem emptori, cui proinde nullum præscribendi impedimentum creat.

111. Quæres primo, an mala fides respectu unius, impediat præscriptionem respectu alterius?

Respondetur cum distinctione. Vel enim quæstio instituitur de re, quæ præscribitur, vel de persona, contra quam præscribitur. Si primum; mala fides respectu unius rei, aut juris non impedit præscriptionem alterius rei, vel juris distincti, bona fide possessi; quia bona fides solum requiritur respectu illius rei, vel juris, quod præscribitur. Hinc quando Cajus v. g. fundum, qui reipsa alienus est, bona fide credit, esse suum; scit autem, Titio in eo servitutem competere, proprietatem fundi præscribere potest, servitutem non potest. Ratio est: quia relate ad proprietatem fundi est in bona; relate vero ad servitutem in mala fide. Si secundum, seu si instituatur quæstio de persona, contra quam præscribitur, mala fides respectu unius impedit præscriptionem respectu alterius. Unde si Cajus v. g. possidet fundum, quem putat esse Titii; est autem Sempronii, licet ille hoc inculpabiliter ignoret, præscribere tamen fundum non potest. Ratio est: quia Cajus non habet credulitatem, qua sibi persuadeat, fundum illum alienum non esse, cum credat esse Titii; ergo destituitur bona fide ad præscribendum necessaria. P. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 79.* P. Schmier *num. 168. & seq.* Ayblinger *loc. cit. n. 36.*

112. Quæres secundo, an, & quomodo mala fides Authoris noceat, & bona prosit successori ad præscribendum?

Antequam respondeatur, animadvertendum est, *Authorem* hic illum vocari, qui tanquam rei suæ dominus, dominium in me transferre videtur; & ego dicor illi *succedere*. Porro *Successorem* alium dici a Jure *universalem*, & alium *singularem*, seu *particularem*. Prior est, qui ex titulo universali, atque in universum jus succedit: quomodo succedit hæres, sive dein sit hæres ex asse, sive tantum in parte assis, seu hæreditatis totius, v. g. in triente, semisse &c. nam & hæc successio respicit rem indefinitam, & nullam singularem qua talem, similiterque fit ex titulo universali. Posterior est, quæ ex titulo singulari rem aliquam determinatam, & singularem ab alio obtinet: ut emptor, donatarius, legatarius &c. Rursus successor, seu hæres alius est *immediatus*, qui nimirum ipsi defuncto immediate succedit; alius *mediatus*, qui succedit mediate, sive qui est hæres hæredis immediati. His animadversis,

Respondetur primo. Bona fides authoris prodest successori tam universali, quam singulari, ita, ut accessione temporis uti, illudque tempus, quo author in possessione fuit, ad complendam præscriptionem computari valeat. §. 12. *Inst. de usucap.* Ratio est: quia author tradit rem successori cum omni jure, quod ipse habuit: cœpisse autem præscriptionem est pars juris; ergo &c.

Respondetur secundo. Mala fides authoris non nocet successori singulari, Azorius *part. 3. lib. 1. cap. 18. q. 7.* Palao *tr. 13. disp. unic. punct. 22. n. 1.* Laymann *lib. 3. tr. 1. cap. 8. n. 18.* & habetur expresse in *L. 5. ff. de diverf. tempor. præscript.* Ratio accedit: quia successor singularis authorem quoad personam non repræsentat; ergo licet hic illi communicet omne jus, quod habuit circa rem, quam concedit, non tamen hoc ipso communicat eidem vitia personalia, cujusmodi est mala fides: consequenter &c.

Adhibenda tamen est hic limitatio aliqua in rebus immobilibus. Nam licet mala fides authoris successori singulari non obsit, quin præscribere res immobiles possit tempore extraordinario, spatio nimirum 30. annorum; obest tamen, ne illas (saltem si possideantur, vel alienentur ignorantibus dominis) præscribere valeat tempore ordinario, prout habetur in *Authent. malæ fidei C. de Præscript. long. temp.*

Respondetur tertio. Mala fides authoris successori, seu hæredi universali, & immediato, nocet, ne, spectato Jure communi, præscribere possit præscriptione ordinaria. *L. 11. ff. de diverf. temp. præscript.* Consentiunt DD. passim. Ratio quoque suffragatur: quia ejusmodi successor per fictionem Juris censetur una, eademque persona cum defuncto; ergo utriusque possessio una erit; ergo sicut possessio defuncti ob malam fidem veram fuit infecta, ac insufficiens ad præscribendum; ita & possessio successoris, seu hæredis universalis, ac immediati ob fidem malam fictam, quæ in tali hærede tantum operatur, quantum fides mala vera in defuncto: consequenter hæres universalis, & immediatus præscribere non poterit præscriptione ordinaria, si author fuerit in mala fide. Estque hoc adeo verum, ut ejusmodi hæres non solum non possit uti accessione temporis, sed neque præscriptionem ordinariam a seipso inchoare; nam Jura loquuntur universaliter, & urget eadem ratio, nimirum quod talis hæres, tametsi accessione temporis non utatur, adhuc tamen eadem persona cum defuncto censeatur: consequenter &c.

Limitari tamen responsio debet 1. ut non procedat in eo, qui alteri succedit in Officio, vel Beneficio; quia non succedit ut hæres, sed jure collationis: adeoque vitiis antecessoris non impeditur, quin præscribere rem a se bona, ab antecessore vero mala fide possessam, possit, dummodo non computet tempus, quo antecessor illam mala fide possedit.

Limitari debet 2. si hæres rem, ab antecessore possessam mala fide, possideat adhuc alio titulo, quam hæreditatis, v. g. titulo empti. *L. 5. §. 1. ff. de diverf. temp. præscript.*

Dixi in respons. *spectato Jure communi*. Nam Jure Bavarico mala fides antecessoris etiam successori universali non nocet, modo iste non utatur accessione temporis, quo ille rem præscribendam mala fide possidebat. P. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 73.* Idem dicendum foret, si etiam alibi hujusmodi statuta, aut Jura municipalia, sancirentur, vel jam sancita essent.

Dixi præterea: *præscriptione ordinaria:* aliud quippe est, si præscriptio sit extraordinaria, puta tricenaria, vel quadragenaria; nam tunc antecessoris mala fides successori non officit, quin tali præscriptione præscribere possit, non quidem titulo pro hærede, quia vitium possessionis, præscriptionis impeditivum, semper perseverat; sed ex titulo præsumpto, qui vitium possessionis purgat. *L. ult. C. unde vi.* Krimer *loc. cit. num. 2362.* Schmalzgrueber *n. 73.* & alii.

Respondetur tertio. Mala fides authoris non obest hæredi mediato; nam hic præscribere rem a se possessam potest, saltem numerando tempus a sua possessione. Lessius *lib. 2. cap. 6. n. 43.* Hannoldus *tom. 1. tr. 5. n. 209.* Krimer *n. 2363.* & alii passim. Ratio est: quia talis hæres non constituit unam personam cum defuncto, sicut hæres immediatus, cum non censeatur hæres defuncti, sed tantum hæres hæredis ejus; sicut nec socius mei socii censetur meus socius. *L. 20. ff. pro Soc.* ergo ipsi mala fides authoris nocere non debet, sicut nocet hæredi immediato.

Dices. Hæres mediatus fictione Juris est una persona cum hærede immediato; ergo sicut hic laborat mala fide, ita & ille: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Nam hæres immediatus solum (ut supponitur) laborat mala fide ficta, quæ aliam fidem fictam in eadem persona (qualem cum hærede immediato hæres mediatus constituit) ex eodem capite parere non potest; fere sicut umbra non potest facere aliam umbram, inquit Lessius *cit.* Unde argumentum solummodo procederet, si etiam hæres immediatus fuisset in mala fide vera; tunc enim etiam hæres mediatus constitueretur in mala fide ficta, quatenus & censetur una persona cum hærede immediato, & mala fides vera malam fidem fictam operari potest.

Excipitur hæres mediatus *suus:* hic enim præscribere non potest; cum censeatur continuare titulum hæredis immediati, ut notat Lessius *cit.* Unde sicut hæres immediatus habuit titulum insufficientem ad præscribendum, vel, ut rectius loquar, nullum habuit titulum, quippe per fictionem Juris constitutus in mala fide, nec hæres ejusdem habebit. Tempore tamen extraordinario, puta spatio 30. vel 40. annorum præscribere non prohibetur, dummodo ad complendam præscriptionem non computet tempus antecessoris sui, seu hæredis immediati, quando hic præscribendi incapax fuit, Ita denuo Lessius *cit.*

§. II.

An, & qualis fides dubia præscriptioni obsit?

S U M M A R I U M.

113. *Quid sit dubium speculativum, & quid practicum in præsenti materia?* 114. *Fides speculative tantum dubia non ponit obicem præscriptioni inchoandæ; bene autem practice dubia, nisi dubium practicum deponatur.* 115. *Multo minus illa impedit præscriptionem jam inchoatam; impedit tamen ista, nisi & hic dubium practicum deponatur,* 116. *& seqq. Solvuntur argumenta contraria.*

113. PRænotandum, quod dobium aliud sit *speculativum*, aliud *practicum*: prout relinquitur ex dictis *part.* 1. *n.* 74. Speculativum in præsenti materia est, quando animus fluctuat de ipso rei dominio, vel de immunitate ab obligatione. Practicum est, quando quis fluctuat non tantum de rei dominio, aut immunitate, sed etiam dubius, & suspensus hæret de licentia actionis, vel omissionis, an nempe hic, & nunc licite occupet, vel retineat rem; an licite, & citra læsionem juris alieni, ponat, vel omittat aliquid? Hoc prænotato,

114. Dico primo. Fides speculative tantum dubia (1) non ponit obicem præscriptioni inchoandæ; bene autem (2) practice dubia, nisi dubium practicum deponatur. Primam partem tenent Vasquez *illustr. Controv. lib.* 2. *cap.* 77. *a n.* 3. Engel *lib.* 2. *tit.* 26. *n.* 14. Schmier *lib.* 1. *tr.* 2. *cap.* 5. *n.* 85. Pichler *lib.* 2. *tit.* 26. *n.* 24. *& seqq.* contra communem aliorum. Partem alteram tradunt DD. passim.

Probatur prima pars hac ratione. Dubium speculativum tantum, etiam relate ad præscriptionem inchoandam, compatitur bonam fidem, videlicet justam credulitatem, qua quis sibi persuadeat, rem non esse alienam; ergo non ponit obicem præscriptioni inchoandæ. Conf. patet. Ant. prob. Quia stante dubio speculativo (sive id positivum, sive negativum sit) potest emptor v. gr. prudenter sibi persuadere, venditorem esse dominum rei, eo quod sciat, ipsum esse in possessione, & esse in possessione justa præsumere debeat; cum in dubio nemo arguendus sit injustus possessor, *arg. L. penult. C. de Evict.* ergo antecedens est verum.

Confirmatur. Qui operatur cum judicio practice certo de honestate actionis, non peccat, neque procedit mala fide Theologice intellecta: sed emptor in exemplo, & casu posito potest operari, sive contrahere cum judicio practice certo de honestate actionis, sive contractus, non obstante dobio speculativo; ergo &c. Maj. supponitur ex dictis in *tr. de Conscient.* Min. prob. & declaratur: quia potest ita secum ratiocinari: illam rem licite emo, cujus dispositionem liberam prudenter credo esse penes venditorem: sed hujus rei, quam hic, & nunc emere intendo, dispositionem liberam prudenter credo esse penes venditorem, utpote quem legitimum illius dominum esse ex rationibus justis proxime allegatis mihi persuadeo; ergo hanc rem licite emo. En judicium practicum, & practice certum de honestate contractus, & possessionis inde consequentis! adeoque &c.

Probatur secunda pars: quia, ut rem antea non habitam, licite mihi vendicare incipiam, præcedere debet judicativa cognitio, quæ dictet, talem rem esse meam, vel saltem non esse alienam; prout fatentur omnes: sed hoc fieri nequit, quando possidere incipio, stante dubio practico, utpote vi cujus intellectus ita suspensus manet, ut neutri contradictionis parti assensum præbeat; ergo &c.

Dixi: *nisi dubium practicum deponatur*. Quod autem, & qualiter deponi possit, relinquitur ex dictis *in probat. & confirmat.* 1. *partis*. Unde hic alius modus deponendi dubium practicum adhibendus est, quam si possessio jam cœpta sit; hac enim semel legitime cœpta, præscribens pro depositione dobii recurrere potest ad titulum possessionis, sibi ipsi competentem; non sic, si possessio needum cœpta sit; tunc quippe ad possessionem ab altero, v. g. venditore, captam, & præsumptionem Juris pro tali possidente stantem, refugere debet, ut dubium practicum abjicere, & se resolvere possit: prout proxime dicta, & mox dicenda vel obiter consideranti patebit.

Solutiones argumentorum, quæ contra utramque partem conclusionis proponi possent, satis colligentur ex solutionibus objectionum contra *conclus. seq.*

115. Dico secundo. Fides speculative dubia (1.) multo minus impedit præscriptionem jam inchoatam; impedit tamen (2.) practice dubia, nisi dubium practicum deponatur. Quoad primam partem conveniunt DD. quoad alteram vero plures contrarium tenent.

Probatur prima pars: quia cum dubio speculativo, præsertim præscriptione jam cœpta, potest consistere bona fides, nimirum justa credulitas, qua possessor judicet, rem, quam possidet, non injuste a se detineri; ergo dubium speculativum præscriptioni jam cœptæ non officit. Conf. patet. Ant. prob. Potest enim talis possessor, stante dubio speculativo, an res sit sua, vel aliena? se practice resolvere dependenter ab illa regula: *In dubio melior est conditio possidentis*; sicque formare judicium moraliter certum, quod rem, hactenus possessam, justo titulo possidere pergat.

Debet tamen ejusmodi possessor, antequam modo præfato resolutionem practicam facere possit, moralem adhibere diligentiam (quod etiam cum proportione intelligi velim de dubitante ante possessionem cœptam) qua venire in notitiam conetur, num res, quam possidet, sit aliena, nec ne? alias illam possidere perget cum peccato, & mala fide.

Quod si præscribens in inquirendo dominum rei præscribendæ committat negligentiam venialiter solum peccaminosam, non videtur vitiari præscriptio; nam hic venialis culpa reputatur pro nulla; & ideo in *cap. fin. supra cit.* solum rejicitur præscriptio, quæ *absque peccato mortali* fieri non potest: consequenter præscriptio cum fide venialiter solum mala videtur permitti. P. Ininger *loc. cit. pag.* 153.

Probatur nunc etiam secunda pars conclus. siquidem dubium practicum pugnat cum bona fide, ut habetur in *l.* 32. §. 1. *ff. de usurpat. & usucap.* atqui sine bona fide præscriptio non procedit, ut ostensum manet supra; ergo &c.

Confirmatur. Præscriptio non currit cum peccato: sed practice dubitans, num possit rem hactenus possessam licite retinere, peccat, cum careat judicio determinato, quo judicet, se illam licite retinere; adeoque exponatur formali periculo retinendi alienum; ergo &c.

Dixi rursus: *nisi dubium practicum deponatur*; Nam si possessor, de jure proprietatis, & dominii dubius, moralem adhibuit diligentiam in inquirendo dominum, eumque rescire non potuit, ex titulo possessionis, bona fide cœptæ, practicum dubium deponere, & conscientiam practice certam sibi formare poterit, & debebit, quod rem hactenus possessam juste retineat &c.

116. Objicies primo contra primam partem. Speculative dubius in re fidei Divinæ, censetur hæreticus, haud minus, ac si aliquid contra fidem pertinaciter asseruisset; ergo etiam speculative dubius, an retineat rem alienam, perinde haberi debet, ac si reipsa scienter, & culpabiliter rem alienam retineat. Atqui scienter, & culpabiliter retinens rem alienam, est incapax eam præscribendi; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia fides Divina debet esse firmissima, adeoque omne dubium, etiam speculativum excludere: prout docetur *in tr. de Virtut. Theolog.* At vero ad præscribendum sufficit fides humana, & simplex, quod res non sit aliena, cui fidei, cum sit minoris firmitatis, dubium speculativum non opponitur, neque eandem enervat.

117. Objicies secundo. Ut quis præscribere possit, debet habere cognitionem judicativam, qua judicet, rem, quam possidet, non esse alienam, aut non injuste a se detineri, ut supra arguebamus: sed speculative dubius, hujusmodi cognitionem non habet; cum suspensus hæreat inter utranque contradictionis partem; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. vel dist. Non habet hujusmodi cognitionem directam, con. reflexam, neg. min. Ejusmodi cognitionem reflexam obtinet, quando se, modo præfato, practice resolvit, rem, quam hactenus bona fide possedit, non injuste a se detineri:

118. Ob-

subest ullus error; ut si res donata sit ab eo, qui dominium illius, & potestatem alienandi habuit: tunc enim donatarius rem donatam possidet titulo vero donationis. Non verus triplex est, videlicet *coloratus*, *existimatus*, & *præsumptus*. Coloratus (qui etiam *apparens* dicitur) est, cum causa per se quidem habilis est ad transferendum dominium, hic, & nunc autem propter impedimentum aliquod occultum vis illius suspenditur, & retardatur: ut si quis rem dono, aut emptione accipit a non domino, quem tamen credit invincibiliter esse dominum; vel a domino quidem, sed donandi, vel vendendi potestate destituto; ut si celebret contractum emptionis-venditionis cum pupillo, non interveniente authoritate tutoris. Existimatus est, quando quis inculpabiliter credit, se rem habere ex causa ad dominium transferendum habili, cum tamen talis nec vere, nec apparenter præcesserit; ut si quis credat, librum sibi venditum esse, cum tamen solummodo sit commodatus. Præsumptus dicitur, qui tametsi a possessore allegari non possit, & forte etiam non intervenerit, a Jure tamen intervenisse præsumitur. His prænotatis,

124. Dico primo. Ad præscriptionem non requiritur titulus verus; quinimo eandem impedit. P. Schmier *loc. cit. cap. 5, num.* 222, Pichler *num.* 41, & alii communiter.

Probatur: quia ob titulum verum aliunde nobis obvenit dominium; ergo non est, cur mediante præscriptione quæratur; imo nec quæri, seu acquiri potest; *quod enim nostrum est, nostrum amplius fieri non potest*, §. 10. *Instit. de Legat.* & §. 14. *Instit. de Action.*

125. Dico secundo. Ad omnem præscriptionem sufficit (1.) titulus coloratus, vel (2.) existimatus, ortus ex errore facti alieni. Ita communis Theologorum, & Jurisperitorum.

Probatur prima pars: quia, ut proxime dictum, non requiritur titulus verus; ergo sufficiet coloratus, qui majorem ad eum analogiam dicit, propriusque accedit, quam existimatus, & præsumptus.

Probatur secunda pars tum ex *L.* 11. *ff. pro Emptor*, & *L. fin. ff. pro Socio*, tum ex ratione: siquidem ignorantia facti alieni est probabilis, eo quod interpretatio facti alieni prudentissimos quosque fallat. *L.* 2. *ff. de Juris, & facti ignorant.* ergo præscribenti obesse non debet: consequenter &c.

Dixi: *ortus ex errore facti alieni*. Si enim titulus existimatus nitatur *errore facti proprii*, præscriptio non procedit. *L.* 1. *ff. pro Donato*, & *L.* 3. *ff. pro Legato*. Ratio est: quia talis error reputatur de Jure intolerabilis; consequenter inidoneus ad percipiendum exinde commodum. *L.* 7. *ff. ad S. C. Vellejan.*

126. Dico tertio. Ad præscriptionem extraordinariam, & immemorialem sufficit ordinarie titulus præsumptus. Videtur conclusio reipsa esse communis DD. & traditur a P. Konig *tit. de Præscrip. n.* 33. P. Schmier *loc. cit. n.* 234. & aliis ab isto relatis.

Probatus tum ex *L.* 3. & 4. *de Præscip.* 30. *vel* 40. *ann.* tum ex ratione: quia diuturnitas temporis inducit præsumptionem tituli, & hujus veluti vices agit; ergo &c.

Dixi: *ordinarie*. Nam quoad præscriptionem extraordinariam facienda limitatio est, ita, ut tunc solum titulus præsumptus in illa locum habeat, & sufficiat, quando aliunde contra præscribentem non stat præsumptio malæ fidei, quæ justi tituli præsumptionem elidat; vel quando Jus non resistit, possessionem rei præscribendæ positive prohibendo: horum enim alterutrum si interveniat, in præscriptione extraordinaria titulus præsumptus cessat, nihilque operatur, atque loco ipsius requiritur coloratus, vel existimatus; aut in horum defectu possessio immemorialis: prout habetur in *cap.* 1. *de Præscript. in* 6. ubi Bonifacius VIII. diserte pronunciat, in præscriptione rerum Ecclesiasticarum, quæ 40. annorum spatio, adeoque extraordinario tempore præscribuntur, sufficere bonam fidem, *si Jus commune non sit in contrarium, vel contra præscribentem non habeatur præsumptio.*

127. Dico quarto. Ad præscriptionem ordinariam non sufficit titulus præsumptus, sed requiritur vel coloratus, vel saltem existimatus, præterquam in præscriptione ordinaria servitutum realium. P. Schmier *loc. cit. n.* 223. & alii apud ipsum.

Probatur *ex L.* 4. *C. de Præscript. long. temp.* ubi negatur, possessionem ad præscribendum prodesse, quando deest titulus. Item habetur *in L.* 27. *ff. de Præscript.* & *in can.* 15. *caus.* 16. *qu.* 3. Ex quo patet, quod non solum vi Juris Civilis, sed etiam Canonici (siquidem quoad titulum nulla est inter utrunque Jus differentia) titulus præsumptus habere locum non possit in præscriptione ordinaria; sed requiratur alius titulus, videlicet vel coloratus, vel saltem existimatus.

Dixi tamen: *præterquam in præscriptione ordinaria servitutum realium*. Nam hæ ut præscribantur, neuter titulus sive coloratus, sive existimatus requiritur. *L.* 10. *ff. Si servit. vindic.* & *L.* 5. §. 3. *ff. de itin. actuque privat.* Ratio est: quia in illarum præscriptione scientia, & patientia domini (vel etiam sola patientia sine scientia, adeoque patientia negativa, seu mera non contradictio; prout cum pluribus aliis tradit P. Schmier *loc. cit. n.* 260. & *seq.*) est loco tituli, Legibus ita constituentibus, & patientiam domini consensum interpretantibus; ergo si dominus sciat, & patiatur, servitutes præscribi tempore ordinario poterunt: dummodo præscribens de cetero non laboret defectu bonæ fidei.

Neque hic facienda est differentia inter servitutes continuas, & discontinuas; prout existimat P. Schmalzgrueber *loc. cit. num.* 91. & alii plures cum ipso, volentes, modo dicta solum procedere de præscriptione servitutum continuarum, non vero de præscriptione servitutum discontinuarum. Ratio nostra, & aliorum indiscriminatim loquentium est: quia *in Leg.* 1. §. *fin. ff. de Aqua, & aq. pluv. arc.* generaliter, & sine distinctione inter servitutes continuas, & discontinuas, dicitur, quod siquis longo tempore servitute usus sit non vi, non clam, non precario, eam sibi habeat tanquam Jure constitutam. Confirmatur *ex L.* 5. §. *penult. ff. de itin. actuque privat.* ubi interdictum de itinere, actuque privato tribuitur ei, qui diu itinere, actuque usus est non vi, non clam, non precario: sed iter, & actus sunt servitutes discontinuæ, ergo &c.

128. Objicies contra conclus. primo. Ad præscriptionem requiritur bona fides; ergo & titulus, videlicet coloratus, vel saltem existimatus; quia sine alterutro horum bona fides, maxime ab initio præscriptionis, consistere nequit.

Respondetur, neg. cons. una cum ratione ejusdem probativa; nam potest contingere, ut quis, titulo destitutus, sit nihilominus in optima fide constitutus: sic donato fundo potest donatarius ex verisimilibus Indiciis, & fama aliorum credere, antecessori competiisse iter, vel viam per fundum vicini: quo casu donatarius, quamvis non sit stipatus titulo quoad servitutem, est tamen in optima fide.

129. Objicies secundo contra exceptionem de præscriptione servitutum Conclusioni insertam. Servitutes præscribuntur adinstar rerum corporalium. *L. fin. C. de Præscript. long. temp.* sed hæ non possunt præscribi tempore ordinario, si desit titulus coloratus, vel existimatus; ergo nec servitutes præscribi poterunt, nisi alteruter ex præfatis titulis adsit.

Respondetur, explicando, & dist. maj. Præscribuntur adinstar rerum corporalium quoad tempus, & ejus computationem, con. quoad titulum, & modum præscribendi, neg. maj. ac concessa minore, similiter distinguendum est cons.

Ceterum quod diximus, nullam esse ponendam differentiam in præscriptione servitutum continuarum, & discontinuarum, sed utrasque sine titulo colorato, aut existimato præscribi posse præscriptione ordinaria, stricto jure verum videtur, & docetur a D. Josepho Adamo Ayblinger *in Inst. lib.* 2. *tit.* 3. *part.* 1. *n.* 19. ac aliis: nihilominus in praxi receptior est sententia, servitutes discontinuas sine titulo vel colorato, vel existimato non præscribi, nisi tempore immemoriali: prout advertit prælaudatus Author *n.* 18. dicitque, ita in Camera, & Jure Bavarico receptum esse.

hæc dupliciter contingere potest, nimirum *naturaliter*, & *civiliter*. Naturaliter interrumpitur præsciptio, quando, postquam legitime inchoata est, aliqua ex conditionibus requisitis deficit, forte quod mala fides superveniat, titulus resolvatur, possessio amittatur. Civiliter interrumpitur, quando jus possidendi per actum juridicum, v. g. libelli oblationem, citationem, litis contestationem, sententiam, in dubium revocatur.

ARTICULUS VII.

De tempore ad præscribendum requisito.

SUMMARIUM.

139. *Quid hic intelligatur per tempus* breve, longum, longissimum, immemorabile. 140. *Aliquando præscribitur contra* præsentes, *aliquando contra* absentes. 141. *Quid sint res* mobiles, *& quid* immobiles? 142. *& seqq. Determinatur tempus ad utrarumque præscriptionem exactum.* 147. *Quo tempore præscribantur, & amittantur servitutes tam reales, quam personales?*

139. PRænotandum primo, tempus præscriptionis aliud dici *breve*, aliud *longum*, aliud *longissimum*, aliud *immemoriale*. Breve sunt pauciores, quam decem anni: longum decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes: longissimum triginta, vel quadraginta anni, aut ultra: immemoriale, cujus initium nescitur.

140. Prænotandum secundo, aliquando præscribi contra *præsentes*, aliquando contra *absentes*. Præsentes hodie dicuntur, qui in eodem territorio habitant; vel, si id nimis amplum sit, sub eodem Judice, aut Gubernatore existunt: cujusmodi plerumque sunt, qui in eadem civitate domicilium habent. Absentes dicuntur, qui habitant in diversis territoriis, aut in eodem, sed diversos Judices, & Gubernatores habente. Utiliter hic videri potest P. Schmier *loc. cit. n.* 439. *& seqq.*

141. Prænotandum tertio, gnaviter hic distinguendum esse inter res *mobiles*, & *immobiles*; nam ad earum præscriptionem a Jure diversum tempus exigitur. Res mobiles sunt, quæ loco moveri possunt; ut pecuniæ, vestes animalia, libri &c. Immobiles, quæ loco moveri non possunt; ut prædia, domus, & similia. His præmissis,

142. Dico primo. Res mobiles, quantumcunque pretiosæ, cum titulo præscribuntur triennio contra privatos. Imperator Justinianus *in princ. Instit. de Præscript. & in L. un. C. de Usucap. transform.*

143. Dico secundo. Res immobiles privatorum, quando hi privilegiati non sunt, ut pupilli, minores &c. de quibus supra *art.* 3. cum titulo præscribuntur decem annis inter præsentes, & viginti annis inter absentes. *Princ. & L. un. cit. L.* 4. & *L. fin. C. de Præscript. long. temp.*

144. Dico tertio. Sine titulo res tam mobiles, quam immobiles privatorum, tam inter absentes, quam inter præsentes, præscribuntur spatio triginta annorum. Azorius *part.* 3. *lib.* 1. *c.* 22. *q.* 6. *&* 8. Laymann *lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 8. *n.* 13. Konig hic *n.* 44. Schmalzgrueber *n.* 100. & alii.

Probatur conclusio; imo, in quantum concernit præscriptionem rerum immobilium, expresse habetur *in L.* 3. *& L.* 4. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* Ex quibus Legibus ducitur argumentum etiam ad res mobiles privatorum: cum enim de his nihil statutum sit aliud, casu, quo titulus deficit, censendæ sunt pari passu procedere cum rebus immobilibus, inquit P. Schmalzgrueber *loc. cit.*

145. Dico quarto. Res immobiles Ecclesiarum, Romana inferiorum, præscribuntur (1.) quadraginta annis; mobiles vero (2.) triginta tribus annis.

Probatur; imo liquet prima pars *ex cap.* 4. *&* 6. *de Præscript.* Adeoque si laicus rem Ecclesiæ, Romana inferioris, ut propriam spatio quadraginta annorum bona fide possederit, eam sibi acquirit.

Extenditur quadragenaria hæc præscriptio etiam ad Monasteria, Hospitalia, & alia loca religiosa, ac pia; ut constat *ex Authent. Quas actiones. C. de SS. Eccles.* Imo contra Monasteria Ordinis S. Benedicti ex Privilegio Eugenii IV. non nisi sexaginta annis; contra Monasteria Ordinum Cisterciensis, & Mendicantium ex concessione Leonis X. & Pii IV. non nisi centum annis præscribitur. Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regular q.* 36. *art.* 3.

Probatur secunda pars *ex Authent. Quas actiones. C. de SS. Eccles.* immediate *cit.* approbata *can. fin. caus.* 16. *q.* 3. praxique tribunalium; ut testatur P. VViestner *ad tit. de Præscript. n.* 82.

Confirmatur. Jus Civile statuit, quod in conclus. diximus, & Jus Canonicum nullibi statuit contrarium (ubinam enim?) ergo subintrat Regula *c.* 1. *de Novi oper. nunt.* videlicet, ubi SS. Canones nihil decernunt, respicienda esse statuta Juris Civilis.

146. Dico quinto. Res Ecclesiæ Romanæ tam mobiles, quam immobiles, non possunt præscribi, nisi spatio centum annorum. De rebus immobilibus nulla est controversia propter *cit. Authent. Quas actiones. C. de SS. Eccles.* & varios Juris textus, in quibus id clare decernitur. De rebus mobilibus conclusio sustinetur a P. Schmier *loc. cit. numer.* 609. & aliis apud ipsum. Atque

Probatur ex *c.* 13. *&* 14. *de Præscript.* ubi Beneficium præscriptionis centenariæ tribuitur Romanæ Ecclesiæ sine omni rerum differentia, & adhuc clarius *in can. ult. caus.* 16. *q.* 3. cum ergo Jura inter res mobiles, & immobiles non distinguant, nec nos distinguere debemus.

Excipit P. Schmalzgrueber *n.* 101. casum in *c. fin. de Præscript.* contentum, ubi statuitur, etiam contra Ecclesiam Romanam præscribi posse quadraginta annorum spatio, si bona hæreticorum, qui, dum viverent, catholici putabantur, a catholicis eorum filiis, vel nepotibus, aut extraneis quibuscunque quadraginta annorum spatio bona fide possessa sint.

147. Quæres, quo tempore præscribantur, & amittantur servitutes?

Respondetur primo. Servitutes reales, sive continuæ, sive discontinuæ, præscribuntur tempore longo, per *l. ult. C. de Præscript. long. temp.* & *L.* 1. *§. fin. ff. de Aqua, & aquæ pluv. arc.* Quod autem nulla inter has servitutes fieri hic debeat differentia, relinquitur ex dictis §. 5. *conclus.* 4. & insuper desumitur ex nullitate rationis, quam afferunt Adversarii; nam ideo secundum ipsos solæ servitutes reales continuæ longo tempore acquiruntur, non item discontinuæ; quia harum actus, utpote interrupti, & discontinui, possessionem reddunt discontinuam, & interruptam: sed hæc ratio infirma est, & omnino nulla; siquidem, licet actus servitutum discontinuarum sint interrupti, & discontinui, non tamen interrupta, & discontinua idcirco censeri debet illarum possessio, utpote cujus continuatio non desumitur ab actibus, sed ab animo, *arg. §.* 5. *Instit. de Interd.* consequenter &c.

Respondetur secundo. Servitutes personales, ut sunt usufructus, usus, & habitatio, cum titulo, tempore longo, & sine titulo, longissimo præscribuntur. Constat ex *l. ult. C. de Præscrip. long. temp.* in cujus fine constitutio de rebus immobilibus, quæ inter præsentes decem, inter absentes vero viginti annis præscribuntur, ad servitutes, & nominatim ad usumfructum porrigitur. Quæ autem de usufructu sunt statuta, etiam ad usum, & habitationem pertinent, *pr. Instit. l.* 1. *§. un. ff. de Usu, & habit.* nisi stat in Jure aliqua distinctio, vel exceptio.

Respondetur tertio. Servitutes reales, non solum continuæ, sed etiam discontinuæ, ob non usum longo tempore amittuntur: illis exceptis, quarum usus annorum, mensium, vel hebdomadarum intervallo est interruptus; hæ enim tam inter præsentes, quam inter absentes, vicennio intereunt. Primum habetur in *l. penult. C. de Servitut.* & *l.* 7. *ff. Quemadm. servit. amitt.* Alterum colligitur *l. ult. C. de Servitut.*

Respondetur quarto. Servitutes personales decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes, amittuntur, sive fuerint constitutæ in rebus mobilibus, sive immobilibus: prout colligitur ex *l.* 13. *C. de Servitut.* Excipitur habitatio per textum in *l.* 10. *ff. de usu, & habit.* quia hæc, seu habitatio sic alteri constituitur, ut habitet, quoties ipsi commodum fuerit. Excipitur præterea usufructus improprie talis, seu quasi-usufructus, qui non utendo non perditur; fructuarius enim tunc efficitur dominus rei, in fructum concessæ; sicque instar domini re sua uti, vel non uti potest. P. Schmier *n.* 488. *& seqq.*

Quo tempore præscribantur jura tum profana, tum Ecclesiastica: item actiones, accusationes criminales &c. Videri potest Author immediate allegatus. Ceterum quæ per decursum hujus disputationis dicta sunt, habentur omnia quasi verbatim *in meis thesib. de J. & J. pag. 35. & seqq.* Nunc more solito supperaddo, & subjungo Casus, Sit igitur

---

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

148. *Gethulius in loco alteri subjecto, nulla tamen sepe circundato, successive octo lepores, & unum cervum trajiciendo, non peccat mortaliter; peccat tamen venialiter, & sub veniali ad restitutionem obstringitur, per se loquendo.* 149. *An, & qualiter peccet Gerimundus cum onere restitutionis, dum capit pisces; colligit fructus arborum; capit, vel attrahit columbas alienas?* 150. *Gustavus licite communi pretio emit fundum, in quo privata scientia novit latere venam metallicam.* 151. *Genesius, homo pauperculus, licite sibi retinet pecuniam inventam, cujus dominum, facta diligenti inquisitione, rescire non potuit.* 152. *Gangulphus pecuniam furtivam pro equo vendito, uti & per modum honorarii acceptam, cum sua indiscernibiliter bona fide commiscendo, efficitur utriusque dominus; nec priorem, bene vero posteriorem, restituere obligatur.* 153. *Gemedius equum legitime præscriptum, sed ex invincibili ignorantia dominii acquisiti, priori domino comparenti redditum, repetere jure, & salva conscientia potest.*

CASUS I.

148. *Gethulius, Vir non modo natalibus, verum & animi dotibus apprime clarus, ut negotii, queis identidem arduis distenditur, quandoque otia interserat, sesequc divertat, in hebdomada semel, vel bis venatum egreditur, & dum intra limites sui districtus apprehendere nullam feram potest, transgreditur ac vicinum territorium Gethuliani Viri itidem nobilis, & in locis huic subjectis, nulla tamen sepe circundatis, venando, successive octo lepores, & unum cervum trajicit. Quæritur 1. An, & quantum peccet Gethulius? 2. Num, & qualiter obligetur ad restitutionem?*

Respondetur primo, Gethulium non peccare mortaliter, Palao *pars. 7. tr. 31. pun. 14. n. 4.* Dicastillo *lib. 2. tr. 2. disp. 9. n.* 308. Burghaber *cent. 1. cas. 52.* & alii passim; quamvis plerique responsionem probent ex eo, quod Gethulius non peccet contra Justitiam. Verum ratio nostra hæc esto: quia Gethulianus non obtinet dominium ferarum in suo territorio aperto commorantium, sed solummodo habet jus venandi, & capiendi illas: quod jus non læditur, aut deterioratur graviter, dum Gethulius quasi recreationis ergo feras supra memoratas sternit, Peccat tamen Gethulius per se loquendo venialiter, quatenus jus, Gethuliano (ut supponitur) justo titulo quæsitum, usurpat, & leviter violat.

Respondetur secundo, Gethulium per se loquendo obligari sub veniali ad restitutionem non quidem secundum æstimationem rei, seu ferarum trajectarum, sed secundum æstimationem spei in jure venandi fundatæ, & Gethuliano ad illas feras capiendas competentis. Laymann *lib. 3. de Just. & Jur. tr. 1. c. 5. num. 12.* Sporer *tr. 6. in Decal. c. 1. n. 146.* & alii contra alios, Gethulium, etiam per se loquendo, ad nullam restitutionem obstringentes. Ratio est; quia læsio Justitiæ commutativæ, si sit damnifera, inducit obligationem restituendi: sed Gethulius lædit Justitiam commutativam, & infert Gethuliano damnum, esto leve tantum, in eo situm, quod eidem capturam ferarum aliquo modo reddat difficiliorem, & jus venandi vilius; ergo &c.

Dices contra utranque responsionem. Lex prohibens venationem, saltem in silvis apertis, est mere pœnalis; ergo ejus transgressio nullam importat culpam Theologicam, saltem contra Justitiam, nullamque obligationem restituendi in foro conscientiæ.

Respondetur primo, retorquendo argum. Lex prohibens venationem est mere pœnalis; ergo ejus transgressio nullam inducit culpam Theologicam, saltem contra Justitiam, nullamque obligationem restituendi in foro conscientiæ; ergo licet Gethulius plurimas feras sternere, & maximam territorio Gethuliani solitudinem inferre ponatur, non peccat contra Justitiam, nec contrahit obligationem restituendi in foro conscientiæ: id quod juxta Theologos communiter, & juxta ipsosmet ita objicientes asseri sine grandi absurdo, & læsione veritatis nequit.

Respondetur secundo, transmisso enthymemate, neg. suppositum, quod reatus culpæ Theologicæ contra Justitiam, & consectanea obligatio restituendi in foro conscientiæ sumi hic debeant ex lege humana venationem prohibente; oriuntur quippe ex ipsa lege naturali Justitiæ jubente relinqui cuique suum, cui contravenit Gethulius jus venandi Gethuliano competens sibi usurpando.

Manet igitur, quod Gethulius in Casu venialiter peccet per se loquendo; quatenus jus venandi Gethuliano proprium leviter lædit, nisi forte Gethulianus talem hanc læsionem anticipato condonare censeatur, sive quod generatim sciat, alterum in alterius locum venandi gratia excurrere; sive quod ipse non tam scrupulose venationes intra suum territorium exerceat, quin eas subinde protrudat ad alienum, etiam Gethulii.

Manet præterea, quod Gethulius per se loquendo sub veniali teneatur ad restitutionem non quidem secundum æstimationem ferarum, quas jaculatus est, cum non patraverit furtum rei; sed secundum æstimationem spei, quam Gethulianus habebat ad illas feras capiendas, seu quatenus idem Gethulius commisit quasi furtum spei, & usus, secundum dicta *n. 31.* nisi denuo Gethulianus censeatur restitutionem condonare; vel nisi cum Palao supra *n. 35.* tenere velis, ejusmodi læsionem spei, & juris, ceu modicam, in communi hominum æstimatione haberi pro nulla.

Quod si adhærere malis sententiæ affirmantium, prohibitionem venandi in alterius silva, aperta tamen, vel clausa quidem, sed oppido vasta, esse mere pœnalem (adeoque Gethulium & a peccato contra Justitiam, & ab onere restitutionis pro foro conscientiæ existere immunem) illam limitare necessario debebis ad venationes modicas, seu non nimium frequentes, nec magnam ferarum stragem afferentes: alioquin contra communem DD. admittere cogeris, non peccaturum adversus Justitiam, ne quidem venialiter, & consequenter ad nullam restitutionem in foro conscientiæ obstrictum iri, qui plurimas etiam feras in tali silva jaculatus fuerit. Atque ita limitatam Adversariorum sententiam improbabilitatis non damno, quamvis nostra videatur probabilior, consuetudine in contrarium nihil urgente; utpote quæ non est legitime introducta, cum Principes, aliique territoriorum domini identidem contra protestentur, atque reclament. Porro in eadem Adversariorum sententia dicere debebis, quod Gethulianus (idem cogita de aliis silvarum dominis) non habeat jus venandi *simpliciter* in tali silva, adeo, ut ipse solus ibi venari possit, & insuper vi ejusdem juris aliis vetitum sit, ne ipsi ibidem quoquo modo venentur: sed tantum, quod habeat jus venandi *libere, & impune*, ita ut nec a venatione impediri possit ab aliis, nec ulli pœnæ sit obnoxius, licet venationem exerceat, Quo fit (loquor cum, & pro Adversariis) ut idem Gethulianus non possit alios absolute obligare, ne in suo territorio venentur, sed tantum, ut possit obligare disjunctive, ut vel abstineant a venatione, vel si in venatione fuerint deprehensi statutam pœnam exolvant. Unde siquis suo periculo ibidem (moderate tamen) venari velit, contra Justitiam non peccabit, neque contrahet obligationem quidquam restituendi in foro conscientiæ: cum nullum Gethuliani (vel alterius) jus prædicto modo intellectum, violet, sed omnino intactum, ac integrum relinquat: prout modo dicta pensanti perspicuum erit.

Colliges pro confessionali, cum venatoribus clancularis, si super hac materia se accusent (quod tamen facere raro solent) caute procedendum esse, & opportune, ac importune instandum, ut hoc lucrandi genere abstineant. Sæpe enim periculum est, ne

graviter

graviter peccent, puta, si id faciant cum magno neglectu rei familiaris: si se exponant periculo carceris, exilii &c. non sine ingenti præjudicio conjugis, & liberorum: si Ministris Principis, quibus ex officio incumbit silva, & feras custodire, vim inferant, aut inferre tentent: si diebus Dominicis, aut festivis Sacrum negligant: si magnam stragem faciant, & jus venandi notabiliter reddant vilius &c.

C A S U S II.

149. *Gerimundus adolescens in confessione se accusat. 1. Quod pisces ceperit in stagno minore, ubi & exire nequeunt, & aqua dimissa facile capi possunt. 2. Quod in silvis collegerit fructus arborum, ut castaneas, pyra, glandes &c. 3. Quod prope alienum columbarium ceperit columbas. 4. Quod propriis columbis præbuerit meliorem pastum, & commodiorem paraverit stationem, ut alienas attraheret, atque ita consuetudinem ad proprium columbarium revertendi deductas suo dominio subjugaret. Quæritur, an Gerimundus prædictis actionibus peccaverit, & ad aliquam restitutionem a Confessario adigendus sit?*

RESpondetur, Et quidem ad 1. dico, Gerimundum peccasse, idque graviter, si ceperit pisces in quantitate, ad mortale peccatum sufficiente; tenerique ad restitutionem. Fluit ex dictis *num.* 28. Ratio est: quia pisces in tali stagno se habent, ut feræ in silva circumsepta, quæ non est magnæ amplitudinis, & in qua feræ capi facile possunt; ergo &c. Revide, quæ *num. cit.* diximus. Huc facit Constitutio Caroli V. *articul.* 169. ubi, qui in stagno piscatur, dicitur domino non tantum teneri injuriarum, sed etiam furti, tam civili, quam criminali actione. Nec immerito: sæpe enim dominus multis expensis, vel longa industria stagnum comparat: dein pisces non sine delectu, & solicitudine in stagnum immittit: demum fructus stagnorum semper in piscatione consistit, & pisces, quamvis libere vagentur, in iisdem tamen stagnis, quibus immissi sunt, vel ex quibus trahunt originem, aluntur, & sustentantur.

Ad 2. dico, Gerimundum, si collegerit fructus arborum in silvis, in quibus ipsi licitum est ligna cædere, ut in silvis apertis, & ad suam Communitatem spectantibus, ubi nulla Principis, aut Magistratus prohibitio adest, nullo modo peccasse (supposito, quod Communitati non intulerit magnum, & extraordinarium damnum) & consequenter nullam contraxisse obligationem restituendi. Ratio est: quia fructus sequitur naturam rei, cujus est fructus, sicut accessorium sequitur suum principale; ergo ubi licet cædere ligna, seu arbores, ibi etiam licebit colligere fructus arborum. Si vero Gerimundus collegerit fructus arborum in silvis, in quibus ipsi non est licitum ligna cædere, ut in silvis circumseptis, aut speciali plantationibus titulo alicui appropriatis, vel in silvis alienæ Communitatis, aut etiam propriæ, ubi, & quando urget prohibitio Principis, peccavit, ac per se loquendo teneretur ad restitutionem, quamvis prudenter præsumere possit, nullam desiderari, quando damnum est modicum, secundum dicta *n.* 40. Ratio est opposita; nam si non liceat principale, neque licebit accessorium, illius naturam sequens &c.

Dices. Religiosus, licet sit pars sui Conventus, si tamen aliquid sine omni licentia ex bonis communibus sibi usurpet, peccat contra Justitiam; ergo etiam Gerimundus, dum colligit fructus arborum in territorio, & silva suæ Communitatis consistentium: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia apud Religiosos dominium, totaque administratio bonorum ita est penes Communitatem (si hæc dominii capax existat) ut singuli Religiosi nec ex parte possint condonare id quod citra licentiam Prælati aliquis accipit. Contra oppidani singuli retinent suum jus particulare ad bona communia, eoque uti possunt pro libitu (ubi non obstat prohibitio Principis) quin aliis ejusdem Communitatis partibus faciant injuriam.

Dices amplius. Æque est fur, qui publicum ærarium, licet ad suam Communitatem pertinens, expilat, ac qui pecuniam a persona privata surripit: imo prior magis peccat, magisque punitur; ergo nec Gerimundus excusatur a furto, & per consequens a peccato injustitiæ, ac onere restitutionis, dum collegit fructus arborum, licet in silva Communitatis propriæ suarum.

Respondetur, neg. iterum cons. & parit. Nam pecuniæ hoc ipso, quod ærario publico inferantur in commodum omnium, & singulorum civium, publico horum consensu, ac voluntate ita subduntur dominio Reipublicæ, ut hac invita nemo citra injuriam possit quidquam subtrahere. Aliud est de fructibus arborum in aliqua Communitate, utpote qui consensu civium non ita Communitati addicuntur, ut a singulorum dominio extrahantur: consequenter &c.

Ad 3. dico, Gerimundum procul dubio peccasse contra Justitiam, & teneri ad restitutionem columbarum. Ratio est: quia tales columbæ duplici titulo pertinent ad dominium illius, qui columbarium possidet. 1. Quia recluduntur, & domi asservantur. 2. Quia peculiari cura sustentantur.

Ad 4. dico, Gerimundum non peccasse, nec consequenter obligari ad aliquam restitutionem. Ratio est: quia Gerimundus obtinet jus meliorem pastum præbendi, & commodiorem stationem parandi columbis suis; ergo dum tali jure utitur, non peccat, esto id faciat animo attrahendi columbas alterius, tam bonum pastum non præbentis &c. Aliud foret, si per fraudem & inusitatas illecebras alterius columbas attraheret: prout animadversum est supra *n.* 30.

C A S U S III.

150. *Gustavus, Vir nobilis, opumque dives, dum venandi gratia in silvis oberrat, deprehendit manifesta indicia metalli in quopiam fundo latentis. Quapropter, re in suo pectore recondita, domum reversus, ad dominum fundi se illico confert, fundumque sibi vendi postulat, & annuente domino, emit communi pretio. Peracto venditionis emptionis contractu, persolutoque pretio, Gustavus mox fodere incipit, & brevi reperit venam metalli admodum feracem, maximumque inde lucrum eruit. Quæritur, an Gustavus a venditore, latentis metalli ignaro, potuerit fundum emere communi, seu vulgare pretio?*

RESpondetur affirmative. Ita contra Vasquez, & quosdam alios Cardinalis de Lugo *de Just. disp.* 6. *n.* 128. Burghaber *cent.* 3. *cas.* 72. Sporer *loc. cit. n.* 174. &c. his testibus, omnes illi (si consequenter loqui velint) qui id asserunt de thesauro latente in alieno fundo; ut Navarrus *in Manual. Manual. c.* 17. *n.* 175. Laymann *lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 23. Molina, Lessius, Dicastillo, & ipse Vasquez, aliique innumeri. Ratio est: quia si pretium vulgare respectu talis fundi justum fuit, potuit fundus tali pretio emi: sed fuit justum; ergo &c. Maj. est certa Min. prob. Ideo pretium vulgare non fuisset justum; quia fundus ob latentem venam metallicam longe plus utilitatis emptori attulit: sed hæc ratio nihil evincit; ergo &c. Maj. est Adversariorum. Min. denuo prob. Nam justum fundi pretium non sumitur præcise ex majori alicujus rei utilitate, sed ex communi hominum æstimatione; hæc quippe sola humani pretii justi est immediata regula, & mensura; quemadmodum videbimus *tract.* 3. hujus partis: atqui communis hominum æstimatio pretium vulgare judicavit justum; cum homines hoc ipso, quod ignoraverint venam metallicam in fundo latere, non pluris æstimaverint fundum, ac si nullam ejusmodi venam continuisset; ergo &c. Confirmatur primo. Si Gustavus emisset fundum, & nec ipse scivisset, nec alii, latere in illo venam metalli, non teneretur post repertam ibidem venam pretium augere, posito, quod ante dederit pretium communi hominum æstimatione justum; ergo idem dicendum, quando sciens emit; cum privata ipsius notitia nihil conferat ad communem hominum æstimationem, ex qua pendet Justitia pretii: consequenter &c. Confirmatur secundo. Juxta Vasquezium si Gustavus emisset fundum, in quo privata scientia nosset latere thesaurum, vulgari pretio, juste emisset; ergo etiam dum emit fundum, in quo privata scientia novit latere venam metalli. Nititur quidem Vasquezius reddere disparitatem, in eo sitam, quod vena metalli sit fructus fundi, non item thesaurus. Veruntamen hæc disparitas mere materialiter, & im-

pertinenter se habet relate ad resolutionem præsentis casus. Unde contra primo. Hæc pars terræ, in qua latet vena metalli, similis est, ac ejusdem speciei cum aliis ejusdem terræ partibus, & communiter non agnoscitur, ibi latere aliquid speciale, hinc venditur tanquam communis, & pretium duntaxat statuitur in ordine ad usus communes terræ: communis autem æstimatio est, quæ facit justum pretium; ergo &c. Contra est secundo. Licet vena aquæ sit fructus fundi, si tamen ea hominibus sit ignota, non auget pretium fundi, prout, teste Dicastillo, communis habet praxis; ergo nec vena metalli, hominibus communiter incognita, augebit pretium fundi, in quo latet, & cujus est fructus; alioquin etiam post emptionem, bona fide, & cum ignorantia utriusque contrahentis celebratam, deberet pretium augere; quod est procul a veritate. Itaque fructus rei tunc solummodo augent pretium rei, quando communi hominum notitia cognoscuntur: quia tunc solum, & non alias, habetur immediata regula pretii justi, videlicet communis hominum æstimatio.

Dices. Hac ratione fieret (vel potius attentaretur) contractus in damnum venditoris; ergo emptor tenetur manifestare venam metalli: sicut venditor obligatur detegere vitium mercis, si alias læderetur emptor.

Confirmatur. Si emptor venditorem non moneat de latente vena metalli, dolus dat causam contractui, quia dominus alias fundum non vendidisset: sicut dolus dat causam contractui, si quis lapidem pretiosum emat ab inscio; ergo &c.

Respondetur ad argum. Fieret contractus in damnum venditoris, ab injuria sejunctum, con. cum injuria conjunctum, neg. ant. & cons. Emptor venditori non facit injuriam, dum non manifestat in casu venam metalli, utpote quæ ob defectum communis hominum æstimationis non habet pretium distinctum a pretio fundi; adeoque nec auget pretium fundi. Aliud est de venditore: quia vitium mercis, licet hunc, vel illum particularem emptorem lateat, communiter tamen non latet alios peritos, a quibus ejusmodi merx communi æstimatione minoris fit; proindeque citra injustitiam non potest tanto pretio vendi, quanto ab emptore in particulari æstimatur, sed quanto æstimatur ab aliis communiter.

Ad confirm. neg. ant. Nam hoc ipso, quod emptor solvat pretium juxta communem hominum æstimationem, dolum non committit; cum faciat solutionem justam. Secus dicendum de lapillo pretioso, ubi emptio liquido est injusta, cum non solvatur pretium justum pro re, quæ emitur. Nec refert, quod venditor ignoret; alii enim periti omnes sciunt, lapidem illum longe pluris valere.

CASUS IV.

151. *Genesius, homo pauperculus, dum certi cujusdam rustici villam transit, advertit prope eam gallinas pedibus radere terram plus solito cruciantes, quod admiratus accessit, spectatum, quid objecti haberent, & conspexit in volucrum promicare, idque mox erutum secum asportavit, reclusit, & triginta in eodem florenos reperit. Qualiter Genesius circa has pecunias se gereret ignarus, Confessarium adivit, consilium requisivit, & responsum tulit, quod modo moraliter possibili in illorum florenorum dominum inquirere teneatur, & reperto eosdem restituere. Fecit Genesius, quod jussit Confessarius, sed conatu irrito; nam peracta inquisitione ut ut diligenti, ne minimum quidem legitimi domini vestigium deprehendit. Potestne jam Genesius prædictos triginta florenos salva conscientia sibi retinere?*

Respondetur. Potest. Ita communis DD. etiam illorum, qui nobiscum sentiunt, quod bona incerta (de quorum classe existunt memoratæ pecuniæ) a non paupere reperta, dari pauperibus, vel ad aliam piam causam applicari debeant. Ratio responsionis est; quia esto Genesius ejusmodi pecunias non possit sibi retinere titulo solius inventionis, prout habet probabilior sententia a nobis tradita, & stabilita *num.* 51. *& seqq.* potest tamen eosdem retinere titulo inventionis, & paupertatis simul, quo utroque munitus est; ergo &c. Confirmatur primo. Genesius in casu illos triginta florenos licite expenderet in pauperes, vel in aliam piam causam; imo juxta probabiliorem sententiam ita expendere tenetur, si ipse non esset pauper: quia faceret juxta rationabiliter præsumptam voluntatem domini ignorati, volentis, ut saltem emolumentum spirituale sibi inde proveniat; ergo etiam pro se, cum sit pauper, licite retinet; quoniam sic facit similiter juxta rationabiliter præsumptam voluntatem domini inquisiti, & non inventi, prædictum emolumentum pariter obtinentis. Confirmatur secundo. Genesius non est deterioris conditionis, quam alii pauperes; imo potius melioris, cum non sit solum pauper, sed etiam inventor rei deperditæ; ergo si licite agat rem deperditam, & a se inventam, in alios pauperes erogando, etiam licite aget eandem sibi retinendo. Quod si tamen contingat dominum postea comparere, antequam Genesius (vel alii pauperes) rem inventam legitime præscripserit, tenetur illi restituere, quidquid de re ipsa, aut pretio, ex ea, forte vendita, redacto, residuum est vel in se, vel in æquivalenti: quia retentio (vel distributio) censetur habere imbibitam hanc conditionem: nisi dominus compareat. Sed

Dices. Vel is, qui rem amisit, censetur adhuc dominus rei inventæ, & a Genesio retentæ (vel inter pauperes distributæ) aut non? Si primum; res a Genesio (vel pauperibus) consumi, aut vendi non potest, contra nostrum suppositum; cum talis consumptio, aut venditio vergeret in præjudicium, ac injuriam domini. Si secundum; nec res, nec rei venditæ pretium ex obligatione illi restituendum erit.

Respondetur, illum adhuc esse dominum. Ad id, quod in contrarium affertur, ajo, ejusmodi rem posse a Genesio (vel aliis pauperibus) consumi, aut vendi ex rationabiliter præsumpta voluntate domini; prout eruitur ex hucusque dictis. Unde nec consumptio, nec venditio talis rei contra jus domini, utpote non inviti, ullatenus committitur, seu in ejusdem præjudicium, ac injuriam vergere. Cum hoc tamen stat, quod hujusmodi rei adhuc censeatur esse annexa obligatio, ut suo legitimo domino, si forte compareat, restituatur vel in se, si adhuc extet; vel in æquivalenti, si fuerit absumpta, & is, per quem absumpta fuit, evaserit inde ditior; vel in pretio, si fuerit vendita, & pretium adhuc extet &c. id quod relinquitur ex dictis *n.* 59.

Instabis. Venditio rei alienæ est invalida: sed venditio rei inventæ, quæ fieret a Genesio (vel aliis pauperibus) esset venditio rei alienæ secundum proxime dicta; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Si illa res aliena sit insuper aliquo vitio affecta, ut si sit furtiva, vel vi possessa, ejus venditio est invalida, transeat. Si non sit affecta aliquo vitio, ejus venditio est invalida, subdist. quando pugnat contra jus domini, con. secus, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons. Videri potest Ayblinger *in Institut. lib.* 3. *tit.* 24. *a num.* 24.

CASUS V.

152. *Ganguphus, Consiliarius aulicus, vendidit equum alicui Judæo centum florenis, statim solutis, quos tamen idem Judæus furto sublegerat. Accepit insuper a [illegible] quopiam totidem florenos per modum honorarii, itidem furto sublectos. Et quoniam Ganguphus utriusque [illegible] ti ignarus erat, præmemoratam ducentorum florenorum summam cum aliis suis pecuniis ejusdem omnino sortis bona fide commiscuit; idque indiscernibiliter. Quo facto, comparuere domini illarum pecuniarum, easque tanquam suas a Ganguipho repetiere. Quæritur, an Ganguphus dictarum pecuniarum effectus sit dominus; & an nihil earum teneatur restituere?*

Respondetur primo ad primum affirmative. Ita DD. communiter. Ratio est: quia *in l.* 18. *de Solut.* sic statutum reperitur ob quotidianum pecuniæ usum in commerciis humanis, ne scilicet ejusdem dominium incertum sit; ex qua incertitudine multa præjudicia hominibus nascerentur, prout advertimus supra *n.* 68.

Respondetur secundo ad secundum, Ganguphum non obligari ad restitutionem centum florenorum pro equo acceptorum; obligari vero ad restitutionem centum florenorum per modum honorarii acceptorum. Est itidem communis DD. & sumitur pariter *ex cit.* [illegible] 78. Ratio quoque suffragatur: quia possessor bonæ fidei, si eadem fide rem possessam consumpserit, tenetur solum restituere, quantum inde factus est

ditior;

ditior; prout videbimus *in tr. seq. de Restit.* sed Gangulphus fuit possessor bonæ fidei, & eadem fide ducentos illos florenos consumpsit, nempe moraliter per commixtionem, utpote vi cujus dominis abstulit, & in se transtulit memoratorum florenorum dominium; ergo solum tenetur restituere, quantum inde factus est ditior. Atqui non est factus ditior ex primis centum florenis; cum eos acceperit pro equo, & tanquam sibi debitos: bene vero ex secundis centum florenis, quippe gratis, & lucrative obtentis; ergo &c.

CASUS VI.

153. *Gemedius, homo rudis, crassoque sub aere natus, jam ultra triennium possidet equum, bona fide, & legitimo titulo munitus. Sed quoniam postea compareт dominus equi, & hunc esse suum argumentis omnino convincentibus demonstrat, Gemedius ei equum restituit, ad id se obligari ratus. Ast errorem a Viro quodam perito edoctus, equum repetit, seu sibi debitum beneficio præscriptionis. Queritur, an Gemedius equum repetere, ejusque redditionem prætendere jure queat?*

R.Espondetur affirmative, Ita cum communi P. La Croix *lib. 3. part. 2. n.* 474. & ego *in meis Thes. de J. & J. pag.* 102. Ratio est: quia qui tenet dominium rei, potest illam a quocunque possessore repetere, & vindicare: sed is, qui præscripsit rem (sicut in Casu Gemedius) tenet dominium rei, tametsi hanc postmodum restituerit; ergo &c. Maj. est certa Min. prob. Nam restituendo non transfert dominium in pristinum dominum, cum non habeat, nec habere possit animum illud transferendi, utpote ignarus juris, seu putans, sibi nullum jus in re præscripta competere; ergo &c.

Dices primo, Præscriptio fundatur in bona fide, qua possidens rem alienam, suam esse credit; ergo saltem si deinde constet rem alienam esse, cessabit præscriptio: quia tum cessat bona fides, quæ est fundamentum præscriptionis.

Respondetur, explic. & dist. ant. Præscriptio, in fieri considerata, fundatur in bona fide, con. considerata in facto esse, neg. ant. & neg. conf. Imo scientia superveniens præscriptioni jam completæ malam fidem non facit; cum jam non sit scientia rei alienæ, sed propriæ. Unde quando is, qui præscripsit, rem præscriptam retinet, vel eandem pristino domino ex errore redditam repetit, retinet, vel repetit rem suam, non alienam.

Dices secundo. Ignorantia Juris nemini prodest; ergo nec illi, qui rem præscriptam ex errore restituit; consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Nemini prodest ad dominium acquirendum, admitto, Ad illud conservandum, neg. ant. & conf. Nam *l. 7. ff. de Jur. & facti ignor.* expresse habetur: *Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero petentibus non nocet.*

Plures de Præscriptione Casus, utpote potius Juridicos, quam Theologicos, adducere supersedeo, & ad alia, quæ foro Theologico magis propria sunt, animum, calamumque converto.

DISPUTATIO III.

De Subjecto Juris, seu Dominii.

SUbjectum proximum, & quasi inhæsionis, juris, & dominii esse voluntatem tam Dei, quam creaturæ, Angeli videlicet, ac hominis, ex illorum definitionibus, in *disp.* 1. *c.* 1. & 2. allatis, haud obscure colligitur. Unde impræsentiarum de solo subjecto remoto, & dominationis, id est, de supposito, seu persona, cui jus, vel dominium competit, tractandum superest, quod per decursum hujus disputationis executioni mandabimus.

CAPUT I.

De Subjecto Juris, & Dominii in communi.

ANtequam Subjecta juris, & dominii in particulari expendamus, oportet de utriusque subjecto in communi disputare: ubi identidem una involvetur objectum, ad quod jus, vel dominium se extendit.

ARTICULUS I.

An dari possit jus, aut dominium ejusdem rei penes duos insolidum?

SUMMARIUM.

154. *Exponitur status quæstionis.* 155. *Dominium aliud dicitur, & est* Instantaneum, *aliud* permanens. 156. *Implicat dominium duorum insolidum circa eandem rem, sive illud sit instantaneum, sive permanens. Idem esto judicium de jure, quod non est dominium.* 157. & *seqq. Satisfit argumentis contrariis.* 163. *Refellitur modus, quo utuntur Juristæ in defendenda sententia nostra contraria.*

154. PRænotandum primo, quæstionem procedere 1. de jure, & dominio *ejusdem rationis:* siquidem indubitatum omnino est, duobus competere posse eandem rem jus, seu dominium diversæ rationis, e. g. uni jus proprietatis, alteri usumfructum; uni dominium directum, alteri utile. 2. de jure, & dominio *insolidum*, id est, cuique seorsim totaliter, & adæquate, non autem duobus indivisim per modum unius domini, vel partialiter, seu dominis partialibus, competente. 3. de jure, & dominio *in eandem rem*, & quidem *pro eodem tempore*, aut *instanti*; nam successive, & pro diverso tempore, aut instanti plures fieri dominos ejusdem rei contingit toties, quoties dominium ab uno legitime transfertur in alterum. 4. de dominio *perfecto*, & *pleno*, non quidem in eo sensu, in quo dominium plenum includit necessario tam dominium directum, quam utile, secundum dicta *n.* 13. sed de dominio *pleno*, & *perfecto* tam ex parte objecti, quam subjecti, ita, ut status quæstionis sit, an dari possint duo, vel plures domini alicujus rei totius, & totaliter, singuli insolidum, sive dein essent domini directi, vel utiles tantum; sive directi, & utiles simul? Nam rationes, quæ pro conclusione sive affirmativa, sive negativa afferri solent, æque procedunt de dominio directo, vel utili tantum, ac de dominio directo, & utili simul: imo etiam de jure, quod rationem dominii non sortitur; prout pensanti pervium erit.

155. Prænotandum secundo, dominium aliud dici, & esse *instantaneum*, aliud *permanens*. Prius est, quod præcise respicit instans, in quo transfertur, & acquiritur; adeoque consideratur in fieri. Posterius est, quod se protendit ultra instans translationis, & acquisitionis; adeoque consideratur in facto esse, seu secundum esse stabile.

His præmissis, circa controversiam propositam, & hactenus expositam, Authores in quatuor præcipue sententias, variosque præterea dicendi modos, abeunt. Prima sententia, eaque communior, universaliter negat, possibile esse jus, vel dominium duorum insolidum circa eandem rem, sive illud ponatur instantaneum, sive permanens. Ita Mastrius, Pontius, Iningger, Merger, Babenstuber *tr. 7. disp. 3. art.* 1. Panger *de J. & J. disp.* 3. *n.* 100. & alii innumeri. Altera sententia, primæ e diametro opposita, id universaliter affirmat. Ita cum pluribus aliis Compronus *part.* 1. *disp.* 34. *sect.* 2. *n.* 6. Tertia id asserit de dominio instantaneo saltem. Ita Cardinalis de Lugo *sum de Incarnar. disput.* 3. *sect.* 1. *tum de Just. tom.* 1. *disp.* 2. *sect.* 2. & & quidam alii. Quarta e contra de dominio permanente. Ita Franciscus Schmier *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 2. *sect.* 3. §. 5. Cælestinus Mayr *in tr. de J. & J. q.* 5. *art.* 2. §. 2. & 3. Ernestus a Someting *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 56. Modos diversos, & casus, quos Authores ad defendendam suam quisque opinionem adhibent, commodius referam in

ram in propositione argumentorum. Nunc prima sententia

556. Dico. Implicat dominium duorum insolidum circa eandem rem, sive illud (1.) sit instantaneum, sive (2.) permanens. Idem semper intellige de jure, quod non est dominium.

Probatur simul utraque pars primo. Repugnat, ut idem respectu ejusdem pro eodem instanti per se gravetur a Lege, & non gravetur; Lex per se illi faveat, & non faveat: atqui hoc fieret, si penes duos in eodem instanti respectu ejusdem rei staret dominium insolidum; ergo &c. Maj. videtur clara, & evidens, quippe fundata in principio lumine natura noto, *idem non potest simul esse, & non esse*. Seq. minoris prob. Dominium duorum insolidum necessario dependet a Lege per se favente habenti illud, & gravante quoscunque alios, pariendo in istis debitum, seu obligationem illum non impediendi in usu, & exercitio sui dominii; ergo dominium insolidum unius illorum, penes quorum singulos tunc staret, necessario dependeret a Lege ipsi favente, ac gravante alterum; & similiter dominium alterius necessario dependeret a Lege ipsi favente, & gravante illum; ergo si pro eodem instanti penes duos staret dominium insolidum, idem respectu ejusdem, & pro eodem instanti per se gravaretur a Lege, & non gravaretur; eidem per se faveret Lex, & non faveret: quod manifestam contradictionem involvit,

Probatur secundo. Dominium plenum, & perfectum, in sensu supra exposito sumptum, ex sua natura est exclusivum omnis alterius dominii homogenei circa eandem rem (idem cum proportione applica de jure unius pleno, quod non est dominium, relate ad jus alterius) sed hoc non verificaretur, si pluribus competeret dominium insolidum circa eandem rem; hoc ipso enim dominium in uno, non excluderet dominium in altero; ergo implicat dominium duorum insolidum circa eandem rem, sive dein illud ponatur instantaneum, sive permanens; siquidem hæc ratio, sicut & præcedens, æque pugnat contra duo dominia instantanea, ac permanentia, & vicissim. Probatur autem maj. Syllogismi, quam forte solam negabis; nam eo ipso, quod sit dominium plenum, & perfectum, non potest ejus usus, aut actus a quoquam alio impediri citra injuriam habentis illud: atqui hoc est esse exclusivum omnis alterius dominii, utpote per quod usus, aut actus liberæ dispositionis circa rem, posset absque injuria impediri: consequenter &c.

Probatur tertio prima pars specialiter; idque ab absurdis, quæ ex contraria sententia sequerentur. Nam si in instanti translationis dominium ejusdem rei insolidum est necessario penes dantem, & accipientem, v. g. in instanti donationis mutuo consensu perfectæ, & completæ penes donantem, & donatarium, prout Adversarii contendunt, sequeretur 1. quod conjuges in instanti, quo matrimonium contrahunt, essent conjuges, & non essent: essent enim ex hypothesi; non essent, quia in illo instanti retinerent adhuc libertatem, & jus in suum corpus, prout deducitur ex doctrina Adversariorum: consequenter si in eodem instanti haberent propositum carnaliter peccandi cum persona aliena, non committerent adulterium mentale: quod omnium ore falsum pronunciatur. Sequeretur 2. Religiosum in instanti professionis esse professum, & non esse professum, esse capacem, & non esse capacem bonorum temporalium: esset enim professus, & consequenter bonorum temporalium incapax, ex hypothesi; ac non esset professus, & capax bonorum temporalium, quia adhuc esset ejusmodi bonorum dominus; sicut donans juxta Adversarios in instanti donationis etiamnum censetur dominus rei donatæ; siquidem non minus abdicatio bonorum temporalium, quæ contingit in instanti professionis, est libera dispositio procedens ex plena potestate disponendi, ob quam rationem Authores contrarii volunt, in instanti donationis dominium rei donatæ adhuc existere penes donantem. Sequeretur 3. servum in instanti manumissionis esse liberum, & servum: esset liber, quia tunc accipit libertatem: esset servus, quia dominus dat libertatem; ideoque per Adversarios adhuc est dominus: consequenter pro eodem quoque instanti manet ipsius correlativum, quod est servus. Quæ omnia absurda, imo impossibilia esse, nemo non videt: consequenter &c.

Nec evadunt Adversarii, si dicant, hujusmodi contradictoria tolli per diversos respectus, & considerationes, Nam contradictoria entitativa, & realia non possunt destrui per diversos respectus, & considerationes tantum, prout ostenditur in Philosophia de distinctionibus; alias sequeretur, eundem hominem pro eodem tempore posse dici sub diversa consideratione, & respectu sobrium, & ebrium, seu non sobrium: eandem formam informantem, & non informantem materiam &c.

Probatur quarto secunda pars specialiter, Implicat, ut duo agentia non subordinata ponant simul duas actiones totales, & efficaces circa idem objectum, prout etiam Adversarii plerique nobiscum admittunt: atqui per sententiam adversam id non repugnaret; siquidem per eam ambo domini vi dominii pleni circa eandem rem simul, & pro eodem tempore, sine aliqua subordinatione, aut dependentia ab invicem, perfecte disponere possent, quod esset agere efficaciter, & totaliter, seu ponere duplicem actionem totalem cum effectu: consequenter &c,

Confirmatur. Non potest dari inter duos bellum utraque ex parte justum, seclusa ignorantia invincibili: sed posset dari juxta sententiam contrariam; cum juxta eam Cajus, v. g. posset velle, Titius e diverso nolle eandem rem vendere, ubi contingeret mutua altercatio, eaque justa, quoniam per Adversarios quilibet haberet jus circa rem perfecte, & pro libitu disponendi; ergo &c.

557. Objicies primo contra primam partem, In instanti donationis (idem cogita de instanti cujuscunque alterius alienationis) tam donans, quam donatarius est dominus rei donatæ; ergo uterque insolidum. Prob. ant. & quidem in primis de donante. Qui exercet actum dominii, est dominus: sed donans in instanti donationis exercet actum dominii, quatenus circa rem, quam donat, libere, & legitime disponit in commodum propriæ libertatis; ergo donans in instanti donationis est dominus, Prob. idem ant. etiam de donatario. Qui rem, sibi legitime oblatam in proprietatem, acceptat, evadit illius dominus in eodem instanti, in quo acceptatio completur: sed donatarius rem sibi legitime (ut supponitur) a donante oblatam in proprietatem, acceptat in instanti donationi; ergo in eodem instanti evadit illius dominus.

Antequam ad hoc argumentum (quod est Achilles diversæ sententiæ) uti & ad instantias postmodum subjungendas, respondeam, suppono, illud procedere de instanti donationis, mutuo donantis, & acceptantis consensu jam perfectæ, & completæ, seu quod in idem recidit) de instanti translationis dominii, in quo jam sit verum dicere, *donatarius acquirit dominium*: id quod Adversarii ipsimet volunt, & supponunt, ac ego libenter consentio; quamvis de cetero me non lateat, in assignando illo translationis instanti aliter discurrere Scotistas, aliter Thomistas, & Recentiores; quod tamen ad præsens institutum nihil facit. Unde omissis variis eorum dicendi modis, & præcise sistendo in supposito jam explanato,

Respondetur ad object. neg. ant. Ad prob. ajo, donatarium esse dominum rei ob rationem ibi allatam; non autem donantem, Ratio hujus est: quia qui per efficacem voluntatem pro aliquo instanti rem vult non esse suam, hoc ipso non retinet illam ut suam pro eo instanti: at qui rem donando alienat, pro eo instanti, quo sic alienat, efficaciter vult non esse suam, sed alterius, nempe donatarii, rem oblatam acceptantis; ergo &c. Unde ad prob. pro perseverentia dominii etiam in ipso donante adductam, dist. maj. Qui exercet actum dominii conservativum, est, & manet dominus, con. destructivum, neg. maj. Sed donans exercet actum dominii conservativum, neg. destructivum, con. min. & neg. cons. Dupliciter potest dominus de sua re disponere, 1. Ut retineat voluntatem habendi rem ut suam, quæ dispositio est actus dominii conservativus, & perfectivus; ut si utar meo libro, mea veste &c. & talis dispositio non solum compatitur dominium in disponente, sed etiam perficit, sicut actus secundus dicitur perficere, & perficit actum primum, 2. Ut excludat voluntatem rem amplius habendi ut suam; prout contingit, siquis suam rem alteri donat, aut aliter alienat: qualis dispositio hoc ipso, quod

provo-

proveniat a voluntate efficaciter abdicativa a dominii, cum dominio, penes disponentem remanente, componi nullatenus potest; cum implicet, simul efficaciter abdicare dominium, & illud retinere.

Dices. Causa physica debet positive existere in eo instanti, in quo causat; ergo etiam moralis: sed dominium est causa moralis donationis, quatenus huic tribuit valorem; ergo debet positive existere in eodemmet instanti, quo fit, seu consummatur donatio.

Confirmatur. Nemo dat, quod non habet: sed donans in instanti donationis dat donatario dominium; ergo habet dominium. Rursus donans dat rem suam, & non alienam; ergo res, quando donatur, est donantis.

Respondetur primo, causas morales in modo causandi non semper, & per omnia recte assimilari causis physicis: nam jus v. g. quod quis immediate habuit, ne occideretur, & de facto non amplius habet, influit in actionem occidentis, eamque injustam reddit: item merita prævisa solum, & necdum actu existentia, Deum movere possunt ad actualem collationem præmii: atque ita loquendo de aliis hujusmodi causis moralibus. Aliter res se habet in causis physicis; prout ex Physica notum: consequenter &c.

Respondetur igitur secundo, neg. con. & parit. Disparitas est, quod causa physica suo reali, & physico influxu tribuat existentiam physicam, quod fieri nequit, nisi per virtutem illius, in se realiter, & physice existentem. At vero dominium actui donationis solummodo tribuit existentiam moralem (physicam enim accipit a causa physica) videlicet quoad valorem, qui est quid morale: unde non requiritur, ut existat in se, & intrinsece; sed satis est, quod existat extrinsece, in lege nimirum favente illi donationi quoad esse valoris, propter jus immediate antea existens in donante.

Ad Confirmat. respondetur primo, retorquendo illum arguendi modum. Nemo exuit vestem, nisi vestitus; ergo dum quis exuit, manet vestitus. Nemo moritur, nisi vivens; ergo dum moritur, est vivens. Nemo spoliatur, nisi re sua; ergo dum spoliatur, res manet ipsius spoliati &c. Vides, quod æquivocus hic arguendi modus patiatur instantias ipsis Adversariis solvendas. Interim

Respondetur secundo, dist. mai. Nemo dat, quod non habet extrinsece saltem, præsuppositive, & pro tempore immediate præcedenti, con. quod non habet intrinsece solum, concomitanter, & pro instanti, seu tempore præsenti, neg. maj. & concessa minore, eodem modo distinguendum est cons. Quare sicut in exemplis pro retorsione allatis Adversarii recurrere debent ad sensum divisum, & *ly vestitus*, *ly vivens*, *ly sua*, accipere cum distractione ad tempus immediate præcedens, ita, ut sensus sit: nemo potest exuere vestem, nisi fuerit vestitus: nemo moritur, nisi fuerit vivens: nemo spoliatur re sua, nisi ejusdem dominus extiterit: ita & nos in proposito dicimus, quod *ly habet* accipi debeat in sensu diviso, & cum distractione ad tempus immediate præcedens, ut sensus sit: nemo dat, quod non habuit, seu (quod in idem recidit) quod non habet saltem extrinsece, & præsuppositive ad illud instans, in quo dat.

Instabis. Qui rem suam alteri donat, & tradit, utique habet potestatem moralem donandi, & tradendi: atqui hæc potestas est formalissime ipsum jus disponendi, seu dominium; ergo habet dominium. Maj. prob. Siquidem alias injuste donaret, & traderet; neque differret a fure, donante, & tradente rem alienam.

Respondetur, dist. maj. Habet potestatem moralem completam, & formalem, neg. incompletam, & subjectivam, conf. maj. Sed potestas moralis &c. incompleta, & subjectiva est ipsum dominium neg. completa, & formalis, transeat min. & neg. cons. Ad prob. ajo, ejusmodi donatorem a fure in hoc differre, quod iste seu fur nullam moralem potestatem sive completam, sive incompletam, sed mere physicam habeat rem alienam donandi, & tradendi: consequenter injuste donat, & tradit. At vero donans, & tradens rem suam, habet potestatem moralem incompletam in instanti donationis, & habuit completam pro priori ad illud instans: quod sufficit, ut rem suam juste donet, & tradat. Ubi pro clariori distinctionis intelligentia notandum, quod potestas moralis incompleta, & subjectiva abstrahat a carentia actus destructivi, & ab ipso actu destructivo dominii; atque præcise dicat potentiam indifferentem ad retinendum, vel transferendum, dominium: unde stare potest cum actuali destructione dominii in eodem instanti. E diverso potentia moralis completa, & formalis, cum importet potestatem perfecte disponendi de re per actus sive positivos, sive destructivos, necessario excludit privationem dominii pro illo instanti, pro quo obtinet rationem talis potentiæ: consequenter in instati donationis, in quo donans rei suæ dominio se privat, istud non remanet penes donantem, sed transfertur in donatarium, quippe qui tunc rei donatæ dominus efficitur.

Urgebis. Actus non destruit potentiam: sed donatio est actus potentiæ completæ disponendi circa suam rem; ergo non destruit illam.

Respondetur, solutionem hujus instantiæ jam patere ex responso reddito ad ipsam objectionem supra. Nihilominus ut adhuc clarius pateat, dist. maj. Actus non destruit potentiam, si non includat prædicatum intrinsece repugnans cum potentia, con. si includat tale prædicatum, neg. maj. Sed donatio est actus dominii, seu potentiæ completæ disponendi circa suam rem, & includit prædicatum intrinsece repugnans cum dominio, con. & non includit tale prædicatum, neg. min. & cons. Licet in instanti, quo elicio v. g. actum liberum, retineam libertatem, imo hanc per elicitionem actus perficiam, quoniam actus liber nullum includit prædicatum intrinsece repugnans potentiæ liberæ; secus tamen est de donatione, utpote quæ non actus dominii qualiscunque, sed translativus ejusdem; adeoque includit prædicatum, existentiæ dominii intrinsece repugnans; consequenter destruit dominium, seu potentiam completam disponendi in donante; fere sicut actus divisionis destruit potentiam dividendi in divisione continui.

158. Objicies secundo. Si Cajus verb. grat. in extrema necessitate constitutus, surriperet, & comederet panem Titii, nullam huic injuriam irrogaret; quia in simili casu extremæ indigentiæ æque haberet jus in panem Titii, ac ipse Titius, nisi & hic in pari necessitate versaretur; ergo tunc ambo sunt domini ejusdem rei.

Respondetur, neg. cons. Siquidem Titius in eo instanti, in quo Cajus surripit panem, desinit esse dominus panis, & hujus dominium beneficio Juris naturæ, quo in casu extremæ necessitatis res fiunt primo occupantis, transfertur in Cajum.

159. Objicies tertio contra secundam partem. Donet Cajus equum Titio cum plena potestate disponendi de equo in ordine ad omnes usus, ita tamen, ut etiam sibi velit reservatum jus disponendi de eodem equo in ordine ad omnes usus per beneficium præventionis, vi cujus unus alterum juste prævenire possit in quovis equi usu: in hoc casu uterque habet potestatem perfecte disponendi de eadem re in ordine ad omnes usus; ergo etiam uterque simul est perfectus ejusdem rei dominus. Cons. patet Ant. prob. Ideo non haberet uterque potestatem perfecte disponendi de eadem re, quia quivis eorum haberet jus alterum præveniendi, & impediendi ab actuali dispositione circa illam rem: sed hoc non obstat; ergo &c. Min. prob. Jus præveniendi appellat solum super actum secundum, & exercitium dominii: sed actus secundus, seu exercitium dominii non pertinet ad substantiam dominii; alias pupillus, v. g. non esset verus dominus bonorum suorum, utpote de quibus in actu secundo ne quidem valide disponere potest; ergo &c. Ita plures ex Adversariis. Eodem modo discurrunt alii, afferentes casum de duobus donatariis, puta si Cajus donet equum Titio, & Sempronio, cum plena potestate de eodem disponendi in ordine ad quoscunque usus per beneficium præventionis.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. concessa majore, neg. min. Hæc dum probatur, neg. maj. Nam jus præventionis etiam appellat super dominium in actu primo consideratum, ejusque plenitudinem, & perfectionem diminuit, ac tollit. Ratio est: quia de ratione dominii pleni, & perfecti in actu primo considerati est, ut illud habens possit de re, sibi subjecta, disponere pro libitu, illam alienando, vel servando, aut ad quoscunque usus impendendo, idque pro quolibet tempore, quin ab aliquo privato citra injuriam impediri possit: atqui hoc

non amplius verificaretur, stante jure præventionis in altero; nam hic posset illum ab usu suæ rei per beneficium præventionis, sibi concessum, adeoque licite, & citra injuriam impedire, puta rem destruendo, alienando, aut ad alios usus applicando, ad quos alter pro eodem tempore applicare consequenter non posset. Unde nihil dicis, dum dicis, ex hoc solummodo sequi dominum plenum non amplius posse de re sua pro libitu disponere exercite, & in actu secundo. Neg. enim seq. Nam dominus *R.* per Adversarios habet jus præventionis, vi cujus constituitur potens in actu primo, dominum *A.* prævenire, & ab usu suæ rei impedire citra injuriam: alias certe actualis præventio injusta foret; ergo dominus *A.* ne quidem in actu primo potens est de sua re perfecte disponere, stante jure præventionis in domino *B.* Nec refert, quod ipse quoque dominus *A.* habeat jus præventionis. Nam inde solum infertur, quod etiam dominus *B.* non possit habere plenum, & perfectum dominium rei, utpote quod diminuitur, etiam substantialiter, & in actu primo, per jus præventionis in domino *A.* existens; sicut vicissim dominus *A.* non possidet dominium plenum rei ob jus præventionis existens in domino *B.* Ex quo patet disparitas de pupillo in object. allatam; nam Lex prohibens, & irritans dispositionem pupilli sine authoritate tutoris factam, aut faciendam, nullum jus ponit in aliquo alio, vi cujus hic esset potens de rebus pupilli nomine proprio disponere; consequenter dominium pupilli, substantialiter, & intrincese, atque in actu primo spectatum, omnino intactum, ac integrum relinquit, solumque exercitium, seu actualem dispositionem interdicit, & annullat. Aliter res habet in casu Adversariorum; prout liquet ex dictis.

160. Objicies quarto. Dominium Dei in rem quamlibet est infinite perfectius, ac plenius, quam dominium ullius hominis; & tamen potest consistere cum pleno dominio hominis in eandem rem; ergo etiam dominium plenum, & perfectum unius hominis potest consistere cum dominio pleno, & perfecto alterius hominis in eandem rem.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est, quod dominium Dei, & dominium hominis sint diversi ordinis: unde sicut ob hanc ordinis diversitatem simul consistere possunt duæ actiones totales inter se subordinatæ (prout declaratur in Physica, & hic supponitur) ita etiam ob eandem ordinis diversitatem possunt stare simul duo dominia subordinata, Dei videlicet, ac hominis. E diverso dominia duorum hominum privatorum (nam de duobus dominiis Principis, & alicujus hominis privati idem cum proportione dicendum, quod de dominiis Dei, & hominis) sunt ejusdem ordinis: unde quemadmodum implicant duæ actiones totales ejusdem ordinis, & non subordinatæ inter se circa idem objectum ita implicare contendimus duo dominia plena ejusdem ordinis in eandem rem. Accedit, quod dominium creatum non conferat hominis jus adversus Deum, Ejusque vices gerentem Principem, vel Magistratum, sed solum adversus alios homines privatos, & æquales: quare per hoc, quod Deo vel Principi competat dominium circa eadem rem, circa quam competit homini privato, & hujus dominium non diminuitur, sed in suo ordine plenum, atque perfectum consistit: diminueretur vero per dominium alterius hominis privati.

161. Objicies quinto. In *l. 10. ff. de Pignorib.* habetur: *Si debitor res suas duobus simul pignori obligaverit, ita ut utrique insolidum obligata essent, singuli insolidum adversus extraneos Serviana utentur*; ergo singuli haberent jus plenum in tali pignore.

Respondetur, dist. conf. Singuli haberent jus plenum tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti, de quali jure pleno hic controvertitur, neg. haberent jus plenum ex parte objecti tantum, trans. conf. Dato, quod uterque haberet jus plenum ex parte objecti, id est, in tota re oppignorata; illud tamen jus non competeret cuilibet totaliter, adeoque non esset plenum, etiam ex parte subjecti; alias enim esset plenum, & non esset plenum; esset, ut supponitur ab Adversariis; & non esset, quia de ratione juris pleni est, esse exclusivum omnis alterius juris homogenei circa eandem rem; ut supra dictum. Unde actio quoque, quæ singulis adversus extraneos conceditur, non est totalis ex parte subjecti, sed ex parte objecti duntaxat, id est, singuli possunt simul totam rem oppignoratam adversus extraneos defendere. Quod si unus solummodo agat, actio ejus utique totalis est tam ex parte objecti, quatenus ad totam rem oppignoratam terminatur, quam ex parte subjecti, quatenus ille solus agit, & pignus tam sibi, quam alteri oppignoratario, cujus nomine etiam censetur agere, recuperat, vel conservat, aut saltem recuperare, vel conservare nititur.

162. Objicies sexto. Possunt esse duo possessores ejusdem rei insolidum; ergo etiam duo domini.

Respondetur primo, neg. ant. Nam contrarium expresse habetur in *l. 3. §. 5. ff. de acquir. vel amitt. possess.* & in *l. 4. §. 15. ff. commodati*, ubi Celsus filius ad quæstionem, si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum simul, an unusquisque eorum insolidum, aut pro parte teneatur; rescribit: *duorum quidem insolidum dominium, vel possessionem esse non posse.*

Respondetur secundo, dist. ant. Possunt esse duo possessores ejusdem rei insolidum, eodem genere possessionis, id est, uterque naturaliter, vel uterque civiliter, neg. diverso genere possessionis, id est, unus naturaliter, & alter civiliter, con. ant. & dist. similiter conf. Ergo etiam possunt dari duo domini rei insolidum, quorum dominia sint diversæ rationis, vel ordinis, id est, unius directum, alterius utile, unius altum, & alterius bassum, con. quorum dominia sint ejusdem rationis, & ordinis, neg. conf.

163. Colliges, Juristas nihil dicere per suam distinctionem, quam continuo in ore habent, dum negant dominium duorum insolidum privative competens, non vero cumulative competens, id est, dum negant tale dominium insolidum penes duos, vi cujus quis ita dominus est rei alicujus, ut quoscunque alios ab usu ejus rei impedire possit; non vero tale, vi cujus uterque habet plenam, & perfectam potestatem, de re disponendi per beneficium præventionis. Nihil inquam, dicunt per hanc distinctionem; nam tale dominium pluribus cumulative competens, esto possit vocari plenum ex parte objecti, nequit tamen censeri plenum etiam ex parte subjecti; prout abunde constat ex dictis.

ARTICULUS II.

An usus rerum, unico usu consumptibilium, a jure proprietatis, & dominio separari possit, & de facto separatus sit in Ordine FF. Minorum?

SUMMARIUM.

164. Usus alius est juris, *alius* facti. *165. Res porro aliæ unico usu proprio, & primario non consumuntur; aliæ consumuntur. 166. Usus facti licitus, etiam in rebus unico usu proprio, & primario consumptibilibus, a jure proprietatis, & dominio separabilis est. 366. Ordo FFr. Minorum de Observantia in iis quoque rebus, quæ unico usu consumuntur, habet simplicem usum facti, ita ut neque penes Conventum aliquem, neque penes totum Seraphicum Cœtum jus quodpiam proprietatis, aut dominium existat. 168. & seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.*

164. PRænotandum primo, alium esse *usum juris*; alium *facti*. Prior est jus reale utendi tantum re aliena, salva ejus substantia: id quod explicuimus *numer.* 19. Posterior (siquidem licitus sit, de quo hic unice sermo instituitur) est facultas, seu licentia utendi re aliena, ab alterius nutu dependens, & citra injuriam licentiati revocabilis, aut impedibilis.

165. Prænotandum secundo, res, quibus uti possumus, esse in duplici differentia. Nam aliæ sunt, quæ unico usu proprio, & primario non consumuntur; ut domus, vestis, liber &c. Atque in his usum facti separari posse a jure proprietatis, & dominio, extra controversiam est: & patet in Religiosis, quorum singulis variæ res ad usum quotidianum conceduntur, quin ullus illorum in particulari aliquod jus proprietatis, aut dominium talibus in rebus habeat, aut habere possit. Aliæ sunt, quæ unico usu proprio, & primario consumuntur; ut cibus, potus &c. Quo etiam pertinet pecunia, quæ similiter unico usu proprio, & primario

mario consumi censetur, non quidem physice, seu quoad suam entitatem, sed moraliter, seu quoad dominium, veluti fit, dum expenditur, aut pro aliis rebus permutatur; ad hunc quippe usum primario instituta est juxta Aristotelem *Politic. c. 7. & 4. Et hic, c. 1. unico usu proprio, & primario:* quia unico usu non proprio (id est, tali, ad quem ex sui institutione non ordinantur) & secundario, similia non consumuntur; ut si cibus adhibeatur ad delectationem odoratus, pecunia ad ostentationem &c.

His prænotatis, in controversiam venit, an usus facti licitus, etiam in rebus unico usu proprio, & primario consumptibilibus, a jure proprietatis, & dominio separari possit, & de facto separatus sit in Ordine FFr. Minorum de Observantia, id est, Regulam Seraphici P. S. Francisci in sua puritate observantium? Hi enim præfatæ controversiæ ansam dedere ob arctissimam Paupertatem, quam profitentur, & vi cujus neque in particulari (quod aliis quoque Religiosis solemniter professis commune est) neque in communi ullius rei etiam minimæ, puta ovi, frusti panis, casei &c. proprietatem, sive dominium habent, aut habere possunt. Nunc

166. Dico primo cum communi, & mihi omnino certa sententia. Usus facti licitus, etiam in rebus unico usu proprio, & primario consumptibilibus, a jure proprietatis, & dominio separabilis est. Ita præter Scotum *in 4. dist. 15. q. 2. art. 2.* aliosque innumeros Theologos, & Jurisperitos, complures SS. Pontifices, videlicet Nicolaus III. *c. Exiit, qui seminat, de Verb. signif. in 6.* Clemens V. *in Clement. Exivi de paradiso eod. tit.* Martinus V. Nicolaus V. Gregorius XIII. & ante hos omnes Gregorius IX. S. Francisco admodum familiaris.

Probatur primo ratione. Potest dominus v. g. Cajus, concedere licentiam Titio utendi re aliqua per unicum usum consumptibilis, ita, ut talis licentia non concedatur, nec acceptetur, nisi ut revocabilis, & dependens a nutu concedentis: atqui Titius in tali casu non acquireret dominium, aut jus aliquod proprietatis in illa re, sed simplicem usum licitum facti; ergo dabilis est usus simplex licitus facti absque jure proprietatis, & dominio. Maj. patet a pari; nam si non repugnet concessio, & acceptatio similis usus, a proprietate separati, in re aliqua per unicum usum non consumptibili, quare repugnet in re per unicum usum consumptibili? Fors ideo; quia ipso usu absumitur rei substantia? Verum hoc nullatenus arguit translationem, & acceptationem dominii; destructio enim substantiæ per accidens se habet ad usum facti, & non provenit ex natura usus, sed ex natura rei, actuali usu destrui natæ: prout gnaviter advertit, & declarat P. Cælestinus Mayr in *cit. tr. q. 5. art. 4. §. 2. n. 4.* Prob. igitur min. Ea licentia satis non est, ut Titius acquirat liberam potestatem, cum authoritate conjunctam, circa aliquid disponendi, prout requiritur ad jus proprietatis secundum dicta *n. 2.* vel jus reale disponendi de re tanquam sua &c. in quo sita est formalis ratio dominii secundum dicta *n. 6.* hoc ipso, quod usus rei solum concedatur, & acceptetur ut revocabilis, atque a nutu concedentis dependens: & tamen habet usum licitum facti; ergo dabilis est usu licitus facti sine jure proprietatis, & dominio.

Probatur secundo exemplis. Primum est in Religiosis aliorum Ordinum solemniter professis, qui singuli gaudent licentia utendi rebus unico usu consumptibilibus, sine jure proprietatis, & dominio, utpote quod cum voto Paupertatis penes hujusmodi etiam Religiosos, in particulari consideratos, stare non potest. Secundum est in conviva, qui utitur cibis appositis, manente eorum dominio penes invitantem; quare hic illi subtrahere cibos posset citra injuriam. Tertium est in Lege veteri *Deut. 23.* ubi ingredientibus vineam proximi permissus fuerat uvarum usus absque dominio: ait enim supremus Legislator: *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit; foras ne efferas tecum*; ergo Lex vetus non constituit viatorem dominum uvarum, ut pro libitu easdem auferre, aut distrahere posset; sed simplicem usuarium, ut illis posset vesci ad instar convivæ: consequenter &c.

167. Dico secundo. Ordo FF. Minorum de Observantia, etiam in iis rebus temporalibus, quæ unico usu consumuntur, habet simplicem usum facti, ita ut neque penes Conventum aliquem, neque penes totum Seraphicum Cætum jus quodpiam proprietatis, aut dominium existat. *Citt. pro conclus. præced.*

Probatur primo ex *cit. Clement. Exivi de Verb. signif. in 6.* ubi dicitur, quod Fratres Minores (nempe Franciscani de Observantia, & Capucini) quando ipsis aliquid nomine eleemosynæ concessum est, usum quidem illius habeant, dominium tamen non acquirant. Idem continetur *in cit. c. Exiit. eod. tit.* ubi expresse solus usus facti, non juris, Ordini Minorum licitus pronunciatur. Ergo &c.

Probatur secundo hac ratione. Nemo acquirit dominium, nisi illud acceptet; prout certum, & indubitati Juris est: sed Ordo FFr. Minorum de Observantia, vi suæ Regulæ *c. 6.* non acceptat, nec acceptare potest dominium cujuscunque rei temporalis, etiam unico usu consumptibilis; ergo Ordo FFr. Minorum non acquirit dominium ullius rei temporalis, etiam unico usu consumptibilis.

Confirmatur. Nullus Religiosus solemniter professus in particulari acquirit dominium alicujus rei temporalis: quia illud neque acceptat, neque acceptare potest citra præjudicium Voti paupertatis; ergo nec acquirit aliquod dominium totus Cætus Seraphicus, aut Conventus quispiam; cum illud similiter non acceptet, nec acceptare licite, aut valide possit citra præjudicium arctissimæ, & strictissimæ suæ Paupertatis, vi cujus nihil prorsus proprium possidere valet.

158. Objicies primo. In *Extravag. ad Conditorem, cum 2. seqq. de Verb. signif.* Joannes XXII. declaravit, usum facti esse inseparabilem a dominio; ergo &c.

Respondetur, neg. cons. Nec obstat authoritas memorati Pontificis, utpote qui circa punctum hujus controversiæ non est locutus ex cathedra, sed ut Doctor privatus: id quod colligitur ex sequentibus signis. 1. Quia non erat materia fidei, sed punctum Juris Civilis. 2. Quia rationes, quibus suum intentum ostendere nititur, non sunt decisivæ; ut v. g. non videtur Prædecessoris nostri (Gregorii Papæ IX.) fuisse intentio, unius ovi, seu casei, aut frusti panis, & aliorum usu consumptibilium dominium Ecclesiæ Romanæ reservare, & usum FF. Minoribus retinere &c. 3. Quia ipsius decretum, quatenus eo FFr. Minoribus adjudicavit dominium rerum unico usu consumptibilium, fuit a Papis Successoribus, imo ab ipsomet Conditore circa finem vitæ revocatum. Videantur VVaddingus *ad an.* 1333. *n.* 14. Rodriquez *tom.* 3. *QQ. Regular. & Canonicar. quæst.* 3. *art.* 1. Herincx *disp.* 4. *quæst.* 3. §. 4. *a numer.* 49.

169. Objicies secundo. *L. si vini, & l. Senatus. Consultum, de Usufruct.* dicitur, usum pecuniæ non posse legati absque pecunia, nec usum vini, vel olei sine vino, vel oleo; nemo enim potest iis uti, nisi consumendo; ergo usu hujuscemodi rerum, uno scilicet usu consumptibilium, non potest separari a dominio.

Respondetur, dist. cons. Usus juris, & irrevocabilis, de quo *citt. LL.* loquuntur, con. Usus facti, & revocabilis, de quo solo nobis hic sermo est, neg. cons.

Instabis primo. Usus rerum unico usu consumptibilium non est usus juris; ergo cum *citt. LL.* loquantur de usu rerum per unicum usum consumptibilium, non possunt intelligi de usu juris, Ant. prob. Usus juris est, qui competit alicui in re aliena, salva ejusdem substantia; ut habetur *Instit. de Usu, & habit.* ac relinquitur ex dictis *n. 19.* sed in rebus, quæ unico actu utentis consumuntur, non potest dari usus, salva earum substantia; ut est evidens; ergo in talibus non potest dari usus juris: consequenter &c.

Respondetur dist. ant. Usus rerum unico usu consumptibilium non est usus juris proprie dictus, con. improprie dictus, seu quasi usus juris, neg. ant. & cons. Ad prob. ajo, ibi sermonem esse de usu juris proprie dicto; prout etiam *loc. cit.* insinuavimus. Dividunt ergo Civilistæ usum juris in *proprium*, & *improprium*. Prior est, qui conceditur in rebus unico usu non consumptibilibus: posterior, qui in rebus unico usu consumptibilibus. Cum igitur *citt. LL.* loquantur de usu rerum unico actu consumptibilium, intelligendæ hoc ipso veniunt de usu juris improprio tantum.

Instabis secundo. Usus rei irrevocabilis non potest

separa-

separari a dominio, secundum concessa: atqui usus rei unico actu consumptibilis est irrevocabilis, puta in instanti actualis consumptionis; ergo saltem in illo instanti non est separabilis a dominio.

Respondetur explic. & dist. maj. Usus irrevocabilis per se, & ex natura sua, con. usus irrevocabilis solum per accidens, neg. maj. Sed usus rei unico actu consumptibilis est irrevocabilis per se, & ex natura sua, ita, ut ejus irrevocabilitas oriatur ex translatione juris activi, neg. per accidens, ita, ut illius irrevocabilitas solummodo oriatur ex incompossibilitate actus concessionis, & revocationis simultaneæ, con. min. & neg. cons.

170. Objicies tertio. Si FFr. Minores nec in communi habent dominium rerum, quibus utuntur, tunc non potest alius earum dominus assignari, & sic illæ res, seu bona erunt nullius: sed hoc est falsum; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Nam dominium rerum immobilium, & stabilium pertinet ad Sedem Apostolicam; dominium vero aliarum rerum ad dantes, nisi hi illud a se abdicaverint; tunc enim similiter ad Sedem Apostolicam pertinebit. *Clement. & c. Exiit, cit.*

Instabis. Dantes non intendunt dominium sibi reservare, vel in S. Pontificem transferre; ergo nec residet penes dantes, nec penes Pontificem: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Id non intendunt explicite, trans. implicite, neg ant. & cons. Quilibet enim censetur Fratribus res concedere eo modo, qui eorum statui congruit, & per Jura licet.

Urgebis. Sedente Joanne XXII. tale dominium non erat penes Sedem Apostolicam, utpote quæ illud a se rejecit per *cit. Extravag. ad Conditorem*; ergo tunc saltem res hujusmodi in nullius fuere dominio, si hoc sibi dantes non reservaverint, neque supponatur extitisse penes FFr. Minores.

Respondetur, nobis satis esse, quod tale dominium non extiterit penes Ordinem Seraphicum, utpote qui illud nunquam acceptavit, nec acceptare potuit, secundum dicta superius. De cetero parum soliciti sumus, penes quem tunc dominium resederit, aut resideret, si denuo similis eventus, vel casus emergeret. Sunt autem aliqui, qui volunt, quod extiterit penes Christum: alii, penes Communitatem Ecclesiasticam Diœcesis, ubi sita erant bona: alii, penes ipsos dantes, esto hi illud a se abdicaverint; nam ejusmodi abdicatio censetur inhibitam habuisse hanc conditionem: si quis sit, qui tale dominium legitime in se suscipiat. Alii denique putant, quod FFr. Minorum bona tunc fuerint in nullius dominio, adeoque habita pro derelictis &c.

171. Objicies quarto. Fratres Minores possunt res sibi concessas in Judicio defendere, & ablatas repetere; ergo signum est, quod sint illarum domini. Præterea licite repellunt illas rapere volentem; ergo &c.

Respondetur ad 1. neg. ant. Nam FFr. Minores, nec per se, nec per alios suo nomine substitutos, & agentes, authoritative, & juridice res suas in Judicio defendere, aut reposcere possunt; potest tamen id illorum Syndicus Apostolicus, non quidem nomine Fratrum, sed nomine S. Pontificis, vel dantium, penes quem, vel quos tunc dominium residet. Ad alterum ajo, FF. Minores utique posse raptorem repellere, non quidem vi alicujus juris immediati, quod habeant in ipsas res, sed vi Juris naturalis sibi competentis adversus omnes, qui per vim, vel fraudem ipsos impediunt ab usu rerum sibi oblatarum; nam sicut alii homines, ita & Fratres Minores obtinent Jus naturale, & generale, ne quis eos invitos vi, vel fraude impediat a consecutione cujuscunque boni, etsi alias nullo jure, saltem stricto, debiti. Unde licet auferens res Fratribus citra vim, vel fraudem, non inferat injuriam directe ipsis Fratribus, violando aliquod eorum jus proprie dictum, cum revera tale in illas res non habeant; sed inferat injuriam directe vel S. Pontifici, vel dantibus, penes quem, vel quos tunc rerum illarum dominium residet; nihilominus ipsis quoque Fratribus directe infertur injuria, si res eisdem concessæ auferantur per vim, vel fraudem, cum sic illorum jus naturale lædatur; ut constat ex immediate dictis, & declarari potest amplius a paritate; nam etiam Religio v. g. vel Monasterium habet jus adversus eum, qui vi, vel fraude impedit Candidatum ab ingressu Religionis, vel Monasterii, & tamen non habet jus in Candidatum; neque injuriam subit, si Candidatus ab ingressu avertatur sine vi, vel fraude: prout dicemus *tr. seq. disp. 2. c. 1. art. 3.*

Instabis. Qui FFr. Minoribus res aufert etiam sine vi, vel fraude, tenetur easdem illis restituere; ergo signum est, quod habeant jus proprietatis, & dominium rerum.

Respondetur, neg. cons. Nam restitutio quandoque debetur etiam non domino: unde siquis depositario auferat rem depositam, hanc tenebitur illi restituere, esto dominium resideat in alio: consequenter ex eo, quod FFr. Minoribus rerum sibi ablatarum fieri restitutio debeat, non illico sequitur, quod jus proprietatis, seu dominium in illas habeant. Quapropter cur Fratribus ipsis res ablatæ restitui debeant, stat pro ratione voluntas domini, concedentis Fratribus usum illarum rerum.

172. Objicies quinto. Ille censendus est dominus alicujus rei, qui potest circa ipsam exercere actus dominii: sed FFr. Minores possunt circa res sibi oblatas exercere actus dominii: possunt enim eas permutare, vendere, donare, ergo &c.

Respondetur, neg. min. & rationem probativam dist. Possunt eas permutare, vendere, donare, authoritate propria, & prout requiritur, ut permutatio, venditio, donatio sint actus dominii, neg. authoritate aliena, & ministerialiter solum, trans. Dico: *transeat:* tametsi enim Fratres res sibi oblatas possint donare, vel permutare nomine, & authoritate S. Pontificis, vel offerentium; emere tamen, vel vendere ne quidem ministerialiter possunt; eo quod ipsis usus pecuniæ, qui in emptione-venditione necessario intervenit, in S. Regula interdicatur.

173. Objicies sexto. FFr. Minores rebus sibi oblatis utuntur juste; ergo jure; ergo habent jus in illas.

Respondetur, dist. utrunque cons. Prout jus supponit pro potestate aliquid agendi, seu disponendi authoritative, & independenter ab altero, sive pro jure proprietatis, neg. prout jus supponit pro mera licentia, ad arbitrium concedentis revocabili, con. Videantur, quæ diximus *n.* 164.

Dices. Pupillus habet usum rerum dependentem a voluntate tutoris, & tamen est verus illarum dominus; ergo licet FF. Minores habeant usum rerum dependentem a S. Pontifice, aut Benefactoribus, non tamen comprobantur idcirco nullum habere jus proprietatis, aut dominium.

Respondetur, neg. cons. & parit. Nam licentia, FF. Minoribus concessa, ad utendum rebus sibi oblatis, seu (quod in idem recidit) usus facti simplex, etiam in actu primo sumptus, revocari a Pontifice pro libitu potest citra injuriam Fratrum: quod in talibus usuariis pugnat cum jure proprietatis, & dominio, ejusque substantiam, & non solummodo exercitium destruit, & tollit. At vero tutor non potest pupillo citra injuriam adimere dominium, aut usum juris in actu primo spectatum, sed solam actualem rerum dispositionem impedire: id quod non obstat essentiæ dominii, sed solum actuali ejus exercitio, & usui: prout ostensum est *n.* 9.

174. Objicies septimo. Sequeretur, quod Pontifex posset usum facti, a dominio separatum, vendere, utpote pretio æstimabilem: sequela videtur absurda; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Nemo enim dominus usum facti separatim a dominio vendere potest, cum ut sic pretio (saltem formaliter tali) æstimabilis non sit, hoc ipso, quod dominus sibi reservet potestatem pro libitu illum revocandi, adeoque post concessionem tantum habeat, quantum ante.

ARTICULUS III.

An homo sit dominus vitæ, & membrorum?

SUMMARIUM.

175. *Exponitur status quæstionis.* 176. *Homo non est dominus vitæ, & membrorum: consequenter non potest seipsum licite occidere in ullo casu; neque mutilare, nisi ob conservationem vitæ.* 177. *& seq. Solvuntur objectiones.*

175. Ex-

175. EXtra controversiam est, homini naturaliter competere jus custodiæ in suam vitam, & membra, vi cujus seipsum contra quemcunque injustum aggressorem tueri, ac conservare valeat. Unde solum quæritur in præsenti, num idem homo in suam vitam insuper habeat jus dominii? Pro cujus decisione

176. Dico. Homo (1.) non est dominus vitæ, & membrorum: consequenter (2.) non potest seipsum licite occidere in ullo casu; neque (3.) mutilare, nisi ob conservationem vitæ. Ita DD. communiter, & constat ex *Sap.* 16. ubi soli Deo tribuitur humanæ vitæ dominium, dum dicitur: *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*. Et *Deuter* 32. inquit Dominus; *Ego occidam, & Ego vivere faciam*.

Probatur præterea prima pars hac ratione. Quod præsupponitur dominio, non cadit sub dominium; alias dominium sibi ipsi præsupponeretur, ut patet consideranti: sed vita, & membra hominis præsupponuntur dominio, cum constituant substantiam hominis, quæ est radix, & subjectum dominii; ergo &c.

Confirmatur. Nemo potest esse relativus ad seipsum, vel habere superioritatem erga seipsum; ergo neque dominium, cum hoc ex suo essentiali conceptu importet relationem, & superioritatem respectu illius, cujus aliquem dominum constituit, & denominat. Atqui si homo esset dominus vitæ, & membrorum, haberet dominium in seipsum, cum homo, libero arbitrio constans, non sit distinctus a vita & membris suis; ergo implicat &c.

Probatur nunc etiam secunda, & tertia pars simul; quia non licet propria authoritate disponere de eo, cujus quis non est dominus; sed homo secundum dicta non est dominus vitæ, & membrorum suorum; ergo non potest de iis propria authoritate disponere. Atqui seipsum occidere, est disponere de sua vita, & mutilare de suis membris; ergo &c.

Dixi in conclus. *Nisi ob conservationem vitæ*; nam ob hanc aliquis potest, ac etiam tenetur (quando Medici, vel Chirurgi id necessarium judicant, & sine dolore nimis acerbo fieri potest) uti mutilatione seu abscissione alicujus membri. Ratio est: quia licet homo non sit dominus, est tamen administrator, & custos sui ipsius; ergo adhibere potest, & tenetur media ad sui, suaque vitæ conservationem necessaria. Si ergo abscissio membri supponatur esse medium ita necessarium, potest, & tenetur ea uti: dummodo sine dolore nimis acerbo fieri possit, prout supra per parenthesim inserui; si enim pertimescendus esset dolor plane immanis, & ultra modum intensus, posset quidem abscissionem membri admittere, non tamen teneretur; eo quod prudens custodia vitæ, & ipse quoque ordo charitatis ad plus non obliget hominem, quam ut ad sui conservationem utatur mediis ordinariis, & non admodum difficilibus, adeoque impræsentiarum abscissione membri non nimis afflictiva; non autem extraordinariis, & difficillimis, quale esset abscissio membri nimium cruciativa: consequenter &c.

Ubi duo breviter advertenda sunt. Primum est, quod in casu, quo quis tenetur uti abscissione membri, perinde sit, sive ipse sibi membrum resecet, sive alius de ipsius consensu, vel mandato; prout post Dianam notat P. Sporer *tr.* 5. *in Decal. c.* 3. *sect.* 1. *n.* 37. Secundum est, perinde itidem esse, sive mors intentetur a causa libera, & extrinseca injusta, v. g. tyranno; sive a causa naturali, & intrinseca, v. g. cancro membrum occupante: quia prudens administratio, & custodia vitæ, ac totius suppositi in utroque casu exigit, ut unum potius membrum, quam totum corpus pereat, cum pars sit propter totum; adeoque bonum partis cedere debeat bono totius.

177. Objicies primo contra primam partem *Ecclesiast.* 15. habetur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui; posuit ante eum vitam, & mortem &c.* ergo homo est vitæ, & mortis dominus.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, in allegato textu significari libertatem eligendi non vitam, & mortem naturalem, sed accidentalem, & spiritualem gloriæ, vel pœnæ: prout notat Sporer *tr.* 6. *in Decal. c.* 1. *n.* 116. Unde in eo nihil continetur nostræ conclusioni adversum. Quod si contendas, textum exaudiendum esse de vita, & morte naturali, dici poterit cum P. Mastrio *in Theol. Moral. disp.* 3. *q.* 2. *n.* 32. homini in vitam, & mortem naturalem competere dominium mere physicum tenore *cit.* textus, non autem morale, & juridicum, de quali præcise hic controvertitur: consequenter &c.

178. Objicies secundo contra secundam partem varia exempla eorum, qui laudantur, quod seipsos occiderint. Tales sunt Sampson *Judic.* 16. qui eversione totius ædificii seipsum oppressit. Eleazarus *Machab.* 6. qui, ut elephantem, cui Regem hostem insidere putabat, interficeret, seipsum bestiæ interficiendum supposuit. S. Apollonia, quæ carnifices præveniens, seipsam in ardentem rogum sibi præparatum injecit. Lucretia Virgo Romana, quæ præ dolore violatæ pudicitiæ seipsam interemit.

Respondetur ad tria prima exempla, omnia contigisse ex speciali instinctu Spiritus S. & authoritate Divina, qua supposita non est amplius intrinsece malum, seipsum interficere; cum tunc Deus indirecte, & materialiter in præcepto non occidendi dispenset, mutando objectum, & faciendo, ut actus occisionis jam non amplius repugnet summo Dei dominio in vitam hominis: prout tradit S. Augustinus *lib.* 1. *de Civitate Dei c.* 21. & 26. Posset insuper dici de Sampsone, & Eleazaro, quod concomitanter solum, & per accidens fuerint cooperati, ad suam mortem, per se vero, ac directe intenderint mortem hostium ad honorem Divinum, & salutem patriæ: qualis cooperatio potuit esse licita; veluti advertit P. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 3. *art.* 3. *n.* 6. Quod si alia hujusmodi facta in sacris, vel profanis historiis referantur & commendentur, quæ contigere apud Gentiles, ut de Lucretia (per quod respondetur ad quartum exemplum) atque Divino instinctui, & mandato attribui nequeunt, dici poterit, quod laudentur per accidens, videlicet propter conscientiam erroneam, in bona fide fundatam. Sporer *cit. tr.* 5. *c.* 3. *numer.* 8.

Dices. Deus non potest dare potestatem homini seipsum occidendi; ergo responsio ad tria priora exempla non tenet. Ant. prob. Deus non potest facere, ut homo sit dominus sui ipsius; cum dominium ex suo essentiali conceptu (ut ipsimet supra arguebamus) importet relationem, & superioritatem respectu illius, cujus aliquem dominum constituit; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. con. ant. & rationem ejus probativam; at neg. cons. & suppositum, quod homo tunc ageret ut dominus: quia non disponeret de sua vita authoritate propria, sed præcise authoritate Dei, qui solus humanæ vitæ dominus est.

ARTICULUS IV.

An homo sit dominus famæ, & honoris, bonorumque spiritualium?

SUMMARIUM.

179. *Homo est dominus famæ, & honoris.* 180. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 183. *Homo etiam est dominus bonorum spiritualium.* 184. *Corollarium.*

179. DIco primo. Homo est dominus famæ, & honoris. Communis contra paucos.

Probatur. Tum quia homo famam, & honorem propria industria non modo acquirit, sed etiam auget; ergo pertinent ad ipsius peculium tanquam fructus industriæ. Tum quia potest seipsum licite diffamare ad petendum consilium, vel propriam humiliationem (dummodo per accidens non involvatur infamia, verb. grat. Communitatis Religiosæ) item potest calumniatori laudabiliter condonare restitutionem famæ læsæ; ergo est dominus famæ; nemo enim ad libitum destruere, ac condonare valet, quod alienum est. Sed contra

180. Objicies primo. Homo peccat seipsum diffamando, juxta S. Augustinum *de Ben. viduit. c.* 22. ergo non est dominus famæ.

Respondetur, explic. & dist. ant. Peccat peccato injustitiæ, neg. peccato prodigalitatis, trans. ant. & neg. cons. Nam etiam dominus pecuniæ peccat, si eam prodige expendat.

181. Objicies secundo. Potest quis injusto mutilatori condonare restitutionem membri, quo ab eo orbatus est; & tamen non est dominus membri, secundum dicta *art. præced.* ergo per hoc, quod diffamatus restituti nem

tionem famæ condonare possit, non comprobatur dominus famæ: consequenter &c.

Respondetur, neg. an. Non enim potest proprie condonare restitutionem membri, sed solam satisfactionem pro illata injuria, & restitutionem, seu compensationem damni realis, ex mutilatione consecuti.

182. Objicies tertio. Fama, & vita, ut dici assolet, pari passu ambulant; ergo sicut homo, secundum dicta *art. præced.* non est dominus vitæ, ita nec erit dominus famæ.

Respondetur ex dictis *part.* 2. *n.* 590. dist. ant. quoad æstimabilitatem, transeat, quoad conservationem, neg. ant. & conf. Licet fama, & vita quandoque, maxime apud Nobiles, & Magnates, in pari æstimatione sint, discrimen tamen inter utranque est, quod vita ab homine nec acquiri, nec, si amissa sit, reparari valeat; secus fama: consequenter &c. Revide, quod *loc. cit.* diximus.

183. Dico secundo. Homo etiam est dominus bonorum spiritualium, sive hæc sint externa, ut jurisdictio spiritualis, Episcopatus, Decanatus, aliaque Beneficia, seu Beneficiorum jura &c. sive interna, ut gratia sanctificans, habitus, & operationes ad ordinem gratiæ pertinentes. Ita rursus DD. communiter.

Probatur: quia de bonis spiritualibus externis homo libere disponere potest, licet non quoad omnem usum; bona vero spiritualia interna sua industria sibi comparat, aliquando dispositive, aliquando meritorie; ergo omnium hujusmodi bonorum dominus est.

184. Colliges, gratias gratis datas non cadere sub dominium hominis. Ratio sumitur a contrario: quia nimirum homo eas nec sibi comparat propria industria, nec de illis libere disponere potest; cum earundem usus non subjaceat arbitrio habentis, sed Dei moventis.

CAPUT II.

De Subjecto Juris, seu Dominii in particulari.

ARTICULUS I.

De Subjecto Juris, seu Dominii, prout respicit Clericos.

UT rite decidi possit, in quænam bona Clericis dominium competat, prius inter ipsa eorum bona discernendum est. Pro quo sit

§. I.

Exponitur diversitas inter bona Clericorum.

SUMMARIUM.

185. *Quotuplicis generis sint bona, ad Clericos quoquo modo pertinentia?* 186. 187. & 188. *An redditus stolæ, distributiones quotidianæ, & redditus Capellaniæ, vel aliorum Beneficiorum simplicium &c. veniant nomine bonorum quasi patrimonialium, aut beneficialium?* 189. *Utrum, si Episcopo, Parocho, vel alii Clerico aliquid donetur, aut legetur, id connumerari debeat inter bona patrimonialia Episcopi, Parochi &c.?* 190. *An bona relicta a Clerico, de quibus dubitatur, quo titulo acquisita fuerit, debeant haberi pro bonis patrimonialibus, vel beneficialibus?*

185. QUæres primo, quotuplicis generis bona, quæ ad Clericos quoquo modo pertinent?

Respondetur, esse triplicis præcipue generis, si juxta primam sui divisionem inspiciantur. Nam 1. alia sunt *Patrimonialia*, quæ Clericis obveniunt aliunde, quam intuitu, aut ratione Beneficii, vel Officii Ecclesiastici, puta ex hæreditate, donatione, opificio, contractu, aliove acquirendi modo Laicis communi. 2. Alia sunt *Quasi-Patrimonialia*, seu *Industrialia*, quæ acquiruntur quidem Clericis ut talibus, sed tamen intuitu sui laboris, quem impendunt e.g. in concionando, loquendo Sacra, audiendo Confessiones &c. Huc etiam revocantur bona, ut vocant, *Patrimonialia*, quæ Clerici frugalius vivendo comparant ex proventibus beneficialibus in congruam sustentationem sibi concessis. 3. Alia sunt *Ecclesiastica*: & hæc subdividuntur in *simpliciter Ecclesiastica*, & in *Ecclesiastica Beneficialia*. Simpliciter Ecclesiastica appellantur bona, seu res mobiles, vel immobiles ipsarum Ecclesiarum, aliorumque locorum sacrorum, ac religiosorum, quibus Clerici præsunt, vel deserviunt impendenda, in eorum fabricam, ministrorum salaria, eleemosynas pauperum, curam infirmorum &c. Ecclesiastica Beneficialia nuncupantur redditus, seu proventus annui, quos Clerici ratione alicujus Dignitatis, vel Beneficii Ecclesiastici, in titulum collati, percipiunt; v.g. quia sunt Canonici, Decani, Parochi &c. veluti se habent decimæ, & annuum stipendium in fixo consistens. Nunc

186. Quæres ulterius secundo, an bona, quæ Parochus in administratione Sacramentorum, benedictione nuptiarum, deductione funerum &c. percipit, & communiter solent appellari *Redditus stolæ*, sint bona quasi patrimonialia, vel beneficialia?

Respondetur, esse bona quasi patrimonialia. Laymann *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Konig *lib.* 3. *tit.* 25. *num.* 2. Pichler *ibidem n.* 1. & alii communiter. Ratio est: quia non sunt redditus ordinarii Parochiæ, sed quædam honoraria, quæ Parocho dantur ob specialem laborem, & industriam, in ejusmodi actuum exercitiis impensam.

Dices. Talia bona Parochus per actus parochiales, & quia Parochus est, acquirit, non acquisiturus, si Parochus non esset; ergo illa acquirit intuitu Beneficii parochialis, & non intuitu industriæ: consequenter sunt bona beneficialia, & non industrialia, seu quasi patrimonialia.

Respondetur, dist. ant. Illa acquirit, quia Parochus est, prout *ly quia* importat notam causalitatis, neg. prout importat solum conditionem, vel occasionem, conc. ant. & neg. utranque conf. Quamvis Parochus illa bona non acquireret, si Parochus non esset, adeoque illa acquirat occasione Beneficii parochialis, non tamen acquirit nomine, & intuitu Beneficii, sed potius intuitu industriæ, & laboris, in præfatis exercitiis impensi. Nec refert, quod hæc stipendia laborem, & operam præstitam interdum excedant. Nam adhuc manent justa stipendia laboris, quatenus hunc fideles ultro volunt majori honorificentia remunerari: consequenter &c.

187. Quæres tertio, an distributiones quotidianæ sint annumerandæ bonis quasi patrimonialibus, vel vero beneficialibus?

Respondetur, esse annumerandas bonis quasi patrimonialibus. Pichlerus *loc. & n. cit.* aliique satis communiter contra Navarrum, & quosdam alios. Ratio est: quia licet ejusmodi distributiones sint deductæ ex redditibus Ecclesiæ, Canonicis tamen non dantur intuitu, & ratione Canonicatus, sed potius ratione actuum, ac laborum particularium, & ut foveatur studium, ac assistentia Chori. Unde non veniunt nomine fructuum, seu redituum Canonicatus: prout relinquitur ex dictis *part.* 3. *n.* 433. & 435.

Dices. Distributiones quotidianæ subrogantur redditibus beneficialibus, & juxta Decretum Tridentini *Sess.* 21. *c.* 3. *de Reform.* in Ecclesiis, in quibus non sunt speciales distributiones quotidianæ, ex Præbendarum proventibus sunt detrahendæ: imo, quod plus est, aliquando in ipsis solis Præbendæ consistunt; prout colligitur ex *c. ult. de Verb. signif.* ergo ad bona beneficialia reduci debent; cum subrogatum sapiat naturam illius, cui subrogatur.

Respondetur, neg. ant. quoad primam partem. Falsum enim est, quod distributiones quotidianæ subrogentur redditibus beneficialibus; sed potius, dum ex istis pars aliqua juxta mentem Tridentini detrahitur, redditus beneficiales convertuntur in distributiones, harumque naturam induunt, quæ prorsus diversa est. Ex quo patet responsio ad reliqua, quæ in antecedente adjunguntur.

188. Quæres quarto, an redditus Capellaniæ, vel aliorum Beneficiorum simplicium sub onere singulis septimanis v. g. certas Missas legendi, vel certis temporibus Chorum frequentandi, Beneficiatis destinati, veniant nomine bonorum quasi patrimonialium, vel beneficialium?

Respondetur primo, redditus provenientes ex Capellania ad nutum amovibili, accensendos esse bonis quasi patrimonialibus. Ratio est: quia hujusmodi Capellania non confertur per Canonicam collationem; adeoque non sortitur rationem Beneficii; prout advertimus *part.* 3. *n.* 403. ergo ejusdem redditus non sunt bona

Bene-

Beneficii, seu beneficialia, sed quasi patrimonialia, quatenus dantur quidem Clerico qua tali, at non nisi intuitu laboris.

Respondetur secundo, redditus Capellaniæ collativæ, & inamovibilis accensendos esse bonis beneficialibus. Ratio sumitur a contrario: quia talis Capellania est verum Beneficium, licet non curatum, intuitu cujus isti redditus acquiruntur; ergo nihil deest, ob quod in censum bonorum beneficialium referri nequeant. Nec onus, & labor annexus facit, quo minus dentur, & acquirantur titulo Beneficii. Nam etiam redditus Parochiarum, & Canonicatuum non dantur otiosis, sed Ecclesiæ, & altari inservientibus; & tamen propter hoc non extrahuntur a ratione bonorum beneficialium, seu titulo Beneficii acquisitorum.

189. Quæres quinto, an si Episcopo, Parocho, vel alii Clerico quidpiam donetur, aut in testamento legetur, hujusmodi donum, aut legatum semper illis obveniat, & inter bona eorum patrimonialia connumerari possit?

Respondetur negative. Sed aspicienda est intentio donatoris, aut testatoris; nam si iste principaliter respexerit Ecclesiam, eique donare, aut legare intenderit, donum, aut legatum Ecclesiæ cedit, & bonis simpliciter Ecclesiasticis adnumerari debet. Quod si e diverso donator, vel testator principaliter respexerit personam Clerici, & huic donare, vel relinquere voluerit, tali personæ cedit, ejusdemque peculio patrimoniali miscetur, *c. 15. de Testam.* Si dubitetur de intentione donatoris, vel testatoris, recurrendum est ad conjecturas, quæ duæ sunt. Una fluit ex natura rei donatæ, vel legatæ; altera desumitur ex persona donatarii, vel legatarii. Circa primam considerandum est, qualis sit res donata, vel legata; nam si ea conveniat usui Ecclesiastico, uti sunt calix, patena, vel alia similis, censebitur donata, vel legata Ecclesiæ: sin autem magis conveniat personæ Clerici, qualis est v. g. vestis quotidiana, præsumendum, eandem esse donatam, vel legatam ipsi Clerico. Circa alteram conjecturam observandum est, num donatio, vel legatum factum sit Prælato, aut alteri Beneficiario habenti administrationem Ecclesiæ, vel vero alii Clerico, nullam Ecclesiæ administrationem habenti? Si hoc secundum; ut si quid legetur alicui Canonico, legatum præsumitur relictum Canonico tanquam amico, non autem Ecclesiæ. Si primum; distinguendum est: vel enim donatio, aut legatum factum est personæ extraneæ, vel personæ conjunctæ, aut alias de donatore, sive testatore bene meritæ: in priore casu censetur donator, vel testator respexisse Ecclesiam; in posteriore vero personam Clerici, *cit. c. 15. de Testam.* Konig *ad tit. de Pecul. Cleric. n. 4.* Schmalzgrueber ad *eund. tit. n. 13. & 14.* ac alii ab isto relati.

190. Quæres sexto, an bona relicta a Clerico, de quibus dubitatur, quo titulo acquisita fuerint, debeant haberi pro bonis patrimonialibus, vel beneficialibus?

Respondetur cum distinctione. Si enim constet, quod talis Clericus præter beneficiales proventus acquisierit aliqua alia bona ex patrimonio, vel propria industria, præsumendus est fructus Beneficii ad suam sustentationem applicasse; bona autem alia, patrimonialia videlicet, vel quasi patrimonialia, reservasse consanguineis, qui proinde ad illa jus habent etiam ab intestato. Quod si non constet, similem Clericum alia bona præter beneficialia acquisivisse, præsumendus est bona relicta acquisivisse titulo Ecclesiæ, aut Beneficii: cum enim constet, quod defunctus ex Beneficio aliquos redditus perceperit, omnia, quæ supersunt, hoc titulo acquisita tandiu præsumuntur, quandiu alius modus, vel titulus acquirendi intervenisse non probatur. Konig *loc. cit. num. 7.* Schmalzgrueber *n. 15.* & alii.

§. II.

An Clerici Seculares sint domini bonorum beneficialium?

S U M M A R I U M.

191. Clerici sunt absoluti domini suorum bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium. 192. Bona Clericorum beneficialia alia sunt eorum congruæ sustentationi necessaria, alia superflua. 193. Quidquid fideles pro sua devotione Ecclesiæ tribuunt, dispositioni S. Pontificis (& respective etiam dispositioni Episcoporum) subjacet. 194. Circa bona Ecclesiastica distinguuntur varii status. 195. & 197. Clerici seculares sunt veri domini redditutum beneficialium, non solum ad congruam ipsorum sustentationem pertinentium, sed etiam superfluorum. 197. & seqq. Diluuntur argumenta contraria. 202. Pro meliori conclusionis intelligentia fit corollarium.

191. PRænotandum primo, juxta communissimam DD. Clericos seculares esse veros, & absolutos dominos suorum bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium. Ratio est liquida, quoniam hæc talia bona iisdem titulis possident, quibus Laici, nempe titulo hæreditatis, donationis, contractus, laboris, stipendii &c. E diverso eosdem Clericos non existere dominos bonorum simpliciter Ecclesiasticorum, sed horum dominium (particulare; nam universale penes Ecclesiam universalem residet) esse penes ipsas Ecclesias, sive Collegia, & Capitula Clericorum, aut ubi talia non extant, penes Communitatem fidelium, ad Ecclesiam spectantium, si Ecclesia sit secularis; si vero Regularis, penes ipsa Monasteria, seu Conventus, & Communitates Religiosorum (supposito, quod sint dominii capacia) fatentur omnes, excepto Navarro *in Apolog. q. 1. monit. 24. & seqq.* cujus tamen fundamentum prorsus debile est, & corruet ex dicendis. Quare de solis bonis Ecclesiasticis beneficialibus (quæ passim absolute beneficialia nominabimus, quemadmodum & alii Authores nominare consueverunt) quæstio decidenda remanet.

192. Prænotandum secundo, inter bona beneficialia Clericorum alia esse, quæ requiruntur ad congruam sustentationem ipsorum; & alia, quæ supra congruam ipsorum sustentationem redundant, seu superflua sunt. Porro nomine decentis, & congruæ sustentationis hic intelligitur, quidquid necessarium est, ut Clericus honeste vivat juxta conditionem status, gradus, qualitatis, & Religionis, in qua commoratur. Unde quantitas hujusmodi sustentationis non potest absolute, & æqualiter pro omnibus taxari; sed respicienda in primis est qualitas Beneficii: quod enim sufficit v. g. Parocho rurali, non sufficit Canonico Cathedrali ad congruam sui sustentationem; & quod huic sufficit, non sufficit Episcopo. Deinde attendi debet ad qualitatem personæ; nam ratione nobilitatis, doctrinæ, & præcipue meritorum crescit mensura congruæ sustentationis: siquidem juxta Apostolum *ad Timoth. 5. qui præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*, id est, merentur abundantiori subsidio commode sustentari. Consideranda insuper est qualitas Regionis, in qua Clericus degit; nam quod in uno loco sufficit ad sustentationem, non illico sufficit & in altero. Huc etiam spectat, quidquid ad moderata convivia, liberales donationes, honestas remunerationes, recreationes, medicinas, & hujusmodi necessarium est. Eodem pertinet quantitas reservata in usus futuros, ut, si agrorum sterilitas, fames, pestis ingruat, Clericus & suis, & aliorum necessitatibus subvenire possit. Tandem Clericus, juxta communem Doctorum, ad congruam sui sustentationem reducere, ac computare potest, quod requiritur ad decentem alimentationem consanguineorum, moderatam dotationem sororum &c. dummodo non intendat augere, vel reipsa augeat familiam; hoc quippe prohibetur in Trid. *Sess. 25. de Reform. c. 1.*

193. Prænotandum tertio, oblationes, decimas, & quidquid aliud fideles pro sua devotione Ecclesiæ tribuunt, subjacere dispositioni S. Pontificis (& respective etiam dispositioni Episcoporum) ut ex illis, quam partem expedire judicaverit, applicet Ministris Ecclesiæ non solum in congruam sustentationem, secundum se, absolute, & directe spectatam, sed etiam in præmium, quo ad studia, & labores alliciantur, & in retributionem pro utilitate, quam suis ministeriis Ecclesiæ afferunt. Unde pro suo jure, & authoritate potest erigere Beneficia Ecclesiastica, applicata cuique eorum certa portione redituum Ecclesiasticorum, quæ sit in Ministri Ecclesiastici sustentationem, præmium, recognitionem laboris &c.

194. Prænotandum quarto, circa bona Ecclesiastica distinguendos esse varios status, secundum diversa Ecclesiæ tempora. Nam in primitiva Ecclesia nullus Cle-

ricus

ricus erat dominus quorumvis redditiuum, decimarum, aut oblationum, sed omnes vivebant in commune, & alebantur *ex cassa*, & ærario communi bonorum a fidelibus oblatorum, quorum administratio, & dispensatio Episcopo commissa erat: usquedum Simplicius Papa, qui præfuit Ecclesiæ ad annum Christianum quadringentesimum septuagesimum primum, statuerit, ut redditus Ecclesiarum in quatuor partes distribuerentur, quarum una daretur Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, & quarta deputaretur ad fabricam, & conservationem Ecclesiæ. Finis istius divisionis erat (ut memorat Navarrus *in tr. de Reddit. Ecclesiast. monit.* 50. *n.* 2.) tollere rixas; dissidia, & lites, quæ propter communitatem bonorum inter Episcopos, Capitula, Fabricarios, & Eleemosynarios passim gliscebant. Cum enim administratio omnium hujuscemodi bonorum esset penes solos Episcopos, iique vel omnino negarent, vel maligne præberent Clericis, & aliis congruam, debitamque portionem, placuit, ut sedarentur querelæ, & discordiæ, memoratam divisionem introducere. Denique successu temporis, cum Clericorum multitudo, & Ecclesiarum numerus indies cresceret, instituta sunt certa Beneficia, deputata singulis Beneficiatis congrua portione redditiuum, unde decenter vivere possent; atque bona Ecclesiæ eo modo distributa, & applicata, quo hodie applicata cernuntur, ita, ut portio pauperum vel translata sit in fundationes Hospitalium, piorumque Collegiorum; vel ceteris portionibus permixta, ac confusa. His prænotatis,

195. Dico primo. Clerici seculares sunt veri domini redditiuum beneficialium, ad congruam ipsorum sustentationem pertinentium. Et hæc quidem conclusio hodie, seu de facto communis est inter DD.

Probatur. Quia illorum bonorum de facto Clericus est dominus, quæ ipsi dantur ut merces, & stipendium: sed ita dantur bona ad congruam sustentationem pertinentia; nam hæc Clerico ideo dantur, *quia dignus est operarius mercede sua. Lucæ* 10. & quia *nemo militat suis stipendiis.* 1. *Cor*, 9. ergo &c. Neque obstat, quod isti quoque redditus sint ex bonis Ecclesiæ: dicit enim Apostolus *loc. cit. Qui Altari deserviunt, cum Altari participant.* Aliæ rationes probativæ, hic a fortiori valituræ, subjungentur post conclusionem jam jam statuendam.

196. Dico nunc secundo. Clerici seculares sunt etiam veri domini bonorum beneficialium superfluorum. Cardinalis de Lugo, Molina, Amicus, Lessius, Cafpensis, Hetinck, Mastrius, Illsung, & alii tum Theologi, tum Juristæ communius conta Gormaz, Krimer, & alios.

Probatur primo ex Concilio Trident. *Sess.* 23. *c.* 1. *& Sess.* 24. *c.* 12. *de Reform.* ubi statuitur, ut Beneficiarii, qui absque necessitate diu absunt, aut professionem fidei intra præscriptum tempus emittere negligunt, non faciant fructus suos; ergo per argumentum a contrario, qui præsentes sunt, & professionem tempore præscripto emittunt, fructus illos faciunt suos. Sed fructus facere suos idem est, ac eorum dominium acquirere per *cap. un. de Cleric. non resident. in* 6. ergo &c.

Respondent Adversarii, Concilium intelligendum esse de illa parte fructuum, quam Beneficiarius potest reservare ad congruam sustentationem; hanc enim vere suam facit.

Contra tamen est primo. Si Concilium intelligi deberet præcise de fructibus sustentationi necessariis, sequeretur, quod Beneficiarii non residentes, professionem infra præscriptum tempus non emittentes &c. haud privarentur fructibus superfluis: atqui hoc est falsum, & contra praxim SS. Pontificum, volentium, similes Beneficiarios privare omnibus fructibus; ergo &c.

Contra est secundo, quod Concilium loquatur universaliter, & sine restrictione ad fructus congruæ sustentationi necessarios; ergo non debet cum tali restrictione intelligi, maxime cum versetur in materia Beneficiariis præscriptas conditiones adimplentibus favorabilis.

Contra est tertio, quod *can.* 27. *caus.* 13. *q.* 2. ubi refertur divisio bonorum redditiuum, & bonorum Ecclesiis oblatorum, jam dudum antefacta in quatuor partes, una integra pars addicatur Clericis ut sua, & non sola pars congruæ sustentationis; sicut alia quarta pars addicitur Pontifici, seu Episcopo, alia pauperibus, alia fabricis: consequenter &c.

Probatur secundo ex Constitutione Julii III. quæ incipit: *Cum sicut*, edita 3. *Junii an.* 1550. ubi expresse habetur, *pecunias, & alias res, occasione Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, postquam ad manus Beneficiariorum pervenerunt, non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius ipsorum Beneficiatorum propriis, & ab iis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro secularibus, & profanis haberi:* quæ verba clare indicant, bona beneficialia in dominium, & proprietatem Clericorum transire; ergo &c.

Probatur tertio ratione. Si Beneficiarii non acquirerent dominium Beneficiorum beneficialium superfluorum, donationes (idem esto judicium de aliis contractibus) ex hujusmodi bonis ab illis factæ forent invalidæ: sed non sunt, nec judicantur ab Ecclesiæ invalidæ, etiamsi factæ sint ad causas profanas; veluti constat ex continua praxi; ergo &c. Item tam donatores, quam donatarii obligarentur ad restitutionem Ecclesiæ, vel pauperibus faciendam: consequens autem est [illegible] falsum; alias enim Ecclesiæ Prælati tenerentur illos ad restitutionem compellere, nec possent dissimulare usque adeo grave præjudicium, ac damnum piarum causarum, quarum Tutores ex officio esse debent; ergo &c. Itaque non videtur credibile, quod Ecclesia circa dantes, vel recipientes bona illa superflua nihil declararet de obligatione restituendi, si aliquam agnosceret; cum id accurate præstet in minoribus, verb. grat. circa absentes ab officio, aut residentia, vel Horas recitare omittentes.

Probatur quarto, Nec ex Jure positivo, nec ex Jure naturali satis constat, Beneficiariis solam talium bonorum administrationem competere, & non etiam dominium; ergo in dubio melior est conditio possidentium, & stat pro iisdem præsumptio dominii ob paritatem cum Operariis, & Officialibus Ecclesiarum profanis, qui, etsi liberalissima quandoque stipendia pro labore suo assignata habeant, ea tamen omnia sua faciunt. Ant. patebit ex solutione objectionum, quas jam jam aggredior. Itaque

197. Objicies primo varios textus Juris Canonici, & SS. Patrum, in quibus bona beneficialia Clericorum vocantur *bona Dei, patrimonium Christi, & res pauperum*; ergo Clerici non sunt illorum domini; alias deberent nominari *bona Clericorum*.

Respondetur primo, argumentum probare, Clericos nec esse dominos bonorum necessariorum ad congruam ipsorum sustentationem; cum textus illi loquantur sine distinctione inter bona superflua, & congruæ sustentationi commensa: quod est contra ipsosmet Adversarios, saltem plerosque: consequenter &c.

Respondetur secundo, neg. cons. Et ad ant. ajo, bona beneficialia appellari *bona Dei*; quia sunt a fidelibus data, ut impendantur ad cultum, & honorem Dei: *patrimonium Christi* vero; quia pro augumento Ecclesiæ, cujus Sponsus est Christus, adeoque propter Christum, & ex amore Christi donata sunt. Ex quo tamen non sequitur, quod Clerici non acquirant dominium ejusmodi bonorum; alias neque pauperes, quibus illa erogantur, eorundem domini evaderent; eo quod sint *bona Dei*, & *patrimonium Christi*. Dicuntur denique *res pauperum*, ideo præcise; quia Clerici, qui antiquitus dominium in particulari nullum habebant, sed vere pauperes erant, ex illis sustentantur; vel quia (si textus accipiendos, & intelligendos putes de aliis pauperibus, & relate ad nostra tempora) pauperibus eroganda sunt hujuscemodi bona, si sint superflua: prout dicetur §. *seq.*

198. Objicies secundo. Nemo potest dici fur, quomodocunque rem aliquam, cujus dominium obtinet, expendat: sed Clerici, qui bona superflua in profanos usus expendunt, appellantur fures, imo raptores, & pauperum interfectores, *c.* 1. *& c.* 6. *caus.* 12. *q.* 2. ergo non obtinent dominium illorum bonorum.

Respondetur, relatos, & alios similes textus referri debere ad ea tempora, quibus Clerici in communi vivebant ex gratuitis fidelium eleemosynis. Quod si contendas, intelligendos esse de Clericis relate ad nostra tempora, ajo, quod in illis fiat pia aliqua exaggeratio,

ratio, qualem sæpius etiam adhibent SS. Patres, dum divites laicos, pauperibus non subvenientes, vocant homicidas pauperum, quamvis obligatio danti eleemosynas solum consurgat ex virtute Charitatis, non Justitiæ. Sufficiat e pluribus unus, S. Hieronymus, qui, prout refertur *c. 1. dist. 42.* de ejusmodi laicis loquens, *aliena*, inquit, *rapere convincitur, qui ultra necessaria retinere probatur.* Deinde plerique ejusmodi textus loquuntur de bonis ipsarum Ecclesiarum, quæ in profanos usus expendendo Clerici revera fures evadunt; cum talium bonorum non sint domini, sed dispensatores duntaxat, & administratores.

199. Objicies tertio. Non potest ostendi efficaciter, quo titulo Clerici in bona beneficialia acquisierint dominium; ergo gratis asseruntur illorum domini.

Respondetur, neg. ant. Acquisierunt quippe titulo divisionis, qui sufficit ad transferendum dominium per *§. ult. Instit. de Offic. Judic.* ubi dicitur: *quod autem istis judiciis* (de rerum divisione fit sermo) *adjudicatum fuerit, statim ejus fit, cui adjudicatum est.* Cum ergo per rerum Ecclesiasticarum divisionem, a Simplicio Papa factam secundum dicta *in prænot.* 4. pars quarta illarum fuerit adjudicata Clericis, ex titulo talis divisionis erunt veri domini suæ portionis; sicut Ecclesiæ, & pauperes, vi ejusdem tituli, veri domini suæ quisque portionis effecti sunt.

Dices primo. Pontifex per illam divisionem Clericis solum contulit administrationem bonorum Clericalium, non autem proprietatem, & dominium; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. quippe omnino voluntarie assumptum; alias enim pari jure dicere possem, quod Pontifex etiam Ecclesiis, & pauperibus meram suarum portionum administrationem commiserit, non vero dominium. Deinde contrarium satis clare constat ex probationibus, maxime prima, in qua per argumentum a contrario ostenditur, quod Clerici *faciant fructus suos:* quod non est solam eorum administrationem acquirere, sed verum dominium; secus Abbates, ceterique Prælati Regulares possent dici facere fructus suos, eo quod eorum administrationem acquirant.

Dices secundo. Finis divisionis per Pontificem factæ erat concordia Clericorum, prout *in prænot.* 4. observatum; ergo per illam non intendit Pontifex transferre, seu attribuere dominium Clericis.

Respondetur, neg. cons. Nam qui vult efficaciter finem, censetur etiam velle media ad illum necessaria, vel saltem multum expedientia; cujusmodi medium visum fuit, si Clericis sua portio ex bonis Ecclesiasticis concederetur in proprietatem, & dominium: consequenter &c.

200. Objicies quarto. Clerici non possunt de bonis beneficialibus superfluis libere disponere, vel testari; ergo non sunt illorum domini.

Respondetur primo, retorq. arg. Pupillus v. g. non potest de suis rebus libere disponere, vel testari; ergo non est illarum dominus. Deinde quamvis testamenta Clericorum de præfatis bonis facta non valeant secundum Jus Commune, & præscindendo a consuetudine tali Juri derogante; valent tamen donationes etiam excessivæ ex similibus bonis, factæ inter vivos, cum nullo Jure ut invalidæ reprobentur; ergo signum est, quod Clerici sint domini bonorum superfluorum; alias non esset ratio asserendi, prædictas donationes validas consistere.

Respondetur secundo, dist. ant. Clerici non possunt testari &c. defectu se tenente ex parte juris, seu dominii, neg. defectu proveniente ab extrinseco, videlicet a prohibitione Juris Communis, con. ant. & neg. cons. Solum ergo sequitur, quod dominium Clericorum sit ab extrinseco impeditum (quemadmodum & dominium pupilli) ne per factionem testamenti redigi in actum secundum possit: quod illius naturæ, & perfectioni essentiali non repugnat; prout animadvertimus *n. 9.*

201. Objicies quinto. Eadem manet mens, & intentio fundatorum post, quæ erat ante divisionem bonorum: sed ante bonorum divisionem bonorum intentio Fundatorum non erat, ut Clerici essent domini bonorum congruæ sustentationi superfluorum; ergo nec post illam.

Respondetur primo, retorq. arg. Eadem est intentio Fundatorum post, quæ fuit ante divisionem bonorum: sed ante bonorum divisionem intentio Fundatorum non erat, ut Clerici essent domini bonorum congruæ sustentationi necessariorum; ergo nec post illam.

Respondetur secundo, concessa majore, dist. min. Ante bonorum divisionem non erat ea intentio Fundatorum primaria, & explicita, con. secundaria, & implicita, neg. min. Ergo nec post bonorum divisionem est ea intentio Fundatorum primaria, & explicita, con. secundaria, & implicita, neg. cons. Fundatores quidem primario, & explicite per fundationes a se factas intendebant promovere Divinum cultum, & animarum salutem; secundario tamen, & implicite voluisse censendi sunt, eum adhiberi modum, qui pro executione primariæ intentionis videretur accommodatior S. Pontifici, cujus dispositioni ut illi redditus subjacerent, haud dubie voluerunt, & velle debuerunt. Cum ergo S. Pontifex ad tollenda jurgia, & sedandas querimonias Clericorum judicaverit admodum expedire, si singulis sua portio attribueretur ut propria, ad hanc ipsam dispositionem implicite se protendit intentio Fundatorum.

202. Colliges, hactenus dicta saltem procedere, & intelligenda esse de portione per divisionem, a Pontifice, seu Pontificibus factam, Clericis adjudicata, in quantum nihil habet, vel habere supponitur admixtum de portione pauperum. De hac enim siquid Clerici participarent, putant complures etiam nostræ sententiæ defensores, id in Clericorum proprietatem, & dominium non transire; vel si transeat, transire cum onere, & obligatione justitiæ, ut inter pauperes, vel alias causas pias erogetur: sicut res testamento relictæ transeunt quidem in dominium hæredis, attamen cum onere, & obligatione justitiæ solvendi legata, aut satisfaciendi creditoribus. Contrarium tamen etiam in hac hypothesi sentiunt Haunoldus *tr. 4. c. 6. controvers. 2. n. 73.* Lessius, Mezger, & alii, volentes, Clericos etiam illius portionis admixtæ dominos evadere, sine onere, & obligatione justitiæ illam in pauperes, vel alias pias causas erogandi. Ratio eorum est: quia communis consuetudo, vidente, & non contradicente, adeoque consentiente Ecclesia, obtinuit, ut integri redditus Clericis assignati cedant in eorum stipendium; potestque rationabiliter præsumi, quartam partem pauperum ideo fuisse ab Ecclesia permixtam (si tamen permixta fuerit) cum portione Clericorum, ut, cum cerneret pauperibus aliunde satis provisum esse, Personæ illustres, & idoneæ ad Canonicatum, & Clericatum ampliori stipendio allicerentur.

Sed quidquid si de tali hypothesi, ad praxim quod servit, est, Clericos manere in possessione, posseque præsumere, nihil de portione pauperum suæ portioni admixtum esse; cumeuim similis commixtio sit res facti, demonstrari debet, quod hactenus non est præstitum: imo probabilius videtur, ex portione pauperum fuisse dotata Hospitalia, Seminaria, aliaque pia loca: consequenter &c.

§. III.

An, & sub quanta obligatione Clerici teneantur expendere bona beneficialia, congruæ sustentationi superflua?

S U M M A R I U M.

203. *Clerici bona beneficialia superflua, tenentur erogare in pauperes, vel alias pias causas.* 204. *Quando, contrarium faciendo, graviter peccent?* 205. *Quid intelligatur nomine pauperum, & piarum causarum?* 206. *Fit corollarium.* 207. *An prædicta obligatio statim stringat?* 208. *&* 209. *Resolvuntur duo dubia de Beneficiariis, eorumque bonis beneficialibus.* 210. *Inter quos pauperes &c. distribuenda sint bona beneficialia superflua?* 211. *An, & quando peccent, qui a Beneficiariis superflua in usus profanos accipiunt.* 212. *Fit illatio.*

203. Dico, Clerici tenentur præfata bona erogare in pauperes, vel alias pias causas; idque sub mortali ex genere suo. Est communis.

Probatur ex Trid. *Sess. 25. c. 1. de Reform.* ubi interdicit Episcopis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos,

aut

aut familiares suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis, vel aliis pauperibus distribuant: & paulo post idem extendit ad quoscunque Beneficiatos; ergo ex mente Tridentini Clerici tenentur bona beneficialia superflua erogare in pauperes, vel alias pias causas: idque sub mortali ex genere suo; nam ita textum Tridentini explicant DD. communiter. Dari autem hic parvitatem materiæ, nemo est, qui inficias eat. Sed

204. Quæres primo, quænam quantitas materiæ sit gravis, & tanta, ut eam ex bonis superfluis expendendo in causas profanas Clericus mortaliter peccet?

Respondetur cum P. Ininger *pag.* 103. regulam universalem statui nullam posse, sed determinationem relinquendam esse prudentum arbitrio, qui spectatis tum redditibus Beneficii, tum Beneficiatorum nobilitate, laboribus, meritis &c. decernant, quandonam erogatio reddituum superfluorum in causas profanas sit, vel non sit ratione materiæ erogatæ mortaliter culpabilis. Id tamen adverte, hic plus materiæ requiri, ut peccetur graviter, quam in furto; cum enim Clerici etiam superfluorum domini existant secundum dicta *in* §. *praced.* non videntur ab Ecclesia, ex cujus præcepto secundum dicenda *in* § proxime secuturo illos expendere in pios usus debent, tam stricte obligari.

205. Quæres secundo, quid intelligatur nomine pauperum, & piarum causarum?

Respondetur, nomine pauperum 1. intelligi non solum pauperes simpliciter tales, qui non habent necessaria ad conservationem vitæ, sed etiam pauperes secundum quid, qui non habent sufficientia pro conservando statu, quales non raro sunt personæ illustres, & nobiles. 2. Nomine causarum piarum venire ipsos pauperes, Monasteria, vel alia pia Collegia, Sodalitates, Hospitalia, Missas, Capellanias, templa, altaria, & quæcunque demum ad Dei cultum, & opera Misericordiæ sive spiritualia, sive corporalia per se ordinantur. Unde a contrario, quidquid ordinatur ad alios usus, sortitur rationem causæ profanæ: uti est dotare consanguineos, notabiliter excedere in supellectili, equis, conviviis, largitionibus &c.

206. Ex quibus infertur, quod Clericus possit ex redditibus superfluis solvere 1. non tantum sua, sed etiam consanguineorum suorum debita, quamvis contracta ob finem profanum, si ea aliunde solvere ipse, vel isti nequeant. 2. Quod possit consanguineis, uti & familiaribus suis, respective, & secundum quid pauperibus, ex iisdem redditibus succurrere, ac juvare, ut juxta decentiam sui status vivere, non vero, ut eum augere, & ad majorem splendorem attollere valeant. 3. Quod possit fratri, vel consanguineo suo subministrare sumptus ad discendas literas, vel alias artes. 4. Quod possit dotare puellas, ut honeste, & secundum decentiam sui status nubere queant. 5. Quod possit alere liberos suos, non solum, quos ex legitima uxore forte susceperit ante Clericatum, sed etiam quos suscepit post illum, seu spurios. Laymann *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. *proprie fin.* & duobus *n. n. seqq.* Pirhing *ad tit. de Pecul. Cleric. n.* 27. & alii communiter.

207. Quæres tertio, an Clerici redditus superfluos teneantur statim in usus pios expendere; vel possint reservare, ut postea fundent e. g. Hospitale, Conventum Religiosorum, Seminarium pro pauperibus studiosis, orphanis &c?

Respondetur. Quando (1.) non urget necessitas, nec adest prætextus palliandæ avaritiæ, aut periculum mortis imminentis, ut deinde ab amicis, vel consanguineis tales redditus diripiantur, Clericus illos reservare potest, ex iisque emere possessiones, vel colligere thesaurum pro futuris necessitatibus; secus *(2.)* quando urget necessitas, aut adest prætextus palliandæ avaritiæ. Ita P. Ininger *pag.* 103. & alii passim contra Navarrum, & quosdam alios, qui volunt, redditus beneficiales superfluos statim esse expendendos in causas pias; quique idcirco invehuntur in Clericos thesaurizantes.

Ratio nostræ responsionis quoad primam partem redditur a P. Ininger *cit.* quia præceptum Tridentini *Sess.* 25. *supra allegat.* potius, & principalius est negativum, ne scilicet Clerici illa bona dent inordinate consanguineis, quam affirmativum, ut ea dent pauperibus; ergo non contraveniunt Clerici tali præcepto, si similia bona reservent, cum intentione tamen illa adhuc ante obitum suum ad pias causas applicandi. Ratio responsionis quoad alteram partem ex eo patet, quod laici pauperibus, in extrema, vel gravi necessitate constitutis, succurrere teneantur; ergo magis Clerici, saltem ex bonis superfluis, utpote per præceptum Ecclesiæ specialiter ad usus pauperum, & alias pias causas destinatis; ergo urgente tali necessitate peccant, si illa sibi reservent. Idem dicendum, si eadem reservent prætextu palliandæ avaritiæ, vel cum periculo, ne post obitum ab amicis diripiantur; nam sic vel contraveniunt reipsa præcepto Tridentini, vel saltem periculo contraveniendi se exponunt. Itaque hæc regula videtur optima: ut Beneficiarius illa bona expendat, quomodo judicat in Domino utilius expendi posse: & sicut prudens Oeconomus faceret considerando domini voluntatem in his, vel illis circumstantiis. Unde omnino utilius aliquando erit, illa congregare, & reservare pro aliquo insigni opere, ad majorem Dei gloriam cessuro. Plerumque tamen tutius agunt Clerici, & honori Dei, suæque saluti melius consulunt, si in vita mature expendant, & applicent ad pias causas, ne forsan a morte, ut sæpenumero fieri solet, præventi, debeant ea, etiam inviti, & sine ullo suo temporali, vel spirituali emolumento relinquere fisco in spolium, vel consanguineis ad luxum; sicque proprio damno experiri commune illud: *quod non rapit Christus; rapit fiscus*, inquit P. Ininger *cit.*

208. Quæres quarto, an respectu Beneficiarii, qui potest vivere ex suis bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, censeantur redditus, in communem ipsius sustentationem deputati, superflui, debeantque proinde in pios usus expendi?

Respondetur negative. Communis. Ratio est: quia æquitas poscit, ut, qui Altari servit, de Altari vivat; & pars illa redditum, ad congruam Beneficiarii sustentationem deputata, hoc ipso jam est applicata in pium usum; sicque Fundatorum intentioni satisfactum; ergo nulla apparet ratio, cur non cedat peculio Beneficiarii, & liberæ ejus dispositioni subjaceat; est enim mere per accidens, quod aliunde habeat, unde vivat.

209. Quæres quinto, an Beneficiarius, qui ex uno Beneficio acquirit sufficientem, & congruam sustentationem, possit, superveniente alio Beneficio, novo titulo ad suam sustentationem aliquid accipere, & retinere?

Respondetur negative. Cardinalis de Lugo *de Justit. tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 36. Mezger *loc. cit. n.* 13. Babenstuber *n.* 24. Ratio est: quia Ecclesia cum tunc ex bonis unius Beneficii sufficienter alat Ministrum, non concedit proventus ex alio. Aliud est, si unum Beneficium congruam sustentationem non præbeat. Sed de hoc ex professo actum est *part.* 3. *n.* 417.

210. Quæres sexto, an Beneficiarius redditus superfluos teneatur expendere in pauperes, vel utilitatem illius loci, in quo habet Beneficium?

Respondetur (1.) in gravi, & multo magis extrema necessitate propriæ Ecclesiæ, ac membrorum ejus, teneri Beneficiarium illis succurrere præ extraneis; secus (2.) si similis necessitas non adsit. Ita Haunoldus *loc. cit. n.* 90. Mezger *n.* 26. & alii passim. Ratio primæ partis est: quia hanc obligationem etiam habuit ipsa Ecclesia, antequam redditus suos transtulit in Beneficiarium: consequenter illos non censetur aliter in Beneficiarium transtulisse, quam cum tali obligatione; ergo &c. Ratio secundæ partis est: quia nec Canones, nec Concilia, extra casum præfatæ necessitatis, ejusmodi obligationem exprimunt; neque ratio eam persuadet; imo potius contrarium ex ratione eruitur; siquidem gubernatio Ecclesiæ est spiritualis; & consequenter obligatio succurrendi Ecclesiæ, vel membris ejus de bonis temporalibus solum est indirecta, quatenus nimirum id necessarium est ad conservandum statum spiritualem; ergo non apparet ratio asserendi, quod Beneficiarius tunc obligetur, saltem sub culpa gravi, succurrere suis præ aliis: esto, ceteris paribus, id omnino deceat.

Dices. Paterfamilias tenetur subvenire suis præ aliis; ergo etiam Beneficiarius.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est, quod obligatio, quæ incumbit Patrifamilias, providendi sui de bonis temporalibus, sit directa, obligatio autem, quam habet Beneficiarius de bonis temporalibus succurrendi

suis,

suis, indirecta solum; ut primum diximus: consequenter &c.

211. Quæres septimo, an, & quando peccent, qui a Beneficiariis superflua in usus profanos accipiunt?

Respondetur primo. Si ex donatione superfluorum Beneficiarius non reddatur impotens, quin tantundem expendat in causas pias ex aliis bonis, puta patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, non peccant accipientes, esto etiam Beneficiarium inducant ad ejusmodi donationem. Ratio est, quod ejusmodi donatio tunc nullam contineat culpam; siquidem Beneficiarius (ut supponitur) suæ obligationi satisfacere ex aliis bonis potest; ergo ad illam faciendam inducentes non peccant. Nec refert, quod forte Beneficiarius alia bona substituere, ex eisque satisfacere negligat: id enim per accidens est, & ex mera Beneficii negligentia, aut malitia provenit; neque inducenti ad donationem ullo modo imputari potest.

Respondetur secundo. Etiamsi Beneficiarius ex simili donatione reddatur impotens ad satisfaciendum suæ obligationi, tamen accipientes non peccant: modo tunc non inducant ad sic donandum. Lugo *disput.* 4. *sect.* 3. *num.* 49. Tamburinus *in Decal. lib.* 8. *cap.* 2. §. 4. *n.* 2. Mezger *loc. cit. n.* 10. Ratio est 1. quia talis acceptio jam supponit completam malitiam donationis; ergo accipiens non cooperatur ad peccatum, & consequenter non peccat: sicut nec peccat accipiens aliquid a fure, vel debitore, cujus isti dominium habent, esto illud dando efficiantur impotentes ad solvendum, quod debent: prout docent Molina *tom.* 2. *disp.* 328. Lessius *lib.* 2. *capit.* 20. *dubit.* 19. *num.* 168. Mezger *cit.* & alii. Conf. & paritas tenent. Ant. ostenditur. Malitia donationis, quæ fit a Beneficiario, complete sita est in oblatione superfluorum ad causam profanam: atqui talem oblationem acceptio supponit; ergo &c. Ratio est 2. Vel enim accipiens peccaret contra legem humanam, vel Divinam, vel naturalem: nullum potest dici; ergo non peccat. Min. prob. Non enim contra legem humanam, cum hæc non extet; quæcunque enim assignabilis obligat solos Beneficiarios, non alios. Neque contra legem Divinam, aut naturalem; nam hæc, ut videbitur in §. proxime secuturo, neque ipsos Beneficiarios stringit: & dato, quod hos stringeret, non tamen idcirco comprobatur se ad ipsos quoque accipientes extendere, utpote apud quos bona, a Beneficiario percepta, penitus profanantur, inque absolutum illorum dominium transeunt.

212. Ex quo infertur, quod, licet hæredes Beneficiarii, sive ab intestato, sive ex testamento, teneantur (præscindendo a consuetudine legitime introducta de bonis beneficialibus etiam superfluis testandi ad causas profanas) superflua sibi relicta expendere in usus pios, quia repræsentant personam defuncti, in cujus proin onere succedunt; non tamen teneantur aliter accipientes, cum bona accepta in horum, utpote personam Beneficiarii non repræsentantium, dominium absolutum transeat; & profanentur.

Dixi autem in respons. *modo tunc non inducant* &c. Nam hoc faciendo haud dubie peccarent; cum moralem influxum in peccatum præstarent, eique cooperarentur: quod absque scandalo fieri nequit.

§. IV.

Unde proveniat obligatio Clericis imposita ad erogandos redditus superfluos in causas pias?

S U M M A R I U M.

213. *Referuntur sententiæ DD. in præsenti controversia.* 214. & 215. *Ea obligatio non provenit ex lege Charitatis, vel Religionis.* 216. *Solvitur objectio.* 217. *Neque ea obligatio provenit ex lege naturali Justitiæ.* 218. & 219. *Solvuntur duæ objectiones.* 220. *Descendit ergo prædicta obligatio ex sola lege positiva Ecclesiæ.* 221. *Contra quam virtutem peccent Clerici bona beneficialia superflua ad causas profanas applicando?*

213. QUatuor sunt sententiæ DD. in præsenti controversia. Una docet, eam obligationem provenire ex lege naturali Charitatis, & Misericordiæ: altera, ex lege naturali Religionis: tertia, ex lege naturali Justitiæ: & quarta, ex lege positiva Ecclesiæ tantum.

214. Dico primo. Ea obligatio non provenit ex lege naturali Charitatis, & Misericordiæ. Est contra Molinam, & quosdam alios.

Probatur primo. Clerici ex lege naturali Charitatis, & Misericordiæ non strictius obligantur sua bona dare pauperibus, quam Laici; ergo illa specialis, & strictior obligatio, quæ incumbit Clericis, debet aliunde oriri. Conf. patet. Ant. prob. Si Clerici ex lege naturali Charitatis, & Misericordiæ strictius obligarentur, esset ratione Status Clericalis, ut vult Molina *cit.* sed hæc ratio non evincit specialem illam obligationem in Clericis; siquidem circumstantia personæ non variat obligationem naturalem Charitatis, & Misericordiæ; ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 10. ergo &c. Itaque eminentia, & sanctitas Status Clericalis solum indicat quandam decentiam, non autem specialem aliquam obligationem, quam habeant Clerici ad subveniendum pauperibus ex bonis beneficialibus sive congruæ sustentationi suæ deputatis, sive superfluis; alias iidem Clerici etiam ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus obligarentur speciali titulo pauperibus succurrere, cum hoc sanctitas Status æque suadeat, ac alterum.

Probatur secundo. Clerici per se loquendo satisfaciunt suæ obligationi, si redditus beneficiales superfluos expendant in alia pia opera, quam Charitatis, & Misericordiæ, puta in cultus Divini augmentum, in fundationem Beneficii, in erectionem altaris &c. prout nemo facile negaverit; ergo evidens est, eorum obligationem non esse, saltem determinate, ex lege Charitatis, & Misericordiæ.

215. Dico secundo. Ea obligatio non oritur ex lege naturali Religionis. Est contra Cardinalem de Lugo, & alios.

Probant conclusionem PP. Mezger, Babenstuber, Schmalzgrueber, & alii in hunc modum. Si obligatio ista ex lege naturali Religionis descenderet, non appareret, quomodo Pontifex cum Clericis posset dispensare, & dare potestatem testandi ad causas profanas, prout aliquibus dedit Julius III. & Paulus V. Item quomodo ea facultas induci posset per consuetudinem, quæ tamen consuetudo datur, & ab Ecclesia toleratur multis in locis, teste Barbosa *libr.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 17. *numer.* 67. ergo signum est, quod aliunde proveniat.

Verum (pace tantorum Virorum dixisse velim) hæc probatio (nisi aliquid aliud addatur, unde firmetur) videtur mihi esse exigui momenti, imo prorsus infirma. Nam responderi facillime potest, S. Pontificem posse dispensare indirecte, nimirum bonis beneficialibus, quæ supremæ illius dispositioni plene subjacent, adimendo esse sacrum, quo sublato obligatio Religionis, suo quippe fundamento destituta, corruat: sicut potest indirecte dispensare in voto v. g. esto hujus obligatio sit Juris Divini, & naturalis; relaxando nimirum promissionem Deo factam, quæ est basis, & fundamentum talis obligationis, & qua sublata votum obligare desinat, necesse est.

Probatur igitur conclusio aliter hac ratione. Bona Beneficialia, ubi ad manus Clericorum pervenerunt, amiserunt suam qualitatem, quatenus e censu bonorum sacrorum in censum bonorum profanorum migrarunt; ergo jam non amplius apparet, quare eorum applicatio ad causas profanas sit peccatum militans adversus legem naturalem Religionis. Conf. pensanti liquet. Ant. ostenditur ex Constitut. Julii III. supra §. 2. *in probat.* 2. recitata, in qua bona beneficialia, postquam ad manus Clericorum pervenerunt, æquiparantur aliis bonis Clericorum non beneficialibus, & dicuntur habenda quodammodo *pro secularibus, & profanis*; ergo suam qualitatem amiserunt, & sacra esse desierunt. Nec officit, quod apposita sit particula *quodammodo*; nam hæc non denotat formale aliquod esse sacrum, quod in illis bonis remanserint, sed solam congruentiam, & super hac fundatam legem positivam Ecclesiæ illa bona in pias causas erogandi: prout infra declarabitur.

216. Objicies. Fundatores Beneficia, & eorum redditus ordinarunt ad augendam Religionem, & promo-

vendum Divinum cultum: unde vocantur *res, & bona Dei*; ergo qui illos expendit in causas profanas peccat contra legem naturalem Religionis.

Respondetur, neg. conf. Nam ejusmodi redditus sufficienter censentur expendi ad promovendum Divinum cultum, dum distribuuntur Clericis ratione eorum ad officium, & servitium Divinum obligatis; per quod proinde jam satisfit intentioni Fundatorum: neque enim hæc probatur se ulterius protendisse. Ad rationem probativam ajo, illa bona dici *bona Dei*, quandiu sunt in potestate Ecclesiæ: at postquam sunt distributa Clericis desinunt esse bona Dei, & incipiunt esse bona propria Clericorum; haud secus, ac bona, quæ dantur in stipendium Cantoribus, & aliis Ecclesiæ Ministris laicis, cum eodem modo illa erogentur in illos, ac ista in istos. Nec refert, quod Clericis dentur ratione Beneficii spiritualis; laicis vero ratione officii temporalis; nam per hoc nullatenus probatur, bona, Clericis distributa, manere sacra, & res Dei; siquidem alias etiam redditus stolæ, utpote qui Clericis dantur ob labores spirituales, deberent manere bona sacra, & res Dei: quod est contra ipsosmet Adversarios: consequenter &c.

217. Dico tertio. Ea obligatio neque oritur ex lege naturali Justitiæ. Est contra Laymann, Gormaz, & alios.

Probatur. Si Clerici redditus superfluos tenerentur ex lege naturali Justitiæ erogare in pias causas, peccarent contra Justitiam illos in consanguineos, vel alias causas profanas expendendo: sequela est falsa; ergo & id, ex quo deducitur. Maj. est evidens. Min. prob. Nam alias tam dantes, quam accipientes obligarentur ad restitutionem faciendam ad pias causas; imo ad eam compellendi essent ab Ecclesia, & Prælatis Ecclesiasticis: quod tamen isti sine ullo officii sui neglecti scrupulo non præstant, atque ad id ex officio præstandum se obligatos non agnoscunt; ergo &c.

218. Objicies primo. Cui datur aliquid cum onere id, vel partem ejus alteri conferendi, ex lege naturali Justitiæ tenetur illud alteri conferre; uti patet in fideicommisso: sed fideles fundarunt pro Clericis tam abundantes redditus cum onere id, quod ultra congruam sustentationem eorum redundat, impendendi in usus pios; ergo Clerici ad hoc tenentur ex lege naturali Justitiæ.

Respondetur, neg. min. Unde enim Adversariis constat? quo textu, quibus tabulis, qua ratione demonstrant, quod fideles sua bona sub eo modo, & conditione Clericis consignaverint? jam autem sine solido fundamento tam gravis obligatio, quam est obligatio Justitiæ, maxime in præsenti, non est asserenda, & imponenda Clericis. Itaque fideles offerentes sua bona Ecclesiæ pro Clericis, ea quidem obtulerunt cum intentione, & desiderio, ut in pias causas expendantur, non tamen cum contractu, & obligatione Justitiæ; alias etiam Officiales laici, qui ex redditibus Ecclesiæ aluntur, tali obligationi subjacerent.

219. Objicies secundo. Beneficiarii mortaliter peccant, si notabilem partem redditaum beneficialium superfluorum in causas profanas expendant: sed tam gravis culpa non videtur probari posse, nisi dicatur, quod peccent contra Justitiam; ergo &c.

Respondetur; concessa majore, neg. min. Probatur enim ex eo, quod ita expendentes agant contra legem prohibitivam Ecclesiæ, in re gravi graviter obligantem; ut tactum in §. *preced.* & mox iterum dicetur in *conclus. seq.*

220. Dico igitur quarto. Obligatio, quam habent Clerici ad redditus sibi superfluos erogandos in pauperes, vel alias pias causas, descendit ex sola lege positiva Ecclesiæ. Ita Haunoldus *tom. 1. de J. & J. tr. 4. n.* 872. Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 4. n.* 47. Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 34. Ininger *pag.* 102. & alii quam plurimi.

Probatur; imo sequitur ex hucusque dictis: jam enim non apparet, ex quo alio capite ea obligatio sit inducta; licet enim Ecclesia ad statuendum tale præceptum moveri potuerit, & permota fuerit ex eo, quod ejusmodi obligatio esset piæ Fundatorum intentioni & desiderio accommodatior, aptior ad augendum cultum Divinum, utilior ad retinendos in disciplina, & honestate Clericos, convenientior ad ædificationem fidelium publicam, & communem; hæ tamen congruentiæ non fuere proxima radix illius obligationis, sed occasio solum, & motivum ferendi legem obligantem; ergo ex ista præcise oritur sæpe dicta obligatio.

221. Quæres, contra quam virtutem Clerici peccent in casibus, in quibus contra mentem, & prohibitionem Ecclesiæ redditus superfluos erogant, ac applicant ad causas profanas?

Respondetur, quod semper peccent (1.) contra Religionem, & (2.) aliquando etiam contra Charitatem; nunquam vero (3.) contra Justitiam.

Antequam rationes afferantur, sciendum, & recolendum est *ex part. 1. n.* 267. quod lex, & præceptum ponat actionem præceptam (vel prohibitam) in ea virtute, quam præcipiens intendit, sive ex cujus motivo præcipit: prout *loc. cit.* deduxi, & adduxi exemplum patris, animo graviter obligandi suo filio præcipientis, ut domi maneat castitatis conservandæ causa: in quo casu filius non solum ex virtute Obedientiæ sed etiam ex virtute Castitatis obligatur manere domi, ita, ut contrafaciens, duplex specie peccatum committat, unum contra Obedientiam, & alterum contra Castitatem, non quidem in quantum hæc, seu Castitas obligat per se, & immediate ex Jure naturali, sed in quantum obligat ratione præcepti patris. Hoc impræsentiarum supposito,

Ratio responsionis quoad primam partem est: quia Ecclesia imponendo Clericis præceptum de redditibus superfluis in causas pias erogandis processit ex motivo Religionis, quatenus pia spe fidelium, quod bona, a se data Ecclesiæ, & ab hac Clericis, essent ad pias causas applicanda, impulsa, & mota fuit ad id speciali præcepto statuendum; ergo illorum elargitionem in pias causas fecit materiam necessariam virtutis Religionis; ergo Clerici, illa elargientes in causas profanas, peccant contra virtutem Religionis, & sacrilegium committunt.

Dices. Illa bona, postquam inter Clericos distributa sunt, amiserunt esse sacrum; ergo etiam cessavit in Clericis obligatio Religionis talia bona in pias causas erogandi, utpote quæ in illo esse sacro bonorum fundata erat; ergo Clerici ea erogando in causas profanas, jam non amplius peccant contra virtutem Religionis, nec sacrilegium committunt.

Respondetur, dist. ultimum conf. Non amplius peccant contra virtutem Religionis, in quantum hæc obligat per se, & immediate ex Jure naturæ, con. in quantum obligat ratione præcepti positivi Ecclesiæ, neg. conf. Licet, quando illi redditus erogati in Clericos sunt, sublatum sit eorum esse sacrum, quod habebant ex intentione Fundatorum, quodque erat radix, & fundamentum, fundans obligationem naturalem, & immediatam Religionis, Ecclesia tamen ex ratione, & motivo jam dicto substituit præceptum positivum, quo specialiter voluit illos redditus denuo sacros esse, nec aliter nisi in causas pias expendendos. Unde argumentum solummodo evincit; obligationem Religionis in Clericis ad redditus superfluos in pias causas expendendos, non amplius esse per se, & immediate ex Jure naturali; prout ipsimet supra docuimus: cum quo tamen stat, quod possit esse, & de facto sit per se, & immediate ex præcepto positivo Ecclesiæ, juxta sensum hactenus declaratum. Revidere juvabit, quæ diximus *part. 1. & n. 267. citt.*

Ratio responsionis quoad alteram partem formatur ex eodem capite, quo formata est immediate præcedens: sicut enim in Ecclesia ferendo Clericis sæpe dicto præcepto superflua in pias causas erogandi processit ex motivo Religionis; ita similiter processit ex motivo Charitatis, dum voluit, ut iidem Clerici, quos alias ratione Status Clericalis specialem pauperum curam gerere convenit, præfata bona in pauperes erogarent; ergo licet Status Clericalis, & Charitas ex se nullam fundent specialem obligationem in Clericis, quam non habeant Laici; fundant tamen, in quantum subliant præcepto Ecclesiæ &c.

Dixi autem in respons. *aliquando*. Pro quo notandum, causas pias esse in duplici differentia. Nam aliæ sunt, quæ non indigent fidelium ope sublevativa; ut augmentum Divini cultus, erectio Beneficii &c. & aliæ, quæ indigent tali ope; ut restauratio pauperis templi ruinam minantis &c. Causæ piæ primi generis sunt objectum exercendi actum Religionis tantum; causæ piæ autem secundi generis sunt objectum exer-

cendi

cendi actum tam Religionis, quam Charitatis, & Misericordiæ vel corporalis, vel spiritualis. Ex quo sequitur, quod Clerici in illis casibus, in quibus pauperibus, vel aliis causis piis ope sublevativa indigentibus præ causis piis simili ope non indigentibus succurrere obligantur, id negligentes dupliciter peccent, videlicet contra Charitatem, seu Misericordiam, & Religionem; secus, ubi tales casus non intercurrunt: cum enim præceptum Ecclesiæ, de superfluis in pias causas impendendis, Clericis impositum, sit disjunctivum, ut scilicet talia bona dentur pauperibus, vel aliis piis causis applicentur, regulariter electio est penes Clericos, malintne illa erogare inter pauperes, vel ad alias pias causas ope sublevativa non indigentes applicare: & consequenter nulla obligatione Charitatis, & Misericordiæ determinate obstringuntur pauperibus, sed satisfaciunt, si in alias pias causas non ita indigas impendant. Quod si etiam hoc facere intermittant, peccant quidem contra Religionem, non autem contra Charitatem, seu Misericordiam. Per quod patet, quare in respons. particula restrictiva *aliquando* apposita sit.

Ratio responsionis quoad tertiam partem colligitur ex supra dictis: quia onus Justitiæ ad superflua in pias causas eroganda non esse Clericis impositum ab Ecclesia, patet ex eo, quod alias ab hac deberent ad restitutionem compelli, si illa impenderent in causas profanas: quod tamen nunquam practicatum noscitur; ergo signum est, quod tali onere non premantur. Confirmatur. Nuspiam in SS. Canonibus, aut alibi clare exprimitur, quod Ecclesia Clericis imposuerit obligationem Justitiæ ad expendenda superflua in causas pias: atqui debuisset id exprimi, si tamen obligationem voluisset imponere; cum magni momenti res sit, utpote quæ ad omnes Beneficiarios pertinet, & summopere ad ædificationem publicam, pauperum sublevationem &c. confert; ergo præsumendum est, quod illam non imposuerit.

ARTICULUS II.

De Subjecto Juris, seu Dominii prout respicit Religiosos.

IN præcedente articulo actum est de iis, quæ jus, seu dominium Clericorum, sive Personarum Ecclesiasticarum secularium concernunt: in præsente vero indagandum, an, & quomodo jus, seu dominium possit habere locum in Personis Religiosis?

§. I.

Utrum Religiosis competat aliquod jus, seu dominium, & quale?

SUMMARIUM.

222. *Aliqui Religiosi Ordines, Monasteria, & Communitates habent verum dominium rerum etiam temporalium, & externarum.* 223. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 226. *Nullus Religiosus, solemniter professus, est capax dominii in res prædictas.* 227. *Etiamsi sit ad Episcopatum evectus. Unde* 228. *propria authoritate aliquid alienando agit non solum illicite, sed etiam invalide.* 229. *Quid sit permissum Superioribus, & Beneficiatis Regularibus jus administrationis habentibus?*

NAvarrus *Comment.* 2. *de Regul.* cum quibusdam aliis tenet, omnes Religiosos esse incapaces dominii, etiam in communi, adeo, ut rerum temporalium, & externarum quarumcunque solam habeant administrationem, dominio penes Christum existente. Verum hæc opinio passim rejicitur. Unde cum communi

222. Dico primo. Aliqui Religiosi Ordines, Monasteria, & Communitates habent verum dominium rerum etiam temporalium, & externarum.

Probatur ex Trid. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 3. ibi: Concedit *S. Synodus omnibus Monasteriis, & Domibus, tam Virorum, quam Mulierum, etiam Mendicantium, exceptis Domibus FFr. Minorum* (sub qua exceptione non continentur Moniales S. Claræ; prout declaravit idem Concilium) *Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, ut deinceps bona immobilia* (nam mobilia jam ante possidere licuit) *possidere liceat.* Atqui per dicenda in conclusione sequenti non licet illis talia bona possidere in particulari, prout *ly possidere* sumitur in proposito, & secundum modum proprium loquendi, seu prout significat possessionem cum dominio proprietatis conjunctam; ergo in communi.

Dixi: *aliqui Religiosi Ordines.* Nam, ut ex Trid. *cit.* constat, Minores de Observantia, & Capucini, omnis hujuscemodi juris, & dominii, etiam in communi, incapaces sunt. Quibus accensentur Domus Professæ Societatis Jesu; cum hac tamen duplici differentia. 1. Quod istæ possint obtinere dominium rerum mobilium. 2. Quod possint hæredes institui, ita tamen, ut bona immobilia sibi ex hæreditate provenientia (exceptis æde sacra, habitatione, & horto) teneantur vendere, & in usus necessarios convertere; prout tradunt P. Schmalzgrueber *ad Tit. de Stat. Monach. n.* 6. & P. Ininger *pag.* 57. At FF. Minores Paupertatem usque adeo strictam profitentur, ut juxta suam Regulam nullius rei temporalis, sive mobilis illa sit, sive immobilis, dominium, etiam in communi, acquirere possint. Similiter sunt incapaces cujuscunque successionis, sive ex testamento, sive ab intestato: unde si de facto Monasterium FFr. Minorum &c. aut aliquis talis Religionis Religiosus hæres instituitur, nullo substituto, aut cohærede designato, testamentum erit nullum, adeoque hæreditas transibit ad hæredes ab intestato, *l. Si in metallum, ff. de His, quæ pro non scriptis habentur.* Nec refert, si FFr. Minores instituantur hæredes cum adjecta clausula, ut hæreditas vendatur, & pretium in eorum utilitatem convertatur; nam sublato priori, & principaliori, quod est incapacitas successionis hæreditariæ, tollitur & minus principale, seu accessorium.

223. Objicies primo. Bona Religiosis, & Monasteriis data vocantur *Patrimonium Christi*; ergo eorum dominium existit penes Christum, & non penes Communitates Religiosas.

Respondetur, neg. cons. Nam ideo solum vocantur *Patrimonium Christi*: quia (ut supra de Clericis dictum) sunt donata propter Christum, & tanquam si darentur ipsi Christo, juxta illud Matthæi 25. *Quandiu uni ex his Fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*: consequenter &c.

224. Objicies secundo. Religiosi non possunt bona immobilia, & mobilia pretiosa alienare; ergo saltem horum non habent dominium.

Respondetur, explic. & dist. ant. Non possunt illa alienare in commodum Monasterii, vel Religionis, neg. pro libitu, subdist. impotentia alienandi proveniente ex defectu juris, & dominii, neg. ab extrinseco, videlicet a prohibitione Ecclesiæ, con. ant. & neg. cons.

225. Objicies tertio. Non solus Ordo Fratrum Minorum, sed & alii sunt, ac dicuntur Ordines Mendicantium; ergo & alii nequeunt bona saltem immobilia possidere, etiam in communi.

Respondetur dist. cons. Vi Regulæ, & Constitutionum suarum, con. vi privilegii, neg. cons. Religiosi Mendicantes (*a mendicitate* sic dicti) vocantur quidem illi, quorum Cœnobiis vi Regulæ, & Constitutionum nequaquam permissum est, bona immobilia, etiam in communi, possidere, sed ex eleemosynis sibi datis, vel ostiatim quæsitis victitant; valent nihilominus possidere, & de facto possident bona etiam immobilia in communi ex privilegio, quin nomen, & prærogativas Mendicantium amittant.

226. Dico secundo. Quicunque Religiosi in particulari, Religionem ab Ecclesia approbatam solemniter professi, sunt incapaces dominii, & juris cujuscunque in res temporales, & externas. Est certa.

Probatur. Siquidem solemnis Professio est mors quædam civilis, *c.* 8. *caus.* 16. *q.* 1. ergo dominium Professi in res temporales, & externas extinguit, & transfert vel ad hæredes, vel ad Religionem, ita, ut deinceps Professus non sibi, sed Religioni acquirat, quidquid acquirit. Atque hoc totum constat ex *c.* 11. *cauf.* 12. *q.* 1. & *cap.* 6. *de Stat. Monach.* ubi post omnis proprietatis strictissimam prohibitionem, Religiosis in particulari spectatis factam, S. Pontifex ita loquitur: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec S. Pontifex possit licentiam indulgere.*

Dixi 1. *Quicunque Religiosi solemniter professi*. Nam aliqui Religiosi non solemniter professi, & habentes simplex votum Paupertatis, sunt capaces dominii: cujusmodi sunt Scholastici Societatis Jesu, qui post biennium Novitiatus vota simplicia emiserunt: Hi enim sunt veri Religiosi, prout decernit S. Pontifex Gregorius XIII. in Bullis, *Quanto fructuosius*, & *Ascendente Domino*; nihilominus, ut facilius, & minori cum offensa, ubi opus fuerit, dimitti a Societate possint, bonorum suorum jus, & dominium justas ob causas, pro Superiorum arbitratu, ad tempus retinent, ut illa in pios usus juxta Evangelicum consilium distribuant; in eorum tamen usu Religiosam Paupertatem servant, nec ulla re tanquam propria, & sine Superioris facultate, uti possunt; veluti habetur in *cit.* Bulla, *Quanto fructuosius*.

Dixi 2. *in res temporales, & externas*. Nam dominium jurium, & bonorum spiritualium non excludit Religiosa Professio. Unde Religiosus salva Paupertate potest habere Beneficium Ecclesiasticum, etiam cum jure percipiendi fructus, quos tamen, utpote materiam Paupertatis, non sibi, sed Monasterio, vel Ecclesiæ suæ acquirit, retento solum jure fructus illos administrandi, & in suam sustentationem convertendi, donec aliter Superiori visum fuerit. Nec refert, quod Beneficium habeat annexum jus ad emolumenta quædam temporalia, & certos redditus. Nam id est quid accessorium; principale vero in Beneficio est status honoratus, & jus ad certas functiones, administrationem, jurisdictionem &c. quæ sunt bona altioris ordinis, & non computantur inter bona fortunæ, quæ sola cadunt sub votum Paupertatis. Unde cum principale non sit materia, & objectum Paupertatis, nec accessorium erit, in quantum est tale, seu quatenus sequitur naturam principalis. Aliud est de jure ad officium mere temporale, e. gr. Professuræ Juris Civilis, Consiliarii Principis in politicis &c. Tale enim Religiosus salva Paupertate acceptare non potest: unde vel repudiandum, vel transcribendum Religioni, aut Monasterio, cum obligatione alendi inde Personam Religiosi, Consiliarii, aut Professoris.

Id, quod hactenus dictum de jure ad Beneficium Ecclesiasticum, etiam intelligendum venit de aliis juribus, quæ spiritualia sunt, aut spiritualibus annexa: qualia sunt jura eligendi, præsentandi, conferendi hujusmodi Beneficia, aut Dignitates Ecclesiasticas; nam & hæc jura acquirere, retinere, & pro iisdem acquirendis, retinendis recuperandis agere, etiam suo nomine, Religiosus potest, non obstante voto Paupertatis. Laymann *lib. 4. tr. 5. cap. 7. n.* 2. Krimer *ad tit. de Stat. Monach. n.* 2955. Schmalzgrueber *ibid. n.* 2.

Similiter bona interna supernaturalia, jus in vitam, & membra, honorem, & famam &c. sub votum Paupertatis non cadunt, sed perseverant in dominio, & potestate Religiosi, eo modo, quo illa possedit in seculo. Et hæc quidem omnia jam tacta sunt, *part. præced. n.* 593.

227. Colliges primo, tametsi Religiosus ad Episcopatum evehatur, non tamen fieri capacem dominii: quia observantia voti Paupertatis Statum Episcopalem juvat, & ornat, non evertit; ergo sine justa causa fieret dispensatio; quod Ecclesia non agit. Unde Episcopus Regularis non evadit dominus, sed tantum administrator redituum beneficialium, quamvis in eos liberiore gaudeat potestate administrationis, quam alii administratores Regulares in bona suæ curæ, & administrationi concredita.

Dices primo. *Per c. unic. caus.* 18. *q.* 1. absolvitur talis Episcopus a jugo Regulæ, & Monasticæ Professionis; ergo non amplius obstringitur votis Religionis; & consequenter &c.

Confirmatur. Episcopus Regularis eximitur ab observantia voti Obedientiæ; ergo etiam ab observantia voti Paupertatis.

Respondetur ad argum. *ex cit. c.* desumptum, talem Episcopum solum absolvi a jugo Regulæ, quantum ad illa, quæ dignitati, & officio Episcopali repugnant, vel non bene conveniunt; uti sunt silentium, solitudo claustralis, & aliæ quædam observantiæ accidentales: non vero quantum ad ea, quæ dignitatem Episcopalem non dedecent.

Ad Confirm. ajo, Episcopum Regularem eximi quidem ab observantia voti Obedientiæ, præstandæ Superioribus Regularibus, utpote in altiori dignitatis gradu constitutum, debere tamen illam S. Pontifici, cui præter Obedientiam generalem ab omnibus fidelibus debitam, speciali Obedientiæ voto adstringitur: imo si renunciet dignitati simul, & gradui, tenetur redire ad Monasterium, & iterum obedire, ut prius: consequenter &c.

Dices secundo. *In cit. c. unic.* Episcopus Regularis vocatur *legitimus hæres*, eique asseritur jus vindicandi paternam hæreditatem; ergo fit dominus illorum, quæ per talem hæreditatem acquirit.

Respondetur, eum vocari *heredem veluti legitimum*, non hæredem absolute; & habere potestatem sibi vindicandi paternam hæreditatem, non suo, sed Ecclesiæ, cui sponsatus est, nomine: prout ex contextu liquet. Unde neg. cons.

Dices tertio. Episcopus Regularis habet usum independentem a licentia Superioris Regularis; ergo etiam dominium.

Respondetur, neg. cons. Nam cum eo, quod in antecedente dicitur, stat, quod ejusmodi Episcopus adhuc habeat usum dependentem a licentia S. Pontificis, & hujus arbitrio, ac nutu libere revocabilem: consequenter &c. Quare solummodo sequitur, in voto Paupertatis tunc contingere dispensationem aliquam accidentalem, quatenus talis Episcopus, antequam ad Episcopatum promotus erat, in rerum sibi concessarum usu etiam dependebat a voluntate solius S. Pontificis.

228. Colliges secundo, alienationes, & donationes, sive inter vivos, sive in ultima voluntate a Religiosis proprio nomine, & authoritate factas, non solum esse illicitas, sed etiam invalidas. Ratio est: quia Religiosi carent dominio, & potestate donandi, & testandi, vel aliter quidpiam alienandi sine licentia suorum Prælatorum. Excipitur casus, quo pater liberos habens, de sua substantia ante professionem non disposuisset; nam ille etiam post professionem de suis rebus disponere, &, portione legitima Monasterio reservata, alia suis liberis dividere potest, non quidem jure dominii, utpote quo se per professionem Religiosam abdicavit, sed administrationis, quam ad hunc effectum eidem concessit Jus. *Authent. Si qua mulier, C. de SS. Eccles.*

An porro dispositio, quam Scholasticus Societatis Jesu de suis bonis sine consensu Superioris facit, non solum sit illicita (in quo conveniunt omnes) sed etiam invalida, disceptant DD. præfatæ Soc. Invalidam ipso Jure pronunciant Haunoldus, Molina, Lessius, Ininger &c. Negant Palao, Laymann, VViestner, Schmalzgrueber &c. Quos vide.

229. Colliges tertio, Abbates, Præpositos, aliosque Superiores Regulares, aut Beneficiatos Religiosos, quamvis habeant jus administrandi, ac dispensandi fructus suorum Beneficiorum ad pias causas, & usus necessarios (quo etiam pertinent donationes tam liberales, quam remuneratoriæ, quas, spectatis facultatibus Monasterii, vel Ecclesiæ, decens administratio, & laudabilis consuetudo requirit) nullum tamen in illis bonis habere dominium. Unde si ea consanguineis, vel aliis inordinate applicent, non solum contra votum Paupertatis, sed etiam contra virtutem Justitiæ impingunt. Ita cum communi P. Mezger *tract.* 11. *disp.* 30. *art.* 2. *num.* 7.

§. II.

Undenam nascatur incapacitas juris, seu dominii in Religioso professo?

SUMMARIUM.

230. *& seqq. Incapacitas ista non oritur ex natura Status Religiosi; nec ex natura, aut solemnitate voti Paupertatis; nec ex intentione voventis, sed ex præcepto Ecclesiæ.* 234. *Solvuntur opposita.*

Status quæstionis est, unde proveniat, quod Religiosi, Religionem ab Ecclesia approbatam professi, sint incapaces juris, seu dominii? an scilicet ex natura Status Religiosi, vel ex natura voti Paupertatis, ejusve so-

ve solemnitate, vel ex intentione voventis, vel denique ex sola dispositione Legis Ecclesiasticæ?

230. Dico primo. Incapacitas juris, seu dominii in Religioso non oritur ex natura Status Religiosi, seu ex illa traditione, quæ fit per vota substantialia in Religionis professione.

Probatur: quia Societas Jesu est verus Status Religiosus, cujus tamen Professi non omnes sunt incapaces dominii; ut patuit *in §. præced.* de Scholasticis; ergo incapacitas dominii in Religioso non potest oriri ex natura Status Religiosi.

231. Dico secundo, Incapacitas illa non provenit (1.) ex natura voti Paupertatis; neque (2.) ex ejus solemnitate.

Probatur prima pars. Scholastici Societatis Jesu per votum simplex Paupertatis non redduntur hoc ipso incapaces dominii; prout relinquitur ex dictis; ergo talis incapacitas non provenit ex natura voti Paupertatis.

Probatur etiam secunda pars: quia Coadjutores formati altefatæ Societatis, emittentes vota simplicia, fiunt incapaces dominii, non minus, quam emittentes vota solemnia; ergo incapacitas dominii in Religioso non oritur ex solemnitate votorum, seu voti Paupertatis. In quo autem solemnitas voti Paupertatis, & aliorum votorum Regularium consistat, relinquitur ex dictis *part. 3. n. 588.*

232. Dico tertio, Eadem incapacitas non potest provenire ex intentione voventis.

Probatur. Nullus potest se privata voluntate reddere incapacem dominii, nisi talis voluntas vel confirmetur a Jure, habente potestatem inhabilitandi personam, vel accedat actualis traditio, & translatio dominii, vi Juris naturalis tertio quæsiti: atqui neutrum fit in Religiosa professione; quippe quæ, præscindendo a lege positiva, est traditio solius personæ, non bonorum; ut patet in professione FFr. Minorum, per quam nullum acquiritur jus in bona Professi; ergo &c. Maj. probatur ex eo, quod votum ex natura sua sit mera promissio; hæc autem non reddit promittentem incapacem habendi dominium; sicut nec promissio matrimonii, seu sponsalia, quæ Cajus v. g. iniit cum Caja, reddit illum incapacem contrahendi matrimonium cum Mævia: consequenter &c.

233. Dico quarto. Incapacitas dominii in Religioso provenit ex sola lege Ecclesiæ. Ita cum communiori P. Mezger *loc. cit. n.* 10. tam quoad hanc, quam quoad præcedentes conclusiones.

Probatur *ex cap. un. de Vot. & voti Redempt. in 6.* ubi conclusio videtur manifeste decisa; & sequitur ex dictis. Nam ea incapacitas non oritur ex natura Status Religiosi; nec ex voto Paupertatis, vel hujus solemnitate; nec ex intentione voventis; veluti hactenus ostensum; neque ex lege naturali, vel Divina, cum nulla talis existat, quæ Religiosum ad rerum dominium inhabilitet; ergo superest, ut dicamus, quod ex sola lege positiva, nimirum Ecclesiæ, proveniat; quoniam alia radix, ex qua pullulare possit, non est assignabilis.

234. Objicies. Si incapacitas dominii in Religioso solum proveniret ex lege positiva Ecclesiæ, S. Pontifex posset cum Religioso dispensare super habenda proprietate: sed hoc videtur pugnare contra supra *cit. c. 6. de Stat. Monach.* ubi circa finem expresse dicitur, *abdicationem proprietatis ita esse annexam Regulæ Monachali, ut contra eam nec S. Pontifex possit licentiam indulgere*; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Posset S. Pontifex ita dispensare cum Religioso, manente vinculo Religionis, & stante natura communi Status Religiosi, neg. sublato vinculo Religionis, vel communi natura Status Religiosi quasi in novam, & diversam formam transmutata, con. maj. Primum adversatur *cit. cap.* non secundum; nam SS. Pontifices jam sæpius vinculum Religionis dissolverunt, sicque dispensatione sua effecerunt, ut illi, qui antea votis Religionis ligati erant, iisdem soluti, ac liberi evaderent, atque ita Religiosi esse desinerent: prout videre est apud Baronium *ad annum Christi* 1041. Similiter de facto S. Sedes dispensat cum Scholasticis Soc. Jesu super habenda proprietate suarum rerum, inducendo novam quasi formam Religionis diversam a natura communi Status Religiosi. Unde, distinctione applicata minori, neg. cons.

Instabis. Pontifex professionem Religiosam, saltem solemnem, quoad vinculum dissolvere nullo modo potest; ergo &c. Prob. ant. Professio Religiosa solemnis est quædam consecratio, seu sanctificatio personæ Religiosæ facta Deo: sed res semel Deo consecrata, & sanctificata non potest denuo converti in usus profanos per ullam potestatem humanam, etiam Pontificiam; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. dist. min. Manente consecratione, con. ea sublata, neg. min. Solum ergo sequitur, quod Pontifex facere non possit, ut Religiosus, manens talis, a votis substantialibus Religionis eximatur, quod ipsimet primum fassi sumus: cum quo tamen stat, quod possit facere, ut Religiosus esse desinat; sicque a suis votis absolvatur: siquidem non implicat, rem Deo consecratam, sublata consecratione, in usus profanos converti; veluti patet in calice consecrato, cujus materia, dissoluta forma, & consequenter cessante esse sacro, ad quoscunque usus licite applicabilis est.

Urgebis. Pontifex non potest a Sacerdote consecrationem, seu sanctificationem auferre, ita, ut Sacerdos esse desinat; ergo neque poterit a Religioso, ut Religiosus esse desinat: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia sanctificatio Sacerdotis non proficiscitur adæquate a voluntate hominis, se libere Deo offerentis; sed potius ab indelebili charactere, per Sacerdotium ex Divina ordinatione impresso. At vero sanctificatio Religiosi, quatenus se habet *per modum vinculi*, liberæ hominis voluntati, S. Pontifici per omnia subjectæ, suam debet originem. Nec refert, quod eadem sanctificatio, in quantum est *forma Religiosi solemniter professi*, etiam proveniat a solemnitate ipsiusmet voti. Nam hæc solemnitas non nisi ex Jure Ecclesiastico oritur: prout relinquitur ex dictis *part. 3. n. 588.* consequenter &c.

§. III.

Quomodo Religiosus acquirat Monasterio?

S U M M A R I U M.

235. *Quinam Religiosi possint institui hæredes, &* 236. *quinam Legatarii?* 237. *Quidquid Religiosus acquirit, suo Monasterio, vel Religioni acquirit.* 238. *Ea, quæ Religio, vel Monasterium acquirit intuitu Religiosi professi, acquirit immediate, etiam invito Religioso.* 239. *& seqq. Dissolvuntur argumenta contraria.*

235. PRænotandum primo, & supponendum, omnes Religiosos quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, si hi capaces sint possidendi bona immobilia in communi, posse scribi hæredes, vel etiam ab intestato succedere; ita tamen, ut, quidquid ipsi in particulari acquirunt, non sibi, utpote habendæ proprietatis incapacibus, sed Monasterio, vel Religioni acquirant. *Authent. Siqua mulier, C. de SS. Eccles.* & *Novell.* 123. *cap.* 38. Quod quidem ita verum est, ut Religiosus ob commissam in seculo ingratitudinem exhæredari non possit, *cap. fin. caus. 19. qu. 3.* & *Novell.* 123. *cap.* 41. Excipiuntur Professi, & Coadjutores Soc. Jesu, qui in particulari secundum suas personas sunt incapaces successionis hæreditariæ: prout testatur, & tradit P. Schmalzgrueber *ad Tit. de Testam. n. 97.*

Dixi: Religiosos Ordinum, etiam Mendicantium, *si hi capaces sint possidendi bona immobilia in communi*: per quod excluduntur FFr. Minores, qui, cum eorum Religio nec bona mobilia, nec immobilia possidere valeat, institui hæredes non possunt etiam in communi.

236. Prænotandum secundo, omnes omnino Religiones, eorumque Religiosos esse capaces legati, ita tamen, ut exinde Religiosi nihil sibi, sed Religioni, vel Monasterio acquirant: siquidem hoc, prout habetur *in Clement. Exivi, de V. S.* nec statui Paupertatis, nec alicui legi repugnat. Unde etiam FFr. Minores legatarii esse possunt juxta *c. Exiit, §. ad hæc, quia Fratribus de V. S. in 6.* modo legato non adjiciatur conditio, vel modus ipsorum professioni repugnans, prout fieret, si eis legaretur v. g. vinea, vel domus Monasterio non contigua, sub conditione, & modo, ut eam excolant, elocent &c. Ratio est: quia legatum non acquiritur FFr. Minoribus etiam in communi, nisi quantum ad usum,

& necessitatem. Unde impræsentiarum fallit §. 24. *Instit. de Legat.* ubi dicitur, *Ei, qui hæres esse non potest, etiam legari non posse.*

237. Prænotandum tertio, Religiosum professum acquirere suo Monasterio, vel Religioni, quidquid acquirit sive per suas operas, sive alio titulo; ut habetur *in* 16. *caus.* 18. *q.* 2. ubi dicitur: *Omnia, quæ acquisierit* (Monachus) *ab Abbatibus auferantur secundum Regulam Monasterio profutura.* Unde solum quæstio, & controversia restat, quomodo ea, quæ Religiosus Monasterio, vel Religioni acquirit, transeant in dominium, vel usum Monasterii, aut Religionis, an scilicet mediate, id est, mediante persona, & voluntate Religiosi; vel vero immediate, & in quantum Religio, vel Monasterium personam Religiosi repræsentat?

238. Dico. Ea, quæ Religio, vel Monasterium acquirit intuitu Religiosi professi, acquirit immediate, etiam invito Religioso. Ita Theologi, & Canonistæ communiter contra complures Civilistas.

Probatur breviter hac ratione. Si dominium talium bonorum transiret ad Religionem mediate solum, deberet pro priori naturæ, vel temporis existere in ipso Religioso professo, prout hic est individuum contradistinctum a Communitate Religiosa; sed hoc implicat; quoniam Religiosus per solemnem professionem se omni jure, & dominio in bona temporalia tam antea acquisita, quam posthac acquirenda exuit, ergo &c.

239. Objicies primo textum *l. Deo nobis, Cod. de Episc. & Cleric.* ubi decernitur, quod Monachus, non obstante professione Monastica, succedat in omnem paternam substantiam; ergo hæreditas ipsi, & non Monasterio, immediate acquiritur.

Confirmatur. Ab illo est adeunda hæreditas, cui defertur, *l.* 1. *&* 2. *de Repud. vel Abstin. hered.* sed si Religiosus instituitur hæres, ipsi, & non Monasterio defertur hæreditas; ergo ab ipso est adeunda: consequenter &c.

Respondetur ad argum. neg. conf. Ex antecedente enim solummodo infertur, quod per professionem Religiosam jus suitatis, & successionis non amittatur; nullatenus vero, quod illud immediate competat Professo, in quantum hic est individuum a Communitate Religiosa contradistinctum; sic enim consideratus, est prorsus incapax ejusmodi juris, utpote qui per professionem omne jus, totumque suum velle, & nolle transtulit in Monasterium, & Religionem.

Ad confirm. explico, & dist. maj. Hæreditas est adeunda ab illo, cui defertur, in quantum est capax eam adeundi, con. aliter, neg. maj. & concessa minore, dist. conf. Est adeunda ab ipso Religioso, in quantum is est persona indistincta a Religiosa Communitate, & per hanc repræsentata, con. in quantum est persona contradistincta a Religiosa Communitate, neg. conf. Sub hac enim ratione, & consideratione est incapax omnis juris, & dominii in quæcunque bona temporalia.

240. Objicies secundo, Monachus æquiparatur servo: atqui hæreditas, quæ debetur servo, non acquiritur domino, servo invito, & nolente eam adire per *l. Cum proponas, C. de hered. instit.* ergo nec acquiritur hæreditas Monasterio contra voluntatem Religiosi: consequenter &c.

Respondetur, dist. maj. Æquiparatur servo quoad ipsam acquisitionem, quatenus, quidquid acquirit, acquirit Monasterio, sicut servus, quidquid acquirit, acquirit domino, con. quoad modum acquirendi, neg. maj. Nam quoad modum acquirendi comparatur filiofamilias: atqui pater potest adire hæreditatem delatam filiofamilias, licet hic eam acceptare nolit, *l. fin. C. de bonis, quæ liberis;* ergo etiam Monasterium poterit adire hæreditatem, vel acceptare legatum suo Professo delatum, quamvis hic illud repudiet.

Ubi tamen adverte, comparationem Religiosum inter, & filiumfamilias solummodo tenere, in quantum est Monasterio favorabilis, veluti est in præsenti quoad modum acquirendi immediate; non vero, in quantum odiosa est, aut affert præjudicium Monasterio. Unde quoad ipsam acquisitionem Religiosus (ut jam insinuatum) comparatur servo, quatenus sicut servus domino, ita Religiosus Monasterio non solum usumfructum, sed & proprietatem rei sibi delatæ acquirit; cum hoc cedat in favorem, & bonum Monasterii: non autem comparatur quoad hoc filiofamilias; alias, sicut hic acceptatione rei sibi delatæ solum usumfructum patri acquirit, ita acquireret & ille Monasterio: quod in istius præjudicium vergeret.

241. Objicies tertio. Siquis rem pretio æstimabilem offerret Religioso, hic eam valide, imo quandoque licite repudiare posset, sicque facere, ut illa non acquireretur Monasterio; ergo etiam hæreditatem, vel legatum sibi delatum, saltem valide recusare poterit, & facere, ut non transeat in dominium Monasterii.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia per solam voluntatem donatoris nullum adhuc jus Monasterio acquisitum est; unde ei nulla infertur injuria, si Religiosus rem sibi oblatam non acceptet: quæ proinde non acceptatio, seu repudiatio erit saltem valida, & quandoque etiam licita. At vero per delationem hæreditatis, aut legati Monasterio, secuta testatoris morte, jam est acquisitum jus, quo privari sine injuria non potest, nec licite, nec valide. Ex quo patet, quod nulla sit paritas: esset tamen, si Religiosus volenti se, vel Monasterium pro hærede primum instituere, id sine vi, vel fraude dissuaderet, & a concepto proposito dimoveret; tunc enim, cum hæreditas nondum delata esset, nullum adhuc jus Monasterio acquisitum foret: & consequenter sicut Religiosus valide, vel etiam aliquando licite repudiare donum sibi oblatum posset; ita & dissuadendo sine vi, vel fraude testamentum, in favorem Monasterii condendum, valide ageret; neque peccaret contra Justitiam, esto peccare contra Charitatem posset.

§. IV.

An, & in quæ bona Monasterium succedat loco Religiosi?

SUMMARIUM.

242. *Prænotantur aliqua de bonis Novitii in Novitiatu sine facta dispositione defuncti.* 243. *&* 244. *Cui cedant bona Religiosi professi, si Monasterium sit incapax successionis, & cui, si Monasterium sit capax?* 245. *&* 246. *Quo Jure, & quo modo Monasterium succedat?* 247. *Recensentur bona, quæ cum filiofamilias ad Monasterium transeunt.* 248. *Quid juris, si Professus transeat ab uno ad alium Ordinem, vel Monasterium?*

242. Sicut hucusque, ita & modo, seu in præsenti §. solum agimus de bonis Religiosi professi; nam bona Novitii sub libera ipsius dispositione manent, ita, ut de iis testandi, vel aliter disponendi facultatem liberam habeat; modo observet formam a Trid. *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 16. præscriptam, & a nobis *part.* 3. *num.* 578. expositam. Quod si moriatur in Novitiatu, nullo condito testamento, vel alia dispositione facta, volunt nonnulli, ejus bona addici Monasterio, exclusis hæredibus ab intestato venientibus. Sed oppositum tenendum est cum Palao *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 16. *num.* 2. & aliis communiter. Ratio hujus est: quia bona Novitii non aliter ad Monasterium transferuntur, quam vel professione Religiosa, vel ultima ipsius voluntate, aut dispositione alia valida: sed nullam de his dispositionem fecisse supponitur, nec professionem emisisse; consequenter &c. Unde eo casu Novitii defuncti bona pertinent ad ejus consanguineos, ab intestato venientes. Quod quidem ita verum est, ut Monasterio ne quidem legitima debeatur; siquidem nuspiam Jure expressum est, Monasterium Novitio esse loco filii &c. Nunc

243. Dico primo. Si Monasterium sit incapax successionis, bona Religiosi, facta professione, non cedunt Monasterio, sed devolvuntur ad hæredes ab intestato, haud secus, ac si morte naturali defunctus fuisset. Communis.

Probatur: quia Religiosus, emittendo professionem, spoliat se omni, temporalium, & externorum bonorum dominio, ac possessione; ergo bona ipsius transeunt in alterius dominium: atqui non in dominium Monasterii; cum hoc ponatur esse incapax successionis; ergo in dominium hæredum venientium ab intestato; cum nemo alius assignari queat, cui competat ad illa jus, præter ejusmodi hæredes.

244. Di-

244. Dico secundo, Si Monasterium sit capax successionis, succedit in omnia bona, & jura professi, de quibus hic ante professionem non disposuit, quocunque demum titulo illa, sive ante, sive post professionem, a Religioso acquisita sint. Est itidem communis DD.

Probatur ex *Authent. Ingressi*, & *Authent. Sique mulier, C. de SS. Eccles. Novell.* 5. *cap.* 5. & *Novell.* 123. *n.* 38. ubi assertio tota decisa extat, approbante Jure Canonico, *c.* 7. & *c.* 9. *caus.* 19. *qu.* 3. Ratio congruentiæ, quæ Jura ad ejusmodi Constitutionem movit, est, quod æquitas dictet, ut Religio, quæ Religioso alimenta vitæ necessaria præbebit, etiam illius bona percipiat.

245. Colliges primo, potestatem succedendi Monasteriis competere Jure positivo, eoque Civili, ab Imperatoribus sancito, sed tamen a SS. quoque Canonibus recepto, & specialiter approbato, Unde nemo Principum secularium ejusmodi Statutum, quippe a Jure Canonico specialiter, & principaliter confirmatum, abrogare amplius potest; cum sic jam sit extractum a jurisdictione fori secularis.

246. Colliges secundo, successionem Monasterii in bona professi non fieri simpliciter jure hæreditario, quasi Monasterium in ea bona succedat tanquam proprie dictus hæres; sed jure cujusdam acquisitionis, & per modum personæ accessoriæ; prout innuitur *in Authent. Ingressi, C. de SS. Eccles.* ibi: *ipso ingressu* (hoc est, ipso facto, quo quis Religionem ingreditur, & profitetur) *se, suaque dedicat Deo;* & *in Novell.* 5. *cap.* 5. ibi: *ingredientem namque simul sequuntur res*, hoc est, ipso Jure, & per sequelam. Unde ut Monasterium bona Professi, quæ hic ante professionem habuit, acquirat, non est necesse, ut illa apprehendat; quia, veluti dictum, ea non acquirit jure simpliciter hæreditario, sed per modum personæ accessoriæ, in quam potestas ipso Jure, seu Juris dispositione transfunditur. Hoc tamen (ut jam insinuavimus) intelligendum est de bonis, quæ Professus habuit ante professionem; nam bona, quæ ei obveniunt post professionem, sine traditione non acquiruntur Monasterio quoad possessionem, sed solum quoad dominium. Ita Sanchez *lib.* 7. *Moral. c.* 12. *n.* 28. Schmalzgrueber *ad Tit. de Success. ab intestato, n.* 75. & alii passim.

247. Colliges tertio, cum filiofamilias ad Monasterium transire 1. *bona castrensia*, & *quasi castrensia*; quia ante professionem plenum eorum dominium habebat tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum: prout dicetur *art. seq.* §. 2.

2. *Bona adventitia* quoad proprietatem, quæ solo filiofamilias competiit; non vero quoad usumfructum, utpote quem ante professionem, a filiofamilias emissam, habebat pater, ac retinet etiam post illam, saltem probabilius; veluti docet Sanchez *loc. cit. cap.* 13. *n.* 39. Ratio est: quia in amittendo usufructu non domini, sed usufructuarii mors attenditur, *l. Si pater, C.* & *§. fin. Instit. de Usufr.* ubi sermo est de morte naturali; ergo a potiori non habebitur ratio mortis civilis, qualis per professionem contingit.

3. *Usumfructum* (subintellige: si hic ante professionem Religioso competiit) ita tamen, ut non remaneat penes Monasterium ultra vitam Professi; non enim aliter ad Monasterium transit, nisi quatenus illud repræsentat personam Professi; qua proinde emortua & ille expirat. Videantur dicta superius *n.* 23. Idem etiam intellige de illis, de quibus posthac, & quatenus Monasterium in ea ab intestato succedit. Per quod patet differentia ab usufructu, Ecclesiæ, vel Civitati relicto; nam hic relinquitur absolute, non vero, in quantum Ecclesia, vel Civitas repræsentat personam relinquentis: unde licet hæc extinguatur, non tamen extinguitur ususfructus, sed durat per centum annos; ut habet communis.

4. *Feudum*, si hoc tale sit, ut obsequia, vi illius debita, a Monasterio præstari possint; secus, si præstari non possint. Azorius *part.* 3. *lib.* 10. *c.* 10.

5. *Emphyteusim:* nisi ea concessa sit sub conditione, ne ad Ecclesiam, vel potentiorem personam transferatur; tunc enim ad Monasterium non transit, ne propter Ecclesiæ privilegia, aut Emphyteutæ potentiam durior evadat conditio domini proprietarii, contra id, quod conventum erat. Palao *tr.* 16. *disp.* 3. *punct.* 4. §. 9. *n.* 8.

6. *Majoratum:* quatuor duntaxat casibus exceptis. 1. Nisi habeat annexam sibi summam dignitatem, e. g. Regnum, Ducatum &c. 2. Nisi habeat annexam jurisdictionem temporalem in aliquod oppidum. 3. Nisi in ejus institutione adjecta sit clausula, Religiosum excludens. 4. Denique nisi ad agnationem & familiæ conservationem, vel cum onere nomen familiæ, & ipsius arma, atque insignia deferendi sit institutus. Hi, inquam, casus excipiuntur, in quibus majoratus non ad Monasterium, sed ad proximum agnatum transmittitur: prout habet Molina *tr.* 2. *disp.* 623. *n.* 3. & Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 73.

7. *Juspatronatus*. Excipe: nisi ex dispositione Fundatoris remanere apud Familiam debeat, aut sit annexum Majoratui, qui ex sua natura, vel institutione Monasterium a successione excludat. Schmalzgrueber *numer.* 74.

Ratio horum omnium generalis est, quod juxta *Authent. Ingressi*, & alios textus supra *citt.* universa Professi bona, & jura ad Monasterium transeant: a qua regula non sunt excepta Feudum, Emphyteusis, Ususfructus, Majoratus, Juspatronatus, nisi quoad aliquos casus jam specificatos.

248. Sed petes, quid juris, si Professus transeat ab uno ad alium Ordinem, vel Monasterium?

Antequam petito fiat satis, præsciendum est, ejusmodi transitum quinque potissimum modis contingere posse. 1. Ut quis transferatur ad Prælaturam, vel Regimen, in alio Ordine, vel Monasterio suscipiendum. 2. Ut detrudatur in Monasterium arctius ad agendam pœnitentiam. 3. Ut ob sua demerita a Religione, quam professus est, absolute ejiciatur, & postea in aliam recipiatur. 4. Ut quis studio majoris perfectionis transeat ad strictiorem Ordinem. 5. Ut ob alias rationabiles causas obtineat transitum ad aliud Monasterium ejusdem, vel diversi Ordinis strictioris, aut laxioris.

Respondetur nunc primo ad tres priores Casus. Et quidem ad primum ajo, idem tunc juris esse, quod, secundum dicenda in §. proxime secuturo, de Religioso assumpto ad Episcopatum: prout habet communis sententia ad *cap. unic. caus.* 18. *quæst.* 1. nisi forte transferretur solum ad tempus, reversurus deinde ad prius Monasterium: tunc enim lucra ex officio, & regimine acquisita, pertinerent quidem ad Monasterium, quod regit, aliunde autem acquisita pertinerent ad Monasterium, cui primo incorporatus erat, & ad quod postmodum revertitur. In secundo casu nulla fit translatio bonorum ad Monasterium posterius, quamvis hoc a priori Monasterio expensas, pro sustentatione Religiosi factas, jure reposcat. Ratio est: quia tunc non contingit verus aliquis transitus, sed sola mutatio quoad habitationem, ad agendam fructuosius pœnitentiam &c. In tertio casu Monasterium ejiciens ad nihil prorsus tenetur Monasterio recipienti ejectum: cum enim habeat jus illum ejiciendi, ut supponitur, non apparet, ad quid condemnari possit, vel debeat; siquidem nemo propter usum sui juris gravandus, aut damnificandus est. Quare sibi imputet Monasterium posterius, quod hominem indotatum admiserit, suisque Religiosis accensuerit. Sed hoc intellige de bonis priori Monasterio jam acquisitis ante receptionem ejecti in posterius Monasterium. Quid autem tenendum, si bona aliqua simili Religioso obveniant post receptionem in alterum Monasterium, patebit ex mox dicendis.

Respondetur secundo ad reliquos duos casus, de quibus præcipue dubium procedit, distinguendo inter bona, quæ ante transitum Religioso tali delata sunt; & inter bona, quæ eidem obveniunt post transitum. Bona prioris generis remanent penes Monasterium, vel Religionem, a qua fit transitus; nam huic per professionem in eadem editam absolute, & sine conditione, aut modo acquisita sunt; ut patet ex textibus supra *citt.* Bona vero posterioris generis pertinent ad secundum Monasterium, ad quod fit transitus, si hoc sit bonorum capax (nam si sit incapax, uti Monasteria FF. Minorum, devolvuntur ad hæredes ab intestato venientes, tanquam si Religiosus naturaliter mortuus esset) idque non solum procedit de bonis acquisitis (1.) post professionem in posteriori Monasterio emissam, sed etiam de acquisitis (2.) tempore Novitiatus. Ratio primi membri est: quia ejusmodi Religiosus absol-

absolvitur per professionem a priore Monasterio, & incorporatur posteriori. Ratio secundi membri est 1. Quia hic videtur procedere illud axioma: proximus accingendus pro accincto habetur: quod sumitur ex *l. Filiusfamilias, ff. de Testam. milit.* 2. Quia talis Religiosus factus Novitius in alia Religione, magis dicitur esse de hac, quam de priore, a qua transiit; sicut secularis factus Novitius, magis dicitur esse de Religione, in qua est Novitius, quam de seculo, quod deseruit. 3. Quia qui onere premitur, etiam commodum sentire debet: sed secunda Religio onere premitur, dum talem Novitium alere cogitur; ergo æquum est, ut etiam sentiat commodum: consequenter &c.

Dices. Talis Novitius adhuc est, & manet Professus prioris Monasterii, donec actu profiteatur in posteriore; ergo censetur potius esse de illo, quam de isto &c.

Respondetur, dist. cons. Spectando vinculum professionis, con. spectando alia, neg. cons. Nam a priore Monasterio non amplius alitur, nec ejus Habitum portat, nec sub ejus disciplina degit &c.

§. V.

Cuinam acquirat Religiosus extra Monasterium, vel Religionem degens?

SUMMARIUM.

249. *Cui acquirat Religiosus factus Episcopus?* 250. *Cui Beneficiatus, Episcopo inferior?* 251. *Cui ejectus?* 252. *Cui fugitivus, aut apostata?* 253. *Quinam Religiosus dicatur fugitivus, & quinam apostata?*

249. DIco primo, Religiosus factus Episcopus, quidquid post assumptionem ad Episcopatum acquirit sive ex Beneficio, sive ex donatione, sive ex testamento, sive aliunde, acquirit Ecclesiæ, cujus est Sponsus: ut habetur in *c. un. caus. 18. q. 1.*

Probatur insuper hac ratione. Non enim talis acquirit amplius Monasterio, vel Religioni, utpote cujus membrum esse desiit; nec sibi, cum propter votum Paupertatis, quo secundum dicta in §. 1. adhuc ligatus manet, sit incapax bonorum temporalium, & externorum; ergo superest, ut dicamus, quod acquirat Ecclesiæ sibi desponsatæ, ita, ut ad hanc jus proprietatis, & dominium bonorum ab eo acquisitorum pertineat (intellige: de Jure Communi, & nisi ex particulari Statuto Cameræ Apostolicæ cedat) unde testari de talibus bonis non potest, nisi ex speciali concessione S. Pontificis.

Dixi: *quidquid acquirit post assumptionem ad Episcopatum.* Nam bona ante acquisita non transeunt in jus Ecclesiæ, sed remanent penes Religionem, in qua tum vixit, quando ea acquisivit, veluti in simili supra diximus de bonis Religiosi transeuntis ab uno Ordine ad alium.

250. Dico secundo. Religiosus Beneficiatus, Episcopo inferior, si Beneficium, quod habet, sit pleno jure incorporatum Monasterio, quidquid acquirit (1.) Monasterio acquirit: si vero Beneficium Monasterio incorporatum non sit (2.) acquirit Ecclesiæ, vel Beneficio, cui servit, quidquid acquirit ex redditibus Beneficii, Communis.

Probatur prima pars: quia tunc non solum Religiosus, sed & Beneficium ad Monasterium pertinet, & in hujus utilitatem totaliter ordinatur, ita, ut non tantum administratio spiritualium, sed & jus percipiendi redditus temporales tali Monasterio, ceu proprie dicto domino, & principali Rectori, incorporatum censeatur; hoc enim est Beneficium esse illi pleno jure incorporatum: consequenter &c.

Probatur secunda pars; imo expresse continetur in *Clem. unic. de supplend. neglig. Prælat.* Habet tamen ejusmodi Beneficiatus plenam, & liberam administrationem, ac dispensationem fructuum, qualem habet Beneficiatus secularis (quamvis non habeat dominium, sicut habet iste) ita, ut, quidquid Beneficiato seculari licet circa dispensationem fructuum, etiam liceat Regulari. Unde potest, non quidem instar domini, sed instar dispensatoris, ex fructibus, ultra suam, suæque Ecclesiæ necessitat. superedundantibus, facere donationes pias (excipe donationes mortis causa, vel per viam testamenti) etiam proprio Monasterio &c.

Dixi: *quidquid acquirit ex redditibus Beneficii.* Nam quæ acquirit aliunde, v. gr. hæreditate, legato, donatione, propria industria, non acquirit Ecclesiæ, sed Monasterio, cujus est membrum; sicut similia eidem acquireret, si Beneficium non haberet. Et ratio est: quia de Jure Communi Monasterio acquiritur, quidquid a Religioso acquiritur; ergo nisi expresse contrarium statuatur (sicut statuitur de Religioso ad Episcopatum evecto, *cit. c. un. caus. 18. q. 1.*) Monasterium manet in possessione: consequenter &c.

251. Dico tertio. Religiosus ejectus sive ad tempus, sive in perpetuum, sive juste, sive injuste, probabilius (spectato Jure Communi Decretalium) acquirit Monasterio, seu Religioni, a qua ejectus est, si hæc bonorum acquisitorum capax sit. Molina *tract. 2. de J. & J. disp. 40. n. 33. & 36.* Lessius *lib. 2. de Just. c. 41. n. 122.* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 264.*

Probatur: quia, quocunque modo ejectus sit, manet adhuc sub potestate Religionis, e qua ejectus est; neque Religio per hoc, quod eum ejecerit, censetur cessisse juri, quod habet in bona Religiosi, ex hypothesi, quod aliqua per ipsum acquisita sint.

Nec refert, si dicas cum P. Inioger *pag. 87.* & aliis contrarium tenentibus de bonis ejecti in perpetuum, Servus, a domino derelictus, non amplius lucratur domino, *l. Quod servus, ff. de Stipulat. servor.* neque Infans, a parente expositus, amplius lucratur parenti, *l. unic. de Infant. & languid. exposit.* ergo nec Religiosus, e Religione in perpetuum ejectus, lucrabitur amplius Religioni.

Contra enim est, neg. cons. Disparitas est; quod servus derelictus a domino, evadat plene liber; & Infans, a parente expositus, extrahatur e patria potestate, sicque similiter sui juris fiat. Aliud est de Religioso e Religione ejecto; prout relinquitur ex dictis in probat.

Dixi: *spectato Jure Communi Decretalium.* Nam ex Motu proprio Greg. XIII. qui incipit *Officii nostri* bona Regularium ejectorum, extra Monasterium, vel Religionem decedentium, ad Cameram Apostolicam devolvuntur: idque procedit de bonis quibuscunque, & quocunque modo, legato, donatione, industria &c. per eos, vel eorum intuitu acquisitis, & post mortem relictis. Quam tamen Bullam in partibus Germaniæ non esse receptam, docet praxis, & experientia, inquit P. Mezger *cit. art. 5. n. 4.*

252. Dico quarto. Bona Religiosi fugitivi, aut apostatæ, de Jure Communi similiter pertinent ad Monasterium, vel Religionem, unde fugit, aut defecit: ex Motu proprio autem Greg. XIII. si talis Religiosus extra Ordinem decesserit, Cameræ Apostolicæ cedunt in iis locis, in quibus Bulla Gregoriana recepta est. Desumitur ex paritate rationis cum Religioso ejecto.

253. Id solummodo advertendum Religiosum *fugitivum* dici, qui a Religione, vel Monasterio suo sine licentia Superiorum recedit vagandi, aut extra Ordinem vivendi gratia, animo tamen ad Religionem, & Obedientiam postliminio revertendi: *apostatam* vero, qui ab Ordine recedit animo jugum Religionis omnino excutiendi, & institutum suum perpetuo deserendi.

§. VI.

An, & quomodo Religio teneatur ex contractu, vel delicto sui Religiosi?

SUMMARIUM.

254. & 255. *An, & quomodo Religio, vel Monasterium teneatur solvere debita a Religioso ante ingressum Religionis contracta &c.?* 256. *Si Religiosus ante Professionem aliquid disposuerit &c. id a Monasterio servari debet.* 257. *Monasterium tenetur ex bonis ratione Religiosi acquisitis alere ejus parentes &c.* 258. *Monasterium non tenetur solvere debita ex contractu a Religioso post Professionem propria authoritate inito; uti neque ex delicto, nisi quatenus exinde aliquid ad Monasterium pervenit &c.* 259. *Contractus prædicto modo per Religiosum celebratus claudicat &c.*

254. Di-

254. Dico primo. Religio, vel Monasterium obligatur ad solvenda debita, a Religioso ante ingressum Religionis sive ex contractu, sive ex delicto contracta, juxta quantitatem bonorum, quæ per Religiosum acquisivit. Communis.

Probatur: quia bona, quæ Religiosus secum ad Religionem, vel Monasterium tulit, jam erat in tali casu debita, & obstricta creditoribus; ergo a Religione, vel Monasterio illis reddi debent; siquidem nemo cum damno, & injuria alterius licite locupletari potest, *l. Nam hoc natura, ff. de condict. indeb.*

Confirmatur. Quod Religio, vel Monasterium succedat in bonis Religiosi, solum est Juris humani, ex dictis *n.* 245. sed non videtur credibile, quod hoc voluerit bona debitoris transferre ad Monasterium in præjudicium juris naturalis creditorum; imo non potuit id velle absque sufficiente causa, qualis in casu nulla apparet; ergo &c.

Dixi tamen: *juxta quantitatem bonorum, quæ per Religiosum acquisivit*: cum enim hanc obligationem Monasterium subeat ratione bonorum, quæ Religiosus secum tulit, ea excedere non potest quantitatem, & vires hujuscemodi bonorum.

255. Colliges primo, conclusionem se non solum protendere ad bona, quæ Religiosus ante professionem habuit, & secum ad Monasterium tulit, sed etiam ad bona Monasterio occasione Religiosi post professionem obvenientia, v. g. ex hæreditate, donatione &c. prout advertit, & docet Cardinalis de Lugo *disp.* 35. *sect.* 10. *& disp.* 21. *sect.* 6. *num.* 79. Ratio est; nam bona, quæ Religiosus secum defert ad Monasteriorum, transeunt ad illud cum iisdem oneribus, quibus cum apud Religiosum erant, ut primum audivimus; ergo etiam Juta ob paritatem rationis, & consequenter Monasterio non aliter competit jus consequendi bona Religioso post professionem obvenientia, quam cum annexis oneribus. Confirmatur, Religio, sive Monasterium repræsentat Religiosum in jure possidendi, & medio illo acquirendi bona; ergo æquum est, ut eundem etiam repræsentet in obligatione ex illis bonis solvendi debita; nam qui sentit commodum, etiam onere premi debet per sæpe allegatam Regulam Juris. Unde sicut Religiosus ipse, si esset capax juris, & aliquid acquireret, id sibi acquireret cum prædicta obligatione, ita similiter Religio &c.

Recte tamen laudatus Cardinalis hanc doctrinam limitat ad illa duntaxat bona, quæ Monasterium post professionem mediante Religioso acquirit aliunde, sive ab aliis; ut si Religiosus aliquid acquirat hæreditate, vel donatione; si habeat stipendium pro concionibus, lectionibus &c. Nam ex bonis, quæ sunt opera, & effectus, quos Monasterium participat ex industria præcise, & labore Religiosi; ut si hic panem Monasterii coquat, Conventum ædificet, vel pingat &c. nullam habet obligationem creditoribus solvendi. Ratio hujus eruitur ex dictis: quia Monasterium participando hujuscemodi bona, nihil acquirit ex bonis, vel juribus Religiosi, hoc est, quæ illi obvenissent, si capax fuisset: laborem vero præcise, & industriam, quamvis sit pretio æstimabilis, non tenetur solvere; sicut nec alius, cui Religiosus in seculo existens gratis laborasset, teneretur creditoribus Religiosi pretium laboris rependere: consequenter &c.

256. Colliges secundo, si Religiosus ante professionem aliquid disposuerit ad pias causas, vel aliter, aut prohibuerit bona alienari, id a Monasterio servandum esse. Ratio est: quia ejusmodi dispositio facta est tempore habili; ergo non est integrum Monasterio eam invertere, aut immutare.

257. Colliges tertio. Monasterium teneri ex bonis ratione Religiosi acquisitis præbere alimenta parentibus, uxori in seculo relictæ, & filiis Religiosi &c. Ratio est: quia secundum dicta, Monasterium succedens in bona Professi, tenetur ad omnia illius onera realia; ergo onus alendi prædictas personas, vel etiam alias, quas Religiosus ipse alere teneretur, devolvitur ad Monasterium.

Dices. Professione Religionis transferuntur bona Profitentis in Monasterium; ergo conjux alteri conjugi præbens licentiam ingrediendi Religionem, consentit hoc ipso alienationi bonorum sui conjugis sine præfato onere; ergo Religio saltem Religiosi uxorem alere non obligatur.

Respondetur, neg. utranque cons. Sicut enim si conjux professus debuisset aliquam pecuniæ summam alteri conjugi, non ideo hic consentiens ingressui Religionis, censeretur illam remisisse; ita neque &c.

258. Dico secundo. Religio, vel Monasterium non tenetur solvere debita (1.) ex contractu, a Religioso post professionem nomine, & authoritate propria inito; neque (2.) ex delicto illius, etiamsi sit Prælatus; nisi quatenus exinde aliquid ad Religionem, vel Monasterium pervenit, & in ejus utilitatem conversum fuit. Ita Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regul. art.* 1. Molina *disp.* 140. *a n.* 21. & alii communiter.

Probatur prima pars: quia contractus, a Religioso nomine, & authoritate propria initus, est nullus non solum civiliter, sed etiam, saltem probabilius, naturaliter; cum voluntas Religiosi ita subjiciatur voluntati Superioris, ut sine hac nec velle, nec nolle habeat, *c.* 11. *cauf.* 12. *q.* 1. *c.* 27. *de Election. in* 6. *& c.* 2. *de Testam. in* 6. ergo nullam parit obligationem: consequenter &c. Et dato, quod ejusmodi contractus ex se valeat, & naturalem obligationem producat, potest tamen a Superiore pro libitu, & sine ulla causa irritari; adeoque &c.

Confirmatur. Obligatio, quam afferret pactum, a Religioso de re aliqua temporali danda, vel recipienda initum, esset iniqua, nec posset impleri absque peccato, violatione scilicet voti Paupertatis, quod prohibet Religioso quidpiam dare, vel recipere sine licentia Superioris: atqui obligatio iniqua, & quæ sine peccato impleri nequit, est nulla; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars: quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet, *cap.* 12. *de Privileg. & cap.* 3. *cauf.* 16. *quæst.* 6. sed id fieret, si Religio ad aliquid teneretur ex delicto Religiosi; ergo &c.

Dixi: *nisi quatenus exinde aliquid ad Religionem, vel Monasterium pervenit &c.* Ubi bene notanda est particula *exinde*; nam ex bonis jam antea per Religiosum Monasterio acquisitis ex alio capite, ut quæ Religiosus secum ad Monasterium tulit, aut postmodum ei obtigerunt ex hæreditate, donatione, habitis concionibus, lectionibus &c. & jam transiere in dominium Monasterii &c. ex similibus, inquam, bonis Monasterium non tenetur solvere debita a Religioso ex delicto contracta post professionem: quia Religiosus in jure, quod Monasterio jam quæsitum est, eidem obesse non potest, licet prodesse valeat in acquirendo &c. Res clarior fit in exemplo de Religioso fugitivo, ejecto, vel apostata; nam Religio non tenetur solvere eorum debita, tempore fugæ, ejectionis, vel apostasiæ contracta, ex bonis, quæ antea per eos lucrata est; sed solum ex bonis, quæ ab illis tempore fugæ, ejectionis, vel apostasiæ percepit; ne tunc cum jactura, & damno alieno locupletari videatur. *Reg.* 48. *in* 6.

259. Colliges, Religionem contractui, a Religioso sine licentia Superioris celebrato, posse stare, vel non stare, quamvis altera pars resilire non possit: unde dicitur talis contractus claudicare ex parte Religiosi, & Religionis, non ex parte alterius contrahentis; sicut idem fit in contractu celebrato cum minore in bonis adventitiis, vel cum pupillo, *l. Julianus §. Siquis a pupillo, ff. de Action. empt. & vendit.* Ex quo consequitur, fore peccatum mortale ex genere suo, si Religiosus talem contractum cum aliquo celebraret, qui esset inscius, se ex hoc contractu Monasterio, non sibi Monasterium obligari: tunc enim si Religiosus de hoc alterum contrahentem non moneret, eum in materia Justitiæ inæqualitati exponeret; ut patet.

ARTICULUS III.

De Subjecto juris, seu dominii, prout respicit Conjuges, & Filiosfamilias.

Omitto quæstionem de jure, & dominio servorum, eo quod tales modo non extent amplius inter Christianos; nam illi, qui alicubi *mancipia* dicuntur, non sunt servi simpliciter, sed cum addito *adscriptitii*, vel *originarii*; reipsa autem sunt liberi, & ingenui, proindeque non sunt in bonis, vel dominio suorum dominorum, neque id, quod acquirunt, suis dominis acquirunt, sed solum habent arctius quoddam

genus

genus obligationis, & subjectionis ad dominum territorii, in ordine ad certa obsequia realia, vel personalia; quem communiter habeam subditi alterius territorii: præterea habent annexam maculam aliquam civilem; unde nec ad Ordines sacros, nec ad Gradus literarios admittuntur, antequam a dominis suis, gratis, vel pro pretio, legitime manumittuntur: de reliquo maxime discrepant a servis proprie dictis, & nihil fere nisi nomen cum ipsis commune habent: prout verbatim annotavi *in meis Thesib. de J. & J. pag.* 338. Nunc sit

§. I.

Quale jus, vel dominium competat Conjugibus?

S U M M A R I U M.

260. *Assignantur, & applicantur bona, de quibus quæstio resolvenda venit.* 261. *In cujus dominio sit arrha?* 262. *Sponsalitia largitas?* 263. *Bona paraphernalia?* 264. *Morgengeba?* 265. *Dos?* 266. *Bona communia inter conjuges?* 267. *Ex quibus bonis uxor possit succurrere suis parentibus &c.* 268. *De bonis paraphernalibus &c. potest licite disponere.* 269. *Quas ex bonis mariti possit facere eleemosynas?*

260. PRænotandum, varia esse bona, de quibus præsens quæstio resolvenda venit. 1. Est *Arrha*, quam sponsi in ipso contractu sponsalium sibi mutuo tradunt tanquam pignus, & signum futuri Matrimonii. 2. *Sponsalitia largitas*, id est, ea munera, quæ sponsi mutuo dant in contestationem stabilis affectus, & contemplatione Nuptiarum. 3. *Bona paraphernalia*, quæ uxor acquirit, vel habet extra, vel præter dotem. 4. *Morgengeba*, seu *Morgenatica*, per quam intelligitur illud donum, quod maritus altero Nuptiarum die pro credita sibi virginitate, & pudicitia, aut ex aliis causis novæ nuptæ largitur. 5. *Dos*, cujus nomine venit, quidquid datur, aut promittitur nomine uxoris, ad sustinenda onera Matrimonii, id est, ad alendam uxorem, communes liberos, & familiam. 6. Denique *bona communia*, quæ conjuges negotiatione, aut donatione utrique communi lucrantur.

261. Dico jam primo. Arrha est in dominio dantis, & secuto Matrimonio restitui debet illi, qui dedit, *l.2. Cod. de Sponsal.* Idem est, si sponsalia justis ex causis dissolvantur.

Probatur: quia arrha est instar pignoris, data in securitatem Matrimonii; ergo sicut facta solutione debiti pignus revertitur ad debitorem, ita secuto Matrimonio arrha reverti debet ad dantem.

Dixi, idem sentiendum esse, *si sponsalia justis ex causis dissolvantur*. Nam si quis sponsorum a sponsalibus resiliat sine justa causa, adeoque culpabiliter, licet resiliens non acceperit arrham, suam tamen, quam dedit, amittit. Si autem acceperit resiliens arrham, obligatur ad ejus restitutionem, & insuper condemnatur in simplum, id est, præter arrham ipsam compellitur in pœnam delicti superaddere pretium arrhæ æquivalens, *l.5. C. de Sponsal.*

262. Dico secundo. Sponsalitia largitas, secuto Matrimonio, est in pleno dominio recipientis. Ita DD. communiter.

Probatur: quia talis donatio (de Jure Communi, & secluso speciali pacto) imbibitam habet hanc tacitam conditionem, *si Matrimonium sequatur*; ergo hac conditione impleta, & Matrimonio secuto, transfert dominium rei donatæ in accipientem. Ex quo patet, quod contraria sit natura sponsalitiæ largitatis, & arrhæ; nam illa, ut primum diximus, solum fit accipientis, secuto Matrimonio; ista vero, cum se habeat instar pignoris, non fit accipientis, nisi Matrimonio non secuto.

263. Dico tertio. Bona paraphernalia sunt sub dominio uxoris: consultum tamen est, ut eorum administratio uxorio nomine concredatur marito, nisi hic œconomiæ imperitus sit, vel incurius &c. *arg. l.8. & fin. C. de Pact. convent.*

264. Dico quarto. Morgengeba (nisi obstet speciale pactum, aut consuetudo contraria) transit in dominium uxoris statim in puncto traditionis. Communis. Ratio est: quia hæc donatio, utpote remuneratoria, & specialiter excepta, est valida, quamvis aliæ donationes inter conjuges sint invalidæ, vel saltem revocabiles ad libitum ante mortem. Videri potest Pichlerus *lib.4. tit.20. n.6.*

265. Dico quinto. Dominium naturale dotis est penes uxorem, nisi sit dos æstimata æstimatione faciente venditionem. Ita colligitur ex *l. in rebus C. de jure dot.* Habet tamen maritus in tali dote non solum usumfructum, sed etiam dominium civile, illamque potest libere administrare, vindicare &c.

Dixi: *nisi sit dos æstimata æstimatione faciente venditionem*; qualis foret, si daretur ex intentione, ut maritus, soluto Matrimonio, non teneatur dotem reddere in individuo, sed solum pretium: tunc quippe dominium dotis tam directum, quam utile, tam naturale, quam civile, secuto Matrimonio, transiret ad maritum, *l.5. C. de jure dot.* eo quod censeretur illam emisse pro pretio credito. Unde si talis dos pereat, etiam sine culpa mariti, marito perit, cum obligatione refundendi pretium dotis, soluto Matrimonio, nisi aliud pactum intervenerit. Secus esset, si dos traderetur, & periret ante Matrimonium: tunc enim non maritus, quippe necdum dominus dotis (siquidem hæc in ratione dotis completur per actuale Matrimonium, estque promissio conditionata, nempe si Matrimonium sequatur) sed uxor ipsa damnum pati deberet.

266. Dico sexto. Bona communia subjacent dominio utriusque conjugis: sicut enim labores sunt communes, sic & bona. Administratio tamen, & ususfructus pertinet ad maritum. P. Pichler *loc. cit. n.11.*

Id solum advertere juverit, illa bona, quæ uxor sibi comparat industria, arte, aut labore suo extraordinario, id est, ad quem ut uxor non tenetur, esse regulariter pleno jure uxoris, præsertim si marito attulit competentem dotem; nam quando vel nullam, vel modicam dotem attulit, debet lucra sua in partem alimentorum conferre; quia maritus uxorem indotatam alere non tenetur, si habeat ex proprio, unde vivat.

267. Colliges ex dictis primo, uxorem, si ejus pater, mater, vel proles ex alio Matrimonio sint pauperes, ita, ut misere secundum suum statum vivant, & maritus eis succurrere nolit, posse ex bonis suis propriis, vel etiam communibus (modo post viri mortem omnia computet in sua parte) illis subvenire; cum Jure naturæ teneatur eos alere, & maritus in id consentire.

268. Colliges secundo, uxorem licite expendere bona paraphernalia, industrialia, parsimonialia, puta quæ ex vestium splendore, vel aliis sumptibus licitis, sibique ratione status debitis, suum defraudando genium comparsit; sunt enim pleno jure ipsius. Peccat econtra graviter, si notabilem summam accipiat, invito marito, etiam ex dote, vel bonis communibus: quia licet media pars ad eam spectet, maritus tamen habet usumfructum illius partis: ideoque tenetur ad restitutionem. Pari modo tenetur ad restitutionem maritus, si aliquid notabile surripiat uxori absque ejus consensu ex bonis ejusdem propriis, v.g. paraphernalibus &c.

269. Colliges tertio, posse uxorem, marito etiam invito, ex bonis mariti facere eleemosynas moderatas, quales communiter ejusdem status, & conditionis mulieres facere solent; in similibus enim *consuetudo tribuit jus, non secus, ac privilegium, vel lex*, ut loquuntur DD. adeoque maritus non potest esse invitus.

§. II.

Quale jus, vel dominium competat Filiisfamilias?

S U M M A R I U M.

270. & 271. *Quid inteligatur per filiumfamilias, & quotuplex sit ejus peculium?* 271. & *seqq. Quale dominium obtineat in peculium castrense, quasi castrense, & adventitium?* 275. *Non potest de bonis adventitiis libere disponere.* 276. *Pater, quando notabiliter dilapidat bona adventitia filii, tenetur ad restitutionem.* 277. *Dominium plenum peculii profectitii regulariter est penes patrem.* 278. *Quare nihilominus hoc peculium dicatur peculium filii?*

270. Præ-

270. PRænotandum primo, per filiumfamilias intelligi illum, qui adhuc sub patria potestate vivit. Excidit autem filius patria potestate 1. *per mortem civilem propriam*. 2. *per mortem naturalem, vel civilem patris*, sub cujus nomine non raro venit avus, & omnes reliqui ascendentes per lineam rectam. 3. Si pater incidit in hæresim; contrahit incestas nuptias; profitetur (idem est, si filius profiteatur) Religionem. super qua tamen videri potest, quod dictum est *n.* 23. *prope fin.* 4. Si filius eligatur in Episcopum (non item si initietur SS. Ordinibus) Cardinalem, aut ad alias dignitates promoveatur; de quibus *l. fin. C. Decur. Authent. sed Episcopalis. Cod. de Episcopis, & Cler.* 5. Si filius emancipetur; ad quam emancipationem pater quandoque cogi potest. Insuper videtur ex tacita consuetudine filius emancipari, si ineat matrimonium &c.

271. Prænotandum secundo, bona filiifamilias in Jure vocari *peculium*, quasi parvam videlicet pecuniam, vel substantiam. Est autem ejusmodi peculium quadruplex, nempe *castrense*, *quasicastrense*, *adventitium*, & *profectitium*. Peculium castrense dicitur, quidquid filius acquirit in justo libello intuitu officii militaris; quidquid acquirit ex fructificatione peculii castrensis; quidquid acquirit in aula Regis propter aulicum obsequium &c. Sub peculio quasi castrensi intelligitur, quidquid filius acquirit ex officio publico, v. g. Judicis, Advocati, Professoris, Assessoris &c. quidquid acquirit ex dono Regis, vel Reginæ, non intuitu obsequii aulici; quidquid acquirit ex officio Clericali, vel post Clericatum, etiamsi alias foret bonum adventitium; nam bona, quæ respectu Laicorum essent adventitia, respectu Clericorum sunt quasicastrensia. Peculium adventitium omnia bona comprehendit, quæ neque castrensia, neque quasicastrensia sunt, & neque a patre, neque principaliter filiosfamilias intuitu patris conferuntur, sed aliunde adveniunt, v.g. ex successione materna, & donatione, propria industria, artificio, casu, fortuna, vel simili occasione. Peculium profectitium est, quod filiusfamilias acquirit ex rebus, & substantia patris, vel eidem proxime, ac principaliter intuitu patris donatur.

272. Dico jam primo. Filiusfamilias habet plenum dominium peculii castrensis quoad proprietatem, & usumfructum, cum libera administratione, & dispositione, tam per viam testamenti, quam quovis alio modo: in hoc enim reputatur ut paterfamilias, & sui juris, siquidem sit pubes, *l. Miles præcipua, §. actionem, l. Ex nova, & l. Pater, qui dat. ff. de castrens. pecul.*

Dixi: *siquidem sit pubes*: si enim sit impubes, quamvis peculii castrensis dominium habeat, disponere tamen de illo, etiam valide tantum, non potest, nequidem cum consensu patris, *l. ult. C. de Testam. milit.* Est vero filius *infans* usque ad annum 7. *impubes* usque ad annum 14. *pubes*, & *minorennis* usque ad annum 25. quo completo (nisi illi maturius venia ætatis fiat) evadit *majorennis*. Unde potest quis esse filiusfamilias, licet non amplius sit minorennis.

273. Dico secundo. Idem prorsus juris habet filiusfamilias in peculium quasicastrense, *l. Cum oportet, C. de bonis, quæ liber.*

274. Dico tertio. Filiusfamilias habet dominium directum, & utile peculii adventitii; paterfamilias vero regulariter habet usumfructum, & administrationem ejusdem, *§. igitur. Instit. per quas pers. cui acquir.*

Dixi: *regulariter*. Sunt quippe nonnulli casus, quibus patri non convenit usufructus. 1. Si filius inter bona adventitia habeat usumfructum, utilitas ejus non pertinet ad patrem, sed ad filium; quia non datur servitus servitutis, *l. 1. ff. de usufr. leg.* 2. Si pater una cum filio superstite succedat filio defuncto: tunc enim pater non habet usumfructum in portione filii cohæredis. *Authent. Item hæreditas, de bonis, quæ liber.* 3. Si pater filio ultro condonet usumfructum: quod pater facere non prohibetur, haud obstante, quod aliæ donationes gratuitæ inter patrem, & filium sint irritæ; remittendo namque usumfructum non dat ex suo, sed solum non acquirit ex alieno, neque minuit substantiam, sed solum non auget. *l. Cum oportet. §. fin. autem. C. de bonis, quæ liber.* 4. Si filius aliquid acquirit ex legato, vel dono contradicente patre, aut ea conditione, ne patri usufructus cedat. 5. Si pater incidit in hæresin, contrahit incestas nuptias &c.

Extra hos casus usufructus in bonis adventitiis filii competit patri; idque ad dies vitæ, etiam soluta patria potestate, nisi emancipet filium expresse, quo casu solam medietatem usufructus retinet: si vero filius excedit patria potestate per electionem ad Episcopatum, vel aliam similem dignitatem, totus usufructus consolidatur cum proprietate; sicut multis in locis idem fit per matrimonium filii.

275. Colliges primo, filium (extra casus modo exceptos) non posse de bonis adventitiis libere disponere; cum administratio eorundem, uti & usufructus, pertineat ad patrem. Similiter pater & illicite, & invalide alienat bona adventitia filii; sicut quilibet usufructuarius bona, quorum habet solum usumfructum. Et ratio est: quia usufructuarius rei proprietatem tenetur conservare salvam.

276. Colliges secundo, patrem, quando notabiliter dilapidat bona adventitia filii, teneri ad restitutionem; imo in defectu patris etiam hæredes ipsius. Ratio est: quia injuste usurpat rem alienam. Dixi utem: *quando notabiliter*; nam modicum non curatur inter patrem, & filium. Sanchez *lib. 1. Consil. c. 2. dub. 11.* Babenstuber *tr. 7. disp. 3. art. 6. n. 3.* & alii passim.

277. Dico quarto. Dominium plenum peculii profectitii regulariter est penes patrem. *§. 2. Instit. per quas pers. cuique acquir.*

Dixi: *regulariter*. Nam bona, quæ accipit filius a patre *per donationem ex causa*, pertinent ad dominium filii. Talis est donatio in causa dotis, patrimonii ad SS. Ordines, ingressus in Religionem, ad obtinendum Beneficium, & officium &c. Similia ergo bona ideo solum censentur profectitia; quia conferri debent cum ceteris hæredibus, & ex legitima portione detrahi, nisi pater expresse illa donaverit.

278. Petes, quare peculium profectitium vocetur peculium filii, cum tamen plenum illius dominium sit penes patrem?

Respondetur, ideo sic vocari; quia bona illa in confiscatione ceterorum bonorum sunt exempta, adeoque filio plus obligata, quam cetera patris bona.

C A P U T III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

279. *Hermenegildus pro duobus Moguntiam iens, & amborum ibidem negotia perficiens, potest ab utroque adæquatum accipere stipendium.* 280. *Franciscani non possunt legatum sibi vinum in Judicio reposcere per seipsos aut Syndicum suo nomine agentem; bene vero per eundem Syndicum agentem nomine Pontificis.* 281. *Herodianus male facit, dum filium castrari facit.* 282. *Herculanus Clericus peccat, dum partem bonorum beneficialium superfluorum consanguineis non indignis donat in vita; secus, dum in testamento relinquit.* 283. *Herluinus Religiosus impedire non potest, quin hæreditas sibi delata adeatur a Monasterio.* 284. *Hyacinta ex bonis mariti defuncti potest absque injuria creditorum sublegere sibi necessaria ad competentem sustentationem, & jurare, se nihil subtraxisse.* 285. *Hyacinthus in domo paterna laborans, aliis fratribus otiosis, non potest prætendere salarium, nec compensare denegatum.*

C A S U S I.

279. *Hermenegildus justo stipendio conducitur ab Heradio, ut Moguntiam eat, certi negotii ibidem perficiendi causa. Et quoniam idem Hermenegildus inaudit, quod etiam Heraclius in alio negotio quempiam illuc mittere cogitet, suam ei operam similiter offert, atque addicit pro æquali pretio, dissimulans, se jam ab alio pro suscipiendo eodem itinere constitutum. Quæritur, an Hermenegildus licite, & citra læsionem Justitiæ agat?*

REspondetur affirmative. Ita DD. communius, & probabilius, quibus subscripsi *in meis Thesib. de J. & J. pag.* 180. Ratio est: quia Hermenegildus utriusque

que conductoris negotium suscipit, & gerit; ergo ab utroque suæ operæ pretium commensuratum licite, & citra læsionem Justitiæ accipere potest. Nec refert, quod ejusmodi pretium, seu stipendium sit duplex. Nam etiam gestio negotiorum est duplex; aliud quippe gerit pro uno, & aliud pro altero conductore.

Dices. Hermenegildus jus ad suam operam, jam venditum Hettadio, non potest vendere insuper Heraclio citra peccatum injustitiæ; ergo id faciendo peccat contra Justitiam. Ant. prob. Tum quia non potest dari duobus jus plenum ad eandem rem: tum quia sic venderet rem non amplius suam.

Respondetur, neg. ant. Ad primum probationis membrum ajo, quod neuter conductorum habeat plenum, & perfectum jus in eandem operam, sive iter Moguntium; cum neuter illorum possit de tali opere plene, & perfecte disponere; quia neuter potest facere, ne hoc, vel illo modo existat &c. licet enim cujuscunque juri sit obligata ad existendum, haud tamen ullius juri est obligata ad non existendum &c. adeoque non subjacet pleno, & perfecto ullius juri, seu dominio: quod utique implicaret, ex dictis *a n.156.* Ad alterum probationis membrum ajo, Hermenegildum haud vendere rem non suam; quod enim in gratiam Heraclii quoque Moguntiam eat, & ipsius etiam negotium gerat, non est opus ex Justitia debitum Heraclio, sed ex proprio Hermenegildi jure proficiscitur. Itaque licet quis salva Justitia non possit pretium accipere pro aliquo opere ab eo, cui tale opus ex Justitia debetur; non tamen prohibetur pretium accipere pro eodem opere ab alio, cui id non debetur: prout insinuavi *in meis Thesib. de Restit. pag.236.*

Instabis. Iter Moguntinum est idem, & non nisi semel in Casu perficitur ab Hermenegildo; ergo conductores habent jus, licet forte non omnimode perfectum, & plenum, in eandem rem, atque hæc utrique venditur.

Respondetur, dist. ant. Iter, physice consideratum, est idem, con. moraliter consideratum, neg. ant. Non iter physice consideratum, sed moraliter, id est, ipsa negotiorum tractatio, Moguntiæ peragenda, in præfato emptionis-venditionis contractu per se intenditur: atqui illa tractatio, seu gestio negotiorum est duplex, ut dictum; ergo &c. Deinde ipsum quoque iter, quod in Casu suscipitur, potest dici duplex, non quidem physice, & formaliter, sed moraliter, & virtualiter, seu æquivalenter, relate scilicet ad finem (negotiorum gestionem) propter quem suscipitur, & qui duplex est. Unde dist. cons. Conductores habent jus in rem physice, & formaliter eandem, & hæc talis utrique venditur, trans. in rem, etiam moraliter, & virtualiter eandem &c. neg. cons.

C A S U S II.

280. *Hermannus, uxore, liberisque orbatus, sicut vivens insignia Franciscanis præstitis beneficia, præsertim tempore viduitatis, ita morituriens illorum non oblitus, in testamento suo iisdem legavit quatuor plaustra vini. Verum enim vero hæredes, ultimam defuncti voluntatem pensi non habentes, legatam vini quantitatem, etiam a Franciscanis moniti, & rogati, dare pertinaciter detrectant. Quæritur jam 1. An Franciscani prædictum legatum, cum aliter obtinere nequeant, in Judicio per seipsos, vel per suum Syndicum, seu Patrem spiritualem, licite reposcant? 2. An saltem illorum Syndicus id facere legitime possit nomine Pontificis?*

RESpondetur primo ad primum membrum Casus negative. Sumitur ex nostris Statutis Generalibus, in quibus *cap.3. §.3. n.7.* ita habetur: *Ad hæc inhibemus, ne quis nostræ Religionis Prælatus audeat per seipsum, aut per Syndicum, vel aliam quamcunque personam curare, ut aliquis excommunicetur, detineatur, vel vexetur ratione debiti cujuscunque, seu aliorum bonorum temporalium &c.* Rationem reddit Clemens V. *cap. 7.* ubi ait: *Ne ex talibus assistentiis in Curiis, & instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda convertendis, credatur verisimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines judicare) in ipsis rebus Fratres assistentes aliquid quærere tanquam suum, ideo nullo modo debent hujusmodi voti, & Regulæ Professores se talibus curis, & litigiosis actibus immiscere, ut & testimonium habeat ab his, qui foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, & evitetur per hoc scandalum proximorum.* Confirmatur. Franciscani, etiam in communi, nullum omnino jus habent ad bona fortunæ, sed merum usum facti simplicem: prout relinquitur ex dictis *num. 167.* ergo non possunt illa repetere in Judicio; cum talis repetitio sine usu juris fieri non valeat.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus affirmative. Ratio est; quia S. Pontifex, seu Ecclesia Romana obtinet dominium rerum Franciscanis legatarum, aut alias datarum, quando dantes illo se abdicarunt; prout relinquitur ex dictis *num.270.* ergo potest per se, vel per suos Procuratores, seu Syndicos illas in & extra Judicium repetere. Atque ad talem actum specialiter instituit Syndicos Martinus IV. Bulla *Exultantes:* quod plane fuit necessarium, ut juxta Declarationem Nicolai III. *art.5.* hæredum cupiditas legitimis ictibus feriretur, ne pia defunctorum intentio viribus cassa, irritaque redderetur & Franciscani opportunis auxiliis fraudarentur. Cavere tamen hic Fratres debent, ne concurrant, aut cooperentur ad ejusmodi actionem, v. g. instigando Syndicum ad agendum, suggerendo consilia, modosque in causa defendenda adhibendos, vel assistendo in Curia &c. Hæc quippe, & similia, denotant jus agendi ex parte Fratrum, quale tamen ipsis non competit. Imo instruere debent Syndicum, quando res pro Fratrum utilitate legatas, aut datas in Judicio exigit, ut solius Pontificis, vel dantium (si isti rerum datarum dominio se necdum abdicarint) nomine id faciat, nullatenus directe assumpto Fratrum nomine, authoritate, aut cooperatione. Ita per omnia P. Kerkove *super Statuta nostra Generalia c.3.§.3.n.25.& seqq.*

C A S U S III.

281. *Herodianus ex trina conjuge novem filios procreavit, inter quos unum seu forma specialiter decorum, suavique voce præditum, præ ceteris adamavit. Unde illum Magistro Musices, hac ipsa arte imbuendum, commisit, ut cum tempore inter Musicos relatus mereri posset, unde viveret. Sed quoniam Herodianus timuit, ne charissimus suus filius, artem Musices edoctus, suavitatem vocis perderet, eundem castrari fecit. Quæritur, an licite?*

RESpondetur negative. Ita Layman *lib.3. tr.3. part.1. cap.1. n.2.* aliique communiter. Ratio est: quia non licet hominem aliquo membro mutilare nisi ob conservationem vitæ; prout liquet ex dictis *num.176.* atqui castratio in Casu non est necessaria ad conservationem vitæ; cum non sit casus extremæ necessitatis (nam si afforet extrema necessitas famis; ut siquis fame interire deberet, nisi castraretur, castratio licita esset, quippe necessaria ad conservationem vitæ) ergo &c. Accedit, quod castrati sæpissime versentur in magno peccati, & salutis periculo, cum gravissime titillari, & incalescere soleant: ex quo eruere se nequeunt per remedium conjugii. Nec dicas, idem evenite obstrictis voto perpetuæ Castitatis. Contra enim est, quod hi, utpote ad opus meritorium incumbentes, Divina gratia specialiter proteganeur, valeantque minori cum difficultate assultus tentationum propellere; &, si seculares sint, remedium dispensationis super voto obtinere, indeque ad matrimonium transire: non sic eunuchi: consequenter &c.

C A S U S IV.

282. *Herculanus Clericus, Beneficio opimorum redditum dotatus, postquam successu temporis magnam opum copiam congregaverat, constituit unam dimidiam partem eorum adhuc in vita elargiri consanguineis, licet non indigis, alteram vero eisdem testamento relinquere. Quæritur occasione hujus, quando, & quomodo Clerici possint de redditibus superfluis ad causas profanas disponere, & consequenter qualiter judicandus sit in Casu Herculanus?*

Respon-

Respondetur primo. Clerici de talibus redditibus possunt (1.) valide; non autem (2.) licite ad causas profanas disponere inter vivos. Ratio primæ partis est: quia sunt illorum domini, ex dictis *n.*196. & facultas disponendi hoc dispositionis genere eis adempta, vel restricta nullo Jure probatur. Ex quo infertur, accipientes ejusmodi bona ad nullam restitutionem obstringi; eo quod verum rerum donatarum dominium acquirant, quale habebant ipsi Clerici: & licet hi ex præcepto Ecclesiæ fuerint obligati illa bona in pias causas expendere, ea tamen obligatio non est sine sufficienti fundamento, quale hic non facile assignaveris, ad ipsos quoque accipientes extendenda. Pars secunda patet ex Trid. *Sess.*25. *cap.*1. *de Reform.* ubi (prout advertimus supra *num.*203.) interdicitur Clericis, ne bona beneficialia superflua erogent in causas profanas: quæ prohibitio illicitam reddit dispositionem de dictis bonis ad causas profanas factam etiam inter vivos: consequenter &c. Ceterum quod Clerici non solum possint, sed etiam teneantur de prædictis bonis disponere inter vivos ad causas pias, liquet ex dictis *n.*203.*cit.*

Respondetur secundo. Clerici nec licite, nec valide de redditibus beneficialibus superfluis ad causas quascunque sive pias, sive profanas testari de Jure communi possunt. Id quod clare habetur *in c.*1.*c.*8.*& c.*9.*de Testam.* Ex quo infertur, quod hæredes in bona, a Clericis sibi testamento relicta, jus nullum acquirant; &, si aliqua acceperint, ad integram eorum restitutionem adstringantur.

Respondetur tertio. Clerici de redditibus beneficialibus superfluis valide, & licite testari possunt ad quascunque causas, sive profanas, sive pias, quando ita testandi privilegium, aut dispensationem a S. Pontifice obtinent. Ratio est: quia, cum potestas testandi Clericis sublata sit Jure duntaxat Ecclesiastico, Pontifex, qui est supra Jus Ecclesiasticum, dispensare in lege, illam potestatem tollente, potest: consequenter &c. Ex quo infertur velut a fortiori, quod idem Pontifex possit Clericis impertiri licentiam ad causas, etsi profanas, de præfatis bonis disponendi etiam inter vivos.

Respondetur quarto. Potest introduci consuetudo, vi cujus Clerici de bonis beneficialibus superfluis ad causas etiam profanas testentur, Haunoldus *tom.*2.*tr.*6. *num.*257. VViestner *ad Tit. de Testam. num.*40. & alii quam plurimi. Ratio est 1. Quia quod Clerici de hujusmodi bonis testari nequeant, ex Jure solum humano descendit: atqui Jus humanum, etiam Ecclesiasticum, consuetudine legitime præscripta abrogari potest vel in totum, vel in partem, juxta *cap. fin. de Consuetud.* ergo &c. Ratio est 2. Quia potest introduci consuetudo, ut fructus Beneficii vacantis ad aliquod tempus cedant hæredibus defuncti, vel aliis personis, etiam secularibus; nam talis consuetudo non reprobatur *Extravag.* 2. *Joannis XXII. de Elect.* nec alibi; ergo &c. Ratio est 3. Quoniam non apparet, cur S. Pontifex possit Clericis impertiri privilegium de ejusmodi bonis testandi ad causas etiam profanas, quale tamen de facto dedere Clericis Romanis, & Urbani Romanæ vicinis Julius III. ac Paulus V. & non possit præfato modo testandi consuetudo introduci, cum hæc, saltem si immemorialis sit, in Jure æquiparetur privilegio, *cap.*26. *de V. S.* ergo &c. Ex quo rursus infertur quasi a fortiori, quod possit introduci consuetudo de illis bonis ad causas profanas licite disponendi inter vivos.

Dices contra respons. primo. Alexander III. *c.*11. *de Testam.* approbat quidem consuetudinem Clericorum de bonis beneficialibus superfluis testandi ad causas pias, non autem ad causas profanas; ergo censet, hanc non fore legitimam.

Respondetur, neg. cons. Licet enim Pontifex *loc. cit.* unam consuetudinem approbet, non tamen positive improbat alteram, sed ab hac præscindit: unde cum nec ibi, nec in ullo alio loco, aut Jure reperiatur improbata, non est reputanda illegitima.

Dices secundo. Ideo Ecclesia Clericorum testamenta voluit esse illicita, & irrita, ut congerendis opibus minus, promovendis autem piis causis magis intenti essent, dum viverent: sed consuetudo universaliter præbens facultatem testandi est prædicto Ecclesiæ fini contraria; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Est contraria positive, neg. negative, con. min. Licet consuetudo testandi possit aliquando Clericis esse occasio, ut accumulandis divitiis plus æquo inhient; non tamen est causa, ut Clerici id faciant: & consequenter prædicto fini non est positive, & per se contraria, sed negative solum, & per accidens, quatenus illum finem mere non procurat, & quatenus ex ea Clerici ansam subinde sumunt opes congregandi: quod non facit, ut propterea reprobari debeat consuetudo illa tanquam irrationabilis; alias etiam Jus, potestatem testandi tollens, irrationabile pronunciandum foret, cum exinde Clerici pariter quandoque ansam accipiant sua bona prodigendi, vel negligendi: quod tamen nemo dixerit.

Instabis. Jus, testandi facultatem tollens, est prædicto fini positive conforme; ergo consuetudo, testandi facultatem præbens, erit eidem positive difformis, & contraria.

Respondetur neg. cons. Nam Jus illum finem positive intendit, & concludit; unde eidem positive conformis est: at consuetudo non excludit, sed mere non includit prædictum finem; unde non positive, sed præcisive solum, seu negative eidem difformis censeri debet.

Dices tertio. Jus, Clericis facultatem testandi adimens, est rationabile; ergo consuetudo, eam tribuens, erit irrationabilis; consequenter &c.

Respondetur, dist. cons. Erit irrationabilis in fieri, sicut quælibet alia consuetudo, quæ introducitur *contra legem*, con. in facto esse, neg. cons.

Instabis. Jus, facultatem testandi adimens, est rationabile tam in fieri, quam in facto esse; ergo consuetudo, facultatem testandi tribuens, erit irrationabilis non solum in fieri, sed etiam in facto esse.

Respondetur, neg. cons. Nam ideo Jus, facultatem testandi adimens, rationabile censetur tam in fieri, quam in facto esse; quia causa rationabilis, ex qua processit, in utroque statu eadem reperitur: e diverso causa, ob quam consuetudo in fieri irrationabilis est, in facto esse cessat: id est, illud Jus Clericis testamenta prohibens, ob cujus transgressionem consuetudo in fieri irrationabilis, & peccaminosa est, in facto esse, seu consuetudine contraria legitime præscripta, per consensum S. Pontificis tollitur. Unde licet talis consuetudo sit irrationabilis in fieri, quatenus per actus, contra legem adhuc obligantem militantes, introducitur; non tamen potest amplius dici irrationabilis in facto esse, quia legi, utpote jam sublatæ, non amplius adversatur. Revideri possunt, quæ tradidimus *part.* 1. *a num.*464.

Respondetur quinto. Consuetudo, vi cujus Clerici de bonis beneficialibus superfluis ad causas profanas licite disponant inter vivos, non est actualiter, seu de facto introducta; bene autem consuetudo permultis in locis de illis bonis ad easdem causas disponendi per viam testamenti, saltem relate ad Clericos Episcopis inferiores. Ita P. Schmalzgrueber *ad Tit. de Testament. num.*86. & alii satis communiter. Ratio probativa responsionis non ex libris, aut scholis petenda est, sed ex particulari singularum Diœcesium usu, & observantia; prout recte advertit P. Mezger *tract.* 11. *disp.* 29. *art.* 3. *num.*8. atqui consuetudo priore modo disponendi haud noscitur practicari; bene vero consuetudo disponendi posteriore modo in permultis locis saltem a Clericis, qui sunt inferiores Episcopis; ergo &c. Nunc tandem

Respondetur sexto ad Casum veluti illative, quod Herculanus graviter peccet contra prohibitionem Ecclesiæ bonorum beneficialium superfluorum partem in vita elargiendo consanguineis non indigis; haud vero peccet alteram partem iis relinquendo in testamento. Ratio est: quia uterque modus disponendi de Jure communi graviter prohibitus est, & prohibitus manet prior, non vero posterior, quippe per contrariam consuetudinem legitime præscriptam sublatus etiam in Diœcesi, in qua moratur Herculanus, ut supponitur.

CASUS V.

183. *Herluinus Religiosus, in celebri quodam Monasterio professus, scribitur a suo parente hæres ex asse. Sed quoniam a Prælato, & quibusdam Monasterii Of-*

ficiali-

fiscalibus male hucusque habitus fuit, ex invidia erga eosdem acceptare hereditatem renuit, ut hoc modo impediat, ne bona hereditatis Monasterio obveniant. Quæritur, an nihilominus hereditas a Monasterio adiri valeat?

REspondetur affirmative. Ita P. Mezger *tract. 11. disput. 3. art. 3. num. 7.* & alii communiter. Ratio est: quia, ut tradidimus *num. 236.* jus adeundi, & acceptandi hæreditatem (vel legatum) non resider in Religioso, quippe qui circa acceptationem bonorum temporalium proprium velle, aut nolle nullum habet; sed Monasterio immediate acquisitum est, & manet hoc ipso, quod Herluinus tempore delatæ hæreditatis adhuc vivat. Quod si Religiosus vita fungatur ante mortem patris, vel testatoris, hæreditate necdum delata, Monasterium jus succedendi tam ex testamento, quam ab intestato perdir; quia tale jus eidem solum competit, in quantum repræsentavit personam Religiosi, qua proin per mortem sublata, tollitur etiam ea repræsentatio, & jus super eadem fundatum.

Sed quid si Religioso aliquid legetur in testamento, vel donetur, sub hac conditione, ut ad ipsum, non ad Monasterium pertineat?

Respondetur, eam condidionem ita exponendam esse, ut sola commoditas, & usus, dependenter tamen a consensu Superioris, ad talem Religiosum pertineat. Ita P. Engel, quem refert, & sequitur P. Mezger *loc. cit. art. 4. num. 7.* Ratio est: quia ex una parte verba testatoris, vel donatoris intelligenda sunt secundum conditionem personæ, *l. Plenum §. equitii, ff. de Usu, & habit.* & ex altera parte actus, præsertim ultimarum voluntatum, debemus ita interpretari, ut potius valeant, quam non valeant, *l. in contrahenda, ff. de Reg. Jur.* atqui si verba testatoris, vel donatoris, modo præfato accipiantur, accipiuntur secundum conditionem personæ, & actus valet; alias non valiturus, prout relinquitur ex dictis; ergo &c. Quod si Superior illud legatum, vel donum sub ea conditione juxta præmissam expositionem, acceptare nollet, testamentum, ut continens tale legatum, vel donatio corrueret, tanquam deficiente conditione: prout habet Batholus *in Authent. Excipitur. Cod. de bonis, quæ liber.*

C A S U S VI.

284. *Hyacintha uxor advertens, maritum suum pluribus se obstringere debitis, quam sit solvendo, post mortem ipsius inopinatam tantum de bonis residuis, antequam creditores in ea manus mittant, clam sublegit, quantum sua, suorumque liberorum sustentationi necessarium judicat. Quæritur jam 1. An hoc licite faciat. 2. An etiam jurare possit, si nihil sublegisse, si ad id a creditoribus, vel a Judice adigatur tanquam suspecta?*

REspondetur affirmative ad utrunque Casus membrum: dummodo in jurando debitam adhibeat amphibologiam. Burghaber *cent. 1. cas. 5.* La Croix *lib. 3. part. 2. num. 432.* & alii. Ratio quoad primum membrum est: quia si maritus supervixisset, & a creditoribus compulsus fuisset ad solvenda debita, potuisset (juxta communem, & moraliter certam DD. sententiam) de suis bonis clam subtrahere, & retinere tantum, quantum ad uxoris, & liberorum sustentationem necessarium arbitraretur; cum debitum alimentandi uxorem, & liberos sit privilegium, aliaque debita præcedat; ergo idipsum poterunt hæredes, uxor nempe, & liberi. Ratio quoad secundum membrum est: quia juramentum amphibologicum est licitum, quando gravis causa concurrit, prout suo loco dictum: atqui in Casu concurrit gravis causa; cum alias Hyacintha subiret notam infamiæ, & jacturam bonorum sibi, suisque liberis ad sustentationem necessariorum; ergo &c. Ceterum hac, vel simili amphibologia in deponendo juramento uti poterit Hyacintha: *nihil de bonis mariti subtraxi*, in mente subintelligendo, *non necessarium ad mea, meorumque liberorum vitæ sustentationem.*

Dices contra primum membrum. Debitores tenentur solvere debita cum aliqua imminutione honestæ sustentationis, prout cum communi DD. tradituri sumus *part. seq.* ergo Hyacintha non potest de bonis mariti subtrahere tantum, quantum suæ, suorumque liberorum sustentationi necessarium existimat.

Respondetur, neg. cons. & suppositum, quod hic agatur de sola imminutione honestæ sustentationis; sed agitur de omnimoda ejusdem amissione, ad quam cavendam utique plus licet, ac ad cavendam meram imminutionem.

C A S U S VII.

285. *Hyacinthus, Mercatoris filius, in domo paterna multum patri sua lucratur industria, aliis fratribus interea otiosis, aut ad studia incumbentibus. Quare arbitratur ille, licitum sibi esse, aliquam pecuniæ quantitatem patri inscio sublegere in compensationem suæ industriæ, & laboris. Interrogat tamen desuper Confessarium. Quid iste Hyacintho dicet?*

REspondetur. Confessarius Hyacintho dicet, quod ex memorata causa nihil possit patri sublegere. Molina, Moya, Layman, & alii plurimi, quibus adstipulatur La Croix *lib. 3. part. 1. num. 1034.* contra alios. Ratio est 1. Quia Jura indistincte asserunt, *quod filius ex re, sive substantia patris acquirit, inter profectitia bona numerari, & patri acquiri*; prout videre est *Instit. per quas personas nobis acquiratur, §. 1.* ergo filio inde nihil debetur: consequenter &c. Idque Jura merito statuerunt ad evitanda inter filios jurgia, & lites: quivis enim facile prætenderet, se hoc, vel illud pretio dignum patri præstitisse, quod non præstiterint alii &c. Ratio est 2. Si Hyacinthus in Casu a patre salarium petiisset, jure repulsus fuisset; vel si pater eidem addixisset, & constituisset salarium, juste subtraxisset victum, & vestitum, utpote quem subministrare non tenetur, quando eundem ipse lucrari valet; veluti ex communi docet Layman apud La Croix *loc. & num. cit.* ergo Hyacinthus nec propria authoritate præter victum, & vestitum poterit sibi arrogare salarium, idque patri subtrahere. Confirmatur, Quando præsens est ille, cujus negotium geritur, gestor negotii non potest petere salarium, de quo antea mentionem non fecit, inquit recte Molina apud La Croix *cit.* quia non faciendo mentionem censetur illud remittere; ergo cum pater Hyacinthi fuerit præsens, & Hyacinthus, qui illius negotium gessit, non fecerit mentionem de salario, tale non poterit petere, aut sibi subtrahere ex bonis paternis. Ratio est 3. eaque reflexa: quia opposita sententia non est moraliter certa, sed ad summum probabilis; ergo in praxi, de qua Casus, habere locum non potest; cum debitum, quod occulte compensatur, debeat esse certum, ex dicendis cum communi *in tr. seq.* Ait quidem nonnemo, accedere hic alias rationes, quæ debitum salarii moraliter certum faciant. Sed fidem non adhibeo, donec ejusmodi rationes afferantur: quod nec ita asserens, nec alii præstant.

D I S P U T A T I O IV.

De Natura, Objecto, & Speciebus Justitiæ; nec non de Vitio huic Virtuti opposito.

HActenus de Jure disputatum est; modo de Justitia disputandum, eaque subjicienda, quæ circa illam ventilari ab Authoribus impræsentiarum solent; Tractatus quippe non solum *de Jure*, sed & *de Justitia* inscribitur, Accipitur autem Justitia tribus præcipue modis. 1. Pro complexione omnium virtutum, seu pro virtute generali juxta illud *Matthæi 3. sic nos decet implere omnem Justitiam.* 2. Pro gratia habituali, seu forma hominem formaliter justificante, per Trid. *Sess. 6. de Justific. cap. 7.* ibi: *demum unica causa formalis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit.* 3. Pro virtute speciali, quæ est una ex virtutibus Cardinalibus: & hæc tertia Justitiæ acceptio est hujus loci.

CAPUT

CAPUT I.

De Natura, & Objecto Justitiæ.

DUm naturam Justitiæ investigamus, recte etiam io hoc ipso Capite de ejusdem objecto tractamus, utpote a quo, instar aliorum habituum, suam illa formam, & speciem desumit.

ARTICULUS I.

Quid sit Justitia?

SUMMARIUM.

286. & 287. *Affertur duplex definitio Justitiæ de cujus natura* 288. *fiunt aliquæ illationes.* 289. & *seqq. Diluuntur argumenta opposita.*

286. JUstitia ab Ulpiano *l. Justitia, ff. de Justit. & Jure* describitur *constans, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi*. Quæ descriptio, licite naturam Justitiæ satis clare manifestet, posset tamen forte displicere ob illas particulas, *constans, & perpetua voluntas*: cum non appareat ratio, cur signate ponantur in definitione Justitiæ, in definitionibus vero aliarum virtutum, quibuscum Justitia per illas convenit, non exprimantur. Ob quod

287. Dico. Justitia melius definitur *virtus moralis inclinans ad reddendum, vel relinquendum unicuique suum jus*. Est reipsa communis.

Explicatur; Dicitur 1. *virtus moralis*: quod subit rationem generis, facitque Justitiam cum ceteris virtutibus moralibus convenire. Dicitur 2. *inclinans*, ut significetur, hic describi Justitiam sumptam pro habitu, non pro actu; nam habitus virtuosi est inclinare ad actus rectæ rationi conformes: quod Justitia præstat, dum inclinat ad reddendum alteri suum jus ob honestatem æqualitatis in actu redditionis repertam. Dicitur 3. *ad reddendum, vel relinquendum unicuique*: ubi exprimitur Officium Justitiæ, quod est non tantum proximo jus suum reddere, sed etiam illud non violare. Dicitur 4. *suum jus*, ut indicetur objectum Justitiæ specificativum, quod est jus, sive justum, id est, æqualitas inter debitum, seu obligationem unius, & jus, seu potestatem legitimam alterius ad aliquid agendum, vel obtinendum: de quo *in art.* proxime sequenti. Interim adverte, per *ly jus suum* intelligi, quidquid ad alterum pertinet sive ex natura rei, sive ex legum dispositione, sive ex consuetudine, ita ut malum appareat, hoc ipsi auferre, vel ablatum non restituere, ex eo præcise, quia ipsius est, vel quia de illo disponere ita ipsi proprium est, ut alius potestatem circa idem disponendi nullam habeat.

288. Ex quibus infertur primo, Justitiam esse virtutem proprie dictam. Ratio est: quia ille habitus est virtus proprie dicta, qui habentem, ejusque opus bonum facit, juxta Aristotelem 2. *Ethic.* sed Justitia est talis habitus, cum ipsa inclinet io objectum conforme rectæ rationi; ergo &c. Secundo, esse virtutem specialem. Ratio est: quia versatur circa objectum speciale, circa quod non versatur aliqua alia virtus. Tertio, esse virtutem ad alterum. Ratio est: quia objectum formale Justitiæ, nempe æqualitas, involvit relationem inter dantem, & accipientem; ergo illud necessario ordinatur ad alterum, videlicet ad accipientem; ergo etiam Justitia, quæ naturam, & indolem suam ab objecto formali derivet, ex conceptu suo intrinseco ad alterum erit. Et per hoc convenit cum illis virtutibus moralibus, quæ similiter sunt ad alterum; uti Misericordia, Pietas, Gratitudo, Religio, Liberalitas, Munificentia, Obedientia: differt vero ab aliis, quæ non sunt ad alterum, sed per suas operationes immediate respiciunt suppositum, seu subjectum, in quo existunt, ut Temperantia, Fortitudo, Patientia &c.

289. Objicies contra hactenus dicta primo Virtus moralis, cujusmodi foret Justitia, debet mediare inter duo vitia opposita, quorum unum incurratur per excessum, alterum per defectum; ut patet in virtute Liberalitatis relate ad vitia prodigalitatis, & avaritiæ: sed Justitia non mediat inter duo ejusmodi vitia; ergo Justitia non est virtus proprie dicta. Min. prob. Nam in casu, quo Cajus v.g. Titio plus restituit, quam abstulerat, non peccat per excessum, ut patet; solumque peccare posset per defectum, si minus restitueret; ergo Justitia non mediat &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. Ad prob. ajo, Justitiam, etiam in casu posito mediare inter duo extrema vitiosa; nam licet Cajus non peccet per excessum restituendo aliquid ultra debitum; peccavit tamen per excessum, & defectum simul aliquid sibi usurpando ex bonis Titii; nam sic se constituit plus habentem, quam vi jurium suorum habere poterat, & Titium minus habentem, quam vi jurium suorum habere debebat: consequenter quando per actum restitutionis, licet excessivæ, facit, ut ipse non amplius habeat plus, nec Titius habeat minus, quam cuilibet de jure competat, ambo extrema vitiosa corrigit, ponitque actum Justitiæ medium inter ea.

Dices. Virtus debet esse media inter talia extrema vitiosa, ut, si unum incurratur, ab altero recedatur; veluti rursus patet de Liberalitate comparate ad prodigalitatem, & avaritiam; quo magis enim per vitium prodigalitatis excedis, eo magis a vitio avaritiæ recedis, & e diverso: sed Justitia non est media inter talia extrema vitiosa; cum secundum immediate dicta utrunque extremum simul incurratur; ergo &c.

Respondetur, majorem esse veram de aliis virtutibus; non item de Justitia: hæc enim ex ratione sua peculiari petit aliter versari in medio inter duo extrema vitiosa, quam aliæ virtutes; eo quod pro suo proprio modo respiciat æquale, quod mediat inter majus, & minus: repugnat autem unum esse majus, quin alterum sit minus; ut patet in duabus lineis, quarum una non potest evadere major, quin altera evadat, & dicatur minor illa. P. Babenstuber *tract.* 7. *disp.* 1. *art.* 1. *n.* 3.

290. Objicies secundo. Omnis virtus est bonum habentis, cum ipsum bonum reddat, juxta Aristotelem supra; ergo etiam virtus Justitiæ; ergo non necessario ordinatur ad alterum.

Respondetur, dist. utrumque cons. Si spectetur secundum rationem genericam virtutis, con. si spectetur secundum rationem peculiarem, & specificam, nego utranque cons. Sic enim suapte natura in alterum tendit.

291. Objicies tertio. Una, eademque Charitatis virtus potest esse ad se, & ad alterum; ergo etiam virtus Justitiæ.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia Charitas fundatur in bono, quod quis sibi, & aliis adaptare potest: Justitia autem io debito, quo quis alteri obstringitur.

292. Objicies quarto. Tutor, cui pupillus debet, potest sibi ex bonis istius satisfacere; ergo potest exercere actum Justitiæ erga seipsum: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Nam Tutor duplicem sustinet personam, nempe propriam, & pupilli. Quando igitur sibi ex bonis pupilli debitum solvit, id non facit, ut sustinens personam propriam, sed ut sustinens personam pupilli, sub qua ratione, & consideratione est moraliter, & fictione Juris alius a se ipso, sub altera ratione considerato, seu in quantum sustinet personam propriam, & debitum recipit. Unde solum sequitur, quod Justitia non necessario respiciat alterum ab operante realiter semper distinctum; sed vel distinctum realiter, vel saltem moraliter, & fictione Juris: quod ultro fatemur.

293. Objicies quinto. Si ego ex affectu ad honestatem Justitiæ suadeo Titio, ut mihi debitum solvat, exerceo actum Justitiæ erga me ipsum; ergo actus Justitiæ, ipsaque Justitia non necessario ordinatur ad alterum.

Respondetur, neg. ant. de actu Justitiæ proprie sumpto: alias similiter dici possem exercere proprie dictum actum Liberalitatis, aut Gratitudinis, si ex affectu ad honestatem harum virtutum cupiam alterum erga me liberalem, aut gratum esse: quod tam facile nemo admiserit. Interim inficias non eo, ejusmodi actum reductive spectare ad virtutem Justitiæ: sicut & actus eliciti

eliciti ex affectu ad honestates Liberalitatis, & Gratitudinis, ad has virtutes reduci possunt.

Instabis. Honestas objectiva Justitiæ directe volita refundit honestatem formalem Justitiæ in actum, per quem est volita: sed in casu posito directe volo honestatem objectivam Justitiæ; ergo &c.

Respondetur, distinct. maj. Directe, & simul alteri volita, con. directe volita, sed sibi ipsi, neg. maj. Sed in casu posito directe volo honestatem objectivam Justitiæ, mihimetipsi, con. alteri a me distincto, neg. min. & cons. de honestate formali Justitiæ proprie dicta.

294. Objicies sexto. Dux belli dividens spolia, attributa sibi æqua, & legitima parte, exercet actum Justitiæ distributivæ etiam relate ad seipsum; ergo &c.

Respondetur, ut supra de Tutore. Nam etiam Dux belli in casu posito duplicem personam gerit, nempe Regis, vel Reipublicæ, cujus nomine, & authoritate approbativa etiam sibi ipsi legitimam de spoliis portionem attribuit; & propriam, in quantum ejusmodi portionem recipit. Unde exercet quidem actum Justitiæ distributivæ, sed erga seipsum ut moraliter alium a seipso ut moraliter considerato. Hæc responsio, si non arrideat, dicere poteris, quod exerceat actum Justitiæ non proprie, sed solum reductive talem; cum & hic honestas objectiva Justitiæ, utpote non alteri, sed sibi ipsi amata, honestatem formalem Justitiæ proprie dictam in actum refundere non valeat. Paulo aliter respondet P. Sporer *tr.4. in Decal. n.9.* quem vide, si placet.

295. Objicies septimo. Potest aliquis erga seipsum exercere actum injustitiæ, v. g. si seipsum interficiat; ergo & actum Justitiæ.

Respondetur, neg. ant. Ad exemplum de suiipsius interfectore dico, eum respectu suiipsius solum peccare contra Charitatem, quæ dictat, & obligat, ne quis seipsum corporaliter, & æternaliter perdat; non autem contra Justitiam; cum homo non sit dominus vitæ, adeoque seipsum interficiendo nullum lædat jus proprietatis, quod in suam vitam habuerit. Committit tamen talis crudelior in seipsum homicida actum injustitiæ relate ad Deum, qui solus vitæ, necisque Dominus est; & relate ad Rempublicam, cui per suicidium membrum abripit. Ita Doctores passim respondent. Nihilominus censeo, admittendum omnino esse, quod sui interfector, etiam relate ad seipsum exerceat actum injustitiæ, sed improprie, & reductive talem. Ratio primi est: quia lædit inabdicabile jus, quod habet ad usum suæ vitæ. Ratio secundi est: quia non lædit jus alterius. Ex quo fluit, quod si occideret alterum, poneret actum injustitiæ proprie talem etiam respectu occisi. Vide, quæ habentur inferius *numero 329. & 331.*

ARTICULUS II.

Quale Justitia habent Objectum tam materiale, quam formale?

SUMMARIUM.

296. *Debitum aliud est* morale, *aliud* legale. 297. *Statuitur objectum materiale Justitiæ*. 298. *Solvitur objectio*. 299. *Dilucidatur conclusio*. 300. *&* 301. *Refelluntur opiniones contrariæ*. 302. *Statuitur objectum formale*. 303. *& seqq. Solvuntur objectiones*, 307. *Dicta conclusionis applicantur ad species Justitiæ*. 308. *Virtus Justitiæ præter medium rationis, etiam observat medium rei.*

296. PRænotandum, dari duplex debitum, unum *morale*, alterum *legale*. Morale dicitur, quod oritur ex simplici honestate virtutis; cujusmodi sunt debita Charitatis, Misericordiæ &c. quæ siquis præstare intermittat, deficit quidem, vel recedit ab honestate virtutis, seu rectitudine debita, quam in actione sua servare deberet; nullum tamen jus violat. Legale appellatur, quod oritur ex jure activo, seu potestate legitima alterius: unde etiam *justum passivum* nominari solet; estque juris activi (cujus naturam explicuimus *disput. 1, cap. 1. num. 2.*) correlativum. Hoc prænotato,

297. Dico primo. Objectum materiale proximum Justitiæ est operatio, per quam alteri tribuitur suum jus, & ponitur æqualitas inter debitum unius, & jus activum alterius; materiale vero remotum est res æqualiter debita. Ita Authores citandi pro conclusione sequent.

Probatur. Illud est objectum materiale proximum Justitiæ, circa quod immediate, & illud remotum, circa quod mediate versatur: sed versatur immediate circa operationem, per quam tribuitur suum jus, puta qua solvitur pretium, redditur mutuum &c. & mediate circa rem ex jure debitam; ergo &c.

Confirmatur. Habitus practicus, qui non relinquit opus post se, respicit proxime praxin, seu operationem externam, ad quam ordinatur, & remote rem ipsam, circa quam talis operatio exercetur: sic Prudentia immediate respicit operationem juxta dictamen rectæ rationis hic, & nunc ponibilem; & mediate rem, circa quam operatio ponenda est: sed Justitia est de classe habituum practicorum, qui non relinquunt opus post se, ut patet ex definitione supra data; ergo Justitia respicit proxime operationem externam, ad quam ordinatur, & remote rem ipsam, circa quam talis operatio exercetur: consequenter operatio illa est objectum materiale proximum; res vero ipsa objectum materiala remotum Justitiæ.

298. Objicies, Justitia per se inclinat ad ponendam rem ipsam, ad operationem vero non nisi per accidens, quatenus nimirum res per eam poni debet; ergo operatio non est objectum materiale proximum Justitiæ, sed potius res ipsa ex jure debita.

Respondetur primo per instantiam in Prudentia, & aliis virtutibus moralibus, quæ respiciunt tanquam objectum proxime operationem, & rem ipsam tanquam objectum materiale remotum,

Respondetur secundo, neg. ant. Ratio negandi est: quia Justitia, utpote virtus moralis non præcise attendit ad æqualitatem physicam, sed etiam, & quidem principaliter ad moralem, id est, ad æqualitatis honestatem, quæ primario relucet in ipsa operatione externa; ergo non solum per accidens, sed etiam per se respicit operationem, & quidem magis principaliter, quam rem ipsam: consequenter illa erit objectum materiale proximum; hæc vero remotum Justitiæ.

Dices. Honestas æqualitatis principalius sita est in actu imperii, seu in volitione actionis externæ; ergo potius volitio illa, quam actio externa erit objectum materiale Justitiæ,

Respondetur rursus per instantiam in aliis virtutibus moralibus. In forma, & directe respondeo, neg. cons. Nam licet honestas justitialis ab actu imperii originem trahat, in eoque principaliter reperiatur; nihilominus quia in illo non completur, sed primum in ipsa operatione externa, ad quam volitio interna, seu ad actum imperatum ordinatur, & tendit; actus imperans internus habet se potius præsuppositive tantum ad objectum Justitiæ, actus vero externus, & imperatus vere est objectum Justitiæ. Unde quando in respons. 2. ad object. diximus, honestatem Justitiæ primario relucere in operatione externa, intelligendum id erat de honestate completa, & morali, ac per comparationem ad rem ipsam, in qua honestas Justitiæ objective duntaxat, & fundamentaliter reperitur.

299. Colliges ex dictis primo, operationem externam, quam statuimus pro objecto materiali proximo Justitiæ, non esse actum elicitum, sed imperatum duntaxat a virtute Justitiæ: cum enim habitus Justitiæ subjectetur in voluntate, non apparet, quomodo in operationem externam effective influere valeat. Accedit, quod objectum virtutis distingui debeat non solum ab habitu, sed etiam ab actu elicito talis virtutis; ergo operatio externa, quæ est objectum Justitiæ, non potest esse actus elicitus Justitiæ.

300. Colliges secundo, Justitiam non versari circa passiones, ita ut hæ pertineant ad objectum materiale illius. Ratio est: quia Justitia est virtus ad alterum, ut vidimus; ergo non potest per se versari circa passiones; cum virtus, quæ per se respicit passiones, easque moderatur, reddat hominem bonum ad se duntaxat, non ad alterum, nisi forte per accidens, & aliarum virtutum adminiculo suffulta id præstet. Patet in hypothesi, qua ponitur solus existere Cajus in hoc universo:

verso; nam is adhuc moveretur v. g. ad domandas bestias sibi insidiantes, & famelicus cibum appeteret, ubi tamen neutro modo se haberet ad alterum, cui aliquod malum averteret, aut bonum concupisceret: consequenter &c. Per quod tamen non negaverim, quin Justitia quandoque per accidens, & secundario moderari etiam passiones valeat, verb. grat. nimiam cupiditatem habendi &c. in quantum scilicet talis moderatio est necessaria, ne actus proprius Justitiæ, v. g. solutio debiti, impediatur. Id tamen non præstat, nisi aliarum virtutum, ad quas per se spectat moderari passiones, auxilio adjuta; quibus proinde ejusmodi moderationem imperat.

301. Colliges tertio, male assignari pro objecto materiali Justitiæ jus sive activum, sive passivum. Ratio est: quia objectum materiale virtutis practicæ non est id, quod præsupponitur, sed id, quod intendit ponere, ut patet in virtute Misericordiæ, cujus objectum materiale est sublevatio miseriæ, quam intendit ponere, non vero ipsa miseria, quæ actui sublevationis præsupponitur; ergo objectum materiale Justitiæ non est jus sive activum, sive passivum, cum utrunque actui Justitiæ præsupponatur; sed operatio externa alteri debita, quam Justitia ad jus alienum adæquandum ponere intendit. Unde, ut bene advertit Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 2. dub. 1.* jus activum potius ingreditur objectum *cui*, quale sibi Justitia vendicat hoc ipso, quod sit virtus ad alterum. Est autem objectum *cui* ipsa persona, comparatione cujus Justitia dicitur esse ad alterum, & cui reddi æquale jubet, non quidem persona nude, & materialiter considerata, sed spectata formaliter, & quatenus informata jure activo, ita, ut jus activum personam constituat formaliter in esse objecti *cui*; quia ratione juris activi fundat in altero obligationem, & debitum legale.

302. Dico secundo. Objectum formale Justitiæ est jus, seu justum specifice acceptum, nimirum pro æqualitate, vel potius honestate æqualitatis inter debitum unius, & jus activum alterius. Herinex *part. 3. tr. 2. disp. 4. quæst. 1. numer. 7.* Viva *in Theol. Scholast. part. 5. disp. 3. q. 2. n. 2.* Cælestinus Mayr *in Thesib. de J. & J. q. 1. art. 1. §. 3. n. 16.* & alii reipsa communiter.

Probatur. Illud est objectum formale cujuscunque virtutis, quod hæc suis actibus per se primo respicit, & intendit tanquam suum specificativum: sed Justitia sic respicit, & intendit æqualitatem inter debitum unius, & jus activum alterius; ergo &c. Maj. est certa, & patet inductione in Misericordia, Religione, & aliis virtutibus. Min. prob. Nam siquis ex restituente sciscitetur, cur restituat, mox respondebit: ut ponam æqualitatem inter meum debitum, & jus activum alterius, quod antea violaveram; ergo per se primo intendit memoratam æqualitatem &c.

Confirmatur. Objectum injustitiæ est inæqualitas inter debitum unius, & jus activum alterius; ergo æqualitas inter debitum unius, & jus activum alterius est objectum Justitiæ. Cons. tenet a contrario. Ant. facile probatur: non enim aliter facis injustitiam, quam violando æqualitatem, adeoque constituendo inæqualitatem inter debitum, quod ipse habes, & jus activum, quod habet alter: consequenter &c.

Dixi in conclus. *vel potius honestate æqualitatis*. Nam, ut recte advertit Cælestinus Mayr *loc. cit.* ratio honestatis in prædicta æqualitate exprimi debet, eo quod illa virtuti Justitiæ, ceu versanti circa bonum honestum, tribuat proxime suam formam, & speciem. Sed hoc reducitur ad expressiorem modum loquendi; nam reipsa nobiscum conveniunt, qui æqualitatem, sine expressione honestatis, pro formali Justitiæ objecto ponunt: siquidem & ipsi æqualitatem, in quantum honestam, intelligunt, esto non exprimant. Nunc

303. Objicies primo. Objectum formale, utpote distinctivum virtutis ab omni alia, nequit alteri virtuti convenire: sed æqualitas convenit etiam aliis virtutibus, puta Gratitudini, Misericordiæ &c. ergo &c. Min. prob. Nam ex Gratitudine par pari referens exercet æqualitatem inter tributum, & retributum: ex Misericordia alteri subveniens in tantum, in quantum indiget, observat æqualitatem inter datum, & indigentiam; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Æqualitas in quantum jure legali debita, prout nos eam impræsentiarum accipimus, convenit etiam aliis virtutibus, neg. secus accepta, con. min. Æqualitas, prout statuitur objectum formale Justitiæ, non est accipienda præcise secundum se, & quasi materialiter, sed prout jure legali debita: sic enim involvit peculiarem honestatem proxime specificativam, & distinctivam Justitiæ ab omni alia virtute. Per quod patet, quia dicendum ad probationem sit.

Instabis. Quamvis Gratitudo, Misericordia, aliæque virtutes morales, quibus convenit debitum morale, exigant æqualitatem non quomodocunque, sed æqualitatem v. g. inter tributum, & retributum, inter datum, & exigentiam qua talem, non tamen habent pro objecto formali æqualitatem ut debitam inter tributum, & retributum &c. ergo quamvis Justitia observet æqualitatem non quomodocunque spectatam, sed quatenus jure legali debitam, hæc tamen æqualitas non erit objectum formale Justitiæ.

Confirmatur. Æqualitas, ut Jure legali debita, deberet ad rationem æqualitatis ut sic, & communem reliquis virtutibus aliquid addere; alias non apparet, quomodo virtutem Justitiæ distingueret ab aliis virtutibus: sed non potest explicari, quid illud additum esset; ergo &c.

Respondetur ad instantiam, neg. cons. Disparitas est, quod Justitia suis actibus per se primo intendat æqualitatem inter debitum legale unius, & jus activum alterius: prout in probatione visum. Ast Gratitudo, Misericordia, & aliæ virtutes morales, æqualitates, quas ponunt, non ita intendunt sui actibus: si enim quæram ex homine se Benefactori suo gratum exhibente, cur hoc, vel illud obsequium, aut opus acceptum illi præstet, reponet: ut beneficium ab illo mihi præstitum recognoscam. Similiter, si interrogem eleemosynarium, cur hanc, aut illam pecuniæ quantitatem pauperibus eroget? responsio in promptu erit: ut sublevem eorum miserias. Ubi vides, non intendit per se primo illas æqualitates, sed honestates relucentes in recognitione beneficii, & sublevatione pauperis: quæ proinde sunt objecta formalia immediate specificativa prædictarum virtutum.

Ad Cons. respondetur, neg. min. Nam addit peculiarem aliquam honestatem proxime specificativam, & distinctivam Justitiæ ab aliis virtutibus prout ex dictis liquet. Pro cujus tamen clariori intelligentia adnotari potest, quod, cum Justitia sit virtus ad alterum, adeoque bonum, quod intendit, respectivum, honestas illa concipi, & explicari non possit sine relatione æqualitatis inter dantem, ut oneratum debito legali, & accipientem, ut informatum jure activo; prout etiam in ipsa statim positione conclusionis satis aperte innuimus, dum pro objecto formali Justitiæ assignavimus, honestatem æqualitatis inter debitum legale unius, & jus activum alterius: ubi prædicta relatio jam involvitur. Hoc notato, reliquæ instantiæ intercluduntur.

304. Objicies secundo. Siquis retineat, domino invito, equum v. g. quem furatus est, & loco illius reddat pecuniam æquivalentem, non satisfacit secundum Justitiam, & tamen ponit æqualitatem, ergo æqualitas non recte statuitur objectum formale Justitiæ.

Respondetur, neg. posterius membrum antecedentis. Nam licet talis ponat æqualitatem inter æquum, & pretium equi, non tamen ponit æqualitatem, prout adstruitur pro objecto formali Justitiæ, id est, æqualitatem inter suum debitum, & jus activum domini; hanc quippe ut adæquet, non est satis, quod reddat pretium æquivalens equi, sed requiritur, ut reddat ipsum equum, etiamnum (uti supponitur) extantem; cum domino equi competat jus in ipsum equum in individuo, prout *in tr. proxime secuturo* probatum, & declaratum ibimus. Quod si equus perierit, & consequenter amplius restitui non possit in individuo, etiam jus, quod domino in equum competierat, periit, solumque remanet jus in pretium æquivalens, quod ubi fur rependit, satisfacit secundum Justitiam constituendo æqualitatem inter suum debitum, & jus domini.

305. Objicies tertio. Si æqualitas esset objectum formale Justitiæ, tunc omnes actus istius deberent illam respicere; cum nullus actus extra sphæram sui objecti formalis ferri possit: sed non omnes actus il-

lam respiciunt; ergo &c. Min. prob. Nam 1. Siquis reddat debitum, nihil cogitans de æqualitate, exercet actum Justitiæ. 2. Similiter exercet actum Justitiæ depositarius reddendo depositum, quamvis non reddat æquale, sed idipsum, quod acceperat. 3. Pariter servus, quando domino exhibet obsequium ex Justitia debitum, juste agit, licet non ponat æqualitatem, cum sic non exhauriat jus domini; quia hic retinet adhuc jus ad plura obsequia exigenda. 4. Qui debens mille, non potest plus solvere, quam centum, reddendo centum, ponit actum Justitiæ, esto non reddat debitum ad æqualitatem.

Respondetur, neg. min. Ad 1. prob. nego suppositum, quod reddens debitum regulariter nihil cogitet de æqualitate; hoc ipso enim, quod intendat solvere, vult sese exsolvere obligatione, jusque creditoris exhaurire: quod jam est cogitare de æqualitate, eamque intendere saltem implicite, & in actu exercito, esto non intendatur explicite, & in actu signato. Quod si tamen redderet debitum materialiter tantum, & non qua debitum, adeoque positive nollet se exsolvere obligatione, quam erga creditorem gerit, non exerceret actum Justitiæ formalem; sed, ut loquitur P. Viva *loc. cit. n.* 4. ageret quidem justum, non tamen juste, eo quod motivum Justitiæ, seu honestatem æqualitatis inter suum debitum, & jus alterius positive excluderet. Ad 2. probat. dico, æqualitatem per identitatem, qualem ponit depositarius, esse omnium perfectissimam; sicut in Divinis dicitur Filius procedere similis Patri in natura, etiamsi procedat per identitatem ejusdem; quia hæc est perfectissima similitudo. Neque contra hoc instare poteris, nisi volueris movere litem de nomine. Dici insuper potest, quod depositarius, reddendo eandem rem, ponat æqualitatem inter suum debitum, & jus depositoris, qualem æqualitatem nos statuimus pro objecto Justitiæ: atque ita respondendo intereluditur omnis controversia etiam de nomine, & modo loquendi. Ad 3. prob. ajo, domino non competere jus ad plura obsequia, nisi successive sibi exhibenda; quod proinde servus successive adæquat, dum modo hoc, modo illud obsequium præstat. Ad 4. denique probat. dico, pauperem ejusmodi debitorem exercere actum Justitiæ imperfectum duntaxat, quatenus ponit inchoatam tantum æqualitatem, id est, æqualitatem inter partem sui debiti, & partem juris activi, quod est in creditore. Vel aliter responderi potest cum Cælestino Mayr *loc. cit. n.* 24. pauperem illum debitorem ponere æqualitatem formalem, quam hic, & nunc ponere potest, esto non ponat materialem, quippe quam non potest, & consequenter non tenetur ponere. Haud tamen exinde sequitur (prout quis forte inferre posset) quod Justitia non attendat medium rei; sed solum, quod præter medium rei etiam attendat medium rationis, quatenus sicut aliæ virtutes, ita & ipsa operatur ex directione prudentiæ: id, quod nec ab Adversariis negari potest. At, virtus Justitiæ in medio rationis, quod ipsi, & aliis virtutibus commune est, non quiescit, sed ulterius progreditur ad attendendum medium rei: peracta siquidem consultatione de impossibilitate reddendi mille (quæ consultatio ad Prudentiam spectat) incipit ratio formalis Justitiæ, dictans, centum duntaxat esse reddenda: quod situm est in rebus, & non in proportionibus. Ita Author *cit. n.* 25.

306. Objicies quarto. Ad objectum formale requiritur, ut a virtute, cujus est objectum, intendatur propter se: sed æqualitas a Justitia non intenditur propter se; ergo æqualitas non est objectum formale Justitiæ. Maj. est certa. Min. prob. Siquidem in terminis contradictio est, ut restituens v. g. intendat reddere æquale juri alterius: quia est æquale juri alterius, & non hoc ipso intendat reddere idipsum, quia alteri est rigorose debitum; cum esse æquale juri alterius qua tale formaliter dicat debitum rigorosum; ergo æqualitas a restituente intenditur propter debitum rigorosum, & non propter se: consequenter &c.

Respondetur, neg. min. Ad prob. dist. ant. quoad secundum membrum. Et non hoc ipso intendat reddere idipsum, quia alteri debitum, ita, ly *quia* dicat notam præsuppositionis tantum, con. ut dicat notam causalitatis, seu motivi formalis, neg. ant. & conf. Esse æquale juri alterius utique etiam involvit debitum alteri; at non per modum motivi formalis, hic, & nunc in actum restitutionis vere, & proxime influentis, cumque formaliter constituentis in esse actus Justitiæ, sed per modum alicujus præsuppositi, & connotati: sicut ratio miseriæ ingreditur objectum Misericordiæ, haud aliter, quam tanquam aliquid præsuppositum, & connotatum ob rationem supra *n.* 301. insinuatam. Atque per hoc patet ad rationem probativam antecedentis.

Instabis. Licet quis redderet æquale juris alterius, nisi tamen idipsum redderet, quia rigorose debitum est, non exerceret actum Justitiæ; ergo ratio debiti rigorosi statuenda est pro objecto formali Justitiæ, saltem commutativæ.

Respondetur, neg. conf. & retorq. argum. in dante eleemosynam; nam etiam talis non exerceret actum meritorium Misericordiæ, nisi intenderet dare eleemosynam, id est, sublevare miseriam pauperis; & tamen miseria non est objectum formale Misericordiæ secundum iterato dicta. Solum ergo sequitur, quod ratio debiti rigorosi necessario præsupponatur, & connotetur ab actu restitutionis, ut hic sit meritorius in ratione actus Justitiæ; non autem ut intendatur per se, & tanquam motivum formale, ac specificativum talis actus.

307. Colliges primo, objectum formale Justitiæ legalis esse honestatem æqualitatis inter debitum legale partis qua talis, & jus activum Communitatis qua talis: objectum formale Justitiæ distributivæ honestatem æqualitatis inter debitum legale Communitatis formaliter sumptæ, & inter jus activum personæ privatæ, quatenus est pars Communitatis; objectum formale Justitiæ commutativæ vero honestatem æqualitatis inter debitum legale unius personæ privatæ; & jus activum alterius itidem privatæ personæ, sine ordine ad Communitatem, cujus partes existunt. Hæc clariora fient ex dicendis *in cap. seqq.*

308. Colliges secundo, quod virtus Justitiæ, præter medium rationis, etiam observet medium rei; secus, ac aliæ virtutes, quippe quæ solummodo medium rationis attendunt. Medium rei, sive reale est, quod consistit vel in ipsis rebus secundum se, vel ut commensis juri formali alterius. Medium rationis est, quod taxat recta ratio juxta regulas Prudentiæ, idque consideratis omnibus circumstantiis, judicat æqualiter distare ab excessu, & defectu. Unde medium rei est invariabile; nam equus verb. grat. cujus valor sunt centum floreni, sive ematur a Rege, sive a milite, semper valebit centum florenos. At medium rationis est variabile ad variationem circumstantiarum, personæ &c. Unde libra panis sufficiebat Diogeni, non Miloni, qui scribitur integrum in uno epulo bovem comedisse.

Dices. Medium Justitiæ est variabile pro diversa conditione, & qualitate personæ; ergo non est medium rei, quippe quod, secundum proxime dicta, variari non potest. Ant. probat. Nam æger plus debet pro sui curatione Medico, quam Chirurgo, licet uterque æqualem operam, seu laborem impenderit; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad cujus prob. concesso antecedente, neg. conf. Nam licet labor, materialiter, & physice spectatus, supponatur in utroque æqualis, est tamen inæqualis, si formaliter, & moraliter spectetur; cum enim ars Medicinæ arte Chirurgiæ præstantior sit, etiam operam, a Medico præstitam, pluris æstimabilem facit, quam præstitam a Chirurgo; consequenter Medicus obtinet jus exigendi majorem mercedem, quam obtineat Chirurgus: adeoque illi plus mercedis dando, quam huic, observatur medium rei, utpote quod non solum consistit in rebus secundum se, sed etiam in rebus ut commensuratis juri formali alterius: prout supra notatum.

Atque ita explicatum medium rei in virtute Justitiæ admittendo, nullatenus impingimus contra authoritatem, & doctrinam Scoti *in 3. dist. 34. quæst. 1. & in 4. 15. q. 2. art. 2.* Videatur.

CAPUT

CAPUT II.

De Speciebus Justitiæ.

SUMMARIUM.

309. *Partes alicujus virtutis aliæ sunt* subjectivæ, *aliæ* potentiales. 310. *Ad rationem Justitiæ tria requiruntur.* 311. *Adæquate dividitur in tres species.* 312. *& seqq. Resolvuntur duo dubia de Justitia distributiva, & duo de legali.* 316. *Assignatur essentiale, & ultimatum discrimen inter Justitiam commutativam, & distributivam.* 317. *Omnes tres Justitiæ species univoce participant definitionem Justitiæ ut sic.* 318. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 321. *Justitia vindicativa est vera, & specialis virtus; non tamen pars subjectiva Justitiæ, quamvis istius speciem constituens.*

309. PRænotandum primo, partes, in quas totum genus alicujus virtutis dividitur, aliquas appellari *subjectivas*, aliquas *potentiales*. Subjectivæ appellantur species, quæ conceptum generis univoce, & adæquate participant; potentiales vero, quæ illum tantummodo inadæquate participant, & una, alterave conditione deficiunt: cujusmodi, respectu Justitiæ, sunt Pietas, Religio, Obedientia, Liberalitas, Amicitia, & reliquæ virtutes, quæ sunt ad alterum.

310. Prænotandum secundo, ad rationem Justitiæ tria requiri, nempe debitum legale, æqualitatem, & alteritatem tam personarum quam jurium. De æqualitate patet; nam hæc, ut ex dictis abunde liquet, est objectum formale, & specificativum Justitiæ. Debitum legale exigitur tanquam aliquid præsuppositum, & connotatum, sine quo æqualitas, in quantum specificativa, & distinctiva Justitiæ, consistere nequit: prout iterum ex dictis constat. Neque sufficit debitum morale, quippe commune etiam aliis virtutibus. Alteritas denique requiritur: & quidem 1. personarum; tum quia nemo proprie sibi ipsi debere potest; tum quia Justitiæ munus est rectificare operationes ad alterum: & 2. etiam jurium; quia Justitia debet constituere æqualitatem inter debitum legale unius, & jus activum alterius, ita, ut tantum detur, quantum debetur, seu in quantum jus alterius postulat; ergo cum æqualitas necessario sit inter duos ita distinctos, ut unus sibi totus sit proprius, & non alterius aliquo jure, sequitur, quod Justitia etiam exposcat alteritatem jurium: hoc est, quilibet ex iis, qui actum Justitiæ exercet, debet esse capax proprii juris, & ab altero independentis.

His præmissis, duo hic præcipue discutienda, & per conclusiones decidenda veniunt. Primum est, quot, & quænam sint partes subjectivæ, seu species Justitiæ? Secundum, an quælibet ex illis speciebus sit species proprie dicta, & rationem Justitiæ, supra *n.* 287. definitæ, proprie participet? Posterior quæstio (ut verum fateor) mere speculativa est, partim ad Philosophiam, partim ad Theologiam Scholasticam spectans: unde si ejus deductio tibi, tanquam inutilis, displiceat, oculos, animumque averte, & ad utilia, seu moralia converte.

311. Dico jam ad primam quæst. primo. Justitia recte dividitur in tres species, nempe in Justitiam *legalem*, *distributivam*, & *commutativam*. Theologi communiter.

Probatur: quia in tot species recte dividitur Justitia, quot in Republica sunt habitudines ad alterum, secundum quas Justitia hominem ordinat ad ponendam æqualitatem inter jus activum unius, & debitum legale alterius; sed tres sunt hujusmodi habitudines; ergo Justitia recte dividitur in tres species. Major patet; quia Justitiæ proprium munus est operationes hominis rectificare in ordine ad alterum. Min. ostenditur, & declaratur. Nam in Republica, sive Communitate reperitur 1. habitudo partis ad totum. 2. totius ad partem. 3. partis ad partem. Justitia, quæ singulas partes ordinat ad bonum totius Reipublicæ, dicitur *legalis*, seu *generalis*: *legalis* quidem per antonomasiam, quatenus, licet nulla sit virtus, quæ non inclinet ad eliciendos actus legibus conformes, præcipuo tamen modo id præstat isthæc Justitia, eo quod omnia ordinare ad bonum commune maxime pertineat ad Leges, & legislatio sit principalis actus hujus Justitiæ. *Generalis* nominatur; quia omnes alias virtutes morales quodammodo in se continet, haud quidem essentialiter, & per prædicationem, sed causaliter, & imperative, quatenus illarum actus in ordine ad bonum commune dirigit, & imperat. Justitia vero, quæ disponit totum, seu Communitatem ad distribuenda bona communia, officia, vel dignitates &c. inter cives, vel membra secundum meritorum proportionem in eis repertam, appellatur distributiva. Justitia denique, quæ partem ad partem, civem videlicet ad civem, dirigit, ut constituatur inter illos æqualitas in actionibus, quibus communicant, vocatur commutativa.

Confirmatur, & declaratur amplius. Triplici modo poni potest æqualitas inter jus activum unius, & debitum legale alterius; ergo Justitia recte dividitur in tres species. Ant. ostenditur, Nam 1. potest poni æqualitas inter jus altum, quod competit Principi, vel Reipublicæ in bona, & actiones civium pro conservatione boni communis, & inter debitum legale civium illi juri correspondens: atque hoc proprium est Justitiæ legali. 2. Potest poni æqualitas, eaque geometrica, inter jus activum ipsorum civium ad bona communia, dignitates, & officia secundum proportionem conditionis in eisdem repertam distribuenda, & inter debitum legale Magistratus, vel Communitatis ad res prædictas juxta proportionem distribuendas: quod pertinet ad Justitiam distributivam. 3. Denique potest poni æqualitas, eaque arithmetica, inter jus activum rigorosum unius privati, & debitum legale alterius privati, prout evenit in mutuis contractibus, & commutationibus: atque hoc spectat ad Justitiam commutativam. Utraque hæc Justitia, distributiva scilicet, & commutativa, dicitur Justitia *particularis*, eo quod versetur circa bonum perticulare privatorum: in quo opponitur Justitiæ legali, quæ, ob rationem contrariam, Justitia *generalis*, seu *universalis* (ut jam supra animadversum est) nuncupatur.

312. Quæres primo, an Justitia distributiva in quolibet actu debeat respicere plures personas, quas inter se comparet, ut exerceatur justa distributio?

Respondet cum aliis P. Babenstuber *loc. cit. art.* 2. *n.* 3. affirmative. Rationem desumit ex ipsa voce *distributio*, quæ necessario connotat, & exigit plures, qui ad accipiendum concurrant, & inter quos, invicem comparatos, distributor teneatur habere rationem digniorum præ minus dignis, Nihilominus hoc non obstante,

Respondetur cum Mastrio *in* 3. *Sentent, disp.* 7. *q.* 8. *n.* 186. & aliis ab ipso relatis, probabilius esse, quod licet distributor comparationem inter plures, si adsint, instituere debeat, ut justam distributionem exerceat, evenire nihilominus possit etiam contrarium; ut patet in casu, quo unus tantum comparet in concursu (ut vocant) ad obtinendum Beneficium Ecclesiasticum v. g. si enim tunc distributor, seu collator eum, qui comparet, judicet undequaque sufficientem, nullam cum aliis non comparentibus comparationem facit, nec facere tenetur, & tamen veram distributionem, seu verum actum Justitiæ distributivæ ponit (ad quamnam enim virtutem aliam actus ille pertineat? consequenter &c.

Nec obstat ratio deprompta ex voce *distributio* Nam ad salvandam hujus nominis propriam significationem, sufficit, quod habitus Justitiæ distributivæ inclinet ad distribuenda bona inter plures, si adsint, & id fieri possit. Mastrius *loc. cit.*

313. Quæres secundo, quis Justitiam distributivam exercere possit, & ad quid teneatur, ut verum actum Justitiæ distributivæ ponat?

Respondetur primo, quod sola Communitas, vel is, qui Communitati præest, illam exercere possit, ac debeat; nam hic solus habet jus, & obligationem communia bona inter subditos distribuendi, quippe ad id a Communitate sive expresse, sive tacite constitutus.

Respondetur secundo, quod distributor, ut actu Justitiæ distributivæ ponat, teneatur bona communia distribuere inter subditos; nam respectu non subditorum non possunt dici bona communia, seu bona illius Communitatis, quam distributor ceu caput repræsentat; quia sunt solum communia relate ad subditos, cum exclusione aliorum, qui non sunt subditi. Ita Ayblinger *in Instit. l.* 1. *tit.* 1. *n.* 40. *& seqq.* Unde si Princeps alicui non subdito offi-

officium aliquod conferat, non exercet actum Justitiæ distributivæ; quia respectu non subditorum officium illud non est bonum commune, jam autem Princeps, ut actum Justitiæ distributivæ ponat, bonum commune distribuere debet, quod solum fieri potest relate ad subditos.

314. Quæres tertio, an non solum Justitia commutativa, & distributiva, de quibus omnes conveniunt, sed etiam legalis sit virtus specie distincta ab aliis virtutibus?

Respondetur affirmative. Cælestinus Mayr *loc. cit. q.* 3. §. 2. *n.* 12. Ayblinger itidem *loc. cit. n.* 22. & alii passim. Ratio est: quia Justitia legalis habet speciale objectum, & difficultatem superandam: objectum quidem; quia versatur circa bonum commune, tanquam legaliter debitum a partibus qua talibus Communitati qua tali: difficultatem vero; quia in procuratione boni communis modo præfato debiti, quod respicit Justitia legalis, per quam quis bonus civis efficitur, reperitur difficultas diversa, & major, quam in procuratione boni particularis, quod respicit Justitia particularis, aliæque virtutes, per quas aliquis efficitur bonus vir: prout indicat Aristoteles 3. *Politic. c.* 3. ubi ait: *non est simpliciter eadem virtus boni viri, & boni civis.* Nec refert, quod nuncupari soleat virtutis generalis; imo nonnunquam mera aliarum virtutum complexio. Nam quo sensu dicatur virtus generalis, ex dictis liquet: sicut & cur aliarum virtutum complexio quandoque appellari consueverit, quatenus scilicet aliarum virtutum actus ad promovendam Reipublicæ prosperitatem dirigit: unde emanavit tritus ille versiculus: *Justitiam in se virtutes complectitur omnes.* Cum quo tamen compatitur, quod secundum se considerata sit virtus specialis, habens speciale objectum; & difficultatem superandam: sicut & Charitas, licet ceterarum virtutem forma sit, atque complexio, rationem virtutis specialis, & quidem præstantissimæ, non amittit.

Dices nihilominus primo. Iidem sunt actus Pietatis in patriam, qui Justitiæ legalis; ergo Justitia legalis saltem a virtute Pietatis non adæquate distinguitur. Ant. prob. Nam similiter Pietas in patriam pro defensione Reipublicæ, & boni communis imperat expensas, pericula temnit &c. ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Utriusque virtutis sunt iidem actus, materialiter, con. formaliter, neg. ant. & cons. Iidem materialiter actus sunt, & dicuntur, quatenus versantur circa bonum commune specificative consideratum: formaliter diversos nomino, quatenus circa illud occupantur ex motivis essentialiter distinctis; nam Pietas in patriam actus prædictos imperat ob titulum ortus, vi cujus membra Reipublicæ tenentur conservare patriam, tanquam principium essendi, sub qua ratione & consideratione eidem reddi æquale non potest: quam ob causam virtus Pietatis a vera ratione Justitiæ excluditur, & inter partes ejusdem potentiales numeratur. At vero Justitia legalis actus suos imperat ob titulum debiti legalis, quo obstringuntur partes, & vi cujus tenentur bonum totius promovere, vel conservare; prout jam satis dictum, & inculcatum est. Atque hinc patet, quid ad probat. respondendum sit.

Dices secundo. Justitia legalis respicit idem objectum, quod Obedientia; ergo ab hac non differt saltem essentialiter. Ant. prob. Tum ex Philosopho, pro objecto Justitiæ legalis assignante id, quod lege sancitum est: atqui circa idipsum versatur Obedientia: tum ex eo, quod promotio, vel conservatio boni communi consistat in legum observantia: quam similiter respicit, & intendit Obedientia; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam Obedientia formaliter inclinat ad honestatem obediendi Superioribus, seu respicit jus Superioratus, & debitum huic juri correspondens, vi cujus inferiores, & subditi obligantur revereri Superiores qua tales. At Justitia legalis respicit jus altum Reipublicæ, & debitum huic juri correlativum, vi cujus & Princeps, & cives tenentur conferre ad procurandum commune bonum. Probationes procedunt, & intelligi debent de Justitia legali, & Obedientia, spectatis generaliter, seu in quantum imperant actus aliarum virtutum; non autem in quantum considerantur secundum se, & prout important virtutes.

315. Quæres quarto, an Justitia legalis (1.) reperiatur non solum in subditis, sed etiam in ipso Principe, vel Magistratu; sitque in utrisque (2.) ejusdem speciei?

Respondetur affirmative quoad ambas partes. Ratio primæ partis est, quod Princeps, sive Magistratus æque obligetur ad procurandum commune bonum: ac subditi; ergo æque potest, ac tenetur actus Justitiæ proprios exercere: consequenter &c. Ratio secundæ partis est; quia Justitia legalis, sive consideretur ut existens in Principe, sive ut existens in subditis, respicit idem objectum formale ut adæquabile per exhibitionem actuum legaliter debitorum; ergo non apparet, quo fundamento asseri possit, quod sit alia specie in Principe, & alia in subditis. Id tamen advertendum, Principem dupliciter considerari posse, 1. in quantum est Minister Reipublicæ, 2. in quantum & ipse est pars Reipublicæ. Priore modo consideratus non est subjectum Justitiæ legalis, sed commutativæ, ob pactum saltem implicitum cum Republica ad procurandum bonum publicum: quod si facere culpabiliter neglexerit, tenetur damnum Reipublicæ inde consecutum reparare. At posteriore modo consideratus participat eandem obligationem Justitiæ legalis, quam alia Justitiæ membra: ista namque obligatio non tollitur, nec impeditur per adventum alterius, quæ ipsi incumbit, in quantum est Minister, & Custos Reipublicæ.

Dices contra secundam partem, quæ non est adeo communis, ut prima, sed Adversarios sat multos habet. Habitus architectonicus specie differt a ministeriali; ut patet in arte militari, & frænofactoria: sed Justitia legalis, prout residet in Principe, est habitus architectonicus, seu directivus; ministerialis vero, prout subjectatur in subditis; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Habitus objective architectonicus specie differt a ministeriali, con. subjective tantum architectonicus, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons. Habitus, seu ars objective architectonica est, quæ suapte natura ordinatur ad finem altiorem, quam ministerialis, utpote cujus finis est minus principalis ex eo, quod fini illius altiori necessario subordinetur; quemadmodum patet in allato exemplo de arte militari, cujus finis est victoria, utique altior, quam finis frænofactoriæ, qui est frænum affabre factum, & qui, ad instar medii, ordinatur ad victoriam, seu finem ultimatum, magisque principalem. Habitus subjective architectonicus dicitur, qui imperando dirigit, & ordinat facultates reliquas in suum finem; adeoque respicit materiam universaliorem, & aliud subjectum, quam ministerialis, qui cum suo subjecto concurrit ad imperata executioni mandanda: prout videre est in Justitia legali, in quantum ex una parte reperitur in Principe, & ex altera in subditis. Unde differentia hujus Justitiæ, relate ad Principem, & subditos, non est formalis, & essentialis, quia non redundat in objectum formale, utpote utrinque est idem commune bonum; sed materialis duntaxat, & accidentalis, quatenus in Principe reperitur modo perfectiori ob majorem latitudinem, & universalitatem materiæ, circa quam exercetur; obque specialem curam, quam Princeps erga commune bonum gerit, aut gerere debet.

Instabis. Prudentia gubernativa, quæ residet in Principe, essentialiter differt a prudentia politica, seu ministeriali, quæ residet in subditis, & tamen utraque ordinatur ad bonum commune; ergo similiter Justitia legalis in Principe erit essentialiter diversa a Justitia legali in subditis, licet utraque respiciat bonum commune.

Respondetur, dist. secundam partem antecedentis, Et tamen utraque ordinatur ad bonum commune, modo extremo, & essentialiter diverso, con. modo accidentaliter solum diverso, ut Justitia legalis, neg. ant. & cons. Quoniam experientia compertum est, plurimos esse bonos cives, & subditos, qui tamen ob defectum prudentiæ, ad gubernandum requisitæ, ad aliorum regimen applicari non possunt: quod signum est, prudentiam gubernandi longe aliam, imo essentialiter diversam esse a prudentia ministeriali subditorum; illa enim versatur etiam circa media, ordinarie multum difficilia, quæ Princeps ad promovendum bonum publicum excogitare, & proponere, vel applicare debet. Unde prudentia gubernativa non specificatur a bono publico secundum se sumpto, sed prout per prædicta media procurari debito. Secus se habet prudentia politica, &

mini-

ministerialis subditorum, utpote quorum non est in ejusmodi media inquirere, sed solum illa, a Principe proposita, arripere, & executioni mandare in ordine ad finem, per ea intentum: consequenter &c. Ex quo habetur, cur diversitas prudentiæ gubernativæ, & politicæ, seu ministerialis, sit formalis, & essentialis; quia nempe redundat in ipsum objectum formale *quo*, & proximum, id est, in illum modum procurandi bonum commune extreme, & essentialiter diversum; secus diversitas Justitiæ legalis in Principe, & subditis, utpote desumpta solum ex materia, & modo accidentaliter alio, atque objectum formale nullatenus ingrediente: prout relinquitur ex dictis.

316. Quæres quinto, quodnam sit discrimen essentiale, & ultimatum Justitiam commutativam inter, & distributivam?

Respondetur, illud situm in eo esse, quod Justitia commutativa intendat æqualitatem inter debitum legale, & jus rigorosum, seu jus proprietatis, vel quasi proprietatis, ex cujus læsione nascitur obligatio restituendi: Justitia vero distributiva respiciat æqualitatem inter debitum legale, & jus minus strictum, quod consistit in speciali condignitate partis ad bona communia propter conjunctionem, & connexionem cum toto; ex cujus violatione, secundum se, & præcise spectata, non resultat obligatio restituendi: prout ostensuri sumus *tr. seqq. disp.* 1. *c.* 1. Responsio ad quæsit. est communis inter DD. & fluit ex hucusque dictis.

317. Dico secundo ad secundam quæst. Non solum Justitia commutativa, sed etiam distributiva, & legalis rationem genericam Justitiæ, *n.* 287. definitæ, univoce, & adæquate participant: dummodo ly *jus suum*, definitioni insertum, accipiatur in latiori significatione. Ita Aristoteles 5. *Ethic. c.* 1. & 2. ubi expresse habet, *Justitiam, quæ locum partis obtinet* (seu particularem) *cum altera universali univocam esse; eo quod in eodem genere est definiti*. Adstipulantur Tannerus *disp.* 4. *de Just. q.* 2. *dub.* 2. *a n.* 20. Mezger *tr.* 11. *disp.* 24. *art.* 2. *n.* 6. Cælestinus Mayr *loc. cit. q.* 3. *art.* 1. *n.* 13. & alii. Nec video, quomodo aliquis (saltem si Scotista sit) conclusioni taliter propositæ, & jam jam explicandæ refragari valeat.

Probatur, & declaratur conclusio. Nam quælibet ex recensitis tribus speciebus participat conditiones requisitas ad conceptum Justitiæ ut sic *cit. n.* definitæ; ergo quælibet rationem ejus genericam univoce, & adæquate participat. Cons. patet. Ant. ostenditur 1. de Justitia commutativa: in hac quippe intervenit *debitum legale* unius, cui correspondet jus proprietatis, vel quasi proprietatis in altero: *alteritas*, eaque perfectissima, cum sit inter personas privatas, vel quasi privatas: quod addo propter Communitatem, aut Rempublicam, quæ si ad instar hominis privati contractum ineat, fictione Juris censetur persona privata: ac *æqualitas*; intendit enim constituere æqualitatem arithmeticam rei ad rem, quantitatis ad quantitatem, quæ est omnium strictissima. Ostenditur idem ant. 2. de Justitia distributiva; nam & in hac reperitur *debitum legale* Communitatis, cui correspondet jus activum non quidem proprietatis, sed condignitatis, quod competit membris Communitatis, in quantum sunt hujus partes, ad munia, & bona communia: *alteritas* inter Communitatem, & partes, quæ licet tam stricta non sit, sicut inter civem, & civem, est tamen talis, quæ compatitur diversum jus in uno, & debitum in altero, illud in partibus, istud in Communitate: & *æqualitas:* quia Justitia distributiva jubet, ut Communitas de bonis communibus tribuat singulis civibus, quantum illis debet; adeoque cuique tribuat *suum: suum*, inquam, non tanquam titulo proprietatis debitum, quod ad Justitiam commutativam pertinet, sed tanquam legaliter debitum, titulo specialis condignitatis, quem singuli cives, ceu partes Communitatis habent ad bona communia. Ostenditur 3. de Justitia legali: siquidem & in ista adest *debitum legale* in membris Reipublicæ ad procurandum commune bonum, cui correspondet in Republica jus activum illud debitum exigendi: *alteritas*, quatenus partes divisim sumptæ distinguuntur a toto, ac vicissim; & jus, quod singulæ habent in sua bona, diversum est a jure, quod in eadem bona habet Respublica; illud enim nuncupatur *bassum*, hoc vero *altum*, & utriusque natura alia est, atque alia: & tandem *æqualitas*, quam ponunt cives, dum vi Justitiæ legalis tantum tribuunt Communitati de suis bonis, & actionibus, quantum hic, & nunc exigit necessitas communis boni. Qua explicatione posita, patet, quare in conclus. addiderim: *dummodo ly jus suum accipiatur in latiori significatione.*

318. Objicies primo. Illa non conveniunt univoce in aliqua ratione communi, quorum unum est simpliciter tale, alterum tale secundum quid tantum: sed ita se habent tres species Justitiæ; nam sola commutativa censetur Justitia simpliciter talis, reliquæ vero duæ, Justitiæ secundum quid tantum; ergo non conveniunt univoce in ratione communi Justitiæ.

Respondetur primo, retorq. argum. contra Scotistas, & alios, qui admittunt univocationem entis respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis; nam ens simpliciter dicitur de Deo, ut patet ex illo *Exodi* 3. *Ego sum, qui sum*; de creatura vero solum secundum quid, ut patet ex illo *Isaiæ* 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Eo*. Pariter ens creatum dicitur simpliciter de substantia: de accidente vero secundum quid, ut deducitur ex pluribus locis Philosophi; ergo si argumentum aliquid probat, probat etiam, ens non esse univocum respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis.

Respondetur secundo, directe, dist. maj. Si *ly secundum quid* sit particula distrahens, con. si sit particula solum diminuens, neg. maj. Id est, si per *ly simpliciter* ratio communis intelligatur esse in uno formaliter, & per *ly secundum quid* non esse in alio formaliter, vera est major; falsa vero, si per *ly simpliciter* solum intelligatur esse in uno perfectiori modo, & per *ly secundum quid* esse in alio imperfectiori modo; sicut evenit in proposito, ubi Justitia commutativa solum dicitur simpliciter Justitia, quatenus ratio generica Justitiæ ad ipsam per differentiam perfectiorem contrahitur; distributiva vero, & legalis dicuntur Justitiæ secundum quid ideo præcise, quia ratio communis in eis contrahitur per differentias minus perfectas: per quod proinde illarum univocatio in ratione Justitiæ ut sic non impeditur; sicut nec impeditur univocatio entis respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis; aut univocatio animalis respectu hominis, & bruti; licet ens, & animal in talibus subjectis contrahatur per differentias, & modos, magis, minusque perfectos. Hæc captu facilia sunt, saltem versato in Philosophia nostra, ad quam proinde Lectorem remitto.

319. Objicies secundo. Inter partes, & totum non reperitur alteritas sufficiens ad rationem Justitiæ ut sic: sed cives se habent ut partes, & Communitas ut totum; ergo inter cives, & Communitatem non reperitur sufficiens alteritas ad rationem Justitiæ ut sic: consequenter Justitia legalis, & distributiva, quæ dantur in civibus erga Communitatem, & in Communitate erga cives, non participant univoce, & adæquate rationem Justitiæ ut sic. Maj. prob. Nam pars est aliquid totius; ergo inter partem, & totum non reperitur sufficiens alteritas; alias talis etiam daretur inter filium, & patrem; servum, & dominum; quod tamen communiter negatur.

Respondetur, dist. maj. Inter partes, & totum, quod fictione Juris non habetur pro persona distincta, non reperitur sufficiens alteritas, con. inter partes, & totum, quod, qua tale fictione Juris habetur pro persona distincta, neg. maj. Communitas fictione Juris est persona distincta a partibus, quatenus habet diversum jus a jure partium; ut patet ex dictis. Unde, distinctione applicata minori, negatur utraque consequentia, & paritas assumpta de patre, & filio; nam hos inter per Juris dispositionem non datur jurium diversitas: consequenter moraliter, & legaliter reputantur una eademque persona. Idem senti de domino, & servo.

320. Objicies tertio. Justitia ut sic supra definita fuit virtus moralis inclinans ad tribuendum, vel relinquendum unicuique suum jus: sed hoc præstat sola Justitia commutativa; ergo hæc sola participat definitionem Justitiæ: consequenter &c. Min. prob. Tribuere alicui suum jus idem est, ac restituere: sed restituere est actus solius Justitiæ commutativæ; prout videbimus *tr. seq. disp.* 1. *c.* 1. ergo &c.

Respondetur neg. min. Ad prob. neg. maj. Nam tribuere alteri suum jus est aliquid latius patens, quam

restituere, habetque se ad restitutionem, velut genus ad speciem: siquidem non solum fur v. g. restituens rem alienam, dicitur domino tribuere suum jus, seu constituere æqualitatem inter suum debitum, & jus activum domini; sed etiam Communitas, aut Princeps, dum munia, & bona communia distribuit inter cives; & hi, dum Communitati præstant, quæ præstare obligantur, in quantum sunt membra talis Communitatis; quod sufficit, ut etiam Justitia distributiva, & legalis in definitione Justitiæ ut sic comprehensæ censeantur; nam per ly *jus suum* in definitione non intelligitur determinate æqualitas inter debitum legale, & jus activum proprietatis, vel quasi proprietatis; sed æqualitas inter debitum legale, & jus activum, in quantum hoc a jure proprietatis, condignitatis &c. præscindit, & aliquid ipsis commune est.

321. Quæres, quid notandum circa Justitiam vindicativam?

Respondetur, Justitiam vindicativam (1.) esse veram, & quidem specialem virtutem, ab aliis virtutibus diversam; non tamen (2.) esse partem subjectivam Justitiæ, quæ constituat quartam speciem istius. Sanct-Gallenses *tom. 5. tr. 4. quæst. 5. in respons. ad 2. quæsit.* Seybold *in tr. de Prudent. & Jurisprud. part. 2. fol.* 155. & alii. Ratio primi est: quia per se decens est, malefactores puniri, & pœna per se congruit delicto, sicut laus, & præmium virtuti, atque honesto. Motivum autem speciale hujus virtutis est honestas æqualitatis inter pœnam, & delictum, ne hoc maneat impunitum, sed recipiat id, quod ipsi quodammodo debetur, hoc est, ut recipiat malum pœnæ pro malo culpæ, cui pœna debetur. Ratio secundi est: quia Justitia, proprie, & formaliter sumpta, ex conceptu suo intrinseco supponit jus activum in illo; erga quem exercetur: sed Justitia vindicativa in reo, erga quem exercetur non supponit jus activum (quis enim dicet, furi competere hujusmodi jus ad patibulum?) ergo Justitia vindicativa non est Justitia proprie, & formaliter sumpta; adeoque non est pars subjectiva Justitiæ; seu species, sed tantum pars ejusdem potentialis, quatenus per eandem constituitur aliqua æqualitas. Per quod tamen non negaverim, quin vindicatio valeat simul esse actus Justitiæ commutativæ, quatenus Judex verb. grat. habet obligationem rigorosam erga Rempublicam ex officio assumpto, ut secundum jurisdictionem suam acceptam puniat delinquentes, & erga ipsos delinquentes, ne eos puniat ultra condignum, Sed tunc una concurrit Justitia commutativa, adeo, ut actus vindicationis, physice unus, sit moraliter duplex, ad duas virtutes specie distinctas pertinens. Atque hoc, quod modo diximus de vindicatione, seu inflictione pœnarum, etiam de impositione onerum, puta tributorum, vectigalium &c. intelligendum, & applicandum venit: quia subditi similiter nullum habent jus activum ad talia onera, sed necessitatem ea subeundi &c.

CAPUT III.

De Vitio Virtuti Justitiæ opposito, sive de Injustitia & Injuria.

Cum oppositorum eadem sit disciplina; hinc postquam disseruimus de Virtute Justitiæ, in eadem hac disputatione etiam de Vitio eidem opposito, nempe de Injustitia, & Injuria, nonnulla afferemus.

ARTICULUS I.

Quid sit Injustitia? item quid, & quotuplex Injuria?

SUMMARIUM.

322. *Definitur Injustitia.* 323. *Definitur etiam, & dividitur Injuria in* verbalem, & realem &c. 324. *Potest quis etiam indirecte injuria affici.* 325. *Non licet retorquere injuriam realem, licet vero verbalem.*

322. Dico primo. Injustitia est *habitus inclinans ad lædendum jus alterius.* Adeoque vitium injustitiæ habet pro suo objecto injustum, sive inæquale, sicut virtus Justitiæ, cui opponitur, justum, sive æquale.

323. Dico secundo. Injuria est *violatio juris alieni.* Ita definitur a Theologis: quamvis aliter, magisque specifice accipiatur, & describatur a Juristis. Quare injuria distinguitur ab injustitia, sicut actus distinguitur ab habitu, cujus est actus. Dividitur in *verbalem*, & *realem*; *gravem*, & *levem*. Verbalis est, si verbo contumelioso, vel detractorio alterius præsentis, vel absentis honor, aut fama læditur; ut si vocatur fur, adulter, spurius &c. Huc reducitur injuria scripto illata, v. g. per epistolam, aut *carmen*, seu *libellum famosum*, quo nempe per scripturam omisso authoris nomine crimen, historia, aut aliud, in alterius ludibrium, vilipensionem, vel infamiam cedens, spargitur in vulgus. Pichler *lib. 5. tit. 36. n. 3.* Realis est, si facto, v. g. verberibus, pictura, gestu, violento domus, aut fundi introitu, vel alio actu aliquis ludibrio exponatur, aut lædatur. Injuria gravis est, quæ, spectata communi hominum complexione, secundum se apta est magnam contristationem causare, & amicitiam dissolvere: levis e diverso, quæ non sic est apta &c. Videatur La Croix *lib. 3. part. 2. n. 2.* Ex quo patet, gravitatem, vel levitatem injuriæ desumendam esse ex conditione personæ injuriantis, aut injuriatæ, ex ipsis verbis, vel factis, ex modo, loco, tempore &c. Super quo videri potest P. Pichler *in suo Cand. abbrev. lib. 5. tit. 36. n. 2.*

324. Quæres primo, an aliquis possit etiam injuria affici indirecte, & qualiter?

Respondetur, quod sic possit affici v. g. in personis sibi valde conjunctis, aut sub potestate constitutis. Sic injuriosa tractatio uxoris in maritum, filiifamilias in patrem, famuli, in domini negotio occupati, in dominum, Religiosi in Prælatum &c. redundat, c. 2. & 3. *Instit.* ac *l. 1. §. 3. ff. de Injur.* Reiffenstuel *lib. 5. tit. 36. n. 10.* & alii passim.

325. Quæres secundo, an liceat injuriam illatam retorquere, seu rejicere in injuriantem?

Respondetur. Non licet retorquere (1.) injuriam realem; licet vero (2.) verbalem, si retorsio fiat cum debito moderamine. Ratio primi est: quia injuria realis, postquam physice illata est, non amplius perseverat, ne quidem moraliter; ergo actio, qua retorquetur, non est defensio, sed mera ultio injuriæ jam omnimodis præteritæ: consequenter &c. Unde non licet verb. grat. accepto ictu adversarium repercutere. Ratio secundi est opposita: quia injuria verbalis, postquam physice illata est, adhuc perseverat moraliter; ergo actio, qua retorquetur, est vera defensio contra injuriam, omni Jure permissa, *arg. l. 3. ff. de J. & J.* Ant. ostenditur in exemplo; nam si alter te vocavit furem v. g. vel adulterum, in æstimatione hominum habere adhuc, post verba physice præterita, pro tali, qualis ab ipso proclamatus fuisti, nisi in continenti per retorsionem (vel aliud medium) eximas audientibus judicium, vel suspicionem objecti criminis. Quare salva conscientia illum poteris redarguere mendacii, etiam cum necessaria, & debitum moderamen non excedente exaggeratione, v. g. dicendo: tu mentitis ut fur, ut adulter &c. Engel *lib. 5. tit. 36. n. 25.* Konig *ibid. n. 18.* VViestner *ibid. n. 16.* & alii passim. Porro moderamen debitum observatur, si retorsio fiat incontinenti, postquam innotuit contumelia: si non objiciatur crimen longe gravius, vel longe diversum ab eo, quod objecit injurians; vel non serviens ad tollendam, aut minuendam injuriam: si pariter per verba, & non per verbera, vel schedam affixam, rejiciatur injuria. Quod moderamen omnino observandum est, sicut in defensione vitæ, bonorum fortunæ &c. Videatur Reiffenstuel *loc. cit. a numer. 33.*

ARTICULUS II.

An scienti, & volenti possit fieri injuria?

SUMMARIUM.

326. *Voluntas cessiva juris alias est* efficax, *alia* inefficax. 327. & 328. *Prior impedit injuriam non posterior: prout* 329. *ostenditur exemplis.* 330. *Solvitur objectio.* 331. *Interemptor hominis duplicem patrat injuriam.*

326. Præ-

326. PRænotandum, voluntatem propriam cessivam juris aliam esse *efficacem*, aliam *inefficacem*. Prior est, quæ neque ex natura sua, v. g. ex defectu sufficientis cognitionis, neque ex dispositione Legum, redditur invalida, vel infirma. Posterior est, quæ alterutro modo invalidatur, vel infirmatur: sicut in pluribus casibus invalidatur voluntas pupilli, minorennis, filiifamilias &c. adeo, ut non possint abdicare jus suum, esto velint; quia resistunt Leges ob bonum Reipublicæ. Nunc

327. Dico primo. Consentienti voluntate, efficaciter cessiva juris, non potest fieri injuria. Ita DD. communissime.

Probatur tum *ex Reg. 27. de R. J. in 6.* ibi: *Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus.* Quæ Regula juxta communem Interpretum intelligenda venit de consentiente efficaciter; prout habet La Croix *loc. cit. n.* 4. Tum ex ratione: siquidem injuria non fit, nisi in altero jus resistat: sed quando alter efficaciter cessit jure suo, jus non resistit: cum pro tali actu moraliter non existat, utpote sublatum, vel suspensum; ergo &c.

328. Dico secundo. Consentienti voluntate, inefficaciter tantum cessiva juris, potest fieri injuria. La Croix *loc. & n. immediate citt.* Babenstuber *tr. 7. disp. 1. art. 1. n.* 24. & alii de facto satis communiter.

Probatur. Quia tandiu locum habet violatio juris alieni, seu injuria, quandiu in altero manet jus, & obligatio juris: sed manet in altero jus, & obligatio juris, quando consentit voluntate inefficaciter tantum cessiva juris; ergo &c. Maj. est certa, & liquida ex terminis. Min. ostenditur, & declaratur: siquidem voluntas, inefficaciter tantum cessiva juris, non operatur reipsa cessionem juris; imo moraliter loquendo perinde se habet, ac si non adesset; ergo sicut manet jus, ejusque obligatio, quando nulla adest in altero voluntas cessiva juris, ita & manet, quando adest voluntas, solum inefficaciter cessiva juris,

329. Hinc 1. Clerico fit injuria a percussore, licet in sui percussionem consentiat. *c. 36. de Sent. excom.* quia consensus ejusmodi est inefficax; cum Clericus non possit cedere privilegio, vi cujus eximitur ab injuriosa percussione, quippe principaliter concesso in favorem totius Status Clericalis. 2. Marito infertur injuria tam ab adultero, quam adultera, licet consentiat in adulterium uxoris: quia & talis consensus est inefficax, & moraliter nullus; eo quod fides, & obligatio matrimonii, utpote Juris naturalis, & Divini, non sit subjecta voluntari conjugum, sed irremissibilis. 3. Viator, qui metu mortis adactus, præbet latroni vestem, patitur ab eo injuriam: quia voluntas, qua vestem præbet, cum sit metu injusto extorta, destituitur perfecta libertate morali, estque vel invalida, vel saltem infirma, juxta diversitatem sententiarum: de quo in *tr. 3. hujus part. disp.* 1. Imo ipsa incussio gravis metus tunc est injuria tam in se, quam in suo effectu. 4. SS. Martyribus, quantumvis volentibus mortem, irrogata est injuria ab occisioribus: quia promptitudo illa, qua cruciatus, mortemque ipsam acceptarunt, erat mera permissio injuriarum, queis afficiebantur; non autem voluntas positive, & efficaciter cessiva juris præhabiti ad usum vitæ: imo talis esse non potuit; cum jus, quod homo ad usum vitæ obtinet, sit inabdicabile respectu ipsius. Unde in S. Script. *Sap.* 7. Martyribus tribuitur actio injuriarum contra tortores in extremo Judicio. Et licet SS. Martyres positive consensisset in sui interemptionem, consensus tamen ille fuisset solum concomitans; quia tortores volebant inferre mortem etiam non consentientibus: consentienti autem voluntate solum concomitante adhuc fit injuriam; prout ostendit La Croix *loc. cit. n.* 12. & nos dicemus infra *n.* 336.

330. Objicies nunc contra conclus. Subditus exercendo actionem, in cujus exercitium Superior consentit, non fit inobediens; ergo neque fit quis injurius exercendo actionem, in cujus exercitium alter consentit.

Respondetur, dist. ant. Si Superior consentiat consensu efficaci, seu efficaciter cessivo juris, quod habet ad exercitium actionis impediendum, con. secus, neg. ant. & sub data distinctione conf. Nam si Episcopus v. g. hodie prohibeat laborem servilem, & S. Pontifex antecedenter ipsi absolute restrinxerit potestatem ejusmodi prohibitionem semel inductam relaxandi, subditus dioecesanus, tali die laborans, censetur omnino committere actum inobedientiæ, cum agat contra legitimam prohibitionem sui Superioris semel prolatam, nec valide revocatam.

331. Colliges, quod interemptor hominis, in sui interemptionem consentientis, inferat injuriam Deo, seu vitæ humanæ Domino, & ipsimet homini, quem interimit, quippe habenti jus ad usum suæ vitæ, una cum vita ex Dei voluntate inabdicabiliter acquisitum, ut proinde per consensum in sui interemptionem tali jure efficaciter cedere non valeat, nec injuriam impedire. La Croix *loc. cit. n* 9. & ipso teste, alii. Interim injuria, quæ in dicto casu irrogatur homini, subordinatur injuriæ, quæ irrogatur Deo, & unum cum ista peccatum constat: prout relinquitur ex alibi dictis.

C A P U T IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

332. *Illyrius per complures annos tributa, & vectigalia defraudando peccavit contra Justitiam legalem, & commutativam.* 333. *Joannes Episcopus impegit contra Justitiam distributivam, & commutativam, dum pecunias, Seminarii Alumnis pro cujusque inopia vel merito ex voluntate Legantis distribuendas, distribuit æqualiter, non habita ratione inopiæ, vel meriti.* 334. *Josephus, Reipublicæ secularis Gubernator, an, & quantum peccare censendus sit, dum officia secularia subinde confert indignis, subinde minus dignis, præteritis dignioribus?* 335. *Irenæus mercator committit crimen falsi, & peccat contra Justitiam commutativam, expendendo monetas adulterinas pro mercibus comparandis.* 336. *Idiota commisit peccatum furti auferendo aureum Ismaeli inscio, paratus adhuc auferre, licet Ismaeli nullatenus consentiret; qui tamen consensit, Idiota ignorante.*

C A S U S I.

332. *Illyrius, prædives rusticus, per annos sat multos, ubicunque potuit tributa, & vectigalia defraudavit. At tandem pluribus infortuniis obrutus, & a Deo varie castigatus, suspicionem concipit, ejusmodi infortunia sibi immissa esse ob infidelitatem, ac injustitiam erga suum Dominum territorialem in defraudatione tributorum, & vectigalium commissam. Quare se ad Confessarium confert, sua eidem infortunia, & calamitates gemebundo pectore enarrat, causamque, in quam forte referenda sint fideliter exponit. Quæritur, an Illyrius defraudatione tributorum, & vectigalium peccaverit contra Justitiam, eamque tam legalem, quam commutativam?*

RESpondetur affirmative, supposito, quod tributa illa, & vectigalia sint justa, atque imposita verbis præceptivis immediate ad eorum solutionem directis. Ita DD. communiter. Ratio est: quia vi Justitiæ legalis membra Communitatis tenentur concurrere ad sublevandas communes necessitates Reipublicæ; vi commutativæ vero subditi debent suo Domino territoriali sustentationem, & redditus congruos propter onera, & curam boni publici; quod utunque præstant per dationem tributorum, & vectigalium: sed Illyrius est membrum Communitatis, & subditus sui Domini territorialis; ergo huic tenetur dare tributa, & vectigalia tam vi Justitiæ legalis, quam commutativæ; ergo ea defraudando contra Justitiam tam legalem, quam commutativam peccat, seu peccasse censendus est in Casu; idque mortaliter, quia defraudatio erat notabilis: consequenter obligatur ad restitutionem, quatenus una læsit Justitiam commutativam. Revideantur, quæ diximus *part. 1. numero* 358.

CASUS II.

333. *Joannes Episcopus, & S. R. Imperii Princeps, fundaverat pro pauperibus Studiosis Seminarium sat bene dotatum. Sed quoniam Studiosorum, de communi massa Seminarii participantium, copia successu temporis creverat, vix amplius congrua singulis sustentatio suppeditari poterat. Quod ubi inaudiit opulentus quidam Canonicus, testamento suo legavit centum aureos, Seminarii Alumnis pro cujusque inopia, vel merito distribuendos: quam tamen rationem non attendens Episcopus, legatam pecuniam inter Alumnos distribuit, singulis attributa portione æquali, esto eorum inopia, & meritum existeret inæquale. Quæritur, an, & qualiter Episcopus impegerit contra Justitiam?*

RESpondetur, quod Episcopus memoratos centum aureos sic distribuendo impegerit contra Justitiam distributivam, & commutativam; adeoque peccaverit duplici peccato: nisi forte voluntatem testatoris ex urgente causa (quod Episcopis aliquando permissum est) commutaverit. Ita Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. *ad* 3. Lessius *de J. & J. c.* 1. *dub.* 4. *n.* 23. & alii. Ratio est: quia sic distribuendo nec observavit proportionem geometricam; quod erat impingere contra Justitiam distributivam: nec proportionem arithmeticam; quod erat impingere contra Justitiam commutativam; ergo &c. Ant. prob. & declaratur. Priorem nanque proportionem non observavit; quia pecunia illa erat bonum, Communitatis, seu Seminarii membris pro cujusque inopia, ac merito distribuendum; quod Distributor non fecit, cum non comparaverit inopiam ad inopiam, & meritum ad meritum, sed juxta suum libitum singulis dederit portionem æqualem. Posteriorem vero proportionem non observavit; quia eadem pecunia erat bonum quoddam ex voluntatem testatoris singulis Seminarii Alumnis jam suo modo appropriatum; imo stricto jure debitum, & dandum habita reflexio ad cujusque inopiam, & meritum; quod Distributor itidem non fecit. Ergo &c. Confirmatur, & declaratur amplius. Quando Justitia distributiva in sui functione includit Justitiam commutativam, & violatur, impingitur contra utranque; sed ita includebat in Casu posito; ergo &c. Maj. est innegabilis. Min. liquet ex immediate dictis: hoc ipso enim, quod testator voluerit servari proportionem inopiæ ad inopiam, & meriti ad meritum, singulis implicite assignavit certam summam penuniæ juxta memoratam proportionem; quæ proinde summa singulis debebatur vi Justitiæ commutativæ, cum quilibet acquisierit jus strictum per tale legatum, simulque intercesserit pactum saltem implicitum Episcopi Distributoris cum legante sic, & non aliter; ergo &c. Ex quo fit, ut Distributor in Casu contra Justitiam tam distributivam, quam commutativam impegerit, peccaveritque duplici peccato, eoque gravi, si inæqualitas in distribuendo fuerit notabilis. Fit præterea, ut Distributor vi Justitiæ commutativæ læsæ teneatur cuilibet, cui minus, ac dare tenebatur, dedit, restituere ad justam portionem: haud secus, ac si testator in particulari reliquisset, & assignasset uni Studioso, v. g. Petro, decem aureos; & alteri, v. g. Paulo, similiter decem; Distributor vero quilibet dedisset solum quinque.

CASUS III.

334. *Josephus Reipublicæ secularis Gubernator, officia, quorum distributio ad ipsum pertinet, confert subinde indignis, subinde minus dignis, posthabitis dignioribus. Occasione hujus Casus quæritur* 1. *Quid sit acceptio personarum, quænam ad eandem requirantur, & quando intervenire possit, ac soleat?* 2. *An, & quantum Josephus per commemoratas officiorum distributiones peccare censendus sit?*

RESpondetur primo ad primum. Acceptio personarum est *vitium injustitiæ, quo id, quod dandum esset secundum merita personæ, vel causa, datur secundum aliquas conditiones (vel conditionem) personæ, impertinentes ad negotium.* Ita P. Mezger *tr.* 13. *disp.* 47. *art.* 2. *n.* 1. Unde ad hoc tale vitium tria requiruntur. Primum est, ut bona, quæ dantur, seu distribuuntur, aliquo modo sint communia, saltem ex destinatione distribuentis: ut siquis institueret ludos propositis præmiis, & postmodum ea præmia non distribueret victoribus, & promeritis, sed amicis suis, vel adulatoribus, diceretur acceptor personarum. Secundum est, ut distributor subeat obligationem (saltem consequentem, puta ex propria voluntate ortam; ut in casu proxime adducto) illiusmodi bona distribuendi; nam in distributionibus mere gratuitis locum non habet acceptio personarum proprie dicta, & quæ sit vitium injustitiæ; ut de se patet. Tertium est, ut in distribuendo spectetur aliqua conditio, aut qualitas personæ nihil ad distributionem faciens, ob quam unus alteri præfertur: v. g. si distributio officii requirat hominem doctum, ac peritum, & promoveatur aliquis indoctus, ac imperitus; quia est nobilis, vel dives, vel consanguineus, vel adulator; vel quia munera obtulit, aut potenti patrocinio pollet &c. Porro personarum acceptio intervenire potest, & solet tam in-quam extra Judicium. Intra Judicium intervenit, quando Judex partibus præpostere jus dicit: etsi enim jus dicere sit actus Justitiæ commutativæ, quatenus ex officio debitum est; tamen quatenus fit inter duos, sortitur modum, & rationem Justitiæ distributivæ; jus enim est quoddam bonum commune distribuendum partibus, in cujus distributione si Judex præpostere procedat, puta aliquid impertinens, & non mera causarum merita respiciendo, delinquit insuper contra Justitiam distributivam, & acceptor personarum efficitur. Extra Judicium intervenit acceptio personarum in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, & in electione, ac præsentatione ad illa; in collatione officiorum secularium; cujusmodi sunt officia Consulis, Senatoris, Prætoris, Consiliarii, Judicis, Quæstoris &c. si nimirum ejusmodi Beneficia, vel officia conferantur, & distribuantur non secundum merita, sed secundum qualitates personarum ad collationem, & distributionem nihil facientes. Intervenire prætetea potest in distributione onerum, v. g. tributorum; ut si tanta imponuntur pauperibus, quanta divitibus. Ita P. Seybold *loc. cit. fol.* 146. *& seqq.* aliique passim. Nunc

Respondetur secundo ad secundum. Josephus peccat mortifere contra Justitiam non solum (1.) distributivam, sed etiam (2.) commutativam, conferendo officia indignis. Ita communis. Ratio primi est; quia in re gravi committit acceptionem personarum; prout elucescit ex proxime dictis. Ratio secundi est: quia Josephus ex debito officii tenetur lege Justitiæ procurare Reipublicæ ministros idoneos; sicut Oeconomus, cui gubernatio domus commissa est, tenetur ex officio conducere operarios, & famulos idoneos suo Domino: quæ obligatio est ex Justitia commutativa; sicut ex eadem Justitia tenetur Josephus Rempublicam recte administrare, & damna ejus, quantum commode potest, impedire: quod tamen non facit, dum ejusdem officiis ministros indignos præficit; ut patet; ergo &c.

Ex quo fit, ut Josephus teneatur Reipublicæ ad restitutionem, & compensationem damnorum, quæ ex simili collatione in illam redundant, nisi ipse Officialis indigne promotus faciat restitutionem; non vero teneatur ad restitutionem dignis, vel dignioribus in collatione officii præteritis. Ratio primi est; quia Josephus gubernationem Reipublicæ, cui annexa est distributio officiorum, in se suscepit cum obligatione ex pacto, saltem tacito, orta, ut Rempublicam conservet indemnem, seu immunem a damnis, qualia in eandem vel maxime resultant ex promotione Officialium indignorum; ergo dum hujuscemodi obligationem non observat, seu prævaricatur, peccat contra Justitiam commutativam, violando jus rigorosum Reipublicæ; consequenter &c. Ratio secundi est: quia personæ particulares, ut ut dignæ, non habent jus rigorosum, ut ipsis conferantur officia, sed tantum jus condignitatis, ut præferantur indignis: ex cujus juris læsione non oritur obligatio restituendi; prout videbimus *tr. seq. n.* 339.

Respondetur tertio. Josephus etiam mortifere peccat, dum officia confert minus dignis, posthabitis dignioribus, sive dein id fiat (1.) per concursum, sive (2.) sine isto. Per *concursum*, seu *oppositionem expectativam*, ut alii vocant, fit, quandoante collationem officii plures candidati ad examen vocati concurrunt,

sibique

sibique opponuntur, ut, qui dignior fuerit inventus, officium consequatur. Primam partem tenet communissima DD. Ratio est: quia, peracto examine, ille, qui dignior inventus est, jam habet jus, & quidem rigorosum, ut reliquis præferatur, ex tacito pacto cum Candidatis, & Collatore officii; nam ideo examen subiit. Unde si Collator officium nihilominus conferat alteri, licet vere digno, graviter peccat non solum contra Justitiam distributivam, sed etiam commutativam, haud quidem relate ad Rempublicam, cum hujus nullum jus lædat, nec (ut supponitur) eidem aliquod damnum accersat; sed relate ad Candidatum, qui in examine prævaluit, & ceteris inventus est magis idoneus; cujus proinde jus rigorosum Collator lædit, & tenetur ad restitutionem ei (non Reipublicæ) faciendam. Secundam responsionis partem tradunt Salonius Arragonius, Turrianus, Valentia, Vega, Rebellus, Diana, Reginaldus, Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 32. dubit. 3. n. 15.* & mordicus P. Seybold tum *in Dicæomachia fol. 73. n. 13.* tum *in tr. de Prudentia, & Jurisprud. fol. 149. & seqq.* Quibus & ego adstipulor, eo quod eorum sensa Juri naturali, & dictis *in part. 3. n. 419.* videantur conformiora. Ratio est: quia Collator officii facit injuriam digniori, dum ei præfert minus dignum; majus enim jus habet, qui est aptior, licet hæc non sit injuria consistens in violatione Justitiæ commutativæ, & juris rigorosi, ac proinde non obliget ad restitutionem, sed in violatione Justitiæ distributivæ, cujus jus situm est in majori aptitudine, & proportione ad bonum distribuendum. Peccat præterea Collator contra fidelitatem Reipublicæ debitam, qua tenetur ipsi procurare, si possit, ministros maxime idoneos; sicut Oeconomus tenetur suo Domino conducere operarios, & ministros maxime aptos. Nam Administrator Reipublicæ, dum administrationem suscipit, censetur ad duo se obligare. 1. Ad curandum, ut sua negligentia nullum damnum detur; & ad hoc se obligat titulo Justitiæ commutativæ, ita ut teneatur Reipublicæ ad restitutionem, si id non præstiterit. 2. Ad commoda ejus in omnibus, quantum commode poterit, promovenda; & ad hoc se obligat titulo Fidelitatis; siquidem licet, qui officium instituit, non censeatur alterum obligare ex Justitia ad diligentiam extraordinariam; tamen mens ipsius est, ut officium suum, quod instituit, quam optime administretur, & hoc censetur suscipiens, seu Administrator promittere; adeo, ut si promissis non stet, prout non stat, dum Reipublicæ non præficit Officiales dignissimos, contra Fidelitatem graviter peccet, supposito, quod officia, quæ confert minus dignis, sint majoris momenti; ut officia Secretarii, Consiliarii, Thesaurarii, Quæstoris &c. atque excessus aptitudinis in aliis candidatis existat notabilis: quamvis ad nullam restitutionem obligetur, si damnum Reipublicæ datum non sit.

Dices. Contrarium huic doctrinæ practicatur sine scrupulo.

Respondetur, dist. assumpt. Et hoc fit, quia etiam opposita sententia censetur probabilis, con. secus, neg. Nostra sententia probabilior est, & Juri naturali conformior; licet opposita non careat probabilitate, & sæpius in praxim deduci soleat.

CASUS IV.

335. *Irenaus mercator, nuper annis in nundinis graviter deceptus est, dum pro divenditis mercibus complures monetas adulterinas pro genuinis, stanneas, vel plumbeas pro argenteis, recepit: cumque in notitiam emptorum, a quibus receperat, & damni compensationem reposceret, venire amplius non posset, easdem monetas tanquam genuinas pro comparandis novis mercibus tradidit aliis mercatoribus. Occasione istius Casus quæritur 1. Quid sit crimen falsi, & quot, ac quibus modis contingat? 2. Num Irenaus tale crimen commiserit? 3. An peccaverit contra Justitiam commutativam & obligetur ad restitutionem?*

Respondetur primo ad primum. Crimen falsi est *immutatio veritatis dolose facta in prajudicium alterius.* Ita P. Schmier *lib. 5. tr. 2. c. 3. n. 74.* Contingit autem quatuor sequentibus modis. 1. Dicto, vel verbis; ut si testis in Judicio scienter deponat falsum: si Advocatus causam sui clientis prodat adversario, veras probationes, aut exceptiones dissimulando, & falsas admittendo: si Judex per munera corruptus sententiam iniquam proferat &c. 2. *Scripto*, vel *per scripturam*: ut si Notarius conficiat instrumentum, vel testamentum falsum: siquis alienum instrumentum vitiet, vel supprimat; alienum chirographum, aut manum imitetur: sigillum adulterinum faciat, vel adhibeat: referet literas publico Magistratus sigillo munitas: falsificet literas (& si fuerint Papales, præter crimen falsi, incurrit excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ &c.) 3. *Facto*, vel *re*; ut siquis sine legitima authoritate cudat monetas, vel ex materia adulterina: si falsificet merces, pondera, vel mensuras: si limites transponat in agris, vel pratis: si supponat alienum partum &c. 4. *Usu*, vel potius *abusu*; ut siquis falsitate ab aliis conficta utatur, v. g. proferendo instrumentum falsum: Leges, aut probationes falsas producat in Judicio: dolose colligat, & exponat monetas adulterinas: nomen, vel insignia alienæ Familiæ usurpet &c. Ita Author *cit.* ex variis Legibus: ubi etiam *numer.* 80. recenset pœnas in ejusmodi falsarios statutas.

Respondetur nunc secundo ad secundum, & tertium. Irenæus in primis commisit crimen falsi, modo ex recensitis quarto acceptum: quia scienter expendit monetas adulterinas in præjudicium aliorum innocentium. Nec refert, quod & ipse deceptus fuerit in ejusmodi monetarum receptione: siquidem inde solummodo sequitur, quod crimen falsi ab ipso tunc non fuerit commissum; haud vero, quod non sit commissum postea, ubi easdem monetas, quas cognovit adulterinas, tanquam genuinas expendit in præjudicium aliorum innocentium. Deinde peccavit Irænæus mortaliter contra Justitiam commutativam, & obligatur ad restitutionem faciendam illis, quos injuste damnificavit: quia grave (ut Casus supponit) damnum iisdem scienter, & mala fide intulit, non aliter nisi restitutione reparandum. Imo tametsi Irenæus processisset bona fide, v. g. invincibiliter existimando, sibi licitum esse monetas illas adulterinas expendere tanquam genuinas, eo quod & ipse ut tales accepisset, adhuc obligaretur ad restitutionem, non quidem ratione injustæ acceptionis, vel damnificationis, cum tunc formaliter non deliquisset; sed ratione rei acceptæ, id est, ratione mercium ab illis mercatoribus sibi comparatarum. Verum de hoc magis dilucide *in tr. seq. disp. 2. c. 2.* Ita Laymann *lib. 3. tr. 3. part. 1. c. 5. n. 6.* alii communiter.

CASUS V.

336. *Idiota abstulit Ismaeli inscio, alias bono suo amico, aureum, paratus adhuc auferre, tametsi Ismael in ablationem nullatenus consentiret: sicut & credidit, ipsum tunc non consentire. Facta vero ablatione rescivit, quod Ismael eodem tempore in ablationem eatenus consenserit, quatenus voluit, aureum illum esse Idiota. Quaritur, an Idiota consensum hunc talem Ismaelis ignorando, & nihilominus aureum auferendo, actum injuriosum, videlicet furti, commiserit?*

Respondetur affirmative. Ita Maurus *de Just. q. 186. a n. 17.* La Croix *loc. cit. n. 11.* & alii communius. Ratio est: quia consensus concomitans Ismaelis non erat efficaciter, & effective cessivus juris in aureum; ergo per hujus ablationem adhuc passus est injuriam. Cons. fluit ex dictis *n. 328.* Ant. ostenditur: quia Ismael haud voluit, ut aureus ille esset Idiotæ in sensu composito talis animi, quo is paratus erat aureum sublegere, licet Ismael non consentiret; sed solum voluit, ut ex suo consensu in ejus dominium transiret; ergo consensus Ismaelis non erat efficaciter cessivus juris in aureum. Confirmatur. Idiota non potuit citra injuriam auferre aureum Ismaeli sine hujus licentia prævie acceptata: atqui licentia Ismaelis, ab Idiota prævie acceptata, non aderat: veluti patebit consideranti Casum; ergo &c. videatur La Croix *loc. & n. cit.*

TRACTATUS SECUNDUS, DE RESTITUTIONE.

NUnc de gemino Justitiæ actu, Restitutione scilicet, & Contractu, agendum venit. Et quidem de priore in hoc *tr.* sermo erit; de posteriore autem *in tr.* proxime secuturo.

DISPUTATIO I.

De Restitutione in genere.

DUas duntaxat in præsenti Tractatu Disputationes adornabimus, quarum prima Restitutionem in genere, altera eandem in specie Lectoribus exhibebit.

CAPUT I.

De Natura, & Necessitate Restitutionis.

ARTICULUS I.

Quid sit Restitutio, & cujusnam Justitiæ actus?

SUMMARIUM.

337. & 338. *Restitutionis definitio, & differentia tum a solutione, tum a satisfactione.* 339. *Restitutio est actus proprius solius Justitiæ commutativæ.* 340. & 341. *Diluuntur argumenta opposita.* 342. *Quandonam Justitia distributiva in sui functione includat commutativam?* 343. *An restitutio semper supponat injuriam saltem materialem?*

337. DIco primo. Restitutio est *rei acceptæ redditio* (sive in individuo, sive in æquivalenti) *vel damni illati compensatio secundum arithmeticam æqualitatem.* Ita DD. reipsa communiter, & promitur ex D. Thoma 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. ubi ait, restituere esse *aliquem iterato statuere in possessionem, vel dominium rei suæ.* Intelligentia porro terminorum, in definitione collocatorum, partim de se patet, partim patebit ex jam jam dicendis.

338. Colliges, restitutionem differre tum a solutione, tum a satisfactione. A solutione differt, quatenus non omnis solutio est proprie restitutio, nec vicissim; qui enim reddit aliquid ex voto, juramento, charitate, aut misericordia debitum, solvere, non autem restituere; & e contrario, qui reddit pignus, depositum, commodatum, restituere, non autem solvere dicitur: restitutio enim postulat, ut res quodammodo sit eadem vel in se, vel in æquivalenti; solutio vero, ut sit diversa. A satisfactione differt 1. quod satisfactio sit quid generalius restitutione; cum significet solutionem cujuslibet debiti, sive id sit ex præcepto Justitiæ, sive alterius cujuscunque virtutis: quod de restitutione affirmari non potest. 2. quod satisfactio, proprie, & specifice accepta, præcipue respiciat personam, sitque amica hujus reconciliatio per obsequium, petitionem veniæ, & similia; restitutio vero, proprie accepta, respiciat præcipue rem; cum sit rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio &c.

339. Dico secundo. Restitutio est actus proprius solius Justitiæ commutativæ. DD. communiter contra paucos.

Probatur. Quia per restitutionem procuratur æqualitas arithmetica inter datum, & acceptum, vel damnum, ejusque reparationem; prout fluit ex definitione restitutionis: atqui ea talis procuratio est actus proprius solius Justitiæ commutativæ, non vero communis etiam Justitiæ distributivæ, aut legalis, multo minus alicujus alterius virtutis; ergo &c.

Confirmatur, & declaratur. Restitutio supponit jus rigorosum alterius secundum æqualitatem arithmeticam reparandum; ergo est actus proprius solius Justitiæ commutativæ, non vero communis etiam Justitiæ distributivæ, aut legalis. Ant. constat ex dictis. Cons. ostenditur. Nam bona distribuenda a Communitate suis membris, ante distributionem sunt penes Communitatem; & bona contribuenda a membris Communitati, ante contributionem sunt adhuc membrorum; ergo nec membra Communitatis ad bona sibi distribuenda a Communitate, nec Communitas bona sibi contribuenda a membris, obtinet jus rigorosum: consequenter &c.

340. Objicies primo. Si Cajus a consecutione Beneficii, v. g. impediat Titium vi, vel fraude, tenetur ad restitutionem; ergo etiam si impediat iniqua distributione.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod Titius habeat jus rigorosum, ne per vim, vel fraudem impediatur a consecutione Beneficii, licet de se non debiti jure rigoroso; non vero habeat jus rigorosum, ne impediatur per iniquam distributionem, seclusa vi, & fraude, ut fluit ex proxime dictis. Unde in casu antecedentis læderetur jus rigorosum alterius, & inferretur injuria rigorosa, inductiva obligationis ad restituendum; non item in casu consequentis.

341. Objicies secundo. Ex dictamine Juris naturalis obligatur quis amoliri, ac reparare injuriam a se alteri illatam: sed etiam per violationem Justitiæ distributive infertur alteri injuria; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Injuriam rigorosam, & quæ sit contra jus rigorosum alterius, con. injuriam non rigorosam, seu quæ non sit contra jus rigorosum alterius, neg. maj. Dist. similiter min. Per violationem Justitiæ distributivæ infertur alteri injuria prioris generis, neg. posterioris generis, con. min. & neg. cons. Itaque ex violatione Justitiæ distributivæ *præcise* non oritur obligatio restituendi; licet grave possit esse peccatum ex oppositione cum hac virtute. Cum enim ex jam dictis ante distributionem nullum jus rigorosum competat homini privato ad bona distribuenda, utpote quod primum acquirit post distributionem, non obligabitur iniquus distributor illi quidpiam restituere.

Dixi notanter: *præcise &c.* Sæpe enim contingit, ut simul lædatur Justitia commutativa; sic siquis ex pacto, & contractu constituatur distributor, ut secundum æqualitatem geometricam, seu juxta dignitatem personarum officia, vel beneficia distribuat; tunc contrarium faciendo peccabit contra Justitiam commutativam propter pactum initum cum Republica, & contra distributivam respectu personarum privatarum: unde obstringitur ad restitutionem, si officia, vel beneficia indignis conferat, non quidem faciendam dignis prætermissis, quippe nullam rigorosam injuriam passis; sed Reipublicæ, cui stricte dictam injuriam intulit, eamque damnosam, contra pactum, & Justitiam commutativam. Sed occasione hujus non abs ratione

342. Quæres primo, quandonam Justitia distributiva in sui functione includat commutativam?

Respondetur cum Lessio *lib.* 2. *cap.* 1. *dubit.* 4. *n.* 23. quod tunc includat, quando fit distributio rerum, quæ stricto jure debentur. Exemplum omnino luculentum attulimus supra *n.* 333. At vero non includit, quando fit distributio rerum, quæ stricto jure non debentur secundum conditionem personarum: prout evenit in distributione beneficiorum, & officiorum, quæ quidem debent conferri dignioribus, vel saltem dignis, absque eo tamen, quod isti habeant jus strictum, seu rigorosum. Excipe: nisi institutus sit prævie concursus. Hoc quippe casu instituens concursum fecit contractum quendam innominatum, dandi scilicet beneficium, vel officium illi, qui, omnibus pensatis, fuerit inventus dignior; ut proinde hic talis ad collationem beneficii, vel officii, sibi faciendam jus rigorosum habeat, & collator, si alium prætulerit, peccaverit etiam contra Justitiam commutativam, teneaturque digniori prætermisso ad restitutionem. Excipe insuper: nisi distributor teneatur ex pacto beneficia conferre juxta dignitatem personarum: quia & hoc casu cum Justitia distributiva concurrit simul commutativa, & si fuerit læsa, obstringit, ad restitutionem, haud quidem faciendam dignis, vel dignioribus, ut in casu concur-

fus,

sus, sed Communicati Ecclesiasticæ, vel Seculari, secundum dicta *n. præced.* P. Viva *super prop.* 47. *ex damnatis ab Innoc. XI. n.* 18. & alii passim.

343. Quæres secundo, an restitutio semper præsupponat injuriam, seu violationem Justitiæ commutativæ saltem materialem?

Respondetur, negative. Ita P. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 4. *art.* 1. *n.* 1. & alii. Ratio est: quia redditio commodati v. g. depositi, pignoris &c. est vera restitutio, etiam quando tempore præfixo, & debite fit; cum sic res aliena suo reddatur domino per actionem positivam reddentis: atqui illa redditio sic facta nullam præsupponit injuriam, vel violationem, etiam materialem tantum, Justitiæ commutativæ; ergo &c. Quare restitutio semper quidem, & necessario præsupponit in altero, cui facienda est, jus rigorosum, non tamen semper, & necessario ejusmodi juris læsionem præcedentem &c.

ARTICULUS II.

An Restitutio sit necessaria ad salutem necessitate solius præcepti, an tale præceptum sit affirmativum, vel negativum?

SUMMARIUM.

344. *Restitutio est ad salutem necessaria necessitate solius præcepti.* 345. *Tale præceptum est Naturale, Divinum, & Humanum.* 346. *Fit corollarium contra erroneam persuasionem plebis.* 347. *Præceptum restitutionis est affirmativum.* 348. *&* 349. *Respondetur ad argumenta contraria.* 350. *Licet præceptum restitutionis explicite sit affirmativum, pertinens ad partem prosecutivam Justitiæ, & soleat appellari simpliciter affirmativum; implicite tamen est etiam negativum, pertinens ad partem aversivam Justitiæ. Porro sub utraque ratione nascitur ex præcepto,* non furtum facies.

344. Dico primo. Restitutio non est necessaria ad salutem (1.) necessitate medii, sed (2.) solius præcepti. Ita concors DD. sententia.

Probatur prima pars conclus. Siquidem illud dicitur necessarium ad salutem necessitate medii, quod etiam inculpabiliter omissum impedit a consecutione ultimi finis, secundum dicta *part.* 2. *n.* 16. atqui restitutio inculpabiliter omissa non impedit a consecutione ultimi finis; ergo restitutio non est necessaria ad salutem necessitate medii. Min. evincitur ex eo: quod dentur causæ excusantes a restitutione; prout videbimus infra *c.* 4. non enim excusarent, si nihilominus propter inculpabilem omissionem restitutionis incurreretur æterna damnatio.

Probatur etiam secunda pars conclus. Illud dicitur necessarium ad salutem necessitate solius præcepti, quo culpabiliter non habito nequit homo obtinere salutem, esto hanc obtinere queat, si illud non habeat inculpabiliter; prout itidem constat ex dictis *part.* 2. *n.* 16. sed homo culpabiliter non habita, seu omissa restitutione (subintellige: in materia, aut puncto notabili) nequit obtinere salutem, esto hanc obtinere queat, si illam omittat inculpabiliter; uti fluit ex probat. primæ partis ergo restitutio est necessaria ad salutem necessitate solius præcepti.

345. Porro restitutionis præceptum est Naturale, Divinum, & Humanum. Quod sit naturale; ostenditur ex illo principio, cujuslibet naturæ indito: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; & quod tibi vis fieri, alteri quoque feceris: atqui nolumus nos lædi in bonis, aut juribus nostris, & quando læsi fumus, læsionem reparari volumus; ergo &c. Confirmatur. Jure naturali jubemur alteri innocenti non inferre damnum; ergo etiam illatum non continuare; continuatur autem, si non fiat restitutio: consequenter &c. Quod idem præceptum etiam sit Divinum, sumitur *ex S. Script. Tob.* 2. ubi Tobias, quando vocem balantis hædi, quem uxor illius domum detulerat; audivit, dixit: *videte, ne forte furtivus sit; reddite eum dominis suis*. Et *Ezechiel* 33. ubi Deus ab illo, qui veram agit pœnitentiam, exigit, ut rapinam restituat, si suorum peccatorum veniam consequi velit. Quod denique etiam sit humanum, promitur *ex c.* 10. *caus.* 12. *q.* 2. & *capit.* 1. *caus.* 14. *q.* 6. ubi S. Augustinus: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si (ut dixi) restitui possit.*

346. Colliges, quod restitutio non sit ita ad salutem necessaria, ut animæ defunctorum detineantur in purgatorio, donec ab eorum hæredibus fiat restitutio: quemadmodum homines plebei non raro sibi persuadere solent. Babenstuber *loc. cit. n.* 10. Elbel *de Restit. n.* 26. & alii communiter. Ratio est: quia vel defunctus, quando vivebat, fecit, quantum potuit, & debuit sub mortali facere ad præceptum restitutionis implendum, vel non fecit? Si secundum; credendus est non esse in purgatorio, sed ardere in inferno, unde nulla redemptio. Si primum; æquitas non permittit, ut, postquam pro suis peccatis est satis passus, patiatur amplius ob culpam hæredis a se inimpedibilem.

Dices. Ex authenticis historiis constat, animas defunctorum, in purgatorio detentas, apparuisse viventibus, præsertim hæredibus, eosque monuisse restitutionis faciendæ, ut sic inde liberarentur; ergo &c.

Respondetur, utique restitutionem sæpenumero profuisse defunctis, haud quidem tanquam conditionem, sine qua liberati non fuissent, sed tanquam auxilium, quo præstito citius liberati fuere; quatenus nempe viventibus sæpius offerri pro defunctis consuevit tanquam opus satisfactorium, aut ex pio commiserationis affectu; vel illos, quibus facta est, aut alios, qui inde eleemosynam perceperunt, excitavit, ut pro iisdem defunctis preces funderent &c. per quæ omnia pœnæ purgatorii poterant mitigari, vel abbreviari: consequenter &c. Ita *AA. citt.*

347. Dico secundo. Præceptum restitutionis est affirmativum. Lessius *de just. lib.* 2. *c.* 7. *dub.* 10. *n.* 49. Herincx *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 5. *q.* 2. *n.* 13. Sporer *in Decal. tr.* 4. *c.* 2. *n.* 32. & alii communius, contra Haunoldum, Mastrium &c

Probatur. Illud præceptum est affirmativum, quod directe (nimirum ex fine, quem immediate respicit) præcipit positionem actus; prout advertimus *part.* 1. *n.* 208. atqui præceptum restitutionis directe præcipit positionem actus, puta rei ablatæ redditionem, damni illati refusionem &c. ergo &c.

348. Objicies primo. Juxta Scotum *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. restitutio non est, nisi cessatio a peccato furti, seu injustæ detentionis; quæ cessatio est negatio actus positivi; ergo præceptum restitutionis est negativum.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. autem ajo, Scotum *loc. cit.* ex professo nihil aliud tradere, aut velle, quam restitutionem non esse talem satisfactionem, qualis est satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ; eo maxime, quod hæc imponatur a Confessario, postquam pœnitens ceteras Pœnitentiæ partes jam applicuit: illa e diverso seu satisfactio, quæ fit per restitutionem, debeat præcedere partes Pœnitentiæ, sitque debita vi Legis Naturalis, Divinæ, & Humanæ, quia præter actionem debitoris requirat aliam. Unde si debitor, seu fur rem alienam restituat, sicque a continuatione furti, ac injustæ detentionis abstineat, & cesset, erit capax absolutionis: secus, non erit. Hoc, inquam, est quod Doctor Subtilis pro praxi *loc. cit.* decidere intendit; de cetero parum solicitus, an præceptum restitutionis intendat cessationem a furto directe, vel indirecte tantum: de quo inferius *n.* 350.

Instabis. Scotus pro exemplo affert præceptum de non mœchando; ergo decidere intendit, quod, sicut præceptum non mœchandi directe præcipit negationem, seu omissionem mœchiæ; & est negativum, ita præceptum restituendi directe præcipiat negationem, seu omissionem furandi, & sit negativum.

Respondetur, neg. cons. Siquidem Doctor exemplum illud solum affert ad faciendam paritatem in eo, quod sicut mœchus debet uxorem alienam dimittere, antequam absolutionem recipiat, ita fur teneatur rem alienam (sive in re, sive in voto) restituere, priusquam ad Sacramentum Pœnitentiæ accedat,

349. Objicies secundo. Illud præceptum non est affirmativum, quod potest impleri sine actu positivo: sed præceptum restitutionis potest impleri sine actu positivo; ergo præceptum restitutionis non est affirmativum. Min. ostenditur ab Adversariis duplici exemplo. Nam

si fur

si fur abstulerit equum, & iste revertatur ad suum dominum, impletur præceptum restitutionis, tametsi fur ponatur non cooperari, v. g. solvendo catenam, qua animal erat ligatum, aperiendo stabulum, cui erat inclusum &c. Porro siquis possideat fundum alienum, satisfacit præcepto restitutionis, modo desinat possidere, & non resistat domino volenti reapprehendere possessionem, Ergo &c.

Respondetur, neg. min. Ad primum exemplum, per quod probatur, ajo, præcepto restitutionis non satisfieri, ne materialiter quidem, seu quoad substantiam, ob defectum positivæ redditionis; esto idem præceptum per accidens obligare cesset, quatenus materia restitutionis aufertur, & in possessionem legitimi domini revertitur; ad eum fere modum, quo quis non potest dici implere præceptum dandi eleemosynam, dum proximus, in extrema necessitate constitutus, suopte marte surripit de illius bonis necessaria ad sustentationem vitæ; quamvis idem præceptum obligare cesset. Quare multum diversa sunt, præceptum impleri, & ejus oblilligationem tantum cessare. Impleri præcise dicitur per actum positivum (si sit affirmativum) cessare vero ejusdem obligatio multis aliis modis potest. Sic præceptum audiendi Sacrum aliter non impletur, quam auditione Sacri, quæ est actus positivus: at obligatio ejus cessat propter ægritudinem, ignorantiam inculpabilem diei festi, assistentiam ad ægrotum &c. Sic ipsum quoque præceptum restitutionis non impletur, quando debitor est impotens restituere, cum desit positiva redditio rei alienæ; & tamen illius obligatio cessat. Atque ita de aliis. Quod bene notandum, & in proposito applicandum venit.

Ad secundum exemplum concedo, satisfieri præcepto restitutionis; sed nego id fieri sine actu positivo. Nam illiusmodi possessor non aliter desinit possidere regulariter loquendo, quam per corporalem cessionem fundi, quæ cessio est actio positiva, *per l. 1. ff. de acquir. & amitt. possess.* Et quamvis eadem possessio absolute loquendo amitti queat solo animo, ut si possessor in fundo remaneat, & amplius possidere nolit; id tamen non fit, nisi talem animum verbis, vel facto declaret, ut habet communis interpretum; quæ declaratio itidem est actus positivus.

Instabis. Quando fit adæquatio inter jus activum alterius, obtinetur finis intrinsecus Justitiæ commutativæ: sed ejusmodi adæquatio fit etiam in primo exemplo, ubi nullus intervenit actus positivus; ergo etiam ibi obtinetur finis intrinsecus Justitiæ commutativæ; ergo satisfit, saltem materialiter, præcepto Justitiæ commutativæ, restitutionem imperanti, sine interventu actus positivi,

Respondetur, neg. ult. cons. Licet enim sine actu positivo obtineri possit finis intrinsecus Justitiæ, restitutionem imperantis; non tamen potest sine illo obtineri substantia rei præceptæ, quippe in eo sita, ut detur, quod debetur; quæ datio importat actum positivum, non quidem necessario humanum (ut memorato præcepto satisfiat materialiter tantum) sed hominis. Revide, quæ habentur *part. 1, n. 270. in respons. ad argum.*

350. Colliges, sicut alia præcepta, quæ sunt explicite affirmativa, solentque talia nuncupari simpliciter, implicite sunt etiam negativa; ita & præceptum restitutionis, utpote quod involvit, & implicite continet præceptum non restituendi rem alienam. Sub priori consideratione, seu quatenus affirmativum, & præcipit redditionem rei alienæ, pertinet ad partem prosecutivam; sub posteriori vero, seu quatenus negativum est, & prohibet retentionem rei alienæ, ad partem aversivam Justitiæ. Porro sub utraque ratione nascitur ex præcepto septimo Decalogi, *non furtum facies:* quia moraliter loquendo ejusdem rationis sunt furari, & retinere alienum, cum potes reddere, quatenus alienum retinendo, actum furti habitualiter saltem continuas. Unde hoc ipso, quod præcipitur, *non furtum facies*, etiam præcipitur, *ut non retineas* rem furto ablatam, si potes reddere: & consequenter *ut restituas*. Ita luculenter Scotus *loc. cit.* ubi ait: *Dico, quod sicut auferre alienum est peccatum mortale contra præceptum Divinum negativum*, non furtum facies; *ita tenere alienum: & ideo sicut necessarium est, servare præcepta negativa; ita necessarium est, non tenere alienum domino invito: & per consequens vel actu statim reddere, vel saltem velle reddere, cum fuerit opportunitas.*

Dices. Furari, & retinere alienum sunt ejusdem rationis: prout immediate arguebamus; ergo sicut per præceptum *non furtum facies*, per se, & directe intenditur negatio furti, ita per præceptum restitutionis negatio retentionis, & consequenter sicut præceptum non furandi est negativum, sic etiam præceptum restituendi.

Respondetur, neg. utranque cons. Ratio discriminis est, quod negatio furti per præceptum *non furandi* haud imperetur ut medium, sed ut finis præfato modo intentus: unde præceptum *non furandi* sortitur rationem præcepti simpliciter negativi. At negatio retentionis per præceptum restituendi imperatur solum ut medium, actui restitutionis, ceu fini, directe quæsito, subordinatum; a quo proin fine præceptum restituendi suam appellationem sumit, diciturque simpliciter affirmativum.

Possent hic duo adhuc argumenta opponi; nempe quod ex corollario sequeretur 1. non restituentem committere duo peccata, unum omissionis, alterum commissionis. 2. præceptum restitutionis, etiam in quantum est modo supra dicto negativum, non obligare semper, & pro semper. Verum ambo soluta invenies *part. 1. n. 600. & 666.*

CAPUT II.

De Radicibus Restitutionis.

Quo magis claritati consulamus, cum Sporero *loc. citato numero nono*, quatuor Restitutionis Radices assignamus, nempe *rem acceptam*, *injustam acceptionem*, *injustam damnificationem*, & *contractum*. Ex re accepta restituere teneris, quando detines rem alienam invito domino, sive ea adhuc extet in se, sive solum in æquivalenti, si scilicet ex illa ditior es factus. Ex injusta acceptione restituere teneris, quando sciens rem esse alienam, eam cum damno alterius usurpasti. Ex utraque hac radice simul tenetur restituere possessor malæ fidei; quamvis, si res aliena adhuc extet, melius dicatur, eum ad restitutionem rei ipsius alienæ teneri *ex re accepta*, ad restitutionem vero damnorum emergentium, vel lucrorum cessantium *ex injusta acceptione*; ut adeo res accepta abstrahat a possessore bonæ, & malæ fidei, vel, rectius loquendo, utrunque comprehendat. Ex injusta damnificatione ad restituendum obligaris, quando alterum damnificasti, quin aliquid ab eo acceperis, aut lucratus sis; ut si alterius domum incenderis, aliquem vulneraveris, aut occideris &c. Ex contractu ad restitutionem obstringeris, dum vi alicujus contractus initi aliquid debes, & non solvis, ut si vendidisti Titio equum, quem bona fide putaveras esse suum, erat autem Caji, si hic equum repetat, & evincat, teneris Titio non solum restituere pretium equi, sed etiam compensare damnum, quod ei emersit, & lucrum, quod cessavit occasione illius venditionis; pretium quidem *ex re accepta*; damnum vero, & lucrum *ex contractu*, quoniam vendens ad hoc se obligare convincitur pro securitate ementis. De his quatuor Radicibus, ad restitutionem Jure naturali obligantibus, in præsenti capite acturi sumus per tres articulos. Sit igitur

ARTICULUS I.

De prima Radice restitutionis, seu re accepta.

Licet hæc Radix, ex immediate dictis, comprehendat etiam possessorem malæ fidei, quando nimirum una involvit radicem secundam, seu injustam acceptionem; spectata tamen secundum se, ac solitarie, tantum respicit possessorem bonæ fidei. Quare in præsenti articulo possessor bonæ fidei utranque paginam faciet: quæ vero concernunt possessorem malæ fidei, in articulo proxime secuturo expediemus.

§. I.

Quid, & quantum possessor bonæ fidei debeat restituere de substantia rei alienæ?

S U M M A R I U M.

351. *Quis sit dicendus* possessor bonæ fidei. 352. *Possessor talis, ubi certo cognovit, rem, hactenus a se possessam, alienam esse, tenetur illam, & quidem eandem in individuo, si adhuc extet, restituere*, 352. *Quod si eam bona fide consumpserit &c. nihil tenetur restituere, nisi factus sit inde ditior*. 354. *& seqq. Deducuntur varia corollaria.*

351. PRænotandum, quod ille sit, & dicatur *possessor bonæ fidei*, qui detinet rem, quam invincibiliter putat esse suam, vel saltem non alienam (licet forte sit aliena) aut possessionem non reprobari a Jure.

352. Dico primo. Possessor bonæ fidei, ubi certo cognovit, rem, quam hactenus possidebat, esse alienam (1.) tenetur illam restituere; & quidem (2.) eandem in individuo, si adhuc extet, per se loquendo DD. communiter.

Probatur; quia contra Justitiam peccat, qui rem, quam novit esse alienam, retinet invito domino; sed si possessor bonæ fidei rem, postquam cognovit esse alienam, non restitueret, retineret eam invito domino; ergo peccaret contra Justitiam; ergo tenetur restituere; alias evadet possessor malæ fidei, tenebiturque ad restitutionem non solum titulo rei acceptæ, sed etiam injustæ acceptionis, cum ejusmodi detentio, & injusta acceptio sint moraliter ejusdem rationis, secundum dicta *n.* 350.

Dixi autem: *postquam certo cognovit &c.* Nam si in dubio hæreat, quod adhibita morali diligentia vincere non potuit, rem licite sibi retinet, vel etiam consumit, alienat &c. quia in dubio melior est conditio possidentis. Idem est, si probabiliter existimet, rem esse alienam, & probabiliter, non esse alienam: quia & tunc een in pari causa, melior est conditio possidentis. Revide, quæ diximus *part.* 1. *n.* 83. & alibi.

Probatur etiam secunda pars, tum *ex l. Manifest. C. de Solut.* ubi debitor prohibetur unam rem pro alia, creditore invito, restituere: tum ex ratione; quia res, ubicunque est, sui domini est; ergo ipsi restitui debet eadem res, si adhuc extet.

Dixi: *per se loquendo*. Si quis enim restituendo eandem rem, incurreret grave incommodum, utique posset reddere aliam æqualis valoris, & bonitatis: tunc quippe creditor esset irrationabiliter invitus ob non redditionem ejusdem rei in individuo. Porro quando constat, aut prudenter præsumitur, dominum alia re æquivalente contentum fore (prout regulariter præsumi potest, si res sit usu consumptibilis, vel functionem recipiens; uti vinum, triticum, oleum, pecunia &c.) satisfacit debitor reddendo aliam æqualis bonitatis.

353. Dico secundo. Si bonæ fidei possessor rem alienam bona quoque fide consumpserit, donaverit, vendiderit &c. nec inde sit factus ditior (1.) nihil tenetur restituere: secus (2.) si sit factus ditior; tunc enim debet restituere, quantum ditior evadit, id per se provenisse ex re aliena. Est itidem communis DD.

Probatur prima pars: quia ex una parte res apud illum nullo modo extat, neque in se, neque in æquivalenti, & ex altera parte eam consumpsit, &c. sine culpa pugnante contra Justitiam; cum per ignorantiam inculpabilem crediderit esse suam; ergo non apparet, unde oriatur obligatio restituendi. Nec refert, quod forte in illius consumptione deliquerit contra Castitatem, v. g. lasciviendo, aut aliquam aliam virtutem, a Justitia diversam. Non, inquam, refert: siquidem delicta, quæ perpetrantur contra virtutes, a Justitia distinctas, non tollunt bonam fidem, utpote quæ est credulitas, seu judicium, quo quis judicat, rem esse suam &c. quale judicium non cessat, licet quis re illa abutatur; ergo nec inducunt obligationem restituendi, quando possessor ex rei consumptione non est effectus ditior.

Probatur etiam secunda pars: quia pretium, aut id, in quo possessor factus est ditior, succedit loco rei alienæ; ergo sicut rem alienam, adhuc extantem, tenetur restituere, ita tenetur restituere pretium, sive id, in quo est factus ditior; cum æquitas non permittat, ut quis ex re aliena ditescat.

Dixi in conclus. *ubi advertis, id per se provenisse ex re aliena:* hoc quippe solum rei alienæ succedere censetur; non vero id, quod occasione talis rei, mere que per accidens acquisitum est. Unde si possessor pecuniam, v. g. bona fide acceptam negotiationi subdiderit totum lucrum ipsius erit, ceu fructus industriæ, non pecuniæ, quippe quæ ex se sterilis est, non frugifera.

344. Colliges ex dictis primo, tunc dici aliquem factum ditiorem ex re aliena, & obligari ad restitutionem in eo, in quo factus est ditior, quando ex consumptione talis rei bona fide facta ipsi provenit per se aliquod emolumentum, vel evitavit aliquos sumptus, quo de suo fecisset, nisi re aliena usus fuisset. Sporer *loc. cit. n.* 701. & alii passim.

355. Colliges secundo cum Card. de Lugo *tom.* 1. *de Just. disp.* 17. *sect.* 1. *n.* 18. si durante bona fide res aliena apud te periit sive casu, sive tua possidentis culpa, nullam esse obligationem quidquam restituendi, nisi factus sis inde ditior. Ratio est: quia possessor bonæ fidei tenetur solum ad restitutionem ex re accepta; ergo dum hæc non amplius existat, ut in casu posito, nulla ipsi incumbit obligatio restituendi. Nec refert, quod res perierit culpa possidentis: siquidem hæc culpa non erat peccatum contra Justitiam, sed contra aliam virtutem v. g. Liberalitatis, Castitatis &c. quatenus illam prodige, aut luxuriose absumpsisti, aut perdidisti. Ratio hujus est: quia cum tali re agebas, uti cum tua, cum putaveris esse tuam; ergo quemadmodum non peccasses peccato injustitiæ perdendo rem tuam, ita nec sic peccasti perdendo rem alienam, quam putaveras esse tuam. Dixi: *nisi inde factus sis ditior:* tunc quippe teneberis restituere id, in quo factus es ditior, ob rationem *num.* 353. redditam. Quod si dubites, num factus sis ditior, vel non? ad nullam restitutionem obstringeris: quia in dubio melior est conditio possidentis.

356. Colliges tertio. Si rem alienam bona fide emeris, posteaque eodem, vel minori pretio bona fide vendideris, ad nullam restitutionem obligaris faciendam domino rei. Molina *tom.* 3. *disput.* 721. *n.* 6. Dicastillo *disp.* 5. *de Restit. dub.* 1. *n.* 12. aliique communiter. Ratio est: quia res apud te nec formaliter extat, nec æquivalenter, cum inde non sis effectus ditior. Si vero rem illam majori pretio vendideris, ita ut rem tuam familiarem auxeris, teneris tale auctuarium restituere; quia in illo res extat æquivalenter &c.

Dixi: *ad nullam restitutionem obligaris faciendam domino rei*. Nam si dominus ipse suam rem apud tuum emptorem evincat, ac sibi recuperet, sicque emptor privetur re sibi vendita, teneberis ipsi restituere suum pretium ex contractu venditionis, utpote in quo implicite semper includitur, quod venditor indemnem reddere debeat emptorem quoad rem venditam. Et licet tibi quoque ob eandemmet rationem idemnitatis competat actio adversus tuum venditorem, a quo rem illam alienam emisti, ut possis ab eodem tuum quoque pretium reposcere; haud tamen poteris ad eundem remittere tuum emptorem, eique tuam adversus illum actionem cedere; cum tuus venditor tecum, & non cum tuo emptore contractum inierit, vi cujus proinde tibi personaliter, non autem tuo emptori obstrictus manet &c.

357. Colliges quarto. Si rem alienam bona fide dono accepisti, eamque alteri eandem fide donasti, alias nihil donaturus, nihil teneris restituere, postquam comperis, rem fuisse alienam. Ratio est: quia in nullo es factus ditior. Secus dicendum, si aliam rem sive æqualis, sive minoris valoris de tuis donaturus fuisses; tunc quippe teneberis restituere valorem hujus rei æqualem, vel minorem. Ratio est opposita: siquidem ita parcendo tuis rebus effectus es ditior. Dicastillo *loc. cit. n.* 14. Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 1. *n.* 6. & alii passim.

358. Colliges quinto. Siquis invitatus a fure ad cœnam v. g. consumat cum eodem cibos pretiosus, ignorans esse furtivos, re postmodum comperta, non tenetur restituere integrum cœnæ valorem, sed quantum ipse domi suæ expendisset in cœnam, nisi alibi cœnasset invitatus. Ratio est: quia sic cœnando quoad id

duna-

duntaxat, quod domi expendisset, factus est ditior. Unde si domi cœna omnino supersedisset, ad nullam prorsus restitutionem obstringitur; eo quod tunc nullo modo evaserit ditior. Sporer *loc. cit. n.* 110. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 4. *art.* 2. *n.* 9 & alii passim.

359. Colliges sexto. Qui rem alienam, & furtivam, bona fide emptam, legitimo domino restituit, non potest ad hoc exigere solutionem pretii pro illa expensi. Sumitur *ex l. Mater tua*, & *l. Si mancipium*. *C. de rei vindicat.* Ratio insuper est; quia æquum non est, ut quis adigatur ad rem suam emendam. *l. Sicut*, *ff. de contrahenda empt.* sed si posset exigi solutio pretii reprehendenda a domino, adigeretur hic ad rem suam emendam; ergo &c. Quapropter ille, qui ejusmodi rem emit, suo infortunio adscribere debet, quod pretium pro eadem expensum amittere cogatur. Ita DD. communiter.

360. Colliges septimo. Si emptor rem, sciens, vel dubitans, esse alienam, comparet modico pretio, eo fine, & animo, ut eandem domino suo reddat; quia prævidet, quod aliter illam non sit recuperaturus, aut saltem magnum subsit periculum non recuperandi, restitutionem pretii illius modici a domino repetere potest in utroque foro. Molina *tom.* 3. *disput.* 721. *numer.* 2. & alii ab ipso relati. Ratio est: quia hic talis emptor utiliter gerit negotium domini. Imo tametsi ex prædicto fine rem emat justo pretio, partem pretii prætendere potest: cum sic adhuc utiliter gerat negotium domini, alioquin forte nihil de re sua recuperaturi. Addit Cardinalis de Lugo, quod ejusmodi emptor probabiliter totum pretium exigere possit ex æquitate, si sciverit, rem illam esse domino valde gratam, aut necessariam, & alias eidem fuisset evidenter peritura. Ubi ex immediate *cit.* Authore pro praxi observandum, non illico condemnari debere emptorem, quando rem emit cum aliquo dubio, ne forte sit furtiva, v. g. orto ex aliqua suspicione, vel rumore; nisi enim concurrant rationes magni ponderis, vel suspicio valde vehemens, poteris præsumere, ac credere, rem non esse furtivam; eo quod delicta in dubio non sint præsumenda.

§. II.

An bona fidei possessor teneatur una cum re restituere, etiam fructus ex ea perceptos?

SUMMARIUM.

361. *Fructus dividuntur in* naturales, industriales, *&* mixtos. 362. *& seqq. Qualesnam possessor bonæ fidei restituere teneatur?* 367. *Quid de fructibus æquivalenter extantibus?* 368. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 371. *Quid de fructibus civilibus?* 372. *Quid de melioramentis, & expensis circa rem alienam factis?* 373. *& seqq. Subjunguntur varia animadversiones.*

361. PRænotandum, fructus esse vel *naturales*, vel *industriales*, vel *mixtos*. Naturales sunt, quos ipsa rei natura ex se producit absque ulla fere hominis industria; uti fœtus animalium, lana ovium, lac pecudum, fructus arborum, herbæ pratorum, ligna cædua &c. Industriales dicuntur, quos non ipsa res ex se, sed hominis, ceu instrumento utentis, industria profert; cujusmodi sunt lucrum ex rebus de se sterilibus, præsertim usu consumptibilibus, ut pecunia, vino, frumento &c. acquisitum; opus alieno instrumento ab artifice confectum &c. Mixti vocantur, ad quorum productionem natura simul, & industria hominis notabiliter cooperantur; uti sunt oleum, caseus, butyrum, cerevisia, uvæ &c. item segetes respectu agri, & agricolæ, non vero respectu seminis, utpote quod in agro consumitur; hinc potius fructus agri, quam seminis dicuntur, & non debent restitui, si pullularint ex alieno semine, modo semen solvatur. Ubi adverte, denominationem fructus naturalis, aut industrialis sæpenumero desumi ab illo, quod prævalet, ita ut, si prævaleat natura, appelletur naturalis, si industria, industrialis: quamvis reipsa sit mixtus. Quod si dubitetur, utra prævaleat, præsumendum est (nisi prudentum judicio, vel Judicis sententia oppositum determinetur) prævalere naturam: quia natura, cum sit fundamentum industriæ censetur plus operari, quam industria. Hoc prænotato,

362. Dico primo. Bonæ fidei possessor non tenetur restituere fructus industriales. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. §. de quarto *versu* de tertio, & alii DD. communiter.

Probatur. Non tenemur restituere, quod nostrum est: sed fructus industriales sunt nostri, quippe nostro labore, & industria parti; ergo non tenemur illos restituere.

Unde 1. qui lucratus est pecunia aliena, illam exponendo in lusu, vel pro censu, aut applicando ad negotiationem, nihil tenetur restituere, nisi ipsam pecuniam: quia lucrum inde perceptum est fructus respondens industriæ, non pecuniæ, utpote de se sterili, 2. Qui alieno instrumento confecit aliquod artefactum, non tenetur restituere ipsum artefactum, sed solum instrumentum, & quantum domini intererat, alium ipsius instrumento non fuisse usum; quia artefactum est partus artifici, adeoque fructus industriæ, & non instrumenti, Scotus *loc. cit.* Laymann *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. & alii passim, 3. Qui alienum triticum alio, ubi pluris valebat, deportavit, & ideo cariori pretio vendidit, satisfacit restituendo simile triticum, & quanti forte intererat domini, suum frumentum avectum, & alienatum non fuisse. Laymann *loc. cit.* aliique communiter. Ratio itidem est: quia quod triticum alibi vendiderit cariori pretio, refundi debet in industriam vendentis; consequenter &c.

363. Dico secundo. Bonæ fidei possessor tenetur restituere fructus tam naturales, quam mixtos, in quantum isti respondent naturæ; modo adhuc formaliter extent, & nondum sint præscripti. Est itidem communis DD. sententia.

Probatur. Res fructifera semper fructificat proprio domino; ergo ad ipsum pertinebunt fructus rei non modo naturales, sed & mixti, in quantum isti respondent naturæ: consequenter eidem restituendi erunt, quemadmodum res ipsa.

Hinc filius ex ancilla aliena natus pertinet ad dominum ancillæ, ubicunque sit natus. Similiter seges enata ex tuo frumento, seu semine, quod etsi bona fide, in alieno agro seminasti, spectat ad dominum agri; tibique solum debetur frumentum æquivalens seminato, & expensæ, ac pretium laboris. Sporer *loc. cit. num.* 72. Babenstuber *n.* 24. & alii.

Dixi tamen in conclus. *in quantum isti* (fructus scilicet mixti) *respondent naturæ*. Nam in quantum respondent industriæ, non debent ex necessitate restitui: quia solum in quantum a natura gignuntur, sunt fructus rei; in quantum vero proveniunt ab industria, censentur fructus hominis re illa utentis. Ex quo sequitur, tanto plus restituendum esse de ejusmodi fructibus, quanto plus natura ad eorum productionem contulit; & econtra.

Dixi præterea: *modo adhuc formaliter extent*; sive dein sint jam a re separati, & percepti, sive nondum separati (quos pendentes vocant) & percepti. An autem possessor bonæ fidei teneatur etiam restituere fructus hujusmodi virtualiter solum, & æquivalentes extantes, major est controversia, merito per specialem conclusionem mox infra statuendam dirimenda.

Dixi tandem: *& nondum præscripti*. Nam sicut res mobiles, ita & fructus a bonæ fidei possessore triennii spatio præscribi possunt contra dominum; qua præscriptione completa cessat obligatio restituendi. Unde sæpius contingit, ut possessor bonæ fidei teneatur restituere rem ipsam, v. g. agrum alienum, non autem fructus rei, v. g. agri; eo quod fructus præscribi, adinstar rerum mobilium, citius, & minori tempore possint, quam res immobiles, ager, pratum, domus &c.

364. Objicies. Bonæ fidei possessor acquirit dominium in fructus rei etiam formaliter extantes; ergo non tenetur illos restituere. Conf. patet: quia non tenemur restituere, quod nostrum est, seu nostro subjacet dominio. Ant. vero ostenditur *ex l.* 4. §. 19. *ff. de usurp. & usucap.* nam ibi dicitur, quod lana ovium alienarum, quam percepit bonæ fidei emptor, *statim fiat emptoris*, *nec usucapi debeat*, *quoniam in fructu est*; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Acquirit dominium revocabile, con. irrevocabile, neg. ant. & conf. Veritas distinctionis, & responsionis constat *ex l.* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* ibi: *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex re aliena, suos interim facit*;

rit. Ubi *ly suos facit* denotat dominium, & *ly interim* indicat, tale dominium esse revocabile, ac expirare cum rei evictione. Quare ad probat. ant. ajo, *l.* 4. ibidem allatam, intelligendam esse de dominio revocabili, ot hoc modo concilietur cum *l.* 48. immediate allegata. Mezger *tr.* 12. *disp.* 33. *art.* 2. *n.* 7. Pichler *lib.* 2. *tit.* 12. *n.* 12. & alii.

Instabis. Possessor bonæ fidei potest fructus alienæ rei usucapere; prout insinuat *cit. l.* 4. ergo signum est, quod non habeat eorum dominium; cum usucapere non valeamus, quæ jam in nostro sunt dominio.

Confirmatur. Res aliena fructificat suo domino; ut supra arguebamus: atqui si bonæ fidei possessor sit dominus fructuum ex re aliena perceptorum, jam res aliena non domino, sed possessori fructificat; ergo &c.

Respondetur ad instantiam, dist. cons. Signum est, quod non habeat dominium irrevocabile, con. revocabile, neg. cons. Quæ sunt in nostro dominio irrevocabili, usucapere non valemus; bene autem, quæ sunt in nostro dominio revocabili.

Ad confirmat. dist. min. Si possessor sit dominus fructuum dominio irrevocabili, res aliena domino non fructificat, con. si sit dominus fructuum dominio revocabili, neg. min. &c.

365. Quæres primo, an bonæ fidei possessor teneatur etiam restituere fructus, in secunda conclusione commemoratos, casu, quo dominus eosdem non fuisset percepturus ex re sibi relicta, sive ob suam negligentiam, sive ob aliam causam, quatenus scilicet agrum v. g. non coluisset &c.?

Respondetur affirmative. Tamburinus *lib.* 8. *in Decal. c.* 3. §. 5. *n.* 6. & alii communiter. Ratio est: quia tametsi dominus ex re sua nullum elicuisset fructum, adhuc tamen verum manet, quod res, ubicunque sit, sui domini sit, eique fructificet: consequenter &c.

466. Quæres secundo, an possessor bonæ fidei teneatur etiam restituere fructus *percipiendos* (ut vocant) seu illos, quos ex re aliena percipere poterat, & non percepit?

Respondetur negative. Ita Lessius *de Justit. lib* 2. *c.* 14. *n.* 12. *dub.* 2. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 215. & alii passim. Idque verum censeo, tametsi ejusmodi fructus non perceperit ob suam negligentiam: item quamvis dominus eos fuisset percepturus, si res mansisset in possessione, & potestate ipsius. Ratio est: quia inde non fuit effectus ditior, neque extitit causa injustæ damni; ergo non tenetur restituere ex re accepta, aut injusta acceptione; alius vero titulus, ex quo teneatur, hic nullus est assignabilis; consequenter &c.

367. Dico tertio. Bonæ fidei possessor (excepto possessore hæreditatis alienæ) fructus naturales, & mixtos, ex re aliena perceptos ante litis contestationem, & bona fide jam consumptos, ex quibus tamen factus est ditior, adeoque virtualiter, seu æquivalenter adhuc extantes, ex speciali privilegio Juris positivi integre, & irrevocabiliter lucratur, ita ut pro illis nihil teneatur restituere, Haunoldus *de J. & J. tr.* 3. *n.* 28. Illsung *tr.* 4. *disp* 3. *n.* 50. *de Restit. pag.* 37. Ininger *de Restit. pag.* 37. VViestner *ad Tit. de Restit. spoliat. numer.* 74. Schmier *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 112. Pichler *lib.* 2. *tit.* 12. *n.* 13. & plures alii contra satis communem aliorum, præsertim Theologorum.

Probatur. Si Leges lucrum ex fructibus rei alienæ bona fide consumptis possessori bonæ fidei stabiliter concedunt, non minus is illorum dominium stabile, & irrevocabile acquirit, ac si eosdem usucaperet, seu præscriberet: sed variæ leges secundum peritorum interpretationem, Tribunalium praxim, & clarum verborum sensum illiusmodum lucrum ei stabiliter concedunt; ergo &c. Maj. videtur certa; nam Leges, tale lucrum irrevocabiliter concedentes, non minus rationabilem causam sibi præfixam habebant, quam Leges concedentes rei alienæ dominium vi præscriptionis; quia scilicet obligatio restituendi fructus æquivalenter extantes esset admodum gravis, obnoxia mille scrupulis, & difficultatibus, moraliter inobservabilis, essetque occasio innumerarum litium; quis enim tam accurate distinguat lucra ex fructibus alienis percepta? Min. vero ostenditur in primis ex §. 35. *Instit. de rer. divis.* ibi: *naturali ratione* (id est, æquitate) *placuit, fructus, quos percepit* (possessor bonæ fidei) *ejus esse pro cultura, & cura, & ideo, si postea dominus supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo* (scilicet emptore fundi alieni) *consumptis agere non potest.* Idem habetur §. 2. *Instit. de Offic. Jud.* & *l.* 22. *C. de Re vindicat.* Ubique in istis Juribus negatur domino actio omnis in ordine ad repetendos fructus consumptos æquivalenter extantes; & consequenter dominium irrevocabile tribuitur possessori. Deinde ex *l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund.* ubi dicitur: *fructus ante Judicium* (seu litem contestatam) *percepti non omni modo hoc in Judicium venient: aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumpsit; aut mala fide, & condici oportet.* Ubi domino conceditur actio personalis, seu *condictio*, adversus possessorem malæ fidei, non item adversus possessorem bonæ fidei; sed huic lucrum ex fructibus rei alienæ bona fide consumptis stabiliter conceditur.

Respondent Adversarii primo, relatos textus solum deobligare possessorem bonæ fidei a restitutione fructuum, nullo modo, id est, neque in se, neque in æquivalenti extantium.

Sed contra est primo, quod Leges universaliter, & absolute dicant, possessorem bonæ fidei lucrari fructus bona fide consumptos, & de his contra eum agi non posse, nullo facto discrimine, an inde ditior evaserit, nec ne; ergo universaliter, & absolute intelligi debent, præsertim cum sint favorabiles, ideoque non restringendæ, sed ampliandæ. Confirmatur hoc. Quando Leges agunt de possessore hæreditatis alienæ, signate distinguunt inter fructus consumptos, ex quibus possessor factus est ditior, & ex quibus non est factus ditior, prout mox infra patebit; ergo cum loquentes de possessore aliorum fructuum, qui ex titulo singulari possidentur, non ita distinguant, universaliter, & absolute intelligi debent.

Contra est secundo, Fructus nullo modo, & nec æquivalenter extantes, cum sint non ens, haud possunt dici *alicujus esse* (ut sonat primus textus) & frustra negatur actio ad repetendum non ens; ergo ibi est sermo de fructibus aliquo modo adhuc extantibus. Porro *lucrari* (sic sonat alter textus) dici non potest, cui ex fructibus consumptis nihil remanet, ex quo factus sit ditior, & nisi fructus apud possessorem adhuc æquivalenter extent; ergo ibi negatur actio ad repetendos a bonæ fidei possessore fructus adhuc æquivalenter extantes, adeo, ut is nulla teneatur obligatione eosdem, seu *lucrum* ex iisdem perceptum, restituendi.

Respondent aliqui ex Adversariis secundo, saltem textus, in nostra probatione allatos, non evincere intentum ex alio capite. Nam 1. (inquiunt) ex eo, quod negetur actio ad repetendos fructus æquivalenter extantes, non infertur, eos bona conscientia posse retineri; sicut ex eo, quod Jura negent actionem læso infra dimidium justi pretii, non infertur lædentem non obligari in conscientia ad reparandam læsionem. 2. Illa verba, *ejus esse*; item verbum *lucrari*, non satis indicant (inquiunt porro) ex fructibus consumptis, de quibus allegata Jura loquuntur, adhuc aliquod extare; cum intelligi possint in hoc sensu, quod bonæ fidei possessor consecutus sit libertatem ab obligatione restituendi fructus mere consumptos, & ne in æquivalenti amplius extantes, aliis refundendos, qui proin recte dicuntur *ejus esse*, & quod ipsos *lucretur*, in quantum nempe pro iisdem nihil tenetur restituere de suo.

Verum contra est, quod nec ista responsio quidquam verisimilitudinis habeat. Nam ad 1. ajo, quod Jura non præcise negent actionem, sed insuper tribuant dominium per verba *ejus esse*, & *lucrari*, veluti ex probatione constat; & amplius confirmatur ex communi hominum, qui sanæ mentis existunt, persuasione, juxta quam inepte dicerem: *hoc meum est*, vel illud *lucratus sum*, si idem penitus interierit, vel consumptum sit, aut nihil sit. Quis enim me non rideret, si dicerem: *equus qui fulmine tactus periit, meus est*; aut *ludendo nuper lucratus sum*; cum tamen finito lusu ne unico quidem obulo plus habuerim, quam ante. Paritas, quam Adversarii faciunt, & assumunt de lædente infra dimidium justi pretii, prorsus nulla est: siquidem taliter lædens vel reipsa fuit, vel saltem fuisse præsumitur in mala fide; unde & Jura nullum ipsi tribuunt dominium ejus, in quo læsit. Revide, quod diximus *tr. praeced. n.* 87. Ad 2. ajo, quod huic interpretationi in

primis

primi obstet communis hominum persuasio, & modus loquendi: prout relinquitur ex immediate dictis. Deinde repugnant Jura; nam per lucrum intelligitur incrementum patrimonii, & accessio rei positiva, *l.4. §.1. ff. de Munerib. & honorib.* distinguitur item a damno, *l.30. ff. pro socio*: at juxta Adversariorum interpretationem *lucrum*, & *non damnum* forent idem; ergo &c. Ita præclare P. Pichler *in suo Candidato abbreviato lib. 2. tit. 12. n. 7.*

Dixi in conclus. *excepto possessore alienæ hæreditatis*, hæc enim exceptio claris verbis habetur, *l. 1. C. l. 25. §. 11.* & *l. 40. §. 1. ff. de heredit. petit.* quæ dicit: *in bonæ fidei possessore hi tantum* (fructus) *veniunt in restitutione, quasi augmenta hæreditatis, per quos locupletior factus est.*

Dixi præterea: *perceptos ante litis contestationem*; hæc quippe verba a Legibus inseruntur: siquidem post litem contestatam possessor fit malæ fidei, saltem fictione Juris, *l. 25. §. 7. ff. de petit. hæreditat.* Unde si res postea evincatur, universi fructus, post litem contestatam percepti, restituendi sunt; imo etiam quos percipere potuisset possessor, ex sua tamen negligentia non percepit: sicut ille, qui theologice mala fide possidet (aliud de possessore bonæ fide determinavimus supra *n.* 366.) tenetur omnes omnino fructus, non modo perceptos (exceptis industrialibus) sed etiam percipiendos resarcire, ac restituere; item fructus nondum consumptos, ex quibus non est factus ditior, *l. 62. §. fin. ff.* & *l. 22. C. de Rei vindicat.* Sed de hoc iterum, & ex professo *in art. seq.*

368. Objicies jam primo. Standum est in Jure naturæ, quando ab hoc Jus positivum non convincitur clare recessisse: atqui Jus positivum nullibi convincitur hic clare recessisse a Jure naturæ, sed tantum probabiliter; ergo standum est in Jure naturæ. Sed bonæ fidei possessori ex Jure naturæ incumbit obligatio restituendi fructus æquivalenter extantes; ergo &c.

Respondet P. Pichler *in Candidato abbreviato loc. & n. cit.* (idem habet *in Candidato ampliore eod. lib. & tit. n. 15.*) quod licet independenter, & præscindendo a Legibus positivis possessori bonæ fidei incumbat obligatio, eaque certa, restituendi fructus æquivalenter extantes; ea tamen obligatio non amplius sit certa, nec maneat post Leges positivas Juris Civilis jam positas, & supra recensitas. Quia (inquit) de hoc quæritur, an per Leges positivas sit recessum a Jure naturali: unde Adversarii (sunt iisdem verba memorati Authoris) qui hoc argumento satis specioso utuntur, assumunt id, & supponunt, quod formalissime est in quæstione, & hoc ipso argumentum est inefficax, ac retorqueri potest, v. g. in hac instantia: certum est Jus Divinum, quod, qui peccavit mortaliter, hoc peccatum debeat confiteri, & tamen, casu quo dubitat dubio positivo ex ratione probabiliori, vel etiam probabili tantum, quod jam sit confessus, non tenetur illud confiteri, etiam juxta plerosque Adversarios; quia pro his circumstantiis Jus Divinum non existit saltem certo, adeoque non stringit.

Verum (pace tanti Viri) hæc responsio vim argumenti non enervat. Nam Adversarii sic contra insurgere possunt. Obligatio restituendi in Casu ex Lege naturali erat certa ante Leges positivas; ergo etiam post eas manet certa: quia obligatio certa antecedens est in possessione, nec tollitur, nisi per de obligationem supervenientem certam, qualis tamen non evincitur ex Legibus positivis; prout fatetur ipse Respondens. Porro instantia, quam affert contra objicientes, facile invertitur, ut premat ipsum instantem, hoc modo. Qui certo scit, se peccasse mortaliter, & dubitat (sive positive, sive negative) an tale peccatum sit confessus, tenetur illud adhuc confiteri juxta communem Theologorum (cujus oppositum perperam, ac sine fundamento supponit, & asserit *cit.* Author, utpote quod non nisi paucissimi ut probabile sustineri posse existimant) quia Lex Divina, ejusque obligatio est in possessione, manetque certa, sicut erat ante exortum dubium: cum obligatio certa antecedens non tollatur per dubium superveniens; ergo eodem modo ratiocinandum in Casu conclusionis. Revide, quod cum communi tradidimus *part. 1. num. 96.* Unde omissa hac responsione tanquam insufficiente,

Respondetur aliter, concessa majore, dist. min. Atqui Jus positivum non convincitur hic clare recessisse a Jure naturæ, si illud (Jus nempe positivum) spectetur præcise secundum se, & sejunctim a praxi Tribunalium, transeat. si spectetur conjunctim cum praxi Tribunalium, cum optima Legum interpres evincit, Jus positivum in Casu conclus. certo recessisse a Jure naturali. Revide, quæ diximus *part. 1. n. 92.* Quod autem ejusmodi praxis vigeat, non solum nostræ, sed etiam contrariæ sententiæ Patroni ultro fatentur; ut Covarruvias apud Sanct-Gallenses, Sanchez, & Rebellus apud Haunoldum &c.

369. Objicies secundo. Hæres putatitius, etsi existat possessor bonæ fidei, tenetur restituere fructus ex hæreditate aliena perceptos, quando adhuc æquivalenter extant; prout habetur in Juribus supra in exceptione allegatis; ergo idem dicendum de aliis bonæ fidei possessoribus, Cons. ostenditur: siquidem quoad restitutionem fructuum idem observandum est in Judicio universali, & singulari, *§. 2. Instit. de offic. Judic.*

Respondetur, neg. cons. Aliter enim Jura disposuere circa possessionem alienæ hæreditatis, quam circa alios bonæ fidei possessores. Ratio sic disponendi erat: quia hæres, cum hæreditatem possideat titulo universali, nequit fructus ex aliena hæreditate facere suos, etiam revocabiliter tantum; eo quod isti accedant hæreditati tanquam personæ fictæ, eamque augeant, & evadant pars universitatis bonorum: hinc & peti possunt eadem actione (scilicet reali) qua petitus hæreditas possessa. At vero alius bonæ fidei possessor, qui rem alienam possidet titulo singulari, fructus ex ea facit suos (revocabiliter secundum Adversarios, & irrevocabiliter secundum nostræ sententiæ defensores) quoniam ipsimet possessori accedunt, neque evadunt pars rei alienæ, aut bonorum domini: prout recte advertunt Schmier, Pichler, & alii: consequenter &c. Ad prob. in §. 2. *cit.* fundatam ajo, idem observandum esse quoad restitutionem fructuum formaliter adhuc extantium, non vero bona fide jam consumptorum, & virtualiter duntaxat existentium. Haunoldus, Schmier, Pichler &c.

Dices. Possessor bonæ fidei, licet distinctus a possessore hæreditatis alienæ, tenetur restituere, quantum factus est ditior ex re aliena, bona fide consumpta; ergo etiam quantum factus est ditior ex fructibus consumptis.

Confirmatur. Talis etiam possessor jubetur restituere fructus extantes, *l. 22. C. de Re Vindicat.* sed fructus, ex quibus factus est ditior, dicuntur extantes, scilicet æquivalenter; ergo tenetur illos restituere.

Respondetur ad argument. neg. cons. Licet enim spectando præcise Jus naturæ, nulla obviet disparitas inter unum, & alterum casum; nihilominus Jus positivum aliter potuit disponere, & reipsa disposuit in uno quam in altero: prout ex dictis in probatione liquet. Quin & ipsimet Adversarii disparitatem agnoscere debent; quia fatentur, quod possessor bonæ fidei ex dispositione Juris positivi acquirat dominium (revocabile) fructuum perceptorum ex re aliena, non autem ipsius rei alienæ. Sicut ergo Jus positivum potuit fructus perceptos adjudicare possessori, & transferre in ejus dominium revocabile, licet de Jure naturæ simpliciter cederent domino rei; ita potuit velle (& reipsa voluit) ut fructus consumpti, & solum æquivalenter extantes, in dominium irrevocabile possessoris transirent, licet de Jure naturæ pertinerent ad dominium rei.

Ad confirmat. ajo, Legem allegatam loqui de fructibus formaliter, non autem æquivalenter extantibus: prout inde colligitur, quod in illa non exprimatur lucrum loco fructuum præstandum; quemadmodum exprimitur in Legibus supra adductis, in quibus statuitur obligatio præstandi fructus ex hæreditate aliena perceptos, & æquivalenter extantes.

Objicies tertio. In §. 35. *Instit. de Rer. divis.* supra citato, possessori bonæ fidei adjudicantur fructus *pro cultura, & cura*, quam in fructibus naturalibus impendere non debet; ergo saltem hos, seu fructus mere naturales, non lucratur.

Respondetur explic. & dist. ant. Ita ut *cultura*, & *cura* assumantur tanquam causa adæquata, aut principalis lucrandi fructus, neg. tanquam causa inadæquata, & minus principalis, con. ant. Causa, & ratio principalis lucrandi fructus refunditur hic in bonam fidem.

Alia argumenta, quæ impræsentiarum adhuc opponi possent, soluta invenies *tr. præced. a n.85.* Hic autem adhuc

371. Quæres primo, quid dicendum de fructibus *civilibus*, ut vocant?

Antequam respondeatur, præsciendum, fructus *civiles* dici, qui non ex re ipsa, sed occasione rei, & mediante aliqua obligatione civili capiuntur; uti sunt pretia rerum elocatarum, usuræ, pensiones, mercedes, salaria, census &c. Atque hi fructus reducuntur ad fructus industriales, vel naturales, vel mixtos.

Respondetur, de fructibus civilibus idem dicendum esse, quod de fructibus industrialibus, naturalibus, & mixtis respective, hactenus decisum ivimus; nam, ut immediate audivimus, reductive ad istos spectant. Unde in particulari graviter discernendum, ad quosnam hic, & nunc pertineant, ac reducantur, & conformiter hucusque dictis illorum restitutio regulanda.

372. Quæres secundo, quid sentiendum de melioramentis, & expensis circa rem alienam factis?

Antequam & hic respondeatur, præsciendum, melioramenta rei alia esse, & dici *intrinseca*, alia *extrinseca*. Intrinseca dicuntur, quæ quasi transeunt in rem, quam meliorem reddunt: talia sunt stercoratio agri, implantatio arborum, si radices egerint &c. Extrinseca dicuntur, quæ rei tantum extrinsece adhærent, & salva ejus substantia separari possunt: cujusmodi sunt picturæ, januæ, fenestræ &c. Porro melioramenta, & expensæ aliæ sunt *necessaria*, aliæ *utiles*, & aliæ *voluntaria*, seu *voluptaria*. Necessariæ sunt, quæ si non fuissent factæ, res vel omnino periisset, vel reddita fuisset deterior; tales sunt, quæ fiunt in reficienda domo, in impinguando agro &c. Utiles sunt, sine quibus res eam bonos, & uberes fructus non protulisset: hujusmodi sunt, quæ fiunt in implantandis novis arboribus, in ampliandis agris, iisque extraordinarie meliorandis &c. Voluntariæ sunt, quæ citra augmentum utilitatis, & annui redditus conferunt ad ornatum, vel voluptatem.

Respondetur jam primo. Melioramenta, si sint extrinseca, spectant ad possessorem: quia ipse est illorum dominus, eaque auferre potest. Si vero sint intrinseca, possessor bonæ fidei detrahere tantum, etiam in foro conscientiæ, potest, quantum res est reddita utilior: prout statim dicemus de melioramentis, & expensis utilibus.

Respondetur secundo. Possessor bonæ fidei potest melioramenta, & expensas necessarias, ac utiles a domino repetere, & hic tenetur in conscientia solvere; secus est, saltem in foro conscientiæ, de melioramentis, & expensis voluntariis, seu voluptuariis pure talibus. Tamburinus *in Decal. lib.8. tr.2. cap.3. §.5. n.14.* Sporer *loc. cit. n.82.* & alii passim. De expensis saltem necessariis habetur responsio *in l. Domum Cod. de Rei vindicat.* Et ratio est: quia dominus ipse illas facere debuisset: tum quia fructus non obtinet rationem fructus, nisi deductis hisce expensis, *l.36. §. fin. ff. de heredit. petit.* tum denique quia per ejusmodi expensas conservatur res, & procreantur fructus, adeoque expensæ quasi ingrediuntur rem, & fructus; ergo æquitas poscit, ut, qui accipit rem, & fructus, etiam ferat expensas. De expensis utilibus constat *ex l. 51. ff. Familiæ Herciscundæ*, ubi absolute dicitur, quod impensarum ratio haberi debeat; quia nullus casus intervenire potest, qui hoc genus deductionis impediat. Ratio insuper est: quia possessor, faciendo expensas utiles, utiliter gessit negotium domini; ergo non appareat, cur illas amittere debeat, & repetere non possit. De expensis voluntariis, seu voluptuariis sumitur ex eo, quod videatur iniquum, dominum cogi ad solvendas impensas, in re sua meræ recreationis, & voluptatis gratia factas.

Dixi autem in respons. *saltem in foro conscientiæ.* Nam in foro externo conceditur bonæ fidei possessori facultas cogendi dominum ad solvendum pro iis, quantum ipse expendit, aut ad totam rem sibi justo pretio vendendam. Tamburinus *loc. & n. citt.*

Dixi præterea: *pure talibus.* Quia enim nullæ fere etiam voluntariæ expensæ reperiuntur, quæ non sint domino utiles, ideo juxta proportionem, & valorem utilitatis ordinarie poterit a possessore bonæ fidei aliqua fieri subtractio expensarum. Mezger *tom.3. tr.12. disp.33. art.2. a num.3.* Babenstuber *tr.7. disp.4. art.2. num. 26.*

373. Ut autem dicta utriusque responsionis penitius assequaris, & capias, adverte 1. quod possessor non possit plus expensarum deducere pro melioramentis, quam quantus est, & manet actus valor rei, quando hæc ad dominum revertitur. Id quod constat *ex l. in fundo, de Rei vindicat.* Ratio quoque est; quia solum eatenus cedunt in utilitatem domini. Unde si expensæ æquarunt e. g. decem aureos, melioramentum vero, dum res ad dominum revertitur, unum duntaxat aureum valet, non decem aureos, sed unum solummodo possessor reposcere poterit, & dominus compensare debebit. Quod si valor rei, quando hæc ad dominum redit, sit major, dominus non tenebitur refundere, nisi solas expensas factas; quia valor rei totus est auctus, & crevit domino. Unde si possessor bonæ fidei plantavit arborem fructiferam, expendendo unum aureum; dum vero res redit ad dominum, arbor plantata valet tres aureos, unum duntaxat aureum poterit deducere: quia arbor, quamprimum fuit plantata, fuit acquisita domino rei, eique valor illius crevit, non possessori. La Croix *lib.3. part.2. n.227.* aliique communiter.

374. Adverte 2. quod possessor obligetur ex fructibus quomodocunque consumptis, quamvis inde ditior non evaserit, melioramenta compensare. Ratio est: quia quo plures percepit fructus, eo minus censetur de suo pro melioramentis expendisse. Quod autem eos consumpserit, & inde ditior non evaserit, sibi imputet; reipsa enim fructus percepit, quibus, si voluisset, expensas sibi compensare potuisset. La Croix *loc. cit. n.229.* & alii passim.

375. Adverte 3. inter expensas, a domino solvendas, computari etiam posse, ac debere industriam, & operam ipsius possessoris. Ratio est: quia sicut possessor per alios potuisset laborem illam peragere, &, quod pro eo expendisset, deducere, sic laborando per seipsum potest laboris sui mercedem subtrahere; siquidem præsumendus non est voluisse laborare gratis, sed pro suo commodo, tametsi reipsa laboraverit pro commodo domini. Lugo *tom.1. de Justit. disp.17. sect.3. n.61.* Tamburinus *loc. cit. 11.* & alii.

376. Adverte 4. nomine expensarum, quas possessor bonæ fidei deducere potest, non venire expensas extraordinarias, seu fortuito, & per accidens solum causatas. E. g. Si tui equi ob immodicos labores, in colendo agro exantlatos, perierint, eorum valorem compensare, & deducere non poteris; cum tales expensæ fuerint extraordinariæ, & casu fortuito causatæ. Ita cum aliis a se relatis La Croix *n. 224.*

377. Adverte 5. possessorem eas duntaxat expensas deducere posse, quas pro iisdem melioramentis dominus ipse fecisset. E. g. Si dominus pro colendo suo agro expendisset duos aureos; possessor autem, quia non habebat proprios equos, & famulos, debuit expendere quatuor, possessor duos duntaxat aureos exigere poterit; quia hi soli cessere in utilitatem domini. Quod autem possessor cogatur subire damnum, casus est, & infortunium. Tamburinus *loc. cit. n.15.* & alii apud ipsum.

378. Adverte tandem 6. possessorem bonæ fidei non posse deducere expensas, factas in fructus bona fide consumptos, ex quibus non est effectus locupletior. Ratio est: quia cum dominus ex illis nihil receperit, iniquum foret, si ad aliquid solvendum adigeretur. Molina, Dicastillo, La Croix *loc. cit. n.223.*

ARTICULUS II.

De secunda, & tertia radice restitutionis, seu de injusta acceptione, & damnificatione.

Ex industria in uno, eodemque articulo utramque hanc radicem conjungimus, eo quod dicenda de una, fere etiam procedant de altera; ut patebit.

§. I.

Qualem, & quantam culpam supponat obligatio restituendi ex acceptione, vel damnificatione injusta?

S U M M A R I U M.

379. *Quid sit culpa Theologica, & quid Juridica, ac quotuplex?* 380. *Injusta acceptio, & damnificatio potest ex triplici capite esse venialiter culpabilis.* 381. *Obligatio restituendi, ut inde oriatur in conscientia, necessario supponit culpam Theologicam.* 382. & 383. *Solvuntur objectiones.* 384. *Aliud est dicendum de obligatione restituendi inducta per sententiam Judicis.* 385. *Obligatio restituendi hic oritur solum ex actione de se, & externe injusta.* 386. & *seqq. Solvuntur objectiones.* 391. *An, & quando intentio alteri nocendi sit affective contra Justitiam?* 392. *Non omnis actio externe injusta fundat obligationem restituendi.* 393. & *seqq. An, & quanta resultet obligatio restituendi ex culpa veniali? ubi etiam diluuntur argumenta opposita.*

379. PRænotandum primo, aliam esse culpam *Theologicam*, aliam *Juridicam*. Theologica est peccatum, sive offensa Dei, ideo sic dicta, quia eam præcipue spectare solent Theologi in foro conscientiæ, & in ordine ad Deum. Juridica (quæ etiam appellatur *civilis*, & *politica*) est omissio alicujus diligentiæ, qua damnum, vel incommodum proximi impediri potuisset, & debuisset, quin tamen coram Deo, & in conscientia ad peccatum imputetur. Dicitur *Juridica*; quia eam Jura attendunt pro foro externo, in quo interna non patent. Culpa Theologica alia est *gravis*, seu *mortalis*, alia *levis*, seu *venialis*: prout relinquitur ex dictis *part.1.n.653*. Culpa Juridica subdividitur in *latissimam, latiorem, latam, levem*, & *levissimam*. Latissima est, cum quis aliquid agit, vel omittit, intendens proximi damnum, quod ex sua actione, vel omissione secuturum prævidet; & appellatur quasi generice *dolus apertus*; quasi specifice autem, si fiat verbis mendacibus; *fallacia*; si factis, *fraus*; si arte verborum sine mendacio, *machinatio*. Culpa latior est, cum quis non quidem intendit, prævidet tamen damnum proximi ex sua actione, vel omissione secuturum; & vocatur *dolus præsumptus*: cui annumeratur ignorantia Juris communis, saltem in viris. Et hæc culpa quandoque confunditur cum latissima, diciturque *dolus* absolute, & simpliciter. Culpa lata est omissio diligentiæ, ab hominibus ejusdem conditionis communiter adhiberi solitæ: ideoque reipsa adjunctam habet positivam negligentiam. Levis est omissio diligentiæ, ab hominibus providentioribus in simili negotio adhiberi solitæ. Levissima est omissio diligentiæ, a providentissimis duntaxat adhiberi solitæ. Exemplo res tota declaratur: Si accepisti commodato librum, & dedisti furi, non dicens expresse, attamen intendens, ut illum auferret, commisisti culpam latissimam; latiorem vero, si librum reliquisti in domo furis; latam, si reliquisti in loco patulo, quo omnes communiter accedere solent; levem, si reposuisti quidem in tuo cubiculo, sed ostium non clausisti; levissimam, si clausisti ostium, sed non tentasti, an pessulus esset bene obductus. Ex quibus rite pensatis patet, quod culpam latissimam, latiorem, & latam regulariter comitetur culpa Theologica; non vero levem, & levissimam.

380. Prænotandum secundo, injustam acceptionem, & damnificationem triplici ex capite posse esse solum leviter, seu venialiter culpabilem. 1. Ex parvitate materiæ. 2. Ex defectu perfectæ deliberationis, vel advertentiæ. 3. Ex defectu levi debitæ diligentiæ; cum enim hæc communiter non consistat in indivisibili, sed habeat magis, & minus, contingere potest, ut adhibeatur aliqua, non vero tota; adeoque ut interveniat defectus aliquis levis, & negligentia solum venialiter culpabilis. Si injusta acceptio, & damnificatio sit venialiter culpabilis ex parvitate materiæ, tunc certum est, quod, sicut furtum rei levis est veniale, ita venialis sit ejusdem retentio, & obligatio damnum resarciendi sub veniali tantum. Quando autem materia, & damnum secundum se est grave, illatum tamen cum culpa Theologica solum veniali ob defectum deliberationis, vel diligentiæ debitæ, controversia non modica est inter DD. quanta sit in conscientia obligatio restituendi. Antequam vero hanc controversiam dirimamus,

381. Dico primo. Obligatio restituendi ex injusta acceptione, & damnificatione, in foro conscientiæ ante Judicis sententiam necessario supponit culpam Theologicam. Ita Theologi communiter contra plures Juristas.

Probatur ratione a priori: quia in foro conscientiæ non potest esse obligatio restituendi propter injuriam, nisi in eodem foro commissa sit injuria: sed ubi nulla intercessit culpa Theologica, nulla in foro conscientiæ commissa est injuria; ergo neque tunc in foro conscientiæ potest esse obligatio restituendi propter injuriam.

Confirmatur. Ideo fatuus, aut dormiens non tenetur in conscientia resarcire damna a se illata: quia illa intulit sine interventu culpæ Theologicæ; ergo nisi hæc talis intervenerit, obligatio restituendi in foro conscientiæ nulla erit.

Ex quo fluit 1. Eum, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut se, suave bona defenderet, alteri damnum intulit, non obligari ad restitutionem. 2. Militem, qui ratione obedientiæ pugnavit in bello a se prudenter putato justo, non teneri in conscientia compensare damna in prælio illata, nec quidquam restituere, nisi forte titulo rei acceptæ adhuc extantis, vel ex cujus consumptione effectus est locupletior. 3. Obligationem restituendi nullam contraxisse, qui rem alienam, quam credidit esse suam, bona fide accepit, & absumpsit, quando inde non est factus ditior. Ratio horum, & similium est, quod nulla culpa Theologica intercesserit, quæ tamen sola in præsenti conscientiam ligat, & obligat ad restituendum: esto forte intercesserit Juridica. Sporer *loc. cit. cap. 2. a num. 114.* & alii passim.

382. Objicies tamen contra conclus. primo. Jura, & Doctores, præsertim antiquiores, communiter tradunt, obligationem restituendi, etiam in foro conscientiæ, oriri ex culpa lata; ergo non necessario supponit culpam Theologicam.

Respondetur, explic. & dist. ant. Tradunt, obligationem restituendi oriri ex culpa lata, secundum se, & solitarie spectata, neg. spectata una cum culpa Theologica, quam ordinarie conjunctam habet, con. ant. & neg. cons. Hac responsione satisfit pluribus argumentis, quæ Adversarii ex utroque Jure coacervant, & opponunt. Censetur autem culpa lata mere juridica, & cum peccato saltem gravi injustitiæ non conjuncta, verb. grat. si res alienas, quas bona fide credidisti esse tuas, prodige absumpsisti; aut in pueritia scienter quidem, & voluntarie, ut ex juvenili levitate alium damnificasti, non apprehendens, tuam actionem esse theologice malam, sed solum politice, & pœnæ obnoxiam, si deprehendaris. Pichler *lib. 5. titul. 36. num. 15.*

383. Objicies secundo. Æquitas naturalis postulat, ut is potius damnum luat, qui intulit, quam alius, qui prorsus est innocens; ergo licet damnificans non peccaverit Theologice, tenebitur tamen in conscientia damnum illatum compensare.

Respondetur, dist. ant. Si illatio damni sit illi moraliter, & coram Deo imputabilis, con. si non sit ita imputabilis, neg. ant. & cons. Illatio damni, in qua nulla intercessit culpa Theologica, non est inferenti moraliter, & coram Deo imputabilis.

384. Quæres, an saltem post sententiam Judicis oriatur in conscientia obligatio restituendi, seu resarciendi damnum sine culpa Theologica illatum?

Respondetur cum communissima DD. affirmative. Ratio est: quia alias sententia Judicis foret frustranea, cum a damnificante posset pro libitu eludi: neque obtineretur finis per Leges intentus, qui est, ut homines stimulentur ad tales quoque damnificationes magis præcavendas.

385. Dico secundo. Obligatio restituendi, quam secunda, & tertia restitutionis radix inducit, non oritur nisi ex actione externe injusta: unde si ponatur e. g. actio externe justa, vel indifferens, licet sit infecta vitio interno injustitiæ, obligationem restituendi non parit. Tamburinus *lib.8. tr.3. c.2. §.3.* Haunoldus *tract.2.*

n. 230.

*n.*230. Herincx *part.*3. *tr.*2. *disp.*5. *quæst.*1. *n.*6. Isinger *pag.*73. La Croix *loc. cit. num.*148. & alii communius contra alios.

Probatur primo. Ut quis vi injustæ acceptionis, vel damnificationis teneatur ad restitutionem, debuit causasse inæqualitatem in altero, aliquid scilicet auferendo, vel destruendo, quod ipsius erat: atqui talis inæqualitas non potest causari per actionem interne solum injustam, cum hæc nihil operetur ad extra, sed tantum per actionem externe injustam; ergo obligatio restituendi non oritur nisi ex actione externe injusta.

Respondetur Adversarii, quod actio interna injustitiæ ita possit afficere, & vitiare externam, de se justam, vel indifferentem, ut quemadmodum illa, ita & ista sit contra Justitiam; & consequenter obligationem restitutionis inducat. E.g. Si Cajus, erga Sempronium male affectus, suadeat Titio, ne faciat testamentum; quia prævidet, fore, ut illud faciat in gratiam Sempronii. In hoc casu, & aliis consimilibus actio externa (nempe suasio) licet de se injusta non sit, redditur tamen formaliter injusta ex actione injusta interna, a qua afficitur; proindeque obligationem restituendi pariet.

Sed contra est, quod actio interna (ut in adducto exemplo mala affectio, & ex ea promanans intentio nocendi) actionem externam ad summum reddat injustam affective, non autem effective; nam actio interna non est causa damni, sed sola externa, cum ex hac damnum sequeretur, esto ab illa non procederet; ergo quod ab ea procedat, non idcirco redditur damnosa: & consequenter neque formaliter injusta quoad effectum, sed summe quoad affectum: id quod non sufficit, ut reipsa, & formaliter lædatur jus alterius, & nascatur obligatio illud media restitutione reparandi.

Probatur secundo. Si propter actionem externe justam, vel indifferentem, vitio tamen interno injustitiæ infectam, induceretur obligatio restituendi in conscientia, mercatores, opifices &c. tenerentur ad restitutionem, dum emptores invitant ad suas officinas ex intentione alios mercatores, & opifices damnificandi: atqui sequela est falsa, & contra communem praxim Confessariorum, quippe nullam illis restitutionem imponere solentium; ergo &c.

386. Objicies primo. *L.*1. *§.*12. *& l.*2. *§.*9. *ff. de aqua, & aq. pluv. arcend.* dicitur, contra eum, qui fontem, vel aquæductum avertit, non posse agi, si id non fecerit animo nocendi; ergo si id fecerit animo nocendi, poterit contra ipsum agi, & tenebitur damna compensare.

Respondetur, concedendo totum. Neque enim ex eo aliquid contra nos concluditur; cum inde non sequatur, quod obligatio restituendi oriatur in conscientia ex natura, & conditione ipsiusmet actionis exercitæ, sed ex sententia Judicis, illum, qui aquam sine rationabili causa averterit, & monitus non destiterit, ad damnorum reparationem condemnantis.

397. Objicies secundo. Licet quis non peccet contra virtutem Castitatis, dum ex causa rationabili v. g. equitat cum prævisione pollutionis inde secuturæ, si talem sequelam non intendat; peccat tamen contra dictam virtutem, si ejusmodi sequelam intendat; ergo etiam Cajus supra, licet non peccet contra Justitiam, si Titio dissuadeat factionem testamenti sine animo nocendi Sempronio, peccabit tamen contra illam, si dissuadeat ex intentione, & animo nocendi: & consequenter vitalis intentionis injustæ, cum reali damnificatione conjunctæ, tenebitur Sempronio damna secuta resarcire.

Respondetur primo, argumentum probare nimium. Probat enim, quod Cajus peccet etiam contra Justitiam (communi DD. sensu refragante) si intermittat suasione testamenti ex intentione Sempronium damnificandi: sicut quis peccaret contra Castitatem, qui omitteret flagellationem, vel gestationem cilicii eo fine, & animo, ut ex tali omissione sequatur pollutio &c.

Respondetur secundo, neg. cons. Disparitas est, quod Justitia commutativa, ex cujus violatione resultat obligatio restituendi, respiciat æqualitatem arithmeticam inter datum, & acceptum, seu requirat, ut tantum restituatur, quantum a Jure alterius exigitur, & non quantum determinatur per hanc, vel illam intentionem: unde siquid a jure alterius non exigatur, sive ego intendam illud ponere, sive omittere, non ero justus, aut injustus, ea saltem injustitia, quæ inducere valeat obligationem restituendi. Cum ergo emolumentum, quod Sempronius caperet ex testamento Titii, non exigatur a jure Sempronii, sive Cajus illud intendat promovere, sive impedire, non peccabit contra Justitiam. At Castitas respicit honestatem a recta ratione determinatam; dictat autem recta ratio, salva Castitate non posse intendi pollutionem etiam per actiones de se indifferentes, utpote per quas eadem incommoda sequerentur, qualia per actiones de se inhonestas; proindeque actiones de se indifferentes sic intentæ repugnant fini Castitatis.

Respondetur tertio, neg. ult. cons. Nam dato, quod per illam intentionem peccetur contra Justitiam, inde tamen non consurgere obligatio restituendi, quippe quæ solum pullulat ex actione injuriosa effective, qualis non est illa intentio, etiam ut afficit actum externum dissuasionis testamenti; prout ex dictis liquet.

Instabis. Cajus non habet jus ad actum externum dissuasionis ea nociva intentione ponendum; ergo si illum sic ponat, peccat contra Justitiam, & consequenter se reddit restitutioni obnoxium.

Respondetur, transmisso antecedente, dist. primum cons. Peccat contra Justitiam interne, & quoad affectum, transeat. externe, & quoad effectum, neg. hanc, & alteram cons.

388. Objicies tertio. Actio externa, qua arripio tuum librum, est de se indifferens, ut procedat vel ab intentione solum aliquandiu legendi, vel ab intentione furandi eum: si procedat ex priori intentione, non est injusta; est vero, si procedat ex posteriori; ergo sola intentio interna potest vitiare actionem externam, & efficere injustam: consequenter &c.

Respondetur, dist. primum cons. Sola intentio interna potest actionem externam efficere injustam, si hæc de se non sit damnosa, prout in exemplo arreptio libri, con. si ea de se sit damnosa, neg. hanc, & alteram cons. Intentio furandi arreptionem libri, de se non damnosam efficit damnosam: unde non est mirum, si etiam efficiat injustam, & obligationis ad restituendum inductivam. At si actio externa de se sit damnosa, non tamen injusta (de quali præcipue nostra conclusio loquitur) per solam intentionem internam, ut ut injustam, non potest, saltem effective, reddi injusta; & consequenter neque restitutionis obligationem parere.

Ut hoc, ipsamque etiam conclusionem penitius assequaris, adverte, nos universaliter asserere, ac tenere, quod obligatio restituendi, ex radice injustæ acceptionis, vel damnificationis pullulare nata, semper debeat supponere actionem *externe injustam* (sic enim sonant termini conclusionis) sive dein actio illa sit de se, & suapte natura talis, sive saltem reddatur talis per intentionem accipientis, aut damnificantis, prout fieri potest, & fit, quando actio, quæ de se non est damnosa, efficitur damnosa; tunc enim efficitur simul externe injusta, ut dictum de arreptione libri in casu objectionis: esto id fieri posse negemus, quando actio est de se damnosa, qualem per modum exempli posuimus in conclus. & de quali præcipue controversia, hucusque discussa, procedebat.

389. Objicies quarto. Qui impedit alium dolo, aut fraude a consecutione boni ex Justitia indebiti, peccat contra Justitiam; si vero sine dolo, aut fraude, non peccat contra Justitiam; ergo idem dicendum de impediente alium cum, vel sine animo nocendi.

Respondetur, explic. dist. ant. Si dolus, & fraus transeant in actionem externam, contrariam alterius juri, con. si non ita transeant, sed ad intra, seu in mera voluntate interna sese contineant, ac consumment, neg. ant. cum cons. & paritate; nam intentio interna alteri nocendi non potest transire in actionem externam, quando hæc, ut in proposito, de se est æqualiter damnosa, sive procedat, sive non procedat ex intentione nocendi.

390. Objicies quinto. Si graviter injuriatus a Titio, illatam mihi injuriam manifestem Cajo, homini prudenti, & taciturno, ad quærendum exinde aliquod solatium, non pecco; pecco autem, & quidem contra Justitiam, si id faciam ex intentione infamandi Titium; ergo sola intentio interna potest actionem externam efficere injustam, licet de se injusta non sit: consequenter &c.

Reſpondetur ad ant. negando, quod peccem contra Juſtitiam, ſaltem affective, nam illa intentio infamandi ſe habet per accidens in ordine ad inferendam injuriam in effectu: ut patet, ſi graviſſimi mali Reipublicæ avertendi cauſa manifeſtem crimen Titii, puta proditionem patriæ, vel ſimile ex odio, quo in illum, ceu meum inimicum, ardeo; tunc enim pariter contra Juſtitiam non delinquo, ſaltem effective, neque ad ullam reſtitutionem obligor; quia competit mihi jus ad tale crimen manifeſtandum, & intentio nocendi omnino per accidens eſt quantum ad cauſandam injuriam, ac inæqualitatem in Titio.

391. Quæres primo, an intentio interna alteri nocendi per actionem damnoſam de ſe indifferentem, vel juſtam, ſit contra Juſtitiam ſaltem affective?

Reſpondetur negative. Ratio eſt: quia tunc ſolum peccat quis affective contra Juſtitiam, quando effectu, & intentione fertur in actionem externam de ſe injuſtam, & juris alieni violativam; quam tamen executioni mandare nequit: uti patet de volente furari pecuniam, & in hunc finem reſerante ciſtam, in qua tamen nihil pecuniæ incluſum reperit. At vero, ſi quis ſolum optet alteri damnum, quin aliquid faciat, aut facere intendat, quod jus illius lædat, prout evenit in caſu concluſionis, & quæſtionis hactenus ventilatæ, non niſi contra Charitatem delinquere convincitur.

392. Quæres ſecundo, an omnis actio externe injuſta, & repugnans Juſtitiæ commutativæ, fundet obligationem reſtituendi?

Reſpondetur negative: ſed debet eſſe ſimul damnoſa. Id quod colligitur ex dictis, & luculenter exprimit Doctor Angelicus *Opuſc.* 73. *c.* 20. per hæc verba: *Si aliquis paſſus ſit injuriam, & non damnum, illi non eſt facienda de jure reſtitutio realis, ſed tantummodo ſecundum genus injuriæ facienda eſt emendatio per ſimilem ſatisfactionem.* Ratio inſuper eſt: quia reſtitutio eſt *rei acceptæ redditio, vel damni illati compenſatio*, ex dictis *n.* 337. ergo eſſentialiter ſupponit illationem damni, ſive per acceptionem rei alienæ, ſive per meram rei deſtructionem cauſati. Ex quo fit, ut Cajus non tenentur ad aliquam reſtitutionem, ſi commiſerit occulte adulterium cum uxore Titii, nulla inde procreata prole: quia eſto peccaverit contra Juſtitiam, nullum tamen cauſavit temporale damnum. P. Elbel *de Reſtit. n.* 22.

393. Dico tertio. Qui intulit damnum grave per culpam Theologicam levem ob defectum debitæ diligentiæ, vel deliberationis, & advertentiæ, non obligatur graviter in conſcientia ante ſententiam Judicis illud reparare: bene autem (2.) ſi per culpam levem ſine defectu deliberationis, ſeu quando damnificans cognoſcit totam gravitatem materialem damni; ignorat tamen, nec advertit gravitatem formalem: ut ſiquis una ablatione furatus ſit Principi tres aureos ex plena deliberatione, valorem, ac pretium monetæ optime ſciens, bona tamen fide exiſtimans, hanc quantitatem tam diviti ablatam non ſufficere ad peccatum mortale. Secunda pars eſt communis, Primam tenent Leſſius, Lugo, Tambur. *loc. cit. n.* 3. Illſung *tr.* 4. *diſp.* 3. *n.* 10. Babenſtub. *tr.* 7. *diſp.* 4, *art*, 3. *n*, 12. & alii contra alios.

Probat primam partem P. Babenſtuber in hunc modum. Obligatio reſtituendi ex delicto, qualis eſt præſens, quamvis non ſit proprie pœna, imitatur tamen naturam pœnæ; ergo ſicut pœna ſupponit culpam, & pœna gravis culpam gravem, ita defectus culpæ excludit pœnam, & defectus culpæ gravis excludit pœnam gravem. Atqui compenſatio totius damni gravis eſt ſuo modo pœna, & quidem gravis; ergo ſupponit culpam gravem; ergo, ubi non præceſſit culpa gravis, veluti non præceſſiſſe ſupponitur in præſenti, non poteſt dari obligatio gravis, ſive ſub peccato mortali ad ejuſmodi compenſationem.

Verum hæc probatio infirma eſt, & retorſione eliditur; nam etiam in ſecundo concluſionis membro non intervenit niſi culpa levis; ergo neque ibi daretur obligatio gravis: quam tamen ſequelam cum communi negat *cit.* Auctor *n.* 15. Quare adducta probatio impugnat ſecundum concluſionis membrum, & a nobis infra *n.* 369. tanquam argumentum contrarium refutabitur. Hic autem aliter

Probatur prima pars. Radix obligationis reſtituendi in caſu concluſionis quoad primum membrum eſt unice ratio injuriæ leviter damnoſæ; nam gravitas damni, cum non fuerit voluntaria, in obligationem reſtituendi influere non poteſt; ergo nequit eſſe major obligatio reſtitutionis in ſuo ordine, quam ſit injuria damnoſa in ſuo; cum inter radicem, & radicatum debeat intercedere proportio: conſequenter &c.

Probatur altera pars ratione oppoſita; nam radix obligationis reſtituendi tunc etiam eſt injuria graviter damnoſa, eſto non niſi leviter fuerit peccaminoſa; quia gravitas damni, utpote voluntaria, una influit in obligationem reſtituendi; ergo ſicut injuria, in quantum damnoſa, eſt gravis, eſto ſit levis, in quantum peccaminoſa, ita gravis erit obligatio reſtituendi. Unde hic in ordine ad obligationem reſtituendi alleviandam nihil ſuffragatur levitas peccati; veluti patet exemplo illius, qui duodecim v. g. alterius anſeres ſcolpeto trajecit, cum præhabita intentione totum damnum reſarciendi; licet enim talis per ejuſmodi intentionem impedierit, ne injuria eſſet graviter peccaminoſa, tenetur tamen ſecundum omnes ſub mortali ad reſtitutionem, quoniam injuria eſt graviter damnoſa, & ſcienter, ac voluntarie per culpam Theologicam, eſto levem, alteri illata. P. Babenſtuber *loc. cit. n.* 15. Conferantur, quæ habentur infra *n.* 618.

394. Objicies primo contra primam partem concluſ. Licet pœna purgatorii, & excommunicatio minor ſint pœnæ graves, poſſunt tamen incurri ob peccatum leve etiam ob defectum ſufficientis deliberationis; ergo etiam, licet obligatio ſub mortali reſtitutionem imperans, ſit pœna, vel quaſi pœna gravis, poterit nihilominus contrahi ob damnificationem in ratione culpæ Theologicæ levem ob defectum ſufficientis deliberationis.

Reſpondetur, tranſmiſſo antecedente, neg. conſ. & parit. Diſparitas eſt: quia in primis pœna purgatorii, eſto ſit graviſſima relate ad Rempublicam humanam, eſt tamen levis in ordine ad Rempublicam æternam, & forum Divinum, in quo infligitur. Deinde excommunicatio minor reputatur moraliter quid leve: quia per pœnitentiam, & abſolutionem facile tollitur. Item eſt pœna medicinalis, quam Mater Eccleſia congruam judicat, ut filius lapſus ab errore reſipiſcat, & ne in deterius ruat. At vero obligatio reſtituendi, ſiqua eſſet, in eodem foro conſcientiæ, in quo contraheretur, gravis eſſet. Porro eadem obligatio reſtituendi non eſt aliquid, quod tam facile tollatur; nec eſt pœna medicinalis; ergo &c.

Dixi: *tranſmiſſo antecedente*. Nam licet, quod in eo aſſumitur, teneat relate ad pœnam purgatorii; non tamen tenet relate ad pœnam excommunicationis minoris; hæc quippe non incurritur ob culpam levem, levitate proveniente ex defectu ſufficientis deliberationis, eſto incurri poſſit ob culpam levem, levitate ſe tenente ex defectu ſufficientis materiæ, Revide, quod diximus *part.* 3. *n.* 204.

395. Objicies ſecundo. Cajus v. g. poteſt velle, ut Titius ſuum ſibi equum auferendo peccet ſolum leviter, graviter vero illum non reſtituendo: ſed in hoc tali caſu ex acceptione leviter tantum mala, eſto levitas malitiæ oriri ſupponeretur etiam ex defectu deliberationis, naſceretur obligatio gravis reſtituendi; ergo &c,

Reſpondetur, neg. min. Nam illa obligatio gravis reſtituendi naſceretur ex quaſi contractu, quem Cajus in eo caſu cum Titio interpretative, ac tacite iniiſſe cenſeretur: ſicut ſi Cajus accepiſſet rem Titii, prudenter præſumens, hunc non eſſe contrarium, & poſtea adverteret, fuiſſe contrarium, teneretur illam reſtituere, non quidem ex injuſta acceptione, cum talis non ſupponeretur interveniſſe; ſed ex quaſi contractu interpretativo, & tacito, quatenus Cajus non potuit prudenter præſumere, Titium circa ſuæ rei ablationem non eſſe contrarium, niſi ſimul ſuſcipiendo in ſe onus illam reſtituendi, ubi cognoſceret fuiſſe contrarium: conſequenter &c.

396. Objicies tertio contra ſecundam partem concluſ. Obligatio reſtituendi ſub mortali eſt pœna, vel quaſi pœna gravis, prout conſideratur in præſenti, ſeu ut oritur ex delicto; ergo ſupponit culpam Theologicam gravem; ergo in foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis non contrahitur ob culpam Theologicam levem, tametſi levitas culpæ non proveniat ex defectu deliberationis,

Reſpon-

Respondetur, dist. utrunque conf. Et illa sunt vera, si ratio culpæ, seu injuriæ existat radix unica, & adæquata restitutionis, con. secus, neg. utranque conf. Nam eo in casu non sola ratio culpæ, sed etiam gravitas damni, quippe scienter, & voluntarie dati, in obligationem restituendi influit. Id quod constat ex dictis.

397. Quæres, an saltem in casu conclus. quoad primum membrum spectatæ, sit obligatio levis in conscientia compensandi damnum illatum?

Respondetur primo negative, loquendo de compensatione totius damni, vel gravis ejusdem partis. Babenstuber *loc. cit. n.* 13. & alii quorum meminit. Ratio est: quia compensatio totius damni, vel gravis ejusdem partis, imitatur in præsenti naturam pœnæ, estque effectus quasi pœnalis; ergo oriri non potest, nisi ex culpa, seu injuria gravi, si hæc, ut evenit in proposito, unice, & adæquate influat in obligationem compensandi, seu restituendi.

Respondetur secundo, quod probabilius detur obligatio levis compensandi partem levem gravis damni, commensuratam culpæ veniali, per quam ejusmodi damnum est illatum. Ita Reginaldus, Bonacina, Burghaber, Haunoldus, & Illsung, quos refert, & sequitur La Croix *loc. cit. num.* 191. contra Lessium, Lugonem, Tamburinum, Babenstuber &c. volentes, ne quidem esse obligationem levem quidquam compensandi, aut restituendi &c. Ratio est: quia omnis injuria formalis, & cum damno conjuncta, inducit inæqualitatem; ergo etiam inducit obligationem tollendi eam inæqualitatem, & restituendi æqualitatem: atqui illa obligatio non potest esse gravis, neque etiam levis ad reparandum totum damnum, aut gravem ejus partem, secundum dicta; ergo erit levis, & ad partem levem solum, culpæ veniali prudentum judicio proportionatam, & commensuratam. Confirmatur. Siquis per levem culpam, etiamsi ejusmodi levitas orta esset *ex semiplena* deliberatione, & advertentia, abstulisset denarium, teneretur etiam titulo injustæ acceptionis illum sub peccato veniali restituere; prout cum communi dicemus *disp. seq. num.* 611. ergo etiam in proposito accipiens, & damnificans titulo injustæ acceptionis, & damnificationis tenetur sub peccato veniali restituere, & compensare partem levem damni, per culpam levem, cujus levitas ex simili radice orta est, illati.

398. Dices. Ex actu vovendi ob considerationem semiplene voluntariam, ne quidem sub veniali oritur obligatio implendi votum etiam secundum partem tantum; ergo neque ex acceptione ob advertentiæ defectum semiplene voluntaria, & venialiter injusta orietur obligatio quidquam restituendi etiam sub veniali tantum.

Confirmatur a priori. Damnificatio, per talem semiplenam advertentiam facta, reputatur casualis; ergo non est imputanda damnificanti, sed adscribenda casui: & consequenter &c.

. Respondetur ad argum. neg. conf. Disparitas colligitur ex eo, quod ad hoc, ut inducatur obligatio voti (idem cogita de obligatione juramenti, contractus &c.) requiratur moraliter loquendo totus homo, utpote qui vovendo libertatem suam quasi alienat; & consequenter semiplena, & imperfecta advertentia non sufficit ad inducendam obligationem voti ne sub veniali quidem: sufficit tamen ad committendum peccatum veniale etiam injustitiæ; quod proinde inducet obligationem proportionatæ restitutionis faciendæ.

Ad Confirmat. neg. ant. Siquidem ejusmodi damnificatio est solum quasi, seu semicasualis, compatiens semiinjuriam, seu injuriam imperfectam, quæ est radix obligationis venialis ad restituendum aliquid leve, tali injuriæ respondens, & commensuratum.

§. II.

Quid, & quantum possessor malæ fidei teneatur restituere de substantia rei alienæ? ubi etiam de iniquo damnificatore.

S U M M A R I U M.

399. *Quis censeatur esse* possessor malæ fidei? 400. *Tenetur is restituere ipsam rem alienam, si adhuc extet; vel ejus valorem, si jam perierit, nisi similiter casu fuisset certo peritura apud dominum,* 401. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 404. *Secundum quem valorem rei alienæ a possessore malæ fidei debeat fieri restitutio?* 405. *&* 406. *Resolvuntur duo dubia idem quæstionis punctum concernentia.*

399. PRænotandum, quod ille sit, & dicatur *possessor malæ fidei*, qui detinet rem, quam scit, vel putat esse alienam (licet forte non sit aliena, sed ipsius) aut possessionem reprobari a Jure.

400. Dico jam. Possessor malæ fidei tenetur per se loquendo restituere ipsam rem alienam adhuc extantem; aut si absumpta sit, vel quomodocunque perierit (nisi casu certo etiam fuisset peritura apud dominum) totum ejus valorem, & æstimationem. Quæ posterior obligatio incumbit etiam iniquo damnificatori. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 20. *art.* 4. & alii communiter.

Probatur tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem: quia veritas conclusionis luculenter exprimitur *in l. ff. bonæ fidei, de acquir. rer. domin. l. fructus, ff. de rei vindicat. & l. domum, C. de rei vindicat.* Ratione vero; nam qui voluntarie violavit Justitiam commutativam, tenetur restituere ad æqualitatem arithmeticam, seu tantum, quantum abstulit, aut alterum damnificavit: sed possessor malæ fidei, & iniquus damnificator voluntarie violarunt justitiam commutativam; ergo tenentur restituere secundum æqualitatem arithmeticam. Atqui hoc non fieret, nisi restitueretur ipsa res ablata, quando adhuc extat, vel, ea non amplius superstite, totus ejusdem valor, & æstimatio, ut patet; ergo &c.

Dixi autem in conclus. 1. *per se loquendo*. Nam per accidens etiam possessor malæ fidei excusari potest, ne teneatur eandem rem in individuo restituere: sicut supra *n.* 352. de possessore bonæ fidei insinuatum, & decisum ivimus.

Dixi 2. *quomodocunque perierit*, id est, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, & casu fortuito: quia possessor malæ fidei ipsa sua injusta acceptione, & detentione rei alienæ, quomodocunque hæc apud ipsum pereat, est voluntaria causa totius illius damni alieni; quod proinde totum resarcire tenebitur. Unde si Cajus v. g. abstulit Titio equum, mox postea sibi in itinere a prædonibus ereptum, obligatur Titio ad totum equi valorem, & æstimationem præstandam.

. Dixi 3. *nisi casu certo etiam fuisset peritura apud dominum.* Quod si enim res aliena apud possessorem malæ fidei pereat citra omnem ejus culpam casu omnino fortuito, certo similiter peritura apud dominum, si penes ipsum mansisset, puta communi incendio, naufragio &c. ille, saltem in foro conscientiæ, nihil tenetur restituere, nisi in quantum ex tali re ditior evasit. Tamburinus *loc. cit.* §. 8. *n.* 2. Sporer *n.* 162. Elbel *n.* 77. & alii passim. Sumitur *ex l. 1. ff. ad Legem Rhodiam de jactu*, ubi dicitur, nautam non teneri ad restitutionem, quando transtulit merces ex una navi ad aliam navem deteriorem invito domino mercium, quæ periit, prima pereunte in eadem tempestate. Ostenditur etiam ex ratione: quia obligatio restituendi in casu posito oriretur ex injusta acceptione, ut patet: sed inde oriri nequit; cum injusta acceptio solum obliget ad restitutionem, quando est causa efficax damni, qualis non esset in casu: quia dominus fuisset inevitabiliter passus idem damnum, etiamsi res non fuisset per furem ablata; ergo &c. Confirmatur. Damnum illud erat in sua causa inevitabiliter præparatum, & secundum moralem æstimationem jam illatum; ergo fur non censetur damnum intulisse moraliter loquendo: consequenter &c. Unde si ante commune incendium furatus es res tui vicini, mox utriusque bonis incendio absumptis; si navi vectus clepsisti alterius pecunias, vel merces, & mox facto naufragio omnes merces cum tuo furto perierunt, ad nullam restitutionem obstringeris. Idem judicandum, si res, v. g. equus, certo peritura erat apud dominum vi infirmitatis, aut defectus naturalis, quo jam laborabat, quando ablata fuit; vel vi alicujus causæ liberæ quidem, sed juste agentis, cujusmodi esset justus hostium incursus: quia talis quoque interitus censeretur fortuitus, & casualis, saltem æquivalenter, esseque eadem ratio, ac de interitu formaliter, & simpliciter casuali. Sed contra hoc

401. Objicies primo. Si in casu primum posito non sit obligatio restituendi, sequitur, neque fore obligationem restituendi; quando res per alium furem erat auferenda: sequela autem non tenet; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Nam fur, qui prævenit furando rem, quam alius fur abstulisset, tenetur ad restitutionem, eo quod injuste abstulerit rem alienam, & damnum per seipsum domino intulerit, quod damnum etiamsi illatum fuisset ab alio, nihilominus injuste fuisset illatum cum onere restitutionis. Qui vero abstulit rem, quæ certo peritura erat casu, vel aliqua justa ratione, non censetur moraliter loquendo damnum intulisse; nec ullus, ea pereunte, obligatus fuisset ad restitutionem: consequenter neque videtur obligandus fur, si prævenerit auferendo rem, apud dominum certo perituram.

402. Objicies secundo. Possessor malæ fidei tenetur de casu fortuito; ergo obligatur ad restitutionem, quando res apud ipsum periit, licet etiam apud dominum certo peritura fuisset.

Respondetur, antecedens non esse verum in propositio; sed solum, quando res alias erat peritura injuste, & contingenter: item quando dubitatur, an res apud dominum fuisset peritura; quia in dubio debet melior esse conditio domini.

An autem fur aliter dubitans teneatur integrum rei deperditæ valorem compensare, ac restituere, vel solum pro rata dubii, diffident Authores apud P. Sporer *loc. cit. num.* 163. qui putat, utrunque probabiliter sustineri posse. Existimo tamen cum P. La Croix *loc. cit. n.* 218. integrum valorem compensandum esse: quia in dubio judicandum est pro existentia rei, ejusque domino, eo quod prius sit rem existere, quam dubitare, num peritura fuisset.

403. Objicies tertio. Sequeretur, quod possessor malæ fidei ab onere restituendi immunis quoque foret, si res apud ipsum periisset culpabiliter: hoc autem est contra communem; ergo &c.

Confirmatur. Si certo constiterit, rem etiam perituram apud dominum, ea moraliter loquendo nullius erat æstimabilitatis, & pretii; ergo nihil pro illa restituendum erit, tametsi ponatur apud furem culpabiliter periisse.

Respondetur ad object. neg. seq. Ratio negandi est; quia quandiu res extat apud possessorem malæ fidei, dominus retinet jus, & dominium in illam; ergo si apud talem possessorem culpabiliter pereat, domino infertur injuria, ex qua de Jure naturali resultat obligatio restituendi, etiamsi res apud dominum certo peritura fuisset. Unde si Cajus v.g. abstulit Titio frumentum, & hoc consumpsit, vel alienavit mala fide, quod postea ob exortum commune incendium certo periisset Titio, totum frumenti valorem, seu pretium refundere obligatur. Idemque est de iniquo damnificatore: ut si Petrus hodie combussit segetem Pauli, quæ cras certo erat peritura Paulo verb. grat. fulmine, aliove simili modo.

Ad confirmat. dist. ant. Spectato statu, in quo res fuisset apud dominum, con. spectato statu, in quo fuit apud possessorem, neg. ant. & cons. Quare licet hujusmodi res nullius fuerit pretii, moraliter loquendo, considerata juxta statum, quem habuisset, si penes dominum mansisset; fuit tamen pretio æstimabilis relate ad statum, quem sortita erat apud possessorem: qui status pertinebat ad rem, & consequenter ad dominum rei; ergo cum possessor illam ex tali statu iterum dejecerit, intulit domino damnosam injuriam; sicut qui rem ex incendio ereptam denuo injicit: consequenter &c. Ita P. La Croix *loc. cit.*

404. Quæres, secundum quem valorem rei alienæ a possessore malæ fidei debeat fieri restitutio?

Antequam huic dubio satisfiat, præsciendum 1. in restitutione pretii pro re aliena consumpta, vel perdita, non debere attendi præcise ad valorem, quem res habuit, sed potius ad damnum, quod domino per injustam ablationem, ac consumptionem rei suæ illatum est, & compensari debet. Ratio est: quia compensato damno, quod passus fuit dominus, redit æqualitas, & respective tantundem est, ac si nihil ei fuisset ereptum, vel detentum; ergo sic restituendo in tali casu fit satis. Ut autem damnum illatum, & compensabile taxari valeat, attendendum est ad tempus, quo & ab iniquo detentore res fuit consumpta, vel distracta, & a domino fuisset consumenda, vel distrahenda. Præsciendum 2. valorem rei posse variari, vel intrinsece, vel extrinsece. Intrinsece variatur, quando res in se, & secundum suam substantiam evadit melior, aut deterior: ut patet in pullo equino e. g. qui dum adolescit, & fit equus, in se, suaque substantia melior; dum vero senescit, iterum vilior, ac deterior evadit. Extrinsece variatur, quando res secundum se, suamque substantiam eandem permanens, jam pluris, jam minoris æstimatur: ut si modus tritici valeat modo sex florenos; postea vero ob multitudinem emptorum v. g. valeat octo, vel decem. His præscitis,

Respondetur jam ad quæsit. primo, non semper sufficere, quod restitutio fiat secundum illum valorem, quam res habebat eo tempore, quo dominus eundem consumpsisset, vel alienasset. Illsung *tr. 4. disp. 3. n.* 159. La Croix *loc. cit. n.* 232. & alii communiter, loquendo de restitutione rei, cujus valor auctus est intrinsece: loquendo autem de restitutione rei, cujus valor solum crevit extrinsece, responsioni nostræ contradicunt Lessius, Layman, & alii plures. Ratio pro casu, quo res crevit intrinsece, est: quia alias furatus pullum equinum, quem postea factum equum vendidit triginta aureis, satisfaceret restituendo decem aureos, si dominus eum pullum, priusquam in equum evasit, venditurus fuisset decem aureis; sed hoc admitti non potest; ergo &c. Min. ostenditur ex eo, quod res crescat suo domino, quandiu ipsius est: atqui pullus equinus, quando factus est equus, & crevit ad valorem triginta aureorum, erat domini; ergo ipsi crevit: consequenter &c. Ratio pro casu, quo res crevit extrinsece, est: siquidem & extrinsecus valor domini est: licet enim is physice sit rei extrinsecus, moraliter tamen censetur ei intrinsecus, cum reddat illam pluris æstimabilem, majorique pretio vendibilem; ergo hic eadem militat ratio: consequenter eadem furi incumbet obligatio restituendi. Unde si fur mense Majo consumpserit triticum, cujus valor tunc erant quatuor aurei, & dominus illud fuisset primum mense Octobri consumpturus, ubi valor ejusdem descendisset ad duos aureos, fur quatuor aureos restituere obligatur.

Respondetur secundo, non semper esse obligationem restituendi, seu compensandi valorem summum, quem res habuit tempore mediante inter tempus, quo sublata, & inter tempus, quo a fure consumpta, vel alienata est. E. g. Si pullus equinus tempore, quo sublatus fuit, valuerit decem aureos; ubi adolevit, triginta, & postmodum, ubi senuit, rursus decem: atque in hoc postremo statu a fure venditus fuerit, fieri potest, ut venditor non teneatur restituere plus quam decem aureos. Ratio est: quia si dominus fuisset illum equum conservaturus usque ad tale senium, etiam ipsi, ut suppono, non voluisset nisi decem aureos; & consequenter in casu non censetur majus damnum, quam decem aureorum perpessus: quod proinde solum una cum damni emergentibus, & lucris cessantibus eo tempore, quo suo equo carere debuit, eidem necessario compensandum erit. Nec refert, quod valor temporis intermedii apud furem perierit: periit enim sine culpa furis (ut supponitur) similiter periturus apud dominum; ergo damnum domino non provenit a culpa furis, seu detentione equi: consequenter &c. Ita Illsung *loc. cit. n.* 160. La Croix *n.* 233. & alii passim.

Sed ut magis positive, magisque universaliter pro resolvendis diversissimis casibus respondeamus, sit hic casus: Cajus furetur a Titio mensuram tritici mense Augusto, cujus valor tunc sint tres floreni: mense Decembri crescat ejusdem valor ad sex florenos; mense Junio decrescat ad priores tres, vel duos, imo unum. Statuamus ergo tria tempora valoris: primum valoris minoris: secundum valoris aucti: tertium valoris rursus diminuti. Jam, ut supra præmisimus, accurate inspiciendum erit 1. quo tempore Cajus triticum consumpserit, vel distraxerit: & 2. quo Titius illud consumpsisset, vel distraxisset. Quidquid autem circa propositum casum resolverimus, applicandum quoque erit circa alios casus formatos de quibuscunque rebus, sive earum valor creverit, & decreverit extrinsece, sive intrinsece. Nunc

Respondetur ad quæsit. tertio, & ponitur, quod Cajus triticum consumat, vel distrahat primo tempore

valoris

valoris minoris, quando scilicet valebat tres florenos. Hoc posito, dicendum 1. quod Cajus non teneatur restituere nisi tres florenos, si etiam Titius triticum consumpsisset, vel alienasset eodem primo tempore minoris valoris. Ratio est: quia tantum tenetur Cajus restituere, quantum damnificavit Titium per injustam acceptionem, aut retentionem: sed non damnificavit Titium in præsenti, nisi tribus florenis; cum hic præter damnum valoris mensuræ tritici nullum aliud patiatur; ergo &c. Dicendum 2. si Titius triticum fuisset venditurus secundo tempore valoris aucti, quando nimirum valebat sex florenos; aut, quia eo tempore hiemis tritico suo caruit, coactus fuit emere aliud eodem majori pretio, tenetur Cajus restituere sex florenos. Ratio ex dictis liquet: quia videlicet Titium in toto illo pretio damnificavit. Eadem restitutio facienda est, quamvis Titius triticum non fuisset venditurus, nec loco illius aliud empturus, sed ipsemet consumpturus, vel amico donaturus. Ratio est, quod Cajus fuerit causa injusta, ne Titius re sua, sive pro se, sive pro amicis uteretur; ergo debet reddere tantum, quanti tunc valebat ille usus: sed valebat sex florenos, ut supponitur; ergo &c. Nec satisfacit Cajus, si nunc reddat rem similem: sicut non satisfaceret, si in urbe obsessa furaretur caput asini, propter famem valens decem florenos, soluta obsidione reddendo aliud caput asini, quod jam nihil valet: sed teneretur restituere decem florenos. Dicendum 3. si Titius triticum servasset in tertium tempus, illudque alienasset, vel consumpsisset illo tertio tempore diminuti valoris, quando nempe triticum iterum valebat tres florenos, vel adhuc minoris, Cajus solum tenetur restituere pretium, seu valorem primi temporis, videlicet tres florenos. Ratio est: tum quia Titius non est passus ullum interesse, vel damnum majus, cum servasset triticum usque ad tempus valoris minoris: tum quia fur obligatur reddere rem, vel rei pretium, quantum est eo tempore, quo ipse consumit; cum tunc propter injustam consumptionem subeat onus restituendi valorem rei; ergo &c. Id quod amplius confirmabitur ex immediate dicendis.

Respondetur quarto, & ponitur, quod Cajus triticum consumat, vel alienet secundo tempore valoris aucti, quando scilicet valebat sex florenos. Hoc posito, dicendum, quod Cajus teneatur restituere totum valorem illius temporis, sive Titius triticum suum consumpsisset, aut distraxisset primo, sive secundo, sive tertio tempore. Si Titius triticum distraxisset eodem tempore secundo valoris aucti, quo a Cajo absumptum, vel alienatum est, jam nimis clarum, & certum est, Cajum teneri restituere majorem valorem talis temporis, scilicet sex florenos: tantum enim tenetur Cajus restituere, quantum damnificavit Titium: sed si Titius triticum distraxisset, vel consumpsisset eodem tempore secundo valoris aucti, Cajus damnificavit Titium in toto valore illius temporis; ergo &c. Quod etiam Cajus tantundem teneatur Titio restituere, si hic suum triticum consumpsisse primo, vel tertio tempore valoris minoris, probatur inde; quia Cajus tenetur Titio tantum damnum resarcire, quantum intulit: sed intulit damnum in toto valore temporis secundi, licet Titius tunc suum triticum non consumpsisset, aut distraxisset; ergo &c. Maj. est certa. Min. in qua tota difficultas, prob. In illo valore Cajus intulit damnum Titio, qui erat vere Titii tempore illo secundo: sed totus valor temporis secondi fuit Titii, licet hic illo noluerit uti; ergo &c. Min. hujus syllogismi denuo prob. Triticum conservatum a Cajo usque ad secundum tempus, est vere Titii pro illo tempore; ergo etiam valor, sive æstimabilitas tritici, cum ad eundem pertineant res, & æstimabilitas, sive valor rei; & consequenter &c. Confirmatur 1. Si Cajus a Titio emisset triticum tempore secundo, teneretur Titio solvere totum valorem illius temporis, licet Titius triticum alias distraxisset primo tempore, vel conservasset usque in tertium; ergo idem dicendum in nostro casu. Ant. non videtur ab ullo negari posse. Cons. prob. Ideo in antecedenti tenetur Cajus solvere totum valorem secundi temporis, quia hic fuit vere Titii, eo ipso, quod tunc triticum fuerit Titii; ergo similiter &c. Confirmatur 2. Cajus existens secundo tempore tenetur triticum tunc extans restituere formaliter Titio, ut valens sex florenos; ergo si tunc injuste consumat, tenebitur illud restituere æquivalenter, ut valens sex florenos, id est, tenetur restituere pretium, sex florenos adæquans.

Respondetur quinto, & ponitur, quod Cajus triticum consumat, vel alienet tertio tempore diminuti valoris, quando scilicet triticum rursus valebat tres florenos, vel adhuc minoris. Hoc posito, dicendum 1. si Titius triticum consumpsisset, vel distraxisset tempore primo, aut tertio, Cajus solum tenetur restituere valorem tritici minorem, videlicet tres florenos. Ratio utriusque partis est: quia Cajus tunc non damnificat Titium, nisi in valore primi, aut tertii temporis; ergo &c. Confirmatur. Si Cajus primo tempore restituisset triticum, vel si restitueret tertio, posito, quod adhuc extaret, satisfaceret adæquate obligationi restituendi; ergo si tunc consumpsit, satisfacit restituendo illius valorem: quia non consumpsit, nisi rem tanti valoris. Nec obstat, quod tempore intermedio pretium tritici Titio creverit; quia postmodum eidem etiam decrevit & pretium illud majus intermedii temporis; licet quasi perierit in manu Caji, tamen æque periisset in manu Titii, quippe qui tritico in illo majori valore rursus non fuisset: neque Cajus eo tempore adhuc re existente pretium aliquod restituere tenebatur: atqui, ut supra diximus, quando res æque peritura erat in manu domini, ac in manu furis, nihil a fure debetur: quia in nihilo dominus damnificatus est; ergo &c. Dicendum 2. si Titius triticum consumpsisset, vel distraxisset secundo tempore valoris aucti, Cajus tenetur restituere valorem majorem, scilicet sex florenos: quia in toto hoc valore Titio damnum intulit, dum rem ipsius illo tempore medio detinuit, ut Titius de ea disponere non posset. Tota hæc doctrina traditur a Tamburino *lib.8. tr.3. cap.2. §.7. a num.6.* Sporero, & aliis.

405. Sed quid agendum, quando dubitatur, an dominus rem servaturus fuisset ad tempus, quo pluris valebat?

Respondetur, verisimilius faciendam esse restitutionem pro rata dubii, prudenter ex omnibus circumstantiis expendendi. Ita communior DD. contra Vasquez, & plures alios, volentes, judicandum tunc in favorem domini, & totum valorem majorem restituendum. Ratio autem nostræ responsionis est: quia incertitudo, sive dubietas minuit æstimationem tum lucri, tum damni; lumine enim naturæ evidens est, neque lucrum, neque damnum dubium esse tanti æstimabile, quanti lucrum, & damnum certum. Unde DD. quando agitur de restitutione lucri cessantis, & damni emergentis, communiter tradunt hanc regulam, quod juxta majorem, vel minorem certitudinem talis lucri, vel damni sit metienda, & facienda restitutio. Confirmari potest: quia juxta communem is, qui injuste impedit aliquem ab hæreditate, vel legato, non tenetur plus restituere, quam valuerit spes hæreditatem, vel legatum consequendi; ergo similiter in nostro casu &c. Sed

Dices primo. Supra *n.*402. in responsione ad object. 1. subjunximus, in dubio, an res apud dominum peritura fuisset, furem teneri ad compensandum totum valorem rei & non tantum pro rata dubii; ergo idem asserendum erit in dubio de damnis, vel lucris &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod res ipsa jam existat, adeoque possessio stet pro existentia rei, ejusque domino; prout *loc. cit.* animadversum. At vero lucra ex re consecutura nondum existunt; consequenter pro ipsis, ipsorumque domino stare possessio non potest. Idem cogita de damnis &c. Unde solum spes lucri, & periculum damni sunt in possessione, & consequenter tantum juxta proportionem talis spei, & periculi restituendum erit. La Croix *loc. cit. numero* 218.

Dices secundo. In dubio inclinandum est in favorem innocentis: quia hujus melior est conditio; ergo judicandum in favorem domini, eique totus valor major restituendus.

Respondetur, ant. solummodo verum esse, quando innocenti favet possessio, quod hic non evenit; necdum extiterit major valor. Vel, quando res dividi non potest, neque utriusque parti satisfieri; secus, quando res dividi potest, & utrique parti satisfieri; ut in proposito. Unde hic neque in foro externo est obligandus debitor in dubio ad solvendum totum

lucrum cessans, vel damnum emergens, nisi forte in pœnam delicti: quia debito incerto non debetur certa solutio.

406. At dubium adhuc est, an fur, vel debitor credere teneatur domino, dicenti, se rem fuisse consumpturum, vel vendi turum tempore, quo pluris valebat?

Respondetur, raro solum dictum domini, seu creditoris sufficere. Erunt igitur attendendæ insuper conjecturæ, quibus debitor talem veritatem expiscari certo possit. Quodsi certo non possit, sed adhuc vigeat dubitatio, restituendum erit juxta proportionem inventæ, vel non inventæ veritatis, seu ad ratam dubii.

§. III.

Quos fructus teneatur restituere possessor malæ fidei.

SUMMARIUM.

407. & 408. *Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus industriales; bene vero naturales, & mixtos formaliter extantes.* 409. & 410. *Etiamsi dominus illos non fuisset percepturus: item quos possessor percipere poterat, & non percepit.* 411. *Uti & perceptos, licet ne virtualiter quidem amplius extent.* 412. & 413. *Quid de fructibus civilibus, melioramentis, & expensis?*

407. Dico primo, Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus industriales, DD. communiter. Ratio est eadem, quæ *n.* 262. de possessore bonæ fidei allata est: siquidem lumen naturæ dictat, esse nostrum (adeoque nulli restitutioni obnoxium) quod nostra industria partum; cum sit lucrum personæ, non rei. Exempla habes *cit. n.*

408. Dico secundo. Possessor malæ fidei tenetur restituere fructus tam naturales, quam mixtos (in quantum hi naturæ respondent) adhuc formaliter extantes. Est itidem communis DD. & ratio eadem, quæ *num.* 363. de possessore bonæ fidei: quia res frugifera fructificat suo domino; ergo ad ipsum pertinent fructus rei, quales sunt tam naturales, quam mixti, in quantum respondent naturæ; ergo eidem sunt restituendi, quando adhuc formaliter extant; sive dein jam sint a re separati, sive non.

409. Quæres primo, an malæ fidei possessor teneatur illos quoque fructus (naturales scilicet, & mixtos) restituere, quos dominus non percepturus fuisset ex re sibi relicta?

Respondetur, sicut supra *n.* 365. de possessore bonæ fidei, affirmative. Ratio rursus est eadem, quæ ibi; quia res fructificavit suo domino; ergo huic accrevere fructus, a quocunque demum sint percepti; adeoque eidem sunt restituendi, quamvis eos non fuisset percepturus.

410. Quæres secundo, an possessor malæ fidei teneatur etiam restituere fructus percipiendos, seu quos percipere poterat, & non percepit?

Respondetur primo, quod non teneatur saltem in foro conscientiæ, si constet, quod dominus eos similiter non fuisset percepturus, licet percipere potuisset. Lugo *de Justit. tom.* 1. *disp.* 17. *sect.* 3. *n.* 54. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 113. & alii communiter. Ratio est; quia tunc dominus non est passus aliquod damnum, cum nihil amiserit, nec in aliquo acquirendo sit impeditus; ergo non apparet, cur fur pro illiusmodi fructibus teneatur quidquam restituere saltem in foro conscientiæ. Cons. patet: quia Justitia solum obligat ad restitutionem, ut per illam reparetur æqualitas læsa ex damno illato, quod alter est passus. Confirmatur, Si debitor quispiam differat reddere debitum, esto etiam, quod differat illicite, nihil tamen idcirco tenetur refundere creditori, quando hic ob dilationem solutionis nullum passus est damnum; ergo similiter &c.

Dixi: *saltem in foro conscientiæ*. Nam in foro externo furem condemnari ad fructus, etiam percepta possibiles tantum, restituendos, tradit Sanchez *loc. cit.* Ratio disparitatis est, quod forum internum præcise respiciat æqualitatem Justitiæ commutativæ, in eo sitam, ut integre id domino restituatur, quod ex re sua, nisi ablata fuisset, acquisiturus erat; adeoque non obligat ad quidquam compensandum pro fructibus possibilibus, qui nec ab ipsomet domino erant percipiendi; forum vero externum non solum attendat ad prædictam æqualitatem, sed etiam ad culpam, in cujus pœnam ad aliquid amplius obligat. Ita *cit.* Author. Ubi tamen inspiciendam quoque censeo praxin, & consuetudinem Tribunalium, an scilicet malæ fidei possessorem in casu ad restitutionem condemnent; prout in pœnam delicti condemnare procul dubio possunt ob rationem immediate allatam.

Respondetur secundo. Malæ fidei possessor tenetur etiam in foro conscientiæ restituere fructus, quos dominus ex re sua percepisset, tametsi ipse nec perceperit, nec percipere potuerit. Lugo *loc. cit. n.* 55. La Croix *num.* 216. & alii passim. Ratio est: quia possessor malæ fidei tenetur domino reparare quodcunque damnum injuste illatum; sed domino injuste intulit damnum in fructibus, quos is percepisset ex re sua; ut patet consideranti; ergo &c. Atque hoc etiam verum est de fructibus, quos dominus mediante singulari diligentia percepisset: siquidem relate ad tales quoque fructus injuste damnificatus fuit.

411. Dico tertio, Possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus perceptos, licet nec formaliter, nec virtualiter amplius extent: saltem supposito, quod illos mala fide consumpserit, vel alienaverit. Conclusio in his terminis est communis DD. Ratio est: qui fructus, quamprimum ex re progeminati erant, domini erant; nec eorundem dominium alicubi in Jure attribuitur possessori malæ fidei; ergo dum iste fructus illos mala fide consumpsit, vel alienavit, intulit domino damnosam injuriam, haud aliter, ac restitutione reparandam.

Dixi: *saltem supposito, quod illos mala fide consumpserit &c.* Nam quando possessor habuit malam fidem respectu ipsius rei tantum, non autem respectu fructuum; eo quod vel invincibiliter putaverit, fructus esse suos, non domini; vel non fuerit in mora culpabili illos domino reddendi, ac proinde eosdem non usurpaverit inique; tunc non videtur obligatus ad quidquam refundendum pro fructibus, nisi in quantum ex iis, eorumque consumptione, vel alienatione factus est locupletior; adeoque in quantum iidem fructus adhuc virtualiter, seu æquivalenter extant &c. Ita censet Cardin. de Lugo, & cum ipso P. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 4. *art.* 2. *n.* 29. & 32.

412. Quæres primo, quid hic dicendum de fructibus civilibus?

Respondetur, idem dicendum, quod de fructibus industrialibus, naturalibus, & mixtis respective, hactenus decisum est: quia ad istos reductive pertinent; prout annotavimus *n.* 371.

413. Quæres secundo, quid judicandum de melioramentis, & expensis a possessore malæ fidei circa rem alienam factis?

Respondetur primo, Melioramenta extrinseca ad ipsum pertinent; quoad intrinseca vero potest detrahere tantum, quantum res est utilior reddita: sicut diximus de possessore bonæ fidei supra *numer.* 372. Videatur La Croix *n.* 226.

Respondetur secundo. Malæ fidei possessor potest deducere valorem laboris: item melioramenta, & expensas necessarias, ac utiles, ob eandem rationem, ob quam possessor bonæ fidei secundum dicta *n.* 372. Et licet *l.* 7. *ex diverso, ff. de acquir. rer. domin.* possessori malæ fidei negetur actio ad repetendas expensas; quia tamen illa Lex pœnalis est, non stringit in conscientia ante sententiam Judicis; imo rigor illius reipsa mitigatus est per *l.* 38. *ff. de hæredit. possess.* Aliud & hic est de expensis mere voluntariis: pro talibus enim possessori malæ fidei nihil prætendere licet, in primis in foro interno, sicut nec possessori bonæ fidei, secundum dicta *n.* 372. deinde etiam in foro externo: quia possessori malæ fidei nulla hic conceditur actio, qualis tamen ex dictis *num. cit.* indulgetur possessori bonæ fidei. Si expensæ non fuerint mere voluntariæ, idem dicendum pro foro conscientiæ de possessore malæ fidei, quod dictum atque decisum est de possessore bonæ fidei *n. cit.*

Porro animadversiones, quas in eodem *n.* subjunximus, recolendæ sunt, & in præsenti quoque applicandæ. Tandem si moveatur quæstio, secundum quem valorem fructuum a possessore malæ fidei debeat fieri

resti-

restitutio, eodem modo respondendum erit, quo responsum est supra *n.* 404. de valore ipsius rei.

§ IV.

Expediuntur nonnullæ aliæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

414. *Ad quid præterea teneatur possessor malæ fidei, vel iniquus damnificator?* 415. *Enodatur specialis difficultas, se tenens ex parte iniqui damnificatoris.* 416. *Ad quid teneatur, qui rem alienam partim bona, partim mala fide possedit.* 417. *Quis dicatur possessor dubiæ fidei, & ad quid teneatur?*

414. QUæres primo, ad quid præterea teneatur possessor malæ fidei, vel iniquus damnificator?

Respondetur *ex meis Thesib. pag.* 106. *& seqq.* quod uterque præter valorem rei, & fructuum teneatur compensare omne damnum emergens, & lucrum cessans domino ex iniqua ablatione, detentione, vel destructione suæ rei. Ratio est: quia uterque tenetur restituere ad æqualitatem arithmeticam, ita nimirum, ut dominus tantum recipiat, quantum habuit, & haberet, si res sua ablata, detenta, vel destructa non fuisset: ad hoc autem procul dubio requiritur compensatio cujuscunque damni emergentis, & lucri cessantis; his enim non compensatis dominus non recipiet, aut habebit tantum, quantum habuisset, vel haberet, si res sua sibi relicta fuisset, ut per se liquet; ergo &c. Unde si Cajus surripuerit, vel occiderit Titio equum, sicque eum adegerit ad emendum carius alium equum, non tantum ipsummet equum, ejusve valorem, & fructus, sed etiam damnum emergens compensare tenebitur. Porro si Cajus Titio abstulerit, vel destruxerit frumentum, quod ipse, si habuisset, majori pretio vendidisset, & postea receptum cogatur vendere minori, lucrum cessans totum compensandum erit omni Jure, & in utroque foro, nisi forte Titius prudenter præsumatur illud remittere.

415. Quæres secundo, an nihil speciale occurrat circa obligationem restituendi se tenentem ex parte iniqui damnificatoris?

Respondetur, unam specialem difficultatem occurrere quoad pretium rei alienæ destructæ restituendum, an nimirum restitui debeat valor rei in statu præsenti, quo destructa, an in futuro, quem habitura fuisset apud dominum, si destructa non fuisset. E. g. Cajus hodie occidit pullum equinum valentem sex aureos, valiturum triginta, ubi adolevisset: in hoc casu, & similibus difficultas est, an secundum valorem prioris, vel posterioris temporis regulari, & fieri debeat restitutio? Communis, & (ut ait P. La Croix *loc. cit. num.* 236.) vera sententia docet cum Molina, Lessio, Dicastillo &c. restitui solum debere valorem temporis, & status prioris, videlicet sex aureos. Ratio est: quia Justitia solum obligat, ut restituatur pro damno, quod illatum est: sed Cajus per occisionem pulli equini non intulit majus damnum, quam sex aureorum; cum animal illud tunc non valuerit pluris; ergo Cajus satisfacit, si restituat sex aureos, una tamen cum alio damno emergente, & lucro cessante domino, utique etiam compensando secundum proxime dicta.

Verum hæc sententia ita universaliter, & indiscriminatim proposita displicet P. Sporer *loc. cit. cap.* 2. *n.* 189. Unde cum distinctione respondendum censet. Vel enim (inquit) restitutio fit statim (prout regulariter fieri debet) post illatum damnum, vel non. Si primum; vera erit relata sententia: quia tunc dominus acceptis illis sex aureis potuit sibi facile comparare alium pullum equinum ejusdem bonitatis, & spei. Quod si comparare noluerit, vel forte in casu aliquo extraordinario non potuerit, sibi imputet, vel suo infortunio. Si secundum; omnino restituendus erit valor posterioris temporis, videlicet triginta aurei. Ratio est: quia tunc Cajus existit injusta causa, cur Titius modo non habeat suum equum valentem triginta aureos; ergo Cajus hos tenebitur compensare, deductis tamen expensis: sicut si furatus fuisset Titio pecuniam, v. g. sex aureos, teneretur restituere & pecuniam, & lucrum cessans, quod Titius illa pecunia ad censum exposita juste acquisivisset. Ita *cit.* Author, ut bene doceat, bene distinguit. Videri potest & immediate *cit. & seq. n.*

416. Quæres tertio, ad quid teneatur, qui rem alienam partim bona, partim mala fide possedit?

Respondetur, certum esse, quod & res, & rei fructus, si adhuc extent, comparenti vero domino restitui debeant. Si autem non amplius extent, attendendum est, non tempus acceptionis rei, vel perceptionis fructuum, sed tempus consumptionis; ita, ut, sive bonæ, sive malæ fidei extiteris, quando accepisti rem, vel fructus rei percepisti, nihil tenearis restituere, si fueris bonæ fidei, quando rem, vel fructus consumpsisti, quin exinde ditior evaseris. Ratio est: quia impræsentiarum obligatio restitutionis orietur vel ex re accepta, vel injusta acceptione. Non primum; nam supponitur, quod res, vel fructus non amplius extent, sive formaliter, sive virtualiter, & æquivalenter utpote omnino consumpti. Nec secundum; quia consumpsisti bona fide, & mala fides præcedens non fuit causa posterioris damni, utpote purgata per bonam fidem supervenientem, quam habuisti, dum rem alienam, ejusque fructus consumpsisti. Confirmatur. Nam si post tempus malæ fidei voluisses domino rem suam restituere, & is noluisset illam modo acceptare, sed primum post aliquot hebdomades, non obligareris illius valorem præstare, si earum hebdomadum spatio citra tuam culpam periisset: quia hujus damni causa non extitisset prior tua injusta acceptio rei, sed justa retentio; ergo idem dicendum in nostro casu. Quod si e contrario in mala fide perstitisses, quando rem alienam, ejusque fructus consumpsisti, tenereris eorum æstimationem præstare, sicut alius possessor malæ fidei, non obstante, & nihil opitulante priori bona fide, quippe quæ per subsequentem malam fidem corrupta, & extincta fuit. Ratio est: quia tunc mala fide durante rem alienam consumendo, veram, & damnosam domino injuriam intulisti; ergo &c. Ita Card. de Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 17. *sect.* 3. *n.* 68. Sporer *loc. cit. num.* 137. & alii apud ipsos. Nec obstat *l.* 25. *ff. de Usuris*, ubi habetur, eum, qui cognovit fundum esse alienum, adhuc fructus facere suos, donec fundus evincatur. Nam hoc dato, non sequitur, nullam esse obligationem restituendi; siquidem illud dominium, quod acquirit, est tale, quale est dominium, quod quis acquirit per commixtionem pecuniæ alienæ cum sua; qui tamen idcirco non liberatur ab onere restitutionis.

417. Quæres quarto, ad quid teneatur possessor dubiæ fidei? Est autem, & dicitur *possessor dubiæ fidei*, qui detinet rem, de qua dubitat, num sit sua, aut aliena; vel num ejus possessio sit reprobata a Jure, nec ne? Nunc

Respondetur, hujus quæsiti resolutionem patescere ex dictis *part.* 1. *n.* 94. *& seq.* quæ proinde, ne impræsentiarum repeti debeant, ibi revidenda sunt.

Unum tamen, notatu dignum, superaddere juvat per modum corollarii ex *loc. cit.* dictis formati; & est, quod is, qui oborto dubio neglexit inquirere dominum rei a se possessæ, & post aliquod tempus venit in ejus notitiam, teneatur non modo rem ipsam eidem restituere, sed etiam compensare fructus consumptos, vel alienatos ex eo tempore, quo dubitare cœpit. Lessius *lib.* 2. *de Just. c.* 14. *dubit.* 4. *n.* 23. Babenstuber *loc. cit. n.* 40. & alii passim. Ratio est: quia dubitans ab illo tempore erat vi Justitiæ commutativæ obligatus ad inquirendum dominum rei; cum ergo hunc inquirere neglexerit, prævaricatus est obligationem Justitiæ commutativæ, ex quali prævaricatione, cum damno conjuncta, oritur obligatio restituendi, quidquid alienum est, adeoque rem una cum fructibus &c. Confirmatur. Possessor malæ fidei tenetur non solum rem, sed & fructus rei restituere legitimo domino: sed dubitans in casu ab illo tempore, quo dubitare cœpit, & dominum inquirere neglexit, factus est possessor malæ fidei, saltem æquivalenter; ergo &c.

ARTI-

ARTICULUS III.

De quarta Radice restitutionis, seu contractu.

§. I.

Qualis requiratur culpa, ut sit obligatio restituendi ex contractu simpliciter tali?

SUMMARIUM.

418. *Status quæstionis.* 419. *Tria genera contractuum hic observanda.* 420. *Sicut & tres dispositiones Juris de illis.* 421. *Ex Jure naturæ nemo tenetur resarcire damnum grave, nisi ob culpam Theologice gravem.* 422. *Non teneris res alienas in communi periculo præferre tuis æque, vel magis pretiosis.* 423. *Etiam de Jure positivo nemo ex contractu obligatur ad resarciendum damnum grave, nisi ob culpam Theologicam gravem, ante sententiam Judicis.* 424. *An Leges, Aquilia, & noxales, obligent ante sententiam Judicis ad reparationem damni illati?*

418. PRænotandum primo, contractum simpliciter talem impræsentiarum vocari illum, in quo intervenit voluntas obligandi formalis, & expressa. Porro duplex ex eo potest oriri obligatio: prima, quidem *immediata*, v. g. agendi, solvendi, tradendi id, ad quod quis in contractu se obligavit; altera vero *mediata*, scilicet mediante aliqua culpa contrahentis. E. g. iniisti contractum depositi, deponendo v. g. centum aureos apud Cajum, quos iste, quamvis juste acceptos, tenetur tibi suo tempore restituere: quæ obligatio immediate est ex contractu, ut patet; quia Cajus ad id se obligavit. Si vero culpa Caji pereat depositum, debebit tibi reddere totidem aureos, & damna inde secuta compensare: atque hæc obligatio est immediate ex culpa, & mediate solum ex contractu. De obligatione, quæ ex contractu immediate oritur, agemus *in tr. seq.* de obligatione vero, quæ nascitur ex contractu mediate solum, & radicaliter, sermo erit in præsenti.

419. Prænotandum secundo, contractum simpliciter talem dividi trifariam, quantum requiritur, & sufficit nosse in præsenti materia. Nam 1. sunt contractus, qui cedunt in utilitatem solius dantis; ut est depositum ad custodiam tantum. 2. sunt contractus, qui cedunt in utilitatem solius accipientis; ut commodatum, in quo res aliqua gratuito conceditur ad usum pro tempore determinato. 3. sunt contractus, qui cedunt in utilitatem utriusque, & dantis, & accipientis; cujusmodi sunt venditio, locatio, societas, pignus &c.

420. Prænotandum tertio, circa immediate prædicta contractuum genera tres in Jure Civili dispositiones reperiri. Prima est: quando contractus cedit in utilitatem solius dantis, accipiens tenetur tantum ex dolo, vel culpa lata, ut siquis apud te suas pecunias absque tuo commodo deponat, eæque pereant citra tuum dolum, vel culpam latam, quamvis interveniat culpa levis, vel levissima, non obligaris restituere, *l. 32. ff. depositi*. Secunda dispositio est: quando contractus cedit in utilitatem solius accipientis, ut commodatum, obligatur accipiens restituere, ex quacunque ejus culpa, etiam levissima, res pereat, aut damnum inferatur; non item, si ex casu mere fortuito, & citra ullam ipsius culpam id accidat, *l. 5. §. 1. & l. 18. pr. ff. commodati*. Excipitur ab hac dispositione precarium: ad istud quippe restituendum tantum quis obligatur ex dolo, vel culpa lata, *l. 8. §. 3. ff. de Precario*. Tertia dispositio est: quando contractus cedit in utilitatem utriusque contrahentis, dantis scilicet, & accipientis, ut quando locatur domus, vel equus; tunc enim accipiens tenetur ad restitutionem ex culpa lata, & levi, non autem ex levissima, *l. 5. §. 2. & l. 18. pr. ff. commodati*. Ceterum quid sit culpa lata, levis, & levissima, relinquitur ex dictis supra *n.* 379.

421. Dico jam primo. De Jure naturæ nemo ex contractu obligatur per se loquendo ad resarciendum damnum grave, nisi ob culpam Theologice gravem. Tamburinus *lib. 8. tr. 3. cap. 5. §. 1. num. 5.* Sporer *loc. cit. n.* 234. Babenstuber *tr. 7. disp. 4. art. 3. n.* 33. & alii contra alios.

Probatur. In quasi contractibus non sufficit per se loquendo ad fundandam obligationem naturalem resarciendi damnum grave culpa juridica, sed requiritur Theologica gravis; ergo idem dicendum in præsenti. Ant. admittitur etiam ab Adversariis, saltem plerisque, & ostendetur infra *num.* 426. Cons. videtur tenere ob identitatem rationis.

Confirmatur. Non existit formaliter minor obligatio in parentibus, vel nutrice ad custodiendum tenellum infantem; aut in tutore ad custodiendas res pupilli, quam existat in depositario v. g. ad custodiendas res apud se depositas: sed illi non tenentur de Jure naturæ ad restitutionem ex culpa juridica; ergo neque tenebitur iste &c.

Dixi in conclus. *per se loquendo:* id est, nisi speciale pactum intercesserit de compensatione facienda, quamvis res pereat sine culpa Theologica, & ex sola juridica, vel etiam fortuito tantum: quod utique de Jure naturæ, & in foro conscientiæ servandum foret. Hæc tamen obligatio restituendi descenderet immediate ex illo pacto, & mediate solum ex culpa juridica, vel casu fortuito: prout colligitur ex dictis *n.* 418. Ceterum hujusmodi pactum semper licite exigit dominus in gratuito commodatis, & similibus; non tamen in locatis v. g. justo pretio: quia supra justum pretium nihil potest exigi pretio æstimabile: obligatio autem præstandi eventum futurum est pretio æstimabilis: consequenter &c.

422. Quæres, an res commodatas, depositas &c. debeat quis in communi periculo incendii v. gr. vel tempestatis præferre suis, ita, ut, si secus faciat, peccet contra Justitiam, ac oneri restitutionis subjaceat? Et quidem difficultas est de foro interno tantum: siquidem in foro externo Jura præsumunt, quod quis res suas subducens, ac liberans, alienas vero negligens, dolo malo processerit: & consequenter in tali foro condemnabitur ad restitutionem, ita Cardin. de Lugo *tom. 1. de Just. disp. 8. sect. 10. n.* 132. & alii passim. Forum autem internum quod attinet,

Respondetur primo. Si res propriæ sint pretiosiores, vel æque pretiosæ, ac alienæ, quomodocunque hæ apud te, sive in tui solius, sive in alterius, sive in utriusque utilitatem, ac commodum extent, potes in conscientia res tuas illis præferre. Lugo *loc. cit. n.* 139. Tamburinus *lib. 8. tr. 3. cap. 5. §. 3. n.* 2. Sporer ubi supra *num.* 35. Ratio est: quia nullus tenetur res alienas conservare, quocunque tandem contractu apud ipsum extent (nisi forte id expresse promiserit) faciendo expensas extraordinarias; prout in confesso est apud omnes: sed in proposito, si res alienas teneteris præferre tuis, magis, vel æque pretiosis, tenereris illas conservare faciendo expensas extraordinarias, quas tibi dominus refundere nec volet, nec tenebitur: imo potius te repellet tanquam imprudentem sui negotii gestorem; ergo &c.

Respondetur secundo. Si jactura tantum rerum consciscat tibi notabile damnum, quamvis sint viliores rebus alienis, adhuc non teneris has tuis præferre, nisi sis moraliter certus de pretio recuperando. Ita Authores *cit.* Ratio est similis priori: quia nemo in præmemoratis contractibus intendit se obligare ad expensas pro conservatione rei alienæ faciendas cum notabili, & gravi suo damno, vel probabili ejus periculo.

Respondetur tertio. Si res tuæ ita sint viliores, ut per earum jacturam non incurras notabile detrimentum, teneris res alienas illis præferre. Ita rursus Authores *cit.* Ratio est: quia semper in prædictis contractibus, more humano initis, aliqua obligatio imbibitur res alienas custodiendi, quando rationabiliter possunt custodiri: sed in casu posito possunt rationabiliter custodiri, cum tuum damnum sit exiguum; ergo &c.

Pro hujus tamen responsionis intelligentia adverte ex Tamburino *loc. cit. monet.* 7. hanc obligationem aliquando esse solum ex Charitate, aliquando autem etiam ex Justitia. Ex Charitate solum tunc erit, quando certo prævides, rerum alienarum dominium non refusurum tibi pretium tuarum rerum vilium; ex Justitia vero, quando refusionem prævides. De quo videri potest Author *cit.*

423. Dico secundo. Etiam de Jure positivo nemo ex contractu obligatur ad resarciendum damnum grave, nisi

ve, nisi ob culpam Theologicam gravem: atque adeo dispositiones Juris Civilis, supra *n.* 420. recensitæ, non obligant in foro conscientiæ ante sententiam Judicis. Card. de Lugo *loc. cit. a n.* 106. Tamburinus *lib.* 8. *tr.* 3. *cap.* 5. §. 1. *num.* 5. Sporer ubi supra *n.* 234. Elbel *de Restit. n.* 156. & alii contra alios.

Probatur primo. Nam prædictæ dispositiones, seu Leges non aliter significant obligationem, quam continent, ac Leges aliæ significant obligationem compensandi damnum a mancipio, vel domesticis illatum: atqui istæ Leges non obligant in conscientia ante sententiam Judicis, prout videbimus *n. seq.* & traditur ab ipsis Adversariis saltem plerisque; ergo nec illæ sic obligabunt.

Probatur secundo. Leges illæ vel non intendunt obligationem in foro interno, & ante sententiam Judicis, vel non sunt eo modo usu receptæ; ergo &c. Ant. prob. Siquidem nemo sibi facit scrupulum, quod non compenset damnum commodari v. g. secutum ex culpa sua levissima, quando in ejus custodia adhibuit diligentiam, quam diligentiores adhibere solent, licet non illam, quam diligentissimi: ad qualem tamen exdem Leges obligant; ergo signum est, quod non obligent in conscientia ante sententiam Judicis.

Habent tamen ejusmodi Leges sufficientem adhuc effectum, quatenus deserviunt pro obligando foro externo, ut ibi Judices juxta illas ferant sententiam, ex qua lata obligentur Rei, etiam in conscientia, ad solvendum.

424. Quæres hic occasionaliter, & veluti concomitanter, an Lex Aquilia, & quædam aliæ Leges, *noxales* dictæ, obligent ante sententiam Judicis ad reparationem illati damni, quam præcipiunt?

Ante responsionem notandum, quod Lex Aquilia lata, & nuncupata sit ab Aquilio Tribuno plebis; obligetque ad restitutionem, siquis cum culpa saltem juridica alterum in rebus externis certo modo damnificavit: e. g. si leonem duxisti per viam, nec præcavisti, ne meo equo noceret: si fodisti puteum in via, nec monuisti, ut mihi caverem: si meum animal, quod in tuo prato offendisti, interfecisti, cum potuisses illud abigere &c. vi præfatæ Legis adstringeris non solum ad refundendum mihi damnum, sed etiam ad superaddendum aliquid amplius, quandoque duplum: prout habetur *in Instit. & ff. ad l. Aquiliam*. Porro Leges noxales jubent, ut quis reparet damnum citra omnem suam culpam (proprie talem) etiam juridicam alteri illatum; nam primo *Inst. & ff. si quadrupes*, quando tuum animal pauperiem fecit, id est, damnum alicui intulit, teneris pro noxa reddere illud animal, vel totum damnum illatum compensare. Secundo *Instit. ff. & C. de noxalibus actionibus*, si mancipium tuum es sua, absque tamen tua culpa, alteri nocuerit, teneris tradere mancipium, vel resarcire damnum. Tertio *l.* 1. *& penult. ff. de his, qui effuderint*, si ex domo, vel navi tua per inquilinos, aut famulos tuos aliquid, etiam absque tua culpa, effusum, vel projectum sit, quod transeunti, vel adstanti nocuit, obstringeris ad damnum compensandum in duplo, quando clamatum non fuit, ut transiens, vel adstans sibi caveret. Et idem est, si aliquid e domo tua suspensum fuerit supra viam, quod alteri nocumentum attulit: prout ibidem *l.* 5. statuitur. Nunc

Respondetur ad quæsit. Lex Aquilia, & Leges noxales non obligant ad reparationem damni ante sententiam Judicis: unde antequam hæc lata sit, non datur in foro conscientiæ obligatio reparandi illiusmodi damnum illatum sine culpa Theologica ejus, cui obligatio imponitur. Ita cum Molina, Laymanno, Lugone, Haunoldo, & aliis P. Pichler *lib.* 5. *tit.* 36. *n.* 15. Ratio est: quia allegatæ Leges nullibi clare exprimunt obligationem in conscientia ante sententiam Judicis; imo contrarium luculenter exprimit *l.* 2. *C. de L. Aquil.* dum ait: *competentis Judicis authoritate consequeris --- Judicis cura impetrabis*, si nempe prius instituatur actio Legis Aquiliæ, quam Jura concedunt. Confirmatur, Lex Aquilia, & Leges noxales essent nimis arduæ, nec conditioni, & fragilitati hominum contemperatæ, si obligarent in conscientia ante sententiam; nam spectata hominum fragilitate pronissimum est ex ignorantia, oblivione, inadvertentia coram Deo inculpabili per se, vel per famulos, aut animalia aliis inferre damnum sine suo lucro; econtra difficillimum pro illo satisfacere expoliando se bonis propriis; ergo non sic obligant.

Dices primo. Lex justa pro foro externo, est etiam justa pro foro interno: sed memoratæ Leges sunt justæ pro foro externo; ergo etiam pro foro interno; ergo etiam obligant in foro interno.

Respondetur, dist. ultimum conf. Ergo etiam obligant in foro interno mediate, & conditionate, si lata sit sententia, con. immediate, & absolute, neg. vel subdist. sic obligant Judicem ad imponendam damnificatori restitutionem, con. damnificatorem ad faciendam restitutionem, antequam hæc sit per Judicem imposita, neg.

Dices secundo. Si dictæ Leges non obligent in conscientia ante sententiam Judicis, erunt pœnales: atqui non sunt pœnales; ergo &c. Prob. min. Nam Lex Aquilia fundatur solum in præsumptione culpæ juridicæ, quæ non est vera culpa; Leges vero noxales ne quidem fundantur in præsumptione culpæ juridicæ; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Lex enim Aquilia est simpliciter, & vere pœnalis; Leges vero ceteræ sunt quasi pœnales, quod sufficit, ut ad instar legum pœnalium proprie dictarum non obligent in conscientia ante sententiam Judicis: prout recte advertit P. Engel *lib.* 5. *tit.* 36. *num.* 45. Ad prob. nego, quod culpa juridica non sit vera culpa in suo genere, veraque injuria; nam injuria, quam Lex Aquilia persequitur, dicitur omne id, quod jure non fit, *l.* 5. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* Leges porro noxales fundantur in præsumptione quasi culpæ juridicæ; adeoque sunt quasi pœnales. Videatur Pichler *loc. cit. n.* 11.

§. II.

Qualis requiratur culpa, ut sit obligatio restituendi ex quasi contractu?

S U M M A R I U M.

425. *Quid sit quasi contractus?* 426. *In quasi contractu nemo obligatur per se loquendo ad restitutionem, seu resarcitionem damni gravis, nisi ob culpam Theologice gravem.* 427. *Solvitur argumentum contrarium.* 428. *& seqq. Deducuntur in particulari varia corollaria de Parocho, Confessario, Theologo, Jurisconsulto, Medico &c.*

425. PRænotandum, *quasi contractum* vocari illum, in quo non intervenit voluntas obligandi formalis, & expressa, sed virtualis, & interpretativa. Et hujus quinque species enumerat Imperator *Instit. de Obligat. quæ ex quasi contractu nascuntur*; nempe *negotiorum gestionem*, *tutelæ administrationem*, *curam communem rerum*, *hæreditatis aditionem*, *& indebiti solutionem*. Communiter tamen idem nomen *quasi contractus* porrigitur insuper ad quodvis aliud officium, ac munus, v. g. Gubernatoris, Judicis, Medici, Procuratoris, Advocati; imo cujuslibet artificis, & opificis: idem Episcopi, Parochi, Confessarii &c. Nam omnes isti, dum suscipiunt tale aliquod officium, ac munus virtualiter, & interpretative sese obligant ad debitam in ejus functione diligentiam adhibendam. Hoc breviter prænotato,

426. Dico. Nemo per se loquendo obligatur ex quasi contractu ad restitutionem, seu resarcitionem damni gravis, nisi ob culpam Theologice gravem. Ita Lessius *de Justit. lib.* 2. *cap.* 7. *dubit.* 7. *n.* 27. Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 8. *sect.* 7. *n.* 93. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 32. *art.* 3. *n.* 1. & alii quam plurimi.

Probatur. Quia nemo plus obligatur, quam quantum in susceptione officii per quasi contractum vult, & tenetur velle se obligare: atqui nemo regulariter vult, vel tenetur velle se obligare ad diligentiam exquisitam, aut exquisitissimam, sed moralem duntaxat, & humanam; ergo etiam non obligatur, nisi hanc adhibere. Quod si eam advertenter non adhibeat, jam liquido culpam latam, & Theologice gravem contrahet, quando damnum grave infert, & istud sub mortali reparare tenebitur. Atque hinc Advocatus v. gr. non tenetur in patrocinando esse diligentior, quam

boni

boni Advocati communiter esse solent: si proinde causa cecidisti, eo quod Advocatus non adhibuerit diligentiam exquisitam, aut exquisitissimam, non defectui diligentiæ in Advocato, sed tuo ipsius infortunio adscribere, & imputare debes. Advocatus enim, dum præstitit id, quod communiter alij diligentes, & docti Advocati in simili negotio præstare solent, adeoque diligentiam moralem, & humanam adhibuit, munere suo debite functus est: & consequenter tibi ad nullam restitutionem faciendam obligabitur. Idem cogita de Judice, Medico, Chirurgo, Architecto &c.

Dixi in conclus. *per se loquendo*; id est, nisi quis majorem diligentiam adhibere promiserit vel expresse, vel saltem implicite, seu tacite; ut siquis se jactavit accuratiorem aliis, & idcirco homines ab alio avertit, sibique attraxit: talis namque tenebitur resarcire damnum, ex omissione diligentiæ exquisitæ, quam hominibus implicite adpromiserat, consecutum. Revide, quæ in simili diximus supra *n.* 421.

427. Objicies. Esto teneat conclusio, siquis officium susceperit, & administret gratis, non tamen videtur tenere, siquis officium susceperit, & administret pro stipendio. Prob. assumptum. Ad majorem diligentiam tenetur, qui pro mercede, quam qui gratis præstat suam operam: sed qui gratis operam præstat, tenetur ad communem diligentiam, qualem scilicet in ipsa susceptione officii, licet gratuita, tacite adhibere promisit; ergo qui operam pro mercede præstat, tenetur ad majorem diligentiam: consequenter &c.

Respondetur, neg. assumptum. Ad prob. nego maj. vel dist. Tenetur ad majorem diligentiam, majorem materialiter, & ex pluribus duntaxat titulis debitam, con. majorem formaliter, neg. maj. Uterque enim tenetur præcise ad diligentiam communem, & moralem: prout evincit nostra probatio. Unde concessa minore, distinguendum est conf. distinctione majoris.

428. Colliges primo, teneri ad restitutionem ratione ignorantiæ crassæ, vel culpæ latæ, Parochum, Confessarium, Theologum, Jurisconsultum &c. si ex officio præbuere consilium, ex quo damnum secutum sit consulenti. Ita Lessius *loc. cit. cap.* 2. *dubit.* 7. *n.* 33. Mezger ubi supra *num.* 3. & alii communiter. Ratio est: tum quia tales ex officio, & vi suæ professionis tenebantur habere sufficientem rei notitiam, errorem que, vel negligentiam in respondendo vitare; quod cum non fecerint, censentur causa damni secuti: tum quia ratione professionis suæ, vel officii habebantur a petente consilium pro sufficientibus ad respondendum; cum ergo reipsa sufficientes non fuerint, & tamen responsum dederint, consulentem deceperunt: consequenter una cum damno intulerunt injuriam, eamque Theologice culpabilem, & non aliter nisi restitutione reparabilem.

429. Colliges secundo, Confessarium non teneri ad restitutionem, quamvis ex officio confessiones audiat, quando ex negligentia, vel ignorantia pœnitentem monere intermittit de obligatione restituendi. Mezger *loc. cit. num.* 7. Babenstuber, ubi supra *num.* 27. & alii passim. Ratio est: quia licet Confessarius vi sui officii teneatur pœnitentem instruere, ac monere, ubi necesse fuerit, de obligationibus eidem incumbentibus, & peccet, si non faciat; haud tamen ad id obstringitur aliqua obligatione Justitiæ, ex qua teneatur ipsius damnum præcavere, aut, ut reparetur, procurare. Oppositum dicendum foret, si Confessarius pœnitentem non tantum monuisset suæ obligationis, sed positive eidem dixisset ignorantia vincibili, & crassa ductus, quod ad nullam restitutionem teneatur. Ratio disparitatis est: quia tertius habet jus rigorosum, ne a consecutione boni sibi debiti (imo licet hoc secundum se, & absolute ei debitum non esset) impediatur per fraudem, vel dolum: atqui sic impediretur in posteriore, non in priore caso; ergo &c. Min. ostenditur. Nam ignorantia vincibilis, & crassa æquivalet fraudi, vel dolo, dum ex illa exercetur actio positiva; non item, dum ex eadem præcise omittitur actio; prout cum aliis in simili advertunt PP. Mezger *loc. cit. n.* 8. & Babenstuber, ubi supra, *n.* 29. ergo &c.

430. Colliges tertio, Confessarium, Medicum, Advocatum, & similes, quando, etsi sine culpa Theologica, causam damni proximo eventuri dedere, obligari ad eam tollendam, si commode, & absque gravi suo nocumento possint. Lugo *de Justit. tom.* 1. *disp.* 8. *sect.* 7. *n.* 95. & alii communiter. E. g. Medicus advertit, se ex inculpabili inconsideratione medicinam nocivam præscripsisse, tenetur suum errorem, si commode possit, corrigere; & si non corrigat, damnum inde secutum compensare. Ratio est: quia alias causam male datam voluntarie conservaret, sicque in damnum ex ea secutum culpabiliter influeret.

431. Colliges quarto, illum non teneri ad restitutionem, qui consultus respondit juxta opinionem vere, & practice probabilem, etsi consulenti damnum inde secutum sit. Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 7. *dubit.* 7. *num.* 33. & alii passim. Ratio est: quia taliter respondens prudenter se gessit; consequenter non extitit causa injusta damni. Idem esto judicium de eo, qui simpliciter aperuit suam mentem, & opinionem, quin tamen hujus sequelam suaderet: item de eo, qui indicavit, se de rei veritate dubitare: tunc quippe, talem consiliarium secutus, damnum, si quod inde passus est, non consiliario, sed sibi, suæque temeritati adscribere debet.

432. Colliges quinto cum eodem Lessio *n.* 34. neque illum teneri ad restitutionem, qui, cum esset insufficiens ad dandum consilium, nihilominus ab altero ejusmodi insufficientiam non ignorante, consultus fuit. Unde tali casu consilium petens, damnum, si quod subiit, sibi imputare debet. Ratio est: quia scienti, & volenti non fit injuria. Quod si tamen agatur de damno tertii, imperitus ejusmodi consiliarius illud omnino tenebitur tertio damnificato resarcire; quippe ex malo consilio, seu causa injusta secutum.

CAPUT III.

De Circumstantiis Restitutionis.

Circumstantiæ restitutionis sunt: *quis, quid, quantum, cui, quo ordine, quo tempore, & quo loco.* Circumstantiæ *quid*, & *quantum* jam discussæ sunt *in præced. cap.* atque amplius declarabuntur *disp. seq.* uti & circumstantia *quis*, in quantum concernit causas principales, seu ad restituendum primario obligatas. Unde solum restat, ut *in præs. cap.* agemus de ceteris circumstantiis, & de circumstantia *quis*, in quantum concernit causas cooperantes ad damnum, & ad restituendum secundario duntaxat obligatas, nisi una sortiantur rationem causarum principalium. Nunc sit

ARTICULUS I.

De Circumstantia quis, *in quantum concernit causas cooperantes ad damnum.*

SUMMARIUM.

433. *Recensentur, & explicantur causæ cooperantes;* 434. *Aliæ ex illis concurrunt ad damnum positive, aliæ negative.* 435. *Non solum causa cooperans ad injustum damnum proximi positive, & directe, sed etiam cooperans negative, & indirecte, quando hoc ex contractu, vel quasi contractu damnum impedire obligabatur, tenetur ad restitutionem &c.* 436. *&* 437. *Illustratur conclusio per duas animadversiones, &* 438. *ac seqq. applicatur per corollaria ad causas in particulari.*

433. Prænotandum primo, quod novem causæ cooperantes ad damnum recenseri soleant, hisce versibus comprehensæ: *Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.* *Jussio* est mandatum, ut inferatur alteri damnum. *Consilium* est, quo suades, consulis, exhortaris, dirigis, quomodo damnum sit inferendum. *Consensus*, seu *Suffragium* est, quo præstas authoritatem, ut damnum inferatur. *Palpo*, seu *Palpator* est, qui vel laudando iniquum factum, vel exprobrando ignaviam non audentis illud committere, incitat aliquem ad executionem operis. *Recursus*, prout hic accipitur, est, quo quis quasi in custodiam recipit rem furtivam, ut furi servet; vel receptat ipsum furem, aut damnificatorem qua talem, præbendo ei securitatem,

tem, ac patrocinium, & sic illum movendo, ut vel imposterum inferat damnum, vel jam ante illatum non resarciat. *Participans* dicitur non solum ille, qui præcise participat de furto, quin ejus sit causa, aut inducens (qua ratione solum tenetur ad rationem illius partis, quæ ipsi ex furto obtigit) sed etiam, & præsertim ille, qui est causa totius iniquæ actionis; ut præbendo executori instrumentum, vel auxilium ad totum damnum inferendum. *Mutus* est, qui tacet, dum loqui tenetur ad damnum impediendum, vel reparandum, si jam illatum sit. *Non Obstans*, qui omittit opem ferre, vel præstare operam, quam præstare tenetur, & qua posset damnum impedire. *Non Manifestans*, qui non prodit furem, aut furtum, quando prodere tenetur, sive ante opus peractum, dum damnum erat impediendum, sive post, dum resarciendum,

434. Prænotandum secundo, alias ex recensitis, & modo expositis causis, concurrere ad damnum *positive*; alias *negative* solum. Positive, seu directe concurrunt sex priores, nempe mandans, consulens, consentiens, palpans, dans recursum, & participans, quatenus mandato, consilio &c. positive moraliter movent, atque inducunt alterum ad injuste nocendum; vel physice participant cum eodem. Negativa, seu indirecte concurrunt tres posteriores, nempe mutus, non obstans, non manifestans, quatenus præcise non impediunt damnum injustum. Atque hoc, seu concursus disparitas indicatur ipsis quoque terminis, quibus memoratæ causæ efferuntur. His prænotatis;

435. Dico. Non solum causa cooperans ad injustum damnum proximi positive, & directe, sed etiam cooperans negative, & indirecte, quando hæc ex contractu, vel quasi contractu damnum impedire obligabatur, tenetur ad restitutionem, ita, ut in aliorum defectu teneatur totum damnum resarcire, si totius; vel partem, si partialis damni causa extiterit. Conclusio est communis; imo, quatenus tangit causam positive cooperantem, decisa ab Innocent. XI. utpote qui confixit *hanc prop. n. 38. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

Probatur ex illo *ad Rom. 1. v. 32.* ibi: *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Atqui non solum causa positive, sed etiam negative cooperans ad damnum proximi, quando istud ex contractu, vel quasi contractu tenetur impedire, consentit illis, qui quomodolibet proximum damnificant; ergo easdem pœnas, & obligationes participat; consequenter & ipsa ad restitutionem tenetur.

Confirmatur. Quicunque est causa damni injuste illati, tenetur ad restitutionem; nam qui causam damni dat, damnum dedisse censetur, juxta *capit. ult. de Injuriis &c.* Atqui non solum positive, sed etiam negative cooperans ad actionem injuste damnificativam proximi, si hanc obligetur ex contractu, vel quasi contractu impedire, est causa damni injuste illati; ergo tenetur ad restitutionem, ac resarcitionem damni, sive totalis, si totale, sive partialis, si partiale damnum creaverit.

436. Ut autem hoc, ipsaque etiam conclusio melius intelligatur, advertendum est 1. non obligari aliquem ad restitutionem, quod determinaverit causam in actu primo ad damnum inferendum, sed quod eam determinaverit in actu secundo; neque quod sine ipso damnum non potuisset inferri, sed quod sine ipso non sit illatum. Unde si duo causam antea differentem simul, & eodem modo, v. g. consilio, ad furandum determinarent, quorum alterutrius consilium seorsim sufficeret, uterque tamen teneretur ad restitutionem totius damni. Neque requiritur, ut cooperans non indiguerit alia concausa in eodem genere. Unde si inter duas concausas ejusdem generis partialiter moventes, v. g. consulentes, neutra seorsim esset sufficiens ad determinandam causam executivam furti, ambæ ad compensationem totius damni obligarentur. Quapropter verum quidem est, si executor damni non moveretur ab altero, consilium, vel alium concursum offerente; vel si tantum moveretur ad excessum damni, ut si auferens decem florenos, ex alterius consilio iterum decem alios auferret: verum, inquam, est, quod consiliarius in priore casu ad nihil, in posteriore autem ad decem solummodo florenos restituendos obligaretur: quia ad nullum alium damnum effective cooperaretur. At vero si executor ab altero moveretur ad totum damnum inferendum, ut si paratus auferre decem florenos, jussus autem auferre viginti, propter alterius imperium simul viginti auferret, ita, ut ad totam summam surripiendam alterius imperio adigeretur, imperans totius damni compensandi obligatione gravaretur. Et ut rem paucis complectar, cooperans obstringitur ad restituendam partem duntaxat damni, quando in actu secundo extitit illius causa partialis & partialitate causæ, & partialitate effectus; ad compensandum vero totum, quando extitit quidem causa partialis partialitate causæ, totalis vero totalitate effectus: id quod jam explicatum, & exemplificatum est.

437. Adverte 2. quod cooperans, ut ad restitutionem obligetur, debuerit effective influxisse in substantiam damni illati. Unde siquis solum præstiterit auxilium, v. g. tenuerit scalas, sine quo alter adhuc damnum intulisset, ad nullam restitutionem obstringitur: quia non censetur fuisse causa efficax furti secundum substantiam, seu fieret, sed solum quoad modum, sive ut facilius, & celerius fieret. Unde in hoc cooperatio moralis differt ab executione physica; quoniam hæc non potest abstrahere a substantia rei, sicut illa ex immediate dictis: quemadmodum explicatius dicemus infra *n. 546.*

Dixi autem in conclus. *quando hæc*, nimirum causa negative cooperans, *ex contractu, vel quasi contractu damnum impedire obligabatur*; secus quippe ad restitutionem non obligatur: quia tunc non impediendo damnum proximi solum contra Charitatem deliquit: prout in confesso est apud omnes. Unde famulus, quando ab alio famulo domestico damnum hero inferri videt, & tacet, nec impedit, licet facile posset, non tenetur ad restitutionem, nisi cura, & custodia ejus rei ipsi specialiter commissa sit. Ratio est: quia non eo ipso, quod quis alteri famuletur, ex Justitia obligatur illius res custodire, saltem contra domesticos; adeoque non custodiendo haud peccat contra Justitiam, nec oneri restitutionis subjacet. Dixi: *saltem contra domesticos*; nam contra extraneos quilibet famulus, tametsi specialis cura, & vigilantia ipsi non sit commissa, videtur ex Justitia obligatus ad curandum, ne dominus per eorum furta damnum patiatur: quia ex ipsa conditione famulatus, & quatenus domesticus est, incumbit ei custodia rei domesticæ contra non domesticos. Ita Lessius, Lugo, Laymann *lib. 3. tr. 2. cap. 5. num. 7.* Mezger *loc. cit. art. 1. n. 4.* Babenstuber *art. 4. n. 5.* Idem censeo dicendum in casu, quo domesticus quispiam domino furaretur, velletque aufugere: talis enim reputaretur veluti extraneus. Sed ut ad singulas causas cooperantes in particulari descendamus; ex doctrina quasi generaliter tradita,

438. Colliges primo, mandantem, si ante patratam injuriam mandatum revocet, & talis revocatio mandatario innotescat, ab obligatione restituendi liberum evadere, esto nihilominus mandatarius, neglecta revocatione, mandatum exequatur. Bonacina *de Restitut. disp. 1. quæst. 3. punct. 6. numer. 3.* & alii communiter. Ratio est: quia tunc cessat influxus in damnum; & si hoc nihilominus inferatur, infertur ex libera voluntate, & malitia mandatarii, cui proinde totum onus restitutionis incumbet. Aliud est, si revocatio mandati mandatario non innotescat: vel licet innotescat, ab eo tamen non judicetur seria, aut inculpabili oblivioni detur: simili quippe casu mandatum adhuc perseverat, & ad inferendum damnum efficaciter movere pergit: consequenter &c.

439. Colliges secundo, consulentem, si re adhuc integra, & ante illationem damni, consilium retractet, aliquando liberari a restitutione, aliquando non. Liberatur, quando suggessit consilium falsum, e. g. dicendo, contractum aliquem esse licitum, qui tamen illicitus; si enim tunc fateatur, se fuisse deceptum, alter non potest amplius moveri illo consilio, utpote cujus falsitas detecta est. Non liberatur, si dederit consilium verum, unaque indicaverit modum inferendi damnum, reportandi commodum &c. licet consilium retractare conetur; dummodo alter eo motus damnum inferat. Ratio est: quia motiva, a consulente semel suggesta, etiam facta retractatione, remanent, & effi-

caci-

caciter influunt in damnum; cujus proinde consulens censebitur causa; adinstar illius, qui alteri præbuit arma ad nocendum proximo: talis enim manebit causa nocumenti, esto postmodum nocentem a perpetrando scelere dehortetur, & pro viribus retrahere conetur. Sporer *loc. cit. c.* 3. *n.* 21. La Croix, Mezger, Babenstuber, & alii satis communiter.

Dices. Qui retractat mandatum, a restitutione liberatur, ex dictis *num. preced.* ergo etiam qui retractat consilium.

Respondetur cum Sporero *cit.* neg. conf. Disparitas est, quod mandatum præcise influat propter voluntatem perseverantem mandantis; qua proinde retractata influere cessat. At consilium influit propter motivum suggestum, v. g. utilitatis, commoditatis, voluptatis &c. unde si consilium datum sit verum, quantumcunque retractetur, nihilominus ratio motiva, per illud proposita, immota permanet, & influit eodem modo, ac si consilium retractatum non esset: consequenter &c.

440. Colliges tertio, eum, qui suo suffragio subscripsit causæ iniquæ, nondum sufficienter conclusæ, obligari ad restitutionem. Ratio est: quia positive, efficaciter, & injuste ad damnum concurrit. Contrarium tenendum est, si causa jam fuerit sufficienter conclusa. Ratio est opposita: siquidem tunc suffragium superadditum non influxit efficaciter, & reipsa in damnum, quippe jam prævie causatum. Ita DD. communiter.

441. Colliges quarto. Qui affectum injuria irridet, eique exprobat ignaviam, quod injuriam non ulciscatur, tenetur ad restitutionem, si hac tali ratione commoveat injuriatum ad vindictam sumendam. Similiter, qui marito exprobat adulterium uxoris, isque idcirco ignominiæ impatiens adulteram interficit, oneri restitutionis subjacet. Ratio est: quia in utroque casu intervenit concursus injustus, & efficax in damna consecuta. Bonacina, Babenstuber *loc. cit. num.* 35. & alii passim.

442. Colliges quinto, obligari ad restitutionem caupones, & ejusmodi, qui filiosfamilias domi suæ receptant, ut ibi paternam pecuniam potu, vel lusu consumant, parentibus absolute, & quoad substantiam invitis, Saurus *in clavi Reg. lib.* 10. *tr.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. Sporer *loc. cit.* 37. & alii. Ratio est; quia ejusmodi receptatores cooperantur ad consumptionem rei alienæ invito domino, videlicet ad consumptionem paternæ pecuniæ invitis parentibus; ergo peccant contra Justitiam, & obligationem restituendi contrahunt. Similiter ad restitutionem obstringitur, qui in ædibus suis receptat, & occultat furem, dum eum lictores persequuntur, si per hoc furi præbeatur spes ulterioris recursus, & refugii, quo, si postmodum evaserit, confisus furta repetat, novaque inferat damna; secus, si receptet, seclusa spe ulterioris ejusmodi recursus, ex commiseratione erga illum, ne capiatur, infametur, vel pœnam capitalem luere cogetur; sic quippe receptans nullum crimen committit (saltem præscindendo a speciali prohibitione Magistratus) nec ulli injuriam infert. Ratio est: quia furem receptans priore modo est injusta, & efficax causa damnorum inde consequentium; non item receptans posteriore modo, ut jam insinuatum. Lessius, Lugo, Bonacina, Sporer *loc. cit. n.* 38. Babenstuber, ubi supra, *numer.* 40. & alii communiter.

443. Colliges sexto. Qui metu gravi coactus præbet auxilium, vel aliquo modo participat in damnificatione injusta, non tenetur ad restitutionem; dummodo id, quod præstat, non sit per se, & intrinsece malum. Unde a peccato, & restitutionis debito excusantur Christiani captivi apud Turcas, si ab his gravi metu adacti, contra Christianos alios remigent, arma, & sarcinas asportent, fossas agant, propugnacula extruant; rustici, si injustas militum prædas avehant &c. Ratio est: quia cooperantur ad actionem de se, & ex objecto indifferentem; ergo ob metum gravem a peccato, & restitutionis debito excusantur. Quod autem eædem actiones ex iniqua intentione hostium, furis &c. detorqueantur ad damna innocentibus inferenda, cooperantes ob justam, & gravem causam licite permittere possunt.

Dices. Ejusmodi cooperatores licite occidi possunt ab illis, qui injuste invaduntur, aut rebus suis expoliantur, quando malum alia ratione averti nequit; ergo signum est, quod injuste agant.

Confirmatur, Quamvis recensitæ, & aliæ id genus actiones non sint malæ in abstracto, & secundum se, sunt tamen malæ, quatenus exercentur in talibus circumstantiis; ergo cooperatores peccant, & quidem peccato injustitiæ: consequenter &c.

Respondetur, ad argument. neg. conf. Ad ant. ajo, quod possint tales occidi, non jure vindictæ tanquam Rei criminis, sed jure necessariæ defensionis: qualis occisio non necessario, & semper supponit crimen; ut patet in casu, quo quis invaditur ab amente.

Ad Confirmat. neg. ant. Nam actiones indifferentes tunc solum evadunt in particulari malæ, & quidem intrinsece, quando executioni finis intrinsece mali *proxime* deserviunt; quæ proin ob nullam omnino causam exerceri licite possunt: prout animadvertimus *part.* 2. *n.* 245. Hoc tali modo se non habent præallegatæ actiones; adeoque ex causa gravis metus excusari, & cohonestari possunt. Unde negatur etiam utraque conf.

Subjunxi in corollario per modum limitationis: *dummodo id, quod præstat, non sit per se, & intrinsece malum*. Unde captivi supra non excusarentur a peccato injustitiæ, si contra alios Christianos pugnarent, tormenta explodetent, eos occiderent &c. quia istæ actiones per se, & intrinsece malæ sunt; ut proinde per metum, quantumvis gravem, excusari, aut cohonestari non queant: prout constat ex alibi, & sæpe dictis. Filliucius *tr.* 32. *c.* 3. *n.* 68. Salmanticenses *tom.* 3. *tr.* 13. *cap.* 1. *punct.* 5. *n.* 128. & alii passim.

444. Colliges septimo, Cajum v. g. si adverterit in via grassari prædones, & ab itinerantibus, sibique occurentibus interrogatus, se advertisse neget, teneri istis restituere, si tali negatione animati iter suum prosequantur, & expolientur. Ratio est: quia Cajus expoliationis, & damnorum inde resultantium causa injusta existit: licet enim non peccasset contra Justitiam, si solum negative, seu præcisive, se habuisset, puta tacendo, & sic mere non manifestando prædones; contra illam tamen peccasse omnino censendus est, quatenus se habuit positive, idest, quatenus prædones negando occultavit, sicque itinerantes, ad pergendum in itinere cœpto, mendaciter induxit, & animavit. Ita cum Silvestro, & communi aliorum P. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 47.

445. Colliges octavo, oneri restitutionis obnoxios fieri Principes, Magistratus, Consiliarios, Belliduces &c. dum non impediunt furta, latrocinia, iniqua monopolia, & similia peccata damnifera, quando impedire possunt sine notabili detrimento proprio vitæ, famæ, honoris, & rei familiaris. Ratio est: quia tenentur ea impedire, saltem ex quasi contractu, seu ex officio; adeoque ex Justitia commutativa: cum ad hoc constituti sint, & ideo honores, ac stipendia percipiant a Republica. Dixi autem: *quando impedire possunt &c.* Non enim censentur ejusmodi munia suscepisse cum tanto onere, ut damna etiam cujuslibet privati avertere teneantur cum suo majori, vel æquali damno. Damna tamen Communitatis, præsertim spiritualia, qualia sunt hæreses, scandala &c. tenentur impedire etiam cum periculo vitæ; eo quod bona istis opposita bono privato, ceu longe potiora, anteferenda sint. Ita cum Lessio, Bonacina, & Laymanno P. Babenstuber *loc. cit. n.* 48.

446. Colliges nono, custodes urbium, pagorum, agrorum, vinearum, silvarum, fluminum, piscinarum, gabellarum &c. damna inferri permittentes, aut fures, vel defraudatores non manifestantes, teneri compensare omnia damna directe causata. Ratio est: quia ex quasi contractu saltem, seu ex officio, quod gerunt, tenentur illa impedire, & inferentes manifestare; cum in hunc finem a dominis conducti sint. Dixi: *damna directe causata &c.* Non enim videntur obligari ad restituendum pro pœna, vel mulcta, quam Rei debuissent dominis solvere, si fuissent manifestati. Ratio hujus est: quia illiusmodi custodum officium non est dominos locupletare ex lucro pœnarum, sed tantum conservare res suæ curæ commissas. Sporer ubi supra *n.* 58. La Croix *loc. cit. n.* 48. & alii apud ipsos.

ARTI-

ARTICULUS II.

De circumstantia, cui sit facienda restitutio?

§. I.

An emptor rei furtivæ possit illam restituere furi, si alioquin de suo pretio recuperando periclitetur?

SUMMARIUM.

447. & seqq. Exponitur status quæstionis, 450. Deciditur controversia de possessore bonæ fidei. 451. & seqq. Solvuntur objectiones. 455. Deciditur controversia etiam de possessore malæ fidei. 456. & seqq. Diluuntur argumenta contraria. 460. Subjungitur corollarium.

447. PRænotandum primo, & supponendum tanquam certum, quod si emptor possit facile suum pretium a fure recuperare privata petitione, occulta compensatione, vel implorata Judicis sententia, teneatur rem emptam vero domino restituere. Ratio est: quia tenetur restituere ratione rei acceptæ, quæ apud se extat: non furi, cum non sit ejus; ergo vero domino; nam restitutio, quæ facienda est ratione rei acceptæ, fieri debet illi, cujus res est, nisi justa causa excuset, qualis tamen tunc nulla intervenit,

448. Prænotandum secundo, & itidem supponendum tanquam certum, quod, si econtra emptor subeat periculum, datum pretium amittendi, & dominus rem suam a fure facile recuperare possit, emptor, rescisso contractu, licite rem furi reddat ad recuperandum suum pretium, Ratio est: quia eo in casu dominus nihil damni patitur; & consequenter nequit esse rationabiliter contrarius, quod emptor utatur tali modo restituendi, quem sibi necessarium fore prævidet ad recuperandum suum pretium. Idem dicendum, si moraliter certum sit, quod ipse fur, quippe jam pœnitens, rem sit restituturus: tunc enim emptor reddendo rem furi, adhuc censeretur illam vero domino restituere (fere sicut si per famulum, vel amicum fidelem reddendam transmitteret) unaque hoc restituendi modo famæ, & existimationi furis consuleret.

Quare controversia solum procedit in casu, quo & dominus periclitatur de re sua, & emptor de suo pretio recuperando, si rem ipsimet domino reddiderit. Pro cujus fundamentaliori discussione

449. Prænotandum tertio, tripliciter contingere posse, ut quis rem alienam, seu furtivam emat a fure, Vel enim tempore emptionis incalpabiliter nescit, rem esse furtivam; & tunc dicitur emptor bonæ fidei. Vel tempore emptionis scit, rem esse furtivam; & tunc dicitur emptor malæ fidei &c. Vel tempore emptionis dubitat, an res sit furtiva; & dicitur emptor dubiæ fidei, qui in praxi æquiparatur emptori malæ fidei, nisi forte rem illam emat animo magis in veritatem inquirendi, & comperto rei domino eam restituendi, His prænotatis, & suppositis,

450. Dico primo: Emptor bonæ fidei potest in casu posito rem reddere furi. Ita Toletus *lib. 5. c. 17. n. 22.* Bonacina *de Restit. disp. 1. q. 4. pun. 2. num. 2.* Valentia *disp. 5. q. 6. pun. 4.* Dicastillo *lib. 2. tr. 5. disp. 5. dubit. 4.* Lessius, Lugo, Tamburinus, Mastrius, Sporer, Mezger, Babenstuber, & alii innumeri contra Molinam, Cajetanum, Laymannum, & alios,

Probatur primo. Quia contractus illius emptionis vel fuit invalidus, vel certe ad arbitrium ementis rescindibilis; ergo emptor, non obstante illo putatitio contractu, vel eo rescisso, potest rem emptam reddere venditori, seu furi; ut suum ab eo pretium recipiat, Conf. rite intellecta tenet, quidquid contra sentiat Illsung. Ant. traditur a Canonistis *lib. 3. tit. 27.* quos vide.

Probatur secundo. Siquis rem alienam in platea inventam sibi assumat, & postea advertat, ejus detentionem sibi fore damnosam, potest illam reponere in eodem loco, nec tenetur servare, ut domino reddat: item si Cajus auferat furi librum Titii, v. g. animo reddendi eum Titio, fur autem Cajo vicissim eripiat librum, nec velit hunc reddere, nisi Cajus ipsi reddat librum Titii, potest idem Cajus furi reddere librum Titii, ut suum recipiat; ergo idem dicendum in nostro casu.

Probatur tertio. In pari casu, & causa nemo obligatur suum proprium periculum postponere periculo alieno; sed emptor bonæ fidei, & dominus rei furtivæ versantur in pari casu, & causa; sicut enim dominus habet jus in suam rem, & de hac recuperanda periclitatur, ita emptor habet jus in suum pretium, & de eo recuperando periclitatur; sunt præterea ambo innocentes; ergo emptor bonæ fidei non tenetur suum periculum postponere periculo domini: quod facere deberet, si rem emptam non posset reddere venditori, seu furi.

451. Objicies primo. Melior rei status, quem apud emptorem bonæ fidei acquisivit, accrevit domino rei; ergo huic fit injuria, si res reddatur furi, & sic redigatur in deteriorem statum,

Confirmatur. Qui rem alterius eripuit ex incendio, non potest eam in flammas rejicere, licet pati debeat grave, vel æquale damnum; ergo a pari &c.

Respondetur ad object. dist. ant. Ita ut ille status domino sit absolute debitus, & conservari debeat etiam cum notabili detrimento emptoris, neg. secus, con. ant. & neg. conf.

Ad confirmat. omisso antecedente, negatur conf. Disparitas est; nam qui rem alterius in flamas rejicit, physice illam destruit, cum ponat actionem, ex qua necessario per causalitatem physicam sequitur rei alienæ destructio. At vero qui rem alterius ob grave damnum restituit furi, eam nec moraliter, nec physice destruit. Non physice; quia rem reddit integram furi, potenti eandem reddere domino. Non moraliter; quia positive non movet furem ad retentionem iniquam; impedire autem non tenetur cum suo notabili damno.

452. Objicies secundo. Si fur sit mortuus, vel non amplius compareat, tenetur emptor rem reddere ipsimet domino, esto hic prævideatur non refusurus pretium; ergo etiam si fur adhuc vivat, & compareat.

Respondetur, neg. conf. Ratio discriminis est, quod in nostro casu domino res sua adhuc restituatur mediate, mediante nimirum fure, in conscientia eam restituere obligato. Nec refert, quod fur forte restitutionem intermittat: id enim per accidens est respectu emptoris, utpote qui per hoc, quod rem immediate reddat furi, vere intendit, ut dominus illam recipiat. Unde fure non restituente dominus jacturam suæ rei debet adscribere illius malitiæ, suoque infortunio. At vero in casu assumpto res non restitueretur domino mediate, cui tamen, cum ad ipsum pertineat, restituenda est: consequenter immediate restitui debet. Quapropter sicut in priore casu dominus jacturam suæ rei, dum eam non recuperat, malitiæ furis, aut suo infortunio adscribere debet; ita in posteriore casu emptor jacturam sui pretii &c.

453. Objicies tertio. Quando emptor prævidet, rem a fure (saltem probabiliter) non reddendam domino, & tamen eam furi restituit, cooperatur damno domini; ergo peccat &c.

Respondetur, dist. ant. Cooperatur &c. remote, & materialiter, con. proxime, & formaliter, neg. ant. & conf. Non enim est illicitum, per actionem de se indifferentem (qualis in nostro casu interveniret) ad alterius damnum remote cooperari (vel alicujus peccatum permittere) quando adest causa excusans, ut in proposito.

Dices. Non potest debitor rem, v. g. gladium restituere etiam vero domino, si hunc prævideat illo abusurum, v. g. ad injuste occidendum; ergo nec in proposito poterit emptor restituere rem furi, quia prævidet (saltem probabiliter) quod iste illa sit abusurus, rursus detinendo, alienando &c.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia debitor ille ex eo, quod gladium domino abusuro non reddat, nullum supponitur incurrere damnum ab obligatione reddendi excusans (alioquin antecedens negandum foret; ut si dominus comminaretur debitori mortem, ni redderet gladium ad alterius occisionem abusuro) ideoque merito obligatur non reddere, & reddendo formaliter cooperaretur ad injustam cædem alterius; cum quilibet saltem ex lege Charitatis teneatur grave damnum proximi impedire, si absque proprio damno impedire valeat. At in proposito emptor conjiceret se in periculum subeundi grave damnum, amittendi scilicet pretium pro re empta expositum: quod est causa illum sufficienter excusans, ut possit rem reddere furi, quin ad hujus peccatum, aut damnum domini formaliter

liter cooperari censeatur, si ex postfacto non fiat debita restitutio.

454. Objicies quarto. Emptor rei furtivæ a domino requisitus, tenetur eam domino tradere, & ad hoc a Judice implorato cogi potest, & debet; ergo etiam tenetur non requisitus, & a Judice non coactus.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod domino, priusquam determinate agnoscat possessorem rei suæ, non competat determinatum jus adversus illum, debeatque esse contentus, a quocunque demum, sive mediate, sive immediate, rem suam recipiat. At postquam in notitiam possessoris devenit, habet determinatum jus adversus eundem possessorem, potestque eum coram Judice convenire, ut sibi restituere nolentem compellat, & restituere cogat etiam cum jactura expensi pretii.

455. Dico secundo. Etiam emptor malæ fidei (idem esto judicium de emptore dubiæ fidei) potest in casu posito rem reddere furi. Ita Silvester *V. Restitutio* §. 3. *q. 7. dicto 1. circa finem*. Navarrus *in Manual. c. 17. n. 84*. Toletus *lib. 5. c. 17. in fine*. Cardinalis de Lugo *disp. 17. sect. 3*. Pichler *lib. 3. tit. 17. n. 24. in fine*, & alii multi contra communiorem, cui etiam plures adhærent ex illis, qui nobiscum propugnant conclusionem præcedentem.

Probatur hac ratione fundamentali, & argumento ad hominem Aversarium. Si emptor malæ fidei teneretur rem furtivam immediate restituere domino, teneretur præcipue ratione injustæ acceptionis: sed hoc dici nequit; ergo &c. Maj. est Adversariorum. Min. prob. Si teneretur ex dicto titulo, ratio foret; quia emptor malæ fidei injuste continuat damnum a fure illatum, & quasi secundo furatur: hæc ratio nulla est; ergo &c. Maj. est itidem Adversariorum. Min. prob. Si emptor malæ fidei rem furi restituens nullo modo in causa est, quod dominus damnum patiatur, & re sua careat, allata ratio nulla est: sed emptor malæ fidei rem furi restituens nullo modo in causa est, quod dominus patiatur damnum, & re sua careat; ergo &c. Major videtur certa; nam si emptor nec mediate, nec immediate amplius influat in damnum domini, non potest dici injuste continuare damnum, sicque esse in causa, quod dominus damnum patiatur, & re sua careat. Min. prob. Si emptor bonæ fidei rem furtivam restituit furi, nullo modo est in causa, quod dominus patiatur damnum, & re sua careat; prout fatentur Adversarii saltem nobiscum sentientes in *præced. conclus.* & relinquitur ex dictis supra; ergo nec emptor malæ fidei, cum quoad hoc punctum par sit circa utrunque ratio. Nec obstat, quod in emptore malæ fidei præcesserit injusta acceptio; nam obligatio restituendi ex hoc titulo extinguitur, quamprimum aliquis non amplius causa est, quod dominus patiatur damnum: sed emptor malæ fidei, dum rem restituit furi, per se obligato ad eandem rem domino absque mora reddendam, non amplius causa est, quod dominus patiatur damnum; ergo &c.

Confirmatur conclusio. Si emptorem malæ fidei statim facti pœniteret, & repetendo pretium redderet rem furi, non facile quisquam diceret, eum agere injuste, & obligari ad damnum domino reparandum, casu, quo fur restituere intermittit; ergo idem dicendum, si post aliquot dies pœniteat facti, & rem deferat ad furem, præsertim cum hic, ut supponitur, illam domino interea non restituisset.

456. Objicies primo. Ex una parte obligatio rem immediate restituendi domino non videtur esse improportionata culpæ gravi, quam admisit emptor malæ fidei, scienter emendo rem furtivam: ex altera parte hæc obligatio non parum servit ad absterrendos homines, ne res furtivas scienter emant; ergo &c.

Respondetur, neg. primum membrum antecedentis: alias sequeretur, quod emptor malæ fidei teneretur immediate rem domino reddere, licet certus esset, a fure restitutum iri: item in casu, quo post rem emptam statim pœniteat facti: item quod quis rem inventam, & malo animo sublatam, metu gravis damni non posset reponere in statu priori: quæ tamen sequelæ non subsistunt. Ad alterum membrum antecedentis ajo, homines ab emendis scienter rebus furtivis satis absterreri debere tum a Lege Naturali, & Divina graviter prohibente: tum a periculo, ne deferantur ad Judicem, & præter jacturam pretii etiam graves mulctas pendere cogantur. Quem ista non absterrent, eundem nec absterrebit illa altera obligatio.

457. Objicies secundo. Per se videtur naturali æquitati conformius, & ad omnem eventum particularem optabilius, ut si alteruter pati debeat damnum, scilicet vel dominus innocens jacturam rei suæ, vel emptor nocens jacturam sui pretii, damnum illud pati potius teneatur emptor nocens, & domino injuriosus, quam dominus innocens; ergo &c.

Respondetur, explic. dist. ant. Casu, quo emptor malæ fidei causa est, quod dominus patiatur damnum, con. secus, neg. ant. & cons. Emptor malæ fidei non est amplius nocens respectu domini, nec injuriam continuat, si rem reponat in priore statu, &, quantum in se est, efficaciter faciat, ut res statim ad suum legitimum dominum redire valeat.

458. Objicies tertio. Qui rem furtivam mala fide emit, obligatur domino etiam ex injusta acceptione: sed qui obligatur ex injusta acceptione, tenetur illam restituere, etiamsi deinde talis res sine ipsius culpa pereat; ergo emptor malæ fidei, cum rem furtivam emerit mala fide, tenebitur illam restituere, etiamsi sine ipsius culpa pereat, puta etiamsi fur rem sibi redditam non restituat contra voluntatem emptoris.

Respondetur, transmissa majore in terminis, in quibus proponitur, dist. min. Qui obligatur ex injusta acceptione effective damnificativa, con. non effective damnificativa, neg. min. Non intervenit in casu acceptio effective damnificativa, cum res ponatur perinde a fure interea non restituenda, & sic forte apud ipsum peritura, ac si non intervenisset talis injusta emptio, & restitutio furi facta.

Dices. Si res furtiva casu fortuito pereat apud emptorem malæ fidei, tenetur hic ad restitutionem domino faciendam; ergo eandem obligationem habebit, si reddat furi, & prævideat, rem ad dominum non redituram.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia in casu antecedentis, cum emptor malæ fidei non reposuerit rem in priore statu, injusta emptio, & acceptio rei est, vel potius fit effective damnificativa: at in casu consequentis, cum rem reposuerit in priore statu, injusta acceptio rei non fit effective damnificativa: consequenter &c. Id quod totum ex dictis liquet.

459. Objicies quarto. Emptor malæ fidei, dum rem furtivam emit, censetur in se suscepisse omne periculum, & damnum; ergo in defectu furis tenetur damnum domino reparare; ac per consequens rem immediate ipsi restituere, si novit, a fure restituendam non esse.

Respondetur, dist. ant. Quandiu ipse emptor rem emptam apud se detinet, con. postquam eandem in priore statu reposuit, & furi reddidit, neg. ant. & cons. supposito, quod rem furi reddiderit.

Nec dicas. Ergo emptor malæ fidei poterit rem reddere furi, etiamsi de pretio recuperando non periclitetur.

Respondetur, neg. illatum. Nam quilibet ex Justitia tenetur non solum non inferre damnum proximo, sed etiam procurare, quantum commode potest, ne illi ex sua actione sequatur damnum. Sed si emptor malæ fidei, licet non subeat periculum amittendi pretii, rem furi redderet, non procuraret, quantum commode potest, ne ex sua actione damnum sequatur domino; cum prævideat, rem a fure non fore restituendam; ergo &c. Aliud est, si emptor subeat periculum amittendi pretii; nec enim tanto suo incommodo obligatus est procurare, ne ex sua actione per accidens, puta ob meram malitiam tertii, sequatur damnum proximo.

460. Colliges, extra controversiam assa, quod ille, qui a fure rem furtivam accepit gratis, teneatur eandem immediate restituere legitimo domino, nisi forte certus sit, quod fur ipse, utpote jam vere pœnitens, suo munere functurus, & rem ablatam debite restituturus sit. Ratio est: quia restitutio, quæ debetur ratione rei acceptæ, facienda est illi, ad quem pertinet res, de cujus restitutione quæritur, quando causa aliqua excusans non permittit contrarium: sed qui a fure rem furtivam accepit gratis, tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ; neque hic causa aliqua excusans permittit contrarium, seu quod restitutio non sit

facien-

facienda illi, ad quem pertinet res, de cujus restitutione quæritur; ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & resolvuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

461. Cui restitui debeant res, ex incendio, vel naufragio ereptæ? 462. Cui in bello captæ? 463. Cui pecunia a dæmone accepta?

461. QUæres primo, cui restitui debeant res, ex incendio, vel naufragio ereptæ?

Respondetur, esse restituendas domino, cujus erant, antequam in talem statum devolutæ erant. Ita Bonacina *de Restit. disp.* 1. *q.*3. *pun.*10. *n.* 6. & alii passim. Ratio est: quia res, in quocunque statu versentur, sui domini sunt, & ad ipsum clamant; ergo ipsi restituendæ sunt. Nec refert, quod is, qui illas eripuit, potuisset citra injuriam non eripere. Nam supposito, quod eripuerit, domino eripuit, eique reddere tenetur. Id quod maxime verificatur de rebus, quas dominus in periculo naufragii ejecit; prout advertit Haunoldus *tr.* 5. *n.* 152. Non enim ejecit, quasi illarum dominio se abdicare voluerit, & haberi pro derelictis: sed quia aliter suam vitam e. g. salvare non potuit; unde semper retinuit voluntatem eas recipiendi, casu quo fieri posset. Hinc etiam, qui tales res eripuit, & domino repetenti non restituit, in foro externo punitur, & adstringitur ad reddendum in quadruplo. *l.* 44. *ff. de acquir. rer. domin.* imo omnium bonorum publicatione mulctatur. *Authent. Navigio, C. de furt. & servo corrupto.*

462. Quæres secundo, cui restitui debeant res in bello captæ?

Respondetur. Si sint res immobiles justo bello obtentæ pertinet ad Principem, vel Rempublicam, nisi ab amittentibus recuperentur; tunc enim ad istos spectant. *l.* 10. §. 1. *ff. de capt.* Si vero sint res mobiles regulariter, & seclusa consuetudine contraria, fiunt capientium, prout habetur §. 17. *Instit. de Rer. divis.* ibi: *item ea, quæ ex hostibus capimus, Jure Gentium statim nostra fiunt.* Si similes res sint obtentæ in bello injusto, ex Jure naturæ debent legitimis dominis restitui: at Jure Cæsareo (sic statuente ad evitandas lites) cedunt obtinentibus, si ipsi illas ad præsidia, vel loca tuta jam deportarint; secus, si nondum eo deportarint aut si legitimi domini adhuc fuerint insecuti; tunc enim prioribus, & legitimis dominis restituendæ erunt etiam de Jure Cæsareo. Porro Jus Cæsareum solum observari potest, & debet ab illis, qui Cæsari sunt subjecti: item quoad bona pertinentia ad Laicos tantum: prout relinquitur ex dictis *de LL. & Immunit. Ecclesiast.* Ita La Croix *loc. cit. n.* 113. & alii apud ipsum,

463. Quæres tertio, cui pecunia a dæmone accepta debeat restitui?

Respondetur cum distinctione. Vel enim possessor pecuniæ scit, quod, & cui dæmon illam surripuerit, vel non scit? Si sciat, utique tenetur restituere illi, cui ablata est: prout apud omnes indubitatum. Si non sciat, spectato Jure naturæ retinere poterit; quia potest esse, quod dæmon illa eruerit ex profundo maris, vel aliunde, ubi habebatur pro derelicta. De Jure autem positivo, post sententiam Judicis, inter pauperes eroganda, vel fisco applicanda erit. Ita Card. de Lugo *disp.* 6. *n.* 112. & alii passim: estque fundatum in Jure.

A R T I C U L U S III.

De Circumstantia, quo ordine *sit facienda restitutio?*

QUoniam ordo servandus in restituendo potest dupliciter considerari, nempe ex parte debitorum, & ex parte creditorum, hunc articulum majoris claritatis gratia in duos §§. dividimus.

§. I.

Quis restituendi ordo sit servandus ex parte debitorum?

S U M M A R I U M.

464. & seqq. Deciditur, quinam debitores primo, quinam secundo, quinam tertio, quinam quarto, & quinam quinto loco restituere teneantur? 469. & 470. Superadduntur duæ animadversiones bene, & semper præ oculis habendæ.

464. DIco primo. Ante omnes alios debitores, & primo loco tenetur ille restituere, apud quem res extat, sive in se, sive in æquivalenti. Ratio est: quia talis possessor, sive sit bonæ, sive malæ fidei, tenetur ad restitutionem ex re accepta, qui titulus ceteris major est, magisque stringit; cum jus domini semper rem comitetur, & afficiat, ubicunque ea existat.

465. Dico secundo. Secundo loco restituere tenetur, qui fuit causa principalis, & physice executiva damni, id est, qui proprio nomine, nullius mandato adactus, executive, & physice damnum intulit. Ratio est: quia qui suo nomine, & physice influit, in damnum, magis, & principalius influit, quam qualibet causa moralis, vel alterius nomine, & instrumentaliter concurrens. Quod si plures fuerint causæ physice principales, ad compensationem damni contribuere debent plus, minusve juxta majorem, vel minorem influxum in damnificationem præstitum: quia mensura restitutionis respondere debet damnificationi, ita ut plus teneatur restituere, qui plus, & minus, qui minus damnificavit.

466. Dico tertio. Tertio loco tenetur restituere mandans. Ratio est: quia mandans inter causas morales est principalis: imo etiam causas physicas instrumentarias, ut mandatarios, & executores, efficacia influxus supergreditur, & tenetur pro priori, atque ad totum damnum resarciendum; causæ vero instrumentales, licet physicæ, solum in defectu ipsius: quia mandans vult rem totam suo nomine fieri; consequenter censetur in se suscipere, quidquid oneris, vel obligationis inde sequi natum est.

467. Dico quarto. Quarto loco restituere tenentur consulens, consentiens, palpans, receptans, & participans, omnes æque primo, id est, non unus ante alium. Ratio est: quia ex una parte hæ tales causæ, licet sint positivæ, tamen respectu præcedentium sunt secundariæ, & accessoriæ, minusque efficaciter concurrunt ad damnificationem; ex altera vero parte nulla inter easdem qua tales reperitur subordinatio influxuum, ob quam una præ altera ad restituendum obligetur, Quo tamen non obstante, haud sequitur, quod singulæ teneantur semper per partes damni æqualis reparandas; sed qualibet juxta proportionem injustæ, & damniferæ læsionis a se causatæ, prout fluit ex dictis *numer.* 465.

468. Dico quinto. Quinto loco restituere tenentur non mutus, non obstans, non manifestans. Ratio est: quia hæ causæ, cum solum in damnificationem influant negative, minus influunt, quam causæ procedentes, utpote influentes positive, sive influxu physico, sive morali duntaxat; cum influxus negativos, ceteris paribus, sit minor influxu positivo. An autem inter hasce causas invicem comparatas sit servandus ordo, adeo, ut una præ alia ad restitutionem obligetur, non conveniunt Authores, prout videre est apud Card. de Lugo *tom.* 1. *disp.* 19. *sect.*4. *n.* 134. Ego negantibus subscribo: quia & inter istas causas qua tales, invicem comparatas, nulla reperitur subordinatio influxuum in damnificationem, vi cujus una præ altera ad restituendum obligata censeri possit, ac debeat. Bene tamen & hic attendenda est inæqualitas influxus in damnum, ex qua utique resultat inæqualitas obligationis ad restituendum plus, minusve: quemadmodum sequitur *ex n. immediate preced.*

469. His ita expenditis, adhuc supperaddendum, & advertendum est primo. Quando causa damnificans principalis restituit, causæ secundariæ ad nihil obligantur; eo quod hæ solum obligentur ad restitutionem in defectum illius, vel non potentis, vel non volentis restituere. Quod si causæ secundariæ damnum compensarint, acquisivere jus (etiam mediante actione) petendi a causa principali refusionem. Si una causa secundaria sola totum damnum resarciverit, poterit ipsa sola refusionem a causa principali pretendere, & quando ab ea obtinere nequit, a reliquis concausis secundariis, idque pro rata singularum. Laymann *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 3. Salmanticenses *tom.* 3. *tr.* 13. *c.* 1. *pun.* 5. *n.* 144. Babenstuber *loc. cit. art.* 5. *n.* 3.

470. Supperaddendum, & advertendum secundo.

Quando principali damnificanti condonatur a damnificato debitum restituendi, etiam censetur condonatum secundariis damnificantibus, non autem vice versa: quia ruente principali ruit & accessorium, non vicissim. Laymann *loc. cit.* & alii passim. Quod, si obligatio restituendi remittatur uni ex pluribus, æque primario, vel æque secundario obligatis, non hoc ipso censetur etiam remissa ceteris, quin adhuc juxta proportionem præstiti influxus obstingantur ad reparationem damni; eo quod tali casu obligatio unius non dependeat ab obligatione alterius. Lugo ubi supra *sect. 5, n. 141.* aliique communiter.

§. II.

Quis restituendi ordo sit servandus ex parte creditorum?

S U M M A R I U M.

471. Præmittitur, quid in præsenti certum sit. 472. Ob oculos ponuntur in decisione quæstionis attendenda. 473. Debita realia sunt integre restituenda creditoribus, jus reale proprietatis in illa habentibus &c. 474. Fit conclusionis extensio. 475. Si debitor sit defunctus, secundo loco ex bonis ipsius solvenda sunt expensæ funeris. 476. Tertio loco solvendum est creditoribus, hypothecam, vel privilegium habentibus. 477. Inter creditores mere personales non est servandus ordo prælationis. 478, & seqq. Solvuntur objectiones. 481. Conclusio dilucidatur, & respective limitatur.

471. PRænotandum primo, & tanquam certum supponendum, quod si debitor habeat bona sufficientia ad solvendum cunctis creditoribus, nullus inter eos servandus sit ordo, sive prælatio, sed singulis insolidum, & integre restituendum, quod debetur: ita quippe postulat Lex, & obligatio Justitiæ. At vero si debitor non habeat media sufficientia ad solvendum omnibus creditoribus, & consequenter aliqui debito suo in toto, vel in parte carere debeant, Justitia poscit, ut inter creditores servetur ordo, unusque alteri in solutione debiti præferatur.

472. Prænotandum secundo, quod in propositæ quæstionis decisione attendi vel maxime debeat ad jura creditorum, an nimirum habeant jus reale, per personale? an bona restituenda jure proprietatis pertineat ad debitorem, vel ad creditorem? an aliqui ex creditoribus personalibus habeant pignus, vel hypothecam? & qualem? generalem ne, an specialem? tacitam, an expressam? antiquiorem, an recentiorem? Item an id, quod debetur creditoribus personalibus, debeatur ex delicto, vel ex contractu? Videndæ deinde aliæ tum bonorum, tum creditorum circumstantiæ. Nunc

473. Dico primo. Debita realia sine ordine sunt integre restituenda creditoribus, jus reale proprietatis in illa habentibus, quamvis omnes alii debitores vacui discedere debeant. Ita communis, & certa omnium sententia. Ratio est manifesta: quia ceteris creditoribus restitutio solum facienda est ex bonis propriis debitoris, prout in confesso est; ergo non ex alienis, seu illis, in quæ aliis competit jus reale proprietatis: cujusmodi sunt deposita, commodata, pignora, inventa, ablata &c. Sed

474. Quæres, an hæc doctrina etiam procedat de re empta, nondum vero soluta, quæ extat apud debitorem obæratum? an nempe & ista debeat ante omnia restitui?

Respondetur primo. Si res sit empta ab Ecclesia, vel Titio, vel Minorenni, debet ante omnia solvi pretium, vel res ipsa restitui. Ratio est: quia ex singulari Juris dispositione res a talibus emptæ non transeunt in dominium emptoris per conventionem mutuam, & traditionem, nisi persolvatur reipsa pretium *l. Si Curator ff. de Jure Fisci. juncta Gloss.* Quare tales res, ubicunque extiterint, etiamsi aliis venditæ fuerint, ante actualem pretii solutionem vindicari possunt. Ita cum Bartholo, Abbate, Lessio & aliis Sanct-Gallenses *tom. 6. tr. 3. q. 2. dub. 3. post conclus. 1.*

Respondetur secundo, Si res sit empta ab alio absque interventu pignoris, vel fidejussoris, nec pretium in præsenti solutum, nec aliter venditor emptoris fidem secutus fuerit (hoc est, nec nuda emptoris promissione fuerit contentus, ac si pretium esset solutum) itidem ante omnia persolvendum est pretium, vel ipsa res restituenda. Sanct-Gallenses *loc. cit.* & alii passim. Ratio: quia & tali casu dominium rei non fuit translatum in emptorem, sed mansit penes venditorem, *§. venditæ Instit. de Rer. divis.*

Respondetur tertio. Tametsi accessisse supponatur aliqua conditio ad dominium rei emptæ transferendum idonea, ac sufficiens, probabilius tamen est, venditorem, si res vendita apud emptorem extet, creditoribus ceteris anteferendum. Ita Navarrus *in Manual. c. 17. n. 49.* Medina *de Restit. q. 2. §. tertium dictum.* Lessius *de Just. lib. 2. c. 15. dubit. 2. n. 11.* & alii communius. Ratio est; quia valde durum, & ab æquitate naturali alienum videtur, ut res mea, quam a me emisti nondum tamen soluto pretio, extans in sua specie cedat aliis, & ego citra omnem meam culpam, illa, simulque ejusdem pretio frauder. Accedit, quod venditor, quando tradit emptori rem suam pretio non soluto, tametsi velit in eum rei dominium transferre, non tamen intendat, nec censeatur se privare omni jure, & recursu ad illam, nisi pretium reipsa fuerit persolutum unde ejusmodi res, saltem quandiu apud emptorem extat, potest censeri quasi hypothecata pro pretio. Et quod de re empta diximus, intelligendum quoque venit de omni alia re titulo oneroso alienata (v. g. permutata, mutuo data &c.) & apud debitorem in specie adhuc extante, præsertim, & aliis permixta non sit; nam æquitas omnino postulat, ut illi ante omnes res restituatur, qui eam tradidit. Neque quoad talem restituendi modum rationabiliter inviti esse possunt alii creditores; quia debitor non evadit inde impotentior ad ipsis solvendum, quam fuisset, si ejusmodi rem non emisisset, mutuo accepisset &c. Ita cum Lessio, & aliis Sanct-Gallenses *loc. cit.*

475. Dico secundo. Si debitor sit defunctus, secundo loco ex bonis ipsius solvendæ sunt expensæ funeris. Quas tamen expensas oportet esse moderatas, & qualitati personæ defunctæ attemperatas: quæ enim ad superfluam pompam factæ sunt, non necessario a creditoribus compensari debent. Ad expensas funeris illæ quoque reducuntur, quæ factæ sunt pro conficiendo inventario, & apertura testamenti. Item pretia medicinarum, mercedes, & salaria Medicorum, vel Chirurgorum; sicut & sumptus pro conservatione supellectilis & similium, idque in bonum creditorum. Sic DD. communiter *ex l. penult. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*, & *l. ult. §. in computatione. C. de Jure deliberandi.* Porro ad easdem funeris expensas nonnullis in locis etiam revocantur mercedes, & salaria operariorum ad necessarium usum conductorum, prout testantur Sanct-Gallenses *loc. cit. conclus. 2.* & idcirco monent impræsentiarum præter Jus commune attendendas quoque esse speciales locorum consuetudines.

476. Dico tertio. Tertio loco solvendus est creditoribus hypothecam, vel pignus habentibus, adeo, ut ipsi (stando in Jure communi, & secluso speciali privilegio) præferri debeant creditoribus mere personalibus, & nullam hypothecam, vel pignus habentibus, cujusmodi sunt chirographarii, qui præter chirographum, vel syngrapham nihil cautionis a debitori acceperunt. Ita DD. communiter *ex l. eos, qui C. qui potiores in pignore habeantur.* Ratio est: quia hypothecarii habent duplex jus, unum personale in personam debitoris, & alterum reale (esto non sit jus dominii, & proprietatis) in rem hypothecatam (vel oppignoratam) creditores vero solum personales, & meri chirographarii non habent, nisi unum jus, videlicet personale in personam debitoris; ergo illi istis sunt præferendi. Quod si concurrant plures hypothecarii, præferendus est prior tempore: hic enim valet *regula 54. J. in 6. qui prior est tempore, potior est jure.* Accedit ratio: quia jus posterioris hypothecarii non potest, aut debet præjudicare juri prioris hypothecarii; quod tamen fieret, si prior propter accessum posterioris non reciperet integram solutionem sibi antea debitam. Et hoc ita verum est, ut creditor habens hypothecam priorem etiam tacitam solum, debeat præferri habenti hypothecam posteriorem expressam, prout recte Illsung *tr. 4. disp. 3. n. 199.* & alii communius. Ratio est: quia Leges hypothecam tacitam concedendo, tantundem juris in rem taliter hypothecatam conferre censendæ sunt, quantum conferret ipse contractus; cum illæ non sint minoris efficaciæ, quam iste; ergo &c. Verum insuper ita est, ut etiam habens hypothecam generalem priorem sit præferendus habenti specialem posteriorem. Ratio est: quia

posto-

rioris creditoris hypothecarium jus, licet speciale, seu specialiter concessum, non debet præjudicare juri, licet generali, prioris hypothecarii: atqui valde præjudicaret, si priori hypothecario, habenti hypothecam generalem, post accessum posterioris hypothecarii, habentis hypothecam specialem, non deberetur integra solutio, quæ habebatur antea; ergo &c. Sanct Gallenses *loc. cit. conclus.* 3. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 303. & alii passim.

Dixi in conclus. *stando in Jure communi, & secluso speciali privilegio*. Dantur enim plures casus, in quibus ordo prælationis hactenus explicatus, in praxi observandus non est; seu in quibus hypothecarius posterior præferri debet hypothecario priori, sive dein hic habeat hypothecam tacitam, sive expressam, sive generalem, sive etiam specialem. Sic præferri debet 1. Qui dedit mutuum ad extructionem, vel emptionem rei, quam sibi pactus est in pignus, vel hypothecam. *l. licet, C. Qui potiores &c.* 2. Qui dedit mutuum ad ædificationem ædium. *l.* 5. *ff. in quibus causis pignus*, & *juncta Glossa in l. interdum. ff. qui potiores &c.* 3. Pupillus, qui per suum tutorem dedit mutuum ad emptionem alicujus rei, v. g. prædii. *l. idemque ff. qui potiores*. 4. Qui dedit mutuum pro causa militiæ, *v. g.* pro solvendis stipendiis, reservata sibi per instrumentum testibus subscriptum hypotheca, *Novella* 97. *c.* 4. Qui habet hypothecam publicam, id est, publico instrumento firmatam, præferetur habenti privatam, nullo, aut non nisi privato instrumento roboratam, *l. scripturas, C. qui potiores &c.* Videantur super his, & quibusdam aliis id genus casibus Jurisperiti: ad horum quippe forum similia præcipue pertinent.

477. Dico quarto. Inter creditores personales non hypothecarios, & non privilegiatos, vel inter hypothecarios æqualiter privilegiatos, probabilius non est servandus ordo prælationis; sed debitor, qui non est solvendo omnibus, tenetur pro rata singulis restituere servata proportione geometrica, ita videlicet, ut, si jura creditorum sint inæqualia, plus juris habenti plus solvatur, & minus juris habenti detur minus; si autem jura sint æqualia, singulis æquales portiones tribuantur. Vasquez *de Restit. c.* 11. *dub.* 2. Sanct-Gallenses *loc. cit. conclus.* 4. Herincx *de Restit. disp.* 8. *n.* 101. & 103. aliique apud ipsos contra alios. Sumitur conclusio *ex l. privilegia ff. de Privileg. Creditor. l. pro debitis. C. de bonis authorit. Judic. possid.* & *ex l.* 1. §. *ex contrario, ff. de Separation.* Ratio insuper est: quia sicut restitutionis faciendæ, ita & ordinis in ea servandi (quando is servari debet) obligatio descendit ex præcepto Justitiæ, prout in confesso est: atqui nullum extat præceptum Justitiæ, sive pure naturale, sive etiam positivum, quo adstringatur debitor ad solvendum prius uni, quam alteri ex prædictis creditoribus mere personalibus; veluti patebit ex solutione objectionum; ergo &c.

478. Objicies primo. *Qui prior est tempore, potior est jure*, ut habet *regula* 54. *J. in* 6. superius allegata; ergo si unus creditor personalis sit tempore prior, & alter posterior, ille plus juris habet, ac iste: consequenter erit inter eos servandus ordo. Ita argumentantur Authores, qui docent, quod unus creditor personalis alteri sit præferendus ob prioritatem temporis.

Respondetur, memoratam regulam neque ex intentione ferentis illam legem, aut declarantis obligationem naturalem, neque ex rationis paritate, ad creditores personales semper extendendam esse; nam creditor hypothecarius propter temporis prioritatem ideo præfertur: quia acquisivit aliquod quasi jus prioritatis in ipsam rem, cui creditor posterior præjudicare non potest: at creditor personalis solum habet actionem in personam debitoris, qui sæpius obligari potest etiam cum præjudicio prioris creditoris; quodque ita obligetur in præsenti, satis incidant Leges citatæ, præsertim *l.* 1. §. 2. *ff. de Separat.* ubi dicitur: *Licet alicui adjiciendo sibi creditorem* (personalem) *creditoris sui deteriorem facere conditionem*.

Dixi illam regulam *non semper* esse extendendam ad creditores personales. Quod enim inter creditorem etiam personales *quandoque* observanda sit, nimis certum est. Hinc quamvis per emptionem, v. g. pariter solum acquiratur jus in personam venditoris, & interea jus ac dominium rei maneat penes istum, seu venditorem, donec eandem rem præstita solutione, vel fide tradat; nihilominus emptor tempore prior præferendus est emptori posteriori. In hoc, inquam (& aliis id genus casibus) utique valet præcitata regula Juris; non autem in illis, de quibus in præsenti. Dispar enim est ratio inter emptores (vel alios consimiles creditores personales) & inter creditores personales, de quibus nostra loquitur conclusio: quia res empta in se quoad speciem, vel individuum determinate debita est, ita, ut, si casu, vel fortuito pereat, non venditori, sed emptori pereat; ut proinde merito præferatur primus emptor, quando nondum est facta traditio rei secundo: non autem simili modo jus aliorum creditorum, de quibus hic, pretio est affixum.

497. Objicies secundo. Debita ex delicto præferenda sunt debitis ex contractu, & debita ex delicto majore debitis ex delicto minore; ergo saltem quoad ista debita inter creditores personales servandus est ordo prælationis. Ant. videtur inde probari, quod creditor propter illa sit magis invitus, quam propter ista. Sic arguont, qui ordinem prælationis inter creditores personales servandum ex præfacta radice pullulare autumant.

Respondetur, neg. ant. cum cons. Ad prob. ajo, quod licet dominus, seu creditor circa debita prioris generis sit forte magis invitus, magisque repugnet, quam circa debita posterioris generis, ea tamen major repugnantia solum se teneat ex parte subjecti, non autem objecti: jam vero restituendi obligatio non est commensuranda repugnantiæ priori, sed posteriori: consequenter &c. Ex quo fit, ut, si ab uno centum florenos mutuo acceperis, & alteri totidem furto sublegeris, non tenearis prius restituere huic, quam illi: quia jura personalia mutuantis centum, & ejus, a quo totidem furatus es, sunt æqualia, & violata in utroque creditore damnum æquale generant; quod damnum in facienda restitutione unice attendi, & resarciri debet. Fit præterea, ut, licet uni centum florenos abstuleris per rapinam, & alteri totidem per furtum, non debeas tamen in restituendo servare ordinem prælationis inter hos tuos creditores: quia damnum, quod utrique intulisti, & resarcire teneris, est æquale; injuria vero (prout contradistincta a damno) quamvis fuerit major respectu unius, quam respectu alterius, jam transiit, ut supponitur.

480. Objicies tertio. Si unus creditor sit pauper, alter vero dives, omnino videtur præferendus esse pauper præ divite, licet hic in suo jure ideirco diminutionem pati cogatur; ergo nostra conclusio sic illimitate statuta non tenet. Ita non pauci, ponentes ordinem prælationis inter creditorem pauperem, & divitem.

Respondetur, neg. ant. & cons. Siquidem paupertas ex natura sua (abstrahendo a Lege positiva, de qua hic nihil constat) non est sufficiens titulus immutandi ordinem jurium, sed solum movendi ad eleemosynam faciendam de proprio, & sine alterius injuria. Sicut ergo nemo potest, saltem regulariter, se reddere impotentem ad solvendum æs alienum, succurrendo necessitati pauperum; ita neque potest in proposito præferre creditorem pauperem qua talem cum præjudicio creditoris divitis.

481. Refutatis hisce dicendi modis, quibus nostra conclusio ab Adversariis impetitur, eadem conclusio tanquam probabilior, & universalior statuta tenet; idque illimitate, in quantum est decisio quæstionis controversæ: quod addo, ut indigitem, dari hic aliquam limitationem ab omnibus admissam, qua conceditur ordo prælationis inter creditores ex delicto, vel contractu oneroso, relate ad creditores ex contractu gratuito, v. g. donatione. Ratio est: quia per se loquendo, & a privilegiis abstrahendo, omnino Juri naturali conformius est, ut prius solvantur debita ex delicto, vel contractu oneroso, quam debita ex contractu gratuito; siquidem Jus naturæ dictat, prius restituendum illi, qui patitur damnum positivum, quam alteri, qui mere negativum: atqui violatio juris creditori ex delicto, vel contractu oneroso debiti causat damnum positivum, quatenus creditorem positive efficit pauperiorem, ita, ut minus habeat in patrimonio, quam deberet habere; violatio autem juris creditori ex contractu gratuito debiti affert solummodo damnum negativum, quatenus nempe creditorem præcise non efficit ditiorem, quin eidem in patrimonio jam habito nocumentum creet: consequenter &c. Confirmatur

ex l.19. §. quoque ff. de Re judicata, ubi habetur, quod donatio non obliget, nisi donator rem ea promissam præstare valeat, deducto ære alieno. Ita Sanct Gallenses *loc. cit. post conclus.* 4. & alii communiter.

ARTICULUS IV.

De circumstantia, quo tempore *sit facienda restitutio?*

SUMMARIUM.

482. *Statim concipiendum est propositum restituendi.* 483. *Interesse aliud est* ordinarium, *aliud* extraordinarium 484. *& seq. Determinatur, quando quilibet debitor teneatur restituere.* 486. *Solvitur objectio.* 487. *& seq. Non recte observat præceptum restituendi, qui restituit per partes, dum potest restituere totum &c.* 489. *&* 490. *Corollaria pro Confessario.*

482. PRænotandum, & supponendum primo, tempore, quo quis recordatur, se rei alienæ debitorem, aut detentorem esse, statim obligari, ut concipiat propositum restituendi debitum. Ita cum communi Azorius *part.* 3. *Instit. Moral. lib.* 4. *c.* 34. Ratio petitur ex præcepto restitutionis, in quantum hoc est negativum (implicite nimirum, & secundario) hic enim obligat semper, & pro semper, adeo ut nullo unquam tempore liceat velle rem alienam detinere, domino rationabiliter invito.

483. Prænotandum secundo, damnum, quod creditori ex dilatione restitutionis emergere, & lucrum, quod cessare potest, communi vocabulo nuncupari *interesse*; quia nimirum creditori eatenus interest, rem suam non detineri ab alio, quatenus ex absentia talis rei damnum aliquod eidem emergit, vel lucrum cessat. Porro interesse aliud est, & dicitur *ordinarium*, aliud *extraordinarium*. Ordinarium est, quando res ipsa pluris valet, quam alio tempore, sive dein crescat intrinsece; qua ratione pluris valet equus, quam pullus equinus: sive extrinsece; uti contingit, quando Princeps, vel Magistratus justis de causis majus pretium taxat. Interesse extraordinarium est, quando lucrum ex singulari creditoris opera, industria, negotiatione provenit; puta sic centum aureis negotiationi expositis alios quinquaginta lucretur. Nunc

484. Dico primo. Debitor ex re accepta, vel injusta acceptione, aut damnificatione (1) tenetur restituere, quamprimum commode potest: alias (2) obligatur in conscientia solvere totum interesse (seu lucrum cessans, & damnum emergens) tam ordinarium, quam extraordinarium. Ratio primæ partis est: quia alioquin violat præceptum restitutionis, in quantum est negativum (subintellige iridem, *implicite*, *& secundario*) & prohibet detentionem rei alienæ, domino rationabiliter invito. Dixi: *quamprimum commode potest*; nam si debitor, pensatis circumstantiis, non habeat moralem opportunitatem restituendi, dominus non censetur rationabiliter invitus, dum restitutio aliquantum differtur. Ratio secundæ partis est: quia per morosam debiti detentionem est injusta causa, quod creditor & re sua privatus maneat, & lucro (tam ordinario, quam extraordinario) carere, damnumque pati cogatur.

485. Dico secundo. Debitor ex contractu, vel quasi contractu (1) tenetur restituere, postquam impletus est terminus: idque (2) quamvis creditor non moneat, seu debitum non exigat. Quod si non fecerit, erit in mora culpabili, tenebiturque ad solvendum interesse tam ordinarium, quam extraordinarium; ut supra. Ratio primæ partis patet inspicienti naturam contractus, utpote qui obligat in conscientia ad implendum promissum eo tempore, de quo a contrahentibus tacite, vel expresse conventum fuit. Altera pars similiter constat *ex l. magnam. C. de contrahenda, & committenda stipulat.* Quod si nullus terminus in contractu præfixus sit solutioni, hæc primum facienda erit, postquam creditor congruo tempore juxta suam necessitatem, vel utilitatem, aut communem consuetudinem debitum suum exegerit: nisi forte impeditus exigere non possit, vel a potentiore non audeat: tunc enim terminus solutionis erit, qui prudenter judicabitur esse de rationabili intentione creditoris: ut colligitur *ex cit. l. magnam*, & *l. trajectitia*, *ff. de Action. & Obligat.*

486. Objicies. Si debitor morosus compensare debeat omne lucrum cessans, & damnum emergens ob moram in restituendo commissam, Magnates morosi plerumque cogi deberent ad hanc compensationem: atqui hoc fieri non solet; ergo &c.

Respondetur primo, neg. maj. Quia debitor morosus sæpissime excusatur a culpa mortali; quin etiam frequenter a veniali. Nam 1. sæpe statuto tempore non potest solvere; & ipse etiam habet alios debitores, a quibus debita extorquere non potest. 2. Sæpe non advertit, esse tempus solutionis præfixum. 3. Sæpe mora non est magna, & creditores per contractum ex communissima praxi consentire censentur in ejusmodi moram. 4. Sæpe debitor prudentissime judicat, creditorem non fore invitum; aut putat, se monitum iri, siquod damnum ex dilata solutione creditori immineret. 5. Mercatores, quando sciunt, Magnates aliquos in solvendo valde morosos, ob periculum lucri cessantis, & damni emergentis merces carius vendere solent. 6. Mercatores plerumque non graviter ferunt moram; quia plus ab illis lucrantur, dum merces magis pretiosas, & in majori quantitate iisdem vendunt, quam aliis, a quibus paratam pecuniam accipiunt. Quod si nulla ex his causis excusantibus occurrat,

Respondetur secundo, concessa majore, neg. min. Nam conscientiosi, & cordati Confessarii tota virium contentione ejusmodi Nobiles, & Magnates urgent, ac compellunt ad restitutionem, etiam, ubi opus fuerit, eos increpando, si inopum opificum salarium, mercatorum pro mercibus pretium, aliorumque creditorum debita per menses, & annos detinent, per injurias minas, aut metum creditores a petendo deterrent, aut dum petunt, præter bona, & inania promissa nihil reddunt: imo sæpe verba injuriosa, ne dicam, verbera rependunt. Hujusmodi Confessariorum morem & tu imitare, mi Confessarie! ne forte alioquin tibi accidat, quod olim contigit Confessario, quem Notarius quispiam, quam studiosus rem propriam augendi, tam cupidus alienam minuendi, in suo testamento assignavit diabolo, eo quod peccantem non correxisset, & ad restitutionem efficaciter non obligasset.

487. Colliges primo, debitorem, qui potest commode totum debitum restituere, & tantum per partes vult solvere, aut reipsa sic solvit, non recte observare præceptum restituendi quoad circumstantiam temporis, & teneri ad reparationem damni inde consecuti. Ita cum communi aliorum P. Sporer *loc. cit. n.* 3. *n.* 145. Ratio est; quia debitor hoc casu detinet alienum, domino, seu creditore rationabiliter invito; ergo peccat contra præceptum restituendi quoad circumstantiam temporis, & tenetur ad reparationem damni ex respective dilata, seu diminuta facta restitutione consecuti. Neque dicere fas est, quod dominus præsumi possit esse contentus, modo debitum per partes solvatur. Nam contra est, quod talis consensus regulariter sit tantum coactus, & involuntarius propter obstinationem, & avaritiam debitoris: sicut mutuarius (quod exemplum est P. Sporer *loc. cit. n.* 146.) coacte consentit in usuras solvendas usurario; ergo sicut usurarius, ita talis debitor propter illum consensum a peccato injustitiæ excusari non potest.

488. Colliges secundo, ut morosus debitor sit graviter obligatus ad reparanda creditori damna, debere moram in solvendo, seu restituendo esse graviter, & Theologice culpabilem, ita ut absque justa causa solutionem notabili tempore differat, utque advertat, dilationem hanc creditori esse damnosam, eumque propter illam esse rationabiliter invitum. Ratio est: quia ubi nulla, vel venialis tantum culpa intervenit, neque damnum grave proximo deliberate datur, nasci non potest obligatio gravis, seu mortalis ad compensandum interesse. Hinc si mense Januario centum modios frumenti totidem florenis comparasti, & ad mensem usque Julium, quo centum modii centum, & quinquaginta florenis distrahuntur, sine culpa mortali solutione distulisti, non obligaris reddere excessum pretii, quod est interesse ordinarium, nec teneris ad interesse extraordinarium, si nempe creditor pecunia tempestive reddita ingens lucrum fecisset; sed plene satisfacis obligationi tuæ, si offeras pretium, de quo mense Januario convenisti. Aliud foret, si debitor contrahens libere consensisset in solutionem interesse, ex quacunque causa, licet inculpabili, pullulantis: hoc quippe casu non ex mora, sed ex pacto debitor ad damna creditoris resarcienda obstringetur. Videri potest Card. de Lugo *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 23. vel alii.

Ut au-

Ut autem facilius dignoscas, an mora sit graviter culpabilis, attendere debes, an dilatio sit magna, vel modica; an creditori multum, parum, aut nihil nociva; an hic jure censeri possit rationabiliter invitus. Simili modo discurrendum est de termino, qui solutioni in contractibus præfigitur; nec enim metaphysice, vel mathematice, sed moraliter solum accipi debet. Unde ad arguendam, ac concludendam obligationem gravem non præcise attendendum est, quanto tempore solutio dilata fuerit, sed vel maxime, an talis mora, vel dilatio creditori exstiterit notabiliter damnosa? an is propterea fuerit graviter invitus? alioquin excusabitur debitor, etsi aliquot septimanis, imo etiam mensibus solutionem distulerit. Ut adeo recte censeant Molina *de Just. tom. 3. disp. 753. n. 1.* Lugo *de Just. tom. 1. disp. 20. sect. 9. n. 211.* & alii, debitorem, si habeat certum propositum solvendi, nec ex dilatione creditori grave damnum emergat, vel lucrum cesset, non facile esse condemnandum peccati mortalis, multo minus a Confessario (quamvis hic solutionem urgere debeat) sine absolutione ob solam dilationem solutionis dimittendum. Addit Sporer *loc. cit. n. 142.* debitorem sæpe etiam ex eo capite a gravi culpa excusari, quod bona fide putaverit, creditorem ob dilationem solutionis non esse graviter invitum: cum in praxi non ita soleant urgere creditores, ut statim tempore præfixo, aut alias debito, executive præstetur solutio.

489. Colliges tertio, quod Confessarius non possit absolvere pœnitentem, qui non habet propositum restituendi, quamprimum commode poterit. Lugo *loc. cit. n. 214.* cum communi. Ratio est: quia pœnitens, proposito destitutus, existit in statu peccati mortalis (sermo quippe est de obligatione restituendi materiam gravem) imo censetur in illo velle persistere; ergo est indispositus ad absolutionem recipiendam. Restitutio tamen realis, seu actualis per se non requiritur, ut quis Sacramentaliter absolvi valeat; sed sufficit mentalis, seu firmum propositum restituendi: prout fluit ex dictis *n. 346.* & in confesso est apud omnes. Hinc quamvis aliquis semel in confessione promisisset, & postea culpabiliter neglexisset restituere, poterit tamen serio dolenti credere Confessarius, & beneficium absolutionis impertiri firmiter statuenti defectum hunc suum proxime, seu quamprimum supplere. Siquis tamen ter, aut sæpius, cum facile potuerit, non restituit, & fidem Confessario fregit, regulariter absolvi non potest, sed dimitti debet, ut prius restituat, & deinde ad sacrum tribunal redeat. Ratio hujus est: quia absolvi non potest pœnitens constitutus in proxima occasione, vel periculo peccatum reiterandi, qualis merito censetur debitor in hoc tali casu; ergo absolvi non potest; sicut concubinarius, qui sæpius jussus est concubinam ejicere, & non paruit. Dixi tamen: *regulariter*. Nam si Confessarius ex aliis indiciis non leviter credat, pœnitentem hic, & nunc magis serio, atque ex animo promittere restitutionem, & reipsa statim restiturutum, potest illum absolvere: quia tunc prudenter judicat esse debite dispositum, & absolutionis capacem. Ita cum communi P. Babenstuber *tr. 7. disp. 4. art. 5. n. 20.* Ubi tamen Molina, Lugo, & alii suadent, ut pœnitenti injungat Confessarius, ne ad S. Eucharistiam accedat, antequam obligationem restituendi executioni mandarit.

490. Colliges quarto, neque illum posse absolvi Sacramentaliter, qui restitutionem vult differre usque ad mortem. Ratio est: quia talis non censetur habere firmum, & absolutum propositum restituendi statim, sicut tamen obligatur. Idem esto judicium de moribundo, volente onus restituendi hæredibus relinquere, cum tamen posset ipsemet commode restituere: talis quippe similiter est, per se, & regulariter loquendo, absolutionis incapax. Ratio hujus est: quia & ipse non vult statim, uti obligatur, restituere, nec propositum restituendi, quod habet, censetur absolutum (prout ad Sacramentum pœnitentiæ recipiendum exigitur) sed conditionatum duntaxat, si nempe moriatur. Accedit, quod talis dispositio, vi cujus onus restitutionis demandatur hæredibus, valde periculosa sit, & sæpe damnosa creditoribus; cum hæredes, præsertim Magnatum, plerumque negligentes esse soleant in facienda restitutione. Lugo *loc. cit. n. 212.* Mezger *tom. 3. tr. 12. disp. 34. art. 3. n. 3.* & alii passim. Dixi autem: *per se, & regulariter loquendo*. Nam aliter dicendum, si esset periculum scandali, vel infamiæ, aut alia causa justa interveniret, talem restituendi modum cohonestans: uti notat La Croix *lib. 3. part. 2. n. 357.*

ARTICULUS V.

De Circumstantia, quo loco *sit facienda restitutio?*

SUMMARIUM.

491. & seqq. Determinatur, in quo loco, & cujus expensis fieri debeat restitutio a debitore ex re accepta, & ex injusta acceptione, ac damnificatione; & 494. a debitore ex contractu.

491. DIco primo. Obligatus ad restitutionem ex re accepta, potest restituere in loco, in quo res est. Quod si creditor sit absens, monendus est, ut significet, quid de re sua fieri velit: si eam sibi mitti desideret, mittenda erit non tamen expensis debitoris, sed ipsiusmet creditoris. Ratio hujus est: quia debitor non tenetur cum suo damno restituere dominum, seu creditorem in pristinum statum, quando eum ex tali statu non deturbavit per injuriam; uti non sic deturbavit in præsenti. Ita cum communi Sanct-Gallenses *loc. cit. dub. 5. conclus. 2.*

492. Dico secundo, Obligatus ad restitutionem ex delicto, sive ex injusta acceptione, & damnificatione, debet restituere suis expensis in eo loco, in quo dominus, seu creditor rem erat possessurus, si ipsi ablata, injuste detenta, aut destructa non fuisset. Laymann *lib. 3. tr. 2. c. 10. n. 4.* Sanct Gallenses *loc. cit. conclus. 1.* & alii communiter. Ratio est: quia restitutio, ad quam quis tenetur titulo injustæ acceptionis, & damnificationis, fieri debet in integrum, ita, ut non tantum reddatur res ipsa, sed etiam dominus rei servetur undequaque indemnis: quod non fieret, si cogeretur ipse expensas in re sua recuperanda ab iniquo damnificatore faciendas, aut factas. Potest tamen iniquus damnificator, omnium consensu, deducere expensas, siquas dominus in re sua servanda, vel deferenda, facere debuisset: quia licet, ut diximus, dominus, seu creditor servari debeat indemnis, non tamen debet ex damno illato reportare lucrum, quale hic reportaret, si damnificator non posset modo dictas expensas detrahere.

493. Quæres, sed quid si expensæ, quas iniquus damnificator, ex dictis in conclusione, facere debet in restituendo debitum, valorem debiti adæquent, vel omnino excedant?

Respondetur, quod nihilominus (1.) ad eas faciendas obligetur: nisi (2.) essent valde excessivæ; hoc quippe casu restitutio differri poterit, & via restituendi benignior quæri. Ita P. Sporer *loc. cit. c. 3. n. 161. & seqq.* aliique apud ipsum. Ratio primæ partis est: quia dum subeundum est damnum æquale, vel non multum excedens, potior ratio habenda est innocentis, seu creditoris. Ratio secundæ partis est: quia Justitia non adversatur Charitati, quæ est finis omnium virtutum; nec rectæ rationi, quæ omnium virtutum directrix est: atqui Charitas, & recta ratio dictant, creditorem non debere, nec posse esse rationabiliter invitum, si restitutio in casu posito differatur, vel expectetur commodior occasio restituendi; ergo &c.

494. Dico tertio. Obligatus ad restitutionem ex contractu, debet restituere eo loco, de quo inter contrahentes expresse, vel tacite conventum est, vel loci consuetudo præscribit. Si nihil conventum est, restitutio fieri debet ibi, ubi res debitori fuit tradita; & quidem expensis illius, in cujus utilitatem cessit contractus. Atque hinc expensas in restituendo deposito faciendas ferre tenetur depositor; faciendas vero in restituendo commodato commodatarius: quia prior contractus cessit in utilitatem depositoris; & posterior in utilitatem commodatarii. Quod si contractus cesserit in utilitatem utriusque contrahentis, qualis est contractus locationis v. g. ferre expensas uterque tenetur pro rata: nisi aliud exposcat legitima consuetudo, vel circumstantiæ. Ratio est: quia qui sentit commodum, etiam onus sentire debet, juxta *Regulam 55. Jur. in 6.* ergo dum unus tantum sentit commodum ex contractu resultans etiam unus tantum sentire debet onus expensarum in restituendo; dum uterque contrahentium sentit commodum,

dum, uterque id onus sentire debet. Ita Babenstuber *loc. cit. numer.* 23. Elbel *de Restit. numer.* 299. & alii communiter.

CAPUT IV.

De Causis excusantibus a Restitutione.

CAusæ, de quibus inquiritur, num, & qualiter a restitutione excusent, sunt præcipue sequentes: nempe *necessitas, seu inopia debitoris; damnum ipsi creditori, vel alteri tertio obventurum; Religionis ingressus, compensatio, remissio creditoris, solutio facta creditori creditoris, cessio bonorum, excommunicatio creditoris, Juris, aut Judicis authoritas, compositio cum Papa.*

ARTICULUS I.

An, & quomodo a restitutione excuset necessitas debitoris?

§. I.

An, & quomodo excuset necessitas extrema?

SUMMARIUM.

495. *Necessitas alia est* extrema, *alia* gravis, *alia* communis. 486. *An, & quomodo necessitas extrema excuset a restitutione?* 497. *Solvitur objectio.* 498. *An prædicta necessitas obligationem restituendi simpliciter extinguat?* 499. *An, & quando ab obligatione restituendi excuset necessitas extrema, si debitor, & creditor simul in eam incidant?* 500. *& seq. Satisfit argumentis oppositis.*

495. PRænotandum, necessitatem, seu inopiam esse triplicem, videlicet *extremam, gravem,* & *communem*. Extrema est, in qua imminet periculum amittendi vitam, vel membrum aliquod principale, vel sensum e. g. oculos, aut sustinendum perpetuum carcerem, perpetuam infirmitatem &c. Gravis est, in qua ex rerum necessariarum defectu non sine notabili molestia vita trahitur: uti contingeret illi, qui e statu commodo delapsus cogeretur solo pane, vel oleribus victitare. Communis est, quando sentitur aliquod incommodum quod vitam juxta statum patientis aliqualiter miseram, vel molestam reddit: & tali necessitate laborant plerique pauperes triviales, & ostiatim mendicantes. De necessitate extrema in hoc §. de gravi in §. proxime subsecuturo agemus; de communi vero nullum hic nobis negotium erit.

496. Dico jam primo. Necessitas extrema vel ipsius debitoris, vel proxime ei conjunctorum (puta parentum, uxoris, liberorum) excusat ab obligatione restituendi creditori in tali necessitate non constituto. Ita DD. communissime.

Probatur. Necessitas, quæ sufficit, ut quis licite accipiat rem alienam, eadem, & quidem a potiori, sufficit, ut licite retineat, vel consumat rem alienam: atqui extrema necessitas sufficit, ut quis licite accipiat rem alienam; quippe quæ sublato Jure positivo, & Gentium, omnia reducit in statum primæ libertatis, eaque facit communia, & primo occupantis; ergo hæc eadem necessitas sufficit, ut quis licite retineat, vel consumat rem alienam.

497. Objicies. Nunquam licitum est furari; cum sit intrinsece malum: sed si liceret in extrema necessitate rem alienam surripere, vel retinere, licitum esse furari; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Siquidem furari est surripere, vel retinere rem alienam domino rationabiliter invito: jam vero in casu extremæ necessitatis res desinit esse aliena, & dominus rationabiliter invitus esse non potest: consequenter &c.

498. Quæres, an hæc necessitas simpliciter extinguat, vel tantum suspendat obligationem restituendi?

Respondetur primo. Si obligatio restituendi ex re accepta promanarit, & debitor rem in extrema necessitate consumpserit, prædicta obligatio extincta est, & manet, adeo, ut, cessante necessitate, nihil teneatur restituere. Ratio est: quia rem consumpsit non ut alienam, sed ut propriam. Dixi: *si consumpserit*. Nam si adhuc extet, obligatio restituendi, sublata necessitate, reviviscit: quoniam necessitas, etiam extrema, solum tribuit jus ad usum rei, non vero ad rem ipsam perpetuo retinendam.

Respondetur secundo. Si obligatio restituendi promanarit ex injusta acceptione, vel damnificatione, aut ex contractu bona fide inito, prædicta obligatio non fuit extincta, sed tantum suspensa, ita ut debitor, cessante necessitate, sit obligatus ad restituendum, sicut erat obligatus ante ingruentiam talis necessitatis. Ratio est: quia obligatio restituendi, ex his radicibus orta, personalis est, quæ non extinguitur, nisi cum persona. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 35. *art.* 1. *n.* 3. Babenstuber, aliique communiter, quoad utramque responsionem.

499. Dico secundo. Si debitor, & creditor simul incidant in extremam necessitatem, tenetur ille huic restituere (1.) eas res, quarum antea dominium non acquisivverat; utpota quas ante statum extremæ necessitatis acceperat a creditore per contractum depositi, aut commodati: vel per furtum, rapinam, aut simile delictum; secus (2.) alias, quæ in illius, seu debitoris, dominium jam transierant, v. g. per contractum mutui, emptionis-venditionis &c. ante casum dictæ necessitatis. Secunda pars est communis. Primam tenent Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. Hiquæus, Faber apud, & cum Mastrio *in Theolog. Moral. disp.* 7. *de Restit. in communi q.* 3. *art.* 2. *n.* 81. aliique Scotistæ, quibus adstipulantur Lugo *de Just. tom.* 3. *disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 4. Richardus, Paludanus apud La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 429. non dissentientem, contra communiorem aliorum Theologorum.

Probatur prima pars ratione fundamentali. Ideo debitor non teneretur res prædictas restituere in casu posito; quia illarum dominium acquireret per eventum extremæ necessitatis: sed non acquirit dominium; ergo &c. Maj. est Adversariorum. Min. prob. 1. Siquidem extrema necessitas non tribuit jus appropriandi sibi rem alterius in æquali necessitate constituti; neque eam possidet, ut consumat, sed ut servet, & restituat, ubi justa causa, qualis est extrema necessitas, & indigentia domini, id exegerit; ergo debitor tunc non acquirit dominium in res creditoris. Prob. eadem min. 2. Si debitor acquireret dominium in res creditoris per eventum extremæ necessitatis, acquireret in eodem instanti, in quo devolvitur in extremam necessitatem: sed tunc non acquirit; ergo &c. Maj. supponitur. Min. ostenditur ex eo, quod in illomet ipso instanti etiam creditor ponatur incidere in extremam necessitatem: quo fit, ut debitorem impediat, ne is in res, antea non suas, dominium acquirat; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars: quia in pari causa, & periculo melior est conditio domini possidentis (cum exceptione facienda *n.* 504.) sed debitor factus est dominus possidens rerum acceptarum a creditore ante eventum extremæ necessitatis, & post hujus eventum versatur in pari causa, & periculo, uti supponitur; ergo conditio debitoris est melior, quam creditoris: consequenter non tenetur in casu assertionis restituere debita, quæ in illius dominium antea jam transierant &c.

500. Objicies primo contra primam partem. In extrema necessitate fiunt omnia communia, & primo occupantis; quia tunc cessat Jus Gentium, quo introducta est rerum divisio, & proprietas, solumque remanet Jus naturæ: atqui debitor res creditoris primo occupat; ergo illius, non istius sunt: consequenter &c.

Respondetur, explicando, & dist. maj. In extrema necessitate fiunt omnia communia, & primo occupantis, & primo occupans a Jure Gentium non prohibeatur, & impediatur, con. si prohibeatur, & impediatur, ut in casu assertionis, neg. maj. & rationis probativæ suppositum, quod tunc Jus Gentium cesset; imo potius perseverat, & creditori in retentione dominii suffragari pergit. Licet ergo creditor, & debitor, in extrema necessitate constituti, sint paris conditionis, spectando præcise Jus naturæ, quod rerum divisionem, & proprietatem non præcepit, sed permisit tantum; existunt tamen in conditione impares spectando Jus Gentium, ex quo facta est rerum divisio, & proprietas introducta: istud enim quamvis cessaret, si solus debitor in extrema necessitate positus esset, nulla tamen ratione cessare convincitur, quando in pari extrema necessitate etiam creditor versatur; cujus proinde conditionem tunc meliorem efficit.

Instabis. In pari necessitate melior est conditio possidentis: sed debitor possidet; ergo conditio debitoris est melior; consequenter &c.

Respon-

Respondetur, explicando rursus, & dist. maj. Melior est conditio possidentis, si ipse possidens sit dominus rei possessæ, vel dominus talis rei non sciatur, transeat. (dico: *transeat*, propter exceptionem infra *n.* 504. faciendam) si ipse possidens non sit dominus rei possessæ, & hujusce dominus sciatur, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf. Scitur impræsentiarum rei dominus esse non debitor, sed creditor, utpote cui ante eventum extremæ necessitatis dominium illius rei competierat, ab eoque ablatum esse nulla ratione, vel authoritate probatur.

501. Objicies secundo. Ordo Charitatis postulat, ut debitor prius sibi, suisque proxime conjunctis, quam personæ extraneæ subveniat: atqui hoc facere non potest, nisi bona creditoris in casu retineat; ergo potest, & tenetur retinere.

Respondetur, dist. maj. cum Sento *cit.* Ordo Charitatis ordinatæ, & justæ id postulat, con. ordo Charitatis inordinatæ, & injustæ, neg. maj. Fere sicut latro ad mortem condemnatus, non potest, multo minus tenetur interficere carnificem propriæ vitæ servandæ causa, quia talis charitas erga seipsum foret injusta; ita in nostro casu debitor ad suam, suorumque vitam conservandam retinere non potest bona creditoris, si is ob horum carentiam deberet vitam amittere, quia talis retentio similiter injusta esset, quippe juri creditoris repugnans.

§. II.

An, & quomodo a restitutione excuset necessitas gravis?

SUMMARIUM.

502. Si debitor versetur in gravi necessitate, in qua non versatur creditor, potest ille restitutionem debiti differre. 503. Solvitur objectio. 504. Quid, si debitor, & creditor versentur in æquali, vel quasi æquali necessitate gravi? 505. & seqq. Deducuntur corollaria.

502. Dico primo. Si debitor versetur in gravi necessitate, in qua non versatur creditor, potest ille restitutionem debiti differre. Ita Scotus *in 4. dist. 15. q. 2. art. 4.* & alii communiter.

Probatur ratione *cit.* Doctoris. Debitor potest restitutionem debiti differre, quando creditor ob dilationem non potest esse rationabiliter invitus: atqui in casu assertionis non potest esse rationabiliter invitus; ergo &c. Maj. est certa Min. prob. Creditor tenetur proximo in gravi necessitate constituto dare eleemosynam; ergo etiam, & a potiori, tenetur permittere dilationem restitutionis in gravi necessitate debitoris; ergo si debitor, tali necessitate gravatus, restitutionem differat, non potest creditor esse rationabiliter invitus.

503. Objicies. Non licet in gravi necessitate alienum auferre; quia ad Innocentio XI. damnata est hæc propositio *n. 36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*; ergo nec licet retinere alienum.

Respondetur, neg. conf. & parit. Nam multo plures sunt causæ, propter quas dominus non potest esse rationabiliter invitus, si res sibi debita apud alium possessorem aliquandiu detineatur, quam si ipse ejus dominio, & possessione exuatur. Idque inde convincitur quod præceptum restituendi sit affirmativum, præceptum vero non furandi negativum; ergo illud obligat minus stricte, ac istud; consequenter possunt dari causæ excusantes a furto. Deinde sicut in physicis plura requiruntur ad primam formæ productionem, quam ad ejus conservationem; ita & in moralibus, ac in præsenti major requiritur causa, & necessitas accipiendi alienum, quam retinendi acceptum.

Instabis. Retentio, seu non restitutio rei alienæ est moraliter continuata ejusdem ablatio; ergo sicut in gravi necessitate non licet rem alienam auferre, ita nec retinere.

Respondetur, dist. ant. Si non superveniat causa rationabilis, & excusans, quæ continuationem moralem interrumpat, con. si superveniat, ut in proposito, neg. ant. & conf.

504. Dico secundo. Si debitor, & creditor sint constituti in æquali, vel quasi æquali necessitate gravi, debitor tenetur restituere (1.) illa bona, quorum dominium adhuc est penes creditorem: non item (2.) alia, quorum ipse dominium acquisivit. Ita Illsung *tr. 4. disp. 3. n. 426.* & ante ipsum Lessius apud La Croix *lib. 3. part. 2. n. 430.*

Probatur utraque pars simul: quia in priore casu melior est conditio creditoris, cum ipse supponatur adhuc dominus bonorum apud debitorem existentium; & in posteriori debitoris, quia bona illa supponuntur transiisse in ejus dominium; ergo &c. Posterior tamen pars videtur limitanda, nisi videlicet obligatio restituendi orta sit ex delicto: hoc quippe casu debitor tenetur ad restitutionem, tametsi ponatur bonorum illorum dominium acquisivisse. Ratio limitationis est: quia iniquum videtur, quod debitor nocens contra creditorem innocentem prævaleat; sicque ex sua injuria lucrum reportet. La Croix *loc. & n. cit.* Quam limitationem etiam applicandam existimo doctrinæ traditæ *n. 499. conclus. 2. in probat. secunda partis.*

505. Colliges nunc primo, ob grave detrimentum, quod ex restitutione debitor subire cogeretur in bonis fortunæ, eandem posse differri. Scotus *loc. cit.* & alii communiter. Ratio est: quæ supra: quia scilicet creditor non potest esse circa dilationem restitutionis rationabiliter invitus. Per grave autem detrimentum non intelligitur jactura ipsius rei restituendæ, sed damnum, tali jactura diversum, & subeundum in bonis propriis debitoris: ut notat P. Babenstuber *loc. cit. art. 6. n. 8.* & alii passim. Similiter supponitur creditorem ex dilatione restitutionis non pati æque grave damnum: alioquin erit adhibenda distinctio inter bona, quorum debitor acquisivit, vel non acquisivit antea dominium; prout distinctum fuit *n. præced.*

506. Colliges secundo, a potiori debitorem non teneri ad restituendum bona inferioris ordinis cum notabili damno bonorum superioris ordinis; ut si propter restitutionem bonorum fortunæ periclitaretur salute animæ, vel vita, vel fama: tunc enim poterit restitutionem differre, donec ejusmodi periculum cesset. Ita demum Scotus *cit.* & alii communiter. Ratio itidem est: siquidem & hoc casu creditor non potest, imo minus potest, ac in priori, esse rationabiliter invitus, sed tenetur potius ex lege Charitatis non exigere debitum, donec antefatum periculum evanescat. Id quod perspicue tradit Doctor Subtilis *loc. cit.* ubi præter alia sic habet: *Creditor debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi debitoris restituentis, quam modicum incommodum suum, vel nullum in modica dilatione restituendi. Ex quo sequitur, quod, quando esset restitutio damnosa Reipublicæ, vel ei, cui fit, vel damnificativa restituentis, vel nimis notabiliter damnosa, non tenetur ad statim restituendum.*

507. Colliges tertio, debitorem posse restitutionem differre in tempus opportunius, vel restituere per partes, si ob restitutionem statim faciendam deberet statu suo juste acquisito excidere, v. g. si persona illustris ad civilem; civilis ad plebiam; ingenua ad servilem conditionem devolveretur. Ita Scotus *loc. cit.* Navarrus *in Manual. c. 17. n. 62.* & alii passim. Ratio est: quia similis debitor vere est in gravi necessitate, qua durante creditor ob dilationem restitutionis non potest esse rationabiliter invitus. Accedit, quod talis mutatio status ordinarie secum trahat infamiam, vel deducat grave debitoris, filiorum, ac familiæ: consequenter &c. Supponitur autem & hic, creditorem ex dilatione restitutionis non exponi pari periculo admittendi suum statum; secus quippe ratiocinandum foret conformiter ad dicta *n. 504.*

Dixi autem 1. *Si deberet excidere*, id est, a statu suo totaliter cadere; ut in exemplis proxime allatis. Si enim debitor solum deberet minuere statum; v. grat. deinceps minus famulitium alere, parcius vivere, vilius vestiri &c. non excusaretur a restitutione statim facienda; cum ab ea solum excuset vera necessitas, in quali non censetur constitutus debitor, si ob faciendam restitutionem præcise cogatur suum statum minuere. Unde in pessimo statu versantur, & a Confessario serio reprehendi, vel etiam, nisi meliora promittant, sine absolutione dimitti debent, qui debitis obstricti, nihil tamen de status splendore, & luxu remittunt, sed alios, ut per jocum ajunt, curare sinunt, quomodo solvantur debita. Imo, quod pejus est, rari Magnates, teste Sporero *loc. cit. n. 65.* hac super re in sacro tribunali se accusant.

Dixi 2. *statu juste acquisito*. Si quis enim statum a

quem possidet, injuste acquisiverit, v. g. furtis, usuris, contractibus iniquis &c. tenebitur ad restitutionem statim faciendam etiam cum amissione sui status, nisi forte periculum infamiæ excuset. Ita cum communi Laymann *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 12. *n.* 2. Ratio est: quia talis non tam statum suum amittit, quam alienum dimittit, & ad suum revertitur.

Hanc doctrinam Dicastillo *lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 10. *dub.* 3. *n.* 59. & multi alii Doctores extendunt ad illos, qui statum suum juste quidem obtinuerunt, sed tamen sua culpa, v. g. ludis, comessationibus, superfluis sumptibus ad eas angustias redacti sunt, ut non possint debita contracta solvere, nisi statum totaliter mutent. Rationem dant: quia æquitas non permittit, ut hujusmodi decoctores cum detrimento creditorum debita contrahant, & excusentur a restitutione statim facienda, ne decidant a statu, quem tamen non propriis, sed alienis bonis conservant. Væ Nobilibus, qui debita sine fine contrahunt, & sæpe etiam supra conditionem sui status expendunt!

ARTICULUS II.

An, & quomodo a Restitutione excuset damnum ipsi creditori, vel alteri tertio obventurum?

SUMMARIUM.

508. *Debitor peccat saltem contra Charitatem, quando rem debitam restituit domino, immediate abusuro ad peccandum: imo* 509. *contra Justitiam, si prævideat, dominum re reddita abusurum contra Justitiam,* 510. *& seqq. Solvuntur objectiones, & subditur corollarium.*

508. Dico primo. Debitor non solum (1.) potest, sed etiam (2.) tenetur saltem ex Charitate, restitutionem differre, seu rem debitam domino, non reddere, quando certo prævidet, quod is illa sit abusurus ad peccandum, e. g. ad seipsum, vel alium injuste occidendum, ad se inebriandum, ad scortandum &c. In hoc consentiunt omnes.

Probatur prima pars: quia debitor differendo restitutionem, ut creditorem a malo, in quod alioquin incurreret, avocet, utiliter, & salubriter ejus negotium gerit; ergo creditor ob dilationem restitutionis non potest esse rationabiliter invitus; uti neque si simile malum alicui tertio immineret: consequenter &c.

Probatur etiam secunda pars; nam quilibet tenetur impedire ex Charitate malum spirituale proximi, etiam cum aliquo hujus incommodo temporali; ut patet in correptione fraterna, dum adhibentur testes, & in denunciatione tendente ad emendationem, ubi læditur fama proximi; ergo si differendo restitutionem debitor possit tale malum impedire, ex Charitate tenetur, regulariter loquendo, & quando potest sine gravi incommodo, vel periculo proprio.

Dixi in conclus. *quando certo prævidet*. Si enim solummodo suspicetur, dubitet, vel probabiliter existimet, dominum re reddita abusurum, non tenetur eam denegare: siquidem in casu suspicionis, dubietatis, vel etiam probabilitatis, nemo præsumi debet male acturus. Excipe cum Tamburino *lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 1. *sect.* 3. *n.* 2. nisi dominus esset furiosus: huic enim, etsi sola suspicio mali subesset, res, v. g. gladius, reddenda non foret; cum contra talem, utpote suæ libertatis usu destitutum, videatur esse præsumptio: unde rem debitam non reddens, nullam ei faceret injuriam; imo potius ejusdem, vel alterius saluti caute prospiceret.

509. Dico secundo. Debitor tenetur etiam ex Justitia rem debitam domino denegare, si certo prævideat, eum illa abusurum contra Justitiam, seu in injuriam alterius. Lessius *lib.* 2. *c.* 16. *dubit.* 4. Tamburinus *loc. cit. n.* 6. Sporer *n.* 89. & alii communius contra Molinam, Dicastillum, & alios, volentes, debitorem præcise teneri ex Charitate.

Probatur. Etiamsi restitutio rei alienæ de se sit actio honesta, & indifferens, ut a creditore vertatur, vel non vertatur in injuriam alterius, in iis tamen circumstantiis, in quibus prævidetur in alterius injuriam vertenda, sicut est indebita creditori, sic, & consequenter est contra jus alterius, quo debitorem obligat ad non ponendam ullam actionem proxime conducentem ad inferendam sibi injuriam; ergo si debitor tunc faciat restitutionem, peccat contra Justitiam.

Confirmatur. Si debitor in talibus circumstantiis restituat, e. g. gladium, ponit actionem non minus conducentem proxime ad inferendam mortem, vel vulnerationem, ac si commodaret suum gladium, ab altero ad committendam similem injustitiam petitum: sed si commodaret suum gladium, peccaret contra Justitiam; ut patet a simili *ex l. si pignore ff. de furtis*, ubi dicitur: *qui ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium, vel armarium, vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licet nullum ejus consilium principaliter intervenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur.*

Manet ergo, quod debitor etiam restituendo gladium in casu conclusionis peccaret contra Justitiam, & consequenter in defectu principalis læsoris teneretur damna inde exurgentia compensare. Intellige tamen: nisi ex restitutione gladii ipsimet debitori grave malum impenderet; tunc enim illum restituendo (vel etiam commodando) non censeretur ad actionem malam formaliter cooperari; cum redditio (vel commodatio) gladii sit actio de se honesta, vel indifferens: quod autem a creditore detorqueat ad injustum finem, per accidens est respectu debitoris, utpote qui id ad evitandum grave malum proprium permittere potest.

Dixi in conclus. si prævideat, dominum re reddita abusurum *contra Justitiam*. Si enim prævideat, dominum re sua solummodo abusurum contra alias virtutes, v. g. contra Temperantiam, Castitatem &c. restituendo non peccaret debitor contra Justitiam; cum tunc restitutio non vergeret in injuriam alterius ut supponitur: esto adhuc esset obligatus non restituere ex Charitate nisi causa gravis restitutionem urgeat; quia, ut jam supra tetigimus, quilibet obligatur ex Charitate impedire malum proximi præsertim spirituale, quando id absque magno incommodo proprio impedire potest; consequenter &c.

510. Objicies primo. Creditor habet jus repetendi rem suam; ergo si debitor repetendi deneget, infert illi injuriam: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Habet jus repetendi rem suam, per se loquendo, con. per accidens, & quando cogitat illa abuti in injuriam alterius, neg. ant. vel subdist. habet jus, attamen impeditum quoad vim obligandi, & suspensum per oppositam obligationem Charitatis, ac Justitiæ, exigentem, ut debitor differendo restitutionem agat quodammodo fidelem negotiorum gestorem sui creditoris, & defensorem tertii innocentis, con. secus, neg. ant. & conf.

511. Objicies secundo. Nemo peccat contra Justitiam non defendendo innocentem, nisi id ei ex officio vel pacto incumbat; ergo neque debitor denegando gladium verb. grat. creditori abusuro in mortem innocentis.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia non defendens innocentem in casu antecedentis haberet se mere negative, quatenus illius occisionem præcise non impediret; adeoque non delinqueret nisi contra Charitatem, si absque gravi suo incommodo defendere posset, & non defendat. Contra debitor in casu consequentis reddendo gladium creditori mox abusuro in alterius interitum, positive cooperaretur ad occisionem innocentis: quod esset delinquere contra Justitiam: consequenter &c.

Instabis. Ponamus, quod creditor ipse ad occidendum proximum auferat gladium e domo debitoris, isto id vidente, & non impediente, cum tamen commode posset: in hoc casu debitor non cooperaretur positive ad occisionem innocentis; ergo &c.

Respondetur, neg. rursus conf. Quia & hic in casu antecedentis debitor se haberet mere negative, solumque peccaret contra Charitatem: in casu autem consequentis, & nostræ conclusionis, cum debitor exerceret actionem positivam, haberet se positive, & ad mortem innocentis censetur positive cooperari.

512. Objicies tertio. Non peccat debitor contra Justitiam, imo nec contra Charitatem, si reddat pecuniam debitam creditori, quem prævidet illa abusurum, v. g. comparando sibi domum, in qua sint committendæ usuræ, patrandæ fraudes, & exercenda illicita mercimonia; ergo neque in casu assertionis &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est, quod debitor

tor in priore casu ad illa delicta admodum remote cooperaretur: quæ remota cooperatio non est causa sufficienter excusans a restitutione rei debitæ, maxime si hæc a domino repetatur. At in nostro casu longe proximus ad actionem injustam concurreret: quod sufficit, ut non solum possit, sed etiam teneatur tam ex Justitia, quam ex Charitate rem debitam creditori denegare: prout supra probatum. Unde inter hunc, & alterum casum non tenet paritas: teneret tamen, si debitor redderet pecuniam debitam creditori, qua prævideret, istum immediate abusurum ad committendas usuras &c. quia tunc illi subministraret materiam proxime agendi contra Justitiam; sicque similiter proxime cooperaretur, & se constitueret socium, ac complicem usurarum.

513. Objicies quarto. Parochus tenetur subdito petenti in Paschate Eucharistiam porrigere, quamvis sciat, eum esse in peccato mortali occulto: eo quod subditus jus habeat ad illam, etsi petendo peccet; ergo etiam debitor tenetur creditori reddere rem debitam, quamvis sciat, eum re reddita abusum ad committendam injustitiam, vel alium malum finem obtinendum.

Respondetur, con. ant. si rite intelligatur; sed neg. conf. & parit. Ratio disparitatis inde sumitur, quod ob publicam Eucharistiæ denegationem ille subditus injuste infamaretur, vel etiam violaretur sigillum confessionis. Secus est in nostro casu, utpote in quo non sequeretur novum incommodum, ut supponitur. Dixi: *si ant. rite intelligatur*. Nam talis subditus non habet jus ad Eucharistiam formaliter, & proprie, sed solum concomitanter, & consecutive, quatenus scilicet habet jus, ne publice infametur, aut ne confessio sua reveletur.

514. Objicies quinto. Si dominus vellet re sua abuti etiam contra Justitiam, non posset quis, minus deberet illi eandem auferre; ergo nec debitam denegare.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. Ratio disparitatis est, quod ablatio rei alienæ fieret per violentiam positivam, quæ ordinarie propter varia incommoda, seu inconvenientia nec conceditur, nec a Charitate, aut Justitia Charitati subordinata imponitur homini privato. At retentio rei debitæ est solum quasi violenta negative; quæ proinde facilius ab injuria domino inferenda excusatur, adeoque licita redditur, & ob utilitatem ipsiusmet domini, ac jus tertii innocentis etiam obligatoria ex virtute Charitatis, & Justitiæ. Dixi: *transmisso antecedente*. Quidni enim ex Charitate deberes, si posses, auferre gladium ab eo, qui vult seipsum, vel alium Innocentem occidere? Fateor tamen, hujusmodi ablationem rarissime ex Charitate esse debitam, cum vix, nisi forsan occulte, absque proprii detrimenti periculo peragi possit: imo etiam ut licita sit, gravior causa requiritur, quam ad detentionem rei alienæ, quæ quoad modum, est minus, & potius negative violenta, ut diximus. Ex hoc

515. Colliges, quod, si quis commode possit, & consequenter ex Charitate teneatur domino rem suam auferre, qua eum prævidet abusurum etiam in injuriam alterius, non peccet contra Justitiam, si illam non auferat: peccet vero contra Justitiam, quando tunc domino rem debitam restituit. Ratio disparitatis jam insinuata est, maxime in responsione ad objectionem secundam; siquidem in priore casu solum se habet negative ad actionem injustam, quam dominus contra tertium innocentem exercet: at in casu posteriore positive ad talem actionem cooperari censetur; quod, citra peccatum injustitiæ fieri nequit.

ARTICULUS III.

An a Restitutione excuset ingressus Religionis?

SUMMARIUM.

516. *Professio Religiosa ab homine cæteroquin libero, debitis tamen onerato, emissa valet.* 517. & 518. *Ingressus Religionis non excusat a restitutione debitorem, si spes sit, quod is manendo in seculo creditoribus satisfacere possit.* 519. & *seqq. Enervantur argumenta contraria.* 522. *Ponitur corollarium, in quo affertur, & exponitur dispositio Juris positivi circa præsens punctum.*

516. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, quod, si debitor homo, cæteroquin liber, nondum solutis debitis, ingrediatur, & profiteatur Religionem, professio valeat. Ratio est: quia traditio personæ liberæ, & homini debitæ facta Deo valet: atqui professio talis debitoris est hujusmodi traditio; non enim debet cuiquam bonum suæ personæ, sed tantum bona fortunæ; ergo &c. Quæritur proinde solum, an debitor (sive ex contractu, sive ex delicto inferente necessitatem restitutionis) possit licite ingredi, & profiteri Religionem, cedendo suis bonis ad solvendum insufficientibus, tametsi spes affulgeat, fore, ut integre possit satisfacere creditoribus, si in seculo maneat?

517. Dico primo, Si spes affulgeat, quod debitor intra breve tempus (quale hic reputatur biennium, vel ad summum triennium) sit futurus integre solvendo creditoribus, tenetur ingressum Religionis eousque differre. DD. communiter. Ratio est: quia æquitas Justitiæ non patitur, ob sequenda consilia Evangelica creditoribus graviter præjudicare, & obligationem præcepti naturalis restituendi negligere; saltem in casu hujus conclusionis. Neque huic tali debitori suffragatur cessio bonorum: quia hoc beneficium solum est introductum in favorem eorum, qui a debitis aliter liberare se nequeunt, inquit P. Babenstuber *loc. cit. numer.* 32.

518. Dico secundo, Quamvis debitor (modo debitum non sit ortum ex mera promissione liberali) non nisi longo tempore (excedente videlicet biennium, vel triennium) possit acquirere, unde solvat, adhuc tenetur ingressum Religionis differre, nec potest licite, etiam spectato solo Jure naturæ, Statum Regularem amplecti, sua bona creditoribus relinquendo: adeoque nec in tali casu suffragatur cessio bonorum. Hæc sententia æquitati naturali conformissima est, eamque tenent Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 6. *pun.* 7. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *c.* 7. *n.* 12. Laymann *lib.* 2. *tr.* 2. *c.* 12. *n.* 6. Augustinus Michel *de Statu Relig. fol.* 626. *n.* 33. & alii multi contra Lessium, Lugonem, Illsung, & alios, quibus & ego olim subscripsi in meis *Thesib. pag.* 304. Sed, re melius perpensa, recedo, & accedo Defensoribus sententiæ modo statutæ, quæ in hunc modum

Probatur primo. Opus præceptum præferri debet operi, quod est meri consilii, & perfectionis: sed restitutio est opus præceptum (Jure etiam naturali, & quidem absoluto, si ortum trahat ex delicto, vel contractu oneroso, ut patebit infra) ingressus vero Religionis est opus meri consilii, & perfectionis; ergo illa huic præferri debet: consequenter &c.

Confirmatur. Opus ex Justitia obligatorium præferri debet operi obligatorio ex nuncupatione voti v. g. ut omnes fatentur; ergo multo magis præferri debet operi non obligatorio, quale est ingressus Religionis: & per consequens &c.

Probatur secundo. Si quis eximeretur ab obligatione restituendi per ingressum Religionis, hoc aliter non fieret, nisi vel ex privilegio Religioni concesso, vel quia non potens solvere intra biennium, aut triennium, haberetur pro moraliter impotente ad solvendum: atqui neutrum potest dici; ergo &c. Probatur min. Non enim dici potest primum: siquidem in toto Jure ejusmodi privilegium non extat; erubescimus autem sine lege loqui, præsertim in præjudicium tertii. Neque dici potest secundum: quis enim audeat ab obligatione solvendi tanquam propter moralem impotentiam liberum pronunciare eum, qui non posset satisfacere, nisi primum post quatuor, quinque aut sex annos? Certe si hæc extensio temporis constituit moralem impotentiam, talis a solutione liber foret, etsi Religionem non ingrederetur; adeoque in seculo manens non teneretur amplius conari satisfacere creditoribus: quod est inauditum, inquit Michel *cit.*

Dixi autem in conclus. prima explicite, & in secunda implicite: *Si spes affulgeat &c.* Nam si debitor neque in re, neque in spe habeat, unde debitoribus satisfacere valeat, ab ingressu Religionis retardari, aut arceri non potest: quia tali casu censetur moraliter impotens ad unquam solvendum; ac proinde creditor nequit esse rationabiliter invitus ob ingressum Religionis.

Dixi præterea in conclus. secunda per parenthesin: *modo debitum non sit ortum ex mera promissione liberali*. Nam si ex hac tali radice promanarit, adeoque ex contractu non oneroso, sed gratuito, v. g. si Petro liberaliter promiseris centum aureos, obsequium trium, quatuor, vel plurium annorum &c. poteris statim (licet Petrus tuam promissionem acceptarit) ejusmodi debito pensi non habito, Religionem intrare, prout cum communi notat Suarez *loc. cit. n.* 17. Ratio hujus est; quia ejusmodi promissiones liberales generaliter censentur habere imbibitam conditionem, *nisi idcirco retarder, vel impediar, ab ingressu Religionis &c.* veluti patebit ex dicendis *tr. seq. disp.* 1.

Dixi tandem in eadem conclus. secunda: *etiam spectato solo Jure naturæ*. Nam, spectato Jure positivo, juxta omnes illicite ingreditur Religionem alieno ære gravatus; prout dicemus, & declarabimus infra *n.* 522.

519. Objicies nunc contra utranque conclus. primo. Persona liberi hominis, utpote excedens omnem æstimationem pecuniæ, non adstringitur secundum se, sed solum secundum sua bona creditori; ergo si cedat suis bonis, libere se Religioni tradit, nec tenetur in seculo remanere, ut acquirat, unde creditori solvat.

Respondetur, neg. cons. Nam licet persona debitoris secundum se non sit adstricta creditori, adeo, ut se Religioni tradat invalide; est tamen obligata ad conandum pro viribus, ut acquirat, unde creditori solvat: quod non faceret, si se Religioni traderet; unde se traderet illicite, & cum prævaricatione ejusmodi obligationis, ossibus suis (ut Jura loquuntur) inhærentis.

520. Objicies secundo. Qui spopondit futurum matrimonium, potest licite, & sine remora Religionem intrare (spectando saltem Jus naturale, & positivum commune) haud obstante contractu sponsalitio, licet oneroso; ergo idem dicendum de debitore ex alio contractu oneroso, vel ex delicto &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod sponsalibus ex dispositione Juris insit hæc conditio: *nisi Religionem intravero:* prout in confesso est apud omnes. Unde contractus sponsalitius, licet ceteroquin sit onerosus, quoad memoratum tamen punctum æquiparatur contractibus gratuitis: prout videbimus *tr. seq. disp.* 1. At vero aliis contractibus onerosis, vel obligationibus ex delicto præfata conditio ex nulla Juris dispositione, aut humani commercii consuetudine inesse comprobatur. Miror, quod hac paritate utantur plerique ex Authoribus, qui refragantur secundæ conclusioni, & favent primæ, Si enim paritas assumpta teneret, posset debitor, non considerato suo debito, *statim* (quod pugnat adversus primam conclusionem) Religionem intrare; sicut sponsus de futuro, non attentis sponsalibus.

521. Objicies tertio. Nemo tenetur solvere bonum debitum cum detrimento boni sui majoris, seu altioris ordinis: sed bonum Religionis majus est, & altioris ordinis, quam bonum debitum in proposito, quippe solum temporale, v. g. pecuniarium; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Si illud majus bonum sit necessarium ex præcepto, trans. si solum sit utile ex consilio, neg. maj. Sed bonum Religionis est majus, & simul necessarium ex præcepto, neg. solum utile ex consilio, con. min. & neg. conf. Sed

Dices cum Authoribus adversantibus secundæ conclusioni, ideo omitti posse solutionem debiti temporalis; quia si ingressus Religionis longo tempore differretur, interea damnum grave spirituale incurreretur, dum quis privaretur continuo virtutum exercitio, & econtra exponeretur periculo lethaliter peccandi in seculo. Hujus igitur quodammodo damni spiritualis emergentis, & lucri cessantis gratia cur non possit (inquiunt) negligi commodum temporale creditorum?

Respondetur, non posse negligi. Nam inprimis etiam in seculo potest quis se exercere in omni perfectione, licet difficilius: propterea vero, quod majori cum difficultate in spiritu quis proficiat, non extinguitur naturalis obligatio solvendi debita. Porro periculum peccandi lethaliter supponitur non esse proximum (tale enim si esset, oppositum sentiendum esset ex dictis *part.* 2. *n.* 149.) sed commune toti statui seculari; quod plane nihil ad rem, neque plus evincit, quam difficilius vitari peccata in seculo, pluribus labendi periculis exposito, quam in Religione. Opus est ergo majore cautela, qua adhibita, siquis strenue laboraverit pro exolvenda justitia, ei non deerit Divina gratia. Demum quod additur de lucro spirituali cessante, per se corruit, si in animum revocetur, quod melior sit ejus, qui (ut in proposito creditor) certat de damno vitando, quam ejus (ut debitor) qui de lucro captando. Accedit, quod ejusmodi lucrum spirituale non sit necessarium ad salutem, sed meræ supererogationis. Et nunquid lucrum unius, duorum, vel trium annorum est & ipsum notabile in genere suo? cur ergo ad unum, duos, vel tres annos deberet juxta Adversarios negligi propter opus Justitiæ, & non etiam ad quatuor, quinque, aut sex annos? cur non pariter ob lucrum spirituale posset quis se mancipare servitiis alicujus nosocomii, aut vitæ eremiticæ, & relinquere debita a bono Deo exolvenda? inquit Michel *n.* 34. *in fin.*

522. Quæres nunc, quid ergo tenendum de Jure positivo?

Respondetur primo, quod equidem Sixtus V. an. 1587. edita Constitutione vetuerit in Religionem suscipi, & omnino ad profitendum inhabiles reddiderit eos, qui supra vires ære alieno gravati, vel deponendis rationibus essent obnoxii, Clemens tamen VIII. inhabilitem sustulerit, relicta sola prohibitione, & pœnis in Bulla Sixti contentis: adeoque ejusmodi debitores valide quidem profiterentur, etiam spectato Jure positivo, attamen illicite. Ut autem pateat, quando, & quibus debitoribus præfata Bulla censeatur ingressum Religionis prohibere?

Respondetur secundo, quod prohibitio Bullæ non cadat 1. in mulieres, uti ipsemet Sixtus V. in alio Motu proprio declaravit, prout testatur Lugo *disp.* 21. *sect.* 6. *n.* 87. Unde cum muliere ære alieno gravata, & deponendis rationibus obnoxia, volente ingredi Religionem, procedendum est secundum Jus commune: sicut & cum aliis personis posthac enumerandis. 2. Neque in Equites Ordinum Militarium: quia in odiosis non veniunt nomine Religiosorum. Comprehendere tamen præfatorum Ordinum Clericos, docet Lugo *cit.* contra Azorium. 3. Neque in alieno ære gravatos, quorum facultates solvendo sufficiunt; ut constat ex verbis Bullæ: *supra vires facultatum suarum*. 4. Neque in gravatos debitis, quæ non sunt magni momenti; dicitur enim: *ingenti ære alieno*. 5. Neque in debitores, qui sine gravi sua culpa devenere ad impotentiam solvendi debita contracta; nam Bulla loquitur de decoctoribus, dilapidatoribus &c. 6. Neque in oneratos debitis incertis: potest enim Confessarius summam restituendam applicare ipsis tanquam pauperibus, vel saltem Monasterio. 7. Neque in illos, qui in pœnam delicti v. g. ob deflorationem virginis, ad aliquid solvendum sunt condemnati: siquidem tales non censentur ære alieno gravati, cum nihil sibi de alienis fortunæ bonis usurpaverint. 8. Neque in illos, qui aliquid debent ex promissione liberali, & gratuita: tum ob rationem immediate præmissam: tum quia semper censentur promisisse sub tacita conditione: *nisi essent Religionem ingressuri*; ut notavimus supra *n.* 520. Neque 9. in illos, quibus creditores ingressum permittunt, vel pro quibus a Monasterio, aut aliunde cavetur: quia Bulla intelligenda est de debitoribus, qui moliuntur Religionis ingressum cum præjudicio creditorum. Itaque Bulla solum comprehendit illos debitores, qui de alienis fortunæ bonis usurpando, sua culpa ingentibus debitis ita sunt onerati, ut creditoribus in præsenti non sint solvendo; attamen solvendo futuri sint, si in seculo permanserint. DD. communiter. Porro præceptum de reddendis prius rationibus, intelligitur de rationibus valde intricatis, & fraudulentis, unde lites, & molestiæ inferendæ timeantur: prout insinuatum est *part.* 3. *n.* 582.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo a Restitutione excuset compensatio?

SUMMARIUM.

523. *Compensatio alia est* juridica, *alia* vulgaris. 524. *Licita est occulta compensatio, etsi vulgaris, modo debitis is conditionibus vestita sit.* 525. *& seqq. Sol-*

vantur

tuntur objectiones. 528. Recensentur conditiones, ad licitam compensationem requisita.

523. PRænotandum, compensationem aliam esse *juridicam*, aliam *vulgarem*. Prior *l. 1. ff. de Compensat.* definitur *debiti, & crediti inter se contributio*: & tunc fit, quando duo sunt sibi mutuo debitore; ut si Cajus debeat Titio decem aureos ob emptum ab eo pannum v. g. & Titius totidem debeat Cajo ex delicto, seu quia eum injuste damnificavit. Per hanc compensationem extra casus in Jure exceptos obligatio restituendi extinguitur, si debitum sit utrinque æquale; idque in conscientia absque Judicis authoritate, & adversæ partis consensus *l. ult. C. de Compensat.* Dixi; *extra casus in Jure exceptos*. Dantur enim plura debita, quæ ex dispositione Juris compensari non possunt, Hujusmodi sunt 1. debita Regi, vel Reipublicæ titulo pensionis in publicam utilitatem, *l. in ea C. de Compensat.* 2. Debita titulo depositi, *l. 11. C. Depositi*. 3. Deposita titulo commodati, id est, commodata, *l. fin. C. de Commodato*, Verum de his duobus posterioribus debitis iterum aliquid infra *n.* 528. 4. Res aliena debita ex furto, *l. fin. C. de Compensat.* 5. Si debita non sint æqualiter liquida, *ibid.* 6. Si debita non sint ejusdem rationis: si enim uni sit res debita in certa specie, non satisfit solutione pretii, vel alterius rei: quia injuste cogeretur permutare rem suam. Licebit tamen per retorsionem non solvere, donec alter vicissim solvat, *l. si non furtum, §. si centum, ff. de Conditione indebiti*.

Compensatio vulgaris est occulta recuperatio debiti; & fit, quando creditor inscio debitore tantum surripit ex ejus bonis, quantum sibi debetur. Quæ tamen compensatio solum improprie compensatio audit; nam compensatio proprie dicta includit deditum mutuum, & fit sine positiva invasione rei propriæ, vel alienæ ab altero adhuc possessæ: in quo utroque compensatio vulgaris deficit; non item juridica, quæ proin sola nomen, & rationem compensationis proprie dictæ sortitur. Nihilominus de vulgari præcipue movetur difficultas, & quæritur, sitne licita, liberetque tum debitorem ab onere restituendi rem debitam, tum creditorem ab onere restituendi rem occulte in compensationem acceptam?

524. Dico. Compensatio occulta, dummodo sit debitis conditionibus circumsepta, est licita, ita, ut excuset ab onere restituendi tam debitorem, quam creditorem compensantem. Ita DD. communiter: & favet c. 2. *de Deposito*, ubi admittitur compensatio, si causa sit liquida, & facilem exitum habitura.

Probatur insuper in hunc modum. Quando debitor non potest esse rationabiliter invitus, eo quod fiat talis compensatio, licet eam facere: sed debitor non potest esse rationabiliter invitus, quod fiat talis compensatio; ergo &c. Min. prob. Vel enim posset esse invitus quoad substantiam, vel quoad modum? Non primum: tum quia ejusmodi compensatio est procuratio æqualitatis, a Justitia intentæ: tum etiam quia creditor accipit rem æquivalenter suam. Neque secundum: siquidem (ex dicendis infra *n.* 528.) nullum aliud medium moraliter possibile supponitur esse præsentaneum, quo creditor sua bona recuperaret: quæ impotentia eum sufficienter excusat, ut licite recuperare possit hoc modo, & medio, videlicet occulta compensatione: consequenter &c.

Confirmatur. Per occultam compensationem evitatur major injuria; magis enim læderetur jus creditoris, si diutius suis rebus carere, aut pro earum recuperatione novos sumptus impendere cogeretur; ergo si utatur occulta compensatione, debitor non potest esse rationabiliter invitus.

525. Objicies primo. Occulta compensatio non approbaretur in foro externo; ergo nec in interno approbanda est; cum forum internum debeat conformari foro externo, nisi hoc innitatur falsæ præsumptioni, quod hic non fieret.

Respondetur, neg. ant. Si enim foro externo constaret de justo titulo faciendi occultam compensationem, uti & de reliquis conditionibus infra referendis, eam improbare non posset. Si ergo improbet, ideo est: quia præsumit abesse justum titulum, vel unam ex conditionibus; in quo forum internum, quippe notitia certa de contrario (uti supponitur) informatum, conformare se non tenetur.

526. Objicies secundo. Jus naturæ dictat, neminem inauditum condemnandum; cum forte habeat exceptiones: item neminem posse esse judicem in propria causa, *l. un. C. Ne quis in propria causa*, ergo compensatio, quæ fiat altero inscio, & propria authoritate compensantis, non potest esse licita: consequenter &c.

Respondetur primo, ex hoc argumento sequi, quod meam rem, quam apud furem invenio, non possim privata authoritate, & fure inscio recipere, contra *l. 41. ff. de furtis*, & communem DD. sensum.

Respondetur secundo, dato antecedente (ob quod considerari potest, quod immediate responsum, & quod habetur *part. 1. n.* 355.) dist. conf. Si debitum sit incertum, aut moraliter recuperabile per Judicem, vel alio modo, con. si debitum sit certum, & neque per Judicem, neque alio quocunque modo moraliter recuperabile, neg. cons. Supponimus hic, & mox expresse dicemus, debitum debere esse certum, & moraliter neque per Judicem, neque per aliam viam recuperabile, ita, ut debitor frustra provocaretur ad Judicem, aut tentaretur alia via illud recipiendi: & tunc solum licitam asserimus compensationem occultam ceu unicum medium rem debitam recuperandi.

527. Objicies tertio. Non licet illum infamare, qui me injuste infamavit, nec ejus ædes incendere, qui incendit meas; ergo neque licet propria authoritate accipere rem alterius, qui mihi debet.

Respondetur, transmisso antecedente (propter id, quod diximus *part. 3. n.* 325.) neg. cons. Disparitas est, quod infamatio illius, qui me infamavit, non sit medium meam famam recuperandi, neque combustio ædium illius, qui meas exussit, meum damnum compensat; sed utraque tantum sit vindicta illatæ injuriæ, quæ privata authoritate non licet. At si ego utor occulta compensatione accipiendo rem mei debitoris, adhibeo medium expediens, & necessarium ad rem meam in æquivalenti recuperandam: consequenter &c.

528. Quæres nunc, quænam ergo sint conditiones requisitæ ad hoc, ut compensatio occulta liceat?

Respondetur, esse sequentes. Prima est, ut debitum sit liquidum, & certum, non quidem certitudine infallibili, sed morali, ita, ut viri prudentes non dubitent, nec putent, hic, & nunc posse dubitari de opposito. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis; & Justitiæ repugnat, pro debito incerto certam sibi solutionem attribuere saltem authoritate propria; nam possessio, quæ stat pro altero, tribuit illi jus certum rem possessam retinendi, quod tuum jus probabile rem auferendi penitus elidit.

Secunda conditio est, ut compensatio fiat ex bonis propriis debitoris, & non ex rebus, quæ penes ipsum sunt per modum pignoris, commodati, depositi: item ut debitum sit strictum, seu ex Justitia, non autem antidorale tantum, sive ex gratitudine. Ubi adverte, quod si debitor tibi commodarit, aut apud te deposuerit rem suam, prohibearis quidem (*c. 2. de Deposito*) illam retinere in compensationem; multi tamen Authores (Lessius, Navarrus, Sa, Dicastillus, Tannerus, Sporer &c.) putent, id solummodo verum esse in foro externo.

Tertia conditio est, ut compensatio fiat ex rebus ejusdem speciei cum debito, quemadmodum in compensatione proprie dicta, & superius *numer.* 523. exposita.

Quarta conditio est, ut sit morale periculum rem debitam alia via commode recuperandi, e. g. si debitorem compelleteris cogere per litem, vel publicam potestatem non sine magnis expensis, dissolutione amicitiæ, amissione favoris tibi multum necessarii, vel saltem valde utilis &c.

Quinta conditio est, ut vitetur damnum tam spirituale, quam temporale debitoris, ita, ut ille non maneat in mala fide, existimans, se necdum solvisse; vel ne iterato solvat: ideoque dextre monendus est de jam præstita solutione.

Sexta conditio est, ut caveatur damnum, vel præjudicium tertii, qui forte veniet in suspicionem furti, vel habet jus in prælatione creditoris, cui per compensationem fieret præjudicium.

ARTI-

ARTICULUS V.

An, & quomodo a Restitutione excusent remissio creditoris, & solutio facta creditori creditoris?

SUMMARIUM.

529. *Remissio creditoris, etiam* 530. *præsumpta, excusat a restitutione, si adsint debita conditiones.* 531. *& seq. Quando remissio creditoris censeatur valida, & consequenter a restitutione excusans, & quando non?* 533. *Solutio facta creditori creditoris liberat a restitutione, si debita sint ejusdem rationis; neque sit præferendus alius creditor.*

529. DIco primo. Remissio creditoris excusat a restitutione, si adsint debitæ conditiones. DD. communiter. Ratio patens est: quia dilatio a creditore concessa excusat, ut debitor non teneatur statim restituere; ergo etiam excusat remissio, ut omnino non teneatur restituere.

Dixi: *si adsint debita conditiones.* Prima ergo conditio requisita ad legitimam remissionem est: ut creditor sit potens remittere: id est, ut habeat 1. actuale rerum suarum dominium, & liberam administrationem, defectu cujus remissio facta ab exactore vectigalium, a pupillo, filiosfamilias &c. nulla est. 2. Ut lege non prohibeatur: sunt enim aliqui casus in Jure expressi, in quibus condonatio ejus, a quo res injuste accepta est, nihil suffragatur, sed adhuc restituere tenetur accipiens. Sic Ecclesiæ gravatæ non possunt Episcopo Visitatori remittere restitutionem in duplum faciendam intra mensem, si præter sumptus tum ad victum necessarios aliquid acceperit, per *c.* 23. *de Censibus &c.* Nec Judici delegato potest remitti a partibus restitutio, quando accepit aliquid ab illis præter victualia, quæ paucis diebus possunt consumi, per *c.* 11. §. *insuper juncto* §. *siquid de Rescriptis in* 6. Item Canonico accipienti distributiones pro Horis, quibus non interfuerat, non prodest remissio ceterorum Canonicorum, quibus illæ accrescerent, per Trident. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 12. Sed de hoc ultimo revide, quæ diximus *part.* 3. *numero* 437.

Altera conditio est, ut remissio debiti non sit extorta per vim, vel obtenta per fraudem: alias quippe non esset libera; prout tamen esse debet, eo quod sit species donationis, cui repugnat non esse liberalem, & juridice liberam. Unde si debitor centum aureorum verb. grat. creditori dicat: non solvam tibi, nisi quinquaginta remittas; isque remittat, censetur remissio metu extorta, coacta, & invalida. Item si debitor, ut debiti remissionem vel ex toto, vel ex parte obtineat, simulet se impotentem restituere, vel pauperiorem, quam reipsa sit: quia hic talis debitor creditorem decipit, & remissionem obtinet per fraudem, ac invalide. Sporer *in Decal. tr.* 4. *cap.* 4. *numer.* 84. Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *q.* 7. *art.* 4. *n.* 294. & alii passim. Nunc ex dictis

530. Colliges primo, remissionem creditoris etiam præsumptam excusare a restitutione; quando nempe creditor prudenter existimatur non esse invitus, si debitor rem ipsius retineat, aut facile condonaturus ejus restitutionem, si ab ipso peteret. Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 52. Salmanticenses *tom.* 3. *tr.* 13. *c.* 1. *pun.* 16. *n.* 278. & alii communiter. Ratio est: quia sicut quis non peccat rem alienam auferendo domino non invito, ita, & a potiori, non peccat rem alienam retinendo, domino non invito, seu quando prudenter existimatur non invitus. Unde sæpius a restitutione excusantur filiifamilias, dum aliquid parentibus auferunt, esto auferendo peccent; quando nimirum prudenter præsumunt, eos non esse invitos saltem quoad substantiam rei acceptæ, esto modus accipiendi sine licentia eisdem displiceat. Idem servata proportione cogita de aliis domesticis, v. g. famulis, & famulabus, dum aliquid suis heris surripiunt. Babenstuber *loc. cit. num.* 18.

531. Colliges secundo, invalidam esse remissionem, & a restituendo non excusare, si creditor debitum vel integre, vel ex parte remittat, ut se liberet a molestiis, quas hactenus in petendo debito expertus est, puta quia debitorem sæpius debuit frustra accedere, solicitare, diu expectare, dura verba, vel etiam verbera loco solutionis reportare &c. Ratio est: quia talis remissio non censetur juridice libera, sed metu extorta, & coacta. Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 16. *dubit.* 2. *numer.* 35. Lugo *loc. cit. numer.* 46. & alii communiter.

532. Colliges tertio, validam e diverso esse remissionem, & a restituendo excusare debitorem, si hic illam a creditore obtinuerit blanditiis, aut precibus. Ratio est: quia istæ non reddunt remissionem, seu condonationem debiti involuntariam. Lessius *loc. cit.* Illsung, ubi supra, Babenstuber *n.* 21. qui tamen excipiunt: nisi blanditiæ, vel preces ponantur esse adeo importunæ, ut creditor malit re sibi debita carere, quam tantam importunitatem ultra perferre. Hoc ergo casu volunt, remissionem non esse in conscientia validam; eo quod non fiat cum sufficienti libertate morali, sed redimendæ molestæ vexationis causa.

533. Dico secundo. Solutio facta creditori creditoris liberat a restitutione, si debita sint ejusdem rationis, neque sit præferendus alius creditor. Unde si centum aureos, quos tibi debebam, solvi tuo creditori, cui tu totidem debebas, nihil amplius tibi debeo in conscientia, quidquid sit de foro externo, de quo videri potest P. Pichler *lib.* 3. *tit.* 23. *n.* 20. Ratio conclusionis est: quia solvendo tuo creditori transtuli in me jus, quod ille habebat adversus te; ergo desii esse tuus debitor.

Dixi autem: *si debita sint ejusdem rationis.* Si enim res, quam tibi debeo, sit diversæ rationis cum re, quam debes tuo creditori, cui solvo; ut si debeam tibi pecuniam, tu vero debeas tuo creditori frumentum, non licite facio, regulariter loquendo, nec ab onere restitutionis liberor, si tuo creditori dem pecuniam; eo quod non liceat passim, & regulariter loquendo, creditori restituere æquivalens tantum.

Dixi præterea: *nec sit præferendus alius creditor.* Nam si verb. grat. tu debes Cajo centum aureos, sed habes alios creditores privilegiatos, seu privilegio prælationis gaudentes, & non es solvendo omnibus, tunc ego non liberabor, si Cajo solvam centum aureos, quos tu ipsi debes. Ratio hujus est: quia non transfero in me majus jus, quam habebat Cajus, ut sibi solveretur debitum: atqui Cajus non habebat jus, ut sibi solveretur debitum, sed potius aliis creditoribus anterioribus, & privilegiatis; ergo nec ego in me transfero tale jus; ergo nec frui potero beneficio compensationis.

ARTICULUS VI.

An a restitutione excusent cessio bonorum; excommunicatio creditoris; authoritas Juris, vel Judicis; compositio cum Papa?

SUMMARIUM.

534. *Quid sit cessio bonorum? non liberat a restitutione, sed tres alios effectus favorabiles præstat.* 535. *An hoc beneficium sit indultum omnibus debitoribus?* 536. *Nec excommunicatio creditoris excusat a restitutione.* 537. *Authoritas & Juris, & Judicis liberat ab onere restitutionis in certis quibusdam casibus.* 538. *Quid intelligatur per compositionem cum Papa, & quando ea liberet ab onere restitutionis?*

534. DIco primo. Cessio bonorum (quæ fit, quando debitor, videns, se non esse solvendo, palam profitetur suam impotentiam; ideoque bona sua creditoribus relinquit, inter ipsos juxta juris, quod quilibet habet, qualitatem, ac proportionem dividenda, ut singulis inde, quantum potest, satisfiat) a restitutione (1.) non excusat; sed (2.) ex dispositione Juris Civilis alios tres effectus favorabiles debitori præstat. Ita tam Theologi, quam Jurisperiti communiter.

Probatur prima pars tum ex *l.* 1. *C. qui bonis cedere poss.* ibi: *qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati.* Tum ex ratione: quia Leges, concedentes cessionem bonorum, non intendunt creditores privare suo jure, sed alios quosdam effectus, statim infra recensendos, debitori præstare. Tenetur proinde debitor post cessionem bonorum laborare, ac conari, ut acquirat, unde solvat, quantum conditio, seu sta-

seu status personæ permittit: quia quilibet tenetur adhibere media, saltem ordinaria, quæ conducunt ad finem, ad quem obligatur: ut recte notat Tamburinus *lib.* 8. *in Decal. tr.* 4. *cap.* 1. §. 10. *n.* 10. Nec refert, quod bonorum cessor forte sit affectus publica ignominia, *v. g.* cum tubis per civitatem ductus, tanquam bonorum cessor proclamatus, vel aliquot diebus nudo capite in foro sedere compulsus; prout in quibusdam locis secundum particularia eorundem statuta fieri solet. Non, inquam, refert: quia talis ignominia non infertur in compensationem debiti, sed ne tam facile ad cessionem convoletur: prout cum Zoesio, & aliis advertit Augustinus Michel *de Restitution. fol.* 944. *numero* 14.

Probatur secunda pars recensendo memoratos tres effectus favorabiles. Itaque primus est, ut cessor bonorum in carcerem conjici non possit; vel in eum conjectus liberari debeat. Secundus est, ut contra creditorum molestias, dum solvendo est impar, exceptione cessionis bonorum tutari se possit. Tertius est, ut si post cessionem bonorum ad meliorem fortunam pervenerit, a creditoribus conveniri non possit ultra id, quod commode præstare potest, servatis sibi alimentis necessariis secundum qualitatem, & statum personæ. Ita sumitur *ex l.* 6. *ff. de Cession. bonor. l.* 1. *l. fin. C. qui bonis ced. poss.* §. *fin. Inst. de Act.* juncta praxi, & æquitate.

535. Quæres, an hoc flebile (ut vocant) beneficium sit indultum omnibus debitoribus?

Respondetur negative. Nam in primis non censetur indultum debitoribus ex causa criminali, utpote in qua obtinet Regula: *qui non habet in ære, luat in cute, l.* 1. *ff. de Pœnis in fin.* ut sic delicta non maneant impunita. 2. Neque debitoribus ex causa civili graviter culpabili; ut si dolose contraxerunt debita, v. g. spe cessionis bonorum, vel bona sua in fraudem creditorum alienarunt, aut dissiparunt: qui scientes se non esse solvendo contraxerunt debita, vel in cessione occultarunt bona, aut partem eorum: qui ex delicto furti, rapinæ &c. facti sunt debitores, & agitur civiliter tantum ad interesse partis privatæ; item qui facti sunt debitores luxoriose, aut prodige vivendo. Ita cum aliis a se relatis Augustinus Michel *loc. cit. n.* 16. *& seq.* Item Pichler *lib.* 3. *tit.* 23. *n.* 7. id deducens ex variis Legibus. Ratio insuper est: quia non est verisimile, quod beneficium cessionis a Jure concedatur illis, qui potius merentur animadversionem severioris pœnæ. Itaque beneficium cessionis iis duntaxat indultum censetur, qui citra suam gravem culpam, & per infortunium, v. g. belli calamitate, aquarum inundatione, incendio, multiplicatione prolium &c. bonis suis spoliati, ad solvendi impotentiam devenere. Ratio est: quia in his duntaxat locum habet ratio beneficii allegata *in* §. *fin. Inst. de Act.* quæ est, quod sit inhumanum, aliquem præter suam culpam, saltem gravem, nudatum fortunis in solidum damnari, & addi afflictionem afflicto. Hinc Justinianus *in Novell.* 135. (ut hujusmodi debitori adhuc magis faveat) jubet eum ab omni carceris molestia liberum esse, tametsi bonis actu non cesserit, modo juret se solvendo non esse. Authores *citt.*

536. Dico secundo. Excommunicatio creditoris non excusat a restitutione. Ita cum communi Palao *tr.* 32. *disp.* 1. *pun.* 7. §. 5. Ratio est: quia tametsi creditori excommunicato negetur actio petendi debitum judicialiter *c.* 1. *de Except. in* 6. permittitur tamen illud exigere privatim. Confirmatur. Non prohibetur excommunicato (licet sit de classe non toleratorum) communicare cum aliis, quando id exigit necessitas, vel magna utilitas, prout colligitur *ex c.* 101. *caus.* 11. *q.* 3. ergo non apparet, cur dicatur non posse communicare cum debitore, suomque ab eo debitum exigere, ac recipere, cum id illi non solum utile, sed plerumque etiam necessarium sit: consequenter &c.

Nec obstat *can.* 4. *caus.* 15. *q.* 6. quippe qui non loquitur de debito pecuniario, sed debito fidelitatis, & obsequii, a quo liberat subditos respectu domini excommunicati; ideoque in materia odiosa ad alia debita extendi non debet.

537. Dico tertio. Authoritas & Juris, & Judicis excusat, ac liberat ab onere restitutionis in hisce casibus. 1. Quando quis rem alienam legitime usucepit, seu præscripsit, 2. Quando Judex in pœnam delicti (dummodo sententia non innitatur falsæ præsumptioni) imponit Cajo mulctam v. g. decem aureorum mihi solvendam, & ego Cajo tantundem debeo, nihil teneor eidem solvere. 3. Quando Titius v. g. per sententiam cogitur resarcire mihi damnum sine culpa Theologica illatum, possum acceptare, & retinere. 4. Quando Sempronius, secundum allegata, & probata juste, a parte rei tamen injuste, fuit privatus officio (Beneficio, hæreditate &c.) & ego illud bona fide obtinui, non teneor dimittere, vel aliquid restituere, tametsi ex post facto de injuria Sempronio facta certior fiam. 5. Si Minor acceperit pecuniam mutuam, illamque in luxum, & lasciviam impenderit, non obligatur ad quidquam restituendum beneficio *l.* 2. *C. filiofamilias*. Ratio conclusionis, & horum casuum est: quia Jus, & Judex pollent dominio alto, vi cujus circa bona suorum subditorum modis hucusque dictis disponere potuerunt, & disposuerunt. Lessius, Mezger, Babenstuber *loc. cit. n.* 30. aliique communiter.

538. Dico quarto. Etiam compositio cum Papa, seu S. Pontifice (ut si quis ab Ipso super bonis alias restituendis accipit licentiam, & dispensationem, ut, aliqua illorum parte pauperibus, aliisve piis causis applicata, reliquam sibi reservet) excusat a restitutione, quando fit circa bona, quæ subsunt dispositioni, & dispensationi Pontificiæ: cujusmodi sunt debita incerta, alias applicanda ad pias causas: item si quis ob redditus Ecclesiasticos male perceptos vi Canonicarum Constitutionum teneretur ad restitutionem (etiamsi constet, cui Ecclesiæ talis restitutio fieri deberet) authoritate S. Pontificis dispensari, & ab onere restitutionis liberari potest. Quando autem debita sunt certa, & aliis creditoribus restituenda, Pontifex circa ea nihil potest disponere potestate directa, cum ipse non sit dominus bonorum pertinentium ad subditos; neque consequenter possit bona unius subditi donare alteri: esto id possit potestate indirecta, qua pollet in bona Christianorum, quando gravissima causa sic postulat: prout jam alibi insinuatum, & tenet communis DD.

C A P U T V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

539. *Kolbertus, dum Cajum ex odio, attamen sine vi, & fraude, impedivit a consecutione hæreditatis, persuasa testatori mutatione testamenti, ad nullam restitutionem obstringitur.* 540. *Koboldus Procurator nihil tenetur adjicere ultra pretium pactum, & solutum pro uvis bona fide consumptis, quas venditor meliores, & cariores omnis in emptoris domum per errorem detulerat.* 541. *Quisnam catenam auream, vel pretium teneatur restituere, dum illa bona fide accepta, & vendita fuit, pretiumque ejus donatum tertio?* 542. *Kofflerus pretium, ex alocatione torquis aurei alieni redactum, tenetur restituere domino torquis.* 543. *Kolberius tenetur ad restitutionem supellectilis furto ablatæ; non vero ad resarcitionem damnorum ex combustione domus, præter ipsius intentionem secuta, causatorum.* 544. *Kemnitius, gemmam alienam in aquam projiciens, non obligatur ad refundendum totum valorem, quando hunc invincibiliter ignoravit.* 545. *Kilianus non tenetur compensare damnum, ex fortuito interitu equi a se conducti, & usurpati, consecutum.* 546. *Kempfianus qui influxit, & cooperatus fuit ad furtum citius perpetratum, nullo restitutionis oneri subjacet.* 547. *Kaunutius, Caji, & Titii debitor, ambobus tamen adæquate solvere impotens, non potest licite adæquatam solutionem dare Cajo, prius petenti, jure præventionis; imo est iste solutionem petendo, atque accipiendo peccat.* 548. *Kofflerus adhuc tenetur ad restitutionem pecuniæ furtivæ, quam per Kofflerianum, pro fideli transportatore habitum, transmisit legitimo Domino, quando idem Kofflerianus concreditam sibi pecuniam non restituit.* 549. *Kosthanus debitor, ob spem lucri faciendi, illicite differt solutionem, nisi per tale lucrum aliis etiam creditoribus satisfacere possit; alias non satisfacturus.* 550. *Konigspergius Aulicus, in vestitu, victu &c. moderatus est, & licet idcirco vexetur ab*

aliis,

aliis, & ad majores sumptus instigetur, non potest tamen hos facere, si moraliter certus sit, debita inde se contracturum, quæ postea solvere non possit. 551. Kockius ad negotia extraordinaria applicatus potest prætendere augmentum salarii, & si illud impetrare non valeat, occulte compensare; nisi per contractum prævium suo juri cesserit.

CASUS I.

539. *Kolbertus (nescio, qua de causa) concepit odium adversus Cajum vicinum suum, virum ceteroquin omnibus aliis gratum. Et quoniam inaudiit, eundem a certo quodam amico, hæredibus necessariis destituto, institutum esse hæredem universalem, ex odio erga illum persuasit testatori, ut, mutato testamento, alium hæredem scriberet. Quæritur, an Kolbertus teneatur Cajo restituere, seu resarcire damnum, ex mutatione testamenti consecutum?*

RЕspondetur negative, si Kolbertus processerit sine vi, & fraude. Ita cum communi P. Sporer *loc. cit. c. 2. a n. 196*, & fluit ex dictis supra *n. 340.* Ratio est: quia obligatio restituendi non oritur ex læsione Charitatis, nisi una lædatur (idque effective) Justitia commutativa; prout ostensum est *n. 339.* atqui Kolbertus in Casu, esto læserit Charitatem, haud tamen læsit Justitiam commutativam saltem effective (imo nec affective, secundum dicta *n. 391,*) ergo &c. Min. ostenditur, & declaratur: quia testator potuit, quoad vixit, testamentum mutare citra injuriam Caji, quippe nullum adhuc obtinentis jus ad bona sibi in testamento designata, prout in confesso est apud omnes; ergo idem testator, seclusa vi, & fraude, ad mutandum testamentum induci potuit a Kolberto citra injuriam Caji; consequenter &c.

Dixi tamen in respons. *si Kolbertus processerit sine vi, & fraude*. Nam si in persuadendo fuerit usus vi, vel fraude, ad restituendum obligabitur. Ratio est opposita: quia hoc procedendi modo intulit Cajo injuriam, utpote qui habuit jus, & quidem rigorosum, ne per vim, aut fraudem impediretur a consecutione hæreditatis, esto non habuerit jus ad ipsam hæreditatem. Revideantur, quæ diximus *n. 340. cit.*

CASUS II.

540. *Koboldus, certæ alicujus Communitatis procurator, convenit in mercato cum domino, plures uvarum species venales exponente, aliquas octo, alias decem Juliis: ineunt contractum emptionis venditionis circa illas, quæ octo Juliis venales proponebantur. Procurator persolvit pretium, octo scilicet Julios pro singulis canistris, juxta conventionem factam, cum onere, ut venditor eas deferret in domum emptoris: detulit illas venditor, bonaque fide ibi consumpta sunt. Advertens venditor, se deceptum fuisse deferendo illas, quæ decem Juliis vendebantur, cum deferre debuisset eas, quæ vendebantur octo Juliis, accessit procuratorem, & exegit majus pretium. Quæritur, an procurator ultra pretium pactum, & jam solutum adhuc aliquid adjicere obligatus fuerit?*

RЕspondetur negative. Ratio est: quia uvæ, bona fide absumptæ, neque in se, neque in effectu suo, seu in æquivalenti residuæ erant; cum inde procurator ditior non evaserit, quippe qui satis per alias, octo Juliis emptas, Communitati prospexisset. Unde non apparet, ex quo capite ad aliquam restitutionem obstrictus fuisset; & venditor commissum errorem sibimet ipsi imputare debebat. Hunc casum proponit, & ita resolutum fuisse testatur P. Gormaz *de Restit.* prout olim me legisse recordor; quamvis memorati Authoris Theologiam hic ad manum non habeam.

CASUS III.

541. *Kroponimus catenam auream Titii accepit dono bona fide a Sempronio, & paulo post eandem bona fide vendidit aurifabro, pretiumque inde redactum donavit Petro, cujus opera factus erat ex Rhetore Consul. Quæritur, quisnam horum teneatur ad restitutionem illius catenæ, vel pretii?*

RЕspondetur, Kroponimum 1. ad nihil teneri Titio. Ratio est: quia egit bona fide, & in nullo effectus est locupletior. 2. Neque Petrum, Kroponimi Promotorem, ad quidquam obligari Titio. Ratio est: quia Petrus nunquam habuit catenam, & pretium, quod dono obtinuit, accepit a Kroponimo legitimo ejus domino, utpote qui, ut supponitur, per immixtionem pretii catenæ cum sua pecunia factus est dominus illius pretii. 3. Aurifabrum teneri restituere catenam Titio etiam cum jactura suæ pecuniæ. Ratio est: quia dominus semper obtinet jus ad rem suam recipiendam, ubicunque demum ea existat. Unde aurifaber suo infortunio adscribere debet, quod res aliena, licet per aliorum manus bona fide accepta, & vendita, apud se extare inveniatur. 4. Kopronimum, quem nihil debere Titio diximus, obligari tamen totius pretii valorem restituere aurifabro casu, quo iste Titio suam catenam reddiderit. Ratio est: quia venditor tenetur indemnem servare emptorem quoad rem venditam, ut scilicet hæc sit vendibilis, & ipse venditor possit transferre ejus dominium in emptorem. Ita Tamburinus *lib. 8. tr. 3. c. 3. §. 1. n. 13.* & seq. aliique ab ipso relati.

CASUS IV.

542. *Kofflerus, civis Augustanus, bona fide possidet torquem aureum sibi ostensum, & concreditum a Sempronio Mercatore itidem Augustano, ad nundinas Francofurtenses, aliaque negotia tum ibi, tum alibi pertractanda, abituro, & ante integri anni lapsum non reversuro. Kofflerus, ut torquem illum sibi lucrosum reddat, eundem nobili cuidam Dominæ pro pretio elocat, ad pompam in præcipuis, & solemnioribus Festis anno plus quam dimidio usurpandum. Quæritur jam, utrius sit pretium, ex torquis elocatione redactum, dominique, an elocatoris?*

RЕspondetur, esse domini, & huic ab elocatore, si receperit, restituendum. Tamburinus *loc. cit. §. 5. n. 8.* Laymann *lib. 3. tr. 2. c. 3. n. 6.* Sporer, ubi supra, *c. 2. n. 78.* & alii apud ipsos, contra alios non paucos, volentes, pretium ab elocare retineri posse; sicut artifex potest retinere, quod alieno instrumento lucratus est, compensando, quod detritum est: quemadmodum enim (inquiunt) in tali casu lucrum, ita in nostro pretium est merus fructus industriæ. Verum contra est, simulque adstruitur ratio probativa nostræ responsionis: quia torques se non habet adinstar instrumenti, per quod operatur industria: sed adinstar domus, quæ elocatur; ergo sicut quis tenetur (etiam secundum Adversarios) restituere pretium acceptum pro elocatione domus alienæ, cum sit fructus civiliter naturalis, non vero civiliter industrialis, sicut lucrum ex usu instrumenti (quale etiam censetur pecunia ex dictis *n. 361,*) redactum, ita & tenebitur restituere pretium acceptum pro elocatione torquis alieni. Nec refert, quod dominus torquem non fuisset elocaturus. Hoc quippe per accidens est; nec impedit, quin res adhuc censeri debeat fructificasse suo domino, dum per alienum possessorem elocata fuit.

CASUS V.

143. *Kolberius domum alienam nocturno tempore furandi causa ingressus, ut facilius res, in furtum cessuras, inveniret, elicuit ex silice ignem; quo admoto supellectilem, magna ex parte corrasatam, secum asportavit: & licet nullatenus intenderit, imo solicite caverit, ne quidquam incenderet, unde domus conflagraret, accidit nihilominus exinde incendium, quod totam domum, & quidquid in ea erat præter homines, in cineres redegit. Quæritur, ad qualemnam restitutionem in foro conscientiæ teneatur Kolberius?*

RЕspondetur, quod Kolberius teneatur quidem (1.) ad restitutionem supellectilis furto ablatæ: non autem (2.) ad resarcitionem damnorum ex incendio consecutorum. Dicastillo *lib. 2. tr. 2. disp. 3. dubit. 2. n. 70.* Babenstuber *loc. cit. art. 3. n. 8.* & alii Theologi communiter. Ratio primi membri patet: quia auferendo supellectilem formaliter peccavit contra Justitiam commutativam, & intulit proximo damnosam injuriam; unde procul dubio consurgit obligatio restituendi. Ratio secundi membri est opposita: quia incendendo domum non peccavit formaliter

contra

contra Justitiam; cum incendium nec directe, nec indirecte intenderit, imo sollicite caverit, ne oriretur: quare hoc incendium non erat Kolberio ulla ratione voluntarium; adeoque nec imputabile ad culpam injustæ damnificationis, ex qua sola impræsentiarum deberet resultare obligatio restituendi.

CASUS VI.

544. *Kemnitius, Juvenis, nobilitate perspicuus, cum domicella paris nobilitatis ambulatum egreditur, & post varios, quos cum ipsa miscuerat, discursus, solicitat eandem ad ineunda secum sponsalia. At negat domicella consensum, dictitans, se jam alteri desponsatam esse: utque firmiorem suis dictis fidem conciliet, ostendit Kemnitio gemmam, a suo Sponso pro arrha sibi consignatam, centum aureos valentem; quam ubi ille manu apprehendere permittitur, malitiose in profluentem aquam projicit, quantitatem tamen valoris invincibiliter ignorans, & existimans, eam ultra triginta aureos non ascendere. Quæritur, ad quantam restitutionem obligetur Kemnitius, supposito, quod projecta in aquam gemma non amplius reperiri, & extrahi queat?*

RE spondetur, probabilius esse, quod Kemnitius solum teneatur compensare eam damni quantitatem, & partem, quam cognovit, nempe consistentem in triginta aureis, Ita P. La Crois *lib. 3. part. 2. n. 194.* cum Esparza, Haunoldo, & aliis contra Cardinalem de Lugo, Illsung, & alios, Kemnitium ad compensationem totius damni realis condemnantes. Ratio prima responsionis nostræ probativa sic instruitur. Vel enim Kemnitius ad reliquam damni partem compensandam obligaretur ex lege positiva, vel naturali: neutrum dici potest; ergo &c. Min. prob. Non enim ex lege positiva; cum talis nullibi extet. Neque ex lege naturali: quia hæc non obligat ad compensandum damnum, quod ne quidem confuse præcognitum fuit: atqui Kemnitius ponitur ne quidem confuse præcognovisse in Casu excessum pretii, seu valorem centum aureorum; ergo lex naturalis non obligat Kemnitium ad illum excessum compensandum. Deinde omnis obligatio, a lege naturali proveniens, debet ita esse comparata, ut optabilior sit singulis hominibus antecedenter ad omnem casum eventualem, quam esset negatio illius obligationis: hoc est, debet ab illa posse plus commodi sperari, quam incommodi timeri: sed obligatio compensandi illum excessum non esset talis; ergo non est censenda provenire a lege naturali. Maj. ab Adversariis admittitur. Min. prob. Nam commodum, quod inde deberet posse sperari, aliud non apparet, quam quod præfata obligatio deberet servire ad homines metu talis excessus compensandi absterrendos a damnificatione etiam involuntaria: sed ad hoc parum, vel nihil serviret; cum enim raro admodum contingat, ut notabile damnum sequatur ex invincibili ignorantia, homines communiter non apprehenderent periculum incurrendi obligationem ad ejusmodi damnum compensandum; adeoque ab actione sua non absterrerentur; & econtra durius est, ac magis afflictivum ex genere suo, refundere damnum ita inadvertenter factum, quam tale damnum ab alio illatum sine spe refusionis tolerare: consequenter &c.

Ratio altera est, & desumitur a paritate. Non datur obligatio resarciendi damnum extrinsecum, id est, distinctum a re sublata, vel destructa, quod non est præcognitum; e. g. siquis Ignem injecisset in segetes, & præter intentionem injicientis fuisset accensa, ac combusta domus, non teneretur reparare damnum extrinsecum e conflagratione domus enatum, sed tantum intrinsecum enatum ex conflagratione ipsarum segetum; prout liquet ex dictis *num. præced.* & fatentur ipsimet Adversarii; ergo neque datur obligatio resarciendi damnum intrinsecum, in quantum hoc non est præcognitum: consequenter &c. Hæc paritas videtur omnino tenere: si enim non detur obligatio compensandi damnum extrinsecum ob defectum invincibilem cognitionis, & voluntarii; quare daretur obligatio compensandi damnum intrinsecum, dum idem intervenit defectus, ut in Casu quoad partem, seu excessum damni?

Dices. Projiciens gemmam, voluit voluntate executiva projicere id, quod habebat in manu, quidquid illud esset; ergo tenetur totum pretium refundere.

Respondetur primo, hoc argumentum probare nimium. Probat enim 1. eum, qui, invincibiliter existimans, rem nullius esse pretii, eandem citra omnem etiam culpam in aquam projiceret, aut alias destrueret, obligari ad totum pretium refundendum: quia voluntate executiva voluit projicere, quod in manu habebat, quidquid illud esset. Probat 2. etiam ex veniali culpa non solum damnum intrinsecum, sed & extrinsecum esse refundendum: quia ponens actionem nocivam, & damniferam, vult executive ponere omne illud, quod cum ea connectitur, indeque sequi notum est; prout arguunt Adversarii. Atqui ambæ sequelæ videntur absurdæ, & nec vel ipsis Adversariis placent; ergo &c.

Respondetur secundo directe, dist. ant. Projiciens gemmam, voluit projicere, quod habebat in manu, secundum id, quod cognoscebat, con. secundum plus, quam cognoscebat, neg. ant. & cons. Itaque in illam solummodo damni compensationem projiciens consensisse censendus est, quod cognovit; non autem in plus, quam cognovit: & consequenter &c. Nec obstat, quod Auctores communiter doceant, compensanda esse omnia damna, v. g. ex injusto homicidio secuta. Aliud quippe non volunt, quam ejusmodi damna esse compensanda, si (prout ordinarie contingit) fuerint præcognita saltem confuse; vel ignorata quidem, sed vincibiliter: quorum tamen neutrum in Casu evenit.

CASUS VII.

545. *Kilianus, in Gymnasio Landspergensi Rhetorica Studiosus, a quodam Lanione ibidem mercede conduxit equum, ut in privilegio Festi Purificationis B. M. Virginis traha veheretur ad S. Ædem Compolycianam, peractaque ibidem in ipso Festo apud PP. Franciscanos devotione, & sumpta in adjacente hospitio corporis refectione, reveheretur Landspergam. Quod & factum. Sed vix dum equus in stabulum reductus fuit, exanimis concidit. Quæritur, an Kilianus damnum, ex interitu equi resultans, Lanioni compensare teneatur?*

RE spondetur negative: si in usu equi debitam moderationem adhibuerit, & pactum assecurationis speciale non intervenerit. Ita cum Silvestro, Angelo, Navarro, Molina, Vasquezio, Lucone, & aliis communiter P. Burghaber *cent. 2. cas. 97.* contra Dianam, & quosdam alios, Kilianum ad resarciendam damni molietatem condemnantes. Ratio nostræ responsionis negativæ hæc esto: quia res, dum perit, suo domino perit, quando ex parte utentis v. g. nulla intervenit culpa, aut pactum assecurationis: atqui in Casu ponitur nulla intervenisse culpa, aut pactum assecurationis, ergo &c. Confirmatur. Nemo (nisi id specialiter promiserit) tenetur de casu fortuito: sed casus iste est mere fortuitus, ergo &c.

Dices. Contractus cessit in utriusque, Kiliani scilicet, ac Lanionis, utilitatem; ergo æquitas poscit, ut uterque æqualem damni partem ferat; ergo Kilianus, esto non teneatur totum damnum Lanioni compensare, tenebitur tamen compensare medietatem illius.

Respondetur, concesso antecedente, neg. utramque cons. Cum enim Kilianus nullam prorsus culpam commisisse ponatur (uti nec iniisse pactum specialis assecurationis) æquitati consonum non foret, si cogeretur luere damnum, etiam partiale tantum; cum id impræsentiarum deberet fieri in pœnam, qualis tamen locum non habet, nisi in luente præcesserit culpa. Deinde ex argumento sequeretur, quod siquis conduxisset ædes v. g. binis aureorum millibus æstimatas, eæque fortuito casu, e. g. subito terræ motu concussæ corruissent, teneretur ferre medietatem damni: quod nemo facile asseruerit.

CASUS VIII.

546. *Kempsius firmissime statuit, hebdomade proxime secutura expilare ædes sui vicini; cumque propositum hoc suum aperiret Kempsiano familiari suo, suasit iste, ut currente statim septimana perficeret, quod sequente primum facere decrevisset. Obsecutus consilio Kempsius vicinum suum tota supellectili expoliavit, eadem, qua Kempsianus suaserat, septimana. Quæritur jam, an Kempsianus teneatur ad restitutionem rerum ablatarum, casu quo Kempsius easdem restituere non possit, aut non velit?*

Respon-

RESpondetur negative. Ita Hostiensis *in c. Sicut dignum. de Homicid.* Richardus *in 4. dist.* 15. Navarrus *in Manual. c.* 17. *n.* 20. La Croix *loc. cit. n.* 49. & alii satis communiter. Ratio est: quia ille non est obnoxius oneri restitutionis, qui non influxit effective in substantiam damni illati, sed præcise in modum; prout ex communi insinuavimus supra *n.* 437. atqui Kempsianus non influxit in substantiam damni furto illati, sed præcise in modum, quatenus suasit, ut Kempsius furtum, ad quod patrandum jam antea animo obfirmatus erat, maturaret; ergo Kempsianus non est obnoxius oneri restitutionis. Supponitur autem in casu, quod Kempsiano de rebus ablatis nihil accreverit; hoc enim si accidisset, utique illud (quantumcunque demum fuisset) teneretur restituere.

Dices. Kempsianus fuit causa totius actionis furtivæ, prout a Kempsio currente septimana exercitæ; tametsi enim Kempsius alias furaturus fuisset, id tamen præstitisset septimana sequente, & actione diversa; ergo Kempsianus in defectum Kempsii tenetur ad restitutionem.

Respondetur, neg. ant. quia moraliter non censebatur influere in substantiam talis actionis, quippe jam paratam in causa executrice, & adhuc ponendam, licet Kempsianus antefatum consilium non dedisset. Revide, quod in simili diximus *part.* 2. *n.* 217. *ad fin.*

Instabis. Qui physice cooperatur furanti, censetur influere in ipsam quoque substantiam actionis furtivæ, & tenetur ad restitutionem juxta proportionem influxus; ergo etiam qui cooperatur moraliter. Atqui Kempsianus fuit cooperatus moraliter Kempsio furanti; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Qui physice cooperatur furanti, & simul executive, ut si una cum suo complice rem alienam auferat, furtumque ipsum immediate exequatur (quo casu potius sortiuntur rationem causæ principalis, videlicet partialis) con. qui physice cooperatur, & non simul executive, seu cum altero ipsum furtum non immediate attingendo, & exequendo, subdist. censetur influere in ipsam quoque substantiam actionis furtivæ, & tenetur ad restitutionem, si actio furtiva non fuisset ab altero posita, con. si adhuc fuisset posita, licet difficilius, neg. ant. Res, & subdistinctio clarescit in tenente furi scalas: hic quippe talis subinde censetur influere in substantiam actionis furtivæ, & tenetur ad restitutionem, subinde non. Primum fit, si absque prædicto subsidio furtum non contigisset, quatenus fur in domum, in qua furtum patrare decreverat, non penetrasset. Secundum fit, si absque illo subsidio furtum adhuc contigisset; quia nempe fur adhuc in domum penetrasset, licet difficilius. Videantur super hoc Laymann *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 5. *prope fin.* & Burghaber *cent.* 2. *cas.* 69. *in respons. ad ult. argum.* Nunc etiam dist. cons. Ergo etiam qui cooperatur moraliter, si v. g. suadeat ipsam actionem furtivam, ab altero nondum decretam, vel non decretam firmiter, con. si suadeat actionem furtivam, ab altero jam firmiter decretam, & moraliter certo ponendam, prout in Casu fecisse ponitur Kempsianus, neg. cons. Per quod patet etiam ad subsumptum. Itaque cooperatio physica, & simul immediate attactiva, seu executiva furti, nunquam potest abstrahere a substantia actionis furtivæ: cooperatio physica, & non immediate attactiva, seu executiva furti, subinde potest, subinde non potest abstrahere: sicut & cooperatio moralis &c. Ratio disparitatis sumitur ex diversis ejusmodi actionum naturis.

CASUS IX.

547. *Kaunutius duorum debitor est, Caji scilicet, ac Titii, impotens tamen ad debitum ambobus adæquate solvendum; eo quod centum florenos debeat Cajo, & totidem Titio, nec habeat in ære, unde solvat plus, quam centum. Hoc ut inaudit Cajus, Titium præveniendo petit a Kaunutio suum sibi debitum solvi. Quæritur, an Cajus hic gaudeat jure præventionis, ac prælationis, adeo, ut Kaunutius adæquatam solutionem centum florenorum eidem licite dare, & ipse accipere possit, Titio posthabito, & excluso?*

RESpondetur negative: sed uterque, videlicet Kaunutius dando, & Cajus accipiendo, illicite agit. Azotius *lib.* 4. *c.* 36. *q.* 6. Sanct-Gallenses *loc. cit. q.* 2. *dub.* 3. & alii contra alios. Ratio est: quia prioritas solius petitionis (alia autem adesse nulla supponitur) jus creditoris, quod obtinet in debitorem, non auget, neque extollit supra jus alterius creditoris; ergo &c. Ant. ostenditur. Vel enim id fieret vi Legis naturalis, vel Divinæ, vel humanæ. Non vi primæ, vel secundæ: prout fatentur ipsimet Adversarii. Neque vi tertiæ; cum hæc vel nullibi extet, vel non sit nisi incerta: quemadmodum patebit ex responsione ad argum. infra afferendum. Ergo &c. Confirmatur. Debitor peccat contra Justitiam (quæ non tantum substantiam restitutionis, sed etiam modum, & ordinem in restituendo servari præcipit) quando ultro, & non rogatus, sed tantum amicitiæ, vel gratificandi causa uni creditori integre solvit, altero ejusdem conditionis excluso (nam ubi in juribus disparitas non est, etiam in solutionibus esse non debet) ergo similiter peccabit, quamvis ita solvat rogatus: & per consequens etiam peccabit talem solutionem scienter petens, atque accipiens; cum sit inductor, & cooperator ad peccatum. Cons. prima prob. Quia nemo licite dat rogatus, quod illicite dat non rogatus; siquidem preces non faciunt, sed supponunt esse illicitum, vel licitum dare, quod petitur; ergo &c.

Dices. In *l. Pupillus, ff. quæ in fraudem creditorum*, habetur, quod Jus Civile vigilantibus sit scriptum, & quod quis vigilando suam conditionem meliorem efficiat; ergo hoc ipso, quod unus creditor altero magis vigilet, prius petendo solutionem debiti, per *cit. l.* præfertur; & consequenter debitor tenetur ei solvere ex integro.

Respondetur, neg. utraque cons. Nam ex textu *cit. l.* solum habetur, quod solutio, primo petenti semel facta, non revocetur, hoc est, non detur actio in Judicio ceteris creditoribus ad repetendum debitum solutum; non autem inde colligitur, quod creditor aliquis prius petendo jus prælationis obtineat, vi cujus debitor licite possit, vel etiam teneatur ei ex integro solvere, ceteris creditoribus posthabitis, ac exclusis. Et licet Adversarii *cit. l.* etiam pro se, suaque sententia explicare nitantur, non tamen evincunt) illam sibi certo favere, sed ad summum probabiliter; ob quam probabilitatem, ac incertitudinem reliqui creditores non possunt suo jure certo privari, nec debitor ad solutionem prius petenti integre præstandam obligari, vel licentiari.

Instabis. Si creditor, primo solutionem adæquatam debiti petens, eam obtinuerit, non tenetur ad ullam restitutionem sive in foro in- sive externo, sive debitori, sive aliis creditoribus faciendam; ergo signum est, quod solutionem licite petierit, & acceperit, imo quod ei debita fuerit jure præventionis, & prælationis.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Nam ideo in casu antecedentis creditor non tenetur ad aliquam restitutionem; quia integram solutionem accipiendo non commisit peccatum contra Justitiam, quatenus hæc imperat substantiam restitutionis, sed solum quatenus imperat modum, & ordinem restituendi: quod peccatum injustitiæ impræsentiarum nec acceptionem debiti invalidam reddidit, nec obligationem restituendi induxit; cum nullius jus quoad substantiam læserit: non enim debitoris, utpote qui (licet rogatus, & requisitus) volens solvebat, quantum reipsa debebat; nec aliorum creditorum, utpote qui, hoc ipso, quod mere personales fuerint (ut supponitur) nullum jus in rem solutam habebant.

CASUS X.

548. *Kofflerus annis non paucis a servitiis erat cuidam Comiti, a quo per furta parva successive perpetrata valde notabilem pecuniæ summam clepserat. At, ac vane, timens suæ infidelitatis manifestationem, deserto famulatu, in locum dissitum, ut securus lateret, concessit: ubi etiam conscientiæ stimulis adactus, sua furta fideliter aperuit Confessario; cumque ab isto ad restitutionem condemnaretur, ablatam pecuniæ quantitatem per Koffleriamum, quem fidelissimum crediderat, creditori remisit, additis precibus, ne proderetur. Koffleriamus ex animo quidem condixit; at pecunia excæcatus, mutato in pejus consilio, ad locum tertium secessit, ibique consumpta intra duos respective annos pecunia illa, nomen suum (egestate coactus) militiæ dedit. Hoc ubi intelle-*

cellexit Kofflerus, rediit ad Confessarium, ab eoque, exposita rei serie, percontatus est, num adhuc ad aliquam restitutionem obligetur? Quid Confessarius Kofflero dicet?

RESpondetur. Confessarius Kofflero dicet, quod adhuc sit obligatus ad restitutionem, si habeat, unde solvat. Ita S. Antoninus *part. 2. tit. 2. c. 4. §. 1.* Lugo *tom. 1. de Just. disp. 21. sect. 5. a n. 59.* Sporer, ubi supra, *c. 4. n. 15.* Elbel *de Rest. n. 311.* & alii communiter. Ratio est: quia debitor ex delicto, hoc ipso, quod injuste acceperit rem alterius, est vera, & voluntaria causa damni, quod creditori datum est; ergo tenetur, si potest, damnum effective reparare, quod in Casu nondum est factum. Confirmatur. Communissima doctrina habet, debitorem iniquum non liberari ab onere restitutionis, si apud ipsum, licet invitum, res creditori debita pereat furto, aut incendio; ergo nec liberabitur ab onere restitutionis, si ejusmodi res, quam nuncio a se designato tradidit, hujus malitia, vel etiam casu fortuito deperdatur: consequenter &c.

Dices primo. Debitor, qui per nuncium, quem putabat fidelem, rem debitam transmisit, fecit, quantum potuit, & debuit; ergo ad nihil amplius tenetur.

Respondetur, dist. ant. Fecit, quantum potuit, & debuit in ordine ad evitandum novum peccatum, quod incurrisset, si rem absque justa causa diutius detinuisset contra propositum de eadem restituenda conceptum, con. in ordine ad extinguendam obligationem restitutionis, neg. ant. & cons. Nam debitor ob culpam præteritam semper obligatur ad creditorem servandum indemnem.

Dices secundo. Cum debitor ex delicto occulto (qualis etiam ponitur adhuc fuisse Kofflerus in Casu) per seipsum nec possit, nec teneatur restituere ob periculum infamiæ, merito præsumitur creditor esse contentus, si restitutio fiat per personam, pro fideli habitam; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Merito præsumitur creditor esse contentus, si restitutio fiat per illiusmodi personam, periculo tamen debitoris, con. secus, neg. ant. & cons. Cum enim creditor nec personam designaverit (prout supponitur; imo exprimitur in Casu) nec juri, quod ad rem sibi debitam habebat, renunciaverit, nulla protsus est ratio dicendi, quod hæc restitutio fiat periculo creditoris. Hinc creditor recte quidem præsumitur tali restitutioni tacite consentire, sed tamen *salvo jure suo*, seu ita, ut, si res debita ad ipsum non perveniat, absque suo detrimento id fiat.

Colliges ex dictis primo, aliter ratiocinandum esse, si nuntius fuisset ab ipsomet creditore designatus: tunc enim debitor ab onere restitutionis liber esset, quacunque demum ratione res debita periisset, prout cum communi docet P. Babenstuber *tr. 7. disp. 4. art. 6. num. 79. in fin.* Ratio est: quia creditor vi talis designationis rem traditam hujusmodi personæ habuisset pro accepta, sibique reddita; atque adeo cessisset jure, quod habebat ad resarcienda sibi damna, quandiu res debita in manus ipsius non perveniret. Hinc si famulus, a suo domino ad petendum, & afferendum debitum, v. g. pecuniarium missus, una cum pecunia aufugiat, debitor liber manet, nec tenetur amplius quidquam restituere; quia famulus ita destinatus, ac missus a domino, quasi unam cum ipso personam constituit; atque adeo rem tradere famulo moraliter idem est, ac tradere ipsi domino, seu creditori.

Colliges secundo, aliter porro discurrendum esse de debitore ex contractu. Nam talis, si debitum reale, ac determinatum in individuo, puta hanc vestem, hunc equum commodatum, hanc numero depositam pecuniam &c. creditori per fidelem personam mittat, liberatur ab onere restitutionis, quomodocunque res in via pereat. Ita cum communi P. Sporer *loc. cit. n. 11.* Et quidem ad rem commodatam quod attinet, corollarium expresse traditur in Jure, *l. argentum, ff. commodati*, ibi: *argentum, ff. commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem, ut non debuerit quis existimare, futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.* Eadem autem videtur esse ratio, si res ex quocunque contractu, aut titulo rei acceptæ nonsum a possessore bonæ fidei debeatur. Ulterius tamen sic ostenditur. Res in specie, id est, in individuo determinate debita subjacet actuali dominio creditoris; ut constat in deposito, commodato, locato &c. ergo cum omnis res, quæ perit, domino pereat; debitor liberatus manet a restitutione, si tamen absque dolo, & culpa talem personam designaverit.

Dixi: in corollario: *debitum reale, ac determinatum &c.* Nam si debitum ex contractu sit personale, & indeterminatum, e. g. centum floreni, aliquot scaphæ frumenti ex mutuo &c. & transmissum in itinere (quomodocunque demum) pereat, debitori perit. Ratio hujus, & disparitas inter debitum personale, & reale est: quia res personaliter tantum, & indeterminate debita, non est sub dominio creditoris, sed tandiu manet sub dominio debitoris, donec ad manus creditoris, vel immediate, vel saltem mediate, nempe per bajulum ab ipsomet creditore designatum, perveniat; ergo res missa perit debitori, & obligatus hic manet, ut alios centum florenos &c. creditori solvat.

CASUS XI.

549. *Kostkanus præsentes habet trecentos aureos, ex debito statim numerandos suo creditori. Sed quoniam nanciscitur occasionem magni lucri per pecuniam illam faciendi, expendit eam, atque interea solutionem differt, haud ignarus, nullum, aut perexiguum damnum ex ista dilatione creditori enatum iri. Quæritur, utrum Kostkanus licite procedat?*

RESpondetur primo. Si Kostkanus plures habeat creditores, & ex dilatione solutionis uni faciendæ speret lucrum, quo omnibus satisfacere possit, alias non satisfacturus, licite procedit solutionem differendo. Lessius *lib. 2. de Just. c. 16. n. 24.* Laymann *lib. 3. tr. 2. c. 12. n. 2. prope fin.* Burghaber *cent. 3. cas. 17.* & alii passim. Ratio est: quia lex Charitatis postulat, ut quis impediat notabilem alterius jacturam, si impedire absque gravi suo incommodo possit; ergo creditor, cui, ceu privilegiato (qualem tunc Casus innuit) debitum statim solvendum foret, tenetur ex lege Charitatis consentire in dilationem solutionis, ne alii creditores suorum debitorum solutione defraudentur, sicque notabilem incurrant jacturam.

Respondetur secundo. Si Kostkanus vel habet hunc unicum creditorem, vel aliis aliunde satisfacere potest, non procedit licite solutionem differendo ob lucrum interea capessendum. Cajetanus *V. Restitutio c. 6.* Navarrus *in Manual. c. 17. n. 59.* Burghaber *loc. cit.* & alii communiter. Ratio est: quia æquitas non dictat, alteri cavendum esse re sibi debita, ut tu inde lucrum capias. Quare creditor hoc tali casu non tenetur, nec censetur in istam debiti retentionem consentire, sed merito fert eam invitus.

Dices. Potestas lucrandi, & spes lucri futuri etiam interventu pecuniæ alteri hic, & nunc debitæ, & jam jam solvendæ, est pretio æstimabilis, & aliquid ultra debitum, computandumque inter bona ipsius debitoris; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. utpote quod solum procedit de spe lucri fundata in bonis propriis, & alteri hic, & nunc non debitis; haud vero de spe lucri fundata in bonis vel alienis, vel alteri hic, & nunc debitis, ac statim solvendis, de qualibus agit noster Casus. Nam quando spes lucri nititur bonis secundi generis, sicut debitor non potest hæc talia bona retinere, ita nec potest retinere spem in iis fundatam.

CASUS XII.

550. *Konigspergius Aulicus sibi, suisque honestum victum, & vestitum comparat: a conviviis tamen, visitationibus, itineribus sumptuosis se abstinet: exiguo famulorum, & equorum obsequio utitur; moraliter certus, quod secus faciendo præter debita, queis jam gravatur, cogeretur adhuc ulteriora, & nova contrahere, quorum tamen solutionem nec in re, nec in spe haberet. Interim tum a Principe, tum ab aliis Aulicis vexatur, instigaturque, ut tempori serviat, & juxta qualitatem sui status more aliorum se gerat. Quæritur, an Konigspergius obsequi, & rationem vivendi immutare, ac elevare tuta conscientia possit?*

RESpondetur negative. Ita Cardinalis de Lugo *de Just. disp. 20. n. 106.* Burghaber *cent. 3. cas. 44.* & hoc teste, alii communiter. Ratio est; quia qui mo-

ralem obtinet certitudinem de sua impotentia solvendi creditoribus, aut de proximo hujus impotentiæ periculo, non potest novum pactum, & contractum inire, quo sibi consciat ulteriora debita in detrimentum priorum creditorum vergentia: atqui Konigspergius obtinet moralem certitudinem de tali sua impotentia, proximove ejusdem periculo, prout exprimitur in Casu; ergo Konigspergius non potest inire novum pactum, & contractum, quo sibi consciscat ulteriora debita in determinentum priorum creditorum vergentia: hoc autem facere cogeretur, si rationem vivendi immutare, ac elevare vellet, prout itidem habetur in Casu: consequenter &c.

Dices primo. Quilibet licite se gerit juxta conditionem sui status; ergo &c.

Confirmatur. Potest quis ad conservationem sui status retinere pecuniam numerandam creditori, & differre solutionem, prout tradidimus supra *n.* 507. ergo etiam potest quis propter eundem statum (convenienter scilicet huic se gerendo) accipere mutuo pecunias, conducere famulos, aliosque contractus inire, & differre solutionem.

Respondetur ad argum. dist. ant. Per se loquendo, & nisi id vergat in detrimentum tertii, con. secus, neg. ant. & conf. Nam si Konigspergius vellet juxta conditionem sui status vivere, præjudicium, & detrimentum crearet priori creditori, vel creditoribus, contrahendo nimirum ulteriora debita &c. ut dictum.

Ad confirmat. ajo, antecedens solum tenere, si debitor cogeretur totaliter a suo statu cadere; non vero, si cogatur illum tantum minuere: ut *n. cit.* dictum, atque expositum est. Quare ex eo nihil sequitur contra resolutionem Casus, utpote in quo Konigspergius præcise ponitur statum suum hactenus minuisse. Alia adhuc responsio videri potest apud P. Burghabet *loc. cit.*

Dices secundo. Quivis potest Konigspergio vendere aliqua, interveniente graviore causa, etiamsi id cedat in præjudicium priorum creditorum, ut docent Rebellus *lib.* 8. *q.* 16. *sect.* 3. *n.* 8. *&* 9. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 17. *n.* 18. ac alii; ergo Konigspergius poterit illa emere, etiamsi hoc cedat in præjudicium priorum creditorum, cum ipsi suppetat gravis causa, nempe observatio sui status, & redemptio vexæ, quam hucusque passus est, & imposterum pati cogetur a Principe, & aliis Aulicis.

Respondetur, explic. & dist. ant. Possunt Konigspergio vendi aliqua, quæ ipsi sunt necessaria ad honestum victum, & vestitum, con. ad splendorem status, neg. ant. Ergo Konigspergius poterit emere sibi, suisque necessaria ad honestum victum, & vestitum, con. ad splendorem status, neg. conf.

CASUS XIII.

551. *Kockius, a quodam Principe in classem suorum Consiliariorum refertur, constituitq eidem annuatim salario trecentorum florenorum. Et quoniam deprehenditur præ ceteris talentatus, variis, iisque arduis negotiis, quæ Consiliariis regulariter imponi non solent, expediendis applicatur primo statim sui officii anno. Hoc elapso rogat sibi dari augmentum communis salarii, opera sua extraordinaria per præcedentem annum præstita commensum. Verum non solum non exauditur, sed etiam officium Consiliarii exuere, & Aula excesse jubetur, ni ordinario, & jam taxato salario velit esse contentus. Quæritur jam 1. An Kockius possit augmentum salarii propter operam extraordinariam anni elapsi petitum, sed non obtentum, occulte compensare? 2. An simili compensatione uti quoque possit, si per annos subsequentes persiliterit in suo officio, & ad eadem negotia perficienda applicatus fuerit salario nullatenus aucto?*

RESpondetur primo ad primum quæsitum affirmative: nisi Kockius illam extraordinariam operam locaverit gratuito, & absque animo compensandi. Ita Navarrus, Menochius, Palao *tr.* 32. *disp.* 1. *pun.* 6. §. 3. *n.* 9. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 976. & alii. Ratio est: quia opera illa extraordinaria, etiam qua talis, est pretio æstimabilis; ergo nisi fuerit gratis impensa, a Principe compensari debet; id quod non fit per salarium commune, ac ordinarium, cum istud se tantum porrigat ad compensationem operæ ordinariæ; ergo quoniam Princeps, debite requisitus, compensare renuit, Kockius ipse sibi compensare potest.

Dixi: *nisi Kockius gratuito &c.* Tunc quippe remuneratio operæ extraordinariæ esset libera, & penes arbitrium Principis: consequenter nihil prætendere, sibique compensare Kockius posset.

Respondetur secundo ad secundum quæsitum negative. La Croix *loc. cit. n.* 975. & alii passim. Ratio est: quia Kockius persistendo in suo officio, in quo jam novit sibi subeundos esse illiusmodi extraordinarios labores absque augmento salarii, censetur in eos consensisse, sicque cessisse juri, quod alioquin habuisset ad augmentum salarii: consequenter &c.

Dices. Per responsionem ad primum quæsitum videtur incurri *propositio* 37. *ex damnatis* ab Innoc. XI. ita sonans: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Nam damnatio hujus propositionis ob paritatem rationis extenditur ab Interpretibus ad omnes alios, qui vel alteri laborant, ut opifices; vel obsequia præstant, ut amici, intercessores, internuncii; vel officia obeunt, ut Consiliarii, Secretarii, Quæstores, Belliduces &c. Ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam licet damnatio præcitatæ propositionis se etiam porrigat ad Consiliarios, & alios proxime commemoratos, non tamen incurritur a Kockio in Casu. Ratio est: quia propositio illa ideo damnata est, quod in ejusmodi surreptione ordinarie non reperiantur præscripti conditionum *n.* 528. recensitarum, atque expositarum limites, & sæpe famuli &c. sibi persuadent pravæ cupiditatis instinctu, suam operam esse majorem salario, & victu, quem percipiunt; atque hoc ipso deficiunt in prima conditione ex *n. cit.* recensitis, quæ requirit, non probabilitatem, sed certitudinem debiti; vel si etiam certo ipsis constet, operam suam majorem esse, non tamen idcirco poterunt citra injustitiam compensatione uti; eo quod excessum operæ censeantur superaddidisse ex propria voluntate, & gratis, vel ex spe alterius commodi, aut favoris percipiendi. Simile quid in Casu intervenisse, aut aliquam ex commemoratis conditionibus defuisse non supponitur: consequenter &c.

DISPUTATIO II.

De Restitutione in specie.

SAt liberaliter hucusque tractavimus de Restitutione in genere. Restat modo, ut & species Restitutionis indagemus. Quare cum bona, quæ contra Justitiam lædi possunt, in quadruplici sint differentia, puta, bona animæ, bona corporis, bona famæ, & honoris, ac denique bona fortunæ; hanc disputationem dividemus in quatuor capita, acturi in singulis de singulis obligationibus restituendi, injurias in prædictis bonis illatas consequentibus. Solent quidem permulti Authores de ipsis etiam injuriis, ex quibus obligationes restituendi dimanant, impræsentiarum differere: sed quoniam nos jam alibi id præstitimus, præsertim *part.* 2. exponendo Præcepta Decalogi, de solis obligationibus restituendi inde resultantibus hic tractemus, necesse est. Porro de restitutione debita ex adulterio similiter actum *eadem part.* 2. *n.* 656. *& seqq.* de qua iidem alii Authores hic agere solent. Unde non mirabitur benevolus Lector, si *in præsenti disp.* nos aliquo modo breviores esse deprehenderit, quam memorati Authores communiter esse consueverint.

CAPUT I.

De Restitutione ex injuriis in bonis animæ.

PEr bona animæ hic intelliguntur 1. bona ejusdem naturalia, qualia sunt ingenium, usus rationis, liberum arbitrium, & similia. 2. Bona supernaturalia, cujusmodi sunt gratia Dei, virtutes, Sacramenta, & similia ad salutem, & sanctitatem animæ pertinentia: quo etiam refertur Status Religiosus. In his omnibus injuriam, & damnum pati quis potest ab altero.

ARTI-

ARTICULUS I.

Ad quid teneatur, qui alterum læsit in bonis animæ naturalibus?

SUMMARIUM.

552. *Qui læsit alterum in bonis animæ naturalibus, tenetur ad restitutionem.* 553. *& seqq. Fiunt illationes in particulari.*

552. DIco, Qui læsit alterum in bonis animæ naturalibus, tenetur ad restitutionem. Ita communis. Ratio est: quia qui alteri intulit injuriam damnosam contra Justitiam commutativam, tenetur ad restitutionem; prout constat ex sæpe dictis: sed qui alterum læsit in bonis animæ naturalibus, intulit ei injuriam damnosam contra Justitiam commutativam; cum violaverit ejusdem jus rigorosum cum illatione veri damni; ergo &c. Ex quo

553. Fluit primo, illum, qui alterum veneno, philtro, maleficio, privat usu rationis, teneri ad restitutionem, maleficium, quantum fieri potest, removendo, remedia contra præbitam potionem procurando, damna inde consecuta compensando. Ratio liquet ex primum dictis.

554. Fluit secundo, similiter teneri ad restitutionem, qui alterum per vim, vel fraudem avertit, aut abstrahit a studio literarum. Quod etiam extenditur ad Superiores Universitatis, qui sine sufficienti causa aliquem scholis excludunt, vel ad eas non admittunt. Ratio est: quia & isti sunt injusta causa damnorum in bonis saltem naturalibus animæ; & quidem specialiter Superiores Universitatis: siquidem Fundatores hoc ipso, quod fundaverint Universitatem pro instruenda juventute, cuilibet juveni censentur voluisse tradere jus ad fruendum tali beneficio; quo proin si privetur, injuriam damnosam subit, media restitutione reparandam. Ita cum aliis a se relatis P. Babenstuber *loc. cit. disp. 5. art. 1. n. 3.*

555. Fluit tertio, quod is, qui alterum culpabiliter induxit in errorem, teneatur ad restitutionem, errorem revocando, & damna inde consecuta resarciendo. Ratio est: quia cuilibet competit jus rigorosum, ne inducatur in errorem, qui est malum intellectus; ergo inducens violat tale jus, peccatque contra Justitiam commutativam: consequenter &c. Ubi tamen circa modum revocandi errorem cum Sanchezio advertit P. Babenstuber *loc. cit. n. 4.* eum, qui ex Justitia non solum tenebatur non decipere, sed etiam docere veritatem, ut Confessarius, Advocatus &c. obligari quoque ex Justitia, non solum dicere, esse falsa, quæ docuerat, sed etiam docere veritatem: cum e diverso, qui tenebatur ex Justitia solum non decipere, non obligari ex Justitia, nisi dicere, esse falsa, quæ docuerat.

ARTICULUS II.

Ad quid teneatur, qui alterum læsit in bonis animæ supernaturalibus?

SUMMARIUM.

556. *Siquis alterum per vim, vel fraudem induxit in peccatum, tenetur ad restitutionem.* 557. *& seq. Subjunguntur corollaria.* 559. *Qui alterum sine vi, vel fraude induxit in peccatum, non tenetur ex Justitia, sed solum ex Charitate procurare, ut damnum spirituale reparetur, adeoque non obligatur ad aliquam restitutionem: nisi forte ipsum peccatum, ad quod alterum induxit, fuerit in materia Justitiæ.* 560. *& seqq. Diluuntur argumenta contraria.*

MOdus in his bonis alterum lædendi situs præcipue est in inductione ad peccatum. Unde inquiritur, an, & quando inducens ad hoc malum, teneatur restituere?

556. Dico primo. Siquis alterum per vim, vel fraudem induxit in peccatum, tenetur ad restitutionem modo statim per primum corollarium intimando. Communis. Ratio est: quia quilibet ex vi libertatis sibi ingenitæ obtinet jus rigorosum, ne per vim, vel fraudem inducatur in malum; ergo si sic inducatur, una cum damno patitur injuriam: consequenter &c.

557. Colliges primo, eum, qui alterum induxit vi, vel fraude in peccatum mortale, teneri sub gravi culpa ad restitutionem, Paulus Mezger *tom. 3. tr. 12. disp. 36. art. 1. num. 5.* & alii communiter. Ratio patet: quia alterutro modo inducens intulit inducto & gravem injuriam, & grave damnum, quale procul dubio est amissio gratiæ sanctificantis, peccato mortali annexa. Unde similis inductor tenetur sub gravi obligatione Justitiæ non solum remittere vim, vel removere fraudem, ut per se patet; sed etiam procurare media, per quæ inductus recuperet gratiam amissam, emendet vitam &c. nisi, ut communiter fit, hujusmodi media jam alias sint in potestate inducti; quia ille istum modo injurioso damnificavit in Divina gratia: consequenter ex Justitia tenebitur procurare media, queis recuperet damnificatus bonum gratiæ amissæ, quando id suo marte recuperare non potest, v.g. ob ignorantiam, qua laborat.

558. Colliges secundo, eum e diverso, qui alterum, etsi per vim, vel fraudem, induxit in peccatum veniale tantum, non teneri, saltem regulariter, sub gravi culpa ad restitutionem. Ita cum Sanchezio, Lugone, & aliis Mezger *ubi supra n. 7. & 8.* Ratio est opposita: quia sic inducens non intulit gravem injuriam, nec grave damnum; cum enim peccatum veniale non privet Divina gratia, sicut mortale, censetur in suo genere malum leve, levisque damni illativum. Confirmatur. Qui sibi ipsi causat peccatum veniale, non peccat graviter, ut omnes fatentur; ergo neque peccat graviter alius, qui illi tale peccatum causat, etsi per vim, vel fraudem: consequenter &c.

Dices. Qui alteri causat gravem morbum, graviter peccat; ergo etiam peccabit graviter, & quidem, accedente vi, vel fraude, contra Justitiam, qui alteri causat peccatum veniale. Ant. est certum. Cons. prob. Nam peccatum veniale est malum absolute majus, quam morbus etiam gravissimus.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia morbus gravis est malum grave in genere suo: peccatum veniale e diverso, licet sit majus morbo gravi, aliisque malis inferioris ordinis, reputatur tamen leve in suo genere, quatenus nec gratia Divina privat, nec difficulter curabile est: quod sufficit, ut illud alteri causans censeatur non peccare graviter, nec injuriam, aut damnum grave eidem inferre: consequenter &c.

Dixi in corollario: *saltem regulariter*. Fieri quippe potest aliquando, ut is, qui alterum induxit ad peccandum venialiter, teneatur ad restitutionem sub gravi culpa: quemadmodum eveniret, si homo, in excellenti gradu sanctitatis, ac perfectionis constitutus, in peccata venialia vi, vel fraude induceretur, & propterea notabiliter a suo statu caderet. Tali proin casu obligatio restituendi esset gravis, licet orta ex inductione ad peccata venialia tantum: quia injuria, & damnum spirituale respectu inducti esset grave, ac notabile. Videatur Babenstuber *loc. cit. n. 11.*

559. Dico secundo. Siquis alterum solis precibus, vel blanditiis, adeoque sine vi, vel fraude induxit in peccatum, non tenetur ex Justitia procurare, ut damnum spirituale reparetur; adeoque non obligatur ad aliquam restitutionem: nisi forte ipsum peccatum, ad quod alterum induxit, fuerit in materia Justitiæ. Bonacina *de Restit. disp. 2. q. 1. pun. unic. num. 1.* Sanct Gallenses *ubi supra q. 3. dub. 6. conclus. 3.* Herinex *disp. 6. n. 2.* Babenstuber *num. 7.* Elbel *numer. 184.* & alii communiter. Ratio est: quia obligatio illa impræsentiarum oriri deberet ex injusta damnificatione, seu ex injuria simul, & damno illato: atqui hoc non fit; ergo &c. Min. ostenditur, & declaratur; nam licet inducens causaverit inducto damnum in bono supernaturali animæ, non tamen eidem intulit injuriam; cum scienti, & volenti non fiat injuria: atqui nulla vi, vel fraude inductus ad peccandum, peccavit sciens, & volens; ergo &c.

Dixi in conclus. primo: ex Justitia. Quod enim inductor teneatur ex Charitate procurare inducti conversionem, monendo, suadendo, pro ipso orando, fatentur omnes: quia æquitas naturalis postulat, ut is, qui est author mali, istud tollere connitatur.

Dixi secundo: *nisi forte ipsum peccatum &c. fuerit in materia Justitiæ*; ut siquis alterum induxisset ad furandum, vel detrahendum: tunc enim inductor in defe-

ctum inducti teneretur ex Justitia ad compensationem damni, tertio læso faciendam; eo quod peccasset contra Justitiam commutativam, fuissetque injusta causa damni tertio illati. Ita Authores pro conclus. citati.

560. Objicies nunc primo. Qui alterum in aliquo bono injuste damnificat, peccat contra Justitiam commutativam, & tenetur ad restitutionem: sed qui alterum inducit in peccatum etiam sine vi, vel fraude, damnificat eum injuste in aliquo bono: quia eundem privat Divina gratia; ergo peccat contra Justitiam commutativam, & tenetur ad restitutionem.

Respondetur, neg. min. & rationem probativam dist. Privat eundem Divina gratia, invitum, neg. scientem, & volentem, con. Qui sine vi, vel fraude inducitur in peccatum, sciens, & volens in peccatum, & damnum inde emergere natum consentit; adeoque nullam patitur injuriam: consequenter &c.

Instabis. Qui alterum damnificat in bono temporali, tenetur ad restitutionem, etiamsi damnificatus aliquando in damnum consentiat; ut patet de usurario v. gr. qui obligatur ad restitutionem usuræ faciendam mutuatario, licet hic in usuram consenserit; ergo idem dicendum de damnificante in bono spirituali, licet damnificatus in damnum consentiat.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est, quod in bonis temporalibus damnum inferatur invito: & licet quis in damnum suum aliquando consentiat, ut in exemplo posito mutuatarius; is tamen consensus, vel est nullus, vel saltem ita debilis, ut non transferat dominium irrevocabile: prout videbimus tr. seq. Ex quo fit, ut talis postea involuntarie in illo damno perseveret, quo tamen eundem liberari Justitia exigit; ergo cum ipse se liberare nequeat, is, qui damnum intulit, ex Justitia obligabitur illum liberare, damnum illatum reparando. At vero qui sine vi, vel fraude inducitur in peccatum, sciens, & volens in damnum spirituale consentit, in eoque voluntarie perseverat, cum inde sese eruere per pœnitentiam posset, ac deberet.

561. Objicies secundo. Qui alteri propinavit venenum, tenetur ex Justitia, vel impedire, ne propinatum ebibat, vel procurare, ne sumptum noceat; ergo etiam, qui alterum induxit in peccatum, quod est venenum animæ, tenetur ex Justitia procurare inducti conversionem.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est, quod propinans venenum peccaverit contra Justitiam commutativam; non autem inducens in peccatum.

Instabis. Inducens in peccatum magis peccavit, quam propinans venenum: cum ille abstulerit vitam spiritualem, hic nonnisi corporalem; ergo magis tenetur ad restitutionem.

Respondetur, dist. ant. Magis peccavit contra Charitatem, vel alias virtutes, transeat, contra Justitiam, neg. ant. & conf.

562. Objicies tertio. Scotus *in 4. dist. 15. q. 3. n. 1.* docet nostræ conclusioni contrarium; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Doctor quippe intelligendus est de inducente alterum in peccatum per vim, vel fraudem; ut notat Scholiastes ibidem & nos ostendemus infra *n.* 565.

ARTICULUS III.

An teneatur ad restitutionem, qui retraxit, vel extraxit aliquem a Religione?

SUMMARIUM.

563. & seq. Qui sine vi, & fraude Candidatum retraxit, vel Novitium, aut etiam Professum extraxit a Religione, ad nullam obligatur restitutionem. 565. & seq. Solvuntur objectiones. 569. & seq. Contrarium dicendum, si quis in retrahendo, aut extrahendo fuerit usus vi, vel fraude. 571. Negantes sine legitima causa Novitio suffragium ad Professionem, graviter peccant contra Justitiam, & tenentur ad restitutionem. 572. Quænam sint causæ sufficientes ad denegandum Novitio suffragium?

CUm controversia hæc agitetur de triplici sorte hominum, specialem relationem ad Statum Religiosum habentium, videlicet de Candidatis, Novitiis, & Professis: item de retractione, & extractione, quæ fit per vim, vel fraudem, aut sine vi, & fraude; ideo plures conclusiones statuemus.

563. Dico proinde primo. Qui precibus, blanditiis, vel consilio, absque vi, & fraude, sive Canditatum, sive Novitium a Religione retraxit, nihil tenetur restituere. Herincx *loc. cit. n.* 3. & alii passim.

Probatur: quia talis neque jus Novitii, aut Canditati, neque Religionis (quippe in Novitium, aut Canditatum jus nullum habentis) violavit; ergo non peccavit contra Justitiam: & consequenter ad nullam restitutionem obstringitur. Cum quo tamen stat, quod, si malitiose sine rationabili causa ingressum, vel professionem Religionis dissuaserit, teneatur ex Charitate fervorem retracti sopitum, vel extinctum resuscitare, novumque ingerere, quo bonum propositum resumat. Nihil autem ad obligationem restituendi facere intentionem nocendi retracto, vel Religioni, relinquitur ex dictis *n.* 385.

564. Dico secundo. Etiam qui Professum a Religione extraxit absque vi, vel fraude, ad nullam restitutionem obligatur, sive (1) extracto, sive (2) Religioni. Prima pars est communis. Alteram tenent Herincx *loc. & n. citt.* Illsung *tr. 4. disp. 3. n.* 59. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 349. Ininger *de Rest. in specie pag.* 98. & alii contra Molinam, Vasquez, Mastrium, Mezger &c.

Probatur prima pars: quia volenti, & consentienti non fit injuria, & consilii non fraudulenti nulla est obligatio. *Reg. Consilii, ff. de R. J.* Item nemo ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei, cui datur; siquidem cuique liberum est explorare, an sibi consilium expediat. *L. 2. §. ult. ff. Mandati.*

Probatur secunda pars primo. Religio neque in personam Professi, neque in lucra, quæ ex illa percipere posset, habet jus Justitiæ, sed Religionis duntaxat, & Obedientiæ; cum Religiosus per professionem non aliter se obliget Religioni, quam per votum Obedientiæ; ergo extrahens non committit peccatum injustitiæ: & consequenter nihil tenetur restituere.

Probatur eadem pars secundo. Ipse Professus, si suapte malitia Religionem desereret, & apostataret, non peccaret contra Justitiam, & neque seipsum ex Justitia teneretur restituere, neque lucra cessantia; ergo multo minus extrahens, & talia lucra impediens; cum hic solum sit causa secundaria damnorum, ille vero primaria. Ant. ostenditur: Nam in primis ipsa persona Professi non est Religioni debita ex Justitia, prout relinquitur ex proxime dictis. Deinde, quamvis Religio habeat jus spirituale præcipiendi Religioso, ut fungatur hoc, vel illo ministerio, v. g. Concionatoris, Professoris, Oeconomi &c. in proventus tamen, & lucra inde percipienda nullum obtinet jus, prout similiter jam insinuavimus.

565. Objicies primo contra secundam partem conclus. Scotus *in 4. dist. 15. q. 3. §. ad secundum dico*, habet hæc formalia: *quod si extraxit de Religione aliquem jam obligatum ad Religionem obligatione professionis, tenetur agere ad restitutionem*; ergo nostra conclusio adversatur Scoto.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, Doctorem loqui de illo, qui Professum extraxit vi, vel fraude: prout exinde colligitur, quod instituat comparationem inter casum, quo quis retraxit ad Religionem ingrediendam dispositum, & inter casum, quo extraxit jam Professum, velitque, in priori casu non deberi tantam restitutionem, quantam in posteriori: *quia (inquit) interest inter habere, & prope esse*. Quæ comparatio incongrue fieret, si esset sermo de retractione, quæ absque vi, vel fraude contingit; cum taliter retrahens Religionem intrare meditantem, ad nullam restitutionem obligetur, prout relinquitur ex dictis *n.* 563. & habet communis DD.

Instabis. Doctor nullam facit mentionem de interventu fraudis; nam solum hæc verba subjungit: *& hoc intelligendum est, si illum retraxit intentione damnificandi Religionem*: quæ intentio sine fraude consistere potest; ergo extrahens Professum ex sola intentione damnificandi Religionem etiam nulla adhibita fraude, tenetur ad restitutionem.

Respondetur, neg. conf. Alias sequeretur, quod etiam ex sola intentione nocendi aliquem ad intrandam Religionem dispositum retrahens, oneri restitutionis ob-

nexius

nocius fieret; cum allata verba præcipue referantur non ad Professum, sed ad Canditatum Religionis. Unde licet Doctor non meminerit explicite alicujus fraudis, eam tamen intervenisse supponit; prout conjicitur ex verbis, quæ immediate subdit, dum inquit: *si autem intentione consulendi utilitati propriæ sine fraude, non tenetur Religioni*; ergo a contrario ut teneatur requiritur intentio nocendi una cum fraude.

566. Objicies secundo. Professus neque peccat contra Justitiam, si extrahatur e Religione per vim, vel fraudem: & tamen extrahens tunc peccat contra Justitiam; ergo licet etiam in præsenti Professus non peccet contra Justitiam, tamen contra eam peccabit extrahens: consequenter &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est, quod si extrahens adhibeat vim, vel fraudem, agat ut causa principalis, & ut talis violet jus, quod habet Professus, ne vi, vel fraude ex Religione extrahatur, & Religio, ne ita impediatur a consecutione emolumenti a Professo recipiendi. E diverso si extrahens nulla utatur vi, vel fraude, non agit ut causa principalis, sed solum ut secundaria: neque infert injuriam sive Professo, sive Religioni: prout ex dictis liquet.

567. Objicies tertio. Qui domino abstrahit servum etiam sine vi, vel fraude, infert illi stricte dictam injuriam, eamque resarcire tenetur; ergo etiam qui abstrahit Religiosum professum &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas servum inter, & Religiosum est, quod hic non sit propter commodum temporale Prælati, vel Religionis, sed propter bonum spirituale proprium, propter quod se sponte Religioni mancipavit: unde non possidetur a Prælato tanquam servus, sed subest tanquam filius, ab eo ad salutem animæ consequendam paterna solicitudine dirigendus. At servus principaliter est propter commodum temporale domini, ab eoque stricto jure possidetur: consequenter &c.

568. Objicies quarto. Quidquid Religiosus acquirit, suo Monasterio acquirit; ergo Monasterium, sive Religio obtinet jus Justitiæ in lucra, & bona intuitu Religiosi obvenientia: consequenter &c.

Respondetur, dist. conf. Ex hypothesi, quod talia lucra jam existant, con. antequam existant, seu ut procurentur a Religioso, neg. conf.

Instabis. Licet Religio necdum habeat jus Justitiæ in ipsa lucra, habet tamen jus in spem proximam illa percipiendi; ergo saltem juxta qualitatem, seu quantitatem talis spei, qua privatur, potest juste restitutionem prætendere.

Respondetur, neg. ant. Sicut enim Titius, v. g. quem Cajus vult testamento scribere hæredem, nullum adhuc obtinet jus Justitiæ sive in hæreditatem, sive in spem ejusmodi hæreditatem consequendi; ita neque Religio in lucra, vel in spem illa percipiendi per Religiosum. Unde sicut qui sine vi, vel fraude impedit Titium, ne scribatur hæres, non peccat contra Justitiam, nec ad restitutionem obstringitur; ita similiter non peccat contra Justitiam, nec ad restitutionem obstringitur, qui sine vi, vel fraude impedit Religionem, ne lucra a Religioso sperata percipiat.

569. Dico tertio. Qui per vim, vel fraudem sive Canditatum, sive Novitium a Religione avertit, aut abstrahit, obligatur ex Justitia tam (1) ipsi abstracto, quam (2) Religioni resarcire damna, quæ ex omissione ingressus, vel Professionis consequuntur, juxta probabilem æstimationem spei, quam deceptus, & Religio habuerunt de consecutione emolumentorum, sibi ex Professione obventurorum. Ita DD. communiter.

Probatur prima pars: quia licet Canditatus, & Novitius nullum adhuc habeant jus quæsitum ad talia emolumenta, habent nihilominus jus, & quidem strictum, ne ab eorum consecutione per vim, vel fraudem impediantur; ergo sic impediens strictam illis infert injuriam: consequenter &c. Tenebitur itaque ejusmodi impediens omnimodis procurare, ut injuste impeditus in Religionem recipiatur; vel, si hoc evincere nequeat, damna inde consecuta pro rata spei compensare.

Probatur secunda pars eadem proportionaliter ratione: quemadmodum enim legatarius, etsi nullum habeat jus acquisitum ad legatum sibi destinatum, habet tamen jus, ne per vim, vel fraudem ab eo consequendo impediatur; sicque illum impediens injuriose agit, & juxta spem, ab illo habitam ad tale legatum obtinendum, restituere tenetur; ita in proposito dicendum de eo, qui per vim, vel fraudem impedit Religionem, ne ex persona, & operis Canditati, vel Novitii commoda capiat. Ubi tamen recte notat P. Inimger *cit.* hoc intelligi debere, casu quo Religio patitur damnum permanens: si enim loco impediti facile habere possit Canditatum æque idoneum, sitque determinatus Religiosorum numerus, ultra quem plures nec soleat, nec possit admittere, non est, cur priorem impediens Religioni ad aliquam compensationem teneatur; nam licet tunc Religio adhuc patiatur injuriam, non tamen censetur pati damnum considerabile: consequenter &c.

570. Dico quarto. A fortiori contra Justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur, qui per vim, vel fraudem Religiosum professum e Religione extrahit. Est denuo communis DD. & sequitur ex dictis.

Probatur nihilominus hac ratione; nam quicunque per injuriam nocet alteri contra Justitiam, & tenetur ad reparationem damni illati: sed Religiosum professum e Religione per vim, vel fraudem extrahens, per injuriam nocet Religioni, & Religioso; cum Religio habeat verum, & strictum jus, ne persona Religiosi, & emolumentis ab ea percipiendis, per vim, vel fraudem privetur: ac Religiosus, ne privetur bonis Status Religiosi; ergo &c.

Unde extrahens tenetur ex Justitia 1. remittere vim, vel amovere fraudem, qua in extrahendo usus est. 2. compensare damna sive Religioni, sive Religioso emergentia. 3. procurare media, ut extractus ad Religionem reverti valeat, nisi ejusmodi media sint in potestate ipsiusmet extracti. Non autem 4. ex Justitia tenetur, casu, quo extractus ad Religionem redire nolit, ipsus ingredi, vel procurare, ut alius loco extracti ingrediatur. Ratio hujus ultimi (quod cum communi tenet La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 347.) est: tum quia in foro externo non imponitur talis obligatio: tum quia ille, qui Religiosum occidit, non obligatur ipse Religionem ingredi, aut procurare, ut alius ingrediatur; ergo neque &c.

471. Quæres, an peccent contra Justitiam, & teneantur ad restitutionem, si absque legitima causa Novitio negant suffragium ad Professionem?

Respondetur, eos peccare contra Justitiam, & quidem graviter; adeoque sub mortali ad restitutionem obligari. Sporer *tr.* 5. *in Decal. c.* 1. *n.* 139. Mezger *tom.* 3. *tr.* 22. *disp.* 36. *art.* 2. *n.* 6. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 1. *num.* 21. & alii satis communiter. Ratio est 1. Quia suffragatores habent se instar Judicum, & testium, quibus ex officio incumbit proferre sententiam, & testificari secundum merita, & habilitatem Novitii; ergo sicut Judices, & testes graviter peccant contra Justitiam, & sub mortali ad restitutionem obligantur, quando adversus innocentem proferunt sententiam, vel testimonium in puncto gravi; ita similiter suffragatores &c. Ratio est 2. Quia in receptione Novitii fit tacitus contractus, dum Novitius suos, & sua relinquit, onus probationis in se suscipit, periculo majoris detrimenti (si forte non satisfecerit) se exponit; & Religio offert sustentationem, probationem, examen, & judicium legitimum juxta merita causæ; ergo Suffragatores, si non dent suffragium juxta merita causæ, agunt contra contractum, & Justitiam. Confirmatur. Novitius vi prædicti taciti contractus habet jus in foro externo agendi contra Religionem, ne absque justa causa expellatur, ut docent Authores relati a Cardinale de Lugo; ergo contra Justitiam peccant, qui, sine justa causa vota negantes, eum expelli faciunt. Ratio est 3. Qui sine justa causa alicui infert detrimentum notabile, graviter peccat contra Justitiam: sed id facit, qui sine justa causa Novitio suffragium denegat; ergo &c. Maj. est certa. Min. prob. Siquidem expulsio procul dubio est magnum, & notabile Novitii detrimentum: tum quia magno illum privat bono, & exponit grandi periculo: tum quia gravem illi incurrit notam, cum passim apud homines sit gravis nota, *fuisse Religiosum*; signum quippe est defectum naturalium, vel moralium, ob quos fieri solet expulsio. Remanet ergo, quod iniquus ejusmodi Suffragator peccet graviter non solum contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam; & per consequens obligetur, quan-

tum possibile est, ad compensanda damna, Novitio ex sui expulsione exorta.

Dices primo. Prælatus, qui Canditatum Religionis ad eam non admittit etiam sine ulla causa, haud peccat contra Justitiam; ergo nec qui eum expellit, vel expelli facit.

Respondetur, neg. conf. Disparitas patens est: quia Candidato nullum competit jus, ut ad Religionem recipiatur: competit autem Novitio jus, ne ex ea sine justa causa expellatur, prout ex dictis liquet: consequenter &c.

Dices secundo. Novitius citra grave peccatum e Religione egredi potest, etsi non habeat justam causam egrediendi; ergo similiter Religiosi Suffragatores possunt, denegando sua suffragia, Novitium ex Religione dimittere citra grave peccatum, esto non habeant justam causam id faciendi. Ant. est certum. Conf. prob. Quia Religio non est magis obligata ad retinendum Novitium, quam Novitius ad permanendum in Religione; est quippe utrinque par libertas: & ideo instituitur Novitiatus, ut utraque pars probet, & probetur.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. cum sua prob. Quia Novitius, ut dictum, acquisivit jus permanendi, & profitendi in Religione, quo sine justa causa spoliari non potest: unde Religio ad ipsum retinendum est obligata. Novitius e diverso non est obligatus, ut permaneat; quia Religioni nullum competit jus ad eum retinendum. Ex quo patet, conditionem libertatis non esse utrinque parem. Deinde ideo Novitius potest absque injustitia deserere Religionem ex levitate, secus hæc illum citra causam dimittere; quia alias non servaretur æqualitas in præfato quasi contractu: Novitius enim præter obligationem non deserendi absque causa Religionem, subiret etiam periculum incurrendi grave malum, si ejiceretur cum causa; quale periculum non subit Religio, licet hanc Novitius deserat. Unde major libertas, quam habet Novitius egrediendi, ac habeat Religio ejiciendi, compensatur per hoc, quod Novitius ingrediatur cum periculo subeundi non mediocrem notam, si cum causa dimittatur; Religio vero illum non recipiat cum periculo subeundi ejusmodi gravem notam.

572. Si petas, quænam causæ sint sufficientes ad denegandum Novitio suffragium?

Respondetur cum P. Mezger *cit. num. 9.* non requiri causas gravissimas, sed sufficere vel gravem aliquam culpam moralem, vel quod ratione suæ indolis, complexionis, valetudinis, defectu talentorum &c. judicetur futurus gravis Religioni, ab eove timeatur notabile detrimentum, sive spirituale, sive temporale.

CAPUT II.

De Restitutione ex injuriis in bonis vitæ, & membrorum.

HOmicidio, mutilatione, vel vulneratione duplex damnum inferri potest, videlicet *personale*, seu *naturale*, quod est ipsa vitæ, vel membri amissio, aut deformitas; & *reale*, seu *temporale*, quod est jactura rerum pecunia æstimabilium, quarum acquisitio, vel conservatio pendebat ex hominis occisi, vel læsi vita, & corpore integro. Nunc sit

ARTICULUS I.

An aliquid restituendum pro damnis personalibus?

SUMMARIUM.

573. *& seqq. Exponitur status quæstionis.* 576. *Pro damnis personalibus vitæ, membri &c. homini libero illatis nulla debetur restitutio ex Jure naturæ, & ante sententiam Judicis.* 577. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 584. *& seqq. Illustratur conclusio per corollaria, & præscribitur, qualis pœnitentia a Confessario sit imponenda homicidæ.*

573. PRænotandum primo, quatuor esse ordines bonorum, prout in principio hujus disputationis insinuatum est. In primo, & supremo ordine collocantur bona animæ, sive spiritualia, de quibus in *c. præced.* In secundo ponitur vita, & integritas membrorum; quæ est bonum substantiale naturæ, & aliorum bonorum fundamentum. Ad tertium spectant fama, & honor. Ad quartum pertinent bona fortunæ. Nunc quæritur in præsenti, an pro damnis personalibus vitæ, membri &c. debeatur aliqua restitutio? Ubi

574. Prænotandum secundo, hanc quæstionem dependere ab illa, an quis teneatur pro damno illato in bono unius ordinis satisfacere reddendo bonum alterius ordinis, quando bonum læsum in suo ordine reparari nequit? Quod est, quæri, an ille, qui abstulit bonum superioris ordinis, v. g. famam, eamque restituere nequit, teneatur damnum in bono famæ illatum reparare per bonum inferioris ordinis, v. g. per pecuniam? Et viceversa, an ille, qui abstulit bonum inferioris ordinis, v. g. pecuniam, quam restituere non potest, teneatur, si possit, ad compensandum pecuniæ surreptæ damnum conciliare damnificato famam, & honorem &c.? Ab hac, inquam, quæstione præsens nostra controversia pendet. Quare utranque hic veluti mixtim pertractabimus. Ut autem certum ab incerto separetur,

575. Prænotandum tertio, extra dubium esse, quod quis per sententiam Judicis adigi possit, ut injuriam, & damnum illatum in bono unius ordinis reparare debeat reddendo bonum alterius ordinis. Ratio est: quia Judex sic adigendo delinquentem exercet actum Justitiæ vindicativæ, vel etiam commutativæ, si imponat pœnam convenientem, secundum dicta *n.* 321. ergo delinquens tenetur se accommodare, & solvere, quod imponitur. Atque hujusmodi Leges pœnales complures extant in Scriptura, & Jure.

His prænotatis, inquirendum remanet, an quis de Jure naturæ, & spectata obligatione Justitiæ commutativæ secundum se spectatæ, damnum illatum in bonis unius ordinis, quod in tali ordine reparari nequit, reparare teneatur per bonum alterius ordinis; & consequenter an teneatur damnum personale vitæ, membri &c. compensare per pecuniam, vel aliud bonum alterius ordinis? Quam posteriorem quæstionem solam, utpote ad præsens institutum specialiter pertinentem, in terminis ventilabimus; priorem tamen identidem immixturi ob rationem jam dictam.

576. Dico igitur. Probabilius est, quod pro damnis personalibus vitæ, membri &c. homini libero, ut ut injuste illatis, nulla debeatur restitutio ex Jure naturæ, & ante sententiam Judicis. Cardinalis de Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 5. Petrus Marchant *ad* 5. *Precept. Decal. q.* 5. *concl.* 2. Herincx *loc. cit. disp.* 6. *q.* 6. Sporer *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 22. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 299. & apud istum alii multi, contra Molinam, Mastrium, Hicquæum &c.

Probatur primo ex Script. *Exodi* 21. ibi: *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo: si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit; ita tamen, ut operas ejus, & impensas in Medicos restituat.* Quæ Scripturæ verba tale nobis argumentum suppeditant. Si percussor ex Jure naturæ, & in conscientia, ac ante sententiam Judicis teneretur aliquid reddere pro vulnere, vel mutilatione, non pronunciaretur in S. Scriptura, ad directionem conscientiæ præcipue ordinata, innocens, seu liber a tali restitutione: sed pronunciatur innocens, seu liber, modo solvat operas, & impensas in Medicos; ergo &c.

Probatur secundo ratione a priori. Virtus Justitiæ commutativæ (quæ sola restitutionem imperat) essentialiter respicit æqualitatem arithmeticam cum aliqua saltem parte debiti: sed per ejusmodi restitutionem, quæ nempe fieret pro damnis personalibus vitæ, membri &c. nulla prorsus æqualitas arithmetica, ne quidem cum minima parte debiti, poneretur; ergo &c. Maj. est certa. Min. prob. Nam bonum, quod redderetur, nec in se, nec in æquivalenti esset idem cum bono ablato; ergo prorsus foret ineptum ad constituendam æqualitatem arithmeticam etiam cum minima parte debiti. Ant. prob. Non enim esset idem in se; ut patet; neque in æquivalenti; alias bonum ablatum, vel saltem aliqua ejus pars deberet, per se loquendo,

posse

posse denun comparari per bonum restitutum: sed nec vita, nec integritas bonotum quoad ullam partem potest comparari per aliud bonum, sive hoc existat superioris, sive inferioris ordinis; ergo &c. Min. prob. Siquidem hoc ipso, quod vita, & integritas membrotum sit bonum diversi generis, & ordinis cum aliis bonis, non habet mensuram communem cum iis; ergo, in humanum commercium venire non possunt, neque inter se commutari, aut unum per alterum comparari.

Confirmatur. Non potest determinari, quantum arithmerice restitui deberet pro vita, vel integritate membrorum; quia *l. ult. & l. 1. ff. de iis, qui effuderint*, dicitur, *quod in homine libero nulla corporis astimatio fieri possit*; ergo pro corpore hominis liberi nulla debetur restitutio. Neque dicas, id prudentum judicio determinandum esse. Contra enim est: quod non potest ab hominibus æstimari, illius valor non potest taxari prudentum judicio: sed corpus hominis liberi non potest æstimari ab hominibus, juxta *loc. cit.* ergo neque ejus valor taxari prudentum judicio: consequenter &c. Unde licet in aliis rebus, quatum æstimatio iniri potest, standum sæpenumero sit prudentum judicio, & juxta hoc obligatio restiruendi mensuranda; secus tamen est in præsenti, ubi agitur de re, quæ æstimari nequit.

Dixi in conclus. non deberi restitutionem pro damnis personalibus &c. *homini libero* illatis. Nam corpus, & vita servi non quidem secundum se, sed ratione operatum, quas servus domino præstare potest, & debet, pretio æstimatur, ejusque jactura computatur inter damna realia domini. Unde qui servum lædit in vita, vel integritate, tanto plus solvere, & restituere tenetur, quanto pluris servus potuisset vendi, vel suo domino utilis esse, si non fuisset occisus, mutilatus, aut vulneratus.

577. Objicies primo. *Exod.* 1. habetur: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem pregnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus expetierit, & arbitri judicaverint*; ergo vita prolis compensari potest, & debet per pecuniam.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, legem illam fuisse pœnalem, qua homicidæ imponebatur mulcta, non restitutio. Vel dici potest, per *loc. cit.* fuisse quidem impositam restitutionem, at non pro damno vitæ, sed pro damno temporali, quod patiebatur parens in spe, quam habebat de emolumento sibi obventuro ex operis, & obsequiis filii.

578. Objicies secundo authoritatem Scoti *in 4. dist.* 15. *q.* 3. ubi videtur nostræ opinioni contradicere; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Licet enim Doctor, asserat, etiam compensandum esse damnum personale vitæ, & membrotum, non tamen determinat, an talis compensatio debeatue vi Justitiæ commutativæ, & ante sententiam Judicis, aut Confessarii; vel vi Justitiæ vindicativæ, & post sententiam? Imo mihi verisimilius est, quod Doctor velit, illam compensationem tantum deberi posteriore modo, cum reflectat ad Confessarium, & Leges veteris Testamenti comparet cum Legibus Novi: prout etiam advertit La Croix *loc. cit. n.* 300.

579. Objicies tertio. Occidens bovem, vel asinum alterius, tenetur ad reparationem damni; ergo a fortiori occidens hominem, alias hic, gravius peccans, & majus damnum inferens, esset melioris conditionis.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod bos, & asinus per bona fortunæ, utpote quibuscum sunt in eodem ordine, compensari valeant; secus, bonum vitæ humanæ &c. Quare per accidens est, quod gravius peccans, magisque damnificans, in præsenti sit melioris conditionis quoad punctum restitutionis; oritur enim ex impossibilitate restitutionis faciendæ.

580. Objicies quarto. Si fama in se non possit restitui, debet restitui in æquivalenti, puta per honorem, esto hic sit bonum alterius generis; ergo etiam quamvis bonum vitæ, & membrorum humanorum in se non possit restitui, debebit restitui per aliud bonum æquivalens, tametsi hoc existat alterius generis, & ordinis.

Respondetur, conc. ant. neg. cons. Ratio discriminis est; nam licet honor secundum se sit aliquo modo bonum alterius generis; quia tamen ex natura rei magnam cum fama affinitatem, & connexionem habet, in humano consortio reputatur quasi idem cum ea, & ad eundem ordinem bonorum reducitur, ad quem pertinet fama: siquidem ex honore communiter sequitur bona fama apud alios, cum honor sit *testificatio bonæ famæ apud proximum*. Unde fama per honorem recte restitui potest, & consequenter debet. Aliud est de bonis vitæ humanæ, membrorum &c. utpote quæ, sive referantur ad bona superioris, sive inferioris ordinis, adeo ad illa disparate se habent, ut, quidquid detur pro damno, hoc nullatenus resarciatur; ut liquet ex dictis.

581. Objicies quinto. Libertas, & Nobilitas sunt bona superioris ordinis, quam sint pecuniæ: atqui libertas, & nobilitas comparantur per pecunias; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Siquidem ipsa libertas, & nobilitas non possunt venire in contractum emptionis-venditionis, sed solum jus ad percipienda commoda ex acquisita libertate, vel nobilitate promanare nata, quatenus nempe homo liber potest, v. g. sibi lucrari, quod non potest servus; & nobilis gaudet quibusdam immunitatibus, quibus non gaudet ignobilis: quæ commoda accensentur bonis fortunæ. Quod si dans pecunias, iis directe intenderet emere ipsam libertatem, vel nobilitatem, neutram vere emeret; quia, cum sint bona altioris ordinis, quam bona fortunæ, pecuniis æstimari non possunt: consequenter nec vendi, ac emi. Talis ergo solum abdicaret se jure habito in suum pretium, & libertas, vel nobilitas ei donaretur.

Instabis. Juxta Aristotelem 5. *Eth. c.* 5. pecunia est pretium, & mensura omnium rerum; ergo per illam etiam bona superioris ordinis comparari possunt, consequenter &c.

Respondetur, Aristotelem solum velle quod pecunia sit pretium, & mensura omnium rerum, spectantium ad bona fortunæ, & intervenientium in commutationibus; non autem aliarum, quæ ad commutationes deservire non possunt, cujusmodi sunt vita hominis, integritas membrorum &c.

582. Objicies sexto. Pauper aliquis libenter patitur jacturam unius dentis, si idcirco evehatur ad conditionem divitum: imo de facto homines passim cupiditate ditescendi exponunt sanitatem, membra, vitam ipsam periculis; ergo tanti, vel pluris in morali eorum æstimatione est pecuniæ, quam vita, & membra.

Confirmatur. Sese exponere vitæ, membrorum, aut sanitatis periculo, est pretio æstimabile, & consequenter compensabile bonis fortunæ; ergo etiam ipsa vita, & membra erunt pretio æstimabilia, & compensabilia bonis fortunæ; cum tota æstimabilitas periculi desumatur ab æstimabilitate rei amittendæ. Idem urgeri potest a pretio, quo homo seipsum vendit valide, & licite.

Respondetur ad objectionem, & confirmationem simul per responsionem similem priori, redditæ *ad argum. praced.* videlicet omnia, quæ in illis adducta sunt, esse pretio æstimabilia comparative ad utilitatem, quæ ex eis hauriri potest; non vero comparative ad vitam ipsam, & membra corporis: prout clare patet in homine seipsum vendente; hic enim tanto majori pretio æstimabilis est, quanto ementi utilior, nulla habita ratione vitæ, vel membrorum. Neque compensabilitatem mutuam horum bonorum probat, quod injuriam, & damnum passo possit dari aliquid æque placens, ac injuria, & damnum displiceant; id enim provenit ex libera illius acceptatione, non vero ex natura rei, aut intentione Justitiæ. Sic licet injuriam passo in honore magis placeat satisfactio pecuniaria, quam restitutio honoris, non tamen hinc sequitur, honorem ablatum ex natura rei esse pecunia compensabilem.

583. Objicies septimo. Justitia commutativa non solum obligat ad compensandum totum damnum, sed etiam ad compensandam partem, si totum compensari non possit: hinc qui alteri abstulit centum florenos, & omnes reddere non potest, tenetur reddere, quot potest, v. g. viginti, triginta &c. ergo occisor, vel mutilator, adhuc obligabitur damnum in vita, vel membris illatum compensare pecuniis, esto illud compensare non possit secundum totam æqualitatem.

Respondetur, dist. ant. Si possit reponi æqualitas

saltem secundum partem, ut evenit in exemplo allato, con. si secus, ut in proposito, neg. ant. & cons. Nullum bonum unius ordinis est pars aliquota boni alterius ordinis, vel constituendæ æqualitatis; prout liquet ex dictis *in probat.* 2. unde Justitia commutativa, quæ unice æqualitatem respicit, non adstringit ad compensandum bonum unius ordinis per bonum alterius ordinis.

584. Colliges primo, nihil esse homini libero restituendum pro ipsa deformitate cicatricis, v. gr. quæ ex vulnere resultavit. Ratio est: quia talis deformitas est damnum corporale, quod in homine libero æstimari non potest pretio; cum existat altioris ordinis, quam bona fortunæ. Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 2. Babenstuber *tract.* 7. *disp.* 5. *artic.* 2. *num.* 16. & alii apud ipsos.

585. Colliges secundo, eum, qui alterum fuste, vel alapis contundit, non teneri pro illata injuria satisfacere pecuniis. Ratio est: quia honor (idem cogita de fama) qui per ejusmodi injuriam læditur, est bonum alterius, & altioris ordinis, quam sint pecuniæ, ergo relate ad istas disparate se habet, nec per eas compensari potest ad æqualitatem arithmeticam sive totalem, sive partialem. Ita cum Sanchezio, & Salmanticensibus P. Babenstuber *loc. cit. n.* 14. & 18.

586. Colliges tertio, quid, qualemque pœnitentiam Confessarius homicidæ imponere possit, aut debeat? Nam 1. si homicidium propinquis defuncti fuit injuriosum, debet ipsi imponere, ut omni meliori, & possibili modo ab iis veniam precetur. 2. Ut restituat omne lucrum cessans, & damnum emergens, secundum dicenda *n. seq.* 3. Licet homicida non sit obligatus ex Justitia, merito tamen ipsi injunget, ut hæredibus aliquid v. gr. pecuniæ largiatur; ut per singulos annos certas indulgentias lucretur animæ occisi per modum suffragii applicandas; ut singulis septimanis, vel quoties facultates permittunt, Sacrificium Missæ pro illa offerri procuret &c. Universaliter, ut ita tractet pœnitentem, ne putet se satisfecisse, tanquam si canem occidisset; prout loquitur Doctor Subtilis *loc. citat.*

ARTICULUS II.

An, & quinam sit restituendum pro damnis realibus?

SUMMARIUM.

587. *Injustus occisor &c. tenetur omnia damna realia compensare. Non tenetur tamen* 588. *solvere expensas funeris.* 589. *Obligatur etiam ad restitutionem, quando in occisione injusti aggressoris excessit moderamen inculpatæ tutelæ.* 590. *Obligatio restituendi transit ad hæredes homicidæ.* 591. *Cui homicida, vel hæredes ejus teneantur restituere?* 592. *An etiam hæredibus occisi non necessariis, & creditoribus?* 593. *Non cessat obligatio restituendi, tametsi occisus ante mortem damna remiserit.*

587. Dico primo. Injustus occisor, mutilator, vulnerator tenetur omnia damna realia compensare. Liquet *ex l. qua actione ff. ad L. Aquiliam.* Ratio insuper est: quia, quicunque fuit injusta causa damnorum reparabilium, is tenetur ad reparationem illorum: sed injustus occisor, mutilator, vulnerator fuit injusta causa damnorum reparabilium, qualia citra dubium sunt damna realia; ergo &c. Ex quo fluit, quod teneatur reparare damna emergentia, puta expensas necessarias (secus est de superfluis) factas in curationem, & cibos cariores. Tenetur præterea compensare lucra cessantia, v. g. lucrum, quod opifex interea temporis fecisset, si vulneratus, & inutilis redditus non fuisset, *l. ult. de his, qui dejecerunt, vel effuderunt.* Intelligitur autem lucrum deductis expensis, quas læsus alias facere debuisset. Sed

588. Quæres primo, an homicida teneatur solvere expensas funeris?

Respondetur negative, si expensæ fuerint ordinariæ. Laymann *loc. & num. cit.* aliique communiter. Ratio est: quia in his homicida nullum intulit damnum, quippe quæ etiam tempore mortis naturalis aliquando faciendæ erant. Quod si expensæ fuerint extraordinariæ, ut si occisus debuerit extra patriam, seu in loco alieno sepeliri, & idcirco fieri majores expensæ, homicida excessum, ceu damnis emergentibus accensendum, refundere obligabitur. Mezger *tr.* 12. *disp.* 37. *art.* 5. *n.* 8. cum communi.

589. Quæres secundo, an homicida teneatur ad restitutionem, quando in occisione injusti aggressoris excessit moderamen inculpatæ tutelæ?

Respondetur affirmative. Ratio est: quia talis homicida vere peccavit contra Justitiam commutativam, cum ipsi jus se defendendi, & injustum aggressorem occidendi non aliter competierit, nisi servato moderamine prædictæ tutelæ. Itaque si tale moderamen excesserit notabiliter, & cum peccato mortali, tenetur omnia damna realia ex occisione injusti aggressoris exorta integre reparare: si vero non notabiliter, & cum peccato veniali tantum, tenetur adhuc damna realia compensare, non quidem gravia, sed levia peccato veniali proportionata. P. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 305. & fluit ex dictis *n.* 397.

590. Quæres tertio, an obligatio restituendi etiam transeat ad hæredes homicidæ?

Respondetur affirmative: idque verum est, tametsi homicida pœnam talionis subierit, hoc est, morte punitus sit. Ita cum Scoto Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 8. *n.* 46. & alii communiter, contra paucos, quoad secundam partem repugnantes. Ratio primæ partis est: quia hæredes succedunt in locum defuncti, inque omnia ejus bona, & jura; adeoque in omnes etiam obligationes Justitiæ. Ratio secundæ partis est, quod pœna talionis infligatur a Judice in vindictam criminis, & terrorem aliorum, non in damnorum compensationem; ergo sicut homicida tenetur parti læsæ compensare damna, si ad pœnam talionis non condemnetur, ita tenebuntur hæredes, si ille pœna talionis fuerit mulctatus. Per quod tamen non negaverim, hæredes homicidæ nonnunquam a restitutione excusari, quando scilicet pars læsa est contenta pœna talionis, vel alias restitutionem non curat; prout plerumque præsumere licet, si restitutionem, cum posset, non exigat. Videatur Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 2. *n.* 29.

591. Dico secundo. Si læsus (1.) vitam non amisit, ipsi facienda est restitutio: si vero (2.) amisit, facienda est hæredibus saltem necessariis. Ita cum Lessio, Bonacina, Salmanticensibus, & aliis communiter P. Babenstuber *loc. cit. n.* 22. Ratio primæ partis patens est: quia læsus ipse injuriam, & damnum immediate passus est; ergo ipsi immediate resarciri debet. Ratio secundæ partis est: quia illis saltem tenetur occisor restituere, quibus per se injuriam, & damnum intulit: sed hæredibus necessariis per se injuriam, & damnum intulit, eo quod constituant moraliter unam personam cum occiso; ergo &c. Sed

592. Quæres primo, an homicida teneatur etiam restituere hæredibus occisi non necessariis; item creditoribus ejus?

Respondetur, teneri etiam ipsis restituere (1.) quando damnum prævidit, quod in illos redundavit ex homicidio; secus (2.) quando damnum non prævidit. Herinex *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 6. *q.* 6. *n.* 73. Illsung *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 78. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 310. & alii plures contra Mezger, Babenstuber, & alios. Ratio primi membri est: quia ejusmodi personæ habent jus, ne per vim, aut fraudem impediantur a consecutione emolumenti, quod ab occiso percepissent, quamvis non habeant jus ad ipsum emolumentum; ergo &c. Confirmatur. Juxta Adversarios homicida obligatur memoratis personis restituere, si occiderit ex intentione directa illis nocendi; ergo etiam obligatur, si illa intentio abfuit, dummodo damnum prævideret. Cons. facile ostenditur; nam supposita prævisione damni, hujus illatio erat voluntaria, nimirum indirecte; ergo imputata ad culpam Theologicam injustitiæ: & consequenter &c. Ratio secundi membri est: quia ut actio licet de se, & externe injusta, inducat obligationem restituendi, debet esse voluntaria directe, vel indirecte respectu damni: sed si damnum non fuerit præcognitum, & prævisum, neutro modo erat voluntaria respectu damni; ergo &c.

Dices contra primum membrum. Actio occisiva cum damno prædictarum personarum solum remote, & per accidens connectitur; ergo non inducit obli-

gatio-

gationem illis quidquam restituendi. Ant. prob. ex eo, quod non reputentur moraliter una persona cum defuncto; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. neg. conf. Siquidem, licet non reputentur una persona cum defuncto, proindeque nullum habeant jus ad aliquod emolumentum a defuncto percipiendum, atque adeo ex hoc capite actio occisiva non sit per se connexa cum earum damno; est tamen sic connexa ex alio capite, quatenus nimirum habent jus, ne per vim ab illiusmodi emolumenti perceptione impediantur, & ne damnificentur in spe proxima illud percipiendi: consequenter &c.

593. Quæres secundo, an occisor teneatur adhuc ad restitutionem, tametsi occisus ante mortem damna remiserit?

Respondetur affirmative. Ita Card. de Lugo *disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 63. Henricx *loc. cit. n.* 75. Mezger ubi *supra n.* 15. Babenstuber *n.* 33. & alii communius. Ratio est: quia hujusmodi remissio est invalida; ergo non liberat occisorem a restitutione alias debita. Conf. patet. Ant. ostenditur: quia hæredes sive necessarii, sive non necessarii; uti & creditores (insistendo doctrinæ *n. præced.* traditæ) obtinent jus, ne per vim impediantur a consecutione emolumentorum, quæ possunt percipere ab occiso; ergo cum hoc jus lædat homicida, hæredes, & creditores contra eum habent jus immediate quæsitum, de quo occisus ne quidem valide quidquam disponere potest; & per consequens nec obligationem restituendi remittere.

Dices. Occisor unice lædit jus occisi; alii vero eatenus solum læduntur, quatenus læsio prædicti juris in illos redundat: sed cujus unice jus læditur, potest injuriam, & damnum condonare, sicque lædentem a restitutione deobligare; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Siquidem hæredes, & creditores obtinent jus immediatum, a jure occisi distinctum, ne per vim impediantur a perceptione emolumentorum, quæ possunt percipere ob occiso, atque hoc jus una læditur ab occisore: consequenter &c.

CAPUT III.

De Restitutione ex injuriis in bonis, famæ, & honoris.

ARTICULUS I.

Expediuntur quæstiones, quæ concernunt restitutionem famæ.

SUMMARIUM.

594. *& seq. Qui injuste, etiam materialiter tantum, læsit famam proximi, eandem sub mortali ex genere suo tenetur restituere.* 596. *& seqq. Adstruitur obligatio, & modus, quem detractor in restituendo famam adhibere debet: ubi etiam solvuntur objectiones interjectæ.* 600. *Etiam defuncto fama restituenda est.* 601. *An restitutio famæ sit facienda etiam apud auditores mediatos?* 602. *Cum quanto incommodo detractoris?* 603. *Ejus obligatio non transit ad hæredes detractoris.* 604. *Assignantur causæ excusantes a restitutione.*

594. Dico primo. Quando quis injuste læsit famam proximi, tenetur eandem sub mortali ex genere suo restituere. Communis. Ratio patens est: quia qui alterum injuste læsit in bono de se magni momenti, ex Justitia commutativa, & sub mortali ex genere suo, tenetur damnum illatum compensare: sed qui alterum læsit in fama per detractionem, vel calumniam, læsit eum injuste in bono de se magni momenti, & majoris, quam sit bonum fortunæ; ergo &c. Sed

595. Quæres, an etiam teneatur ad restitutionem, qui famam proximi læsit inadvertenter, & absque peccato?

Respondetur affirmative. Tamburinus *in Decal. lib.* 9. *capit.* 3. §. 3. *num.* 8. Sporer *in Decal. tract.* 5. *c.* 4. *n.* 86. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 1243. & alii satis communiter. Ratio est, quod Justitia non solum obliget, ne quis injuste det causam damni, sed etiam ut eam, forte a se, licet inculpabiliter positam, animadverso errore tollat; alias illius continuatio jam evaderet illi voluntaria, & formaliter peccaminosa contra Justitiam ergo ne id eveniat, ex Justitia (nam ex Charitate tenetur quæcunque alius, licet ne quidem materialiter injusta causa damni extiterit) obligatur causam damni a se positam auferre: consequenter &c. Confirmatur. Siquis paravit bona fide laqueum ad suffocandam feram, deinde vero advertit, eum esse moraliter periculosum homini, teneretur ex Justitia eundem amovere; ergo similiter &c. Idem ob eandem rationem dicendum in casu, quo quis coram aliis detraxit v. g. Petro, narrando aliquod crimen ipsius, quod audientes per errorem intellexerunt de Paulo, qui ideo apud eos detrimentum famæ subjit: prout recte notant Sporer *loc. cit. n.* 87. & La Croix *n.* 1245. Sed

Dices. Non potest assignari radix, ex qua pullulet ejusmodi obligatio restituendi.

Respondetur, neg. assumptum. Pullulat enim ex re accepta reductive, & moraliter, sive ex quasi re accepta, quatenus detractor non restituendo quasi detinet famam ablatam, nempe moraliter, & eo modo, quo detineri potest.

596. Dico secundo. Si detractor contra proximum injuste disseminaverit crimen falsum, tenetur omnem adhibere conatum, ut opinionem, audientibus ingeneratam, ex eorum animis evellat. Unde tenetur significare, se fuisse deceptum, dixisse falsum, imo fuisse mentitum, idque, si necessitas exegerit, firmare juramento, & testibus. Card. de Lugo *loc. cit. a n.* 24. Illsung *tract.* 4. *disput.* 2. *num.* 109. La Croix ubi supra *num.* 1248. Ratio est: quia, qui per injuriam alteri damnum intulit, tenetur præstare totum id, quod necessarium est ad reparationem damni illati, dummodo non sit ita difficile, ut damnum causatum longe superet; prout contingeret, si detractor foret vir magnæ authoritatis, v. g. Episcopus, Prælatus, Superior &c. qui proinde teneretur quidem fateri, se fuisse deceptum, dixisse falsum, cum in hoc non videatur esse tanta difficultas, quæ damnum causatum notabiliter excedat; non vero, teneretur facile fateri, se fuisse mentitum, faciendo jacturam famæ suæ cum detrimento Reipublicæ, aut Communitatis, cui præest; nam ex una parte talibus retractantibus facile creditur; ex altera autem hujusmodi Virorum infamatio, quam incurrerent fatendo se fuisse mentitos, foret longe majus malum, ac sit infamia quam alicui subdito, aut alteri privato intulere.

597. Objicies. Detractor adhibendo juramentum sine testibus præbet majus motivum credendi retractationi, ac præbuerat dicendo falsum credendi detractioni; ergo non tenetur præterea adhibere testes; si enim tunc auditores credere nolint, eorum malitiæ, non detractioni imputari debet. Ita P. Sporer *loc. cit. n.* 89. cum aliis, volentibus, non requiri, ut testes adhibeantur.

Respondetur, neg. conf. Ad rationem probativam ajo, imputari debere detractioni, ceu causæ primariæ virtualiter perseveranti; quam proinde detractor efficaciter retractare tenetur, etiam, si opus fuerit, adhibitis testibus. Quare licet auditorum quoque malitiæ, ceu causæ partiali, & secundariæ, adscribi debeat, ob quod proinde obligantur iidem auditores male conceptam opinionem suam deponere; quia tamen id facere renuunt, detractor obligatus manet ad idem procurandum adhibendo testes, cum ipse modo injusto illam opinionem audientibus ingesserit.

598. Dico tertio. Etiam detractor, qui contra proximum injuste evulgavit crimen verum (ut fieri solet, quando illud adhuc est occultum) tenetur efficaciter conari, ut opinionem inde conceptam in auditorum animis aboleat. Est itidem communis. Ratio insuper eadem, quæ supra: quia & talis detractor intulit proximo damnum cum injuria, cum occultus peccator habeat jus, ne coram aliis, & publice diffametur; ergo & ipse tenetur sua dicta efficaciter retractare, & conari, ut proximus famam sibi ablatam recuperet. Ubi tamen detractor non tenetur, imo nec licite potest dicere, se fuisse mentitum; hoc enim ipso mentiretur, quod in nullo casu, & nulla de causa licet: sed dicere, se male, & injuste locutum, se errasse, errore nimirum practico &c. quomodo non facit mendacium, sed loquitur veritatem, cum omnis peccans practice erret. Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. Quin imo si

hic

hic talis restituendi modus non videatur fore proficuus, & efficax ad damnum proximi reparandum, prout contingere solent, quando auditores sunt homines intelligentes, & astuti, tenebitur detractor facere compensationem aliquam æquivalentem famæ, puta, infamatum laudando vel in illa materia, in qua eum diffamavit; vel, si hoc similiter nihil judicet profuturum, in alia; aut etiam tum honorando coram illis, coram quibus detraxit, donec tantum famæ, & honoris eidem moraliter accedat, quantum fuerat ablatum, prudentis arbitrio: fama enim læsa resarciri debet omni modo moraliter possibili, quando id fieri potest per bonum ejusdem generis, & ordinis. Sed contra hoc

599. Objicies. Si diffamatus in una materia, v.g. Castitatis, laudetur solum in alia, v.g. Pietatis, Justitiæ &c. non recuperat famam ablatam; cum in materia Castitatis infamis audiat, ut ante; ergo iste modus restituendi famam non est proficuus: & consequenter nec obligatorius.

Respondetur, dist. ant. Non recuperat famam ablatam, non recuperat formaliter, & numero eandem, con. non recuperat æquivalenter, neg. ant. & utramque conf. Licet enim non sit eadem numero fama, quæ redditur, est tamen bonum ejusdem generis, & famæ ablatæ æquivalens; ideoque ex obligatione Justitiæ restitui debet: fere sicut qui alterius gemmam projecit in aquam, tenetur refundere pretium, esto dominus gemmæ refuso pretio nec eandem, nec similem gemmam sibi comparare valeat.

600. Dico quarto. Etiam qui detraxit defuncto, tenetur eidem famam ablatam restituere. Est & hæc conclusio communis, ac fluit ex hucusque dictis. Quare si ei affinxerit crimen falsum, tenetur revocare; quia defunctus retinet dominium, & jus suæ famæ: licet enim homo mortuus non sit homo, actu tamen habet animam, & voluntatem, in qua jus præfatum residet, & perseverat. Et quamvis fiat transactio cum hæredibus, ne contra detractorem litem anentent, vel attentatam prosequantur; non tamen idcirco cessat jus, quod defunctus habet in suam famam, cum istud sit proprium ipsius, & non attineat ad hæredes; sed solum tunc remittitur jus, quod competebat hæredibus ad intentandum, vel prosequendam litem. Quod si detractor sparserit de defuncto crimen verum occultum, tenetur illud ex auditorum animis abolere modis *num. praced.* indicatis; neque satisfacit, si pro eo oret: quia fama per orationem, utpote bonum alterius ordinis, non potest compensari. Porro si infamia, aliave damna, per detractionem causata, redundarint in hæredes, etiam illa tenebitur detractor resarcire: quia injusta eorum causa extitit. Bonacina *de Restit. disp. 2. q. 4. pun. 2.* & alii passim.

601. Dico quinto. Quamvis detractor per se loquendo videatur obligari ad faciendam restitutionem famæ non solum apud auditores immediatos, sed etiam apud mediatos, seu illos, quibus auditores immediati dicta detrahentis communicarunt: quia totum illud damnum, & infamia subsequens procedit ex injuria detractoris; in praxi tamen, saltem ut plurimum, sufficere videtur, si restitutio fiat apud auditores immediatos; partim quia plerumque est moralis impotentia omnes illos conveniendi, ad quos diffamatio fuit propagata; partim quia detractor, dum sua dicta retractat apud auditores immediatos, etiam videtur implicite illis committere hujus retractationis evulgationem, quam commissionem cum non expresse rejiciunt, acceptare censentur, & merito; siquidem ipsi immediata illius ulterioris evulgationis causa extiterunt. Card. de Lugo *disp. 15. sect. 2. num. 16.* Mezger *tract. 12. disp. 39. art. 5. num. 3.* & alii, quibus & ego subscribo: quamvis non ignorem, aliter docere Sporerum *loc. cit. a num.* 100. La Croix *num.* 1252, & alios, quos vide, si placet.

602. Quæres primo, cum quanto periculo, vel damno suo teneatur detractor famam restituere?

Respondetur primo. Non tenetur regulariter eam restituere, si id exequi nequeat (1.) sine periculo vitæ, vel (2.) famæ propriæ, quæ sit longe majoris æstimationis. Ratio primi est: quia vita est bonum superioris ordinis, quam fama. Ratio secundi est: quia tunc infamatus censetur irrationabiliter velle, ut infamator subeat infamiam longe majorem, quam intulerat. Dixi: *regulariter*. Nam siquis injuste infamando proximum, eundem conjecit in periculum vitæ amittendæ, tenetur ad restitutionem famæ cum pari discrimine: prout cum Cajetano, & communi aliorum docet P. Mezger *loc. cit. n. 4.* & patebit ex ratione statim afferenda.

Respondetur secundo. Tenetur tamen detractor, qui crimen falsum cum advertentia ad culpam mortalem detractionis sufficiente de proximo sparsit, famam ei restituere cum æquali famæ suæ dispendio. Ita DD. communiter. Ratio est: quia æquitas poscit, ut illud damnum potius patiatur nocens, quam innocens. Dixi autem: *cum advertentia ad culpam mortalem &c.* Nam si detractio fuit tantum materialiter, vel venialiter injusta, v.g. ex defecto advertentiæ, non tenetur detractor cum gravi suo incommodo famam restituere: quia onus sic restituendi famam est excessivum, & transcendens actionem detractoriam, tantum materialiter, vel venialiter peccaminosam. Ita cum communi Mezger *loc. cit. n. 4. & 9.*

603. Quæres secundo, an obligatio restituendi famam transeat ad hæredes detractoris?

Respondetur negative. Ratio est: quia obligatio mere personalis non transit ad hæredes: sed obligatio restituendi famam est mere personalis, ut patet; ergo &c. Aliud est de obligatione compensandi damna ex detractione in læsum redundantia: hæc quippe ad hæredes transit; quia non est mere personalis, sed etiam realis, afficiens ipsa bona detractoris. Idem esto judicium, si moveatur quæstio de restitutione honoris, & damnorum ex ejus læsione consecutorum. Ita cum Lessio, Lugone, Dicastillo, & aliis P. La Croix *loc. cit. n.* 1256.

604. Quæres tertio, quænam sint causæ excusantes a restitutione famæ?

Respondetur, quod fere colligantur ex jam dictis, & sint sequentes. 1. Spontanea remissio infamati, potentis remittere: quod addo ex industria; nam si ejus infamia redundarit in alios, liberos, Statum Religiosum &c. ipse non potest restitutionem famæ condonare. 2. Impotentia physica, vel moralis. 3. Si fama alio modo jam recuperata sit, ut infamati purgatione, vitæ probitate, testimonio prudentum &c. 4. Si prudenter judicetur, infamiam abiisse in oblivionem: quo casu maxime prudentia opus est; nam aliquando periculosius, & perniciosius est dicta retractare, atque ita renovare memoriam infamiæ, quam non retractare, & non renovare memoriam. 5. Si is, quem infamasti, te quoque æqualiter, aut gravius infamarit, nec velit restituere &c. Ita cum aliis a se relatis P. Busembaum apud La Croix *n.* 1238. Et hæ causæ fere etiam excusant a restitutione honoris.

ARTICULUS II.

Expediuntur quæstiones, quæ concernunt restitutionem honoris.

SUMMARIUM.

605. & seq. Qui alteri injuste, etiam materialiter tantum, detraxit honorem, sive coram ipso solo, sive coram aliis, tenetur ad satisfactionem. 607. Assignatur modus in satisfaciendo adhibendus; & 608. ac seqq. causæ a satisfactione excusantes, vel non excusantes.

605. Dico primo. Qui honorem alterius injuste abstulit, tenetur ad restitutionem, sive satisfactionem. Ita DD. communiter. Ratio est: quia talis peccavit contra Justitiam commutativam cum damno alterius. Imo licet non peccasset formaliter, adhuc teneretur ad restitutionem: prout fluit ex dictis *n.* 595.

Dixi: *sive satisfactionem*. Nam restitutio honoris cum fiat per lædentis submissionem, & aliqualem saltem cessionem honoris ipsius, speciali nomine nuncupatur *satisfactio*.

606. Colliges, honorem esse restituendum non solum, quando publice coram aliis fuit ablatus, sed etiam, quando fuit ablatus privatim coram inhonorato tantum. Ratio est: quia in utroque casu damnum proximo illatum est: & in priore quidem etiam quoad famam, si læsus cœperit inde minoris a præsentibus æstimari; in posteriore vero quoad honorem tantum, & dignitatem inhono-

honorati propriam, atque secundum se spectatam, cui labes quædam moralis fuit aspersa. Babenstuber *tr. 7. disp. 5. art. 3. n. 9.* & alii passim.

607. Dico secundo. In restitutione honoris ille modus adhibendus est, qui secundum gravitatem injuriæ, dignitatem personæ satisfacientis, consuetudinem patriæ, & alias circumstantias occurrentes, judicio prudentis censetur sufficere ad reparationem damni illati. Ratio hujus conclusionis, & regulæ est: quia læsus restituitur simili modo in integrum, seu pristinum honoris statum; id quod exposcit Justitia commutativa. Unde Superior subdito, & Nobilis plebejo satisfacit amica appellatione, vel salutatione, aut solito majoris benevolentiæ exhibitione: neque tenetur aliter petere veniam, cum per hoc imminueretur ipsius authoritas. Subditus econtra, vel plebejus tenetur expresse petere veniam. Imo quandoque major humiliatio necessaria est, e.g. genuflexio, vel similis: si enim rusticus Principi, vel etiam Nobili dederit alapam, nemo dicet illum fecisse satis, quando præcise veniam petiit. Quod si lædens, & læsus sint æqualis conditionis, satisfacit lædens, saltem regulariter, quando expresse petit veniam; vel inhonoratum invitat ad mensam, locum ei honorificum cedit, amice propinat &c. Herincx *loc. cit. disput. 7. num. 81. & seq.* La Croix *num.* 1252. aliique passim.

608. Colliges primo, meram familiaritatem, seu familiarem consuetudinem, quæ lædenti intercedebat cum læso, & adhuc intercedit, non sufficere ad satisfaciendum pro honore ablato; nec læsus tenetur illa esse contentus. Ratio est: quia consueta illa familiaritas solum servit ad vitandum scandalum, vel declinandam majorem inimicitiam; neque in alium finem ex se dirigibilis est. Ut ergo lædens satisfaciat, superaddat, necesse est, aliud quoddam peculiaris benevolentiæ signum. Tamburinus *lib. 9. in Decal. c. 3. §. 8. n. 7.* Babenstuber ubi supra *n. 11.* ac alii.

609. Colliges secundo. Si inhonoratus vindictam sumpserit de inhonorante per illationem reciprocæ injuriæ, hic non obligatur ad præstandam ulteriorem satisfactionem. Lugo *disp. 15. sect. 4. n. 59.* Herincx *loc. cit. num. 83.* & alii communiter. Ratio est: quia sese ulciscens censetur vindictam acceptare pro satisfactione: & hoc ipso, quod alter vindictam tolerer citra illationem novæ vindictæ, videtur suam culpam recognoscere, ac deprecari.

610. Colliges tertio. Si inhonorans, ac offendens pœnam, a Judice idcirco sibi impositam, luat, non amplius manet in conscientia obstrictus ad aliquam satisfactionem offenso exhibendam, supposito, quod illa pœna adæquet offensam. Mezger *tr. 12. disp. 39. art. 1. n. 7.* & alii. Ratio est; nam talis pœna est publica reprobatio injuriæ illatæ, & virtuale saltem testimonium de dignitate offensi in persona offensoris exhibitum; ergo injuriam illatam sufficienter compensat, aspersamque labem, & maculam satis abstergit.

Dices. Satisfactio pro læsione honoris fit per testificationem internæ existimationis de dignitate offensi: atqui retractatio contumeliæ, imposita a Judice, cum sit coacta, non videtur esse testificatio internæ existimationis de offensi dignitate; ergo &c.

Respondetur cum Authore *citat.* neg. vel dist. maj. Satisfactio &c. fit per testificationem internæ existimationis &c. vel formalem, vel virtualem, seu æquivalentem, con. semper formalem, neg. maj. Sed satisfactio imposita a Judice, non est testificatio formalis internæ existimationis, transeat. virtualis, & æquivalens, neg. min. & cons.

CAPUT IV.

De Restitutione ex injuriis in bonis fortunæ.

POstremum bonorum ordinem occupant bona fortunæ; ut in principio hujus disputationis insinuatum est: hinc postquam illa, quæ ad restitutionem bonorum, in prioribus tribus ordinibus collocatorum, attinere visa sunt, expedivimus, accingimur ad pertractanda ea, quæ de restitutione bonorum fortunæ residua sunt, & in hunc locum (aliis in *disp. 1.* jam anticipatis) studio reservata.

ARTICULUS I.

Quanta sit obligatio restituendi res per parva furta sublatas?

SUMMARIUM.

611. *Qui abstulit rem levem, tenetur, per se loquendo, eam sub veniali restituere.* 612. *Fit corollarium pro praxi.* 613. *Siquis per parva furta abstulit materiam gravem, tenetur sub mortali restituere, sive in ultimo furto advertit ad gravitatem, sive non.* 614. *& seq. Hæc conclusio solutione objectionum, & deductione corollariorum illustratur.* 621. *& seqq. Fur non tenetur sub mortali totam summam, sive successive, sive simul ablatam, restituere, sed illam duntaxat quantitatem parvam, quæ prius furtum grave complevit: ubi etiam solvitur objectio interjecta.*

611. DIco primo. Qui abstulit rem levem, tenetur sub veniali eam restituere, nisi prudenter præsumere possit, dominum illius restitutionem non desiderare, vel adsit alia causa excusans. Est communis, & patet ex illo S. Augustini: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Unde

Probatur conclusio hac ratione. Qui commisit furtum parvum, non potest ab eo absolvi, nisi restituat vel propositum restituendi habeat; ergo tenetur restituere: non sub mortali, ut liquet; ergo sub veniali. Ant. patuit ex S. Augustino, & præterea sic prob. Continuans furtum, de eo non dolet: sed nolens restituere, moraliter continuat furtum; ergo de eo non dolet; ergo neque ab eo absolvi potest.

Dixi: *nisi prudenter præsumere possit &c.* Sæpe enim causa excusans intervenire, & consensus domini in non restitutionem præsumi potest; id quod ex circumstantiis colligendum erit, & tunc pœnitens, etiam nullum afferens propositum restituendi, sed solum dolorem de peccato commisso, valide, & licite absolvi poterit, ac debebit.

612. Colliges, quod sacrilege ageret Confessarius, si pœnitentem, de furto parvo se accusantem, sed restituere recusantem (in casu, quo obligatio restituendi extat) absolveret, dum nullam aliam materiam absolutionis capacem afferret. Ratio est: quia absolutio ob defectum sufficientis, & debite qualificatæ materiæ foret nulla: quod pro praxi bene notandum.

613. Dico secundo. Siquis per parva furta abstulit materiam gravem, tenetur sub mortali restituere, sive (1.) in ultimo furto, quo materia gravis evasit, advertit ad gravitatem, sive (2.) non adverterit. Prima pars admittitur ab omnibus. Altera a multis olim vocabatur in controversiam; nunc autem videtur decisa ab Innocentio XI. qui damnavit hanc *prop. num. 38.* *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum per pauca* (id est, parva) *furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

Probatur breviter prima pars. Quia vel res ablata adhuc extat apud furem, vel non extat? Si extat, erit obligatus ad restituendum ex re accepta: si non extat, erit saltem obligatus ratione acceptionis graviter peccaminosæ, & injustæ: licet enim per priora furta nunquam deliquerit graviter, ita tamen deliquit per ultimum, ubi advertit, materiam illius una cum præcedentibus furtis coalescere in materiam gravem, ex cujus carentia proximus notabile damnum incurrat.

Probatur secunda pars primo. Ex pluribus mutuis parvis oritur obligatio gravis restituendi totum mutuum; ut si singulis diebus anni tibi mutuum dederim unum denarium, anno elapso obligaris sub mortali mihi reddere trecentos sexaginta quinque denarios; ergo etiam ex pluribus furtis parvis oritur obligatio gravis restituendi materiam per illam successive ablatam, si hæc existat magna, seu notabilis. Ant. est certum. Cons. facile ostenditur: siquidem non minus in læso residet jus exigendi rem mutuatam; sicut ergo juxta quantitatem rei mutuatæ crescit in mutuario jus passivum, & obligatio restituendi mutuum correspondens juri activo creditoris; ita in fure crescit obligatio restituendi furtum.

Probatur eadem pars secundo. Si plurium votorum, & promissionum materia tandem perveniat ad summam gravem,

gravem, ex obligationibus levibus resultat obligatio gravis ad præstandam materiam, votis, aut aliter promissam; ergo etiam quando materia plurium furtorum constituit grave damnum, ex læsionibus levibus resultat obligatio gravis ad damnum illud resarciendum: idque non tantum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione acceptionis, seu acceptionum.

614. Objicies primo contra secundam partem conclus. Ex culpa levi solum nascitur obligatio levis ad compensandam partem tali culpæ correspondentem, ex dictis *n.*393, nisi scilicet apud te extet res aliena; aut nisi inde factus sis ditior: sed hic tantum intervenis culpa levis; ergo ex ea tantum nascitur obligatio levis &c.

Respondent primo Card. de Lugo, Haunoldus, & alii, obligationem gravem in proposito non oriri præcise ex culpa, sed esse pœnam veluti conventionalem, quam fur per singula furta sibi imponit, quasi appromittens sæpius restituere, si sæpius fuerit furatus.

Verum hæc responsio non videtur satisfacere: ponamus enim, quod fur nolit quidquam restituere, quantumcunque demum furatus fuerit; quomodo tunc dici poterit in tale pactum consentire? Deinde si ex pluribus levibus obligationibus propter quasi conventionem conflari possit una obligatio gravis totum damnum compensandi, quidni etiam ex pluribus obligationibus levibus contractis ob culpas veniales?

Respondent secundo aliter Tamburinus, Sporer, & Mezger. Vel enim (inquiunt) fur statim restituit, ubi notabilem quantitatem a se per parva furta sublatam advertit; & tunc nullam contraxit obligationem restituendi sub mortali, sed eam prævenit: vel non statim restituit; & jam consurgit detentio graviter injusta, indeque obligatio restituendi sub mortali.

Verum & hæc responsio videtur insufficiens, siquidem juxta eam, si fur non statim restituat, sed notabilem quantitatem per parva furta sublatam retineat, mortaliter peccat; ergo antecedenter ad hanc graviter injustam detentionem datur obligatio sub mortali non retinendi; impossibile enim est, ut aliquid cum gravi culpa injustitiæ retineam, nisi illud antecedenter sim obligatus sub mortali non retinere; ergo antecedenter ad injustam retentionem existit obligatio sub mortali restituendi, quippe obligationi non retinendi essentialiter connexa. Atqui obligatio restituendi sub mortali antecedenter ad injustam retentionem non potest impræsentiarum aliunde consurgere, quam ex furtis parvis; ergo &c. Quare hæc responsio videtur id ipsum, quod explicite negat, implicite affirmare.

Respondent tertio La Croix, & alii, quod tunc ex culpa levi nascatur obligatio tantum levis restituendi (partem scilicet levem) quando illa culpa est unica; secus, quando est plurificata, ut in proposito.

Sed nec ista responsio quietat. Nam qui furatur unum aureum, sciens esse aureum, ex errore tamen invincibili credens non esse materiam sufficientem ad mortale, committit unicam culpam venialem, & tamen sub mortali tenetur ad restitutionem aurei, posito, quod hic sit materia gravis; ergo ex culpa levi, etiam unica, potest oriri obligatio gravis restituendi. Revide, quæ diximus *cit. n.*393. quoad alterum conclus. membrum.

Respondetur igitur quarto aliter, dist. maj. Ex culpa levi solum nascitur obligatio levis compensandi partem levem, si illa culpa sit præcisa radix restitutionis faciendæ, con. si non sit præcisa radix restitutionis faciendæ, neg. maj. Sed hic solum intervenit culpa levis, quæ sit præcisa radix restitutionis faciendæ, neg. quæ non sit præcisa radix restitutionis faciendæ, con. min. & neg. cons. Ideo *loc.* in objectione citato diximus, quod ex culpa levi solum nascatur obligatio levis restituendi partem levem: quia ibi obligatio restituendi præcise mensurari debet ex culpa secundum se, & formaliter spectata; aliter, ac in præsenti, quippe ubi etiam gravitas objectiva damni in obligationem restituendi influit. Ratio disparitatis est: quia siquis inferat damnum grave, ignorans, vel non advertens esse grave, aut positive existimans esse solum leve (de quo casu ibi in primo conclusionis membro loquebamur) non cognoscit, & consequenter nec actualiter vult damnum grave; ergo ibi gravitas damni, quippe involuntaria, ad fundandam obligationem restituendi, quæ datur ratione injustæ acceptionis, concurrere non potest. At in casu conclusionis damnum grave cognoscitur, & voluntarium est, quatenus voluntariæ sunt singulæ illius partes per veniales culpas successive ablatæ; & consequenter una cum culpis venialibus, quibus substat, in obligationem restituendi, quæ datur ratione injustæ acceptionis, influere potest, ac influere censenda est.

Instabis. Cui damnum grave non est voluntarium, non potest ratione injustæ acceptionis (vel damnificationis) graviter obligari ad restitutionem; uti immediate fassi sumus: sed lædenti neque in casu conclusionis damnum grave est voluntarium, esto voluntariæ sint singulæ illius partes; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Lædenti neque in casu conclusionis damnum grave, reduplicative, & reflexe cognitum sub ratione damni gravis, est voluntarium, con. specificative, & directe cognitum secundum singulas sui partes, neg. min. Sufficit, quod damnum grave, ut in obligationem gravem restituendi una influat, posteriore modo cognitum, & voluntarium sit.

Urgebis. Cognitio, & volitio singularum duntaxat partium non sufficit, ut per furta parva peccetur mortaliter, nisi cognoscatur damnum grave sub ratione damni gravis; ergo neque sufficiet ad inducendam obligationem restituendi sub mortali.

Confirmatur. Auferens materiam gravem simul, debet præcognoscere, & velle damnum grave, quatenus grave, ut teneatur sub mortali restituere; ergo etiam auferens materiam gravem successive.

Respondetur ad ulteriorem hanc instantiam, neg. cons. Disparitas est, quod in ordine ad restituendum mutetur & objectum, & cognitio ejusdem repræsentativa; nam in acceptione singulæ partes damni solum proponuntur per cognitionem absolutam tanquam disparatæ, & solitariæ, non habentes respectum, aut relationem ad se mutuo; in restitutione autem repræsentantur omnes partes per cognitionem comparativam, & tanquam partes integrantes unum damnum grave, ita, ut voluntas non restituendi nequeat præscindere unam partem a ceteris, nec in singulas seorsim ferri, sed tendat in omnes collective. Unde non est mirum, quod cognitio, & volitio non sufficiat ad peccandum mortaliter, accipiendo successive, & interruptis moraliter vicibus res parvas; sufficiat autem ad peccandum mortaliter, illas retinendo.

Ad confirmat. neg. similiter cons. & parit. Disparitas est: quia auferens materiam gravem simul, cum tendat in omnes partes damni collective sumptas, non potest aliter præcognoscere, & velle damnum, quam reduplicative, & in ratione damni gravis, ut sub mortali obligetur ad restituendum. Contra auferens materiam gravem successive, cum feratur in partes seorsim spectatas, exercet diversum modum cognoscendi, & volendi damnum grave, nimirum ut damnum grave specificative, seu quod est grave, quatenus cognoscit, & vult singulas damni partes: quod æque sufficit ad inducendam obligationem gravem restituendi.

615. Objicies secundo. Recta ratio dictat, Cajum v. g. non obligari sub tantæ culpæ reatu ad restituendam materiam gravem, per culpas veniales successive ablatam, sub quantæ reatu obligatur Titius ad restituendam materiam gravem, per peccatum mortale simul surreptam, posito saltem, quod neuter inde ditior evaserit, neque materia furtiva amplius extet; ergo Cajus non obligabitur ad restitutionem sub mortali, ut Titius, sed sub veniali tantum: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Recta ratio dictat, Cajum non obligari sub tantæ culpæ reatu &c. obligatione enata ex culpis venialibus, & injuriis formalibus secundum se spectatis, con. obligatione enata ex gravitate damni, prout per illas culpas, & injurias causati, neg. ant. & utranque cons.

Instabis. Cajus minus peccavit, quam Titius; ergo obligatur ad minorem pœnam, seu restitutionem.

Respondetur, dist. cons. Metiendo pœnam præcise ex culpa, seu injuria, con. metiendo pœnam simul ex gravitate damni illati, unde impræsentiarum metiri, & taxari debet, neg. cons.

616. Objicies tertio. Si detur obligatio gravis reparandi damnum grave per parva furta illatum, sequitur, quod si plures materiam notabilem Sempronio v. gr.

furtive

furtive sublegerint, quivis auferendo quid modicum, singuli teneantur sub mortali ad restitutionem; sequela videtur nimis dura, & intolerabilis; ergo &c.

Respondetur, dist. seq. maj. Si id fecerint communi consilio, & consensu, con. secus, neg. seq. maj. Si obligatio restituendi sub mortali imponeretur in sensu, & casu posteriore, esset nimis dura, ac intolerabilis; non autem in priori: id quod fluit ex dictis *part. 2. n. 746. & seq.*

Instabis. Ergo poterit alicui damnum grave causari, quin quispiam sub mortali obligetur ad illud reparandum.

Respondetur, con. illatum, supposito, quod damnum causetur posteriore modo: cum enim tunc tale damnum oriatur ex culpis venialibus diversorum hominum, disparate se habentium, satis est, quod singuli teneantur sub veniali restituere, suam quisque partem: hoc quippe præstito, damnificatus habebit totum, quod amisit. Relege, quod habetur *part. 2. n. 749.*

617. Objicies quarto. Propositio damnata, quam supra retulimus, præcise intelligitur de furtis parvis, quæ quis facit cum intentione perveniendi ad summam gravem; ergo per illam decisa censeri non potest secunda pars conclusionis, utpote quæ loquitur de furtis parvis sine tali intentione multiplicatis, & in acceptione se habentibus ad invicem disparate.

Respondetur, neg. ant. Nam illud ibidem ex professo, & de industria deciditur, quod olim vocabatur in controversiam: sed tantum vocabatur in controversiam, num sit obligatio restituendi sub mortali summam notabilem parvis furtis, per intentionem furantis non connexis, ablatam? e. g. si famulus mercatoris quotidie sibi reservarit unum denarium absque intentione ditescendi, seu sibi congregandi summam notabilem? ergo hoc ex professo ibidem deciditur. Contra jam erat indubitatum, teneri sub gravi peccato ad compensationem, qui furta parva fecerit cum intentione perveniendi ad summam gravem; hæc enim intentio est mortaliter peccaminosa, & consequenter omnia furta tanquam actus imperati, & actualis executio intentionis illius, participant gravem malitiam. Unde dubium esse non poterat, lædentem etiam titulo injustæ acceptionis eo casu teneri sub mortali ad compensationem totius damni.

618. Colliges pro pleniori hactenus dictorum intelligentia primo, mensuram obligationis restituendi in conscientia non debere præcise taxari gravitate damni, quod datur, neque a gravitate, aut levitate injuriæ, per quam datur; sed *a gravitate damni scienter, & voluntarie per culpam theologicam dati*, ita ut quis tantundem teneatur restituere, quantum scienter, & voluntarie per culpam theologicam damnum intulit. Id quod censeo fundari in natura Justitiæ, & dictamine naturali: quid enim æquius est, quam ut quis in conscientia teneatur reparare æqualitatem Justitiæ, quantum illa scienter, & voluntarie per culpam theologicam læsit?

619. Colliges secundo, obligationes restituendi leves, ex parvis furtis contractas, coalescere in unam obligationem gravem, non formaliter (cum hoc sit impossibile) sed objective, quatenus per successivas ablationes rerum levium surripitur materia gravis, quæ, mediante cognitione sui collective repræsentativa, constituit objectum obligationis gravis. Revide, quod habetur *part. 2. n. 738.*

620. Colliges tertio, ad hoc, ut furta parva coalescant in unam summam, & moraliter uniantur in ordine ad generandam obligationem gravem restituendi, oportere juxta communiorem Theologorum, ut inter illa non intercedat mora temporis nimium longa: siquis enim (ajunt) v. g. uno anno unam rem levem, altero alteram, tertio tertiam &c. furtive sublegat, & absumat, non obligabitur graviter ad res illas leves restituendas, seu compensandas: quia tanta temporis distantia, & intercapedo impedit unionem moralem furtulorum hoc tali modo commissorum. Quanta autem debeat esse ea temporis distantia, non potest statui regula universalis, sed determinatio pendet a diversitate circumstantiarum, & prudentis judicio. Ita, inquam, sentiunt Theologi communius.

Nihilominus oppositum videtur probabilius, nimirum hujusmodi furta, quantocunque demum tempore interpolata, adhuc inter se uniri. Ratio est: quia & primum damnum datum, & correspondens obligatio restituendi perseverat; ergo dum datur damnum alterum, tertium &c. illud cum istis coadunabitur, augebitque obligationem restituendi: quod sola temporis mora, quæ intercedit, ut ut prolixa sit, non videtur posse impedire. Interim omnes fatentur, ad materiam gravem furti constituendam tunc requiri majorem quantitatem, quam si parum temporis intercedat. Revideantur, quæ diximus *part. 2. n. 743. & seqq.*

621. Dico tertio. Fur non tenetur sub mortali restituere totam summam ablatam, sed illam duntaxat quantitatem parvam, puta, illum denarium, quo prius furtum grave complevit. Ita Card. de Lugo *disp. 16. sect. 3. n. 41.* Tamburinus *lib. 8. tr. 2. c. 3. §. 1. n. 9.* Herincx *part. 3. tr. 2. disp. 8. n. 17.* Viva *part. 1. damnat. Thes. prop. 29. n. 16.* La Croix *lib. 3. part. 2. n. 249.* & alii quam plurimi contra Medinam, Lopez, Babenstuber &c.

Probatur. Quisque sub mortali solum tenetur cavere, ne sua culpa proximus damnum grave patiatur: sed si fur ultimam quantitatem parvam restituit, dominus non amplius patitur damnum grave; ergo &c. Major. constat. Min. prob. Antequam fur ultimum v. g. denarium abstulit, dominus grave damnum non est passus, uti supponitur; ergo si ablatum ultimum denarium fur restituit domino, hoc ipso facit, ne is amplius damnum grave patiatur.

Confirmatur. Si fur ultimum denarium non abstulisset, non peccasset graviter retinendo priorem summam ablatam; ergo nec peccabit graviter retinendo eandem summam, denario illo restituto; cum sic retentio reducta sit ad eundem statum, in quo prius malitiam gravem non continebat.

622. Objicies. Sub mortali quisque tenetur notabile damnum proximo injuriose illatum resarcire: atqui tota summa ablata, & non ultima quantitas parva constituit damnum notabile proximi, seu domini; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Tota summa ablata, si copulative intelligatur, constituit damnum notabile proximi, neg. alias verum esset dicere de qualibet parte, quod graviter damnificaret, si intelligatur copulatim, seu conjunctim, con. min. Hoc enim duntaxat sensu verum est, quod tota illa summa simul conjuncta inferat notabile damnum. Cape distinctionem in exemplo: nam hæc propositio, *omnes Apostoli sunt duodecim*, copulative falsa est, cum sic accepta sensum faciat, quod singuli Apostoli sint duodecim; copulatim autem vera est, cum sic accepta sensum faciat, quod omnes Apostoli, simul sumpti, sint duodecim. Unde, distinctione nostra bene percepta, non sequitur ex argumento, totam summam esse reddendam sub mortali (alias fur vel unicum crucigerum retinens graviter peccaret: quod nemo facile dixerit) sed satis esse ad mortale evitandum, si reddatur ea pars, qua reddita cesset quantitas graviter damnificativa proximi.

Dices. Læsus per ablationem furtivam materiæ gravis, obtinet jus exigendi totam quantitatem simul, & indivisim; nec ullo modo tenetur esse contentus, si ultima solum quantitas parva, quæ ablata est, restituatur; ergo si non tota quantitas restituatur, fit illi injuria.

Respondetur, con. ant. in terminis, in quibus est propositum, dist. cons. Ergo si non tota quantitas restituatur, fit illi injuria levis, con. gravis, neg. cons. Tametsi læsus obtineat jus repetendi totam materiam ablatam, illud tamen est divisibile, sicut & ipsa materia ablata, ac restituenda divisibilis est: unde licet prædictum jus existat magnum, in quantum, ac quandiu respicit materiam gravem; evadit tamen parvum, quando gravitas materiæ aufertur, & in levitatem convertitur per restitutionem partis: & per consequens etiam injuria, quæ in retentione ceterarum partium continuatur, non nisi parva reputatur.

Instabis. Ergo erit obligatio gravis restituendi materiam levem, illam videlicet partem, quæ, reliquis partibus adjecta, materiam ablatam in ratione materiæ gravis constituebat.

Respondetur, dist. illatum. Erit obligatio gravis restituendi materiam levem tam absolute, quam respective, neg. materiam levem absolute solum, respective vero gravem, con. illatum. Licet illa pars secun-

dum

dum se, & absolute spectata, existat materia levis; respective tamen, & quatenus dicit habitudinem ad reliquas partes, existat materia gravis, fundatque obligationem gravem restituendi &c.

623. Colliges, id quod in conclusione dictum, etiam procedere, siquis summam notabilem non successive, & per partes, sed simul abstulerit: sufficiet quippe in hoc etiam casu ad vitandam gravem culpam retentionis, si restituat partem, qua restituta non amplius maneat notabilis summa retenta. Sumitur hæc extensio *ex probat. & confirmat.* supra pro conclusione adductis, & hic facile applicandis, prout pensanti patebit.

ARTICULUS II.

An Oeconomi teneantur ad aliquam restitutionem ratione lucri ex rebus emptis comparati?

SUMMARIUM.

624. Status quæstionis. 625. Oeconomi non tenentur restituere portionem pretii, si vere in ipsorum gratiam remissa sit. 626. Communiter tamen restituere tenentur. 627. & seqq. Solvuntur objectiones, & fit corollarium pro praxi.

624. PRænotandum, non raro contingere, ut venditores, a quibus œconomi, pro suo quisque domino, aliique domesticis, ordinarie emere alimenta solent, iis de consueto pretio aliquid remittant. Quæritur jam, utrum œconomi remissam pecuniæ portionem sibi retinere possint?

625. Dico primo. Si venditores de consueto rerum pretio aliquid remittant vere in gratiam œconomorum, & propter amicitiam, quam habent cum ipsis, possunt hi illud retinere, nec tenentur suis dominis restituere. Palao *disp. 5. de Just. pun.16. n.3.* Lugo *disp. 26. sect. 9. n. 153.* Tamburinus *lib. 8. tr.3. capit. 7. §. 10.* Herincx *part. 3. tr. 3. disp. 4. n. 29.* Illsung *tr. 4. disp. 3. n. 404.* & alii.

Probatur, Oeconomi licite retinent, quod ipsis vere donatur; sed quod remittitur de consueto pretio, in casu conclusionis ipsis vere donatur; ergo illud licite retinent, nec tenentur reddere suis dominis. Maj. est certa Min. ostenditur. Quod venditores de consueto pretio remittunt, præcise remittunt in gratiam œconomorum, & propter amicitiam, quam cum ipsis fovent, non remissuri, si talis amicitia abesset, prout indigitant termini conclusionis; ergo illud œconomis vere donant: consequenter &c. Nihilominus.

626. Dico secundo. Communiter non possunt œconomi remissam pecuniæ portionem retinere, sed tenentur restituere suis dominis. Authores pro 1. conclus. adducti.

Probatur. Communiter venditores non vere remittunt in gratiam œconomorum, sed tantum decipiunt sub specie amicitiæ; ergo communiter œconomi nec titulo donationis, nec alio acquirunt dominium portionis remissæ; & per consequens &c. Cons. constat: quia per fictam remissionem œconomis nihil donatur &c. Ant. ostenditur, & declaratur. Communiter venditores tantum blandiuntur œconomis, & ajunt, se remittere de justo pretio, ut illos ad tabernas suas alliciant, & lucrum habeant: sed hac ratione in gratiam œconomorum nihil vere remittunt de justo pretio; cum eundem agendi modum etiam cum aliis emptoribus ordinariis usurpare soleant; ergo &c.

627. Objicies contra hanc conclus. primo Oeconomi (vel œconomæ) sæpius insistunt apud venditores, ut de pretio aliquid remittant: & plerumque etiam obtinent aliquam remissionem; ergo quod remittitur, ipsis cedit.

Respondetur, neg. cons. Nam œconomi, quando officium suscipiunt, obligant se, saltem tacite, dominis suis, quod eorum negotium utiliter gerere velint: unde si obtineant a venditoribus aliquam remissionem de consueto rerum emptarum pretio, quod remittitur, non ipsis accrescit; sed dominis cedit, cum alioquin horum negotium non utiliter gereretur.

628. Objicies secundo. Quando venditores aliquid remittunt de consueto pretio, jam illud dant de suo, & quidem œconomis, non dominis. Porro licet remittant ex intentione alliciendi œconomos ad suas tabernas; ea tamen ratio non dominos, sed œconomos respicit, ergo non apparet, cur negetur, remissionem vere fieri in gratiam œconomorum: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. Si enim venditores utantur fallacia, & eodem pretio aliis quoque emptoribus ordinariis merces vendant, non de suo, sed de alieno dant, quod remittunt. Nec obstat, quod œconomi remissionem petant, & venditores dicant, se in gratiam illorum remittere; quia hæc industria est una ex ordinariis, ad quam œconomi obligantur ex officio, vi cujus dominorum suorum negotium utiliter gerere tenentur. Deinde consuetudo obtinet, ut venditores cum suas tabernas frequentantibus mitius agant, & de rigore pretii aliquid remittant. Ubi proin bona verba ad œconomos, lucrum vero pertinet ad dominos, quorum voluntas est, ut œconomi illas adeant tabernas, in quibus cum ordinariis emptoribus humaniter, & pretio tolerabili solet tractari. Tandem venditores pretium saltem infimum ab œconomis petunt, neque de eo quidquam remittere solent; majus autem non tenentur domini solvere, quando œconomi per ordinariam industriam, & agendi dexteritatem exculenta tali pretio valent comparare: consequenter portio pecuniæ, de pretio summo, vel medio remissa, ad dominos revertatur, oportet.

629. Colliges, quod, licet œconomus portionem, de consueto pretio remissam, sibi tanquam propriam retinere non possit ex hucusque dictis; licite tamen illam asservet in alios usus familiæ, præsertim si Pater- aut Materfamilias adeo rerum tenax sit, ut pro teruncio ad ravim usque litiget. Ita communis DD. Ratio est: quia, præterquam quod œconomus hoc agendi modo præcaveat vexas alioquin sustinendas, nullum Domino damnum creat; qui proin memorata asservatione non potest esse rationabiliter invitus.

ARTICULUS III.

Utrum Ancillæ teneantur ad aliquam restitutionem ratione esculentorum, & poculentorum, a se absumptorum, vel aliis datorum?

SUMMARIUM.

630. Fit reflexio ad quantitatem materiæ in furtis ancillarum. 631. & seqq. Non peccant graviter ancillæ, nec sub mortali (imo neque sub veniali) tenentur ad restitutionem, si residua esculenta, & poculenta ordinaria sæpe sibi usurpent, vel pauperibus, aut operariis in familiæ obsequio occupatis, erogent; secus, si dent aliis personis extraneis, vel vendant: ubi etiam solvuntur objectiones interjectæ.

630. PRænotandum, & recolendum ex dictis *part. 2. n. 757.* majorem quantitatem requiri, ut ancillæ (vel alii domestici) graviter peccent peccato furti, quam ut sic peccent personæ extraneæ. Ratio est: quia domini respectu suorum domesticorum, præsertim quoad esculenta, & poculenta, censentur minus inviti, quam respectu exterorum. Hoc supposito,

631. Dico primo. Non peccant graviter ancillæ (idem cogita de servis) & per consequens non tenentur sub gravi peccato ad restitutionem, licet residua esculenta, & poculenta ordinaria sæpe subtrahant, sibique moderate usurpent. Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 21. n. 31.* Herincx *part. 3. tr. 2. disp. 8. n. 16.* Cardenas *in 2. crif. differt. cap. 23. c. 3. n. 117.* & alii communiter.

Probatur. Si ancillæ sibi sæpius usurpando residua esculenta, & poculenta ordinaria non habeant dominos graviter invitos, non peccant graviter; & per consequens non tenentur sub gravi peccato ad restitutionem: atqui id sic faciendo non habent dominos graviter invitos; ergo &c. Maj. constat: siquidem ad furtum grave requiritur, ut sic acceptio rei alienæ, domino graviter, & rationabiliter invito, prout relinquitur ex dictis *part. 2. n. 724.* Min. prob. Domini circa hæc furta non sunt inviti quoad substantiam rei acceptæ, sed tantum quoad modum accipiendi; ergo non sunt graviter inviti. Ant. ostenditur. Nam licet domini probe noverint, similia ab ancillis, & aliis domesticis

passim

passim practicari, haud tamen impediunt, &, si rogarentur, facile concederent; ergo &c.

Dixi autem 1. *residua esculenta &c.* Nam si ancillæ esculenta, recens comparata, in suos, aliorumve domesticorum usus convertere attentarent, facilius, ac citius pertingerent ad eam quantitatem, ob cujus subtractionem domini graviter inviti forent: quamvis & hoc casu non illico peccati gravis redarguendæ sint, præsertim quando ipsis, aliisque domesticis de victu ordinario tenuiter provisum est.

Dixi 2. *ordinaria* Nam quæ pretiosa sunt, & accurate concludi, mensæque alteri reservari solent, in notabili quantitate usurpari sine gravi peccato, & obligatione restitutionis ab ancillis, & servis non possunt: quia hic domini non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, & graviter inviti censentur; prout hujusmodi rerum pretium, & solicita earundem custodia indigitant. Hinc La Cnix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 1016. peccati mortalis condemnant servum pistoris, qui similagines pro sex imperialibus per annum clam comedit; & Sporerus *in Decal. tr.* 5. *c.* 5. *n.* 58. famulum (vel ancillam) si in cellam vinariam descendat, & quotidie per mensem ebibat duas (addo: vel etiam unam duntaxat) mensuras vini in loco, ubi illud caro stat pretio.

632. Objicies. Si ancilla sæpe, & singulis fere diebus de residuis esculentis aliquid absumat, sensim ad notabilem quantitatem perveniet; ergo peccabit graviter, & sub mortali ad restitutionem tenebitur: quia ablata notabilis quantitas constituit grave peccatum furti, inducitque commensuratam obligatinnem restituendi.

Respondetur, neg. cons. & rationem ejus probativam dist. Si illa quantitas fuerit ablata, domino quoad substantiam, & graviter invito, con. secus, neg. Ad grave peccatum furti duo requiruntur, videlicet notabilis quantitas rei alienæ ablatæ, & dominus graviter invitus: si alterutrum deficiat (quemadmodum in casu conclusionis evenit, utpote in quo deficit secundum) non committitur grave peccatum furti, neque contrahitur gravis obligatio restituendi. Hac de causa furtum, quod est grave respectu extranei, nnn censetur continuo grave respectu filii.

633. Dico secundo, Neque ancillæ graviter peccant, nec per consequens graviter obligantur ad restitutionem, si residua esculenta, & poculenta ordinaria erogent in pauperes, aut illas personas, quarum opera subinde in negotiis domesticis adjuvantur. Hæc conclusio videtur admitti debere ab omnibus, a quibus admittitur præcedens; veluti patebit dicta, & dicenda consideranti, ac combinanti.

Probatur igitur in hunc modum. Nam & in hoc casu domini non censentur quoad substantiam, & graviter inviti; ergo &c. Prob. ant. Vel enim forent graviter inviti ratione damni, quod paterentur; vel ratione personarum, quibus esculenta præberentur: neutrum dici potest; ergo &c. Min. ostenditur. Dici quippe nnn potest primum; siquidem non incurrunt domini aliud damnum, quam si reliquiæ ciborum ab ancillis, aut aliis domesticis absumerentur. Nec dici potest secundum; licet enim personæ sint extraneæ, existunt tamen pauperes, quibus Christiana Charitas, vel in familiæ obsequio subinde occupatæ, quibus gratitudo exigit indulgeri ciborum reliquias, absque considerabili dominorum præjudicio impertiendas.

634. Objicies. Pauperes, & operarii sunt æque extranei, ac alii: sed domini graviter inviti sunt, si ancillæ liberaliter donent esculenta, & poculenta aliis extraneis; prout dicemus infra; ergo etiam, si pauperibus, & operariis &c.

Respondetur, neg. maj. Quia pauperes titulo Charitatis, & operarii titulo gratitudinis præ aliis exteris conjuncti sunt; & utriusque domini aliquo modo manent obligati; ut proinde graviter ferre non possint, si ipsorum vices obeant misericordes ancillæ.

Dices. Domini, re cognita, ancillis irasci, easque increpare solent; imo nonnunquam iisdem prædictas elargitiones prohibere; ergo signum est, quod sint inviti quoad substantiam, & graviter.

Respondetur, dist. cons. Idque rationabiliter, neg. irrationabiliter, trans. cons. Vel enim domini irascuntur ancillis graviter, vel leviter? Si primum; clarissimum aut avaritiæ, aut immisericordiæ indicium dant, aguntque irrationabiliter, adeoque nulla, aut certe modica eorum ratio habenda est; sicut & prohibitionis, quam forte ex alterutro motivo ferunt: melius quippe est, ciborum reliquias pauperibus, vel operariis dari, quam in culina mucescere, aut a vermibus corrodi. Si secundum; seu si ancillis leviter solum irascantur, easque moderate increpent, ostendunt tantum, displicere sibi modum subtrahendi clanculum, & distribuendi prædictas reliquias: quæ displicentia non arguit, dominos esse graviter invitos. Quod si domini memorata Charitatis obsequia ancillis prohibeant ex justa causa, v.g. ob periculum excessus in elargiendo, prohibitio quidem respicienda erit ab ancillis; contra tamen faciendo infidelitatis, aut gravis peccati non illico condemnandæ sunt, nisi reipsa graviter excedant.

635. Quæres, utrum ancillæ in primæ, & secundæ conclusionis casu teneantur saltem sub veniali ad aliquam restitutionem?

Respondetur negative. Ita insinuat P. Herincx *loc. & n. cit.* videturque esse communis DD. & Confessariorum sensus. Ratio est: quia licet ancillæ usurpando, aut distribuendo ciborum reliquias forte deliquerint venialiter (quod tamen ipsum negari potest, ex dictis *part.* 2. *num.* 756.) puta ob modum clancularium procedendi, dominis displicitum, inde tamen non resultat obligatio restituendi, prout relinquitur ex alibi dictis: vel certe domini non censentur velle, ut tali casu aliqua sibi restitutio fiat; quemadmodum notat P. Herincx *cit.*

636. Dico tertio. Ancillæ peccant graviter, & sub mortali ad restitutionem tenentur (1.) si aliis extraneis liberaliter donent; & a fortiori (2.) si vendant esculenta, aut poculenta. Ita Amicus *de Justit. tr.* 38. *n.* 51. Herincx *loc. cit.* aliique Authores supra pro prima conclus. relati.

Probatur prima pars. Domini rationabiliter possunt, & solent esse graviter inviti, si esculenta, & poculenta extraneis, quibus aliunde obligati non sunt, liberaliter distribuantur; ergo ancillæ sic distribuentes graviter peccant, sub mortali tenentur ad restitutionem. Prob. ant. Et quidem, quod sint rationabiliter inviti, ostenditur ex defectu causæ rationabilis, qualem domini nullam habent, ob quam memoratis extraneis esculenta, & poculenta liberaliter dispensari permittant. Quod etiam sint graviter inviti, satis, & aperte colligitur ex vehenti indignatione, quam concipere, & prodere solent, dum inaudiunt, vel experiuntur, ab ancillis, aliisve domesticis magnam comestibilium, aut potabilium copiam præberi extraneis, quibus nullo sive Charitatis, sive Gratitudinis titulo obstricti sunt: imo subinde iisdem ancillis, aut famulis de salario annuo partem detrahunt, & fures proclamant.

Probatur etiam secunda pars conclus. Quia ancillæ, & famuli habent suum taxatum salarium; & domini neutiquam ferunt, ut e rebus suis ditescant: imo id absque suo gravi damno pati non possent; cum patiendo ancillis, & famulis, lucri cupidis, præberent ansam sæpius inter ciborum quisquilias rejiciendi, quæ familiæ servari, & iterato apponi possent. Ergo &c.

Diai in conclus. *liberaliter*. Nam si raro, & in modica quantitate id fiat, non committitur grave peccatum furti, nec contrahitur obligatio, saltem gravis, restituendi: tum quia plus in esculentis, aut poculentis, aut vestibus ad gravem materiæ quantitatem requiritur: tum quia, quod raro, & per longiora temporis intervalla contingit, non tam facile in unam summam coalescit: tum quia hoc furtum, etiam ea eo capite minuitur, quod a domesticis committatur. Hinc peccati gravis arguenda non foret ancilla, quæ subinde sartori, vel netrici, cujus opera in suorum confectione, aut refectione vestimentorum indiget, parum de ciborum reliquiis communicaret; aut cellaria, quæ semel, aut bis in mense dimidiam cerevisiæ mensuram in signum gratitudinis, & præter justam mercedem elargiretur.

637. Objicies contra 2. partem conclus. Videtur esse ancillarum industria, si ex residuis esculentis, aut poculentis lucrum faciant; ergo sicut in casu præcedentium conclusionum, ita & in casu præsentis conclusionis domini non possunt esse rationabiliter, & graviter inviti: consequenter &c.

Respon-

Respondetur, neg. ant. Nam ancillarum industria potius exigit, ut dominorum commoda curent. Et certe si ejusmodi industriæ ancillis permissæ essent, multis fraudibus, & incommodis janua pateret: prout supra insinuatum. Unde neg. etiam conf. & parit. Quod enim ancillas gravis peccati non arguamus, si residua esculenta sibi usurpent, aut egenis, vel operariis in familiæ obsequio occupatis, dispensent; est: quia, cum inde nullum illis lucrum accedat, nullis fraudibus, aut incommodis, quæ domini patiantur, januæ aperitur; adestque rationabilis causa Charitatis, aut Gratitudinis; ut proinde domini merito præsumantur tunc non inviti, saltem rationabiliter, & graviter; secus, ac in præsenti; ut ex dictis constat. Et hæc, quæ in præsenti articulo deduximus, jam tacta sunt in *part. 2, num. 756.*

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

638. Laurentius, qui Laurentinum a consecutione Cathedræ ex puro odio impedivit, ad nullam obligatur restitutionem. 639. Lupicinus, qui Lucerio mendaciter persuasit, pollutionem &c. culpa vacare, peccavit contra Charitatem, Castitatem, & Justitiam, tenetorque ex lege Justitiæ suam male sanam doctrinam revocare &c. 640. Leodegarius licite inducitur, ut ingrediatur Monasterium diversum ab illo, quod prius ingredi decreverat. 641. Liberius, qui Liberianum interfecit, tenetur hujus hæredibus compensare omnia damna realia inde consecuta; non autem personalia. 642. An, & quomodo Leovigildus teneatur ad restitutionem ex indirecta damnificatione, causata per homicidium? 643. Leander Aulicus graviter peccat, & ad restitutionem tenetur sub mortali, ob repetitas detractiones leves contra Leurenium, æmulum suum, apud Principem effusas. 644. Leopoldus, fraudulentus præmisor, tenetur sub gravi peccato ad restitutionem. 645. An Lucianus graviter peccaverit, & teneatur ad restitutionem ob furta parentibus facta &c.

CASUS I.

638. Laurentius, Jurium Professor, Laurentinum, suum quondam Discipulum, nunc autem Cathedra in eadem Universitate Canditatum vere dignum, impedivit ab officio Professoris ex odio, quod erga ipsum (nescio, qua de causa) paulo ante conceperat, & hactenus in pectore fovebat. Quæritur, an Laurentius obligetur Laurentino ad aliquem restitutionem?

Respondetur negative, si in impediendo nulla fraude, vel dolo usus fuerit. Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 17. *c.* 2. *n.* 117. Sanchez *lib.* 1. *Consil. c.* 1. *dub.* 49. & alii communius contra alios. Ratio est: quia si Laurentius obligaretur ad restitutionem, causa esset malus animus, & odium, quo Laurentinum ab officio Professoris impedivit: hæc ratio nulla est; ergo &c. Maj. est Adversariorum. Min. ostenditur. Malus animus, sive odium ex se tantum offendit Charitatem, & non Justitiam; ergo ex se, & nisi alius actus imperatus, qui sit injuriæ illativus, accedat, nullam inducit obligationem restituendi. Atqui in Casu non supponitur accessisse aliquis actus imperatus, qui fuisset injuriæ illativus: cum ibi non ponatur Laurentino competiisse titulum, aut jus aliquod ad Cathedram; ergo &c. Robur accipit responsio ex dictis *n.* 385.

Dixi autem: *si in impediendo nulla fraude, vel dolo usus fuerit.* Si enim fraus, vel dolus intercessisset, vera Laurentino fuisset illata injuria; cum habuerit jus rigorosum, ne per fraudem a consecutione officii, licet ceteroquin sibi indebiti, impediretur: ex qua proinde Injuria, damno juncta, in Laurentio resultasset obligatio restituendi, juxta qualitatem spei certæ, vel probabilis a Laurentino habitæ de assecutione officii.

Dices. Si Laurentius ad nullam teneatur restitutionem, licet ex odio impediverit Laurentinum a consecutione Cathedræ, neque tenebitur ad restitutionem, si ex odio erga suum D. Collegam, Discipulos ab ejus Collegiis abstraxerit: sequela autem non videtur admittenda; ergo &c.

Respondetur, con. majorem, si absit dolus: at neg. min. Cum enim Discipuli citra peccatum injustitiæ pro libitu possint Collegia hujus, vel illius Professoris frequentare, etiam alter citra injustitiam poterit suadere, & rogare, ut sua frequentent; quamvis id faciat ex odio erga suum Collegam, & proprii commodi, ac honoris causa. Nec refert, quod ita procedendo suum Collegam damnificet: quia talis damnificatio, cum (ex immediate dictis) non sit injuriosa, nullam inducit obligationem restitutionis.

Colliges, quod oppositum esset dicendum, si Laurentinus in Casu poneretur habuisse jus ad Cathedram, ortum ex aliquo titulo, propter quem conceditur actio personalis ad rem: tunc quippe Laurentius ipsum impediens absque dubio peccasset contra Justitiam, & oneri restitutionis obnoxius foret juxta æstimationem, & proportionem spei, in jure Laurentini fundatæ, relate ad consecutionem officii. Ratio patens est; quia in Casu sic formato damnum datum fuisset per violationem juris alieni; quod pugnat contra Justitiam, & secum trahit obligationem restitutionis.

CASUS II.

639. Lupicinus, Theologiæ Studiosus, Lucerio, Rhetoricæ Studioso, Contubernali suo, mendaciter persuadet, pollutionem, ut & copulam imperfectam cum foinina, culpa vacare. Unde fit, ut Lucerius libere & quasi sine fræno in memorata peccata ruat. Quod cum non ignoret Lupicinus, pænitet, & facto ipse suo vehementer angitur, ac torquetur. Adit proinde Confessarium, suam culpam agnoscit, & confitetur, rogatque sibi monstrari viam, qua tanto malo remederi queat. Qualiter Confessarius Lupicinum judicabit, & diriget?

Respondetur. Confessarius judicabit, Lupicinum gravissime peccasse contra Charitatem, Castitatem, & Justitiam. Contra Charitatem, & Castitatem peccavit Lupicinus: quia proximo dedit occasionem ruinæ spiritualis, & in materia luxuriæ; contra Justitiam vero: quia eum mendaciter, & fraudulenter induxit ad practice, & in puncto morali errandum, unde eidem gravissimum malum spirituale animæ, quale etiam censentur peccata materialia, consecutum est. Quare Confessarius Lupicino dicat, oportet, quod etiam lege Justitiæ teneatur suam male sanam doctrinam revocare, ac oppositam suggerere, omnibusque modis moraliter possibilibus allaborare; ut Lucerium a prædictis criminibus, posthac committendis, retrahat, & ad meliorem frugem reducat. Ita DD. communiter. Sed

Dices. Consilium dolosum, & mendax, est tantum contra Veritatem, & non contra Justitiam; ergo Lupicinus saltem contra justitiam non peccavit; & consequenter ex lege Justitiæ ad nullam obligatur restitutionem.

Respondetur, neg. ant. vel dist. Consilium dolosum, & mendax, est tantum contra Veritatem, si spectetur formaliter, & quatenus præcise continet mendacium in ratione puri mendacii, con. si spectetur illative, seu imperative, & quatenus continet mendacium perniciosum, ac juris alieni violativum, neg. ant. & cons. Distinctio liquet ex dictis.

CASUS III.

640. Leodegarius, adolescens dives, & præclaris naturæ donis ornatus, cogitat certum quodam Monasterium ingredi, jamque ab Abbate hujus indubitatam admissionis spem habet. Quod dum inaudit Abbas alterius Monasterii vicini, Leodegarium vacantiarum tempore ad suum Monasterium invitat, comparentem laute in mensa tractat, propositis munusculis recreat, Disciplinam claustralem inter suos Religiosos vigentem deprædicat, ut Leodegarium ad ingressum sui potius Monasterii, quam alterius, alliciat. Nec incassum; nam Leodegarius recogitans corde, hoc Monasterium esse ejusdem Regulæ, & Religionis, omniaque in eo, si non majorem, saltem æque magnam, ac in altero, commendationem mereri, in idem, mutato animo, suscipi rogat,

impe-

impetratque. Quæritur, utrum Abbas secundi Monasterii aliquam sibi culpam consciscat, & restitutionis oneri subjaceat?

REspondetur cum communi DD. negative. Ostenditur responsio, & declaratur: Vel enim peccaret Abbas contra virtutem Religionis peccato Simoniæ; vel contra virtutem Justitiæ; vel saltem contra virtutem Charitatis? Non primum; prout fluit ex dictis *parte 2. n.* 363. Non secundum: quia priori Monasterio nullum adhuc erat acquisitum jus in personam Leodegarii; alias neque Leodegarius ipse proprio motu, & a nemine inductus, animum mutare, atque aliud Monasterium absque peccato injustitiæ intrare potuisset: quod nemo facile dixerit. Neque tertium: quia Abbas usus fuit suo jure, & adinstar Ciceronis fletit pro Domo sua; neque intendit (ut supponitur) damnum alieni, seu prioris Monasterii, sed quæsivit emolumentum proprii; idque per actiones de se licitas, ac honestas, nulla, sive odii, sive alterius vitii circumstantia infectas. Confirmatur. Quod quis potest licite per seipsum facere, ad id faciendum licite induci potest: atqui Leodegarius potuit licite per seipsum, seu proprio motu alterum Monasterium intrare; ergo ad id faciendum potuit licite induci. Ex quibus fluit, quod Abbas inducens non obligetur ab aliquam restitutionem, utpote quæ in præsenti deberet supponere peccatum injustitiæ; quale tamen in Casu non intervenit; præsertim cum Abbas nullam fraudem, vel dolum commiserit: prout supponitur; imo satis clare innuitur in Casu.

C A S U S VI.

641. *Liberius, & Liberianus, ambo Jurium Studiosi, arcto alioquin amicitiæ fœdere juncti, semel, ubi largius biberant, verbis injuriosis; imo pugnis, ac verberibus mutuo certant, & rixantur: cumque rixa magis exardesceit, strictis insuper gladiis se petunt; donec tandem Liberius Liberianum lethali vulnere sauciet, ex quo is brevi post moritur. Quæritur, ad qualemnam restitutionem teneatur Liberius, vel, ipso non amplius superstite, hæredes ejus?*

RËspondetur, quod Liberius, vel ejus hæredes teneantur ad restitutionem (1.) pro omnibus damnis realibus, quæ hæredibus Liberiani ex hujus occisione emerserunt; non vero (2.) ad restitutionem pro damno personali vitæ. Ratio primi membri est: quia damna realia ex natura rei reparabilia sunt, & ex homicidio, ceu injusta eorum causa, in hæredes occisi promanarunt. Revide, quod diximus *n.* 587. & *n.* 690. Ratio secundi membri est: quia licet homicida etiam damni personalis, in bono vitæ illati, injusta causa extiterit; illud tamen ex natura rei irreparabile est: prout ostensum ivimus *n.* 576. consequenter &c. Nec dicas, homicidam, vel hæredes ejus, videri saltem obligatos ad dandas pro anima occisi eleemosynas, procuranda suffragia, Sacrificia Missæ &c. ut, si illa forte detineatur in purgatorio, inde liberetur. Contra enim neg. assumptum. Nemo quippe vi Justitiæ commutativæ tenetur resarcire damnum ex bonis diversi generis, ac ordinis, si id non possit ex bonis ejusdem generis, ac ordinis cum sola bona ejusdem generis, ac ordinis inter se commensurari possint secundum proportionem dati, & accepti, ex dictis *n.* 576. *cit.* atqui bonum vitæ (præterquam quod ex se sit irreparabile) & bonum, quod procuratur per eleemosynas, suffragia &c. sunt diversi generis, ac ordinis: illud quippe accensetur bonis temporalibus, istud vero spiritualibus; ergo &c. Interim nemo negat, quin Judex per sententiam, aut Confessarius per præceptum pro Sacramentali satisfactione similia homicidæ imponere possit, animæ occisi virtute Justitiæ vindicativæ applicanda. Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *c.* 6. *n.* 2. Mezger *tr.* 12. *disp.* 37. *art.* 5. *n.* 5. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 2. *n.* 17.

C A S U S V.

642. *Leovigildus occulte occidit Lælium: venit in suspicionem patrati homicidii Leontius, qui cum Lælio exercebat simultates: capitur propterea, carceri mancipatur, & post confessionem criminis, tormentorum vi expressam, capite plectitur. Quæritur, an Leovigildus ex Justitia teneatur hæredibus Leontii resarcire damna ex suo homicidio enata?*

RËspondetur primo. Leovigildus tenetur ex Justitia id omne compensare hæredibus Leontii, quod hi (vel ipse Leontius, cum adhuc viveret) per sententiam Judicis expendere compulsi fuerunt in compensationem damnorum Lælio, seu ipsius hæredibus directe illatorum. Ratio est: quia Leovigildus tenetur ex Justitia resarcire omnia damna realia, quæ Lælio, ejusque hæredibus directe intulit; ergo etiam tenetur ex Justitia refundere sumptus illis, qui loco, & vice ipsius illa damna compensarunt. Sed in Casu hæredes Leontii loco, & vice Leovigildi illa damna compensarunt; ergo Leovigildus tenetur ex Justitia sumptus factos hæredibus Leontii refundere.

Respondetur secundo. Si Leovigildus occisioni Lælii adjunxerit eas circumstantias, propter quas merito homicidium imputatum est Leontio (v. g. si usus fuerit vestibus, famulis, armis Leontii ignari, vel inviti, ad cædem patrandam) tenetur iisdem ex Justitia compensare omnia damna realia, hæredibus Leontii ex occisione Lælii enata. Ratio est: Leovigildus hoc procedendi modo extitit causa moralis, eaque injusta, ut Leontio imputaretur homicidium; ergo etiam, & per consequens moraliter influxit in damna Leontio, sive ejus hæredibus ex homicidio enata; quæ proinde ex Justitia tenebitur compensare.

Respondetur tertio. Ex eo præcise, quod Leovigildus occiderit Lælium, non tenetur damna Leontio, vel ejus hæredibus inde consecuta, compensare, esto illorum sequelam præviderit, vel etiam intenderit. Ratio est: quia non fuit causa realis ejusmodi damnorum per actionem externam injustam; ergo non tenetur ad illorum compensationem. Cons. constat ex dictis *n.* 385. Ant. ostenditur. Nam neque physice, ut patet; neque moraliter in ea influxit: cum non ideo Leontio imputatum sit homicidium, quod Leovigildus id patrarit; sed propter alias conjecturas, ad quarum subministrationem Leontius non concurrebat, ut supponitur: ergo &c. Ita quoad omnem trinam responsionem Mezger *tr.* 12. *disp.* 32. *art.* 6. *n.* 7. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 4. *art.* 3. *n.* 45. & alii apud ipsos.

C A S U S VI.

643. *Leander Aulicus frequenter mentionem facit apud Principem Leurenii æmuli sui, & semper hujus leve aliquod delictum subinde verum, subinde falsum immiscet. Quæritur, utrum Leander per ejusmodi repetitas detractiones peccet mortaliter, & teneatur sub gravi culpa ad restitutionem famæ Laurenio faciendam?*

RËspondetur affirmative, supposito saltem, quod Leurenius antea apud Principem extiterit integræ famæ. Lugo *de Just. disp.* 16. *n.* 46. Burghaber *cent.* 2. *cas.* 87. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 1208. Ratio est: quia Leander iterando detractiones, etsi de se leves, notabiliter imminuit famam Leurenii apud Principem, adeo, ut iste non immerito exiguam de Leurenio concipiat opinionem, eumque ad majora Aulæ negotia ineptum, vel certe notabiliter minus aptum judicet; ergo Leander iterando detractiones, etsi de se leves, infert Leurenin notabile damnum in bono famæ; sicut quis iterando furta parva infert tandem domino notabile damnum in bono fortunæ; ergo Leander peccat mortaliter, & sub gravi culpa tenetur ad restitutionem famæ Leurenio faciendam. Confirmatur. Si Leander illa Leurenii delicta venialia, quæ narrat Principi successive, narraret simul, notabiliter imminueret famam Leurenii, mortaliter peccaret, & sub gravi culpa teneretur ad restitutionem famæ: prout tradit P. Burghaber *cit.* & mihi omnino persuasum est; ergo etiam, dum narrat successive, & interpolatim: quia defectus illi veniales in memoria Principis retinentur, uniuntur, atque eundem effectum causant, quem causarent simul narrati.

Dices. Detractiones leves non uniuntur in ordine ad causandum notabile detrimentum famæ; ergo non constituunt peccatum grave.

Respondetur, dist. ant. Non uniuntur, si fiant apud di-

versos audientes, con. & apud eundem, ut in Casu, neg. ant. &c, sub data distinctione, conf.

Instabis. Ergo paritas de furtis parvis assumpta non tenet; cum ejusmodi furta, etiam diversis facta, tandem coalescant in furtum grave, ex dictis *part.* 2. *n.* 741.

Respondetur cum *alter.* 1. *dist. ant.* Non tenet in omni casu, con. in nostro casu, neg. illatum. Ratio autem disparitatis inter furta parva diversis dominis facta, & inter detractiones leves coram diversis audientibus effusas, est, quod faciens furta parva diversis lucrum notabile sibi acquirat; sicque ditescat ex alieno, contra gravem prohibitionem legis naturalis: unde in similibus furtis non tam debet attendi damnum, quod læsi patiuntur, quam quantitas lucri, quod lædens acquirit per injuriam, prout advertimus *part.* & *n. citt.* Faciens autem detractiones non reportat lucrum, sed solum infert damnum in bono famæ; cujus proinde damni quantitas unice attendenda venit: unde si id sit leve, esto plurificetur, uti fit, quando detrahens detractiones leves effundit coram diversis audientibus, non committitur peccatum grave detractionis, sed plura venialia; neque inde resultat obligatio restituendi sub mortali, cum hæc in præsenti deberet oriri ex graviter injuriosa illatione damni notabilis &c. Atque ut paucis totum complectar, furta parva, diversis facta, uniuntur, & coalescunt in furtum magnum ratione notabilis lucri furanti accrescentis; detractiones leves vero deberent uniri, & coalescere in detractionem gravem ratione damni; quod tamen fieri non potest, quando ejusmodi detractiones effunduntur coram diversis, cum tunc damnum, quod infamatus apud singulos patitur, non sit grave, sed tantum leve, & multiplex; ut dictum, & sumitur præterea ex eo, quod detractiones illæ non habeant substratum, seu fundamentum, puta subjectum graviter patiens, vel objectum, seu materiam restantem, vi cujus uniantur, & coalescant.

Dixi in respons. ad Casum: *supposito saltem &c.* Si enim Leurenii fama apud Principem jam antea fuisset per alios notabiliter imminuta, & proscissa, Leander non illico damnandus foret peccati, saltem mortalis. Sed de hoc videri possunt dicta *in part.* 2. *n.* 640. Quod si fama Leurenii leviter solum apud Principem per alios imminuta fuisset, & Leander per aliquam detractionem superadditam, etsi de se levem, scienter effecisset, ut fama ejusdem Leurenii notabiliter imminueretur, peccatum grave commisisset; quia famam Leurenii notabiliter læsisset. Quare & tali casu non tenet paritas inter parva furta eidem a diversis facta; & inter leves detractiones coram eodem audiente a diversis effusas: quia tali casu effundens ultimam detractionem infert notabile damnum in bono famæ; sicut infert notabile damnum in bono vitæ, qui læso per plura vulnera levia, adhuc unum, esto de se leve, infligit, ex quo, ceteris additu, vulneratus moritur, alias supervicturus. Aliter res se habet de faciente in eo casu ultimum furtum parvum, prout notatum, & explicatum habes *part.* 2. *n.* 950. Cardinalis de Lugo ubi supra *n.* 62. & La Croix *loc. ac n. citt.*

Colliges pro ampliori dictorum declaratione, & intelligentia, quod, licet non sit paritas inter leves detractiones de eodem coram diversis effusas, & inter parva furta ab eodem diversis facta (ex dictis *in respons. ad instant. supra*) esse tamen paritatem inter illiusmodi detractiones leves, & inter leves damnificationes puras, seu rei destructivas, ab eodem diversis factas in bonis fortunæ, v. g. si Petrus rem parvam unam destruat Paulo, alteram Joanni, tertiam Jacobo &c. Ratio est: quia sicut in levibus detractionibus dicto modo effusis, ita & in ejusmodi damnificationibus levibus nullum reperitur fundamentum, ratione cujus uniantur, & coalescant in damnificationem gravem, & mortiferam; cum nec habeant unum subjectum graviter patiens, nec objectum, seu materiam, aut lucrum restans, in quo fundaretur illa unio, seu coalitio, prout consideranti patebit: atqui hæc alterutrum requireretur; ergo &c. Manet ergo, quod Petrus supra plurificet quidem peccata venialia, nunquam vero mortaliter peccet.

CASUS VII.

644. *Leopoldus, Adolescens illustris, majoris Syntaxeos Studiosus, honoris cupidus, cum prope finem anni scholastici tempus scribendi pro præmiis instaret, convenit cum suo Moderatore, ut thema pro in schola dictandum, & a famulo, ejusdem classis Studioso, citius domum reverso, communicandum, componeret, sibique, interim in schola persistenti, remitteret. Annuit Leopoldi petito Moderator, thema dextre composuit, compositum Leopoldo per famulum submisit, nemine alio fraudem advertente. Quo factum, ut postmodum Leopoldus præmio publice donaretur, non applaudentibus, sed ringentibus ejusdem præmii competitoribus; eo quod cogerentur modo herbam porrigere illi, quem per totum anni decursum facile debellaverant. Quæritur, an præmifer teneatur ad restitutionem, & qualiter?*

Respondetur. Præmifer tenetur sub mortali ad restitutionem defraudato faciendam. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 383. & *seqq.* cui jam olim subscripsi *in meis Thesib. de Restit. pag.* 210. videturque esse communis DD. Ratio est; siquidem sub mortali tenetur ad restitutionem, qui alteri injuriam graviter damnosam intulit: sed præmifer defraudato injuriam graviter damnosam intulit; ergo &c. Maj. est decantata, & constat ex sæpe dictis. Min. ostenditur. Vel enim præmio defraudatus, est plebeus, & egens: vel nobilis, & dives, Si primum; solius præmii, seu libri ablati pretium plerumque respectu plebei, & egentis constituit materiam gravem, & ad peccatum mortale injustitiæ sufficientem: præterquam quod grave damnum sit eleemosynas, & promotionem perdere, quas defraudatus, si præmium accepisset, merito spetare potuisset. Privatus insuper est honore sibi debito, qui etiam apud plebeos magni momenti, & æstimationis existit. Si secundum; talis nobilis, esto forte non multum curet jacturam præmii materialis, seu libri, ægerrime tamen feret jacturam præmii formalis, seu honoris sibi debiti, quem nobiles (idque prudenter) longe pluris æstimant, quam si multis donarentur pecuniis. Accedit, quod & nobiles sæpe promoveantur facilius, si in studiis retulerint præmia.

Dices primo. Defraudatus non habuit jus strictum, seu rigorosum ad præmium; ergo non fuit ei illata injuria vera, & rigorosa: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. Quia compositio, quæ pro præmio instituitur, habet se per modum concursus, in quo qui prævalet, acquirit jus rigorosum ad rem illam, pro qua concurritur, prout advertimus *n.* 342. Deinde dato, non concesso, quod defraudato non competierit jus rigorosum ad ipsum præmium, competiit tamen ei jus rigorosum, ne per fraudem a consecutione præmii impediretur; cum quilibet habeat jus rigorosum, ne per fraudem impediatur a consecutione boni, etsi de se indebiti. Revide dicta *n.* 340.

Dices secundo. Nulla datur via, qua defraudato fieri possit compensatio; ergo in defraudatore non datur obligatio restituendi.

Respondetur, antecedens, & consequens esse falsum. Consequens falsum est; quia ex antecedenti plus non potest inferri, quam defraudatorem excusari per accidens, si nullum detur medium compensandi; id quod etiam in aliis damnificantibus subinde contingit: & neutiquam sequitur, quod per se non contraxerit obligationem restituendi. Antecedens falsum est; quia saltem per tertium fieri potest transactio cum defraudato, ut acquiescat; puta, si loco præmii, & honoris &c. certa pecunia offeratur, præsertim si is sit pauper. Sed pro praxi

Colliges. Si defraudator consilium pe..., poteris respondere ex La Croix *loc. cit. n.* 382. eum, ratione restitutionis faciendæ, non obligari ad se infamandum; quia hæc talis infamatio positiva major est in æstimatione prudentum, quam illa negativa defraudati, sive quam illa negatio honoris, alias obtinendi a defraudato. Neque consulit præfatus Author, ut Præfectus Scholarum in præsentia defraudatoris dicat, per errorem contigisse, quo minus v. g. Sempronius tulerit præmium: timendum quippe foret, ne & defraudator ageretur in ruborem, & spargeret, ita imperatum a Confessario; quod fieri vix posset, quin Confessio redderetur odiosa. Interim certum est, quod talis fraudulentus præmifer obligetur ad solutionem libri, & compensationem honoris, quem alteri abstulit. Modum id præstandi suggerent circumstantiæ, quæ proin accurate inspiciendæ, & pensandæ erunt. Videri potest Author *cit.*

CASUS

CASUS VIII.

645. *Lucianus, Philosophiæ per biennium Studiosus, parentibus suis bene habentibus primo anno clam subtraxit duos aureos; altero anno, ubi commodiorem clependi occasionem nactus est, duodecim aureos, eosque præter alias pecunias, pro recreationibus instituendis, & victu, vestitu, ac libris comparandis submissas, liberalius vivendo consumpsit. Quæritur, an Lucianus graviter peccaverit, & teneatur ad restitutionem?*

RESpondetur primo. Lucianus primo anno (1.) non peccavit graviter, saltem in effectu; nec (2.) obligatur ad restitutionem. Ita Lessius *lib. 2. c. 12. dub. 13.* &, ni fallor, alii communiter. Ratio primi membri est: quia parentes, cum ponantur bene habentes, non censentur in hoc casu graviter fuisse inviti quoad substantiam ablationis, sed solum quoad modum clancularium auferendi; partim quod tenere ament liberos, & sciant, Studiosos semper egere pecuniis, partim quod omnes pecunias in bonum liberorum colligant; partim quod duo aurei, in quantum a filio per annum ablati parentibus divitibus, non videantur constituere quantitatem materiæ notabilem, & ad mortale sufficientem; ergo &c. Dixi autem: *saltem in effectu.* Si enim Lucianus habuerit animum plura clependi, nisi copia, & occasio defuisset, haud dubie in affectu graviter deliquisse judicandus est: unde & de tali animo habito, vel non habito interrogare incumbet Confessario. Ratio secundi membri est: siquidem hoc ipso, quod parentibus displicuerit solus modus auferendi, non desiderant sibi a Luciano fieri aliquam restitutionem; ergo Lucianus non tenetur ad restitutionem, ne sub veniali quidem: tametsi venialiter peccaverit propter modum auferendi clancularium, parentibus merito displicitum.

Oppositum dicendum esset, si parentes Luciani non bene habuissent, seu non fuissent divites; ut si vixissent arte mechanica, & in sudore vultus ægre lucrati fuissent, quantum sibi, suæque familiæ, & filio in studiis alendo sufficeisset: hoc quippe casu graviter peccasset Lucianus auferendo duos aureos, juxta communem DD.

Dices contra respons. ad Casum. Experientia docet, timoratos parentes gravissime indignari, si filius vel medium florenum surripiat; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Propter ablatam pecuniam, neg. propter furtivum modum auferendi, con. ant. & neg. cons. Etiam propter minorem monetam furtive subtractam graviter offensos se exhibent, partim quod improbent peccatum etiam veniale filii; partim, & præcipue, quod timeant periculum, ne filius furtis parvis assuescat, & tandem ad magna provolvatur cum animæ, vel etiam corporis, & famæ dispendio irreparabili.

Respondetur secundo ad Casum. Lucianus secundo anno graviter peccavit peccato furti, & per se tenetur ad restitutionem. Ita cum communi P. Sporer *in Decal. tr. 5. c. 5. n. 56.* Ostenditur tum ex authoritate, tum ex ratione. Ex authoritate quidem; nam *Proverb. 28.* dicitur: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est;* supposito nimirum, quod materia subtracta existat gravis. Ex ratione vero: quia duodecim aurei, etiam a filio per annum subtracti parentibus bene habentibus, ac divitibus (excipitur filius Principis secundum dicta *part. 2. n. 755.*) constituunt materiam notabilem furti, juxta communem DD. parentesque non solum quoad modum subtrahendi, sed etiam quoad substantiam rei subtractæ graviter invitos faciunt; ergo Lucianus subtrahendo duodecim aureos graviter peccavit peccato furti, & per se tenetur ad restitutionem vel ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, siquæ habeat, vel si nulla habeat, quantitatem subtractam adducendo post obitum patris in divisionem cum suis fratribus, & sororibus. Nec mirari quispiam debet, quod parentes graviter indignentur filio quantitatem pecuniæ notabilem auferenti; siquidem ejusmodi ablatio & nocet aliis liberis, utpote quorum hæreditatem diminuit, & ipsimet filio, utpote cui ad vitia viam sternit.

Dixi in respons. *& per se tenetur ad restitutionem.* Nam excusatur 1. Si alii liberi æqualem quantitatem furati sint. 2. Si pater, & fratres resciant furtum, nec petant compensationem; hoc enim casu censentur tacite condonare, uti resolvit Burghaber *cent. 2. cas. 36.* 3. Multo magis, si satisfactionem expresse remittant. 4. Si pater præsumatur remissurus, modo filius rogaret, quod tamen præ verecundia non audet. Sed summa non debet excedere id, de quo pater disponere potest citra præjudicium, & injuriam aliorum filiorum, nempe sine diminutione portionis legitimæ.

Dices nunc contra respons. 2. ad Casum. Si Lucianus peccarit graviter peccato furti, & per se teneatur ad restitutionem, quando parentibus invitis surripuit notabilem pecuniæ summam, nempe duodecim aureos, etiam sic peccare censendus est, eademque restitutionis obligatione teneri, quando pecunias pro victu, & libris comparandis sibi traditas, aut submissas, in alios usus, puta computationes, aut lusus, expendit; sed hoc videtur falsum; ergo & illud.

Respondetur, dist. maj. Si pater tradens, aut mittens pecunias obligarit Lucianum titulo Justitiæ ad usus determinatos, con. si tantum titulo Obedientiæ, neg. maj. Plerumque contingit, ut pater, dum filio peregre degenti administrationem pecuniæ committit, eundem non obliget titulo Justitiæ, sed Obedientiæ tantum, ad determinatos usus. Si tamen pater contrarium exprimeret, per se quidem filius peccaret contra Justitiam peccato furti, cum nullum haberet jus aliter expendendi, quam ad fines præscriptos; adeoque etiam teneretur ad restitutionem; ordinarie tamen ab hac excusatus esset, quatenus nempe pater, sciens pecunias male expensas, restitutionem non peteret. Hinc Molina *tr. 2. disp. 138.* censet, rarissimum esse patrem, qui, nisi summa, furto sublecta, sit exorbitans, eam velit vel ex bonis castrensibus suppleri, vel in portionem hæreditatis adduci.

TRACTATUS TERTIUS,
DE CONTRACTIBUS.


Rogredimur ad alterum Justitiæ actum, videlicet Contractum, qui sicut totius humani generis commercia pervagatur, ita a Doctoribus, maxime Juristis, per extensum ventilatur. Nos moderata brevitate utemur, per duas disputationes allaturi ea, quæ Theologo Morali scitu necessaria videbuntur. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Contractibus in genere,

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Contractus?

SUMMARIUM.

646. Contractus etymologia, & trifaria acceptio. 647. Definitur Contractus; & 648. dividitur varie; membraque dividentia explanantur,

646. PRænotandum, nomen *Contractus*, quod derivatum est a verbo *contraho*, eo quod (prout explicat Scotus *in 4. dist. 15. q. 3. §. de secundo,*) diversæ mentes, & sententiæ trahantur, & contrahantur in unam, tripliciter accipi. 1. Late, prout contractus etiam simplici pacto convenit; & definitur *l. 1. ff. de Pactis*, atque a Scoto *in 4. dist. 16. q. 1. §. ad solutionem, duorum, vel plurium in idem consensus*, subintellige, de dando aliquo, vel faciendo. In qua acceptione dividitur in pactum *nudum*, seu *simplex*, & *vestitum*, seu *legitimum*. Pactum nudum est, quod solo paciscentium consensu, & naturali æquitate nititur, ita, ut neque proprium nomen certi contractus sortiatur, neque præter conventionem habeat aliam causam, formam, vel solemnitatem, a qua firmitatem accipiat ad efficaciter obligandum in foro externo, aut actionem in eo producendam: parit proin solum obligationem naturalem, & in foro conscientiæ stringentem. Pactum vestitum est, quod ultra simplicem conventionem partium transit in proprium nomen certi contractus, v. g. emptionis-venditionis, locationis-conductionis &c. vel certe aliud adminiculum habet, ratione cujus in foro externo efficacem obligationem, & actionem pariat; ut si accedat juramentum, stipulatio, aut privilegium Juris &c. Accipitur contractus 2. stricte pro eo, qui parit obligationem civilem reciprocam ex parte utriusque contrahentis; ut emptio-venditio, locatio conductio &c. Hoc modo plerumque sumitur a Juristis; & definitur in *l. Labeo, de Verb. signif.* quod sit *ultro, citroque obligatio*: quæ tamen definitio non est formalis, sed causalis, quia contractus formaliter non est obligatio, sed causa ipsius. Accipitur contractus 3. minus stricte, & modo inter duos priores medio, quatenus nempe includit etiam illos contractus, qui ex una solum parte inducunt obligationem civilem, seu actionem in Judicio; quales sunt contractus lucrosi. Circa contractum, hoc tertio modo acceptum,

647. Dico primo, quod sit *conventio legitima duorum, vel plurium, ad hoc interposita, ut uterque contrahentium, vel saltem alteruter ad aliquid dandum, vel faciendum, aut præstandum civiliter obligetur.* Ita DD. communiter. Neque definitio aliqua explicatione indiget; cum ejus termini de se pateant.

Colliges, quod contractus hic descriptus differat a pacto nudo, uti & a quasi contractu. A primo differt; quia licet etiam pactum nudum sit conventio duorum, vel plurium, non tamen est legitima, & actionem civilem pariens. A secundo differt; quia quasi contractus, esto obligationem, & actionem civilem pariat. *Inst. in princ. de Oblig. quæ ex quasi contract.* non tamen formali, vero, & reali, sed virtuali, præsumpto, & fictione Juris inducto consensu constat.

648. Dico secundo. Contractus varie dividitur.

Explicatur conclusio, & membra dividentia specificantur, ac exponuntur. Dividitur itaque contractus 1. in *nominatum*, & *innominatum*. Nominatus est, qui certum, & speciale nomen a Jure obtinuit; ut emptio-venditio, locatio conductio, societas &c. Innominatus dicitur, qui proprium, & speciale nomen in Jure non habet. Hujus quatuor sunt modi, & quasi species atomæ. Primus: *do, ut des*; do vinum, ut des frumentum. Secundus: *do, ut facias*; do frumentum, ut colas mihi vineam. Tertius: *facio, ut des*; colam tibi vineam, ut des mihi frumentum. Quartus: *facio, ut facias*; colam tibi vineam, ut pascas mihi oves. Ubi sub verbo *facere*, etiam *non facere* comprehenditur, ac intelligi debet: e. g. do tibi frumentum, ut desistas a lite; vel ne me accuses. Contractibus innominatis saltem de Jure Civili permissivo hoc peculiare est, quod re, sive integra, sive non integra, sit locus pœnitentiæ ex parte ejus, qui contractum adimplevit, esto alter neque in mora, neque in causa sit, imo paratus ex sua etiam parte contractum adimplere: e.g. contraxi tecum, vel etiam tradidi jam pecuniam, ut ires Romam, resilire possum, & pecuniam repetere, quandiu non ivisti. Non refert, quod forte jam præparatoria feceris, & expensas in ordine ad iter perficiendum; nam adhuc resilire possum, modo expensas factas refundam, *l. 5. ff. de Condict. caus. non secut.* Dixi: *saltem de Jure Civili permissivo*. Nam Lugo, Molina, Sporer, La Croix, & alii DD. plerique dicunt, libertatem resiliendi a contractu innominato, tanquam obligationi, ex contractu naturaliter resultanti, contrariam, non concedi pro foro conscientiæ. Solum proinde contrahens resilire potest, quantum de Jure Civili permissivo, quatenus Lex regulariter non dat actionem, neque cogit ad impletionem contractus, esto positive non approbet, neque licitam reddat resilientiam. At vero in contractibus nominatis non est locus pœnitentiæ, vel resilientiæ; sed qui ex sua parte contractum implevit, satagere debet, ut impleat & alter: nisi placeat mutuo consensu contractum dissolvere.

Dividitur contractus 2. in *realem*, *verbalem*, *literalem*, & *consensualem*. Realis est, qui actuali rei traditione perficitur: cujusmodi sunt, qui ipso nomine, quo efferuntur, dationem significant; ut donatio, mutuum, commodatum, depositum, & omnes contractus innominati; quippe qui ante traditionem sunt nuda pacta, nullam obligationem civilem, sed naturalem duntaxat parientia. Verbalis est, qui ad sui substantialem perfectionem desiderat verba solemnia ore prolata: tales sunt *stipulatio*, quando unus de contrahentibus interrogat de obligatione & alter respondet: v. g. *fidene jubes? fide jubeo; promittis te daturum? promitto*, & *acceptilatio*, quæ pariter fit interrogatione unius, & responsione alterius; ut *quod ego tibi stipulatus promisi: vel debeo, habes ne acceptum, perinde, ac si solutum esset? acceptum habeo*: est quippe acceptilatio remissio debiti per modum imaginariæ solutionis. Literalis est, qui literis, seu scriptura perficitur: sive dein talis scriptura requiratur ex dispositione Juris ad valorem ejusmodi contractus, prout evenit in emphyteusi, & donatione quingentos solidos excedente; sive ex mera contrahentium voluntate, nolentium aliquem contractum firmum esse, antequam aliquod instrumentum scriptum sit; quæ tamen instrumenta plerumque non conficiuntur, aut requiruntur ad valorem contractus, sed ad ejus probationem in foro externo. Consensualis est, qui solo consensu, absque rei interventu, celebratur; ut emptio-venditio &c. Talis proinde contractus statim, atque celebratus est, natura sua vestitus, ac Jure Civili confirmatus existit: quamprimum enim venditor, & emptor de mercede, & pretio convenerunt, ratus est contractus in utroque foro, ita, ut non solum obligationem naturalem in conscientia, sed etiam actionem civilem in Judicio pariat ex parte utriusque contrahentis.

Dividitur contractus 3. in contractum *bonæ fidei*, & *stricti Juris*. Contractus bonæ fidei dicitur, qui amplam Judicis interpretationem admittit secundum æquum, & bonum, etiamsi verbis contrahentium expressum

sum non sit: tales sunt emptio-venditio, locatio-conductio, depositum, commodatum, pignus, societas &c. Contractus stricti Juris appellatur, in quo Judex est alligatus terminis conventionis, quos excedere, vel transgredi sua sententia nequit, *l. 3. ff. de Pactis*, & tales sunt liberalis promissio, stipulatio, donatio, feudum, emphyteusi &c. quia rationi consentaneum est, ut non fiat lata interpretatio in præjudicium liberaliter promittentis, donantis &c.

Dividitur contractus 4. in *onerosum*, & *lucrosum*. Onerosus est, in quo ex parte utriusque contrahentis reciprocum onus imponitur; uti fit in contractibus emptionis-venditionis, locationis-conductionis &c. Lucrosus, *lucrativus*, seu *gratuitus* est, qui unam duntaxat partem gravat; uti liberalis promissio, donatio &c.

Dividitur denique contractus 5. in *purum*, & *non purum*. Purus est, cui nullus modus, vel conditio adjicitur. Non purus e diverso est, cui adjicitur modus, vel conditio. Sed de his infra *disp. seq. c. 1. art. 1.* ubi de Promissione.

CAPUT II.

Quandonam Contractus errore, vel dolo vitietur?

SUMMARIUM.

649. Quomodo error inducatur, & distinguatur a dolo. 650. & seq. Uterque potest esse substantialis, vel accidentalis; & antecedens, vel concomitans. 652. & seqq. Si sit substantialis, semper irritat contractum etiam Jure naturæ: ubi etiam solvuntur objectiones interjectæ. Secus 658. si sit accidentalis. 659. & seqq. Diluuntur opposita. 664. Quando error, vel dolus decepto tribuant facultatem rescindendi contractum, & quando non?

649. PRænotandum primo, contrahentem in contrahendo posse decipi dupliciter, videlicet aut a seipso, aut ab alio. Priore modo decipitur, quando proprio errore, & a nemine alio inductus, putat, rem, de qua contrahit, aliam esse, quam sit; & hæc deceptio absolute *error* dicitur. Posteriore modo decipitur, quando ab altero contrahente, vel a persona tertia ad contractum non pertinente, inductus, putat, rem, de qua contrahit, aliam esse, quam sit; & hæc deceptio propriè vocatur *dolus*.

650. Prænotandum secundo, errorem, vel dolum in contractibus posse contingere vel circa substantiam rei; ut si putes te emere aurum, emas autem auricalcum; aut ducere Annam, ducas autem Susannam: vel circa accidentia, & qualitates rei; ut si emas equum octennem, existimans esse quadrimum; aut vinum recens, existimans esse vetus. Ad dignoscendum autem, an error, vel dolus censeri debeat substantialis, nec ne: dispiciendum est, num versetur circa materiam, seu objectum motivum, & intrinsecum ipsius contractus; vel circa impulsivum, & extrinsecum? Si primum, erit error, vel dolus substantialis; ut patet, si des eleemosynam diviti, quem putas esse pauperem; quia motivum intrinsecum, & finale dationis eleemosynæ est sublevatio pauperis. Si secundum, erit error, vel dolus accidentalis; ut si Cajus suscipiatur ad Religionem, quia existimatur opulentus, cum tamen sit pauper, & inops: siquidem opulentia non potest, aut debet esse motivum intrinsecum, finale, & principale, sed tantum extrinsecum, impulsivum, & secundarium susceptionis.

651. Prænotandum tertio, errorem, & dolum tam substantialem, quam accidentalem subdividi (relate ad propositum) in *antecedentem*, & *concomitantem*. Antecedens est, qui dat causam contractui, ita, ut, eo absente, contractus non fieret. Concomitans (vocatur etiam *incidens*) est, qui non dat causam contractui, seu quo etiam absente, contractus adhuc iniretur. His præmissis,

652. Dico primo. Error, vel dolus circa substantiam rei non solum antecedens, sed etiam concomitans, seu incidens, vitiat, & irritat contractum. Ita DD. communiter, & constat ex *l. 45. ff. de contrah. empt.* ubi dicitur, nullam esse venditionem, *Si vendatur aurichalcum pro auro*.

Probatur præterea hac ratione. Contractus est essentialiter pactum, seu consensus duorum in idem: sed cum errore, vel dolo versante circa substantiam rei, non potest stare consensus duorum in idem; nam contrahens ex errore, vel dolo, consensit in rem diversam ab illa, de qua contrahitur, puta in aurum, non in aurichalcum; ergo &c.

Confirmatur. Consensus errantis est nullus, juxta *l. 9. C. de Juris, & facti ignor.* voluntas enim non potest ferri in incognitum; ergo etiam contractus, qui in consensu essentialiter consistit, erit nullus, quando error versatur circa substantiam rei, de qua contrahitur.

653. Objicies primo. *L. 14. ff de contrah. empt.* habetur, emptionem rei inauratæ pro aurea esse validam: atqui non potest esse valida, si error versans circa rei substantiam contractum irritet, ut patet; ergo &c.

Respondens primo Godefredus, Accursius, Zoesius, & alii Juristæ explicando sententiam Ulpiani *loc. cit.* & dicendo, quod per rem *inauratam* intelligat illam, cui aliquid auri est immixtum, vel infusum; atque adeo nedum in superficie, sed etiam in corpore ipso continet aliquid ejus, quod vendi videtur: & hujus venditionem pro auro factam valere volunt. Ratio est: quia tunc aurum est vera pars rei inauratæ, quæ venditur. Adstipulor, modo pars altera, seu materia ignobilior rei inauratæ non sit ita notabilis, ut eam ad communem, & intentum usum omnino inidoneam reddat. Vide, quod habetur infra *n. 690.* Secus pronunciandum, si per rem *inauratam* intelligatur illa, quæ auro solum est cooperta; nam istius venditio, pro auro facta, declaratur irrita, *l. 41. ff. de contrah. empt.* Ratio est opposita: quia tali casu aurum, cum non sit in ipso corpore, non potest dici vera pars corporis, sive rei, quæ venditur, sed potius merum ejus coopertimentum.

Responderi potest secundo cum aliis, sententiam illam Ulpiani (si aliter, ac exposita est, intelligatur) esse dimittendam, & satis elidi per alias Leges, quarum unam, vel alteram proxime adduximus. Neque mirum est, quod subinde in Jure Civili inveniantur sententiæ contrariæ, cum a diversis diverso tempore sint compilatæ; unde non omnes approbantur, sed aliquæ corriguntur vel per Jus Canonicum, vel etiam per ipsummet Jus Civile.

654. Objicies secundo. Plures Leges affirmant, errorem, seu ignorantiam Juris nihil suffragari; ergo non omnis error substantialis liberat ab obligatione contractus.

Respondetur, explic. & dist. ant. Affirmant nihil suffragari apud homines, & in foro externo, ubi præsumitur scientia Juris, con. apud Deum, & in foro interno conscientiæ, ubi judicium fertur præcise ex rei veritate, neg. ant. & sub data distinctione cons.

Porro hæc objectio non videtur esse ad propositum: quia hic non quæritur de ignorantia, vel errore Juris, id est, Legis aliquid statuentis de contractu, aut materia, circa quam versatur contractus, sed de ignorantia ipsius talis materiæ. Sive ergo ignorantia Juris suffragetur, sive non, adhuc vera manet conclusio, utpote quæ procedit de errore circa rei substantiam. Unde omisso antecedente, negari potest cons. siquidem error Juris non est error substantialis, seu versans circa rei substantiam, sed circa id, quod contractui extrinsecum est.

655. Objicies tertio. Sic dabitur occasio innumeris mendaciis, & litibus; nam quisque, vel saltem multi asserent, se errasse circa substantiam contractus.

Respondetur, neg. assumptum. Ad rationem probativam ajo, non esse satis in foro externo, ac contentioso, quod quis asserat, se ita errasse, nisi etiam probet; unde si non probaverit, stabitur pro valore contractus, utpote secundum communem consuetudinem, & Legum dispositionem initi.

656. Colliges primo, contractum, ex errore, vel dolo substantiali initum, esse irritum ipso Jure naturæ. Ratio est: quia deest consensus in substantiam rei, de qua contrahitur, qui Jure naturæ ad contractum requiritur. Ex quo sequitur, quod nec Respublica, nec Deus ipse talem consensum supplere possit; unde licet Deus (& respective etiam Respublica)

valeat obligationem imponere transferendo dominium per potestatem altiorem, ea tamen obligatio non resultabit ex contractu, sed ex Dei (vel Reipublicæ) præcepto, & dispositione.

657. Colliges secundo, contractum, modo præfato celebratum, esse nullum, sive error sit vincibilis, sive invincibilis, sive Juris, sive facti &c. Ratio est: quia semper erratur circa substantiam contractus; ergo nulla contrahitur obligatio.

658. Dico secundo. Error, sive dolus circa accidentia rei qua talia, licet sit antecedens, & ab altero contrahente instillatus, nec Jure naturali, nec positivo, contractum irritat. Palao *tr.* 14. *disp.* 2. *pun.* 5. *n.* 19. Laymann *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 6. Mastrius *disp.* 4. *Theol. Mor. q.* 1. *art.* 2. *n.* 15. Sporer *in Decal. tr.* 6. *c.* 2. *n.* 95. *& seqq.* aliique quam plurimi contra alios non paucos oppositum sentientes de contractibus bonæ fidei.

Probatur primo de contractibus stricti Juris. Nam §. 1. *Instit. de Except.* dicitur: *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palam est, Jure Civili te obligatum esse, & actio, qua intenditur, dare te oportere, efficax est: sed iniquum est, te condemnari, ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa, aut doli mali, aut in facto composita ad impugnandam actionem.* Ex quibus verbis tale formatur argumentum. Ille contractus valet, non solum Jure naturæ, sed etiam Civili, qui parit actionem, & obligationem civilem: atqui hanc parit contractus initus ex errore, vel dolo versante solum circa rei accidentia, etiam antecedente, & ab altera parte contrahente instillato; ergo valet non solum Jure naturali, sed etiam Civili.

Probatur secundo etiam de contractibus bonæ fidei. Nam *l.* 5. *C. de rescind. vendit.* dicitur: *Si dolo adversarii deceptum venditionem prædii te fecisse Præses Provinciæ aditus animadverterit, sciens contrarium esse dolum bonæ fidei, rescindi venditionem jubebit*: sed contractus, qui rescindi jubetur, valet: cum, quod nullum est, rescindi non possit; ergo &c.

Probatur conclusio universaliter hac ratione: quia ad valorem contractus sufficit, quod adsit consensus in substantiam rei, de qua contrahitur; nec opus est, ut adsit consensus in qualitates, seu accidentia rei qua talia; alias nimis sæpe contingeret, contractum non valere: atqui error, vel dolus, etiam antecedens, & ab altero contrahente instillatus, versans circa meras qualitates, & accidentia qua talia rei, non destruit consensum in substantiam reis, prout quasi ex termini patet; ergo &c.

Probatur quarto. Contractus, ex tali errore, vel dolo initus, inducit obligationem ex parte decipientis, ut resilire non possit contra voluntatem decepti, secundum omnes; ergo signum est, contractum valere: alias non apparet, unde similis obligatio in decipiente resultaret.

Dixi in conclus. *circa rei accidentia qua talia*. Si enim accidentia, seu qualitates rei per se intendantur, & præstituantur a contrahente tanquam causa finalis principalis, & motiva contrahendi; sicque ingrediantur objectum substantiale contractus, error, vel dolus circa illa æque contractum invalidat, ac circa rei substantiam: quia tunc contrahens, sive explicite, & formaliter, sive implicite, & virtualiter, dicit, e.g. contraho tecum, puella, si sis nobilis, non aliter: dono tibi hoc, juvenis, si sis studiosus, alias non: emo a te vinum verus tantum, non aliud &c. Quare sicut contractus conditionatus nullus est deficiente conditione, ita pariter nullus erit deficiente qualitate, per se, & per modum causæ finalis primariæ, ac motivæ intenta.

659. Objicies primo. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *conclus.* 3. ad valorem, & justitiam permutationis exigit absentiam erroris, & doli non solum in substantia, sed etiam in quantitate, & qualitate; ergo &c.

Respondetur cum P. Mastrio *loc. cit. n.* 18. Doctorem utique absentiam utriusque exigere, sed in sensu accommodo, ita, ut error, & dolus in substantia debeat abesse, ne contractum permutationis irritet; error autem, vel dolus in quantitate, & qualitate, ne alias deceptor teneatur resarcire damnum, & injuriam decepto illatam: ad quod præstandum etiam compelli potest.. In quo tamen casu contractus non est irritus, neque deceptus tenetur eum rescindere, prout apud *cit.* Authorem etiam advertunt Molina, Reginaldus, & Rebellus.

660. Objicies secundo. Si contractus, per dolum accidentalem initus, esset validus; tunc decipiens acquireret jus per suam injuriam: sed hoc est absurdum; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. sed solum acquiret jus per consensum contrahentis, qui dolum non advertit: quod ipsum jus tamen propter dolum, & injuriam admodum debile est, & a decepto, ac injuriam passo, per rescissionem contractus statim annullabile.

661. Objicies tertio. Contractus onerosus validus ultro, citroque obligat: sed contractus, ex dolo antecedente initus, non obligat ultro, citroque: cum a decepto statim rescindi possit; ergo non est validus.

Respondetur, neg. min. Nec refert, quod contractus a decepto rescindi possit: quia hoc provenit solum ab extrinseco, nimirum ab injuria decepto illata. Hujusmodi ergo contractus utrunque contrahentem obligat, & quidem per se loquendo etiam irrevocabiliter; sicque est ex parte utriusque æqualitas intrinseca, & substantialis: per accidens tamen non ita obligat deceptum, sed solum decipientem; inter quos proin solum datur inæqualitas extrinseca, & accidentalis per malitiam decipientis causata, vi cujus contractum rescindere potest deceptus, non item decipiens.

662. Objicies quarto. Si qualitas fuisset prævisa, contractus non fuisset initus; ergo error, vel ignorantia qualitatis contractum reddit involuntarium, & nullum.

Respondetur, neg. cons. Nam inde tantum sequitur, quod, præhabita cognitione qualitatis, contractus non fuisset volitus, seu voluntarius, cum quo stat, fuisse tamen voluntarium de facto, & in sensu composito erroris: consequenter &c.

Instabis, Si superveniret qualitas, contrahens non obligaretur stare contractui; ergo nec si præcesserit, & postea detegatur: quia non esse, & non apparere videntur æquiparari.

Respondetur, neg. ant. si excipias contractus gratuitos, & sponsalia; nam ex una parte qualitas superveniens non mutat statum substantialiter, & ex altera supponitur contrahens suum consensum non abstrinxisse mutationibus accidentalibus; ergo nulla apparet ratio, cur corruat contractus obligatio.

Dixi: *si excipias contractus gratuitos, & sponsalia.* Nam promissiones gratuitæ facilius dissolvi possunt; cum enim pendeant ex sola libera voluntate promittentis, benigne interpretandæ sunt, ita, ut promittens censeatur noluisse se obligare in omnem eventum, sed rebus in eodem statu permanentibus, & non notabiliter immutatis. Unde de eis a DD. hæc regula traditur apud Laymannum *loc. cit. n.* 5. *Promissio gratuita desinit obligare, si, re adhuc integra, notabilis mutatio accidat.* In quibus proinde idem est, sive notabilis circumstantia invincibiliter ignorata sit a promittente, & postea eidem innotescat, sive primum superveniat. Porro sponsalia, licet contractus onerosus sint, ferme tamen parem cum contractibus gratuitis dissolutionis facultatem subeunt; ut proinde illis applicari possit eadem regula, quæ istis primum accommodata fuit. Et ratio est: quia cum sponsalia ad amorem mutuum, & Matrimonium, quod est vinculum perpetuum, ac indissolubile, ordinentur, benigne explicari debent, & sponsis relinqui libertas illa dissolvendi, si notabilis circumstantia superveniat, vel detegatur. Quare licet contractus gratuiti, & sponsalia, ex errore, vel dolo, circa qualitatem versante, celebrata, valeant, prout asseruimus, & rationes nostræ evincere videntur, possunt tamen dissolvi, si illa qualitas superveniens, vel apparens notabilem rerum mutationem afferat. Aliud est de contractibus onerosis extra sponsalia; nam cum isti vim suam, & mensuram obligandi non ex unius tantum voluntate accipiant, sicut gratuiti, sed etiam ex alterius partis consensu; neque in ipsis militet eadem ratio, quæ in sponsalibus, non solum non sunt irriti, sed neque irritari possunt superveniente, vel apparente aliqua qualitate, prius ignorata, esto hæc statum rei notabiliter (dummodo non substantialiter) immutet. Sed hoc intellige de ignorantia, vel errore mero: quod enim contractus etiam onerosi, ex sua natura solubiles, rescindi possint, si error sit causatus per do-

lum

lum ab altero contrahente commissum, dicemus infra *n.* 665.

663. Objicies quinto. *L. 7. in princ. ff. de dolo.* dicitur, *nullam esse venditionem, siquis in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus est.* Porro *l. 3. in fin. ff. pro socio*, habetur: *societas si dolo malo coita sit, ipso Jure nullius momenti est.* Ergo dolus malus antecedens contractus saltem bonæ fidei ex Jure positivo invalidat.

Respondetur, neg. cons. Ad primum textum ajo, Legem in eo loqui de minorenni per dolum circumvento, ut venderet suum servum; qui contractus utique est nullus, cum minorennes absque consensu Curatorum alienare non possint. Ad secundum resolutio promitur *ex Gloss. in supra cit. §. 1. Instit. de Except.* ex Glossantibus *c. 3. de Empt.* sæpe videlicet contractus ipso Jure irritos, seu nullius momenti esse, non secundum suam substantiam, sed secundum effectum, quatenus ad arbitrium unius ex contrahentibus irritari possunt, & sic suo effectu frustrari. Laymann *loc. cit.*

Ex quibus patet, quod Jus positivum nihil certi determinet pro invaliditate hujusmodi contractuum dolosorum. Unde nostra conclusio hoc præterea argumento corroboratur. Ex certa Jurisperitorum regula, Jus positivum dubium (cui nihil accedit, ex quo reddatur certum) explicari debet secundum Jus naturale certum, & cum hoc concordari: sed de Jure naturali, etiam per Adversarios, dolus accidentalis dans causam contractui, sive hic sit bonæ fidei, sive stricti Juris, non efficit eundem irritum; ergo nec de Jure positivo dicendus est omnino esse irritus. P. Schmalzgrueber *lib. 2. tit. 14. n. 15.*

664. Colliges primo, si error accidentalis etiam antecedens sit inductus ex propria contrahentis opinione, citra culpam alterius contrahentis, contractum (nisi forte sit sponsalitius, sive gratuitus) non posse rescindi. Ratio jam insinuata est *n. 662.* quia ex una parte non censetur contrahens suum consensum alligasse mutationi accidentali, & ex altera nullam passus est injuriam; ergo nulla adest causa a contractu resiliendi. Excipitur contractus sponsalitius, & gratuitus, qui uterque rescindi potest modo supra exposito, seu quando error antecedens versatur circa qualitatem notabilis mutationis causativam.

665. Colliges secundo, dolum accidentalem antecedentem (1.) inductum ab altero contrahente, dare decepto facultatem, contractum, si sit natura sua solubilis, rescindendi; secus est (2.) si sit dolus inductus a tertio; vel (3.) si sit solum concomitans. Ratio primi membri (præterquam quod pateat *ex l. 5. C. de inutil. stipulat.*) est: quia qui subjicitur injuriæ, & damno, juste petit restitutionem: atqui in præsenti contrahens deceptus subjicitur injuriæ, & damno (ut supponitur) ergo juste petit restitutionem. Sed non potest hanc aliter obtinere, nisi rescisso contractu reponatur in pristinum statum reddita re alienata cum fructibus, & compensatis damnis, quæ inde resultarunt; ergo licite contractum rescindit. Quod si contractum rescindere nolit, deceptor nihilominus obligabitur ad restituendum excessum pretii, quippe Jure naturæ, & in conscientia debitum.

Dixi: *si contractus sit natura sua solubilis*, ad excipiendum contractum Matrimonii, & Religiosæ Professionis, ubi dolus accidentalis nihil juvat ad rescindendum propter insolubilitatem utriusque.

Ratio secundi membri est: quia jus rescindendi contractum provenit ab injuria, quam unus contrahens patitur ab altero contrahente: atqui in proposito contrahens non patitur injuriam ab altero contrahente, sed a persona tertia; ergo illi nullum competit jus rescindendi contractum. Conceditur tamen eidem intentare contra alterum contrahentem actionem *quanto minoris*, id est, ut contractus reducatur ad æqualitatem, ac de pretio tantum detrahatur, quanto minoris res empta ob vitium detectum æstimatur. Insuper eo casu decepto datur actio contra tertium de damno, & dolo; ut habetur *l. 2. ff. de proxenetis.* Imo tertius in conscientia tenetur illi resarcire omnia damna, secundum omnes; quia suo dolo injusta eorum causa extitit.

Ratio tertii membri est: quia deceptus dolo accidentali concomitanti tantum nullam patitur injuriam, vel saltem non efficaciter damnosam; ut considetanti patebit, & docetur a P. La Croix *lib. 3. part. 2. n. 627.*

Unde si emas vinum Austriacum, putans esse Rhenanum, attamen errore cognito adhuc empturus, contractus emptionis omni Jure ita validus, firmusque consistit, ut nulla sit causa, ob quam, veritate comperta, infirmari, seu rescindi possit. Nihilominus etiam in hoc casu competit decepto actio adversus decipientem, & huic incumbet obligatio solvendi, quanti interest dolum non fuisse commissum: tenetur nimirum deceptor contractum illum pariter ad æqualitatem reducere, v. g. supplendo defectum pretii, & reparando damna, siquæ emerserint: unde si contigerit deceptio ultra dimidium justi pretii, supplementum etiam per forum externum afferre compelletur decipiens: si autem contigerit deceptio infra dimidium justi pretii, in foro duntaxat interno, & conscientiæ compensare tenebitur. P. Sporer *loc. cit. n.* 105.

Dixi, quod *decepto adversus decipientem competat actio:* subintellige: quando res non est amplius integra, sed contractus per traditionem completus; si enim res abhuc sit integra, & contractus nondum impletus, datur illi exceptio. Schmalzgrueber ubi supra *num.* 19.

CAPUT III.

An, & quomodo valeant Contractus ex metu initi?

SUMMARIUM.

666. *Metus varietas.* 667. *& seq. Licet metus levis non irritet contractum, sufficere tamen potest in foro conscientiæ ad illum rescindendum.* 669. *An saltem metus gravis contractum reddat invalidum?* 670. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 675. *Contractus ex metu gravi injuste incusso, licet ob alium finem, quam ad extorquendum actum, celebratus, potest rescindi, si ex natura sua sit rescindibilis: idque verum est* 676. *tametsi metus fuerit incussus a tertio.* 677. *Si Medicus nolit operam extreme decumbenti impendere, nisi suam filiam ducat in uxorem, contractus Matrimonii est invalidus, si operam teneatur præstare ex Justitia; validus vero, si solum ex Charitate.*

666. PRænotandum, & recolendum ex dictis *part. 1. n. 594. & seq.* metum posse provenire vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Item dum provenit ab extrinseco, id fieri potest vel juste, vel injuste; ad extorquendum certum aliquem actum, vel ob alium finem. Porro metus alius est gravis, alius levis. Quæ omnia, & singula *loc. cit.* exposuimus, & impræsentiarum supponimus.

667. Dico jam primo. Metus levis non invalidat contractum. Communis.

Probatur. Non enim illum invalidat Jure positivo; cum *l. 5. 6. & 7. ff. quod metus causa*, & *reg. 184. ff. de divers. reg. Jur.* metus levis pro nihilo reputatur; ergo non est ratio dicendi, quod contractum irritet Jure positivo. At nec illum irritat Jure naturæ; quia non aufert voluntarium, aut liberum: & licet contineat injuriam, non tamen illico contractum Jure naturæ invalidat; alias etiam dolus accidentalis eundem invalidaret, quod *praeed. c.* rejectum est; ergo &c.

668. Colliges, posse tamen metum, etiam levem, sufficere in foro conscientiæ ad rescindendum contractum. Palao, Sanchez, Lessius, Mezger *tr. 13. disp. 41. art. 3. n. 7.* Ratio est: quia etiam in metu levi potest gravis intervenire injuria, quæ est fundamentum rescindendi contractum. Assumptum prob. Siquid enim obstaret, quin intervenire posset injuria gravis, esset levitas metus: sed hæc non obstat, sicut non obstat levitas actionis, quin inferri possit damnum, aut injuria gravis; quemadmodum patet, si levi verbere frangas pretiosum vitrum, aut percutias tuam matrem; ergo &c. Quod maxime procedit, si metus levis sit unicum motivum contrahendi; prout recte advertit P. Mezger *cit.*

Dixi: *in foro conscientiæ.* Nam metum duntaxat levem passo non conceditur actio in foro externo ad rescindendum contractum: veluti constat ex *Reg. 184. ff. de R. J.* & *l. 6. ff. quod metus causa*, ubi ha-

betur: *Metum autem non vani hominis, sed qui merito, & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum* (videlicet de rescindendo contractu per metum inito) *pertinens dicemus*; ergo &c.

669. Dico secundo. Contractus, etiam ex metu gravi, extrinsecus, injuste, & ad extorquendum actum incusso, initi, plerique valent tam (1.) Jure naturali, quam (2.) positivo. Engel, Kœnig, VViestner, Schmalzgruber *lib.* 1. *tit.* 40. *n.* 11. Reiffenstuel *ibid. n.* 30. Schmier *lib.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. *n.* 375. & alii communius contra alios, quorum aliqui volunt, omnes contractus, modo præfato celebratos, ipso etiam Jure naturali invalidos esse; aliqui vero contendunt, saltem ita invalidos esse contractus gratuitos.

Probatur prima pars primo. Id, quod Lex civilis præcipit invalidari, non potest dici Jure naturali invalidum, *l.* 16. §. 3. *ff. de minorib.* atqui Lex civilis præcipit contractus, ex metu gravi injuste incusso celebratos, invalidari; ergo non possunt dici Jure naturali invalidi. Maj. videtur certa. Min. ostenditur *ex l. ult. C. de his, quæ vi, metusve causa*, ibi: *venditiones, & transactiones, quæ per pœnam extorta sunt, præcipimus infirmari*. Simile habetur in aliis textibus Juris, quorum aliquos mox adducemus. Ergo &c.

Probatur eadem pars secundo. Si contractus, modo præfato celebrati, forent Jure naturæ invalidi, id esset vel propter defectum sufficientis consensus, & voluntarii, vel propter injuriam per metum incussum contrahenti illatam: sed neutrum potest dici; ergo &c. Prob. min. Non primum: quia, quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria, & tantum involuntaria secundum quid; veluti constat in contractibus, qui ineuntur ex metu gravi ab intrinseco, vel juste incusso, & relinquitur ex dictis *part.* 1. *n.* 596. Neque secundum: siquidem injuria plus non infert, quam quod metum injuste incutiens teneatur ad restitutionem, non autem quod contractus sit invalidus; prout patet in contractibus ex dolo accidentali, aut metu levi injuste incusso celebratis. Ergo &c.

Probatur etiam secunda pars, præterquam quod jam liqueat ex prima prob. partis præcedentis. Nam §. 1. *Instit. de Except. supra cit.* dicitur: *Si metu coactus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palam est, Jure civiliter obligari*. Porro *l.* 21. §. 5. *ff. quod metus causa*. JCtus ait: *si metu coactus adii hereditatem, puto me heredem effici: quia, quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui; sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur*. Ex his, & aliis ejusmodi textibus in Jure reperiundis perspicuum est, contractus, ex metu etiam injuste incusso celebratos, regulariter valere; alias rescissione, quam textus exprimunt, opus non esset.

Dixi in conclus. *plerique*. Nam in primis Matrimonium, & Professio Religiosa, si ex metu gravi injusto celebrentur, probabilius etiam Jure naturæ irrita sunt, juxta Scotum *in* 4. *dist.* 29. *q. un.* Krimer *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 434. Schmier *loc. cit.* 387. & alios. Ratio est: quia si contractus ex natura sua irrescindibiles, quales sunt Matrimonium, & Religiosa Professio, Jure naturali valerent, natura illis daret valorem approbatione sua, ex quo longe majora mala bono communi nascerentur, quam bona ex eorum valore; approbaret enim actus ut validos, ex quibus indeclinabiliter innocens cogeretur pati malum, sæpe gravissimum innocenti, & reo etiam ex iniquitate sua lucrosum, quale est Matrimonium (idem proportionaliter intelligito de Religiosa Professione) *perpetuo invitum, injuste extortum, ac directe cum gravi alterius injuria quæsitum*: quod sane foret iniquum, & nullatenus rectæ rationi consonum.

Nec sufficit, quod humana potestas similes actus, seu contractus rescindere valeat. Nam si vel nollet rescindere, vel non posset, cum metus probatus non esset, innocenti non suppeteret remedium, quo juvaretur, sed cogeretur in perpetuo statu violentiæ citra spem redemptionis persistere: quod natura, quæ in necessariis deficere non solet, nec approbat, nec permittit.

Porro non quidem Jure naturali, sed positivo invalidi sunt quidam alii actus, & contractus, ex simili metu gesti. Hujusmodi sunt 1. promissio, vel traditio ex rebus Ecclesiæ facta. 2. promissio, vel solutio dotis. 3. absolutio a censuris; &, secundum aliquos, promissio sponsalitia, votum simplex, renuntiatio Beneficii &c.

Dixi præterea in conclus. *ad extorquendum actum &c.* Si enim metus incutiatur ob alium finem, contractus, etiam ex natura insolubiles, omni Jure valent. Unde si injuste captus a latronibus alteri istius injuriæ nequaquam complici promittas pecuniam, vel Matrimonium, ubi suam tibi operam ad evadendam mortem, & recuperandam libertatem commodaverit, promissio valida erit, neque post conditionem impletam ab illa resilire poteris; eo quod proximum motivum hujus contractus non sit metus, sed comparatio operæ indebitæ, requisitæ tamen ad recuperandam libertatem.

Nec obstat primo *c.* 1. *de his, quæ vi, metusve causa*, ubi videtur irritari Professio Religiosa, facta ex metu gravi injuste, quamvis non ad illam extorquendam incusso.

Contra enim est, quod allegatum *cap.* loquatur de metu gravi injuste, & simul ad extorquendam Professionem illato: prout considerate legenti perspicuum fiet; quidquid contra sentiat P. Schmalzgrueber ubi supra *n.* 28.

Nec obstat secundo, si dicas. Illos contractus natura irritos voluit, ex quibus innocens cogeretur damnum indeclinabiliter pati; ut supra arguebamus: sed hoc contingeret etiam in proposito, si contractus, ex natura sua irrescindibiles, ex metu gravi, & injusto extrinsecus incusso, licet ob alium finem, quam ad extorquendum actum, forent validi; ergo &c.

Contra enim ajo, majorem solummodo veram esse, si metus incutiatur ad extorquendum consensum in contractum, qui annexum habet malum, quod innocens etiam invitus indeclinabiliter pati debet; nam finem ab incutiente metum directe quæsitum, & innocenti irreparabiliter noxium natura admittere nec voluit, nec debuit consequibilem jure; alias voluisset innocenti damnum irreparabile, & hominis injusti iniquitas maximum haberet illicium. Simile non esse in casu proximo, utpote in quo innocens non pateretur invitus.

670. Objicies primo. Quod est contrarium consensui, Jure naturæ vitiat contractum: sed nihil est tam contrarium consensui, quam vis, & metus; ut habetur *reg.* 116. *ff. de diverf. Reg. Juris*, & *c.* 14. *de Sponsal.* ergo metus Jure naturæ vitiat contractum.

Respondetur, dist. maj. Quod est contrarium consensui in esse voluntarii simpliciter, vitiat contractum Jure naturæ, con. quod est contrarium consensui in esse perfecte liberi, subdist. vitiat contractum irrescindibilem, ut est Matrimonium, & Professio Religiosa, con. vitiat contractum rescindibilem, de quo nostra conclusio procedit, neg. maj. Metus solum est contrarius consensui spectato in esse perfecte liberi, non autem spectato in esse simpliciter voluntarii. Unde nec Jure naturæ, nec Jure positivo regulariter vitiat contractus rescindibiles, esto vitiet irrescindibiles, utpote ad quorum valorem non solum requiritur consensus simpliciter voluntarius, sed etiam perfecte liber, ob rationem supra insinuatam.

671. Objicies secundo. Si contractus, ex gravi metu initi, Jure naturæ subsisterent, producerent obligationem naturalem: hanc non producunt; ergo &c. Maj. est certa. Min. prob. Quia qui ab altero gravi metu adactus, promisit ei dare v. g. pecunias, non tenetur illas dare in conscientia; ergo talis promissio non producit obligationem naturalem.

Respondetur, neg. min. Ad prob. dist. ant. Non tenetur illas dare, si contractum placeat rescindere, con. secus, neg. ant. & conf. Licet contractus, per metum gravem extortus, Jure naturæ valeat, sitque productivus obligationis naturalis, hæc tamen valde debilis est, & conditionata in hoc sensu, nisi scilicet promittens velit promissionem rescindere.

Instabis. Etiamsi contractus non rescindatur, tamen promissarius in casu posito non habet jus petendi pecuniam promissam; ergo neque promittens habet obligationem illam dandi; ergo promissio nullam obligationem producit: consequenter est invalida. Ant. prob. Nemini potest competere jus ad actionem iniquam; sed illa petitio esset iniqua; ergo &c.

Respon-

Respondetur, dist. ant. Promissarius non habet jus absolutum petendi pecuniam promissam, con. conditionatum, nisi videlicet injuriatus contractum velit rescindere, neg. ant. Ad prob. concessa majore, neg. min. supposito, quod læsus contractum non annullet, cum tamen posset; tunc enim censetur in dationem pecuniæ consentire: quo posito petitio nec injuriosa, nec illicita foret.

672. Objicies tertio. Si contractus, ex metu celebratus, esset validus, deberet transferre dominium rei traditæ, ut patet: sed non transfert; ergo non est validus. Min. prob. Siquidem *l. 9. §. volenti*, *& §. licet*, *ff. quod metus causa*, metum passo conceditur actio non solum in personam, sed etiam in rem, ubicunque existat, addita hac ratione: *quia res in bonis ejus est, qui vim passus est*; ergo signum est quod hic retinuerit dominium.

Respondetur, neg. min. Ad *l.* ejus probativam dico, metum passo competere actionem in rem non quod penes ipsum manserit ejusdem dominium, sed quod eam per rescissionem contractus recuperare possit, & sic restitui in integrum. Ex quo patet ad rationem adjunctam; nam res solum dicitur esse in bonis vim passi, quatenus ipsi in illam conceditur actio, vi cujus non censetur a re exclusus, sed potius eandem habere. *l. 5. ff. de in integrum restit.* & *reg. 15. ff. de divers. Reg. Juris.*

Dices. Si metum inferens rei traditæ dominium acquireret, tunc ipsius creditores antiquiores, vel privilegiati in restitutione ejus rei præferendi forent illi, qui ex metu rem tradidit: sed consequens secundum omnes est falsum, utpote repugnans æquitati naturali; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. posito, quod contractum rescindant; sic enim annullat omne jus, quod metum inferenti in rem competierat; & consequenter jam corruit jus aliorum creditorum, quippe in jure injurantis fundatum.

673. Objicies quarto. Dolus substantialis, seu causans errorem substantialem, contractum annullat, prout *c. præced.* ostensum: sed dolus, & metus in Jure æquiparantur, *c. 28. de Jurejur.* ergo etiam metus contractum annullat.

Respondetur, explic. & dist. min. Æquiparantur in omnibus, neg. in aliquibus, con. min. In hoc præcipue æquiparantur, & conveniunt, quod ambo contineant injuriam; proindeque lædentem restitutioni faciunt obnoxium: discrepant tamen, & disconveniunt, quod metus non tollat substantiam consensus in esse simpliciter voluntarii, sicut tollit dolus, causans errorem substantialem, secundum dicta *c. præced.*

674. Objicies quinto. *In l. 6. §. Celsus. ff. de acquir. hæred.* dicitur: *Qui metu verborum, vel aliquo timore coactus, fallens adierit hæreditatem, sive liber sit, heredem fieri non placet, sive servus sit, dominum hæredem non facere.* In quo textu aditio hæreditatis, ex metu facta, decernitur irrita, & nulla; ergo &c.

Respondetur cum Glossa, ubi aditionem hæreditatis non fuisse declaratam invalidam ratione metus, sed ratione fictionis, quæ una cum metu intercesserat, dum hæreditas erat adita animo ficto, & simulato ad evadendum periculum: prout patet ex voce *fallens*, id est, simulans tantum exterius, se hæreditatem adire.

675. Colliges primo, contractus, ex metu gravi injuste incusso, licet ob alium finem, quam ad extorquendum actum, celebratos, posse rescindi, si ex natura sua sint rescindibiles. Ita colligitur *ex l. 7. ff. quod metus causa*, ubi Prætoris auxilio dignus judicatur, qui deprehensus in flagitio, ob quod non poterat juste occidi, promiserat aliquid ex metu mortis. Et ratio est: quia adhuc metum passo fuit facta injuria; ergo meretur absolvi ab obligatione, quam invitus ob alterius injuriam contraxit.

676. Colliges secundo, etiamsi metus gravis sit injuste incussus a tertio, & non ab altero contrahente, contractum nihilominus rescindi posse, si ex se rescindibilis sit. Nam ita statuitur *l. 14. §. 3. ff. quod metus causa*. Nec obstat, quod *c. præced.* diximus, contractum non posse rescindi, si sit initus per dolum a tertio instillatum. Ratio quippe disparitatis, quæ Jus ad aliter disponendum, de uno, ac de altero movit, est, quod dolus per diligentiam, & circumspectionem facilius præcaveri possit, quam metus.

677. Colliges tertio, si Medicus nolit operam extreme decumbenti impendere, nisi suam filiam ducat in uxorem, contractum Matrimonii fore invalidum, si operam teneatur præstare ex Justitia; validum vero, si solum ex Charitate. Ratio est: quia in priore casu ægrotus ad contrahendum Matrimonium moveretur proxime ex metu injuste incusso; non autem in posteriore.

CAPUT IV.

An, & Quomodo Contractus juramento firmentur?

SUMMARIUM.

678. & seqq. Exponitur status quæstionis. 683. Nullus omnino contractus invalidus, vel infirmus, in linea, & ratione contractus juramento firmatur. 684. & seqq. Diluuntur argumenta contraria. 687. Juramentum, contractui, etiam infirmo, vel omnino invalido adjectum, ordinarie valet, & servari debet, quando res juramento promissa sine peccato promissoris impleri potest.

678. PRænotandum primo, non coincidere hæc duo, *contractum juramento vestiri*, & *juramento firmari*. Nam contractum *juramento vestiri*, nihil aliud est, quam contractum ratione appositi juramenti actionem producere, esto contractus non valeat. At contractum *juramento firmari*, est contractum, alias irritum, vel infirmum, vi adjecti juramenti ita convalescere, ut non tantum vi juramenti, sed etiam vi pacti, & in linea contractus valeat, atque actionem producat: prout recte notat Pirrhing *lib. 2. tit. 24. n. 141.* Contractum juramento vestiri omnes concedunt, & patebit ex textibus Juris infra adducendis. An autem etiam firmetur juramento, hic in controversiam venit. Pro quo

679. Prænotandum secundo, quæstionem non procedere de juramento assertorio, quo quis simpliciter jurat, se vendere, donare &c. sed de promissorio, quo jurat, se contractu staturum; illud enim, cum præcise asserat id, quod fit, nullatenus obstat, quin contractus possit rescindi, vel revocari: prout fatentur DD. universim.

680. Prænotandum tertio, si contractus sit Jure naturæ irritus, eundem non firmari juramento; quia juramento non potest suppleri defectus substantialis, ob quem contractus Jure naturæ nullus est. Idem est de contractu, qui Jure naturæ est irritabilis: & hinc qui dolo, metu injusto, aut usuraria pravitate extortus est, etsi juramentum accedat, in linea contractus nullam obtinet firmitatem; servari nihilominus debet ratione juramenti, nisi hoc per legitimam potestatem relaxetur. Unde punctum controversiæ procedit de contractibus Jure positivo, eoque humano nullis.

681. Prænotandum ulterius quarto, juramentum posse adjici contractibus firmis, vel infirmis. Si adjiciatur firmis, & natura sua simpliciter validis, esto eos firmet eatenus, quatenus obligationi Justitiæ superinducit obligationem Religionis; non tamen firmat proprie, & juridice, cum non afferat illis novam vim obligandi ex Justitia, vel producendi novos effectus civiles. Unde si emergat aliquis casus, vel causa, ex quibus secundum Leges Justitiæ contractus non juratus rescindi possit, poterit etiam juratus dissolvi: quia hic tenet illud tritum: *juramentum sequitur naturam contractus*, id est, obligatio juramenti eousque se extendit, quousque obligatio contractus, & non ultra. Si juramentum adjiciatur contractibus infirmis, quæritur in præsenti, utrum accessione juramenti ita firmentur, ut non tantum detur obligatio ad standum ejusmodi contractibus vi juramenti, sed vi ipsorummet contractuum? id est, utrum Jus positivum humanum, sive Canonicum, sive Civile, quasdam Leges irritativas contractuum ita limitaverit, ut ea, ob reverentiam juramenti, ad urgendam hujus executionem, vim irritativam amittant, neque amplius resistant valori contractuum, sed jurantes etiam ex Justitia per ipsosmet contractus orta, obligentur servare fidem in contrahendo promissam, etiamsi obligatio juramenti relaxetur.

682. Prænotandum denique quinto, certa esse sequentia.

quentia 1. Juramentum non valere, & consequenter nec confirmare contractum, si Jus sive Canonicum, sive Civile tam juramentum, quam contractum irritet: sicut Trid. Sess. 25. *de Regular. c. 6.* irritat renunciationem, a Novitio factam de suis bonis, etiam juratam, *nisi facta sit cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii intra duos menses proximos ante Professionem*; statuitque, ut effectum non sortiatur, nisi secuta Professione. 2. Neque juramentum subsistere, aut firmare contractum, quando illud directe, & principaliter vergit in præjudicium, aut damnum tertii: quia tunc versatur circa rem malam, & illicitam, atque assumpitur tanquam vinculum iniquitatis contra *c. 18. de Jurejur.* Dixi: *directe, & principaliter*; nam si indirecte solum, & secundario in præjudicium tertii cedat, *v. g.* quia alioquin alius habuisset spem successionis, si res alienata non fuisset, valere potest: prout gnaviter advertit P. Schmalzgruber *lib. 2. tit. 24. n. 9.* 3. Contractum non convalidari juramento, si is contineat turpitudinem ex parte creditoris, in cujus favorem juratur; unde siquis juramento promisit solvere usuras, vel dare pecuniam latroni pro redimenda vita, juramentum quidem tenet, non autem firmat contractum, *c. 6. de Jurejur.* Ratio est: quia licet in his casibus juramentum obliget ob reverentiam Divini Nominis, in testimonium adducti ad faciendam fidem: ei tamen, cui juratur nullum acquiritur jus firmum, vel actio. Unde licet promittens teneatur promissum solvere, potest tamen solutum incontinenti repetere, & promissarius ex Justitia reddere tenetur. His præmissis, & suppositis,

683. Dico. Nullus omnino contractus invalidus, vel infirmus, in linea, & ratione contractus juramento firmatur. D. Glettle *de Pactis. c. 2. §. 4.* P. Vviestner *lib. 2. tit. 24. n. 78.* P. Krimer *lib. 1. tit. 35. n. 2568.* P. Schmier *lib. 2. tr. 3. c. 7. a n. 50.* P. Pichler *lib. 2. tit. 24. n. 48.* P. Elbel *de Juram. n. 62.* contra satis communem aliorum.

Probatur. Si juramentum confirmaret contractum in linea, & ratione contractus, deberet vim confirmandi habere vel ex natura sua, vel ex Jure positivo: neutrum potest dici; ergo &c. Maj. est certa. Min. prob. Non enim potest dici primum: quia juramentum ex natura sua plus non exigit, quam ut jurans præstet id, quod juramento interposito promisit, ne Divinum Nomen assumpserit in vanum; quæ obligatio optime impleri potest, tametsi contractus invalidus, vel infirmus maneat, ut patet in juramento, usurarum promissioni apposito. Neque dici potest secundum: quia si Jus positivum juramento tribueret vim confirmandi contractum invalidum, vel infirmum, id colligitur ex textibus, quos Adversarii communiter adducere solent: sed ex illis non colligitur, ut confestim patebit; ergo &c.

684. Objicies primo varios textus ex Jure Canonico. Nam 1. *in cap. 28. de Jurejur.* Mulier jubetur stare juramento super alienatione rerum dotalium, quamvis consensus in hanc alienationem alias Jure Civili sit irritus. 2. *In c. 2. eod. in 6.* Pontifex decernit, Judices seculares, qui mulieres hujusmodi contra præfatas alienationes audiunt, per locorum Ordinarios censura Ecclesiastica compellendos ad servandum Jus Canonicum de hoc introductum. 3. *In cap. 2. de Pactis. in 6.* deciditur pactum, quo filia renunciat hæreditati paternæ, quamvis Jure Civili improbetur, si tamen juramentum accedat, servandum esse. Ergo &c. Ita cum aliis Adversariis argumentatur P. Schmalzgrueber ubi supra *n. 86.*

Respondetur, neg. conf. Ad textus adductos ajo cum Authoribus pro conclus. relatis, Jus contractus ejusmodi, humana Lege irritos, velle nihilominus esse firmos, non firmitate, quam habeant ex se, & in linea contractuum, sed firmitate, quam habent ex vi juramenti: quod est eos firmari materialiter solum, & objective, quatenus id, quod promissum est, reddi debet, non vi contractus, sed vi, & ratione juramenti adjecti. Ratio hujus interpretationis est, quod Jus, dum illos contractus servari præcipit, nullam aliam causam exprimat, quam reverentiam juramenti; ne scilicet prætexta invalidi contractus perjuriis (NB. non injustitiæ, aut injuriis, ex violatione contractus resultantibus) contingat viam aperiri.

Dices. Jus decidit, quod juramenta adjecta contractibus, vi, vel metu initis, servanda sint, solutione saltem momentanea; absolute vero, si sint adiecta contractibus sponte initis; ergo signum est, quod contractibus sponte factis, & juramentis voluerit dare valorem, supposito juramento.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Nam ex eo, quod Jus contractus juratos, ex metu factos, & factos sponte, agnoscat validos, illosque mediante actione rescindibiles decernat, non autem istos, solum sequitur, quod in sponte factis non inveniat eandem rationem favendi, sicut in factis ex metu; non autem quod, si aliunde essent nulli, velit illis tribuere valorem ratione adiecti juramenti,

685. Objicies secundo ex Jure Civili. Nam Authent. *Sacramenta puberum. C. si adversus venditionem*, Fridericus Imperator *Sacramenta* (seu juramenta) *puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiri* jubet; ergo vult, Sacramentis, seu juramentis confirmari contractus.

Respondetur, neg. conf. Nam *cit. Authent.* ne verbulo quidem exprimit, contractum, Jure invalidum, juramento convalidari, sed tantum: vult, *sacramenta*, seu juramenta, contractibus sive validis, sive invalidis apposita, servari debere: id quod fieri potest, quin contractus, Jure nullus, convalescat; prout relinquitur ex dictis *in probat.* Unam adhuc, alteramve aliam responsionem videre poteris apud P. Pichler *loc. cit. n. 50.* Sed contra datam a nobis,

Instabis. *Authent. cit.* debuit statuisse aliquid speciale: sed nihil statuisset speciale, si non voluisset firmari contractum: quia juramentum servari oportere jam decernebatur antea per *l. 1. C. si adversus vendi. ionem*; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Sed satis erat, quod Jus anterius magis declararet. Deinde data majore, negari potest min. Siquidem *cit. l. 1.* solum disponit de venditione rei immobilis a Minore facta, nullam faciens mentionem de aliis contractibus; super quibus tamen universis disponit *cit. Authent.* eosque propter appositum juramentum vult inviolabiliter custodiri. Ita P. Schmier *n. 55. & seq.*

686. Objicies tertio ex ratione. Si contractus juramento non confirmatur, casu quo juramentum non relaxaretur, etsi jurans teneretur eam obligationem exsolvere, ad hæredes tamen jurantis illa non transiret; cum esset ex virtute Religionis tantum, adeoque mere personalis, quæ cum persona emoritur. Sequela autem est absurda; ergo &c.

Respondet P. Schmier *loc. cit. n. 67. & 68.* neg. seq. maj. una cum ratione probativa; siquidem (inquit) præmemorata obligatio non est solius Religionis, sed etiam Justitiæ, haud quidem quasi hæc oriatur ex contractu, sed quatenus nascitur ex juramento promissorio, quod contractui adjectum ponitur; nam juramentum promissorium habet necessario innexam promissionem, ex qua, debite acceptata, infallibiliter resultat obligatio Justitiæ erga hominem, cui juratum est. Quæ proin obligatio non est mere personalis, sed realis, & ad hæredes transit. Atque hæc responsio & mihi olim placuit; sed, re melius perpensa, placere amplius non potest. Unde

Contra est. Etiam juramentum usurarii de solvendis usuris, imo omnia juramenta, quæ adjiciuntur contractibus turpidinem quandam ex parte creditoris præseferentibus, promissoria sunt, & tamen non producunt aliquam obligationem Justitiæ, ac realem, quæ ad hæredes transeat, ex communi Doctorem; ergo &c. Et vero sicut juramentum assertiorum non dicitur tale, quod ipsum formaliter sit assertio, aut habeat innexam assertionem, ab ea, cui adjicitur, distinctam (alias perjurus duplex committeret mendacium, contra communem persuasionem) sed quia assertioni velut confirmatio adjicitur; ita nec juramentum promissorium tale dicitur ratione promissionis sibi innexæ, sed ratione promissionis, in cujus confirmationem adjicitur. Quare juramentum promissorium ex vi, & natura juramenti nunquam producit obligationem Justitiæ, sed solum vi promissionis (si hæc existat valida) cui adjicitur. Dimissa igitur responsione præmemorati Authoris,

Respondetur aliter ad object. con. seq. maj. & neg. min. Sicut enim absurdum non est, quod usurarius vi juramenti, quo promisit solvere usuras, obligetur ad solutionem, quin ea obligatio ad hæredes transmittatur; ita ne-

ita neque absurdum est, quod debitor in casu objectionis vi juramenti, si istud non relaxetur, obligetur ad solutionem debiti, quin talis obligatio transeat ad hæredes; nam hæredes ejusmodi debitoris non obligantur vi contractus, quippe invalidi; neque vi juramenti promissorii, utpote quod (prout ex dictis constat) est vinculum mere personale, seu constringens solam personam jurantis.

Aliud procul dubio dicendum esset, contractus ipse intrinsece, seu in linea contractus fuisset validus; aut (prout Adversarii volunt) sic confirmatus, & convalidatus adjectione juramenti. Eo quippe casu hæredes debitoris ad solutionem debiti obstringerentur, non quidem vi juramenti, & Religionis (sic enim solus obstringeretur debitor) sed vi contractus, & Justitiæ, quatenus ex contractu valido nascitur obligatio Justitiæ, & realis, in quam hæredes adeundo hæreditatem succedunt in commoda realia testatoris defuncti. Neque contra hoc dicas, nihil referre, an hæredes teneantur ex contractu jurato, vel ex juramento. Multum enim refert; nam si istud posterius fieret, hæredes, sicut testator, non tantum obligarentur ex Justitia, sed etiam ex Religione; item (quod fluit ex priori) contraveniendo contractui, non tantum committerent peccatum injustitiæ, sed etiam perjurii; quod non contingit, dum illos sola obligatio contractus, non vero juramenti tenet, prout recte advertit Augustinus Michel *tom.* 1. *fol.* 505. *n.* 22. & alii.

687. Objicies quarto. Contractus, Jure solum humano irriti, sed opposito juramento vestiti, non sunt rescindibiles; ergo sunt validi; ergo juramento firmati.

Respondetur, omissio antecedente, neg. utranque cons. Siquidem ex eo, quod ejusmodi contractus jurati rescindi non possint, tantum sequitur, quod Jura etiam assistant obligationi juramenti, dando scilicet actionem petendi, quod juratum est, prout per textus supra ab Adversariis allatos evincitur: non vero, quod illorum irritationem suspendant.

688. Colliges, juramentum, contractui etiam infirmo, vel omnino invalido adjectum, ordinarie valere, & servari debere, quando res juramento promissa sine peccato promissoris impleri potest. Ratio est: quia reverentia, & honor Divini Nominis postulat, ut jurans ex sua parte curet hoc verum efficere, quod promisit, Deum adducendo in testem, ne censeatur Eum in testimonium falsitatis assumpsisse. Unde qui latroni juramento promisit pro vita redimenda centum aureos, tenetur solvere, quamvis ille ex Justitia restituere teneatur; & is, qui juramento promisit solvere usuras, tenetur solvere, quamvis easdem statim possit repetere, & fœnerator restituere teneatur: ubi tamen uterque contractus vel est invalidus, vel saltem infirmus, prout constat ex dictis *c.* 3.

Dices. Juramentum sequitur naturam contractus, cui adjicitur; ergo si obligatio contractus sit infirma, vel omnino nulla, etiam infirma, vel nulla erit obligatio juramenti.

Respondetur, explic. & dist. ant. Juramentum assertorium, quod præcise adjicitur in confirmationem contractus, adeoque mere accessorie se habet, con. Juramentum promissorium, subdist. sequitur naturam contractus, ita ut obligatio juramenti se non extendat plus, quam obligatio contractus, & si nullus est consensus ob defectum sufficientis voluntarii, nullum etiam sit juramentum, con. ita ut, si contractus sit ex alio capite naturaliter, vel civiliter irritus, etiam debeat esse juramentum irritum, neg. ant. & cons. Si consensus sit nullus ob defectum sufficientis voluntarii, prout evenit, quando dolus vel error substantialis intervenit, juramentum sequitur naturam contractus, & sicut ad substantiam contractus, sic pariter ad vinculum juramenti deest sufficiens voluntarium. Oppositum tenemus, si consensus aliunde sit irritus. Quare ex hoc argumento solum concluditur, juramentum, contractui invalido adjectum, non semper valere, & stringere: cum quo tamen stat, quod valeat, & stringit *ordinarie*, prout in corollario signanter expressimus.

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

689. Maximiliana retinere licito potest munera, quæ eidem suus Herus dedit sub spe obtinenda, sed non obtenta copula. 690. Manilius peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem, dum, ut acquirat pretium summum, mercibus miscet materiam vilem; aut non dat integram ulnam; non vero, dum juramentis, & variis protestationibus suas merces extollit. 691. Marsilius peccat peccato injustitiæ, & tenetur restituere pecuniam recuperatam in lusu, ad cujus continuationem Maxentium per minas coegit. 692. Marinus non habet jus petendi legatum, testamento irrito insertum, ratione juramenti a Marina testatrice de non revocando testamento facti.

CASUS I.

689. *Maximiliana Virgo, cuidam Hero viduo ancillans, complura ab hoc accipit munera, eo quemadmodum facile conjicit, animo data, ut ad turpia pelliciatur. Verum, quoniam pudicitia amantissima est, firmiter statuit in corde suo, nihil simile unquam admittere, suamque hanc resolutionem Hero intrepide, & heroice manifestat. Quæritur, an nihilominus accepta munera retinere possit, vel vero reddere donatori teneatur?*

Respondetur, quod possit retinere. Ita Rebellus, Diana, Molina, Burgaber *cent.* 1. *cas.* 83. & alii. Ratio est: quia dona liberalia (per se loquendo) licite retinentur a donatario, vel donataria: atqui munera, Maximilianæ data, sunt dona liberalia; ergo &c. Major, pensatis terminis, in quibus est proposita, non habet, quem sciam, contradictorem. Min. ostenditur; nam munera illa non censentur Maximilianæ data tanquam pretium turpis lucri, seu sub conditione consentiendi in turpia (sic enim procul dubio restitutioni obnoxia forent conditione non impleta, prout videbimus *n.* 819.) sed solum cum spe pertrahendi donatariam ad turpia; ergo sunt, & manent dona liberalia, absolute data, quamvis ob deflexum finem. Confirmatur. Hujusmodi amatores, & proci munera, in præfatum finem data, non solent reposcere, spe sua defraudati; ergo signum est, quod illa vere, & absolute donent, quando nullam (sicut Herus in Casu) faciunt mentionem de obligatione consentiendi in turpia: consequenter &c.

Dices. Si Maximiliana retineat munera Heri, lascivo animo donata, fovet in ejus pectore spem iniquam; ergo retinendo peccat saltem contra Castitatem, quatenus ad violationem hujus virtutis continuandam cooperatur.

Respondetur, neg. ant. Quia Herus donationem suam non amplius continuat; & si ponatur adhuc retinere spem ad turpia obtinenda, ea fundatur in donatione præterita, & muneribus jam datis; ad quam proinde spem donataria neutiquam concurrit, neque illam fovet, sed potius incassam reddit, ac destruit, dum rem speratam libere, & aperte denegat. Unde neg. etiam cons.

CASUS II.

690. *Manilius mercator subinde, ut obtineat pretium summum, mercem tradit, cui vilior materia est admixta: subinde merces vendit pretio infimo; sed non dat integram ulnam, aut mensuram, ut compenset pretium summum: subinde juramento, & variis protestationibus pretium summum extorquet. Qualiter judicandus est Manilius?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus, quod Manilius peccet contra Justitiam, & teneatur ad restitutionem, dum ad obtinendum pretium summum tradit mercem viliori materiæ permixtam: idque verum censeo, sive contractus emptionis-venditionis ponatur fuisse celebratus valide, sive non. Palao *disp.* 5. *pun.* 6. *num.* 5. & *pun.* 22. *n.* 4. Mendo *disp.* 3. *n.* 22. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 657. Ratio est: quia Manilius injuste decipit emptorem; ergo &c. Aut. ostenditur; nam

emptor

emptor facit contractum de merce pura; ergo si mixtam tradat venditor, injuste emptorem decipit. Infert præterea injustum damnum aliis mercatoribus, quatenus hoc fraudulento agendi modo ab illis abstrahit emptores. Ergo Manilius peccat contra Justitiam tam respectu emptoris, quam respectu aliorum mercatorum, quibus proinde tenetur ad restitutionem illatis damnis commensuratam.

Dixi: *idque verum censeo* &c. Nam etsi contractus ponatur celebratus valide; nihilominus in celebrando intervenit injuria, per dolum ab altero contrahente (& quidem antecedentem, ut supponitur) inductum, causata, quæ ejusmodi contractus rescissioni causam sufficientem dedit: consequenter &c. Ceterum ut dignosci valeat, an contractus emptionis-venditionis tali casu censeri debeat validus, vel invalidus? dispiciendum est, an vilior materia admixta mercem notabiliter, & substantialiter immutet, v. g. ad communem, & intentum usum omnino inidoneam reddat, vel non? Si primum; contractus erit invalidus ratione doli circa substantiam versantis: si secundum; contractus erit quidem validus, quia dolus solum versatur circa quid accidentale; a decepto tamen rescindibilis secundum dicta *n.* 665.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, quod Manilius (1.) contractum quidem celebret valide, sed (2.) non dando integram ulnam, aut mensuram agat injuste, & teneatur ad restitutionem. Ratio primæ partis est: quia emptor vult emere quantitatem majorem, in qua continetur minor; consequenter vult etiam emere quantitatem minorem, & pretium huic quantitati commensum voluntarie, ac valide solvit: id quod facit contractum valere, præsertim cum ejus valori aliunde nihil obstet. Card. de Lugo *disp.* 26. *n.* 125. Res clarescit in exemplo. Petrus voluit emere centum ulnas panni pro centum florenis; sed mercator ei tradit octnaginta tantum ulnas pro persolutis centum florenis; censetur enim hoc tali casu Petrus emptor satis consentire etiam in solutionem octuaginta florenorum pro pretio octuaginta ulnarum: offert tamen centum florenos; quia credit sibi totidem ulnas vendi. Ratio secundæ partis fluit ex immediate dictis, & est: quia Manilius sic cogit emptorem ad solvendum pretium summum, cum tamen de infimo convenerit; ergo ei infert injuriam, & damnum: consequenter tenebitur restituere, quod nempe infimum pretium excedit. Ant. prob. Siquidem, contractu emptionis-venditionis legitime celebrato, competit emptori jus strictum ad integram ulnam, aut mensuram pro pacto pretio; ergo Manilius ulnam, aut mensuram imminuendo, ut compenset pretium summum, cogit emptorem ad solvendum pretium summum. Imo non solum relate ad emptorem, sed etiam relate ad alios mercatores injustitiam committit, quatenus ab istis hoc vendendi, resque venditas tradendi modo emptores per fraudem abstrahit; prout in responsione ad præcedens Casus membrum diximus. Ergo non solum emptori, sed etiam aliis mercatoribus tenetur resarcire, quantum suo impio stratagemate nocuit.

Dices. Cuivis contrahentium, dum contractus celebratur, integrum est, quo pretio (intra latitudinem justi pretii) cum altero convenire velit; ergo poterit mercator etiam citra injustitiam exigere pretium summum.

Respondetur, dist. ant. Cuivis contrahentium id integrum est, donec contractus sit celebratus, con. postquam celebratus, & consummatus est, sicut in proposito emptio-venditio, ceu contractus consensualis, neg. ant. & conf. Si enim contrahentes mutuo consensu circa certum pretium justum semel convenerint, Justitia non amplius permittit, ut aliquid plus pro merce accipiatur occulte.

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus, quod Manilius non peccet contra Justitiam, neque teneatur ad restitutionem, dum extorquet summum pretium juramento, & variis protestationibus, quibus v. g. bonitatem suarum mercium mirifice extollit: dummodo nullam immisceat fraudem. Ita cum Rebello, Palao, & aliis P. La Croix *lib.* 3. *pars.* 2. *n.* 956. Ratio est: quia emptor tali casu imputare sibimetipsi debet, quod decipiatur, & inducatur ad plus dandum; ergo Manilius non peccat contra Justitiam, nec tenetur ad restitutionem. Conf. patet: siquidem contractus emptionis-venditionis est legitimus; cum in eo interveniant pretium justum (quale etiam est pretium summum; prout videbimus *disp. seq. c.* 4.) merces bonæ (ut supponitur) & consensus utriusque contrahentis voluntarius, nec ulla fraude viriatus. Ant. ostenditur. Constat Orbi universo, mercatores passim mentiri, & jurare, eaque asseveranter repetere, quæ falsa sunt, ut sic merces suas exaggerando emptores alliciant; ergo sibi, suæque imprudentiæ debet imputare emptor, si ejusmodi mendaciis, & juramentis credat, ac decipiatur.

Dices. Mendacium, juramentum, & protestationes ejusmodi continent dolum; ergo licet forte contractum non reddant irritum, reddunt tamen rescissioni obnoxium: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Continent dolum officiosum, quo Manilius consulit suo bono, con. dolum perniciosum, quo ipse noceat emptori, neg. ant. & conf.

Instabis. Emptor non fuisset empturus, nisi Manilius merces suas adeo dilaudasset; ergo Manilius commisit dolum perniciosum emptori.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. Cum enim hæc sit consuetudo mercatorum, quæ passim ab emptoribus scitur, imprudenter facit emptor, qui illis credit, & decipitur. Unde hanc deceptionem, & nocumentum, quod patitur, non mendacio, aut juramento mercatoris, sed suæ simplicitati, ac stultæ credulitati adscribere debet.

CASUS III.

691. *Marsilius per duas circiter horas chartis lusit cum Maxentio; sed infortunato successu: nam intra id tempus duodecim florenos perdidit, quos omnes lucratus est Maxentius, atque hoc lucro contentus ab ulteriori lusu desistere voluit. At vero reclamavit Marsilius, spe pecuniam perditam recuperandi lactatus, & Maxentium, nescio, quibus minis, ad lusum continuandum pertraxit. Quo factum ut Marsilius Maxentium omni lucro, antea legitime acquisito, exuerit. Quæritur, an Marsilius peccaverit contra Justitiam, & teneatur ad restitutionem?*

Respondetur affirmative: nisi forte Marsilius ex more lusus, aut consuetudine, aut prævie adjecta conditione, vel modo, habuerit jus cogendi collusorem ad lusum continuandum. Sporer *in Decal. tr.* 6. *c.* 6. *n.* 65. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 1080. & alii multi, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *Consil. c.* 18. *dub.* 9. *n.* 6. Ratio est: quia licet contractus ludi continuatus valuerit (secundum dicta *n.* 669.) & transtulerit pecuniæ recuperatæ dominium in Marsilium, hic tamen Maxentio fecit injuriam damnosam, eundem per minas adigendo ad prosecutionem lusus; ergo peccavit contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem, si hanc Maxentius petat.

Dices. Qui per minas ad ludum, ludive prosecutionem trahitur, ludit simpliciter voluntarie; ergo victor potest retinere lucrum, præsertim cum etiam victus, & ad ludum attractus, posset sibi lucrum servare, si ipse vicisset.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Quamvis enim hujusmodi voluntarium sufficiat ad valorem contractus; quia tamen hic per injuriam fuit extortus in nostro Casu, extorquens, ac lædens tenetur resarcire damnum, quod injuste dedit. Nec refert, quod etiam attractus ad ludum potuisset lucrari, lucrumque retinere: tunc quippe solum par debet esse conditio ludentium, quando ludus secundum se spectatur; non autem, quando ex parte unius intervenit injuria, ratione cujus victor, qui eam intulit, tenetur restituere.

CASUS IV.

692. *Marina, dives opum femina, condidit testamentum, in quo Marino coætaneo suo, nulla tamen consanguinitate, vel affinitate juncto, legavit triginta aureos; idque ei indicavit ante obitum, addito in præsentia plurium juramento, quod testamentum revocare, aut immutare non velit. Marinus hanc promissionem grataner acceptavit, nec de consecutione sui legati ullatenus dubitavit. Sed quoniam, sublata e vivis Marina, testamentum deprehenditur debita solemnitate destitutum,*

stitutum, negant hæredes necessarii, se Marino quidquam debere, Quæritur, an hæredes licite agant?

RE spondetur affirmative. Ita DD. communiter. Ratio est: quia ex una parte testamentum supponitur nullum, & consequens etiam legatum (intellige *profanum*, quale erat in Casu) eidem insertum (ex dicendis infra *n.* 722.) ex altera vero parte obligatio juramenti promissorii de non revocando testamento, cum sit mere personalis (ex dictis *n.* 686.) non egreditur personam jurantis, neque hæredes, vel posteros afficit; ergo &c. Confirmatur, Licet contractus Jure positivo invalidi, vel infirmi, ex juramento adjecto robur accipiant (sive intrinsece, & formaliter, ut convalidentur in linea contractus; sive extrinsece, & materialiter, ut valeant in ratione juramenti tantum, juxta diversas DD. sententias) id tamen de testamentis eodem Jure invalidis asseri nequit; ergo non apparet ullum fundamentum, ex quo hæredes ab intestato in Casu dispositione testamentaria stare teneantur. Consfluit. Ant. ostenditur ex ratione tum ultimata, tum inultimata, & congruentiæ. Ratio ultimata est constitutio Juris, seu voluntas Legislatoris, vi cujus soli contractus, non item testamenta, alterutro ex prædictis modis confirmantur (prout patebit consideranti textus ex utroque Jure allatos *n.* 684. *& seq.*) ratio autem inultimata, & congruentiæ est: quia contractus sunt privati Juris, ideoque etiam Leges privatorum recipiunt; at vero testamenta sunt Juris publici, in quibus proin nemo sibi ipsi legem dicere potest, sed oportet se Legibus publicis conformare. Itaque tam Jura, quam DD. iis innixi, dum asserunt, contractus, & pacta juramento confirmari (sive intrinsece, sive extrinsece) præcise loquuntur de contractibus, & pactis in favorem solius debitoris a Jure positivo irritatis: atqui testamenta insolemnia (præterquam quod Ultimæ Voluntates proprie non veniant nomine contractuum; veluti annotabimus *disp. seq. cap.* 2. *in princip.*) non sunt irrita a Jure positivo in favorem debitoris ex illis, videlicet testatoris (vel testatricis) sed in favorem hæredum ab intestato, boniquo publici; unde simile testamentum a juramento testatoris nullum accipit robur, ex quo hæredes ab intestato venientes obligari possint, sed testator solus personaliter ex eo obligatur, testamento nihilominus manente secundum se, & valide revocabili. Revideri possunt, quæ habentur *part.* 2. *n.* 517.

DISPUTATIO II.

De Contractibus in specie.

HActenus de Contractibus in genere, modo de iis in specie (quorum copia magna est, ut patebit) disserendum venit. Sit ergo.

CAPUT I.

De Promissione, & Donatione.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Promissionem.

SUMMARIUM.

693. *& seqq. Promissionis acceptio, definitio, differentia ab aliis, divisio.* 697. *Ut formalem obligationem pariat, debet esse vera, externa, & acceptata.* 698. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 701. *Qualis requiratur acceptatio promissionis?* 702. *Ex qua virtute, & quantum obliget promissio acceptata?* 703. *Quando desinat obligare?* 704. *An patria de Jure actionem?*

693. PRænotandum, non esse hic sermonem de Promissione, quæ fit Deo, & producit obligationem voti, ac Religionis (utpote de qua jam actum est *part.* 2. *tr.* 2. *disp.* 2. *c.* 2.) sed de Promissione, quæ fit homini, & nata est parere obligationem Justitiæ, si debitis conditionibus vestiatur. Promissio sic accepta biceps est, nempe *lucrosa*, & *onerosa*. Lucrosa est, qua aliquid alteri promittitur ex Liberalitate, aut gratitudine. Onerosa est, qua aliquid promittitur sub onere ab altero præstando. Promissio onerosa includitur in omni contractu, ex quo resultat obligatio reciproca. Promissio lucrosa sortitur rationem specialis contractus: de qua hic præcipue tractandum, licet pleraque, quæ de ea dicturi sumus, etiam accommodari possint, ac debeant promissioni onerosæ; ut ex dicendis perspicuum fiet. Nunc

694. Dico primo. Promissio est *contractus gratuitus, quo homo se obligat homini ad aliquid præstandum*. Patet tum ex dictis *in præm.* tum ex ipsis terminis.

695. Colliges, promissionem differre 1. *a proposito*: quia hoc, cum solum dicat voluntatem faciendi, non vero se obligandi, nequit esse obligatorium saltem ex virtute fidelitatis, & Justitiæ, 2. *a donatione verbali*: siquidem hæc, quantum est de se, & secluso Jure aliter disponente, confert jus in re; promissio autem solummodo jus ad rem. 3. *a stipulatione*, quippe quæ est pactum vestitum includens certam verborum formulam, qua unus rogat, alter promittit.

696. Dico secundo, Promissio dividitur *in puram & non puram*. Pura est, cui nullus modus, vel conditio adjicitur. Non pura est, cui adjicitur modus, vel conditio: unde subdividitur in *modificatam*, & *conditionatam*. Modificata est, cui modus; & conditionata, cui conditio apponitur. Promissionis modificatæ sunt quatuor species. Prima est *promissio in diem*, quando exequendæ promissioni aliquod tempus præfigitur, v. g. promitto tibi centum aureos ad Pascha solvendos. Secunda est promissio sub modo (specifice accepto) per quam promissario certum onus imponitur in futurum; ut promitto, vel lego huic Monasterio mille florenos hac lege, ut pro me quotannis decem Sacra legat, aut legi curet. Tertia est promissio *sub causa*, qua exprimitur motivum præsens, vel præteritum, e. g. promitto tibi ducentos florenos; quia meus cognatus es. Quarta est *promissio sub demonstratione*, cui apponitur signum, aut accidens certum, sive ex parte rei promissæ, v. g. promitto tibi pecuniam, quam habeo in cista ferrea; sive ex parte promissarii, ut promitto tibi consanguineo meo decem aureos. Quænam sint species (sive secundum rem, sive secundum modum enunciandi duntaxat) Promissionis conditionatæ, colligitur ex dictis *part.* 2. *n.* 415.

697. Dico tertio. Ut promissio formalem obligationem producat, debet esse (1.) externa (2.) vera, & (3.) a promissario legitime acceptata. DD. communiter.

Probatur prima pars. Nam contractus, & pactum, ex quo inter homines obligatio oriri potest, debet esse ex natura sua signum practicum exercite manifestativum voluntatis se obligandi: atqui promissio interna non est talis, ut patet; ergo &c.

Confirmatur. Ut promissio formalem obligationem pariat, requiritur acceptatio, ut mox videbimus: atqui haberi nequit, quandiu promissio facta homini manet interna (aliud est de promissione facta Deo cordium inspectori) cum ab homine cognosci, & consequenter acceptari non possit; ergo &c.

Probatur secunda pars. Quia sicut in Legislatore intentio præcipiendi, & obligandi est forma, ac anima legis; ita in promissore Intentio promittendi, & se obligandi est forma, ac anima promissionis; ergo si hæc talis intentio absit, promissio non sortitur rationem promissionis formatæ, cui connaturaliter respondeat obligatio, v. g. Justitiæ, vel Fidelitatis.

Probatur tertia pars. Siquidem non oritur obligatio ex pacto, nisi interveniat mutuus duorum consensus, *l.* 1. *ff. de Pactis*. sed ante acceptationem non adest mutuus duorum consensus, ut patet; ergo &c.

Confirmatur. Promissarius ante acceptationem nullum habet jus activum; ergo nec promissor jus passivum, seu obligationem. Consfluit Ant. ostenditur ex eo, quod promissarius sit ignarus, quid circa se agatur; imo forte invitus circa promissionem.

698. Objicies primo contra primam partem. Promissio interna aliquid supperaddit nudo proposito; sed illud nihil aliud esse potest, quam obligatio, prout ipsimet supra *n* 695. concessimus; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Nihil aliud esse potest, quam obligatio vel formalis, vel radicalis, con. formalis determinate, neg. minor. Promissio interna

(uti

Dixi tamen supra in respons. ad Quæs. *Si a contraria consuetudine præscindatur*. Nam de consuetudine, & praxi Germaniæ, ob singularem fidem, & candorem hujus Nationis, ex nuda promissione actionem dari, videlicet condictionem ex moribus, etiam in foro Civili, Authores communiter attestantur. Rationem reddit Ayblinger *loc. cit. n.* 23. his omnino verbis: quia sicut condictio ex lege toties datur, quoties nova lege inducta est obligatio, nec cautum, quo genere actionis sit experiendum; ita quoque condictio ex moribus datur, si consuetudine nova inducta sit obligatio, nec cautum, quo genere actionis experiendum sit.

Respondetur tunc ad Quæs. secundo. Nuda promissio de Jure Canonico probabilius actionem parit: saltem si sit facta animo se obligandi ex Justitia. Molina *de J. & J. tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 257. §. *quoad secundum*. Pirhing *lib.* 1. *tit.* 35. §. *n.* 36. Krimer *ibid. num.* 2613. & alii contra Schmalzgrueber, Ayblinger, & alios. Sumitur ex *cap.* 3. *de Pactis*, ubi Episcopus Carthaginensis in causa minorum, & pauperum oppressorum a ditioribus, nolentibus servare pacta, recurrit ad Papam, qui mandavit Episcopo Calaritano, ut studiose curet servari promissiones, & designet Judicem, qui cogat pactis stare: sed hoc est actionem dare; ergo &c. Maj. constat *ex lib.* 8. *epist.* 38. Greg. M. onde sumptum est *præcit. c.* in quo non sic expresse refertur casus, ut ibi. Min. vero probatur. Tunc pacto datur actio, quando ei Lex assistit, *l. legitima, ff. de Pactis, & l. unic. C. de condiction. ex lege* sed pactis indefinite, modo licita sint, assistit Lex Canonica *per cit. c.* ergo illis dat actionem.

Respondet P. Schmalzgrueber. Etiam Prætor *l.* 7. §. 7. *ff. de Pactis* dicit: *pacta conventa servabo*; & tamen Jure prætorio ex pacto nudo non conceditur actio, prout habet Communis Juristarum; ergo pariter &c.

Contra est (præterquam quod *cit.* Author responsionem directam non reddat) neg. parit. Nam ex edicto Prætoris non habetur imperium, factum Judici sub pœna coercendi violatorem talis pacti; secus est de Jure Canonico, prout relinquitur ex dictis.

Respondent alii, *in cit. c.* tantum concedi implorationem officii Judicis. Sed

Contra est, quod hoc solum sit appellare officium liberum Judicis: at in casu nostro res obligationis est.

Dices tamen adhuc cum P. Schmalzgrueber. Jus Canonicum æque abhorret a litium frequentia, ac Jus Civile; ergo sicut hoc ex ista ratione actionem negat, secundum dicta superius, ita nec illud eandem concedere censendum est.

Respondetur, dist. ant. æque abhorret &c. Majori tamen cautione peccati, quam Jus Civile, con. secus. neg. ant. Allegata ratio non militat eodem modo pro actione neganda Jure Canonico, quo militat pro actione neganda Jure Civili. Unde neg. cons.

Dixi in respons. ad Quæs. *saltem si sit facta animo se obligandi ex Justitia*. Nam si sit facta animo se obligandi ex Fidelitate tantum, non videtur de Jure, secundum se spectato, actionem parere in Judicio: quia Judex Justitiæ Minister est. Nihilominus quia hodie, præsertim qui faciles in promissis sunt, animum se obligandi ex Justitia nunquam, aut raro habent, solent Judices Ecclesiastici etiam compellere promissores ad observantiam promissionum, licet ex Fidelitate tantum obstringentium, dispositionem Juris Canonici, ne quasi frustranea sit ad tales quoque promissiones extendendo. Ita cum Laymanno P. Krimer *loc. cit. n.* 2614.

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Donationem.

SUMMARIUM.

705. & seq. Quid, & quotuplex sit donatio? 707. Valida est donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum, etiam ad causam profanam facta. 708. & seqq. Diluuntur argumenta contraria.

Licet complura, quæ de Promissione diximus, etiam donationi applicari possint, ac debeant, ut consideranti pervium erit; nihilominus aliqua dubia, donationi propria, & particularia, impræsentiarum pertractanda supersunt. Quibus ut fiat satis,

705. Dico primo. Donatio, proprie, & perfecte talis, est *mere liberalis propriorum bonorum alteri facta concessio*. Ita DD. *tepide* communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *concessio*, ut exprimatur differentia donationis a pollicitatione, seu promissione, quæ ex natura sua non est translativa dominii, sicut donatio, prout declarabimus *n. seq.* Dicitur 2. *propriorum bonorum*: ubi indicatur causa tam materialis, quam efficiens donationis. Materialis sunt omnes res humano commercio obnoxiæ. Efficiens sunt omnes illi, qui dominium, liberamque rerum suarum administrationem habent, nec speciali aliquo Jure donare prohibentur. Dicitur 3. *mere liberalis*: ut exprimatur, quod donatio non respiciat aliam causam, quam liberalitatem, & munificentiam donantis. Per quod (ut alias differentias non commemorem) donatio differt a promissione onerosa, quæ ex parte promissarii supponit, aut requirit obligationem correspondentem; uti & a donatione remuneratoria, quæ ex parte donatarii supponit merita, atque ex parte donantis debitum antidorale, seu gratitudinis. Unde Leges odiosæ, & prohibentes donationem simpliciter, non concernunt donationem remuneratoriam, utpote quæ non venit nomine perfectæ donationis; sed solum donationem modo definitam: nisi oppositum de mente Legislatoris constet, aut colligatur. Ita P. Konig, & alii Canonistæ *ad tit. de Donat.*

706. Dico secundo. Donatio dividitur 1. in *verbalem*, & *realem*. 2. in *solemnem*, & *insolemnem*. 3. in eam, quæ est *inter vivos*, & in eam, quæ fit *mortis causa*.

Explicatur. Donatio verbalis est, cum quis per verba de præsenti actu quidem alteri rem donat, sed nondum tradit. Realis est, cum quis rem alteri, & actu donat, & simul effective tradit. Hæc posterior species donationis actu transfert dominium, ac jus in re: anterior vero solum tribuit jus ad rem, esto ex natura sua, suoque tendendi modo sit translativa juris in re, ac dominii, & id transferret, nisi obstaret Jus positivum requirens traditionem. Per quod donatio verbalis differt a promissione, utpote, quæ ex natura sua, suoque tendendi modo, & præciso Jure positivo, non obtinet vim transferendi dominium. Krimer *lib.* 3. *tit.* 24. *n.* 1931.

Donatio solemnis est, quæ fit cum insinuatione apud Judicem. Insolemnis est, quæ fit sine tali insinuatione. Insinuatio apud Judicem solum est necessaria, quando donatio, uno, eodemque moraliter tempore facta, excedit quingentos solidos, hoc est, aureos, seu ducatos, quorum unus de facto valet quatuor florenos, & ultra. Talis proinde donatio, nisi insinuetur apud Judicem, in foro externo non valet quoad excessum; sed donatori, ejusque hæredibus liberum est excessum repetere, quamvis si non repetant, in foro conscientiæ retineri a donatario possit. Fundatur hoc *in* §. 2. *Institut.* & *l.* 34. *ac* 36. §. *ultim. C. de Donat.* & traditur a Lessio *lib.* 2. *de Just. c.* 18. *n.* 99. Lugone *disp.* 23. *n.* 156. Pirhing *ad tit. de Donat. n.* 7. Porro per *insinuationem* intelligitur declaratio mentis, & voluntatis donandi apud Judicem in, vel extra Judicium, cum petitione, ut donatio in acta redigatur, ac super ea conficiatur Scriptura: vel intelligitur denunciatio donationis in scriptis facta Judici, quod Pirhing, & alii ajunt sufficere ex recepta consuetudine. Judex autem non necessario debet esse proprius, & alius competens, nisi forte aliud obtineat de consuetudine. *l.* 27. & *l.* 30. *C. de Donat.* quia confirmatio donationis alterutro modo insinuatæ est actus jurisdictionis voluntariæ, nec causæ cognitionem, sed solam Judicis præsentiam exposcit. Krimer *loc. cit. n.* 1937. & alii communiter.

Donatio inter vivos est, qua quis sua bona alteri confert sine ulla mortis, aut mortalitatis contemplatione, vel mentione. Donatio mortis causa est, qua quis mortis imminentis metu, vel saltem ejus aliquando futuræ intuitu sua bona alteri confert, ea intentione, ut, morte secuta, ipsius fiant irrevocabiliter. In dubio præsumitur donatio inter vivos. *l.* 42. §. 1. *ff. de mort. caus. donat.* quia hæc verbo donationis principalius significatur. Donatio inter vivos, tam verbalis, quam realis, per se, & regulariter revocari nequit. *l.* 5. & *fin. C. de revocat. donat.* quia per eam alteri jus personale, vel reale acquiritur: sed jus absolute quæsitum invito auferri regulariter non potest etiam a Principe, nisi ob causam publicæ utilitatis, vel necessitatis. Dixi: *per*

xi: *per se, & regulariter.* Excipiuntur tamen aliqui casus. 1. Si donatarius atroces injurias verbales in donatorem conjecerit. *l. ult. C. de revocand. donat.* 2. Si gravibus injuriis realibus donatorem affecerit. *l. ult. cit.* 3. Si absque justa causa per se, vel per alium vitæ donatoris insidiari præsumpserit, etiamsi mors ipsa secuta non sit. *d. ult. cit.* 4. Si grave damnum actu intulerit donatori in rebus, seu bonis ejusdem externis. *l. eadem.* 5. Si præter spem donatori, non habenti liberos, nascantur liberi. *l. 8. C. de revocand. donat.* E diverso donatio mortis causa per se revocabilis est pro libitu: quia est quædam species ultimæ voluntatis: consequenter debet esse revocabilis usque ad ultimum donantis spiritum, ne alioquin induat naturam donationis inter vivos, prout fieret in casu, quo quis adjiceret pactum illa non revocandi. *l. 27. ff. de mort. caus. donat.* Sed de hoc iterum infra n. 771.

707. Dico tertio. Valida est donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum, etiam ad causam profanam facta. Conclusio sic illimitate posita docetur ab Haunoldo *de J. & J. tom. 3. tr. 9. c. 2. controvers. 4. n. 187.* Konig *ad tit. de Donat. n. 16.* Schmalzgrueber *ibid. n. 41.* & aliis contra alios, qui tamen universi ultro concedunt, valere donationem omnium bonorum, etiam futurorum, si fiat ad causas pias: cum enim quis possit seipsum tradere Ecclesiæ, vel Monasterio &c. quidni possit & sua bona? Nec obsistit, vel obsistere potest Jus Civile; cum in ipsius potestate non sit, consiliis Evangelicis, aliisque pietatis officiis obicem ponere, ut notat P. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 39.* Nunc conclusio, etiam in quantum controversa est, & generaliter posita;

Probatur: Quia valori illiusmodi donationis nec refragatur Jus naturæ; siquidem hoc Jure quivis est plenus rerum suarum moderator, & arbiter; nec Jus positivum; cum non solum non possit afferri textus, ex quo illius nullitas eruatur, ut mox patebit: sed & habeantur textus expressi *l. 35. §. 4. C. de Donat.* & *l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. creditor.* in quibus talis donationis valor luculenter comprobatur, prout legenti patebit; ergo &c.

708. Objicies primo, hæreditas non potest dari pactis, & conventionibus. *l. 5. C. de Pactis convent.* atqui hoc fieret donatione omnium bonorum, si ea valeret. Min. prob. Omnia bona sunt hæreditas; ergo si per donationem darentur omnia bona, per pactum daretur hæreditas.

Respondetur, neg. min. Ad prob. dist. ant. Omnia bona sunt hæreditas, si dentur titulo hæreditario, con. si dentur titulo donationis, neg. ant. & sub data distinctione, conf. Ex eo, quod donentur omnia bona, non illico infertur, quod deferatur hæreditas: siquidem hæreditatem inter, & donationem omnium bonorum magna intercedit diversitas, prout liquet vel inde statim, quod donatarius solum in commoda succedat, non etiam in onera, & incommoda, ut hæres.

709. Objicies secundo. *In l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. creditor.* dicitur, patrem, sufficiens creditores se habere, omnia bona liberis suis donet, invalide donare; ergo non valet donatio omnium bonorum.

Respondetur, dist. conf. Non valet donatio omnium bonorum, in quantum præcise talis est, neg. in quantum simul cedit in præjudicium tertii, con. conf. Donatio illa facta a patre liberis cesserat in præjudicium creditorum: unde non est mirum, quod pronunciata fuerit invalida. De tali autem donatione non loquitur nostra conclusio.

710. Objicies tertio. Donatio omnium bonorum impedit facultatem testandi; ergo pugnat contra bonos mores, & est invalida.

Respondetur, neg. ant. Siquidem donator omnium bonorum nunquam damnatur insolidum, sed semper tantum retinet, quantum sibi ad congruam sustentationem necessarium est. *l. 19. §. 10. ff. de Re judic.* & sic semper habet bona, de quibus testari possit. Accedit quod facultas testandi ita sit Juris publici, ut tamen illam privatus saltem indirecte sibi adimere valeat, prout patet de eo, qui Monasterium intrat; ad quod post emissam Professionem omnia ipsius bona devolvuntur.

711. Objicies quarto. Pactum, quod inducit votum captandæ mortis, non valet, *per l. fin. C. de Pactis*, & *l. C. de inutil. stipulat.* sed donatio omnium bonorum inducit votum captandæ mortis; ergo non valet.

Respondetur, neg. min. Nam si donatio consideretur relate ad bona præsentia, sitque donatio inter vivos, ut sortiatur suum effectum; non est opus morte donationis, sed hoc vivente ad bona præsentia tradenda agi potest: si vero consideretur donatio relate ad bona futura, sitque donatio mortis causa, expedit donatario longior donatoris vita, ut sic plus bonorum acquirat: consequenter &c.

712. Objicies quinto. Ea duntaxat bona possunt esse materia contractus, quæ actu sunt nostra. *l. 38. §. 1. ff. de V. O.* sed bona futura non sunt actu nostra, ergo non possunt esse materia contractus, sive donationis in casu conclusionis: consequenter &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Qui contractus ita valeat, ut res eum effectu peti possit, con. qui contractus tantum ita valeat, & obliget, ut res tempore suæ existentiæ peti possit, neg. maj. & concessa minore, eodem modo dist. conf.

CAPUT I.

De Ultima Voluntate, & Testamento.

Licet Ultimæ Voluntates non sint contractus (neque pacta) cum unius solum consensu, eoque semper revocabili circumscribantur, solent nihilominus ab Authoribus impræsentiarum pertractari ob affinitatem, quam cum contractibus præseferunt.

ARTICULUS I.

De Ultima Voluntatis, & Testamenti Natura, ac Speciebus.

SUMMARIUM.

713. *Definitur, & dividitur Ultima Voluntas.* 714. *Quænam notanda circa Codicillum?* 715. *Quænam circa Fideicommissum?* 716. *Quænam circa Legatum?* 717. *Quænam circa Donationem mortis causa?* 718. *Definitur, & dividitur Testamentum.* 719. *Recensentur solemnitates, de Jure ad solemne testamentum, tum scriptum, tum nuncupativum, requisitæ.* 720. *Quænam testamenta sint regulanda secundum præscriptum Juris Civilis, & quænam secundum præscriptum Juris Canonici?* 721. *Testamentum, requisitæ solemnitatis defectu laborans, est invalidum pro foro externo, & probabilius etiam pro interno.* 722. *Quo casu corruunt quoque legata profana &c.* 723. *Recensentur requisita ad Testamentum insolemne, ac privilegiatum; cujus membra sunt* Testamentum Pium: Testamentum inter liberos factum a parentibus: Testamentum Militum: Testamentum Rusticorum: Testamentum tempore pestis: & Testamentum publicum.

713. Dico primo. Ultima Voluntas est *gratuita dispositio, quam quis facit de suis bonis intuitu, & in tempus mortis.* Continet sub se quinque species, nempe *Testamentum, Codicillum, Fideicommissum, Legatum, Donationem mortis causa.* Quid sit Testamentum, dicemus *conclus. seq.* Codicillus est *ultima voluntas, qua quis de suis bonis disponit absque directa hæredis institutione.* Fideicommissum est *ultima voluntas, qua hæres rogatur* (id est, jubetur) *aliquid alteri restituere;* sive dein illud sit tota hæreditas, sive pars ejusdem, sive res aliqua particularis. Legatum est *ultima voluntas, qua hæres determinate jubetur rem particularem* (ab hæreditate etiam partiali diversam) *alicui tertio præstare.* Donatio mortis causa (ex dictis *n. 706.*) est *ultima voluntas, qua quis mortis intuitu sua bona alteri confert, ea intentione, ut, morte secuta, ipsius fiant irrevocabiliter.*

714. Quæres primo, quænam notanda sint circa Codicillum?

Respondetur primo. Codicillus potest fieri cum, vel sine testamento: item ante, vel post illud: scriptus, vel oretenus §. 1. *Instit. de Codicill. l. 4. & fin. C. eod. ac l. 3. ff. de Jure Codicill.* Servit proinde Codicillus ad hoc, ut, qui testamentum facere nolunt, libenter tamen aliqua legata, vel donationes mortis

causa

causa facerent, id possint per Codicillum *ab intestato* dictum. Servit præterea, ut, qui testamentum jam fecerunt, possint illud declarare, mutare, augere, vel minuere; modo salva maneat hæredis institutio, juxta §. 2. *Inst. de Codicils.* Ita P. Cherubinus Mayr *in suis præclaris Thesibus Juridico-Theologicis de Ult. Volunt. Hominis Christiani in spiritualibus, & temporalibus, dist.* 2. *n.* 247. quas Salisburgi prælo, & Scholastico prælio una cum parergis ex universa Theologia subjecit anno 1735. antequam titulo, & charactere Lectoris Jubilati insigniretur.

Respondetur secundo. Forma Codicilli testamentarii (sive dein ir fiat cum, sive ante, sive post testamentum) non est alia, quam ipsius testamenti: sic quippe si fiat, est quid accessorium testamento, seu principali; & consequenter hujus naturam, atque conditionem imitetur, necesse est, *l.* 16. *ff. de Jure Codicill.* Forma vero Codicilli non testamentarii, seu qui absque testamento conficitur, sita est in quinque testibus; qui tamen non necessario debent esse rogati, nec specialiter qualificati (adeoque etiam feminæ hic testificari possunt) modo sint eodem tempore præsentes, & si Codicillus sit scriptus, sua nomina subscribant, esto non subsignent, *l. fin. C. de Codicill.* Excludi tamen a testificando solent personæ legatariæ, vel fideicommissariæ: cum enim hujusmodi Codicillus has tales personas principaliter concernat, essent testes in propria causa, quod Jura non tolerant. Author *cit. n.* 248.

Respondetur tertio. Clausula Codicillaris, per quam, testamento appositam, testator declarat suam ultimam voluntatem, & hanc valere vult in ratione Codicilli, si forte non valeat in ratione testamenti, operatur seqq. effectus. 1. Si testamentum ex defectu alicujus solemnitatis sit nullum, valet tamen dispositio Codicillaris, & sub ratione Codicilli; vi cujus proinde hæres ab intestato succedens tenetur solvere omnia legata, ac fideicommissa particularia ejusmodi testamento inserta, *l. fin.* §. 1. *C. de Codicill. & l.* 29. *ff. Qui testam. facere.* 2. Institutio directa hæredis, quæ ob testamenti nullitatem est irrita, obliquatur in fideicommissariam, ita, ut hæres ab intestato veniens teneatur hæreditatem restituere hæredi scripto, *l.* 3. *ff. de Jure Codicill.* Permissum est tamen ejusmodi hæredi ab intestato detrahere *Trebellianicam*, & si sit filiusfamilias, *legitimam* §. 7. *Inst. de Fideicommiss. hered. c.* 16. *& c.* 18. *de Testam.* 3. Potest hæres in tali testamento institutus agere pro libitu vel ex testamento, vel in vim Codicilli, *l. fin.* §. 1. *&* 2. *C. de Codicill.* P. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 26. *a n.* 719. & alii apud ipsum.

715. Quæres secundo, quænam notanda sint circa Fideicommissum?

Respondetur primo, Fideicommissum (idem cogita de Legato, & aliis Speciebus ultimæ voluntatis) considerari posse vel *objective*, vel *formaliter*. Objective consideratum denotat ipsam rem, fideicommissi vinculo ligatam; sic enim dicimus, hoc castrum, hoc prædium, hæc domus &c. est fideicommissum, seu bonum ex voluntate constituentis necessario relinquendum aliis, nempe substitutis, qui omnes a primo fideicommittente jam sunt jus reale consecuti. Formaliter consideratum (prout a nobis supra *n.* 713. descriptum est) importat ipsam ultimam voluntatem, seu dispositionem fideicommittentis &c. Et dividitur in *universale*, ac *particulare*. Universale est, quando *fiduciarius*, id est, *hæres fideicommissarius*, cujus fidei committitur aliquid alteri, scilicet *fideicommissario* (prout appellatur substitutus, sine addito *hæres*) restituendum, jubetur vel totam hæreditatem, vel certam illius quotam, v. g. tertiam partem, alteri relinquere. Particulare est, quando fiduciarius jubetur alteri restituere rem aliquam certam, & particularem, ab hæreditate tum totali, tum partiali distinctam. Fideicommissum particulare quoad rem a fideicommittente relictam, & a fiduciario restituendam alteri, hodie non differt a legato: atque in hoc sensu accipiendum venit, quod habetur §. 3. *Inst. de Legat.* 1. ibi: *per omnia exæquata sunt legata fideicommissis*, nempe particularibus, & quoad rem relictam spectatis. Differunt tamen fideicommissum particulare & legatum quoad modum relinquendi. Nam fideicommissum relinquitur indirecte solum, seu verbis non immediate directis ad fideicommissarium, sed ad fiduciarium, cum obligatione, ut hic certam aliquam rem illi restituat, v. g. si fideicommittens dicat: *jubeo, ut Cajus hoc meum castrum restituat, & det Titio.* At legatum relinquitur directe, seu verbis ad ipsum legatarium directis; ut si testator dicat: *Titio hoc castrum lego.* P. Pichler *lib.* 3. *tit.* 26. *n.* 9. & alii communiter.

Respondetur secundo. Forma fideicommissi, per testamentum relicti consistit in solemnitatibus testamentariis; relicti vero per Codicillum, in quinque testibus, qui & ipsi debent eodem tempore esse præsentes, ac subscribere, si fideicommissum sit scriptum, *l. ult.* §. *ult. C. de Codicill.* Quod si fideicommittens hac quoque solemnitate supersedere velit, poterit fiduciarium coram se præsentem oretenus obligare, ut hæreditatem alteri restituat; quo casu ad eam restituendam obligabitur in utroque foro: & si neget fideicommissum, poterit a fideicommissario compelli, ut vel juret fideicommissum non esse relictum, vel ut illud restituat, §. *ult. Inst. & l. ult. C. de Fideicommiss.* Porro fiduciarius a fideicommissario cogi potest implorato Judicis officio, ut hæreditatem adeat, & restituat, per *l.* 4. *ff. ad SC:tum Trebell.* P. Cherubinus Mayr *loc. cit. num.* 262. *& seq.*

Quæres tertio, quænam notanda sint circa legatum?

Respondetur primo. Legatum necessario respicit (ex dictis *n.* 713.) rem particularem in specie, sive (loquendo philosophice) in individuo, adeo, ut fieri non possit, nisi circa rem certam, & determinatam, ab hæreditate diversam; sic domus, castrum, prædium, quantitas pecuniæ &c. quæ legantur, debent esse determinata. Ita DD. communiter.

Respondetur secundo. Quamvis legatarius statim post aditam ab hærede hæreditatem (non ante, *per l.* 32. *ff. de Legat.* 11.) verum legati dominium (si capax sit) acquirat, *l.* 86. §. 2. *ff. de Legat.* 1. non tamen potest propria authoritate illud occupare sub pœna id amittendi, *l.* 1. §. 2. *ff. quod legator. & l.* 5. *Cod. de Legat.* sed expectare debet, donec ipsi tradatur ab hærede, vel alio ejus nomine. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 680. & Pichler *n.* 11. Nec dicas. Potest fieri, ut legatarius in puncto aditæ hæreditatis nullam habeat notitiam de legato; ergo si hujus tunc acquireret dominium, id fieret sine acceptatione; quod pugnat cum dictis *num.* 697. Contra enim est, neg. cons. Sed fieret mediante acceptatione, non quæ tunc fuerit, sed quæ subsequitur, ac retrotrahitur, & fictione Juris jam fuisse censetur. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 769.

Respondetur tertio. Si legatum sit profanum, & fiat in testamento, regulariter sequitur ejus naturam, & conditionem, easdemque ad sui valorem exigit solemnitates, quas testamentum, cui inseritur. Unde si testamentum ex defectu alicujus solemnitatis sit irritum, etiam legatum profanum, ei insertum, corruit, nisi testamentum appensam habeat clausulam codicillarem, *l.* 1. *ff. de Jure Codicill. & l.* 29. *C. de Fideicommiss.* Si vero legatum profanum fiat extra testamentum, requiruntur ad illud (& sufficiunt) quinque testes; qui tamen non necessario debent esse rogati, quamvis debeant simul esse præsentes, & se subscribere, quando legatum fit scriptotenus, esto nulla sit necessaria subsignatio *l. fin.* §. *fin. Cod. de Codicill.* Ad legatum vero pium nulla requiritur solemnitas pro foro interno; imo nec pro externo, si satis constet de voluntate legantis. Quod si non ita constet, sed per testes probari debeat, requiruntur ad hunc effectum, & sufficiunt duo, vel tres testes: prout colligetur ex dicendis infra *num.* 723. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 664.

717. Quæres quarto, quænam sint notanda circa donationem mortis causa?

Respondetur primo. Donatio mortis causa fieri potest tribus modis, expressis in *l.* 2. *ff. de mort. caus. don.* 1. Quando quis nullo præsentis periculi metu perterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. 2. Quando quis imminente periculo mortis donat, & simul tradit rem donatam eum intentione, ut ex tunc statim fiat donatarii, reddi tamen debeat in casu reconvalescentiæ, aut evasionis ex periculo. Per hunc donandi modum donatarius, supposita acceptatione donationis, statim acquirit dominium rei donatæ, sed revocabile tantum, *l.* 29 *ff. de mort. caus. donat.* & ibi Glossa. 3. Quando quis intuitu imminentis periculi donat, & simul tradit rem donatam, ea tamen intentione, ut primum fiat donatarii, secuta morte donatoris. Et per hunc dona-

di modum non transfertur statim dominium rei donatæ in donatarium, sed remanet penes donatorem, donec moriatur, *cit. l.29. juncta Glossa, in verb. donatoris.* Ita Augustinus Michel *tom.2. part.2. tr.5. fol.480. & seq. n.3.* aliique apud ipsum.

Respondetur secundo. Forma hujus donationis consistit in seqq. requisitis. Primum requisitum est, ut donans exprimat, se intuitu mortalitatis donare: alias quippe donatio inter vivos esse præsumitur, *l.42. §.1. in fin. ff. de mort. caus. donat.* Secundum requisitum est, ut donatarius vel per seipsum, vel saltem per alium ad id a se deputatum, donationem acceptet, & quidem ante mortem donatoris; atque per hoc (ut alias differentias taceam) donatio mortis causa differt a legato, utpote quod non necessario acceptari debet a legatario ante mortem legantis, *l.75. & 77. de Legat.* 2. Tertium requisitum est, ut, si donatio fiat ad causam profanam, adhibeantur quinque testes: tot enim requiruntur in omni ultima voluntate, & (præterquam in testamento) sufficiunt, *l. fin. C. de Codicill.* Ayblinger *in Instit. lib.2. tit.7. part.2. a n.45.*

Respondetur tertio. Donatio mortis causa expirat, seu resolvitur duobus modis, videlicet *ipso Jure*, & *voluntate donatoris*. Ipso Jure expirat 1. si donator reconvalescat, *l.29. ff. de mort. caus. donat.* & *l.19. ff. de reb. cred.* Quod tamen intelligendum de donatione facta in eventum, quo ea infirmitate, seu mortis periculo non evadat donator; ut si miles ad castra iturus donet v. g. Sempronio tali, vel simili modo: *accipe marsupium cum quinquaginta aureis, quos habeas tibi donatos*, si hoc anno ex prælio non rediero. Sic quippe donatio reputatur conditionata, & alligata interituri in ejusmodi periculo, seu conditioni, qua non purificata, illa seipsa, ac ipso Jure expirat, & recidit in nihilum. At quando donatio fit quidem imminente periculo, sed concipitur simpliciter, & interituri tanquam conditioni non alligatur, tunc per reconvalescentiam donatoris non expirat ipso Jure, etiamsi donator e periculo evaserit, sed solum per contrariam voluntatem donatoris; quia posteriore hoc casu imminens periculum videtur tantum fuisse causa impulsiva donandi, finalis vero ipsa mors aliquando tandem eventura. Ita cum Covarruvia, Gomez, & aliis Augustinus Michel *loc. cit. n.15*, ex *cit. l.29. in fin. & §.1. Inst. de donat.* Expirat ipso Jure 2. quando donatarius moritur ante donatorem, *cit. §.1. Inst. de donat.* donatio enim mortis causa, necdum morte donatoris confirmata, non transmittitur ad hæredes, cum non his, sed soli donatario bene voluerit donans. Cum Zoesio, & aliis Michel *n.16.* Expirat ipso Jure 3. quando donator pœna capitis afficitur, *l.7. ff. de mort. caus. donat.* ibi: *si aliquis mortis causa donaverit, & pœna fuerit capitis affectus, removetur donatio ut imperfecta.* Reiffenstuel ubi supra *num.703.* Per voluntatem donatoris vero donatio mortis causa resolvitur 1. Si donatorem factæ donationis pœniteat, *§.1. Inst. de Donat.* ibi: *vel si eum donationis* (mortis causa) *pœnituisset*; nam talis donatio semper revocabilis est: secus, ac donatio inter vivos, ex dictis *num.706.* 2. Si rem in specie donatam, citra casum urgentis necessitatis, & voluntarie alienaverit sive alienatione onerosa, sive lucrativa, præsertim quando accessit traditio: quia tunc ipso facto mutavit donator voluntatem, & voluit, ut alius rem habeat potius, quam donatarius, argumento ducto a legato, quod censetur revocatum voluntaria rei legatæ alienatione, *l. rem legatam, ff. de adim. legat.* 3. Si inter donatorem, & donatarium suborta sit gravis inimicitia, *arg. l.3. in fin. ff. de adim. legat.* quia donator non præsumitur velle amplius esse liberalis erga eum, a quo affectus est gravi injuria. Michel *loc. cit. a num. 17.* 4. Tandem, si donatori, non habenti liberos, præter spem liberi nascantur, *arg. l.8. C. de revoc. donat.* quia donator censetur potius velle providere suis liberis, quam aliis. Forte tamen hæc donationis resolutio potius est dicenda expiratio ejus ipso Jure, quatenus involvit defectum hujus conditionis tacite subintellectæ: *nisi liberi subnascantur*; prout advertit Haunoldus *tr. 7. n.439.* & cum eo P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.271.* Sed contra hactenus dicta

Dices. *L.13. in fin. ff. de mort. caus. donat.* habetur: *sic quoque potest donari mortis causa, ut nullo casu sit ejus repetitio*; ergo &c.

Respondetur, in *cit. l.* non intendi, & asseri aliud, quam donationi mortis causa posse adjici pactum illam nunquam revocandi. In quo tamen casu ea donatio alteratur, & incipit esse donatio inter vivos; prout indicatur in *l.27. ff. de mort. caus. donat.* & nos jam insinuavimus *n.706. in fin.* Ex quo proinde non sequitur, donationem mortis causa, secundum se spectatam, & qua talem, esse irrevocabilem &c.

His expeditis, progredior ad præcipuam Ultimæ Voluntatis Speciem, seu Testamentum, de quo fere solo posthac agendum erit.

718. Dico igitur secundo. Testamentum est *ultima voluntas, directam hæredis institutionem continens.* Colligitur hæc definitio ex Jure; nam per *l.3. ff. de his, quæ in testam. debent.* nullum testamentum valet, *quod hæredem non habet*; & quidem directe institutum, *§.2. Instit. de Fideicommiss. hæredit.* ibi: *opus est, ut aliquis recto ordine testamenti hæres instituatur.* Censetur autem quis *directe* institui hæres, quando ita instituitur, ut hæreditatem immediate ab ipso testatore sibi designatam habeat; ut si testator dicat: *Cajus sit hæres meus.*

Dividitur Testamentum in *solemne*, & *insolemne*. Solemne dicitur, quod habet omnes solemnitates a Jure requisitas. Insolemne appellatur, quod non habet omnes solemnitates a Jure requisitas, ex privilegio tamen, seu speciali favore Juris sustinetur; atque ideo *privilegiatum* vocatur.

Testamentum solemne subdividitur in *scriptum*, & *nuncupativum*. Scriptum dicitur, quod in scripturam redactum, & debito modo subscriptum, ac subsignatum est. Vocatur etiam *clausum*; quia necesse non est, ut illius tenor, vel institutus hæres manifestetur testibus, sed sufficit, si testator iisdem dicat, in ea scriptura contineri suam ultimam voluntatem. Nuncupativum appellatur, quod fit sine scriptura, & subscriptione, oretenus tantum expresso, & nominato coram testibus hærede: unde etiam vocatur *apertum*. Si etiam hoc Testamentum per Notarium in scripturam redigatur, scriptura non additur tanquam forma requisita ad valorem testamenti, sicut in testamento scripto, sed solum additur, ut, quæ per testatorem disposita sunt, melius in memoria retineri, & facilius probari possint.

Testamentum insolemne, seu privilegiatum continet sub se sex species: nempe *Testamentum pium*, seu ad causas pias conditum: *Testamentum inter liberos factum a parentibus: Testamentum militum: Testamentum rusticorum: Testamentum tempore pestis: Testamentum publicum*, quod nimirum fit coram Principe, aut ejus deputato, vel eidem offertur; aut coram Judice, & vocatur *apud Acta*, vel eidem offertur, & dicitur *ad Acta datum*: de quorum singulis infra.

719. Quæres nunc primo, quænam solemnitates de Jure requirantur ad Testamentum solemne?

Respondetur primo. Ad Testamentum solemne scriptum de Jure Civili requiruntur hæ solemnitates. 1. Tale Testamentum debet esse redactum in scripturam, vel ab ipsomet testatore, vel ejus jussu ab alio nominatim expresso. Quod si testator ipse propria manu suum testamentum scripserit, non est necesse, ut se subscribat; si vero per alium scribi fecerit, coram testibus subscribere debet, vel, si nequeat, substituere aliam personam a septem testibus diversam, quæ ipsius nomine subscribat, *l.21. Cod. de Testament.* & *l.28. Cod. eod.* 2. Debet testator per se, vel per alium specialiter rogare septem testes (tot enim requiruntur) ut velint testari, *cit. l.21. C. de Testam.* atque hos testes oportet simul, & ita esse præsentes, ut testatorem audiant, ac videant, *l.9. C. eod.* Porro ejusmodi testes debent esse idonei, & habiles ad testimonium in testamento ferendum; quales non sunt impuberes, feminæ, furiosi (quando rationis usu destituuntur) surdi, muti, juridice prodigi, juridice infames (adeoque etiam hæretici, ubi non sunt tolerati) servi proprie dicti, cognati comparati ad testatorem, vel hæredem, in quorum potestate existunt; hæres ipse respectu testamenti, in quo est hæres, cum principale negotium inter ipsum, & testatorem vertatur; adeoque esset testis in propria causa, quæ principaliter agitur: quod non est permissum. Sumuntur hæc ex §§. 6. 8. 10. *Institut. de Testament. ordinar.* Legatarii tamen, & fideicom-

missarii

missarii particulares in Testamento (secus est in Codicillo ex dictis *n.714.*) testes esse non prohibentur; quia ipsorum negotium in Testamento (secus in Codicillo) non agitur principaliter, sed secundario tantum, *§.11. Inst. eod.* Ayblinger *loc. cit. n.29.* 3. Coram testibus modo antefato præsentibus, & idoneis testator dicat, vel suo nomine dici curet, necesse est, in charta, quam eis subscribendam exhibet, contineri suam ultimam voluntatem, *l.21. C. de Testam.* 4. Cui chartæ omnes testes sua nomina inscribere debent propria manu, v. g. hoc, vel simili modo: *ego Cajus testis rogatus testamentum Titii propria manu subscripsi.* Quod si aliqui testes ipsimet scribere non possint sive ex imperitia, sive ex debilitate, aliove consimili defectu, eorum nomine subscribere permittuntur alii contestes, ita tamen, ut hi expresse addant, se esse requisitos ad subscribendum nomine aliorum, *l.21. C. de Testam. l.22. §.4. ff. qui testam. facere, l. penult. ff. eod. & l. fin. C. de Testam. juncta praxi.* 5. Iidem testes debent apponere singuli sua sigilla: quod si aliqui propria sigilla non habeant, possunt uti sigillis contestium, vel ipsius testatoris, aut aliorum quorumcunque, modo exprimant, se subsignasse sigillo alieno, *l.22. ff. qui testam. facere &c. §.2.4. & 5. Instit. de Testam. ordin.* Atque 6. totum hoc negotium (quamvis forte Testamentum jam diu ante conscriptum sit) oportet perfici in uno contextu, id est, eodem tempore, eodem loco, coram omnibus testibus simul congregatis, sine interpositione alicujus alterius actus, ad solemnizationem testamenti se impertinenter habentis, vi cujus negotium testamentarium notabiliter discontinuetur, *l. 21. & 28. Cod. de Testament.*

Respondetur secundo. Ad Testamentum solemne nuncupativum de Jure Civili requiruntur eædem fere solemnitates, quæ ad Testamentum solemne scriptum, excepta scriptione, vel subscriptione testatoris, & subscriptione, ac subsignatione testium. Unde & hic 1. adhibendi sunt septem testes idonei, rogati &c. 2. Testator debet eosdem jam præsentes per se, vel per alium monere, quod intendat condere testamentum, idque nuncupativum, ne forte decipiantur, putantes, Testamentum hoc esse solemne scriptum; prout facile evenire posset, si testator non ex memoria, sed ex charta ultimam suam voluntatem pronunciaret. 3. Debet testator coram testibus in unum congregatis, & simul præsentibus ultimam voluntatem suam circa hæreditatem (uti & circa legata, vel fideicommissa, siquæ facere velit) manifestare sive eloquendo ex memoria, sive prælegendo ex charta, sive per se, sive per alium: adeoque in hoc testamento celari hæres non potest; nec sufficit, si testator se referat ad schedam, in qua dicat hæredem esse denominatum (quamvis id procedat in Testamento scripto) cum talis scheda censeatur esse pars Testamenti scripti. 4. Totum rursus negotium in uno contextu, & eodem moraliter tempore, ac loco peragendum est. Sumuntur hæc *ex l.20. 21. & 29. C. de Testam.*

Dixi autem in utraque respons. *de Jure Civili*. Nam de Jure Canonico solum duo, vel tres testes cum Parocho requiruntur: prout habetur luculenter in *c.10. de Testam.*

720. Verum ex hoc emergit quæstio, quænam testamenta sint regulanda secundum præscriptum Juris Civilis, & quænam secundum præscriptum Juris Canonici? Ad quam

Respondetur. Testamenta (non privilegiata) quæ conduntur (1.) in terris, & a Personis, Imperatori, ac Imperio Romano temporaliter subjectis, necessario regulanda sunt secundum præscriptum Juris Civilis: testamenta vero, quæ conduntur (2.) in terris, & a personis, temporali Romani Pontificis dominio subjectis; vel etiam (3.) extra illas terras a Personis Ecclesiasticis, secundum præscriptum Juris Canonici. Ita P. Engel *lib.3. tit.26. n.12.* & alii satis communiter. Ratio primi est: quia illiusmodi personæ subduntur potestati legislativæ Imperatoris. Ratio secundi est: quia tales personæ subjacent potestati S. Pontificis. Ratio tertii est: quia in punctis, in quibus jus Civile, & Canonicum discrepant (prout discrepant in præsenti) Personæ Ecclesiasticæ non tenentur Legibus Civilibus, sed Canonicis; quemadmodum constat ex *c.9. de Foro comper.* & alibi dictis. Sed

Dices contra primum. Quando Jus Civile, & Canonicum discrepant, servandum est Jus Canonicum, etiam in terris Imperatori subjectis: sed in præsentia eum discrepant; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Si Jus Civile a Canonico corrigatur, seu peccatum, ac iniquitatem fovens, con. secus, neg. maj. Discrepantia, quæ hic inter Jus utrunque intercedit, versatur circa materiam mere adiaphoram, non vero circa materiam conscientiæ, vel peccati: unde Jus Civile non corrigitur positive a Canonico, ac si illius dispositio sit iniqua, aut foveat peccatum; sed respectu fori secularis relinquitur in suo valore, solumque superadditur nova ordinatio, veluti alleviativa, respectu fori Canonici.

Instabis. Jus Civile requirendo septem testes fovet peccatum; ergo nulla responsio. Ant. prob. Nam textus *cit. c.10.* inquit, *id* (requisitionem nempe septem testium) *a Divina Lege* (duos duntaxat, vel tres testes exigente pro quovis negotio) *alienum esse.*

Respondetur, neg. ant. Ad prob. ajo, per ly *a Divina Lege alienum esse* solum innui in allegato *c.* quod requisitio septem testium sit præter Legem Divinam, non vero quod sit contra illam. Unde licet per Legem Divinam ad quodlibet negotium sufficiant duo, vel tres testes, non tamen Jus Civile ad solemnizationem testamenti requirendo plures egit contra Legem Divinam; alias etiam Tridentinum requirendo ad valorem Matrimonii præter duos, vel tres testes insuper Parochum contra Legem Divinam egisset: quod nemo dixerit.

721. Quæres secundo, an testamentum, requisitæ solemnitatis defectu laborans, sit invalidum pro utroque foro, ex- & interno?

Respondetur primo. Hujusmodi testamentum (si non sit privilegiatum) est invalidum pro foro externo. Ita DD. communiter propter claros textus in *l.9. 12. & 21. Cod. de Testam.* qui talis testamenti nullitatem saltem pro foro externo evincunt. Dixi: *nisi sit privilegiatum*: de quo *n. seq.* Hic autem

Respondetur secundo. Hujusmodi testamentum probabilius est etiam invalidum pro foro interno. Ita Card. de Lugo, Dicastillo, Diana, Haunoldus *de J. & J. tr.6. c.1. n.30.* Herincx *p.3. tr.3. disp.1. q.4.* Franciscus Schmier *lib.3. tr.4. part.1. c.2. n.43.* Cherubinus Mayr ubi supra *num. 139.* & alii contra alios. Ratio est: quia Leges, quando absolute loquuntur, absolute sunt intelligendæ, nisi aliunde colligatur aliqua restrictio: atqui Leges irritantes testamentum, debita solemnitate destitutum, absolute loquuntur, nec aliunde colligitur aliqua restrictio; ergo absolute sunt intelligendæ, adeoque pro foro non solum ex- sed etiam interno. Maj. constat. Min. quoad primum membrum ostenditur 1. Ex *§. 7. Inst. quib. mod. testam. infirm.* ubi testamentum *imperfectum* dicitur absolute *nullum*. 2. Ex *l.21. C. de Testam.* ubi habetur: *ex imperfecto testamento voluntatem defuncti tenere non volumus.* 3. Ex *l.12. C. eod.* ibi: *si unus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco testes suo, vel alieno annulo non signaverint, jure deficit testamentum.* Ostenditur eadem min. etiam quoad alterum membrum; nam restrictio vel colligeretur ex Jure, vel ex ratione: sed ex neutro colligitur, veluti patebit ex solutione argumentorum, quæ ab Adversariis opponuntur; ergo &c.

Dices primo. Jura hæredi imponunt necessitatem solvendi legata profana, & fideicommissa etiam ex testamento minus solemni, si ille super hoc voluntatem testatoris sibi perspectam habeat; ergo Jura volunt, testamentum minus solemne, seu imperfectum valere saltem pro foro interno, & parere obligationem naturalem. Cons. fluit. Ant. autem videtur contineri in *l.16. C. de Testam.* & *l. fin. C. de Fideicommiss.* nec non in *l.2. c. eod.* ubi repetitio fideicommissi, ab hærede ex testamento minus solemni alteri relicti, inhibetur; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. neg. itidem ant. Nam hæres (ut ad priores duas Leges respondeam) ab intestato veniens obstringitur ibi ad solvenda legata, & fideicommissa non vi testamenti, aut vi voluntatis defuncti, utpote quæ ambo defectum continent, sed vi suæ ultroneæ promissionis, quam, percepta defuncti voluntate, fecerat de legatis, & fideicommissis præstandis. Porro hæres (ut ad tertiam quoque Legem respondeam) cum sciverit, fideicommissum

inutiliter relictum eſſe, & oihilomious ſolverit, cenſetur illud donaſſe, nec ſolutum per conductionem indebiti repetere poteſt, conformiter *ad Reg.53. ff. de diverſ. Reg. Juris*, ibi: *Cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt.*

Dices ſecundo. Leges irritant teſtamentum, ſine præſcripta ſolemnitate factum, propter præſumptionem fraudis; ergo ubi fraus nulla ſuberit, teſtamentum valebit, ſaltem in foro conſcientiæ.

Reſpondetur, diſt. ant. Propter præſumptionem generalem, & periculum commune fraudis, con. propter præſumptionem particularem, & periculum fraudis in caſu particulari, neg. ant. & conſ. Nam Leges, in præſumptione communis periculi fundatæ, ſuo vigore non deſiitounter, quando in caſu particulari præſumptio fallit: prout oſtenſum manet *part.1. n.366.*

Dices tertio. Qui poſſidet aliquid acquiſitum ex teſtamento, abſque debita ſolemnitate condito, poteſt illud in conſcientia retinere; ergo ſignum eſt, quod teſtamentum in foro interno valeat.

Reſpoudetur, diſt. ant. poteſt illud retinere vi judicii directi, formati de re, & objecto ſecundum ſe, neg. vi judicii reflexi, formati de probabilitate opinionis contrariæ, & certitudine tituli poſſeſſionis, con. ant. Et diſt. etiam conſ. Ergo ſignum eſt, quod teſtamentum in foro interno valeat probabiliter, con. certo, neg. conſ. Non denegamus oppoſitæ ſententiæ probabilitatem ſaltem minorem; noſtram tamen probabiliorem judicamus: quod etiam hactenus dicta videntur evincere.

Petes, an corruente propter defectum ſolemnitatis teſtamento etiam legata, & fideicommiſſa particularia corruant?

Reſpondetur. Si ſint profana, corruunt (veluti inſinuatum *n. præced. in reſponſ. ad 1. argum.* niſi (ſecundum dicta *num. 714. reſponſ.3.*) in teſtamento appoſita fuerit clauſula codicillaris. Fundatur reſponſio in *l.29. C. de Fideicommiſſ.* & in ratione; quia acceſſorium ſequitur naturam, & conditionem principalis. Unde liceet ad valorem legati ſolitarie, & extra teſtamentum facti, ſufficiant quinque teſtes, haud tamen ſufficiunt, ſi legatum inſeratur teſtamento; nam legatum, quod fit ſolitarie, ſtat per ſe, & habet ſe principaliter; quod vero inſeritur teſtamento, non ſtat per ſe, ſed habet ſe acceſſorie ad teſtamentum, ad cujus ſolemnizationem de Jure Civili neceſſarii ſunt ſeptem teſtes.

Dixi: *ſi ſint profana.* Nam legata pia ſubſiſtunt, licet non ſubſiſtat teſtamentum, cui inſeruntur. Ratio hujus eſt: quia hæc talia legata ſunt ſpecialiter privilegiata; prout anootavimus ſupra *n.718.* & iterum dicimus *n. ſeq.* atque ideo per ſe ſtant, nec ſequuntur naturam teſtamenti, ceu principalis, utpote quod non eſt, ſaltem æqualiter, privilegiatum.

Dices contra reſponſ. Legata profana, teſtamento pio inſerta, ſuſtinentur; ergo etiam inſerta teſtamento profano.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas eſt: quia teſtamentum pium, etſi inſolemne, valet, cum ſit privilegiatum: e diverſo teſtamentum profanum, ſi ſit inſolemne, non valet; ergo cum legata, teſtamento inſerta, ſequantur naturam ſui principalis, valebunt, ſi inſerantur teſtamento inſolemni pio; non autem ſi inſerantur teſtamento inſolemni profano.

723. Quæres tertio, quænam requirantur ad Teſtamentum inſolemne, & privilegiatum?

Reſpoodetur primo. *Teſtamentum Pium*, ſeu quod fit ad cauſas pias, valet in utroque foro, licet omni careat ſolemnitate: modo hæres aliquis inſtituatur, & conſtet de voluntate teſtatoris. Ratio eſt: quia Jus Canonicum, quod hic unice obſervandum venit etiam a Laicis per totum orbem Chriſtianum (*cap.7. ac 10. de Conſtit. & c.11. de Teſtam.*) nullam requirit ſolemnitatem in Teſtamento Pio; imo nec Jus Civile aliquam requirit; & ſi requireret, curandum non foret, cum cauſæ piæ ejus ſphæram, ac poteſtatem tranſcendant. Quare ad teſtamentum Pium ſolum requiritur, ut teſtator habeat uſum rationis, actualem voluntatem, ac poteſtatem diſponendi; ut inſtituat hæredem (quæ neceſſaria ſunt ad valorem teſtamenti etiam pro foro interno) ut voluntatem teſtandi ſufficienter manifeſtet (quod neceſſarium eſt ad valorem teſtamenti pro foro externo) ſive dein id præſtet oretenus, ſive per ſcripturam, ſive per nutus ad interrogationem alterius, ſive alio modo. Præterea Teſtamento Pio non obſtat, ſi inſtituatur hæres incertus, vel deſignatio hæredis committatur alterius arbitrio: ut ſi teſtator dicat: pro hærede inſtituo Deum, cauſas pias, pauperes in genere, vel quos elegerit Titius. Quæ tamen omnia officiunt Teſtamento profano.

Dices. In *c.11 de Teſtam.* Pontifex requirit *duos, vel tres teſtes*, & quidem *legitimos*; idque conforme eſt Juri Divino, *in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum*; ergo &c.

Reſpondetur, teſtes ibi non requiri pro foro interno; imo nec pro externo, niſi quando de voluntate teſtatoris aliter conſtare non poteſt. Neque refert, quod Pontifex requirat teſtes *legitimos*, caſu quo teſtatoris voluntas per teſtes probari debet. Nam per id ſolum innuit, quod debeant eſſe teſtes, qui in aliis negotiis de Jure Canonico ad probandum ſunt habiles, ut repellat a teſtificando ſervos proprie dictos, infames infamia Juris, excommunicatos non toleratos &c. licet non reprobet teſtes, de foro Jure Civili inhabiles.

Reſpondetur ſecundo. *Teſtamentum inter liberos factum a parentibus* (id eſt, Teſtamentum, in quo parentes, pater nempe, & mater, vel alii deſcendentes lineæ rectæ inſtituunt liberos, vel nepotes) valet pro utroque foro, etſi communibus Juris Civilis ſolemnitatibus careat: modo habeat ea, quæ ad ipſum in Jure ſpecialiter requiruntur. In Jure autem ſpecialiter requiritur 1. Ut teſtator, quando teſtamentum eſt nuncupativum, adhibeat duos teſtes, ſed pro foro externo tantum, & quando de voluntate ejuſdem teſtatoris aliter non conſtat, aut conſtare poteſt. 2. Quando teſtamentum eſt ſcriptum, teſtator (niſi ipſe teſtamentum ſcripſerit) ſubſcribere debet, & in ſubſcriptione exprimere tempus teſtamenti conditi, propria liberorum nomina, & portiones, quas ſingulis relinquere intendit. Porro tam tempus, quam portiones oportet exprimere non ſignis numerorum, ſeu ciſris, ſed literis, ſeu verbis integris. Quod ſi teſtator teſtamentum conſcripſerit propria manu, non eſt opus, ut ſubſcribat; ſed ſufficiet quævis ſcheda, ipſius manu ſcripta, in qua annotet ea, quæ alias in ſubſcriptione annotare deberet. Teſtes porro in tali teſtamento non ſunt neceſſarii. 3. In utroque etiam tali teſtamento, tam nuncupativo, quam ſcripto, cuivis liberorum relinquenda eſt *legitima* (de qua inferius *n.732.*) idque *titulo inſtitutionis*, adeo, ut nuncupentur, vel ſcribantur hæredes, & non legatarii tantum. Sumuntur hæc ex *Novell. 107. c.1. & 115. c.3.* item *ex l.21. & Authent. Quod ſine C. de Teſtam.* ac traduntur a P. Reiffenſtuel *lib. 3. tit.26. a n.171.* P. Cherubino Mayr *loc. cit. n.242.* aliiſque paſſim.

Sed quid ſi in teſtamento liberorum aliquid relictum fuerit perſonæ extraneæ?

Ad hoc ajo, quod oporteat diſpicere, num tali perſonæ aliquid fuerit relictum tanquam hæredi, vel tanquam legatariæ, aut fideicommiſſariæ? Si primum; *certum eſt, eam voluntatem defuncti (quantum ad illam duntaxat permixtam perſonam) pro nullo haberi, ſed liberis accreſcere*; uti habetur *l.21. C. de Teſtam. in fin.* Quod intellige, niſi voluntas defuncti reſpectu illius perſonæ extraneæ habeat ſolemnitates ad teſtamentum non privilegiatum requiſitas, vel tradatur ad acta, vel niſi cohæres inſtitutus ſit cauſa pia: prout recte limitat P. Cherubinus Mayr *n.243.* Si ſecundum; communius tradunt Authores, teſtamentum adhuc valere, etſi communibus ſolemnitatibus deſtitutum ſit; & conſequenter legatum (quamvis profanum) vel fideicommiſſum perſonæ legatariæ, vel fideicommiſſariæ omnino deberi. Ratio eſt: quia teſtamentum, prædictis ſolemnitatibus deſtitutum, inter liberos valet; ergo etiam valebit legatum, vel fideicommiſſum, illi inſertum, per *Reg. 42. Jur. in 6.* ibi: *Acceſſorium naturam ſequi convenit principalis*: conſequenter tale legatum, vel fideicommiſſum perſonæ legatariæ, vel fideicommiſſariæ omnino debebitur. Videatur Reiffenſtuel *loc. cit. n.204. & ſeqq.*

Reſpondetur tertio. *Teſtamentum Militum* (ſive ſint Officiales, ſive gregarii) in expeditione bellica occupatorum, id eſt, ſtantium in apparatu ad conflictum, nullam, ut valeat, ſolemnitatem requirit, modo de voluntate teſtatoris ſufficienter (undecunque

demum)

demum) constet. *l. 15. C. de Testam. Milit. & l. 1. ff. eod.* Interim per expeditionem bellicam non intelligitur omne belli tempus, sed illud tantum (ut jam insinuatum) quo milites in armis procedunt rei gerendæ opportunitati intenti, ac parati ad confligendum cum hoste, si occasio tulerit, aut necessitas coegerit, Unde si in præsidiis, aut hybernis, ab hostili incursione tutis, existentes conficere testamentum cogitent, omnes solemnitates Juris communis adhibeant, necesse est. *§. 3. Inst. de Testam. Milit.* Quod si morentur in castris, ab hoste remotis, valide testantur, modo adhibeant duos testes, *ex Constit. Maximiliani I. Imperat. edita an.* 1512. Porro privilegio Militum, circa punctum faciendi testamenti, etiam gaudent Curiones, seu Clerici campestres, Medici, Chirurgi, Mercatores, & alii, qui castra sequuntur, si in hostico deprehendantur, & ibidem decedant *l. pult. ff. de Testam. Milit.* Ayblinger *in Instit. lib. 2. tit. 11. part. 1. a. n. 2.* Cherubinus Mayr *loc. cit. n. 244.* & alii passim,

Respondetur quarto. *Testamentum Rusticorum* valet cum quinque testibus, si copia septem testium non suppetat *l. ult. C. de Testam.* Sed hoc ita demum, si neque septem testes literati, neque septem illiterati cogi possint, quo casu unus saltem pro altero subscribere posset. *Constit. Maximiliani I. an.* 1512. Stryck *de cautel. testam c. 13. §. 1.* Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 218. & alii communiter: qui (excepto Reiffenstuel) modo dictum privilegium etiam porrigunt ad cives, & Nobiles, ruri, v. g. in suis prædiis degentes, ibique testamentum condentes; ex ratione, quod Imperator non tam simplicitati rusticorum, quam difficultati cogendi testes literatos consulere voluerit: quæ ratio æque militare potest pro civibus, & Nobilibus ruri degentibus, ac pro rusticis.

Respondetur quinto. *Testamentum tempore pestis* ut valeat, requiruntur quidem de Jure communi præter alias solemnitates septem testes, ita tamen, ut non teneantur eodem tempore esse præsentes: quia *l. 8. C. de Testam.* dicitur, quod testes, contagionis metu oppressi, non teneantur eodem tempore convenire, licet ordinarii numeri observatio haud sit sublata. Dixi: *de Jure communi*. Nam de facto ex recepto, & in Camera Imperiali approbata consuetudine, duo, vel tres testes sufficiunt ad valorem similis testamenti: prout testatur Stryck *loc. cit. c. 11. §. 3.* & alii passim.

Respondetur sexto. *Testamentum publicum*, seu quod fit vel oretenus coram aliquo Principe Romani Imperii, aut ejus deputato; vel in scripturam redactum, & a testatore subscriptum offertur tali Principi, aut ejus deputato, additis precibus, ut Principis authoritate sustineatur; item quod vel fit *apud Acta*, hoc est, oretenus coram Judice, aut coram ejus deputatis; vel *ad Acta*, hoc est, quod in scripturam redactum, & a testatore saltem subscriptum offertur Judici, aut ejus deputato, nullam ad sui valorem desiderat solemnitatem, sed hæc authoritate Principis, vel Judicis, quippe omnem fraudis suspicionem removente, suppletur. Textus, & DD. *in l. 19. C. de Testam.* Porro Judex non debet necessario esse major testatore: quia in *cit. l. 19.* securus esse dicitur, qui coram actis cujuscunque Judicis suprema ordinavit elogia. Unde nec necessario debet esse Judex competens, seu proprius; nec pro tribunali sedens, per *eand. l.* Et ratio est: quia testamenti oblati, vel insinuati expenditio est actus jurisdictionis voluntariæ, qualis etiam a Judice incompetente, aut extra locum Judicii existente, v. g. in ædibus, horto, balneo &c. exerceri potest. Pichler *lib. 3. tit. 26. n. 45.* Ayblinger ubi supra *part. 2. a n. 53.* aliique passim.

ARTICULUS II.

Quinam possint Testamentum facere? item quinam possint, vel etiam debeant institui heredes?

SUMMARIUM.

714. & seqq. Quid, & quotuplex sit heres? 726. & seqq. Quinam possint, & quinam prohibeantur facere testamentum? 728. & seqq. Quinam possint, vel non possint institui heredes? 730. Quinam debeant institui heredes? 731. Unus conjux non tenetur alterum conjugem instituere heredem. 732. Quantum heredibus necessariis in testamento relinquendum? 733. Quænam portio a Jure, tanquam Legitima, *definita sit pro heredibus necessariis? 734. Massa totius hereditatis dividitur in duodecim uncias &c. 735. Quid sit* Falcidia? *quid* Trebellianica? *& quænam circa utramque veniant notanda? 736. Quid sit Exheredatio, & qualiter, ac ob quas causas facienda?*

724. PRænotandum primo pro secunda quæstionis parte, hæredem (qualis in quolibet testamento, ut valeat, institui debet ex *§. 4. Inst. de hered. inst.*) dici illam personam, quæ vel ex dispositione legis, vel ex voluntate testatoris vi testamenti, succedit in universum jus defuncti, seu in omnia jura, activa, & passiva, commoda, & onera, seu debita, defuncti. *l. 37. ff. de acquir. hered. l. 59. & 62. de Reg. Jur.* Persona, quæ succedit ex dispositione Legis, vocatur *heres ab intestato*; quæ vero succedit ex voluntate testatoris vi testamenti, dicitur *heres ex testamento*. Nec dicas, hæredem, in certa solum quota, v. g. in quadrante, dodrante &c. institutum, non succedere *in universum jus defuncti*; ergo definitio hæredis non comprehendit omnem hæredem. Contra enim, neg. ant. Nam hæredi, etiam in certa duntaxat quota instituto, debetur tota hæreditas *jure accrescendi* tanquam hæredi ex asse, si aliunde sit capax totius hæreditatis: id quod patebit ex dicendis infra *n. 738. in respons. 5.* & traditur a P. Reiffenstuel *lib. 3. n. 423.* P. Pichler *ibid. in Candid. abbreviat. n. 35.* ac aliis, quos vide. Unde neg. etiam cons.

725. Prænotandum secundo, hæredem ex testamento alium esse *necessarium*, alium *voluntarium*. Hæres necessarius est, quem testator ex obligatione, saltem in portione legitima instituere cogitur, nisi justam habeat causam ipsum exhæredandi. Hæres voluntarius) solet etiam nuncupari *extraneus*) est, quem testator pro libitu potest instituere, vel præterire. Porro hæres necessarius vel est necessarius *non suus*, vel necessarius *suus*. Hæres necessarius non suus dicitur, qui non amplius existit sub patria potestate testatoris: hæres vero necessarius suus, qui adhuc existit sub patria potestate testatoris. Nunc

726. Dico primo. Testamentum facere possunt generaliter omnes, qui nullo Jure prohibentur *l. 1. C. de SS. Eccles.* ibi: *Nihil enim est, quod magis hominibus debetur, quam ut supremæ voluntatis - - - liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.*

Dixi: *qui nullo Jure* (id est, nec naturali, nec positivo, videlicet humano, eoque vel Civili, vel Canonico) *prohibentur*. Pro quo

727. Quæres, quinam Jure testari prohibeantur?

Respondetur primo. Jure naturali, sive a natura testari prohibentur carentes usu rationis; ut infantes, furiosi, & amentes &c. nisi habeant lucida intervalla, ubi intermissi furoris, vel amentiæ tempore concedere testamentum possunt, adeo, ut hoc ratum maneat, tametsi postea recidat furorem, vel amentiam. *l. 20. §. 4. ff. Qui testam. facere. & l. 9. C. eod.* Item muti, & surdi simul, si tales existant a nativitate, & semper maneant tales: quia cum nec loqui, nec auditu percipere quidquam possint, voluntatem suam satis exprimere nequeunt. Quod si non existant tales a nativitate, aut non permaneant tales per decursum vitæ, validum manebit eorum testamentum, quod forte condiderunt ante illum statum miseriæ, aut valebit condendum postea, seu postquam loquelam, & auditum, vel saltem alterutrum recuperarunt *l. 10. C. Qui testam. facere.*

Respondetur secundo. Jure Civili testari prohibentur 1. impuberes, esto accedat consensus tutoris: quia Jus non permittit testamentum pendere ab alieno arbitrio, adeoque nec ab arbitrio tutoris. *§. 1. Inst. Quibus non est permissum.* At puberes effecti testari valent absque consensu curatoris, licet non possint sic disponere inter vivos: quia testando nihil sibi præjudicant pro tempore, quo supervivent, cum executio testamenti respiciat tempus subsequens mortem. 2. Filiifamilias, præterquam de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. *l. penult. & ult. C. Qui testam. facere.* 3. Declarati prodigi. *§. 2. Inst. Quibus non est permissum.* 4. Rei criminis læsæ Majestatis. *l. 5. C. ad L. Jul. Majestatis.* 5. Rei perduellionis. *l. 20. C. de Accusat.* 6. Damnati

ad mortem, ad perpetuos carceres, ad metalla, vel triremes, *l.8. §.2. ff. Qui testam. facere*. 7. Deportati, & banniti, seu ex toto Imperio Romano proscripti, *cit. l.8.* & juncta praxi. 8. Denique omnes, quibus ab ipsa Lege fides testimonii ferendi adempta est, *l.26. ff. Qui testam. facere*. Cæcus est quidem habilis ad testandum, ita tamen, ut præter septem testes adhibeat Notarium; vel, si hoc fieri nequeat, octavum testem, *l. 8. Cod. eodem*.

Ceterum qui de solo Jure Civili existunt inhabiles ad testandum, non prohibentur testari ad pias causas, quia causæ piæ non subjacent dispositioni Juris Civilis. Promitur ex *l.1. C. de SS. Eccles.* & traditur a P. Engel *lib.3. tit.26. n.4.* P. Reiffenstuel *ibid. n.231.* P. Cherubino Mayr ubi supra *n.157.*

Respondetur tertio. Jure Canonico testari prohibentur. 1. Excommunicati propter hæresim non toleratam, *c.13. §. credentes, de Hæret.* 2. Percussores, ac persecutores S. R. Ecclesiæ Cardinalium, *c. fin. de Pœnis in 6.* 3. Usurarii manifesti, donec substantiam usuearie acquisitam restituant, aut de restituendo idoneam cautionem præstent, *c. ult. de Usur. in 6.* 4. Episcopi, & Clerici de bonis beneficialibus superfluis, *c.9. de Testam.* Sed hoc, *spectato Jure communi*; nam aliter dicendum, *spectata consuetudine*; prout relinquitur ex dictis *n.* 282. 5. Religiosi professi: quia nullum rerum temporalium obtinent dominium, prout ostensum manet *num.* 226.

728. Dico secundo. Hæredes institui possunt omnes, sive sint personæ singulares, sive communitates, quibus non obstat specialis prohibitio Juris Canonici, vel Civilis, *princ. Instit. & 31. ff. de hæred. instit.*

Dixi: *quibus non obstat specialis prohibitio Juris Canonici, vel Civilis*. Pro quo

729. Quæres, quibus ergo obstet prohibitio Juris Canonici, vel Civilis, ne possint esse, aut institui hæredes?

Respondetur primo. Prohibitio Juris Canonici obstat 1. Percussoribus, & hostilibus persecutoribus Cardinalium. *c. ult. de Pœnis in 6.* 2. Fratribus Minoribus, nempe Franciscanis (S. Francisci Regulam, nulla dispensatione relaxatam, Observantibus) & Capucinis. Clement. *Exivi, §. Quia igitur, de V. S.* & Trid. *Sess. 25. de Regular. c.3.* adeo, ut ipsæ etiam Communitates Religiosæ hæredes institui non possint; quia & ipsæ sunt incapaces juris, ac dominii, quale per aditionem hæreditatis acquiritur. 3. Religiosis professis in particulari aliquorum quoque Ordinum: siquidem etiam ipsi ut sic per S. Professionem sese exuerunt dominio in res temporales, & externas. Quod si tamen hæredes instituantur, Ordo, vel Monasterium, in quo degunt, succedit. Revide, quæ habentur *n.235.*

Dices. Fratres Minores possunt esse legatarii; ergo & hæredes.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia hæres debet necessario succedere in universum defuncti jus, prout *n.724.* dictum, & expositum est: Fratres Minores autem, ne in communi quidem, sic possunt succedere ob rationem in *præcit. Clem.* allegatam, ibi: *Quia in successionibus transit non solum usus rei, sed & dominium suo tempore in hæredes; Fratres autem præfati nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in communi*. E diverso legatarius non succedit antefato modo in jus defuncti, potestque (si dominii acquirendi incapax sit) solum acquirere usum rei, dominio remanente vel penes legantis hæredes, vel, si isti illud abdicent, transeunte in S. Pontificem; prout tradidimus *n.170.*

Instabis. Qui non potest institui hæres, etiam est incapax legati per *§.24. Inst. de Legat.* ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. ant. Si non possit institui hæres ob incapacitatem ex parte personæ, con. ob incapacitatem ex parte causæ particularis, qualis est votum Paupertatis, neg. ant. & conf. Votum Paupertatis non excludit legata, cum dentur instar eleemosynæ.

Respondetur nunc ad quæsit. secundo. Prohibitio Juris Civilis obstat 1. Liberis perduellium, *l.5. §.1. Cod. ad L. Juliam Majest.* 2. Deportatis (quibus hodie æquiparantur banniti banno Imperii) *l.1. de hæred. instit.* 3. Damnatis ad ultimum supplicium, aut ad metalla, vel triremes, *l.29. ff. de Pœnis*, & *l.3. ff. de his, quæ pro non scriptis &c.* 4. Occisori testatoris, *l.7. §. penult. ff. de bonis damnat.* 5. Hæreticis non toleratis, & apostatis a fide Christiana. *Auth. Credentes. C. de Hæret, & l.3. C. de Apostat.* 6. Denique omnibus illis, quibus ob delictum non est permissum testari. Atque hactenus recensitis prohibitio Juris Civilis obstat simpliciter, adeo, ut hæredes esse, & institui absolute non possint. Secundum quid præterea obstat liberis naturalibus, & spuriis: illis quidem, ut, extante legitima prole, non possint hæredes institui ultra unciam (cujus explicationem dabimus infra *n.734.*) *l.2. Cod. de natural. liber*, istis vero, ut a neutro parente (secus ab aliis) institui hæredes valeant, sicut nec ab intestato succedere. *Auth. Licet. C. de natural. liber. & Auth. Ex complexu, C. de incest. nupt.* Utraque responsio ad Quæsitum deprompta est ex P. Reiffenstuel *cit. n.402. ac seqq.* & P. Cherubino Maye *n.165. ac seqq.*

730. Dico tertio. Hæredes institui debent, & ex testamento necessarii sunt 1. Liberi legitimi (vel legitimati per subsequens matrimonium) sive emancipati sint, sive non. Sumitur *ex princ. Instit. de exhæred. liber. ex Novell. 12. cap. ult. & Novell. 89. c. 8. in princ.* Liberi legitimati per Rescriptum Principis aliter necessario instituendi non sunt, quam si aut nullus adhuc existentibus liberis legitimis sint legitimati; aut Princeps suo Rescripto expresse addiderit, quod etiam in ordine ad hunc effectum eos legitimatos velit, Ayblinger *in Instit. lib. 2. tit. 13. n. 6.* 2. In defectu liberorum nepotes, & neptes; pronepotes, & proneptes, aliique descendentes in linea recta *§. 5. Inst. de exhæred. liber.* 3. In defectu descendentium ascendentes, nempe pater, & mater; ac in horum defectu avus, & avia &c. *per Novell. 115. c. 4.* 4. Germani, & consanguinei fratres, ac sorores, id est, ex eodem patre cum testatore progeniti, sive dein eandem, sive diversam matrem habeant (non autem uterini tantum, hoc est, ex eadem matre, non autem ex eodem patre procreati) at solum in casu, quo ipsis præteritis, institueretur persona turpis, hoc est, infamia Juris, vel facti laborans; uti sunt meretrices, concubinarii, adulterini, incestuosi, lenones &c. *l. 27. C. de inoffic. testam.* P. Pichler *lib. 3. tit. 26. n. 66.*

Hi, inquam, sunt hæredes, qui (nisi suppetat justa causa eos exhæredandi) necessario institui debent, adeo, ut, si omnimodis præterreantur, testamentum vel sit nullum, vel saltem rescindibile *per querelam inofficiosi*. De quo videri possunt Canonistæ *lib. 3. tit. 26.* Nobis vero adhuc aliquæ quæstiones, ad præsens institutum facientes, resolvendæ sunt.

731. Quæres igitur primo, an non unus conjux alterum teneatur hæredem instituere?

Respondetur, quod non teneatur. Ratio est: quia nullum Jus assignari potest, ex quo talis obligatio evincatur. Imo regulariter nec unus alteri succedit ab intestato, nisi post omnes agnatos, & cognatos: prout videbimus infra *n. 741.* In causa tamen, quo conjux superstes alteri de Jure succederet quoad portionem aliquam ab intestato, si fuerit in testamento prætermissus, posset illam petere ab hærede instituto, vel per condictione ex lege, vel per extra ordinariam bonorum possessionem: prout cum Manzio, Haunoldo, & Schmiee nota P. Cherubinus Maye *loc. cit. n. 174.*

732. Quæres secundo, quantum hæredibus necessariis testator in testamento relinquere teneatur?

Respondetur, quod non teneatur illis relinquere plus, quam portionem Jure taxatam, quæ propterea vocatur *Legitima*, id est, Legibus definita *l. 6. & subjuncta Auth. Novissima. C. de inoff. Testam.* Debet tamen legitima hæredibus necessariis relinqui titulo institutionis, & per modum hæreditatis; non vero per modum legati &c. *Novell. 115. cap. 3.* item nullo gravata onere, v. g. fideicommisso *l. 32. & 36. §. 1. c. de inoffic. Testam.* Hoc præstito, poterit testator de reliqua substantia pro libitu disponere, eamque aliis, etiam extraneis, relinquere, sive titulo hæreditatis, sive per modum legati &c. salvo hæredibus jure Falcidiæ, aut Trebellianicæ, de quibus infra *n. 735.* Ex quo fluit, quod testator, v. g. pater, salva semel singulis legitima, possit uni ex liberis majorem portionem relinquere, quam aliis; imo totam substantiam reliquam. Et huc collimant illa verba *l. 8. C. de inoffic. Testam.* quæ sunt. *Parentibus arbitrium dividendæ hæreditatis inter liberos adimendum non est*, Ita DD. communiter;

733. Quæres tertio, quænam portio a Jure, tanquam *Legitima*, pro hæredibus necessariis definita sit?

Respondetur primo. Legitima de Jure novo respectu liberorum, si existat quatuor tantum, aut pauciores, est triens, id est, tertia pars hæreditatis; si plures, quam qoatuor, semis, seu semissis, id est, dimidia pars. *Novell.* 18. *cap.* 1. *& Auth. Novissima. C. de inoffic. testam.* denotaturque per vulgatos hosce versus:

Quatuor, aut infra dant natis Jura trientem;
Semissem vero dant natis quinque, vel ultra;
Arbitrium sequitur substantia cetera patris.

Respondetur secundo. Legitima etiam respectu nepotum (& aliorum descendentium) quorum parentes jam sunt mortui, est triens, Sumitur *ex cit. Novella* 18. *c.* 1. ubi non solis liberis, sed & aliis descendentibus legitima est aucta, & loco quartæ partis, quæ Jure antiquo tam pro illis, quam pro istis decreta erat, taxata pars tertia: licet enim Novellæ inscriptio, & contextus loquatur de liberis; clausula tamen fioalis vult idem observari *in omnibus personis, in quibus ab initio antiqua quartæ ratio de inofficioso Lege decreta est*, hoc est: in quibus babebat locum querela inofficiosi, nisi iostituti essent io quarta: atqui non tantum in liberis, sed etiam in nepotibus (ac aliis descendentibus) olim habebat locum querela inofficiosi, nisi fuissent instituti in quarta, *l.* 12. *ff. de inoffic. testam. &* §. 1. *Instit. eod.* ergo &c, Ubi tamen dispiciendum, an nepotes concurrant cum filiis testatoris, id est patruis suis, vel non concurrant? Si concurrant, sive multi, sive pauci sint, non plus acquirunt, quam acquisivisset eorum pater, si adbuc viveret: quia ipsius, modo defuncti, personam repræsentant; adeoque noo possunt cum filiis testatoris aliter augere oumerum quoad computationem legitimæ, ac auxisset eorum pater. Si vero non concurrant, sed soli existant; ulterius dispiciendum, an orti sint ex diversis filiis, aut filiabus, vel ex uno filio, aut filia præmortua testatoris? Si ex diversis; non faciunt majorem numerum quoad computationem legitimæ, ac fecissent eorum parentes: quia in hotum stirpes succedunt, sicut succederent ab intestato. Si ex uno; faciunt numerum, capiuntque legitimam, ac si essent veri filii testatoris: quia tunc succedunt in capita. P. Reiffenstuel ubi supra *n.* 446. *& seqq.* P. Cherubinus Mayr *n.* 177. ac alii passim. Quid autem sit succedere in stirpes, & in capita, explicaturi sumus infra *n.* 741.

Respondetur tertio. Legitima respectu parentum (& aliorum ascendentium) est itidem, & semper triens; qui tamen inter ipsos, & fratres germanos, siquos habuit defunctus, dividi debet. Quod sit triens, colligitur ex verbis finalibus, *cit. Novella* 18. *c.* 1. supra relatis, & expositis. Quod semper sit triens, constat; quoniam ascendentium ejusdem gradus nunquam possunt esse plures, quam quatuor. Augustinus Michel *tom.* 3. *part.* 2. *tr.* 6. *fol.* 797. *n.* 38. & alii communiter. Dixi: *qui tamen inter ipsos, & fratres Germanos* (vel sorores) *dividi debet*. Pro quorum verborum intelligentia advertendum, per *trientem*, prout denotat *legitimam* parentum, non semper intelligi tertiam partem totius hæreditatis, sed tunc solum, quando nulli extant germani fratres, aut sorores testatoris, vel extantes ab eodem fuere in testamento præteriti. Tales quippe si extent, & una cum parentibus a testatore instituti sint, triens, seu legitima parentum solum erit tertia pars illius portionis hæreditariæ, quam accepissent ab intestato: consequenter quoniam ab intestato una cum extantibus fratribus, & sororibus germanis solum successissent æqualiter in capita, legitima parentum erit solum triens, seu tertia pars illius portionis, sibi ex æquali divisione cum prædictis fratribus, & sororibus obvenientis. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 450. Cherubinus Mayr *n.* 179. & alii apud ipsos.

Respondetur primo. Legitima fratrum, & sororum, quando (secundum dicta *n.* 730.) hæredes institui debent, est *quadrans*, seu quarta pars hæreditatis. Ita communior, & verior sententia, quam tenent Augustinus Michel ubi supra *n.* 40. Pichler *lib.* 3. *tit.* 26. *n.* 66. & alii. Ratio est: quia illorum legitima erat quadrans de Jure antiquo, *l.* 8. §. 8. *ff. de inoffic. testam.* ergo adhuc est; cum tale Jus quoad fratres, & sorores, nullibi reperiatur immutatum, aut correctum. Nec dicas, esse correctum per finalia verba *Novella* 18. *c.* 1. superius relata. Contra enim est, neg. assumptum. Nam illa verba, licet indefinite, & universaliter prolata sint, intelligenda tamen veniunt de illis duntaxat personis, quibus per se debebatur legitima, seu quarta pars de Jure antiquo, aut *querela inofficiosi*, casu quo fuissent quoad legitimam in testamento præteriti: fratribus autem, & sororibus non debebatur, nec debetur legitima per se, uti nec querela inofficiosi, si in testamento fuerint præteriti. Neque refert, quod habeant querelam inofficiosi instituta turpi persona. Hoc quippe illis a Jure concessum est haud intuitu legitimæ non relictæ, sed ratione turpitudinis ejus, qui institutus est, quem præferri fratribus visum est Legibus indignum, loquit Michel *cit.*

734. Quo planius hucusque dicta percipiantur, oportet nosse, massam totius hæreditatis dividi in duodecim uncias, seu partes: duodecima pars vocatur *uncia*: duæ unciæ *sextans*, quasi sexta pars hæreditatis: tres unciæ *quadrans*, id est, quarta pars: quatuor unciæ *triens*, hoc est, tertia pars: quinque unciæ *quincunx*: sex nociæ *semis*, vel *semissis*, seu media pars: septem unciæ *septunx*: octo unciæ *bes*, quasi bis triens: novem unciæ *dodrans*: decem unciæ *dextans*: undecim unciæ *deunx*: tota demum hæreditas *as*, §. 5. *Instit. de hered. instit.*

735. Quæres quarto, quid sit *Falcidia*? quid *Trebellianica*? & quænam circa utranque veniant notanda?

Respondetur primo. Falcidia (sic nuncupata a Falcidio Tribuno plebis) est quarta pars bonorum testatoris, quam deductis expensis funeralibus, ac ære alieno, permissum est hæredi (instituto, vel venienti ab intestato) nimiis legatis gravato detrahere, §. 2. *&* 3. *Inst. ad L. Falcid.* Spectato tamen Jure communi est in potestate testatoris prohibere detractionem Falcidiæ de legatis &c. & ubi expresse prohibuit, locum non habet. *Auth. Sed cum testator. Cod. ad L. Falcid. & Novell.* 1. *c.* 2. §. 2. Porro in praxi (quidquid sit de Jure scripto) obtinuit, ut indistincte in legatis piis detractio Falcidiæ cesset; idque favore causarum piarum receptum esse, testatur Stryck *de caut. testam. cap.* 22. *membr.* 3. §. 1. *in fin.* aliique plures relati a D. Ayblinger *loc. cit. tit.* 22. *num.* 18.

Respondetur secundo. Trebellianica (sic appellata a Senatus consulto Trebelliano) est pariter quarta pars bonorum testatoris, quam a rebus restitutioni obnoxiis deducere potest hæres gravatus fideicommisso universali tam excessivo, ut ipsi non maneret quarta pars hæreditatis, §. 7. *Institut. de Fideicommiss. hered.* Sicut igitur Falcidia de excessivis legatis, ita Trebellianica de excessivo fideicommisso universali detrahi potest, donec hæredi salva sit quarta pars totius hæreditatis. Differt tamen Trebellianica a Falcidia, quod (ut alias differentias minus principales non commemorem) in quartam partem Trebellianicæ non ea duntaxat imputentur, quæ hæres jure capit hæreditario, sed etiam ea, quæ jure legati, fideicommissi, aut conditionis implendæ gratia percipit. At vero in quartam partem Falcidiæ solum imputantur, quæ hæres capit jure hæreditario, *l.* 91. *ff. ad L. Falcid.* Ayblinger *loc. cit. tit.* 23. *n.* 23. & alii passim.

736. Quæres quinto, quid sit Exhæredatio, & qualiter, ac ob quas causas facienda?

Respondetur primo ad primum, & secundum quæsiti membrum, quod exhæredatio (institutioni opposita) sit *actus, quo persona, alias necessario instituenda, ob commissam ingratitudinis causam a successione repellitur*. Ad exhæredationis valorem requiritur 1. Ut hæres nominatim a successione repellatur, *l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de liber. & posthum. hered. instit.* 2. Ut repellatur a tota hæreditate, non a parte duntaxat, aut re certa, & particulari, *l.* 19. *ff. eod.* 3. Ut exhæredatio fiat pure, non conditionate, *cit. l.* 3. *ff. eod.* 4. Ut fiat ex causa ingratitudinis testamento inserenda, & ab hærede scripto probanda. *Novell.* 115. *c.* 3.

Respondetur secundo ad tertium quæsiti membrum, alias esse causas ingratitudinis, ob quas parentibus (aut aliis ascendentibus) permissum est liberos (vel alios descendentes) exhæredare; & alias, ob quas liberis (vel aliis descendentibus) licet parentes (vel alios ascendentes) ab hæreditate excludere; alias denique, ob quas frater fratrem repellere potest: quas omnes, & singulas pro faciliori captu per communes versus recensere juvat. Itaque

Causæ ingratitudinis, ob quas parentibus permissum est exhæredare liberos, comprehenduntur hisce versibus:

Bis septem ex causis exhæres filius esto:
Si patrem verbis, verberibusque gravet.
Si spernat captum, linquat si carcere clausum:
Præsumat patrium si violare torum.
Si sit delator patris, si perfidus obstet,
Ne suprema pater prodere sensa queat.
Insidias patris audax si struxerit annis;
Stultum si temnat; sique flagellet opes.
Si mimos, hominesque malos, sectamque sequatur:
Filia si Venerem luxuriosa colat.

Hoc tamen de filia ita exaudiendum est, si pater filiam honeste elocare voluerit, & ea ante annum vigesimum quintum ætatis suæ elegerit vitam luxuriosam, *cit. Novell.* 115. *c.* 3.

Causæ, ob quas licet liberis excludere ab hæreditate parentes, sequentes enumerantur *in cit. Novell.* 115, *c.*4. & denotantur per istos versus:

Ex septem licitum causis removere parentem:
Præsumat nati si violare torum.
Si stultum spernat; si dogmata falsa sequatur;
Captivoque neges si sceleratus opem:
Præbeat innocuæ si toxica noxia proli;
Sique ream sobolem sanguinolentus agat.
Si natum genitor testandi pellat ab actu,
Forte quod incertas Euclio captet opes.

Causæ, ex quibus frater fratrem in casu, quo turpem personam instituere cogitat (nam extra hunc casum frater non est hæres necessarius fratris, secundum dicta *n.*730.) repellere potest, recensentur *in Novell.*22, *c.*47. & sequentibus exprimuntur versiculis:

Tres licet ob causas ingratum pellere fratrem:
Si fratri insidias, perniciemque struat.
Si scelera impingat nocuo fatalia fratri;
Aut si fraternas perdere tentet opes.

ARTICULUS III.

Expediuntur residuæ Quæstiones, huc pertinentes, aut reducibiles.

SUMMARIUM.

737. *Quid, & quotuplex sit substitutio testamentaria?* 738. *Quænam notanda sint de Accessoriis testamenti?* 739. *An, ubi constat de determinata voluntate testatoris ad certas causas, ea commutari possit, & a quo?* 740. *Quænam notanda sint de contrariis testamenti?* 741. *Quid sit successio ab intestato, & quænam notanda circa illam?* 742. *Quis succedat ab intestato Clericis Beneficiatis?*

737. QUæres primo, quid, & quotuplex sit substitutio testamentaria?

Respondetur primo. Substitutio hæc est *secunda, & alterius hæredis institutio in locum primi deficientis*; ut si testator in suo testamento ita ordinet: *Cajus mihi hæres esto, & si hæres non erit, Titium ei substituo.* Quare substitutio est institutio alterius hæredis conditionata, facta scilicet sub conditione, si primus hæres hæreditatem aut noluerit, aut non potuerit adire.

Respondetur secundo, Substitutio prima sui divisione dividitur in *directam*, & *indirectam*, seu *obliquam*. Directa est, quando ita hæres hæredi substituitur, ut hæreditatem non capiat per manus primi instituti, sed per seipsum; uti fit in exemplo immediate adducto. Indirecta est, quando hæres hæredi ita substituitur, ut substitutus per manus hæredis primi accipiat hæreditatem, prout contingit, quoties testator hæredem rogat (id est, obligat) ut hæreditatem alteri restituat: atque hoc modo substitutus dici solet *fideicommissarius*, sine addito *hæres* (ex dictis *n.*715.) esto reipsa hæres sit, prout & in definitione substitutionis ut sic nominatus fuit. Unde hæc substitutio etiam vocatur *fideicommissaria*. Substitutio directa subdividitur in *vulgarem*, *pupillarem*, *exemplarem*, *reciprocam*, & *compendiosam*. Vulgaris est, quæ a quovis habente potestatem testandi fieri potest sub simplici isthac conditione: *si hæres non erit*. Pupillaris est, quæ fit ab habente patriam potestatem sub duabus istis conditionibus: *si filius hæres erit, & impubes decesserit*. Exemplaris (sic dicta: quia ad exemplum pupillaris fit, soletque etiam appellari *quasi pupillaris*) est, qua parens liberis furiosis, vel mente captis (aut simili modo a Lege testari prohibitis) hæredibus institutis alium hæredem substituit sub conditione, *si illi in tali statu moriantur*. Reciproca est, quando duo, vel plures (non expressa, sed tantum subintellecta conditionali propositione negativa) hæredes instituuntur, atque sibi invicem reciproce substituuntur, e.g. si testator dicat, vel scribat: *Cajum, & Titium hæredes instituo, & sibi invicem substituo.* Compendiosa est, quæ brevi verborum complexu plures substitutionum species (puta vulgarem, pupillarem, vel etiam exemplarem pro casuum diversitate) comprehendit, v. gr. *filium meum hæredem instituo, & si decesserit, ei Sempronium substituo.* Reiffenstuel *lib.*3. *tit.*26. §.18. *per tot.* Michel, ubi supra *fol.*803. *a num.*1. & alii apud ipsos.

738. Quæres secundo, quænam notanda sint de *Accessoriis testamenti?*

Antequam ad hoc quæsitum respondeatur, sciendum est, quod potiora accessoria testamenti sint 1. *Apertura testamenti*. 2. *Beneficium inventarii*. 3. *Petitio, & acquisitio hæreditatis*. 5. *Jus accrescendi*. 6. *Executio testamenti*. Nunc

Respondetur primo. Apertura testamenti fit ut patefiat, quisnam sit institutus hæres, & quænam ipsi, vel aliis cohæredibus, legatariis &c. relicta sint, *l. ult. C. testamenta quemadmodum aperiantur.* Apertura ista institui dupliciter potest. 1. *Privatim*, quando ad hæredis, vel aliorum, quorum interest, instantiam coram aliquibus honestis viris aperiuntur tabulæ testamentariæ, seu scriptura testamenti. 2. *Solemniter*, quando coram Judice competente (qualis hodie est Judex ordinarius, ubi hæreditas sita, vel testamenti insinuatio est facta) convocatis hæredibus, & omnibus, quorum interest, etiam testibus, ut sua sigilla, & subscriptiones recognoscant, codex testamenti reseratur. P. Franciscus Schmier *lib.*3. *tr.*4. *part.*1. *c.*1. *a n.*406. & alii communiter.

Respondetur secundo. Inventarium (cujus nomine intelligitur annotatio, seu repertorium rerum in testamento contentarum) faciendum est ab hærede, vel Notario publico intra tres menses delatæ, & cognitæ hæreditatis, si hæc sit præsens; vel, si sit absens, aut nimis remota a domicilio hæredis, intra annum, a die mortis testatoris computandum, *l. fin. Cod. de jure delib.* Hoc beneficium operatur. 1. Ut hæres non subeat periculum amittendi hæreditatem. 2. Ut non teneatur creditoribus solvere ultra vires hæreditatis aditæ. 3. Ut contra Legatarios uti possit beneficio Legis Falcidiæ. Schmier *loc. cit. n.*414. Cherubinus Mayr ubi supra *n.* 219. & alii passim.

Respondetur tertio. Hæreditatis petitio est actio, qua hæres agit adversus eum, qui pro hærede, vel possessore possidet, & agendo petit, ut ipse hæres declaretur, ac res hæreditariæ sibi restituantur, *l.*9. *ff. de hæredit. petit.* Dicitur: *qua hæres agit*; nam qui petit hæreditatem, debet esse hæres (sive dein talis sit ex testamento, sive ab intestato) & ubi necesse erit, probare, se hæredem esse. Dicitur præterea: *adversus eum, qui pro hærede, vel possessore possidet.* Is quippe, qui convenitur hæreditatis petitione, debet hæreditatem, vel partem ejus possidere, non quomodocunque, sed vel sub titulo hæredis, forte quod probabiliter se putet, hæredem esse, aut dolose se fingat hæredem; vel sub titulo possessoris, qualis est, qui nullum hæredis titulum, aut manifeste ruinosum, allegat, & interrogatus, cur possideat? respondet: quia possideo, *l.* 11. *&* 12. *ff. eod.* Ayblinger *loc. cit. tit.* 19. *n.* 17. *&* 22.

Acquisitio hæreditatis pro diversitate hæredum diversimode peragitur. Hæres necessarius, & suus a momento demortui patris, citra factum hominis, est ipso Jure hæres; ita tamen, ut hodie ex benignitate Prætoris possit hæreditatem, authoritate Juris jam delatam, repudiare, seu recusare, ac rejicere, §. 2. *Inst. de hæred. qualit. & differens.* Hæres e diverso voluntarius, ac extraneus non aliter acquirit hæreditatem, ac eam adeundo; quod fieri potest vel verbis, queis declaret, se velle deinceps hæredem, seu successorem universalem defuncti agere, vel facto, quo se ut hæredem gerat, exercendo nimirum actiones soli hæredi proprias, puta res hæreditarias colendo, locando, vendendo, solvendo, & exigendo debita &c. §. *ultim. Instit.* *eod.*

eod. Neque tali hæredi (nisi minor, aut pupillus sit) adita semel hæreditate, conceditur licentia pœnitendi, aut hæreditatem repudiandi, §. 5. *Inst. eod.* P. Schmier ubi supra *n.* 418. *& seqq.*

Respondetur quarto. Renunciatio hæreditatis est cessio, seu remissio juris, quod quis habet, vel habere potest ad hæreditatem. Dicitur: *vel habere potest*, ut etiam includatur repudiatio futuræ hæreditatis; quia non tantum juri jam quæsito, sed etiam quærendo, seu futuro quis renunciare potest, *arg. l. 1. C. de Pactis.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 532. Ut autem discerni queat, num valeat, vel non valeat renunciatio hæreditatis; dispiciendum est, quomodo facta sit. Si enim renunciatio facta sit in favorem alterius circa hæreditatem alicujus adhuc viventis incerti, seu in genere, valet; ut si hoc modo eam feceris: *renuncio, & cedo tibi omnem hæreditatem, quæ mihi aliquando a quocunque obveniet.* Sanchez *lib. 7. Moral. c. 2. n.* 31. Laymann *lib. 3. tr. 5. c. 7. n.* 3. & alii communiter. Ratio est: quia cum in tali renunciatione nullus hæreditas specificetur, non intervenit periculum captandi mortem testatoris, v. g. ob quod alias Jura prohibent, ac irritant renunciationem hæreditatis futuræ, & obventuræ ab homine adhuc vivente, *arg. l. 3. ff. pro socio, & l. fin. C. de Pactis.* E diverso si renunciatio facta sit circa hæreditatem hominis alicujus certi, seu in specie, v. g. Pauli, adhuc viventis, irrita est, juxta communem DD. *ex cit. l. fin. C. de Pactis:* ubi etiam redditur ratio, ob quam ejusmodi renunciatio irritata sit; quia nempe *hujusmodi pactiones odiosæ videntur, & plenæ tristissimi exitus ac contra bonos mores sunt.* Ceterum, licet renunciatio valeat, renuncians tamen non censetur renunciasse juri ad alimenta in casu necessitatis, quia Jure prohibitum est renunciare alimentis percipiendis, *leg. 8. ff. de Transact.* imo nec legitimæ; quia legitima formaliter non est pars hæreditatis, sed bonorum, quæ supersunt deducto ære alieno, *l. 8. §. 9. de inoffic. testam.* P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 224.

Respondetur quinto. Jus accrescendi (prout hic sumitur) est facultas, qua alicui jam habenti aliquid de hæreditate accrescit alia hæreditatis portio, ex certa caussa vacans. Reiffenstuel ubi supra *n.* 555. Datur autem 1. Quando testator unicum instituit hæredem in re certa, nihil disponens de reliqua parte; quia tunc tota hæreditas accrescit hæredi instituto, *l. 1. §. 4. ff. de hæred. instit.* 2. Quando hæres, in re particulari institutus, habet cohæredem universalem; tunc enim huic, seu cohæredi universali, licet in certa duntaxat quota instituto omnia accrescunt, *l. 19. C. eod.* 3. Quando ex pluribus hæredibus unus adit suam partem, alter vero non vult, vel non potest adire suam: tunc nanque portio non adeuntis accrescit adeunti, *l. 9. ff. de suis, & legit. hæred.* Ita DD. passim, & quasi in terminis P. Cherubinus Mayr ubi supra *n.* 225.

Respondetur sexto. Executio Testamenti pertinet ad Executores, qui triplicis sunt generis, nempe *Legitimi*, seu *Legales*, quos ipsa Lex determinat; *Testamentarii*, quos testator in testamento designat; & *Dativi*, quos dat Judex, vel Magistratus in casu, quo testator nullum nominavit, vel nominavit quidem, sed is munus exequendi vel repudiat, vel perficere non valet. Hi ergo tales (cujuscunque demum generis sint) ut suo officio rite fungantur, ante omnia aspicere debent voluntatem testatoris defuncti, & juxta eam, si certo explorata sit, testamentum exequi. Sumitur hoc ex *l. 120. ff. de V. S.* ubi insinuatur, quod voluntas, & dispositio testatoris adinstar legis sit observanda. Si voluntas testatoris expressa non constet, ad præsumptam recurrendum est, & juxta hanc facienda executio. Unde si testator Ecclesiam hæredem instituerit, nulla speciatim designata, & plures consistant in illo loco, v. g. in civitate, ubi habitavit, & obiit testator, rationabiliter præsumitur Ecclesiam suam Parochialem, & principalem intendisse, nisi conjecturæ militent pro alia. Similiter si legatum reliquerit pro pauperibus generatim, & nullis in specie nominatis, censendus est prætulisse pauperes consanguineos extraneis; magis egenos minus egenis, loci inquilinos alienigenis &c. nisi forte aliud colligatur ex circumstantiis. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 798. Pichler *lib. 3. tit. 26. num.* 87. & alii apud ipsos. Porro quoad tempus exequendi testamenti aliter discurrendum relate ad forum internum, aliter relate ad forum externum. In foro interno, si testator certum tempus non designarit, executio fieri debet, quamprimum moraliter fieri potest, *c. 6. de Testam. & l. 47. ff. de Legat.* Et hæc obligatio pro foro interno vel ideo statim urget; quia legatarii post aditam ab hærede hæreditatem statim fiunt domini legatorum, *l. 86. §. 2. ff. de Legat.* atque ex dilatione executionis ipsis damnum, & defunctis præjudicium, si forte Missæ, v. g. quas testator periit, differrentur, oriri posset. Pichler *loc. cit. n.* 86. In foro externo executio fieri debet *quoad legata pia* intra sex menses ab insinuatione testamenti computandos. *Novell.* 131. *cap.* 12. Quoad cetera vero executio facienda est saltem intra spatium unius anni, intra quod si legata, post Judicis admonitionem, non præstentur ab hærede, amittit is hæreditatem (salva tamen legitima, si sit hæres necessarius juxta. *Novell. 1. cap. 1. §.* 1. & inde desumptam *Authent. Hoc amplius, C. de Fideicommiss.* P. Schmier ubi supra *num.* 472. P. Cherubinus Mayr *n.* 227. & alii passim.

739. Petes, an, ubi constat de expressa, & determinata voluntate testatoris ad certas causas, ea commutari possit, & a quo?

Respondetur primo. Voluntas testatoris, respiciens causam piam, commutari potest a S. Pontifice, & converti in aliam causam piam; modo justa commutandi causa concurrat. Ratio est: quia S. Pontifex est supremus causarum piarum administrator, ut proinde circa eas disponere valeat juxta exigentiam necessitatum, vel utilitatum tum publicarum, tum privatarum. S. Thomas 22. q. 100. *art.* 1. Pichler *lib. 3. tit. 26. num.* 88. & alii communiter. Commutari quoque potest eadem voluntas ab Episcopo (cum consensu tamen hæredis, & executoris deputati) in casu, quo commode impleri nequit modo per testatorem expresso; prout cum aliis tradit P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 809. Imo, saltem probabiliter, etiam in casu, quo causa utilitatis, pietatis &c. id exposcit; prout docet P. Pichler *loc. & num. cit.* aliique multi, fundantes se in praxi, ac in Trident. quod *Sess. 22. cap. 6. de Reform.* sic ait: *in commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa, & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam Delegati sedis Apostolicæ summarie, & extrajudicialiter cognoscant &c.* Vide Pichlerum *cit.* Ex quibus Concilii verbis fluit, ejusmodi commutationem fieri nunquam posse, etiam in causam piam evidenter meliorem, ab executore testamenti deputato, si is sit Episcopo inferior; imo neque si sit Episcopus, nisi cum consensu coexecutoris (si forte talis sit deputatus) & hæredis; prout jam insinuavimus, & tradit Abbas apud P. Reiffenstuel *cit. n.* 809.

Respondetur secundo. Si voluntas testatoris respiciat causam profanam, ejus commutatio in aliam causam profanam pertinet ad Magistratum Secularem, vel Principem supremum, fierique potest, vel etiam debet, quando justa causa, publicam utilitatem, vel necessitatem spectans, ita exigit. P. Pichler ubi supra.

740. Quæres tertio, quænam notanda sint de *Contrariis Testamenti*?

Respondetur, per contraria testamenti intelligi modos, quibus testamentum, semel valide conditum, resolvitur. Tales modi sunt quatuor. Primus est *irritatio*, qua testamentum resolvitur, quando ex parte testatoris supervenit defectus, quando nempe is patitur *capitis diminutionem* (hoc est, status mutationem) eamque vel *maximam*, ut si fiat servus, vel *mediam*, si proscribatur ex Romano Imperio, vel *minimam*, si alterius juri subjiciatur patiendo se arrogari ab alio. Secundus modus est *destitutio*, qua testamentum resolvitur, quando ex parte hæredis emergit defectus, ut si hæres esse vel non possit, vel non velit. Tertius modus est *ruptio*, qua testamentum resolvitur, quando intervenit mutatio voluntatis in testatore, seu revocatio testamenti prius conditi. Fit autem testamenti revocatio vel *nudis verbis*, vel *facto*. Ut testamentum nudis verbis revocetur, requiruntur duo copulative, nempe ut decennium a tempore conditi testamenti effluxerit, & revocatio fiat vel apud Acta, vel coram tribus saltem testibus, *l. 27. C. de testam.* Ut vero revocetur facto, opus est vel *cancellatione* (eaque totali, aut partiali) vel *factione novi testamenti*, vel *supervenientia posthumi*. *Cancellatio totalis* est, & rumpit testamentum, quando testator delet totum testamentum scriptum

per

per lineas cancellatim, & per modum crucis ductas: *partialis*, quando delet partem substantialem, v. g. omnes hæredes, aut oomina testium, tollit sigoacula, tabulas incidit, aut lacerat. Factio novi, seu posterioris testamenti tuoc tumpit prius testamentum, quando posterius valide est conditum, sive dein sit solemne, sive insolemne privilegiatum. Si tamen prius testamentum fuisset inter liberos (idem tenendum de testamento Pio, si alterum esset ad causas profanas) non revocaretur per posterius, nisi solemne sit, expressam mentionem faciens prioris, aut coram septem testibus declaret testator, se nolle prius valere. *Novell.* 107. *cap.* 2. *Supervenientia posthumi* rumpit testamentum, quando testatori post conditum testamentum nascitur ex justo matrimonio filius, vel ab ipso aliquis arrogatur io filium, aut adoptatur descendens. Quartus modus resolvendi testamentum est *officium Judicis* præcedente *querela inofficiosi testamenti*, quæ est remedium Juris, & actio, qua personæ, in testamento contra officium pietatis præteritæ, uti possuot adversus hæredes institutos, ut rescisso per sententiam Judicis testamento hæreditas, ab institutis jam adita, restituatur sibi quasi ab intestato. Hoc ergo remedium, & actio competit omnibus, & solis personis, quibus (secundum dicta *n.* 730. & *seq.*) ex dispositione Juris debetur *Legitima*. Sed inæqualiter; nam fratribus germanis competit semper (casu quo instituta est persona turpis) descendentibus vero, & ascendentibus tunc solum, quando in foro externo dubitatur de Justitia præteritionis, aot exhæredationis, & ideo testamentum adhuc præsumitur validum. Ratio hujus limitationis est: quia querela inofficiosi supponit testamentum, prius reipsa, vel saltem præsumptive fuisse validum; ergo locum solummodo habet, quando testamentum noo est, aut præsumitur Jure nullum; ut in exemplis, seu casibus commemoratis: non item in casu, quo contra officium pietatis io testamento præteritæ sunt personæ descendentes, vel ascendentes; cum tunc testamentum sit ipso Jure nullum, adeoque personis præteritis suffragetur *remedium nullitatis*. Fundantur hucusque dicta in variis Legibus, & traduntur a P. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 731. *ac seqq.* P. Pichler *n.* 74. & aliis passim.

741. Quæres quarto, quid sit *Successio ab intestato*, & quænam notanda circa illam?

Respondetur primo. Successio ab intestato (quæ opponitur *successioni ex testamento*) est jus acquirendi hæreditatem (vel ipsa acquisitio hæreditatis) extra casum testamenti, seu quando defunctus decessit *intestatus*, hoc est, quando vel nullum testamentum (aut aliam dispositiooem) fecit, vel quando quidem fecit testamentum, sed invalidum, vel validum quidem, sed postea ruptum, irritatum, hærede destitutum, vel rescissum.

Respoodetur secundo. Successio ab intestato fit vel *in capita*, vel *in stirpes*. In capita fit successio, quando ex bonis a defuncto relictis tot fiunt partes, quot sunt personæ cognatorum proximorum eodem gradu venientium. Sic si defunctus post se reliquerit tres filios, ii æqualiter, seu in capita succedunt; quia hæreditas paterna in tres partes æquales dividitur, & unusquisque filiorum suam partem abstrahit. Io stirpes fit successio, quando partes non fiunt secundum numerum personarum, sed secundum generationes: ut si decedat defunctus relictis ex tribus filiis nepotibus, ex uno duobus, ex altero quinque, & ex tertio tribus; tunc quippe fit successio in stirpes; quia ooo fiunt tot partes, quot sunt personæ, nempe decem, sed tantum quot sunt generationes, nempe tres, ita, ut unam partem abstrahant duo liberi ex uno, alteram quinque ex altero, & tertiam tres ex tertio filio existentes: licet deinde partem, qoam acceperunt, liberi ex una stirpe æqualiter inter se dividant. P. Krimer *lib.* 3. *tit.* 27. *n.* 2020. & sumitur ex §. *fin. Inst. de hæredit. quæ ab intest.* In hac ipsa successione ab intestato veniunt agnati (qui nempe ex linea paterna, ac masculina sunt conjuncti defuocto, de cujus hæreditate agitur) & cogoati (qui ex linea materna, ac feminea) aliquando *jure suo*, aliquando *jure repræsentationis*. Jure suo tunc veniunt, qoando ipsos nemo gradu aliquo præcedit, sed ipsi sunt gradu proximi. Sic filii succedunt in bona parentis defuncti; quia sunt gradu proximi, nec ullus eos gradu antecedit. Jure repræsentationis veniunt, quando alii gradu præcedunt, adeo, ut ipsi (agnati scilicet, ac cognati) omnino a successione excluderentur, nisi hoc privilegium repræsentandi suum parentem haberent. Sic si duo adsint filii, & ex tertio filio præmortuo tres nepotes, filii succedunt jure suo; tres nepotes vero jure repræsentationis, quia repræsentant parentem suum, alias ob remotiorem gradum ab hæreditate avi omnino excludendi. Hoc tameo jus repræsentationis locum non habet in ascendentibus, sed ex his proximior semper excludit remotiorem a successione in hæreditate sui descendentis; quia est contra naturam, ut parens repræsentet filium, & ascendens, qui est natu grandior, substituatur in locum sui descendentis, qui est junior. Pithing *lib.* 3. *tit.* 27. *n.* 13. Cherubinus Mayr *loc. cit.* *n.* 292. & alii communiter.

Respondetur tertio. Ordo succedendi ab iotestato est sequens, 1. Aote omoes alios patri succedunt liberi legitimi (vel per subsequens matrimonium legitimati) in capita: si vero liberi sint demortui, succedunt nepotes, ac neptes, & quidem, si descendaot ex una tantum stirpe, etiam in capita; si autem ex pluribus stirpibus, seu liberis, in stirpes: demum si unus, vel plures ex liberis essent superstites, alius vero, aut plures essent demortui, relictis tamen liberis, isti liberi, & respectu defuncti nepotes, succedunt tantum io stirpes. *Novell.* 118. *cap.* 1. §. 6. *Inst. de hæredit. quæ ab intest. l.* 2. *C. de suis, & legit. hæred.* Ratio est: quia liberi, & nepotes in linea recta voto parentum, & avorum ad bona a se relicta vocari censentur, per *l.* 220. §. *fin. ff. de V. S.* imo & naturali æquitate, quæ dictat, liberos, ac descendentes esse alendos ex bonis illorum, a quibus vitam hausere.

2. In defectu descendentium succedunt ascendentes legitimi gradu propinquiores io capita, sine discrimine sexus, exclusis remotioribus in linea recta, & omnibus collateralibus. *Novell.* 118. *c.* 2. nisi sint germani fratres, vel sorores; nam hi cum ascendentibus proximis succedunt in capita, & eorum, siqui præmortui sunt, liberi in stirpes. *Novell.* 127. *c.* 1. Si tamen fratres, & sorores omnes sint præmortui, liberi eorum plane excluduntur; quia cessat repræsentatio, quando nullus superest patruus, vel avunculus, utpote fundamentum repræsentationis. *Novell.* 118. *cit.* Similiter nepotes fratrum, ac sororum excluduntur ab ascendentibus. *Novell.* 127. *cit.*

3. In defectu tam descendentium, quam ascendentium (nempe liberorum, & nepotum, ac parentum, & majorum in linea recta) succedunt consanguinei collaterales (fratres germani scilicet, ac sorores) in capita, & eorum, si unus sit præmortuus, liberi in stirpes; in capita vero, si omnes sunt præmortui. Ubi non extant fratres germani, succedunt fratres unilaterales, tam uterini, quam consanguinei, si adsint utriusque classis, & quidem probabilius æqualiter sine distinctione inter bona, utrum ea provenerint ex matre, vel patre; quia bona, postquam pervenerunt ad fratrem, fraterna evaserunt, & non amplius sunt paterna, vel materna. In defectu omnium fratrum, ac sororum, & ex eis natorum liberorum, vocantur ad successionem in capita reliqui consanguinei propinquiores gradu, exclusis remotioribus. Sumuntur hæc omnia ex *Novell.* 118. *c.* 3. *Auth. cessante, cum duabus seqq. C. de legitim. hæredib. l.* 2. §. 2. 4. *&* 5. *de suis, & legit. hæred.*

4. Casu quo deficiunt omnes consanguinei, tam collaterales, quam ascendentes, & descendentes, defunctus autem reliquit uxorem, ista de Jure Prætorio succedit in bonis mariti, ac vicissim maritus io bonis uxoris, *l. un. C. Unde vir, & uxor.* nisi extent pacta dotalia, aut nisi statutum, vel consuetudo loci aliud exigat. Si vero adsint liberi, vel alii consanguinei, tunc seclusis pactis dotalibus, statuto, vel consuetudine loci (quæ omnino observari debent) de Jure Civili uxor marito, & vicissim, succedit vel in quarta parte bonorum defuncti, si ejus consanguinei non sunt plures, quam tres; vel in portione virili (Sinds-Kheil) si plures sint; sed solum in casu, quo defunctus fuit dives, & superstes conjux est pauper. *Auth. præterea, C. eod. & Novell.* 117. *c.* 5. Si uxor concurrat cum liberis, solum usumfructum suæ portioois; si vero cum consanguineis aliis, proprietatem coosequitur.

Dices. In *l. fin. C. de Pactis, & il* 5. *Cod. de Pactis convent.* pactum affirmativum de futura successione alterius adhuc viventis reprobatur ob periculum captandi mor-

mortem illius: item *l. 15. C. de Pactis*, *l. fin. ff. de suis, & legit. hæred.* ac *Trid. Sess. 25. c. 76. de Regular.* reprobatur negativum, quo quis renunciat successioni; ergo frustra dicitur; in successione hæreditatia attendenda esse pacta conjugum.

Respondetur, dist. ant. Reprobantur illa pacta de Jure communi, & quatenus nec sunt jurata, nec inita cum consensu illius, de cujus hæreditate agitur, con. reprobantur, ubi prævalet statutum particulare, vel consuetudo, ut sæpe est apud familias illustres, vel adest consensus alterius, aut juramentum paciscentium, neg. ant. & sub data distinctione conf. Nam quilibet suo favori renunciare potest, & juramentum, quod absque peccato servari potest, servandum est, *c. 18. de Jurejur. c. 2. de Pactis in 6.* & *l. fin. cit. C. eod.*

5. Casu quo & omnes consanguinei, & uxor quoque deficit, defuncti bona capit Fiscus, ita tamen, ut in iis succedat non tam jure hæreditatis, quam superioritatis, & regalium, *l. 1. & 4. C. de bonis vacant. lib. 10.* Si vero defunctus vixit in aliquo Collegio legitima authoritate instituto, huic cedunt illius bona. Si autem fuit peregrinus, illa occupat Episcopus eroganda in pias causas. *Auth. omnes peregrini, C. communia de Success.*

Videri possunt Reiffenstuel, Krimer, & Pichler *lib. 3. ad tit. 27.* ex quibus, quæ in responsionibus ad hoc quartum Quæsitum attulimus, excepta sunt.

Unum adhuc pro meliori intelligentia dictorum venit advertendum, nempe gradus consanguinitatis impræsentiarum, seu in ordine ad capiendas hæreditates computari secundum Jus Canonicum, sicut secundum Jus Civile, in linea recta sive ascendentium, sive descendentium, & secundum utrunque Jus dati hanc regulam: *tot sunt gradus in linea recta, quot sunt generationes, seu quot sunt personæ, una dempta*, nempe communi stipite: hinc pater, & filius uno, nepos, & avus duobus distant gradibus de utroque Jure. E diverso in linea collaterali, aliter computantur gradus a Jure Civili relate ad hæreditates capiendas, aliter a Jure Canonico relate ad matrimonia ineunda. Nam de Jure Civili in dicta linea, sive ea æqualis sit, sive inæqualis, tot censentur esse gradus consanguinitatis, quot sunt personæ dempto stipite, numeratis omnibus collateralibus; atque adeo, *quot sunt personæ collaterales*; & quia collaterales numerum exprimunt, in hac linea juxta Jus Civile nullus est primus gradus. Unde juxta tale Jus duo fratres, vel duæ sorores, vel frater, & soror, sunt consanguinei in secundo gradu; frater, & fratris filius, vel filia in tertio; frater, & pronepos ex fratre, vel sorore, in quarto gradu, & sic deinceps: siquidem in primo exemplo duæ tantum sunt personæ collaterales, in secundo tres, in tertio quatuor. At de Jure Canonico fit distinctio inter lineam æqualem, & inæqualem &c. prout videbimus *part. 6. tr. 2.* Sumitur animadversio ex *can. 6. caus. 35.* atque ex *Inst. de grad. cognat.* Porro relate ad successiones hæreditarias computatio graduum, prout fit a Jure Civili, etiam in foro Ecclesiastico observanda venit, cum a SS. Canonibus approbata, & canonizata sit; sicut e contra computatio graduum, prout fit a Jure Canonico, observari quoque debet in foro seculari, relate ad contrahenda matrimonia.

742. Petes, quis succedat ab intestato Clericis Beneficiatis?

Respondetur. Ejusmodi Clericis in bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, ac industrialibus succedunt consanguinei semper proximi eo modo, quo de Laicis *n. præced.* decisum est. Nec obstat *cap. 2. de Success. ab intest.* quia loquitur de servo manumisso postea ordinato in Clericum: manumissis autem nulla est civiliter cognatio saltem collateralium; id quod ad Clericos extendi non debet. In bonis beneficialibus superfluis succedit Ecclesia, in qua Clerici habuerunt Beneficium, *c. 1. & fin. de Pecul. Cleric.* nisi scilicet aliud obtineat consuetudo, aut privilegium; vel Camera Apostolica, aut Episcopus habeat *jus spolii, ut vocant*.

Quis succedat Religiosis, sive Professis, sive adhuc Novitiis, relinquitur ex dictis *n. 242. & seqq.* An, & qualiter filii adoptivi succedant sive ex testamento, sive ab intestato, commodius decidetur *part. 6. tr. 2. ubi de Matrim.*

CAPUT III.

De Mutuo, & Usura.

Unica quasi sedes usuræ est mutuum, ita ut, ubi mutuum, seu expressum, seu tacitum, non est, usura locum non habeat. Unde merito utrunque hunc contractum in unam doctrinæ catenam nectimus.

ARTICULUS I.

Quid Mutuum? Quid Usura, & quonam hæc Jure prohibita sit?

SUMMARIUM.

743. *& seqq. Definiuntur Mutuum, & Usura.* 745. *An contractus usuræ transferat dominium?* 746. *Usura est illicita Jure Divino, humano, & naturali.* 747. *& seqq. Solvuntur argumenta opposita.* 752. *& seq. conclusio illustratur duobus corollariis.* 754. *Usura est peccatum mortale ex genere suo: admittit tamen parvitatem materiæ.* 755. *Recensentur pœnæ in Usurarios statuta.*

743. Dico primo. Mutuum formaliter sumptum, est *contractus, quo transfertur dominium rei in accipientem, ea lege, ut post aliquod tempus obligetur reddere rem similem in specie, & bonitate*. Ita habetur *l. 2. ff. si certum petatur.*

Explicatur. Dicitur 1. *Mutuum formaliter sumptum*. Nam, objective sumptum, est ipsa res, circa quam celebratur contractus mutuationis: quo sensu dicimus date mutuum, reddere mutuum &c. Dicitur 2. *quo transfertur dominium*: per quas particulas mutuum differt a commodato, in quo commodatario solus conceditur usus rei. Dicitur 3. *ea lege, ut obligetur reddere rem similem in specie, & bonitate*: per quæ verba mutuum distinguitur tum a donatione, qua transfertur dominium sine reciproca obligatione aliquid reddendi; tum ab emptione venditione, in qua pro merce pecunia redditur; tum a permutatione, qua reddi potest res alterius speciei, dummodo sit æqualis valoris.

744. Dico secundo. Usura, formaliter sumpta, est *contractus, quo mutuans obligat mutuatarium ad dandum, vel præstandum aliquid, pretio æstimabile, ultra sortem solo titulo mutui*. DD. communiter.

Explicatur. Dicitur 1. *Usura formaliter sumpta*; Nam, objective sumpta, est lucrum quæsitum ex mutuo vi mutui: ubi ultimæ particulæ *vi mutui* denotant essentiam usuræ objective spectatæ, utpote quæ committitur, quando deducitur in pactum, ut reddatur pro mutuo dato aliquid ultra sortem. Id, quod mutuo datur, vocatur *sors*; lucrum autem, quod ex contractu nascitur ultra sortem, dicitur *usura*, seu *fœnus*: hinc siquis mutuo det centum florenos ad annum cum obligatione sibi anno elapso reddendi centum, & decem, sors erunt centum, usura decem floreni.

Dicitur 2. *quo mutuans obligat mutuatarium*. Nam ut lucrum ultra sortem ex mutuo quæsitum, proprie, ac in sensu Theologico sit usurarium, requiritur, ut in pactum deducatur, & tanquam ex pacto debitum rependatur. Unde siquis aliquem obliget ad amicitiæ signa exhibenda, ad remissionem injuriæ &c. tanquam debita ex mutuo, usuram committit. Idem est, si mutuans mutuatarium taliter obliget, ut sibi, aut alteri officium, vel Beneficium conferat, remutuet, ex sua officina emat, in suo molendino molat, domum justa mercede conducat; vel si mutuatarium obliget ad exequendam obligationem antidoralem, seu ex gratitudine debitam: unde ab Innoc. XI. merito confixa est hæc propositio *ord. 42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, vel gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex Justitia debitum.*

Dicitur 3. *ad dandum, vel præstandum aliquid pretio æstimabile*. Hinc si munus a lingua, & munus ab obsequio (nempe ut mutuatarius sit obligatus ad præstanda mutuatori obsequia, ad exhibendum ei honorem externum, ad laudem apud alios, & commendationem impertiendam) præcise causa mutui in pactum deducatur, usura patratur; nam esto fama, & honor secun-

dum

dum se non sint pretio æstimabiles; obligatio tamen laudandi, honorandi, obsequendi, pretio æstimatur, cum pro hac non raro mercedes, & salaria constituantur. Similiter committitur usura ab eo, qui mutuat cum pacto, ut ex gratitudine sibi Beneficium Ecclesiasticum conferatur, cum hujusmodi pactum ferat gravamen pretio æstimabile, quamvis Beneficium ipsum pretio æstimari non possit, ut propterea mutuans præter peccatum usuræ committat etiam peccatum simoniæ, ex dictis *part.* 2. *n.* 359. Ita P. Viva *super prop. damnat.* proxime recitatam, *n.* 8.

Dicitur 4. *solo titulo mutui*, Unde si contractui mutuationis superaddatur alius contractus onerosus, in alio justo titulo fundatus, potest exigi lucrum; cum id tunc non sit ex mutuo, sed ex illo contractu superaddito: qualiter fit, quando mutuator, dans mutuum cum damno emergente, vel lucro cessante, superaddit novum contractum, distinctum a mutuo, recipiendi æstimationem illius; nam sic obligat se ad sustinendum illud damnum emergens, aut illam lucri cessationem. Ita Cardenas *num.* 2. *acris differt.* 25. *c.* 2. *n.* 3. Siquid autem ultra sortem exigitur præcise tanquam debitum ex mutuo (seclusis titulis excusantibus excessum sortis, de quibus *art. seq.*) usura patratur.

745. Quæres, an contractus usuræ transferat dominium rei usurariæ in usurarium?

Respondetur affirmative, si mutuatarius habeat animum illud transferendi. Ita supponit Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. cui adstipulatur Lugo *disp.* 25. *sect.* 11, *n.* 206. & alii plures contra alios. Ratio est: quia qui aliquid accipit ex contractu, per metum extorto, acquirit illius dominium, licet obligetur ad restitutionem accepti; ergo etiam usurarius acquirit dominium rei usurariæ, licet hanc restituere teneatur. Ant. constat ex dictis n. 672. cons. prob. Siquidem videtur esse par ratio utrinque; cum solvens in utroque casu solvat voluntarie simpliciter, licet involuntarie secundum quid, quod involuntarium non impedit, quin voluntas solvendi, & dominium transferendi sit efficax. Unde inconsequenter loqui videntur, qui unum affirmant, & alterum negant.

Dixi: *si mutuatarius habeat animum dominium transferendi*. Eo quippe animo si careat, ultro concedimus, illud non transferri. Hinc in praxi contingere frequenter potest, ut illud non transferatur; eo quod mutuatarius, sciens usuras esse indebitas, proindeque volens uti jure suo, nolit illud in mutuantem transferre, sed solum usuras exterius dare, ne fidei suæ deesse videatur, aut alia graviora incommoda evitet. Verum contra respons.

Dices. Ad translationem dominii non sufficit sola traditio, sed requiritur titulus, seu justa causa per *l.* 31. *ff. de acquir. rer. dom.* sed hic nullus titulus, seu justa causa reperitur; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam intervenit justa causa, id est, secundum se sufficiens ad transferendum rei dominium, nimirum voluntas domini volentis (ut supponitur) dominium pecuniæ suæ in usurarium transferre, etsi illa voluntas sit extorta per injuriam; quod non impedit translationem dominii, sed solum tribuit, vel relinquit mutuatario, injuriam passo, jus rescindendi contractum, & rem solutam repetendi.

Dico tertio. Usura (sive *aperta*, & *formalis*, sive *palliata*, & *virtualis*) non solum (1.) Jure positivo tam Divino, quam humano, sed etiam (2.) Jure naturali prohibita, & illicita est. DD. communiter.

Probatur prima pars; imo patet *ex Clement. unic. de Usuris*, ubi postquam dictum erat, *Officiales Communitatum, facientes, dictantes, vel scribentes statuta super usuris solvendis, non repetendis, vel non restituendis, vel judicantes secundum illa, vel non delentes illa (si possent) intra tres menses de libris Communitatum, vel illa servantes, excommunicatos esse*, expresse subjungitur, *talia statuta esse contra Jura Divina pariter, & humana*; ergo &c.

Probatur secunda pars, Jure naturæ illicitum est, & contra Justitiam commutativam pugnat, in commutatione plus recipere, quam valeat, quod datur: sed hoc fit, dum committitur usura: cum tunc aliquid accipiatur ultra sortem, id est, supra valorem rei commutatæ; ergo &c. Unde omnino negandum venit, dationem pecuniæ, v.g. centum, factum alteri (secluso alio titulo, quam quod alteri detur) pluris valere, quam præcise centum, prout amplius patebit infra.

Confirmatur. Furtum est Jura naturæ illicitum, prout omnes fatentur; ergo etiam usura, utpote quæ sortitur rationem furti.

Dixi in conclus. per parenthesim; *sive aperta, & formalis, sive palliata, & virtualis*. Usura prior committitur, quando quis expresse paciscitur de dando aliquo ultra sortem titulo solius mutui. Posterior est, quæ continetur in virtute alterius contractus, cujus nomine lucrum usurarium tegitur, & quasi palliatur: ut quando res venditur carius ob dilatam, aut vilius ob anticipatam solutionem, eo præcise titulo, quod citius, aut tardius.

747. Objicies primo. Usuræ fuerunt olim permissæ Judæis. *Deuter.* 23. *non fœneraberis fratri tuo, sed alieno*; & 28. *non fœneraberis Gentibus multis*, ergo non sunt prohibitæ Jure naturæ.

Respondetur, explic. & dist. ant. Fuerunt permissæ absolute, neg. respective, nimirum respectu hostium, quorum bona licet diripere, vel respectu infidelium, quorum bona Deus, ceu supremus omnium Dominus, ad Judæos transtulit, qua ratione Ægypti spoliatio permissa fuit Israelitis, con. ant. & neg. cons.

748. Objicies secundo ex ratione. Potest quis licite accipere pecuniam pro aliquo, quod est pretio æstimabile: sed usus rei mutuatæ, quem mutuans concedit mutuatario, est pretio æstimabilis; ergo mutuans præter sortem potest aliquod auctarium accipere propter usum rei mutuatæ, mutuatario concessum: consequenter &c.

Confirmatur. Res, ac ejus usus pluris valent, quam valeat res sola; ergo qui dat centum, v. g. & ejus pecuniæ usum, plus ex Justitia potest exigere, quam duntaxat centum.

Respondetur ad argumentum, neg. min. Cum enim per contractum mutui transferatur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, usus rei mutuatæ non potest a mutuante æstimari æstimabilitate distincta ab æstimabilitate rei mutuatæ qua talis; hæc enim fructificat mutuatario, ceu suo domino, non autem mutuanti: consequenter si mutuans ex usu rei mutuatæ fructum quærat, contra Justitiam commutativam impingit, & oneri restitutionis subjacet.

Unde ad confirmat. dist. ant. Si dominium, & periculum rei maneat penes concedentem, ut fit in locatione, v. gr. in datione pecuniæ pro usu ad solam ostentationem, con. si dominium, ac periculum rei transeat ad accipientem, ut evenit in mutuo, neg. ant. Qui mihi dat mutuo pecuniam, constituit hanc sub meo dominio; unde dum ea utor, re mea, non aliena, utor: consequenter mutuator non potest plus, quam dederit, a me juste exigere propter usum pecuniæ.

749. Objicies tertio. Obligatio, quam contrahit mutuans de non repetendo mutuo intra certum tempus, est aliquid pretio æstimabile; ergo mutuans ratione illius potest juste petere auctarium præter sortem.

Respondetur, neg. ant. Ratio negati est, quod ea obligatio de non repetendo mutuo intra certum tempus sit intrinseca mutuo, non quidem mutuo in genere, utpote quod solum importat obligationem non repetendi rem mutuatam per aliquod tempus indeterminate: sed huic, vel illi mutuo in particulari; sicut datio summæ tantæ, vel tantæ est intrinseca huic, vel illi dationi determinatæ, esto accidat dationi in genere. Unde prædicta obligatio non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate ipsius rei mutuo datæ; & consequenter si res mutuata compensetur, æqualitas inter datum, & acceptum constituitur, nihilque amplius citra læsionem Justitiæ prætendi, aut exigi potest.

Dices primo. Fidejussor potest aliquid exigere a mutuatario præcise ratione obligationis, quam in se suscipit, pro eo fidejubendo, licet nullum concurrat damni periculum; ergo etiam mutuans ratione obligationis non repetendi rem mutuatam ante certum tempus.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est, quod per fidejussionem obligentur bona fidejussoris, fiantque obnoxia solutioni in defectu principalis debitoris: quæ obligatio est pretio æstimabilis, & per nihil aliud compensatur, quam per id, quod ratione illius fidejussor a debitore exigit. At vero obligatio mutuantis de non repetendo mutuo intra certum

tem-

tempus, cum sit mutuo in particulari intrinseca, non est pretio æstimabilis, nisi æstimabilitate ipsius rei mutuo datæ; unde si hæc compensetur secundum æqualitatem, prout fit per redditionem sortis, & per id, quod si pecunia mutuata interim pereat, non mutuatori, sed mutuatario pereat, nihil ultra sine læsione Justitiæ exigi potest.

Dices secundo. Obligatio mutuandi per decennium, v. g. est pretio æstimabilis, & pro ea juste aliquid accipitur; ergo etiam obligatio non repetendi per decennium rem, sive pecuniam mutuatam.

Respondetur, concesso rursus antecedente, neg. cons. Disparitas est, quod in obligatione mutuandi gravetur mutuans ad habendas paratas pecunias; adeoque ad carendum lucro, quod ex iisdem ad negotiationem applicatis percipere posset: quæ obligatio est distincta a mutuo, & maneret incompensata. Secus est de obligatione non repetendi mutuum; veluti patet ex dictis.

Instabis. Ergo quodlibet lucrum usurarium potest reddi licitum, si non accipiatur ratione mutui, sed ratione obligationis ad mutuandum per decennium, v. gr. quam mutuator ex pacto suscipiat, priusquam mutuet.

Respondetur, con. illatum, si illa obligatio tandiu suscipiatur ante dationem mutui, ut morali judicio censeatur esse onus pretio æstimabile, a mutuo distinctum, ex quo nihil absurdi sequitur; prout declarari potest ex simili obligatione vendendi. Quod si vero suscipiatur immediate ante dationem mutui, morali judicio non censetur aliquid pretio æstimabile æstimabilitate distincta ab æstimabilitate rei mutuatæ; unde si pro illa accipiatur pretium, committitur usura palliata.

750. Objicies quarto. Quando celebratur contractus mutui, fit inæqualitas inter id, quod datur, & a mutuante recipitur, sic, ut mutuans plus det, quam a mutuatario recipiat; ergo ultra sortem licite potest aliquid exigere, quo fiat æqualitas. Ant. prob. Mutuans de præsenti dat centum, v. g. & mutuatarius de præsenti solum dat obligationem solvendi centum de futuro: talis autem obligatio minoris est, quam centum de præsenti; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. sistendo intra limites præcisæ, & puræ mutuationis. Ad probat. data majore, neg. min. sistendo intra limites puræ mutuationis, i. e. quin attendatur pecunia præsens in ordine ad commodum, quo se privat mutuans, vel periculum, quod subit in ea recuperanda. Ratio negati est: quia utilitas pecuniæ, qua talis, non est, nisi pro unico actu, quo distrahitur; reliquo autem tempore, quo servatur otiosa, nihil explicat utilitatis pretio æstimabilis; adeoque ex diversitate temporis, quo quis possidet, & alter non possidet, si supponamus, nullum cessare lucrum, nullum emergere damnum, nec periculum imminere mutuanti amittendæ sortis, non præstat ullum titulum exigendi aliquid ultra sortem.

Dices. *Minus est actionem habere, quam rem*, juxta *l. Minus, ff. de R. J.* sed qui habet pecuniam præsentem, habet rem, & qui pecuniam futuram, solum habet actionem ad eam; ergo quid minus est habere pecuniam futuram, quam præsentem; ergo mutuatarius, qui accepit mutuos centum aureos, & se obligat ad solvendum post annum eos centum aureos, ad aliquid minus se obligat, quam sit acceptum; ergo ut detur æqualitas, debet se obligare ad solvendum plus, quam centum.

Respondetur cum P. La Croix *lib. 3. part. 2. n. 984.* Legem *cit.* solummodo velle, quod jus ad rem minoris æstimetur formaliter loquendo, quam res ipsa; nihilominus illud quoad utilitatem huic æquivalere posse, relinquitur ex dictis, & patebit amplius ex dicendis infra *n. 753.*

751. Objicies quinto. Qui Episcopo dat mutuum pro obtinendo Beneficio Ecclesiastico, committit simoniam, secundum dicta *part. 2. n. 340.* ergo dare mutuum est aliquid pretio æstimabile: quia simonia non committitur, nisi quando pro re spirituali datur aliquid pretio æstimabile.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Ad rationem probativam ajo, quod etiam committatur simonia, quando pro re spirituali datur quid temporale, utilitatem aliquam temporalem afferre potens (uti in proposito datio mutui) tametsi non sit formaliter pretio æstimabile. Explicationem responsionis vide *part. & n. citt.*

752. Colliges primo, ideo pro obligatione non repetendi mutuum, v. g. pecuniam, intra certum tempus, v. g. decennium, non posse aliquid accipi ultra sortem; quia dum mutuans obligat se ad non repetendum mutuum, vel prævidet periculum esse remotum, quod interim ea pecunia sit sibi futura necessaria; vel prævidet esse proximum, & probabile? Si prævidet esse remotum duntaxat, non potest pro ea obligatione aliquid accipere, sicut nec potest accipere pro periculo remoto amittendi sortem; quia pericula illa remota abunde compensantur per id emolumentum, quod si interim pecunia ex aliquo infortunio, puta furto, incendio &c. pereat, non mutuatori, sed mutuatario pereat. Si vero prævidet, periculum esse proximum, & probabile, tunc saltem potest juste exigere a mutuatario, ut, si interim contingat, eam pecuniam sibi fore necessariam ad præcavendum aliquod damnum, vel acquirendum aliquod lucrum, ab eo hæc omnia compensentur. De quo plura *in art. seq.*

753. Colliges secundo, communiter quidem pluris æstimari pecuniam præsentem, quam futuram; quia pecunia præsens est apta negotiationi, beneficentiæ, sustentationi &c. & ex pecunia absente, licet futura, sæpenumero plurima damna eveniunt, & lucra cessant; ut proinde chirographa, & apodixæ emi soleant minoris, quam valeant: at quando pecunia præsens esset omnino inutiliter retinenda in arca per annum, non esset melior pecunia futura post annum; imo potius futura melior esset, eo quod si hæc interim pereat, non pereat mutuatori, sed mutuatario; & iden non potest in hoc casu a mutuante aliquid accipi ultra sortem ex illo titulo: sicut nec apodixæ, & credita immatura, seu acerba possunt citra usuram palliatam minoris emi, quam valeant in casu, quo ementi nullum probabile damnum esset interim emersurum, aut lucrum cessaturum, aut nisi difficilis, vel ambigua futura sit solutio.

Ex quibus, in gemino hoc corollario dictis liquet, quam merito damnata sit ab Alexandro VII. hæc *prop. n. 42. Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*: item hæc ab Innoc. XI. n. 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

754. Colliges tertio, usuram (1) esse peccatum mortale ex genere suo; dari tamen in ea (2) parvitatem materiæ. Ratio primi est: quia adversatur virtuti Justitiæ, sicut furtum. Ratio secundi est: siquidem tota malitia usuræ consistit in difformitate cum virtute Justitiæ, sicut malitia furti secundum se spectati; ergo sicut in furto secundum se spectato datur parvitas materiæ, ita etiam in usura. Sed contra hoc secundum

Dices. Non datur parvitas materiæ in simonia; ergo nec in usura.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod, quanto vilior res temporalis per simoniam datur, tanto magis irreverentia erga rem spiritualem augeatur. Secus est in usura, quippe ubi eo minor injuria, & damnum mutuatario infertur, quanto minor usura exigitur: consequenter &c. Revide, quod dictum est *part. 2. num. 344.*

755. Si petas, quænam sint decretæ pœnæ in usurarios?

Respondetur, decretas esse varias utroque Jure contra usurarios, facto, vel Jure manifestos, id est, notorios vel evidentia facti, ut si publice in civitate exerceant usuras; vel evidentia Juris, cum scilicet per sententiam Judicis publice de hoc crimine condemnati sunt. Nam 1. infames existunt per *l. 20. C. ex quibus caus. irroget. infam.* & consequenter 2. irregulares, ac Inhabiles ad SS. Ordines, Beneficia, & Officia Ecclesiastica, per *c. 11. de Excess. Prælat.* Ideoque 3. si sint Clerici, ab Officio, & Beneficiu suspendi debent. 4. Non sunt admittendi ad Communionem Altaris, & Oblationes offerendas; nec absolvendi, donec restituant usuras, vel idoneam cautionem præstent, aut, urgente mortis periculo, jurent, se non habere, unde satisfaciant: nec sepeliendi in loco sacro; & qui eos scienter sepeliunt, ipso facto excommunicationem incurrunt.

5. Ipso-

5. Ipsorum testamentum, & quælibet ultima voluntas ipso Jure invalida est, nisi ante mortem restituant, vel de restituendo cautionem præstent per pignus, fidejussionem &c. Spoter *tr. 6. in Decal. c. 4. n. 124.* & alii apud ipsum.

ARTICULUS II.

Quibus titulis in Mutuo citra labem usuræ aliquid accipi possit ultra sortem?

QUatuor præcipue tituli sunt, de quibus hæc quæstio agitari solet, videlicet damnum emergens, lucrum cessans, pœna conventa, & periculum amittendæ sortis. Nunc sit

§. I.

An possit aliquid accipi ultra sortem ratione damni emergentis, lucri cessantis, & pœnæ conventæ?

SUMMARIUM.

756. & seq. Quid hic intelligatur per damnum emergens, & lucrum cessans, ac quomodo utrunque possit evenire? 758. Licitum est pactum, quo ultra sortem petitur compensatio damni emergentis, & lucri cessantis; uti & 759. pactum, vi cujus mutuatarius adstringitur ad certam pœnam &c. 760. Assignatur discrimen inter ejusmodi pacta.

756. PRænotandum primo, damnum emergens hic dici jacturam eorum bonorum, quæ mutuans jam habebat, proveniens ex eo, quod mutuum dederit: e. g. si inde eveniat, ut mutuans ob carentiam pecuniæ non possit sarta tecta conservare, unde domus ruinam patitur. Lucrum vero cessans est jactura eorum bonorum, quæ mutuans obtinere posset, si pecuniam mutuo datam servaret. Utrunque tam damnum emergens, quam lucrum cessans communi vocabulo nuncupatur *interesse*.

757. Prænotandum secundo, damnum emergere, & lucrum cessare posse, vel pro tempore, quo ex conventione durat mutuum, vel pro tempore, quo terminus mutui jam effluxit. Si damnum emergat, vel lucrum cesset post lapsum termini mutuo præfixi, & mutuatarius sit in mora culpabili solvendi, totum compensare tenetur, licet talis compensatio non sit in pactum deducta: secus, si sit in mora inculpabili; tum enim, nisi pactum præcesserit, ad nullam compensationem obstringitur, prout constat ex dictis *n.* 421. Quod si damnum emergat, aut lucrum cesset tempore, quo durat ex conventione mutuum, in controversiam venit, an mutuo licite possit adjici pactum, vi cujus ultra sortem petatur compensatio damni emergentis, & lucri cessantis. Pro quo

758. Dico primo. Licitum est pactum, quo ultra sortem petitur compensatio damni emergentis, & lucri cessantis: dummodo serventur certæ conditiones, Ita cum communi Doctor Subtilis *in 4. dist. 15. q. 2. artic. 2.* ubi expresse tenet, quod interesse (cujus nomine venit tam lucrum cessans, quam damnum emergens; ut immediate prænotavimus) liceat in pactum deducere. Unde perperam a nonnullis allegatur in contrarium.

Probatur insuper conclusio in hunc modum, Tam damnum emergens, quam lucrum cessans, est vere pretio æstimabile; ergo utriusque compensatio licite in pactum deducitur; cum ratio naturalis dictet, neminem ratione beneficii (quale est mutuatio) gratis in alterius favorem impensi, obligari ad subeundum onus pretio æstimabile.

Confirmatur primo de damno emergente. Quisque potest suum damnum alteri vendere, si hoc cedat in ementis commodum; sicut potest quis alteri locare pro pretio suam operam, industriam &c. ergo etiam mutuans mutuatario; & consequenter &c.

Confirmatur secundo de lucro cessante (licet huic etiam prior confirmatio ob rationis paritatem applicari possit) Res potest eo majori pretio vendi, quo pluris valet vendenti, eique commodior est; ergo etiam res mutua eo majori pretio poterit tradi mutuatario, quo pluris valet mutuatori, eique commodior, ac utilior est mutuatori, quo per illam majus potest obtinere lucrum; ergo &c.

Dixi in conclus. *dummodo serventur certæ conditiones*, Prima conditio est, ut damnum emergens, vel lucrum cessans vere oriatur ex mutuo; nam si mutuator habeat alias pecunias, in arca otiose jacentes, quibus utrunque citra incommodum impedire valeat, pro neutro aliquid ultra sortem a mutuatario exigere poterit; cum tunc ipse mutuator, non autem mutuum, utriusque causa existat.

Secunda conditio est, ut mutuator, si possit, moneat mutuatarium damni emergentis, & lucri cessantis: quia mutuatario, si nullam culpam admiserit, ad neutrius compensationem tenetur, nisi id deduxerit in pactum; in quod tamen ut potuerit consentire, debuit fieri certior, & utriusque sibi impendentis admoneri.

Tertia conditio est, ne plus exigatur pro damno emergente, quam valeat prudentum judicio; alias non servatur debita æqualitas: & pro lucro cessante non tantum exigatur, quanti ipsum lucrum, sed quanti spes lucri æstimatur; siquidem minoris valet lucrum in spe, quam lucrum in re.

Quarta conditio est, ut id, quod pro lucro cessante solvitur, a mutuatario non solvatur statim, ac mutuum datur: nam si lucrum cessans ex mille florenis, qui mutuantur, sint e. g. quinquaginta, & hi statim solvantur, non mutuantur reipsa mille floreni, ac proinde mutuatarius non privatur lucro correspondente mille florenis, sed correspondente nongentis, & quinquaginta: consequenter &c.

759. Dico secundo. Licitum similiter est pactum, vi cujus mutuatarius adstringitur ad certam pœnam ultra sortem, seu capitale, si fuerit in mora culpabili præfixo tempore non solvendi pretium: dummodo tres conditiones serventur. Scotus *loc. cit.* & alii communiter.

Probatur: quia Jure naturæ, Gentium, & Civili contrahentes possunt se mutuo obligare ad certam pœnam, si defecerint in contractibus, *l. si pacta, C. de Pactis*; ergo si mutuatarius deficiat in solvendo, poterit ad conventionalem pœnam obligari.

Dixi: *modo tres conditiones serventur*. Prima conditio est, ut pœna adjecta sit moderata, seu consuetam taxam non excedens; nam adjectio pœnæ immoderatæ, & excessivæ prohibetur *per l. 15. §. 4. ff. de Actione empti, & venditi*, ac *in l. 15. C. de Usuris*.

Secunda conditio est, ut pœna non apponatur ad palliandam usuram; prout fit, si mutuans nullam rationabilem causam habens illam apponendi, ideo præcise eam apponat, quia lucrum habere vult ex ipso mutuo; quod ut occultet, dictam pœnam obtendit: quam palliationem clare apparet adesse, quando mutuans, sciens, non posse mutuatarium solvere tempore præfixo, adhuc tamen pœnam apponit.

Tertia conditio, in ipsa jam conclusione insinuata est, ut mutuatarius fuerit in mora culpabili tempore præfixo non solvendi pretium; nam si mora fuerit prorsus inculpabilis, pœna exigi non poterit, quippe quæ necessario supponit culpam.

760. Colliges ex modo dictis, duplex esse discrimen inter pactum de pœna solvenda, si non solvatur mutuum tempore debito, & inter pactum de interesse, sive compensatione lucri cessantis, & damni emergentis. Primum est, quod prius pactum non habeat locum, nisi supposita culpa in mora; posterius vero habeat locum etiam nulla supposita culpa in mora. Alterum est, quod prius pactum fieri possit, licet nullum sit periculum damni emergentis, aut lucri cessantis; non item posterius, quippe quod fieri nequit, nisi sit spes lucri cessantis, aut periculum damni emergentis; vel certe fieri nequit, nisi sub conditione, si lucrum aliquod cesset, vel damnum emergat.

§. II.

An possit aliquid accipi ultra sortem ob periculum amittendæ sortis?

SUMMARIUM.

761. Periculum, cui mutuum exponitur, tenere solet vel ex parte rei mutuatæ, vel ex parte mutuatarii,

762. *& seq. Ex quacunque parte se teneat, licite adjicitur pactum solvendi aliquid ultra sortem &c.* 764. *& seqq. Solvuntur objectiones.*

761. PRænotandum, periculum, cui mutuum exponitur, tenere se posse vel ex parte rei mutuatæ, vel ex parte mutuatarii. Ex parte rei mutuatæ se tenet, si hæc per mare, vel vias periculosas transportanda sit. Ex parte mutuatarii se tenet, si hic sit morosus, vel periculosus, aut fraudulentus debitor, & inde fiat, ut debitum quæri debeat viis molestis, per lites, processus &c.

762. Dico tunc primo. Posito contractu mutui, licite adjicitur pactum solvendi aliquid ultra sortem ratione periculi se tenentes ex parte rei mutuatæ, si vere subsit, aut prudenter timeatur, & mutuans illud in se suscipiat. Ita Scotus *loc. supra cit.* & alii communiter.

Probatur primo. Juxta communem Theologorum licitus est contractus assecurationis, modo res assecurata sit pretio æstimabilis, & vere subsit periculum, juxta cujus æstimationem in pretio servetur æqualitas; ergo similiter &c.

Probatur secundo. Susceptio periculi est novum gravamen pretio æstimabile; ergo sicut pro illo aliquid solvi potest tertio, v.g. fidejussori, ita poterit & mutuatorii: dummodo mutuatarius non cogatur ad tale pactum ineundum præcise vi mutui; siquidem hoc usurarium foret secundum dicta superius.

763. Dico secundo. Similiter licitum est pactum, quo mutuans exigit aliquid ultra sortem ratione periculi se tenentis ex parte mutuatarii, si hic aut nolit, aut non possit mutuantem assecurare de sorte reddenda. Itidem DD. communiter.

Probatur conclusio (præterquam quod jam pateat ex dictis *pro conclus. præced.*) quia mutuans habet jus petendi assecurationem sortis mutuo datæ; ergo si hanc mutuatarius præstare nolit, vel non possit, habet jus petendi aliquid æquivalens; ergo a fortiori aliquid minus, cujusmodi est, quod exigit ultra sortem; nam sicut sors ipsa periclitatur, ita periclitatur illud ipsum auctarium; & quivis mallet habere assecurationem sortis, quam promissum auctarium cum probabili periculo illud non recipiendi, unaque amittendi ipsam sortem: quod proinde minoris est æstimabile, quam sortis assecuratio.

Confirmatur. Ut si æqualitas in mutuo, tam æstimabilis esse debet obligatio mutuatarii reddendi acceptum, quam sit æstimabile ipsum acceptum: sed obligatio mutuatarii, e.g. reddendi centum quinque florenos incertos, & periclitantes non pluris æstimatur, quam centum floreni certo dati, & accepti; ergo &c.

Dixi in conclus. *si mutuatarius nolit, aut non possit mutuantem assecurare de sorte reddenda*. Nam si mutuantem assecuret, v.g. per pignus, fidejussionem &c. mutuans exigere ultra sortem nihil potest; quia titulus periculi tunc cessat.

764. Objicies primo contra primam conclus. *Cap. 19. de Usuris* dicitur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*. Ergo &c.

Respondetur (omissis aliorum responsionibus) cum P. Krimer *lib. 5. tit. 19. n. 1035.* textum debere intelligi de casu, quo simpliciter mutuatur, & non expresse celebratur pactum assecurationis, eo quod tali casu periculum præsumatur potius pallium usuræ, seu merus quidam prætextus usuram palliandi.

765. Objicies secundo contra utranque conclus. simul, Periculum recuperandi sortem mutuo datam subest omni mutuo, estque ipsi intrinsecum; ergo pro eo nullum potest interesse, sive auctarium exigi.

Respondetur, dist. ant. Periculum remotum, con. proximum, & probabile, neg. ant. Ergo nullum potest interesse exigi pro periculo remoto, con. proximo, neg. cons. Periculum proximum, seu probabile non est mutuo intrinsecum, sed fundatur vel in circumstantia rei, vel in socordia, prodigalitate &c. mutuatarii, secundum dicta *n.* 761. unde abesse potest, si mutuatarius existat homo providus, integræ fidei &c.

766. Objicies tertio. Etiam illud ipsum interesse, quod pro periculo sortis exigitur, est periculo expositum; ergo etiam pro illo licebit aliquid exigere; & sic in infinitum.

Confirmatur. Tanto majus interesse posset exigi, quanto major est formidolositas, vel avaritia mutuantis, qui sibi majora semper, ac majora pericula impendere finget: sed hoc est inconveniens; ergo &c.

Respondetur ad argum. neg. cons. Nam utriusque periculum tam quoad sortem, quam quoad interesse sufficiens compensatio esse censetur illud ipsum interesse periculosum, pro cujus proinde periculo nihil aliud peti potest. Interim non videtur negandum, quin eo majus proportionaliter possit accipi interesse, quo hoc ipsum est obnoxium majori periculo, cum eo minoris valeat, quo magis periclitatur.

Ad confirm. neg. seq. maj. Siquidem periculum non debet pro libitu fingi, sed prudentum arbitrio taxari; prout *in conclus.* 1. insinuatum est.

767. Objicies quarto. Per petitionem interesse ob periculum sortis, crescit periculum sortis; nam quo plus mutuatarius debebit, eo minus solvet; ergo interesse non petitur licite.

Respondetur, neg. ant. Nam mutuatarius poterit ex mutuo lucrari; consequenter periculum sortis non augebitur, sed potius minuetur. Deinde ipse etiam mutuator, quando singulis annis interesse recipit, minus damnum patietur, si forte contingat sortem amitti.

ARTICULUS III.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones de Pacto Antichreseos, Pacto Legis Commissoriæ, & Monte Pietatis, huc pertinentes.

SUMMARIUM.

768. *Pactum Antichreseos est usurarium: uti &* 769. *Pactum Legis commissoriæ. E diverso* 770. *Mons Pietatis ab usura immunis est.* 772. *Unde hanc appellationem, & originem traxerit?*

768. QUæres primo, an Pactum Antichreseos (id est, *pactum, quo creditori conceditur facultas tandiu lucrandi fructus, donec ei a debitore mutuum restituatur*) sit usurarium?

Respondetur affirmative. Communis. Ratio est: quia, quidquid in mutuo, & vi mutui ultra sortem accipitur, usura est: sed in dato casu fructus pignoris excedentes interesse debitum, accipiuntur ultra sortem vi mutui: cum tamen *c. 1. & 2. de Usuris* expresse dicantur *computandi in sortem, ut caveatur usura*; ergo &c.

Dices. Jus Civile approbat Pactum Antichreseos; ergo non est usurarium.

Respondetur, omisso antecedente, neg. cons. Nam quod Jure Naturali, Divino, & Canonico illicitum, ac usurarium est, a Jure Civili licitum, & ab usura immune reddi nequit. Unde textus in Jure Civili extantes, queis memoratum pactum videtur approbari, per Jus Canonicum abrogati sunt.

Instabis. Antichresis etiam a Jure Canonico saltem in aliquibus casibus approbatur; ergo non debet pronunciari de se mala, & usuraria. Ant. prob. Nam 1. Clericus potest fructus Beneficii sui, a Laico injuste possessi, & sibi oppignorati, licite percipere, ac retinere, ita, ut eos non teneatur in extenuationem sortis conferre, *c. 1. in fin. de Usuris*. 2. Si a vassallo in pignus datus sit fundus feudalis domino feudi, non tenetur hic fructus feudi, sibi oppignorati, in sortem computare; prout habetur *c. 1. de Feud. & c. 8. de Usur.* 3. Potest maritus percipere fructus possessionum, v. g. agrorum pro dote sibi obligatorum, nec tenetur in dotem sibi nondum traditam computare, *c. 16. de Usur.* Ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. ajo, inde non sequi, quod licita, & a labe usuræ immunis existat antichresis ex pignore, quam rejicimus. Nam in 1. casu Clericus per modum occultæ compensationis redimit id, quod ad se legitime spectat; non autem percipit via mutui fructus ex re aliena. In 2. casu non est usura; cum dominus feudi percipiat fructus ex re sua jam consolidata; nam feudum, dum a vassallo oppignoratur domino, consolidatur, & vassallus ab onere obsequiorum liberatur. In 3. casu percipiuntur fructus in

defe-

defectum dotis non sufficientis ad onera Matrimonii supportanda, *c. 16. de Usur.*

Ex quibus corollarie fluit, ne creditori mutuatio, & pignoris frugiferi detentio damnosa sit, in sortem computari posse, ac debere eos duntaxat fructus, qui supersunt, deducto lucro cessante, damno emergente, expensis factis, labore impenso &c. *c. 5. & 2. de Usur.*

769. Quæres secundo, an pactum Legis commissoriæ (id est, *pactum, quo res oppignorata cadat in commissum, seu fiat mutuantis, si mutuatarius tempore præstituto non restituerit*) sit illicitum, ac usurarium?

Respondetur affirmative. Est itidem communis, & sumitur tum ex *c. 7. de Pignor.* ubi hujusmodi pactum expresse reprobatur: tum ex ratione; quia cum pignus communiter pluris valeat, quam debitum ex mutuo, eo ipso vi mutui, aut saltem vi pacti supponentis mutuum, perciperetur aliquid ultra sortem, quod est usura: consequenter &c. Deinde pactorum licentia fraudibus fœneratorum obnoxios redderet debitores, utpote qui fiducia solutionis in tempore faciendæ, & reddendi pignoris facile in ejusmodi pactiones consentiunt.

Dices. In emptione-venditione permissum est addere pactum Legis commissoriæ, & pacisci, ut, si emptor constituto tempore non solverit pretium, res sit inempta; veluti constat ex *l. 2. & 3. ff. de Leg. commissor.* ergo etiam &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est, quod in venditione nulla fraus, aut periculum iniquitatis, maxime usurariæ, præsumatur intervenire, si illa, emptore pretium non persolvente, rescindatur, & res ad suum dominum revertatur. Secus est in nostro casu, veluti patet ex dictis.

770. Quæres tertio, an Mons Pietatis (per quem intelligitur *ærarium, seu acervus pecuniæ ad mutuandum indigentibus, publice deputatus*) sit licitus, & ab usura immunis?

Respondetur affirmative. Sumitur tum ex Concil. Lateranensi, sub Leone X. quod *Sess.* 10. Montem Pietatis approbavit; & Trid. quod *Sess.* 22. *de Reform. c.* 8. 9. *ac* 11. eundem inter loca pia numeravit. Tum ex ratione; nam quod in Monte Pietatis accipitur ultra sortem, non accipitur tanquam lucrum ex titulo mutui, sed tanquam aliquid necessarium ad indemnitatem, & conservationem Montis prædicti: id quod est licitum, & a mutuatariis, in quorum favorem Mons Pietatis erectus est, merito præstandum; cum juxta *Reg. Jur.* 55. in 6. æquum sit, ut, qui sentit commodum, etiam sentiat incommodum.

Dices. Majus auctarium solet Mons Pietatis exigere ab eo, qui diutius pecuniam retinet; ergo ratione longioris temporis, quo pecunia carere debet. Atqui hoc est illicitum, & usurarium; ergo &c.

Respondetur, neg. 1. cons. Sed plus exigit propter expensas factas in favorem mutuatarii, quem eo plus ad dictas expensas contribuere æquum est, quo diutius hujusmodi favore perfruitur.

Ceterum conditiones, sub quibus Mons Pietatis erigi, & gubernari debet, sunt duæ. Prima est, ut pecunia Montis mutuetur solis pauperibus. Secunda est, ut pro alimentis, & stipendiis ministrorum, aliisque necessariis expensis aliquid exiguum, quod necessitas requirit, a mutuatariis exigatur: unde si in hoc excedatur, usura committitur.

771. Petes piæ curiositatis gratia, unde *Mons Pietatis* hanc appellationem, & originem traxerit?

Respondetur, quod hanc appellationem traxerit ex pia fundatione fidelium, ex qua ejus summa capitalis coaluit. Originem porro traxit Perusii in Italia, Authore V. P. F. Barnaba Interamnensi Ordinis Minorum, cujus prædicatione permoti fideles, largas ad hujus Montis erectionem eleemosynas contulerunt, eo consilio, & fine, ut sic pauperum, qui ab usurariis misere premebantur, necessitatibus succurreretur. Quod sanctissimum institutum deinde etiam per alias Italiæ urbes propagatum est, promotoribus aliis prædicti Ordinis Religiosis, doctrinæ laude, & sanctitatis fama claris, quos inter numerabatur, & eminebat S. Jacobus de Marchia. Ita perhibet, ac testatur Herincx *part.* 3. *tr.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *n.* 41.

CAPUT IV.

De Emptione-Venditione.

ARTICULUS I.

De Emptionis-Venditionis ut sic Natura, & Requisitis.

SUMMARIUM.

772. *& seqq. Quid sit Emptio-Venditio* quoad nomen, *& quid* quoad rem? 774. *Quid sit Emptio* ad corpus, *& quid Emptio* ad mensuram? 775. *Quid juris, si venditor eandem rem successive vendidit duobus, & cui obligetur eam tradere?* 776. *Ad Emptionem-Venditionem requiritur merx determinata, & non vitiosa,* 877. *& seqq. Resolvuntur varia Quæsita mercem concernentia.* 780. *Requiritur præterea pretium, ementis proprium, determinatum, & justum.* 781. *& seqq. Resolvuntur varia Quæsita, pretium concernentia.*

772. PRænotandum, contractum hunc in se quidem unicum esse, duplici tamen nomine exprimi copulative, dum *Emptio-Venditio* dicitur, quod semper involvat duos actus inseparabiliter connexos, emere scilicet, & vendere: unde etiam diversa contrahentibus nomina tribuit; & eum quidem, qui mercem tradit, vel de ea convenit, *Venditorem;* qui vero pretium solvit, vel ad id se obligat, *Emptorem* denominat. Hoc prænotato,

773. Dico primo. Emptio-Venditio est *contractus solo consensu constitutus, de re pro pretio tradenda.* Sumitur hæc definitio ex §. 1. *Inst. de Empt. & Vendit.* item ex *l.* 1. 2. 8. 9. *ff. de contrah. empt.* Ejus termini patebunt, sive dilucidabuntur per decursum.

Differt Emptio-Venditio 1. a *permutatione:* quia in hac datur res pro re; in illa vero res pro pretio. 2. a *cambio*, in quo datur pecunia pro pecunia, non res pro pecunia. 3. a *mutuo:* tunc quia in mutuo non datur res pro pecunia, sed pecunia pro pecunia, vel res pro re simili ex dictis *n.* 743. tum quia mutuum non perficitur solo consensu; bene autem Emptio-Venditio: per hanc quippe, posito consensu, utrinque statim acquiritur jus personale, seu ad rem, tenetur hanc ex parte ementis ad accipiendam mercem, inde vero ex parte vendentis ad accipiendum pretium. Unde ad Emptionis-Venditionis substantiam non requiritur, ut actu transferat dominium translatione constituente emptori jus reale in merce, & venditori in pretio; hoc namque primum fit per traditionem mercis, ac pretii.

774. Quæres primo, quid sit Emptio *ad corpus*, & quid Emptio *ad mensuram, sive quantitatem?*

Respondetur. Emptio ad corpus est, quando plura individua, species, aut genera per modum unius rei venduntur, & numerus, pondus, mensura non exprimuntur. E. g. Si totum acervum frumenti vendas non expresso scapharum numero; vel si taxative saltem non exprimas, hoc est, singulis scaphis non singula taxes pretia, sed demonstrative tantum dicas: *vendo tibi hunc acervum tritici* (sunt centum scaphæ) *pro octingentis florenis.* Emptio ad mensuram, sive quantitatem est, quando plura individua, species, aut genera venduntur cum respectu ad quantitatem, ita, ut certa mensura, numerus, pondus exprimantur taxative, & singulis partibus rei, ac individuis certum pretium determinetur. E. gr. Si dicam: *vendo tibi ex frumenti acervo viginti scaphas, singulas pro octo florenis.*

775. Quæres secundo, quid juris, si venditor eandem rem successive vendidit duobus, & cui obligetur eam tradere?

Respondetur, quod teneatur eam tradere emptori primo, *c. 54. de R. J. in 6.* Si autem jam tradidit emptori secundo, traditio quidem tenet, & venditio posterior sustinetur regulariter; primus tamen emptor, cui illata est injuria, habet actionem personalem adversus venditorem ad consequendum interesse, seu ad id, quanti sua interest, rem alteri venditam, & traditam non fuisse. Dixi: *regulariter.* Nam in quibusdam casibus præfertur primus emptor, licet res tradita sit secundo; ut 1. si primus emptor fuit Ecclesia, Civitas &c. quia his absque traditione acquiritur jus reale, & dominium actuale. 2. Si primo emptori tanquam creditori

fuit

fuit res in specie antecedenter jam hypothecata; quia per hypothecationem citius acquisivit jus reale. 3. Si secundus emptor fuit malæ fidei, & scivit, rem fuisse jam alteri venditam, saltem spectato Jure Bavar. *tit.* 7. *art. ult.* 4. Si emptor concurrat cum donatario, vel alio, ad quem res prius empta pervenit titulo mere lucrativo; & hoc sumitur ex æquitate, Ita P. Pichler *lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 6.

776. Dico secundo veluti illative. Ad Emptionem-Venditionem requiritur, præter mutuum ementis, & vendentis consensum, merx determinata, & non vitiosa. De necessitate consensus liquet conclusio ex *l.* 9. *ff. de contrah. empt.* ibi: *in conventionibus, & emptionibus consensum debere intercedere palam est*. De merce constat ex *l.* 8. *ff. eod.* ibi: *nec emptio, nec venditio sine re, quæ veneat, potest intelligi*. Quod autem merx debeat esse determinata (in genere, vel in specie) sumitur tum ex natura contractus, tum ex communi DD. sensu. Unde venditio non erit perfecta quoad effectus ex illa sequi natos, si ex multis, nullo in particulari designato, vendatur unum aliquod. Quamvis sufficiat, si res, quæ venditur, sit determinata, & ignoretur, qualis, aut quanta sit: ut dum emitur jactus retis in flumen, ubi jactus, & spes capiendi est determinata; at non qualitas, aut quantitas piscium, qui capiendi sperantur, Ita cum Salmanticensibus P. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 6. *art.* 3. *n.* 2. Quod eadem merx debeat esse non vitiosa, pariter sumitur ex natura contractus, utpote qui & valide, & juste iniri petit; quorum tamen, saltem alterutrum, non fieret, si merx vitiosa foret, emptore, vitium invincibiliter ignorante; prout clarescet ex dicendis infra *n.* 779.

777. Quæres primo, quænam veniant nomine mercis?

Respondetur, venire omnes res (uti & jura tam personalia, quam realia) quæ sunt pretio æstimabiles, & non exemptæ a commercio humano per Jus aliquod, quæsecunque demum hoc existat, *l.* 34. §. 1. *ff. de contrah. empt.* Unde emi, & vendi nequeunt amuleta magica, res spirituales, vel spirituali annexæ &c. quia per Jus naturale; nec homo liber, aut res publicæ, seu publicis usibus destinatæ, ut viæ, thermæ &c. quia per Jus Gentium a commercio humano extrahuntur: nec venena (nisi per miaturam medicam salubria reddantur) res litigiosæ, res specialiter in provinciam invehi prohibitæ &c. quia Jus positivum scriptum repugnat. Vendi e diverso, ac emi possunt alia tam immobilia, quam mobilia, etiam nondum existentia, modo vel expectentur ex ordine, & causa naturali extitura; ut fructus agrorum, foetus animalium &c. vel sperentur eventura per accidens, aut per casum fortunæ, ut captus piscium ex jactu retis in flumen &c. Sumuntur hæc ex *l.* 8. & 39. *ff. de contrah. empt.* uti etiam ex praxi.

Excipiunt Sanct Gallenses *tom.* 6. *tr.* 1. *sect.* 2. *q.* 1. *dub.* 1. *conclus.* 1. nostras actiones, sumptas pro operis: has quippe actiones, & operas non *vendere*, sed *locare* dicimur. Proinde si ex tuo auro aurifaber tibi scyphum faceret pro pretio, non *Venditio*, sed *Locatio* diceretur; foret tamen *Venditio*, si aurum, ex quo scyphus factus est, non tuum, sed aurifabri fuisset, & is poculum, ex illo factum, tibi daret pro pretio.

778. Quæres secundo, an res aliena, & furtiva valide vendi possit?

Respondetur. Si & emptor, & venditor scivit, rem esse alienam, aut furtivam emptio-venditio non valet; adeoque nec emptor, nec venditor obligatur, *l.* 34. §. 3. *ff. de contrah. empt.* D. Ayblinger *in Instit. Imperial. lib.* 3. *tit.* 14. *n.* 25. & 27. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 92. & alii contra alios, id limitantes ad venditionem rei furtivæ tantum. Verum hæc limitatio non placet propter *l.* 27. *C. de Evict.* Si solus emptor scivit rem alienam, aut furtivam esse, non venditor, contractus pariter est nullus; nec poterit emptor rem accipere, vel ad eam sibi tradendam agere, vel, si tradita sit, agere pro casu evictionis, vel pretium, si jam solverit, repetere, *l.* 34. *cit.* Ayblinger *loc. cit. n.* 17. & alii passim. Si denique solus venditor scivit, rem esse alienam, aut furtivam, non emptor, contractus valet, & ex parte utriusque contrahentis obligationem producit; ex parte emptoris quidem, ut pretium solvat, ex parte venditoris vero, ut rem tradat, vel, si res evincatur, interesse præstet, *l.* 34. *cit.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 93, & alii apud ipsum. Nec dicas, traditionem rei in tali casu esse illicitam, & Jure impossibilem, eo quod pugnet contra jus domini; ergo contractus valere, & obligationem rei tradendæ parere non potest. Contra enim est, neg. ant. & rationem probativam; quia tunc solum traditio illa pugnaret contra jus domini, si hic esset rationabiliter invitus, qualiter in casu invitus esse non posset; siquidem prædicta traditio ipsi potius exoptabilis esset, cum ex ea major spes ipsi affulgeret, fore, ut in notitiam rei suæ veniat; emptor enim ignorans rem alienam esse, non erit multum solicitus de ea occultanda; ut foret venditor, rem alienam esse sciens. Aliter respondet P. Pichler *in suo Cand. abbrev. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 6. quem vide, si placet.

Holzmann Theol. Moral. Tom. I.

Petes, quid sit *Evictio*, de qua in responsione mentionem fecimus?

Respondetur, quod sit rei emptæ per justam Judicis sententiam ablatio, seu avocatio; nam *evincere* est rem ab aliquo auferre per vindicationis Judicium; quando nempe dominus rem suam alteri datam reperit institutа vindicatione in Judicio, & obtinet. Atque hoc obiter prælibasse satis est. Plura, quæ evictionem concernunt, videri poterunt apud Canonistas *lib.* 3. *tit.* 17.

779. Quæres tertio, an, & quæ vitia mercis venditor manifestare debeat?

Respondetur primo. Si vitium sit circa substantiam rei, necessario manifestari debet; quia alias deficeret consensus emptoris, sine quo valor contractus consistere nequit. Imo in foro externo conceditur emptori actio de dolo, & redhibitoria ad rehabendum pretium.

Excipiunt Lugo *de Inst. disp.* 26. *n.* 124. Sanchez & alii casum, quo res data sit æque bona, ac utilis ad finem emptoris, quam petita: quia tunc licet substantia physica illius sit diversa a substantia istius, in æstimatione tamen morali, secundum quam rerum venalium æstimatio initur, utraque æquiparatur, & convenit. Unde sequitur, valide, & licite dari medicamentum, a desiderato physice diversum; si certo constet, æque unum, ac alterum ad sanitatem emptoris recuperandam conducere.

Quod de vitio versante circa substantiam diximus, etiam intelligi volumus de vitio versante circa qualitatem ab emente per se intentam; cum ista, hoc modo considerata, redundet in substantiam; prout expositum est *num.* 658. Unde siquis expresse intendat emere vinum Austriacum, & non aliud, eique offeratur aliud, emptio ob defectum consensus, ad hujusmodi qualitatem adstricti, est invalida, & nulla.

Ubi tamen similiter excipiunt: nisi detur res æque bona, & utilis ad finem emptoris, ac petita: tunc enim volunt, emptionem talis rei, licet desiderata qualitas deficiat, validam fore, ac licitam.

Respondetur secundo. Si vitium solummodo sit circa qualitatem qua talem, distinctione opus est. Vel enim illud est manifestum, vel occultum? Si manifestum; non tenetur venditor de eo monere emptorem, dummodo rem vitiosam minori pretio vendat, id est, tanto solum, quanto inita ratione, & consideratione vitii, revera æstimabilis est. Ratio responsionis est: quia emptor sibi imputare debet, quod vitium rei tam manifestum non deprehendat, cum tamen facile posset. Si vero vitium sit occultum, in tribus præcipue casibus manifestari debet ex Justitia, adeo quidem, ut, si venditor manifestare intermiserit, teneatur resarcire omnia damna inde resultantia. Primus casus est: si emptor emat ad revendendum; tunc enim de vitio monendus est, ne rem alteri revendat pluris, quam habita ratione vitii æstimari possit. Secundus est: si res vitiosa afferret emptori periculum nocumenti, e. g. si equus sit ferox, bos cornupeta, vinum fugiens, cum tamen ematur, ut servetur. Tertius est: si res vitiosa sit inutilis, aut parum utilis ad finem ab amente intentum, etsi non existat positive noxia; cujusmodi sunt medicamenta evanida, panni adusti, semina corrupta &c. Ratio hujus, & præcedentis exceptionis est, quod æquitas, & Justitia postulent, ut venditor emptori tradat rem bonam, & utilem; sicut ipse pro ea vult recipere monetam genuinam. P. Schmalzgrueber *lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 121. & alii passim.

780. Dico tertio. Ad Emptionem-Venditionem requiritur præterea pretium, ementis proprium, determinatum, & justum. De necessitate pretii con-

Tt clusio

clusio liquet ex *l.* 1. *&* 2. *ff. de contrah. empt.* item ex *prin. Instit. de Empt. & Vendit.* ibi: *nulla emptio sine pretio esse potest.* Quod autem debeat esse proprium ementis sumitur ex *l.* 11. §. 2. *ff. de act. Empt.* ubi habetur, quod emptor debeat traosferre dominium pretii in venditorem: id quod ooo fieret, si emptor non esset domious pretii. Secus est de merce, utpote quæ ex dictis *n.* 778. potest esse aliena; quia ejus dominium, licet venditio valeat, noo immediate transferri debet per traditionem in emptorem, sed emptor tenetur (etiam noo recepto pretio) domino, si comparuerit, rem restituere: ut notat P. Pichler *in Cand. abbrev. lib.* 3. *tit,* 17. *n.* 6 *&* 8. Quod idem pretium debeat esse determinatum, sumitur ex §. 1. *Inst. de Empt. & Vendit.* Unde invalida est emptio-venditio, si fiat hoc modo: *vendo tibi hunc equum justo pretio*; vel *quanti tu ipse, aut vir prudens eum valere judicaverit.* Valida autem erit, si ita fiat: *emo a te hunc equum, quanti tu emisti*; vel *ea summa pecunia, quam in hoc meo marsupio inclusam teneo.* Ratio est: quia in priore modo contrahendi non constituitur certum, & determinatum pretiom; constituitur autem in posteriote. Sporer *in Decal. tr.* 6. *c.* 4. *num.* 7. & alii passim. Debet denique pretium esse justum, prout sumitur ex oatura Justitiæ commutativæ; & patebit ex dicendis.

781. Quæres primo, quid intelligatur nomine pretii?

Respondetur intelligi pecuniam. Sumitur ex §. 2. *Inst. de Empt. & Vendit.* atque ex Aristot. 2. *Polit. c.* 9. ubi elagenter ostendit, comparandis rebos ad vitæ humanæ usus necessariis quasi ex pacto substitutum esse nuomum; eo qood illa, quæ in permutationem venirent sive interventu nummi, frequenter non essent æqualis pretii. Qua de causa nummum ingeniose vocat sponsorem indigentiæ, & addit, per pecunias omnia reddi commensurabilia.

781. Quæres secundo, quotuplex sit pretium rerum venalium?

Respondetur, esse duplex, videlicet *legitimum*, seu *legale*, & *naturale*, seu *vulgare*. Legitimom appellatur, quod a Lege, seu Principis, aut Magistratus publica ordioatione est definitum. Naturale dicitur, quod ex ipsis rerum naturis, spectato homioum affectu, necessitate, utilitate, vel aliis circumstantiis provenit. Pretium legitimum consistit io divisibili, atque ex Justitia sub onere restitotionis observaodum est, adeo, ut, quomodocunque excedatur, seu plus exigendo, seu minus dando, supra, vel infra taxam, injustitia committatur, & adsit obligatio restituendi excessum, vel supplendi defectum pretii taxati. Pretium naturale suos gradus habet, & subdividitur in *summum*, *medium*, & *infimum*. Declaratur exemplo. Ponatur res, cujus pretium medium sint centum floreni, hujus pretium summum erunt centum, & quinque floreni, iofimum vero nooaginta quinque. Quodlibet ex his pretiis justum est, cum aliqui rem ejusmodi emant, idque citra labem injustitiæ, pretio summo, alii medio, alii iofimo.

783. Quæres tertio, unde variatio pretii justi desumenda sit?

Respondetur, desumendam esse 1. *Ex parte rei venditæ*, puta, quando est abundaotia, vel penuria mercium; hæc quippe auget pretium, illa minuit. Huc reducitur novitas, & antiquitas rerum: quæ quia raritatem indicant, pretium aogent proportionaliter ad communem æstimationem prudentum; ut patet in fructibus novis, & statuis antiquis.

2. *Ex parte pretii*; ut si sit abnodantia, vel inopia pecuniæ; hæc enim minuit, illa auget rei valorem: ut patet in Indiis, ubi cum sit multa argenti, aurique copi, numerosiore pecunia, & cariore pretio res distrahuntor: quemadmodum dicetur infra.

3. *Ex parte emptorum, & venditorum*; nam illorum multitudo in causa est, ut carius, horum, ut vilius distrahantur merces.

4. *Ex parte expensarum, damnorum, & periculorum*, quæ communiter occurrunt in quærendis, transportandis, & conservandis mercibus: quia illa omnia suot pretio æstimabilia; & consequenter commensurata eorundem compensatio juste exigitur. Dixi autem: *quæ communiter occurrunt*; nam ob singulare, seu extraordinarium alicujus mereatoris damnum, periculum, aut expensas augeri pretium noo potest; cum nec ratio, nec Jura permittant, ut emptores infortunium, imperitiam, vel culpam venditoris, ob quæ majores facere expensas, majus subire periculum, vel damnum debuit luere cogantur.

5. *Ex parte modi vendendi, emendique*. Sic enim majore pretio vendi solent res singillatim, quam cumulatim; quia crebræ, & minutæ venditiones venditori plerumque plus laboris, ac molestiæ, minusque utilitatis afferunt, quam una, vel paucæ veoditiones io quantitate magna. Minore contra pretio emuntur res subhastatæ, obtrusæ, aut ultro oblatæ; quia fere major illarum copia est, mioor vero emptorum.

6. Denique pretium augeri, & res carius vendi potest *ob singularem affectionem*, qoam venditor erga illam gerit: & multo magis *ob utilitatem*, quam ex ea percipit. Ratio est: quia venditor, ejusmodi rem alienaodo privat se non solum re, sed etiam speciali affectu, oblectatione, & utilitate, quæ pretio æstimantur. Ad quod tamen plura requiruntur. Et quidem 1. Ut venditor noo sit leviter tantum affectus erga talem rem. 2. Ut noo æque, sed longe minus afficiatur ad pretium justum rigorosum illius: si enim æque afficeretur ad pretium, privatio rei compensaretur. 3. Ut venditor alias rem illam non venderet, oblato justo pretio rigoroso; sed solummodo hic, & nunc io emptionem consentiat gratia emptoris. 4. Ut affectio erga rem oitatur justa aliqua causa; hac enim si careat, corrigi debet; nec pretiom rei augere potest. 5. Ut emptor intelligat: augeri pretium ob specialem affectionem, quam venditor erga rem illam habet: alias eoim forte non emeret, si præsciret, etiam affectionem venditoris sibi emendam esse. Quid diceodum, si emptor erga rem, quam emere intendit, specialiter afficiatur, patebit infra *n.* 785. Modo

784. Quæres quarto, an res raræ, v. g. equus insoliti coloris, statuæ antiquæ &c. possint vendi tanto pretio, quaoto cootrahentes voluerint?

Respondetur negative. Navarrus *in Manual. c.* 23. *n.* 87. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 127. & alii satis communiter. Ratio est: quia tanti res valet, quanti valet omnibus (in suppositione saltem accommoda acceptis) non quanti valet singulis, aut aliquibus in particulari. *l.* 36. *ff. ad l. Falcid.* ergo si contrahentes rem tanti vendaot, quaoti voluot, oon servant æqualitatem inter rem vendibilem, ac pretium; coosequenter peccant contra Justitiam commutativam.

Dices primo. Taoti res valet, quanti vendi potest, per *l.* 2. §. *si heres. ff. ad S. Consult.* ergo quocunque pretio vendatur, oulla sit ioæqualitas, aut injustitia.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Si sistatur intra limites pretii justi, con. secus, oeg. ant. & cons.

Dices secundo. *L.* 21. *C. mandat.* dicitur: *sua quisque rei moderator, atque arbiter est*; ergo quilibet potest rem suam vendere, quantocunque pretio voluerit.

Respondetur, neg. cons. Siquidem ex eo, quod aliquis sit rei suæ moderator, & arbiter, solum sequitur, quod regulariter eam alienare non teneatur: ex suppositione tamen, quod eandem alienare velit, adstringitur ad servandam æqualitatem pretii, & rei, ne scilicet pretium majus sit omni pretio justo.

Dices tertio. Venditor potest majus pretium recipere propter specialem affectionem, qua erga rem suam fertur; prout fluit ex dictis *n.* 783. ergo si affectio sit specialissima, potest rem illam vendere maximo pretio: consequenter &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Potest majus pretiom recipere, commensuratum tamen judicio rationis, & communi prudentum æstimationi &c. con. commensuratum mero contrahentium arbitrio, neg. ant. & eodem proportionaliter modo distinguendum est cons. Revide dicta *n. cit.*

Dices quarto. Res in quæsito specificatæ, aliæque similes non habent pretium sive legitimum, sive naturale; ergo illud sortiri debent ex volontate contrahentium.

Respondetur, oeg. ant. Habent eoim pretium naturale; siquidem ex natura sua non suot inæstimabiles, & infiniti valoris: accipiunt igitur pretium a prudentum, & peritorum judicio, qui consideratis omnibus, scilicet mercis raritate, elegantia, delectabilitate, commodis, & utilitate, quæ emptori inde provenit, illas tanti æstimant, & noo pluris: si igitur plus exigat

vendi-

venditor, injustum exigit; quia valor rerum sumitur in ordine ad usus, & utilitatem humanam, quæ limitata est. Ita in terminis P. Pichler *lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 31.

Dices quinto. Qui sciens, ac prudens dat plus, quam res valet, censetur excessum donare; ergo venditor valide, & licite eum recipit.

Respondetur, neg. ant. Nam regulariter præsumi non potest ejusmodi donatio, cum nullum hujus sit indicium, sed potius oppositi: siquidem emptor non intendit donare, sed emere; nec venditor id, quod sibi ab emptore datur, acceptare ut donatum, sed ut debitum. Unde nisi emptor animum donandi exprimat (prout quandoque fit, ubi nimius in rem aliquam affectus homines impellit ad dandum, quidquid petitur, ut obtineatur, quod tantopere concupiscitur) illa condonatio excessus gratis fingitur; & per consequens &c.

Dices sexto. Ex nostra doctrina sequitur, damnandam esse praxim mercatorum nostrorum, qui vitra colorata, specula, aliasque ejusmodi res, quarum exigua est æstimatio in Europa, transvehunt ad Indos, ibique magno pretio distrahunt.

Respondetur, neg. seq. Licet enim tales res secundum se, & in æstimatione Europeorum sint viles, pretiosæ tamen existunt in communi æstimatione Indorum, quippe qui illas argento, auro, & unionibus suis, quorum copia abundant, longe anteferunt; eo quod ex illis hauriant plus delectabilitatis, & utilitatis in ordine ad ornanda corpora, aliosque usus, quam ex rudi massa argenti, vel auri, vel ex lapide pretioso, quæ ipsis ob copiam respective vilescunt. Cum ergo secundum omnes, communis hominum, in aliqua regione vel regno degentium, æstimatio, juxta proportionem aptitudinis, quam res ad usus humanos habet, facta, pretium vulgare justum constituat, male ex nostra doctrina deducitur, quod antefata mercatorum praxis velut illicita reprobari debeat.

785. Quæres quinto, an res carius vendi possit ob specialem affectionem, indigentiam, necessitatem, vel utilitatem particularis alicujus emptoris?

Respondetur negative. Haunoldus *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 156. Molina *tr.* 2. *de Just. disp.* 348. *n.* 6. aliique communius, & fluit ex dictis. Ratio a priori est: quia nullus potest vendere, saltem licite, quod suum non est: sed affectio, indigentia, necessitas, vel utilitas emptoris non est venditoris; ergo &c. Confirmatur. Nam si ex hac sola causa res carius vendi posset, sequeretur, quod panem, & alia victualia posset quis carius vendere homini pauperi, & famelico, quam diviti; cum ille magis indigeat, quam iste: item posset quis majori pretio rem vendere ei, qui ex illa plus lucraturus est, quam alteri, qui minus &c. sequelæ ambæ, & aliæ similes sunt absurdæ, & communi DD. sensui repugnant; ergo &c.

Dices. Pretium variari potest ob necessitatem, vel utilitatem publicam, prout liquet ex dictis; ergo etiam ob privatam.

Confirmatur. Si venditor ipse erga rem gerat specialem affectum, vel specialem ex ea utilitatem capiat, potest pretium in distrahendo augere secundum dicta *n.* 783. ergo etiam illud augere poterit, si emptor rem ipsius specialiter affectet, vel ex ea obtenta extraordinariam utilitatem speret.

Respondetur ad argum. neg. conf. Disparitas est: quia necessitas, & utilitas communis variant communem æstimationem mercium, seu rerum: & consequenter juxta hanc pretium variari potest, secundum dicta. Aliter res se habet in particulari, seu privata necessitate, vel utilitate, ob quam communis æstimatio mercium non variatur: consequenter &c.

Ad confirmat. neg. conf. Disparitas ex dictis constat: quia in priore casu venditor venderet, quod suum est; cum non sola res, sed & oblectatio, ac utilitas rei ad ipsum spectet, ob quas, utpote singulari pretio æstimabiles, pretium rei crescit, prout annotavimus *cit. n.* 783. At in posteriore casu se sola re privaret; cum affectio, & utilitas emptoris non pertineat ad venditorem; unde si ob has pretium augeret, venderet, quod suum non est: ut proxime animadvertimus.

786. Quæres sexto, an res possint majore pretio venvendi peregrinis, & exteris, per loca, seu territoria transeuntibus, quam incolis, & inquilinis?

Respondetur, per se loquendo non posse. Ita DD. communiter. Ratio est: quia justa pretia rerum non ex affectu, & utilitate singulorum constitui debent secundum dicta, sed Lege, aut communi hominum æstimatione, ac consensu; ergo qui res venales exponunt, eas distrahere non possunt, etiam exteris, nisi eo pretio, quod a Lege publica taxatum, aut communi hominum usu receptum est.

Dixi: *per se loquendo*; nam per accidens contingere potest, ut peregrinis liceat res vendere cariore pretio, quam incolis; si scilicet ex multitudine ementium advenarum crescat pretium rerum, prout colligitur ex dictis.

787. Quæres septimo, an emptor, qui privata scientia novit, vel jam factam, vel brevi faciendam, ac promulgandam a Principe, aut Magistratu legem, qua valor monetæ sive argenteæ, sive aureæ diminuetur, has monetas præsenti valore expendere, & venditori pro mercibus tradere possit?

Respondetur affirmative. Ita Card. de Lugo *disp.* 26. *n.* 140. & alii DD. communiter. Ratio est: quia valor monetæ adhuc justus est, cum non dependeat ex privata alicujus notitia, sed ex communi æstimatione, vel ex Lege publica jam promulgata (nam ante actualem sui promulgationem hunc effectum non operatur) ergo cum tali casu diminutio valoris, in moneta communiter ignoretur, neque lex de eo diminuendo promulgata sit, antiquus monetæ valor manet justus: consequenter &c.

Dices. Emptor ex Justitia tenetur venditori manifestare, si pretium, seu moneta sit vitiosa: sed tali casu moneta est vitiosa; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Si moneta sit vitiosa de præsenti, con. de futuro, neg. maj. Sed tali casu moneta est vitiosa de præsenti, neg. de futuro, con. min. & neg. conf. Responsio patet ex primum dictis.

Ex quibus etiam patet resolutio quæstionis pene similis, scilicet an is, qui scit brevi futuram frumenti copiam, & consequenter pretium minuendum, vendere tamen possit pretio currente, ac vulgari? Respondetur quippe similiter affirmative. Ratio liquet ex proxime dictis: quia valor frumenti (idem cogita de valore cujuscunque alterius mercis) est adhuc de præsenti justus; cum pendeat non ab æstimatione futura, sed præsenti; ergo frumentum est adhuc licite vendibile pretio currente, ac vulgari. Confirmatur ex *Gen.* 41. ubi Joseph Patriarca, sciens sterilitatem futuram, & idcirco augendum frumenti valorem, currente viliori pretio maximam frumenti copiam coemisse, & postea carius distraxisse legitur, utique juste, prout hactenus nemini non persuasum erat; ergo &c. Neque tali casu frumentum, vel alia merx pro tempore præsenti dici vitiosa potest: unde non obstat, quod venditor vitium mercis occultum debeat emptori manifestare; id quippe solummodo intelligendum venit de vitio, quo res acta seu de præsenti laborat, ut supra dictum de vitio monetæ. Huc etiam conferunt, & revideri possunt, quæ habentur *part.* 1. *n.* 429.

ARTICULUS II.

De Emptione Census.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Census?

SUMMARIUM.

788. Census definitur, & 789. Dividitur in varia membra.

788. DIco primo, censum hoc loco accipi pro *jure percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius*. Ideoque contractus censualis est emptio, qua ejusmodi jus comparatur. Habens tale jus vocatur *Censualista*, vel creditor; pensionem debens, *Censuarius*, vel debitor; estque in hoc contractu venditor, quia vendit Censualistæ jus exigendi annuam pensionem. Quando census constituitur in aliqua re corporali, ac immobili, fundo v. g. dominium ejus rei tam directum, quam utile est penes Censuarium, non Censualistam, quo differt ab emphyteusi; nam in hoc dominium rei directum non est penes emphyteutam, sed penes

eum, qui iste pensionem debet: præterquam quod censuarius ob non solutum censum non amittat jus suum, sicut emphyteuta ob non solutum canonem, prout infra n. 812. annotabitur.

789. Dico secundo. Census varie dividitur. 1. Dividitur in *realem*, & *personalem*. Realis est, qui immediate fundatur super certa re, eamque, ad quemcunque possessorem devenerit, comitatur. Personalis est, qui immediate fundatur super certa persona, eamque obligat absque respectu ad rem aliquam certam, & determinatam, ex qua solvatur pensio; unde rem ipsam nullam comitatur: & esto fieri soleat, ut securitatis gratia aliquando constituatur hypotheca super re certa, non tamen ideo evadit census realis, nec perit pereunte re hypothecaria; sicut perit census realis, pereunte re, in qua est constitutus: imo nec est necesse, ut ex re hypothecata solvatur pensio, nisi quando aliunde obtineri non potest. In quo casu interveniunt duo contractus, census nempe, & pignoris.

2. Dividitur ratione pensionis in *fructuarium*, & *pecuniarium*. Prior est, ex quo fructus; & posterior ex quo pecunia debetur.

3. Dividitur ratione temporis in *perpetuum*, quando scilicet pensio est perpetuo solvenda, & ad hæredes transit; ac in *temporalem*, quando pensio est solvenda ad tempus, sive incertum, e. g. ad vitam alterius, & dicitur census *vitalitius*, sive certum, e. g. ad decem, quindecim, aut viginti annos.

4. Denique dividitur ratione pacti in *redimibilem*, & *irredimibilem*: nam contrahentes aliquando pacisci solent, ne census nunquam redimatur, & tunc appellatur irredimibilis; aliquando, ut redimatur, & vocatur redimibilis. Quod si paciscantur, ut redimatur, quandocunque voluerit venditor, restituendo pecuniam totam, quam habuit ex venditione; vel quandocunque voluerit emptor, dicitur redimibilis *ex parte unius*: si quandocunque voluerit uterque, dicitur redimibilis *ex parte utrinsque*.

§. II.

An licita sit Emptio Census realis?

S U M M A R I U M.

790. & seq. Exponitur status quæstionis. 792. & seq. Licitus est census realis, etiam ex utraque parte redimibilis. 794. & seqq. Solvuntur objectiones. 797. Conclusio corollarie illustratur.

790. PRænotandum primo, id, quod in contractu censuali venditur, & emitur, non esse ipsa bona censui supposita, nec ipsas pensiones annuas; sed jus ad eas percipiendas, & obligationem illas solvendi resultantem in censuario. Non pensiones; nam istæ in actu venditionis non possidentur a venditore, sicut nec fructus; cum tamen id, quod venditur, debeat esse aliquid a venditore possessum. Nec bona; nam hæc subjiciuntur hypothecæ; ergo ipsa, seu dominium eorum non venditur; alias emptori res sua hypothecata foret. Consequenter id, quod venditur, aliud esse nihil potest, quam jus percipiendi pensiones, quod formaliter constituitur per contractum.

791. Prænotandum secundo, jus reale census emptum v. g. centum florenis, ut quovis anno venditor, seu censuarius ex re censui subjecta solvat quinque, posse dupliciter considerari. 1. Secundum se præcise. 2. In quantum substat laboribus, & expensis, aliisque incommodis, quæ decursu temporis præsumuntur moraliter eventura in percipiendis illis fructibus, tum propter periculum amittendi censum re pereunte; tum ob frequentissimam difficultatem rehabendi sortem integram in casu, quo vel illa indigeret, vel negotiatione notabile lucrum acquireret &c. Ex quo consequitur, rem, quæ secundum se præcise valet centum, multum decrescere in valore, si consideratur, prout substat circumstantiis, & periculis non tantum lucri cessantis, & damni emergentis, sed etiam jacturæ ipsius sortis, difficultatibus, litibus &c. His prænotatis,

Dico primo. Census realis, in re frugifera constitutus, eoque pretio emptus, quod Lex, vel loci consuetudo approbat, est justus, & legitimus, saltem si existat irredimibilis, aut redimibilis ex parte venditoris tantum. Ita Theologi, ac Juristæ communiter, & nititur conclusio authoritate SS. Pontificum, Martini V. Callisti III. & S. Pii V.

Probatur præterea hac ratione: quia contractus censualis est vera emptio, qua censualista justo pretio emit jus ad annuas pensiones ex re censita percipiendas; ergo est justus, & licitus: si enim ejusmodi jus gratis donari, vel legari possit, quidni & justo pretio æstimari, ac emi?

793. Dico secundo. Etiam licitus est census realis, ex utraque parte redimibilis. Ita Gabriel, Medina, Valentia, Lessius, Laymann *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 18. *n.* 5. Sporer *in Decal. tr.* 6. *c.* 6. *n.* 12, & alii multi contra alios.

Probatur: quia licitæ sunt aliæ emptiones cum pacto redimendi, seu revendendi ad arbitrium utriusque, prout cum communi dicemus *num.* 804. ergo etiam licita erit emptio census realis cum simili pacto redimendi; siquidem ea existit vera species emptionis, neque transit in mutuum per hoc, quod accedat pactum redimendi, prout etiam Adversarii agnoscunt in pacto redimibilitatis ex parte venditoris tantum.

794. Objicies contra utranque conclus. primo Jus ad pensiones non præexistit venditioni; ergo non fit vera emptio, & venditio, sed mutuum emptionis specie palliatur: consequenter &c.

Respondetur neg. ant. Nam prævie existit in censuario, non quidem sub ratione census, sed ut inclusum in pleno jure, quod habet in suam rem, & universa ejus emolumenta. Unde falsum est, talem emptionem census esse mutuum; nam res mutuo data transit in dominium mutuatarii, non autem res censui subjecta. Deinde censualista subit totum periculum rei, adeo, ut, hac pereunte, illi pereat census super ea fundatus; intendit præterea emptionem veri juris; secus mutuans vi mutui, quod proinde nullo modo intervenit in censu.

795. Objicies secundo. Ille contractus est injustus, per quem ponitur inæqualitas inter datum, & acceptum: sed in emptione census ponitur ejusmodi inæqualitas; ergo &c. Min. prob. Qui enim centum florenis emit censum annuum quinque florenorum, post viginti annos multo plus recipit, quam dedit, præsertim si sit census perpetuus; quia viginti annis successive accipit totam sortem, quem dedit, & quidquid supra est, habet in lucro; ergo &c.

Confirmatur. Si sit census redimibilis ex parte emptoris, seu censualistæ, poterit iste post sex annos contractus censualis repetere pretium centum florenorum, & habebit in lucro triginta florenos, e censu acceptos; quod nihil aliud est, quam usura virtualis, emptionis nomine palliata.

Respondetur ad argum. neg. min. & suppositum probationis, quod per contractum censualem directe emantur ipsæ pensiones in futurum solvendæ: id enim, quod ita emitur, est jus ad illa annuatim percipiendas, quod in prudentum æstimatione longe minoris est, quam ipsæ pensiones præsentes, & simul sumptæ. Et licet empto illo jure consequenter etiam emantur pensiones, non tamen emuntur præsentes in re, sed futuræ in potentia, & in spe; semper aut. minoris æstimatur id, quod est in spe, quam quod in re, cum multa accidere possint impedimenta, ne obtineatur, quod speratur. Unde falsum est, quod censualista post viginti annos tantum recipiat, quantum dedit; non enim emit suum capitale, sed jus successive percipiendi pensiones annuas.

Ad confirm. ajo, in illo casu fore lucrum ex titulo justæ venditionis, & pacti, non autem ex titulo mutui. Nam ille census redimibilis adhuc pluribus modis differt a mutuo; ut constat ex proxime dictis: consequenter &c.

Dices. Jus certum ad pecuniam recipiendam tanti æstimari debet, quanti æstimatur pecunia recipienda: at pecunia recipienda in singulos annos pluris valet, quam pecunia, quæ de præsenti conceditur; ergo jus illam pecuniam recipiendam pluris æstimari debet; ergo hic contractus inæqualitatem continet.

Respondetur, neg. maj. & instari potest in emptione ususfructus, etiam perpetui: ponamus enim, quod valide, & licite ematur mille florenis; in hoc casu computando fructus, quotannis perceptos, eorum valor frequentissime transcendit in valore pretium emptionis, quin propterea pretium, pro re empta

(jure

(jure nimirum ad eorum perceptionem) datum, dicatur non æquale cum valore rei emptæ. Falsum igitur est, jus percipiendi quotannis pecuniam valere tanti quanti valet ipsa pecunia, per annos, & annos percepta, simul sumpta: quia pecunia successive percepta; sed simul sumpta, computatur, quoad valorem præcisis illis periculis, propter quæ ceteroqnin decrescit valor rei, quem habet iis seclusis; at jus ejusmodi fructus successive percipiendi computatur quoad valorem inclusis illis periculis: consequenter hoc non potest esse tanti valoris, ac ea pecunia simul sumpta; ergo licet quantitas valoris pecuniæ successive percipiendæ transcendat quantitatem pretii, quo emptum est jus fructuum, non propterea tamen quantitas juris empti transcendit quantitatem pretii, quo ipsum est: consequenter &c.

796. Objicies tertio specialiter contra secundam conclus. Redimibilitas ex parte utriusque est prohibita per Bullam S. Pii V. quæ incipit, *Cum onus*, & per Constitutionem Caroli V. sub titulo *de usurariis contractibus*, ad licitum censum requirentis, ut ejus redemptio non sit in arbitrio emptoris, sed venditoris; ergo &c.

Respondetur cum Laymanno *cit. num.* 6. prohibitionem S. Pii V. non esse promulgatam, & receptam in ultramontanis Partibus, prout quotidiana, & contraria consuetudo demonstrat; Carolinam quoque Constitutionem intelligendam esse secundum præsumptionem fori externi, eamque, in quantum prohibet illa, quæ Juri naturali non adversantur, receptam non esse.

797. Colliges, jus, etiam perpetuum, quotannis percipiendi fructus ex re aliqua, licet aliena, vel ex se, vel per hominis industriam frugifera, æstimari determinata pecunia, hoc est, pretio determinato, etiamsi cum tempore valor fructuum successive præceptorum transcendat valorem illius determinati pretii, & tale jus, hoc non obstante, licite emi. Manifestum quippe est in usufructu alicujus prædii, emphyteusi, servitute rustica, & urbana, etiam ad tempus indeterminatum, ac perpetuum, quæ pretio determinato licite emuntur, quamvis cum tempore valor fructuum, & commodorum exinde perceptorum, transcedant valorem illius pretii; quia res empta non est fructus, & commodum, sed jus reale fructus, & commoda percipiendi, prout id substat illis circumstantiis, & periculis, ratione quorum est longe minoris valoris, quam secundum se.

§. III.

An etiam licita sit Emptio Census personalis?

S U M M A R I U M.

798. Emptio census personalis Germanici est licita, licet is sit ex utraque parte redimibilis. 799. & seqq. Solvuntur opposita. 802. Conclusio illustratur per corollarium.

HÆc controversia præcipue procedit de illo censu personali, qui moderno tempore practicatur, ut emantur quinque pro centum; idque censu non tantum redimibili ex parte venditoris, sed etiam ex parte emptoris.

798. Dico. Emptio census personalis secundum consuetudinem Germaniæ accipiendi quinque pro centum, non est usuraria, sed licita, tametsi sit ex utraque parte redimibilis. Laymann *loc. cit. n.* 8. & cum aliis, & suffragatur praxis.

Probatur: quia censualista exercet veram emptionem, per quam sibi comparat jus percipiendi lucra ex persona censuarii ratione suæ industriæ, ac operarum sufficienter frugifera ad fundandum tale jus verum, & justo pretio æstimabile; ut patet 1. ex eo, quod ejusmodi jus possit donari, ac postmodum a donatario juste vendi. 2. Ex eo, quod constet, illiusmodi jus fundari posse super servum. Ergo &c.

Confirmatur primo. Potest emi census realis; ergo etiam personalis: quia nihil refert, an res, aut persona obligetur ad annuas pensiones.

Confirmatur secundo. Census realis ideo licite emitur: quia emitur jus in re fructifera ad percipiendos ex illa fructus; ergo etiam census personalis ideo licite emetur: quia emetur jus in persona ad fructus ex illa percipiendos, quos sua arte, & opera ferre potest.

Neque obstat pactum redimibilitatis: cum enim non obstet justæ emptioni ususfructus, neque emptioni census realis, similiter non obstabit emptioni census personalis; estque de facto communi consuetudine receptum, ut contractui censuali adjiciatur pactum redibimilitatis.

799. Objicies primo. Martinus V. & Callistus III. tantum dixerunt, census reales esse licitos; ergo census personales reprobarunt.

Respondetur, neg. cons. Siquidem ideo census licitos esse affirmarunt: quia de iis solis consulti fuere; non autem de censibus personalibus, circa quos proin in neutram partem quidquam definiverunt.

Instabis. S. Pius V. constituit, ut census deinceps non fundarentur, nisi in re immobili, & frugifera; ergo non potest negari, census personales Jure Pontificio esse prohibitos, ob fraudis nempe, ac usuræ præsumptionem.

Respondetur, dist. cons. Ubi Constitutio illa Pontificia est recepta, con. ubi non est recepta, ut in Germania, Gallia &c. neg. cons.

800. Objicies secundo. Persona libera nec in servitutem redigi, nec in pignus dari potest. *l.* 12. *de Oblig. & Action.* ergo neque solutione pensionum censualium obstringi.

Respondetur, dist. cons. Ita ut vi istius obligationis ob defectum pensionum vendi possit, con. aliter, neg. cons. Si enim ad præstandas pensiones possit adstringi lege, statuto, vel etiam obligatione voluntaria, cur id repugnet fieri justo pretio, & emptione?

801. Objicies tertio. Emere jus personale ad pensiones annuas idem est formaliter, ac emere ipsas pensiones annuas; ergo illud illicite emitur.

Respondetur, neg. ant. Sicut enim emens jus reale ad pensiones, non emit formaliter ipsas pensiones; ita neque emens jus personale ad pensiones (nimirum personale, vi cujus venditoris persona teneatur solvere pensiones in bonis habitis, & habendis) eo ipso formaliter emit pensiones, sed tantum jus in personam, quod cum habere possit æstimationem certam, & determinatam, ac ei correspondens pretium legitimum, vel naturale, quantumvis veniant pensiones successive ad majorem quantitatem, quam fuerit pretium, nulla tamen idcirco fit inæqualitas inter pretium, & jus, quod emitur; quia pretium non debet coæquari cum jure secundum se considerato, ut patet ex passim dictis; sed cum incommodis, periculis &c. ratione quorum longe minoris est, quam attentum secundum se.

802. Colliges, censum, & pensionem dandam non fundari super ipsa pecunia accepta modo usurario, sed super industria personæ, suos fructus, seu lucra vendentis, ita, ut pecunia sit tantum instrumentum emptionis. Quo notato, una, vel altera objectio solvitur. P. Petrus Marchant *part.* 2. *tract.* 7. *tit.* 5. *sect.* 7. *dub.* 2.

A R T I C U L U S III.

Resolvuntur tres Quæstiones de Emptione Chirographorum, & duabus aliis Speciebus Emptionis.

S U M M A R I U M.

803. *An, & quomodo licita sit emptio chirographorum?* 804. *An licita sit emptio cum pacto revendendi?* 805. *An, & quomodo monopolia sint licita?*

803. QUæres primo, an & quomodum licita sit emptio chirographorum?

Antequam respondeatur, præsciendum est, chirographa vocari illas singraphas, aut scripturas, in quibus continetur obligatio debitoris ad solvendum debitum. Cumque creditores persæpe sortem, seu capitale debitum difficillime recuperent, vel de eo recuperando pene desperent, contingere solet, ut alius quis, cui commodior occasio, vel via expeditior patet ad obtinendam ejusmodi summam, sese creditori offerat ad emendum chirographum, sicque transferendum in se jus creditoris, minore tamen pretio, quam sit debitum chirographo insertum. Hoc præscipto,

Respondetur primo. Licitum est emere chirographa, seu debita alterius minore pretio ratione lucri cessantis, damni emergentis, incertitudinis, periculi &c. In hoc conveniunt omnes. Ratio patens est; quia tunc sicut aliarum rerum, ita & chirographorum valor proportionaliter minuitur.

Respondetur secundo. Seclusis lucro cessante, & damno emergente, ac quovis alio periculo, aut difficultate, non licet chirographa minoris emere. Palao *de Just. commut. disp.* 5. *pun.* 13. *n.* 6. Cardenus *in* 2. *crisi. dissert.* 25. *c.* 4. Sporer *tr.* 6. *in Decal. c.* 5. *n.* 49. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 984. & alii satis communiter contra alios. Ratio est: quia si nullus titulus ex relatis concurrat, & chirographum centum aureorum v. g. vendatur pretio nonaginta aureorum, non servatur æqualitas pretii; ergo committitur injustitia. Prob. ant. Nam si solum ob dilationem temporis fieret æqualitas, valeret quoque in mutuo, in quo pariter attenditur æqualitas pecuniæ numeratæ cum numeranda: atqui in mutuo non valet: cum sic in eo committatur injustitia, ac usura; prout traditum est *n.* 753. ergo sola dilatio temporis non dat eam æqualitatem: consequenter &c.

Intellige tamen modo dicta; si in recuperando debito nulla sit *difficultas secundum communem æstimationem*. Nam si spectato communi rerum statu debitum æstimetur difficile acquisitu, & solus emptor, utpote apud debitorem, v. g. Principem, vel ejus Officiales valde potens, nullam difficultatem in illo obtinendo habiturus sit, juste chirographum minoris emet. Molina, Lessius, Lugo, Laymann, Sporer *loc. cit. n.* 50. La Croix *numer.* 987. Ratio est: quia valor rei non debet desumi ex privato valore, aut utilitate emptoris, sed ex communi hominum æstimatione: atqui debitum illud, attento communi rerum statu, æstimatur difficile acquisitu (ut supponitur) ideoque communi æstimatione minoris valet; ergo juste minoris emitur; neque enim emptor ob favorem, quo apud debitorem pollet, debet esse deterioris conditionis, quam alii; prout revera esset, si alii possent, ipse autem non posset ejusmodi chirographum ita minoris emere. Confirmatur a pari. Qui scit artem domandi equum ferocem, non ideo tenetur illum cariori pretio comparare, quam alii, qui ejusmodi artem nesciunt; ergo neque emptor qui habet artem, & modum, vel occasionem recuperandi chirographum, tenetur illud carius emere, quam alii, quibus ejusmodi occasio non suppetit.

Sed quid de ipsis Officialibus Principis?

Respondetur, quod hi, si loco Principis præsint solvendis debitis, ejusmodi chirographa minoris emere non possint. Ratio est: quia tunc gerunt personam Principis; atque adeo ex justitia obligantur superare, ac tollere difficultatem solvendi, ob quam valor chirographorum minuitur: consequenter &c. Navarrus, Lessius, Sporer *loc. & n. cit.* Mezger *tom.* 3. *tr.* 13. *disp.* 43. *art.* 3. *n.* 5.

804. Quæres secundo, an licita sit emptio cum pacto revendendi, seu, ut loquuntur, retrovendendi?

Respondetur affirmative: dummodo pro modo favoris, vel oneris, quod ex hujusmodi pacto alteruter contrahentium habet, augeatur, vel minuatur pretium rei venditæ. Laymann *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 18. Mezger ubi supra *num.* 6. & alii communiter. Ratio est: quia venditio cum tali pacto nullum continet vitium, cum pretium ponatur æquale, adeoque justum, nempe tantum, quanti valet res vendita, quatenus subſtat tali oneri, vel favori.

Dixi: *Dummodo augeatur, vel minuatur pretium pro modo favoris, vel oneris.* Et hinc si hoc pactum cedat in utilitatem solius venditoris, quando nimirum emptor venditori tenetur restituere, res vendi debet viliori pretio; siquidem hoc onus annexum est pretio æstimabile. Si vero cedat in favorem emptoris, ut scilicet ad hujus placitum teneatur venditor rem redimere, res carius, quam alias solet, vendi potest. Quantum vero de pretio rei, cum pacto de retrovendendo venditæ, detrahi possit, prudentis arbitrio, sive Judicis officio determinandum est spectatis circumstantiis, nempe expensis in rem faciendis, longitudine, ac brevitate temporis, & cujusque regionis consuetudine.

Dices contra respons. in *c.* 5. *de Empt. & Vendit.* emptio, & venditio facta cum pacto redimendi, seu retrovendendi, præsumitur esse contractus usurarius, seu usura palliata; ergo &c.

Respondetur, venditionem ibi factam usurariam reputari propterea, quod tantum fuerit palliata, seu simulata venditio, volebat enim in eo contractu emptor, aut verius ex mutuo creditor lucrari annuas pensiones, & fructus ex domibus, ac olivis in speciem venditis, reipsa pignori datis provenientes, salva sorte, quam pro hujusmodi domibus, & olivis dedit, quippe post septennium restituenda: quod revera est aliquid accipere ultra sortem titulo mutui; & per consequens culpam usuræ involvit.

805. Quæres tertio, an & quomodo monopolia sint licita?

Antequam ad Quæsitum respondeatur, præsciendum est, *Monopolium* esse unius in Provincia, vel Civitate venditionem: unde qui talem venditionem solus exercet, *Monopola* dicitur. Possunt tamen etiam plures per modum unius instituere monopolium, seu sibi solis vendicare jus vendendi certas merces. Porro monopolium institui potest, ac solet tribus præcipue modis. 1. *Authoritate publica*; ut dum a Principe, vel Magistratu vi supremæ jurisdictionis, & dominii alti, quo pollet in jura subditorum, uni, vel pluribus conceditur privilegium, ut ipsi soli certum genus mercium vendere possint. 2. *Ex compacto*; puta, quando venditores conspirant, ut non nisi certo pretio vendant, atque hoc pacto emptores cogantur ad emendum illo pretio. 3. Ex coemptione omnium mercium; ut quando tempore opportuno unus, vel plures emptores certæ alicujus speciei merces in maxima quantitate pretio vili, tunc currente, coemunt, ut postea alii cogantur emere pretio majori ob defectum mercium ab aliis comparabilium. Hoc præscito,

Respondetur primo. Monopolium primi generis est licitum, si ex justa causa, puta ob bonum commune, concedatur. Ratio est: quia Princeps vi dominii alti privare subditos potest certo aliquo jure, boni communis gratia: prout fatentur omnes, & approbat receptissima praxis. Hinc Bibliopolis, aut Typographis licite datur privilegium, ne alii intra certum tempus recudant eundem librum; secus enim nemo vellet expensas impressionis subire, si, evulgato semel libro, possent alii eum recudere, pretioque viliori vendere, ac distrahere.

Respondetur secundo. Monopolium secundi generis, spectato Jure naturæ pariter nihil injustitiæ continet, nisi homines adigantur ad merces pretio summum excedente comparandas. Ratio est: quia vendere pretio summum non excedente est justum, ac licitum; adeoque potest in pactum deduci, quo absque vi, vel fraude venditores mutuo sese obligent ad non vendendas suas merces, nisi pretio summo. Ita Card. de Lugo hic *n.* 172. Haunoldus *n.* 276. & alii.

Dixi: *spectato Jure naturæ*. Nam, spectato Jure positivo, illud est prohibitum, & illicitum, nisi justificetur authoritate publica. *l. un. C. de Monopoliis*. Nomine autem summi pretii intelligitur, id quod est tale, secluso omni monopolio.

Respondetur tertio. Neque monopolium tertii generis contra Justitiam pugnat, per se loquendo. Molina *dispût.* 345. *conclus.* 3. Reginaldus *lib.* 25. *a numer.* 331. Toletus *lib.* 8. *cap.* 53. & alii contra alios. Ratio est; quia talis monopola utitur jure omnibus communi, dummodo servet taxam pretii justi in emendo, & vendendo, quod scilicet tale est, secluso monopolio; nam pretium debet taxari ex raritate, & frequentia emptorum, ex abundantia, vel penuria rerum, ex necessitate earundem &c. (ex his, inquam, per se loquendo, & abstrahendo a monopolio, non ex iisdem per accidens, in quantum scilicet frequentia emptorum, penuria rerum, earumque necessitas, & similia emergunt ex monopolio) quæ cum post monopolium eadem sint, idem debet esse & pretium.

Dixi: *per se loquendo*. Siquis enim cives malo dolo impediat, ne sibi in tempore consulant; aut merces tempore pecuniæ majori pretio distrahat, quam sit justum commune consideratis illius temporis circumstantiis, absque dubio graviter peccabit, & obligationem contrahet datum damnum reparandi.

Dices primo contra tertiam respons. præsertim. Hac ratione cives compelluntur injuste ad augendum pretium;

tium;

rium; item Reipublicæ injuste subducitur pretium medium, & infimum; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. quoad utrunque membrum. Nam inprimis cives non compelluntur, sed libere jam emunt carius, quod neglexerunt antea emere vilius. Deinde poterant, si voluissent, pretio infimo, aut medio merces cumparare in tempore; non igitur apparet, quod tale pretium injuste subducatur Reipublicæ.

Dices secundo. Saltem talis emptor graviter peccabit contra Charitatem proximi.

Respondetur primo, transmittendo assumptum; nam nostra responsio nullum inde præjudicium subit, utpote quæ principaliter, & signate loquitur de peccato injustitiæ.

Respondetur secundo, neg. assumpt. Charitas enim regulariter non obligat ad abstinendum a lucro, ne proximus patiatur damnum; alioquin enim semper vendendum esset pretio infimo. Dixi: *regulariter:* propter id, quod diximus *part.* 1. *n.* 429. *in fin.*

Ex dictis fluit, non peccare illum, qui merces suas servat in aliud tempus, quo carius vendat. Ratio est, quod existat dominus suarum mercium, illasque aut servare possit cum periculo futuri lucri, aut modo distrahere. Nec refert, si eas jam exposuerit venditioni. Hoc nanque non obstat, quo minus earundem dominus persistat, & disponere valeat, prout placuerit.

CAPUT V.

Expediuntur, quæ concernunt residuos Contractus.

SUMMARIUM.

806. *Quid sit Locatio Conductio, & quænam circa illam notanda?* 807. *Quid sit Commodatum; quid Precarium; quid & quotuplex Depositum?* 808, *Quid sit Permutatio?* 809. *Quid sit Cambium, quotuplex, & quid circa illud veniat notandum?* 810. *Quid sit Negotiatio, quotuplex, & num illicita Personis Ecclesiasticis?* 811. *Quid sit Societas, & an licita?* 812. *Quid sit Emphyteusis, & quid circa illam notandum?* 813. *Quid, & quotuplex sit Feudum, quidque notandum circa illud?* 814. *Quid sit Libellus?* 815. *Quid Sponsio?* 816. *Quid sit Olla fortuna, & utrum licita?* 817. *Quid sit Ludus, & quænam conditiones requirantur, ut sit licitus?* 818. *Quid sit Assecuratio; quid Fidejussio; quid Hypotheca, & Pignus?*

PLures quidem contractus adhuc residui sunt; sed quoniam vel momentosas difficultates non continent, vel harum accuratior discussio ad Juristas pertinet, eos strictim percurremus, breviterque per Quæsita, & Responsa expediemus. Unde

806, Quæres primo, quid sit Locatio-Conductio, & quænam circa illam notanda?

Respondetur primo. Sicut unus, idemque contractus Emptio est, & Venditio, dictus *venditio* comparatione vendentis, comparatione ementis *emptio*, prout *n.* 772. advertimus, ita unus, idemque contractus est Locatio, & Conductio comparatione locantis *locatio*, comparatione conducentis dictus *conductio*, reipsa consistens in mutuo locantis, & conducentis consensu.

Respondetur secundo. Locatio-Conductio est *contractus, quo persona, aut res aliqua alteri utenda, vel fruenda pro certo pretio, aut mercede conceditur, & ab eodem accipitur.* Dicitur: *persona*, aut *res:* quia locari potest tum persona ad operas; tum res, sive mobilis, sive immobilis ad usum, vel usumfructum. Dicitur: *pro certo pretio, aut mercede:* quia sine certo pretio, aut mercede locatio non contrahitur. *l.* 35. §. *cum fundum* 1. Differt Locatio Conductio ab Emptione-Venditione, quod hæc si traditione perfecta sit, rei venditæ dominium transferat; secus illa. Item quod Emptio-Venditio exigat pretium consistens in pecunia numerata; Locatio-Conductio autem perfici quoque possit, si interveniat pretium consistens in aliis rebus fungibilibus.

Respondetur tertio, quando evenit impedimentum, ob quod conductor uti, aut frui non potest re conducta, liberatur a solutione conventæ pensionis pro tempore existentis impedimenti, quando hoc se tenet ex parte rei conductæ, aut extrinseci infortunii, nulla interveniente culpa conductoris; ut si conducta domus v. g. ruinam minetur, nocturnis spectris infestetur, vel ex alia simili causa totam habitationem non amplius præstet. *l.* 27. §. *iterum* 1. Ratio est: quia conductor non censetur promittere pensionem, nisi quatenus re conducta poterit uti, aut frui. Oppositum dicendum, quando impedimentum provenit ex parte, vel culpa ipsius conductoris: prout colligitur ex *l.* 9. §. 9. *ff. locati*, Unde si operarium conduxisti ad annum integrum, & postea (citra causam ab operario datam) mutato consilio, illius opera solum uteris per annum dimidium, teneberis nihilominus (per se loquendo) mercedem pro toto anno conventam solvere: quia operarius vi contractus acquisivit jus ad totam mercedem sibi solvendam a domino pro conducta opera ad integrum annum. Ita Lessius *lib.* 2. *de Just. c.* 24. *dub.* 2. *n.* 8. Laymann *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 3. & alii passim. Dixi: *per se loquendo*. Nam æquitas videtur poscere, ut operarius, si mox alium conductorem æque bonum, & æquale salarium dantem reperiat, sit contentus solutione dimidiata, seu commensa dimidio anno: quemadmodum advertit Lessius *loc. cit. n.* 10. & 11.

708. Quæres secundo; quid sit Commodatum, quid Precarium; quid, & quotuplex Depositum?

Quam culpam præstare teneatur commodatarius, depositarius &c. dictum est *n.* 420, Unde hic solum restat, ut specificatorum contractuum essentias disquiramus. Pro quo

Respondetur primo. Commodatum est *contractus, quo res ad certum usum, vel tempus, gratis ea lege conceditur, ut illo finito, eadem individuo restituatur.* §. 13. *Inst. quibus modis re contrah. obligat.* Dicitur *res:* sive sit mobilis, sive immobilis. Dicitur. *ad usum:* nam in commodato non transfertur dominium, sicut in mutuo. Dicitur: *ad certum usum:* hinc si commodatarius re commodata abutatur, committit furtum. §. 6. *Inst. de Obligat. quæ ex delict.* Dicitur: *ad certum tempus;* ut Commodatum distinguatur a Precario, quod ad nutum, & arbitrium concedentis revocari potest. Unde commodator non potest (per se loquendo, & nisi causa interveniat) commodatum repetere ante tempus conventum; & si repetat, tenetur commodatario resarcire damnum, siquod ex intempestiva commodati repetitione ei enatum sit. Dicitur: *gratis conceditur:* nam commodatum oportet esse gratuitum, juxta §. 13. *cit.* Dicitur: *ea lege, ut res commodata eadem individuo restituatur. l.* 2. *prin. ff. de Reb. credit.* Per quod iterum differt a mutuo.

Respondetur secundo. Precarium est *contractus, quo alicui petenti rei usus gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus. l.* 1. *ff. de Precario.* Dicitur 1. *gratis conceditur:* quia Precarium juxta ipsum etiam nominis etymon importat quandam speciem Liberalitatis: unde liberaliter, & non retributionis intuitu concedi debet. Dicitur 2. ad *arbitrium ipsius concedentis revocandus:* siquidem ea est Precarii natura, & indoles, ut revocari possit, quandocunque concedenti placuerit. Per quod differt a commodato, quod regulariter ante tempus conventum revocari non potest. Interim tamen etiam revocatio Precarii non debet citra causam omnino statim, & incontinenti fieri; sic enim, qui Precarium accipit, nullo prorsus illius usu, aut commodo frueretur, quod pugnat contra naturam beneficii, cujusmodi est Precarium: prout recte notat P. Schmalzgrueber *lib.* 3. *tit.* 14. *n.* 7.

Respondetur tertio. Depositum est *contractus, quo res alicui gratis custodienda traditur ea lege, ut eadem numero ad deponentis arbitrium restituatur. l.* 1. *ff. Depositi.* Dicitur: *gratis traditur:* si enim pacto accedat merces, quæ sit pecunia, depositum admixtam habebit locationem; si merces sit res alia, in contractum innominatum migrabit. *l.* 1. §. 9. *ff. de Deposito.* Dicitur 2. *custodienda*, quia per depositum proprie dictum nuda detentio, & custodia rei, non vero dominium, aut usus ejusdem transfertur. Et hinc, qui absque expressu, vel tacito consensu depositoris re apud se deposita utitur, furtum usus commisisse censetur. §. 6. *Inst. de oblig. quæ ex delict.*. Dicitur 3. *res*, sive hæc sit mobilis, sive immobilis; nam etiam res immobilis objectum depositi constituit. Ratio est: quia depo-

deponere in usu Juris est rem alteri custodiendam dare, *l. 186, ff. de V. S.* quod etiam circa rem immobilem fieri potest; nam domus v. g. recte alicujus custodiæ committitur, ne pereat incendio, ne tectum pluviis expositum rimas agat &c. Ayblinger *in Inst. lib. 2. tit. 15. part. 3. n. 77. & seqq.* ubi etiam adducit, & solvit argumenta contraria.

Depositum dividitur in *Depositum in specie*, & in *Sequestrum*. Depositum in specie est, quo res non litigiosa ab uno, vel pluribus; aut litigiosa ab uno tantum custodienda traditur, *l. 1. §. 44. ff. de Deposito.* Ut ergo aliquid dicatur deponi in specie, & non sequestrari, requiritur, ut vel sit res non litigiosa, vel, si sit litigiosa, ut tradatur ab uno tantum, non ab ambobus, vel pluribus litigantibus. Hinc si meum equum, cujus dominium nemo alius prætendit, tuæ custodiæ committam, est depositum in specie, non sequestrum. Similiter depositum in specie erit, non sequestrum, si equum, de cujus dominio Titius, & ego contendimus, non sciente, vel non consentiente Titio, tibi custodiendum tradam. Author *cit. n. 70.* Sequestrum est, cum res litigiosa a litigantibus deponitur apud tertium (qui *Sequester* dicitur) ea lege, ut is, lite pendente, illam custodiat, &, lite finita, victori restituat, *l. 110. ff. de V. S.*

Depositum in specie subdividitur in *voluntarium*, & *necessarium*. Voluntarium est, ad quod non cogit præsens necessitas, vel imminens periculum, rem, quæ deponitur, perdendi: ut si abiturus Viennam, argentum meum apud te deponam custodiæ causa. Necessarium (quod & *miserabile* vocant) est, ad quod cogit præsens necessitas, aut morale periculum illam rem perdendi, nisi deponatur; qualia sunt, quæ incendii, ruinæ, tumultus, vel naufragii causa fiunt.

808. Quæres tertio, quid sit Permutatio?

Respondetur, quod sit *contractus, quo certa res in specie* (id est, in individuo) *datur pro alia certa re in specie*; ut cum datur certus equus pro certo equo, vel bove, vel cane certo; vel cum datur domus certa pro alia domo certa, aut domus pro agro, vinea, prædio certo &c. Differt ab *emptione-venditione*, quod in hac detur res pro pecunia habente se per modum pretii; in illa autem detur res pro re, vel etiam pecunia pro pecunia se habente per modum speciei, ut fit in Cambio per statim dicenda. Differt etiam a *mutuo*, quod in contractu mutui reddenda sit alia res similis, v. g. pecunia pro pecunia, frumentum pro frumento &c. neque intendatur principaliter acquisitio alterius rei, sicut in permutatione, sed principaliter spectetur utilitas mutuatarii. Videatur P. Schmier *lib. 3. tr. 3. c. 5. a n. 50.*

809. Quæres quarto, quid sit Cambium, quotuplex, & quid circa illud veniat notandum?

Respondetur primo. Cambium est *contractus quo pecunia permutatur pro pecunia negotiandi causa*: sive est *negotiatoria permutatio pecuniæ pro pecunia*. Unde est species permutationis. Qui rogatur, ut permutet, *campsor*; qui rogat, *campsarius* nominatur. Differt a *mutuo*: quia in mutuo non numeratur pecunia, ut ejus loco statim alia reddatur, sed ut mutuatarius ejus dominium acquirat, & usum recipiat, cum obligatione restituendi suo tempore aliam pecuniam ejusdem generis, & bonitatis. At in Cambio non requiritur aliqua dilatio, seu tempus medium inter pecuniæ traditionem, & repetitionem. Quod si tale interveniant, per accidens est. Deinde mutuum fieri potest etiam in aliis rebus mobilibus functionem recipientibus, esto pecuniæ non sint; v. g. in tritico, oleo &c. secus est de Cambio.

Respondetur secundo. Cambium (ut alias divisiones minus utiles omittam) dividitur in *manuale*, seu *minutum*, & in *locale*, seu *per literas*. Manuale, seu minutum est, quo commutatur pecunia major cum minore, pulchra cum deformi, vetus cum nova, legitima cum vetita, usualis in hac Provincia cum usuali in alia Provincia. Locale, seu per literas est, quo præsens pecunia commutatur cum absente; quod communiter fieri assolet per literas, licet sine literis, aut certa earum forma fieri possit.

Respondetur tertio. Non committitur usura, vel injustitia, quando accipitur lucrum moderatum ratione cambii manualis, vel localis? Ita DD. communiter. Quod non committatur usura, patet ex eo; quia ea non habet locum, nisi in mutuo vel expresso, vel tacito; prout insinuatum est supra in principio *cap. 3.* sed cambium qua tale, seu sistens intra limites cambii, non est mutuum sive expressum, sive tacitum; ergo usura non habet locum in cambio. Neque committi injustitiam, inde probatur: siquidem tunc nulla committitur injustitia, quando aliquid per modum pretii proportionati accipitur ob titulum pretio æstimabilem sed tam in cambio manuali, quam locali accipitur lucrum per modum pretii proportionati (ut supponitur) ob titulum pretio æstimablem; ergo nulla committitur injustitia. Ceterum in cambio manuali licite accipiendi lucrum sunt hi tituli. 1. Ipsum officium cambiendi, vi cujus necesse est habere parata diversa monetarum genera, famulos, subire diversa pericula patiendi jacturam bonorum. 2. Lucrum cessans, e. g. si moneta campsoris alibi pluris valeat, quo eam volebat deferre, & hoc omittat in gratiam campsarii. 3. Expendibilitas monetæ; ut cum accipiuntur nummi, qui alibi expendi possunt, pro iis, qui non possunt. 4. Puritas, & bonitas monetæ, serviens ad meliores effectus artificum; levitas ponderis commoda ad transferendum alio &c. In cambio locali tituli lucrum accipiendi sunt 1. Accessorius contractus locatæ operæ ad formaliter, vel virtualiter transferendam pecuniam in locum a campsario designatum. 2. Pactum assecurationis, quo campsor pecuniæ transferendæ securitatem promittit, & periculum in se suscipit. 3. Officium cambiendi, numerandi pecunias, constituendi scribas &c. 4. Lucrum cessans, ut supra in cambio manuali

810. Quæres quinto, quid sit Negotiatio, quotuplex, & num illicita Personis Ecclesiasticis?

Respondetur primo. Negotiatio est *contractus, quo comparantur merces eo animo, ut postea carius distrahantur lucri capiendi causa*. Unde si per accidens solum fiat, ut, quod emptum ad proprium usum, postmodum oblata occasione carius vendatur, non censetur esse negotiatio, sed potius ad œconomicam gubernationem spectat.

Respondetur secundo. Negotiatio est duplex nimirum *proprie*, & *improprie* dicta. Prior est, in qua res empta, puta vinum, frumentum &c. in se immutata, postea carius venditur quæstus gratia. Posterior est, in qua res empta, postmodum immutata, ac melior effecta, cariori pretio distrahitur; veluti si ex lana empta panni conficiantur, & vendantur; vel ex horreo cerevisia: si empti porci, aut boves saginentur, equi empti educentur, & carius vendantur.

Respondetur tertio. Utraque negotiatio, per se loquendo, & servata latitudine justi pretii, licita est; imo necessaria Reipublicæ, ut sic habeantur mercimoniæ apud mercatores, quas alioquin singuli cives, sibi comparare non possent. Ratio est: quoniam eadem merx, absque labe injustitiæ, minoris emi, & pluris vendi potest, dummodo non excedantur limites pretii justi: idque præsertim ab hominibus, qui huic negotio ad commune bonum, neglectis aliis lucrandi rationibus, suam operam consecrarunt, ut proinde ex illo ad sui, suorumque sustentationem lucrari debeat. Deinde succedunt alii tituli lucrandi; uti sunt expensæ in advehendis mercibus factæ; officium, & obligatio habendi illas paratas; labor, & pretium in illis conservandis &c.

Respondetur quarto. Negotiatio proprie dicta Clericis, aliisque Personis Ecclesiasticis est interdicta, ac illicita. Patet ex *can. 2. 9. 10. dist. 88. c. fin. de Vit. & Honest.* & *Trid. Sess. 22. c. 1. de Reform.* idque sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ *c. 6. Ne Clerici, vel Monachi*. A qua tamen pœna excusat *parvitas materiæ*; ut fatentur DD. communiter: *necessitas*; ut cum communi tenet Schmalzgrueber *ad tit. Ne Clerici, vel Monachi &c.* vel si id faciant per alios; prout docent Lessius, Laymann, Haunoldus, qui videri possunt.

Dixi: negotiatio *proprie dicta*. Nam improprie dicta non Clericis, vel Personis Ecclesiasticis interdicta; dummodo exerceatur honesto fine. Unde possunt fructus suo labore, vel ex suis bonis comparatos etiam cum lucro vendere per suos ministros, servos, parentes &c. imo possunt emere res alienas, easque, arte & industria sua immutatas, ac melioratas, postmodum carius vendere. Ratio est quia ut negotiatio sit illis

prohi-

prohibita, requiruntur duo. Unum est, ut hujusmodi res emantur, & immutatæ vendantur. Alterum est, ut emantur præcise gratia lucri, seu quæstus ex ea, carius vendita, deinde quærendi, Schmalzgrubet *loc. cit. n. 19.*

811. Quæres sexto, quid sit Societas, & an licita?

Respondetur primo. Societas est *contractus, seu conventio duorum, vel plurium ad conferendum aliquid in commune lucrum, & damnum secundum proportionem rerum contributarum*. Potest autem fieri dupliciter 1. ita, ut sit societas omnium bonorum, quacunque via, & ratione honesta, vel titulo, sive in præsens, sive in futurum illa bona obvenerint. 2. Ita, ut sit societas (quæ frequentius initi solet) certæ rei, quando nimirum plures pro certo genere negotii conferuot ad commune lucrum, idque rursus dupliciter; ut nempe vel uterque pecuniam, vel alter suam operam conferat.

Respondetur secundo. Societas est licita: modo certæ conditiones serventur. Patet hoc tum a posteriori, nempe ex communi hominum praxi: tum a priori, videlicet ex fine liciti, ac honesti lucri, quod sicut immediate per singulos contrahentium citra societatem, ita mediate per societatem obtioeri licite, ac honeste potest.

Dixi: *modo serventur certa conditiones*. Has in compendio refert Tamburinus *lib. 9. de Contract. tr. 8. c. 1. n. 7.* & sunt, ut omnes socii aliquid conferant: ut negotiatio sit de re honesta: ut æqualitas servetur io omnibus: ut pecunia collata stet periculo conferentis: ut lucrum dividatur pro quantitate partium collatarum: ut dividantur damna: ut expensæ sint communes: ut pacta apposita sint justa.

812. Quæres septimo, quid sit Emphyteusis, & quid circa illam notandum?

Respondetur primo. Emphyteusis (formaliter spectata) est *contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, retento directo sub onere pensionis realis, proprietario solvendæ*. Qui dat in Emphyteusim, dicitur dominus directus: qui accipit, dicitur dominus utilis; & speciali oomine *Emphyteuta*.

Respondetur secundo. Emphyteuta tenetur solvere pensionem tempore statuto: quod si neglexerit per tres anoos, res emphyteutica cum omnibus meliorationibus cadit in commissum, seu caducitatem, id est emphyteutæ amittitur, & redit ad dominum directum; idque ipso Jure ante omnem Judicis sententiam, *l. 1. & 2. de Jur. emphyteut.*

813. Quæres octavo, quid, & quotuplex sit Feudum, quidque notandum circa illud?

Respondetur primo. Feudum est *contractus, quo conceditur res immobilis, aut quasi immobilis sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi domino directo*. Is, qui concedit, dicitur *Infeudator*, dominus feudi, & etiam feudatarii: qui accipit, dicitur *Feudatarius, Vassallus, Beneficiarius*. Differt feudum ab emphyteusi. 1. Quod in hac solvatur pensio realis; in illa autem solum debeatur fidelitas, & obseqoium personale. 2. Quod emphyteuta tantum semel solvat laudemium, scilicet dum investitur; in feudo autem non solum primus vassallus, sed quilibet successor, etiam ejus hæres, teneatur intra aooum, & diem petere renovationem investituræ, & præstare juramentum fidelitatis. Imo si moriatur dominus directus, debet vassallus intra idem tempus ab ejus successore rursus investituram petere; alias incurrit caducitatem.

Respondetur secundo. Feudum varie dividitur. 1. In *nobile*, & *non nobile*. Nobile dicitur, quod accipientis personam nobilitat; vel si is jam prius nobilis fuit, talem esse ostendit. Non nobile illud vocatur, quod oon nobilitat; quia vel sine mentione oobilitatis, vel a persona, oobilitandi potestatem non habente, concessum est. 2. Feudum nobile subdividitur in *regale*, & *non regale*. Regale appellatur, quod ab Imperatore, vel alio Superiorem non recognoscente conceditur, & per quod datur investito omnis potestas, & jus in terris ad feudum illud pertinentibus, exceptis duntaxat iis, quæ concedens in signum supremæ jurisdictionis sibi reservat. Non regale est, quod conceditur a domino Superiorem recognoscente, vel ab Imperatore, aut alio Principe supremo, non tamen cum ejusmodi plena potestate, & jurisdictione. 3. Dividitur feudum in *ligium*, & *non ligium*. Ligium est, quod conceditur ab aliquo Superiorem in temporalibus non recognoscente, eo pacto, ut vassallus domino præstet fidelitatem adversus quemcunque, nemine excepto. Non ligium est, quo vassallus ita fidelitatem præstat uni adversus aliquos, ut tamen alteri etiam domino fidelitatem adversus alios spondeat. 4. Dividitur in *Ecclesiasticum*, quod a supremo Principe Ecclesiastico; & in *Seculare*, quod a Laico confertur. 5. Dividitur in *hereditarium*, quod transmitti potest ad heredes, etiam extraneos; & *non hæreditarium*, quod ad solos liberos: unde etiam appellatur *gentilitium*. 6. Denique dividitur in *masculinum*, quod ad solos masculos descendentes transmitti potest, iisque deficientibus revertitur ad dominum; & in *femininum*, in quo deficientibus masculis succedunt feminæ.

Respondetur tertio. Feudatarius tenetur 1. præstare juramentum fidelitatis domino directo. 2. Ei solvere laudemium pro investitura, & suo tempore exhibere obseqoium debitum. 3. Non disponere de feudo gentilitio absque consensu domini. Unde si sine hujus interventu illud alienare attentet, alienatio oulla est, & ipse alienans feudum amittit; emens vero feudum sic alienatum, si scienter hoc faciat, pretium perdit: Notarius quoque alienationis instrumentum conficiens punitur amissione officii, & amputatione manus. Schmalzgrueber *ad Tit. de Feud. n. 152.*

814. Quæres nono, quid sit Libellus?

Respondetur, quod sit in *contractus, quo emphyteuta, vel feudatarius rem emphyteuticam, vel feudalem alteri subemphyteuticat, vel subinfeudat*. Is, cui res subemphyteuticatur, vel subinfeudatur, dicitur *Libellarius*. Neque circa hunc contractum quidquam ootandum superest, nisi quod, si res, in emphyteusim, vel feudum accepta, ita tradatur tertio, requiratur consensus domini, quando fit in decennium.

815. Quæres decimo, quid sit Sponsio?

Respondetur. Est *contractus, in quo certantes de alicujus rei eventu sibi invicem aliquid spondent dandum ei, qui veritatem fuerit assecutus*. E. g. Certo tecum decem florenis, hanc, vel illam civitatem esse ab hostibus captam. Ad hujus contractus justitiam requiritur, ut, qui spondet, de rei veritate non sit certus; alias deficeret æqualitas, si in uno spondentium esset periculum, in altero non: nisi forte alter pertinaciter contradicens etiam te invitum, traheret ad spondendum: tunc enim nulla fraus interveniret, & alter, qui perdit, detrimentum suæ temeritati adscribere deberet.

816. Quæres undecimo, quid sit Olla fortunæ, seu Loteria, & utrum licita?

Respondetur primo. Olla fortunæ est *contractus, in quo emitur pretio taxato authoritate publica jus extrahendi schedulas cum spe lucri ex magno schedularum numero, quarum alia nihil, alia exigua, alia magna dona continent*.

Respondetur secundo, hunc contractum esse licitum, modo absit fraus, & servetur æqualitas pretii cum æstimatione spei lucrandi. Ratio est: quia contractus venditionis, & emptionis, quo pecunia datur in pretium, & spes rei recipiendæ subit rationem mercis, est licitus; prout constat ex *l. 8. §. aliquando, ff. de contrah. empt.* sed ita se habet olla fortunæ: quia in ea similiter impositione pretii emitur spes rei extrahendæ; ergo &c.

817. Quæres duodecimo, quid sit Ludus, & quænam conditiones requirantur, ut sit licitus?

Respondetur primo. Ludus est *contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit*. Ex ludis alii sunt, in quibus experimentum artis, industriæ, dexteritatis; alii, in quibus fortuna, vel casus prævalet.

Respondetur secundo. Ut ludus sit licitus saltem de Jure naturæ, requiruntur tres conditiones. Prima est, ut quis habeat potestatem disponendi de rebus ad lusum expositis. Secunda, ut alterum per iojuriam ad ludendum non pertraxerit. Tertia, ut contra Leges ludi nullam fraudem committat.

Dixi: *saltem de Jure naturæ*. Nam Jure positivo Civili prohibetur lusus alearum, aliique, qui magis fortuna, & casu, quam arte reguntur. Specialiter vero similes lusus Jure Canonico vetantur Clericis, & Monachis *c. 15. de Vit. & honest. Cleric.* Sed tam Juri Civili, quam Canonico per contrariam consuetudinem ita derogatum esse, ut non solum Laicus, sed etiam

Cleri-

Clericus, vel Monachus non peccet, si principaliter pro recreatione, & simul pro lucro moderato ludat chartis, vel aleis, dummodo id non fiat frequenter, nimis sumptuose, & cum scandalo populi, tradit P. Sporer *tr. 6. in Decal. c. 6. n. 8.* & alii apud ipsum.

818. Quæres decimo tertio, quid sit Assecuratio; quid Fidejussio; quid Hypotheca, & Pignus?

Respondetur primo. Assecuratio est *contractus, quo quis alienæ rei periculum sive gratis, sive pretio in se suscipit; obligando se ad eam compensandam, si pereat.* Ad cujus justitiam requiritur 1. Ut res assecurata sit pretio æstimabilis. 2. Ut vere subsit periculum. 3. Ut juxta æstimationem periculi in pretio servetur æqualitas.

Respondetur secundo. Fidejussio est *contractus, quo quis suscipit in se obligationem debiti alieni obligans se ad solvendum, vel satisfaciendum, si debitor principalis in solvendo, vel satisfaciendo defecerit.* Ejus conditiones sunt quatuor. Prima est, ut obligatio fidejussoris sit accessoria, obligationem principalis supponens. Secunda (quæ sequitur ex prima) est, ut fidejussor non obligetur ad plus, quam ipse debitor principalis. Tertia est, ut, si obligatio debitoris principalis sit invalida, talis etiam sit obligatio fidejussoris. Quarta est, ut fidejussor etiam juratus conveniri, & ad solvendum compelli regulariter non possit, nisi prius, facta excussione in bonis debitoris principalis, ista inveniantur non sufficere.

Respondetur tertio. Pignus, vel Hypotheca (prout hic accipitur) est *contractus, quo creditori res quæpiam traditur in securitatem debiti.* Pignus, & Hypotheca parum, aut nihil discrepant: prout videre apud P. Schmier *lib. 3. tr. 2. cap. 5. a n. 6.* Pignus, uti & Hypotheca alia dicitur esse *expressa*, quæ expresso contrahentium consensu constituitur; alia vero *tacita*, quæ constituitur ex dispositione Legis absque ullo alio pacto, vel contractu. Tam expressa, quam tacita vel est *generalis*, qua omnia omnino bona creditori oppignorantur, aut saltem quoddam genus bonorum, v. g. omnium immobilium, omnium mobilium, totus grex ovium &c. vel *specialis*, quando aliqua res oppignoratur in specie, singularis, & determinata, v. g. hæc domus, hic scyphus aureus &c.

CAPUT VI.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

819. *Nonnosa non tenetur restituere pretium pro usu sui corporis acceptum.* 820. *Nicasia, dum fundavit Beneficium Ecclesiasticum, cujus erectionem primum post suum obitum fieri desideravit, fecit dispositionem donationibus inter vivos annumerandam.* 821. *Nicostratus, qui uxorem suam importunis precibus sollicitavit, ut ipsum in testamento heredem scriberet, præteritis fratribus consanguineis, hereditatem accipere, & retinere potest in utroque foro.* 822. *Nemesius injuste agit, fingendo necessitatem, ut bona immobilia, quæ juxta Legem Patriæ ad duos ejus nepotes æquali portione devolverentur, vendere possit uni quoad majorem portionem, donatis eidem prævie bis mille Imperialibus, quibus erat.* 823. *Nonnatus usuram committit, dum mutuat centum florenos Nonnatæ infirmæ, ac inopi, & præter oppignorationem aedium centum florenis æstimatarum, quas Nonnata cum ancilla inhabitat, & præter quas nihil pretio æstimabile habet, exigendo per modum interesse singulis annis quinque florenos.* 824. *Nereus, & mercator illicite, ac injuste agunt; imo usuram palliatam committunt, dum ineunt pactum venditionis, & emptionis reciproca, seu contractum, qui dicitur* Mohatra. 825. *Narcissus nobilis, qui debebat Principi mille aureos, peccat respective, & non peccat, dum orat Principem, qui ex alia causa totidem aureos debebat Hospitali, ut ipsi debitos mille aureos pro ipso possit solvere Hospitali; & idcirco minoris emit creditum Hospitalis.* 826. *Nicephorus, & Nicephorianus ineunt contractum Societatis, ille pecuniam, iste operam confert suam; elapso autem triennio nullum reperiunt lucrum, sed solam sortem, quæ ad illum redit, qui eandem posuit.*

CASUS I.

819. *Nonnosa, mulier maritata, pro usu corporis sui, repetitis vicibus concesso, pretium non exiguum acceperat a Nonnoso nobili juxta, ac opulento juvene. At quoniam una cum aliis templo, & concioni, in qua crimen adulterii energice perstringebatur, interfuit, pœnitudine tacta scelerum præteritorum, consilia saniora capessere statuit. Unde ad Confessarium accurrit, peccata perpetrata confitetur, vitæ emendationem spondet. Sed una sciscitatur, an pretium pro facta corporis copia obtentum, retinere possit? Quidnam sciscitanti Nonnosæ reponendum?*

Respondetur. Nonnosæ reponendum, quod acceptum pretium retinere citra injustitiam, & salva conscientia possit. DD. communiter. Ratio est: quia obligatio restituendi pretium in Casu nec evincitur ex Jure naturali, nec ex Jure humano; ergo non datur. Cons. constat: siquidem alia radix, ex qua pullulet, assignari nequit. Ant. prob. Non enim ex primo; nam usus corporis est pretio æstimabilis, non quidem ut peccaminosus reduplicative, sed ut onerosus, in gratiam alterius indebite exhibitus; ergo, spectato Jure naturæ, potuit vendi; & per consequens &c. Neque ex secundo; nam Jus humanum meretrices etiam occultas, ac maritatas nullibi reddit inhabiles ad ejusmodi pretium petendum, accipiendum, & retinendum post opus malum executioni mandatum; prout clare indigitatur *l. 4. §. sed & quod meretrici. ff. de condict. ob turpem, & injustam causam*, ibi, *sed quod meretrici datur, repeti non potest &c.* Ex quo inferunt Authores, quod meretrix pretium conventum, & necdum persolutum, petere jure possit etiam in Judicio: quia promissio pretii non fuit gratuita, sed onerosa, sita in contractu innominato, *do ut facias*; quem contractum cum altera pars impleverit, altera quoque ex Justitia implere tenetur.

Dices. Accipiens aliquid ob scelus peccat; ergo non potest accipere &c.

Respondetur, dist. ant. Ob scelus patrandum, con. patratum, neg. vel subdist. quatenus spectatur scelus sub ratione actus peccaminosi qua talis, con. quatenus spectatur sub ratione actus onerosi, in alterius gratiam indebite exhibiti, neg. ant. &, sub data distinctione, cons. Acceptio pretii ob scelus patrandum est peccaminosa, cum accipiens spondeat, & promittat admissionem sceleris: acceptio autem pretii ob scelus patratum, quatenus hoc spectatur sub ratione actus onerosi, in alterius gratiam, ac commodum indebite positi, de se culpa vacat; cum ut sic supponat culpam jam commissam, possitque fieri cum perfecta detestatione illius non amplius committendæ.

Instabis. Jus accipiendi pretium oritetur in Casu ex promissione facta sub conditione operis turpis impetrandi: sed inde non oritur; ergo &c. Min. prob. Quia similis promissio non valet ante conditionem impletam; ergo nec post: consequenter &c.

Respondetur, neg. min. Ad prob. dist. ant. Non valet similis promissio, in quantum est operis turpis intentiva, con. in quantum est operis turpis supposita, neg. ant. & cons. Promissio illa est saltem virtualiter duplex. Una est, qua adulter dicit: *promitto tibi v. g. florenum, si consentias, ut vel ut consentias in adulterium.* Altera est, qua dicit: *dabo tibi florenum, si tecum adulteratus fuero.* Porro promissio, seu contractus est nullus, cum sit operis turpis intentivus; posterior autem valet & obligat, cum solummodo sit operis turpis suppositivus, & possit impleri sine omni peccato. Nec obstat, quod hi duo modi tendendi plerumque fiant per unicum formaliter indivisibilem actum. Nam in primis absolute sunt separabiles; ut patet, siquis, suæ fragilitatis conscius, cum firmissimo tamen non peccandi proposito, dicat puellæ: *si rursus tecum turpiter egero, te ducam in uxorem.* Deinde licet reipsa non separentur, sed coexistant in eodem formaliter actu, quia tamen feruntur in objecta penitus diversa, ideo talis actus est quidem vitiosus, & nullus quoad unum modum tendendi, seu in quantum est operis turpis intentivus; valet tamen, & obligat quoad alterum, seu in quantum est operis suppositivus; nam utile per inutile vitiari non debet, juxta *Regulam J. 37. in 6.*

CASUS

CASUS II.

820. *Nicasia, primæ nobilitatis Vidua, & opum dives, fundavit Beneficium Ecclesiasticum; illius tamen executionem, & erectionem primum post obitum suum fieri desideravit. Quæritur, sitne talis fundatio donationibus mortis causa, vel vero donationibus inter vivos annumeranda; & consequenter sitne revocabilis, vel irrevocabilis?*

Respondetur, quod sit annumeranda donationibus inter vivos; adeoque existat irrevocabilis. Ita P. Schmier *lib. 3. tr. 3. c. 7. a n. 157.* P. Pichler *in Jur. Can. practice explicat. lib. 3. tit. 24.* & alii apud ipsos. Ratio est 1. Quia donatio inter vivos, non mortis causa, censetur esse, quoties in dispositione non fit expressa mentio mortis, licet executio referatur in tempus mortis, vel post mortem *l. 42. §. fin. ff. de mort. caus. donat.* atqui Nicasia in sua dispositione, seu fundatione non fecit expressam mentionem mortis, licet executionem retulerit in tempus mortis, vel post mortem: quemadmodum patet intuenti Casum; ergo &c. Ratio est 2. Quia de omnibus fundationibus, & dispositionibus piis generaliter est tenendum (nisi scilicet fundans, vel disponens aliter expresserit) quod habeant naturam, & qualitatem actus inter vivos; tum qui fundat, sive disponit ad causam piam, non facile credatur de sola morte cogitasse, cum ejusmodi dispositiones disponentibus etiam in vita prosint; prout recte advertit P. Schmier *loc. cit. n. 160.* ergo &c.

Dices. Nicasia fundando Beneficium disposuit de suis bonis in tempus mortis; ergo ipsius dispositio est species ultimæ voluntatis: atqui non alia, quam donatio mortis causa; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. ant. Disposuit in tempus mortis, & simul intuitu mortis (quod utrunque copulative ad rationem ultimæ voluntatis exigitur; prout insinuavimus *n. 713.*) neg. in tempus mortis, sed non intuitu mortis, con. ant. & neg. cons. Vel die cum P. Schmier *n. 162.* (quod tamen reipsa in idem recidit) solam executionem donationis in tempus mortis suspensam non sufficere, ut dicatur esse donatio mortis causa, nisi etiam substantia, & forma illius (consistens in cogitatione mortis sufficienter manifestata) in illud tempus referatur.

CASUS III.

821. *Nicostratus maritus uxorem suam, morti jam jam appropinquantem, precibus importunis solicitavit, tandemque impetravit, ut ipsum in testamento heredem scriberet, prateritis fratribus consanguineis. At, secuta uxoris morte, angitur, an hereditatem accipere, ac retinere possit, quin sibi metuere habeat, sive in foro interno reatum culpæ, sive in foro externo rescissionem testamenti? Consulit proinde Confessarium. Quid hic Nicostrato dicet?*

Respondetur. Confessarius dicet Nicostrato, quod testamentum uxoris valeat, neque sit obnoxium rescissioni; adeoque quod citra timorem culpæ, aut rescissionis capessere, ac retinere hæreditatem possit. Basilius Pontius *de Matrim. lib. 4. c. 10. n. 5.* Burghaber *cent. 3. cas. 52.* & alii. Ratio est: quia ex una parte fratres consanguinei non sunt hæredes necessario instituendi in testamento, præterquam in casu, quo, ipsis præteritis, institueretur persona turpis; prout *n. 730.* dictum: ex altera vero parte supponuntur adhibiti testes, & alia ad valorem testamenti requisita; nec preces importunæ abstulerunt testatrici libertatem testandi; ergo testamentum censendum est validum; nec rescissioni obnoxium, cum neque injuria, neque aliud quidpiam intervenerit, ob quod rescindi deberet, aut posset.

CASUS IV.

822. *Nemesius duos habet nepotes, Cajum, & Titium, ad quos, juxta Legem Patriæ, æquali portione devolvi debent bona immobilia Patrui, sive Nemesii, esto hic ea bona vendere, & pretium inde redactum consumere posset, si in necessitate constitutus esset. Et quoniam Cajus Nemesio acceptior est, ac Titius, optat Nemesius, majorem, & meliorem bonorum partem obtingere Cajo, quam Titio: utque suo potiri voto valeat, fingit necessitatem, & donat Cajo bis mille Imperiales, quibus modo in vivis a se emat nobiliorem portionem bonorum illorum. Quæritur, an Nemesius injuste agat?*

Respondetur affirmative. P. La Croix *lib. 3. part 2. n. 1173.* videturque esse communis. Ratio est 1. Quia Titius per Legem Patriæ (quæ etiam in conscientia obligat; prout cum Suarezio ostendit *cit.* Author) obtinet jus ad medietatem illorum bonorum, cum tempore sibi obventuram; ergo dum hoc jure spoliatur, ut fit in Casu, injuriam patitur. Ratio est 2. Illicitum nanque, & injustum est, aliquem impedire per fraudem a consecutione boni, quod licite petere, atque sperare potest: sed Nemesius Titium a consecutione boni, quod licite sperare potest, impedit per fraudem, dum fingit, se necessitate pressum illa bona vendere; ergo &c.

CASUS V.

823. *Nonnatus, avarus senecio, mutuat Nonnatæ, viduæ inopi juxta, ac infirmæ, centum florenos, ea tamen lege, ut sibi oppignorentur ædes Nonnatæ, centum florenis æstimatæ (quas ipsa sola cum ancilla inhabitat, ac præter quas nihil pretio æstimabile habet) & singulis insuper annis quinque floreni per modum* interesse *pendantur; esto mutuator prædictos centum florenos suos una cum reliquis pecuniis in cista otiose jacentes reservasset. Quæritur, an similis mutuatio usuram contineat?*

Respondetur affirmative; haud quidem ob desideratam oppignorationem ædium, sed ob exactionem *interesse*. Ita P. Reiffenstuel *lib. 5. tit. 19. n. 63.* & alii communiter. Ratio est: quia Nonnato nullus suffragatur justus titulus aliquid exigendi, & accipiendi ultra sortem mutuo datam; ergo exigendo, & accipiendo usuram committit. Cons. fluit. Ant. ostenditur. Non enim illi suffragatur periculum amittendæ sortis, cum hæc sit assecurata per oppignorationem ædium: neque damnum emergens, aut lucrum cessans; quia cum pecuniam mutuatam otiose reservasset in cista (ut habet species facti) vi mutuationis nec damnum patitur, nec lucro privatur: neque aliud quidpiam: cum nihil assignari possit; ergo &c. Nec dicas, quod Nonnato suffragetur emptio census annui, quam ipsimet licitam esse asseruimus *n. 792. 793. & 798.* Contra enim est, neg. assumpt. Nam census annuus; ut sit licitus, debet fundari vel super re, vel super persona frugifera: atqui Nonnata nec obtinet rem frugiferam, cum nihil habeat præter ædes, a se, suaque ancilla inhabitatas; nec ipsa est persona frugifera, hoc ipso, quod ponatur esse infirma; ergo &c.

CASUS VI.

824. *Nereus pecunia indiget, & cum præsto non sit, qui aliquam mutuet, adit mercatorem, qui nolens & ipse mutuare pecuniam, offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia credita pretio summo, & postea sibi revendat easdem pecunia numerata pretio infimo. Quæritur, an hujusmodi pactum venditionis, & emptionis reciprocæ (quod ab Hispanis vocatur* Mohatra *) sit licitum, ac justum?*

Respondetur, tale pactum esse illicitum, ac injustum; imo continere usuram palliatam. Ita DD. communissime. Ratio est: quia licet verbotenus habeatur venditio, & emptio, reipsa tamen habetur mutuum, & quæritur lucrum ex mutuo, ut in omnibus contractibus, in quibus usura palliatur; ergo contractus *Mohatra*, est illicitus, injustus, ac usurarius. Deinde dato, non concesso, quod fiat verus contractus emptionis-venditionis, & non mutui, adhuc injustitiam continet; quia venduntur merces pretio summo, unaque superadditur onus illas revendendi pretio infimo, quod onus est pretio æstimabile. Unde sicut injusta esset venditio equi pretio summo facta, si superadderetur emptori onus vendendi domum suam, & maxime si ea esset vendenda pretio infimo; ita in proposito dicendum &c. Ex quibus patet, quam merito damnata sit ab Innoc. XI. *hæc. prop. ord. 40. contractus* Mohatra *licitus est etiam respectu ejusdem perso-*

næ, &

na, & cum contractu retrovenditionis prævio inito, cum intentione lucri.

Dices primo. Nereus vendit merces pretio infimo ut succurrat suæ indigentiæ; ergo ei non imponitur onus, sed potius fit beneficium a mercatore, dum hic emit merces pecunia numerata, quas carius vendiderat pecunia credita: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Nam licet mercator faciat Nereo beneficium eatenus, quatenus sese offert ad reemendas merces; simul tamen grave onus imponit, videlicet obligationem sibi revendendi pretio infimo, cum sic illi adimat facultatem vendendi merces alteri pretio majore, medio scilicet, aut summo.

Dices secundo, Contractus *Mohatra* non est injustus, si sit respectu diversarum personarum, & sine pacto prævio retrovenditionis; ergo neque injustus erit, si sit respectu ejusdem personæ, & cum illo pacto.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est; nam quando mercator vendit pecunia credita merces pretio summo, injustitiam non committit. Quod si tertius deinde easdem merces pecunia numerata emat pretio infimo, pariter non agit injuste: cum uterque servet leges contractus emptionis, & neuter Nereo v. g. imponat onus, quo inique gravetur. Idem dicendum, si Nereus nullo prævio pacto retrovenditionis adactus, merces, prius a mercatore emptas, easdem huic libere revendat. Aliud est in nostro Casu, in quo Nereus ad revendendum, & quidem pretio infimo (quod bene notandum propter dicta *n.* 804.) vi prævii pacti adstringitur, ideo, que injuste gravatur.

CASUS VII.

825. *Narcissus Nobilis debebat Principi mille aureos ex emphyteusi; idem autem Princeps ex aliqua alia causa debebat itidem mille aureos cuidam Hospitali: Narcissus, callidus lucrandi artifex, orat Principem, ut ipsi debitos mille aureos pro ipso possit solvere Hospitali, ac facultate impetrata, vel sperata, facili negotio emit multo minoris, quippe quadringentis duntaxat aureis, creditum Hospitalis ingenti lucro sexcentorum aureorum. Quæritur, an licite, & juste?*

Respondetur cum distinctione. Si Narcissus eam facultatem a Principe reipsa impetravit, antequam emerat creditum ab Hospitali, illicite, & injuste se gessit. Ratio est: quia quando Princeps illi istam licentiam, seu commutationem concessit, transtulit in ipsum onus solvendi loco sui illos mille aureos, quod onus involvit etiam obligationem solvendi sine difficultate; ergo sicut ipse Princeps non poterat tali minore pretio illud debitum extinguere, ita nec Narcissus, qui illam commutationem impetravit, & nomine Principis solvere debet. At vero si Narcissus primum post emptum ab Hospitali creditum impetravit a Principe facultatem solvendi Hospitali, non egit illicite, vel injuste. Ratio est: quia sic nullo modo est minister Principis quoad solvendum Hospitali: jam enim Princeps nihil amplius debet Hospitali, & subsequens Narcissi artificium, non debet artifici nocere, uti nec favor Principis. Quod si ergo creditum illud ob difficultatem (qualis supponi debet) impetrandi solutionem ab ipso Principe revera tanto minoris valuit consentiente Hospitali, vel ejus Curatore, Narcissus juste processit sic minoris emendo, & consequenter nemini fecit injuriam. Dixi autem per parenthesim: *qualis* (difficultas) *supponi debet*; nam si Princeps ipse ponatur fuisse paratus ad integre solvendos Hospitali illos mille aureos, non potuit Narcissus, etiam in hoc distinctionis membro, minoris emere; eo quod tunc abfuerit difficultas impetrandi condignam solutionem; quæ difficultas debuisset minuere pretium crediti. Ita per omnia Tamburinus *lib.* 8. *in Decal. tr.* 3. *c.* 7. §. 8. *n.* 7. & Sporer *tr.* 6. *in Decal. c.* 5. *n.* 51. ferme in terminis.

CASUS VIII.

826. *Nicephorus, & Nicephorianus ineunt contractum Societatis in triennium ad negotiandum: ille bis mille florenos; iste meram operam confert suam, quam & sedulo præstat. Elapso autem triennio solam reperiunt pecuniam, quæ in sortem fuerat deposita, nihil vero prorsus lucri facti. Quæritur, utrum in communionem sortis adhuc integræ admittendus etiam sit Nicephorianus, aut ea soli Nicephoro, qui eandem contulerat, relinquenda?*

Respondetur, quod integra sors sit relinquenda Nicephoro: nisi aliter inter contrahentes sit conventum. Ita Navarrus *in Manual. c.* 17. *n.* 253. Filliucius *tr.* 38. *c.* 3. Palao *de Just. disp.* 8. *pun.* 3. Burghaber *cent.* 2. *cas.* 96. & alii contra alios. Sumitur responsio *ex Constit. Xysti V. quæ incipit. Detestabilis avaritia*, in qua diserte habetur, sortem, si finita societate adhuc extet, tradendam esse illi, qui eam contulerat. Suffragatur etiam ratio: quia si pecunia (quæ appellatur *sors*) pereat, collatori perit; ergo æquitas exigit, ut si remaneat, ipsi tradatur, vel relinquatur; cum commodum debeat esse illius, cujus est incommodi periculum.

Dices. Qui contulit operam, tantum contulit, quantum qui contulit pecuniam; cum opera unius socii tantum valeat, quantum valet pecunia ab altero collata; ergo pecunia finita societate dividenda est; alias committeretur inæqualitas.

Respondetur, dist. ant. Tantum contulit pro sorte, sive capitali, neg. pro lucro acquirendo, transeat ant. & neg. cons. Pro sorte enim contulit nihil; adeoque de sorte, seu pecunia ipsi nihil debetur, sed tantum lucro, siquod fuisset acquisitum: unde (ut etiam ad rationem consequentiæ probativam respondeatur) nulla in Casu committitur inæqualitas; cum uterque lucro, quod solum fuisset dividendum, carere debeat.

Nonnulli Casus de quibusdam aliis speciebus contractuum propositi, & resoluti sunt per decursum hujus Partis. Unde impræsentiarum plures adducere supersedeo.

FINIS I. PARTIS.

